
3 1761 07838941 8

# THEOLOGIA
## UNIVERSA
*AD USUM*
## SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM
*AUCTORE*
## R. P. THOMA EX CHARMES
*Provinciæ Lotharingiæ Cappuccinorum Definitore, Custode Generali, necnon antiquo Sacræ Theologiæ Professore.*

**TOMUS PRIMUS**

CONTINENS TRACTATUS DE PROLEGOMENIS, DE DEO UNO, TRINO, ET CREATORE, ET INCARNATO, NECNON DE GRATIA.

**EDITIO OCTAVA VENETA;**

Omnibus, quæ ab ipso AUCTORE vel addita, vel emendata sunt, locupletata.

Applicato alla Li-
braria di [illegible] da
F. Ermenegildo da
Guardia Salard. Capp.no
colla debita licenza
visitatore il [illegible]
uso

VENETIS,

APUD HÆREDES BALLEONIOS TYPOGRAPHOS AC EDITORES

MDCCCXXIV.


LIBRARY
AUG 20 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

# PRÆFATIO

## AD SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATOS.

Inter hancce Theologiam conscribendam nunquam e meo conspectu evolastis, *dilectissimi Candidati*, in unum vestrum profectum totus incumbens, utilitatem vestram (quæ summa votorum est) unice quæsivi, non nova tradendo, sed jam a doctissimis viris tradita, ad faciliorem, ac semota omni caligine, ad nitidiorem scholæ methodum deducendo, ut inde mens sublevetur, & veritates Theologicæ in memoria altius infigantur.

Prolixitatem & nimiam concisionem sedulo declinavi; in scholis namque non semel expertus sum, nimiam prolixitatem veritates implicare potius & obscurare, quam elucidare, atque Theologiæ Candidatis, etiam oculatioribus, creare fastidium, eosque a studio avocare; nimiam vero concisionem tam modicum lumen afferre, ut tyrones, post emensum cursus Theologici stadium, in densissima quandoque versentur inscitia. Quare

1. Varias quæstiunculas mere philosophicas, vanas & inanes tricas, ad mores instituendos ac reformandos omnino inutiles, scientiamque supernaturalem deturpantes potius, quam ornantes, omisi.

2. Unam aut alteram ex firmioribus ac validioribus tum sacræ Scripturæ, tum traditionis Patrum, tum etiam rationis probationibus, selegi; cæteras prætermisi, ut operi ex una parte nihil desit necessarii, nihil ex altera redundet quo tyrones ab incepto opere deterreantur.

3. Citationes obvias ac magis necessarias in operis corpore inserui, cæteras ad calcem paginæ remisi, ut qui felici valent memoria, eas in suo loco collocare facili possint negotio; qui vero labili ac fluxa sunt memoria, earum multitudine non obruantur.

4. A methodo plurium Theologorum, qui circa quæstiones practicas, aliorum opiniones coacervare contenti, vix suam mentem aperiunt, me continui; harum enim multiplex enumeratio sine difficultatis resolutione, animos recens Confessariorum ita tenet suspensos & ancipites, ut qua via incedere debeant vix possint judicare; cui incommodo occurrens, post accuratam meditationem opinionum a melioris notæ Theologis traditarum, eas, quas reperi probabiliores, tenui ac statui, & sic quæstiones de moribus experimento simul & doctorum Magistrorum meorum laboribus edoctus, resolvi, a rigore & laxitate ex æquo deflectens.

5. Veritatis assequendæ avidus, amicorum monita secundis semper auribus accepi, ac, in recognoscendo opus meum, controversarum opinionum rationes & momenta scrupulosius trutinatus sum, & ubi deprehendi me majorem probabilitatem non fuisse assecutum, opinionem, quam in prima editione tenueram, in hac secunda commutavi.

Porro, cum tam meus, quam vester progressus, *dilectissimi Candidati*, laborum meorum sit terminus, eximiorum Theologorum opiniones, sive contractas, sive etiam uberius explicatas, usurpare, non sum veritus, plene persuasus, quod qui materias egregie tractatas aliter vellet pertractare, pene inevitabili illas perperam tractandi periculo sese committeret; omnium ergo laboribus gratanter & reverenter usus sum; omnibus me debitorem agnosco, etiam adversantibus; in illis tamen citandis parcus fui, ne Lectori fierem importunus.

Hoc ergo qualecumque munusculum, quod ad vos suapte natura non tam currit quam volat, *dilectissimi Candidati*, indulgentes accipite, & si quid minus limatum, minusve firmum occurrerit, meæ tenuitati imputantes, ignoscite, & orate pro me, ut delicta mea & ignorantias meas non meminerit Dominus; si quid vero gratum arriserit, Deo adscribite, a quo bona cuncta procedunt, cui sit sempiterna laus & gloria.

## *FACULTAS REVERENDISS. PATRIS GENERALIS.*

Nos F. JOSEPHUS-MARIA ab Interamna totius Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum Minister Generalis.

Cum opus cui titulus, *Theologia universa, &c.* exaratum a R. P. THOMA ex Charmes, Cappuccino, Provinciæ Lotharingiæ alumno, antiquo Theologiæ Lectore, Definitore, Custode Generali, duo Theologi ejusdem Ordinis, quibus id commisimus, recognoverint, atque publica luce frui posse rite probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, servatis prius de jure ac de consuetudine servandis in Regno Galliæ. Datum Romæ ex loco nostro Immaculatæ Conceptionis, die 14. Januarii anno 1747.

F. JOSEPHUS-MARIA,
*Minister Generalis qui supra.*

---

## *APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.*

Ego infrascriptus Theologiæ universæ a R. P. Thoma ex Charmes, Provinciæ Cappuccinorum in Lotharingia Definitore, Custode generali, nec non Ex-lectore compositæ secundam editionem cum emendationibus & accretionibus, pari attentione & congratulatione, qua priorem, perlegi, in qua nihil, quod fidei orthodoxæ repugnet, reperi; immo cuncta sunt cum tanta methodo, claritate ac soliditate disposita, ut jure merito Typis mandandam exigat maxime sacræ Theologiæ Candidatorum utilitas. Datum in Conventu nostro Nancejano, die 18. Aprilis 1754.

F. NICOLAUS GERBEVILLA,
*Cappuccinus, quondam sacræ Theologiæ Lector & Provincialis.*

Ego infrascriptus, ex mandato Reverendissimi Patris Generalis, legi opus, cui titulus: *Theologia universa, &c.* compositum a R. P. Thoma ex Charmes, Provinciæ Lotharingiæ Cappuccinorum Definitore, Custode generali, nec non Ex-lectore, in quo non tantum nihil est fidei & moribus contrarium, sed omnia ita accurate ac dilucide tractata, ut non tyronibus modo, sed etiam eruditis opus utilissimum judicetur: quare typis mandari posse censeo. Datum Nanceji die 15. mensis Septembris, anno Domini 1754.

F. HENRICUS EX CHARMES,
*Definitor, Vicarius Provincialis, & Ex-lector.*

# TRACTATUS UNICUS

## DE

## PROLEGOMENIS

## THEOLOGIÆ.

*Nota*. Prolegomena alicujus disciplinæ, nihil aliud sunt, quam Tractatus Proemialis varias quæstiones circa illam disciplinam in universum, & circa illius principia, agitari solitas, complectens, ut intelligatur id, de quo disserendum est; hinc ab eo Tractatu exordimur, eamque in septem Dissertationes partimur, quarum

*Prima* erit de essentia & divisione Theologiæ. *Secunda*, de ejusdem existentia & necessitate. *Tertia*, de illius objecto. *Quarta*, de ejus proprietatibus. *Quinta*, de locis Theologicis. *Sexta*, de propositionum censuris. *Septima*, de præcipuis hæreticis.

### DISSERTATIO I.

*De essentia, & divisione Theologiæ.*

*Nota*. Theologia, secundum nominis etymologiam, idem est ac *sermo de Deo*; est enim vocabulum derivatum a verbo græco *Teos*, quod Deum, & *logos*, quod significat sermonem; quare omnis sermo de Dei natura, perfectionibus, operibus, &c. Theologiæ nomine insigniri potest, quo sensu Philosophi gentiles (*Teste S. Clem. Alexand. l. 5. Strom.*) suas de diis fabulas, Theologiæ vocabulo efferebant. Verum apud Catholicos, Theologiæ nomen illi soli cognitioni tribuitur, quæ per discursum ex revelatione deducitur, cujus accuratam definitionem hic inquirimus, & divisionem, ideo:

Quæres 1. *Quid sit Theologia?*

*Resp.* Est *habitus mentis, quo ex veritatibus immediate, vel mediate, revelatis, aut ex una saltem revelata, variæ de Deo, rebusque divinis, conclusiones per discursum, deducuntur*. Explicatur definitio:

Dicitur 1. *Habitus mentis*: pro genere, per hoc enim convenit tum cum Metaphysica, tum cum fide, tum cum Theologia beatorum, quæ, sicut Theologia nostra, versantur circa Deum, resque divinas.

Dicitur 2. *Quo ex veritatibus revelatis*: per quod differt a Metaphysica, quæ de Deo, rebusque divinis disserit per lumen naturæ.

Dicitur 3. *Mediate, vel immediate revelatis*, quia ad conclusionem vere Theologicam, non requiritur, ut præmissæ, ex quibus infertur, sint immediate & explicite revelatæ, qualis est ista, *Deus est homo*: sed sufficit, ut sint implicite & mediate revelatæ, id est ex revelatis deductæ, qualis est ista, *Christus habet duas voluntates*.

Dicitur 4. *Aut ex una saltem revelata*, quia ad conclusionem vere Theologicam sufficit, ut una præmissa sit revelata, licet altera sit naturalis, modo sit certa.

Dicitur 5. *De Deo*: ut designetur objectum primarium Theologiæ, quod est Deus, attributaque divina.

Dicitur 6. *rebusque divinis*; ut designetur objectum Theologiæ secundarium, nempe omnia quæ ad Deum tanquam ad principium, finem, gubernatorem, legislatorem, salvatorem, &c. reducuntur.

Dicitur 7. *conclusiones per discursum deducuntur*: per quod differt 1. a fide, quæ versatur circa res expresse revelatas per meram adhæsionem sine discursu. 2. A Theologia patriæ, qua beati Deum resque divinas intuitive cognoscunt per lumen clarum gloriæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit Theologia?*

*Resp.* 1. Theologia, ratione materiarum de quibus tractat, dividitur in speculativam, & practicam, seu moralem.

Theologia *Speculativa* est ea, quæ in objecti sui contemplatione quiescit, nihilque circa illud operatur; v. g. cum Theologus agit de Deo uno, trino, creatore, &c. vocatur etiam *dogmatica*.

Theologia *Moralis* est ea, quæ ad informandos mores tota occupatur, quæ ideo *practica* nuncupatur.

*Resp.* 2. Theologia *speculativa*, seu *dogmatica*, ratione methodi qua res divinæ tractantur, dividitur in positivam & scholasticam.

Theologia *positiva* est ea, quæ fusiori stylo, & modo oratorio res divinas tractat, primariaque fidei principia ponit ac statuit, ut sunt Scriptura sacra, traditio, Conciliorum statuta, &c.

Theo-

Theologia *scholastica* est ea, quæ stylo ac nervo philosophico, dogmata fidei proponit, ut ea strictius ac magis methodice probet. Hinc

*Colliges*, divisionem Theologiæ in positivam, scholasticam, & dogmaticam, non esse inter membra opposita, cum Theologia positiva & scholastica sint ipsa Theologia dogmatica, quæ non essentialiter, sed accidentaliter, seu tantum penes stylum & methodum, dividitur in positivam & scholasticam, & ideo *positiva* dicitur, quia veluti ponit, & proponit prima & immota fidei principia, ex quibus, tanquam ex præmissis, scholastica more philosophico suas conclusiones deducit, ut dogmata catholica manifesta faciat, & a pravis Hæreticorum assertionibus secernat ac tueatur; ideo *Scholastica* dicta, quia in scholis a quingentis annis usurpatur.

## DISSERTATIO II.

*De existentia & necessitate Theologiæ.*

*Nota* 1. Theologia potest spectari dupliciter, 1. Secundum substantiam, & ratione sui, prout est disciplina quæ ex principiis fidei argumentando conclusiones Theologicas deducit, & sic proprie dicitur *positiva*. 2. Potest spectari secundum methodum scholasticam, ad quam nunc in scholis nostris est redacta.

*Nota* 2. Aliquid potest esse necessarium simpliciter & absolute, vel secundum quid.

Necessarium *absolute & simpliciter*, est illud, sine quo, juxta ordinariam Dei providentiam, finis intentus haberi non potest. Tali necessitate necessaria est mandatorum Dei observatio ad salutem consequendam.

Necessarium *secundum quid*, est illud, sine quo finis intentus potest quidem obtineri, sed non tam facile.

*Nota* 3. Aliquid potest esse necessarium toti Ecclesiæ, non vero singulis hominibus, tale est Sacramentum Ordinis: aliquid vero & toti Ecclesiæ, & singulis hominibus, sic Baptismus necessarius est ad salutem consequendam. His positis:

## CONCLUSIO I.

*Theologia, secundum substantiam spectata, semper extitit: spectata vero secundum methodum dialecticam, ad quam nunc in scholis nostris est redacta, non semper extitit.*

*Prob. prima pars*, tum ex veteri Testamento, in quo erant Legisperiti, juxta illud (*Lucæ* 11. *v.* 52.) *Væ vobis Legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ*: atqui illa scientia non erat fides nuda, sed habitus quidam circa Deum, resque divinas discursivus, cum nulla sit scientia proprie dicta sine discursu; ergo. Tum ex novo Testamento, in quo 1. ipse Christus, ex Scripturis argumentando, suam probavit divinitatem ex hoc textu Davidis, *Psalm.* 109. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* ex quo arguit (*Marci* 12. *v.* 37.) *Ipse ergo David dicit eum Dominus, & unde est Filius ejus?* Et ex hoc textu, Genes. 2. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*, scholastice concludit indissolubilitatem Matrimonii, dicens: *Ergo quod Deus conjunxit, homo non separet.*

2. D. Paulus, qui (2. *Cor.* 5. *v.* 14.) ex eo quod Christus pro omnibus mortuus sit, concludit *Ergo omnes mortui sunt.*

3. Sancti Patres nervo syllogistico probarunt Christum esse consubstantialem Patri, quia in Scripturis dicitur, *Unigenitus Filius Dei.*

*Confirmatur*, ex eo quod ab ipsius Ecclesiæ exordio institutæ fuerint scholæ, in quibus Theologia scholastica secundum substantiam spectata, publice fuit edocta, ut testatur Eusebius (*L.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 10.) dicens de schola Alexandrina: *Per idem tempus, fidelium scholæ præerat vir doctrinæ causa celeberrimus, nomine Pantænus, quippe jam a priscis temporibus Sacrarum litterarum schola in ea civitate erat instituta, &c.* Ergo perperam Novatores Christianas academias, ut novum & a gentilitate emendicatum, fideique perniciosum inventum, lacessunt & insectantur.

*Prob. & exponitur secunda pars*, ex communi Historicorum consensu, docentium Theologiam ad methodum dialecticam fuisse primo redactam a Div. Joan. Damasceno initio VIII. sæculi in quatuor libris, *de fide orthodoxa*, inscriptis. Post ipsum hanc methodum sectati sunt nobiliores Theologiæ magistri, inter quos principem locum obtinuit *Petrus Lombardus*, Episcopus Parisiensis, magister sententiarum ideo dictus, quod Sanctorum Patrum sententias redegerit in quatuor libros sententiarum dictos, quem subsecuti sunt Doctor irrefragabilis Alexander de Hales, Albertus magnus, Doctor Seraphicus D. Bonaventura, & tandem Doctor Angelicus D. Thomas, qui universam Theologiam scholasticam in unam Summam compegit, quam in tres partes distribuit.

*In prima parte* agit de Deo uno, trino, creatore Angelorum & hominum, & de operibus sex dierum.

Secundam partem in duas partes divisit: *in prima*, quæ *prima secundæ* dicitur, agit de Actibus humanis, Legibus & Gratia. *In secunda*, quæ *secunda secundæ* dicitur, tractat de Virtutibus, & Vitiis in particulari.

*In tertia* denique agit de Incarnatione & Sacramentis.

## CONCLUSIO II.

*Theologia, secundum substantiam spectata, simpliciter & absolute necessaria est toti Ecclesiæ, non vero singulis fidelibus.* Prima pars est contra Lutherum docentem Scripturam sacram facillimam esse, nec esse obscuram nisi superbis & infidelibus, proindeque Theologiam esse inutilem.

*Prob.* 1. *pars*. Ea disciplina toti Ecclesiæ est necessaria, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur; atqui ex D. Aug. (*Lib.* 14. *de Trinit. cap.* 1.) Theologia est *scientia, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*; ergo &c.

1. Per Theologiam fides gignitur dispositive, nimirum objecti revelati propositione & explicatione; siquidem, Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei .... quomodo autem audient sine prædican-*

*cante?* Ergo censet Apostolus aliquam esse doctrinam sacram, per quam Ecclesiæ Pastores & Doctores fidei mysteria non solum exponant, sed etiam omni momentorum genere firment; quod præstare non possunt, qui Theologi non fuerint.

2. Per Theologiam fides nutritur; ubi enim per discursum Theologicum probatur fidei articulos non esse contra, licet sint supra rationem naturalem, certum est intellectum magis inclinari ad firmiorem eis assensum præbendum, quo fit ut fides veluti nutriatur, & adolescat.

3. Per Theologiam fides defenditur, juxta illud ad Tit. 1. *Oportet Episcopum sine crimine esse .... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Atqui solus Theologus id præstat; dum enim Hæreticorum sophismata dialecticæ face detegit ac solvit, fides tuta, victrixque triumphat.

4. Per Theologiam fides roboratur; rationes enim, similitudines, exempla, quibus Theologi scholastici fidei articulos elucidant, & credibiles demonstrant, infirmam ac nutantem imbecillium fidem roborant; ita *ut jam non sint parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum ad circumventionem erroris*, ait Apost. (*Eph.* 4. *v.* 11.).

*Prob. secunda pars:* Rustici complures Theologiæ rudes penitus & ignari, fidei tamen articulos firmissime credunt, sacrisque Ecclesiæ Sacramentis muniti, salutem æternam consequuntur, juxta illud, Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hinc Apost. (1. *Cor.* 12. *v.* 29.) distinguens officia, ait: *Numquid omnes Apostoli? ... numquid omnes Doctores? .... numquid omnes interpretantur?* Ergo.

Hinc, cum D. Petrus (*epist.* 1. *cap.* 3. *v.* 15.) jubet, ut omnes fideles sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quæ in ipsis est, spe:* debet intelligi de satisfactione per simplicem articulorum fidei expositionem, non vero per eorumdem variis rationibus confirmationem, & ab Hæreticorum fallaciis defensionem.

*Objicies contra primam partem*, 1. Si quæ sit necessitas Theologiæ, maxime ut sacram Scripturam interpretetur, variasque illius solvat obscuritates; sed ad hoc est prorsus inutilis; ergo.

*Prob. min.* Scriptura sacra fidelibus est ita clara, ut absque ullo interprete ac Doctore genuinus illius sensus percipiatur; ergo, &c. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Ex Apost. (2. *Cor.* 4. *v.* 3. & 4.) *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi* (id est, diabolus, ut Patres (*Aug. l.* 1. *contra Faust. cap.* 9. & *Cyrill. apud œcumenium*) interpretantur) *excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloria Christi.* Ergo fidelibus omnibus Scriptura est aperta & facilis.

*Resp. nego conseq.* Apostol. enim id non loquitur de facili, vel difficili Scripturæ intelligentia, sed de fide in Christum, quam prædicantibus Apostolis, plures ex malitia, & mentis excæcatione, repellebant, eo quod veritates Evangelicas sensuum voluptati & rationi naturali repugnare censerent.

*Inst.* 1. Psalm. 18. *Præceptum Domini* dicitur *lucidum, illuminans oculos.* Et Proverb. 6. dicitur, *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Ergo Scriptura fidelibus est ita clara, ut non egeat Doctore, nec Theologia.

*Resp. nego conseq.* Tum quia illi textus non de omnibus Scripturis intelliguntur, sed tantum de præceptis dominicis, quæ sunt clara & manifesta; tum quia Scripturæ dicuntur lucidæ, *lux, lucerna*, non quod facile intelligantur, cum & ipse Regius Psaltes postulet a Domino intelligentiam Scripturarum, Psalm. 118. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua;* sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrant, & iter ostendunt ad Christum, qui est verus sol justitiæ.

*Inst.* 2. Atqui Scripturæ dicuntur *lucerna, lux*, hoc sensu quod facile intelligantur; ergo.

*Prob. subsumpt.* Ex Div. Chrysost. *Homil.* 3. *de Lazaro*, ubi, cum ostendisset Philosophos obscure locutos, subdit: *Apostoli vere & Prophetæ omnia contra fecerunt manifesta, claraque prodiderunt veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ discuntur ex sola lectione.* Ergo Scripturæ facile intelliguntur.

*Resp. dist. conseq.* Scripturæ aliquæ, *concedo conseq.* omnes, *nego conseq.* Testatur enim ibi D. Chrysostomus se loqui de Historia, & rebus similibus, quam etiam asserit non esse omnibus claram; subdit enim: *Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt, memoriam tene; quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quoad dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.* Quæ verba eo magis sunt notanda, quod solum Chrysostomum nobis objicere soleant Hæretici.

*Objicies* 2. *Lutherus;* Patres suas sententias probant ex Scriptura; atqui non debet probari quod notius est, per id quod est minus notum; ergo Scripturæ sunt clariores, quam Commentaria Patrum.

*Resp. nego conseq.* Argumentum enim est putidum sophisma; nam ex illo philosophorum principio *minus notum ex magis noto probandum est*, quod a Philosophis intelligitur de notitia veritatis rei, in eo positæ, ut quis intelligat, id quod dicitur esse verum, Lutherus concludit notitiam verborum, quæ in perspicuitate sententiæ consistit, quemadmodum dicimus notiorem esse, id est, clariorem, sententiam propriam, quam figuratam.

Itaque Patres sententias suas Scripturarum testimoniis confirmant, quia notius est verum esse quod in Scripturis habetur, quam quod habetur in Patribus: & tamen iidem Patres commentariis suis Scripturas illustrant, quia verba Scripturæ sunt obscuriora, quam verba Patrum.

## CONCLUSIO III.

*Theologia Scholastica Ecclesiæ non est absolute necessaria, est tamen utilissima.*

*Prob. prima pars:* Ecclesia cum sola Theologia positiva diu stetit, diuque floruit sine ope scholasticæ, quæ primum apud Græcos ortum habuit sæculo VIII. & apud Latinos sæculo XII. ergo &c.

*Prob. secunda pars* 1. authoritate Concilii Constantiensis, sess. 8. ubi inter alios Wiclefi articulus hunc damnat: *Universitates, studia, collegia, & ma-*

*& magisteria vana garrulitate introducta sunt*. Tum ex sensu, & decretis summorum Pontificum, quorum unum refero Honorii III. (*Cap. super specula, de Magistris*) statuentis: *ad Theologiæ professionis studium aliqui destinentur, qui cum docti fuerint in Dei Ecclesia, velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire*. Ad quam utilitatem attendentes cæteri summi Pontifices, aliique Principes Christiani ad studium Theologiæ excitarunt, variis privilegiis & honoribus, quibus accademias scholasticas ornarunt.

*Prob.* 2. Quia Scholastica tria tantum addit Theologiæ positivæ, nempe 1. stylum pressiorem ac dilucidiorem. 2. Certam methodum. 3. Dialecticæ usum; atqui hæc tria sunt utilissima, & maxime proficua; ergo &c.

1. Stylus dilucidior ac pressus, est maxime proficuus, quia per eum melius cognoscitur quæstionis propositæ status, ambiguitates, si quæ sint, accuratius enodantur, Hæreticorum sophismata enucleatius deteguntur. Ergo.

2. Certa methodus, qua utuntur scholæ, est utilissima, quia ordo est obstetrix, sicut e diametro confusio est noverca omnium disciplinarum; ordo enim res singulas ad propria capita revocat; quæ connexa sunt, copulat; quæ a se invicem discreta, sejungit; ergo maximam doctrinæ lucem affert.

3. Dialecticæ usum fidei muniendæ & contra Hæreticos tuendæ perutilem esse docent antiquiores Patres. *Dialectica*, inquit D. Basilius (*in cap. 2. Isaiæ*) *muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi & quorumlibet incursioni patere*. Et Clemens Alex. (*L. 6. Stromat.*) dicit eandem esse vineæ Christi *sepimentum*, ne a sophistis catholica veritas proculcetur, & *l.* 1. *Strom.* multas affert causas cur Philosophia sit Theologo utilis. *Prima*, quia est necessaria ad Philosophos edocendos, sicut enim Apost. *Judæis Judæus, & omnia omnibus* factus est, *ut omnes lucrifaceret* (*Epist. 1. cap. 3. v. 15.*) ita Theologiæ professor fiat necesse est Philosophus Philosophis, ut eos per propria ad fidem perducat veritatis. *Secunda*, quia est necessaria ad refellendos Sophistas. *Tertia*, quia quod varie multiformique argumento suadetur, id firmius hæret animis discipulorum. Hinc Melchior Canus (*2. Cor. 4. v. 3. & 4.*) ait: *Rationem si a Theologia submoveas, Theologia ipsa & rem amittet & nomen; nec enim quidquam aliud Theologia, quam sermo ratioque de Deo; si autem rem ipsam quæras, est rerum divinarum, scientia vero non nisi per syllogismum quæritur*.

*Objicies* 1. Omnis novitas cavenda est, & ab Ecclesia eliminanda; atqui Theologia scholastica est nova; ergo.

*Resp. dist. maj.* Omnis novitas dogmatum, *conc. maj.* omnis novitas methodi doctrinæ tradendæ, maxime si clarior sit & facilior, *nego maj.* imo Christus (*Matth. 13. v. 52.*) laudans Theologum ait: *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera*. Non quod nova dogmata docere debeat, sed quod vetera nova methodo doceat & explicet, ut monet Vincentius Lirinensis (*In commonit. cap. 27.*) dicens: *Eadem quæ didicisti, ita doce, ut cum dicas nove, non dicas nova*. Hoc autem præstat scholastica Theologia; non enim nova tradit dogmata, sed quæ a veteribus fusius & stylo oratorio fuerunt tradita, hæc strictiori ac dialectico modo concludit, & ideo majori commendatione videri debet.

*Inst.* In Theologia scholastica variæ quæstiones ad salutem inutiles pertractantur; ergo, ut inutilis, rejicienda est.

*Resp. dist. ant.* In scholastica quæstiones ad salutem inutiles pertractantur, vitio ipsius Theologiæ, *nego ant.* vitio Theologi volentis sapere plusquam oportet sapere, *conc. ant.* Fateor præscindendas esse omnes illas quæstiones vanas, verum firmiter teneo servandas esse, ac discutiendas eas, quæ fidei dogmatibus explicandis & illustrandis deserviunt.

*Objicies* 2. Scholastica est fidei nociva; ergo.

*Prob. ant.* Quod fidei meritum evacuat & extinguit, est fidei nocivum; atqui &c.

*Prob. min.* Ex S. Gregor. (*Hom. 26. in Evangelia*) dicente: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*.

*Resp. dist. ant.* Cui humana ratio præbet experimentum rei credendæ, ut in S. Thoma, qui noluit prius credere Christum resurrexisse, quam palparet ejus cicatrices, & de quo loquitur Div. Gregorius, *conc. ant.* cui humana ratio præbet experimentum earum rerum quæ persuadent Deum vere revelasse quæ ad credendum proponuntur, *nego ant.* Porro scholastica non demonstrat evidenter propositionem revelatam, v. g. Christum esse Patri consubstantialem, sed demonstrat solummodo eam propositionem esse revelatam ac proinde fide divina credendam; unde non inducit intellectum, ut ei assentiatur propter evidentiam rationis, sed solum propter certam & infallibilem revelantis authoritatem.

*Inst.* 1. Scriptura & SS. Patres rejiciunt usum Philosophiæ tanquam noxium fidei; ergo. *Resp. nego antec.*

*Prob. ant.* Ex Apost. (*Coloss. 2. v. 8.*) *videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam*. Et D. Aug. (*In Psalm. 118.*) *Nihil volis cum Philosophia, ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat a vero*. Ergo usus Philosophiæ est fidei nocivus.

*Resp. nego conseq.* Usus Philosophiæ est fidei nocivus per accidens, nimirum ex perverse philosophantium malicia, *conc. conseq.* per se, *nego conseq.* Loquuntur ergo Apostolus & Patres de Philosophia falsa & Sophistica supra authoritatem Scripturæ & traditionis dominativa, quæque tota est ad simplicitatem fidei circumveniendam, ut liquet ex his verbis: *Et inanem fallaciam*; non vero loquuntur de vera Philosophia, quam adhibent Theologi ad detegenda & solvenda Hæreticorum sophismata & quæ captivatur in obsequium fidei, a qua regitur ut ancilla, nec dominari permittitur: alias sibi contradiceret D. Aug. (*l. 2. contra Cresconium*) cum dicit: „ Paulus erat dialecticus, & „ ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non „ solum acute, sicut illi, sed etiam veraciter, „ quod non illi „. Et subdit: Cave ne unquam via-

„ dialecticam pro crimine objeceris, qua usos Apo„ stolos confiteris ".

*Inst.* 2. Inter scholasticos perpetuæ ardent contentiones ac dissidia, ex quo nihil certum apud illos reperiri potest. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Perpetua ardent dissidia, in his quæ ad fidem spectant, *nego ant.* in his enim sunt perfecte concordes. In aliis, quæ ad fidem non spectant, *subdist.* Vitio Theologiæ, *nego ant.* vitio quorumdam Theologorum, qui in rebus philosophicis luxuriantes, varias quæstiones Metaphysicas circa fidei ac morum dogmata superflue coacervarunt, *conc. ant.* Porro ad illorum petulantiæ ingenia coercenda sapientissimum decretum edidit Concil. Trid. sess. 5. §. *Propterea*.

*Objicies* 3. Scholastica utitur multis terminis barbaris, qui virum sapientem dedecent, v. g. *materialiter*, *formaliter*, *reduplicative*, *&c.* immo nonnumquam utitur solecismis, v. g. *opus operatum*. Ergo.

*Resp. nego conseq.* Ratio est, quia illis terminis, alioquin barbaris, conjunctæ sunt ideæ, quibus mysteria clare, & absque æquivocatione explicantur, unde mirum videri non debet, quod illa vocabula usurpet Theologia, ut suum objectum valeat sine æquivocatione exponere.

## DISSERTATIO II.

### *De objecto Theologiæ.*

*Nota* 1. Triplex esse objectum alicujus disciplinæ, materiale scilicet, formale *quod*, & formale *quo*.

Objectum *materiale* est res ipsa, circa quam disciplina versatur.

Objectum *formale quod*, est formalitas, sub qua disciplina attingit suum objectum materiale.

Objectum *formale quo*, est medium, seu motivum, per quod disciplina attingit suum objectum tum materiale, tum formale *quod*: v. g. paries est objectum materiale visus; color est objectum formale *quod*; lux est objectum formale *quo*, seu est medium, per quod visus attingit parietem coloratum.

*Nota* 2. Objectum materiale subdividitur in adæquatum, seu totale *communitatis*, adæquatum, seu totale *attributionis*, & inadæquatum, seu partiale.

Objectum totale *communitatis*, est omnis res, circa quam disciplina versatur, unde adæquat totam scientiæ latitudinem.

Objectum totale *attributionis*, est res quæ in disciplina ita præcipuum locum habet, ut ad eam omnia alia, quæ in ea disciplina tractantur, referantur.

Objectum *inadæquatum*, est quælibet pars objecti adæquati; constat autem objectum inadæquatum Theologiæ primarium, esse Deum; secundarium, esse quamlibet rem quæ ad Deum refertur, & per discursum ex revelatis deducitur.

*Nota* 3. Aliquam propositionem posse dici revelatam, 1. *Immediate & explicite*, id est, in se qualiter ista est revelata: *Deus est unus*. 2. *Virtualiter & mediate*, cum nempe in veritate immediate revelata continetur, quomodo in ista propositione, *Christus est homo*, hæc alia continetur, *Christus habet humanam voluntatem*. His præmissis:

## CONCLUSIO I.

*Objectum Theologiæ adæquatum* communitatis, *est Deus ipse, & res omnes quæ ad Deum aliquo modo referuntur, & ex revelatis deducuntur; objectum vero adæquatum* attributionis *est ipsemet Deus.*

*Probat. prima pars*: Objectum adæquatum *communitatis* Theologiæ, est omnis res, circa quam versatur: atqui omnis res, circa quam Theologia versatur, est ipse Deus, & omnes res, quæ ad Deum aliquo modo referuntur, & ex revelatis deducuntur; ergo &c.

*Probat. secunda pars*: Objectum adæquatum *attributionis*, est illud, ad quod omnia quæ in Theologia tractantur, referuntur; atqui omnia, quæ in Theologia tractantur, ad Deum referuntur, vel ut effectus ad causam, ut creaturæ, vel ut instrumenta quibus homines sanctificat, ut sunt incarnatio Verbi divini, gratia, sacramenta; vel ut media ad Deum assequendum ordinata, ut sunt actus humani, eorumque regulæ, nempe conscientia & lex; vel tamquam præcepta & prohibitiones ab ipso impositæ, ut sunt virtutes, & vitia; ergo.

*Objicies* 1. Deus nullo modo potest esse objectum Theologiæ; ergo, &c.

*Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Nulla disciplina probat existentiam sui objecti, sed illud supponit; atqui Theologia probat existentiam Dei; ergo.

*Resp.* dist. maj. Nulla disciplina probat existentiam sui objecti, a priori & per medium sibi intrinsecum, *conc. maj.* a posteriori, & per medium sibi extrinsecum, *nego maj.* & sic dist. min. *nego conseq.*

Itaque, Theologia probat existentiam Dei per effectus, & ex principiis Metaphysicæ, sibi extrinsecis, ut ostendat Atheorum insipientiam, in quo nulla est repugnantia; sed existentiam Dei non probat per causam, & ex principiis sibi intrinsecis, scilicet ex articulis fidei: considerat enim Deus ut est ens supernaturale quod fide creditur, nulla vero ratione probatur.

*Objicies* 2. Nulla res alia a Deo est objectum Theologiæ; ergo, &c.

*Prob. ant.* Si quæ res alia a Deo esset Theologiæ objectum, maxime Verbi divini incarnatio; atqui incarnatio Verbi non est objectum Theologiæ, ex D. Basil. (*epist.* 141.) dicente: in *Theologiam*, *id est*, *in ea quæ divinitatis propria sunt*, *intenti*, *Assumptionis mysterium contemnamus*: ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Incarnatio Verbi non est objectum attributionis Theologiæ, *conc. min.* objectum attributum, *nego min.* Incarnatio enim refertur ad Deum tamquam instrumentum animatum, quo voluit reparare creaturam rationalem, & sic intelligi debent D. Basilius, & alii Patres.

## CONCLUSIO II.

*Objectum formale* quod *Theologiæ*, *est ipsa divinitas*, *seu est Deus sub ratione deitatis*.

*Prob.* Objectum formale quod alicujus scientiæ, est formalitas, sub qua illa scientia attingit suum objectum materiale; atqui ratio deitatis est formalitas, sub qua Theologia attingit suum objectum materiale; ergo, &c. *Major* est definitio, *minor* est certa, nam ipsa deitas est fons & radix omnium, quæ in eo sunt & a Deo producuntur: ratio enim cur Deus est unus, trinus, infinitus, &c. est ipsa deitas; ratio cur sit creator, sanctificator, &c. est ipsa deitas; ergo.

*Objicies* 1. Objectum formale *quod* alicujus scientiæ, prædicari debet de omnibus objectis inadæquatis, quæ ab illa scientia attinguntur; atqui deitas nullo modo prædicatur de Angelis, Homine, Legibus, Sacramentis, &c.

*Resp. dist. maj.* Prædicari debet in recto, vel in obliquo, *conc. maj.* in recto semper, *nego maj.* atqui deitas de omnibus non prædicatur in recto; *conc. min.* non enim sunt Deus: in obliquo, *nego min.* sunt enim vel effectus Dei, vel media conducentia ad Deum, &c.

*Objicies* 2. Deus non potest a nobis cognosci sub ratione deitatis, alias possent cognosci prædicata Dei essentialia; ergo Deus sub ratione deitatis non potest esse objectum formale *quod* Theologiæ.

*Resp. dist. ant.* Deus non potest a nobis cognosci sub ratione deitatis intuitive, *conc. ant.* abstractive per effectus, *nego ant.* nam ex Apost. (*Rom.* 1. *v.* 20.) *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

*Inst.* Atqui non sufficit cognitio abstractiva deitatis; ut ipsa sit objectum formale *quod* Theologiæ.

*Prob. subs.* Disciplina debet adæquare, & consequenter comprehendere suum objectum formale *quod*. Atqui cognitio abstractiva, cum sit finita, non adæquat Deum infinitum sub ratione deitatis; ergo &c.

*Resp.* nego maj. Sufficit enim ut disciplina cognoscat suum objectum formale in quantum est cognoscibile ex suis principiis; atqui Theologia cognoscit Deum sub ratione deitatis in quantum cognoscibilis est ex principiis revelatis; ergo.

## CONCLUSIO III.

*Objectum formale* quo *Theologiæ*, *est veracitas in revelando*, *quatenus per discursum Theologicum applicatur*.

*Prob.* Objectum formale *quo*, est medium, seu motivum, per quod disciplina attingit suum objectum tum materiale, tum formale *quod*; atqui per veracitatem Dei in revelando nobis per discursum applicatam, Theologia attingit suum objectum materiale, & formale *quod*. Quare enim Theologus certus est, Christum habere humanam voluntatem, nisi quia Deus, qui est summe verax, revelavit Christum esse hominem? Ergo veracitas Dei in revelando, est motivum assensus, quem Theologus præbet conclusioni Theologicæ, non quidem veracitas sola; alioquin assensus Theologicus non discreparet ab assensu fidei, qui datur propter veracitatem Dei revelantis, sed veracitas per discursum Theologicum applicata.

*Objicies.* Quod convenit tam fidei, quam Theologiæ, non est objectum formale *quo* Theologiæ; atqui veracitas Dei in revelando, etiam per discursum applicata, convenit fidei; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Ex dicendis (*Dissert. de fide*, *c.* 1. *q.* 4.) propositio legitime deducta ex præmissis immediate revelatis, quales sunt articuli de substantialitate Verbi cum Patre, de duplici voluntate in Christo, &c. est de fide divina; ergo veracitas Dei per discursum applicata convenit fidei.

*Resp. dist. ant.* Propositio legitime deducta ex præmissis immediate revelatis, est de fide divina, si spectetur materialiter, id est quatenus continetur in revelata, *conc. ant.* si spectetur formaliter, id est quatenus deducitur ex præmissis, *nego ant.* Sic enim est assensus Theologicus. Ratio est, quia motivum assentiendi conclusioni spectatæ formaliter, est discursus artificialis applicans divinam revelationem; ac motivum assentiendi conclusioni materialiter spectatæ; est divina revelatio, in qua conclusionem contineri certo cognoscitur per illationem legitimam. Hinc patet articulum de consubstantialitate esse simul conclusionem Theologicam, & articulum fidei in Theologo catholico; esse vero simplicem articulum fidei in christiano Theologiæ ignaro, qui non curat de applicatione revelationis, & cui satis est quod sit certus Deum aliquam veritatem revelasse.

## DISSERTATIO IV.

*De proprietatibus Theologiæ.*

Quæritur hic 1. Qualis sit habitus mentis Theologiæ. 2. Utrum sit supernaturalis.

## CAPUT I.

*Qualis sit habitus mentis Theologiæ.*

*Nota.* Ex Logica, quinque esse habitus mentis, nempe, intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. Certum est autem Theologiam non esse intelligentiam, cum non sit cognitio primorum principiorum unicuique lumine naturali absque discursu cognitorum; nec prudentiam, cum non tractet de rebus, quæ in particularibus circumstantiis agendæ sunt; nec artem, cum non verset circa factibilia.

Restat ergo expendendum, 1. An sit scientia; 2. Qualis sit scientia; 3. An sit etiam sapientia.

## QUÆSTIO I.

*An Theologia sit scientia.*

### CONCLUSIO.

*Theologia est scientia vere ac proprie dicta.*

*Prob.* Ad scientiam proprie dictam duo sufficiunt, nempe, *evidentia consequentiæ*, id est, connexionis quam habet conclusio cum præmissis; & *certitudo consequentiæ*, id est, veritatis, quæ ex præmissis deducitur: atqui illa duo reperiuntur in Theologia nostra; ergo, &c. Hinc Scriptura (*Jerem.* 3. *v.* 15.) Theologiam appellat scientiam: *Dabo vobis Pastores . . . . & pascent vos scientia & doctrina.*

*Objicies* 1. Scientia ex Aristotele, est cognitio certa & evidens: atqui Theologia nostra non est evidens, nititur enim principiis revelatis, & consequenter obscuris, ergo.

*Resp.* dist. maj. Scientia, quæ nititur principiis naturalibus, debet esse evidens, *conc. maj.* scientia, quæ nititur principiis supernaturalibus, *neg. maj.* Aristoteles autem definit scientiam naturalem, quæ non potest esse physice aut metaphysice certa, nisi ejus principia sint evidentia, cum certitudo scientiæ petatur ex certitudine principiorum; e contra Theologia nostra habet ex suis principiis, nempe ex divina revelatione, omnem certitudinem, ita ut Theologus sit prorsus imperturbabilis in sua scientia, quam clare videt sequi ex fidei principiis, licet illa principia evidenter non cognoscat; ergo.

*Objicies* 2. De singularibus & contingentibus non datur scientia proprie dicta; atqui Theologia agit de singularibus, v. g. de Verbi incarnatione, passione, &c. agit item de contingentibus, v. g. de actibus humanis, merito, justificatione, &c. Ergo.

*Resp. dist. maj.* De singularibus & contingentibus non datur scientia proprie dicta, si spectentur in se, *conc.* si spectentur quatenus divinæ aut revelationi, aut ordinationi, subsunt, *nego maj.* atqui Theologia agit de singularibus & contingentibus, prout subsunt divinæ revelationi, aut ordinationi, *conc. min.* prout sunt in se, *nego min.* sic enim considerata, sunt mutabilia & incerta; verum considerata prout subsunt divinæ revelationi, aut ordinationi, sunt immutabiliora, longeque certiora, quam universalia, aut necessaria ordinis naturalis.

## QUÆSTIO II.

*Qualis scientia sit Theologia?*

Hic quæritur, 1. utrum Theologia sit speculativa, vel practica; 2. utrum sit certior scientiis naturalibus; 3. utrum sit subalternata scientiæ Beatorum.

### ARTICULUS I.

*Utrum Theologia sit scientia speculativa, aut practica?*

*Nota.* Scientia *mere speculativa*, est ea quæ sistit in contemplatione sui objecti.

Scientia *mere practica*, est ea quæ ordinatur ad operationem.

Scientia *partim speculativa, & partim practica*, est ea, quæ, præter objecti sui speculationem, voluntatem dirigit ad operationem. His notatis:

### CONCLUSIO.

*Theologia est scientia speculativa simul & practica.*

Ita D. Thomas (1. *p. q.* 1. *art.* 4.) contra Scotum & Scotistas, qui docent Theologiam esse mere practicam.

*Prob.* Illa disciplina, quæ contemplatur suum attributionis objectum, ac insuper ad ejus possessionem dirigit, speculativa simul est, & practica; atqui Theologia contemplatur suum attributionis objectum, naturam nimirum Dei, ejusque proprietates; ac insuper ad illius possessionem dirigit per virtutis exercitium & peccati fugam; ergo.

*Objicies* 1. Differentiæ, quæ specifice opponuntur, non possunt convenire eidem habitui: atqui speculativum & practicum sunt differentiæ, quæ specifice opponuntur; ergo.

*Resp.* dist. maj. Differentiæ specifice oppositæ, non possunt convenire eidem habitui, si habitus sit unus unitate simplicitatis, *conc. maj.* unitate ordinis & compositionis, *nego maj.* Licet ergo Theologia sit una unitate ordinis & compositionis, quatenus omnia, quæ in ea tractantur, referuntur ad Deum, qui est hujus objectum attributionis, non est tamen una unitate simplicitatis; constat enim multis partibus juxta diversitatem rerum de quibus tractat, unde sub uno respectu est speculativa, quatenus nempe versatur circa Deum, ut est in se; & sub altero est practica, quatenus versatur circa Deum, finem ultimum consequendum.

*Objicies* 2. Omnes conclusiones Theologicæ vel formaliter, vel virtualiter ordinantur ad praxim; ergo est totaliter practica.

*Prob. ant.* Si quæ sint conclusiones Theologicæ, quæ ad praxim non ordinarentur, maxime istæ: *Deus est unus, trinus, pater generat filium, &c.* Sed illæ sunt practicæ saltem virtualiter; ergo.

*Prob. min.* Illæ cognitiones, *Deus est unus, trinus, &c.* amorem erga divinas illas personas accendunt; ergo sunt saltem virtualiter practicæ.

*Resp. dist. ant.* Illæ cognitiones amorem erga personas divinas provocant, ex se, & ex fine intrinseco, *nego ant.* per accidens, & ex fine extrinseco, nempe Theologi nolentis Deum cognoscere, nisi ut eum diligat & honorificet, *conc. ant.* Porro, ut habitus sit totaliter practicus, requiritur ut per se, & ex fine intrinseco, omnes suas cognitiones ad praxim dirigat, quod certe non præstat Theologiæ pars nobilior.

## ARTICULUS II.

*Utrum Theologia sit certior aliis scientiis naturalibus & æque certa ac fides?*

*Nota.* 1. Certitudo duplex est, nempe objecti, & subjecti, seu motivi.

Certitudo *objecti*, est immutabilitas & invariabilitas rei quæ cognoscitur.

Certitudo *subjecti*, seu motivi, est adhæsio intellectus alicui veritati cognitæ per aliquod medium, seu motivum certum.

### CONCLUSIO I.

*Theologia omnibus aliis scientiis naturalibus certior est, certitudine, tum* **objecti**, *tum* **subjecti.**

*Prob. prima pars*: Scientia quæ fertur in objectum magis immutabile & invariabile, est certior certitudine objecti; atqui talis est Theologia, quæ fertur in Deum, qui majorem habet immutabilitatem & necessitatem essendi, quam objecta aliarum scientiarum naturalium; ergo.

*Prob. secunda pars*: Certitudo subjecti petitur ex certitudine motivi, propter quod intellectus assentitur alicui veritati; ergo major est certitudo, quo motivum est certius & firmius: atqui motivum propter quod intellectus assentitur conclusioni Theologicæ, est certius ac firmius eo quod in aliis scientiis intellectum determinat ad assensum; est enim divina revelatio, quæ certe longe majorem habet certitudinem, quam principia lumine naturali cognita, quæ sunt motiva scientiarum naturalium: ergo, &c.

*Objicies* 1. Quod est causa certitudinis conclusionis Theologicæ, est certius conclusione Theologica: atqui quandoque principia naturalia sunt causa certitudinis conclusionis Theologicæ; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Conclusio Theologica quandoque deducitur ex una præmissa revelata, & altera non revelata; atqui præmissa non revelata est causa conclusionis Theologicæ: ergo quandoque principia naturalia sunt causa conclusionis Theologicæ.

*Resp. dist. min.* Hæc præmissa non revelata, est causa conclusionis Theologicæ, adæquata, *nego min.* inadæquata, *subdist.* si spectetur separata a præmissa revelata, *nego min.* si spectetur conjuncta cum præmissa revelata, *conc. min.* & sic distincto consequente, *nego conseq.* Porro præmissa naturalis non revelata, conjuncta cum revelata, certior est, quam si sola foret, & consequenter conclusio Theologica certior est qualibet conclusione scientifica.

*Inst.* Ex Logica, *conclusio sequitur debiliorem præmissam*: ergo quando una præmissa est naturalis, conclusio Theologica acquirit tantum certitudinem naturalem, consequenter non est certior aliis scientiis.

*Resp. nego conseq.* Ut enim verificetur præfatum axioma, sufficit quod conclusio non adæquet perfectionem nobilioris præmissæ, non autem necesse est quod sit æque imperfecta ac præmissa ignobilior. Porro conclusio deducta ex una præmissa revelata & altera naturaliter evidente, non est tam certa, quam præmissa revelata, verum propter sui consortium cum præmissa revelata, est certior ipsa præmissa evidente.

*Objicies* 2. Assensus Theologicus non potest esse certior assensu primorum principiorum, qualia sunt: *Totum est majus sua parte: quodlibet est, vel non est. Ergo. Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Eo quod est certissimum, non potest dari certius; atqui prima principia sunt certissima; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Eo quod est certissimum, tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti, non potest dari certius, *conc. maj.* eo quod est certissimum ex parte objecti tantum, non potest dari certius, *nego maj.* & sic ad minorem.

Itaque notitia primorum principiorum est certissima ex parte objecti, verum conclusio Theologica est certior ex parte subjecti: certitudo enim subjectiva conclusionis Theologicæ desumitur ex motivo, quod certius est quibuscumque principiis naturalibus.

*Inst.* 1. Nihil est certius evidentia: atqui evidentia est motivum assensus scientifici; ergo. ***Resp.*** *nego maj.*

*Prob. maj.* Nihil est certius eo quod ab intellectu excludit omnem dubitationis motum; atqui evidentia excludit ab intellectu omnem dubitationis motum, cum in assensu Theologico sæpe adsit talis motus dubitationis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Nihil est certius in eodem ordine, *conc. maj.* in diverso eoque superiori, *nego maj.* Porro evidentia est in ordine naturali, revelatio in ordine supernaturali; supernaturale autem est certius eo quod est evidens; ergo conclusio Theologica est certior conclusione evidenti naturali. *Præterea*, Deus potest permittere in pœnam peccati, ut quod videtur evidens, sit falsum; e contra nullo unquam casu potest permittere, ut quod revelatum est, non sit verum. *Fidelis enim permanet, negare seipsum non potest*, ait Apost. (2. *ad Tim.* 2. v. 13.)

Ad id autem quod dicitur: in assensu Theologico sæpe adest dubitationis motus, *dist.* per accidens, quia quandoque Theologus magis attendit ad difficultates, quæ contra fidem ex humana ratione nascuntur, quam ad divinam revelationem, *conc.* per se & ex natura assensus Theologici, cujus motivum magis distat a falso, quam id quod videtur evidens, *nego*.

*Inst.* 2. Assensus necessarius, certior est assensu libero; atqui assensus scientificus est necessarius, assensus vero Theologicus est omnino liber; ergo.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Assensus necessarius est certior assensu libero, si assensus liber oriatur ex motivo opinativo *conc. maj.* si oriatur ex motivo infallibili, *nego maj.* Porro motivum assensus Theologici est prorsus infallibile. & tam necessarium, quam ipse Deus, qui ***seipsum negare non potest.***

*Resp. dist. min.* Assensus Theologicus est liber ei qui non attendit ad veracitatem Dei revelantis, *conc. min.* ei qui attendit, *nego min.*

### CONCLUSIO II.

*Conclusio Theologica non est æqualis cum fide certitudinis.*

*Prob.* Quia conclusio Theologica tantum certa est

est propter præmissas, quarum saltem una est de fide; ergo præmissæ conclusionis Theologicæ sunt illa certiores, justa illud Philosophiæ effatum: *Propter quod unumquodque est tale, & illud magis.*

*Dices:* Illa propositio, quam qui negat est hæreticus, æqualis est cum fide certitudinis; sed qui negat conclusionem deductam ex principiis fidei, est hæreticus; ergo conclusio Theologica æqualis est cum fide certitudinis.

*Prob. min.* Monothelitæ damnati sunt in VI. Synodo, ut Hæretici, quia negabant hanc propositionem, *Christus habet duas voluntates;* sed illa propositio est conclusio Theologica deducta ex hac propositione fidei, *Christus habet duas naturas;* ergo.

*Resp. dist. min. primi argum.* Qui negat conclusionem deductam ex principiis fidei, præcise, ut est illata per discursum Theologicum, est hæreticus, *nego min.* quatenus illa propositio est etiam revelata, vel continetur in revelata, *conc. min.* Ergo conclusio Theologica æqualis est cum fide certitudinis, si spectetur ut est revelata, vel ut continetur in revelata, *conc. conseq.* si spectetur ut est per discursum illata ex revelata, *nego conseq.*

Itaque conclusio Theologica considerari potest 1. Quatenus illata est per discursum, & sic non est de fide, nec qui eam negaret, esset hæreticus. 2. Quatenus continetur in propositione revelata & apprehenditur omnino eadem cum illa, & sic est de fide, & qui eam negaret, esset hæreticus; sic Monothelitæ, negantes hanc propositionem *Christus habet duas voluntates*, damnati sunt ut hæretici, quia illa propositio continetur in ista, quæ est immediate revelata, *Christus habet duas naturas;* unde est immediate, saltem implicite, revelata, quia impossibile est naturam intellectualem separari a sua voluntate.

## ARTICULUS III.

*Utrum Theologia nostra sit subalterna scientiæ beatorum?*

### CONCLUSIO.

*Theologia nostra improprie quidem, sed non proprie, est subalterna scientiæ beatorum.*

*Prob. prima pars:* Ad subalternationem improprie dictam, requiruntur, ac sufficiunt duæ conditiones. *Prima*, ut scientia subalternans sit superior subalterna. *Secunda*, ut subalternata ordinetur ad comparandam subalternantem; atqui scientia beatorum est superior Theologia viatorum, & Theologia viatorum ad scientiam beatorum comparandam ordinatur: ergo.

*Prob. secunda pars:* Theologia, respectu scientiæ beatorum, non habet conditiones ad proprie dictam subalternationem requisitas. ergo.

*Prob. ant.* Ad subalternationem proprie dictam tres requiruntur conditiones.

*Prima*, ut scientia subalternata habeat idem objectum ac scientia subalternans, sed contractum per aliquam rationem realem accidentalem, sub qua a subalternante non consideratur: sic Medicina, quæ subalternatur Physicæ, considerat corpus naturale *ut sanabile;* Physica vero, quæ subalternat Medicinam, idem corpus naturale considerat, sed *ut naturale* est.

*Secunda*, ut scientia subalternata desumat sua principia a subalternante, quomodo Medicina desumit sua principia a Physica, nam *ibi incipit Medicus, ubi desinit Physicus.*

*Tertia*, ut scientia subalternata sit compatibilis cum subalternante in eodem subjecto; atqui Theologia nostra nullam habet ex his conditionibus respectu scientiæ beatorum; ergo.

1. Enim Theologia nostra habet idem omnino objectum, nulla differentia reali contractum, ac Theologia beatorum, nempe Deum sub ratione deitatis.

2. Theologia nostra non desumit sua principia a scientia beatorum; quia principia nostræ Theologiæ sunt propositiones fidei, quæ non reperiuntur in scientia beatorum.

3. Theologia nostra & Theologia beatorum non possunt esse in eodem subjecto, cum Theologia nostra sit obscura & inevidens, Theologia vero beatorum sit clara & evidens; atqui evidentia excludit obscuritatem, obscuritas evidentiam; ergo.

*Dices contra secundam partem:* Objectum Theologiæ & scientiæ beatorum est idem, aliqua differentia accidentali contractum; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Objectum Theologiæ nostræ est Deus obscure cognitus, objectum scientiæ beatorum est Deus clare visus; atqui illa differentia obscuritatis & evidentiæ satis est, ut scientia alteri proprie subalternetur; ergo.

*Resp. nego min.* Quia differentia quæ requiritur in objecto scientiæ subalternatæ, debet se tenere ex parte ipsius objecti, cui debet per se & realiter convenire, quomodo sanabilitas per se & realiter convenit objecto Medicinæ; sed obscuritas cognitionis non se tenet ex parte objecti Theologiæ, quod non est per se obscurum, sed tantum ex parte subjecti, nimirum hominis viatoris, qui per accidens, ratione scilicet sui status, Deum clare videre non potest.

## QUÆSTIO III.

*An Theologia sit etiam sapientia?*

*Theologia viatorum est vera sapientia.*

*Prob. 1. ex Script.* Nam S. Paulus (1. *Cor.* 2. *v.* 6.) de Theologia sermonem faciens, ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, non sapientiam hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, &c.* Hoc ipsum Apostolis promiserat Christus, Lucæ 21. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Unde omnes Patres Theologiam nostram perfectæ sapientiæ titulo nobilitant.

*Prob. 2. ratione.* Sapientia ex Philosophis, est *cognitio rerum altissimarum per altissimas causas:* atqui Theologia nostra est cognitio *rerum altissimarum*, nempe Dei rerumque divinarum, *per altissimas causas;* nimirum per revelationem divinam, quæ haud dubie est causa altissima; ergo.

*Objicies* 1. Ex Aristotele (*Lib.* 1. *Metaph. c.* 1.): Vera sapientia debet tradere & probare communia omnium scientiarum principia; atqui Theologia nostra hoc non exequitur; ergo.

*Resp.*

*Resp. dist. maj.* Sapientia philosophica quæ versatur circa prima principia lumine naturali nota, *conc. maj.* Sapientia supernaturalis, *nego maj.* Ratio disparitatis est, quia sapientia naturalis ejusdem est ordinis cum aliis scientiis, quibus consequenter, cum sit habitus universalis, tradit principia, illaque probat; e contra sapientia præsuppositive supernaturalis, non est ejusdem ordinis cum scientiis naturalibus, unde non ejus est illorum principia tradere & probare.

*Objicies* 2. Idem habitus non potest esse sapientia simul & scientia; atqui, ex dictis, Theologia est scientia; ergo. *Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Sapientia & scientia sunt membra in quæ Philosophi dividunt habitum mentis; atqui membra legitimæ divisionis debent esse inter se opposita; ergo.

*Resp.* dist. maj. Sunt membra, in quæ Philosophi dividunt habitum mentis, tamquam totum potentiale in suas potentias, *conc. maj.* Tamquam totum integrale in sua membra, ut hominis pars, alia caput, alia manus, alia pes, &c. vel tamquam genus in suas species, ut animal, aliud rationale, aliud irrationale, *nego maj.* Atqui membra legitimæ divisionis debent esse inter se opposita, si agatur de divisione totius integralis in sua membra, vel de divisione generis in suas species, *conc. min.* si agatur de divisione totius potentialis, qualis est habitus, in suas potentias, *nego min.*

*Itaque:* partes, quæ dividunt totum potentiale, debent quidem esse diversæ, sed non debent esse oppositæ: sic intellectus & voluntas in quæ anima tamquam totum potentiale dividitur, sunt quidem partes diversæ, sed non sunt inter se oppositæ, cum in eodem subjecto reperiantur; similiter Theologia est scientia quatenus est cognitio certa per discursum comparata, & est sapientia quatenus est cognitio rerum altissimarum per altissimas causas.

## CAPUT II.

*Utrum Theologia sit supernaturalis.*

*Nota:* Non est hic quæstio de Theologia sumpta *præsuppositive*, ratione scilicet principiorum quibus innititur; quæ sunt veritates a Deo revelatæ: certum est enim, quod Theologia, sic sumpta, sit omnino supernaturalis; sed quæstio est de Theologia sumpta *entitative*, quatenus est habitus per discursum deducens varias conclusiones ex principiis revelatis, de qua sit:

### CONCLUSIO.

*Theologia est habitus mere naturalis.*

*Prob.* Ille habitus est pure naturalis, cujus ratio formalis specificativa est pure naturalis; talis est enim entitas rei, qualis est ejus ratio constitutiva, & specificativa; atqui ratio formalis specificativa Theologiæ, est mere naturalis, est enim discursus, per quem nostra Theologia a scientia beatorum, & fide distinguitur; discursus autem est actus intellectus agentis secundum suam vim naturalem; ergo.

*Objicies* 1. Illa scientia, quæ causam habet supernaturalem, est supernaturalis; atqui causa Theologiæ est supernaturalis, nimirum divina revelatio; ergo.

*Resp. dist. maj.* Scientia quæ habet causam proximam supernaturalem, est supernaturalis, *conc. maj.* causam tantum remotam, *nego maj.* & sic distincta min. *nego conseq.*

*Itaque*, causa proxima Theologiæ, est judicium de connexione quam habet aliqua veritas cum articulo expresse revelato: porro illud judicium est merus fœtus rationis, illam connexionem per discursum apprehendentis.

*Inst.* Scientiæ specificantur a suis principiis; sed principia Theologiæ sunt supernaturalia; ergo.

*Resp. dist. maj.* Scientiæ specificantur a suis principiis spectatis secundum usum & applicationem, *conc. maj.* spectatis secundum entitatem, *nego maj.* Porro principia Theologiæ, licet secundum entitatem supernaturalia, sunt tamen naturalia secundum suam applicationem, quæ fit per discursum Theologicum mere naturalem.

*Objicies* 2. Illa scientia est supernaturalis, cujus certitudo est supernaturalis; atqui certitudo Theologiæ est supernaturalis; nam ex dictis certitudo Theologiæ est major certitudine omnium scientiarum naturalium; atqui illa major certitudo non potest desumi nisi ab ejus supernaturalitate; ergo.

*Resp. dist. maj.* Cujus certitudo est supernaturalis immediate & formaliter, *conc. maj.* remote tantum & resolutive; *nego maj.* & sic distincta minore, *nego conseq.* Itaque certitudo Theologiæ non est supernaturalis, nisi remote & resolutive, in quantum scilicet per discursum conclusiones Theologicæ resolvuntur in articulos fidei, sicut per eumdem discursum ex illis articulis inferuntur, quod sufficit ut certitudo Theologiæ sit major certitudine omnium aliarum scientiarum naturalium.

## DISSERTATIO V.

*De locis Theologicis.*

Quæres 1. *Quid sunt loci Theologici?*

*Resp.* Sunt sedes, ac veluti promptuaria, ex quibus Theologia sua desumit argumenta.

Quæres 2. *Quotuplicis generis sunt loci Theologici?*

*Resp.* Duplicis nempe *interni*, seu proprii, & *externi*, seu improprii.

Loci *interni* sunt *illi*, *ex quibus Theologia certa desumit argumenta;* tales sunt omnes, qui divina revelatione, atque Spiritus sancti illustratione, & auxilio nituntur.

Loci *externi* sunt *illi*, *ex quibus Theologia desumit argumenta tantum probabilia;* eo quod humana tantum fide, aut ratione, fulciuntur.

Quæres 3. *Quot sunt loci Theologici?*

*Resp.* Si late loqui velimus, sunt decem, quorum sex primi sunt interni, & quatuor ultimi externi.

Lo-

*Loci interni Theologici.*

*Primus* est authoritas Scripturæ sacræ, libris canonicis contentæ.

*Secundus*, authoritas traditionis Christi & Apostolorum.

*Tertius*, authoritas sanctorum Patrum, qui sunt traditionis testes.

*Quartus*, authoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ veras Scripturæ traditiones a falsis discernit, earumque genuinum sensum exhibet.

*Quintus*, authoritas summorum Pontificum.

*Sextus*, authoritas Conciliorum, præsertim generalium, quæ Ecclesiam repræsentant.

*Loci Theologici externi.*

*Primus* est Theologorum scholasticorum, & juris Pontificii peritorum, authoritas.

*Secundus*, rationis naturalis argumenta.

*Tertius*, Philosophorum, & Cæsarei juris consultorum, placita.

*Quartus* est humana historia.

*Nota*: De his omnibus agemus sex capitibus, quorum *primum* erit de Scriptura sacra; *secundum* de traditione & sanctis Patribus; *tertium* de Ecclesia; *quartum* de Romano Pontifice; *quintum* de Conciliis; *sextum* de locis externis Theologiæ.

## CAPUT I.

*De Scriptura sacra.*

*Nota* 1. Scriptura sacra variis insignitur nominibus, 1. Dicitur *Testamentum* (*Hebr.* 9. v. 16.) quia Deus per Scripturas nobis testatus est nimium amorem, quo nos, ut filios, constituit suos hæredes. 2. Propter sui excellentiam, dicitur antonomastice *Biblia*, id est, *Liber*, quia est liber omnium librorum, a quo omnis sapientia, in omnibus aliis Libris contenta, tanquam a fonte dimanat. 3. Propter eamdem sui excellentiam dicitur simpliciter *Scriptura*. (Rom. 4. v. 3.) *Quid enim dicit Scriptura*? Et ipse Christus (*Matth.* 21. v. 42.) ait: *Nunquam legistis in Scripturis.*

Quæres: *Quid est Scriptura sacra?*

*Resp.* Est *verbum Dei, ab authore hagiographo, afflante Spiritu sancto scriptum, & ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.*

Dicitur 1. *Verbum Dei*: per quod convenit cum traditione.

Dicitur 2. *Ab authore hagiographo*: id est, a sancto scriptore a Deo inspirato.

Dicitur 3. *Afflante Spiritu sancto*: id est, a Deo inspirante, per quod differt a definitionibus Ecclesiæ, quæ cum speciali Spiritus Sancti assistentia scribuntur, sed non ex Dei inspiratione; unde non sunt Scriptura sacra.

Dicitur 4. *Scriptum*, per quod distinguitur a traditione, quæ est verbum Dei non scriptum.

Dicitur 5. *Et ab Ecclesia, ut verbum Dei nobis manifestatum*. Quia Ecclesiæ est determinare quinam libri sint canonici & divini, & quinam non sint.

*Nota*: Agemus hic 1. De Scripturæ sacræ existentia & veritate; 2. De ejus integritate; 3. De ejus authoritate; 4. De ejus authore; 5. De ejus Canone; 6. De ejus idiomate; 7. De ejus versionibus; 8. De ejus sensibus; 9. De regulis ad expositionem Scripturæ sacræ necessariis; 10. De regulis ad elucidandos Hebræorum idiotismos; 11. De regulis ad intelligendos Hebræorum tropos, & figuras; 12. De concordia locorum Scripturæ, quæ magis inter se pugnare videntur; 13. De iis quæ ad cautam Ss. Interpretum lectionem observanda sunt, totidem quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

*De sacræ Scripturæ existentia & veritate.*

*Nota*. Nomine veritatis hic intelligitur realitas; unde quæritur, utrum Scripturæ, quæ dicuntur sacræ, sint libri veri, & non suppositi.

## CONCLUSIO.

*Scripturæ sacræ, ab Ecclesia nobis propositæ, sunt libri veri, & non suppositi.*

*Prob.* Illi libri sunt veri, & non suppositi, qui, quovis Ecclesiæ sæculo, adscripti sunt authoribus, quorum nomen præ se ferunt; atqui libri Scripturæ sacræ ab Ecclesia nobis propositæ, quovis Ecclesiæ sæculo, adscripti fuerunt authoribus, quorum nomen præ se ferunt, ut quæstione quarta probabimus; ergo.

*Major constat*. Neque enim alio argumento probari potest Commentarius Cæsaris, Augustini opera, &c. non esse libros suppositos, sed veros, quam quod quovis sæculo illi libri ipsis fuerunt adscripti, eorumque nomen præ se ferant.

*Min. certa est*, 1. Ex infinitis Scripturæ editionibus, quæ sub iisdem semper titulis, in lucem prodierunt. 2. Ex eo, quod Scriptores subsequentes, libros antea scriptos sub iisdem nominibus semper allegant, sic in novo Testamento citantur libri Moysis, Isaiæ, Jeremiæ, Psalmorum, &c. 3. Ex primis Ecclesiæ Patribus, qui tum Evangelia, tum Epistolas Apostolorum, tum alios libros novi Testamenti sub ipsis propriis nominibus referunt. Ergo, &c.

*Objicies*: Scripturæ libri sunt suppositi, nec ullatenus genuini; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Nam si non essent genuini, suppositi fuissent vel ante, vel post Christum; sed neutrum dici potest; ergo. *Non quidem ante Christum*, nam Judæi & Pagani errorem certe detexissent, statimque scripta, quibus adeo premebantur, falsi redarguissent; *non etiam post Christum*, nam Judæi longe ante ejus adventum Libros veteris Testamenti habebant, quos ab eis Ecclesia Christiana recepit; & Libri novi Testamenti ab Apostolis scripti ab authoribus eorum coætaneis, sub eorum nomine constanter laudati sunt; puta a D. Ignatio, *in Epist. ad Smyrnenses*; a Clemente Petri discipulo, *in Epistola ad Corinthios*; a Polycarpo Joannis auditore, *in Epistola ad Philippenses*; atque ita ab aliis deinceps.

*Inst.* 1. Non magis Libri, qui Moysi, Isaiæ, Jeremiæ, Matthæo, &c. tribuuntur, genuini sunt, quam

quam illi qui Adamo, Seth, Henoch, Bartholomæo, Thomæ, attribuuntur ab antiquis: atqui hi Libri tamquam apocryphi fuerunt rejecti a Gelasio in Synodo Romana septuaginta Episcoporum; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Disparitas est, quod Libri apocryphi ab omnibus Ecclesiæ Patribus, & ab Ecclesia ipsa, rejecti fuerint tamquam spurii, & a Judæis, vel Hæreticis secundi sæculi suppositi; econtra vere genuini ac veri Libri, ut tales ab Ecclesiæ Patribus habiti sunt, & ab ipsa Ecclesia, cujus solius est definire, utrum aliquis Liber sit sacer, recepti.

*Inst.* 2. Plures sunt Libri, quorum authores sunt incerti, quos tamen Ecclesia in suum Canonem retulit, v. g. Libri Ruth, Job, Paralipomenon, &c. ergo saltem illi non sunt genuini.

*Resp. nego cons.* Ad veritatem enim alicujus Libri, minime necesse est, ut illius author sit notus; sed sufficit, ut illa ætate vixerit ad quam Liber referri potest, & in idem asserendum conspiret cum aliis Libris, quorum author est certus: tales autem sunt Libri de quibus agimus, ut constat tum ex collatione illorum Librorum cum aliis, qui certi authoris nomen præ se ferunt; tum ex authoritate Ecclesiæ, quæ eos tamquam genuinos semper servavit, ac ut tales filiis suis exhibet.

## QUÆSTIO II.

### *De Scripturæ sacræ integritate.*

*Nota* 1. Aliqui, etiam Catholici, ut Jacobus Episcopus Christopolitanus (*Præfat. in Psalm.*), & Canus (*l. 2. de* locis Theologicis *cap.* 13.), contendunt Judæos in odium Christianæ fidei studiose depravasse, & corrupisse multa loca Scripturarum veteris Testamenti.

*Nota* 2. Hæretici hujus temporis, maxime Kemnitius & Calvinus, docent Scripturas novi Testamenti esse depravatas, & consequenter non posse dici authenticas, contra quos sit

## CONCLUSIO.

*Scripturæ veteris Testamenti sunt integræ quoad partes substantiales*; id est, quoad fidem & mores.

*Prob.* 1. Ex D. Hieronymo (*in cap. 6. Isaiæ*), qui ex Origene (8. *lib. in Isaiam*) sic argumentatur: si Scripturas Judæi aliquando corruperunt, id fecerunt vel ante Christi adventum, vel post Christi adventum: atqui neutrum dici potest; ergo.

*Non primum*, quia ait D. Hieronymus cit. *nusquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent.* Atqui eam corruptionem nunquam Christus exprobravit, immo exhortatur auditores suos ad audiendas Scripturas, *scrutamini Scripturas* (Joann. 5. v. 39.), &, *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite* (Matth. 23. v. 2.). Quis autem dicat Christum ad corruptas Scripturas legendas sine ulla præmonitione homines invitasse?

*Non secundum*, nam testimonia, quæ a Christo, & Apostolis ex veteri Testamento laudata sunt, omnia inveniuntur nunc in Moyse, & Prophetis, ut ab illis citata sunt. *Numquid*, addit Div. Hieronymus, *Salvator, & Evangelistæ, & Apostoli in testimonia protulerunt, ut Judæi postea falsaturi erant?*

*Prob.* 2. Si Judæi divinas Scripturas, in odium Christianismi, falsare voluissent, haud dubie id fecissent in præcipuis vaticiniis de Christo, & in locis, in quibus præcipua religionis Christianæ capita tractantur: atqui in iis locis non falsarunt Scripturas, siquidem in iis tum vaticiniis, tum locis, aut non differunt a nostris codicibus Judæorum codices, aut si differant in aliquibus, ea discrimina nullius sunt momenti quantum ad fidem & religionem; ergo, &c. Immo sæpe codices Hebræi magis Judæos vexant, quam codices Græci, aut Latini, v. gr. Psalm. 2. in codicibus Græcis, & Latinis legitur, *Apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus*, ex quo nihil aperte contra Judæos deduci potest; in codicibus Hebræis est, *Osculamini filium, ne irascatur*, qui locus est invictissimus contra Judæos, qui Christum futurum esse Deum non credunt.

*Confirm.* 1. Ex speciali providentia, qua Deus Ecclesiæ suæ semper prospicit.

2. Ex incredibili Judæorum religione erga sacros Libros, quæ tanta est, ut scribat Philo Judæus, quemlibet Judæorum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari; atque hodie recentiores Judæi tanta veneratione legem prosequuntur, ut si aliquando in terram ceciderit, jejunium publicum indicant.

*Objicies* 1. Nonnulli ex Patribus, Justinus (*in dialogo cum Triphone*), Eusebius (*lib. 4. hist. c.* 28.), Origenes (*Hom. 12. in Jerem.*), Chrysostomus (*Ep. ad August. q. 11. inter Augustinianas*), & Hieronymus, exprobrant Judæis quædam erasisse ex Hebraicis codicibus, quædam in odium Christianorum corrupisse; ergo.

*Resp. nego ant.* Namque 1. Justinus, Eusebius, & Origenes nunquam scripserunt textum Hebraicum a Judæis fuisse corruptum, sed textum Græcum LXX. Interpretum, id aperte declarant illi Patres. *At quid illi*, ait Justinus, *multos & integros locos illarum* (Scripturarum) *ex translatione eorum, qui cum Ptolomeo fuere, seniorum sustulerunt, in quibus clare hunc ipsum crucifixum & hominem esse, eumque in cruce pendere, & mori pronuntiatum esse ostenditur, scire vos volo.* Eodem modo loquitur Origenes de corruptione versionis LXX.

2. Chrysostomus loquitur de Aquila, Symmacho, & Theodotione, qui, ubi a Christianismo ad Judaismum defecissent, in suis interpretationibus de Hebræo in Græcum, multa perperam posuerunt in odium Christianismi, & in reprehensionem LXX. Interpretum, de quibus etiam loquitur B. Hieronymus cit. ubi dicit, se voluisse ex Hebræo vertere Libros divinos, & restituere quæ Judæi vel omiserant, vel corruperant, unde loquitur de interpretationibus, non de textu hebraico.

*Ob-*

*Objicies* 3. Cum Cano (*L.* 2. *cap.* 13. *de locis* §. *ad hæc Genes.* 8.) nostra Vulgata & LXX. habent: *Corvus*, a Noe dimissus, *egrediebatur & non revertebatur*. Et in Hebræo legitur *egrediebatur*, *& revertebatur*. Ergo.

*Resp. nego ant.* In Hebræo enim non est, *Et revertebatur*, sed est: *Et exiit eundo & redeundo, donec siccarentur aquæ*. Quod non significat corvum rediisse intra arcam, sed volitasse circa arcam eundo & redeundo, & forte sæpius, donec siccarentur aquæ; ita declarat Bellarminus (*L.* 2. *de verbo Dei cap.* 2.) linguæ Hebraicæ peritissimus... præterea illud mendum (si esset in Hebræo) non est contra fidem & mores, cum non sit ex iis capitibus, in quibus Judæi a Christianis dissentiunt.

## CONCLUSIO II.

*Textus originarius græcus novi Testamenti est purus & integer quoad fidem & mores.*

*Prob.* 1. Quia textus originarius novi Testamenti, in rebus ad mores & fidem spectantibus, idem est apud sectas, alioquin sibi infensissimas; ergo non est depravatus.

2. Quia nec tempus, nec authores hujus depravationis citari possunt: ergo est fictitia.

3. Nulla potest subesse suspicio rationabilis hujuscemodi depravationis, nam si a Catholicis attentata fuisset, eam illis Hæretici mox exprobrassent; si autem ab Hæreticis eorum corruptelas detexissent Catholici, redarguere non prætermisissent, quomodo ex eventu manifestum est: nam ubi Marcion ex toto novo Testamento plurima abstulit ac mutavit (*ut advertit Tertull. l.* 5. *contra Marcion.*), illa omnia notavit Epiphanius, & in nostris codicibus græcis habentur recte. Ubi Ariani abstulerunt ex Evangelio Joann. 4. *Spiritus est Deus*, indicavit & notavit D. Ambrosius (*L.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 11.), & illud testimonium reperitur in omnibus nostris codicibus.

Notat tamen Bellarminus (*L.* 2. *de verbo Dei, cap.* 7.), græcos codices non esse ubique incorruptos, sed aliquos interdum errores irrepsisse, saltem negligentia librariorum, & non esse tutum latinam versionem semper ad græcam corrigere, quæ hodie non est fons purissimus. Quare dixi in utraque conclusione textus Scripturæ sacræ originarios esse incorruptos quoad partes substantiales.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Fieri non potuit absque miraculo, ut Scripturæ per tot sæcula remanserint integræ, cum ignorantiæ ac inattentionis exscriptorum & librariorum fuerint expositæ; atqui tale miraculum asserere temerarium est; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Nam absque miraculo per ordinaria providentiæ divinæ media factum est, ut integræ ad nos pervenerint; Ecclesia enim, cui creditæ fuerunt, indesinenter earum integritati invigilavit, ut probat Eusebius (*l.* 5. *hist. c.* 5), his D. Irenæi ad Florinum verbis: " Te, inquit, hunc librum transcripseris, adjuro, ut studiose conferas " quod transcripseris, & accurate ad exemplar un-" de transcripseris, emendes, & Sacramentum istud, " quo te obligaverim, similiter descriptum in exemplar inscribas ".

*Objicies* 2. SS. Patres plures Scripturæ referunt sententias, quæ hodie non reperiuntur in codicibus græcis; ergo &c.

*Prob. ant.* S. Clemens in Epist. 2. ad Corint. hanc refert Scripturæ sententiam: " Si fueritis mecum " collecti in sinu meo, & non feceritis præcepta " mea, abjiciam vos ". Et S. Clem. (*lib.* 3. *Strom.*) istam laudet: *Veni ad dissolvendum opera fæminæ*; atqui hodie non reperiuntur in codicibus; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* SS. Patres has & alias Scripturæ referuntur sententias, quas per traditionem acceperunt fuisse a Christo prolatas, *conc.* quas ex Scripturis traxerunt, *subdist.* quoad sensum, *conc.* quoad verba, *nego ant.* Itaque SS. Patres aliquando Christi sententias laudant quæ non sunt ex Scripturis excerptæ, sed quas ex traditione acceperunt fuisse a Christo prolatas, ut fecit Sanctus Clem. Alexand. qui ideo verba Christi laudata non absolute refert, ut Scriptura referre solet, sed cum his additis terminis: " Ajunt ipsum dixisse Salvatorem, veni ad " dissolvendum opera fæminæ. " Aliquando eas referunt ex Scripturis extractas, non quidem quoad verba, sed quoad sensum, ut eas suæ orationi accommodarent.

*Inst.* 1. In codicibus græcis deest historia mulieris adulteræ quæ refertur *Joann.* 8. item in 1. Epist. Joann. 5. desunt hæc verba: " Tres sunt qui " testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & " Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt ". Ergo textus originarius græcus non est integer quoad partes substantiales.

*Resp. dist. ant.* Desunt in aliquibus codicibus græcis manuscriptis, *conc.* in omnibus, *nego ant.* Itaque, licet historia mulieris adulteræ e quibusdam codicibus expuncta fuerit ab aliquibus male cautis hominibus, timentibus ne tali exemplo mulieres adulterii sontes abuterentur ut suspicatur D. August. (*lib.* 2. *de adulterinis conjugiis*); tamen in longe pluribus antiquioribus reperitur ut testatur D. Hieron. (*lib.* 3. *contra Pelag.*), hancque laudarunt D. Ambros. (*Epist. de muliere adultera*). D. August. *loco citato*. Div. Chrysost. (*Hom.* 60. *in Joannem*), & alii passim... Idem dicendum de hoc textu: *Tres sunt qui testimonium, &c.* qui legitur apud Tertullianum, Div. Cyprianum, Idacium Clarum, Victorem Virensem, quorum testimonia referemus in tractatu de SS. Trinitate. Hic notare sufficiat, quod textus ille reperiatur in confessione fidei quæ *anno* 484. Hunerico Vandalorum Regi Ariano exhibita fuit a 400. Episcopis Africanis; quod sane demonstrat V. Ecclesiæ sæculo indubium fuisse versum illud ad S. Joannis textum pertinuisse.

*Inst.* 2. Multi hæretici sacros novi Testamenti codices corruperunt, ut Marcionitis exprobrat Tertullianus, & Arianis D. Ambros. Ergo, &c.

*Respond. nego conseq.* Nam mutationes, quas in sacris codicibus fecerunt hæretici, accurate observavit Ecclesia, damnavit, atque juxta sincera exemplaria in magnis, & Apostolicis Ecclesiis diligenter servata, reprehendit, ut testatur Tertullianus (*lib.* 5. *contra Marcionem*). Et sic summa cura

integritati divinarum Scripturarum invigilavit, veramque earum Lectionem ad nos transmisit.

## QUÆSTIO III.

*De Scripturæ sacræ authoritate.*

*Nota*. Hæc quæstio est 1. contra Anomæos, (*Ut videre est apud Epiph. Hæresi 76.*), contra Erasmum (*Annot. in cap. 1. Matth.*), & Spinosam (*tract. Theolog. politico cap. 11. & 12.*), qui contendunt plurima, tum a Prophetis, tum ab Apostolis scripta fuisse instinctu proprio, non vero afflante Spiritu Sancto; & ideo multa falsa & incerta in Scriptura sacra promiscuisse: unde tum veteri, tum novo Testamento divinam authoritatem denegabant.

2. Contra quosdam juniores, asserentes Deum fallere posse vel per se, vel per alios, nempe per Ministros, quibus ad scribendum usus est; unde tales videntur negare Scripturam esse regulam infallibilem fidei. Contra quos

## CONCLUSIO.

*Scriptura Sacra divina præstat authoritate; seu est ipsummet verbum Dei, ac proinde infallibilis regula fidei.*

*Prob.* Omnis Scriptura, quæ procedit de ore Dei, divina præstat authoritate, estque infallibilis regula fidei, cum Deus, utpote prima veritas, nec falli, nec fallere possit, juxta illud Apostoli (*Rom. 3. v. 1.*): *Est Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et rursum: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* (2. *ad Timoth.* 2. *v.* 13.). Et alio loco: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur* (*Num. 23. v. 19.*). Atqui Scriptura sacra prodit de ore Dei, cum omnis Scriptura ex speciali Spiritus sancti afflatu sic scripta, juxta illud (*Joan. 14. v. 26.*): *Ille*, Spiritus Sanctus, *docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, etiam oblita, etiam propriis auribus audita, etiam quæ sponte & naturaliter in mentem venire poterant, omnia *suggeret*; unde cum Apostolo (*in 2. ad Corinth. cap. 18. v. 3.*) quædam dixisset, quæ humano more ab Ecclesiæ præfecto dici possent, subjecit protinus: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Ob.* 1. Multa Prophetæ & Apostoli humaniter & instinctu proprio scripserunt; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam, ut ait Augustinus (*lib. 1. de doctr. Christ.*), si hæc opinio vera esset, *tota Scripturarum vacillaret authoritas, ideoque fides nostra.* Unde addit, Scripturam non aliter a legente accipiendam esse, *quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspiceret.*

*Prob. ant.* In Scriptura multa reperiuntur, quæ scriptoribus sacris erant lumine naturali nota, v. g. quod Paulus scribit ad Timoth. 2. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, affer tecum.* Et illud, *Lucas est mecum solus*, ergo humano modo, & instinctu proprio, fuerunt scripta.

*Resp. nego conseq.* Equidem ad illa scribenda non fuit necessaria supernaturalis revelatio, sed fuit necessaria peculiaris Spiritus Sancti directio, & afflatus, ut, licet humana essent, & naturaliter cognita, divinitus tamen sine ullo errore scriberentur.

*Inst.* 1. Apostolus (1. *Corinth.* 7. *v.* 12.) ait: *Præcipio, non ego, sed Dominus*; & infra, *ceteris ego dico, non Dominus*: ergo D. Paulus plura scripsit instinctu proprio.

*Resp. nego conseq.* Omnia enim illa sunt verba Dei; sic autem loquitur Apostolus, ut distinguat consilium a præcepto, ut interpretatur D. Thomas, cum dicit: *præcipio, non ego, sed Dominus*, indicat præceptum; cum dicit: *ego dico, non Dominus*, indicat consilium, ita ut sensus sit: *ego consulo, sed Dominus præcipit*, sicut infra ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; & ne quis putet consilium Apostoli esse humanum, & parum curandum, adjecit: *Puto autem quod & ego spiritum Domini habeam*; id est, consilium meum, Deo inspirante, conceptum est. Nec refert quod dicat, *puto*: hic enim Apostolus *sobrie loquitur*, ait Dionysius Carthusianus, *minusque dicit & majus significat, ut sensus sit, puto, id est, certe scio.*

*Inst.* 2. Apostolus (2. *Corinth.* 11.) ait: Quod loquor, non loquor *secundum Deum, sed quasi in insipientia in hac substantia* (id est materia) *gloriæ.* Et infra, *in quo quis audet* (supple, gloriari) *in insipientia dico; audeo & ego.*

Ex hoc textu sic argumentor.

Blasphemum est verba Spiritus Sancti in insipientia dicta affirmare, nec esse secundum Deum dicta; ergo Apostolus spiritu hominis locutus est.

*Resp. dist. ant.* In insipientia vera, *conc. ant.* in insipientia apparenti, *nego ant.* Nam Apostolus dicit cap. 11. ejusdem Epistolæ: *Si voluero gloriari, non ero insipiens*, unde est revera sapiens, sed *quasi insipiens*, id est, insipiens apparenter, qui tamquam insipientis personam assumere, & seipsum jactare videretur; verum hæc, quæ stultitia esse videbitur, erat Dei sapientia: non enim gloriabatur ex vanitate, sed ex caritate; non sponte, sed coactus, ne videlicet Corinthii, eo quasi inferiore contempto, Pseudo-Apostolos, *qui gloriabantur secundum carnem*, honorificarent in propriæ salutis detrimentum; ita exponit Dionysius Carthusianus.

*Ob.* 2. Deus potest nos fallere per Ministros, quibus ad scribendum usus est. Ergo.

*Prob. ant.* Ezech. 14. " Homo, qui posuerit immunditias in corde suo, & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: & Propheta cum erraverit . . . ego Dominus decepi Prophetam illum ". Ergo Deus per alios potest decipere.

*Resp. dist. conseq.* Potest decipere positive, errorem inspirando, *nego cons.* permissive, *conc. cons.* potest enim Deus permittere, ut qui ex sese prophetare præsumit, in errorem prolabatur.

*Inst.*

*Inst.* Atqui Deus decipit positive, imperando nempe Ministris suis ut decipiant. Ergo.

*Prob. subsump.* Cum Dominus aliquando interrogasset (3. Reg. 22.): *Quis decipiet Achab? Egressus spiritus, ego*, inquit, *decipiam illum ..... ero spiritus mendax in ore Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam verbum imperandi non semper aut præceptum, aut consilium secum, sed aliquando etiam permissionem importat, ut apud Joan. 3. *Quod facis, fac citius*, dixit Judæ, non imperando, sed permittendo.

*Ob.* 3. Abraham mentitus est (*Genes.* 22.), dicens pueris: *Expectate hic, ego & puer, postquam adoraverimus, revertemur ad vos:* unde Ambrosius (*lib.* 1. *de Abrah. cap.* 8.) ait: *Ipse solus disponebat redire immolato filio . . . captiose autem locutus est cum servulis, ne, cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet.* Ergo.

*Respondet* Augustinus (*Serm.* 1. *de immolat. Isaac*) *nego maj.* non enim contra id quod mente gerebat, locutus est; nam credidit filium protinus suscitandum, quemadmodum videtur tradere Apostolus, dicens: *Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur . . . arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus* (*Hebr.* 11.).

*Ob.* 4. Jacob (*Genes.* 22.) patrem suum Isaac mendacio de industria conficto, decepit dicens: *Ego sum primogenitus tuus Esau;* ergo mentitus est Jacob, idque agnovit pater Esau dicens: *Venit germanus tuus fraudulenter;* atqui ea omnia Jacob fecit & dixit ex revelatione divina, ut tradit Innocentius I. (*cap.* Gaudeamus, *de divort.*).

*Resp. nego ant.* Nam Jacob erat primogenitus Isaac, non quidem secundum carnem, sed secundum jus, tum emptionis, tum concessionis Dei, qui eum in primogenituram substituerat; quod jus ipsi innotuit, vel Deo revelante, vel matre instruente, quam Dei familiare consilium habuisse dicitur (*Genes.* 25. *v.* 23.).

## QUÆSTIO IV.

### *De sacræ Scripturæ authore.*

Quæres 1. *Quis est author principalis sacræ Scripturæ?*

*Resp.* Est ipse Deus, qui eam Prophetis & Apostolis, quasi dictando, inspiravit. *Ipse scripsit*, inquit D. Gregorius Magnus (Præfat. in Job), *qui & illius operis inspirator extitit.* Atqui Deus Scriptoribus sacris inspiravit quidquid scriptis mandarunt juxta illud (2. *Petri* 1.): *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo.

Quæres 2. *Quinam fuerunt authores Scripturæ instrumentales?*

*Resp.* Fuerunt homines, quibus Deus ad scribendum usus est, juxta illud Zachariæ: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus* (*Luc.* 1.). Et illud Apostoli (*Hebr.* 1. *v.* 1.): *Olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Quæres 3. *Quomodo Deus scriptoribus sacris afflaverit quæ scripserunt, an per revelationem, inspirationem, peculiarem assistentiam, an per simplicem approbationem eorum quæ humanitus scripserunt?*

Ante responsionem

*Nota. Revelatio*, est veritatis, antea ignotæ, manifestatio a Deo facta.

*Inspiratio*, est incitatio quædam interior, qua quis impellitur ad aliquid fixum & determinatum scribendum, sive antea fuerit notum, sive non. Porro inspiratio illa duo complectitur, nimirum mentis illustrationem, & motionem voluntatis. Per mentis illustrationem, Author sacer dirigebatur, ne erraret in iis referendis, quæ jam aliunde noverat. Per motionem voluntatis, a Deo excitabatur ad scribendum, & veritati firmiter ac constanter adhærendum.

*Specialis assistentia*, est peculiare auxilium, quo Deus ita dirigit scriptorem, ut in his, quæ sua sponte scribit, non erret. His notatis,

*Resp.* 1. *Ad Scripturam sacram non sufficit quod & postquam illa est humano spiritu scripta, Deus illam approbet* (*Est contra Nieremberg. de orig. Scripturæ*).

*Prob.* Quia, juxta illam sententiam, Scriptura non esset verbum Dei; nam de essentiali ratione verbi est, ut intrinsece procedat ab eo, cujus est verbum; atqui per hoc quod Deus approbat aliquam Scripturam, illa non procedit de ore ejus: ergo non est ejus verbum, nec Deus est illius author, sed tantum censor.

Hinc Theologi Lovanienses, & Duacenses hanc propositionem censura affecerunt: *Liber aliquis* (qualis forte est 2. *Machab.*) *humana industria, sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra.*

*Dices* 1. Apostolus (*ad Tit.* 1. *v.* 12.) refert hanc Epimenidis poetæ sententiam: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri;* atqui illa sententia habetur ut Scriptura sacra & verbum Dei, eo quod Deus eam ut veram per suum Apostolum approbaverit: ergo.

*Resp. dist. min.* Illa sententia est Scriptura sacra, prout est dicta ab illo poeta, *nego min.* prout est scripta ab Apostolo ex inspiratione Spiritus Sancti, qui ejus mentem & calamum dirigebat, *conc. min.* Unde addit Apostolus: *Hoc testimonium verum est.*

*Dices* 2. Libri Machabæorum sunt Scriptura sacra; atqui illi libri sunt abbreviatio quinque librorum Jasonis Cirenæi, ut dicitur *cap.* 2. illius libri: *Itemque a Jasone Cirenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno libro breviare.* Ergo.

*Resp. dist. maj.* Sunt Scriptura sacra, prout sunt scripti a Jasone Cirenæo, *nego maj.* prout sunt inspirati, & scripti a Spiritu Sancto per ejus Ministrum, *conc. maj.* Sic enim sunt verbum Dei proprie.

*Inst.* 1. Scriptura a Deo approbata, tam est infallibilis veritatis, ac si a Spiritu Sancto esset dictata; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Quia ad Scripturam divinam duo requiruntur: 1. ut sit infallibilis; 2. ut Deus sit

illius author, dictator, ac inspirator: porro Scriptura approbata a Deo, esset quidem infallibilis veritatis, sed non esset a Deo dictata; ergo nec divina.

*Inst.* 2. Si quis a secretis regis ex propria mente scribat Epistolam, quam postea rex approbet, & cui subscribat, ejusdem erit authoritatis: ergo erit scriptura regis, ejusque verbum.

*Resp. nego conseq.* Quia non est scripta, nec dictata a rege, unde non est verbum regis, nec scriptura regia.

*Resp.* 2. *Ad Scripturam sacram, non sufficit specialis Spiritus sancti assistentia*: alias definitiones Conciliorum essent Scriptura sacra, cum fuerint ex speciali Spiritus sancti assistentia conditæ.

*Resp.* 3. *Ad plures Scripturæ sacræ sententias requisita fuit divina revelatio, sed non ad omnes.*

*Prob.* Ad ea sola, necessaria fuit revelatio divina, quæ antea Scriptores sacri ignorabant: atqui non omnia, quæ scripta sunt, antea scriptores sacri ignorabant; multa enim propriis oculis viderant, auribus audierant, ut asserit D. Joann. (*Epist.* 1. *cap.* 1. *v.* 1. *&* 2.) " Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, testamur & annuntiamus vobis. *Ergo, &c.*

*Resp.* 4. *Ad Scripturam sacram necessaria fuit vera & proprie dicta Spiritus sancti inspiratio.*

*Prob.* Ex D. Petro dicente (2. *Petri* 1.): " Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines ". Hæc est hodie omnium Catholicorum sententia, inter quos etiam est controversia; nam aliqui docent (*Sanchez L.* 1. *Machab. c. ult. Tirin. cap.* 2. *n.* 27. *&c.*) res & sententias Scripturæ sacræ fuisse a Spiritu S. inspiratas, verba vero, verborum ordinem, ac stylum uniuscujusque scriptoris ingenio permissa fuisse; alii e contra existimant nedum res & sententias a Spiritu sancto fuisse inspiratas, sed etiam verba & stylum: utraque opinio est probabilis; verum

## CONCLUSIO.

*Spiritus sanctus dictavit, nedum res ac sententias Scripturæ sacræ, verum etiam singula verba illorumque stylum ac ordinem usque ad ultimos apices.* (*Canus l.* 2. *de locis Theolog. cap.* 18. *Bannez.* 1. *part. qu.* 1. *art.* 8. *Dub.* 3. *Concl.* 2. *Valentia tom.* 3. *qu.* 1. *puncto* 7. *Tera l.* 1. *Isagoge sacræ Scripturæ &c.*)

*Prob.* 1. Christus (*Matth.* 10.) dicit discipulis suis: " Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ". Et Dominus ad Jerem. (*cap.* 1. *Jerem.* 1. 9.) ait: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Atqui hic modus loquendi indicat, non solum sententias & sensus, sed etiam singula verba, eorumque ordinem, esse a Deo inspirata ac directa; nam de ratione verbi est ut procedat ab illo, cujus est verbum tanquam a dicente, ad eumque dicat relationem originis, ut bene notat D. Thom. (*L.* 1. *de verit. q.* 4. *art.* 2. *& lib.* 4. *contra gentes* cap. 11.); ergo quidquid est in Scriptura, est dictum ab ipso Deo, &c.

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus, Aug. (*L.* 1. *de consensu Evang. cap. ult.*) dicente: " Cum illi scripserunt, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt; quidquid enim ille (*Christus*) de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus, imperavit ". Et Gregorius Magnus præfat. in Job ait: " Quis hæc scripserit, supervacanee quæritur, cum Auctor Libri Spiritus sanctus fideliter credatur... cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, qui auctorem scimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur? " Ergo authores sacri fuerunt tantum instrumentum, quo Deus usus est ad scribendum: hinc Regius Psalm. *Psal.* 44. de seipso dicit: *Lingua mea calamus scribæ*, nempe Dei, *velociter scribentis*; atqui calamus non ex se, sed a scribente, usque ad ultimum apicem, accipit quæ litteris mandat; ergo, &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Si Spiritus sanctus cuncta verba Scripturæ, eorumque ordinem dictasset, non esset diversus Scriptorum sacrorum stylus; atqui falsum conseq.

*Resp. nego sequel. maj.* Deus enim, qui omnia disponit suaviter, & maxime se attemperat ingenio & conditioni scribentium, verba eis suggerit, prout unicuique sunt familiaria secundum suum ingenium & educationem, ut notat D. Hieronymus (*L.* 1. *advers. Rufin. cap.* 4.), & inde est quod Isaias de stirpe regia oriundus, stylo sublimiori scripserit, quam Amos gregum pastor; Lucas liberalibus disciplinis instructus, quam Joannes olim piscator. Sicut ergo manus, juxta dispositionem calami obtusi aut acuti, diversos exprimit characteres, sic & Spiritus sanctus, pro diversitate ingenii Ministrorum, diversa verba, diversumque stylum suggerit; unde Dominus dixit ad Isaiam, c. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.*

*Instab.* 1. Apost. (2. *Cor.* 11. *v.* 6.) dicit se esse *imperitum sermone*; atqui hoc non diceret, si Spiritus sanctus illi verba subministrasset; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Hoc dicit Apost. ex sua sententia, *nego maj.* ex sententia obtrectatorum Pseudo-Apostolorum, de quibus in dicto capite loquitur *conc. maj.* Id explicat D. Aug. dicens: " Fac me imperitum esse sermone, ut mei obtrectatores putant, & scientia non sum imperitus ". Pseudo-Apostoli Græci qui elata facundia loquebantur, simplicia Apostoli verba contemnebant, & ideo eum tanquam imperitum sermone putabant; unde dixit Apost. *Etsi imperitus sermone, sed non scientia*; nam sua altissima scientia & charitate profectum quærebat animarum, non vero verborum ornatum.

*Instabis* 2. Glossa, in cap. 1. ad Hebræos, ait: " Non est mirandum, quod Epistola ad Hebræos majori eluceat facundia, quam in aliena lingua ". Ergo ex sua sententia Apostolus dicit se esse imperitum sermone.

*Respond. nego conseq.* Equidem Apost. humiliori stylo locutus est aliena lingua, quam propria, quia non callebat alienam linguam, quomodo callebat

lebat maternam; sed inde sequitur tantum, quod Deus illius ingenio sese accommodaverit in dictando quæ scripsit, sed non sequitur quod ex propria sententia dixerit, *Etsi imperitus sermone, &c.*

*Objicies* 2. Si Deus cuncta Scripturæ verba dictasset, scriptor in suis libris non postularet veniam, si quid minus digne scripserit; atqui tamen author libri 2. Machab. cap. ult. veniam hanc petit: *Si autem minus bene, concedendum est mihi.* Ergo.

*Resp. nego maj.* Præfatus enim author, ex impulsu ipsiusmet Spiritus sancti, postulat veniam a lectoribus suis, quibus forte visum est, quod stylo minus polito scripserit; quam veniam potuit petere, quia Spiritus sanctus, pro ratione ejus conditionis & ingenii dictaverat quæ scripsit, ut dictum est.

*Objicies* 3. Idem author res easdem aliis verbis alioque ordine describit, ut videre est in Moyse qui Decalogum, quem *Exodi* 30. retulit, refert *Deut.* 5. alio verborum delectu, item Apostoli & Evangelistæ in referendis testimoniis ex veteri Testamento, non semper observarunt verborum ordinem, sed sensum; atqui si Spiritus sanctus verba dictasset, in utroque loco iisdem verbis usi fuissent; ergo.

*Resp. nego min.* Hoc enim divino consilio factum est, ut videretur integra & pura fides Scripturæ, quæ quamvis variis modis dicatur, semper in illis est una eademque fides, ut docet D. Aug. in Ps. 46. " Una eademque res interdum multis „ modis dicitur, ut mos ipse dicendi propter fa„ stidium varietur, & propter concordiam fides te„ neatur. "

*Objicies* 4. Scriptores sacri, in suis libris scribendis, adhibuerunt diligentiam humanam, ut narrat author libri 2. Machab. his verbis: " Et no„ bis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa „ suscepimus, non facilem laborem, immo vero ne„ gotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsi„ mus „. Ergo omnia non sunt ipsis inspirata, sed ex sua industria comparata.

*Resp. dist. ant.* Adhibuerunt diligentiam humanam, tamquam dispositionem antecedentem, ut per illam mererentur a Spiritu sancto illuminari ac moveri ad scribendum, *conc. ant.* Adhibuerunt diligentiam & laborem, cum manus adhibuerunt ad scribendum, *nego ant.* Tunc enim singula verba Spiritus sanctus inspiravit. Ita refert D. Ambros. (*in cap.* 1. *Lucæ*). " Matthæus, Marcus, Lucas, Joan„ nes, non conati sunt, sed divino Spiritu uberta„ tem dictorum rerumque omnium dictante sine ullo „ molimine cæptam compleverunt „.

*Inst.* Si authores sacri scripsissent inspirante Spiritu sancto, non loquerentur cum dubitatione; atqui sic sæpe loquuntur, ut constat ex particulis, *Quasi*, *fere*, *circiter*, quibus utuntur. Ergo, &c.

*Resp. nego min.* Quando enim his particulis usi sunt Scriptores sacri, non ideo usi sunt quod numerum nescirent, sed uti familiari hominum loquendi modo sese accommodarent; & in hunc finem has particulas Deus ipsis inspiravit, æquum ducens, ut eo modo scriberent quo homines in suis narrationibus solent loqui.

Quæres 4. *Quinam homines fuerint sacrorum librorum authores?*

*Resp.* De libris novi Testamenti nulla est difficultas; circa libros veteris Testamenti variant Doctores; nos tum quidquid est certum, tum quidquid est probabilius, referemus breviter, candidatos ad cognitionem prolixiorem remittentes ad sacræ Scripturæ interpretes. Itaque

1. Juxta omnes Patres, Pentateuchum fuit a Moyse scriptum, ut constat ex multis Scripturæ locis (*Exod.* 17. *v.* 14. *Deut.* 31. *v.* 9. *Joann.* 1. *v.* 45. *Marci* 11. *v.* 17.). Excipiendum tamen videtur ultimum caput Deut. ubi refertur mors Moysis; quamvis enim quidam existiment ipsum Moysen hoc de se, Spiritu prophetico ante mortem scripsisse, tamen verisimilius est, quod vel a Josue, vel ab Eleazaro scriptum fuerit inspirante Spiritu sancto, vel, ut alii volunt, ab Esdra.

*Dices*: *Genes.* 14. fit mentio civitatis *Dan*, atqui tempore Moysis vocabatur *Lais*, & nonnisi diu post mortem Moysis accepit nomen *Dan*, ut dicitur Judicum 18. *Vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui quem genuit Israel*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam vel nomen, *Dan*, a Josue, vel Esdra, fuit additum, vel ut alii volunt, Moyses spiritu prophetico eam urbem sic vocavit prævidens eam aliquando sic vocandam; quomodo nomen *Cyri Regis*, multis retro sæculis ante ejus nativitatem, fuit revelatum Isaiæ *cap.* 44. *vers.* 28.

2. Librum Josue scripsit ipsemet Josue, ut ipsemet declarat (*Josue cap. ult. vers.* 26.): *scripsit*, (in Græco & Hebræo additur *Josue*) *omnia verba hæc in volumine legis Domini*. Verumtamen, quæ *cap. ult.* leguntur, tum de morte Josue, tum de his quæ post ejus mortem acciderunt, addita fuerunt ab Esdra, vel ab alio sacro scriptore.

3. Liber Judicum, juxta aliquos, fuit scriptus ab Esdra, juxta alios ab Ezechia, sed juxta probabiliorem sententiam fuit scriptus vel compilatus a Samuele ultimo Judicum (*Ita D. Isidor. lib.* 6. *etymolog. cap.* 1. ...... *Abulen. qu.* 4. *Præf. in Judices*). Nam juxta Abulensem quilibet Judex gesta sui temporis ad perpetuam memoriam redigebat in Commentaria, quæ Samuel in unum collegit librum, ne acta Judicum essent in tot Tractatus dispersa.

4. Author libri Ruth est incertus, tamen verisimilis videtur fuisse Samuelem, ut senserunt Rabbini (*apud Serarium in Prolegom. q.* 4.) *Ratio est*, quia hic liber pertinet partim ad librum Judicum, cum historia Ruth contigerit *in diebus unius judicis* (*Ruth.* 1. *vers.* 1.): partim etiam ad librum Regum, cum Davidis genealogiam narret: atqui Samuel existimatur author libri Judicum, & etiam prioris partis libri Regum; ergo.

5. In confesso est apud omnes, Samuelem scripsisse librum 1. Regum usque ad caput 25. in quo narratur ejus mors. Probabilius est Nathan & Gad continuasse librum 1. & 2. Regum, ut videtur declarari lib. 2. Paralipomenon cap. ult. ubi dicitur: „ Gesta autem Davidis Regis priora & novissima „ scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in „ libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad vi„ dentis „.

6. Quod

6. Quoad libros 3. & 4. Regum communior sententia docet, ipsos fuisse scriptos a Jeremia Propheta (*Ita D. Hieron. in Prologo Galeato, D. Isidorus & multi Rabbini, quos citat & sequitur Sixtus Senensis, lib. 1. Bibliothecæ*). Ratio Doctorum est, quia Jeremias vidit illa posteriora tempora & captivitatem, & quia caput ultimi libri 4. Regum cum capite postremo libri Jeremiæ, stylo, verbis, & narratione cohæret, & convenit.

7. Circa libros Paralipomenon est controversia: alii volunt Jeremiam, alii probabilius Esdram esse illorum authorem, tum quia Esdras de libertate populi cum Cyro Rege egit; tum quia idem est finis libri 2. Paralipomenon, & libri primi Esdræ.

8. Esdras fuit author libri primi Esdræ, & Nehemias libri secundi. Est certum.

9. Author libri Tobiæ, fuit uterque Tobias, nam Angelus cap. 12. utrumque Tobiam alloquens, dixit: *Narrate omnia mirabilia ejus* (Dei), pro quo LXX. habent *scribite omnia quæ consummata sunt in libro*. Finis tamen capitis ultimi, ubi narratur mors Tobiæ Junioris, scriptus est ab alio, incertum a quo.

10. Author libri Judith est incertus, aliqui putant fuisse Joachim summum Pontificem, cujus ibi fit mentio.

11. Author libri Esther, fuit Mardochæus conformiter ei quod cap. 9. legimus: *Scripsit itaque Mardochæus omnia, & litteris comprehensa misit ad Judæos. Et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.*

12. Author libri Job est incertus, probabilius tamen est fuisse Moysen, ut testatur Div. Isidorus (*lib. 1. de Officiis*), Origenes, Bellarminus, &c.

13. Librum Psalmorum quidam probabiliter existimant scriptum partim a Davide, partim ab iis, qui nominantur in eorum titulis; alii tamen probabilius censent totum esse scriptum a Davide, quoniam hæc est communior sententia tradita ab Augustino (*Lib. 17. de Civ. Dei, cap. 14.*), Ambrosius (*in Psalm. 43. & 47.*), Chrysostomus, & Theodoretus (*præf. in Psalm.*), cui etiam non parum suffragantur, quod Christus (*Luc. 20.*) Librum Psalmorum Davidi adscribat, ac insuper quod nec Christus, nec Apostoli alleguent unquam aliquos Psalmos sub alterius, quam sub Davidis nomine.

Quod autem quorumdam aliorum nomine præfigantur in titulis, hoc ideo est, vel quia ipsis Psalmi dati erant ad canendum, ut sunt *Asaph, Idithum, Ethan, & Filii Chore*: vel quia David in spiritu prævidit eos similia cantaturos, vel futuros ut sunt Jeremias & Ezechiel, Aggæus & Zacharias (*Psalm. 64. 111. & 145.*), vel quia introducuntur loquentes, ut Moyses (*Psalm. 89.*).

14. Salomonem scripsisse libros *Proverbiorum, Ecclesiasten, Cantica Canticorum*, est constans omnium traditio, idque patet ex initio illorum librorum.

15. Libri *Sapientiæ* author est Salomon: ista enim verba: *Tu autem, Domine, elegisti me Regem populo tuo . . . . & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo* (*Sapient. 9. vers. 7.*), de nullo verificari possunt, præterquam de Salomone, unde Eusebius (*lib. 4. Hist. cap. 22.*) ait: *Hegesippus, & Irenæus, & omnium antiquorum chorus, librum, qui admtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt sicut & Proverbia*; atqui Proverbia sunt certo Salomonis: ergo.

16. Author libri *Ecclesiastici*, est Jesus filius Sirach, ut colligitur ex *cap. 50.* hujus libri: *Doctrinam Sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita.*

17. Certum est libros Prophetarum fuisse scriptos a Prophetis, quibus adscribantur.

18. Authores librorum Machabæorum *nobis sunt ignoti, soli Deo cogniti*, ut recte dicit D. Isidorus (*lib. de Script. Eccles.*).

## QUÆSTIO V.

*De sacrarum Scripturarum Canone.*

*Nota.* Hæc vox, *Canon*, sumitur duobus modis 1. Pro regula. 2. Pro Catalogo, utroque sensu, Scripturæ libri sunt canonici; sunt enim 1. fidei ac morum regula; 2. Certo ac determinato Catalogo, seu numero, continentur. „ Salubri vigilantia, ait Div. „ Augustinus (*lib. 2. contra Cresconi. cap. 31.*), Ca- „ non Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi „ Prophetarum & Apostolorum libri pertineant . . . „ secundum quos de cæteris, vel fidelium, vel in- „ fidelium libris libere judicamus ".

*Nota 2.* Scriptura *sacra* & *canonica* propriis notionibus differunt; nam ad Scripturam sacram sufficit, quod Deus sit illius author; ad Scripturam vero Canonicam, ultra requiritur quod ab Ecclesia proponatur tanquam a Deo dictata, & inspirata. Hinc

*Nota 3.* Scripturæ libri alii dicuntur canonici, alii apocryphi. *Canonici* sunt illi, qui in canone Ecclesiæ sunt recepti. *Apocryphi* sunt illi, qui in canone Ecclesiæ non sunt recepti, quia de iis non certo constat quod sint divini, licet forte tales sint, ex quibus hæc pauca videntur extare, ait Bellarminus (*lib. de verb. Dei cap. 4.*). *Oratio Manasse, libri 3. & 4. Esdræ, lib. 3. & 4. Machabæorum, Psalm. 151.* qui reperitur in græcis codicibus, & cujus meminit Athanasius in synopsi. *Appendix libri Job, liber Hermetis*, qui inscribitur *Pastor*.

*Nota 4.* Agemus hic 1. De canone Judæorum usque ad adventum Christi inclusive, nam postea multæ hæreticæ Synagogæ multis erroribus pullularunt. 2. De canone Catholicorum. 3. De veteris Testamenti libris canonicis in particulari. 4. De novi Testamenti libris canonicis item in particulari. 5. De canone Hæreticorum.

### ARTICULUS I.

*De canone Judæorum.*

Quæres 1. *Quot libros continuit canon Hebræorum?*

*Resp.* Juxta communiorem, & magis receptam D. Hieronymi sententiam, continuit libros 22. juxta numerum Litterarum alphabeti Hebraici. Ita Josephus *lib. 1. contra Appionem.* Origenes, *apud Eusebium lib. 6. Hist. cap. 25.*

Quæres 2. *Quomodo Hebræi dividebant suum canonem?*

ET.

*Resp.* Dividebant in Legem, Prophetas, & Agiographos, id est, Libros tertii ordinis; quam partitionem, tamquam tunc communem, indicavit Christus (*Luc.* 24. *vers.* 44.) dicens: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, Prophetis, & Psalmis de me.* Ubi sub illis tribus membris totam Scripturam comprehendit, & sub *Psalmis* tamquam nobiliori parte comprehendit Libros *Agiographos*.

Sub lege includebantur quinque libri Moysis.

Sub Prophetis includebantur octo Libri, scilicet: 1. *Liber Josue*. 2. *Liber Judicum cum Ruth*. 3. *Samuel*, id est, primus & secundus Regum. 4. *Malachim*, id est, tertius & quartus Regum. 5. *Isaias*. 6. *Jeremias cum Threnis*. 7. *Ezechiel*. 8. Liber *duodecim minorum Prophetarum*.

Sub Agiographis reponebantur novem libri, nempe *Job*, *Psalterium Davidis*, *Proverbia Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Cantica Canticorum*, *Daniel*, exceptis 67. versiculis capitis tertii, nempe a 24. ad 90. *Paralipomenon*, *Esdras*, & *Esther*.

Hinc libri *Tobiæ*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *primus & secundus Machabæorum*, licet fuerint in magna veneratione apud Hebræos, non tamen erant repositi in eorum canone.

*Dices*: Mileto Sardensis apud Eusebium (*lib.* 4. *Hist. cap.* 26.) 24. libros recenset in canone Hebræorum, & Epiphanius (*Hæresi* 8.) numerat 27. Ergo sunt plusquam 22. libri.

*Resp. nego conseq.* Ideo enim aliqui recensent 24. libros, quia dividunt librum Judicum a libro Ruth, Jeremiam a Threnis. Alii autem qui libros 27. numerant: 1. *Samuel* & *Malachim* dividunt in quatuor libros Regum. 2. Ex uno Paralipomenon faciunt duos. 3. Ex uno Esdræ cum Nehemia faciunt duos, primum & secundum Esdræ; unde per illam diversam computationem non augetur numerus librorum.

Quæres 3. *Utrum apud Hebræos extiterint alii libri, & an fuerint sacri & canonici?*

*Resp. ad primum.* Plures alios recensent authores, ut sunt *liber bellorum Domini*, *liber Justorum*, *liber verborum Salomonis*, & multi alii, quos enumerare inutile ac superfluum est, cum jam hodie nullus illorum extet.

*Resp. ad secundum*, cum D. Augustino (*lib.* 18. *de Civit. Dei*, *cap.* 38.), illos libros nec sacros, nec canonicos fuisse, quia licet illos scripserint Prophetæ, tamen eos non scripserunt, ut Prophetæ, sed *sicut homines historica diligentia*, unde asserit tales libros pertinuisse *ad ubertatem cognitionis*, *non ad religionis authoritatem*, *in qua authoritate custoditur Canon*.

Quæres 4. *Quisnam fuit author Canonis Hebræorum?*

*Resp.* Fuit Esdras, qui libros sacros, antea dispersos, in unum redegit Scripturarum catalogum, seu Canonem; qui tamen Canon habuit suam authoritatem a Synagoga, quæ Canonem Esdræ probavit. Ita referunt Irenæus (*lib.* 3. *cap.* 25.), Clemens Alexandrinus (*lib.* 1. *Stromat.*), Theodoretus (*præf. in Psalmos*).

## ARTICULUS II.

### *De Canone Catholicorum.*

Quæres 1. *Cujusnam sit definire, num aliquis liber sit sacer?*

*Resp.* Est solius Ecclesiæ.

*Prob.* Definire num aliquis liber sit sacer, vel est ipsiusmet Scripturæ sacræ, quæ seipsam ab aliis Scripturis sufficienter distinguit, sicut lux seipsam distinguit a tenebris, ut volunt sectarii; vel est spiritus privati cujusque, ut asserunt iidem; vel est Ecclesiæ.

Atqui 1. *non est ipsiusmet Scripturæ*, quia licet per se notum sit lucem esse lucem & non tenebras, non est tamen per se notum, eam Scripturam quæ sacra est, esse sacram, tum quia multo tempore, etiam apud sanctos Patres, de quorumdam librorum divinitate dubium fuit; tum quia ex Scriptura non potest haberi definitio cur Evangelium D. Matthæi sit Scriptura sacra, potius quam illud, quod a Sancto Matthia dicitur scriptum.

2. *Non est etiam spiritus privati cujusque*, spiritus enim ille ad opposita movet, ut maxime patet in Hæreticis, qui, licet affirment se a Spiritu moveri ac illuminari, oppositas tamen etiam in rebus ad fidem pertinentibus, sententias tenent.

Ergo restat ut solius Ecclesiæ, quæ est *columna & firmamentum veritatis* (1. *ad Timoth.* 3.), sit definire & determinare quinam libri sint divini, juxta illud Conc. Toletani I. in assert. fidei: „ Si „ quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas, præ„ ter eas, quas Ecclesia Catholica recipit, in au„ ctoritate habendas, vel venerandas esse, anathe„ ma sit. “. Cui conforme est illud D. Augustini (*L. contra Epist. fundam. cap.* 3.): „ Ego Evan„ gelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ „ commoveret auctoritas „.

*Confirm.* Quia cum Antiochiæ difficultas esset exorta circa legalium, quæ in sacra Scriptura continentur, observationem, neque ad sacram Scripturam, neque ad spiritum cujusque privati, sed ad Petrum, aliosque Apostolos recursum est (*Act.* 15.).

*Objiciunt Hæretici:* Si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, sequeretur majorem esse authoritatem Ecclesiæ, quam Scripturæ: absurdum conseq.

*Prob. seq. maj.* Illius, qui judicat, major est authoritas, quam ejus qui judicatur; atqui, si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, Ecclesia judicaret de Scriptura; ergo.

*Resp. nego maj.* Major est authoritas illius qui judicat, judicio potestatis & excellentiæ, quam habet supra eum qui judicatur, *conc. maj.* judicio discretionis & declarationis, *nego maj.* Atqui si Ecclesiæ esset determinare canonicitatem Scripturæ, Ecclesia judicaret de Scriptura, judicio potestatis & excellentiæ, *nego min.* judicio discretionis, eam scilicet discernendo a non sacra, & judicio *declarationis*, testificando ac declarando hanc Scripturam esse pro sacra habendam, sicut etiam declarare potest quod Deus noster, sit Deus verus, dii autem gentium dæmonia, *conc. min.* Illud autem judicium, etsi circa Scripturam, cui nullam confert authoritatem, non sit authoritativum, est tamen authoritativum

vum erga fideles ad quos dirigitur, qui idcirco debent illi acquiescere.

*Inst.* Ecclesia per suum judicium dat Scripturæ sacræ authoritatem; ergo judicium Ecclesiæ erga Scripturam est authoritativum.

*Resp. dist. ant.* Dat authoritatem intrinsecam, quæ ei secundum se, seu prout est Scriptura sacra, convenit, *nego ant.* extrinsecam, seu quoad nos; *conc. ant.* Itaque Scriptura, etiam absque judicio Ecclesiæ, divina est & divinæ authoritatis secundum se, quamvis apud eos, qui nesciunt esse divinam, eam authoritatem non habeat, nisi interveniente judicio Ecclesiæ declarantis illam Scripturam esse sacram.

Quæres 2. *Quos, & quosnam libros in suo Canone recipiat Ecclesia Catholica?*

*Resp.* Recipit libros 72. nimirum 45. veteris Testamenti, & 27. novi; hoc constat ex Concilio Tridentino sess. 4. in suo de scripturis canonicis decreto, quod sic est: „ Sacrorum librorum indicem „ huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur „. Hinc Concilium enumerat omnes libros canonicos veteris & novi Testamenti; postea sic concludit: „ Si quis autem libros ipsos „ integros cum omnibus suis partibus . . . . . pro „ sacris & canonicis non susceperit, & traditiones „ prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit „.

*Objiciunt* 1. *Hæretici*. Concilium Tridentinum non potuit canonicos declarare illos libros veteris Testamenti, qui non erant in Canone Judæorum; ergo.

*Prob. ant.* Concilium Tridentinum nullos veteris Testamenti libros potuit declarare canonicos, nisi traditione Judæorum; atqui ex hac traditione non potuit canonicos declarare illos libros, qui non erant in Canone Judæorum; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Judæi non habuerunt pro canonicis illos libros, qui non erant in suo Canone; ergo.

*Resp. dist. ant.* Non habueruut pro canonicis explicite, *conc. min.* implicite, *nego min.* Itaque Judæos *implicite* pro canonicis habuisse libros, qui non erant in Canone Esdræ, constat ex summa veneratione, qua illos prosecuti sunt & conservarunt; illos tamen non habuerunt *explicite* pro canonicis, quia de illorum authoritate nullum Synagoga tulerat decretum, quod tamen Apostoli & peculiari Spiritus Sancti revelatione postea tulerunt. Illud autem judicium revera ab Apostolis latum fuisse Concilium Tridentinum colligit ex continua omnium sæculorum traditione. Huic responso favet D. Augustinus (*lib. 18. de Civ. Dei, cap. 36.*), dicens: *Libros Machabæorum, non Judæi, explicite, sed Ecclesia pro canonicis habet.*

*Objiciunt* 2. Illi soli veteris Testamenti libri sunt canonici, qui a Christo & Apostolis citantur in novo Testamento; atqui non omnes qui sunt in indice Tridentino citantur, &c.

*Resp. nego maj.* Alias nec liber *Judith*, nec *Ecclesiastici*, nec *C*[illegible] *Canticorum*, nec *Abdias*, nec *Sophonias*, qui sunt in Canone Judæorum, essent canonici, cum eorum testimonio nec Christus, nec Apostoli unquam usi fuerint, quod est hæreticum.

*Objiciunt* 3. Nonnulli ex antiquis cum D. Hieronymo (*præf. in Proverb. necnon in Prologo Galeato*) ex Canone Christiano expunxerunt libros *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Amos*, *Machabæorum*; ergo revera non sunt canonici.

*Resp. nego conseq.* Ideo enim ab aliquibus ex antiquis Patribus, & a D. Hieronymo libri, de quibus agitur, non sunt relati in Canonem, quod ad præcipuarum Ecclesiarum traditionem, ut par erat, non attenderint; ut constat ex eo, quod ubi primum in notitiam D. Hieronymi venit declaratio Concilii Nicæni, librum Judith velut Scripturam canonicam agnoverit (*præf. in Judith*), dicens: „ Hunc librum „ Synodus Nicæna in numero sacrarum Scriptura„ rum legitur computasse „.

*Objiciunt* 4. In libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Judith, Tobiæ, sunt multæ contradictiones, multique errores, tum contra veritatem historiæ, tum contra fidem; ergo a Concilio Tridentino non debuerunt referri in Canonem.

*Resp. nego ant.* Illa enim omnia sunt fictitia, veraque Hæreticorum mendacia, quæ evanescunt ex lectione Commentariorum Catholicorum, & ex iis, quæ Articulo quinto dicemus.

Quæres 3. *An Canon sacrorum librorum mox laudatus, primum a Concilio Tridentino fuerit conditus?*

*Resp. negat.* Sed ab antiquissimo tempore in Ecclesia Dei fuit constitutus, nam expressis terminis traditur.

1. Ab antiquissimo Concilio Laodicensi, *cap.* 59. sub S. Silvestro Papa, anno 314. celebrato.

2. Ab Innocentio (*ep. 3. ad Exuperium ann.* 408.), qui asserit omnes hos libros ut divinos esse excipiendos, juxta traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam.

3. A Concilio Carthaginense III. cui interfuit D. Augustinus, anno 419.

4. Ab Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana, *cap.* 8. qui insuper (*lib. 2. contra Crescon.*) dicit: „ Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitu„ tus est “.

5. A Gelasio I. in Concilio Romano 70. Episcoporum.

6. Ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in instructione pro Armenis, & tandem a Concilio Tridentino, quod ad continuam traditionem a primæva Ecclesia ad hæc usque tempora attendens, suum de libris canonicis condidit decretum.

*Nec dicas*: Fere omnes isti Patres non numerant in suo catalogo librum Baruch: ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam illi Patres librum Baruch comprehendunt sub nomine Jeremiæ, cujus Baruch fuit scriba; unde prophetias Baruch allegant tamquam si essent Jeremiæ.

Quæres 4. *Quomodo dividuntur libri canonici?*

*Resp.* 1. Dividuntur in Proto-canonicos, & Deutero-canonicos.

Libri *Proto-canonici* sunt illi, qui semper & ab initio, in canonem Ecclesiæ fuerunt relati.

Libri *Deutero-canonici* sunt illi, qui ab initio in canonem Ecclesiæ non fuerunt relati, eo quod aliqui Catholici de eorum veritate dubitarent; quos tamen successu temporis in suum canonem recepit Ecclesia; & sunt sequentes:

*Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch*, *pars aliqua Danielis*, nempe Hymnus trium puerorum cap. 3. Historia Susannæ cap. 12. histo-

historia Draconis, quem Daniel interfecisse dicitur cap. 14. *Oratio Jeremiæ; libri primus & secundus Machabæorum*; *Marci caput ultimum ab his verbis* surgens autem Jesus; *Historia de sudore Christi sanguineo*, *Angelica apparitione & consolatione*, quæ Lucæ 22. legitur, *Historia de muliere adultera*, quæ legitur Joann. 8. *Epistolæ ad Hebræos*, *Jacobi*, *& Judæ*, *secunda Petri*, *secunda & tertia Joannis*, & tandem *Apocalypsis*. Cæteri omnes sunt Proto-Canonici.

*Resp.* 2. Ratione materiæ de qua tractant, dividuntur in legales, historicos, sapientiales, & propheticos, de quibus sit.

## ARTICULUS III.

### *De veteris Testamenti libris canonicis in particulari.*

Quæres 1. *Quot sunt libri legales veteris Testamenti?*

*Resp.* Sunt quinque, qui *Pentateucho* compreduntur, nimirum.

*Genesis liber*, qui mundi ortum, variosque eventus ad obitum usque Joseph refert. (*Complectitur annos* 2369.)

*Exodus*, qui continet duram populi Israelitici servitutem in Ægypto, admirandam ejus liberationem, Decalogi promulgationem, & res gestas a morte Joseph usque ad erectionem tabernaculi. (*Complectitur annos* 143.)

*Leviticus*, in quo describuntur sacrificia, cæremoniæ, & alii ritus qui pertinent ad ministerium Levitarum.

*Numerorum liber*, sic dictus, quia in eo fit enumeratio multitudinis filiorum Israel per tribus & familias; continetque res gestas ab exitu ex Ægypto ad annos 39.

*Deuteronomium* significat repetitionem Legis, sic dicitur, quia in eo repetitur Lex, jam antea in Exodo, Levitico, & Numeris inculcata.

Quæres 2. *Quot sint libri historici veteris Testamenti?*

*Resp.* Sunt 17. nimirum.

*Josue* liber, qui continet ea quæ a Josue, ejusque principatus tempore gesta fuerunt, a morte scilicet Moysis, ad mortem ipsius Josue. (*Comprehendit annos* 17.)

*Judicum* liber, populi Israelitici Regimen sub judicibus, a morte Josue ad mortem Samsonis exponit.

*Ruth* liber, sic vocatur, quia texit historiam hujus mulieris Moabitidis, quæ nupsit Boozo, cui peperit Obed Davidis avum.

*Regum liber I.* narrat res gestas sub judicibus Heli & Samuele, nec non sub rege Saule. (*Complectitur annos* 101.)

*Regum liber II.* describit res gestas a morte Saulis usque ad finem regni Davidis. (*Exhibet hist.* 40. *annorum circiter*).

*Regum liber III.* exhibet historiam regni Salomonis, deinde, scisso in duas partes regno sub Roboam, describit res gestas quatuor regum Juda, & octo regum Israel. (*Complectitur ann.* 119.)

*Regum liber IV.* continet historiam 16. regum Juda, & 12. regum Israel usque ad extinctionem utriusque regni sub Sedecia rege. (*Historia* 308. *annorum*).

*Paralipomenon liber I.* recenset propagationem gentis Israeliticæ ab Adamo usque ad reditum a captivitate Babylonica; deinde repetita a Davide historia, ejus regnum accuratius describit usque ad Salomonis unctionem.

*Paralipomenon liber II.* describit historiam a Salomone usque ad tempus, quo Cyrus Judæis Jerusalem redeundi potestatem fecit; continet hic uterque liber historiam annorum 479.

*Esdræ liber I.* ea recenset quæ Judæis acciderunt post reditum e captivitate Babylonica sub Cyro Persarum rege.

*Esdræ liber II.* sic dictus, quod ex Esdræ consilio scriptus fuerit a Nehemia, a quo vocatur etiam *liber Nehemiæ*. Describit urbis Jerosolymitanæ instaurationem, & labentis cultus divini renovationem. Uterque liber Esdræ continet historiam annorum circiter 38.

*Tobiæ liber*, continet historiam utriusque Tobiæ; ex qua eruuntur eximiæ pietatis, & Dei in suos providentiæ, preclara documenta.

*Judith liber*, exhibet miraculosam urbis Bethuliæ liberationem ab hac formosa muliere, quæ Holophernem exercitus Nabuchodonosoris regis Assyriorum ducem trucidavit.

*Esther liber*, refert matrimonium Assueri regis Persarum cum hac virgine Judæa, quæ populum suum ab Aman persecutione, suadente Mardochæo, liberavit.

*Job liber*, continet historiam illius sancti viri, eximiumque mirabilis patientiæ exemplum exhibet, & ideo ab aliquibus collocatur inter libros sapientiales .... circa hunc librum notandum quod verba tum Deï, tum ipsius Job, Scripturæ canonicæ authoritatem habeant; non autem verba ipsius amicorum, qui a Patribus dicuntur gessisse typum hæreticorum.

*Dices*, Historia Job est omnino fictitia, ergo non est vera.

*Resp. nego ant.* Id enim non minus impie, quam falso asseritur: nam Scriptura facit mentionem Job tanquam viri justi, qui aliquando realiter extitit, & quem in exemplum patientiæ proponit. Sic Ezech. 14. *dicitur*: Et si tres viri isti fuerint in medio ejus, Noe, Daniel, & Job; *ergo tam vere Job extitit, quam Noe, & Daniel*. Tobiæ 11. *legitur*: Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi (*Tobiæ*) ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job ..... nam sicut beato Job insultabant Reges, &c. Exemplum patientiæ in Tobia est reale; ergo & in Job, de quo Jacobi 5. dicitur: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Job audistis*. Quod certe non diceret si Job non esset realis persona, quod testificatur utraque Ecclesia græca & latina, quæ Job ut virum sanctum colit, cujus Festum celebrat sexto Idus Maji in Martyrologio Romano.

*Inst.* 1. Nomina in historia Job commemorata, sunt omnino parabolica; ergo illa historia est plane fictitia.

*Resp. nego ant.* Nam ut Div. Chrysost. (*Homil. de divite*) ait: " Neque in parabola dicenda nomi-„ na sunt. Parabolæ illæ sunt, ubi ponuntur exem-„ pla, & tacentur nomina „. Sic etiam Tertullian. *lib.*

*lib. de resurrectione carnis*, historiæ Lazari veritatem ex nomine confirmat. *Quid illic Lazari nomen*, inquit, *si non in veritate res est?* ergo tantum abest ut nomina Job & amicorum, historiæ veritati obsint, ut potius illam confirment.

*Inst.* 2. Nomen Job significat *dolentem*; terra Hus, *terram consilii*; Baldad, *vetusta secreta*; Sophar, *speculatorem*; Eliphaz, *aurum Dei*. Ergo illa nomina sunt parabolica.

*Resp. nego conseq.* Nam sæpe nomina in Scriptura relata, habent congruentem rebus ipsis quæ geruntur significationem, sic Deo volente, aut præsagientibus parentibus nomina imponentibus, attamen personarum non officiunt realitati, ut constat de *Abel*, qui sic vocatus est, quod cito evanescere, & luctum parentibus afferre deberet. Sic quoque *Noe* dictus est, quod *consolaturus* esset parentes suos *ab operibus manuum suarum*. Nemo tamen dixerit *Abel*, & *Noe*, fictas esse personas.

*Dices* 2. Liber *Job* metrice scriptus est, ut scribi solent comædiæ & tragediæ; ergo dolorosam quamdam & ærumnis refertam fabulam continet.

*Resp. dist. ant.* Metrice scriptus est, in capitibus quæ varios continent dialogos, *conc.* in capitibus quæ simplicem narrationem referunt, *nego ant.* itaque in libro Job distinguenda est historia a dialogis; simplex historia soluta oratione scripta est pro more omnium historiarum; e contra dialogi, cum affectibus pleni sint, carminibus, utpote ad varios exprimendos affectus maxime idoneis, fuere conscripti; poetica enim locutio, est elegans, dulcis, compendiosa, & quodam quasi librata pondere, verum hoc scribendi genus non officit rei scriptæ realitati, unde *Nego consequentiam*.

*Dices* 3. Josephus, qui historiam a primis initiis texuit, non meminit ipsius Job; ergo historia Job non est vera.

*Resp. nego conseq.* Tum quia in Josepho historico, non sola Job historia, sed etiam aliæ historiæ sacræ desiderantur; multa ex sacris prætermisisse, multa ex suo addidisse constat, in multis lapsus deprehenditur ac reprehenditur. Tum quia, cum Josephus hebræus de rebus suæ gentis scribere molitus fuerit, non mirum est quod historiæ Job alienigenæ non meminerit: Job enim e stirpe Hus primogeniti Nachor fratris Abraham descendit.

*Machabæorum libri duo*, referunt ea omnia quæ Reipublicæ Judaicæ sub tertia, hoc est, sub Græcorum Monarchia, contigerunt.

Quæres 3. *Quot sunt libri sapientiales veteris Testamenti?*

*Resp.* Sunt quinque, scilicet:

*Proverbiorum liber*, qui continet omnia præcepta moralia de piis tum erga Deum, tum erga proximum officiis.

*Ecclesiastes*, qui mundi & rerum mundanarum vanitatem describit.

*Canticum Canticorum*, totum mysticum est, perfecteque exhibet Christi amorem in Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ in Christum.

*Sapientiæ liber*, de sapientia tum increata, tum creata pertractat, vivideque ad amorem sapientiæ excitat.

*Ecclesiasticus*, qui eadem fere præcepta moralia dat, quæ liber Ecclesiastes.

Quæres 4. *Quot sunt libri Prophetici veteris Testamenti?*

*Resp.* Aliqui numerant tantum 16. referentes librum *Psalmorum* inter sapientiales, & librum Baruch sub Jeremia. Alii numerant 18. quorum, qui diffusius scripserunt, vocantur *Majores*; qui concisius, vocantur *Minores*.

*Sex Prophetæ Majores.*

*I. Liber Psalmorum*, qui continet varias preces ac laudes Dei, variaque de Christo & Ecclesia vaticinia.

*II. Isaias*, qui multa prædixit circa Judæos finitimosque populos Assyrios & Babylonios: atque ita distincte de Christo & Ecclesia locutus est, ut *non tam Propheta dicendus sit, quam Evangelista*, ait D. Hieronym.

*III. Jeremias*, cujus Prophetia versatur in acerbissimis criminum sui temporis reprehensionibus, increpationibus, & malorum ingruentium lamentationibus; deinde vero in consolationibus Ecclesiæ graviter afflictæ.

*IV. Baruch*, prædixit Judæos a captivitate Babylonica post septem generationes liberandos, vaticinatus est quoque Christum in carnem venturum.

*V. Ezechiel*, qui primo repetit quæ Jeremias de excidio Urbis & Templi, nec non de captivitate Babylonica, prædixerat, ut refelleret mendacia Pseudo-Prophetarum, qui Jeremiam falsitatis arguebant; deinde prædixit populi ex captivitate reditum, Messiæ regnum, vocationem Gentium, Ecclesiæ Christi ex hostibus victorias.

*VI. Daniel*, qui historiam texit ab initio regni Nabuchodonosoris usque ad eversionem regni Babylonici per Medos & Persas; deinde plurima de proximo Christi adventu vaticinia profert.

*Duodecim Prophetæ Minores.*

*I. Oseas*, qui Synagogæ finem, & Ecclesiæ erectionem per vocationem Gentium prænuntiat.

*II. Joel*, prædicit Jerusalem & totius Judææ per Chaldæos excidium, Messiam pollicetur & Spiritum Sanctum, locum postremi judicii designat.

*III. Amos*, vaticinatur de regni Israel eversione.

*IV. Abdias*, vaticinatur Idumæorum, qui filios Israel calamitatibus oppressos subsannarant, exitium.

*V. Jonas*, qui Ninivitarum destructionem prænuntiavit, nisi pœnitentiam egerint.

*VI. Michæas*, qui duabus tribubus Israel & decem tribubus Juda idololatriam, aliaque scelera increpat, ipsisque prænuntiat excidium & captivitatem, tandem reditum e captivitate Babylonica pollicetur, necnon plenissimam libertatem per Christum, quem prædicit in Bethleem nasciturum.

*VII. Nahum*, prænuntiat depopulationem Ninive a Chaldæis, eo quod contra Dominum superbirent.

*VIII. Habacuc*, prædixit Jerosolymorum per Chaldæos, & Chaldæorum ipsorum eversionem; Judæorum per Cyrum, & totius generis humani per Christum liberationem.

IX.

*IX. Sophonias*, eadem fere prædicit ac Habacuc.

*X. Aggæus*, urget ad templi reparationem, prædicit templum reparatum a Zorobabel, majori gloria potiturum, quam prius templum, ob præsentiam, doctrinam, & miracula Christi, de cujus regno multa vaticinatur.

*XI. Zacharias*, qui cum diu in Babylone versatus fuisset, rediit cum *Zorobabel* ad urgendam templi fabricam, multaque prophetavit de Judæis & Gentibus.

*XII. Malachias*, ultimus Prophetarum, post extructum templum arguit conjugia cum alienigenis inita, decimarum detentionem, atque cultus divini depravationem: prænuntiat nullum deinceps futurum Prophetam usque ad Christum, cujus præcursorem annuntiat, simulque Synagogæ finem, & Ecclesiæ Christianæ ortum.

## ARTICULUS IV.

### *De novi Testamenti libris canonicis in particulari.*

Quæres 1. *Quot sunt libri legales novi Testamenti?*

*Resp.* Sunt quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem.

*Matthæus*, primus omnium (*Anno* 41. *juxta D. Hieron. in catalogo de scriptor. Ecclesiast. & Baron. ad annum* 41.) in Judæa scripsit Evangelium propter eos qui ex Circumcisione crediderant, & hoc ad preces discipulorum, & jussionem aliorum Apostolorum, ut antequam in diversas orbis provincias discederent, relinquerent Judæis certam credendi regulam.

*Marcus*, eodem fere modo, quo Matthæus, sed contractius scripsit (*Anno juxta Baron.* 45.). Unde vocatur ab Aug. *Matthæi breviator;* scripsit autem ad preces auditorum Petri, qui ut tenacius memoriæ mandarent quæ ex ore Petri audierant, rogaverunt Marcum ut ea scriptis mandaret.

*Lucas*, anno Christi 58. ut observat Baronius, scripsit Evangelium, ut temeritatem reprimeret Pseudo-Scriptorum & Pseudo-Prophetarum, qui, ut prædicationem Pauli deprimerent, aliter ac Paulus prædicabant, ut ipse testatur incipiens Evangelium ab istis verbis: " Quoniam quidem multi conati sunt „ ordinare narrationem, quæ in nobis completæ „ sunt rerum „ &c.

*Joannes* (*Anno* 99. *ut notat Baron.*) scripsit Evangelium *coactus*, inquit D. Hieron (*L. de script. Ecclesiasticis*) *ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarium legationibus*, ut Hæreticos Ebionem & Cerinthum, Christi divinitatem negantes, confutaret; ideo ab his verbis incipit: *In principio erat Verbum, &c.*

Quæres 2. *Quot sunt libri historici novi Testamenti?*

*Resp.* Novi Testamenti unus est liber historicus, *Acta Apostolorum* dictus, quem scripsit D. Lucas, in quo mirandam Ecclesiæ nascentis historiam, illiusque in omnes gentes propagationem per Apostolos, & præcipue per Petrum & Paulum, describit.

Quæres 3. *Quot sint libri sapientiales novi Testamenti?*

*Resp.* Sunt 21. nimirum 14. Epistolæ D. Pauli, & 7. Epistolæ *Catholicæ*, quæ etiam dicuntur *Canonicæ*, quarum duæ Petri, tres Joannis, una Jacobi, & tandem una Judæ.

*Petes:* quare Epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, & Judæ, vocantur, *Catholicæ*, & *Canonicæ?*

*Resp.* 1. Vocantur *Catholicæ*, quia non ad unam specialem personam scriptæ sunt, neque ad unam particularem Provinciam, aut Ecclesiam, sicut Epistolæ Pauli, sed generaliter ad omnes fideles in varias nationes dispersos.

*Resp.* 2. Vocantur *Canonicæ*, vel quia, *ut ait Estius*, æque ac Epistolæ Pauli, ad Canonem Scripturæ sacræ pertinent, vel potius quia Canones seu regulas vitæ Christianæ constituendæ continent.

Quæres 4. *Quot sunt libri Prophetici novi Testamenti?*

*Resp.* Unicus est liber Propheticus novi Testamenti, nempe *Apocalypsis*, seu, quod idem est, *Secretorum revelatio*.

Hic liber multa prænuntiat futura, nimirum futuras Ecclesiæ persecutiones, adversitates & durissimas crudelitates sub execrabili Antichristo, & tandem gloriam futuram beatorum. Nemo hactenus clare explicuit mysteria in Apocalypsi annuntiata, tot enim *sunt Sacramenta quot verba*, ait D. Hieron. (*Epist. ad Paulinam*). De illis eximium Commentarium habet illustrissimus Bossuetius Episcopus Meldensis.

## ARTICULUS V.

### *De Canone Hæreticorum.*

Quæres. *Quosnam libros Hæretici ex Canone librorum sacrorum deleverunt?*

*Resp.* 1. Hæretici, Lutherani & Calvinistæ, omnes veteris testamenti libros, qui in antiquo Judæorum Canone non reperiuntur, e Scripturarum Canone deleverunt.

Hinc, secundum illos, libri *Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, primus & secundus Machabæorum*, non sunt divini & canonici, (*Ita post Luther. Kemnitius, in exam. sess.* 4. *Concil. Trident. Calvin. lib.* 1. *instit. cap.* 11.) sicut nec liber *Esther*, quem etiam rejicit Lutherus & alii Hæretici.

2. Lutherani deleverunt e Canone Epistolam Pauli ad Hebræos, quam Paulinam & divinam negant (*Luth. in prolog. hujus Epist.*); e contra Calvinus (*Lib.* 1. *instit. cap.* 8. §. 216.) licet eam Paulinam non admittat, confitetur tamen esse divinam.

3. Lutherani expunxerunt Epistolas *Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis* (*Luther. in prolog. harum Epist.*); eas tamen admittit Calvinus.

4. Lutherani rejiciunt *Apocalypsim*, (*Luther. in præf. novi Testam.*) quam admittit Calvinus.

Probavimus supra divinitatem & canonicitatem illorum librorum: restat hic, ut objectiones Hæreticorum solvamus sequentibus paragraphis.

### §. I. *Objectiones contra librum Tobiæ.*

*Objicies* 1. Liber Tobiæ secum ipse pugnare videtur: ergo non est canonicus. *Resp. nego ant.*

*Probatur ant. Tobiæ* 3. Sara dicitur habitasse *in Rages civitate Medorum;* ubi etiam habitasse Gabelum habemus c. 4. postea tamen cum Tobias pervenisset ad locum ubi erat Sara, inde misit Angelum *ad Gabelum in Rages civitatem Medorum*, cap. 9. Atqui hoc secum pugnare videtur; ergo.

*Resp. nego min.* Nam vel in Media duæ fuerunt Rages, quomodo in eadem Syria erant duæ Cæsareæ, una Philippi dicta, altera Palestinæ; vel cap. 3 vocatur Rages, non ipsa civitas, sed locus aliquis vicinus; dicitur enim habitare Romæ qui in agro Romano habitat, & hoc est probabilius, unde nulla est pugna, nulla contradictio.

*Objicies* 2. In libr. Tobiæ multa sunt mendacia ab Angelo Raphaele prolata: ergo. Nam Raphael dicit:

1. Se esse *ex filiis Israel.*
2. Se esse *Azariam, Ananiæ magni filium.*
3. Se esse *fratrem Gabeli.*
4. Se esse *ex tribu Nephtali.* Atqui omnia illa mendacia: ergo &c.

*Resp. nego ant. primi, & min. secundi Argumenti.* Namque:

1. Raphael Angelus potuit dicere se esse ex filiis Israel, & Azariam Ananiæ magni filium, quia specie externa formam gerebat *filii Israel*, & personam *Azariæ Ananiæ magni filii;* sicut ergo Angelus in persona Dei loquens, Deumque ipsum repræsentans, dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus* (*Exodi* 3.): ita Raphael potuit dicere *ex filiis Israel sumus, &c. ego sum Azarias, &c.*

2. Potuit dicere se esse fratrem Gabeli quia habemus omnes patrem communem, qui est Deus, cui tum Angeli, tum homines dicere debent: *Pater noster .... sanctificetur nomen tuum.*

3. Potuit dicere *ex tribu Nephtali sumus;* tum quia repræsentabat Israelitam ex illa tribu; tum quia Tobias erat ex illa tribu genere, Angelus autem protectione & custodia.

*Objicies* 3. Fabulosum videtur dicere, quod cor & jecur piscis virtutem expellendi dæmones habeant; atqui non est certe canonicus liber, qui fabulis refertur; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Fabulosum videtur dicere, quod cor & jecur piscis habeant virtutem contra dæmones naturalem, *conc. maj.* supernaturalem, a Deo illis inditam, & per Angelum notificatam, *nego maj.* Deus enim decreverat illis uti ad istos effectus producendos; quomodo Christus fecit lutum ex sputo ad restituendum visum cæco a nativitate.

### §. II. *Objectiones contra librum Judith.*

*Objicies* 1. In libro Judith est repugnantia, nam *cap.* 8. Judith dicitur esse de tribu Ruben, & *cap.* 9. ipsa seipsam asserit de tribu Simeon; ergo.

*Resp nego ant.* Revera enim Judith fuit de tribu Simeon, *Ruben* enim, qui *cap.* 8. describitur, non fuit *Ruben* Patriarcha, filius Jacob, sed aliquis alius in tribu Simeon celebris: namque Genealogia, quæ ibi describitur, non pertingit ad Patriarchas filios Jacob.

*Objicies* 2. Liber Judith adversari videtur libro Genesis; nam *Genes.* 49. facinus Simeonis & Levi condemnatur, & *Judith* 9. laudatur: ergo.

*Resp. nego ant. & secundam partem probationis.* Cum enim Judith ait, Deum dedisse Simeoni *gladium in defensionem*, id est ultionem, *alienigenarum*, non laudat, vel approbat factum Simeonis tanquam bonum, sed laudat potentiam & justitiam Dei, qui alienigenarum crimina punire voluit per Simeonem (tametsi ex sua parte male agentem) & ut punire posset, gladium dedit, quomodo Deus, *Ezech.* 3. dicit: *Dabo gladium meum in manu ejus* Regis Babylonis, *& confringam brachia Pharaonis*, etsi Rex Babylonis non sine peccato Ægyptum destruxerit.

### *Objectiones contra librum Esther.*

*Objicies* 1. Postrema septem capita libri Esther non cohærent cum prioribus; nam *cap.* 2. narrantur insidiæ duorum Eunuchorum, & detectio earumdem industria Mardochæi, quæ rursum narrantur, *cap.* 12. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Non cohærent quantum ad veritatem rei gestæ, *nego ant.* quantum ad ordinem rei gestæ, *conc. ant.* postrema namque capita pertinent ad initium libri, ut patet ex annotationibus D. Hieronymi, quæ capitibus ultimis sunt insertæ in Bibliis Latinis, quod nihil veritati officit, quin potius inde fit, quod alia ex aliis confirmentur.

*Objicies* 2. In lib. Esther multæ sunt contradictiones; ergo.

*Prima.* Est conjuratio Eunuchorum, quæ *cap.* 2. dicitur accidisse anno septimo Assueri, & *c.* 11. significatur accidisse anno ejusdem secundo.

*Secunda.* Mardochæus, *cap.* 6. dicitur nihil omnino mercedis accepisse pro delatione insidiarum, & *c.* 12. dicitur Regem præcepisse Mardochæo, *ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.*

*Tertia.* Aman *c.* 3. dicitur fuisse de stirpe Agag Regis Amalecitarum, & *c.* 16. asseritur quod *animo & gente* fuerit *Macedo.*

*Quarta.* Narratur, *c.* 3. causam indignationis Aman contra Mardochæum & omnes Judæos fuisse, quia Mardochæus nolebat illum adorare, & *c.* 12. dicitur: " Aman voluit nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus Eunuchis Regis, qui fuerant " interfecti ".

*Quinta.* Dicitur, *c.* 3. quod Aman fuerit exaltatus post necem Eunuchorum, indignatio autem ejus contra Mardochæum & Judæos evenit post ejus exaltationem; ergo illa indignatio non potuit esse propter delationem Eunuchorum.

*Resp. nego ant.* Nulla enim est contradictio; nam:

*Ad primam contradictionem, resp.* Insidiarum detectio evenit anno septimo Assueri, non autem anno secundo, siquidem illa verba capitis 11. *anno*

*no secundo regnante Artaxerxe*, non debent extendi usque ad narrationem insidiarum quæ fit *cap.* 12. sed solum ad ea quæ narrantur in ipso *cap.* 11. idest, ad somnium quod Mardochæus vidit, antequam Esther Assuero conjungeretur.

*Ad secundam resp.* Quod etsi Mardochæus nondum habuerit mercedem pro delatione, quando Rex jussit sibi relegi Annales, ut dicitur *cap.* 6. tamen postea habuit amplissimam, quæ describitur *eodem c.* 6. & est quæ significatur *cap.* 12. per illa verba, *datis pro delatione muneribus*.

*Ad tertiam resp.* Aman potuisse esse de stirpe *Agag* post aliquem eorum, qui in obsidione Amalec, Saulis manus effugentes, & huc & illuc vagantes, devenerunt in Macedoniam, cumque ibi diu mansissent, & ex iis natus esset Aman, ideo recte dicitur, *animo & gente Macedo*.

*Ad quartam resp.* Nihil vetare quominus indignatio Aman ex diversis causis provenerit: 1. Antequam exaltaretur, provenit ex detectione insidiarum, quarum forsan erat complex; 2. Ex eo quod Mardochæus nollet ipsum adorare post ejus exaltationem.

*Ad quintam resp. nego conseq.* Cujus falsitas patet ex responsione ad quartam contradictionem; nempe indignatio Aman evenit ante & post ejus exaltationem ex causa diversa.

§. III. *Objectio contra librum Sapientiæ*.

*Dices*. Liber Sapientiæ continet falsum, nam in eo (*cap.* 14. *v.* 15.) dicitur primum idolum factum esse ab aliquo patre in defuncti filii memoriam, qui *illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cæpit*. Atqui tamen, juxta omnes historicos, statua erecta Belo a Nino ejus filio, fuit primum idolum; ergo.

*Resp. nego ant.* Ad prob. dist. *min.* Statua erecta Belo a Nino ejus filio, fuit primum idolum publice ad adorandum propositum, *conc. min.* & hoc est quod volunt historici; fuit primum privatim honoratum, *nego min.* primum enim idolum fuit statua mortuo filio erecta a patre, quod fuit tantum privatim adoratum. " Deinde, prosequitur Sapiens, ,, convalescente iniqua consuetudine, hic error tam ,, quam lex custoditus est, & tyrannorum imperio ,, colebantur figmenta ,,.

§. IV. *Objectiones contra libros Machabæorum*.

*Objiciunt* 1. Alexander magnus, (*lib.* 1. *c.* 1.) dicitur regnasse primus in Græcia, atqui hoc falsum est, nam ante ipsum multi fuerunt Reges Lacedæmoniorum, Macedoniorum, Atheniensium.

*Resp. nego min.* Cum enim Scriptura dicit Alexandrum regnasse primum in Græcia, non de regno quocumque partiali loquitur, sed de Monarchia Græcorum, quam primus obtinuit Alexander, cum totius Græciæ regnum adeptus est.

*Objiciunt* 2. *L.* 1. *cap.* 1. affirmatur vaticinium Danielis de abominatione desolationis, impletum esse, quando Antiochus Epiphanes idolum in templo Domini collocavit; atqui tamen Christus asserit (*Matth.* 24.) vaticinium illud implendum in novissimis diebus: ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Quia de Danielis vaticinio nihil ibi dicitur, sed tantum dicitur, *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*. Eh! nonne illud idolum erat abominandum?

*Objicies* 3. *Lib.* 1. *cap.* 6. Commendatur factum Eleazari qui seipsum occidit, quod tamen est grande crimen; ergo.

Resp. Cum D. Aug. (*epist.* 64.) quod quamvis homo ipse fuerit laudatus, *factum tamen ejus narratum est, non laudatum*.

*Objiciunt* 4. *Lib.* 1. *cap.* 4. Judas dicitur mundasse templum anno 148. id est, uno ante mortem Antiochi (*obiit anno* 149. *ut refertur, lib.* 1. *Machab. c.* 6.); atqui, *cap.* 10. *libri secundi*, dicitur Judam purgasse templum post biennium a morte Antiochi; ergo est contradictio.

Resp. *nego min.* Nam in cap. 10. libri secundi ista verba *post biennium*, non significant, post biennium a morte Antiochi, sed post biennium a profanatione.

*Inst.* In libro primo, illa templi mundatio narratur ante mortem Antiochi, & *in* 2. *lib.* narratur post ejus mortem; ergo est contradictio.

Resp. *nego conseq.* Quia etsi, *in libro*, narretur post mortem Antiochi, non tamen asseritur facta post mortem Antiochi; voluit enim author absolvere quæ de Antiocho dicturus erat, & tum demum redire ad Judam & templi purgationem.

*Objiciunt* 5. *Lib.* 2. *c.* 9. Narratur Judas occisus anno 152. & tamen *lib.* 1. *cap.* 1. refertur Epistola ab eo scripta anno 188. ergo vel falsum est, vel post mortem scripsit.

Resp. Bellarm. (*L.* 1. *de verbo Dei, cap.* 15.) illa verba, anno 188. esse clausulam prioris Epistolæ, quæ scripta est a toto populo Judaico, duce Hircano, cum numerus annorum in fine potius, quam in principio Epistolæ poni soleat, posteriorem vero Epistolam, quam scripsit Machabæus, incipere ab his verbis, *Populus qui est Jerosolymis*. Quæ tamen verba cum præcedentibus illis, *anno* 188. in nostra Vulgata conjunguntur, ideo illa disjungere religioni ducimus; quare:

Resp. Cum Sylvio (*Lib.* 1. *Controv. q.* 1. *art.* 10.) Ruperto, (*L.* 10. *de victoriam cap.* 15.) Serario, Trino, & Menochio (*Ad lib.* 2. *Mach. cap.* 1.) Judam, cujus hic mentio, non esse Judam Machabæum, sed Judam quemdam secta *Essenum*, prophetiæ dono inclytum prædictiones, inquit Josephus (*L.* 13. *cap.* 19.) numquam fefellerunt; hunc ergo, quia magnæ apud omnes authoritatis, initio Epistolæ adscribunt, his verbis *Populus ... Senatusque & Judas*.

*Objicies* 6. *Lib.* 1. *cap.* 6. Antiochus Epiphanes legitur mortuus *anno* 149. & tamen ejus successor Antiochus Eupator, (*lib.* 1. *cap.* 11. *vers.* 33.) post mortem patris scribit *anno* 148. Ergo &c.

Resp. *nego conseq.* Non est enim contradictio, sed est diversa supputatio; author enim libri primi Machab. qui scripsit Jerosolymis secutus est calculum Judaicum, juxta quem annus incipiebat a mense *Nisan*, qui respondet nostro *Martio*; Antiochus Eupator vero, qui scripsit Antiochiæ, secutus est calculum Chaldaicum, juxta quem annus incipiebat a mense *Tisri*, qui correspondet nostro Septembri; unde

unde calculus Judaicus a Chaldaico differebat toto sesqui anno, & sic annus, qui juxta calculum Judaicum erat 149. juxta calculum Chaldaicum erat annus 148. porro paucis mensibus post mortem patris scripsit Judæis Antiochus Eupator.

*Objicies* 7. *Lib.* 2. *cap.* 12. Judas laudatur, quod pro mortuis sacrificium offerri jusserit; atqui pro mortuis orare est vanum & superstitiosum; ergo.

Resp. *nego min.* Quia pro mortuis orare pium est ac religiosum, quando non constat eos, vel beatos esse, vel damnatos, ut constat ex Aug. (*L. de Cura pro mortuis, cap.* 1.) & ex continua praxi Ecclesiæ, & Judæorum, qui ad hunc usque diem orant pro defunctis.

*Inst.* Etiam juxta Catholicos non licet orare pro iis qui decesserunt cum peccato mortali; atqui tales erant illi, pro quibus Judas orare jussit, de quibus ibi dicitur: *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum ..... a quibus lex prohibet Judæos.* Ergo.

Resp. *dist. maj.* Si constet eos mortuos esse in peccato mortali, conc. *maj.* si non constet, *nego maj.* & sic ad minorem.

Itaque Judas pie existimavit eos, in articulo mortis, dolorem de peccato acceptorum donariorum coram Deo concepisse, & misericordiam invenisse, quod significant illa verba: *Quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant*, in bello, pro religione suscepto, *optimam haberent repositam gratiam*, & ideo credidit sacrificiis & precibus vivorum posse juvari.

*Nota:* Licet Hæretici rejiciant libros *Baruch* & *Ecclesiastici;* non tamen habent aliquid, quod eis objiciant. Unde.

§. V. *Objectiones contra Epistolam ad Hebræos.*

*Objiciunt* 1. *Hæretici*, Ep. ad Hebræos non est fœtus D. Pauli: ergo male vocatur Paulina.

Resp. *nego ant.* Ideo volunt Hæretici authorem illius Epistolæ non esse D. Paulum, ut inde concludant eam non esse divinam & canonicam, sed utrumque falsum est; nam Paulum scripsisse hanc Epistolam testatur D. Petrus (2. *Petri* 1.) *sicut & carissimus frater noster Paulus scripsit nobis*; nullam autem aliam scimus Epistolam a D. Paulo scriptam ad Hebræos nisi hanc; ergo. Alterum etiam est falsum, nam etiamsi alius a Paulo hanc scripsisset Epistolam, non propterea desineret esse sacra & canonica, sicut aliæ Epistolæ a Paulinis diversæ.

*Prob. ant.* Initio hujus Epistolæ, neque exprimitur nomen Pauli Apostoli, neque hæc salutatio: *Gratia vobis & pax*, &c. quam in aliis omnibus suis Epistolis solet apponere: ergo, &c.

Resp. *nego conseq.* Quia D. Paulus justas habuit causas non exprimendi suum nomen initio hujus Epistolæ.

*Prima*. Quam tradit Clem. Alex. (*Apud Eusebium, l.* 1. *c.* 11.) cui consentit D. Hier. (*L. de Scriptor Eccles. in Paulo*) est, quod Paulus sciret nomen suum esse invisum Hebræis, eo quod legis observantias, quas illi, quamvis Christiani, mordicus retinebant, dicebat esse abrogatas per Christum; ne igitur in ipso Epistolæ exordio eos offenderet, eorumque animos prorsus ab Epistolæ lectione averteret, consulto nomen suum non inscripsit, ut in aliis, & consequenter salutationem ordinariam non apposuit, nec enim usus habet, ut salutatio mittatur, suppresso nomine salutantis.

*Secunda*. Quam tradit Hier. (*In cap.* 1. *ad Galat.*) est, quia Paulus hac sola Epistola appellat Christum *Apostolum & Pontificem confessionis nostræ*, ideo noluit initio Epistolæ, more solito, se Apostolum nominare, ne videretur se ex aliqua parte cum Christo conferre quem *excelsiorem Angelis* dixerat in principio Epistolæ.

*Tertia*. Quam affert Theodoret. (*Præf. Comment. in cap.* 1. *ad Galat.*) est, ne cum Apostolus gentium esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur; quocirca in fine Epistolæ se excusat, quod ad eos scripserit, quorum Apostolus non erat, declaratque id fecisse ut eos consolaretur, non ut eis imperaret: *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis.*

*Objiciunt* 2. Author hujus Epistolæ, *cap.* 2. seipsum numerat inter eos qui fuerunt ab Apostolis edocti, vel saltem confirmati, & tamen Paulus *ad Galat.* 1. constanter affirmat Apostolos nihil sibi contulisse; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam quando Apost. dicit, *Salutem*, id est, salutis prædicationem, *Ab iis qui audierunt, confirmatam in nos, contestante Deo signis & virtutibus, &c.* non agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula.

*Objiciunt* 3. Author hujus Epistolæ pugnat cum doctrina Christi: nam Christus: (*Matth.* 11.) *Venite ad me omnes*, &c. & author Epist. cap. 6. dicit: *Impossibile, est, eos qui semel illuminati sunt, iterum renovari ad pænitentiam.* Et de Esau, c. 12. dicit: *Non invenit locum pænitentiæ*, ergo.

Resp. *nego ant. cum suis probationibus*. In his enim nulla est oppositio, alias Christus, qui *cap.* 12. *Matth.* dicit, *Blasphemiam in Spiritum sanctum non remitti*, esset sibi oppositus; non loquitur itaque Apost. de omni peccatore, sed de eo qui voluntarie agnitam veritatem impugnat, quod peccatum quomodo sit irremissibile, dicemus in dissert. de pœnit. vel, ut alii volunt, loquitur de renovatione per baptismum, qui cum non possit iterari, per eum non possunt renovari.

*In cap.* 12. Non loquitur Apost. de pænitentia Esau, sed de pænitentia Isaac, ut sensus sit, Esau non potuisse efficere, ut Patrem pæniteret se dedisse benedictionem filio suo Jacob, eamque retractaret.

*Objiciunt* 4. Author Epist. dicit, quod *in* arca fuerit *urna aurea habens manna, & virga Aaron, & tabulæ Testamenti;* atqui repugnat ei quod 3. *Reg.* 8. dicitur: *In arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ;* ergo.

Resp. *nego min.* Nulla ibi est repugnantia, nam Apostolus per præpositionem, *in*, non significat, *intra*, sed *juxta* Arcam, in aliquo situ, qui erat appendix Arcæ, quomodo Christus (*Luca* 3.) dicitur moriturus *in Jerusalem*, cum tamen juxta civitatem illam sit mortuus, & non *intra* muros ejus; sic licet Div. Joannes baptizaret juxta urbem Be-

Bethaniæ, dicitur tamen, *Hæc in Bethania facta sunt*.

*Respondent* alii cum Theophilacto, quod tempore Salomonis non fuerit in arca, nisi duæ tabulæ legis, cætera autem postea fuerint reposita a Jeremia, quando abscondit arcam, ut refertur 2. *Machab. cap.* 2. *vers.* 5.

### §. VI. *Objectiones contra Epistolam Jacobi*.

*Objiciunt Magdeburgenses* 1. Eusebius (*l.* 2. *hist. c.* 22.) asserit Epistolas Jacobi & Judæ esse adulterinas; ergo non sunt canonicæ.

*Resp.* Cum Bellarm. (*l.* 1. *de Verbo Dei cap.* 18.) mendacium esse hoc, non argumentum, sic enim scribit Eusebius: *Licet a quibusdam, tamquam adulterina propterea judicetur*, Epistola Jacobi, *quod non adeo multi ex veteribus, illius Epistolæ, sicut nec etiam ejus quæ dicitur Judæ, quæ etiam in septem Catholicarum Epistolarum numero ponitur, ullam mentionem faciant, tamen nos istas cum reliquis, in quamplurimis Ecclesiis publice receptas approbatasque cognovimus*.

*Objiciunt* 2. Author hujus Epistolæ utitur salutatione tantum profana, non gratiam divinam sonante, *Jacobus Dei & Domini N. J. C. servus* 12. *tribubus salutem*. Ergo ejus author non est Apostolus Christi.

Resp. *nego ant.* Quia quando Apostoli apprecantur alicui salutem, apprecantur haud dubie salutem Christianam, quæ & Dei gratiam & pacem complectitur; ergo salutatio non est profana: alias ista, quæ habetur Act. 15. *Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, &c. salutem*, esset profana, nam est ejusdem formæ.

*Objiciunt* 3. In hac Epist. justificatio non fidei, sed operibus adscribitur, cum tamen Paulus (*Rom.* 3.) dicat hominem justificari ex fide sine operibus; ergo aberrat a doctrina Apostolica.

Resp. *nego conseq.* Inter doctrinam utriusque Apost. nulla est oppositio, nam Paulus excludit a negotio justificationis opera citra fidei & gratiæ Spiritum facta, & Jacobus requirit opera fidei & gratiæ, quæ etiam requirit Apostolus (*Rom.* 2.) dicens: *Factores legis justificabuntur*.

*Inst.* Solent Apostoli aliquid semper interserere de fidei doctrina; atqui hæc Epistola tota est in operibus commendandis, de fide autem silet omnino; ergo non est Apostolica.

Resp. *nego min.* Nam in hac Epist. scribitur: *Probatio fidei vestræ patientiam operatur* (*cap.* 1. *vers.* 3.), *& fides cooperatur operibus illius* Abrahæ, *& ex operibus fides consummata est* (*cap.* 2. *vers.* 22.). Equidem magis commendat opera, quam fidem, quia contra eos scribit, qui, neglectis operibus, ex sola fide salutem sibi pollicebantur, unde dicit (*cap.* 2. *v.* 24. *&* 26.): *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum* ... fides *sine operibus mortua est*. Utrumque ergo commendat & opera & fidem.

*Objiciunt* 4. Author hujus Epist. profert testimonia ex Epistolis Petri & Pauli; ergo non est Apostolus, sed aliquis ex Apostolorum discipulis.

Resp. *nego ant.* Equidem ad marginem hujus Epist. e regione verborum Jacobi, annotantur quædam loca Petri & Pauli, verum inde concludi non debet unum Apostolum ab alio citari, sed similes sententias in Apostolis inveniri, quod ideo fecit Spiritus sanctus, ut ostenderet se unum eumdemque eorum omnium authorem esse. Similiter ad marginem Epistolarum primæ Joannis & primæ Petri annotantur plurima loca Pauli, eodem tamen tempore vixerunt, nec eorum Epistolæ in dubium revocantur ab adversariis.

### §. VII. *Objectiones contra Epistolam Judæ*.

*Objiciunt* 1. Judas asserit se post Apostolos vixisse cum ait: *Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini N. J. C. qui dicebant vobis, quoniam in novissimis temporibus venient illusores*, &c. citatque aliqua loca Petri & Pauli (2. *Petri* 3. 1. *ad Tim.* 4. 2. *ad Tim.* 3.).

Resp. *neg. ant.* Judas enim cum aliis Apostolis vixit; sed quibusdam, nimirum Petro, Paulo, Jacobo, supervixit, posteriusque Epistolam scripsit, & ideo merito potuit ita loqui, & Apostolorum aliorum Epistolas citare.

*Objicies* 2. Judas citat librum *Enoch*, qui est apocryphus; ergo & ejus Epistola est apocrypha, & minime canonica.

Resp. *retorq.* Paulus Apost. (*Act.* 17. *&* 1. *ad Cor.* 15.) profert testimonia ex Ethnicis Poetis, Menandro & Epimede; ergo ejus scripta sunt profana. Itaque in apocryphis, & Ethnicis libris potest esse aliquid veri, & illud est quod Apostoli, Spiritu sancto inspirante, proferunt, nec tamen propterea totum librum approbant.

*Instant*, Judas testimonium *Enoch*, non ut apocryphum, sed ut propheticum citat; ergo approbat totum librum.

Resp. *nego conseq.* Sine dubio credendum est Enoch aliquid prophetici & divini scripsisse, & ejus vaticinium in eo libro, quem Judas citat, insertum fuisse, liber nihilominus est apocryphus, quia multa fabulosa simul cum hoc vaticinio, quod Judas citat, continet.

### §. VIII. *Objectiones contra Epistolas, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis, & Apocalypsim*.

*Contra secundam Epist. Petri*; Hæretici nihil aliud objiciunt, quam diversitatem styli a prima Epistola quam esse Petri certo constat. Verum hæc diversitas provenit, vel a diverso interprete, quo usus est Petrus, ut ait Div. Hieron. (*q.* 11. *ad Hedib.*) vel a diverso tempore, quo scripsit Petrus: non enim novum est eumdem hominem diverso tempore, diverso stylo scribere.

*Contra secundam & tertiam Joan. opponunt.* 1. authoritatem Papiæ, qui (*apud Euseb. l.* 3. *hist. cap.* 39.) duos fuisse Joannes asserit, unum Apostolum, & alium qui *senior* dicebatur; & cum author harum Epist. non Apostolum, sed *seniorem* se nominet, verisimile est has Epist. esse ab illo Joan. seniore scriptas.

Resp. *nego conseq.* Papias enim non dixit has Epist. non esse Joannis Apost. sed solum duos Joannes nominat, uter autem Epistolas scripserit, tacet. Porro Joannes poterat se Seniorem appellare, tum quia post omnes alios Apostolos vixit,

& ad

& ad extremam senectutem pervenit, tum quia *senior* idem est ac *Presbyter*, Joannes autem erat Presbyter & Apostolus.

*Opponunt* 2. authoritatem D. Hieronymi (*L. de script. Eccl. in Joann.*) qui asserit Epistolam secundam & tertiam Joannis, adscribi Joanni Presbytero.

*Resp.* D. Hieronymum per Joannem Presbyterum intellexisse Joannem Apostolum, constat ex sua ad Evagrium Epist. 85. *Clangat*, ait, *Tuba Evangelica filius Tonitrui, quem Jesus amavit plurimum: Presbyter* (*In Vulgata habetur*, Senior electæ, *&c.*) *electæ Dominæ, & filiis ejus.*

*Contra Apocalypsim opponunt* 1. Titulum hujus libri non esse *Joannis Apostoli*, sed *Joannis Theologi*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam idem est Joannes Theologus, qui & Joannes Apostolus, idest præ cæteris Apostolis Theologus appellatus, quia cæteri de humanitate Christi, Joannes vero de ejus divinitate præcipue scripsit, unde Aquilæ comparatur, quare D. Dionysius Areopagita Epistolam, quam ad Joannem scribit, sic intitulat: *Joanni Theologo, Apostolo, & Evangelistæ.*

*Objiciunt* 2. In hoc libro (*Cap. 1. & ult.*) dicitur: *Beatus homo qui servat verba Prophetiæ hujus*; cum tamen nemo sciat quid hæc Prophetia significet.

*Resp.* D. Joannes, per Prophetiam, intelligit totum librum, in quo non mirum est, quod multa, quæ prophetice prædicuntur, sint obscura; in eo tamen multa sunt vitæ præcepta clarissima, quibus nos hortatur ad patientiam & perseverantiam in persecutionibus.

## QUÆSTIO VI.

*De idiomate, quo scripti sunt Libri Canonici.*

*Nota.* Duplex est textus Libri Canonici. *Primus*, est *autographus*, seu originalis: *Secundus*, est *apographus*, seu in varias linguas translatus; hic est de autographis quæstio; de apographis, seu in varias linguas versionibus, agemus quæstione sequenti.

Quæres 1. *Quo idiomate libri veteris Testamenti fuerunt conscripti?*

*Resp.* Fuerunt Hebraica lingua (*D. Hieron. Præfat. ad illos libros*) *exceptis* 1. libris Danielis, Tobiæ, Judith, qui ex D. Hieron. (*Præfat. ad illos libros*) Chaldaice primitus exarati fuerunt. *Exceptis* 2. libris Sapientiæ, & secundo Machab. qui græce fuere scripti, ut habet D. Hieron. in prologo galeato. *Machab. librum primum*, inquit, *Hebraicum reperi, secundus græcus est.* Et de lib. Sapient. ait: *Apud Hebræos nusquam est, quisque stylus græcam eloquentiam redolet.*

Quæres 2. *Quo idiomate scripti sunt libri novi Testamenti?*

*Resp.* Omnes libri novi Testamenti græce editi sunt ab Apostolis, excepto Matthæi Evangelio, & Epist. ad Hebræos, qui libri Syriace fuerunt scripti; ita habet D. Hieron. (*Præfat. in Evangelia ad Damasum*) dicens: „ De novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, „ excepto Apost. Matthæo, qui primus in Judæa „ Evangelium hebraicis litteris edidit; " seu potius Syriacis, quia quo tempore scripsit, lingua pure hebraica non erat apud Judæos vernacula, sed Syriaca. Idem dicendum de Epistola ad Hebræos, *quam Paulus Hebræus hebraice scripsit ad Hebræos*, ait Eusebius (*Lib. 6. histor. cap. 11.*).

## QUÆSTIO VII.

*De variis Scripturæ sacræ editionibus.*

*Nota:* Variæ Scripturæ sacræ editiones ad quatuor præcipuas referuntur, nimirum, Hebraicam, Græcam, Latinam, & Vernaculam, de quibus & de earum authenticitate totidem agemus articulis.

### ARTICULUS I.

*De editione Hebraica.*

Quæres 1. *Quid sit editio Hebraica?*

*Resp.* Est ea, quam Esdras post captivitatem Babylonicam, non quidem in incendio templi a Nabuchodonosore combustam, de novo edidit, sed in varios codices dispersam, in unum corpus redegit, & divino suffultus auxilio a multis depravationibus expurgavit, ac ad suam primævam puritatem reduxit.

Quæres 2. *An editio Esdræ sit authentica?*

*Nota:* Authenticum dici illud, quod est indubitatæ authoritatis, & in judiciis fidem facit. Porro aliqua editio potest esse authentica dupliciter: 1. Per expressam Ecclesiæ definitionem, 2. Per longum & non interruptum Ecclesiæ usum.

Resp. 1. *Certissimum est editionem hebraicam Esdræ, qua usus est D. Hieronym. in sua versione, fuisse veram & authenticam.* Ratio est evidens, quia vulgata versio, quam ut authenticam approbat Ecclesia Catholica, est secundum partem illius majorem D. Hieron. qui textum hebraicum latine interpretatus est; ergo ipse textus fuit authenticus: neque enim major potest esse authoritas versionis, quam exemplaris ad quod efformata est; in hoc conveniunt omnes.

Resp. 2. *Textus Hebraicus Esdræ, ut est apud nos Catholicos, est authenticus.*

*Prob.* Textus hebraicus tempore D. Hieron. erat incorruptus quoad partes essentiales, & authenticus; atqui ille textus (ejusque exemplaria) semper fuit custoditus & conservatus a sanctis Patribus ac Romanis Pontificibus, & usque in hodiernum diem servatur in Vaticano & in aliis Bibliothecis: ergo est authenticus.

Hinc jura (*Cap. Ut veterum, dist. 9. &c. de quibus, dist. 20.*) & sancti Patres, maxime D. August. docent ad hebraicos & græcos fontes genuinos esse recurrendum, dum latinæ editiones ambiguæ aut vitiatæ videntur.

*Objicies* 1. Sola Vulgata est declarata authentica a Conc. Trid. Ergo.

*Resp.*

*Resp. dist. ant.* Sola Vulgata est declarata authentica, per exclusionem aliarum latinarum versionum, *nego ant.*, ut unam omnibus aliis anteponendam statuerent, *conc. ant.* cum Bellarmin. (*Lib. 2. d. verbo Dei, c.* 10.) calumniæ Calvini respondente: „ Nec enim, ait, Patres fontium ullam mentionem „ fecerunt, sed solum ex tot versionibus latinis, „ quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam „ cæteris anteponerent „. Unde Patres Trid. solam Vulgatam authenticam declarando, nullo modo, nequidem tacite, declararunt fontes non esse authenticos.

*Objicies* 1. Aliqua loca dantur in textu hebraico, quæ non solum differunt, sed opponuntur nostræ Vulgatæ, quam Conc. Trid. jubet, *ut nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*. Ergo textus hebraicus non est authenticus.

Resp. *nego ant.* Vulgata enim nostra est omnino conformis cum textu hebraico; hinc ait Bellarmin. (*Lib. 2. de verbo Dei, cap.* 9.) " Quod Vulgata „ editio translata sit ex Hebræo, ipsa quodammodo „ clamat, dum pene ubique concordat cum He„ bræo „. Quod si aliqua versio græca in aliquo substantiali discordat cum Vulgata nostra, signum est quod sit vitiata, & consequenter quod textus non sit purus & genuinus.

*Resolves:* Quamvis lectio nostræ Vulgatæ semper sit omnibus præferenda, tamen, ut optime notat Sylveira (*Resolut.* 4. *quæst.* 2. *de Variis version. Scripturæ sacræ*), textus hebraicus magnæ utilitatis est, tum ad menda, quæ in latinis Bibliis subinde horum Authorum incuria irrepunt, corrigenda; tum ad vocem, sententiamque in latino, & græco codice ambiguam, enodandam; tum ad litterales sensus eruendos, qui sub iisdem apicibus hebræis, ob linguæ fœcunditatem, latere possunt; atque ut ipso puro fonte scripturæ, Judæi, & Hæretici, confundantur & convincantur.

Quæres 2. *Quænam versiones revocentur ad editionem hebraicam?*

Resp. Tres sunt quæ a lingua hebraica ortum ducunt, *Chaldaica* scilicet, *Syriaca*, & *Samaritana*, de quibus pauca dicemus.

1. *Chaldaica*, potius paraphrasis est dicenda, quam versio, unde a Judæis *targum*, id est interpretatio, dicitur; hæc nullius est authoritatis, cum Thalmudistarum fabulis sit conspersa . . . . *Nota*, quod non loquamur de libris, qui ab authoribus sacris Chaldaice fuerunt editi, sed de versione totius veteris Testamenti, quæ paraphrastice facta est ex Hebræo in Chaldæum.

2. *Syriaca*, quæ lingua, orta in captivitate Babylonica ex commixtione hebraicæ & chaldaicæ, facta est deinde lingua vulgaris, & quasi materna omnium Hebræorum, qua proinde Christus & Apostoli usi sunt, vocarique solebat Hebræa, quia Hebræi illam sibi vulgarem ferebant. Hæc semper fuit summæ authoritatis.

3. *Samaritana*, quæ nonnisi characteribus discrepat ab Hebraica Esdræ, unde ejusdem semper fuit authoritatis.

## ARTICULUS II.

### *De Versionibus veteris Testamenti Græci.*

Quæres 1. *Quot sunt Versiones græcæ Hebræorum veteris Testamenti?*

*Resp.* Ex pluribus, quæ numerantur, quatuor sunt magis celebres.

*Prima est 70. Interpretum*, sic dicta, quia eam fecerunt 70. Seniores Judæi, sex nimirum ex qualibet tribu, græce pariter & hebraice peritissimi, regnante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum rege, qui ad Eleazarum summum Pontificem miserat, senioresque totidem petierat, qui sacros libros in græcum sermonem transferrent, in *Pharos* insula.

Quæres 2. *Qu modo 70. Interpretes vetus Testamentum transtulerunt?*

*Resp.* Satis constat quod spatio dierum 72. mirabili consensione id absolverint, ut asserunt Aristæus & Joseph. (*Aristæus unus ex legatis a Ptolomæo missus Jerosolymam, Hist. version. 70. Interpr. Joseph. lib.* 12. *antiquitat. cap.* 2.), sed an simul separatim in diversis cellulis, an bini & bini, an potius inter se conferentes interpretati sint, est incertum, aliis Patribus affirmantibus, aliis negantibus; probabilius tamen est omnes inter se contulisse, tum quia nec Joseph, nec Philo, historiam versionis 70. describentes, harum cellularum fecerunt mentionem, tum quia Aristæus aperte asserit 70. Interpretes simul usque ad horam nonam *conferendo* versionem inter 72. dies absolvisse; unde D. Hieron. (*Præf. in Pentateuch.*) ait: " Nescio quis primus „ author 70. cellulas Alexandriæ, mendacio suo ex„ truxerit quibus divisi eadem scripserint „.

*Secunda*, est *Aquilæ Pontici*, qui postquam ex Christiano factus est Judæus, Scripturam (*an.* 137. *sub Adriano Imperat.*) in græcum idioma transtulit, in odium Christianismi, pervertens ea quæ de Christo erant testimonia.

*Tertia*, est *Symmachi Samaritani*, qui ex Judæo factus Christianus, & ex Christiano factus Ebionita, postea Scripturam ex Hebræo vertit in Græcum (*anno* 233. *Severo imperante*), & ut Judæis placeret, ea quæ ad Christum pertinebant, subdola interpretatione celavit, ut testatur Div. Hieronym. *Præfat. in Job.*

*Quarta*, est *Theodotionis Ephesini*, qui ex Christiano factus Marcionita, cum illi hæresi postmodum esset infensus, ad Judaismum transivit, deinde Scripturam græce est interpretatus, sub Imperatore Commodo, *anno* 183. ejus tamen versio ponitur quarto loco ab authoribus, quia sequuntur ordinem, quem Origenes constituit in suis Exaplis, non attenta temporis ratione.

*Nota*. Inter tres posteriores versiones hæc est differentia, quod *Aquila* verbum e verbo reddiderit, *Symmachus* sensum e sensu, *Theodotio* media quasiam via inter utrumqne incesserit, partim sensum, partim verba sequens, ut notat Div. Hieronymus, (*Præfat. in Job & Epist.* 125. *ad Damas.*)

Quæres 3. *Quanta authoritate polleat in Ecclesia versio 70. Interpretum?*

Resp. *Divina & irrefragabili pollet authoritate.*

*Prob.* 1. Quia utriusque Ecclesiæ græcæ & latinæ judicio, & usu, consecrata est.

1. Quia Apostoli ea usi fuerunt, & ea etiamnum utantur Græci Catholici, ut tradit D. Aug. *lib.* 18. *de civit. Dei*, *cap.* 43. dicens: " Hanc, quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua, ignorant ".

2. Quia non sine Spiritus sancti assistentia facta videtur. Hinc Irenæus (*Lib.* 3. *cap.* 15.) de hac translat. ait: *Per aspirationem Dei, interpretatæ sunt Scripturæ*. Div. August. (Lib. 18. Civit. cap. 43.) ait: *Spiritus, qui in Prophetis erat quando illa dixerunt, idem ipse erat in 70. viris, quando illa interpretati sunt*. Ergo.

*Dices*: Translatio 70. Interpretum, quæ modo circumfertur, non est simpliciter authentica; tum quia nullum est de illius authenticitate Ecclesiæ judicium, tum quia notabiliter discrepat ab editione vulgata, quam Conc. Trid. declaravit authenticam.

Resp. *dist. art.* 1. Quia jam probavimus editionem 70. non discrepare a nostra Vulgata, quoad partes essentiales. 2. Quia per plura sæcula, Ecclesia universa illa editione usa est, & etiamnum utitur Ecclesia Græca Catholica. Immo Sixtus V. in suo diplomate, præfixo versioni 70. quæ in Vaticano est, sic loquitur: " Volumus & sancimus ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, ut vetus Testamentum juxta 70. recognitum & expositum, ab omnibus recipiatur & teneatur, non autem quomodocumque, sed ut authentica versio ..... prohibentes, ne quis de hac nova græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quidquam immutare ".

Quæres 4. *Cujus authoritatis sint versiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis?*

Resp. 1. In iis quæ ad Christum, Christianamque Religionem spectant, nullius sunt authoritatis, quia ipsi omnes fuerunt Christianismi desertores & hostes, qui illius odio multa in suis translationibus corruperunt.

Resp. 2. In aliis, quæ Christianam Religionem non spectant, possunt inservire ad cognoscendum verum sensum Scripturæ, cum & Origenes in suis Exaplis posuerit, & S. Hieronymus eis usus sit in sacris litteris interpretandis; Patres tamen Theodotionis versionem præferunt, quia, ut testatur Div. Epiphanius (*L. de ponderibus & mensuris*) majori fide, quam cæteri, sacros codices est interpretatus.

## ARTICULUS III.

*De Versionibus Latinis utriusque Testamenti.*

*Nota*: Ante tempora D. Hieron. innumerabiles erant versiones latinæ, tamen una erat communior, quæ tum *Vetus*, tum *Vulgata*, & *Itala* dicebatur (*Ita D. Hieron. in cap.* 49. *Isaiæ*), de qua D. Aug. (*L.* 1. *de Doctrin. Christ. cap.* 15.) sic loquitur: " In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præferatur, nam est ad verbum tenacior, cum perspicuitate sententiæ ".

At postquam D. Hieron. jussu Damasi Papæ suam ex hebræo latinam versionem absolvit, *Vetus* illa aliquandiu quidem retenta est cum nova Div. Hieron., sic tamen ut nova pluris fieret, tandemque sola retineretur velut hebræo fonti purius respondens, ut D. Gregor. (*in fine Epist. ad Leandrum*) testatur, & hæc, quæ tempore Div. Gregorii dicebatur *nova* editio, tot sæculorum exinde usu facta est vetus & *Vulgata*, quæ nunc in omnium manibus versatur, de qua B. Isidorus (*Lib.* 1. *ethimolog. cap.* 5.) ait: ***S. Hieronymi editione omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur.***

Ergo nostræ Vulgatæ author est D. Hieron. hoc sensu, quod *fere totum* vetus Testamentum ex hebræo immediate transtulit in latinum, & novum ad græcum emendavit, ut ipse (*L. de script. Eccles. ad calcem*) testatur: *Novum Testamentum*, inquit, *græcæ fidei reddidi: vetus juxta hebraicum transtuli.*

Dixi 1. *Fere totum*: quia libros *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Machabæorum*, *Baruch cum adjuncta Jeremiæ Epistola*, non transtulit, forte quia non erant in Canone Hebræorum, ut ipsemet de libro Baruch (*epist.* 118. *quæ est Præf. Jerem.*) testatur: *Librum Baruch, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus.*

Dixi 2. *Fere totum ex hebræo*: 1. quia libros *Judith & Tobiæ* non ex hebræo, sed ex originali Chaldaico transtulit, ut ipse testatur (*epist.* 110. *&* 111.). 2. Quia duo posteriora capita Danielis, quæ in Hebræo non reperiebantur, desumpsit ex versione Theodotionis, ut ipse testatur, *Præf. ad Danielem*.

Dixi 3. *Fere totum*; quia Psalterium, quod extat in nostra Vulgata, non est illud, quod Div. Hieronymus vertit ex hebræo, nec illud, quod vertit ex græco in latinum, cum illæ versiones, quæ extant inter opera D. Hieronymi, multum differant a Psalterio nostræ Vulgatæ, sed est Psalterium antiquæ versionis Italæ, quod D. Hieron. ad hebraicos & græcos fontes emendavit semel & iterum, ut patet ex *Præf. Psalt. ad Paulam & Eustochium*.

Petes: *Quare Ecclesia Vulgatam veterem Psalterii translationem retinuit?*

Resp. Causa videtur consuetudo, qua omnes Ecclesiæ latinæ jam assueverunt quotidie canere Psalmos juxta latinam veterem versionem, & plerique ex memoria Psalmos recitabant; porro valde arduum fuisset novam translationem inducere, cum *difficile sane senis sit linguam mutare, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum*, ait Div. Hieron. *Præfat. in Daniel.*

Dixi 4. *Et novum ad græcum emendavit*: quia Div. Hieron. nusquam novum Testamentum vertit, sed antiquam Italam versionem a mendis, quæ vel per imprudentiam, vel per Librariorum incuriam irrepserant, emendavit.

*Dices*: D. Aug. *Epist.* 10. *c.* 4. dicit Hieronymo: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex græco interpretatus es*; ergo.

Resp. *nego conseq.* Illa enim vox, *interpretatus es*, sumi debet pro hac alia, *emendasti*, ut eam explicat Div. Hieronym. ad August. rescribens (*ep.* 11. *inter August.*): *Et si me, ut dicis, inquit, in novi Testamenti emendatione suscipis, &c.*

Quæ-

Quæres 1. *An Vulgata nostra sit authentica?*

*Resp.* Vulgata nostra est declarata authentica a Concil. Trid. *sess.* 4. his verbis: „ Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu, audeat, vel præsumat ".

*Objicies.* Vulgata nostra non est conformis primigenio Scripturæ textui, sive Hebræo, sive Græco; ergo non est authentica.

Resp. *dist. ant.* Non est conformis in eis quæ sunt levioris momenti, *conc.* in eis quæ fidem, mores, aut substantiam rei spectant, *nego ant.* & *conseq.* Fateor itaque vulgatam nostram in aliquibus levioris momenti discrepare a textu originario, tum quia in originarium textum varia irrepserunt menda, quæ in vulgata nostra sunt emendata; tum quia interpres latinus sententias non semper ad verbum, sed cum aliqua elegantia expressit, verum illa levioris momenti non impediunt authenticitatem vulgatæ, quæ textui primigenio conformis est in omnibus sententiis, & in eis quæ fidem & mores spectant.

Quæres 2. *Quo sensu Conc. declaravit vulgatam esse authenticam?*

*Resp.* Hoc sensu, quod simpliciter & absolute sit fidelis & sincera in iis quæ ad fidem & mores spectant, cum originali lingua bene concordans, nihilque contineat fidei aut bonis moribus repugnans, ut declarat Vega (*Lib.* 15. *in Conc. Trid. cap.* 9.) qui Concil. Trident. interfuit: „ Eatenus, *inquit*, voluit Synodus, eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi possit ". Et Canus qui (*L.* 2. *de locis, cap.* 13.) asserit Vulgatam retineri debere *in his omnibus quæ ad fidem & mores spectant.* Idem docet Bellarminus.

*Hinc* 1. Ecclesia non declaravit vulgatam authenticam hoc sensu, quod debeat anteponi Hebraicis & Græcis fontibus germanis, prout calumniatur Calvin. (*in antidoto, sess.* 4.) nam Conc. Trid. vulgatam nullo modo comparavit cum Hebraicis aut Græcis fontibus, quorum *nullam mentionem fecerunt Patres Tridentini; sed solum ex tot versionibus latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent*, ait Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 10.

*Hinc* 2. Conc. non declaravit vulgatam authenticam hoc sensu, quod nulla omnino levis momenti menda, in ea reperiantur, ut volunt aliqui Theologi; nam eo tempore, quo sacra Synodus suum decretum promulgavit, selectis Doctoribus mandavit, ut vulgatæ emendationi sedulo incumberent, quam correctionem inceptam a Pio IV. sub quo Conc. finitum est, continuaverunt Pius V. Sixtus V. quæ tandem sub Clemente VIII. perfecta est, ut patet ex Præfat. Sixtinis Bibliis præfixa. Ergo Patres Trident. non arbitrabantur vulgatam esse ab omnibus mendis, vel levissimis, immunem.

*Dices:* Si essent aliqua errata in vulgata, rejici posset in aliquibus locis sub prætextu erratorum: falsum conseq. ex Trid. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Rejici posset, &c. ab Ecclesia vel a summo Pontifice, cujus est, ut caput universale Ecclesiæ, sacros libros in sua puritate conservare, & a mendis Scriptorum & librariorum emendare, *conc.* a privatis Doctoribus, *nego maj.* & sic ad minorem.

Itaque id tantum Conc. Trident. intendit, ut nullus privata authoritate aliquid, quantumvis minimum, audeat contra vulgatam admittere, aut ponere: *Sed in re tam gravi*, ait Bannes (1. *parte q.* 1. *art.* 8. *dub.* 5. *concl.* 6.), *expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura.*

Quæres 3. *Quandonam licitum sit recurrere ad fontes pro emendatione codicum Latinorum?*

*Resp.* Cum Bellarm. (*L.* 2. *de verbo Dei, cap.* 11.) licitum est recurrere ad fontes.

1. Quando in codicibus nostris videtur esse error Scribarum, aut Librariorum.

2. Quando Latini codices variant, nec certo sciri potest quænam sit vera vulgata lectio, possumus recurrere ad fontes, & inde juvari ad veram lectionem inveniendam, quæ certe erit quæ conformis erit fonti.

3. Quando verba, aut sententia in latino sunt ambigua, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambiguitas, ut dubius sensus tollatur, & versus eruatur.

4. Licet recurrere ad fontes, ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.

## ARTICULUS IV.

*De vernaculis sacræ Scripturæ versionibus.*

*Nota:* Hæretici frequenter nobis objiciunt sacrorum Bibliorum in vulgares linguas translationem & usum, ab Ecclesia omnibus perperam interdici, persuadereque conantur lectionem sacræ Scripturæ in lingua vulgari omnibus indiscriminatim, etiam plebejis ac mulieribus, esse concedendam, eamque debere in divinis officiis decantandis, usurpari: contra quos.

### CONCLUSIO I.

*Ecclesia non prohibet absolute lectionem Scripturæ sacræ in lingua vulgari translatæ; sed cum non expediat eam omnibus passim concedi, ideo justissime prohibet ut omnibus indiscriminatim concedatur.*

*Prob. prima pars:* Quia nullibi extat prohibitio generalis, de qua agitur, imo Biblia in lingua vulgari, mandantibus summis Pontificibus & Episcopis, ubique typis mandantur, & per eos, quorum id officii est, probantur.

*Prob. secunda pars:* Illud non expedit omnibus concedi, quod, licet in se bonum, tamen ratione circumstantiarum loci, temporis, & personarum, potest pluribus esse noxium; atqui talis est Scriptura sacra in lingua vulgari translata; multi enim propter infirmitatem, temeritatem, ignorantiam, aut malitiam, plus ex ejusmodi lectione detrimenti, quam utilitatis haurire possent, ut experi-

*mento manifestum est*, ait IV. regula Conc. Trid. Ergo.

*Prob. min.* Quia si prorsus rudis in Canticis Canticorum sua lingua vulgari legeret, *Osculetur me osculo oris sui: læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; vel in Osea, *Vade & fac tibi filios fornicationum*, vel quomodo Loth dormivit cum filiabus suis: quomodo Ruth sponsum quæsivit; quomodo Sara, Rachel, & Lia, ancillas suas viris suis dederint in concubinas, &c. vel contemneret sanctos Patriarchas, vel provocaretur ad imitandum ea, quæ imitari non licet, quod esset grande scandalum.

*Prob. tertia pars:* Ex regula quarta Conc. Trid. vigente in locis ubi promulgatum est Concilium, quæ sic habet: „ Cum experimento manifestum sit, „ si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discri- „ mine permittantur, plus inde ob hominum temeri- „ tatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in „ parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut „ cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum „ a Catholicis authoribus versorum lectionem in „ vulgari lingua eis concedere possint, quos intelle- „ xerint ex ejusmodi lectione, non damnum, sed „ fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam „ facultatem in scriptis habeant, &c. "

Verum cum illud Pii IV. statutum, sit disciplinæ lex, usu contrario potuit in aliquibus locis antiquari, ut revera factum est in Gallia & Germania, in quibus quisque nunc pro conscientiæ suæ ductu, absque licentia ab Episcopo petita, potest sacras Scripturas ab authoribus Catholicis in vernaculas linguas translatas legere: caveant tamen illi, apud quos Pii IV. regula non viget, spernere Ecclesias, quæ sapientem illam legem observant.

## CONCLUSIO II.

***Non convenit, in sacris mysteriis celebrandis, linguam adhibere vernaculam.***

*Prob.* 1. Quia hæc consuetudo adversatur traditioni Ecclesiæ Catholicæ, quæ in suis precibus publicis non aliam linguam, quam hebraicam, græcam & latinam adhibuit .... 2. Quia hæc consuetudo plus quandoque detrimenti, quam utilitatis afferret plebi, cum enim multa Scripturæ loca sint in speciem pugnantia, vulgus ea concordare non valens, erroris inde occasionem sumeret .... 3. Quia quandoque ex lectione Scripturæ in lingua vulgari posset oriri scandalum, refert enim Bellarminus (*l.* 1. *de verbo Dei cap.* 15.) se audivisse ab homine fide digno, *Cum in Anglia a Ministro Calvinista in templo legeretur lingua vulgari cap.* 25. *Ecclesiastici, ubi multa dicuntur de malitia mulierum, surrexisse fœminam quamdam, atque dixisse, istudne est verbum Dei? imo potius verbum diaboli est.*

Hinc Conc. Trident. (*Sess.* 22. *cap.* 8. *can.* 9.) justissime statuit ne Missa vulgari lingua celebretur.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. *Cum Kemnitio*, Christus & Apostoli ad promiscuam plebem conciones habuerunt lingua vulgari; ergo eidem promiscuæ plebi permittendum est sacras Scripturas legere lingua vulgari.

Resp. *nego conseq.* Nam verbum Dei recte prædicatur lingua vulgari, quia prædicatio explicationem continet, quam omnes facile capiunt, & quæ plurimum valet ad erudiendos vulgares homines in his quæ spectant ad fidem & mores; at cum scribitur, nudus textus scribitur, qui consequenter ab omnibus non capitur.

*Objicies* 2. *Cum Bucero*, finis divinorum officiorum, publicarumque lectionum, est populi instructio, consolatio, & ædificatio, juxta illud Apost. Rom. 15. *Ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus:* atqui ex lingua ignota nulla potest esse instructio, ædificatio, &c. ergo.

Resp. *nego maj.* Nam finis præcipuus divinorum officiorum non est populi instructio aut consolatio, sed cultus Deo ab Ecclesia debitus & reddendus.

*Inst.* 1. Scriptura sacra ad omnium instructionem condita est, doctrinamque continet omnibus communem; ergo ab omnibus legi debet lingua vulgari.

Resp. *nego conseq.* Quia licet Scriptura contineat doctrinam omnibus communem, tamen multa continet, quorum vulgares non sunt capaces, & quorum idcirco notitia ad Pastores pertinet, non autem ad vulgares, qui de iis, quæ ad ipsos spectant, sufficienter instruuntur per conciones frequentissimas, quæ in singulis Ecclesiis fieri debent; ad hoc enim Deus posuit in Ecclesia *Pastores & doctores*, *Ephes.* 4.

*Inst.* 2. Lectio librorum linguæ vulgaris easdem afferret utilitates scientibus linguam vulgarem, quas affert lectio Bibliorum latinorum scientibus linguam latinam; ergo eis est permittenda in officiis divinis.

Resp. *nego ant.* Quia qui callent linguam latinam eruditione superant communem populum, unde possunt ea, quæ non intelligunt, addiscere per lectionem interpretationum & commentariorum SS. Patrum & Doctorum.

*Inst.* 3. Cum Quesnello (*Prop.* 84. & 85.) *Eripere Christianis Scripturas, præsertim Evangelium est illis obturare os Christi, est privare lumine filios luminis, & illos quadam specie excommunicationis ferire;* ergo hoc est illicitum.

Resp. *neg. ant.* Quia etiamsi ipsi Christi documenta non legant, illa frequenter a suis Pastoribus audiunt; ergo non ipsis os obturatur, non privantur lumine, nec ulla excommunicationis specie feriri videndi sunt, qui a lectione Scripturæ sacræ removentur, cum ab instructionibus & documentis Christi ore Pastorum suscipiendis non arceantur.

*Inst.* 4. *Cum Quesnello*, injustum est impedire filium ne legat Testamentum patris sui: sed Evangelium Christi pro omnibus conditum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Injustum est, &c. si illa lectio non possit esse illi noxia, & si aliunde non possit cognoscere ultimas patris sui voluntates, *conc. maj.* secus, *nego maj.* Porro aliquibus Christianis potest esse noxia lectio Evangelii, & aliunde, nempe ex instructione Pastorum, voluntates patris sui Christi cognoscere possunt.

*Objicies* 3. Horrendum est Scripturam sacram inter libros prohibitos reponere, atqui id factum est a Pio IV. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Horrendum est reponere, &c. tanquam librum per se noxium, *conc. maj.* tanquam librum per accidens noxium, *nego maj.* Panis est ali-

alimentum in se optimum, nemo tamen absurdum, imo sapienter factum judicabit, si mater infanti tenello panem auferat, cui, ratione debilitatis illius, ille cibus noxius esset, ut lac solum subministret: quis similiter absurdum judicare potest, si Ecclesia lectionem Scripturæ sacræ eripiat e manibus illorum, quibus periculosa illa & noxia foret?

*Objicies* 4. Innocent. III. (*Cap. quoniam in plerisque de officio judicis ordinarii*) præcipit, ut cum in aliqua urbe permixti sunt homines diversarum linguarum, Episcopus provideat viros idoneos, qui diversis linguis divina officia celebrent; ergo licitum est celebrare mysteria divina lingua vulgari.

*Resp. nego conseq.* Innoc. loquitur tantum de lingua græca & latina; nam cum tempore, quo Constantinopolis fuit a Latinis capta, permulti essent in Græcia Latini Græcis permixti, postulatum est a Pontifice in Conc. generali Lateran. ut permitteret duos Episcopos ordinari in talibus locis; respondit SS. Pontifex, non convenire ut sint duo Episcopi in una Ecclesia, sed tantum debere Episcopum providere ut sint Ministri idonei, qui græce Græcis, & latine Latinis sacra celebrarent.

*Objicies* 5. Apostolus docet publicas Ecclesiæ preces & lectiones debere fieri lingua vulgari, ergo &c. nam (1. *ad Cor.* 14.) *dicit*: " Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est; quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente: cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit; nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur; " ergo.

*Resp. nego ant.* Ad prob. *nego cons.* nam Apost. hic non loquitur de Scripturis, vel officiis divinis, quæ cum græce fierent, ut fatentur Hæretici, a multis intelligebantur, sed loquitur de oratione, seu laude Dei & gratiarum actione, quas interdum Christiani consueverant componere & canere tempore collationum spiritualium, de quibus loquuntur Eusebius ex Philone, & Tertull. (*Euseb. L.* 2. *hist. c.* 17. *Tertull. cap.* 39. *Apologet.*) & quoniam illa Cantica cantabantur ad populi instructionem & consolationem, voluit Apost. ut non componerentur lingua peregrina, quomodo aliqui Christiani faciebant, sed lingua, quæ intelligeretur, ut idiotæ similia componendi incapaces, saltem possent ea confirmare, dicendo *Amen*.

*Objicies* 6. D. Chrys. sæpissime hortatur Laicos, etiam mulieres, etiam servos & ancillas ad lectionem sacrarum litterarum, ait enim (*Hom.* 9. *in Ep. ad Coloss.*): " Audite, obsecro, sæculares omnes comparate vobis Biblia, animæ pharmaca: si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia, &c. " Ergo Scripturæ debent vulgari lingua omnibus indiscriminatim permitti.

*Resp. dist. conseq.* Debent permitti omnibus, qui cum fructu legere possunt, *conc.* omnibus omnino, etiam iis qui possunt Scripturis abuti, & grave incommodum inde accipere, *nego cons.* Itaque quamvis verba Chrysostomi sint universalia, non sunt tamen universaliter accipienda, sed accommodate juxta mentem illius, & occasiones quibus ad ea dicenda adducebatur. Igitur eo tempore homines, etiam capaces, neglecta penitus Scriptura sacra, erant dediti theatricis spectaculis, aliisque nugis; propterea D. Chrys. ut eam excuteret desidiam, perpetuo hortabatur omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino, etiam rudissimos, eas legere, sed ut ii saltem eas legerent, qui cum fructu & sine periculo id poterant.

## QUÆSTIO VIII.

### *De Scripturæ sacræ sensu.*

*Nota*. Sensus Scripturæ, est *ejus genuina significatio*, sive est res quam Spiritus sanctus voluit significare per Scripturam. 1. Agemus, De sensu Scripturæ in genere. 2. De sensibus litterali & mystico. 3. De sensu accommodatitio.

## ARTICULUS I.

### *De sensu Scripturæ sacræ in genere.*

Quæres 1. *Quotuplex sit sensus sacræ Scripturæ?*

*Resp.* Duplex est, litteralis & mysticus.

*Sensus litteralis* est ille, quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta, immediate significant. Ex qua definitione patet sensum litteralem esse duplicem, proprium nempe & metaphoricum.

*Sensus litteralis proprius* est ille, quem verba, proprie accepta, immediate significant, ut in hac prop. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera* (*Gal.* 4. *v.* 22.).

*Sensus litteralis metaphoricus* est ille, quem verba figurate accepta, immediate significant: ut cum Christus dicitur, *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, tunc est sensus litteralis metaphoricus, quia unum dicitur verbis, & aliud sub illis intelligitur; nempe sub illis vocibus, *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, Christi fortitudo, mansuetudo, & fœcunditas intelliguntur.

*Sensus mysticus*, seu spiritualis, est ille, qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis, indicatur; sic quod in Genesi (*Gen.* 16. *v.* 22. *& cap.* 21. *v.* 2.) dicitur de duobus filiis Abrahæ, Apostolus (*Ad Galat. c.* 4.) in sensu mystico exponit de duobus Testamentis.

*Sensus mysticus*, triplex assignatur, Allegoricus, nimirum, Tropologicus, & Anagogicus.

*Sensus Tropologicus*, seu moralis, est rei ad morum instructionem significatio, per aliam rem, Scripturæ verbis immediate significatam. Unde est de rebus agendis.

*Sensus Allegoricus*, est rei ad Christum & Ecclesiam Militantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate significatum. Hinc est de rebus credendis.

*Sensus Anagogicus*, est rei ad Ecclesiam Triumphantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturæ verbis immediate significatam. Unde est de rebus sperandis.

Sunt ergo quatuor Scripturæ sensus his versibus expressi.

*Littera gesta docet; quid credas Allegoria;*
*Moralis quid agas; quo tendas Anagogia.*

*Nota*.

*Nota*. Quadruplex ille sensus in una voce, *Jerusalem*, occurrit, nam *litteraliter* significat urbem Palestinæ capitalem; *allegorice* Ecclesiam; *tropologice* animam hominis; & *anagogice* patriam cœlestem; quod ante mille annos totidem verbis docuit Cassianus (*Collat.* 14. *cap.* 4.).

Quæres 2. *An sit de fide Scripturam sub una littera continere plures sensus?*

Resp. *affirm*. Nam illud est de fide, quod expresse in Scriptura reperitur: atqui quod Scriptura sub una littera plures sensus contineat, expresse reperitur in ipsa Scriptura; nam historiam litteralem de Jona, qui tribus diebus & tribus noctibus extitit in ventre ceti, de se ipso per allegoriam exponit Christus (Joan. 2. v. 14.). Item quod Exodi 12. litteraliter de Agno Paschali scribitur, *Os non comminuetis ex eo*, impletum est in Christo (Joan. 19. v. 36.).

## ARTICULUS II.

### *De sensu Sacræ Scripturæ litterali, & mystico.*

Quæres 1. *An sub iisdem sacræ Scripturæ verbis aliquando multiplex sit sensus litteralis?*

Resp. *affirm*. Est communis, quam etiam innuunt sacræ Scripturæ. Sic v. g. quod dictum fuit de Israel (*Osee* 11. *vers.* 1.): *Ex Ægypto vocavi filium meum*; id de Christo interpretatur Matthæus (*c.* 2. *v.* 15.); sic illud Psalmistæ: *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Apostolus (*Hebr.* 1.) exponit de generatione Christi æterna: *Cui Angelorum dixit: Filius meus es tu?* &c. quod idem Apostolus (*Act.* 13.) explicat de resurrectione Christi: *Resuscitans Jesum, sicut in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic illud Isaiæ 37. *Generationem ejus quis enarrabit?* a Patribus intelligitur de æterna simul & temporali Christi generatione; utraque enim est ineffabilis.

Quæres 2. *Ex quo sacræ Scripturæ sensu, Theologia certa potest deducere argumenta?*

*Resp.* Ex solo sensu litterali, non autem ex mystico, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ & traditionis authoritate nitatur, aut ex ipsa textus serie certo colligatur.

*Prob.* Quia sensus mysticos quandoque pro suo quisque ingenio ac pietate cudit, & quo jure ab uno excogitantur, eodem possunt contemni ab altero; ergo, &c. Hinc D. Hieronymus (*in c.* 13. *Matt.*) ait: *Numquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad authoritatem dogmatum proficere*; & Augustinus: *Quis autem non imprudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

Dixi, *nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ authoritate nitatur*, &c. Tunc enim firmissimum præbet Theologiæ argumentum, quia tunc certum est illum sensum mysticum a Spiritu sancto fuisse intentum. Talis est sensus, quem Apostolus (1. *Cor.* 9. *v.* 9.) ex his verbis, Deuteronomii 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, eruit, ad probandum ministris Evangelii deberi stipendia. Talis est ille, quo D. Petrus (1. *Petri c.* 3. *v.* 20.) docet eos qui in Arca Noe servati sunt (*Genes.* 6. *v.* 14.), significare mystice eos, qui in Ecclesia salvi fiunt per baptismum: *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.*

Quæres 3. *Utrum in quolibet Scripturæ sacræ textu, præter sensum litteralem, contineatur aliquis sensus mysticus?*

Resp. *negat.* cum Div. Augustino (*q.* 2. *super Genesim*), dicente: *In quibusdam locis solus sensus litteralis quærendus*; ergo non in omnibus. Quis enim sensus mysticus quærendus in his textibus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Non occides: non furtum facies*, &c. Ergo concludit Div. Epiphanius (*l.* 2. *Hæresi* 16.): *Non omnia habent verba divina opus allegoria, sed prout se habent, accipienda sunt.*

Quæres 3. *An detur aliquis textus in Scriptura, in quo non sit sensus litteralis, sed tantum spiritualis?*

Resp. *negat.* Nam sensus litteralis desumitur ex immediata significatione verborum, sive in propria, sive in figurata acceptione ex Spiritus sancti intentione; atqui nullus assignatur locus, cujus verba aliquid immediate non significent, sive proprie, sive metaphorice: ergo nullus est locus, qui non habeat sensum litteralem.

*Dices.* Juxta SS. Patres in figuratis locutionibus & parabolis, non litteræ, sed spiritui est inhærendum; ergo in illis est solus sensus spiritualis.

Resp. *dist. ant.* Non est inhærendum litteræ, in sensu proprio consideratæ, *conc. ant.* in sensu metaphorico & figurato, *nego ant.* Porro sensus absconditus sub his figuris, est sensus litteralis: sic hujus textus Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum*, &c. sensus litteralis metaphoricus hic est: *Si amicus, vel proximus*, &c. *qui tibi serviunt, tamquam manus & pes scandalizant te, consortium illorum devita.*

Quoad parabolas, notandum, quod in ipsis duæ sint partes: 1. Quæ continet rem, quæ in similitudinem affertur. 2. Quæ applicationem continet, & utraque suum habet sensum litteralem. Exemplum sit parabola, qua Christus (*Matth.* 13.) utitur ad prædicandam Evangelii propagationem. *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc parabola habet duplicem partem. 1. Continet mulieris factum, quod adducitur in similitudinem, & habet sensum litteralem mulieris factum exprimentem. 2. Continet applicationem, & habet quoque sensum litteralem, qui hic est: „ Sicut modicum fermentum in magnam farinæ „ massam immissum, eam multo, quam antea, reddit majorem, ita Evangelium in Palæstina prædicatum, brevi tempore totum pervadet orbem; & „ sic Ecclesia in Palæstina primum instituta, atque „ angustis terminis contenta, brevi tempore magna „ sumet incrementa, & longe lateque propagabitur."

## ARTICULUS III.

*De sensu sacræ Scripturæ accommodatitio.*

Quæres 1. *Quid sit sensus accommodatitius?*

*Resp.* Est *ille, quo ea quæ litterali, aut mystico sensu, alia occasione, dicuntur in Scriptura, per quamdam extensionem ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur*. Unde, nec mediate, nec immediate, est intentus a Spiritu sancto, nec habet authoritatem divinam, & ideo ex eo non potest desumi firmum argumentum ad probanda fidei & morum dogmata.

Quæres 2. *An sensus accommodatitius admitti possit?*

Resp. *affirm.* Hic enim sensus admitti potest, quo Scriptura ipsa, Ecclesia, & SS. Patres usi sunt; at qui sensu accommodatitio Scriptura, Ecclesia, & SS. Patres usi sunt: sic quod (*Zach.* 4.) dicitur de Jesu Sacerdote, & Zorobabele duce, Sanctus Joannes (*Apoc.* 11.) accommodat Enoch, & Eliæ, dicens: *Hi sunt duo olivæ*. Sic quod Christus (Joan. 1. v. 14.) dixit de Nathanaele: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est;* Ecclesia adaptat Sancto Confessori, sicut adaptat Confessori Pontifici quæ (*Eccli.* 44.) dicuntur de Abraham: *Non est inventus similis illi*, &c.

Quæres 3. *Quænam conditiones requiruntur, ut Scripturæ adscribatur sensus accommodatitius?*

Resp. Requiruntur quatuor.

I. Ut sensus accommodatitius non introducatur, nec astruatur tamquam sensus litteralis & mysticus, quod maxime reprehendit D. Hier. *epist. ad Paulin.*

II. Ut sensus falsus non attribuatur Scripturæ per accommodationem; quod inique & turpiter fecerunt Michael Servetus, Lutherus, & Calvinus, sibi ipsis accommodantes illud Apoc. 12. *Michael, & Angeli ejus*, &c.

III. Ut sensus accommodatitius ad res pias applicetur: nec enim verba Scripturæ possunt applicari ad facetias, spurcitias, vel profana, hoc rigidis pœnis prohibet Concilium Tridentinum *Sess.* 4. Ad hoc attendant, caveantque fideles, præsertim Ecclesiastici quorum hoc sæpe vitium est, in scandalum simplicium & timoratorum.

IV. Ut quando sacer scriptor dicit quidpiam factum esse, *ut adimpleretur Scriptura*, illud per accommodationem non accipiatur; sed vel sensu litterali quando id secundum litteram fit, quod erat prædictum; vel mystico, quando figura, aut prophetia, ipso eventu impletur.

## QUÆSTIO IX.

*De regulis ad expositionem Sacræ Scripturæ necessariis.*

*Nota.* Decem regulæ ad expositionem sacræ Scripturæ faciendam, communiter traduntur.

Regula I. est D. Augustini (*lib. de Doctr. Christ.*) docentis, Scripturam sacram semper ad litteram esse intelligendam, nisi aliquid inde sequatur absurdi.

Regula II. est D. Hieronymi dicentis: „ Hoc in „ omnibus Scripturis sanctis observandum est, Apo„ stolos, & Apostolicos viros in ponendis testimo„ niis de veteri Testamento, non verba considerare, „ sed sensum, nec eadem sermonum calcare vesti„ gia, dummodo a sententiis non recedant “.

Regula III. Ut quis genuinus Scripturæ sensum assequatur, debet semper attendere scopum authoris agiographi, atque perpendere quorsum, quibus, ex cujus persona, & ad quos loquatur. Spiritus enim Dei sublimis & acer, in partem, in quam inclinat, ita vehementer fertur, ut ad extrema videatur declinare, adeoque plus velle, quam de facto velit. Sic Apostolus, ut extollat caritatem apud Corinthios, qui in dono linguarum gloriabantur, dicit, sine caritate cætera omnia nihil esse, nihil prodesse, (1. *Corinth.* 13.).

Regula IV. Scriptura sacra sensui, captuique hominum passim sese accommodat, ideoque ut plurimum humano modo loquitur de Deo, v. g. cum ei tribuit humanam faciem, oculos, manus, pedes, &c. ut significet varia ejus attributa. Item cum ei tribuit amorem, tristitiam, gaudium, iram, aliasque passiones, quæ, licet sint in Deo quoad effectum, non sunt tamen in eo quoad affectum, nec mera accidentia sicut in nobis, sed sunt ipsamet Dei essentia, quæ immota, & tranquilla illos producit effectus, qui in hominibus ex commotionibus passionum oriuntur.

Regula V. Cum Deus visibiliter apparuisse dicitur Abrahæ, Moysi, & Prophetis, omnes istæ apparitiones intelligi debent factæ per Angelos, qui corporibus assumptis, Deum repræsentabant, erantque Deus *repræsentative & authoritative*, non vero *personaliter*, ut docent D. Hieronymus (*in cap.* 4. *ad Gal.*), Augustinus (*l.* 3. *de Trin. c. ult.*), Gregorius (*in Præfat. Moral. c.* 1.), & alii passim. Sic qui apparuit Moysi, dixitque (Exod. 3.): *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham*, &c. fuit Angelus, ut docet D. Stephanus (*Act.* 7. *v.* 30.).

Regula VI. Hieroglyphicis ac Symbolis sæpe utuntur Prophetæ. Sic cum Jeremias (*cap.* 25. *v.* 38.) dicit: *Facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ;* & (*cap.* 46. *v.* 16.): *Revertamur ad terram nativitatis nostræ a facie gladii columbæ*. Per *iram*, & *gladium columbæ*, designat iram, & gladium Chaldæorum, in quorum labaro præferebatur columba argentea pennis inauratis Semiramidem repræsentans: & hoc quia Semiramis, quæ condidit Babylonem, fingitur in morte in columbam versa. De hac columba loquens regius Psaltes, ait: *Dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Regula VII. Quando Scriptura alicui nomen novum imponit, non adimit nomen prius, sed posterius addit priori, ita ut utrovis jam nomine possit nuncupari; unde cum Deus dixit Jacob: *Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel;* sensus est, non tantum Jacob, sed etiam Israel vocaberis.

Regula VIII. Quia hagiographi fuere Judæi, hinc Orientem, Occidentem, Meridiem, & Aquilonem assignant in sacris litteris per respectum ad urbem Jerusalem, & Judæam. Sic cum Daniel (*cap.* 11. *v.* 11.) dixit: *Rex Austri egredietur, & pugnabit adversus regem Aquilonis;* per Regem *Austri*, intelligit Regem Ægypti; & per Regem *Aquilonis*, intelligit Regem Chaldæorum: quia Ægyptus, per re-

respectum ad Judæam, est ad Austrum, Chaldæa vero est ad Aquilonem.

Regula IX. Decem tribus Israel, post schisma a domo David factum sub Jeroboam, usque ad captivitatem Babylonicam, vocantur passim a Prophetis modo *Ephraim*, aut *Joseph*, quia ex Ephraim filio Joseph ortus est Jeroboam, quia a Schismaticis in Regem electus est; modo *Samaria*, quia sedes Regum Israel erat in Samaria, & in tribu Ephraim; modo *Israel*, vel Jacob, quia constituebant majorem partem filiorum Israel, vel Jacob; reliquæ vero duæ tribus, scilicet Juda, & Beniamin, quia adhæsere Roboam filio Salomonis, vocantur Regnum Juda, Domus David, Jerusalem, & Sion. Verum post captivitatem Babylonicam, Israel, & Juda pro eodem populo accipiuntur, nimirum pro Judæis e Babylone in Judæam reductis, qui majori ex parte erant de tribu Juda, cui se junxerunt qui ex aliis tribubus reversi sunt, eique nomen dederunt; unde omnes exinde indiscriminatim nuncupantur in Scripturis *Israelitæ*, aut Judæi.

Regula X. Quando idem textus videtur habere duos sensus contrarios, & impossibiles, sequentia observanda sunt & tenenda.

1. Sensus, qui a tota Ecclesia est receptus, est solus verus. Sic hujus textus: *Pater major me est* (Joann. 14.). Sensus solus verus est, Filium, non in omnibus, sed solum secundum humanitatem, esse Patre minorem, quia hic sensus, & quidem solus est a tota Ecclesia receptus. Hinc Arius, hunc textum universaliter interpretans, blasphemavit, dicens, Patrem absolute in omnibus esse Filio majorem.

2. Ille sensus est solus verus, qui magis cohæret cum alio sacræ Scripturæ loco: sic sensus istius textus, *Pater major me est*, intellectus de minoritate Filii secundum humanitatem tantum, cohæret cum hoc alio textu (Joann. cap. 10.): *Ego & Pater unum sumus*.

3. Si unus sensus sit SS. Patrum, & sensus illi contrarius sit novus, nec in SS. Patribus repertus, Concilium Tridentinum docet sensum SS. Patrum esse tenendum, maxime si omnes, vel plures in eumdem sensum consentiant.

4. Ubi Patres circa sensum sacræ Scripturæ dissentiunt, liberum est cuique, quem probabiliorem judicat, sequi, modo illos sensus Ecclesia non respuat.

5. Quando uterque sensus est incompossibilis, nec quis fuerit a Spiritu Sancto intentus cognosci potest, nec ex alio Scripturæ loco, nec ex traditione Patrum, nec ex Conciliorum definitionibus, nec ex recursu ad fontes, nec ex diligenti consideratione antecedentium, consequentium, & adjunctorum, tunc ille præferendus est, qui naturali rationi est conformior.

## QUÆSTIO X.

*De regulis ad elucidandos Hebræorum idiotismos, seu proprietates, necessariis.*

*Nota.* Quia tota Scriptura antiqua ab Hebræis, & ut plurimum hebraice conscripta est, hebræum utique sapit idioma novum nobis ac insolitum. Item quoniam ex Agiographis, alii inter Ægyptios nati & nutriti sunt, ut *Moyses*; alii inter Chaldæos commorati, ut *Ezechiel*, *Daniel*; alii inter Syros, & Arabes, ut Job, non raro phrasi utuntur Ægyptiaca, Chaldaica, Syriaca, & Arabica, quæ, ut antiquitate, sic & singularitate sua latino idiomati sunt dissimiles.

*Nota* 2. Interpretes, tum græcos, tum latinos adeo linguæ sacræ religiosos esse observatores, ut sæpissime hebraizent, maluerintque aliquando solæcismos admittere, quam phrasim hebræam dimittere. Porro ut illi hebraismi notentur, XIV. Regulæ sequentes traduntur.

Regula I. Quia casibus carent hebræi, eodemque nomine invariato per omnes casus utuntur, hinc & interpretes subinde casum pro casu usurpant, v. gr. 2. Corinth. 8. dicitur: *Sive pro Tito, sive fratres nostri*, id est, pro fratribus nostris. Ephes. 2. v. 2. dicitur: *Secundum principem potestatis aeris hujus spiritus*. Pro, secundum spiritum principem potestatum, id est, dæmonum qui in aere versantur.

Regula II. Quia indicativo præsenti & imperfecto carent hebræi, interpretes utuntur præterito, v. gr. Psalm. 115. dicitur: *Credidi, propter quod locutus sum*; pro, credo, propter quod loquor. Quandoque etiam utuntur participio: sic 1. Corinth. 4. v. 2. dicitur: *Ad simulacra euntes*, pro, ibatis.

Regula III. Quia hebræi carent comparativo, vel utuntur positivo, sic Psalm. 117. dicitur: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, pro, melius est confidere in Domino.

Vel cum unum per comparationem alteri præferre volunt, id quod præferunt, affirmant, aliud negant, v. gr. Osee 6. dicitur: *Misericordiam volui, & non sacrificium*, pro, misericordiam malo, quam sacrificium. Psalm. 21. *Ego sum vermis, & non homo*, pro, sum vermis potius, quam homo.

Vel utuntur verbo vehementiori pro minus vehementi: sic Rom. 9. dicitur: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, pro minus amavi, postposui.

Regula IV. Quia hebræi carent superlativo, cum aliquid excellens significare volunt, utuntur vel nomine abstracto, v. gr. *Sanctitas est*, vel concreto geminato, v. gr. *Sanctum sanctorum est*, pro, sanctissimum est; *Canticum Canticorum*, pro, excellentissimum canticum.

Vel utuntur voce, *omnis*; sic Psalm. 106. dicitur: *Omnem escam abominata est anima eorum*, pro, excellentissimam escam, nempe, manna. Sic 1. Reg. 4. *Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto*, id est, plaga gravissima, nempe, demersione in mari rubro; neque enim alia fuit clades Ægyptiorum in deserto.

Vel utuntur verbo minus vehementi, quam intendunt significare; v. gr. 1. Machab. 2. dicitur: *Non est utile nobis relinquere legem*; id est, perniciosissimum est. Item Eccl. 7. legitur: *noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona*, pro, est valde mala.

Regula V. Hebræi ad exaggerationem in asseverando plerumque utuntur eodem verbo geminato, semel in gerundio, vel participio, & semel in alio tempore, posito: sic 1. Reg. cap. 9. *Faciens*, vel, *faciendo faciam*, pro, certissime faciam. Psalm. 117.

Ca-

*Castigans, castigavit me*, pro vehementissime castigavit me. Thren. 1. *Plorans ploravit*; pro amare ploravit.

Vel ad eamdem exaggerationem nomen substantivum copulant cum verbo, sic *Genes.* 2. dicitur: *Morte morieris*; pro certissime morieris.

Vel affirmationi subnectunt negationem rei contrariæ, sic Isaiæ 38. *Morieris, & non vives*: pro, certissime morieris. Thren. 2. *Destruxit, & non pepercit*. Pro omnino & integre destruxit. Joann. 1. *Confessus est, & non negavit*, pro aperte & sine ulla tergiversatione confessus est se non esse Christum.

Regula VI. Hebræi in comparationibus plerumque non apponunt particulam comparationis, aut similitudinis; sic in hac phrasi, Prov. 16. *Favus mellis, composita verba*, omittitur particula, *sicut*. Sic Psal. 67. dicitur: *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum*, id est, cohibe sævissimos hostes, qui, sicut feræ in arundinibus, delitescunt, & sicut tauri congregati in grege vaccarum excitant strepitum & horrorem.

Regula VII. Una, eademque sententia diversis locis posita, quandoque diversa, imo pene contraria significat: sic portare iniquitatem *Lev.* 10. *v.* 17. significat veniam impetrare: *Cur non comeditis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ .... data est vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini?* E contra Levit. 17. v. ult. significat puniri pro peccato, *quod si non laverit vestimenta sua, & corpus, portabit iniquitatem suam*, id est, pœnam luet peccati sui.

Regula VIII. Hebræi ob radicum, a quibus alia nomina derivantur, paucitatem, sæpe idem nomen, verbum, ac quandoque eamdem sententiam diversis rebus designandis adhibent, v. g. *Prophetare*, præter communem notionem, quæ est futura prædicere, aliquando significat prophetiam confirmare, sic *Eccl.* 49. *v.* 18. de Joseph dicitur: *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt*.

Aliquando significat miraculum edere, sic Eccl. 48. de Eliseo dicitur: *Et mortuum prophetavit corpus ejus*: quia suscitavit defunctum in ejus sepulcrum projectum; quod fuit virtualis prophetia resurrectionis corporum.

Aliquando significat laudare Deum. Sic 1. *Reg.* 10. *v.* 5. Samuel dicit Sauli: *Cum ingressus fueris ibi urbem, obviam habebis gregem prophetarum .... & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque prophetantes*, id est, Psalmos & Hymnos in honorem Dei canentes.

Aliquando significat insana ex afflatu spiritus nequam loqui; sic 1. *Reg.* 18. de Saul dicitur: *Invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ*. Id est, aliena & absurda, more arreptitiorum, loquebatur.

Aliquando significat Scripturas interpretari, sic 1. *Cor.* 14. *v.* 3. dicitur: *Nam qui prophetat*, id est, qui Scripturas explanat, *hominibus loquitur ad ædificationem*.

Regula IX. Conjunctionum, & particularum significatio varia est apud Hebræos. Sic conjunctio, *&*, subinde est nota expositionis; v. gr. Matth. 13. v. 41. dicitur: *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem*. In hoc textu conjunctio, *&*, est nota expositionis horum verborum, *Omnia scandala*, per quæ intelliguntur ii qui operantur iniquitatem.

Sic particulæ, *eo quod, quoniam, quia, subinde*, &c. sumuntur pro particula: *Quamvis, etsi*, v. g. Psal. 77. v. 19. *numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram*. Id est, quamvis percussit petram. *Jerem.* 7. *v.* 10. dicitur: *Liberati sumus, eo quod fecerimus abominationes*. Id est, etsi fecerimus abominationes.

Sic particula, *si*, plerumque est nota negantis, v. g. 3. Reg. 17. *Si erit annis his pluvia*, id est, non erit pluvia .... plerumque est nota jurantis, v. g. 1. *Reg.* 14. *v.* 45. dixit populus de Jonatha: *Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram*, id est, juro quod non cadet capillus de capite ejus.

Cum particula, *si*, sequitur verba jurandi, si oratio sit affirmativa, particula, *si*, illam vertit in negantem, v. g. Psal. 94. *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Id est, juravi quod non introibunt ... si vero oratio sit negans, particula, *si*, illam vertit in affirmantem, v. g. Isaiæ 14. *Juravit Dominus, si non ut putavi, ita erit*. Id est, juravit, quod ut ipse putavit, ita erit.

Regula X. Apud Hebræos, voces *amplius, ultra, æternum, sempiternum*, non semper significant absolutam æternitatem, sed diuturnam tantum durationem, quo sensu Ezechiel, *cap.* 26. de Tyro ait: *Non ædificaberis ultra*, nam postea reædificata est, & ab Alexandro magno rursum vastata. Sic, 1. Paralip. 15. David dicit Deum elegisse Levitas *ad ministrandum sibi in æternum*, id est, ad longum tempus.

Immo quandoque illæ voces, *sempiternum, æternum*, &c. nihil addunt orationi, præter *epithasim*, quæ rem valde exaggerat; sic cum Petrus dixit Christo: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, id est, nullo modo patiar ut mihi laves pedes.

Regula XI. Hebræi sæpe verba realia accipiunt pro mentalibus, id est, verba ex se significantia aliquid realiter factum, accipiunt pro verbis declarantibus illud esse factum. Sic, *Levit.* 13. dicitur, quod Sacerdos *mundabit* leprosum, vel *contaminabit eum*, pro mundum, vel contaminatum declarabit .... item, vice versa, verba mentalia usurpant pro realibus, v. g. *Jerem.* 4. *v.* 12. dicitur: *Loquar judicia cum eis*, id est, infligam eis justas pœnas .... Subinde etiam verba neutra accipiunt pro verbis activis, sic, *Rom.* 8. dicitur: *Spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare facit. Sic, 2. *Cor.* 2. Apostolus ait: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu*, id est, qui triumphare nos facit virtute & gratia Christi, atque ex victoriis quas a diabolo & adversariis reportamus, illustres, & conspicuos nos facit, velut publice triumphum agentes.

Regula XII. Hebræi verba sua aliquando sumunt in actu inchoato, aliquando in actu continuato, & aliquando in actu perfecto. Sic Israelitæ dicuntur egressi ex Ægypto, *vespere*, Deuter. 16. *noctu*, Exodi 11. vers. 42. & *mane*, Num. 33. quia vespere immolarunt agnum, quod fuit egressus initium. *Nocte media*, accepto a Pharaone mandato exeundi, itineri sese accinxerunt. *Mane*, perfecte egressi sunt omnes.

Item Hebræi sæpe per sua verba, non actum, sed agendi officium designant; sic, *Hebr.* 13. de superioribus dicitur: *ipsi enim pervigilant*, id est, pervigilare debent ex officio.

Regula XIII. Nomina parentum apud Hebræos sæpe *patronimice* sumuntur pro filiis & posteris; sic *Israel* sumitur pro Israelitis, *Esau* pro Idumæis, *Moab* pro Moabitis, *Ammon* pro Ammonitis.

Regula XIV. Hebræis mos est, ut libros exordiantur a particulis, *&*, *igitur*, *ergo*, &c. quia Agiographi tunc aliquid præteritum contemplabantur, quocum id quod scribebant, conjungebant, sive jam alibi scriptum esset, sive mente tantum comprehensum.

## QUÆSTIO XI.

*De Regulis ad cognoscendos tropos & figuras Hebræorum necessariis, ex melioris notæ interpretibus excerptis.*

Regula I. Nonnunquam in sacra Scriptura reperitur antiphrasis, quia unum contrarium per aliud intelligitur; sic Job. 2. v. 5. ponitur, *benedicere*, pro *maledicere*, cum dicitur: Tange os ejus & carnem, & tunc videbis quod in faciem *benedicat tibi*: ubi pro *benedicat*, versiones Syriaca & Arabica habent, *conviciabitur*.

Regula II. Crebro in sacra Scriptura reperitur *catachresis*, qua unum vocabulum usurpatur pro alio, quod fit sequentibus modis.

1. Author seu inventor alicujus rei, illius rei dicitur *Pater*; sic Deus, *Job* 38. dicitur *Pater pluviæ*. Sic dæmon, *Joann.* 8. vocatur, *pater mendacii*. Sic Jubal, *Genes.* 4. dicitur, *pater canentium cythara & organo*, id est, inventor tangendæ cytharæ.

2. Quod ex alio educitur, vocatur filius ejus: sic grana frumenti excussa, dicuntur *filii areæ*, Isaiæ 21. Sic Tyrus insula, vocatur *filia maris*, Isaiæ 23. Sic sagittæ dicuntur *filiæ pharetræ*, Thren. 3. v. 13.

3. Quod arctam connexionem habet cum alio, dicitur ejus filius; sic superbi Judæorum hostes, vocantur *filii superbiæ*, 1. Mach. 2. v. 47. Sic qui, honoris gratia, sponso, velut comites dati sunt, vocantur *filii sponsi*, Matth. 9. Sic devotus gehennæ, dicitur *filius gehennæ*, Matth. 23.

4. Simili catachresi, Urbes, ob suam pulchritudinem & elegantiam, vocantur filiæ, v. g. *filia Babylonis*, Ps. 136. *filia Jerusalem*, Thren. 2. . . . Item civitates Deo fideles, vocantur virgines, *virgo filia Sion*, ibid. E contra civitates, quæ de idololatria notantur, vocantur meretrices: sic Isaiæ 1. v. 21. dicitur: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?*

5. Per catachresim dicitur revelare aurem, pro *indicare*, sic 1. Reg. 9. dicitur: *Dominus revelaverat auriculam Samuelis*.

Regula III. In Scriptura frequens reperitur *enallage*, id est, permutatio, quæ vel est temporis, vel numeri, vel verbi, vel participii, vel suppositi, vel sensus.

Enallage *temporis*, reperitur 1. cum futurum pro præterito ponitur; sic *Habacuc* 3. dicitur: *Deus ab Austro veniet*, id est, *venit*, ut reperitur in Hebræo & Syriaco, vel, *revelatus est*, ut habet Chaldaica versio .... 2. Cum præteritum pro futuro ponitur; sic, *ibid. vers.* 11. dicitur: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo*, id est, stabunt ...... 3. Cum imperativum ponitur pro futuro permissivo, sic Deus, 3. Reg. 22. dixit spiritui malo: *Egredere, & fac ita*; id est, egredieris, & ita facies.

Enallage *numeri*, reperitur ubi a singulari numero fit transitus ad pluralem, quod fit maxime cum nomen collectivum singulare construitur cum verbo plurali, v. g. Exodi 8. *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi*.

Enallage *verbi*, reperitur cum verbum usurpatur pro adverbio; sic dicitur: *Revertor*, *convertor*, *addo*, *adiicio*, pro rursus, iterum, ultra.

Enællage *participii*, reperitur cum participium sumitur pro adverbio; sic Psalm. 77. dicitur: *Conversi sunt, & tentaverunt Deum*, id est, iterum tentaverunt Deum ..... Psalm. 84. *Deus tu conversus vivificabis nos*; id est, iterum vivificabis nos.

Enællage *suppositi*, fit cum in oratione eadem res diverso supposito exprimitur: sic Isaiæ 3. principes effœminati, modo pueri, modo mulieres appellantur: *Dabo pueros principes eorum .... mulieres dominatæ sunt eis*.

Enællage *sensus*, fit cum unus sensus ponitur loco alterius; sic, *Exodi* 20. dicitur: *Cunctus populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ*, ubi, *videbat*, ponitur pro audiebat.

Regula IV. Hendyadis, quæ est figura, qua unum in duo dividitur, crebra est in Scriptura; talis reperitur, *Genes.* 1. ubi Moyses, loquens de sole & luna, ait: *ut sint in signa & tempora*, id est, ut sint in signa temporum.

Regula V. Heterosis, seu, diversitas, non est rara apud Hebræos, juxta quam utuntur abstractis pro concretis; sic Apostol. ad Philippens. 3. ait: *Nos sumus circumcisio*, id est, circumcisi: & Gal. 2. *Creditum est mihi Evangelium præputii*, id est, munus prædicandi Evangelium præputiatis, seu gentilibus.

Porro illa abstracta quandoque sumuntur active, quandoque passive: sic justitia, 1. *Cor.* 1. sumitur passive pro justificatore, cum Christus dicitur, *factus nobis justitia*. E contra, 2. *Cor.* 5. sumitur passive pro justificato, cum dicitur: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, id est, ut efficeremur justificati in ipso.

Regula VI. Ironia, seu irrisio, quandoque a Scriptura usurpatur; sic Deus, *Genes.* 3. de Adamo, per comestionem fructus vetiti, dixit per irrisionem: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*.

Regula VII. Hypallage, quæ est figura qua unum pro alio per inversionem ponitur, frequenter occurrit: sic, *Exodi* 12. *vers.* 11. dicitur; *Calceamenta habebitis in pedibus*, id est, pedes habebitis in calceamentis. Sic Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, posuit solem in tabernaculo suo.

Regula VIII. Metaphora, quæ est figura qua nomen aut verbum ex propria significatione in aliam transfertur, omnium est frequentissima.

Sic,

Sic, sors cujusque, sive bona, sive mala, dicitur *Calix*: v. g. Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Et Psal. 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Sic alimentum, quia eo roboramur & sustentamur, sicut senes baculis, vocatur *baculus panis*, &, *robur panis*, v. g. Ezech. 4. dicitur: *Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, & comedent panem in pondere.* Et Isaiæ 3. *Dominus exercituum auferat a Jerusalem & a Juda . . . . . omne robur panis & omne robur aquæ.*

Sic medulla terræ, olei, vini, vocatur id quod ipsis est optimum; v. g. Num. 18. *Dabo vobis bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ, omnem medullam olei, & vini ac frumenti.*

Sic *vas* dicitur quodvis instrumentum; v. gr. vasa mortis dicuntur omnia quibus mors infertur: Psalm. 7. *Et in eo paravit vasa mortis.* Psalm. 70. *Confitebor tibi in vasis Psalmi*, id est, in instrumentis Psalmi.

Sic *sol* sumitur pro eo quod est firmum, & incorruptibile, Num. 19. *Pactum solis est sempiternum coram Domino.*

Sic *cornu* aliquando sumitur pro regno & potentia, eo quod cornutorum animalium robur sit in cornibus; v. g. Psalm. 131. *Illuc producam cornu David*, id est, regnum David .... aliquando sumitur pro superbia; sic Psalm. 74. *Nolite exaltare cornu*, id est, nolite superbire.

Sic *canis mortuus*, & *caput canis*, significant rem vilissimam & maxime infimam: v. g. cum David, 1. *Reg.* 24. dixit Sauli: *Canem mortuum persequeris, & pulicem unum.* Et, cum 2. *Reg.* 3. Isboseth dixit ad Abner: *Numquid caput canis ego sum, secundum* (id est, coram) *Judam hodie.*

Regula IX. Metonymia, quæ est transmutatio nominis, familiaris est Hebræis. Sic idolum accipiunt pro idololatra, Zach. 11. *Pastor & idolum derelinquens gregem*, id est, pastor idololatra.

Sic nomen, *peccatum*, aliquando usurpant pro culpa; v. g. 1. *Joann.* 5. dicitur: *Omnis iniquitas peccatum est* .... aliquando pro concupiscentia, quæ est pœna vel effectus culpæ, Rom. 7. *Si autem quod nolo malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: id est, concupiscentia .... aliquando pro hostia quæ offertur pro peccato, 2. Cor. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; id est, hostiam pro peccato se fecit .... aliquando pro immunditia legali contracta ex fluxu menstruo, vel seminis, vel ex lepra, vel ex contactu mortui; Lev. 12. 13. & 14.

Simili metonymia actum, habitum, & potentiam, ponunt pro objecto actus, habitus, & potentiæ; sic cum Christus dicitur, *Amor noster, spes, gloria nostra*, &c. illæ voces sumuntur pro objecto amoris, spei, & gloriæ nostræ, quod est ipse Christus ..... item visionem ponunt pro re visa, v. gr. Isaiæ 1. *Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit.*

Regula X. Synedoche, quæ est figura qua a parte totum, vel toto pars intelligitur, frequens est apud Hebræos; sic, *caro, anima, sanguis, caput*, pro toto homine ponuntur: v. gr. Isaiæ 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum*, id est, super eos. Psalm. 65. *Posuisti homines super capita nostra*, id est, super nos.

Item, per synedochen ponitur genus pro specie; v. gr. tempus pro anno, Daniel. 4. *Tempus, & tempora, & dimidium temporis*, pro tribus annis cum medio. Vel e contra ponitur species pro genere: v. g. sanguis, vel homicidium pro quovis peccato; sic, *Isaiæ* 1. dicitur: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, id est, iniquitate.

Item, quandoque una pars sumitur pro altera; v. g. *Num.* 9. *v.* 7. dicitur: *Immundi sumus, super anima hominis*, id est, super mortuo, quia mortui hominis exequiis interfuerant.

## QUÆSTIO XII.

*Concordia locorum sacræ Scripturæ, quæ magis inter se pugnare videntur.*

I. Genesis 1. v. 1. dicitur: *In principio* (id est, omnium primo) *creavit Deus cælum & terram.* E contra titulus Psalm. 92. sic habet: *Laus cantici ipsius David, in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.* Hic autem titulus subindicat terram creatam fuisse sexta die, dies enim ante Sabbatum, sexta dies est.

*Resp.* per hæc verba, *quando fundata est terra*, non esse sermonem de globo terræ, sicut in primo textu, sed de terra illa, ex qua plasmatus est Adam, seu de ipso protoplaste, de quo dicitur, Genes. 2. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.*

II. Genes. 1. dicitur, Deum sex dierum spatio omnia creasse, attamen, *Eccli.* 18. *v.* 1. dicitur: *Deus creavit omnia simul.*

*Resp.* Nulla est contradictio, nam particula, *simul*, sumitur pro particula, *pariter*, id est, nulla re prorsus excepta, quomodo, *Psal.* 13. *v.* 3. dicitur: *Omnes declinaverunt simul*, id est, nullo excepto, ut explicat Regius Psaltes, cum addit: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

III. Genes. 1. v. 16. Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; attamen, *Psalm.* 70. *v.* 19. David exclamat: *Deus, quis similis tibi?*

*Resp.* Moysen attendere in homine statum innocentiæ, Davidem vero statum naturæ lapsæ; sicque nulla est discordia. Homo enim non solum *ad imaginem Dei* creatus est, ratione unitatis essentiæ & trinitatis potentiarum, memoriæ, nimirum, intellectus & voluntatis, sed etiam *ad similitudinem Dei* per gratiam, & justitiam originalem; imago quidem perseveravit in homine post lapsum, sed periit similitudo cui successit labes originis, & potentiarum animæ deordinatio, quæ considerans Psaltes Regius exclamat: *Deus, quis similis tibi?* quasi diceret, quis mortalium ad eum dignitatis apicem valebit ascendere, ut, tuæ gratiæ dono percepto, tibi similis rursus efficiatur?

IV. *Cap.* 1. *v.* 3. dicitur: Primo die *facta est lux .... & Deus divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem, diem, & tenebras, noctem*; attamen, *v.* 16. dicitur: Quarto die *fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset*

 diei,

tudinem fratris sui viventis, vel dum moriendo reliquit filios; in 2. vero præcipit, ut frater fratris sui relictam uxorem ducat, si sine filiis mortuus fuerit.

III. *Levit.* 22. *v.* 25. dicitur: *De manu alienigenæ*, quia immunda, *non offeretis panes Deo vestro;* tamen Macab. 2. vers. 3. *Seleuchus de reditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum necessarios.*

*Resp.* Illa lex prohibebat Sacerdotibus ne acciperent ullam oblationem ab alienis immediate, sed non prohibebat, ne acciperent pecuniam, qua victimas emerent; porro rex Seleuchus dabat sic pecuniam ad omnes sumptus necessarios pro sacrificiis & oblationibus Deo offerendis.

## *Ex Libro Numerorum.*

I. *Num.* 10. *v.* 28. legitur: *Dixit Moyses Johab filio Raguel: Tu eris dux noster.* Tamen Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam.... ut dux esset itineris*, &c.

*Resp.* Moyses non constituit *Johab* ducem viæ, sed ducem consiliorum in variis & anxiis dubiis, quæ per viam occurrere solent, unde addit Moyses: *Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra*, firmanda adversus vicinos hostes, *ponere debeamus.*

II. *Num.* 14. *v.* 22. Juravit Dominus quod nullus ex numeratis a 20. annis & supra, intrabit in terram promissam, exceptis *Caleb* & *Josue;* tamen Josue 14. Sacerdos *Eleazarus* intravit & divisit terram cum Josue.

*Resp.* Sententia illa divina respiciebat tantummodo numeratos bellatores, de quorum numero non erant senes ultra quinquagesimum annum, neque Levitæ ulli, neque mulieres, neque adolescentes infra vigesimum annum; licet multi etiam horum, ut rebellionis socii, ita rebellantium pœnæ participes fuerint; verisimile tamen est multos fuisse innoxios, & terram sanctam ingressos cum *Josue* & *Caleb*, de quibus solum ideo hic fit mentio, quia erant de bellatorum numero.

III. *Num.* 18. *v.* 20. dicitur: *Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum*, filiorum Israel, *nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos;* & tamen *Num.* 35. *v.* 7. designantur Sacerdotibus & Levitis urbes 41. *cum suburbanis suis.*

*Resp.* Hic solum vetantur Levitæ ullam habere agrorum, aut vinearum possessionem in urbibus, & provinciis aliorum Israelitarum propriis, in quibus ipsi, aliis permixti, habitabant; sed non vetantur quidquam possidere, nam proprias etiam habebant urbes 48. & suburbanas, & in his agros suos, & pascua, & vineta.

IV. *Num.* 20. *ver.* 25. dicitur, Aaron mortuum esse *in supercilio montis Hor*; tamen Deut. 10. v. 6. dicitur *mortuus & sepultus in Mosera.*

*Resp.* Mons *Hor*, & *Mosera* idem fuit locus, ita tamen ut mons solus dictus fuerit *Hor*, in quo Aaron est mortuus; adjacens vero locus, in quo castra metata sunt, dictus fuerit *Mosera*. Ita Bonfrerius, Tyrinus, Menochius, &c.

## *Ex Libro Deuteronomii.*

I. *Deut. c.* 5. *v.* 3. dicitur: *Non cum Patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum.* Tamen, *Genes.* 15. dicitur, *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.*

*Resp.* Pepigit fœdus cum Abraham, sed non illud, neque tale fœdus, quale hic initum est. Equidem Abrahamo Deus promisit terram Chanaam, sed non dedit legem; pactum autem, de quo hic, est lex in monte Sina data.

II. Dicitur, cap. 10. v. 20. *Dominum Deum tuum timebis ..... jurabisque in nomine illius.* Tamen Christus *Matth.* 5. *v.* 34. dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino.*

*Resp.* Justa de causa jurare, religionis est actus, hinc instante necessitate jurare semper fuit licitum; neque Christus juramentum absolute prohibet, sed prohibet juramentum leviter, temere, & sine causa præstitum, neque aliud sonat vocula, *Omnino*, qua usus est Christus, ut exploderet errorem Pharisæorum, qui docebant jurare per templum & alias creaturas, nihil esse, id est, homines juramento non teneri, si per cælum, aut terram, aut Jerusalem jurarent; quos ideo commonet eos per eum jurare convinci, cujus cælum thronus est, & terra scabellum, & æque adstringi juramento, ac si per Deum ipsum jurarent.

III. *Deut.* 15. *vers.* 4. Præcipitur Judæis, ne quem patiantur mendicum, sed illi, aut liberaliter largiendo, aut saltem mutuando, opem ferant: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos;* attamen v. 11. dicitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.*

*Resp.* In 1. textu Deus pauperibus subveniri jubet; in 2. declarat pauperes semper futuros, unde nulla est contradictio, quia etiamsi Judæi conati fuissent ne in Israel ulli essent pauperes, nunquam tamen idipsum perficere potuissent.

IV. *Deut.* 23. *vers.* 1. Vetatur ne intret *eunuchus Ecclesiam Domini.* Et *Isaiæ* 56. *v.* 5. dicit Deus: *Eunuchis qui tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum.*

*Resp.* In 1. textu eunuchi arcentur, non quidem a templo Israelitico, cum potuerint fieri proseliti, admitti ad Phase, & ad alia sacrificia, *Ex.* 12. *v.* 48. sed a societate politica Judæorum, ut non habeantur cives; in posteriori textu Isaias loquitur de Ecclesia Christi, a qua nemo arcetur.

V. *Deut.* 34. *v.* 5. dicitur: *Mortuus est Moyses in terra Moab.* Attamen terram Moabitarum non occuparunt Israelitæ Deo vetante *Deuter.* 2. his verbis: *Non dabo tibi quidquam de terra Moabitarum.*

*Resp.* Deus vetuit Israelitas eam Moabitarum terram occupare, quam tunc pacifice incolebant, sed non vetuit, imo jussit, eam partem occupare, ex qua fuerant jam pridem ab Amorrhæis ejecti, quæ adhuc passim in Scriptura vocatur *terra Moab*, & in hac terra erat mons *Nebo*, in cujus vertice mortuus & sepultus est Moyses.

## *Ex Libro Job.*

I. Job, *cap.* 7. *v.* 16. dixit: *Nihil sunt dies mei.* Tamen de hominibus eadem sanctimonia præditis ac Job, dicitur Psalm. 72. *Dies pleni invenientur in eis.*

*Resp.* Job spectat dies suos physice juxta cursum primi mobilis, & sic dies nostri possunt dici nihil ob velocitatem fluxus eorum, nam uniuscu-

jusque

jusque vita *vapor est ad modicum parens*, ait Div. Jacobus cap. 4.; e contra David spectat dies justorum *moraliter* in ordine ad bona eorum opera, quo sensu dici possunt dies pleni: pleni enim sunt meritis in præsenti vita, & coronis in futura.

II. Job, *ibid.* dixit: *Desperavi*, & infra, *Peccavi*, & tamen cap. 27. ait: *neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

*Resp.* Job desperavit, non de beatitudine æterna de qua nullus hic est sermo; sed de sanitate naturaliter recuperanda, addit enim: *nequaquam ultra jam vivam.* Quando autem dicit, *peccavi*, loquitur de levioribus peccatis, in quæ justi interdum labuntur. Quando vero dicit: *non me reprehendit cor meum*, &c. loquitur de gravioribus peccatis, quæ illi objiciebant amici ejus, contra quos pergit inculcare suam totius vitæ innocentiam.

III. *Cap.* 9. dicit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* E contra *Sap.* 11. *v.* 27. dicitur: *Parcis omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.*

*Resp.* Deum non parcere delinquenti non vere pœnitenti; verum parcit omnibus ex corde pœnitentibus, nam si pœnitentiam egerimus, *projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*, ait Michæas 7.

IV. *Cap.* 14. dicit: *Homo, cum dormierit, non resurget.* Apostolus tamen, 1. *Cor.* 15. ait: *Omnes quidem resurgent.*

*Resp.* Job ibi loqui de vita & morte secundum ordinem naturæ; sensus ergo est hic: homo, cum e vita corporali discesserit, non amplius resurget in carne mortali, ut iterum vivat tamquam viator; sed resurget in fine mundi in carne gloriosa, si bene egerit, vel in carne damnata, si male vixerit; hæcque interpretatio desumitur ex ipso textu integro, qui sic habet: *Homo, cum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum*, id est, donec mutetur in fine mundi.

V. *Cap.* 6. *v.* 7. dicitur: *Qui appendit terram super nihilum.* Tamen Psalm. 23. oppositum dicitur: *Domini est terra . . . super maria fundavit eam.*

*Resp.* Utrumque verum est, ac dici potest absque contradictione: terra enim super nihilum est appensa, quia sine ullo fulcro pendet, solisque suis est librata ponderibus. Potest etiam dici fundata super maria, quia supereminet aquis undique circumfluentibus.

### *Ex Libro Psalmorum.*

I. Psalm. 2. v. 11. dicitur: *Servite Domino in timore.* Et Psalm. 99. *Servite Domino in lætitia.* Illa porro videntur opposita.

*Resp.* Quod timor, de quo regius Psaltes loquitur, est castus & filialis, qui tantæ perfectionis est, ut numquam sine lætitia possit reperiri; unde addit, *& exultate ei cum tremore*; unde miscet lætitiam cum timore.

II. Psalm. 31. vers. 3. David pœnitens ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Quomodo autem tacuit, qui tota die clamavit?

*Resp.* David tacuit a confessione peccatorum suorum & veniæ imploratione per spatium novem mensium (nempe quot intercesserant inter adulterium, & partum uxoris Uriæ), interim clamabat tota die præ dolore ipsi in pœnam peccatorum immisso, ut volunt Hieronymus, Augustinus, &c. vel, ut volunt alii, clamabat tota die, præ gemitu, in quo tota die versabatur ex conscientiæ cruciatu: in hoc autem nulla est contradictio.

III. Psalmista, Psalm. 40. ait: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*; tamen Deus, Exodi 23. v. 3. dicit: *Pauperis quoque non misereberis in judicio.*

*Resp.* In primo textu commendatur misericordia, in secundo vero commendatur justitia, mandatque Deus, ne ullius, sive pauperis, sive divitis persona accipiatur in judicio, in quo suum cuique reddendum est ex rigore justitiæ.

IV. Psalm. 102. v. 10. dicitur: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Apostolus tamen scribit, Rom. 2. v. 6. *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

*Resp.* Priorem textum intelligi penes demeriti quantitatem, juxta quam non retribuit Deus secundum peccata, cum potius citra condignum puniat delinquentes, ut fatetur Job, cap. 33. v. 27. *peccavi & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Posterior vero textus penes qualitatem operum dumtaxat explicandus est, ut sensus sit, Deum redditurum bonis operibus præmium, malis vero operibus supplicium.

V. Psalm. 103. Deus dicitur, *amictus lumine sicut vestimento*; tamen, *ibidem v.* 6. dicitur, *abyssus sicut vestimentum, amictus ejus.* Si Deus sit lumine vestitus, quomodo abysso, qui caliginosus est, potest dici amictus?

*Resp.* Secundus textus non intelligitur de Deo, sed de terra quæ mundi initio tegebatur aquis; unde additur: *Super montes stabunt aquæ*, id est, *steterunt*, ut habet Hebr.

VI. Psalm. 118. dicitur: *Veritas de terra orta est*: contra Osee 4. v. 1. clamat: *non est veritas in terra.*

*Resp.* Veritatem a Psalmista pro veritate prima, & Filio Dei accipi; subditur enim, *& terra nostra dabit fructum suum*, quod intelligitur de Filio Dei, qui de cœlo descendens, carnem nostram mortalem e terra virginea formatam assumpsit: Osee vero loquitur de hominibus, qui, ut ait Chaldaica paraphrasis, *non sunt operatores veritatis.*

VII. Psalm. 144. v. 18. dicitur: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum*: e contra, Prov. 1. v. 28. dicitur: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me.*

*Resp.* Eos, qui corde sincero & humiliato Deum invocant, a Deo exaudiri, & a necessitatibus erui; e contra qui in impietate sua persistunt, licet Deum invocent, nequaquam tamen exaudiuntur: de his loquitur Sapiens, qui, cum dixit: *non exaudiam . . . non invenient me*, addit: „ eo quod exosam habue„ rint disciplinam, & timorem Domini non susce„ perint “.

### *Ex Libro Proverbiorum.*

I. Prov. 11. vers. 24. dicitur: *Justitia liberabit a morte*; e contra, Eccl. 7. v. 16. legitur: *justus perit in justitia sua.*

Resp. In primo textu agi de vera justificatione per gra-

tudinem fratris sui viventis, vel dum moriendo reliquit filios; in 2. vero præcipit, ut frater fratris sui relictam uxorem ducat, si sine filiis mortuus fuerit.

III. *Levit.* 22. *v.* 25. dicitur: *De manu alienigenæ*, quia immunda, *non offeretis panes Deo vestro;* tamen Macab. 2. vers. 3. *Seleuchus de reditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum necessarios*.

*Resp.* Illa lex prohibebat Sacerdotibus ne acciperent ullam oblationem ab alienis immediate, sed non prohibebat, ne acciperent pecuniam, qua victimas emerent; porro rex Seleuchus dabat sic pecuniam ad omnes sumptus necessarios pro sacrificiis & oblationibus Deo offerendis.

*Ex Libro Numerorum.*

I. *Num.* 10. *v.* 28. legitur: *Dixit Moyses Johab filio Raguel: Tu eris dux noster*. Tamen Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam.... ut dux esset itineris*, &c.

*Resp.* Moyses non constituit *Johab* ducem viæ, sed ducem consiliorum in variis & anxiis dubiis, quæ per viam occurrere solent, unde addit Moyses: *Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra*, firmanda adversus vicinos hostes, *ponere debeamus*.

II. *Num.* 14. *v.* 22. Juravit Dominus quod nullus ex numeratis a 20. annis & supra, intrabit in terram promissam, exceptis *Caleb* & *Josue;* tamen Josue 14. Sacerdos *Eleazarus* intravit & divisit terram cum Josue.

*Resp.* Sententia illa divina respiciebat tantummodo numeratos bellatores, de quorum numero non erant senes ultra quinquagesimum annum, neque Levitæ ulli, neque mulieres, neque adolescentes infra vigesimum annum; licet multi etiam horum, ut rebellionis socii, ita rebellantium pœnæ participes fuerint; verisimile tamen est multos fuisse innoxios, & terram sanctam ingressos cum *Josue* & *Caleb*, de quibus solum ideo hic fit mentio, quia erant de bellatorum numero.

III. *Num.* 18. *v.* 20. dicitur: *Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum*, filiorum Israel, *nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos;* & tamen *Num.* 35. *v.* 7. designantur Sacerdotibus & Levitis urbes 41. *cum suburbanis suis*.

*Resp.* Hic solum vetantur Levitæ ullam habere agrorum, aut vinearum possessionem in urbibus, & provinciis aliorum Israelitarum propriis, in quibus ipsi, aliis permixti, habitabant; sed non vetantur quidquam possidere, nam proprias etiam habebant urbes 48. & suburbanas, & in his agros suos, & pascua, & vineta.

IV. *Num.* 20. *ver.* 25. dicitur, Aaron mortuum esse *in supercilio montis Hor*; tamen Deut. 10. v. 6. dicitur *mortuus & sepultus in Mosera*.

*Resp.* Mons *Hor*, & *Mosera* idem fuit locus, ita tamen ut mons solus dictus fuerit *Hor*, in quo Aaron est mortuus; adjacens vero locus, in quo castra metata sunt, dictus fuerit *Mosera*. Ita Bonfrerius, Tyrinus, Menochius, &c.

*Ex Libro Deuteronomii.*

I. *Deut.* c. 5. v. 3. dicitur: *Non cum Patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum*. Tamen, *Genes.* 15. dicitur, *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham*.

*Resp.* Pepigit fœdus cum Abraham, sed non illud, neque tale fœdus, quale hic initum est. Equidem Abrahamo Deus promisit terram Chanaam, sed non dedit legem; pactum autem, de quo hic, est lex in monte Sina data,

II. Dicitur, cap. 10. v. 20. *Dominum Deum tuum timebis ..... jurabisque in nomine illius*. Tamen Christus *Matth.* 5. *v.* 34. dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*.

*Resp.* Justa de causa jurare, religionis est actus, hinc instante necessitate jurare semper fuit licitum; neque Christus juramentum absolute prohibet, sed prohibet juramentum leviter, temere, & sine causa præstitum, neque aliud sonat vocula, *Omnino*, qua usus est Christus, ut exploderet errorem Pharisæorum, qui docebant jurare per templum & alias creaturas, nihil esse, id est, homines juramento non teneri, si per cælum, aut terram, aut Jerusalem jurarent; quos ideo commonet eos per eum jurare convinci, cujus cælum thronus est, & terra scabellum, & æque adstringi juramento, ac si per Deum ipsum jurarent.

III. *Deut.* 15. *vers.* 4. Præcipitur Judæis, ne quem patiantur mendicum, sed illi, aut liberaliter largiendo, aut saltem mutuando, opem ferant: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*; attamen v. 11. dicitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*.

*Resp.* In 1. textu Deus pauperibus subveniri jubet; in 2. declarat pauperes semper futuros, unde nulla est contradictio, quia etiamsi Judæi conati fuissent ne in Israel ulli essent pauperes, nunquam tamen idipsum perficere potuissent.

IV. *Deut.* 23. *vers.* 1. Vetatur ne intret *eunuchus Ecclesiam Domini*. Et *Isaiæ* 56. *v.* 5. dicit Deus: *Eunuchis qui tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum*.

*Resp.* In 1. textu eunuchi arcentur, non quidem a templo Israelitico, cum potuerint fieri proseliti, admitti ad Phase, & ad alia sacrificia, *Ex.* 12. *v.* 48. sed a societate politica Judæorum, ut non habeantur cives; in posteriori textu Isaias loquitur de Ecclesia Christi, a qua nemo arcetur.

V. *Deut.* 34. *v.* 5. dicitur: *Mortuus est Moyses in terra Moab*. Attamen terram Moabitarum non occuparunt Israelitæ Deo vetante *Deuter.* 2. his verbis: *Non dabo tibi quidquam de terra Moabitarum*.

*Resp.* Deus vetuit Israelitas eam Moabitarum terram occupare, quam tunc pacifice incolebant, sed non vetuit, imo jussit, eam partem occupare, ex qua fuerant jam pridem ab Amorrhæis ejecti, quæ adhuc passim in Scriptura vocatur *terra Moab*, & in hac terra erat mons *Nebo*, in cujus vertice mortuus & sepultus est Moyses.

*Ex Libro Job.*

I. Job, *cap.* 7. *v.* 16. dixit: *Nihil sunt dies mei*. Tamen de hominibus eadem sanctimonia prædictis ac Job, dicitur Psalm. 72. *Dies pleni invenientur in eis*.

*Resp.* Job spectat dies suos physice juxta cursum primi mobilis, & sic dies nostri possunt dici nihil ob velocitatem fluxus eorum, nam uniuscujusque

jusque vita *vapor est ad modicum parens*, ait Div. Jacobus cap. 4.; e contra David spectat dies justorum *moraliter* in ordine ad bona eorum opera, quo sensu dici possunt dies pleni: pleni enim sunt meritis in præsenti vita, & coronis in futura.

II. Job, *ibid.* dixit: *Desperavi*, & infra, *Peccavi*, & tamen cap. 27. ait: *neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

*Resp.* Job desperavit, non de beatitudine æterna de qua nullus hic est sermo; sed de sanitate naturaliter recuperanda, addit enim: *nequaquam ultra jam vivam.* Quando autem dicit, *peccavi*, loquitur de levioribus peccatis, in quæ justi interdum labuntur. Quando vero dicit: *non me reprehendit cor meum*, &c. loquitur de gravioribus peccatis, quæ illi objiciebant amici ejus, contra quos pergit inculcare suam totius vitæ innocentiam.

III. *Cap.* 9. dicit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* E contra *Sap.* 11. *v.* 27. dicitur: *Parcis omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.*

*Resp.* Deum non parcere delinquenti non vere pœnitenti; verum parcit omnibus ex corde pœnitentibus, nam si pœnitentiam egerimus, *projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*, ait Michæas 7.

IV. *Cap.* 14. dicit: *Homo, cum dormierit, non resurget.* Apostolus tamen, 1. *Cor.* 15. ait: *Omnes quidem resurgent.*

*Resp.* Job ibi loqui de vita & morte secundum ordinem naturæ; sensus ergo est hic: homo, cum e vita corporali discesserit, non amplius resurget in carne mortali, ut iterum vivat tamquam viator; sed resurget in fine mundi in carne gloriosa, si bene egerit, vel in carne damnata, si male vixerit; hæcque interpretatio desumitur ex ipso textu integro, qui sic habet: *Homo, cum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum*, id est, donec mutetur in fine mundi.

V. *Cap.* 6. *v.* 7. dicitur: *Qui appendit terram super nihilum.* Tamen Psalm. 23. oppositum dicitur: *Domini est terra . . . super maria fundavit eam.*

*Resp.* Utrumque verum est, ac dici potest absque contradictione: terra enim super nihilum est appensa, quia sine ullo fulcro pendet, solisque suis est librata ponderibus. Potest etiam dici fundata super maria, quia supereminet aquis undique circumfluentibus.

*Ex Libro Psalmorum.*

I. Psalm. 2. v. 11. dicitur: *Servite Domino in timore.* Et Psalm. 99. *Servite Domino in lætitia.* Illa porro videntur opposita.

*Resp.* Quod timor, de quo regius Psaltes loquitur, est castus & filialis, qui tantæ perfectionis est, ut numquam sine lætitia possit reperiri; unde addit, *& exultate ei cum tremore;* unde miscet lætitiam cum timore.

II. Psalm. 31. vers. 3. David pœnitens ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Quomodo autem tacuit, qui tota die clamavit?

*Resp.* David tacuit a confessione peccatorum suorum & veniæ imploratione per spatium novem mensium (nempe quot intercesserunt inter adulterium, & partum uxoris Uriæ), interim clamabat tota die præ dolore ipsi in pœnam peccatorum immisso, ut volunt Hieronymus, Augustinus, &c. vel, ut volunt alii, clamabat tota die, præ gemitu, in quo tota die versabatur ex conscientiæ cruciatu: in hoc autem nulla est contradictio.

III. Psalmista, Psalm. 40. ait: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem;* tamen Deus, Exodi 23. v. 3. dicit: *Pauperis quoque non misereberis in judicio.*

*Resp.* In primo textu commendatur misericordia, in secundo vero commendatur justitia, mandatque Deus, ne ullius, sive pauperis, sive divitis persona accipiatur in judicio, in quo suum cuique reddendum est ex rigore justitiæ.

IV. Psalm. 102. v. 10. dicitur: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Apostolus tamen scribit, Rom. 2. v. 6. *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

*Resp.* Priorem textum intelligi penes demeriti quantitatem, juxta quam non retribuit Deus secundum peccata, cum potius citra condignum puniat delinquentes, ut fatetur Job, cap. 33. v. 27. *peccavi & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Posterior vero textus penes qualitatem operum dumtaxat explicandus est, ut sensus sit, Deum redditurum bonis operibus præmium, malis vero operibus supplicium.

V. Psalm. 103. Deus dicitur, *amictus lumine sicut vestimento;* tamen, *ibidem v.* 6. dicitur, *abyssus sicut vestimentum, amictus ejus.* Si Deus sit lumine vestitus, quomodo abysso, qui caliginosus est, potest dici amictus?

*Resp.* Secundus textus non intelligitur de Deo, sed de terra quæ mundi initio tegebatur aquis; unde additur: *Super montes stabunt aquæ*, id est, *steterunt*, ut habet Hebr.

VI. Psalm. 118. dicitur: *Veritas de terra orta est:* contra Osee 4. v. 1. clamat: *non est veritas in terra.*

*Resp.* Veritatem a Psalmista pro veritate prima, & Filio Dei accipi; subditur enim, *& terra nostra dabit fructum suum*, quod intelligitur de Filio Dei, qui de cœlo descendens, carnem nostram mortalem e terra virginea formatam assumpsit: Osee vero loquitur de hominibus, qui, ut ait Chaldaica paraphrasis, *non sunt operatores veritatis.*

VII. Psalm. 144. v. 18. dicitur: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum:* e contra, Prov. 1. v. 28. dicitur: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me.*

*Resp.* Eos, qui corde sincero & humiliato Deum invocant, a Deo exaudiri, & a necessitatibus erui; e contra qui in impietate sua persistunt, licet Deum invocent, nequaquam tamen exaudiuntur: de his loquitur Sapiens, qui, cum dixit: *non exaudiam . . . non invenient me*, addit: „ eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint “.

*Ex Libro Proverbiorum.*

I. Prov. 11. vers. 24. dicitur: *Justitia liberabit a morte;* e contra, Eccl. 7. v. 16. legitur: *justus perit in justitia sua.*

Resp. In primo textu agi de vera justificatione per gra-

gratiam internam, qua justus a morte æterna liberatur; qui tamen quamdiu vivit inter impios, ita sæpius opprimitur, ut omnino perire videatur, quod indicat posterior textus.

II. Prov. 11. v. 15. dicitur: *Innocens credit omni verbo*; & Eccl. 19. v. 4. habetur: *Qui cito credit, levis est corde*.

Resp. Vox, *innocens*, hic in malam partem pro *insipiente* sumitur, ut vertit Chaldæus, vel pro *viticse* simplici; talis autem est *levis corde*, unde unus non videtur differre ab alio.

III. Prov. 26. v. 4. dicitur: „ Ne respondeas stul„ to juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis; „ *& v.* 5. Responde stulto juxta stultitiam suam, „ ut sibi sapiens esse videatur ".

Resp. Sensus est, *ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*, verbis similibus contendendo, convicia, quæ effundit, in ipsum referendo, alias ei similis videberis; sed tamen, *responde stulto*, id est, corripe stultum, & verberibus ejus petulantem linguam coercere, *juxta stultitiam suam*, ne forte impunitas illum magis insolentem reddat, & *sibi sapiens esse videatur*.

IV. Prov. 30. v. 3. Salomon dicit: „ Stultissimus „ sum virorum, & sapientia hominum non est me„ cum. Et tamen Eccl. 1. v. 16. dicit: Præcessi om„ nes in sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusa„ lem ".

Resp. Salomon dicit se esse stultissimum virorum modestiæ & humilitatis causa, licet in rei veritate sit omnium hominum sapientissimus, quomodo etiamnum sapientes, ut suam dicant sententiam rogati, respondent: Sum hominum ignorantissimus, sed, ut mandatis exequar, dicam, &c.

*Ex Libro Ecclesiastes.*

I. Eccles. 1. v. 4. dicitur: *Terra in æternum stat*; e contra 2. Petri 3. v. 10. *Terra, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*.

Resp. Quod terra & elementa, quoad substantiam suam, in æternum stabunt, ut ait Sapiens; verum alterabuntur, & igne finali expurgabuntur a statu corruptionis & vetustatis, quem nunc habent, ut sint cœlum novum & terra nova.

II. *Cap.* 7. *v.* 17. *Noli esse justus multum*; e contra Apoc. 22. v. 11. dicitur: *Qui justus est, justificetur adhuc*.

Resp. Ponitur *multum*, pro *nimium*; unde prioris loci sensus est, ne quisquam de dono Dei sibi cælitus collato extollatur, putans se propriis meritis illud obtinuisse, ideo addit Sapiens: Neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas. E contra in Apocalypsi D. Joan. alloquitur proficientes, quibus, quantumcumque tandem justitia polleant, semper tamen aliquid Christianæ perfectionis acquirendæ deest.

III. *Cap.* 8. *v.* 3. dicitur: *ne permaneas in opere malo*; dicit tamen Joann. Apoc. 22. *Qui nocet, noceat adhuc*.

Resp. Secundus textus nullo modo opponitur priori; quia D. Joannes, neque præceptive, neque permissive, sed prophetice tantum loquitur, ut sensus sit, qui nocet, nocebit adhuc.

*Ex Libro Ecclesiastici.*

I. *Eccles.* 1. *v.* 16. dicitur: *Timor Domini cum fidelibus in vulva concreatus*; e contra Ephes. 2. v. 3. Omnes *nascimur filii iræ*.

Resp. Textus Ecclesiastici est *hyperbole*; sumitur enim *vulva* pro ætate tenera, ut sensus sit, fideles jam inde a tenera ætate Deum timere incipiunt; vel timor Dei ita adhæret fidelibus, ac si in utero matris ipsis esset concreatus, quod nullo modo officit existentiæ peccati originalis.

II. *Cap.* 4. *v.* 25. dicitur: „ Est confusio adducens „ peccatum; & est confusio adducens gratiam ".

Resp. Quod confusio ejus qui spernit correctionem, adducit peccatum: confusio vero, quam delinquentis emendatio subsequitur, adducit gratiam.

III. *Cap.* 8. *v.* 13. dicitur: Non incendas carbones peccatorum arguens eos, &c. E contra Apostolus, *Rom.* 12. *v.* 20. ait: Congeres super caput ejus (*inimici tui*) carbones ignis.

Resp. Ecclesiasticus loquitur de carbonibus iræ & rixarum, ut sensus sit, cave in arguendo peccatore, ne nimium excites flammas iræ illius: unde additur, *ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum*, id est, ne lædaris ab illis. E contra Apostolus loquitur de carbonibus patientiæ & caritatis, quibus accendetur cor inimici ad redamandum: hoc patet ex toto textu, qui sic est: *Ciba esurientem inimicum tuum*, hac via, *congeres super caput ejus*, &c.

IV. *Cap.* 12. *v.* 5. *& 6.* dicitur: „ Da bono & non „ receperis peccatorem: benefac humili, & non de„ deris impio: prohibe panes illi dari ". Tamen Christus, Luc. 6. v. 30. ait: Omni petenti te tribue.

Resp. Ecclesiasticus non prohibet eleemosynam, quam commendat & præcipit Christus; sed prohibet tantum, ne exhibeantur impio specialia benevolentiæ signa, qualia sunt communio mensæ, largitio beneficiorum, & alia quæ ad amicitiam referuntur.

V. *Cap.* 13. *v.* 11. dicitur: „ Noli esse humilis in „ sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam incida„ ris ". Christus autem, *Matth.* 11. *v.* 29. dicit: „ Discite a me, quia mitis sum & humilis ".

Resp. Constat ex toto capite, quod Ecclesiasticus per *to humilis*, non vetet veram humilitatem, quam commendat Christus, & ipse Ecclesiasticus hic; v.g. dicens, *humiliare Deo*; sed damnat pusillanimitatem animi illius, qui coram divitibus plus æquo se dejicit, nimiam spem in illorum beneficentia collocans, improbat, ac vetat, ne si se nimis demisse subjecerit, illos in superbiam, errorem & peccatum inducat.

VI. *Cap.* 49. *v.* 5. dicitur: „ Præter David, Eze„ chiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt ". Atqui tamen constat David & Ezechiam gravissime peccasse.

Resp. Ecclesiasticus non loquitur de omni peccato, sed solum de peccato idololatriæ, quo, præter illos tres, omnes alii Reges Juda peccasse dicuntur, nempe *excelsorum*, vel usu, vel tolerantia culpabili.

*Ex Libro Sapientiæ.*

I. *Cap.* 1. *v.* 13. dicitur: *Deus mortem non fecit*, tamen *Eccli.* 11. *v.* 14. dicitur: *Vita & mors a Deo sunt*.

Resp. Deus non fecit mortem, quia sola mortis causa fuit peccatum; nec Deus, nisi sceleribus homi-

hominum coactus, permisit mortem intrare in mundum, ut Sapiens testatur versu sequenti, *creavit enim omnia*, non ut interirent, sed *ut essent*, & in suo esse constanter & feliciter permanerent; nihilominus vere dicitur vitam & mortem a Deo esse, quia ex mero beneplacito vitam confert, & mortem (cujus debitum homo per peccatum contraxit), intentat, in quo nulla est contradictio.

II. *Cap. 5. v. 6.* dicunt insipientes: *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Christus tamen (Matth. 5. v. 45.) de Patre cœlesti ait: *Qui solem suum facit oriri super bonos & malos.*

*Resp.* Prior textus agit de sole intelligentiæ cœlestis: posterior vero agit de sole naturali; unde textus sunt circa disparata, & consequenter nulla est contradictio. Verum, ut prior textus elucidetur, dico, quod licet Deus quantum in se est solem gratiæ oriri faciat super bonos & malos, si tamen clausum fuerit ostium cordis nostri, illud penetrare nequit ejus splendor, aut calor.

III. *Cap. 11.* dicitur: *Diligit Deus omnia quæ sunt; & cap. 14. v. 9.* dicitur: *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.*

*Resp.* In homine impio duo distinguenda esse, nimirum hominem ipsum, & impietatem: *primum* est naturæ, quod Deus fecit, ac semper diligit; *alterum* est culpæ, quod nos fecimus deficiendo a semita justitiæ, & hoc Deus odit, ejusque authorem, non ratione sui, sed ratione perversæ voluntatis.

*Ex Libro Prophetarum.*

I. *Isaias* 11. *v.* 3. dicit: *Non arguet*, Christus, *secundum auditum aurium*, *neque secundum visionem oculorum*; & tamen Christus (Joann. 5. v. 30.) de seipso ait: *Sicut audio, judico.*

Resp. Isaias per auditum aurium intelligit rumorem & relationem hominum, in qua multus plerumque error; & per *visionem oculorum* intelligit externam apparentiam quæ sæpe fallit; non sic arguet Christus, sed sicut audivit a Patre, judicabit *in justitia.*

II. Jerem. 36. v. 30. de rege Joachim dicit Deus: *Non erit ex eo qui sedeat super solium David.* Tamen (4. Reg. c. 24. v. 5.) dicitur: *Dormivit Joachim cum patribus suis, & regnavit Joachim filius ejus pro eo.*

Resp. Prophetia fuit completa, etsi enim Joachim, qui & Jechonias, filius ejus *tribus mensibus regnaverit* in Jerusalem, ut dicitur 4. Regum, illud tam breve tempus pro nihilo reputatur. Præterea non pacifice regnavit, in Babylonem cum omni aula sua abductus a Nabuchodonosore.

III. *Osee* 4. *v.* 15. dicitur: *Neque juraveritis, vivit Dominus*: cum Deut. 6. v. 13. dicatur: *Per nomen Domini Dei tui jurabis.*

Resp. Oseas vetat jurare per idola, nempe per vitulum aureum, quem Israel adorabat in Galgalis & Bethel, quod nomen *Bethel*, id est, *domus Dei*, Oseas mutat in *Bethanan*, id est, *domus idoli*; unde hortatur tribum Juda *ne ascendat in Bethanan*, *neque juraverit* per vitam vituli aurei, qui a Jeroboamo erectus, adorabatur in *Bethanan.*

IV. *Amos* 7. *v.* 14. dicit: *Non sum Propheta, sed armentarius.* Et versu seq. *Dixit ei Dominus: Vade, Propheta, ad populum meum Israel.*



Resp. Amos non dicit absolute se non esse Prophetam, sed dicit se non esse Prophetam ex primaria sua professione, qua dicat, meum officium est armenta pascere, non prophetare; quare non veni sponte, sed a Deo missus, & iterum ad officium meum revertor.

*Ex Evangelio Sancti Matthæi.*

I. *Matthæus* 1. *v.* 1. Premittit descriptionem genealogiæ Jesu Christi *filii* (id est, nepotis) *David*, *filii Abraham*; tamen describit genealogiam Joseph sponsi Mariæ, qui non fuit pater Jesu, nisi putativus.

*Resp.* Evangelista describendo genealogiam Joseph, descripsit genealogiam Mariæ, quæ erat ejus consobrina, quorum stipes communis erat Mathan, in quo uniebantur. Nam Mathan genuit Jacob patrem Josephi sponsi Mariæ, & Annam quæ nupsit Heli, seu Joachimo, patri B. Mariæ: ergo Maria & Joseph erant consobrini; ergo Jesus erat filius David per Salomonem, a quo Anna ejus avia, & per Mathan a quo Heli, seu Joachim, ejus avus, descendebat: ex quo *manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster*, ait Apostolus (*Heb.* 7. *v.* 14.).


Quæres: Si Mathan sit avus tum Mariæ, tum Josephi, quare Evangelista non dicit potius, *Mathan autem genuit Annam; Anna autem genuit Mariam sponsam Joseph, de qua natus est Jesus?*

Resp. Ideo non fecit: 1. Quia Scriptura non solet mulieres in genealogiis intexere. 2. Quia cum Joseph publica fama haberetur pater Jesu, ejus genus debebat manifestari.

*Dices*: Heli genealogia descripta a D. Luca, non potest esse Joachim patris B. Mariæ Virginis, ergo.
*Resp. nego ant.*
*Prob. ant.* D. Luc. describit genealogiam Josephi, *qui fuit filius Heli.* Ergo.

Resp. *nego ant.* Lucas enim texit genealogiam paternam B. M. V. sicut Matthæus texit maternam. Nec obstat quod Joseph dicatur filius Heli; sic enim dicitur, quia Heli, seu Joachimi, erat gener: porro gener vocatur soceri filius: hinc est quod Lucas non utatur verbo *genuit*, sed verbo, *qui fuit* filius *Heli*; ut hæc generalis locutio cuilibet cognationi posset convenire, scilicet, Joseph *fuit Heli*, per affinitatem, gener enim dicitur filius soceri per affinitatem. Heli *fuit Mathan*, Mathan *fuit Levi*, &c. per generationem, vere enim geniti fuerunt ab eis quorum fuisse dicuntur; tandem Adam fuit Dei per creationem, ratione cujus dicimus omnes: *Pater noster, qui es in cœlis.*

Hæc Christi genealogia elucescet magis ex sequenti tabula, quam ideo hic ducimus:



II. *Matth.* 1. *v.* 8. dicit: *Joram genuit Oziam*: tamen ex 4. *Reg.* Joram genuit Ochoziam, *c.* 8. *v.* 27. Ochozias genuit Joram, *c.* 11. *v.* 2. Joas genuit Amasiam, *c.* 12. *v.* *ult.* & Amasias genuit Oziam.

*Resp.* Nulla est contradictio, nam Joram genuit Oziam, non immediate, seu mediate, quomodo Jesus fuit mediate filius David; nec verbum, *genuit*, magis significat quam verbum, *filius*. Evangelista ergo nolens excedere Tesseradecadem generationum in singulis trium ordinum classibus promissam, omisit hic tres generationes. Quare vero hos posteros omiserit, quam alios, ratio esse videtur, quod hi essent geniti ex Athalia filia impiissimi Achab & crudelissimæ Jezabel, quorum memoriam ad 4. usque generationem Deus abolitam voluit, & ideo in odium parentum hæ tres generationes a Christi genealogia excluduntur.

III. Juxta Matthæum, *Josias genuit Jechoniam*, *Jechonias genuit Salathiel*. Tamen ex *Lib.* 1. *Paral.* *c.* 3. *v.* 15. filii Josiæ fuerunt Johanam ante patrem mortuus sine filiis, Joachim, Sedecias, & Sellum. *De Joachim natus est Jechonias & Sedecias; filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel*, &c.

*Resp.* Vitio scriptorum ex textu excidit una generatio; duo enim vocabantur Jechonias, nempe Eliacim filius Josiæ, ut constat ex 4. Reg. c. 24. v. 6. ubi dicitur: *Dormivit Joachim cum patribus suis, & regnavit Joachim filius ejus pro eo.* Scriptores ergo videntes nomen Jechoniæ bis repetitum, mendum crediderunt, quod emendare volentes textum corruperunt .... Legendum ergo est: *Josias genuit Jechoniam*, seu Joachim, *& fratres ejus. Jechonias autem genuit Jechoniam*, seu Joachim. *In transmigratione Babylonis*, id est, sub tempus abductionis Judæorum in Babyloniam, quæ cœpit anno 3. ejusdem Joachim, (4. Reg. 24. v. 8.).

Hanc solutionem esse fundatam patet: 1. Quia solus primus Jechonias filius Josiæ habuit plures fratres; secundus vero, qui fuit pater Salathielis, habuit unicum fratrem, nempe Sedeciam. 2. Quia in Tesseradecade tertia essent tantum 13. generationes, cum Evangelista annunciet 14. quæ juxta nostram explicationem reperiuntur a Salathiel usque ad Christum inclusive.

*Dices*. Jerem. 22. v. 30. hic Jechonias Joachimi filius vocatur sterilis; ergo non fuit pater Salathielis.

*Resp. dist. ant.* Vocatur *sterilis* absolute, id est, sine liberis, *nego ant.* nam Liber 1. *Paral. cap.* 3. *v.* 17. ipsi assignat octo filios. *Sterilis* relative ad sceptrum regium, a quo ipsos privandos prophetat Jeremias, *conc. ant.* Sese explicat Propheta, dicens: *Scribe virum istum sterilem, nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David*, &c. Quod impletum est: nam licet filii Jechoniæ semper titulo *principum* gavisi fuerint, ut patet in Zorobabele filio Salathielis (*Aggæi cap.* 1. *v.* 1.), tamen imperium erat penes Pontifices, ut testatur Josephus (*lib.* 11. *antiq. cap.* 4.).

IV. Juxta Matthæum, *Salathiel genuit Zorobabel*; & tamen *L.* 1. *Paral. c.* 3. *v.* 9. dicitur Zorobabel natum esse ex Phadaja fratre Salathielis. *De Phadaja orti sunt Zorobabel & Semei.*

*Resp.* Zorobabel, de quo author Paralipom. non esse eum de quo Matth. qui tum ex ipso, tum ex 1. Esdræ cap. 3. v. 18. tum ex Aggæo cap. 1. v. 1. fuit filius Salathiel, & pater Abiud. Zorobabel vero Paralip. fuit filius Phadaiæ fratris Salathielis, qui *Zorobabel genuit Mosellam, Hananiam & Salomith sororem eorum.* Iste ergo Zorobabel alium patrem, & alios filios habuit, quam Zorobabel, de quo Matthæus. Ergo non est idem.

V. Juxta Matthæum, *Jechonias genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Abiud.* Et secundum Lucam 3. Resa fuit filius Zorobabel, Zorobabel filius Salathiel, & Salathiel filius Neri. *Alio modo*, Neri genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Resa.

*Resp.* Salathiel & Zorobabel, de quibus hic Lucas, prorsus alios esse ab iis quos describit Matth. neque enim rarum est in diversis familiis reperire plures ejusdem nominis, maxime si illæ familiæ sanguine, vel affinitate sint copulatæ.

VI. Matthæus annuntiat generationes ter 14. atqui non reperiuntur; nam ut sint generationes ter 14. verbum *genuit* deberet repeti 42. vicibus; atqui 30. vicibus tantum reperitur; ergo.

*Resp.* Reponendo in suum locum generationem Jechoniæ seu Joachim, quæ ex textu sublata est vitio scriptorum, & numerando generationem Christi filii *Mariæ, de qua natus est* JESUS, quod æquivalet verbo *genuit*, reperiuntur 41.; tota ergo difficultas est de quadragesima secunda, circa quam est duplex interpretum sententia.

*Prima*. Est eorum, qui comprehendunt generationem, qua Abraham genitus est, ita ut Abraham sit primum caput genealogiæ, Isaac secundum, &c. quæ sententia nobis arridet.

*Secunda*. Est eorum, qui non comprehendentes Abraham, qui est stipes, bis numerant generationem Davidis, ita ut claudat primam Tesseradecadem & aperiat secundam, hoc modo: *David genuit Salomonem*; & sic prima Tesseradecas clauditur, & ut aperiatur secunda, dicendum: *David itaque genuit Salomonem*.

*Ne dicas*, ergo generatio Josiæ deberet similiter bis repeti .... *Resp.* enim negative, nam Evangelista dicit quidem, *Ab Abraham usque ad David generationes* 14. sed non dicit, *a David* usque ad Josiam, sed *a David usque ad transmigrationem Babylonis*. Et sic Josias claudit secundam Tesseradecadem, sed non aperit tertiam, quæ aperitur a transmigratione Babylonis.

VII. *Matth.* 1. *v.* 25. dicitur: *Et non cognoscebat eam Joseph*. Tamen Maria (*Luc.* 2. *v.* 48.) dicit: *Ego & pater tuus*, &c. atqui non potest esse pater, quin matrimonii usum exercuerit.

Resp. *dist. min.* Non potest esse pater *naturalis*, quin, &c. *conc. min.* putativus, *nego min.* nam ex D. Luca, Jesus erat, *ut putabatur filius Joseph*. Loquebatur ergo Maria secundum publicam famam, secundum quam Joseph pater Jesu habebatur, qui virtute matrimonii erat caput & dominus fructus quocumque demum modo ex illo corpore procreati.

VIII. Matthæus addit: *Non cognoscebat eam, donec peperit primogenitum*; ergo postea cognovit: tamen (*Luc.* 1. *v.* 34.) Maria dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Id est, non possum cognoscere propter votum quod emisi.

Resp. *nego conseq.* Namque 1. particula, *donec*, significat tantum quid ante factum, vel non factum sit,

sit, non vero quid postea. Sic (*Genes.* 8.) de corvo dicitur: *Et non revertebatur, donec siccarentur aquæ;* numquam tamen reversus est. Sic (2. Reg. 6.) dicitur Michol non habuisse filios, donec moreretur, id est, numquam habuisse . . . . . . 2. *Primogenitus* vocatur omnis, ante quem nemo natus est, sive post illum alii nati sint, sive non. Sic (Exod. 13. vers. 2.) jubentur Domino offerri *primogenita*, per quod sine dubio etiam *unigenita* intelliguntur.

IX. *Matth.* 2. dicitur de Christo: *Nazaræus vocabitur.* Et Christus (*Luc.* 7. *v.* 34.) dicitur: *Manducans & bibens vinum.* Ergo non fuit Nazaræus, nam his (*n.* 6.) vinum erat prohibitum.

*Resp.* Christus, *Nazaræus* (id est, floridus, juxta illud Isaiæ 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*), dicitur a civitate Nazareth, in qua, post sui ex Ægypto reditum, habitavit: non vero a statu religioso, cui per votum sese addicebant Nazaræi illi, quibus vinum erat prohibitum. Ita exponit Tirinus.

X. *Matth.* 5. *vers.* 16. Christus dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* tamen Matthæus (c. 6. v. 1.) dicit: *Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

*Resp.* In 1. textu particula, *ut*, non significat causam, sed tantum consequentiam, ut sensus sit, facite bona opera, & homines, qui illa videbunt, glorificabunt Patrem vestrum. E contra in 2. textu particula, *ut*, est causalis, unde non improbat Christus opera facta coram aliis, sed pravam corrigit intentionem eorum, qui ideo bene operantur, ut videantur ab hominibus, & inde humanam percipiant gloriam.

XI. *Matth.* 8. *v.* 5. dicitur: *Accessit ad eum Centurio.* Et Luc. 7. v. 3. dicitur: *Misit ad eum seniores Judæorum;* & v. 6. *misit amicos.*

*Resp.* D. Augustinus, & alii nodum solvunt, dicendo eum accedere, qui per alium a se missum accedit, quidquid enim aliquis per procuratorem facit, recte dicitur & ipse fecisse: procurator enim & agens principalis, sunt, fictione juris, una eademque moraliter persona.

XII. *Matth.* 9. *v.* 18. Princeps Synagogæ dicit: *Domine, filia mea modo defuncta est.* Et Marc. 5. v. 23. dicitur: *Deprecabatur dicens: Quoniam filia mea in extremis est.*

*Resp.* Filiam Archisynagogi ita desperatæ salutis fuisse, quando eam reliquit ut veniret ad Jesum, ut jam defuncta potuerit dici, quomodo de moribundo quotidie dicimus, *jam mortuus est;* id est, *desperatæ salutis est.* Et sic Archisynagogus potuit utrumque dicere, & *jam mortua est*, & *in extremis est.*

XIII. *Matth.* 10. *v.* 5. dicit Christus: *In viam gentium ne abieritis*, &c. Tamen *Marc. ult.* dicit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

*Resp.* Facile nodus solvitur distinguendo tempora; Christus enim initio suæ prædicationis voluit ut Apostoli suam missionem inciperent ab *ovibus, quæ perierunt domus Israel*, ut Judæis Paulus & Barnabas (*Actor.* 13.) declararunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud . . . . . . ecce convertimur ad gentes.* Tandem post suam resurrectionem, quæ plene Apostolos corroboraverat, præcepit ut per universum orbem divulgarent Evangelium.

XIV. *Matth.* 10. *v.* 10. Christus præcipit Apostolis, ne habeant *peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Tamen *Marc.* 6. *v.* 8. Christus *præcipit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.*

*Resp.* Matthæus *litteraliter* per *virgam*, intelligit *virgam defensoriam*, quam Apostolis prohibet Christus; Marcus vero intelligit *virgam viatoriam* ad innitendum in via. Sed uterque *mystice* intelligit nimiam curam corporis, quam Christus Apostolis suis prohibuit: quem sensum *mysticum* semper retinuerunt Christus & Apostoli, non vero sensum litteralem, cum constet, & habuisse *loculos*, & circumduxisse *mulieres sorores*, a quibus necessaria curarentur.

XV. *Matth.* 15. *v.* 24. Christus dicit: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Tamen (Zach. 2. v. 8.) dicit: *Misit me ad gentes.*

*Resp.* Christus alia per se facit, alia per Apostolos. Non fuit missus, ut gentibus proponeret verba salutis per se, sed per Apostolos, quibus post resurrectionem dixit: *Euntes in universum mundum, docete omnes gentes.* Sed est missus, ut Judæis per se præsentem, & apud ipsos miracula operantem annuntiaret Evangelium; unde uterque textus verus est.

XVI. *Matth.* 22. *vers.* 46. dicitur: *Neque ausus fuit quisquam ex illa die*, tertia ante passionem, *eum amplius interrogare.* Tamen (*cap.* 24. *vers.* 3.) eum iterum Apostoli interrogant: *Dic nobis quando hæc erunt?*

*Resp.* Primus textus loquitur de Pharisæis, qui de facto eum tentandi causa *publice*, ut prius solebant, non amplius interrogaverunt: secundus loquitur de discipulis, qui eum, ut ait D. Marcus, *secreto* interrogaverunt.

XVII. *Matth.* 27. *v.* 9. dicitur: *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos.* Atqui hæc non reperiuntur in Jeremia, sed in Zacharia, *c.* 11. *vers.* 12.

Respondent aliqui, nomen Jeremiæ hic incuria librariorum irrepsisse, tum quia Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum quos citat; tum quia Syriacus & nonnulli codices latini, quorum unus adhuc extat Romæ in Bibliotheca Augustinianorum, non habent nomen Jeremiæ.

Respondent alii, hæc verba non fuisse a Jeremia scripta, sed ore tantum prolata, scripta vero a Zacharia, quia ea per oralem traditionem acceperat, quod non rarum est in Prophetis.

Alii, cum D. Augustino, Tertulliano, Eusebio, a Lapide, volunt hæc eadem omnia olim in Jeremia extitisse, sed incuria scriptorum intercidisse; vel a Judæis erasa fuisse. Eligat lector, quam voluerit, sententiam.

### *Ex Evangelio Sancti Marci.*

I. *Marc.* 2. *v.* 26. David *introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum;* & 1. Reg. 21. v. 8. di-

dicitur: *Dixit autem David ad Abimelech*. Ergo non sub Abiathar introivit, &c.

Resp. Uterque, tum pater, tum filius vocabantur *Abimelech* & *Abiathar*; nam 1. *Reg.* 23. *v.* 6. dicitur: *Fugiebat Abiathar filius Abimelech ad David.* Et 2. *Reg.* 8. *v.* 6. legitur: *Sadoch filius Achitob*, & *Achimelech filius Abiathar*, *erant sacerdotes*. Hoc nullum relinquit dubium.

II. *Marc.* 10. *vers.* 46. dicitur: *Et proficiscente eo de Jerico*, *cæcus*, &c. Et *Luc.* 18. *v.* 35. dicitur: *Cum appropinquaret Jerico*, *cæcus quidam sedebat secus viam*, &c.

Resp. Verbum, *appropinquaret*, significat, *cum propinquus esset Jerico*, quod potuit dici de Christo, sive egrediente de Jerico; sive ingrediente urbem Jerico, quam hic paulo post egressum, iterum Christus ingressus est, ut patet ex cap. 19. Lucæ v. 1. *Et ingressus perambulabat Jerico*.

III. *Marc.* 4. *v.* 22. dicitur: *Manducantibus illis*. Lucas vero, *c.* 22. *v.* 20. dicit: *Postquam cœnavit*.

Resp. Tres fuerunt cœnæ. *Prima* paschalis & sacra. *Secunda* vulgaris & profana. *Tertia* eucharistica. Porro cœnæ paschalis & vulgaris erant peractæ, quando Christus Eucharistiam instituit, sed, adhuc cum Apostolis mensæ epulis constratæ accumbebat; & ideo Evangelistæ indifferenter dicere potuerunt *cœnantibus*, aut *postquam cœnavit*.

IV. *Marc.* 15. *v.* 25. dicitur: *erat hora tertia*, & *crucifixerunt eum*. Joann. vero 19. v. 14. dicit: *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta*, quando Pilatus tradidit Jesum crucifigendum.

Resp. Judæi dividebant diem in quatuor horas, quæ dicebantur, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, & quælibet illarum complectebatur tres horas communes. Pilatus ergo tradidit Jesum hora quasi sexta, id est, sub finem horæ tertiæ: durabat a nona nostra communi, usque ad meridiem, qua durante Christus fuit traditus & crucifixus.

V. *Marc.* 16. *v.* 8. mulieres quæ iverant ad monumentum, *nemini quidquam dixerunt*: tamen, Luc. 24. v. 9. *nuntiaverunt hæc omnia illis undecim*.

Resp. Mulieres *nemini* per viam occurrenti *quidquam dixerunt* de hac re, quia *invaserat eas tremor*, sed *nuntiaverunt* Apostolis, in quo nulla contradictio.

VI. *Marc.* 16. *v.* 14. Christus *novissime apparuit recumbentibus illis undecim*; tamen *Thomas non erat cum eis*. Joann. 20.

Resp. Collegium Apostolorum ante apostasiam Judæ vocabatur collegium duodecim; postea dicebatur collegium undecim, sive aliqui fuerint absentes, sive etiam aliqui alii, qui non erant Apostoli, fuerint præsentes: quia a nobiliori parte sic vocabatur consessus Apostolorum.

*Ex Evangelio Sancti Lucæ.*

I. *Lucæ* 3. *v.* 36. *Sale* dicitur filius *Cainan*, *Cainan* filius *Arphaxad*: tamen *Gen.* 11. *v.* 12. dicitur, *Arphaxad genuit Sale*.

Resp. Equidem Cainan fuit a Moyse ex causis nobis ignotis prætermissus; sed a LXX. vel ex veteribus Hebræorum historiis, vel ex Spiritus Sancti afflatu, fuit in locum suum insertus, quos Lucas græce scribens secutus est.

II. *Luc.* 16. *v.* 8. dicitur: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*: tamen Ex. 20. furtum prohibetur.

Resp. Non Christus, sed *dominus* villici laudavit, non furtum, sed industriam qua *prudenter* fecit; unde non furti actionem, sed modum actionis laudavit.

*Ex Evangelio Sancti Joannis.*

I. *Cap.* 3. *vers.* 22. dicitur: *Jesus baptizabat*. Et *cap.* 4. *vers.* 2. dicitur: *Quamquam Jesus non baptizaret*, *sed discipuli ejus*.

Resp. Jesus baptizabat, non suis, sed discipulorum manibus, & hoc quod explicat, *c.* 4. licet tamen Christus aliquos, scilicet Apostolos, propriis manibus baptizaverit, sed alio tempore.

II. *Joann.* 5. *v.* 31. dicit Jesus: *Si ego testimonium perhibeo de meipso*, *testimonium meum non est verum*. Et *c.* 8. *vers.* 14. dicit: & *si ego testimonium perhibeo de meipso*, *verum est testimonium meum*.

Resp. Per to *verum*, Christus intelligit *fide dignum*: unde sensus primi textus est: *si ego*, solus, *testimonium perhibeo de meipso*, *testimonium meum non est*, communi æstimatione, dignum ut credatur; sed *alius est qui* una mecum *testimonium perhibet de me*, Pater. Ergo testimonium meum dignum est ut credatur.

Sensus secundi textus est: *Si ego testimonium perhibeo de meipso*, *verum est testimonium meum*.... *quia solus non sum*: *sed ego* & *qui misit me*, *Pater*, duo testes omni exceptione majores.

III. *Joann.* 7. *v.* 8. Christus dicit: *non ascendo ad diem festum*: tamen v. 10. *tunc* & *ipse ascendit ad diem festum*, *sed quasi occulto*.

Resp. In Græco est, *Nondum ascendo*, *quia tempus meum*, ad ascendendum, *nondum impletum est*, ut sequitur; unde nulla est contradictio.

IV. *Joann.* 7. *v.* 34. Christus dicit: *Ubi sum ego*, *vos non potestis venire*. Et *c.* 17. *v.* 34. ait: *Volo ut ubi sum ego*, & *illi sint mecum*.

Resp. Christus loquitur de gloria cælesti, qua semper fruitus est, & *cap.* 7. declarat discipulos ipsa non posse donari, quandiu sunt in hac vita; *cap.* vero 17. vult, id est, summe desiderat, ut suo tempore recipiantur cum ipso in æterna gloria.

*Ex Actibus Apostolorum.*

I. *Act.* 7. *v.* 2. dicit S. Stephanus: *Deus apparuit Abrahæ cum esset in Mesopotamia priusquam moraretur in Charan*, seu Haran. Et *Genes. c.* 11. *v.* 31, Abraham dicitur, non ex Mesopotamia, sed *ex Ur Chaldæorum* eductus.

Resp. S. Stephanus accipit *Mesopotamiam* late & extensive, prout comprehendit etiam Chaldææ partem, in qua, *Ur* sita erat, nam *v.* 4. dicitur, *Tunc exiit de terra Chaldæorum*, & *habitavit in Charan*.

*Urgebis*: S. Stephanus dicit Deum apparuisse Abrahæ priusquam moraretur in Charan; & Moyses *Gen.* 11. dicit Abraham, eductum *de Ur Chaldæorum*, venisse *usque Haran* & *habitasse ibi*; & postea immediate *cap.* 12. addit: *Dixit autem Dominus ad Abraham*, *egredere de terra tua* & *de cognatione tua*, & *domo patris tui*, &c. Ergo Deus apparuit Abrahamo in *Charan*, *non in Ur*.

Resp. Apparitio Dei facta est Abrahæ dum esset in *Ur*, unde Moyses, *Gen.* 12. resumit historiam

riam ejus a tempore quo ex *Ur* egressus est, ponit ergo *dixit*, pro *dixerat*, vel pro *dixit autem cum esset Ur*, quod subintelligit, nam Haran non erat terra Abrahæ, ibi non erat ejus cognatio, nec domus patris; ergo non potuit in Haran dicere: *Exi de terra tua, & de cognatione tua*, &c.

II. *Act. 7. v. 6.* Deus dixit, *erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjiciens annis* 400. & Exod. 12. v. 40. *filii Israel manserunt in Ægypto annis* 430.

Resp. Anni 400. Actorum numerari debent a nativitate Isaac, quem Abraham genuit anno ætatis suæ 100. Hoc patet tum ex verbo *semen*, id est, posteritas, tum ex *Gen. 5. v. 13.* ubi dicitur: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & affligens 400. annis* . . . anni vero 430. Exodi numerari debent ab egressu de Ur Chaldæorum in Haran, ubi remansit 5. annis, quo tempore genuit filios, ideoque ingrediens anno ætatis 75. *Tulit Saram uxorem suam & animas quas fecerant in Haran, & pervenerunt in terram Chanaan*, ubi ætatis anno 100. genuit Isaac, 30. annis post egressum ex *Ur*. Hoc totum colligitur *ex cap. 12. Gen. v. 4. & seq.*

III. *Act. 7. v. 15.* S. Stephanus dicit: *Descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. In quo textu Sanctus Stephanus

1. Dicit corpora Jacob & 12. Patriarcharum translata fuisse in *Sichem*: atqui corpus Jacob fuit translatum in Hebron, *Gen. 50. v. 13.*

2. Dicit Abraham emisse sepulcrum a filiis *Hemor*; atqui ex *Gen. 23. v. 2.* emit ab *Ephron* filio *Seor*.

3. Dicitur *Hemor* fuisse filium *Sichem*; atqui erat ejus pater, *Gen. 34. v. 19.*

4. Dicit sepulcrum emptum ab Abraham fuisse *in Sichem*; atqui fuit in Hebron, *Gen. 23. v. 2.*

Resp. *ad* 1. Verbum *translati*, non ad *Jacob*, sed ad to *Patres nostri*, refertur . . . Præterea docet Joseph *lib. 2. antiq. c. 4.* Jacob & Patriarchas fuisse primum translatos in Sichem, & ex Sichem in Hebron ubi sepulti sunt, solo Joseph excepto, qui sepultus est in Sichem in agro quem ibi emit Jacob ejus pater, *Josue* 24.

Resp. *ad* 2. Unus idemque fuit *Hemor*, qui & *Seor*, a binomine aliquando, *Hemor*, aliquando, *Seor* dictus; iste Hemor habuit plures filios, inter quos primogenitus videtur fuisse *Ephron*, qui nomine tum suo, tum fratrum, sepulcralem speluncam vendidit Abrahæ.

Resp. *ad* 3. Hemor fuit filius *Sichem*, non quidem illius a cujus filiis Jacob agrum emit, sed alterius longe antiquioris; non enim rarum est in Scripturis reperire plures ejusdem familiæ eodem nomine donatos.

Resp. *ad* 4. Admissa, quæ probabilior videtur, sententia Josephi de duplici translatione, nulla est difficultas: non enim dicit S. Stephanus, Patriarchas sepultos fuisse in Sichem, sed *sepultos fuisse in sepulcro quod emit Abraham*.

IV. *Act. 9. v. 7.* dicitur: *Viri autem illi qui comitabantur cum illo*, Paulo, *audientes vocem, neminem autem videntes*. Et ipse Saulus *c. 22. v. 9.* dicit: *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt*.

Resp. Illa vox *audierunt* in cap. 22. significat, *Non intellexerunt*, vel quia non callebant linguam Hebraicam, qua Christus usus est, ut dicitur *Act. 26. v. 14.* vel quia non audierunt linguam articulatam, sed confusam instar tonitru, eodem modo quo *Joann. 12. v. 18.* dicitur: *Venit vox de cælo dicens: & clarificavi, & iterum clarificabo; turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitrum esse factum: alii dicebant, Angelus ei locutus est*.

V. *Act. 13. v. 21.* dicitur: *Regem dedit illis Deus Saul annis* 40. Et 1. *Reg. 13. v. 1.* dicitur: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel*.

Resp. In his 40. annis includuntur anni, quibus Samuel ante Saul præfuit Israeli. Sensus autem libri Regum est hic: jam regnaverat uno anno Saul quando indixit bellum Philistinis, & postea duobus adhuc annis regnavit in Israel; vel, si mavis, uno adhuc anno regnavit, qui annus junctus primo, sequitur quod duobus annis regnaverit in Israel, qui sensus est conformis originali Hebræo qui sic habet: *Filius anni* (unius vel primi) *erat Saul in regno suo; & altero anno regnavit in Israel*.

VI. *Act. 15. v. 1.* dicitur: *Nisi circumcidamini, non potestis salvari*. Et Apost. *ad Gal. 5. v. 1.* dicit: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*.

Resp. Illud Actorum dictum fuit a quibusdam Judæis qui hæretice docebant gentiles non posse obtinere salutem, nisi prius fierent proseliti, & Judaismo insererentur: quem errorem damnarunt Apostoli *in 1. Concil. Jerosolimis*, quem etiam damnat Apostolus scribens ad Galatas, docensque homines non salvari per Circumcisionem, aliasque Legis Mosaicæ cæremonias, sed *per gratiam Jesu Christi*.

VII. *Act. 15. v. 10.* D. Petrus ait: *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*? tamen *Deut. 30. v. 11.* dicitur: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi, non est supra te*.

Resp. In 1. textu D. Petrus redarguit eos, qui docebant necesse esse ad salutem, ut Gentiles ad Christum conversi circumciderentur, & observarent Legem Moysis, contra quos D. Petrus docet Christianos non esse obligandos ad cæremonias Legis, non modo quia sunt jugum gravissimum & *moraliter* importabile, sed etiam quia sunt inutiles ad justificationem .... Textus vero Deut. intelligitur de præcepto amoris Dei, quod esse facillimum observatu, nemo non experitur qui illud religiose observat.

### *Ex Epistolis D. Pauli.*

*I. Rom. 4. vers. 20.* Abraham *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia*. Verum *Genes. 17. v. 17.* dicitur: *Risit Abraham dicens in corde suo: putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?*

Resp. Abraham non fuit incredulus, unde non incredulitate, sed ex admiratione quærit, *putasne centenario*, &c. & ideo pro verbo, *risit*, Chaldæus habet *gavisus est*.

*II.*

*II. Rom. 3. vers.* 13. dicitur: *Usque ad Legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset*: tamen *Genes. 6. vers.* 5. Deus delevit homines propter eorum peccata; ergo semper fuit imputatum peccatum, etiam ante Legem scriptam.

*Resp.* Peccatum a Deo semper fuit imputatum, sed non semper fuit *imputatum*, id est, reputatum tale, ab hominibus solo lumine naturali instructis, qui non existimabant se esse peccato obnoxios. Ideo existentiam peccati originalis probat Apostolus ex effectu & pœna ejusdem peccati, puta ex morte quæ *regnavit* in omnes, quotquot *ab Adamo usque ad Moysem* vixerunt; ergo & causa mortis, nempe peccatum originale. Unde nulla est contradictio.

*III. Rom. 8. vers.* 16. dicitur: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei*; tamen *Eccles. 9. v.* 1. dicitur: *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.*

*Resp.* Apost. *ad Rom.* loquitur de testimonio, quod, licet sit certissimum ex parte Spiritus sancti, non est tamen certum ex parte nostri, nisi certitudine conjecturali & ad summum morali; nam non sumus certi an illud testimonium sit a Spiritu sancto, an vero a spiritu maligno transfigurante se *in Angelum lucis* ... Eccles. vero loquitur de certitudine absoluta & infallibili, quam nemo de sua salute potest habere, absque speciali revelatione, quandiu est in vita, sed *omnia in futurum servantur incerta*, addit *Eccl. v.* 2.

*IV. Rom. 12. v.* 19. dicitur: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ*; tamen Paulum seipsum coram Agrippa defendit, *Actor.* 24. *v.* 2.

*Resp.* Verbum, *defendere*, in 1. textu sumitur pro *ulcisci*, quomodo Judith 1. dicitur Nabuchodonosorem jurasse *per thronum, quod se defenderet*, id est, ulcisceretur. In 2. textu sumitur pro innocentiam suam probare, suæque indemnitati consulere, quod valde licitum est, licet vindicta sit lege Dei prohibita.

*V. 1. Cor. 1. v.* 17. Apost. dicit: *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare*: tamen *Matth. ult.* Christus omnibus Apostolis dicit, *Docete omnes gentes baptizantes eos.*

*Resp.* Dicit Apost. quod non sit missus baptizare *principaliter*; quia primarium Apostolatus officium est *prædicare*. Baptismi enim dispensatio committi solet Parochis & aliis Presbyteris secundi ordinis.

*VI. 1. Corinth. 13. vers.* 7. Apost. dicit: *Charitas omnia credit*: atqui 1. *Jo.* 4. *vers.* 1. dicitur: *Nolite credere omni spiritui.*

*Resp.* Apost. non loquitur de doctrina, sed de recte factis proximi, quibus relatis homo, caritatem habens, non contradicit, sed narrantibus facile assentitur ... D. Joann. vero loquitur de doctrina, docetque probandos esse *spiritus, si ex Deo sint.*

*VII. Galat. 1. v.* 10. Apost. ait: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Qui 1. Cor. 10. vers. 33. dicit: *Per omnia omnibus placeo.*

*Resp.* Apost. vult placere omnibus, omnes ædificando, neminem offendendo, &c. sed non vult placere, id est, gratiam illorum occupare, docendo grata illis, qui Christi doctrinæ repugnantia docent ac faciunt; sic enim servus Christi non esset.

*VIII. Galat. v.* 25. dicitur: *Sina mons est in Arabia, qui conjunctus ei quæ nunc est Jerusalem.* Sina tamen a Jerosolyma longe distat.

*Resp.* Mons Sina non realiter, sed mystice est *conjunctus*, id est, (ut vox græca sonat) *similis* Jerosolymæ ut nunc est; sicut enim in Sina olim, ita nunc in Jerusalem traditur Lex mere cæremonialis, & servilis, utrobique generantur filii, non liberi, sed servi.

*IX. Coloss. 1. v.* 24. Apost. dicit: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi*: tamen Christus *Joan.* 19. *v.* 30. moriendo *dixit*: *consummatum est.*

*Resp.* Opus fuit, ut Christus multa pateretur in suo corpore naturali, & etiam in suo corpore mystico. Porro Christus moriendo, personales passiones consummavit, sed non consummavit passiones corporis mystici, cujus membra, multa pro Christo & Ecclesia patiendo, adimplent *ea quæ desunt passionum Christi.*

X. 1. *Ad Tim.* 2. *v.* 12. dicit Apost. *Docere mulieri non permitto*: tamen *ad Tit.* 2. *v.* 3. vult, *ut anus prudentiam doceat adolescentulas.*

Resp. Apost. non permittit mulieri docere publice in Ecclesia, ut sese explicat 1. *Corinth.* 14. *v.* 34. his verbis: *Mulieres in Ecclesiis taceant.* Sed non tantum non permittit, verum suadet ut privatim domi suæ puellas & ancillas suas doceant.

XI. 1. *Ad Tim.* 5. *v.* 14. dicit, *Volo juniores nubere, filios procreare*; atqui 1. *Cor.* 7. *v.* 7. dicit: *volo omnes vos esse*, cælibes, *sicut me ipsum.*

Resp. Apost. 1. *ad Corinth.* exoptat ut omnes a nuptiis abstineant, ut ipse abstinuit; verum vult *juniores* viduas, quibus inest periculum incontinentiæ *nubere*, eum *melius sit nubere, quam uri.* Hic ergo Apost. *non legem figit*, ait Aug. de viduis, *sed remedium ostendit.*

XII. *Jacobi* 1. *v.* 13. dicitur: *Deus neminem tentat*: tamen *Genes.* 22. *v.* 1. dicitur: *Tentavit Deus Abraham.*

Resp. Tentatio duplex spectari potest. *Prima est seductionis*, quæ ad peccatum sollicitat, hanc Apostolus Deo denegat qui neminem excitat ad male agendum. *Secunda est probationis*, quæ est materia luctæ & victoriæ, meritorum & gloriæ, hac tentatione probavit Deus Abraham. De prima oramus Deum, *Et ne nos inducas in tentationem.* De secunda dicit Jacobus, *Omne gaudium existimate, cum incideritis in varias tentationes.*

## QUÆSTIO XIII.

*De iis quæ ad cautam sacrorum interpretum lectionem observanda sunt.*

*Nota.* Ut caute & sine periculo legantur sacri interpretes, unum, præ cæteris, singulari studio est observandum, nempe, utrum quæ sub eorum nominibus & inscriptione circumferuntur opera, sint veri & germani eorum fœtus; constat inter vera sacrorum interpretum monumenta, plurima supposititia reperiri, ut annotant qui de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo disseruerunt, quod ut facili negotio fiat:

Quæres

Quæres 1. *Quibus indiciis falsæ inscriptiones a germanis discerni queant?*

Resp. Tribus, nimirum, tempore, dogmate & stylo.

*Quoad Tempus*; Si illius ratio rebus descriptis non conveniat, manifestum est, opus non esse illius authoris, cujus nomine intitulatur.

Hinc perspicuum est commentaria D. Ambrosii in Apocalypsim; D. Hieronymi in Parabolas Salomonis, & Lamentationes Jeremiæ, non esse ejusmodi Doctorum quibus adscribuntur, quia in illis commentariis sæpe citatur D. Gregorius magnus, cum tamen idem Gregorius duobus fere sæculis authores illos subsecutus fuerit.

*Quoad dogma*: Si illud non solum cum authoris, cui adscribuntur, mente non congruat, sed ex diametro pugnet; omnino sequitur, aut opus non esse germanum authoris, cui tribuitur, fœtum, aut a corruptoribus fuisse depravatum.

Hinc manifestum est sexdecim tractatus in Leviticum sub D. Cyrilli Alexandrini nomine vulgatos, non esse Cyrilli, sed Origenis; cum in eis passim occurrant propria Origenis dogmata, qualia sunt animas ante mundum creatas fuisse, & ob sua peccata detrusas in corpora tanquam in carceres & vincula; inferni supplicia finem aliquando habitura; dæmones post aliquot tempora liberandos, & ad æternam felicitatem vocandos, & alia id genus, quæ D. Cyrillus ubique totis viribus oppugnat.

*Quod spectat ad stylum*: evidens falsæ intitulationis conjectura est styli diversitas, nihil enim difficilius est, quam imitari alterius stylum, nimirum dictionis contextum, elocutionis formam, figuram loquendi, dispositionis methodum, & cætera quæ cuique diserto ac probo authori sunt propria, ac veluti proprius illius Character.

*Nec dicas*, indicium falsæ inscriptionis ex diversitate styli desumptum, esse errori obnoxium, cum eidem authori non semper idem sit dicendi modus, sed pro argumenti ratione, vel studii profectu, vel ætatis mutatione, vel affectum varietate, diversus.

Resp. Fateor, verum idem author ita semper scribit ut perspicax styli artifex ubique semper agnoscat eumdem esse authorem, sicut quilibet amici faciem, etsi nunc tristem, nunc alacrem, ejusdem semper esse hominis certo animadvertit.

Quæres 2. *Qua ratione veris sacrorum interpretum operibus supposititia irrepserit, eorumque inscriptiones usurparint?*

Resp. Hoc provenire ex diversis causis.

1. *Ex prætermissa ab authore proprii nominis inscriptione*; illa enim prætermissio occasionem præbuit lectoribus discernendorum librorum studiosis, illi tanquam authori opus aliquod adscribendi, ex aliqua conjectura, v. g. ex styli, vel argumenti hujusmodis operis affinitate cum aliis ejusdem authoris operibus; vel ex similitudine nominis veri illorum authoris, cum aliorum nomine propter nominis æquivocationem, vel etiam ex similitudine nominis illorum, ad quos hujusmodi opera scripta sunt.

Sic *Rufinus* Aquilejæ Presbyter, nominum similitudine deceptus, Enchyridion *Xysti* Philosophi Pythagorici, *Xysto* Pontifici inscripsit.

Sic propter æquivocationem nominis, plurima opera Thomæ Anglici, v. g. Commentaria in Genesim, Isaiam, Jeremiam, Epistolas canonicas & Apocalypsim, adscripta sunt D. Thomæ Aquinati, nempe propter maximam similitudinem quæ reperitur inter *Anglicum* & *Angelicum* Doctorem.

Sic libellus, quem Julianus Eclanensis Episcopus, Pelagiana labe infestus, ad Demetriadem Virginem scripsit, ideo adscriptus est Hieronymo, quod hic quoque scripserit ad eandem Virginem argumento pene simili.

2. *Provenit ex hæreticorum pravitate*, qui libris suis, jam ecclesiastica perstrictis censura, orthodoxorum Patrum attitulationes substituunt, ut tali fraude lethiferum pravorum dogmatum virus in mentem & corda simplicium, absque ulla periculi suspicione, injiciant.

Sic olim Nestoriani & Euthychiani, Apollinarii scripta, unde suarum hæresum semina deprompserant, sub D. Athanasii nomine evulgarunt, ut Catholici latentes errores tanti Doctoris fama comprobatos, amplecterentur.

3. *Provenit ex invidia*, qua maligni quidam agitati, ut illustrioribus interpretibus odium concitent, sub eorum nomine odiosa opera evulgant.

Sic tempore D. Pauli Apostoli erant Pseudo-Apostoli, qui fingebant Epistolas, tanquam a Paulo missas, quibus asserebant instare diem judicii, ut testatur ipse ad Thessalonicenses scribens (2. *ad Thessal.* 2. *vers.* 2.): *Rogamus vos, ut non cito moveamini a vestro sensu*, (id est, a doctrina quam a me audistis de die judicii) *neque terreamini per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.*

4. Tandem, *provenit ex nimio erga magni nominis authorem zelo*, quo quispiam motus, ei aliena opera absque ullo delectu, vindicat, existimans se ei majus nomen ex plurium librorum editione comparaturum.

Sic quidam Doctoris Angelici nimium amatores, legitimis ejus operibus inseruerunt Commentaria in Genesim, Isaiam, Jeremiam, &c. quæ germanis ejus scriptis eruditione minime concordant.

## CAPUT II.

### *De Traditione, & SS. Patribus Traditionis testibus.*

Quæres 1. *Quid sit traditio?*

Resp. Est Doctrina, ad fidem, mores, vel disciplinam Christianam spectans, quæ in libris Canonicis non est scripta.

Dixi, *in libris Canonicis non scripta*: quia in scriptis SS. Patrum, & actis Conciliorum, traditiones conservantur, sicut in unanimi Ecclesiarum consensu.

Quæres 2. *Quotuplex sit traditio?*

Resp. Triplex, nimirum divina, apostolica, & ecclesiastica.

*Traditio divina* est verbum Dei non scriptum, sed ab Apostolis, quatenus verbi Dei præconibus, ad nos, viva voce, transmissum; ejusmodi sunt traditiones, quæ ad materiam, & formam Sacramentorum pertinent .... Hæ aliquando a SS. Patribus vocantur apostolicæ, sed improprie & mediate,

diate, quatenus, scilicet, per Apostolos sunt promulgatæ.

*Traditio apostolica* est doctrina, quam Apostoli ipsi, quatenus Ecclesiæ Pastores, instituerunt, & ad nos viva voce transmiserunt; v. g. observatio diei Dominicæ, Paschæ, Jejunii quadragesimalis, &c.

*Traditio ecclesiastica* est doctrina, quæ a successoribus Apostolorum, accedente fidelium usu, fuit introducta, & ad nos usque transmissa; v. g. vigiliæ, festorum celebrationes, aquæ lustralis usus, &c.

*Nota* 1. Traditiones, aliæ sunt perpetuæ, tales sunt quæ dogma aliquod proponunt .... aliæ *temporales*, talis fuit observatio legalium usque ad Evangelii promulgationem, ut eo medio facilius in unum coalesceret Ecclesia ex Judæis & gentibus .... aliæ *universales*, quæ toti Ecclesiæ sunt propositæ, ut diei Dominicæ observatio loco Sabbati .... aliæ *particulares*, quæ Ecclesiæ particulari sunt commissæ, ut jejunium Sabbati olim Romæ observatum ... aliæ *necessariæ*, quæ in forma præcepti sunt traditæ, ut admixtio aquæ cum vino in Missæ sacrificio .... *aliæ liberæ*, quæ in forma tantum consilii sunt traditæ, ut aquæ lustralis aspersio.

*Nota* 2. Ex sola traditione divina, utpote sola a Deo revelata, elici potest conclusio Theologica; quare hic de traditione divina duntaxat agemus, tribus Quæst., quarum

*Prima* erit de traditionis divinæ existentia, & necessitate.

*Secunda* de regulis, quibus traditio divina discernitur ab Apostolica, & Ecclesiastica.

*Tertia* de SS. Patribus, qui sunt traditionis divinæ depositarii & testes.

## QUÆSTIO I.

*De traditionis divinæ existentia & necessitate.*

*Nota*. Novatores contenderunt nullam prorsus esse traditionem divinam, hincque concluserunt, nullum pro fide aut moribus argumentum infallibile ex ea desumi posse, sed ex sola Scriptura sacra, quam volunt esse solam fidei & morum regulam, extra quam nullum dogma haberi potest de fide credendum, contra quos:

### CONCLUSIO I.

*In statu Legis naturæ, extiterunt traditiones divinæ.*

*Prob.* Nulla potest esse vera religio sine certa fidei & morum regula; atqui in statu legis naturæ vera fuit erga Deum religio; ergo fuit certa fidei & morum regula; atqui illa regula non erat Scriptura sacra, siquidem nulla tunc extabat; ergo ea regula erat traditio. Adamus nimirum filios suos docuit quæ sibi de mediatore Christo, & aliis mysteriis revelata fuerant; filii Adami, quæ a patre didicerant, suis posteris ad Moysen usque (non interrupta serie) communicarunt. Hinc Deus (*Genes.* 18.) commendat Abrahamum, *Quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* Ex quibus patet, quod posteri Adami ritum colendi Deum acceperint, non per Scripturam, sed per traditionem.

### CONCLUSIO II.

*In lege Mosaica, præter Scripturam, extiterunt divinæ traditiones ad fidem & mores spectantes.*

*Prob.* Israelitæ non solum jubebantur Scripturam legere, sed etiam Patres interrogare: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi* (*Deut.* 32.). *Et, non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis*, Eccl. 8. Et, *quanta mandavit* (Deus) *Patribus nostris nota facere ea filiis suis; ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam*. Psal. 77.

*Confirm.* Quia Israelitæ ex sola traditione habebant divinitatem librorum in canone repositorum; remedium ad tollendum peccatum originale, non solum in fœmellis, sed etiam in masculis ante octavum diem decedentibus, &c.

### CONCLUSIO III.

*In Lege nova, præter verbum Dei scriptum, necessario est admittenda traditio divina, tamquam altera fidei regula.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ (2. *ad Thess.* 2. *v.* 14.) jubet: *State, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem*, scilicet ore prolatum, *sive per Epistolam*, scilicet scripto transmissam, ut explicat D. Thomas (3. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 4.), quem locum D. Chrysostomus (*Hom.* 4. *in epist. ad Thess.*) enarrans, ait: „ Hinc patet, quod non omnia per „ Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam „ sine litteris. Eadem vero fide digna sunt, tam „ illa, quam ista. Itaque traditionem quoque Ec- „ clesiæ fide dignam putamus; traditio est, nihil „ quæras amplius ". Hinc Apostolus hortatur Timotheum (2. *ad Tim.* 4. *v.* 1.), ut quæ a se audivit, *hæc commendet fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.*

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus quatuor priorum sæculorum, quos Novatores admittunt, & inter quos unum, aut alterum, brevitatis causa, refero.

*In I. Sæculo*, D. Dionys. (*Lib.* 1. *de Eccles. Hierarch.*) ait: *Apostoli summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt.*

*In II. Sæculo*, D. Iren. l. 3. cap. 4. ait: *Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?*

*In III. Sæculo*, Origenes in cap. 6. ad Rom. dicit: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.*

*In IV. Sæculo*, S. Basil. (*Lib. de Spiritu Sancto*, c. 27.) sic scribit: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus ... quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis sane, vel tenuiter expertus est quæ sint jura ecclesiastica,*

*ea*. Et S. Epiphan. hæresi *6. Oportet autem & traditione uti: non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.*

In omnibus subsequentibus Sæculis SS. Patres eadem energia de traditionis existentia scripserunt.

*Prob. 3. ratione:* omnia ad fidem & mores pertinentia debent contineri in verbo Dei, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, ait Apostol. (*Rom.* 10. *v.* 17.); atqui non omnia ad fidem & mores pertinentia, etiam ab adversariis credita, continentur aperte in verbo Dei scripto, imo nec obscure; ergo præter verbum Dei scriptum, necessario est admittendum verbum Dei traditum.

*Prob. min.* 1. Credimus, quod Pater in divinis sit ingenitus: quod libri, in Scriptura sacra contenti, sunt divini; quod libri in Canone, quem nunc habemus, non repositi, sint spurii & apocryphi, &c. atqui illa omnia, neque ex Evangelio, neque ex Epistolis Apostolorum, possunt probari; ergo, &c.

*Prob. 2. eadem min.* Calvinistæ, & Lutherani credunt, contra errorem Helvidii, virginitatem B. Mariæ, etiam post partum; credunt, adversus Anabaptistas, valere datum parvulis baptisma; credunt, contra Donatistas, valere datum baptisma Hæreticis & peccatoribus; credunt quatuor Evangelia; credunt Christum descendisse ad inferos, &c. atqui nullum ex his capitibus credere possunt propter authoritatem Scripturæ sacræ, nullius enim nequidem apex est in Scripturis; ergo ex sola traditione illos articulos credunt; ac proinde (quod probandum erat) non omnia quæ ad mores & fidem spectant, continentur in Scripturis.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illud non est Ecclesiæ necessarium, quod a Scripturis aperte damnatur; atqui traditiones a Scripturis aperte damnantur; ergo &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Deuter. 4. dicitur: „ Non addetis ad „ verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis „ ex eo. *Apoc. ult.* Si quis apposuerit ad hæc, ap„ ponet & Deus super illum plagas. *Ad Galat.* 1. „ Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, „ præterquam quod evangelizavimus vobis, anathe„ ma sit. *Matth.* 15. Irritum fecistis mandatum Dei „ propter traditionem vestram. " Ubi Christus reprehendit Judæos, quod traditiones admitterent; ergo, &c.

*Resp.* 1. Generaliter, *nego cons.* argumentum enim est de falso supponente: supponit enim traditionem esse additionem ad verbum Dei, quod falsum est, cum traditio non minus sit verbum Dei, quam ipsamet Scriptura; unde Moyses non ait: non addetis ad verbum, *quod scribo*, sed, *quod præcipio*; Paulus non ait, *quod scripsimus*, sed *quod evangelizavimus*. Christus, non dicit; propter traditionem, *meam*, sed *vestram*, hoc est, a Pharisæis humano sensu ac spiritu inventam; sed dato, non concesso, quod in his textibus sit sermo de additione ad sacram Scripturam, ad singulas respondeo, & quidem.

*Resp.* ad 1. & 2. Quod Moyses & Div. Joann. vetent tantum ne minuetur, vel addatur aliquid, per quod textus alteretur, vel corrumpatur; alias illicitum fuisset Deuteronomio & Apocalypsi alios addere libros. Porro tantum abest, ut a traditione divina textus Scripturæ corrumpatur, quin potius illum defendat, ejusque germanum sensum adhibeat. Hæc responsio constat *ex Deuter.* 12. ubi Deus, Judæos a gentilium idololatria avocans, ait: *Non facias similiter Domino Deo tuo ...... quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam aut minuas.*

*Resp. ad* 3. Apostol. per particulam, *præter*, intelligit, *contra*. Hoc constat 1. ex ejus proposito, agit enim contra eos, qui docebant servanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse servanda: „ Mi„ ror, *inquit*, quod tam cito transferimini in aliud „ Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt ali„ qui qui vos conturbant, & volunt convertere Evan„ gelium Christi; sed licet nos aut Angelus de cœ„ lo evangelizet, præterquam quod, &c. " Ergo, cum dicit, *præter*, intelligit, *contra*, quomodo jam, (*Rom. ult.*) particulam, *præter*, usurpaverat, dicens: *Observate eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam accepistis, faciunt;* ubi, *præter*, manifeste significat, *contra:*

*Resp. ad* 4. Distinguendo: Christus Judæos reprehendit, quod traditiones humanas & superstitiosas admitterent, *conc.* traditiones divinas, *nego*. Christus ergo Scribas & Pharisæos arguit quod minuta quædam sibi humanitus & superstitiose tradita, servarent, & de rebus gravioribus non curarent; v. g. quod non nisi lotis manibus manducarent, & tamen non honorificarent patrem & matrem; quod rerum etiam minutarum, decimam offerrent, & tamen misericordiam & judicium omitterent, quos reprehendit Christus dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit: Honora patrem & matrem, &c.* Et infra concludit: *Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Traditiones autem, quas prædicamus, non sunt doctrinæ & mandata hominum, sed Dei.

*Inst.* Div. August. (*Lib.* 3. *contra Litter. Petiliani cap.* 6.) exponens verba Apostoli, ait: *Si quis annuntiaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & evangelicis accepistis, anathema sit.* Ergo Apost. per particulam, *præter*, non intelligit, *contra*.

*Resp. nego conseq.* Nam ille vere *præter* Evangelium docet, qui ei contraria docet. Unde Div. August. (*Tract.* 89. *in Joann.*) sic loquitur: „ Non „ ait *Apostolus*, plusquam accepistis, sed præter„ quam quod accepistis; nam si illud diceret, sibi „ ipsi præjudicaret qui cupiebat venire ad Thessa„ lonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defue„ rant; sed qui supplet quod minus erat, addit, „ non quod inerat tollit: qui autem prætergreditur „ regulam fidei, non accedit in via, sed recedit „ de via. " In quo textu D. Augustinus manifeste sumit, *præter*, pro *contra*.

*Objicies* 2. Omnia credenda & facienda in sacris Scripturis continentur; ergo traditio est inutilis.

*Probat. anteced.* Ex Apost. (2. *ad Tim.* 3. 16.) *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum & arguendum ........*

*ut perfectus sit homo Dei*, &c. Ergo sola Scriptura continet ad fidem & mores necessaria.

Resp. *nego conseq.* Non enim dicit Apost. *Omnis Scriptura* sufficit, sed *utilis est*; nam si dixisset, *sufficit*, sequeretur Scripturas Novi Testamenti esse inutiles. Apostolum enim ibi loqui de Scripturis veteris Testamenti constat, tum quia Scriptura novi Testamenti nondum erat relata in Canonem sacrorum Librorum, nec totaliter scripta; tum ex his verbis præcedentibus, *ab infantia sacras Litteras nosti*: non enim potuit Timotheus ab infantia noscere Litteras novi Testamenti, utpote nondum extantes.

*Inst.* 1. Joan. 20. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Jesus est Filius Dei*, &c. Ergo omnia scripsit, quæ putabat sufficere.

Resp. *dist. conseq.* Omnia miracula Christi scripsit, quæ putabat sufficere ad persuadendum mundo Christum esse Filium Dei, *conc. conseq.* omnia fidei dogmata, & morum præcepta, *nego conseq.* Inepte ergo Novatores, quæ de solis miraculis dicuntur, transferunt ad omnia fidei dogmata, & morum præcepta.

*Inst.* 2. Div. Cyrill. Alexand. (*l.* 12. *in Joann. cap. ult.*) ait: *Non omnia, quæ Deus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere.* Et August. (*tract.* 19. *in Joann.*) *electa quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Ergo cætera non sunt necessaria.

Resp. *nego conseq.* DD. Cyrill. & Aug. enim non excludunt necessitatem eorum fidei articulorum, & morum præceptorum, quæ non continentur in libris Canonicis; sed excludunt necessitatem scribendi plura Christi dicta & facta, cum secundum ipsos Div. Joann. ex omnibus quæ Christus dixit & fecit, ea selegerit quæ saluti credentium scripto mandari videbantur sufficere, cætera ad nos per traditionem transmittenda relinquens.

*Inst.* 3. Apostoli omnia quæ prædicaverunt, postea scripserunt: *Quod tunc prædicaverunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt* (*D. Irenæus lib.* 3. *cap.* 1.); ergo nihil reliquerunt non scriptum.

Resp. *dist. ant.* Apostoli omnia quæ omnibus prædicaverunt, qualia sunt ea quæ omnibus sunt expresse credenda, postea scripserunt, *conc. ant.* hocque solum vult D. Iren. omnia quæ perfectioribus, Prælatis, Episcopis prædicaverunt qualia sunt ea quæ spectant rationem gubernandæ Ecclesiæ, administrandorum Sacramentorum, refellendorum Hæreticorum, &c. *nego ant.* non enim illa secretiora mysteria omnes indifferenter docebant: nam Apost. 2. *ad Tim.* 2. dicit: *Hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere.* Et D. Iren. (*l.* 4. *cap.* 43.) docet, *Apostolos cum Episcopatu tradidisse successoribus charisma scientiæ.*

*Inst.* 4. D. Athanas. Epist. ad Serapionem, ait: *Uniuscujusque quæstionis inventionem, non ex propriis vaticinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia*; &c.

Resp. *dist. text.* Sed ex Scripturarum consequentia simul & traditionis, *conc.* ex Scripturarum consequentia tantum, *nego.* Nam ibidem adhibet authoritatem traditionis, cum subjungit: *Videmus tamen adhuc illam ipsam ab initio traditionem, doctrinam, & fidem Catholicæ Ecclesiæ, quam Christus quidem dedit, Apostoli vero prædicarunt.*

*Inst.* 5. Athanas. *Lib. contra gentes*, ait: *Sufficiunt sanctæ & divinitus inspiratæ Scripturæ ad instructionem veritatis*; ergo loquitur de Scripturarum consequentia tantum.

Resp. *dist. text.* Ad instructionem omnis veritatis, *nego ant.* veritatis quam ibi astruit, nempe idola non esse Deos, & Christum esse Deum & hominem, *conc. ant.* Porro ista duo habent in Scripturis expressa testimonia.

*Inst.* 6. D. Chrysost. (*Homil.* 1. *in Epist. ad Tit.*) ait: *Omnia Evangelium continet, & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem*, &c. Ergo non necessaria est traditio.

Resp. *nego cons.* Quia per *Evangelium*, non intelligit Scripturam: addit enim, *Omnia simul prædicationis verbo inclusit.* Illa autem prædicatio, partim est scripto mandata, partim sine scripto tradita.

*Inst.* 7. Theophilus, l. 2. Paschali, ait: *Diabolici est spiritus aliquid, extra Scripturarum divinarum authoritatem, putare divinum.* Ergo traditiones quæ circumferuntur, non sunt divinæ.

Resp. *nego conseq.* Nam Theophilus, per hæc verba, non excludit traditionem, sed libros Apocryphos, qui pro divinis a quibusdam supponebantur, quosque redarguit Theophilus hic.

*Inst.* 8. D. Aug. (*L.* 2. *de doct. christ. cap.* 9.) hæc habet: „ In his quæ aperte posita sunt in „ Scriptura, inveniuntur illa omnia quæ continent „ fidem moresque vivendi “. Ergo, &c.

Resp. *dist. verba Aug.* In Scriptura inveniuntur illa omnia quæ, &c. quoad ea quorum fides & cognitio explicita cuique sunt necessaria ad salutem, *conc. ant.* quoad ea quorum cognitio explicita non est sic necessaria ad salutem, *nego ant.* nam D. August. (*L.* 1. *contra Crescon. cap.* 33.) dicit: „ Scripturæ veritatem a nobis teneri, quando faci- „ mus quod universæ Ecclesiæ placet, etiamsi ni- „ hil de ea re scriptum legamus “.

*Inst.* 9. Div. Hieronym. in cap. 22. Matth. ait: *Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Ergo.

Resp. Non fideliter citatur Div. Hieron. qui loquens de particulari quadam sententia, qua quidam nitebantur ex libro Apocrypho probare Zachariam, quem Judæi interfecerunt inter Templum & altare, fuisse patrem Joannis Baptistæ, ait: *Hoc, quia de Scripturis authoritatem non habet*, &c. Et sensus est, hæc sententia, quia ex libro Apocrypho probatur, non ex Canonico, facile contemnitur. Non ergo rejicit traditionem, ex qua probat jejunium, *Epist. ad Marcel.* Imo illius necessitatem probat, *In dialogo contra Luciferianos*, admittens hanc sententiam: „ Etiamsi Scripturæ au- „ thoritas non subesset, totius orbis in hanc partem „ consensus instar præcepti obtineret: nam & alia „ multa, quæ per traditionem in Ecclesiis observan- „ tur, authoritatem sibi scriptæ Legis usurparunt. “

*Inst.* 10. Div. Cyprian. aperte rejicit traditionem divinam, nam Epist. ad Pompejum ait: „ Unde „ est ista traditio? .... ea enim facienda esse quæ „ scripta sunt testatur Deus ad Josue dicens: Non

„ re-

„ recedet liber legis hujus ex ore tuo; si igitur „ aut in Evangelio, aut in Apostolorum Epistolis „ & Actibus continetur, observetur etiam hæc sancta traditio. “

Resp. Hanc non admittimus S. Cypriani Epistolam, quam scripsit, cum errorem suum de rebaptizandis Hæreticis tueretur, & in qua consequenter traditionem circa illam quæstionem rejiciebat, quia eam esse contra Scripturam putabat, verum alias traditiones admittebat: nam *l.* 2. *Ep.* 3. ait: „ Admonitos nos scio, ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur .... ut Calix mixtus vino „ offeratur. “

*Objicies* 3. Ecclesiæ dogmata non debent committi principio defectibili; atqui traditio est principium defectibile; ergo.

*Prob. min.* Principium, quod de aure in aurem transit, est defectibile; atqui traditio de aure in aurem transit; ergo.

*Prob. maj.* Quod facillime alteratur ac deperditur, est principium fallibile; atqui, quod de aure in aurem transit, facillime imperitia ac perversitate alteratur, & per oblivionem & negligentiam deperditur; ergo, &c.

Resp. 1. *Retorqueo* de Scriptura sacra; nam quod scribitur & rescribitur, facile alteratur, vel per oblivionem & incuriam deperditur, ut patet ex tot libris, tum sacris, tum profanis, depravatis ac deperditis; ergo Scriptura sacra, est nostræ fidei principium defectibile.

Resp. 2. *dist. min. ult. argumenti*. Quod de aure in aurem transit, facile alteratur ac deperditur, si nullæ sint causæ ad illius conservationem adjuvantes, *conc. min.* si sint tales causæ, *nego min.* Porro in servandis traditionibus multæ sunt causæ. *Prima* est specialis Dei providentia, qui Ecclesiam regit & conservat, *ne portæ inferi prævaleant adversus eam* .... *Secunda* est cura SS. Patrum, qui in suis scriptis traditiones Christi & Apostolorum mandarunt ... *Tertia* est perpetuus, ac successione continuus, fidelium usus, in quo ritus Sacramentorum administrandorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ, servantur ... *Quarta* est ipsa hæresis; cum enim singulis sæculis novi oriantur Hæretici, qui diversa Ecclesiæ dogmata impugnant, ita semper a Deo suscitantur viri docti, qui, ut Hæreticis resistant, doctrinam Ecclesiæ, traditionesque antiquas diligenter investigant, propugnant, & magna diligentia posteris commendant.

*Inst.* Si admittatur necessitas traditionum, quilibet suo marte, prætextu traditionum apostolicarum, poterit fabulosa & erronea, proponere, sicut accidit Papiæ circa regnum Christi mille annorum, & ætatem Christi quasi 50. annorum; ergo traditiones, nedum non sunt necessariæ, quin potius sint maxime noxiæ.

Resp. *nego conseq.* Equidem fieri potest, ut aliqui hac in parte fallantur; verum huic incommodo opponitur infallibilis universæ Ecclesiæ authoritas, quæ, collatione facta ad scripta veterum & ad successiones Ecclesiarum apostolicarum, errorem detegit, & traditiones falsas tuto & infallibiliter rejicit, sicuti revera rejectus est ille millenariorum & ætatis Christi error, quem tamen, non ex traditione, sed ex Scriptura male intellecta, multi tuebantur, nimirum ex hoc textu: *Vidi animas decollatorum ... & regnabunt cum illo*, Christo, *mille annis* (*Apocal.* 20. *v.* 4.). Et isto Joann. 8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

## QUÆSTIO II.

### *De regulis, quibus divina traditio discernitur ab Apostolica & Ecclesiastica.*

*Nota*. Traditiones divinæ & apostolicæ facile secernuntur a traditione mere ecclesiastica; hæc enim, cum post tempora Apostolorum emanarit, non semper, nec ubique viguit; sed 1. habet initium aut in decretis summorum Pontificum, aut in Conciliorum Canonibus, aut in statutis Patrum. 2. In una, aut in aliquibus tantum Ecclesiis particularibus reperitur & observatur. E contra divinæ & apostolicæ traditiones semper & ubique viguerunt, juxta hanc regulam ab August. (*L.* 4. *contra Donat. cap.* 24.) traditam: „ Quod universa tenet Ecclesia, „ nec Conciliis institutum, sed semper retentum, „ nonnisi authoritate apostolica traditum rectissime „ creditur “. Sed longe difficilius traditiones divinæ discernuntur a traditionibus pure apostolicis, prout apostolicæ distinguuntur contra divinas. Ideo

Quæres: *Quot sunt regulæ, quibus traditiones divinæ secerni possunt a traditionibus pure apostolicis?*

Resp. Plures assignantur, quas ad quatuor recte revocamus.

Regula. I. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, ejusque contrarium ut Hæreticum refutarunt, nec tamen in Scripturis divinis reperitur, illud est traditionis divinæ, quia omnia dogmata fidei habemus ex divina revelatione. Hujusmodi sunt virginitas perpetua Deiparæ etiam post partum, quidquid pertinet ad materiam & formam Sacramentorum, saltem in genere, &c.

Regula. II. Si quidquam est nunc in Ecclesia, communi fidelium consensione probatum, quod humanam excedit potestatem, illud est traditionis divinæ. Talis est praxis, v. g. vota dissolvendi, remittendi juramenta, matrimonii rati per solemnem religionis professionem dirimendi, &c. cum enim illa omnia jure naturæ stent, eorum dissolutio non potest esse juris humani.

Regula. III. Si SS. Patres in aliquam traditionem unanimiter consentiant, eamque divinam esse doceant, tenendum est hanc esse traditionem divinam, etiamsi materia illius non excedat potestatem Apostolorum & Ecclesiæ; secus si solum ut institutionem apostolicam vel ecclesiasticam tradiderint. Ratio est, quia si communiter deciperentur SS. Patres, qui sunt Ecclesiæ Doctores & Magistri, necessario deciperetur tota Ecclesia, quæ tamen ex divina promissione est infallibilis.

Regula. IV. Quando aliqui Patres in hanc traditionem non consentiunt (ut accidit in traditione de non rebaptizandis hæreticis, cui S. Cyprianus cum nonnullis Africanis contradixit) judicandum est eam traditionem esse divinam, quæ reperitur in præcipuis & apostolicis Ecclesiis, in quibus interrupta non fuit Episcoporum successio. Hanc regulam tradit Tertull. *lib. de præscript.* his

verbis: „ Quid Apostoli prædicaverint, quid illis „ Christus revelaverit, & hic præscribam non ali- „ ter probari debere, nisi per easdem Ecclesias „ quas Apostoli condiderunt, ipsis eis prædican- „ do, tam viva voce, quam per Epistolas postea “. Sed quia talis est nunc sola Romana, ideo usus istius regulæ non nisi in illa locum habet.

## QUÆSTIO III.

*De SS. Patribus traditionis testibus.*

*Nota*. Agemus hic 1. De notione Patrum Ecclesiæ. 2. De eorum authoritate. 3. De cautione & discretione in legendis sanctorum Patrum scriptis.

### ARTICULUS I.

*De notione Patrum Ecclesiæ.*

Quæres: *Quinam nomine Patrum Ecclesiæ intelliguntur?*

Resp. Intelliguntur ii soli, qui primis Ecclesiæ temporibus sanctitate & doctrina ab Ecclesia recepta & approbata illustres, Christo filios genuerunt, genitos nutrierunt, ac in fide & communione catholica persciterunt.

Ex hac descriptione clarum est, quatuor requiri conditiones essentiales, ut quidam Ecclesiæ Patres referantur.

*Prima*, est *scientia eminens, atque ab Ecclesia recepta & approbata*. Nam eatenus Patres & Doctores dicuntur, quatenus illos admittit Ecclesia, ut ab eis recte vivendi instituta & doctrinam in fide & moribus reliqui fideles accipiant.

*Secunda*, est *eximia vitæ sanctitas*: quia Pater Ecclesiæ, non solum verbo, sed & exemplo, cæteris prælucere debet.

*Tertia*, est *perseverantia in fide & communione catholica*. Quomodo enim fideles dici poterunt in fide geniti ab iis qui a fide defecerunt aliquando? Quare, si quis Patrum a fide descivit, nec resipuit, aut pœnitentiam egit post talem defectionem, ejus authoritas non attenditur, nisi forte tanquam antiquæ traditionis testimonium: talis fuit Tertullianus, quem ideo Ecclesia præcise pro Patre non agnoscit: e contra pro Patribus recipit D. Cyprianum, licet circa rebaptizandos Hæreticos erraverit, & SS. Justinum, Irenæum, &c. licet in errore millenariorum sint versati, quia ut primum illæ quæstiones ab Ecclesia fuerunt definitæ, resipuerunt, & usque in finem in fide ac communione catholica persciterunt.

*Quarta*, est *antiquitas notabilis*: quia Patres Ecclesiæ sunt, qui operum sanctitate & doctrina ad Ecclesiam in esse perfecto formandam, laboraverunt, qui ideo Patrum, majorumqu nostrorum nomine honorantur; atqui non potuerunt Ecclesiam efformare, nec Patres & majores nostri dici possunt, qui antiqui non sunt; ergo, &c. Hinc Alphonsus Baptista Ordinis Prædicatorum, *in defensione apologetica pro authoritate SS. Patrum*, concludit; *Solus ille vere ac proprie Pater est Ecclesiæ, qui cum sanctitate & doctrina competentem habet antiquitatem.*

*Dices*: Ex quarta conditione sequitur quod neque B. Thomas, neque B. Bonaventura, neque S. Bernardus sunt Patres Ecclesiæ, cum non habeant eam antiquitatem, ut infantem Ecclesiam instruere & quodammodo generare potuerint.

Resp. *nego seq.* Nam etsi illi Sancti non sint ex Patribus Ecclesiæ antiquissimis, jure tamen merito Patres Ecclesiæ dici possunt; 1. Quia (ut de D. Thoma ait Pius V. Bulla, *Mirabilis Deus*) *Omnipotentis Dei providentia factum est, ut vi & veritate ejus doctrinæ, multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & convictæ dissiparentur, cujus meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur.* Idem habet Sixtus V. de S. Bonavent. Bulla, *Triumphantis*. Ergo cum plurimos in Christo filios genuerint, merito Patres Ecclesiæ dicuntur & sunt. 2. Quia sanctitate eximia splenduerunt, atque in fide & communione catholica in finem usque persciterunt. 3. Quia annorum prope quingentorum antiquitas, quibus Ecclesia ipsorum virtutibus & doctrina plurimum fuit adjuta, sufficere videtur ad Patris titulum eis tribuendum.

### ARTICULUS II.

*De authoritate Patrum Ecclesiæ.*

*Nota* 1. Non est hic quæstio de authoritate Patrum in quæstionibus pure philosophicis, quæ ad fidem & mores non spectant: constat enim apud omnes in ejus generis argumentis non plus valere authoritatem Patrum, quam valet ratio qua nituntur; dati enim non sunt ad Philosophos, sed ad fideles in fide & moribus instruendos: unde si eorum ratio sit probabilis, & argumentum remanet probabile.

*Nota* 2. Hic spectari potest 1. Authoritas unius alterius Patris, cæteris tacentibus. 2. Authoritas plurium Patrum in unum dogma consentientium, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus. 3. Authoritas Patrum in unum dogma unanimiter consentientium. His notatis.

### CONCLUSIO I.

*Unius, aut alterius Patris de rebus divinis sententia, aliis tacentibus firmum argumentum non ministrat.*

*Prob.* Eorum authoritas firmum argumentum non ministrat, quorum sententiam improbare ac rejicere licet; atqui unius, aut alterius Patris, aliis tacentibus, sententiam improbare ac rejicere licet, juxta illud August. (*Epist.* 111.) „ Neque „ enim quorumlibet disputationes velut Scripturas „ canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, „ salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque „ respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet divino adjutorio, vel „ ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum „ in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores „ meorum “. Ratio est, quia nullus de se est infallibilis, unde errare potuerunt, & de facto aliqui,

qui, etiam ex gravioribus, erraverunt, etiam in illis, quæ postea deprehensa fuerunt pertinere ad fidem.

*Nota* tamen, nos ab uno aut altero Patrum non debere dissentire, nisi salva reverentia, quam filii debent parentibus, & post contrariam veritatem compertam, tum ratione probabili, tum communi plurium Ecclesiasticorum sensu.

## CONCLUSIO II.

*Plurium Patrum sententia, aliis ex altera parte licet paucioribus, reclamantibus, multum quidem probabile, sed non omnino certum præstare potest argumentum.*

*Prob. prima pars:* Quia probabilitas alicujus facti extrinseca ex numero testium eruitur; ergo ubi circa aliquod factum plures sunt testes, ibi est magna probabilitas, quod veritatem fuerint assecuti, licet alii, numero pauciores, reclament.

*Prob. secunda pars:* Ex authoritate Patrum non potest deduci argumentum omnino certum, cum non certo constat utra pars veritatem asserat; atqui cum plures Patres unum factum affirmant, aliis, licet numero paucioribus, reclamantibus, non certo constat utra pars veritatem asserat; fieri enim potest, ut qui ex altera parte reclamant, (præsertim si sanctitate & doctrina fuerint insignes) assecuti fuerint germanum aut Scripturæ, aut Traditionis sensum; ergo, &c.

*Dices:* Thomas Waldensis (*In proœmio doctrinali fidei antiquæ*) docet, *quod major pars Patrum senserit, id esse Ecclesiæ catholicæ fidem*. Idem tradit Vincent. Lirin. (*Lib. adversus profanas novationes.*) Ergo.

Resp. *dist. ant.* Cum Cano (*L. 7. de locis cap. 3. conclus. 3.*) illud est Ecclesiæ catholicæ fides, &c. quando paucorum sententiam oppositam Ecclesia damnavit, ut illorum qui putarunt ab Hæreticis venientes esse rebaptizandos, & illorum etiam qui Melchisedech non hominem quempiam, sed Spiritum sanctum esse dixerunt, *conc. ant.* Utrumque enim horum Ecclesia post ea tempora semper abhorruit. Quando oppositam sententiam Ecclesia non damnavit, *nego ant.* Tunc enim plurimorum authoritas nihil certum, firmumque conficit. Ita Canus.

## CONCLUSIO III.

*Unanimis SS. Patrum in aliquod dogma consensus, certissimum & infallibile argumentum præstat, estque fidei regula.* Est, tum contra Hæreticos, tum contra Cajetanum in initio commentariorum in Genesim.

*Prob.* 1. Ex D. August. l. 1. contra Julian. „ Hoc „ probavimus, *inquit*, Catholicorum authoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens ut falsum „ sit. Tales quippe ac tanti viri secundum Catholicam fidem hoc verum esse confirmant, ut vestra fragilis & argutula novitas sola authoritate „ conteratur illorum: præter quam quod ea dicunt, „ ut se per eos loqui veritas ipsa testetur “. Et in fine libri, qui Sanctos rejicit, eos universam Christi Ecclesiam rejicere testatur. Unde in Conc. Nicæno II. actione prima, anathematismo 7. dicitur, *Qui doctrinas SS. Patrum, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ contemnunt, execrato.* Ex quo sic concludit Canus (*L. 7. de Locis, cap. 3.*) *hæc igitur duo ita sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctrina SS. Patrum, & Ecclesiæ traditio. Quisquis unum istorum tentarit labefactare, alterius quoque fidem concutiat, necesse est.*

*Prob.* 2. Ex Vincent. Lirin. in commonitorio: „ Necesse est, *inquit*, omnibus Catholicis, qui se „ se Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut „ SS. Patrum fidei inhæreant, agglutinentur, immoriantur, profanas vero novitates detestentur, „ horrescant, persequantur; Concilio enim Ephesino placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibi consentiens SS. Patrum „ tenuisset antiquitas “. Nec Ephes. solum ita sensit, sed & Chalcedonense sic clamans: *Hæc est fides Patrum, omnes ita credimus.* Et Constantinop. III. Act. 12. dixit: „ Omnino necesse est, non solum „ secundum sensum sequi SS. Patrum dogmata, sed „ iisdem uti vocibus cum illis, nihilque penitus innovari. *Et infra*, Sanctorum Patrum dogmata, „ tamquam legem sanctæ Dei suscipiunt Ecclesiæ “. Et Nicænum II. pro decretorum robore addit: *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum.* Hinc Concil. Trid. sess. 4. districte prohibet, *Ne quis Scripturam, contra unanimem SS. Patrum sensum, audeat interpretari.* Ergo supponit Ecclesia unanimem SS. Patrum consensionem errare non posse.

*Prob.* 3. *ratione.* Unanimis SS. Patrum in unum dogma consensio, certissimum est divinæ traditionis testimonium; neque enim alia via, quam per Patres, qui singulis sæculis floruere, Ecclesia potest scire quid Apostoli tradiderint; atqui certissimum divinæ traditionis testimonium, certissimum & irrefragabile subministrat argumentum, cum traditio non minus sit verbum Dei, quam Scriptura sacra; ergo, &c. Unde D. Hieronymus. (*In cap. 1. ad Galat.*) ait: *Doctores Ecclesiæ, non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus.*

*Confirm.* Quia si simul contingeret omnes simul Patres errare in rebus fidei, sequeretur Ecclesiam ipsam errare posse, & quidem Deo jubente: jubet enim Deus, ut sequamur Doctores, quos ipse in Ecclesia posuit: *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate & facite.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt* 1. *Heterodoxi:* omnium Patrum in unum dogma consensus, non est infallibilis; ergo non ministrat argumentum irrefragabile.

*Prob. ant.* Singuli Patres sunt fallibiles; ergo & consensus Patrum.

Resp. *nego conseq.* Etsi enim singuli labi possint, quia homines; omnes tamen simul errare non permittit Deus, quia unanimis omnium consensus, est sensus Ecclesiæ, ideoque & Spiritus sancti Ecclesiam per Patres docentis.

*Prob. conseq.* Testimonium SS. Patrum simul sumptorum, est humanum; ergo est fallibile.

Resp. *nego ant.* Nam quando unanimi consensu conveniunt SS. Patres ad res fidei confirmandas, non humano modo, sed ex Spiritu sancto loquuntur,

quuntur, cum constet tale consensum, esse Ecclesiæ, atque adeo Spiritus Sancti sensum.

*Inst.* 1. Si in libris Canonicis una quælibet falsitas inveniretur, tota eorum certitudo periret, sed in libris Patrum inveniri potest una, aut altera falsitas; ergo tota eorum perit certitudo.

*Resp. dist. min.* In libris Patrum disjunctive sumptorum, *conc. min.* in libris Patrum collective sumptorum, unam veritatem dogmaticam unanimiter proponentium, *nego min. & conseq.* Nam a suppositione disjunctiva ad collectivam non valet argumentatio.

*Inst.* 2. *Erasmus;* atqui in aliquibus ad fidem spectantibus inveniuntur Patres unanimes errasse; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Patres unanimi consensu B. Virginem in peccato originali conceptam asseverarunt, cujus tamen contrarium hodie tenet Ecclesia; ergo, &c. En argumentum Erasmi achilleum; quod ego dico impudentem Erasmi in Patres calumniam.

*Resp. nego ant.* Nam plerique Patres hanc quæstionem non attigerunt, multi alii Immaculatam Conceptionem propugnarunt, ut suo loco videbitur.

*Objicit* 2. Cajetanus, *Non alligavit Deus expositionem Scripturæ sacræ priscorum Doctorum sensibus*, &c. Ergo.

*Resp. nego ant.* Imo alligavit, si omnes in eamdem sententiam consenserint; tenentur enim omnes Catholici sensum Ecclesiæ sequi; atqui sensus Patrum est sensus Ecclesiæ; ergo, &c.

*Inst.* Si quis pertinaciter negaret veritatem dogmaticam unanimiter a SS. Patribus assertam, sed ab Ecclesia nondum definitam, is non esset hæreticus; ergo non tenemur sequi sententiam Patrum tanquam regulam fidei.

*Resp. dist. seq. maj.* Is non esset hæreticus formaliter, *conc.* sic nec esset formaliter hæreticus, qui negaret veritatem Scripturæ, quæ ut authentica nondum proposita est ab Ecclesia. Materialiter, *nego seq. maj.* Negaret enim veritatem, quæ de se est fidei veritas.

*Objicies* 3. Vix fieri potest, ut, etiam sublimioribus Doctoribus, unanimis pateat in aliquod dogma consensus; ergo frustranea est regula fidei a nobis proposita. Ita argumentatur Dallæus.

*Resp. nego ant.* Neque enim unanimem Patrum consensum sumimus *mathematice*, ita ut nullus desit, & omnes ad unum legere oporteat; sed *moraliter*, ita ut sit consensus ferme omnium, quod optime exponit Petronius in respons. ad regem Angliæ. *Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus, semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

*Inst.* 1. *Dallæus.* Patres, qui post IV. sæculum scripserunt, a doctrina Apostolorum recesserunt; ergo nulla debet reputari eorum authoritas.

*Resp. neg. ant.* Cujus falsitas demonstratur tum ex consensione illorum doctrinæ, cum doctrina Patrum priorum sæculorum; tum ex eo quod non potuissent novam tradere doctrinam, quin statim tota commota Ecclesia reclamasset, uti factum videmus quando Arius, Pelagius, Eutiches, &c. novas doctrinas invehere tentaverunt.

*Inst.* 2. Inter scripta sub nomine Patrum vulgata, alia sunt supposita, alia quidem genuina, verum in multis interpolata; ergo certum ex eis non potest deduci argumentum.

*Resp.* 1. Licet quædam opera Patribus attributa, sint supposita, multo plura sunt genuina, nec communem Ecclesiæ fidem requirimus ex libris Patrum suppositis, quos a genuinis facile secernunt eruditi: illa enim solum opera attribuuntur alicui Patri, quæ a coævis Scriptoribus illi tribuuntur, quæ in antiquioribus & emendatioribus manuscriptis eidem inscribuntur, & tandem quæ dogmata continent & stylum referunt perfecte congruentia cum aliis indubitatis ejusdem Patris operibus.

*Resp.* 2. Quod spectat loca quæ in scriptis SS. Patrum dicuntur interpolata, ea sunt paucissima ac levioris momenti, quæ etiam, ope criticæ, ex veterum manuscriptorum & variarum editionum ad invicem collatione, resarciuntur.

*Resp.* 3. Ex objectione a Dallæo nobis proposita, sequeretur nulla opera in toto orbe esse indubia, & sic scripta Ciceronis, Virgilii, & aliorum, de quorum veritate, & sinceritate nullus dubitat, essent incerta, & consequenter nullius authoritatis; quod consectarium ab omnibus eruditis exsibilatur.

## ARTICULUS III.

### *De cautione, & discretione in legendis SS. Patrum scriptis.*

Quæres: *Quænam sunt consideranda, ut sine erroris periculo legantur scripta Sanctorum Patrum?*

*Resp.* Considerandum est 1. *quo* scripserint *modo;* namque 1. si modo theologico scripserunt, rigorosius; si vero modo oratorio, benignius & minus rigorose eorum verba sunt accipienda, nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt. 2. Si ex professo aliquam quæstionem tractaverint, accuratius locuti sunt; si vero obiter & transitorie, tunc minus accurate, & ideo quæ protulerunt, benigne sunt interpretanda; atque eorum sententia eruenda est ex eis quæ dixerunt, dum quæstionem ex professo tractarunt.

2. Considerandum est *quo tempore* scripserint; namque 1. Si ante exortas hæreses & materiæ discussionem, minus accurate, quam postea, scripserunt. 2. Si ante Ecclesiæ definitionem, potuerunt absque hæreseos nota scribere, quæ postea ab Ecclesia fuere damnata; ideo, nec D. Cyprianus, nec alii Africani rebaptizantium errorem propugnantes, fuerunt Hæretici.

3. Considerandum est *qua ætate* scripserint: quia ætate juniori multa scribantur, quæ ætate senili maturius examinata, vel gravius tractantur, vel omnino retractantur, ut constat ex D. Aug. qui plures libros retractationum suarum scripsit.

4. Considerandum est *qua occasione* scripserint; sæpius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibusdam hæresibus, usi sint terminis, qui, in specie quidem, oppositis erroribus faverent, sed

rei-

reipsa; & secundum sensum, ab aliis omnino differrent: *Hoc est Augustino peculiare*,' ait Cornelius Mussus. (*In cap. 5. Epist. ad Rom.*), *ut cum aliquem errorem expugnat, tanta vehementia exaggeret, ut opposito causam præbere videatur; cum Sabellium, Ario; cum Pelagium, Manichæis; cum Manichæos, Pelagio.*

5. Cum agitur de aliquo dogmate, olim ab hæreticis impugnato, illi Patres præ cæteris sunt consulendi & sequendi, quos ad has hæreses debellandas Deus Ecclesiæ suæ, singulari beneficio, concessit; quis enim dubitet quin eorum mentem abundantiori luce collustraverit, quos ad Ecclesiam suam contra ejus inimicos defendendam suscitavit? Itaque ubi agitur de Christi Divinitate S. *Athanasius*, ubi de Incarnatione S. *Cyrillus*, ubi de prædestinatione & gratia S. *Augustinus* cæteris omnibus sunt præferendi; quia S. Athanasius Verbi divini consubstantialitatem cum Patre contra Arianos; S. Cyrillus Verbi Incarnationem contra Nestorianos; S. Augustinus prædestinationem & gratiam adversus Pelagianos propugnarunt.

## CAPUT III.

### *De Ecclesia.*

*Nota.* Omnia quæ spectant Ecclesiam, ad quatuor quæstiones revocabimus; quarum *prima* erit de nomine & essentia Ecclesiæ; *secunda*, de ejus membris; *tertia*, de ejus notis; *quarta*, de ejus dotibus.

## QUÆSTIO I.

### *De nomine & essentia Ecclesiæ.*

*Nota.* Licet Ecclesia, ex vi nominis græci, significet cujuslibet multitudinis Congregationem, etiam malorum, juxta illud Psalmi 25. *Odivi Ecclesiam malignantium*; communi tamen sacrarum Scripturarum & Sanctorum Patrum consuetudine, ad fidelium Christianorum collectionem significandam usurpatur, & tunc potius convocationem, quam Congregationem significat, quia omnes qui ad eam intrant, non suis meritis, sed gratis a Deo eos præveniente ad illam vocantur; & sic sumitur duobus modis.

1. *Materialiter*, pro loco in quo fideles ad laudes Dei persolvendas convenire solent, sic Judith. 6. *Per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.*

2. *Formaliter*, pro fidelium cœtu, abstrahendo a locis in quibus hujusmodi societas reperitur; de Ecclesia sic sumpta intelligitur illud Apostoli ad Galat. 13. *Persequebar Ecclesiam Dei.* Ecclesia sic intellecta iterum dupliciter sumitur, *late* nimirum, & in communi, quatenus complectitur Ecclesiam triumphantem in cœlis, patientem in Purgatorio, & militantem in terris, sive ante, sive post Christum; & *stricte*, seu in particulari, pro societate fidelium Christianorum.

Ecclesia stricte sumpta, rursus sumitur tripliciter:

1. Pro Ecclesiæ Pastoribus, Matth. 18. *Dic Ecclesiæ.* Quæ verba intelligi possunt de solis Ecclesiæ Pastoribus, quibus paulo post ligandi & solvendi potestas conceditur.

2. Pro una particulari Ecclesia, 1. Cor. 2. *Ecclesiæ quæ est Corinthi.*

3. Pro Ecclesia per universum orbem diffusa.

Porro hic quærimus essentiam Ecclesiæ, tum *late*, seu in communi, tum *stricte*, seu in particulari sumptæ, licet de sola Ecclesia stricte sumpta in toto hujus capitis progressu simus acturi. Itaque

Quæres 1. *Quid sit Ecclesia late, seu in communi, sumpta, prout complectitur Ecclesiam triumphantem, patientem, & militantem?*

*Resp.* Est *cœtus Sanctorum, sub uno capite Christo, Deo servientium.*

Dicitur 1. *Cœtus*, pro genere, per quod convenit cum aliis omnibus societatibus, sive sacris, sive impiis.

Dicitur 2. *Cœtus Sanctorum*, tum sanctitate interna vel perfecta, qua sancti in cœlis præditi sunt, vel imperfecta aut inchoata, quam habent justi in terris militantes, & in Purgatorio patientes; tum sanctitate externa, quam habent fideles peccatores, propter sanctæ fidei professionem.

Dicitur 3. *Sub uno capite Christo*: quem Deus *dedit caput supra omnem Ecclesiam* (*Ephes.* 1. *v.* 22.) & sub quo constituuntur, non solum fideles in terra militantes, sed etiam beati in cœlo, & animæ in Purgatorio per fidem quam olim habuerunt, & cujus merito debitum beatitudinis assecuti sunt, imo & fideles veteris Testamenti per fidem quam in Christum venturum professi sunt, de quibus dicit Aug. (*L.* 2. *de peccato originali cap.* 26.) „ Et ipsis caput est „ Christus, qui licet in carne necdum venisset, „ venturum tamen credebant, & ex ea fide, pie, „ justeque vivebant. "

Dicitur 4. *Deo servientium*; quæ verba denotant Ecclesiæ fidem; omnia enim Ecclesiæ membra unius veri Dei cultu latriæ, tanquam spiritali compage inter se uniuntur.

Quæres 2. *Quid sit Ecclesia stricte sumpta pro societate fidelium Christianorum in terra militantium?*

*Resp.* Recte definitur a Bellarmino: *Cœtus hominum viatorum, unius & ejusdem fidei Christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, Christi in terris vicarii.*

Dicitur 1. *Cœtus hominum viatorum*: per quod ab Ecclesia militante excluduuntur, tum beati, tum animæ in Purgatorio existentes.

Dicitur 2. *Unius, & ejusdem fidei Christianæ professione*: per quod excluduntur Infideles, Hæretici, & Apostatæ.

Dicitur 3. *Et eorumdem Sacramentorum communione*: per quod excluduntur Catechumeni, qui nunquam ad Sacramentorum participationem fuerunt admissi; & excommunicati, qui per Ecclesiæ censuram ab eorumdem participatione sunt præcisi.

Dicitur 4. *Sub regimine*, &c. per quod excluduntur Schismatici, qui, licet eamdem fidem habeant,

beant, eademque Sacramenta, tamen quia legitimo Pastori non subduntur, foris extra Ecclesiam, fidem profitentur, ac Sacramenta percipiunt.

*Dices cum Launojo:* Illa definitionis verba, *sub regimine*, &c. sunt superflua; ergo illa definitio non est bona.

*Resp. nego ant.* Illa enim verba pertinent ad essentiam Ecclesiæ; nam Ecclesia essentialiter est corpus, nullum autem est corpus sine unione membrorum cum capite, & subordinatione eorumdem ad caput; ergo, &c. Unde D. Cyprian. ( *Epist. 69. ad Papinian.* ) Ecclesiam definit: *Plebs Sacerdoti adunata & Pastori suo grex adhærens.*

*Inst.* 1. Illa verba, *sub regimine*, &c. pertinent duntaxat ad Ecclesiæ statum; ergo non pertinent ad ejus essentiam.

*Resp. dist. ant.* Pertinent ad statum Ecclesiæ essentialem, *conc.* accidentalem, *nego ant.* Ecclesiæ enim in terris militanti, prout fuit a Christo instituta, essentiale est; ut regitur a Pastoribus, inter quos Romanus Pontifex, instar capitis, eminet.

*Inst.* 2. Illa definitio non facit mentionem fidei, spei, & caritatis, quæ sunt anima Ecclesiæ; ergo est mala.

*Resp. nego conseq.* Neque enim definimus Ecclesiam prout constat corpore & anima, sed solum prout est visibilis; visibilis autem est secundum corpus, non secundum animam: pro cujus solutionis elucidatione

Notandum est ex D. Augustino ( *In breviculo collationis, collat.* 3. ) Ecclesiam esse corpus vivum, constans anima & corpore; anima Ecclesiæ, sunt Spiritus Sancti dona, fides, spes, caritas, &c. corpus, sunt externa fidei professio, & Sacramentorum communicatio sub legitimis Pastoribus. Ex quo fit, ut quidam sint de anima & corpore Ecclesiæ, tales sunt justi, qui, dona Spiritus Sancti intus foventes, exterius profitentur, &c. quidam sint de anima tantum, ut Catechumeni; & quidam de corpore tantum, ut illi qui, nullam habentes internam virtutem, profitentur fidem, & in Sacramentis communicant, sub regimine legitimorum Pastorum, tales sunt peccatores & injusti.

Definitio igitur nostra eos solum comprehendit qui sunt de corpore Ecclesiæ, ut quis dici possit pars visibilis Ecclesiæ: quod diligenter observandum est, ut sequentem quæstionem dilucide investigemus.

## QUÆSTIO II.

### *De membris Ecclesiæ.*

Quæstio procedit: 1. De non baptizatis; 2. De prædestinatis & non prædestinatis; 3. De justis & impiis; 4. De hæreticis & schismaticis; 5. De excommunicatis.

## ARTICULUS I.

*Nota.* Non baptizati, vel sunt Infideles, vel Catechumeni, qui per varia pietatis & instructionis exercitia ad baptismum disponuntur.

*Nota* 2. Certum est infideles non baptizatos, non esse membra Ecclesiæ; nam Apost. 1. *Cor.* 5. aperte testatur eos, non intus, sed extra Ecclesiam esse: *Quid enim mihi*, ait, *de iis qui foris sunt judicare?* De solis ergo Catechumenis est difficultas, quæ ut solvatur:

## CONCLUSIO.

***Catechumeni non sunt actu membra Ecclesiæ, sed tantum potentia.***

*Prob.* Nullus constituitur membrum Ecclesiæ, nisi per baptismum; atqui Catechumeni non sunt baptizati; ergo.

*Prob. maj.* 1. Ex Act. 2. *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt* ( utique ad Corpus Christi, quod est Ecclesia ) *in illa die animæ circiter tria millia;* ergo, licet prius credidērint, non sunt in Ecclesiam *appositæ*, nisi per baptismum.

*Prob. maj.* 2. Ex Conc. Flor. dicente: *Baptismus vitæ spiritualis janua est*, per ipsam enim, *membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Et Concil. Trid. ( *Sess.* 14. *cap.* 2.) vetat, ne *Ecclesia in neminem exerceat judicium, qui non prius in ipsam, per baptismi januam, sit ingressus.* Ergo, &c.

*Confirmatur:* quia Catechumeni, licet veram Christi fidem profiteantur, veramque caritatem habeant, tamen non admittuntur ad Sacramentorum communionem, nec ullum jus habent ad ea bona quæ sunt Ecclesiæ communia, antequam baptizentur; ergo nondum pertinent ad corpus Ecclesiæ.

*Objicies:* Illi sunt actu in Ecclesia, qui possunt salvari: nam ex Conc. Later. sub Innoc. III. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Atqui Catechumeni, morientes ante baptismi susceptionem, possunt salvari, ut docent Div. Ambros. ( *Orat. Funebri Valentiniani*, ) & D. Thom. ( 3. *p. q.* 68. *art.* 2. ); ergo.

*Resp. nego maj.* Ad hoc enim ut quis salvetur, non requiritur absolute, ut actu sit in Ecclesia, sed sufficit, ut in ea sit per sincerum cordis desiderium, nec per eum stet, quin in eam actu per baptismum ingrediatur; Catechumeni autem sic sunt in Ecclesia, in quam non intratur actu nisi per januam, quæ est baptismus, unde sunt tantum de anima, non de corpore Ecclesiæ, cui per solam baptismi susceptionem conjungi possunt.

*Inst.* 1. Arca Noe erat figura Ecclesiæ; atqui nemo fuit salvus extra Arcam Noe, etiamsi desiderio fuisset in illa; ergo nullus, qui solum sit in Ecclesia desiderio, potest salvari.

*Resp. nego conseq.* Nam *similitudines non debent convenire in omnibus*, ait Bellarm. ( *Matth.* 22.). Nam ex 1. *Petri*, *cap.* 3. eadem Arca erat figura baptismi, sine quo tamen re suscepto salutem consequi posse per ejusdem votum ostendemus in Tract. de baptismo.

*Inst.* 2. Catechumeni credunt; ergo pertinent ad societatem fidelium.

*Resp. nego conseq.* Quia Catechumeni, licet actu credant, fidei tamen Sacramentum non susceperunt, per quod aliquis Christo incorporatur.

Insta-

*Instabis* 3. D. Aug. (*Tract. 5. in Joann.*) asserit Catechumenos esse in Ecclesia, *Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ Cathecumeni*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Asserit Cathecumenos esse in Ecclesia, potentia, *conc. ant.* actu, *nego ant.* De Catechumenis enim ait Aug. (*Initio libri 2. de Symbolo*) *Nondum sunt renati, sed tantum in utero matris Ecclesiæ concepti*.

## ARTICULUS II.

*Utrum soli prædestinati sint membra Ecclesiæ?*

### CONCLUSIO.

*Non soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ*. Est de fide, contra Wiclef, Joannem Huss, & Calvinum.

*Prob.* Multi reprobi, qui sub legitimis Pastoribus fidem exterius profitentur, sunt membra Ecclesiæ; ergo.

*Prob. ant.* Ex apertissimis Christi parabolis, in quibus Ecclesia comparatur 1. Areæ, quæ habet *triticum in horreum congregandum & paleas igni inextinguibili comburendas* (*Matth. 3.*); atqui per triticum Christus intelligit prædestinatos in cœlum congregandos, & per paleas intelligit reprobos igni inextinguibili comburendos; ergo, &c.

2. Comparatur convivio nuptiali (*Matth. 22.*), atqui ad illud convivium intrant non solum prædestinati, sed etiam reprobi in tenebras exteriores, cum eo qui non habebat vestem nuptialem, postea projiciendi; ergo.

3. Comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes in die judicii intrabunt cum sponso ad nuptias, quinque fatuæ excludentur hisce sponsi verbis: *Amen dico vobis: nescio vos* (*Matth. 25.*).

*Confirm.* In Ecclesiam intratur per fidem & baptismum; atqui non soli prædestinati recipiunt fidem & baptismum, ut patet de Juda, Simeone mago, Hymenæo & Alexandro, & alii, *qui circa fidem naufragaverunt* (1. *ad Tim.* 1.); ergo non soli prædestinati intrant Ecclesiam.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Arca Noe figura fuit Ecclesiæ, ut docet D. Aug. (*l. 5. de bapt. cap. ult.*); atqui in Arca Noe non fuerunt nisi qui salvandi erant ex aquis; ergo in Ecclesia non sunt nisi prædestinati.

Resp. *dist. maj.* Arca Noe fuit figura Ecclesiæ quoad aliqua, *conc. maj.* quoad omnia, *nego maj.* In eo igitur stat Ecclesiæ cum Arca similitudo, quod sicut in Arca erant animalia munda & immunda, ita & in Ecclesia sunt boni & mali, & sicut nemo salvari potuit extra Arcam, ita nemo potest extra Ecclesiam salvari, ut docet D. Aug. *ibidem*; nec est quærenda alia similitudo.

*Objicies* 2. Ecclesia (*Cant.* 4.) dicitur, *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*. Atqui in illo horto, fonte, & puteo, soli prædestinati reperiuntur; ergo.

Resp. *nego min.* Nam sicut in horto concluso, fonte signato, puteo aquarum, frequenter nascuntur herbæ inutiles & etiam aliæ sordes, quæ tamen evelluntur & ejiciuntur, ita in Ecclesia fideles quidam sunt, qui propter improbitatem aliquando foras ejicientur, & in ignem mittentur. Dicitur *ergo*, *hortus conclusus*, &c. ratione nobiliorum ejus membrorum, propter quæ præsertim fundata est, licet in ea multi sint reprobi, denominationem sumendo a nobiliori parte, eo fere modo quo aliqua natio dicitur bellicosa, licet in ea multi sint ignavi & effæminati.

*Inst.* D. Aug. (*l. 5. de bapt. cap. 26.*) textum illum Cantic. exponit de solis prædestinatis: *Numerus ergo ille Justorum, de quibus dictum est, novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus*, &c. ergo ex August. Ecclesia constat ex solis prædestinatis.

Resp. *dist. conseq.* Ex Aug. Ecclesia spectata secundum suum esse finale, quod est status patriæ, constat ex solis prædestinatis, *conc.* spectata secundum suum esse formale, quod est caritas; vel corporale, quod est cœtus hominum viatorum eamdem fidem sub legitimis Pastoribus profitentium, *nego conseq.* Porro D. Aug. sumit Ecclesiam secundum suum esse finale, quomodo etiam sumit (*l. 3. de doctr. Christ. cap. 32.*), cum dicit: *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum*; scilicet secundum nobiliorem sui partem, ut probet contra Ticonium Donatistam (qui faciebat *Corpus Christi bipartitum*, id est, Ecclesiam bipartitam, unam electorum, & alteram reproborum) nullam esse Ecclesiam reproborum diversam ab Ecclesia prædestinatorum, sed unam ex bonis malisque permixtam.

*Objicies* 3. Soli prædestinati sunt oves Christi, juxta illud Joann. 10. *Oves meæ, vocem meam audiunt*. Ergo ipsi soli sunt in Ecclesia.

Resp. *nego ant.* Quamvis enim aliquando ita stricte accipiantur oves Christi, ut solos significent prædestinatos, ut in textu allato, & Matth. 25. ubi separantur oves ab hædis; aliquando tamen generalius sumuntur, veluti Joann. ult. ubi Christus dixit Petro, *Pasce oves meas*.

*Inst.* 1. De reprobis dicitur (1. *Joann.* 2. *v.* 19.) *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. Ergo reprobi non sunt membra Ecclesiæ.

Resp. *dist. conseq.* Reprobi non sunt membra Ecclesiæ secundum prædestinationem, *conc.* secundum sacramentorum communionem, *nego cons.* Porro hoc sufficit, ut quis sit de gremio Ecclesiæ.

*Inst.* 2. Illi non sunt de gremio Ecclesiæ, qui non sunt Filii Dei; atqui reprobi non sunt Filii Dei.

Resp. 1. *nego maj.* Nam peccatores vere sunt in Ecclesia, sumpta secundum corpus; quamvis non sint Filii Dei, utpote caritate destituti.

Resp. 2. *dist. min.* Reprobi non sunt Filii Dei, si caritate destituantur, *conc.* si caritatem habeant, *subdist.* non sunt Filii Dei veritate finis, *conc.* sic enim solus est filius qui assequitur hæreditatem, juxta illud (1. *Joann.* 2. *v.* 19.) *si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*. Veritate essentiæ seu formæ, *nego min.* Ad hanc filiationem sufficit, ut quis sit in gratia, juxta illud Joann. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*.

*Objicies* 4. D. Greg. Magnus *lib.* 28. *Moralium c.* 9. docet: *Omnes electos intra mensuras Ecclesiæ contineri, & extra eam esse omnes reprobos*. Ergo Ecclesia solos complectitur prædestinatos.

*Resp. dist. conseq.* Ecclesia triumphans, *conc.* Ecclesia militans, *nego conseq.* Itaque D. Gregor. spectat Ecclesiam secundum illum statum in quo erit gloriosa in cœlis, a qua removet omnes reprobos; verum quando loquitur de Ecclesia militante, asserit in ea contineri reprobos cum electis. „ Sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur, *inquit D. Gregor. Magnus*, (*hom.* 12. *in Evangelia*) in qua quia mali cum bonis & reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus & fatuis esse perhibetur. "

## ARTICULUS III.

*Utrum soli justi sint membra Ecclesiæ?*

### CONCLUSIO.

*Non soli justi, sed gravissimi etiam peccatores, sive sint occulti, sive sint publici, sunt membra Ecclesiæ secundum corpus spectatæ.* Est de fide, tum contra Novatianos, & Donatistas, tum contra Lutheranos & Calvinistas, duplicem distinguentes Ecclesiam, fatentur quidem malos ad externam quamdam societatem pertinere quæ sit Ecclesia nomine tantum, non vero ad veram Ecclesiam, quæ, juxta ipsos, ex solis justis componitur.

*Prob.* 1. Ex figuris Ecclesiæ in conclusione superiori relatis, quæ tam de peccatoribus, quam de reprobis intelliguntur; nempe, *area*, quæ continet paleas simul cum tritico; *decem virgines*, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ; *convivium*, in quo boni & mali non habentes vestem nuptialem, intrarunt; *Sagena missa in mare*, & ex omni piscium genere congregans, in qua non solum continentur boni pisces, sed etiam mali, &c.

*Prob.* 2. Ex D. August. (*L. de unit. Eccles. c.* 14.) dicente: „ Habemus innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis in eadem communione Sacramenti; sicut Judas ab initio malus inter bonos undecim conversatus est... ex quibus ne longum faciam, pauca commemoro. Est in Canticis, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: *sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum*. Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? & easdem unde filias, nisi propter communionem Sacramentorum? & Serm. 3. in Psal. 30. *urgens Donatistas ait*: Quid vultis de nobis Catholicis; si boni sumus, in Ecclesia Christi frumenta sumus; si mali sumus, in Ecclesia Christi palea sumus, tamen ab area non recessimus."

*Prob.* 3. Ratione, illi sunt in Ecclesia, qui possunt ejici ab Ecclesia, & pro quibus aliquod Sacramentum est specialiter institutum, neque enim Sacramenta nisi pro Ecclesiæ membris sunt instituta: atqui peccatores, qui correpti Ecclesiam audire noluerint, possunt ejici ab Ecclesia (*Matt.* 18.), & de facto incestuosus Corinthius ab Ecclesia ab Apostolo (1. *Cor.* 5.) est ejectus; item pro peccatoribus specialiter institutum fuit pœnitentiæ Sacramentum; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illi non sunt in Ecclesia, qui non pertinent ad corpus Christi; atqui impii non pertinent ad corpus Christi, nam *qui Spiritum Christi non habet*, id est, caritatem, *hic non est ejus*. (*Rom.* 8.), ergo.

*Resp. dist. min.* Impii non pertinent ad corpus Christi secundum formam, quæ est caritas, *conc.* secundum materiam, *nego min.* Solutio patet ex dictis.

*Subs.* Atqui ut quis sit de Ecclesia, debet habere caritatem.

*Prob. subsumpt.* Ex Symbolo; Ecclesia est sancta; ergo continet solos sanctos; ergo.

*Resp. dist. ant.* Ecclesia est sancta ratione præcipuorum ejus membrorum, doctrinæ, Sacramentorum, &c. *conc. ant.* ratione omnium ejus membrorum, *nego ant. & conseq.* Porro denominatio fit a nobiliori parte.

*Inst.* 1. Illi non sunt membra Ecclesiæ in quos Christus tanquam caput influit: atqui, &c.

*Resp. nego min.* Nam ex D. Thom. (3. *p. q.* 8. *art.* 3.) „ Peccatores percipiunt a Christo quemdam actum vitæ, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliquo modo ab homine; *ergo sunt membra Ecclesiæ, licet imperfecta* ".

*Inst.* 2. Omnia membra debent esse connexa *per omnem juncturam subministrationis* (*Ephes.* 4. *v.* 16.); atqui peccatores non sunt sic connexi cum justis, qui vera sunt Ecclesiæ membra; ergo.

*Resp. dist. maj.* Membra perfecta, de quibus loquitur Apost. *conc.* membra imperfecta, *nego maj.* & similiter consequens. Porro ut quis sit membrum Ecclesiæ imperfectum, sufficit ut habeat fidem, spem, participetque Sacramentis Ecclesiæ sub legitimis Pastoribus.

*Objicies* 2. Qui non habent Deum pro patre, non possunt habere Ecclesiam pro matre; sed peccatores non habent Deum pro patre, quibus Christus dixit (*Joann.* 8.): *vos ex patre diabolo estis*. Ergo.

*Resp. dist. min.* Peccatores non habent Deum pro patre, ratione imitationis, *conc. min.* sic enim sunt *filii diaboli* (1. *Joann.* 3.); ratione doctrinæ, *nego min.* Sic enim omnes qui sunt in Ecclesia, sunt Filii Dei & Ecclesiæ, cujus doctrinam retinent, tamen possunt esse boni & mali, unde *Cant.* 4. dicitur: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*. Ubi filiæ dicuntur animæ christianæ, sed malæ.

*Objicies* 3. De Ecclesia dicitur: (*Isaiæ* 52. *v.* 1.) *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus*. Ergo in Ecclesia nulli sunt immundi, nulli flagitiosi.

*Resp. nego conseq.* Nam, vel ille textus sumitur litteraliter, vel allegorice; *litteraliter* significat finem captivitatis Judæorum, ut sensus sit: cum a captivitate redieris, *non adjiciet ultra*, id est, in longum tempus, ut aliquis *incircumcisus aut immundus*, pertranseat per terras tuas, eas vastando, ut fecerunt Babylonii, *allegorice* autem significat Ecclesiam, de qua prædicit Isaias fore ut portæ inferi non prævaleant adversum eam.

*Objicies* 4. D. Cyprian. (*Epist.* 6. *in Magnum*) scri-

scribit: *In Ecclesia Dei nonnisi concordes & unanimes habitant*. Ergo peccatores, qui cum aliis contentiones movent, non sunt in Ecclesia.

*Resp. nego conseq.* D. enim Cyprianus agens contra Novatianos Schismaticos non loquitur de quacumque concordia & unanimitate, sed de illa quæ opponitur Schismati proprie dicto; nam, *in lib. de lapsis*, graviter conqueritur *esse in Ecclesia maledicentes*, *odiis pertinacibus invicem dissidentes*, & aliis criminibus obnoxios. Et Epist. 51. ad Maximum sic ait: *Impediri non debet, aut fides aut caritas nostra, ut quoniam zizania, id est, malos in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*.

*Objicies* 5. D. Aug. (*l. 5. de bapt. cap. 3.*) affirmat malos non pertinere ad Ecclesiam, eo quod Ecclesia sit sine macula & ruga; ergo.

*Resp. dist. antec.* Ad Ecclesiam triumphantem, *conc. ant.* ad Ecclesiam militantem, *nego ant.* Sese explicat D. August. *lib. 2. de retract. c. 13.* dicens: „ Ubicumque in his libris, *contra Donatistas*, „ commemoravi Ecclesiam non habentem maculam „ aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam „ sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa: nunc propter infirmitates „ membrorum suorum habet unde quotidie tota dicat, dimitte nobis debita nostra. “

*Inst.* 1. Ibidem, D. August. ait: malos non magis esse de Ecclesia quam hæreticos. *In membris illius columbæ*, inquit, *nec hi, nec illi sunt hodie; sed aliqui eorum fortasse futuri sunt*. Atqui hæretici publici non sunt de corpore Ecclesiæ; ergo nec mali & peccatores.

*Resp. dist. maj.* D. August. asserit malos non magis esse de Ecclesia triumphante & gloriosa, quam hæreticos, *conc.* de Ecclesia militante & visibili, *nego maj.* & concessa minore, dist. similiter consequens.

Itaque, D. August. ut refellat Donatistas, qui docebant neminem valide baptizare, nisi esset de Ecclesia gloriosa & triumphante, asserit malos non magis pertinere ad Ecclesiam quæ sine macula est, & in cælis erit gloriosa, quam hæreticos; & consequenter malos christianos non valide baptizare, si hæretici non valide baptizent. Et sic contra ipsos, *Argumento ad hominem*, probat non necessarium esse, ut quis valide baptizet, ut sit de Ecclesia triumphante.

*Instab.* 2. Atqui D. August. asserit non malos esse de corpore Ecclesiæ militantis; ergo.

Prob. ant. *lib.* 2. contra Petilianum; *cap.* 108. *ait*: „ Non ideo putandi sunt esse in Christi cor„ pore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum ejus „ sunt participes. “ Atqui sola Ecclesia militans est sacramentorum Christi particeps, ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Non ideo putandi sunt esse in corpore Christi incorrupto & sine macula, quod est Ecclesia, qualis erit in cælis, *conc.* in corpore Christi permixto, prout nunc militat in terris, *nego maj.* Hanc distinctionem ipse Augustinus tradit, *lib. 3. de Doctrina Christiana, c.* 31. & postquam ista verba: *Nigra sum, sed formosa*, quæ tribuuntur Ecclesiæ, retulit, *c.* 32. addit: *Non dicit, fui, sed sum; utrumque se dicit esse propter temporalem unitatem*. Ergo eadem Ecclesia, pro diversa sui parte, est nigra & formosa; *nigra*, propter impios; *formosa*, propter sanctos & justos. Sicque conciliari debent Scripturæ textus qui de Ecclesia loquuntur diversimode pro diverso statu in quo consideratur: „ Ostendimus, , *ajunt Episcopi* „ *catholici* in breviloquio collationis cum Donati„ stis, *collat.* 3. c. 9. Divina testimonia consonare, „ ut illa, quibus commendaretur Ecclesia cum ma„ lorum commixtione, hoc tempus ejus significa„ rent, qualis est in præsenti sæculo: & illa testi„ monia, quibus commendatur non habere commix„ tos malos, illud ejus tempus significarent, qualis „ venturo sæculo in æternum futura est. “

## ARTICULUS IV.

*Utrum Apostatæ, Hæretici & Schismatici sint membra Ecclesiæ?*

*Nota*. Apostata est ille, qui a tota fide catholica recedens, alicui sectæ, ab Ecclesia Romana separatæ, nomen dedit.

*Hæreticus publicus* est ille, qui palam profitetur doctrinam damnatam ab Ecclesia ut hæreticam.

*Hæreticus occultus* est qui, in externa cum fidelibus communione sub legitimis Pastoribus permanens, interius & latenter contradicit fidei articulis.

*Schismaticus* est ille qui palam, vel latenter, se separat ab unitate Ecclesiæ capitis & membrorum. His notatis,

## CONCLUSIO I.

*Publici Hæretici, & Apostatæ, non sunt membra Ecclesiæ*.

*Prob.* 1. Ecclesia est fidelium cœtus & societas, ex Innoc. III. (*Cap. firmiter, de summa Trinit.*), atqui Apostatæ & Hæretici manifesti, non sunt fideles, quia *circa fidem naufragaverunt*, ut docet Apost. (1. *ad Tim.* 1. 2. 19.) ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex Conciliis, quæ semper Hæreticos excluserunt ab Ecclesia; sic Nicæn. I. cap. 8. habet; *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit S. Concilio ut ordinentur, & sic maneant in Clero*; nemo autem potest venire in Ecclesiam, nisi qui est extra Ecclesiam.

Conc. Constant. can. 6. „ Hæreticos autem di„ cimus, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, „ & qui sunt postea a nobis anathematizati: ad „ hæc autem & eos qui se sanam quidem fidem „ confiteri per se ferunt, avulsi autem sunt & ab„ scissi. “ Sunt procul dubio extra Ecclesiam, qui sunt *abdicati*, *avulsi*, & *abscissi*; ergo, &c.

*Prob.* 3. Ex SS. Patribus: D. Cyprian. (*Epist.* 52. *lib.* 4. de Novatiano scribit: „ Scias nos nec „ curiosos esse debere quid ille (*Novatianus*) „ doceat, cum foris doceat; quisquis ille est, „ Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non „ est. “

D. Hieron. (*Dialogo adversus Luciferianos*) ait: *Scito Marcionitas, Valentinianos, &c. non Ecclesiam Christi, sed Anti-Christi esse Synagogam*.

Div. August. (*L. de unit. Ecclesiæ c.* 4.) scribit: *Quicumque de ipso capite a Scripturis sacris dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur*, in

*in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia.*

*Respondent Novatores*, ea, quæ tum ex Patribus, tum ex Conciliis prolata sunt, intelligi debere de Hæreticis qui negant articulos fundamentales, non autem de iis qui negant articulos non fundamentales; sed.

*Contra est* 1. Quia illa articulorum fidei distinctio fuit ignota toti antiquitati, quæ nomine Ecclesiæ Catholicæ semper intellexit unicam communionem, a qua omnes Hæretici excluduntur. *Omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei -Catholica & Apostolica Ecclesia*, ait Concil. Costantinop. I. Can. 7.

*Contra est* 2. Quia Montanistæ, Novatiani, Quartodecimani, ab Ecclesia exclusi sunt a Patribus: atqui non negabant articulos, quos Jurius vocat fundamentales; neque enim aut circa Trinitatem, aut circa Incarnationem, aut circa gratiam errabant, sed circa nonnulla tantum capita, quæ aut ad disciplinam, aut ad Ecclesiæ authoritatem spectabant; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Juxta Parabolam zizaniorum, in eodem agro sunt zizania cum bono semine; atqui per *agrum* intelligitur Ecclesia, per *bonum semen* intelliguntur Catholici, & per *zizania* Hæretici; ergo.

*Resp. nego min.* In illa enim Parabola per agrum non significatur Ecclesia, sed universus mundus, ut docet D. August. (*Quæst.* 11. *in Matth.*) *Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est* cum dixit: *Ager autem est mundus*: atqui in mundo Hæreticos esse quis umquam dubitavit?

*Inst.* Aliqui Patres cum D. Cyprian. *Epist.* 51. per *agrum* docent significari Ecclesiam: & alii, ut D. Hieron. & D. Chrysost. in hunc locum, per *zizania*, volunt significari Hæreticos; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* 1. Quia Patres, qui per *agrum* volunt significari Ecclesiam, per *zizania* non intelligunt Hæreticos, ut Div. Aug. (*L.* 2. *contra Crescon. c.* 34.) docet de D. Cypriano, qui in eadem Epistola asserit Hæreticos non esse in Ecclesia. 2. Quia Patres, qui per *zizania* volunt significari Hæreticos, per *agrum* non intelligunt Ecclesiam, sed mundum universum, quomodo fecerunt D. Hier. & Chrysost. unde nihil contra assertionem nostram concludunt.

*Objicies* 2. Apost. (2. *ad Tim.* 2. *v.* 20.) dicit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Atqui Apost. per magnam domum intelligit Ecclesiam, & per vasa lignea & fictilia intelligit Hæreticos.

*Resp. nego secund. partem min.* Nam Apost. per vasa fictilia intelligit infirmos & peccatores, Catholicos tamen, qui facile seduci possunt.

*Prob. min.* Ex eis quæ Apost. paullo ante dixerat: *Quorum sermo ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam esse factam, & subverterunt quorumdam fidem ... in magna enim domo*, &c. ergo per vasa lignea & fictilia intelligit Hæreticos.

*Resp. nego conseq.* Nam illa verba, *in magna enim domo*, &c. non referuntur ad ista, *quorum sermo ut cancer serpit*; sed ad ista, *& subverterunt quorumdam fidem*. Unde sensus est, quod si Hymenæus & Philetus quosdam subverterunt, non propterea periculum est, ne omnes subvertantur; nam, *in magna domo sunt vasa aurea & lignea*, id est, fortes & debiles.

*Inst.* D. Aug. (*L.* 4. *contra Donatist. c.* 12.) per vasa lignea & fictilia intelligit Hæreticos, qui sunt in Ecclesia; ergo.

*Resp. dist. ant.* Intelligit Hæreticos ex propria sententia, *nego ant.* ex sententia D. Cypriani, ad cujus verba (pace dixerim) non satis videtur attendisse D. Augustinus, *conc. ant.* ait enim D. Doctor: *Et istos, de quibus ait Apostolus, sermo eorum velut cancer serpit, vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse me non sinit.* Ergo existimavit D. Cyprianum illa verba, *in magna domo*, &c. referre ad ista, *quorum sermo, ut cancer serpit*: cum tamen ea referat ad illa, *& subverterunt quorumdam fidem.*

*Objicies.* 3. Div. Hieron. (*Dialogo contra Luciferian.*) scribit: *Arca Noe, Ecclesiæ typus fuit ... ut ubi lupus & agnus, ita & hic justi & peccatores.* Atqui per peccatores intelligit Hæreticos; ergo.

*Prob. min.* Ille per *peccatores* intelligit Hæreticos, qui ex eo quod peccatores sint in Ecclesia concludit valere baptisma datum ab Hæreticis: atqui sic concludit D. Hieron. ergo, &c.

*Resp. nego min.* Nam D. Hieron. agit contra Luciferianos, qui, licet admitterent baptisma datum ab omnibus Ecclesiæ membris, de quorum numero erant (ut ipsi fatebantur) peccatores & injusti, rejiciebant tamen baptisma datum ab Hæreticis, hac ratione ducti, quod non haberent Spiritum sanctum, & consequenter non possent illum per baptisma dare, quos sic argumento *ad hominem* urgebat D. Hier. atqui improbi Catholici non habent similiter Spiritum sanctum, & tamen baptismus ab illis datus, est validus: ergo & baptismus datus ab Hæreticis.

*Objicies* 4. Ecclesia non judicat, nec punit, nisi qui sunt intra illam; nam ex Apostol. (1. *Cor.* 5.) *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* atqui Ecclesia judicat & punit Hæreticos; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam Ecclesia judicat & punit omnes qui ad illam pertinent; atqui Hæretici ad Ecclesiam pertinent ratione baptismi, licet extra illam vagentur ut disertores; ergo.

*Inst.* 1. Hæretici retinent characterem baptismi, per quem sunt insiti corpori Ecclesiæ; ergo sunt in Ecclesia.

*Resp. retorq. argum. contra Jurium*, qui negant articulos fundamentales, imo & damnati, retinent characterem baptismi; ergo sunt in Ecclesia. *Itaque*, character ille non sufficit, ut quis sit in Ecclesia, sed insuper requiritur fidei professio sub legitimis Pastoribus, unde, *nego cons.*

*Inst.* 2. Illi sunt membra Ecclesiæ, qui veros Christo generant filios; atqui Hæretici veros Christo generant filios.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Qui veros Christo generant filios,

filios, ex Christi sponsa, *conced. maj.* ex Ecclesiæ ancilla, *nego maj.* & sic ad min. Itaque societates Hæreticorum non sunt sponsa Christi; sed ancillæ Ecclesiæ, qui ex semine Christi, hoc est, ex Sacramentis a Christo institutis, filios Christo generant, non secus ab Ecclesia sponsa Christi, ut facunde probat D. Augustinus *lib.* 1. *de bapt. contra Donat.* c. 15.

Resp. 2. *retorq. contra Jurium:* Hæretici, qui negant articulos fidei fundamentales, veros Christo generant filios; ergo sunt in Ecclesia.

*Inst.* 3. Christus soli Ecclesiæ vera dedit Sacramenta; atqui Hæretici vera habent Sacramenta; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Hæretici vera habent Sacramenta a vera Ecclesia accepta, *conc. min.* a sua societate accepta, *nego min.* Hæretici siquidem a vera Ecclesia discedentes, Sacramenta Ecclesiæ secum extra Ecclesiam detulerunt, per quæ gratiam consequuntur qui hæresi non consentiunt, sed necessitate quadam ab Hæreticis Sacramenta percipere coguntur; tales sunt infantes, vel etiam adulti qui simplici corde veritatem quærunt, parati ei adhærere, ubi primum eam cognoverint.

## CONCLUSIO II.

*Schismatici manifesti, non sunt membra Ecclesiæ.*

*Prob.* 1. Ecclesia est societas membrorum inter se, & cum suo capite; ergo qui non sunt pars societatis, non sunt membra Ecclesiæ; atqui Schismatici non sunt pars societatis, hoc enim importat nomen *schisma*, quod a scissione & separatione derivatur; ergo non sunt membra Ecclesiæ, sicut membrum abscissum a corpore, non est amplius membrum corporis. Inde est, quod Ecclesia, in die Parasceve, Deum rogat *pro Schismaticis, ut eos ad sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam revocare dignetur.*

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus. Div. Hieronym. (*In cap.* 1. *Epist. ad Tit.*) ait: *Inter hæresim & schisma, hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma, propter Episcopalem dissensionem, ab Ecclesia separat.*

D. Cyprianus (*Epistola* 9. *ad Papinian.*) *Scire debet . . . . si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.*

D. Fulgent. (*De fide ad Petrum*, *cap.* 38.) docet: „ Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum „ Paganos, sed etiam Hæreticos, & Schismaticos, „ qui extra Ecclesiam Catholicam, præsentem fi„ niunt vitam, in ignem æternum ituros. „

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ecclesia est Catholicorum congregatio; atqui Schismatici sunt Catholici; ergo.

*Prob. min.* Qui retinent fidem Catholicam, sunt Catholici; atqui Schismatici retinent fidem Catholicam; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui retinent fidem Catholicam in Ecclesia Catholica, *conc. maj.* extra Ecclesiam Catholicam, *nego maj.* Porro ex August. (*L. de Symbolo, & Fide cap.* 10.) „ Schismatici discissionibus „ iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea „ credant quæ credimus, quapropter nec Hæreti„ cus pertinet ad Ecclesiam Catholicam quæ dili„ git Deum, nec Schismatici, quoniam diligit „ proximum. “

*Inst.* 1. Ii retinent fidem Catholicam in Ecclesia Catholica, qui cum ea sunt conjuncti; atqui Schismatici sunt conjuncti cum Ecclesia Catholica; ergo.

*Prob. min.* Ex Div. Augustin. (*L.* 1. *de baptism. contra Donatist. cap.* 1.) dicente: „ Si ergo qui „ recessit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit, „ quam quod in unitate percepit, in eo recedit „ atque disjungitur; quod autem ita vult agere si„ cut in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, „ in eo manet atque conjungitur. “ Ergo Schismatici sunt cum Ecclesia conjuncti.

Resp. *dist. conseq.* Schismatici sunt cum Ecclesia conjuncti in unitate, *nego*; nam August. loquitur de eo *qui recessit ab unitate*. Sunt conjuncti in potestate administrandi Sacramenta, quæ ab Ecclesia acceperunt, *conc.* Ergo non sunt conjuncti in omnibus, & ex eo quod eorum *communicatio in aliqua parte separata inveniatur*, ait Div. Aug. (*L. de unit. Eccl. cap.* 4.) *manifestum est eos non esse in Ecclesia Catholica.*

*Instab.* 2. Qui servant essentialem Ecclesiæ Catholicæ communionem, sunt in Ecclesia Catholica; atqui, &c.

*Prob. min.* Essentialis Ecclesiæ Catholicæ communio consistit in communione cum Christo per fidem & subjectionem; atqui Schismatici, etsi nolint subesse Pontifici, servant communionem cum Christo per fidem & subjectionem; ergo.

Resp. *dist. maj.* Consistit in sola communione cum Christo per fidem & subjectionem, *nego maj.* in communione cum Christo, & simul cum legitimis Pastoribus per obedientiam & subjectionem, *conc. maj.* Porro Schismatici, nolentes subjici Pontifici, qui est centrum unitatis, revera communionem cum Christo per subjectionem excutiunt, cum non possit subesse Christo, qui non vult subesse ejus Vicario, juxta illud, *Non te abjecerunt sed me* (1. *Reg.* 8.). Unde S. Optatus, *lib.* 2. de Cathedra Romana ait: „ In „ qua Cathedra unitas ab omnibus servatur: ut jam „ Schismaticus esset, qui, contra singularem, Ca„ thedram alteram collocaret. “

*Inst.* 3. Qui renuit subesse suo Episcopo, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Romano Pontifici; ergo a pari qui renuit subesse summo Pontifici, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Christo.

Resp. *nego ant.* Non qui ab Episcopo suo, summo Pontifici subdito & unito, sese disjungit, ab Ecclesia universali separari necesse est, ait Bellarm. (*L.* 3. *de Eccles. cap.* 5.): unde Div. Cyprian. *Epist.* 9. dicit, *eum qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse*; & D. Thom. (2. 2. *quæst.* 39. *artic.* 1. *in corp.*) ait: *Schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

*Objicies* 2. Eæ societates sunt veræ Ecclesiæ membra, in quibus salus obtineri potest; atqui in societatibus Schismaticis salus obtineri potest; ergo, &c.

Prob.

*Prob. min.* In Schismate, quod sæculo XVI. exortum est inter *Urbanum VI.* & *Clementem VII.* qui se mutuo cum adhærentibus excommunicabant, plures ex utraque parte salutem consecuti sunt, & ad eminentem sanctitatem pervenerunt; ergo Schismatici possunt obtinere salutem.

*Resp. nego cons.* Et dico nullos qui adhærebant partibus *Urbani VI. & Clementis VII.* fuisse Schismaticos: illi enim omnes, errore facti decepti, bona fide adhærebant ei, quem verum & Catholicum Pontificem invincibiliter credebant; & licet summo Pontifici dubio sese non subjicerent, tamen toti Ecclesiæ ad legitimum Concilium adunatæ sese subjiciebant, cujus judicium circa legitimum Pontificem debita reverentia expectabant, ac proinde servabant caritatis fraternæ vinculum: ergo non erant vere Schismatici.

## CONCLUSIO III.

*Hæretici & Schismatici occulti sunt membra Ecclesiæ, sed imperfecte tantum, & quantum ad corpus visibile.*

*Prob.* Quia Div. Joan. (*Epist. 1. cap. 2.*) de Hæreticis occultis loquitur: *Et tunc Anti-Christi multi facti sunt: ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Ergo sunt in Ecclesia, & non sunt; sunt in Ecclesia quoad corpus, nam *exierunt ex nobis*, non potuissent autem exire de Ecclesia, nisi fuissent in illa. Non sunt in Ecclesia, secundum animam, nam *non erant ex nobis*. Quem locum exponens D. August. (*Tract. 3. in Epist. Joann.*) ait: *Omnes Hæretici, omnes Schismatici, ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt . . . . si antequam exirent, non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, & tamen Anti-Christi sunt . . . . sic sunt in Corpore Christi quomodo humores mali.* Quibus verbis exponit D. Aug. occultos Hæreticos esse in Ecclesia quantum ad corpus, & non esse quantum ad animam.

*Confirmatur:* Quia ab Ecclesia per excommunicationis decretum, ubi suam hæresim prodierint, rejici possunt; ergo sunt in ea, donec suam hæresim prodant.

*Objicies.* Ecclesia a Conc. Later. (*cap. firmiter, de summa Trinitat.*) definitur: *Societas fidelium*, & a Nicolao Papa (*Can. Ecclesia, dist. 1. de consec.*) *Catholicorum collectio.* Atqui Hæretici occulti neque sunt fideles, neque Catholici; ergo.

*Resp. dist. min.* Neque sunt fideles, neque Catholici, interius, *conc.* exterius quoad professionem fidei, *nego min.* hoc autem sufficit ut Hæretici & Schismatici occulti ad Ecclesiæ corpus pertineant ut membra arida, imperfecta & mortua; quia tamen nondum amputata, vera membra sunt.

*Inst. 1.* Fides interna, est forma constitutiva Ecclesiæ; ergo qui eam non habent, non sunt de Ecclesia.

*Resp. dist. ant.* Fides interna simul cum caritate, est forma constitutiva Ecclesiæ, spectatæ quoad animam, *conc. ant.* quoad corpus, *nego ant.* sic enim constituitur per externam fidei professionem cum participatione Sacramentorum, & subordinatione ad legitimos Pastores:

*Inst. 2.* Sancti Patres docent omnes Hæreticos & Schismaticos esse ab Ecclesia separatos. *Omnes Hæreticos & schismaticos*, ait D. Ambr. (*l. 7. in cap. 11. Lucæ*) *a regno Dei, & ab Ecclesia intellige separatos.*

*Resp.* Sancti Patres de Hæreticis & Schismaticis manifestis loquuntur; quod si aliqui loquantur de Hæreticis occultis, sensus illorum est, eos non esse de Ecclesia secundum animam sumpta, quamvis sint de corpore Ecclesiæ.

## ARTICULUS V.

*An Excommunicati sint membra Ecclesiæ?*

## CONCLUSIO.

*Excommunicati excommunicatione majori, sive sint tolerati, sive non, non sunt membra Ecclesiæ?*

*Prob. 1.* Ex illo Matth. 18. Christus de excommunicatis secundum omnium expositionem loquens, ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Atqui Ethnici non sunt de Ecclesia; ergo, &c. Apost. (*1. Cor. 5.*) jubens excommunicari incestuosum Corinthium, ait: *Cur non magis luctam habuistis, ut tollatur de medio vestri*, id est, ut ejiciatur de medio Ecclesiæ, *qui hoc opus fecit?*

*Prob. 2.* Ex Jure Can. (*Can. Canonica 12. q. 3.*) „ Canonica instituta, & SS. Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, authoritate Dei „ & judicio Sancti Spiritus a gremio sanctæ matris „ Ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis, „ eliminamus. "

*Prob. 3.* Ratione D. Augustini (*q. 39. in Deut.*) *hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc* (in veteri Testamento) *interfectio.* Atqui interfectio hominem ab hominum societate penitus expellebat; ergo excommunicatio Christianum e gremio Ecclesiæ penitus expellit.

*Objicies 1.* S. Augustinus (*l. contra Donat. post Collat. c. 10.*) sic habet: *Neque enim a populo Dei separamus, quos, vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pænitendi locum redigimus.* Ergo.

*Resp. dist. conseq.* Excommunicati non separantur ab Ecclesia, in perpetuum, sine spe salutis & reditus, *conc.* ad tempus, donec nempe a contumacia recedant, *nego conseq.* unde sensus est, quod excommunicati non separentur tamquam perituri, sed ut, deposita contumacia, firmius uniantur.

*Inst. 1.* Excommunicatio est essentialiter pœna medicinalis; atqui non esset talis, si Christianum ab Ecclesia penitus ejiceret; ergo.

*Resp. nego min.* Quia, *excommunicatus non traditur satanæ quasi damnandus, sed quasi corrigendus*, ait D. Thom. (*in suppl. cap. 22. art. 2. ad 5.*) cum Ecclesia cupiat hac medicinali pœna delinquentem humiliari & humiliatum interim in suum corpus recipere.

*Inst. 2.* Excommunicatus potest salvari per contritionem perfectam, etiamsi moriatur in excommunicatione; atqui nemo potest salvari, nisi sit in Ecclesia; ergo.

*Resp. dist. min.* Nemo potest salvari, nisi sit in Ecclesia, vel re, vel voto, *conc. min.* nisi sit in Ecclesia, semper re, *nego min.* Porro excommunica-

nicatus, qui per contritionem perfectam justificatur, efficaci desiderio est in Ecclesia visibili, quod ei sufficit ad salutem, sicut sufficit Catechumeno, ante susceptionem baptismatis morienti.

*Objicies* 2. Excommunicati tolerati valide Sacramenta administrare possunt, ut constat ex Martino V. (*Bulla*, *ad evitanda*); ergo ab Ecclesia non sunt penitus exclusi.

Resp. *dist. conseq.* Non sunt penitus exclusi ab Ecclesia, quantum ad jurisdictionem, quæ in gratiam fidelium ipsis conceditur, *conc.* quantum ad bonorum communium spiritualium participationem, *nego conseq.* Hoc enim sensu penitus sunt exclusi.

## QUÆSTIO III.

*De notis Ecclesiæ.*

Quæres 1. *Quid sint notæ Ecclesiæ?*

Resp. Sunt certa, atque indubitata quædam signa sensibilia, per quæ vera Christi Ecclesia discerni potest a falsis Hæreticorum & Schismaticorum sectis, quæ sese Christianas immerito nuncupant.

Quæres 2. *Quænam conditiones requirantur in notis veræ Ecclesiæ?*

Resp. Requiruntur tres:

*Prima.* Ut illæ notæ ita veræ Ecclesiæ sint *propriæ*, ut omnes collective sumptæ alteri societati convenire non possint; alioquin non possent veram Ecclesiam designare, cum nulla res discerni possit per signum multis commune.

*Secunda.* Ut illæ notæ sint *notiores ipsa Ecclesia*; alioquin non essent verum medium ad demonstrationem veræ Ecclesiæ.

*Tertia.* Ut sint aliquo modo *sensibiles*, & proportionatæ omnibus hominibus, etiam rudibus, ut omnes facile cognoscere possint veram Ecclesiam in quam ingredi, & in qua permanere tenentur ad consequendam salutem: alioquin Deus saluti hominum non satis providisset... porro notæ illæ debent esse *inseparabiles* a vera Ecclesia; alioquin certam notitiam parere non possent.

Quæres 3. *An illæ notæ pariant evidentem Ecclesiæ notitiam?*

Resp. Pariunt evidentem notitiam *evidentia credibilitatis*, qua Ecclesia, licet nec in se, nec in suis principiis videatur, habet tamen tot tamque gravia testimonia, ut quilibet eam cognoscere possit. Non vero pariunt evidentem notitiam *evidentia veritatis simpliciter*, qua ipsa in se, vel in suis principiis videatur, alias, *credo Ecclesiam*, non esset articulus fidei.

Dixi: *simpliciter*: quia notæ Ecclesiæ quandoque pariunt evidentiam veritatis *hypothetice*, apud eos nimirum qui admittunt Scripturam, & credunt aliquam existere Christi Ecclesiam: quod enim a Scriptura & traditione evidenter deducitur, est evidenter verum ex hypothesi, idest, supposita veritate Scripturæ & traditionis.

Quæres 4. *An qualibet nota Ecclesiæ, seorsim sumpta, distinguat veram Ecclesiam ab Hæreticorum sectis?*

Resp. Distinguit *negative*, quatenus sensibiliter demonstrat illam societatem, quæ vel una ex illis notis caret, non esse veram Ecclesiam. Sed non distinguit *positive*: ad hoc enim ut probetur aliquam societatem esse veram Ecclesiam, requiritur ut omnes notæ collective sumptæ illi conveniant.

Quæres 5. *Quot sint notæ veræ Ecclesiæ?*

Resp. Hæretici duas tantum Ecclesiæ notas admittunt, nimirum, sinceram verbi Dei prædicationem, & legitimum sacramentorum usum, ut inde probent veram in sua societate Christi Ecclesiam reperiri; ita, *Confessio Augustana art. 6.* Calvinus, *lib.* 4. *inst. cap.* 1. E contra Catholici omnes plures Ecclesiæ notas assignant, quæ omnes revocari facile possunt ad quatuor, quæ a Symbolo Nicæno Constantinopolitano recensentur, his verbis: *Credo.... Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Unde refellemus primo notas Ecclesiæ ab Hæreticis assignatas; postea agemus de veris Ecclesiæ notis, quinque Articulis.

### ARTICULUS I.

*De notis Ecclesiæ ab Hæreticis assignatis.*

*Nota.* Non quæritur hic, utrum in sola Christi Ecclesia sincera verbi Dei prædicatio, & legitimus sacramentorum usus reperiantur; nullus enim id jure negare potest. Sed quæritur utrum hæc duo afferri possint pro genuinis Ecclesiæ notis, quibus vera Christi Ecclesia dignosci, & a quacumque alia falsa Ecclesia discerni possit.

### CONCLUSIO.

*Neque sincera verbi Dei prædicatio, neque legitimus sacramentorum usus, sunt genuinæ Ecclesiæ Christi notæ.*

*Prob. Unico argumento.* Conditiones ad veram Ecclesiæ notam requisitæ, sunt tres: 1. Debent esse propriæ, non communes. 2. Debent esse notiores ipsa Ecclesia. 3. Debent esse sensibiles, & cunctis obviæ ac cognitu faciles, ut omnes ad Ecclesiam, & veram fidem adduci possint: atqui tres illas conditiones non habent sincera verbi Dei prædicatio, & legitimus sacramentorum usus: ergo, &c.

*Non primam:* quia nulla unquam fuit Hæreticorum secta, quæ non jactaret apud suam societatem veram Christi doctrinam, veraque ejus sacramenta reperiri, ut tradit Lactantius, *lib.* 4. *inst. c.* 29. dicens: *Singuli quique Hæreticorum cætus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Atqui fieri non potest, ut veræ Christi Ecclesiæ propria sit nota illa, quam tot diversæ Hæreticorum sectæ, inter se & nos pugnantes, sibi vindicant; ergo, &c.

*Non secundam;* quia vera Christi Ecclesia, quæ tot splendidis notis undequaque fulget & emicat, nobis prius innotescit, quam vera Christi doctrina, & legitimus sacramentorum usus; cum, ut supra probavimus, non possit nobis innotescere quænam sit Scriptura sacra, quot & quænam sint sacramenta, nisi per Ecclesiæ authoritatem; ergo ipsa notior est Ecclesia, quam sincera verbi Dei prædicatio & legitimus sacramentorum usus.

*Non tertiam;* quia Christi doctrina, ex qua sola numerum habemus sacramentorum, est humanæ menti

ti impervia, nec omni hominum generi & conditioni accommodata, cum de ea ac de ejus sensu tot & tam graves inter ipsos oriantur concertationes, ut constat ex ipsismet Novatoribus, qui circa numerum librorum canonicorum sunt maxime discordes: sic Calvinus admittit Epistolam ad Hæbræos, Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis, & Apocalypsim, quos tamen libros rejicit Lutherus. Nec magis sunt concordes circa Scripturæ sensum, nam ex his Christi verbis: *Hoc est Corpus meum*, Lutherus colligit veram & realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia, Calvinus præsentiam tantummodo figuratam: ergo non potest quisque per semetipsum in veræ Scripturæ cognitionem, & veram illius interpretationem devenire; debet ergo prius veram inquirere Ecclesiam, ut per eam deinceps quid credendum sit edoceatur, juxta hanc D. Augustini doctrinam, lib. 1. *Contra Cresconium*, cap. 13. „ Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas: ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli meruit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illud est vera Ecclesiæ nota, quod semper usurpatum fuit ut vera Ecclesia secerneretur a falsa; atqui talis est vera Christi doctrina & legitimus sacramentorum usus; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Neque enim id pro veræ Ecclesiæ nota assignari potest, quod Hæretici apud se habere semper gloriati sunt; atqui Hæretici veram doctrinam & vera sacramenta se habere semper gloriati sunt; ergo, &c. Hinc D. Aug. *lib.* 3. *contra Petilianum*, *cap.* 5. dicit: *Nullus prædicans nomen Christi, & gestans ac ministrans sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi.*

*Objicies* 2. Nulla res cognosci potest absque cognitione eorum quæ ad ejus essentiam spectant; atqui vera Christi doctrina & legitimus sacramentorum usus ad essentiam Ecclesiæ spectant; definitur enim, *Cœtus hominum viatorum, unius ejusdemque fidei Christianæ professione, & eorundem sacramentorum communione adunatus*, &c. ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Nulla res cognosci potest cognitione perfecta & quidditativa absque &c. *conc.* cognitione minus perfecta & non quidditativa, *nego maj.* duplex ergo distinguitur cognitio, quidditativa, nimirum, qua rei essentia penetratur, & non quidditativa, qua solum cognoscitur quænam res sit, & ubi existit. Fatemur Ecclesiæ essentiam non posse cognosci, quin vera Christi doctrina & legitimus sacramentorum usus cognoscatur; verum non est necesse, ut ejus essentia penetretur ab iis omnibus qui eam ingredi tenentur, cum multi illius cognoscendæ sint incapaces, aut ex imperitia, aut ex defectu ingenii; sufficit ergo, ut cognoscant & quanam sit Ecclesia, & ubi sit.

*Objicies* 3. Scriptura est notior Ecclesia; ergo est nota Ecclesiæ.

*Resp. dist. antec.* Est notior hypothetice & aliquando, *conc.* absolute & semper, *nego ant.* itaque Scriptura est notior Ecclesia, ex hypothesi quod eam admittant ambæ partes, & in locis ubi est clara; non vero est notior absolute & respectu eorum qui non admittunt Scripturas, quales sunt Gentiles & Pagani, quia eis facilius est Ecclesiam cognoscere, quam Scripturam. Hinc quando D. Aug. agebat contra Donatistas, qui contendebant Baptismum datum ab Hæreticis nullum esse, quia circa hoc fidei punctum Scriptura, quam admittebant Donatistæ, erat obscura, idcirco validum eum probat, quod eum admitteret Ecclesia ubique diffusa: „ Nunc vero, *ait*, Cum in Scripturis non invenimus aliquos ad Ecclesiam transiisse ab Hæreticis, & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos; suscipiendi sunt isti, quemadmodum suscipit ista Ecclesia per omnes gentes. "

*Inst.* 1. Ecclesia probatur per Scripturam; ergo Scriptura est notior Ecclesia.

*Resp. dist. ant.* Ecclesia probatur per Scripturam, secundario & hypothetice, *conc.* primario & absolute, *nego ant. & conseq.* Equidem Ecclesia probatur per Scripturam, sed apud eos solum qui admittunt Scripturas, quales sunt ut plurimum Hæretici, non vero Ecclesia probatur primario & apud omnes per Scripturam, ut probabimus, *art.* 4. *de infallibilitate Ecclesiæ*, ubi diluemus circulum vitiosum, quem nobis mendaciter improperant Hæretici . . . Responsio constat ex Div. Augustino, qui agens contra Donatistas, qui, admittentes Scripturas, asserebant apud se solos esse veram Ecclesiam, ait, Epist. 105. „ Ecce Scripturæ communes, ecce ubi novimus Christum, ecce ubi novimus Ecclesiam ..... si in ipsum Christum, quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis, & videtis? "

*Inst.* 2. Div. August. pluribus locis ostendit non posse Ecclesiam aliter cognosci, quam per Scripturam: sic, *lib. de unitate Ecclesiæ*, *cap.* 19. ait: *Sed utrum ipsi* (Donatistæ) *Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant*; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Neque enim ex eo textu sequitur Ecclesiam aliter cognosci non posse, nisi per Sciptu-ram; sed ex eo id solum colligi potest, quod nullæ sint notæ veræ Ecclesiæ, quæ non habeant testimonium a Scriptura, & ejus authoritate non fulciantur.

*Inst.* 3. Div. Chrysost. Homil. 49. in c. 24. Matth. ait: *Qui vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Et postea: *Aliiqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & periunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia.* Ergo, &c.

*Resp.* 1. *nego conseq.* Quia hoc opus imperfectum in Matthæum complectens 54. Homilias non est D. Chrysostomi, licet quandoque sub ejus nomine laudetur: quod ostendo ipsismet verbis H. Tournely: „ Tum quia, inquit, utitur vulgata versione latina Scripturæ Sacræ: tum quia citat libros Apocryphos, librum nempe Seth, Ezechiæ. Itinerarium Clementis, quorum certe nullus apud genuinum Chrysostomum usus: tum denique quia multa continet dogmata hæretica, veræ S. Chrysostomi doctrinæ aliena. "

Resp.

Resp. 2. *Tournely:* „ Eo sensu, in mente Au-„ thoris illarum Homiliarum, Scripturam esse no-„ tam Ecclesiæ, quod ipsa sola nobis subministret „ veras notas, quibus possumus eam secernere ab „ Hæreticorum conventiculis, cum quibus multa „ communia habemus. “

## ARTICULUS II.

### *De unitate Ecclesiæ.*

*Nota* 1. Unitas Ecclesiæ in tribus potissimum posita est, nempe 1. In universali ejusdem fidei consensione; nam ex Apost. (*Ephes.* 4.) *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* 2. In eorumdem Sacramentorum participatione, ut dicit Aug. (*Epist.* 118.) *Christus paucissimis Sacramentis unitatem novi populi colligavit.* 3. In eodem ubique terrarum regimine sub Pastoribus ab Apostolis continua successione ordinatis, atque uni capiti visibili, Romano Pontifici, qui sit unitatis centrum & origo, subordinatis.

*Nota* 2. Ecclesia Romana sumi potest particulariter, aut universaliter.

Ecclesia Romana *particulariter* sumpta, est ea Ecclesia quæ Romæ constituta est, quæ vocatur *Sedes Romana*, & quæ non minus particularis est, quam Ecclesia, v. g. Tullensis; cum hoc tamen discrimine, quod inter Ecclesias particulares sit principalior, atque mater ceterarum, quatenus in ea est sedes D. Petri, & successorum ejus, qui omnibus aliis Ecclesiis præsunt.

Ecclesia Romana *universaliter* sumpta, est ea fidelium societas, quæ per totum orbem diffusa, Sedem Romanam agnoscit pro Sede, cui a Christo concessus est primatus in omni Ecclesia, cui consequenter aliæ omnes particulares Ecclesiæ obedire tenentur: hæc vocatur *Ecclesia Romano-Catholica*, de qua hic agimus.

*Nota* 3. Novatores, maxime Jurius, *docent* 1. Ecclesiam non esse unam quandam societatem Christianorum, sub iisdem Pastoribus, eadem dogmatum communione, conjunctorum, sed esse unam conflatam ex omnibus sectis, quæ Christianum nomen profitentur, quantumvis Hæresi, aut Shismate, a se invicem sejunctis, modo non errent in fundamentalibus fidei articulis.

*Docent* 2. Sedem Romanam, seu summum Pontificem, non esse centrum unitatis Ecclesiæ, contra quos.

## CONCLUSIO I.

*Ecclesia est una, extra quam salus obtineri non potest.*

*Prob. prima pars*: 1. Ex Scriptura: Ecclesia est corpus, ovile, & sponsa Christi: atqui corpus Christi est unicum, Ephes. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus Spiritus*, &c. Ovile Christi est unicum, Joann. 10. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Sponsa Christi est unica. *Christus*, ait Optatus Milev. lib. 1. *Sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum* c. 4. *ipse testatur: qui cum unam laudat, cæteras damnat.*

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus qui Ecclesiam comparant cum Arca Noe; cum veste Christi inconsutili; cum domo, in qua Agnus Paschalis comedebatur: atqui una tantum fuit Arca Noe, una, atque indivisa vestis Christi, una domus pro comestione Agni Paschalis præcepta; ergo, &c.

*Prob. secunda pars*: Ex constanti Patrum traditione. D. Cyprian. (*Epist.* 62. *ad Pomponium*) de Hæreticis & Schismaticis ait: „ Neque enim vi-„ vere foris possunt, cum domus Dei una sit, & „ nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit. “

S. Aug. *Serm.* 6. sic loquitur: *Nunquam homo, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit invenire.*

D. Fulgent. (*Lib. de fide ad Petrum cap.* 39.) ait: „ Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemli-„ bet Hæreticum, sive Schismaticum .... si Ec-„ clesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quan-„ tascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi „ nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse sal-„ vari. “

*Dices contra* 1. *partem*: Apost. *Rom.* 16. ait: *Salutant vos omnes Ecclesiæ*; ergo Ecclesiæ sunt plures.

Resp. *dist. conseq.* Sunt plures Ecclesiæ particulares, quæ omnes sunt partes Ecclesiæ universalis, sicut plures civitates sunt partes unius regni, *conc.*; sunt plures Ecclesiæ universales, *nego conseq.*

*Instat Jurius*: Ad unitatem Ecclesiæ sufficit consensus in ea fide per quam Christiani sumus; atqui Christiani sumus per admissionem solorum articulorum fundamentalium; ergo, &c.

Resp. 1. *nego maj.* Nam ad unitatem Ecclesiæ requiruntur tres conditiones supra enumeratæ.

Resp. 2. *nego min.* Nam vera fides, quæ est una & indivisa, non potest stare cum dissensu ab aliquo articulo per Ecclesiam definito: dicit enim Apostolus, Philipp. 2. „ Si quod solatium carita-„ tis, idem sapiatis, eandem caritatem habentes, „ unanimes, idipsum sentientes, nihil per con-„ tentionem “. Sed qui non admittunt omnes veritates fidei definitas, non idem sapiunt, non sunt unanimes, perpetuas contentiones habent, etiam circa articulos quos vocant fundamentales. Nam Lutherani, v. g. affirmant articulum de reali præsentia esse fundamentalem, quod negant Calvinistæ. Item Calvinistæ contendunt doctrinam de Christi divinitate, de gratuita prædestinatione, de baptismi infantibus collati validitate, esse fundamentalem; quod tamen negant Sociniani & Anabaptistæ: ergo apud Novatores non reperitur unitas fidei.

*Inst.* 2. Ecclesia non potest novos fidei articulos condere, cum ipsi non fiant novæ revelationes; ergo non requiritur ad fidei unitatem, ut omnia credantur quæ de novo definiuntur.

Resp. *nego conseq.* Licet enim Ecclesia non possit novos condere fidei articulos, tamen, pro temporum necessitate & insurgentium Hæreticorum oppugnatione, potest, ex Scriptura & traditione, definire aliquid esse de fide; cui definitioni, per assistentiam Spiritus sancti factæ, quilibet Christianus tenetur obtemperare, nisi velit *sicut Ethnicus & Publicanus* haberi.

*Dices contra* 2. *partem*: Extra Synagogam poterant omnes salvari; ergo & extra Ecclesiam, quæ successit Synagogæ.

Resp. *transeat ant.* *nego conseq.* Disparitas est; quod Synagoga non fuerit Catholica, cum solos Judæos colligaverit, e contra Ecclesia Christi est Catholica, toto orbe terrarum diffusa, quæ licet Synagogæ successerit, tamen ejus imperfectionibus non participavit.

Dixi, *transeat ant.* Quia, juxta multos, extra Synagogam nullus Judæus salutem consequi poterat: utpote transgressor pacti cum Deo per circumcisionem initi.

## CONCLUSIO II.

*Sedes Romana est centrum unitatis Ecclesiæ, ita ut non possit esse una absque subordinatione & dependentia a supremo ejus capite, Romano Pontifice.*

*Prob.* 1. Ea Sedes est centrum unitatis Ecclesiæ, quæ jure divino primatum habet in universa Ecclesia; atqui Sedes Romana jure divino habet primatum in universa Ecclesia, ut infra probabitur; ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex constanti SS. Patrum traditione, inter quos quatuor tantum brevitatis causa referam.

S. Iren. (*L. advers. hær. cap.* 3.) ait: *Ad hanc Ecclesiam Romanam, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles.*

S. Cyprian. (*L. de unitate Ecclesiæ.*) *Exordium ab unitate proficiscitur, & primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.*

S. Hieronym. Epist. 14. ad Damasum sic loquitur: „ Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit durante diluvio. "

Optatus Milev. l. 2. contra Parmenianum: „ Negare non potest, ait, te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam ... in qua una Cathedræ unitas ab omnibus servaretur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularum Cathedram, alteram collocaret. "

*Dices:* Sufficit servare unitatem cum Christo supremo Ecclesiæ capite; ergo ad unitatem Ecclesiæ necessaria non est dependentia a Romano Episcopo, & cum ipso communio.

*Resp. nego ant.* Equidem Christus est caput Ecclesiæ, sed invisibile; verum, cum Ecclesia sit corpus visibile, requiritur etiam ut habeat aliquod caput visibile, cui adhæreant singula Ecclesiæ membra: tale autem est Pontifex Romanus.

*Inst.* S. Cyprian. obiit extra communionem Stephani Romani Pontificis, a quo erat excommunicatus; ergo ad unitatem Ecclesiæ non requiritur communio cum Romano Pontifice.

Resp. *nego ant.* Licet enim Stephanus R. P. comminatus fuerit anathema in Cyprianum, & alios Africanos; tamen ultra minas non perrexit, ut docet Div. Aug. (*Lib.* 5. *de Baptismo contra Donatist. cap.* 25.) „ Stephanus abstinendos putaverat, (*Africanos*) ... vicit tamen pax in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur. "

## CONCLUSIO III.

*Sola Ecclesia Romano-Catholica habet unitatem, quæ vera Christi Ecclesiæ est nota.*

*Prob.* Unitas quæ veræ Ecclesiæ est nota, in tribus consistit, nempe: 1. In universali ejusdem fidei confessione. 2. In eorundem Sacramentorum participatione. 3. In dependentia a Romano Pontifice, & aliis Pastoribus ipsi subordinatis; atqui hæc tria occurrunt in Ecclesia Romana, quæ ubique terrarum eadem administrat Sacramenta, eamdem fidem profitetur cum dependentia a Romano Pontifice, ut patet; non vero occurrunt in Sectis Hæreticorum; namque.

1. Hæretici inter se, nec quoad fidem, nec quoad Sacramenta conveniunt, ut constat ex Sectis Lutherana & Calviniana, quæ sibi invicem adversantur in numero Sacramentorum, in præsentia Christi in Eucharistia, & in infinitis aliis quæ referre tædet; imo una eademque facta seipsam contradictionibus, & infinitis variationibus confodit, (*Vide Illustriss. Bossuet. lib. de variationibus.*) nec diu stat quin in plures factiones disrumpatur, ita ut de sola secta Lutheri Bellarm. (*Lib.* 4. *de notis Eccles. cap.* 10.) dicat: „ Nunc autem numerantur fere 100. diversissimæ sectæ ab uno Luthero prodeuntes, id quod fit magna providentia Dei, nam hoc modo hæreses seipsas consumunt. " Ergo sola Ecclesia Romana habet unitatem; &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicit* 1. Calvin. (*In præf. instit.*) ex ipsa Apostolorum Ecclesia ortæ sunt variæ sectæ Simonianorum, Nicolaitarum, Marcionitarum, &c. Ergo non mirum est, si ex Ecclesia Lutheranorum & Calvinistarum variæ ortæ sint sectæ contrariæ.

*Resp. dist. ant.* Ex Ecclesia Apostolorum, & non ex ipsius Ecclesiæ doctrina, ortæ sunt sectæ variæ, *conc. ant.* ortæ sunt ex ipsa Ecclesiæ doctrina; *nego ant.* Itaque in Ecclesia Romano-Catholica extat regula certa & infallibilis finiendarum controversiarum, judicium scilicet Ecclesiæ, & ideo divisio Hæreticorum ab Ecclesia Romana non oritur ex ipsius Ecclesiæ doctrina, sed ex malitia diaboli, ait Bellarm. At in Ecclesiis Hæreticorum nulla est regula certa finiendarum controversiarum, cum enim illi suo privato spiritu ducantur, necesse est eos ex suæ Ecclesiæ doctrina in partes omnino contrarias abripi.

*Inst.* 1. *Calvin.* (*L.* 4. *instit. cap.* 13.): In Ecclesia Romana tot sunt Sectæ & divisiones, quot sunt Monachorum ordines, quorum alii Benedictini, alii Franciscani, alii Dominicani dicuntur; ergo Ecclesia Romana non est una.

*Resp. nego ant.* Nam illæ societates, non minus quam cæteri fidelium, legitimis Ecclesiæ Pastoribus, nimirum Romano Pontifici subjiciuntur, eandem fidem profitentur. Nec illa nomina Benedictinorum, Franciscanorum, &c. desumpta sunt ab autho-

authore doctrinæ, sed ab institutore severioris & arctioris disciplinæ, ut notum est.

*Inst.* 2. Illæ Monachorum societates, imo singula Monasteria sibi diversum altare erexerunt; ergo constituunt Sectas diversas & Schismaticas.

Resp. *dist. ant.* Sibi erexerunt altare diversum materialiter, *conc. ant.* formaliter, ita ut altare aliorum censeant profanum, *nego ant.* Porro nullus potest dici Schismaticus propter diversum altare materialiter, alias omnes Parochi essent Schismatici, quia habent diversa altaria in eadem civitate.

*Objicies* 2. In Ecclesia Romana non est doctrinæ consensio; ergo sufficienti unitatis charactere non est insignita.

*Prob. ant.* Alia est doctrina Thomistarum, alia Scotistarum, alia Molinistarum, &c. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Alia est doctrina Thomistarum, alia, &c. circa dogmata fidei, *nego ant.* in his enim omnes sunt perfecte concordes, quæ non pendent a particularibus Doctorum opinionibus, sed ex Ecclesiæ definitionibus. Circa opiniones liberas Scholæ, *conc. ant.* illæ enim opiniones non attingunt dogma in se, sed solum in modo illud explicandi, v. gr. omnes nostri Doctores 7. Sacramenta admittunt, admittunt illa conferre gratiam ex opere operato, id est, ex virtute sibi a Christo indita; sed an conferant gratiam physice, an moraliter, est libera opinio scholæ, circa quam varias in partes abire permittit Ecclesia.

*Objicies* 3. Licet Ecclesiæ omnes habeant eamdem fidem, & eadem Sacramenta, non ideo potest dici una; ergo, &c.

*Prob. ant.* Plura quæ habent easdem qualitates, licet sint similia, non sunt tamen unum: ergo licet singulæ Ecclesiæ particulares habeant eamdem fidem, &c. non sequitur eas esse unam Ecclesiam.

Resp. *nego con.* Disparitas est, quod quæ habent easdem qualitates, non habent eumdem finem, aut, si forte habeant, in eum tendunt velut entia quædam completa, non vero ut partes unius totius, prout faciunt illi qui unam, eamdemque habent fidem, &c.

*Objicies* 4. Licet diversa regna habeant eumdem principem, non tamen sequitur quod sint unicum regnum; ergo licet omnes Ecclesiæ particulares habeant eumdem Pontificem, non sequitur eas esse unam ob unitatem capitis.

Resp. *nego conseq.* Quia singulares Ecclesiæ non constituunt diversa regna, uni capiti per accidens subdita, ut fit in regnis hujus mundi; sed constituunt unicum regnum, ordinatione Christi, uni capiti subditum, unde comparatio non est ad rem.

## ARTICULUS III.

### *De sanctitate Ecclesiæ.*

*Nota* 1. Ecclesiam Christi in se esse sanctam, certum est apud omnes, etiam hæterodoxos, nam *pro ea se ipsum tradidit Christus, ut eam sanctificaret.* Unde membra Ecclesiæ dicuntur, *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* (1. Petri 2.).

*Nota* 2. Ecclesiam non esse sanctam hoc sensu, quod singula illius membra habeant sanctitatem, quam in ipsis desiderat pia mater; in ea enim sunt boni & mali.

*Nota* 3. Licet Ecclesia dicatur, & sit sancta, *tum* ratione capitis Christi Domini, qui est fons & origo omnis sanctitatis: *tum* ratione finis, nempe cultus divini, cui promovendo consecrata est; *tum* ratione Sacramentorum, quæ sunt gratiæ sanctificantis efficacia instrumenta; tamen sanctitas, quæ est nota veræ Ecclesiæ, in tribus potissimum posita est: nempe 1. in sanctitate fundatorum; 2. in sanctitate doctrinæ, & professionis; 3. in sanctitate præcipuorum membrorum; ideo hic quæritur, in qua societate reperiatur triplex illa sanctitas.

### CONCLUSIO.

*Sola Ecclesia Romana est sancta, sanctitate quæ est nota veræ Christi Ecclesiæ.*

*Prob.* In tribus posita est sanctitas, quæ veræ Ecclesiæ nota est, ut dictum est; atqui sola Ecclesia Romano-Catholica hac triplici sanctitate gaudet.

*Prob. min.* Per partes.

1. Ea Ecclesia est sancta sanctitate fundatorum, quæ pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes; atqui sola Ecclesia Romana pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes, nimirum Apostolos & Apostolicos viros, sanctos Patres, variosque qui ipsis successerunt Pontifices, & Episcopos, qui eminenti sanctitate præditi, ac miraculis clari, martyrium tandem pro Christo ejusque Ecclesia firmo ac constanti animo subierunt; ergo.

E contra societates pseudo-reformatorum pro fundatoribus agnoscunt Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam, &c. qui omni vitiorum & excessuum pruritu corrupti fuerunt, ut nemo ignorare potest; ergo.

2. Ea Ecclesia est sancta sanctitate doctrinæ & professionis, quæ fidem sanctam & mores sanctos profitetur; atqui Ecclesia Romana fidem sanctam & mores sanctos profitetur; nihil enim proponit credendum, nisi quod in verbo Dei scripto & tradito continetur, nulla morum præcepta tradit, quæ non sunt sanctissima, per quæ omne vitium damnatur, & omnis virtus commendatur; ergo.

E contra sectæ Hæreticorum habent doctrinam a fide alienam, & præcepta quæ bonis moribus adversantur; docent enim: „ Deum esse causam peccati; „ proditionem Judæ non minus esse opus Dei, „ quam S. Petri conversionem; præcepta divina esse „ impossibilia; bona opera non esse ad salutem ne„ cessaria; Sanctos non esse invocandos; justitiam „ esse inamissibilem; matrimonium esse jure divi„ no præceptum etiam Sacerdotibus & Monachis; “ & multa alia quæ viam omnibus vitiis aperiunt, virtutibus autem præcludunt.

3. Ecclesia Romana est sancta sanctitate præcipuorum membrorum, quæ sanctitas, licet sit interna, tamen se prodit exterius; estque visibilis secundum suos effectus, juxta illud (*Matt.* 5.): *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Quot enim in ea Episcopi, Sacerdotes, & alii Ecclesiæ ministri, in quibus eæ dotes elucent, quos Apostolus, scribens ad Timotheum, requirit,

quirit? quot sanctæ Congregationes, quarum professores, contemptis sæculi divitiis & honoribus, totos se tradunt operibus, ac rerum divinarum contemplationi? quot Laici, qui hoc mundo utuntur tanquam non utantur, qui *induunt se, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* (*Coloss.* 3. *v.* 12.)?

E contra apud sectas hæreticorum, quot luta, quot fæces; nec mirum: eorum enim doctrina favet omnibus cupiditatibus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ea societas non est sancta, quæ identidem indiget reformatione; atqui Ecclesia Romana talis-est; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quæ indiget reformatione in eis quæ spectant ad fidem & mores, *nego maj.* in eis quæ spectant ad solam disciplinam, *conc. maj.* Porro Ecclesia Romano-Catholica semper retinuit doctrinam, quam Apostoli tradiderunt; & ideo numquam indiguit reformatione in eis, quæ ad fidem & mores spectant, sed in eis tantum quæ spectant ad disciplinam; sanctitas autem, quæ est nota Ecclesiæ, non consistit in sanctitate disciplinæ, sed in sanctitate doctrinæ.

*Objicies* 2. Ecclesia non potest dici sancta propter sanctitatem aliquorum ejus membrorum; ergo.

*Prob. ant.* Denominatio desumitur a majori parte; atqui Ecclesia continet plures malos, quam bonos; ergo.

Resp. *dist. axioma.* Denominatio desumitur a majori parte, quando agitur de qualitate per subjectum extensa, *conc.* sic paries pro majori sui parte dealbatus, denominatur albus. Quando agitur de qualitate, quæ non est sic per subjectum extensa, *nego axioma*, tunc enim denominatio desumitur a nobiliori parte: sic civitas dicitur opulenta, propter quosdam in ea opulentos, licet multo plures in ea sint inopes.

*Inst.* Ecclesia non dicitur prædestinata propter paucos, qui in ea sunt tales; ergo non debet dici sancta propter paucos, qui in ea sunt sancti.

Resp. *nego ant.* Nam potest dici prædestinata, non secus ac dicitur sancta.

*Prob. ant.* Ecclesia non dicitur damnata propter reprobos qui in ea sunt; ergo nec prædestinata propter prædestinatos.

Resp. *nego conseq.* Quia, ut dictum est, denominatio desumitur a parte nobiliori.

## ARTICULUS IV.

### *De Catholicitate Ecclesiæ.*

*Nota.* Ecclesia dicitur *Catholica*, ab universalitate locorum per quæ diffunditur, juxta illud Aug. (*Epistol.* 107.) „ Ecclesia catholica appellatur quia per totum orbem terrarum diffunditur. *Hinc Optatus* (L. 2. contra Parmen.) *sic urget Parmenianum*: Ubi ergo proprietas catholici nominis? cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod sit ubique diffusa. "

### CONCLUSIO I.

*Ecclesia Christi vere est catholica.*

*Prob.* 1. Ex verbis ipsius Domini Luc. 24. „ Quoniam scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere tertia die & prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. *Quæ verba exponens Aug.* (L. de unitate Eccl. cap. 10.) *ait*: Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam unde cæptura, & quousque perventura esset; cæptura scilicet ab Jerusalem, & perventura in omnes gentes. *Quod prædixerat Regius Psaltes* (Ps. 71.): Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ. "

*Prob.* 2. Ex præcepto Apostolis a Christo dato Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes.* Quod præceptum ab Apostolis fuit accuratissime impletum, ut testatur Apost. Rom. 10. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

*Prob.* 3. Ex Patribus, qui assignant catholicitatem pro vera & singulari Ecclesiæ nota, qua distinguitur a qualibet alia societate.

Ex Aug. (*Lib. contra Epist. fundament. cap.* 4.) dicente: „ Tenet me in Ecclesiæ gremio ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam „ multas hæreses, sic ista sola Ecclesia obtinuit ut „ cum omnes hæretici se catholicos dici velint, „ quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam, vel domum suam audeat ostendere. Et „ l. de vera religione, cap. 7. Velint nolint, ait, „ ipsi quoque Hæretici & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, „ catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant: „ non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. "

Ex S. Paciano (*Epist.* 1. *ad Simpronianum*), qui ut significet se in vera Christi Ecclesia esse, sic loquitur: *Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, hoc me ostendit.* His duobus Patribus omnes alii consentiunt."

### CONCLUSIO II.

*Catholicæ nomen soli Ecclesiæ Romanæ convenit.*

*Prob.* Ei soli societati convenit *catholicæ* nomen, quæ per totum orbem terrarum diffusa est; atqui sola Ecclesia Romana per totum orbem terrarum diffusa est, eminet enim in Europa, Asia, Africa, & America; ergo.

E contra vero societates Hæreticorum in aliquibus duntaxat, aut Europæ, aut aliarum orbis partium angulis reperiuntur: „ Diversorum autem Hæreticorum Ecclesiæ, catholicæ non dicuntur, *ait D. Aug.* (Serm. 131. de tempore) quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur; hæc vero, *Ecclesia Romana*, a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. "

*Objicies.* Ecclesia Romana non est ubique diffusa; ergo non debet dici catholica.

Resp. *neg. ant.* Diffusio enim, quæ, juxta Prophe-

phetias, veræ Ecclesiæ convenit, duplex est. *Successiva:* nimirum, qua temporum successu Evangelium omnibus gentibus annuntiari debet; juxta illud Isaiæ 2. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*. Quod successive fieri debuit. Et *diffusio permanens*, secundum quam Ecclesia debet ingentem multitudinem continere, & latius patere, quam ulla alia Christianorum secta seorsim sumpta. Atqui utraque illa diffusio Ecclesiæ Romanæ convenit; nam

1. Successive, & per partes propagata fuit *per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem*. Hoc ex continua Pastorum & Populorum successione ostenditur.

2. Etsi Ecclesia Romana, mathematice loquendo, non sit ubique physice diffusa, tamen ubique est visibilis, & tantam multitudinem in sua diffusione continet, ut longe superet alias Hæreticorum sectas.

*Prob. ant.* Hæreticorum & Schismaticorum sectæ majorem orbis partem occupant; ergo.

*Resp. dist. ant.* Omnes Hæreticorum sectæ collective sumptæ, *conc. ant.* distributive sumptæ *neg. ant.* Ergo Ecclesia Romana non est ubique diffusa physice, *conc. conseq.* nam sunt aliquæ gentes, quibus Evangelium nondum est annuntiatum. Moraliter, *nego conseq.* Porro ad Ecclesiæ catholicitatem, sufficit diffusio moralis, quæ in hoc consistit, ut Ecclesia, quæ dicitur catholica, in præcipuis orbis partibus ita emineat, ut diffusior sit qualibet alia secta seorsim sumpta, nec sicut sectæ particulares quibusdam provinciis, aut regnis coarctetur; atqui talis est Ecclesia Romana; ergo est vere catholica.

Præterea *nemo dubitat quin Div. Augustini tempore innumeræ essent gentes, quæ nihil audierant de Evangelio:* ait Juenin (*Disser.* 4. *de locis Theol. c.* 4. *art.* 3.) *constat plurimas hæreses tunc in orbe Christiano grassatas fuisse: & tamen id non impedit, quin Ecclesia ab Aug. cæterisque ejus ævi Patribus, catholica diceretur*.

*Inst.* 1. Religio Mahumetica magnam orbis partem occupat. Ergo est diffusior Ecclesia Romana.

*Resp. dist. text.* Magnam orbis partem occupat, extra quam non progrediatur, *conc. ant.* extra quam progrediatur, *nego ant.* Nam intra suos fines ita continetur, ut ulterius non progrediatur, solaque Ecclesia Romana cultores habet in omnibus mundi partibus, etiam in terris Hæreticorum & Mahumetanorum. Præterea *Catholicum*, interpretatur a S. Paciano (*Epist.* 1. *ad Sympronianum*) *ubique unum:* sed Mahumetismus, non secus ac hæresis, in varias subdividitur sectas, sibi invicem oppositas, quarum nulla seorsim sumpta, Romanæ Ecclesiæ prævalet.

*Inst.* 2. Multo plures sunt Mahumetani, quam Christiani Romani; ergo Mahumetismus est diffusior Ecclesia Romana.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Quia catholicitas non tam desumitur ex majori professorum numero, quam ex majori dispersione & diffusione. Præterea notæ Ecclesiæ non eam distinguunt, nisi a sectis Hæreticorum & Schismaticorum, quæ se christianas dicunt: nam vera Ecclesia in suo ortu non fuit catholica respectu Paganorum qui universum fere orbem occupabant, sed respectu duntaxat Nicolaitarum, Cerinthianorum, Ebionitarum, &c. qui tempore Apostolorum Ecclesiam sciderunt.

Dixi: *transeat:* Quia Ecclesia Romana Mahumetismo prævalet etiam numero, si omnes numerentur Romani Catholici qui in Mahumetanorum & Hæreticorum regionibus versantur; & ideo poterat negari antecedens.

## ARTICULUS V.

### *De Apostolicitate Ecclesiæ.*

*Nota*. Ex duplici capite Ecclesia dicitur *Apostolica*. 1. Ex parte doctrinæ ab Apostolis traditæ, quam docet Ecclesia. 2. Ex parte authoritatis a Christo Apostolis traditæ, & ab Apostolis ad successores transmissæ.

*Certum est* itaque, eam Ecclesiam esse Apostolicam, quæ docet doctrinam ab Apostolis, tum scripto, tum viva voce traditam, & quæ regitur a successoribus Apostolorum; unde hic unice resolvendum est, quænam inter omnes societates, quæ se Christianas nominant, sit Apostolica, tum ratione doctrinæ, tum ratione authoritatis; ideo

## CONCLUSIO I.

*Sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ ab Apostolis ad nos usque derivatæ.*

*Prob.* Illa Ecclesia est Apostolica ratione doctrinæ, quæ nullam aliam profitetur doctrinam, quam quæ ab Apostolis fuit tradita ac disseminata; atqui Ecclesia Romana nullam aliam profitetur doctrinam, quam quæ ab Apostolis tradita fuit ac disseminata, de qua Tertullianus (*lib. de præscript. cap.* 10.) ait: „Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum." Nec ullus Ecclesiæ Romanæ novitatem in aliquo dogmate potest objicere, cum omnium suorum dogmatum antiquitatem, legitima præscriptione, demonstrat.

E contra, sectæ Hæreticorum novitatis in doctrina facili negotio convincuntur ab Ecclesia Romana, quæ evidenter probat, a quibus, quo tempore, in quo loco, falsa eorum dogmata invecta fuerunt, & a quibus fuerunt oppugnata. Unde de ipsis possumus dicere quod Tertullian. (*l. de præscript. cap.* 32.) de Hæreticis sui temporis dixit: „Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus authoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent". Ergo sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ.

CONCLUSIO II.

*Sola Ecclesia Romana est Apostolica ratione authoritatis.*

*Prob.* Illa sola Ecclesia est Apostolica ratione authoritatis, cujus Pastores, & alii ministri, successione non interrupta ab Apostolis, vel immediate, vel mediate ordinati & missi fuerunt; atqui solius Ecclesiæ Romanæ Pastores, successione non interrupta ab Apostolis immediate, vel mediate ordinati & missi fuerunt, teste Aug. (*l. contra Epist. fundam. cap.* 4.) dicente: *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli ... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum*. Ideo S. Iren. *l.* 3. *c.* 1. enumerat omnes Episcopos Romanos a Divo Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, & dicit per hanc successionem confundi omnes Hæreticos.

E contra, in societatibus Hæreticorum, continua non reperitur ab Apostolis Episcoporum series, sed novo jure Pastores sibi præficiunt. *Hi sunt*, ait D. Cyprian. (*l. de præscript. cap.* 32.) *qui se præpositos, sine ulla ordinationis lege, constituunt, qui nemine Episcoporum dante, Episcopi sibi nomen assumunt*; quibus dicere possumus cum Tertull. (*l. de præscript. cap.* 32.) „ Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Policarpum a Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos, Apostolici seminis traduces habent. Confingant tale aliquid Hæretici: quid enim illis post blasphemiam illicitum est? “

Novatores in omnem partem sese vertunt, ut declinent vim hujus argumenti, quod illos Schismaticos visibiliter & sensibiliter ostendit, nec inveniunt ubi firmum figant pedem, ut patebit ex solutione objectionum.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt* 1. Ecclesiarum reformatarum authores habuerunt missionem tum ordinariam, tum extraordinariam; ergo Ecclesiæ reformatæ sunt Apostolicæ.

Resp. *nego ant.* Quoad utramque partem, nam *missio ordinaria* est ea, qua Deus, mediantibus Ministris jam constitutis, alios mittit, eisque authoritatem largitur: *missio extraordinaria* est ea, qua Deus per se ipsum, absque medio, aliquem ad ministerium vocat, eisque authoritatem immediate largitur; atqui Hæretici neutram habuerunt.

1. Non habuerunt ordinariam, ut docet D. Cyprian. (*Epist. 76. ad Magnum*): *Pastor haberi quomodo potest, qui nemini succedens, & a se ipso incipiens, alienus fit & profanus?* Tales sunt Lutherus, Calvinus, Zuinglius, ut probatum est.

2. Non habuerunt extraordinariam missionem, nam hæc probari debet signis & portentis, quomodo Moyses suam probavit, sicut & Christus qui de se ipso dicebat: *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me*. Atqui authores Ecclesiarum pseudo reformatarum nullis signis, nullis miraculis, se a Deo extraordinarie ad reformandam Ecclesiam missos probarunt; ergo.

*Prob. ant. quoad primam partem*. Qui ordinati sunt in Ecclesia Romana, missionem habuerunt ordinariam; atqui authores Ecclesiarum reformatarum sic ordinati sunt; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui in Ecclesia Romana simplices sacerdotes ordinati sunt, habuerunt missionem ordinariam, *nego ant.* nam per missionem intelligitur potestas regendi Ecclesiam Dei, consecrandi Ministros, &c. quæ solis convenit Episcopis. Qui ordinati sunt Episcopi, receperunt missionem ordinariam, *subdist.* quam retinuerunt qui remanserant in Ecclesia Romana, *conc. maj.* quam retinuerunt qui ab Ecclesiæ Romanæ gremio penitus fuerunt exclusi, *nego maj.* nam eadem Ecclesia, quæ Hæreticis & Schismaticis missionem contulerat, illam ab eis abstulit per anathematis decretum, quod in eos intorsit.

*Prob. ant. quoad secundam partem*. Illi habuerunt missionem extraordinariam, qui suam missionem signis & portentis probarunt; atqui Lutherus & Calvinus suam missionem signis & portentis probarunt; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Rapidissima tot populorum conversio, qui, intra tempus brevissimum reformationem amplexi sunt, est maximum miraculorum; ergo.

Resp. *nego ant.* Neque enim opus est miraculo, ut quis, relicto austeriore vivendi modo, amplectatur eum qui omnibus hominum cupiditatibus favet, quique vi & armis propugnatus est; e contra maximum fuisse miraculum, quod tota Christianitas ad Calvinismum & Lutheranismum non defecerit, nemo non videt.

*Objicies* 2. Non est necessaria missio ad regendam Ecclesiam Dei; ergo.

*Prob. ant.* Deus *mandavit unicuique*, habere curam *de proximo suo* (*Eccl.* 17. *v.* 12.); ergo non est necessaria missio, ut quis veritates fidei doceat.

Resp. *dist. conseq.* Ut veritates fidei doceat, quatenus homo particularis, *conc.* sic & mulieribus mandavit Deus de proximo suo. Quatenus Pastor, qui, authoritate Ecclesiastica, regat populum sibi commissum, *nego conseq.* nam *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, ait Apost. *Hebr.* 5.

*Inst.* 1. Missio divina deest Pontificibus Romanæ communionis; nam, 1. Papa eligitur a Cardinalibus, qui sunt institutionis humanæ; 2. Episcopi plerumque a Regibus eliguntur; ergo non habent missionem divinam.

Resp. *nego conseq.* Aliud enim est electio, aliud ordinatio; per istam, non per illam, datur missio; & licet summi Pontifices a Cardinalibus, Episcopi a Regibus eligantur, ab Episcopis tamen, qui sunt juris divini, ordinantur secundum formam a Christo præscriptam, vi cujus ab ipso divinam authoritatem accipiunt, ubi semel sunt canonice instituti.

*Inst.*

*Inst.* 2. Plures Antistites in Ecclesia Romana per avaritiam, simoniam & ambitionem sedes quotidie invalunt: atqui ii a Deo non mittuntur, de quibus Deus olim dixit per Jeremiam 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Ergo.

Resp. *nego min.* Nam ad habendam missionem sufficit vera ordinatio; porro Antististes de quibus objectio, vere ordinati sunt, & licet gratiam ordinationis non receperint, receperunt tamen characterem & jurisdictionem in membra Ecclesiæ.

## QUÆSTIO IV.

*De Ecclesiæ proprietatibus.*

*Nota.* Quatuor sunt Ecclesiæ proprietates, visibilitas, nimirum, indefectibilitas, authoritas, & infallibilitas: de quibus sequentibus articulis dicemus.

### ARTICULUS I.

*De visibilitate Ecclesiæ.*

*Nota* 1. Vera Christi Ecclesia dicitur *visibilis*, non tantum eo sensu quod oculis intuentium pateat: hoc enim modo, nulla est, aut fuit unquam Hæreticorum secta, quæ aspectabilis non fuerit; sed præcipue quod inter omnes alias sectas, per totum orbem singulari quadam hac eminenti perspicuitate, omnium oculis præfulgeat.

*Nota* 2. Novatores, initio suæ defectionis, docuerunt Ecclesiam esse visibilem, & quidem permanenter, ut constat ex Confessionibus Augustana & Wittembergensi. Sed cum urgerentur a Catholicis petentibus ubinam esset Ecclesia Reformatorum ante Lutherum & Calvinum, atque ex visibilitate Ecclesiæ probarent eorum Ecclesiam non esse veram, cum invisibilis fuerit ante suam ab Ecclesia Romana defectionem; ut ab ea difficultate sese expedirent, responderunt, eam quidem visibilem esse, sic tamen ut in certis temporibus sic densa caligine fuerit involuta, ut pene fuerit extincta, & minime conspicua. Contra quos sit

### CONCLUSIO.

*Vera Christi Ecclesia est visibilis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex figuris quibus Ecclesia comparatur, & a SS. Patribus de ejus coruscante visibilitate intelliguntur.

1. Comparatur, *Matt.* 5. civitati supra montem positæ, de qua Aug. ( *L.* 3. *Epist. contra Parmen. cap.* 5.) ait: *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quæ supra montem constituta, abscondi non potest.*

2. Comparatur Soli, Psalm. 118. *In sole posuit tabernaculum suum.* De quo Aug. *Epist.* 166. ait: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ.*

3. Comparatur lucernæ in candelabro positæ, *Marci* 4. supra quod Aug. ( *Tract.* 2. *in Joann.* ) ait: *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt.* Ergo.

*Prob.* 2. Ratione deducta ex Script. 1. Ecclesia debet regi ab Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* 2. Causæ privatorum debent deferri ad Ecclesiæ tribunal, *si non audierit, dic Ecclesiæ.* 3. Si quis per schisma, aut hæresim sit extra Ecclesiam, tenetur ipsam inquirere, & ad ipsam redire ut salutem consequatur; atqui nihil horum evidenter potest fieri, si Ecclesia non sit visibilis: ergo, &c.

*Confirm.* Quia Ecclesia, quæ habet notas visibiles & sensibiles, sane est visibilis; atqui vera Christi Ecclesia habet notas visibiles & sensibiles; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Fides est de invisibilibus, non de visibilibus; atqui Ecclesia creditur ex Symbolo, *Credo sanctam Ecclesiam.* Ergo non est visibilis.

*Resp. dist. min.* Ecclesia creditur sub ea ratione, sub qua non est visibilis, *conc. min.* sub ea ratione, sub qua est visibilis, *nego min.* nempe in Ecclesia unum videtur, scilicet cœtus hominum Christi fidem, exterius saltem, sub legitimis Pastoribus profitentium; & aliud creditur, nempe hunc cœtum veram esse Christi Ecclesiam: vera enim Christi Ecclesia, ea est, quæ veram fidem profitetur. Sic baptismus, quatenus est ablutio exterior, cernitur; quatenus vero Sacramentum, creditur. Hinc in Symbolo dicitur, *Credo unum baptisma.*

*Inst.* 1. Apost. *Hebr.* 12. ait: *Non accessistis ad montem tractabilem & accessibilem ignem;* atqui ille mons est Ecclesia; ergo non est tractabilis, nec consequenter visibilis.

*Resp. dist. min.* Cum Theophilacto, Œcumenio, &c. ille mons est Ecclesia triumphans, ad quam spe firmissima accedimus, *conc.* est Ecclesia militans, *nego min.* Hunc esse sensum Apost. indicant hæc subsequentia verba: *Sed ad montem Sion civitatem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis.*

*Inst.* 2. Illud Christi, Luc. 17. *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est,* intelligitur de Ecclesia; sed quod est *intra,* non potesti videri; ergo.

*Resp. nego maj.* Textus enim intelligitur de primo Christi adventu, de quo dicit: *Non venit cum observatione:* id est, cum pompa & apparatu quem expectabant Judæi; sed *regnum Dei intra vos est;* id est, Messias venit, qui per suam gratiam *intra vos est.* Hæc expositio est litteralis.

*Objicies* 2. D. Hilarius, lib. de Synodis, loquens de tempore quo vigebat hæresis Ariana, ait: *Absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo, ex majori parte decem Provinciæ Asianæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* Ergo tunc non erat visibilis Ecclesia.

*Resp. nego conseq.* Nec enim D. Hilar. loquitur de Ecclesia universa, sed de solis decem Provinciis Asiæ, in quibus etiam tunc visibilis fuit Ecclesia per partem illam ( licet minorem ) quæ fidem Nicænam invicto animo propugnabat; ut respondit D. Aug.

D. Aug. Vincentio Donatistæ, qui ei objecerat textum illum D. Hilarii, ut probaret Ecclesiam posse in toto orbe perire: „ Quis enim nescit, *inquit*, „ illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus „ fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, „ quod ipsi credebant; alios autem timore cessisse, „ vel simulate consensisse . . . . quanquam & illi „ qui tunc firmissimi fuerunt, & verba Hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam „ ipsi quidem pro fide fortiter exulabant, ac sic „ Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est “. Nempe in illis firmissimis.

*Inst.* 1. Ipse D. Augustinus ante verba mox laudata, ait: *Ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur, & obnubilatur multitudine scandalorum.* Ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Secundum aliquam sui partem infirmam, *conc.* secundum se totam, *nego ant.* verum propter scandalum pusillorum Ecclesia non amittit suam visibilitatem: *Quia*, inquit D. Aug. ibidem, *tunc in suis firmissimis eminet, & non potest civitas abscondi supra montem constituta.* Ita Voetio Sylvæducensi ministro respondet Jansenius Yprensis: (*Lib. cui titulus, Spongia notarum, &c. adversus Voetium, cap. 76.*) „ Cum vel maxime sæviret illa Constantii persecutio, verissimum fuit illud Augustini, quod Ecclesia in suis firmissimis tanquam columnis ædificii immobiliter stantibus, eminebat: tunc enim, non solum Athanasius, sed fidelissimi cooperatores ejus, Cajus, Ammonius, (*& multi alii antistites, quos enumerat*) partim in deserta relegati, partim spontanea fuga, durante tempestate, dilapsi, fortissime restiterunt. *Et infra*: Statim a morte Constantii integra Concilia Catholicorum Episcoporum in Oriente celebrata sunt, in quibus de lapsorum antistitum receptione tractaretur “.

*Inst.* 2. D. Basilius Epist. 69. ad Occidentales scripta, ait: *Eversa sunt pietatis dogmata .... periit gravitas sacerdotum, Pastores gregem Domini reliquerunt.* Ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Nam loquitur tantum de Ecclesiis orientalibus in quibus etiam multi erant superstites Episcopi orthodoxi, multique ex vulgo qui eis adhæserunt, ut testatur D. Basilius ibidem, dicens: *Populi orthodoxi cum uxoribus, & pueris, ipsisque senibus sub dio preces fundunt.* Ne scilicet cum Arianis, qui Ecclesias occupabant, communicarent. Ergo Ecclesia nusquam illustrior apparuit quam ubi Hæreticorum persecutionibus impugnata fuit, de quibus semper triumphum reportavit, juxta promissionem ipsi a Christo factam: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

*Objicies* 3. Forma Ecclesiæ, scilicet fides, non est visibilis; ergo nec Ecclesia.

*Resp. nego conseq.* Sicut enim ex forma hominis invisibili, non sequitur hominem esse invisibilem, ita ex forma Ecclesiæ invisibili non sequitur Ecclesiam esse formaliter invisibilem. Tunc enim Ecclesia videtur formaliter, quando videtur illa societas, de qua cognoscitur quod sit Ecclesia, sicut tunc videtur homo formaliter, quando is videtur, de quo scitur quod sit homo.

*Inst.* 1. Paritas visibilitatis hominis cum visibilitate Ecclesiæ nulla est; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* In homine effectus naturales, sunt signa necessaria veri hominis; atqui in Ecclesia nulla sunt signa necessaria veræ Ecclesiæ; ergo nulla est paritas.

*Resp. nego min.* Nam in Ecclesia sunt certæ & infallibiles notæ, per quas cognosci potest vera Christi Ecclesia, qua cognita, dubium esse non potest quis ille sit fidelium cœtus.

*Prob. min.* Non potest Ecclesia videri per suas notas, quia illæ credi debent ex Symbolo, serviuntque ad faciendam Ecclesiæ fidem; ergo.

*Resp. neg. ant.* Notæ enim Ecclesiæ videri possunt oculis corporeis, quamvis quod eæ res, quæ videntur, sint notæ veræ Ecclesiæ, credamus, tum ex Scripturis, tum ex Symbolis: & ideo qui vult venire in notitiam Ecclesiæ, necesse est ut 1. Credat notas a Scriptura & Symbolis assignatas, esse signa veræ Ecclesiæ, & postea, observatione adhibita, deprehendet cœtum, cui illa competunt, esse veram Ecclesiam; & sic patet quomodo serviant ad faciendam fidem.

*Inst.* 2. Hæretici suæ Ecclesiæ notas habent, nempe prædicationem puri verbi divini, & sincerum Sacramentorum usum; ergo Ecclesia per suas notas non potest cognosci.

*Resp. nego ant.* Nam neque prædicatio Evangelii, neque sincerus Sacramentorum usus, habent conditiones requisitas ad certam Ecclesiæ notam. 1. Enim non sunt ita *propria* Christi Ecclesiæ, ut non conveniant aliis cœtibus; nam puri Schismatici, quandiu non sunt Hæretici, sanam tradunt doctrinam, & sincerum habent Sacramentorum usum, cum tamen sint extra Ecclesiam. 2. Non sunt *notiores ipsa Ecclesia*, cum Ecclesiæ tanquam notiori, sit judicare quæ sit legitima verbi prædicatio, & quis sit sincerus Sacramentorum usus; ergo &c.

## ARTICULUS II.

*De indefectibilitate, seu perpetuitate Ecclesiæ.*

*Nota.* Novatores ultra concedunt Ecclesiam, qua parte est invisibilis, seu secundum animam, internam scilicet fidem, spem & caritatem, numquam defecisse, aut deficere posse, sed contendunt ipsam, qua parte visibilis est, seu secundum corpus, quatenus nimirum est cœtus hominum fidei professione, & eorumdem Sacramentorum usu sub legitimorum Pastorum regimine, defecisse post quingentos annos ad sua usque tempora, & interdum deficere posse; contra quos

### CONCLUSIO.

*Ecclesia Christi visibilis, est indefectibilis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. in qua de Ecclesia dicitur, (*Psal.* 47.) *sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum.* Quem locum interpretans D. Aug. ait: *Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?* atqui illa civitas est visibilis, alias

non posset cognosci, nec in ea aliquid posset videri; ergo Ecclesia visibilis, est indefectibilis.

Danielis 2. dicitur: *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus regnum quod in æternum non dissipabitur*; atqui illud regnum haud dubie est Ecclesia Christi, quæ post Romanum imperium cœpit; ergo quemadmodum regna præcedentia fuerunt visibilia, & illud quod propheta prædixit successurum; atqui *in æternum non dissipabitur*; ergo, &c.

Matth. 16. dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Atqui hæc Ecclesia fundata in capite visibili, est visibilis; quomodo enim Pastor regeret Ecclesiam invisibilem? ergo portæ inferi non possunt prævalere adversus Ecclesiam visibilem.

*Prob.* 2. Ex Patribus.

S. Ambrosius (*lib.* 4. *examer. cap.* 4.) ait: *Videtur Ecclesia sicut deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest*.

S. Hieron. (*in cap.* 4. *Isaiæ*): *Super Petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur*.

D. August. tandem disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, & in solis quibusdam justis in Africa remansisse, ait (*in Psal.* 90.): *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis*. Quid clarius?

*Prob.* 3. *Ratione Theologica*: si Ecclesia perire posset secundum partem sui visibilem, perire quoque poterit secundum partem invisibilem; nam de Christi Ecclesiæ essentia est, ut exterius habeat Pastores, ut singula illius membra visibilium Sacramentorum vinculo conjungantur, ut fidem publice profiteantur; atqui si omnino pereat secundum partem sui exteriorem & visibilem, interior, quæ remansura supponitur, nullos habebit Pastores, nullis Sacramentis colligabitur, Christi fidem publice non confitebitur; ergo non erit vera Christi Ecclesia.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ecclesia multoties ita defecit, ut invisibilis plane fuerit; ergo &c.

*Prob. ant.* Ecclesia defecit, 1. tempore Adami, quando ipse & Eva peccaverunt.

2. Tempore Noe, cum *cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum*. Gen. 6.

3. Tempore Eliæ, qui 3. *Reg.* 19. ait: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt .... derelictus sum ego solus*.

4. Tempore Moysis, cum Aaron summus Sacerdos vitulum adorandum proposuit, & omnis populus clamavit: *Hi sunt dii tui Israel*. Exod. 32.

Resp. 1. *nego conseq.* Non valet enim illatio ab Ecclesia veteri ad Ecclesiam a Christo fundatam; huic enim, non Sinagogæ, visibilis promissa est perpetuitas, *Usque ad consummationem sæculi*. Matth. ult. Tamen,

Resp. 2. *nego ant.* Et ad singula resp.

*Ad primum nego ant.* Nam Ecclesia omnino extingui non potest nisi per peccatum infidelitatis: atqui peccatum Adami non fuit infidelitas, sed inobedientia; ergo.

Resp. *ad* 2. Tempore Noe, etsi maxima pars, non tamen omnes a Deo defecerunt, ex quo sequitur perpaucos tunc fuisse veri Dei cultores, quod non negamus, sed illi constituebant Dei Ecclesiam.

Resp. *ad* 3. *nego ant.* Nam Eliæ querenti, *Derelictus sum ego solus*, respondit Deus: *Derelinquam mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Ex quo liquet non omnes regis Israel subditos in idololatriam prolapsos fuisse: quando ergo Elias dicit se relictum esse solum, ita intelligi debet, quod solus propheta veri Dei relictus esset, ut ipse ait cap. 18. *Ego remansi propheta Dei solus*, quia nempe alii omnes aut occisi a Jezabel, ut Elias putabat, aut in captivitate detenti, causam veri Dei non poterant defendere contra falsos Achab prophetas. Præterea, tempore Schismatis decem tribuum quæ adhæserunt Jeroboamo Regi Israel, remanserunt fideles Domino tribus Juda & Benjamin, quibus se adjunxit integra tribus Levitarum; in quibus visibiliter semper remansit vera Dei Ecclesia.

Resp. *ad* 4. Totum populum Israel non consensisse adorationi vituli aurei, quam ultus est Moyses cum tota tribu Levi, Exod. 40. tunc autem Moyses erat solus caput populi Israel, necdum enim Aaron erat creatus Pontifex.

*Objicies* 2. Apost. 2. *Thessal.* 2. prædixit generalem apostasiam futuram in Ecclesia tempore Anti-Christi: „ Nisi venerit discessio primum, *inquit*, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, &c. "

Resp. *nego ant.* Nam, *Matth.* 24. *Propter electos breviabuntur dies illi*; ergo erunt tunc veri Dei cultores. Itaque vel Apost. per verbum, *discessio*, intellexit Anti-Christum per Metonymiam, quia erit causa cur multi discederent a Christo, quæ interpretatio non favet Novatoribus; vel intellexit defectionem, & tunc non debet intelligi de omnium, sed de multorum a fide defectione.

*Inst.* Christus *Luc.* 18. ait: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* ergo circa tempus Christi adventus deficiet Ecclesia.

Resp. 1. *retorqu. argumentum contra Novatores*. Nam si nulla futura sit fides in adventu Christi, Ecclesia non tantum deficiet quoad partem visibilem, sed etiam quoad partem invisibilem, quod negant.

Resp. 2. *nego conseq.* Quia hac loquendi ratione, ait Theophilactus, *Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum*.

*Objicies* 3. Tempore Arianorum visibiliter defecit Ecclesia, nam Episcopi Conc. Ariminensis & Seleuciensis, *usiæ* nomen ex Symbolo Nicæno abstulerunt, teste D. Hieron. *tunc ait* (*in dialogo contra Luciferianos*): *Usiæ nomen abolitum est*; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Nomen, *usiæ*, ex Symbolo abstulerunt, non vero rem illo nomine significatam, *conc. ant.* simul & rem tali nomine significatam, *nego ant.* hoc declarat D. Hieronym. his verbis: *Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.*

*Inst.* 1. Addit D. Hieronymus: *Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est.* Ergo.

*Resp. dist. ant.* Conclamata est a Patribus Concilii, *nego ant.* a Valente & Ursacio Episcopis Arianis, *conc. ant.* hi enim post dissolutionem Concilii *cæperunt palmas suas jactare, dicentes se filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis;* ait Div. Hieron.

*Inst.* 2. Div. Hieronym. ait: *Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* Ergo Nicænæ fidei damnatio conclamata est a Patribus Concilii.

*Resp. dist. ant.* Miratus est se esse Arianum in specie & apparenter, *conc.* in rei veritate, *nego ant.* namque 1. Patres Ariminenses, non nisi Arianorum dolis decepti, consenserunt suppressioni vocis, *Omousios*, rati nihil periculi esse, nec curandum *de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* 2. Detectis Arianorum fraudibus ad dolum reclamarunt: „ Putavimus, ajebant, ait D. Hieronymus ibid. sensum congruere cum verbis . . . . decepit nos bona de malis existimatio, non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare; multaque alia flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare. " Ergo ille Div. Hieronymi textus significat Episcopos illos, cum sibi conscii non essent Arianæ perfidiæ, ingemuisse de impostura perduellium, & miratos esse, quod sine conscientia Hæretici ferebantur.

## ARTICULUS III.

*De authoritate Ecclesiæ, ut docentis.*

Quæstio hic movetur, utrum Ecclesia, sumpta pro Pastoribus, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, sit legitimus controversiarum ad religionem spectantium judex? Affirmant omnes Catholici; negant Novatores, ac in assignando judicem controversiarum fidei, non secus ac in aliis dogmatibus, variant, nunc Scripturam sacram, quam per se ita claram affirmant, ut nullius interpretatione indigeat; nunc privatum cujusque spiritum; nunc Principem sæcularem, esse hujusmodi controversiarum judicem, asserentes; contra quos:

### CONCLUSIO I.

*Scriptura sacra non est supremus controversiarum fidei judex.*

*Prob.* Controversiæ fidei versantur circa genuinum verborum Scripturæ sensum. De illo enim circa dogma agitatum controvertitur quis sit; atqui Scriptura non potest esse judex de sui ipsius sensu; ergo. *Prol. min.* Objectum seu materia controversiæ, non potest esse judex ejusdem controversiæ; atqui quando de alicujus Scripturæ sensu controvertitur, illa Scriptura est materia seu objectum controversiæ, est enim id de quo inter partes controvertitur; ergo Scriptura non potest esse judex de sui ipsius sensu. Quis enim audivit umquam objectum controversiæ, esse judicem de suo sensu, quando de illo ambigitur?

*Confirm.* Ea Scriptura, quæ non est ubique clara, non potest ultimate controversias fidei dirimere; atqui Scriptura sacra non est ubique clara; nam D. Petrus (*Epist.* 2. *cap. ult.*) asserit in Epistolis Pauli esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem;* ergo.

Hinc SS. Patres non ad solam Scripturam, sed ad Ecclesiam, remittunt pro terminandis religionis controversiis. D. Irenæus, *lib.* 4. *adversus hæreses, cap.* 34. sic ait: „ Ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ ab Apostolis Ecclesiæ successio, & id quod est sanum & irreprehensibile conversationis, & inadulteratum & incorruptibile sermonis constat. Illi autem eam, quæ est in unum Deum qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt . . . . & Scripturas sine periculo nobis exponunt. "

Origenes, *Tract.* 29. *in Matthæum*, sic loquitur: „ Quoties Hæretici Scripturas proferunt, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos illud credere non debemus, neque exire a prima & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successiones Ecclesiæ, nobis tradiderunt. "

Tertull. *lib. de præscriptionibus, cap.* 19. dicit: *Ad Scripturas non provocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus aut incerta victoria est . . . . debet illud prius proponi quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ* (id est, debet prius inquiri vera Ecclesia). Ubi enim apparuit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit & veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Sol-

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura sacra est lex & regula fidei & morum; ergo est judex controversiarum fidei & morum.

*Resp. nego conseq.* Nam lex & judex sunt duo maxime distincta & caute distinguenda; lex enim docet quid sit agendum; judex vero ex præscripto legis pronuntiat. Scriptura est quidem lex & regula fidei & morum, sed non potest esse eorumdem judex; nam judex debet esse talis, ut partes collitigantes audiat, sententiam ferat quæ ab ipsis audiatur, ipsasque partes compellat ad acquiescendum suæ sententiæ; atqui non potest Scriptura id præstare, ut constat ex Lutheranis & Calvinistis, qui litigare non cessant tum inter se, tum nobiscum, nec tamen hactenus ex sola Scriptura potuit terminari controversia, & quisque in priori sua sententia immotus persistit.

*Objicies* 2. Id quod Scriptura uno loco obscure dicit, illud alio loco clarius tradit; ergo Scriptura exponit seipsam.

*Prob. ant.* Ex Augustino (*L. 2. de Doctr. Christ. c. 2.*) dicente: *nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur;* ergo.

*Resp. nego conseq.* Non enim dicit Augustinus nihil esse obscurum quod, &c. sed *nihil de illis obscuritatibus eruitur;* longe autem diversa sunt *erui & esse*. Alias sibi contradiceret Aug. (*Epist.* 149. *ad Januar.*) dicens: *in ipsis sanctis Scripturis, multo nescio plura, quam scio.*

*Nota.* Alias Novatorum objectiones circa Scripturæ sacræ perspicuitatem solutas reperies dissert. secunda de existentia Theologiæ, prop. secunda.

## CONCLUSIO II.

*Privatus cujusque spiritus, non est supremus judex controversiarum fidei.*

*Prob.* De essentia & officio judicis est, ut authoritate polleat compellendi partes litigantes ad acquiescendum suæ sententiæ; alias nullus esset umquam controversiarum finis, nec Christus unitati Ecclesiæ sufficienter providisset: atqui privatus cujusque spiritus tali non pollet authoritate, cum via coactiva non sit privatorum, sed solius Principis, qui *Dei minister est, vindex in iram*. Ergo, &c.

*Confirmatur*: Quia judex controversiarum debet esse principium unitatis, non divisionis; atqui spiritus cujusque privatus, est principium divisionis; ille quippe spiritus verba illa, *Hoc est corpus meum*, Luthero suggessit esse intelligenda de præsentia reali; e contra suggessit Calvino, esse intelligenda de præsentia tantum figurativa. De his ergo qui suum privatum spiritum tanquam supremum controversiarum fidei judicem agnoscunt, vaticinatus est Ezech. 13. „ Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident .... divinant mendacium, dicentes, ait Dominus, cum ego non sim locutus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. In lege nova omnes sunt a Deo edocti, juxta illud Isaiæ 54. *Ponam universos fidei filios suos doctos a Domino;* ergo privatus cujusque spiritus est judex, &c.

*Resp. dist. ant.* Omnes sunt edocti a Domino, vel immediate, vel saltem mediate, *conc. ant.* semper immediate, *nego ant.* Apostoli & discipuli a Domino immediate edocti fuerunt; cæteri autem fideles mediate tantum; nempe Ecclesiæ Pastorum ministerio.

*Inst.* Atqui in lege nova omnes a Deo immediate, absque Pastorum ministerio, sunt edocti; ergo.

*Prob. subseq.* Jerem. 31. dicitur: „ Non docebit ultra vir proximum suum dicens: cognosce Dominum; omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum; ergo. "

*Resp. dist. ad textum.* Non docebit ultra vir proximum suum, secundum quid, *conc.* simpliciter & absolute, *nego*. Jerem. enim, *cap.* 3. dicit: „ Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. "

Itaque Propheta non loquitur hic de mysteriis absconditis Scripturarum, sed de cognitione unius Dei. Cum enim tempore veteris legis non solum Gentiles, sed etiam frequentissime populus Dei, falsos adorarent deos, Jeremias prædicit futurum ut tempore novæ legis omnes homines cognoscant unum Deum, quod certe nunc impletum cernimus; nam Gentiles ad fidem conversi, Judæi, imo & Turcæ, unum Deum colunt.

*Objicies* 2. Lumen Spiritus Sancti est infallibile; ergo illud in singulis privatis est judex controversiarum fidei.

*Resp. nego cons.* Nam judex controversiarum fidei debet esse publicus & certus pro natura Ecclesiæ, quæ est societas visibilis; at spiritus Novatorum est privatus, non videtur, non auditur, sicut videri debet & audiri a litigantibus judex, qui sententiam pronuntiat; ergo.

*Instabis* 1. Ex 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo judicat omnia;* ergo quilibet privatus, si sit spiritualis, est judex, &c.

*Resp. dist. conseq.* Est judex fallibilis, *conc.* infallibilis, *nego*. Nullus enim est qui certo cognoscere possit se non decipi, nisi ejus sensus sit probatus ab Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, & quæ sola suprema authoritate instructa est, ut circa negotia religionis decretorie pronuntiet.

*Inst.* 2. Apostol. 1. *Thessal.* 6. ait: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ergo quilibet particularis potest omnia probare & judicare.

*Resp. dist. conseq.* Potest omnia quæ sunt certa probare, qualia sunt quæ Ecclesia approbat vel damnat, *nego ant.* omnia dubia & incerta quæ nondum approbata sunt ab Ecclesia, *subdist.* sunt probanda per privatum cujusque spiritum, *nego cons.* per doctrinam Ecclesiæ, cujus est infallibiliter de vero sensu Scripturæ judicare, *conc. conseq.* Hic est verus sensus Apostoli, qui de iis quæ certa sunt dicit (2. *Thess.* 2.): *Tenete traditiones quas didicistis*, &c.

## CONCLUSIO III.

*Princeps sæcularis non est judex supremus controversiarum fidei.*

*Prob.* Illi soli sunt supremi judices controversiarum fidei, quibus Christus dixit: *Pasce oves meas: Tibi dabo claves regni cœlorum: Euntes docete omnes gentes;* atqui soli Petro Christus dixit: *Pasce oves meas; tibi dabo claves regni cœlorum.* Et solis Apostolis: *Euntes docete omnes gentes.* Ergo, &c. Hinc magnus Osius Cordubensis Episc. scribebat ad Constantium Imperatorem (*apud S. Athanas. Epist. ad Solitarios*): „ Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, non nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. “

*Confirmatur*: Ex candido Imperatorum Christianorum consensu, dicentium cum Basilio Imperatore in VIII. Synodo. „ De vobis autem Laicis quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere . . . . hoc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui Ecclesiasticas & cælestes claves adepti sunt, non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. “

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. In lege naturæ Principes erant judices controversiarum fidei; ergo tales sunt etiam in nova lege.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod in lege naturæ regia & sacerdotalis potestas erant in uno simul junctæ, at Deus voluit ut in lege gratiæ separatæ essent illæ potestates.

*Objicies* 2. Aliqui Imperatores Christiani leges circa fidem & mores tulerunt; ergo.

*Resp. dist. ant.* Tulerunt leges nova decreta condendo, *nego ant.* intimando Canones jam ab Episcopis conditos, *conc. antec.* potestatis autem Regiæ est Ecclesiasticam juvare ac tueri.

*Inst.* Constantinus Pogonatus Concilio Chalced. præsedit, sicut aliis Conciliis alii Imperatores; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Præsedit solo sessionis honore, quem ipsi detulit Concilium tanquam Ecclesiæ protectori, *conc. ant.* præsedit auctoritate, ut judex causarum Ecclesiasticarum, *nego ant.* Hoc constat ex ipso Concil. in quo Imperator post omnes Episcopos subscripsit, non quidem ut definiens, sed ut consentiens; nam Episcopi subscripserunt his verbis: „ Ego N. Episcopus N. definiens subscripsi. *Imperator vero*: Ego Constantinus in Christo Deo Rex atque Imperator Romanorum legimus & consensimus. “

## CONCLUSIO IV.

*Sola Ecclesia, id est, corpus Episcoporum suo capiti Romano Pontifici adhærentium, est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei, sive spectetur in Concilio, sive extra Concilium.*

*Prob.* 1. Ex Script. quæ nos ad supremam Ecclesiæ authoritatem pro terminandis religionis controversiis remittit; Deuter. 17. „ Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter . . . . lepram & lepram . . . . veniesque ad Sacerdotes Levitici generis . . . . quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. “ Hinc Apostoli constanter affirmant, sibi ita commissum esse Evangelium, ut nonnisi ab ipsis quærendum sit: *Probati sumus a Deo*, inquit Apostol. 1. Thessalon. 2. *ut nobis crederetur Evangelium.* Et Div. Petrus, Act. 15. *Viri fratres*, inquit, *vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii.*

*Prob.* 2. Ille solus est supremus & infallibilis judex controversiarum fidei, qui mandatum accepit a Christo docendi omnes gentes, cuique Christus promisit specialem assistentiam ad recte docendum; atqui sola Ecclesia accepit a Christo mandatum docendi omnes gentes, Matthæi ultim. *Docete omnes gentes*, eique soli Christus promisit specialem assistentiam ad recte docendum, duraturam *usque ad finem sæculi*; ergo, &c. Hinc D. Iren. (*Lib.* 3. *adversus Hæres. c.* 4.) ait: „ Non oportet adhuc apud alias quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime contulerint omnia quæ sunt veritatis. “

*Confirm.* Ex perpetua traditione & constanti Ecclesiæ usu, quo constat omnes religionis controversias a solis summis Pontificibus & Episcopis, judicio finali & irreformabili fuisse terminatas, ut legenti Historiam Ecclesiasticam manifestum fiet. Ergo.

*Objicies* 1. Si Ecclesia sit judex controversiarum fidei, judicabit de Scriptura, & sic erit supra Scripturam; falsum conseq. ergo.

Resp.

Resp. *dist. sequel. maj.* Judicabit de Scriptura, utrum talis sensus sit germanus illius sensus a Spiritu sancto intentus, *conc.* judicabit de Scriptura, utrum sit vera vel falsa, *nego sequel. maj.* & sic Ecclesia non est supra Scripturam, sed est tantum interpres infallibilis sensus Scripturæ.

*Objicies* 2. Si a judicio Ecclesiæ penderet fides nostra, Christus ab homine testimonium acciperet; atqui falsum conseq. ait enim Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio.*

Resp. *nego seq. maj.* Nam definitio Ecclesiæ non est verbum hominum, sed est applicatio verbi divini per specialem Spiritus sancti assistentiam. Alias sibi contradiceret Christus, qui *Joann.* 15. Apostolos alloquens ait: *Vos testimonium perhibebitis de me.*

*Objicies.* 3. Prius debet cognosci Scriptura sacra, quam Ecclesia; ergo verus Scripturæ sensus non ab Ecclesia debet repeti.

Resp. *nego ant.* Imo prius Ecclesia debet cognosci, quam Scriptura sacra, quia de Scripturæ sacræ authoritate non potest sine Ecclesiæ testimonio constare, juxta illud Div. Aug. lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.*

*Inst.* 1. Ecclesiæ authoritas probatur per Scripturam; ergo prius debet cognosci Scriptura, quam Ecclesia.

*Resp. dist. ant.* Ecclesiæ authoritas per Scripturam probatur, probatione confirmativa rei jam aliunde cognitæ, *conc.* rei non aliunde cognitæ, *nego antec.* Itaque ex motivis credibilitatis dignoscitur quæ sit societas, quæ veram Christi religionem profitetur; deinde concluditur illud pro certo tenendum esse, quod ipsa authoritate sua divina credendum proponit. Tandem cum Scripturæ libris, quos ut sacros & divinos nobis Ecclesia proponit, legatur ipsam a Deo accepisse authoritatem infallibiliter nos docendi res fidei & morum, id esse a Deo revelatum creditur; ex quo novo argumento, fidelis Ecclesiæ authoritatem veneratur: Hæreticus vero, qui Scripturas admittit, eam demonstrative cognoscere potest, nisi ita obdurato sit corde, ut nolit intelligere ut bene agat ..... Hac responsione occurritur jam objectioni circuli vitiosi, quam nobis toties improperant Protestantes & quam diluemus articulo sequenti.

*Inst.* 2. Div. August. *lib. de unitate Ecclesiæ, c.* 3. sic loquitur: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Ergo, juxta illum, Ecclesia non potest, nisi per Scripturam sacram, cognosci.

Resp. *nego conseq.* Motiva enim credibilitatis sunt oracula divina, sermo, & authentica approbatio omnipotentis.

*Inst.* 3. Addit D. Aug. *Utrum ipsi* (Donatistæ) *Ecclesiam habeant, non nisi divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant.* Ergo Ecclesiæ authoritas non potest, nisi per Scripturas, probari.

Resp. *dist. conseq.* Ecclesiæ authoritas non potest, nisi per Scripturas canonicas, probari, adversus eos qui Scripturas admittentes, circa Ecclesiam errant, *conc.* adversus omnes, *nego conseq.* Itaque cum Donatistæ admitterent Scripturas canonicas, Ecclesiæ vero diffusionem per omnes gentes negarent, D. Augustinus (procedendo contra eos argumento ad *hominem*) vult ut illa veritas ex sacris Scripturis dirimatur: *Sunt certi libri divini*, ait ibidem, *quorum authoritati utrique credimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Sed non negat absolute Ecclesiæ cognitionem aliunde haberi posse, cum & ipse doceat, *lib. contra Epistol. fundamenti, c.* 5. Ecclesiæ authoritatem prærequiri ad habendam librorum Sacrorum canonicitatem: *Ego vero Evangelio non crederem, inquit, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.*

## ARTICULUS IV.

### *De infallibilitate Ecclesiæ.*

*Nota* 1. Infallibilitas duplex est, passiva nempe, seu in credendo; & activa, seu in definiendo.

Infallibilitas *passiva*, est ea, qua tota fidelium societas numquam potest deficere in assentiendo veritatibus fidei & morum decisis. Ecclesiam collective sumptam hac infallibilitate gaudere non diffitentur Novatores.

Infallibilitas *activa*, est ea, qua summus Pontifex, aliique Episcopi, citra erroris periculum, possunt causas fidei & morum definire. Hanc Novatores denegant Ecclesiæ, sive spectetur prout per varias orbis regiones est dispersa, sive prout per Episcopos, in Conciliis generalibus, repræsentatur.

*Nota* 2. Hic quæritur 1. Utrum Ecclesia per totum orbem dispersa (de Ecclesia enim per Episcopos in Conciliis generalibus repræsentata agemus infra) sit infallibilis in definiendis controversiis, quæ spectant ad fidem & mores. 2. Utrum sit infallibilis in censura librorum, seu in factis doctrinalibus & dogmaticis, quæ claritatis causa duobus resolvemus Paragraphis.

### §. I. *Utrum Ecclesia sit infallibilis in definiendis controversiis, quæ ad fidem & mores spectant?*

### CONCLUSIO.

*Ecclesia per totum orbem dispersa, est infallibilis in definiendis fidei, & morum controversiis.*

*Prob.* Ex Script. cujus tres præ cæteris proferimus textus, quibus Novatores mire cruciantur.

Primus locus petitur ex Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atqui si Ecclesia in definiendis fidei & morum controversiis posset falli & fallere, portæ inferi prævalerent adversus eam; ergo, &c.

Respondent *Novatores*, ex hoc textu recte probari infallibilitatem passivam esse in tota populi Christiani societate; sed non inde probari infallibilitatem activam inesse Ecclesiæ Pastoribus, qui possunt omnes a fide deficere; sed

*Contra est:* Quia si in Ecclesia non sit infallibilitas activa, nec erit etiam infallibilitas passiva, nam oves tenentur amplecti doctrinam primorum Pastorum, juxta illud Christi (*Luc.* 10.): *qui vos audit, me audit*, &c. Ergo error primorum Pa-

sto-

storum, esset error totius Ecclesiæ, & consequenter si corpus Pastorum per orbem sparsorum posset falsum docere, falsum quoque admittere & credere teneretur sparsus ubique populus Christianus, & sic portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, nec esset illa *Ecclesia Dei vivi*, quæ juxta Apost. (*1. ad Tim.* 1.) est *columna & firmamentum veritatis*.

Secundus textus habetur *Matth. ultim.* ubi Christus dicit: „ Docete omnes gentes .... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis; & ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi ". Ex quo sic argumentor: Christus hic alloquitur Apostolos & in eorum persona Episcopos, qui eis in Ecclesia visibili usque ad finem mundi successuri sunt, nam Apostoli non erant usque ad finem mundi permansuri; atqui ipsis promittit specialem, continuam, ac perpetuam assistentiam, ne quid falsum doceant; ergo, &c.

Tertius textus habetur, *Joann.* 14. ex quo sic argumentor: illi non possunt errare in definiendis fidei & morum controversiis, quibus perpetua promissa est Spiritus sancti assistentia ne errent in proponendis quæ Christus revelavit; atqui talem assistentiam Christus promisit Apostolis & eorum successoribus. " Ego rogabo Patrem, *ait*, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis ... ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis „; ergo primi Pastores non possunt errare in definiendis, &c.

Hinc est, quod SS. Patres in dogmatibus fidei & morum appellare soleant ad Ecclesiam, tanquam ad tribunal irrefragabile & infallibile, sic August. (*l. 1. contra Crescon. cap.* 33.): „ Scripturarum, *ait*, a nobis tenetur veritas, cum id facimus quod universæ placuit Ecclesiæ. Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat ".

*Confirm.* Ex doctrina sacræ facultatis Parisiensis, quæ, *anno* 1542. in famosa censura contra Lutherum *art.* 18. sic declarat: „ Tenetur quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes fideles, in his quæ sunt fidei & morum, obedire adstringuntur ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Singuli Episcopi seorsim sumpti sunt fallibiles; ergo & omnes simul sumpti. *Respond. nego conseq.*

*Prob. conseq.* Valet illatio a sensu distributivo ad collectivum; ergo si quilibet Episcopus seorsim sumptus possit errare circa fidem & mores, poterunt quoque errare omnes simul sumpti.

*Resp. dist. ant.* Illatio a distributivo ad collectivum valet in necessariis, *conc. ant.* in contingentibus, *subdistin.* quando collectio non plus habet, quam distributio, *conced.* quando collectio aliquid habet saltem ab extrinseco, quod non habet distributio, *nego ant. & conseq.* Porro Christus infallibilitatem promisit collectioni Episcoporum, non singulis Episcopis seorsim sumptis. „ Christus, *ait D. Cyprian. Epist. ad Papinian.*, dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit ".

*Objicies* 2. Probando infallibilitatem Ecclesiæ per authoritatem Scripturæ, conficimus circulum vitiosum; ergo sic non potest probari. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Tunc est circulus vitiosus, veraque principii petitio, quando duæ propositiones sese mutuo probant; atqui probamus Ecclesiæ infallibilitatem per Scripturam, & probamus Scripturæ veritatem per Ecclesiæ authoritatem; ergo est circulus vitiosus.

*Resp. dist. maj.* Tunc est circulus vitiosus, quando duæ propositiones æque ignotæ sese mutuo probant eodem genere causæ, *conc.* quando illæ propositiones, nec sunt æque ignotæ, nec eodem genere causæ sese mutuo probant, *nego maj.* & sic distincta minore, *nego conseq.*

Itaque, duæ istæ propositiones: *Ecclesia est infallibilis*, & *Scriptura*, quæ probat Ecclesiæ infallibilitatem, *Est verbum Dei*: non sunt æque ignotæ, nec sese mutuo probant eodem genere causæ.

1. *Non sunt æque ignotæ*: Siquidem Ecclesiæ infallibilitas nobis prius innotescit, quam authoritas Scripturæ; sic enim proceditur in isto negotio. *Primo*, per motiva credibilitatis suadetur religionis christianæ divinitas, quæ directe, principaliter, & immediate super illa motiva fundatur. *Secundo*, Ecclesiæ docentis divinitate semel posita, sequitur Scripturam, quam Ecclesia proponit ut Verbum Dei, esse divinæ authoritatis. *Tertio*, tandem, admissa authoritate librorum canonicorum, ex eis probatur infallibilitatem a Christo promissam esse Ecclesiæ. Quare, Ecclesiæ infallibilitas, per motiva credibilitatis prius nota, deducit nos in Scripturæ sacræ cognitionem; & Scripturæ authoritas semel admissa rursum Ecclesiæ docentis infallibilitatem demonstrat; in quo progressu evidens est nullum esse circulum vitiosum.

2. *Illæ duæ propositiones non sese mutuo probant eodem genere causæ*: nam authoritas Ecclesiæ probat veritatem Scripturæ *a posteriori* duntaxat, tanquam regula animata proponens; authoritas vero Scripturæ probat infallibilitatem Ecclesiæ velut *a priori*, tanquam ratio formalis motiva credendi. Porro qui sic procedit, non magis conficit circulum vitiosum, quam is qui per risibilitatem probat *a posteriori* rationale, & ex rationali semel admisso, rursum *a priori* demonstrat risibilitatem.

*Inst.* 1. Infallibilitas Ecclesiæ pendet ab authoritate divinarum Scripturarum. Ergo quæcumque supponantur motiva credibilitatis, ea infallibilitas non est prius nota, quam Scripturæ authoritas.

*Resp. nego ant.* Evidens est enim infallibilitatem Ecclesiæ non pendere a Scripturis ipsa Ecclesiæ infallibilitate posterioribus; sed christianorum religio diu viguit absque novi Testamenti libris, qui nonnisi pluribus annis post Ecclesiam fundatam scripti sunt; ergo Ecclesia ista gaudebat infallibilitate virtute oralis Christi concessionis; ergo ista infallibilitas non in authoritate Scripturarum canonicarum primo fundatur, sed in Verbo Dei non scripto, in stupendo Evangelii progressu, & in miraculis a Christo, Apostolis, & primis Martyribus patratis, per quæ authentice a Deo declarata est Ecclesiæ authoritas, & confirmata.

*Inst.*

*Inst.* 2. Ideo miracula stupenda Christus & Apostoli patrarunt, ut per ea probarent divinam librorum novi Testamenti authoritatem; ergo Ecclesiæ authoritas non fuit prius nota, quam authoritas Scripturæ novi Testamenti.

*Resp. neg. ant.* Neque enim miracula Christi & discipulorum ejus offici potuerunt ad authoritatem conciliandam libris nondum scriptis; præcipue ergo, directe, & immediate patrata sunt ad demonstrandam divinitatem missionis Christi & Discipulorum ejus, & ad firmandas authoritate divina veritates quas populis viva voce annuntiabant, sive postea scripto mandatæ illæ fuerint, sive non.

*Inst.* 3. Nullus hucusque Theologus potuit, absque circulo vitioso, rationem suæ fidei reddere contra impugnatores infallibilitatis Ecclesiæ; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Cujus falsitas demonstrata est in responsione ad objectionem; verum ut clarius adhuc pateat, & ut infallibilis auctoritas Ecclesiæ ab inanibus & frivolis Novatorum argutiis maneat tuta, sic fidelis potest fidei suæ rationem analyticam reddere.

1. Per motiva credibilitatis certus sum Ecclesiam christianam esse divinæ authoritatis, & consequenter eam docere infallibiliter omnem salutis veritatem.

2. Certus sum, per eadem motiva, quod etiam esset divinæ authoritatis, quamvis nullum verbum Dei esset scriptum.

3. Certus sum libros, quos Ecclesia infallibilis nobis exhibet ut sacros & divinos, esse divinæ authoritatis, & ab omnibus pro sacris & divinis esse recipiendos, & consequenter.

4. Certus sum & infallibilitatis Ecclesiæ, & divinitatis librorum sacrorum, cum hac essentiali & maxime notanda differentia, quod per motiva credibilitatis prius, immediatius, ac directius demonstretur infallibilis & divina authoritas Ecclesiæ docentis, quam divinitas sacrorum librorum quos ipsa nobis proponit ut Verbum Dei, & in quibus præcipuos fidei christianæ articulos esse contentos declarat ac definit.

Hac fidei nostræ expositione, objectio circuli vitiosi, nobis mendaciter a Novatoribus improperata, plene ac funditus profligatur.

*Objicies* 3. Ecclesia in controversiis morum potest errare; ergo in his non est infallibilis.

Resp. *nego ant.* Nam Deus in necessariis numquam Ecclesiæ suæ deest; deesset tamen, si non dedisset Ecclesiæ Pastoribus authoritatem sana pascua a pravis & venenatis discernendi; hinc fieri non potest, ut Ecclesia definiat vitiosum esse quod est honestum, ac approbet quod Evangelio & rectæ rationi contrarium est.

*Prob. ant.* De sola fide dictum est Petro, *rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam nomine fidei intelligi debet tum fides credendorum, eorum scilicet quæ ad contemplationem pertinent, v. g. *Deus est trinus;* tum etiam fides faciendorum & omittendorum, quæ in morum præceptis generalibus posita sunt, v. gr. *Homicidium esse vitandum; talem contractum esse usurarium,* &c. nam Christus dixit Petro, *Pasce oves meas,* & Paulus asserit Deum dedisse *Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinæ;* at si errarent in moribus ejusmodi, non pascerent salubriter oves: non enim moralis doctrina minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quam fidei veritates; in his igitur Ecclesiæ Pastores non possunt errare.

*Objicies* 4. Ecclesia dispersa non habet infallibilitatem judicii, qua possit ortas de novo quæstiones extra Concilium definire. Ergo.

Resp. *nego ant.* Cujus falsitas constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ multo plures errores recens natos proscripsit extra Concilia Generalia, quam in Conciliis Generalibus. Sic innumeræ hæreses, v. g. Sabellii, Pauli Samosateni, Montani, Novatianorum, Manichæorum, &c. quæ a tempore Apostolorum ad annum Christi 325. quo Concilium generale I. celebratum est, fuerunt sufficienter damnatæ ab Ecclesia dispersa, sine Concilis generalibus.

Hanc praxim agnovit Clerus Gallicanus in Epistola, quam anno 1653. scripsit Innocentio X. post acceptam ejus, contra V. Jansenii propositiones, constitutionem: „ Perspectum habebat, *inquit*, vetustæ illius ætatis Ecclesia (*nimirum tempore Pelagii*) non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismi adversus Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Œcumenica damnatos, a Damaso paulo antea jactis, judicia pro sancienda fidei regula a SS. Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in Actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æque ac summa per universam Ecclesiam authoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. “

*Probatur* iterum responsio ex perpetua traditione Patrum, inter quos, duos vel tres referre sufficiat.

1. Tertull. *lib. de præscript. cap.* 28. ut refellat eos qui Ecclesiam toto orbe dispersam errasse dicebant, ait: „ Age nunc omnes erraverint, (*Ecclesiæ*) nullam respexerit Spiritus sanctus Ecclesiam, ut eam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quod ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verosimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? “

2. Div. Basilius, *Epist.* 75. ait: „ Justum est res judicari non ex uno, vel altero, qui non recte ambulant ad veritatem, sed ex multitudine Episcoporum per orbem terrarum nobis conjunctorum per gratiam Christi. “

3. D. August. *lib.* 4. *ad Bonifacium, cap. ult.* ut contumaciam reprimeret Pelagianorum, qui idcirco ad Concilium generale provocabant, quod ab Episcopis dispersis absque Synodi generalis congregatione fuerint damnati, ait: „ Quid est ergo quod dicunt, *Pelagiani*, de simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus, exorta subscriptio est? quasi vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis, nisi Synodi congreg. damnata sit. Cum potius rarissime inve-

„ nian-

„ niantur, propter quas damnandas necessitas ta„ lis extiterit, multoque sint atque incomparabili„ ter plures quæ, ubi extiterunt, illic improbari „ damnarique meruerunt, atque inde per cæteras „ terras devitandæ innotescere potuerunt. Et post „ plura addit: Cum potius vigilantia & diligen„ tia Pastorali, post factum illis competens suffi„ ciensque judicium, ubicumque isti lupi apparue„ rint, conterendi sint. " Ergo ex Div. August. competens atque sufficiens est judicium, quod fertur ab Ecclesia per orbem dispersa, nec licet ab eo ad Concilium generale provocare.

*Prob. ant.* Ut judicium dogmaticum fiat legitime, examen requiritur; atqui extra Concilium examen sufficiens fieri non potest, quando agitur de rebus inter Catholicos agitatis; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Quia summus Pontifex cum solito consiliariorum cœtu, Episcopi singuli in suis sedibus, vel in Conciliis Provincialibus congregati possunt, extra Concilium generale, illud examen facere; ad hoc enim sufficit ut unusquisque Scripturam sacram perspiciat ac traditionem Ecclesiæ consulat; atqui ubique consuli potest; ergo, &c.

*Inst.* 1. Ut valeat aliqua definitio dogmatica, debent Episcopi de sensu illius definitionis convenire; atqui non possunt de eo sensu convenire, nisi sint in Concilium congregati; ergo &c.

Resp. *nego min.* Ad hoc enim, ut Episcopi de sensu definitionis conveniant, sufficit quod definitionem pure & simpliciter, in sensu naturali & obvio recipiant; atqui extra Concilium generale, æque ac in Concilio id fieri potest, & revera factum est in causa Jansenii, Molinosi, Quesnellii; ergo, &c.

*Inst.* 2. D. Aug. in loco mox laudato ait: *Rarissima inveniuntur*, hæreses, *propter quas damnandas necessitas talis*, nempe congregationis Synodi, *extiterit*. Ergo aliquando talis reperitur necessitas, & consequenter non possunt semper hæreses per Ecclesiæ dispersæ auctoritatem extingui.

Resp. *conc. totum:* Neque enim negamus Concilia generalia aliquando esse necessaria ad extinguendas hæreses, quando scilicet, hæresis quæ a pluribus iisque insignibus Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos; tunc enim ut dissidium componatur, vel ad unitatem revocentur errantes, & contumaces puniantur, necessarium est Concilium, in quo tam grave negotium tractetur ac discutiatur. Sed negamus cum D. Aug. necessarium esse Concilium generale, quoties aliqui Episcopi decretis dispersæ Ecclesiæ resistunt, & ab eo ad Concilium provocant. Nam quando D. Aug. vidit 18. Episcopos, qui pro Pelagianis stantes, provocabant ad futurum Concilium, ut eorum frangeret contumaciam, docuit congregationem Synodi non esse necessariam, sufficiens competensque fuisse judicium quo ab Ecclesia per orbem dispersa damnati erant, ita ut post illud a sua contumacia per pœnas essent coercendi.

*Inst.* 3. Div. August. *lib.* 2. *de Bapt. cap.* 4. loquens de rebaptizationis quæstione, ait: *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima authoritate firmati, cui & ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata, per plenarium Concilium solidaretur*. Ergo hujusmodi quæstiones non possunt per Ecclesiæ dispersæ authoritatem, absque Concilio generali, definiri.

Resp. *nego conseq.* Utrumque enim verum est, & Ecclesiam dispersam supremo judicio posse religionis controversias definire, & tamen quosdam casus esse in quibus necesse sit Concilium generale congregare, v. gr. quando per Regna & Provincias multas, est magna divisio, quando multi nobiliorum Ecclesiarum Episcopi in eamdem fidei confessionem nolunt consentire; tunc enim, ut dissidium componatur, opus est Concilio in quo tam grave negotium tractetur ac discutiatur. Talis erat controversia de rebaptizandis hæreticis, pro qua, cum S. Cypriano, militabant omnes Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Ponti, & Orientis Ecclesiæ. Oppositam vero sententiam pugnabant cum sancto Stephano Occidentis Ecclesiæ. In his certe circumstantiis concedimus necessarium esse Concilium generale, non quidem defectu authoritatis in Ecclesia dispersa, sed tamquam medium aptius ad pacem conciliandam inter partes litigantes.

Quæres 1. *An Ecclesia sit infallibilis in doctrina disciplinæ?*

*Ante resp. nota:* Inter res faciendas, aliæ sunt omnino necessariæ & immutabiles, v. g. *Quod talis contractus sit usurarius*, & vocantur, *res morum*. Aliæ sunt liberæ, & mutationi obnoxiæ, v. g. *Communio sub una, vel duplici specie*, & vocantur, *res disciplinæ*; quæ vel est universalis pro tota Ecclesia invecta & probata; vel particularis pro aliqua particulari Ecclesia.

Resp. *Ecclesia non potest errare in disciplina generali, quæ ad omnes pertineat, præcipienda.*

*Prob.* Ex Concil. Apostolorum *Act.* 15. in quo præcipientes disciplinam generalem, & quidem non diu duraturam, nempe abstinentiam a sanguine & suffocato, asserunt se habere præsidem, & sibi assistentem Spiritum sanctum. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto & nobis*, &c. Atqui certum est de fide Ecclesiam non posse errare in his pro quibus definiendis, præsidem habet, & sibi assistentem Spiritum sanctum; ergo est de fide, ac revelatum in Scripturis, certum esse ac infallibile Ecclesiæ de disciplina universali judicium.

Hinc sacra facultas Parisiensis *anno* 1644. censura notando hanc Propos. Theophili Brachet, *Mos Ecclesiæ absolutionem concedendi ante satisfactionem expletam, abusivus est atque intolerabilis*, declarat, *temerarium esse, atque erroneum, & hæreticum damnare disciplinam & consuetudinem Ecclesiasticam ab omnibus Catholicæ communionis Ecclesiis receptam, tamquam abusivam, & institutioni Christi atque Evangelicæ doctrinæ contrariam.*

Quæres 2. *An similiter Ecclesia sit infallibilis in præceptis morum & disciplinæ, quæ non toti Ecclesiæ communia sunt, sed quæ ad privatos homines, vel ad particularem Ecclesiam referuntur.*

Resp. *negat.* Quia circa hos mores & disciplinam particularem, judicium Ecclesiæ nititur testimoniis hominum qui possunt falli & fallere: unde quando aliquis, uxore una occulte ducta, aliam publice ducit, & Ecclesia jubet, ut, illa priore reli-

relicta, huic secundæ adhæreat, *ea in re sine dubio fallitur, & id præcipit homini quod rationi & Evangelio adversum est*, ait Canus (*L. 5. de locis cap. 5. Conclus. 3.*); errat ergo errore facti, quamvis non erret errore juris; unde Innocent. III. cap. *a nobis*, de sentent. excom. ait: „ Judicium Dei „ veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper „ innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam „ opinionem sequitur, quam &. fallere sæpe contin„ git & falli, &c. "

Quæres 3. *An Ecclesia sit infallibilis in canonizatione Sanctorum?*

*Nota* 1. Canonizatio Sanctorum, est sententia canonica ac definitiva sanctitatis & gloriæ alicujus defuncti, a summo Pontifice lata, & universali Ecclesiæ proposita ac intimata, qua Canonizatus exponitur cultu publico venerandus.

*Nota* 2. Posse Ecclesiam errare in canonizatione Sanctorum docuit Joann. Wiclef, ut refert Thomas Waldensis *Tom. 3. de Sacramentalibus cap.* 122. Idem sentire Lutheranos & Calvinistas certum est, cum in aliis similibus rebus nullam fere Ecclesiæ tribuant authoritatem; contra quos.

Resp. Una est omnium Catholicorum sententia, Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum ita ut aliquem canonizet, qui non sit Sanctus.

*Prob.* Quia si Ecclesia posset errare definiendo aliquem esse Sanctum, posset etiam errare præcipiendo omnibus fidelibus, ut canonizato cultum exhibeant, in ejus honorem festum celebrent; atqui falsum consequens; tum quia Ecclesia non potest errare in legibus universalibus ferendis, quæ concernunt mores fidelium; atqui maxime refert ad mores fidelium, quod Ecclesia non erret in Sanctis canonizandis & colendis; *multum* enim, ait Canus (*L. 5. de locis cap. 5. Conclus. 3.*) „ refert ad commu„ nes Ecclesiæ mores scire, quos debeas religione „ colere: quare, si in illis erraret Ecclesia, in „ moribus quoque graviter falleretur: nec differt „ diabolum colas, aut hominem condemnatum ". Tum quia ex D. August. Epist. 118. „ insolentissi„ mæ insaniæ est disputare, an sit faciendum quod „ tota facit Ecclesia "; quæ certe non potest obligari ad sequendum errorem, utpote cui in necessariis Deus non deest; ergo.

*Dices* 1. D. August. ait: „ Multorum corpora ho„ norantur in terris, quorum animæ torquentur in „ gehenna; " ergo.

Resp. *nego ant.* Hæc enim sententia in Augustino nullibi reperitur, ut testatur Bellarmin. quamquam si reperitur, intelligi posset de impiis, qui superbissimis Mausoleis honorantur; vel de Martyribus Donatistarum, qui ab Hæreticis honorabantur ut Martyres, cum eorum animæ revera torquerentur in inferno.

*Dices* 2. Quod nititur medio fallibili, est fallibile; atqui judicium Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum, nititur medio fallibili; ergo.

*Prob. min.* Testimonium hominum est fallibile; atqui medium, quo nititur Ecclesiæ judicium in canonizatione Sanctorum, est testimonium hominum; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Quamvis enim Ecclesia in hoc negotio requirat humana testimonia, tanquam manuductionem ad prudenter agendum, ejus tamen judicium nititur testimoniis divinis, quæ sunt vita Beatorum sancta, miracula per eorum merita, vel invocationem facta, ac peculiariter lumen & assistentia Spiritus sancti a quo dirigitur: unde D. Thom. quodlib. 9. art. 16. docet, quod „ Pontifex „ potest certificari de statu alicujus per inquisitio„ nem vitæ & attestationem miraculorum, & præ„ cipue instinctum Spiritus sancti, qui omnia scru„ tatur, etiam profunda Dei ". Et Canus citatus ait: „ Turpiter errabit Ecclesia in doctrina mo„ rum, si legem ferat de divo colendo, quem cole„ re, si divus non est, & cum ratione, & cum „ Evangelio pugnat. Ne igitur tantus error in Ec„ clesia sit, Deus peculiariter providere credendus „ est, ne Ecclesia, quælibet hominum testimonia „ sequeretur, in Sanctorum canonizatione erret ".

Hinc Clemens VII. in canonizatione S. Antonii Paduani Bullam edens nomine Adriani VI. prædecessoris sui, dicit: „ Considerans idem Adrianus, „ quod in eadem canonizatione non permissurus es„ set Deus eum errare, &c. "

Quæres 4. *An Ecclesia sit infallibilis in beatificatione Sanctorum?*

*Nota:* Beatificatio est indulgentia, seu licentia facta a S. Pontifice, ut aliquis defunctus, BEATUS, possit appellari, eique cultus aliquis in aliqua Provincia, cum recitatione divini Officii, exhiberi valeat. Constat ex Bullis beatificationis, in quibus non dicit Pontifex, *Definimus*, sed *indulgemus*, *ut BEATI nomine nuncupetur*, &c.

Resp. *Evidenter credibile est, Ecclesiam non posse errare in beatificatione Sanctorum.*

*Prob.* Quia in processu beatificationis Ecclesia procedit maturo & alto judicio, multis, & exactis inquisitionibus, probationibus per multas Congregationes perpensis & examinatis, cum profunda indagine probitatis vitæ, felicissimi exitus, ac miraculorum, (quæ divina sunt testimonia) beatificandi intercessione perpetratorum; atqui ista omnia faciunt rem evidenter credibilem; ergo, &c. Hinc fit ut universus consensus totius populi Christiani, ut certum teneat, beatificatum esse in cælo.

Quæres 5. *Qua certitudine tenendum sit, Ecclesiam non posse errare in canonizatione & beatificatione Sanctorum?*

Resp. Licet non sit certum certitudine fidei divinæ, est tamen certum certitudine fidei Ecclesiasticæ omni certitudine humana majore, quæ cum in Spiritus Sancti assistentia subnixa sit, in errorem inducere nequaquam potest.

*Prob.* 1. *Quod non sit de fide divina certum, Ecclesiam non posse errare in Sanctorum beatificatione*, quia quod de fide divina est certum, non eget ulteriori certitudine: imo cum injuria certitudinis fidei, novæ fierent inquisitiones, consultationes, & examina; atqui ad procedendum ad canonizationem Beatificati, novæ inquisitiones, consultationes, & examina instituuntur; ergo.

*Prob.* 2. *Quod non sit de fide divina certum, Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum*, quia nulla extat aperta Ecclesiæ definitio, quæ decernat istam rem esse fide divina tenendam, nec contrarium damnavit tamquam hæreticum: sicut damnari solent illa quæ opponuntur iis quæ fide divina credimus; ergo, &c.

Restat ergo certum esse Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum, certitudine fidei Ecclesiasticæ, in Spiritus sancti assistentia subnixæ, qua, ut ait Canus citatus: „ Deus peculiariter providere censendus est, ne Ecclesia, quantumlibet „ hominum testimonia sequatur, in Sanctorum canonizatione erret. Cujus quidem peculiarissimæ „ providentiæ abunde magnum argumentum est, „ quod nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta. "

*Confirmatur*, Ex D. Thom. qui *quodlib. 9. art. 6.* postquam dixit, certum esse, quod impossibile sit judicium universalis Ecclesiæ errare in his quæ ad fidem pertinent; in aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile esse judicium Ecclesiæ errare, propter falsos testes, subjungit: „ canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio „ fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie „ credendum est quod nec etiam in his judicium „ Ecclesiæ errare possit. "

*Dices*, D. Bonaventura opusculo contra Guill. docet: *ad infidelitatem spectare de Sancti canonizati gloria dubitare*; ergo &c.

Resp. *dist. antec.* Spectare ad infidelitatem late dictam, sumptam nimirum pro pertinacia non credendi quidquid sub motivo ecclesiastico districte credere debemus, *conc.* ad infidelitatem stricte sumptam, nempe pro pertinacia non credendi quidquid fide divina credere tenemur, *nego ant.* Porro D. Bonav. loquitur de infidelitate late dicta, cujus reus est qui in re gravi ad religionem spectante in dubium revocat Ecclesiæ ea de re judicium.

*Resolves*, Asserere Ecclesiam posse errare in canonizatione Sanctorum, esse erroneum, temerarium, scandalosum & impium. 1. *Est erroneum*, quia opponitur communi sensui fidelium. 2. *Est temerarium*, quia adversatur communi Theologorum sententiæ. 3. *Est scandalosum*, quia inde potest in animis fidelium oriri scandalum. 4. *Est impium*, quia est contra religionem & cultum Sanctis debitum.

Quæres 6. *An Ecclesia possit errare in approbatione Ordinis Religiosi?*

Resp. Non potest esse erroneum Ecclesiæ judicium quo decernit aliquem Ordinem Religiosum quoad suum proprium institutum esse bonum, ac divinæ legi & Evangelio consentaneum; atque ideo per se utilem ad christianam perfectionem acquirendam.

*Prob.* Ecclesia non potest, authoritate sibi a Deo concessa, approbare tanquam bonum & honestum id quod revera malum est & inhonestum; ergo non potest definire aliquem vitæ statum, esse statum perfectionis, qui talis non esset; tum quia hoc esset in detrimentum Ecclesiæ; tum quia sic definiendo erraret circa veritatem magni momenti, maximeque ad mores pertinentem.

*Dices*, Ecclesia suppressit & extinxit Ordines Religiosos, quos prius approbaverat; ergo.

Resp. *nego conseq.* Si enim aliquando Ecclesia aliquos Ordines extinguere compulsa fuerit, non inde factum est, quod in sua origine perversi fuerint, sed quod a prima instituti sanctitate vel defecerint degeneres subinde discipuli, vel inutiles & temporum conditioni idonei amplius non fuerint illi Ordines.

§. II. *An Ecclesia sit infallibilis in censura librorum, seu in factis dogmaticis & doctrinalibus?*

*Nota* 1. Duplex est genus quæstionum, circa quas Ecclesia pronuntiare potest, nempe quæstio juris, & facti.

Quæstio *juris*, Est ea, qua quæritur qualis sit in se hæc, vel illa doctrina, an vera, vel falsa; an orthodoxa, vel heterodoxa; v. g. cum quæritur, *Utrum B. Virgo sit Mater Dei?*

Quæstio *facti* duplex est: nempe facti simplicis, quod & historicum & personale dicitur; & facti doctrinalis, seu dogmatici.

Quæstio *facti simplicis*, est ea quæ spectat veritatem rei gestæ, nempe crimen vel innocentiam alicujus personæ, internum animi sensum, &c. verb. gr. *Utrum Jansenius sit author hujus libri?* Circa hanc quæstionem certum est Ecclesiam non esse infallibilem, cum ejus de facto mere personali judicium fundetur aut in sensibus, aut in testimoniis hominum incertis, & fallacibus.

Quæstio *facti dogmatici*, est ea quæ est de aliquo facto, jure, seu dogmate, permixto; sive quæ est de aliquo dogmate fidei, illiusque attributione alicui libro, v. g. *Utrum in hoc, qui sub nomine Jansenii circumfertur libro, doctrina contineatur hæretica?* hæc quæstio vocatur facti jure permixti, quatenus duas quæstiones complectitur, unam juris, nempe, *Utrum hæc doctrina sit hæretica?* alteram facti, nempe *Utrum hæc doctrina hæretica in sensu proprio & obvio hujus libri, qui sub nomine Jansenii circumfertur, in illo sit contenta & expressa?*

*Nota* 2. Hic unice quæritur, utrum falli possit Ecclesia, dum de sensu orthodoxo, vel heterodoxo propositionum, vel librorum, decretorie pronuntiat. Ideo

CONCLUSIO.

*Ecclesiæ judicium, de sensu librorum, & propositionum, definientis, est infallibile.*

*Prob.* 1. Ecclesia est infallibilis in his quæ ad fidem pertinent, ut fide constat, & probavimus supra; atqui judicium de sensu orthodoxo, vel heterodoxo librorum, ad fidem pertinet; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Ex Div. Leone, qui scribens ad Synodum Chalcedon. asserit: *Pertinere ad puritatem fidei atque doctrinæ, damnare hæreses cum suis authoribus.* Ergo.

*Prob. min.* 2. Illud judicium pertinet ad fidem, sine quo fides non potest custodiri, ac defendi: nam de munere Ecclesiæ est, illibatam custodire fidem, eamque contra omnes novitates defendere, juxta illud Apost. (1. *ad Tim.* 6.) *O Timothee depositum custodi, devitans profanas novitates.* Atqui sine infallibili Ecclesiæ judicio de sensu librorum, fides illibata custodiri non potest, nec defendi; (cum sine eo, nec Sanctorum Patrum libros,

libros, in quibus fides traditur, approbare; nec Hæreticorum scripta, in quibus evertitur, reprobare possit); ergo Ecclesiæ de sensu librorum judicium pertinet ad fidem.

*Prob.* 2. In hoc Ecclesiæ definitio est infallibilis, pro quo definiendo, tum sua praxi, tum sua declaratione, judicat sibi a Christo datam esse infallibilem authoritatem; atqui Ecclesia pro definiendis factis doctrinalibus, tum sua praxi, tum sua declaratione, judicat sibi a Christo datam esse infallibilem authoritatem; ergo, &c. .... Major est certa: si enim Ecclesia hoc privilegium immerito sibi arrogaret, circa ipsum dogma erraret; pertinet enim ad dogma scire, utrum Ecclesia privilegium infallibilitatis a Christo acceperit, vel non, in factis doctrinalibus definiendis, & fidelibus, ut suo subscriberent judicio, sub Anathematis pœna compellendis. Itaque

*Prob. prima pars min.* Nempe, *Ecclesiam sua praxi judicare sibi a Christo datam authoritatem definiendi infallibiliter facta doctrinalia.* Quia Ecclesia semper damnavit hæreses & hæreticos; ergo sua praxi judicavit, &c.

*Prob. ant.* Ecclesia in Concil. Nicæno damnavit Arium cum ejus doctrina erronea, (*Epist. Synodica ad Ecclesiam Alexandrin.*) his verbis: *Placuit, Concilium communibus suffragiis anathema denuntiare, & ei ipsi* (Ario), *& nefariæ ejus opinioni.* Item Ecclesia in Synodo Palæstina damnavit perversam Pelagii doctrinam, ut testatur D. Aug. (*L. de gestis Pelagii, c. 6.*); cum vero Pelagius negaret illa scripta esse sua, a Concilio coactus fuit ea anathematizare: *Synodus dixit: quoniam negas te talia scripsisse, Anathematizas eos qui sic tenent? Pelagius respondit: Anathematizo.* Infinita hujusmodi exempla proferre possem, sed non sinit brevitas proposita.

*Prob. secunda pars min.* nempe, *Ecclesiam sua declaratione judicare se infallibilem in definiendis facti doctrinalis quæstionibus.* 1. Ecclesia in Conc. Chalcedon. generali IV. act. 6. damnando Nestorium, Eutychem, & Dioscorum dicit: *Nestorio & Eutychi anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit.* Ergo judicavit sibi a Christo datam infallibilem in ejusmodi factis cum dogmate connexis definiendis authoritatem.

2. In Concil. generali V. Constantinop. II. fuit excitata controversia de uno sensu trium famosorum Capitulorum, seu de facto doctrinali, nempe utrum erroneus Nestorii sensus, jam in Concil. Chalcedonensi damnatus, contineretur in libris Theodori Mopsuesteni Episcopi, in libris Theodoreti adversus S. Cyrillum, in epist. Ibæ Edesseni Episc. ad Marim Persam; atqui S. Synodus tria illa Capitula sub Anathematis pœna damnans, declarat se ea damnare virtute horum verborum, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, &, *sponsabo te mihi in fide*, &c. quibus Christus promisit Ecclesiæ infallibilem in rebus Religionis authoritatem; ergo Ecclesia profitetur se infallibilem in definiendis facti doctrinalis quæstionibus ... *Prob. min.* Patres Synodi antequam Canones, quibus tria Capitula damnantur, statuant, authoritatem Ecclesiæ sic explicant: *In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, & qui dixit quod* portæ inferi non prævalebunt adversus eam, id est: „ Hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem & quæ per Oseam prophetata sunt in quibus dicit: *& sponsabo te mihi in fide & cognosces Dominum* ... nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum ... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & Hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem. *Postea tribus Canonibus damnat tria capitula, eorumque defensores Anathematizat.* Quo judicio, *ait Cardinalis Norisius in Apologia Monachorum Scythiæ*, demonstratur in damnandis propositionibus in sensu ab auctoribus intento, non errare Ecclesiam; neque latum ab ea semel judicium posse retractari ".

*Prob. 3. ratione.* Ecclesia, fatentibus ipsismet adversariis potest certo & infallibiliter judicare de sensu seu doctrina propositionis avulsæ ex libro & in se nude consideratæ; v. gr. de hac propos. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.* Sic enim purum dogma continet. Ergo similiter potest certo & infallibiliter judicare de sensu, seu doctrina ejusdem prout attribuitur libro Jansenii, v. g. an ista prop. *interiori gratiæ*, &c. possit colligi ex libro Jansenii; nulla enim est disparitas, cum nullum sit discrimen inter propositionem quæ prout avulsa ex libro separatim proponitur, & eamdem quæ prout in libro continetur; e contra sensus propositionis in libro melius dignosci potest ex antecedentibus & consequentibus totius libri, quam ex consideratione ejusdem prop. separatæ & truncatæ.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. In quæstionibus facti errare posse Ecclesiam senserunt, qui de hac re scripserunt, ad censuram usque famosarum V. Propositionum Jansenii; ergo opinio infallibilitatis Ecclesiæ in quæstionibus facti, est nova & a scholis eliminanda.

*Resp. dist. ant.* In quæstionibus facti particularis, seu personalis, *conc. ant.* facti dogmatici *nego ant.* Cum enim factum personale spectet personæ statum, v. g. innocentiam, crimen, internum sensum, quorum cognitio ex testimoniis hominum fallacibus pendet, consequens est, ut de eis Ecclesiæ judicium incertum sit, & errori obnoxium; at judicium Ecclesiæ de facto doctrinali, seu doctrina in libris expressa, non pendet ex testimoniis hominum, sed ex collatione doctrinæ in libris contentæ cum Scriptura & traditione, certis fidei nostræ regulis; unde fit ut Ecclesia, speciali Dei assistentia adjuta, nec falli, nec fallere possit.

*Prob. ant.* Authoritate Theologorum, qui ad medium usque sæculum XVII. scripserunt.

Div. Thom. Quodlibet 9. quæst. 8. artic. ultim. *ait*: „ In sententiis quæ ad particularia facta pertinent ... possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes ".

Melchior Canus (*l. 5. de locis, cap. 5. Conclus. 3.*) ait: „ In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest ".

Joann. Gerson. (*Tract. de potest. Eccles. & Laica, cap. 16.*) dicit: „ Communiter Doctores asserere, errare posse Ecclesiam in iis quæ sunt facti, non vero in iis quæ sunt juris ".

Bellarm. (*L.* 4. *de summo Pontif. cap.* 2.) „ Conveniunt omnes Catholici & Hæretici in duobus: 1. Posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum Concilio generali, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimonioque hominum, præcipue pendent "; *ergo &c.*

*Resp. nego conseq.* Hi enim Theologi, & alii, quos cum fastu congerit Vitasse, loquuntur de factis particularibus, de quibus Ecclesia judicium fert ex relatione & testimoniis hominum; atqui de factis pure personalibus judicat Ecclesia ex relatione & testimoniis hominum; ergo loquuntur de factis pure personalibus; namque

1. D. Thom. clare designat facta personalia in verbis quæ omittuntur in objectione, ait enim: „ In sententiis quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, &c. possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes ".

2. Canum loqui de factis personalibus constat ex exemplo quod adducit: „ Cum quis enim, *ait*, occulto una uxore habita, alteram ducit publice, „ jubet illi Ecclesia, ut priore relicta posteriorem „ accipiat, qua in re sine dubio fallitur, & id præ„ cipit homini quod rationi & Evangelio adversum „ est ". Refert idem exemplum Gerso citatus, & addit: *sed istud est unum factum, & non unum jus*. Utique est factum pure personale.

3. Bellarminum loqui de factis pure personalibus constat, tum ex causa fallibilitatis Ecclesiæ in factis quæ adducit, quia *ex informatione, testimoniisque hominum, præcipue pendent*, tam ex exemplis quæ profert ibidem; *ut, an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus?*

Porro, si omnes alii ad unum Theologi examinentur, certo certius videbitur ex unica quam adducunt ratione, & exemplis quæ referunt, eos de factis pure personalibus locutos fuisse.

*Inst.* 1. Bellarm. (*L.* 4. *de Rom. Pontif. cap.* 11.) expendens Honorii causam, postquam conatus est probare adulteratam esse VI. Synodum, addit: „ Quod „ si aliquis non possit adduci ut credat corruptam „ esse VI. Synodum: is accipiat alteram solutio„ nem, quæ est Joannis a Turre-Cremata, lib. 2. „ de Eccles. cap. 93. qui docet Patres Synodi dam„ nasse quidem Honorium, sed ex falsa informatio„ ne, ac proinde in eo judicio errasse ... Itaque „ tuto dicere possumus hos Patres deceptos ex fal„ sis rumoribus, & non intellectis Honorii Episto„ tolis, immerito cum Hæreticis connumerasse Ho„ norium ". Ergo Bellarminus sensit Ecclesiam errare posse in factis dogmaticis.

*Resp. nego conseq.* Nam hic Bellarm. loquitur de facto mere personali Honorii, nimirum de ejus sensu personali & interno, cujus decisio pendet principaliter *ex informatione & testimoniis hominum*, liquet ex his verbis, *ex falsa informatione & ex falsis rumoribus*, alias sibi contradiceret; nam, lib. 2. de Sacramentis, cap. 25. ait: „ Non habemus te„ stimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, „ & legitima fuerint, & hoc aut illud definierint, „ nisi quia Ecclesia, quæ nunc est, & errare non „ potest, ita sentit & docet ". Atqui quod aliquod Concilium tale fuerit, quod fuerit legitimum, quod hoc vel illud definierit, sunt facta doctrinalia; ergo ex Bellarm. Ecclesia est infallibilis in factis doctrinalibus.

*Nota*. Bellarminum *per Patres Synodi* intellexisse *Græcos*, cum certum sit Turre-Cremata errore facti in causa Honorii rejicere in solos Græcos, sicut & ipse Bellarminus in solutione objectionis, quam sibi hic proponit dicens: „ A Joanne IV. Martino „ I. Agathone & Nicolao I. SS. Pontificibus & a „ toto Concilio Rom. sub Martino congregato, eas „ Epistolas (*Honorii*) melius esse intellectas, quam „ a Græcis in Concilio VI. "

*Inst.* 2. Bellarm. loquitur *de Epistolis* Honorii a Patribus VI. Concilii *non intellectis*. Ergo agit de ejus sensu litterali, non personali.

*Resp. dist. ant.* Loquitur de Epistolis Honorii male intellectis secundum sensum ejus personalem & internum, *conc. ant.* secundum sensum litteralem, *nego ant. & conseq.* nam judicium de sensu litterali textus, qui ob oculos versatur, non fit *ex informatione & rumoribus*, sed ex consideratione significationis vocum & propositionum, cum Spiritus sancti gratia, facta, earumque collatione cum Scriptura & traditione.

*Objicies* 2. Illud Ecclesiæ judicium non est infallibile, quod aliquando revocat Ecclesia; atqui suum de textibus, & libris dogmaticis, judicium aliquando revocavit Ecclesia, ergo.

*Prob. min.* Aliquot exemplis.

1. Concilium Antiochenum vocem, *Omousios*, proscripsit, quam tamen postea Concil. Nicænum I. approbavit.

2. Ante Concil. Ephesin. hæc vox, *Christotocos*, habebatur Catholica; atqui tamen Concil. Ephesin. illam improbavit.

3. Concil. Chalcedonense tria capitula famosa approbavit tanquam Catholica; atqui illa, tanquam hæretica, Concilium V. damnavit; ergo.

*Resp. ad* 1. *dist. ant.* Concil. Antiochenum vocem, *Omousios*, proscripsit, secundum sensum proprium, & orthodoxum, *nego ant.* secundum sensum heterodoxum, quem Paulus Samosatenus huic voci attribuebat, *conc. ant.* Paulus Samosat. per hanc vocem, *Omousios*, intelligebat filium habere substantiam ejusdem speciei cum substantia Patris, sed numero distinctam ab illa; quem sensum merito Concilium reprobavit.

*Resp. ad* 2. *dist. min.* Concilium Ephes. vocem, *Christotocos*, improbavit in se absolute, & in sensu ab Ecclesia usitato, *nego min.* in sensu Nestorii, qui, negando unionem hypostaticam, per hanc vocem, *Christotocos*, excludebat istam, *Theotocos*, seu Dei Genitrix, *conc. min.* hic enim sensus est hæreticus.

*Resp. ad* 3. *nego ant.* Nam in Concil. Chalcedonensi de tribus Capitulis nihil fuit agitatum, sed solum de admittendis ad Communionem Theodoreto & Iba, qui, postquam dixerunt Anathema Nestorio & Eutychi, atque Epistolæ Sancti Leonis ad Flavianum subscripserunt, ad eam admissi fuerunt, ut de Iba testatur Anatholius Constantinop. Act. 3. Concil. Chalcedonensis. *Omnem de eo, Iba, abjicio suspicionem, quoniam consentit & subscribit ei, quæ nunc de fide sententia data*

*data est a S. Concilio, & Epistola sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis.* Hinc Vigilius Papa, qui confirmavit V. Synodum, ait: *Absit ut tam horrendas blasphemias Patres Chalcedonenses approbaverint.* Idem asserit Vigilius Papa in suo Constituto.

*Inst.* 1. Legati S. Pontificis in Conc. Chalcedon. sententiam pronuntiantes, dixerunt: *relectis chartis agnovimus ex sententia RR. Episcoporum, Ibam innoxium approbari.* Ergo Concil. approbavit Epistolam Ibæ.

Resp. *nego conseq.* Non enim Ibas innoxius visus est, quia ejus Epistola innoxia, sed quia, cum fuerit interrogatus Ibas, ex ejus responsis deprehensus est orthodoxus. Nam, ut ait Eunomius Nicomediæ Episcopus: *In quibus dicendo male culpare visus est B. Cyrillum, in postremis recte confessus, illa, in quibus culpaverat, refutavit; unde & ego,* addit, *anathematizantem eum Nestorium & Eutychem & impia ejus dogmata ... dignum esse Episcopatu decerno.*

*Inst.* 2. Legati summi Pontificis dixerunt: *Relecta ejus Epistola, agnovimus eum esse orthodoxum.* Ergo ejus Epistola declarata est orthodoxa.

Resp. *nego conseq.* Equidem dicunt Legati Epistolam Ibæ fuisse relectam, ipsumque Ibam esse orthodoxum, sed nullo modo dicunt Epistolam esse orthodoxam; quæ duo valde diversa sunt & distinguenda.

*Inst.* 3. In eodem Concilio Maximus Antiochenus dixit: *Et relectio quoque rescripto Epistolæ,* Ibæ, ... *orthodoxa ejus declarata est dictatio.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Ex 300. enim, & amplius, Episcopis, quibus constabat illud Concilium, solus Maximus Epistolam Ibæ orthodoxam declaravit; qui, ut recte observant Patres V. Concilii, collat. 6. *In Conciliis, non unius, aut alterius interlocutio attendi debet, sed quæ ab omnibus, vel a majori parte definiuntur.* Ergo, &c.

*Objicies* 3. Pelagius II. in Epist. ad Episcopos Istriæ, de Epist. Ibæ loquens, ait: *Licenter unusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio* (Chalcedonensi) *residentes, suis illam subscriptionibus approbassent.* Ergo ille Pontifex agnovit Ecclesiæ judicium de tribus capitulis non esset infallibile, alias non potuisset rescindi.

Resp. *nego conseq.* Non enim ita loquitur Pelagius, quod sentiret Ecclesiæ judicium de textibus dogmaticis esse errori obnoxium, sed quod actio Concilii decima, in qua quæstio de authoribus trium Capitulorum fuit ventilata, non fuit approbata & confirmata a S. Leone, qui noluit, ut ea, quæ post actionem sextam gesta sunt, authoritatem haberent Concilii generalis.

*Objicies* 4. Vigilius S. P. constitutum edidit, ne tria capitula damnarentur, eo quod putaret illa fuisse a Conc. Chalced. approbata; atqui tamen confirmavit V. Synodum in qua damnata fuerunt; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ne damnarentur, in se ipsis spectata, seu, secundum doctrinam Nestorianam quam continebant, *nego maj.* ne damnarentur una cum authorum nomine, *conc. maj.* Verebatur enim ne, si cum authorum nomine damnarentur tria capitula, in aliquibus lædi videretur authoritas Concilii Chalced. in quo Theodoretus & Ibas fuerant absoluti; unde in V. Concilio, damnando tria capitula, personas Theodoreti & Ibæ non damnavit.

*Objicies* 5. Multi Episcopi diu V. Concilio restiterunt, & damnationem trium capitulorum rejecerunt; ergo senserunt judicium Ecclesiæ de factis dogmaticis non esse infallibile.

Resp. *dist. ant.* Damnationem trium capitulorum rejecerunt, eo quod crederent Ecclesiam falli posse in suo de textibus dogmaticis judicio, *nego ant.* eo quod falso, & ex errore, crediderint tria capitula in Concilio Chalced. approbata fuisse, & Concilium V. non esse generale, *conc. ant.* Unde illi Episcopi tanquam schismatici habiti sunt ab Ecclesia, nec ad ejus communionem fuerunt admissi, nisi postquam tria capitula damnarunt, & Concilium V. ut legitimum & generale susceperunt.

*Objicies* 6. Ecclesia non est infallibilis circa sensum authoris personalem; ergo nec circa sensum litteralem.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod, cum infallibilitas sit Ecclesiæ concessa ad recte docendum populos res fidei & morum, non est necesse ut hanc habeat circa sensum personalem authorum, qui cum in mente delitescat, veram fidem & bonos mores adjuvare nec depravare potest in aliis: e contra sensus litteralis ad veram fidem & mores aliorum juvandum vel depravandum multum valet, cum ab omnibus legi & percipi possit, & ideo gravissima est ratio Ecclesiæ attribuendi infallibilitatem circa sensum litteralem authorum dogmaticorum.

*Inst.* 1. Ecclesia sæpe anathematizat & libros dogmaticos & eorum authores; atqui non anathematizat authores, nisi propter sensum eorum personalem; ergo non magis est infallibilis circa sensum litteralem, quam circa personalem.

Resp. *dist. maj.* Anathematizat & libros dogmaticos, & eorum authores, eodem genere certitudinis, *nego maj.* diverso, *conc. maj.* Nam cum Ecclesia anathematizat librum dogmaticum, definit sensum illius litteralem esse heterodoxum, in quo judicio est infallibilis ex promissionibus Christi; at cum anathematizat authorem libri dogmatici, solum declarat se illum habere ut hæreticum & ab omnibus Catholicis ut talem habendum propter sensum illius personalem, qui ex sufficientibus indiciis cognoscitur esse conformis sensui litterali hæretico, in qua declaratione Ecclesia potest absolute errare, licet prudenter judicet; verum hic error meri facti non noceret puritati doctrinæ, nec per illum Ecclesia fideles ad falsum aliquod dogma suscipiendum induceret.

*Inst.* 2. Ecclesia damnavit V. famosas Jansenii propositiones *in sensu ab authore intento;* atqui talis sensus est personalis; ergo.

Resp. *nego min.* Nam Ecclesia per has voces, *in sensu ab authore intento*, intelligit sensum ab authore intentum per librum ejus, seu sensum ab authore in suo libro expressum, ut explicat Clem. XI. in constit. *Vineam Domini Sabaoth*, dum dicit: *Damnatum in V. propositionibus Jansenii libri sensum ab omnibus Christi fidelibus ... damnari debere.* Ergo Ecclesia per hæc verba, *in sensu ab authore intento*, damnavit sensum litteralem, non personalem Jansenii, ad quem non attendit, nam librum Jansenii, non ipsum Jansenium damnavit ut hæreticum.

Quæ-

Quæres 1. *Quomodo fideles teneantur Ecclesiæ de sensu librorum judicio subscribere & acquiescere?*

Resp. Tenentur in conscientia acquiescere ex intimo mentis ac judicii consensu & approbatione; nec sufficit ut acquiescant religioso, ut ajunt, silentio, id est, non sufficit, ut, intus & animo dissentientes, exterius præ reverentia sileant, nihilque dicant, aut scribant contra definitionem Ecclesiæ circa factum.

*Prob.* Tale obsequium constitutionibus Apostolicis debent præstare fideles, quale exigitur ab Ecclesia; nam authoritas in superioribus imperandi, inferioribus imponit obsequendi necessitatem; atqui Ecclesia exigit ut constitutionibus Apostolicis præstetur obsequium mentis, ut constat ex formulario, quod ab omnibus subscribendum mandavit Alexand. VIII. (*Bulla, Regiminis Apost. data 1665.*) in quo sub juramento dicitur: „ Ego N. constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653. & constitutioni Alexand. VII. datæ 16. Octobr. 1656. SS. Pontificum me subjicio, & V. propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen, *Augustinus*, excerptas, in sensu ab eodem authore intento, prout illas Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. " Cujus formularii subscriptionem pure & simpliciter *absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione*, præcepit Innoc. XII. (*Brevi ad Episc. Belgii ann.* 1694.)

Hinc libellus, cui titulus, *Casus Conscientiæ*, in quo hæc erat prop. „ Post subscriptionem simplicem sine ulla restrictione formulæ Alexand. VII. satis est, si quis circa factum Jansenii ab Ecclesia definitum, religiosum dumtaxat servet silentium; " fuit damnatus a Clem. XI. (*Brevi dato, anno* 1703.) & a Cardinali Noallio (*Mandat. anni* 1703. 22. *Febr.*) qui declaravit dictam prop. „ adversari constitutionibus Innoc. X & Alexan. VII. & Brevibus Innoc. XII. receptis in comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1700. de novo excitare jam definitas quæstiones, favere æquivocationibus, mentalibus restrictionibus & etiam perjuriis, ac derogare authoritati Ecclesiæ ".

Quomodo, quæso, a mendacio & perjurio excusandus, qui cum juramento profitetur *se sincero animo prop. ex libro Jansenii excerptas damnare in sensu ab eodem authore intento*, quas tamen intus & animo non damnat, nec rejicit, imo tanquam veras & orthodoxas admittit?

*Objicies* 1. In definitionibus factum simul & jus comprehendentibus, circa factum sufficit religiosum silentium; ergo.

*Prob. ant.* Clem. IX. (*Brevi dato 19. Januar. 1669.*) ad pacem Ecclesiæ admisit quatuor Episcopos, Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Aletensem; atqui illi docuerant pro subscriptione formularii sufficere erga factum Jansenii solam reverentiam silentii, nec hanc revocaverant sententiam; ergo.

Resp. *nego secundam part. min.* Non enim admissi sunt ad pacem, nisi postquam Clementi IX. declararunt se aliorum Episcoporum Gallorum institutum imitatos fuisse. *Quamobrem*, ajunt, (*Epist. data* 1. *Septemb.* 1668.) *congregata sicut illi*, (Episcopi Galli) *diœcesana Synodo, & impetrata nova subscriptione, nos etiam subscripsimus . . . . quod, in Apostolicas constitutiones, obsequium injunxerunt, injunximus.* Sic etiam testatur Episcopus Laudensis (*Epist. ad Clem. IX. data* 22. *Septemb.* 1668.) dicens: „ Nova, necnon sincera, subscriptione aliis Episcopis consentiunt illustrissimi Aletensis, Apamiensis, Andegavensis & Bellovacensis, ut disertis verbis professi sunt. "

Idem declarat Clemen. IX. in brevi ad Regem Christianissimum, dato 28. Septemb. 1668. „ Cum lætitia, *inquit*, cognovimus in simplici & pura subscriptione formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam & obsequium. "

*Inst.* 1. Cardinalis Rospigliosus in sua relatione, certum facit Pontificem. „ Quod ad pontificiam de facto *Jansenii* sententiam, videri eam Episcopis cum reverentia excipiendam, sed intra eos fines, quos in ejusmodi causis Cardinales Baronius, Bellarminius, Richelius, Pallavicinus, & PP. Sirmundus & Petavius determinant, nimirum, ne quid pronuntietur, scribatur, doceaturve ipsi contrarium. " Atqui hæc forma subscribendi, est reverentia silentii, cum qua sola eos ad pacem admisit Clemens IX. ergo reverentia illa sufficit.

Resp. *dist. min.* Hæc formula subscribendi, est reverentia silentii erga factum personale Jansenii, *conc.* erga factum doctrinale, nempe circa attributionem sensus erronei quinque propositionum libro Jansenii, *nego min.* Hanc fuisse mentem Pontificis constat, 1. Quia in Epistola quam scripsit postea quatuor Episcopis, declarat, *nullam circa illud formularium exceptionem, aut restrictionem, admissurum unquam fuisse.* 2. Quia in dicta relatione Cardinalis Rospigliosi dicitur: *Si nihil ibi*, nempe in actis verbalibus quatuor Episcoporum, *affirmatum fuisset præterquam posse Pontificem falli in quæstionibus de facto*, *prout supra num.* 153. (in quo agitur de facto mere personali) *explicavimus, prudenti rem dissimulatione supprimendam existimat* Pontifex; *sin vero asseruissent Episcopi nolle se pro hæreticis agnoscere quinque propositiones in sensu Jansenii, quemadmodum ab Apostolica sede fuerant damnatæ*, en factum doctrinale. *Id sane nullatenus ferre, neque in re tanti momenti quidquam connivere, quinimo acerrime obviam ire statuerat.* Et postquam retulit ea, quæ sunt in objectione posita, addit: „ De formula vero eosdem *quatuor Episcopos* profiteri, sinceritate & fide quæ esse maxima posset, ei se subscripsisse, & quinque propositiones tum damnavisse, tum damnandas curasse sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent. " Ergo illi Episcopi quinque propositiones in sensu Jansenii, in quo revera eas damnavit Ecclesia, se eas quoque reprobare significabant, ac definitioni facti acquiescere. Est enim hæc facti doctrinalis quæstio, *Utrum Jansenii sensus erroneus sit, & damnatus*; & eo ipso huic quæstioni acquiescere censetur, quo declarat se damnare V. propositiones in eo omni sensu, in quo eas damnavit Ecclesia.

*Inst.* 1. Episcopi, qui in V. Concilio damnaverunt tria capitula, invitabant contumaces ad pacem, etiam non mutata sententia, ut testatur Facundus, *lib.* 2. *cap.* 3. Ergo persuasum illis fuit de-

defensores trium capitulorum, pacis causa, potuisse eorum damnationi subscribere, licet intus illam non approbarent.

*Resp. nego conseq.* Equidem, ex prudenti œconomia, ad apertum schisma vitandum, invitarunt Schismaticos, ut redirent ad unitatem, etiam non mutata sententia, ut testatur S. P. Vigilius in sententia adversus Theodorum Cæsariensem, *Pro scandalo frænando*, ait: . . . *quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda*. Sed postquam animi fuerunt sedati, ab illis exegerunt, ut deposita priori sententia, Ecclesiæ judicio acquiescerent.

Quæres 2. *Quo motivo tenemur credere libros ab Ecclesia ut hæreticos damnatos, tales esse?*

*Resp.* Circa præsentem quæstionem duplex est sententia.

*Prima* est eorum qui volunt nos fide ecclesiastica, cujus motivum sit infallibilis ac suprema Ecclesiæ authoritas, teneri credere libros ab Ecclesia damnatos, tales esse, quales ab Ecclesia fuerunt damnati.

*Secunda*, quam amplectimur, est aliorum, qui existimant fide divina, cujus motivum est implicita revelatio, credendum esse tales libros, vel propositiones, tales esse, quales ab Ecclesia fuerunt judicati ac censurati.

*Prob.* Ex D. Thom. (2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *in corp.*) dicente: „ Ad fidem aliquid pertinet dupliciter, „ uno modo directe & principaliter, sicut articu- „ li fidei. Alio modo indirecte & secundario, sicut „ ea ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, „ & circa utraque potest esse hæresis eo modo quo „ & fides." Atqui si quis negaret librum ab Ecclesia ut hæreticum damnatum, talem esse, ex ejus negatione sequeretur necessario corruptio hujus articuli fidei, *Ecclesia est infallibilis declarando orthodoxia, vel heterodoxia librorum dogmaticorum*, quæ propositio est revelata per hæc, & alia verba: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & sponsabo te mihi in fide*. Ergo.

*Confirm.* Quia fide divina credimus libros a D. August. de gratia conscriptos, catholicos esse, Canonem Missæ nullum errorem continere, &c. Ergo eadem fide credere debemus librum hæreticum ab Ecclesia damnatum, vere esse hæreticum; paritas enim videtur omnimoda, cum ex utraque parte occurrat aliquod factum juri permixtum. Unde Gallicani præsules in Epist. ad Innoc. (*Data die* 28. *Mart. anno* 1654.) dicunt, discipulos Jansenii fidem ac mentis obsequium detrahentes Ecclesiæ factum Jansenii definienti, quasi in eo judicio errasset, *e veteri fidei deposito, cujus custodia Cathedra Petri a Christo concredita est, partem adimere tentare*. Et Cardinalis Laurea *tomo* 3. *suæ Theolog. disput.* 6. *art.* 6. huic quæstioni. *An propositiones doctrinales, includentes aliquid facti, possint esse objectum fidei?* respondet: „ Dico 1. Dum Ecclesia in Concilio, vel „ Romanus Pontifex extra Concilium, damnant ali- „ quam doctrinam cum expressione authoris, v. g. „ Sabellii, Cerinthi, &c. licet totum complexum in- „ cludat aliquid facti, damnatio illa est objectum „ fidei; ideo absolute, & sine distinctione facti a „ jure, est recipienda ut fidei objectum;" ergo fide divina credenda.

*Objicies* 1. Greg. Magn. Epist. ad Episc. Hiberniæ, loquens de gestis in V. Synodo, dicit. *Nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed de quibusdam solummodo personis esse actitatum*.

Atqui fide divina non tenemur credere quod non est de fide; ergo.

*Resp. dist. maj.* In V. Synodo: *Nihil de fide convulsum est*, id est, nihil de novo dogmate fidei, *conc. maj.* id est, nihil pertinens ad fidem, *nego maj.* Sic enim loquitur Greg. Mag. quin in V. Synodo nova hæresis non fuit damnata, sed solum renovata & confirmata hæresis Nestorianæ condemnatio, & *de personis est actitatum*, utrum nempe scripta Theodoreti & Ibæ in pace Ecclesiæ defunctorum, appellatis eorum nominibus, damnari possent, quæ quæstio magis personas, quam doctrinam spectant.

*Inst.* Pelagius II. in Epistola secunda, Episcopis Istriæ, qui propter tria capitula schisma fecerant, exprobrat quod in schismate remaneant propter *superfluas* quæstiones; atqui superfluæ quæstiones non sunt fide divina credendæ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quæstiones de tribus capitulis a Pelagio II. dicuntur superfluæ *relative* ad Episcopos Istriæ, *conc. maj.* cum enim illi Nestorianam damnarent hæresim, superfluum ipsis erat de scriptis damnatis disputare. *Relative* ad doctrinam in aliis scriptis contentam, *nego maj.* nam ibi sic loquitur summus Pontifex: „ Facile sentietis, quantum sit „ periculum pro superfluis quæstionibus, & Hæreti- „ corum defensione capitulorum, tamdiu ab univer- „ sa Ecclesia segregari."

*Objic.* 2. Quod non est revelatum, non potest credi fide divina; atqui factum dogmaticum (v.g. hæreticitas libri Jansenii) non est revelatum; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Quod non est revelatum, neque explicite, neque implicite, *conc. maj.* quod non est revelatum explicite, sed est revelatum implicite, *nego maj.* Porro hæreticitas libri Jansenii est implicite revelata, nimirum in hac prop. universali, in qua continetur; omne factum doctrinale, quod, ut hæreticum, damnatur ab Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis, & adversus quam portæ inferi non prævalebunt*, revera hæreticum est.

*Inst.* 1. Ergo fide divina credere debemus Jansenium, hæreticam in suo libro tradidisse doctrinam; atqui hoc est falsum; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Hæreticitas libri Jansenii, antequam damnaretur, non poterat credi fide divina; ergo nec fide divina credi potest, postquam damnata est.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod hæreticitas libri Jansenii ante sui damnationem, nullo modo erat revelata; at postquam ab Ecclesia est definita, tunc est revelata implicite, quatenus habet necessariam connexionem cum revelatione infallibilitatis Ecclesiæ circa doctrinam librorum dogmaticorum.

*Inst.* 2. Si factum dogmaticum, ab Ecclesia definitum, esset fide divina credendum, Ecclesia concederet novos fidei articulos: falsum conseq. nam non fiunt a Deo novæ revelationes. Ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Ecclesia enim, declarando aliquem textum heterodoxum, non condit novum articulum fidei, sed, per assistentiam Spiritus Sancti, applicat revelationem olim a Deo factam, ad ali-

aliquod objectum particulare, quod in illa jam, propter definitionem Ecclesiæ, continetur, estque veritas fide divina credibilis; unde Formularium Alexand. VII. dicitur, *Formula fidei*, ab Episcopo Laudunensi in sua ad Clementem I. Epist. in favorem quatuor Episcoporum.

Quæres 3. *Quid Ecclesia in suis Censuris intelligat per sensum obvium & naturalem?*

*Resp.* Cum distinctione propositionum de quibus judicat Ecclesia; vel enim illas propositiones in se absolute, & independenter ab omni proferente spectatas, judicat, vel relative ad sensum libri a quo extrahuntur, vel auctoris a quo prolatæ sunt.

Cum Ecclesia judicium pronuntiat de propositionibus in se absolute spectatis, *per sensum obvium & naturalem*, intelligit sensum quem verba ex communi ac recepta significatione præ se ferunt.

Cum Ecclesia judicium pronuntiat de prop. spectatis relative ad privatum sensum authoris vel libri, *per sensum obvium & naturalem*, intelligit sensum ab authore intentum, ad quem Ecclesia semper attendit, quando in sua censura librum vel authorem designat. Nec tunc respicit sensum verborum in se & absolute, quia talis sensus est a mente libri vel authoris alienus & quasi extraneus.

Hinc, quando Ecclesia damnat propositionem alicujus libri, vel authoris æquivocam, quæ duplicem habet sensum, unum rectum, alium falsum, nec prævie distinguit sensum verum, aut falsum, censura unice cadit in sensum falsum libri vel authoris, qui illius sensus est obvius, proprius, & naturalis; nullatenus vero cadit in sensum verum & catholicum, qui, relative ad librum vel authorem, alienus est & extraneus; sic in Concil. Constantiensi hic Articulus IV. Joann. Huss fuit indistincte damnatus: *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, sunt unus Christus*, qui certe in se & absolute spectatus, nullam meretur censuram, sed qui fuit confixus in sensu proprio & naturali Joann. Huss contendentis unamquamque sigillatim naturam esse totum & integrum Christum, ita ut possit dici: *Humanitas est totus Christus, divinitas est totus Christus.* Quod est falsum & hæreticum.

Hinc fit, ut una eademque propositio, iisdem verbis concepta, modo probetur, modo improbetur, & quidem sine ulla sensus explicatione, sed ex sola circumstantiarum temporis & personarum, a quibus prolata est, consideratione; sic vox, *consubstantialis*, a Conc. Antiocheno rejecta fuit in sensu Pauli Samosateni, qui per eam intelligebat Filium habere substantiam ejusdem speciei cum substantia Patris, sed numero distinctam ab illa. E contra fuit consecrata in Concil. Nicæno I. ut unitas naturæ in Patre & Filio significaretur, qui sensus est illius vocis, in se & absolute consideratæ, proprius. Fieri ergo potest, & sæpe fit, ut propositio quæ in se innoxia est, noxia fiat ex perversa authoris, qui ea abutitur, intentione, ut de Juliano testatur D. Augustinus, *lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. 4.* dicens: *Quæ veraciter & catholice dicta sunt, imo in divinis litteris veraciter scripta, non ab illo catholice dicta esse, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt.*

Quæres 4. *Utrum exigi possit ab Ecclesia, cum damnat propositiones æquivocas, ut perversum earum sensum, per datas explicationes assignet?*

*Resp. negative.* Quia eo ipso quo damnantur, constat ipsas in pravo sensu damnari, non autem in orthodoxo quem pati possent. Ecclesia enim, cum sit *columna & firmamentum veritatis*, nec errorem probare, nec verum damnare potest.

Quæres 5. *Quas ob causas Ecclesia, in suis censuris, varios propositionum sensus non distinguat?*

*Resp.* Duæ vulgo assignantur, 1. Quia ad damnationem propositionis, sufficit, ut sit æquivoca, cum ratione suæ æquivocationis possit fideles in errorem inducere.

2. Quia si explicationes daret Ecclesia, nullus esset rixandi finis in Novatoribus, qui, ad excutiendum obedientiæ jugum, novas in infinitum explicationes postularent ad priores exponendas. Nemo nescit quam importune Janseniani postulaverint, ut quinque magistri sui propositiones, quas æquivocas esse contendebant, varios in sensus distinguerentur, non alio certe consilio, quam ut earum damnationem hac arte declinarent.

## CAPUT IV.

### *De Romano Pontifice.*

*Nota.* Quæ ad Romanum Pontificem spectant, ad duas quæstiones reducemus, quarum *prima* de ejus primatu, *secunda* erit de ejus prærogativis.

## QUÆSTIO I.

### *De primatu Romani Pontificis.*

*Nota.* Duplex est primatus, honoris, nempe, & jurisdictionis.

*Primatus honoris*, est jus ante aliquem sedendi, absque ulla in eum jurisdictione; hunc heterodoxi facile concedunt D. Petro, dicuntque eum fuisse primum inter pares . . . . *Primatus jurisdictionis*, est jus regendi universam Ecclesiam cum amplitudine potestatis in omnes Christi fideles tam Laicos, quam Clericos & Episcopos.

*Nota* 2. Primatum jurisdictionis Summi Pontificis negarunt non solum Hæretici, qui Constantinopoli, sedente Photio, schisma adversus Ecclesiam Romanam fecerunt; sed etiam Joannes Wiclef, Lutherus, Calvinus, aliique recentiores Hæretici, contra quos duo sunt resolvenda: *primum*, utrum D. Petrus a Christo primatum & jurisdictionem in universam Ecclesiam acceperit; *secundum*, utrum Romanus Pontifex succedat Petro in primatu.

## CONCLUSIO I.

*D. Petrus accepit a Christo primatum honoris & jurisdictionis in tota Ecclesia, non solum supra fideles, sed & supra alios Apostolos.* Est de fide, & consequenter ex sola Scriptura & traditione probanda.

*Prob.* 1. Ex Script. Matth. 16. Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo*

Fe-

*Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Ex quo sic argumentor: qui est constitutus fundamentum Ecclesiæ, ille obtinuit a Christo primatum jurisdictionis in universa Ecclesia; atqui D. Petrus est constitutus a Christo fundamentum Ecclesiæ; ergo .... major constat; minor firmabitur solutione objectionum.

*Prob.* 2. Christus addit ibidem: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. ex quo sic arguo: nomine clavium, per metaphoram, significatur primatus & suprema potestas; cui enim traduntur claves civitatis, illius princeps & rector instituitur; atqui Christus promisit Petro claves regni cœlorum, ergo &c.

*Prob.* 3. Ex Joann. 21. ubi Christus dixit Petro: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ex quibus verbis primatus S. Petri supra cæteros Apostolos merito colligitur: namque ille primatum divinitus habuit, qui non agnorum tantum, id est, fidelium, sed & ipsarum quoque ovium, id est, Pastorum, Pastor constitutus est; atqui Sanctus Petrus a Christo constitutus est Pastor, non solum fidelium, sed & omnium ovium, id est, Pastorum cum propositio Christi sit indefinita, proindeque universali æquivalens; ergo.

*Prob.* 4. Traditione PP. Græcorum & Latinorum, qui omnes uno ore Petrum prædicaverunt caput Ecclesiæ.

1. *Ex Græcis*. S. Basilius (*Serm. de judicio Dei*) de Petro ait: *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit*.

S. Epiphan. hæresi 51. dicit: *Petrum elegit*, Christus, *ut dux esset discipulorum*.

S. Chrysost. (*Hom. 11. in Joann.*) *Deus concedere solus potest, ut futura Ecclesia ... immobilis maneat, cujus Pastor & caput est homo piscator, & ignobilis*.

2. *Ex Latinis*. S. Ambros. (*In cap. 12. Epist. 2. ad Corinth.*) *primatum non accepit Andreas, sed Petrus*.

D. Hieron. *lib. 1. ad Jovinianum*, ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio*.

S. Leo (*Serm. 3. de assumpt. sua ad Pontificatum*) ait: „ De toto mundo unus Petrus eligitur „ qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, „ quos principaliter regit & Christus. "

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Cum Calvino, Christus per hæc verba *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. non intelligit Petrum, sed seipsum; ergo ex illis non potest concludi primatum Ecclesiæ concessum fuisse Petro.

*Resp. nego ant.* De persona enim S. Petri sermonem esse, contextus ipse demonstrat; nam particula, *hanc*, refertur ad *petram*, de qua Christus antea immediate locutus fuerat; atqui non de seipso, sed de Petro, antea immediate locutus fuerat, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. Hinc est quod SS. Patres, tam Græci, quam Latini, per to, *Petram*, intelligant S. Petrum; his sufficiat aliquos referre.

*Ex Græcis*, Gregor. Nazianzen. ait, (*Orat. de moderatione servanda in disput.*) *Petrus Petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet*.

S. Epiphan. in Ancorano: *Dominus*, inquit, *constituit Petrum primum Apostolorum Petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est*.

S. Chrysost. (*Hom. 55. in Matth.*) sic loquitur: *Dominus ait: Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam*.

*Ex Latinis*, Tertull. *lib. de præscript.* ait: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum?*

D. Cyprian. Epist. ad Quirin. *Petrum Dominus primum elegit, & super eum ædificavit Ecclesiam suam*.

S. Hilarius, *in cap. 16. Matth.* dicit: „ O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges dissolveret! O beatus cæli Janitor, &c. "

*Inst.* 1. Si in textu allato Christus per *Petram* intellexisset Petrum, debuisset dicere, *tu es Petra & super hanc Petram*; atqui non dixit; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Nam in idiomate Syriaco, quo Christus usus est, bis repetitur *Cephas*, sic, *tu es Cephas, & super hoc Cephas*, quod nomen Petram duram, seu rupem significat; interpres tamen Latinus non vertit priori loco *Petram*, sed Petrum, quia non ex Syriaco, sed ex Græco vertit codice, in quo legitur, *tu es Petros*; porro cum apud Græcos, tam *Petros*, quam *Petra*, significet lapidem, interpreti Latino commodius visum est, homini nomen masculinum, quam fæmineum tribuere.

*Inst.* 2. D. Aug. ista verba, *super hanc Petram* intelligit de Christo (*L. 1. retract. cap. 21.*) dicens *in hoc libro* (contra Epist. Donati scripto): „ dixit de Petro, quod in illo, tamquam in Petra, fundata sit Ecclesia .... sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi. Ergo. "

Resp. *dist. ant.* D. Aug. illa verba intelligit de Christo cum exclusione explicationis naturalis, quæ Petram de Petro interpretatur, *nego ant.* sine illius exclusione, *conc. ant.* Hæc distinctio eruitur ex ipso D. Aug. qui ibidem lectori permittit, ut quam interpretationem probabiliorem judicaverit, eligat. *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector*. Qui insuper in Psal. 69. ait *Petrus ... in illa confessione*, Filii Dei, *appellatus est Petra, super quam fabricaretur Ecclesia*.

*Inst.* 3. Origenes (*Tract. 1. in Matth.*) explicans hæc verba, *Super hanc Petram*, dicit: *Petra est omnis qui imitator est Christi, & super omni ejusmodi Petra ædificatur Ecclesia Dei*. Ergo per illam *Petram* intelliguntur omnes fideles.

Resp. *nego conseq.* Nam Origenes hic allegorice hunc textum exponit, quem *Hom. 5. in Exod.* litteraliter exponens, de solo Petro interpretatur, dicens: „ Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ „ so-

„ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicæ fidei, „ quare dubitasti? "

*Inst.* 4. Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, juxta illud 1. Cor. 3. „ Fundamentum aliud nemo „ potest ponere, præter id quod positum est, quod „ est Christus Jesus; " ergo solus Christus est caput Ecclesiæ.

*Resp. dist. ant.* Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, per exclusionem alterius fundamenti primarii & principalis, quod propria virtute structuram Ecclesiæ sustentat, *conc. ant.* per exclusionem fundamenti secundarii Christo subordinati, ab eoque accipientis virtutem, ut solide possit sustentare, & gubernare Ecclesiam, *nego ant.* Responsio est D. Leonis, qui (*Ser. 3. in anniversario suæ assumpt.*) Christum introducit sic loquentem: „ Ergo fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, „ tamen tu quoque Petra es quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint „ tibi mecum participatione communia. "

*Subsumes.* Esto Petrus sit fundamentum secundarium Ecclesiæ, non sequitur inde quod sit ejusdem caput; ergo.

*Prob. subs.* Ex Apoc. 21. ubi Ecclesia vocatur: „ Murus civitatis habens fundamenta duodecim; & „ in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum „ Agni. " Atqui ex eo quod duodecim Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiæ, non sequitur inde quod sint ejusdem caput; ergo.

*Resp. nego conseq.* Quia non eodem modo dicuntur cæteri Apostoli Ecclesiæ fundamenta, quo D. Petrus; nam licet cæteri Apostoli fuerint Petro æquales in fundandis Ecclesiis, in annuntianda fide omnibus gentibus, fuerunt tamen dispares in regenda & gubernanda universa Ecclesia. Habuerunt quidem, quatenus Apostoli, universalem & plenissimam potestatem regendi Ecclesiam, juxta illud Joann. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos;* sed illa potestas erat tantum extraordinaria & delegata, solusque Petrus, ut Pastor, habuit ordinariam non solum in fideles, sed & in ipsos Apostolos, quorum erat caput: nam cæteri, quatenus Episcopi: „ Habent sibi assignatos greges, singuli singulos, „ *ait D. Bernard. Eugenio Papæ,* (*L. de consi- „ derat. cap.* 8.) Tibi universi concrediti sunt, „ uni unus; non modo ovium, sed & Pastorum, „ tu unus omnium Pastor. " Unde licet Petrus sit fundamentum Ecclesiæ ministeriale respectu Christi cui subordinatur, est tamen principale respectu aliorum Apostolorum, qui Petro subordinantur.

*Inst.* 3. Div. Cyprian. l. de unit. Ecclesiæ ait: „ Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Pe- „ trus, pari consortio præditi & honoris & pote- „ statis, sed exordium ab unitate proficiscitur. " Ergo censuit omnes Apost. æquales fuisse, & consequenter Petrum non habuisse primatum supra illos.

*Resp. dist. conseq.* Censuit omnes Apostolos inter se æquales fuisse in authoritate Apostolatus quatenus nimirum poterant, sicut Petrus, per totum orbem prædicare, Ecclesias fundare, Episcopos creare, &c. *conc. ant.* in auctoritate Episcopali, *nego ant.* sic enim erant impares, cum Petrus in omnes, etiam Apostolos, potestatem ordinariam haberet tamquam eorum Pastor & caput, in ipsum vero nullus. Neque aliud voluit Cyprian. qui hic primatum Petri agnoscit cum ait: „ Exor- „ dium ab unitate proficiscitur "; unitas autem illa ab uno capite repetitur, ideo addit: „ Primatus Pe- „ tro datur, ut una Ecclesia, & Cathedra una mon- „ stretur. "

*Objicies* 2. Multi Patres per to, *Super hanc Petram,* intelligunt Petri fidem & confessionem, *Et super hanc Petram, id est, fidem atque confessionem,* ait D. Chrysost. Hom. 55. ergo textus non intelligitur de Petro.

*Resp. dist. ant.* Per Petram intelligunt Petri fidem & confessionem *in abstracto*, quasi vellent Ecclesiam fundari in fide sine subjecto spectata, *nego ant.* de fide enim sic spectata nullum Christus fecit sermonem. Intelligunt Petri fidem & confessionem *in concreto*, id est, Petrum in fide fideique confessione firmum, *conc. ant.* Responsio patet ex ipso D. Chrysost. qui ibidem ait: „ Dominus ait: tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam. "

*Objicies* 3. Hæc verba, Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum,* &c. diriguntur ad Ecclesiam, non ad propriam Petri personam; ergo ex illis non potest firmum duci argumentum pro primatu D. Petri.

*Resp. neg. ant.* Nam omnia textus verba propriam Petri personam manifeste designant; nempe: „ Beatus es Simon Bar-Jona .... & ego dico tibi quia „ tu es Petrus .... tibi dabo claves regni cœlorum ". Deinde illi dictum est a Domino, *Tibi dabo claves,* &c. cui dictum est, *Vade post me Satana;* atqui postrema hæc verba dicta sunt Petro & in propria persona, ut docent S. Hilarius (*In Psalm.* 131.), Aug. (*L.* 1. *contra Gaudent. cap.* 31.), Theophilactus (*In cap.* 16. *Matth.*), & alii; ergo, &c.

*Inst.* 1. Illa Christi verba, *Tibi dabo claves,* ad eum diriguntur, quem Petrus repræsentabat quando Christus illa protulit; atqui tunc Petrus repræsentabat Ecclesiam ex Augustino Tract. 50. in Joann. „ Quando claves accepit, Ecclesiam sanctam signi- „ ficavit. " Ergo claves datæ sunt Ecclesiæ, non Petro.

*Resp. dist. maj.* Quem Petrus repræsentabat, ut rector & supremus Ecclesiæ Pastor, *conc. maj.* quem repræsentabat, ut procurator vel legatus, *nego maj.* atqui Petrus repræsentabat Ecclesiam, ut ejus Rector & Pastor supremus, *conc. min.* ut ejus Legatus & Procurator, *nego min.* Itaque quando Christus dixit Petro, *Tibi dabo claves,* &c. Petrus repræsentabat Ecclesiam eo modo, quo Rex, dum civitatis claves recipit, repræsentat Rempublicam cui præficitur. *Petrus,* inquit Augustinus (*Tract.* 12. *in Joan.*), *propter Apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat, figurata quadam generalitate, personam.*

*Inst.* 2. Ex Div. Ambrosio in Psalm. 38. „ Quod „ Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur: tibi dabo „ claves. " Ergo ex illo textu non potest inferri primatus Petri.

*Resp. dist. textum.* Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur, & eodem modo, *nego.* Et diverso modo, *conc.* Petrus enim accepit a Christo claves, seu summam jurisdictionem in tota Ecclesia, ut Pastor ordinarius a quo cæteri Pastores penderent, & cujus potestas ad successores transitura esset; e contra cæteri Apostoli acceperunt

summam jurisdictionem in totam Ecclesiam, ut extraordinarii legati, & cum subordinatione & dependentia a Petro, ut supremo Ecclesiæ capite, quæ potestas cum ipsis expiravit, nec fuit transmissa ad eorum in Episcopatum successores.

*Objicies* 4. D. Aug. (*L. de agone Christiano, cap.* 30.) ait: *Cum ei* (Petro) *dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oves meas*. Ergo ex illo textu non potest colligi primatus Petri supra alios Apostolos.

Resp. *dist. ant.* Omnibus dictum est, *Pasce oves meas*, & æque primo & principaliter, *nego ant.* & non æque primo & principaliter, *conc. ant.* hæc enim verba primo & principaliter dicta sunt Petro in propria persona; secundario vero omnibus Ecclesiæ ministris in ipso Petro, tamquam in principe illos repræsentante, qui per hæc verba, *Pasce oves meas*, potestatem accepit pascendi totum Christi gregem, non qua solus uteretur, sed quæ aliis communicaretur, qui cum dependentia ab ipso Petro debent proportionaliter pascere eam gregis partem quæ sibi est commissa.

*Objicies* 5. Christus, Luc. 22. docet Apostolos non debere habere prælaturam: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*. Ergo &c.

Resp. *nego ant.* Nam Christus, per hæc verba, non omnem primatum vetuit, sed eum principatum a suis rejecit, qui a gentibus exercebatur cum fastu, imperio, & avaritia, ut exponit D. Petrus: „ Pascite, *inquit* (*Epist.* 1. *cap.* 5.), qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo". Deinde Christus satis indicat aliquem inter discipulos esse aliis superiorem, dicens: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor*, &c.

*Objicies* 6. Act. 8. Apostoli miserunt Petrum Samariam; atqui Joann. 13. *Apostolus non est major eo qui misit illum*; ergo.

Resp. *dist. maj.* Miserunt per mandatum, *nego maj.* per consilium & suasionem, ut Samaritanos in fide confirmaret, *conc. maj.* Porro qui consilio mittitur, non est minor mittente. Textus Joann. intelligitur de Christo, qui mandato misit Apostolos ut docerent omnes gentes.

*Inst.* Ad Galat. 2. Paulus in faciem Petro restitit; ergo ipsi erat superior.

Resp. *dist. maj.* Restitit Petro ex studio veritatis & zelo religionis, *conc. ant.* ex superioritate, & imperio, *nego ant.* Illa autem correctio non est superioritatis argumentum; unde Greg. Magn. (*l.* 2. *in Ezech. hom.* 18.) ait: „ Ecce a minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur: non ad memoriam revocat quod claves regni Cœlorum acceperit".

*Objicies* 7. Nonnulli ex Patribus Petrum & Paulum faciunt pares dignitate & auctoritate; ergo.

*Prob. ant.* S. Epiph. hæresi 27. ait: *Romæ primi Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Paulus dicitur cum Petro Episcopus Romanus, ratione muneris Pastoralis Ecclesiæ particularis Romanæ, *nego ant.* certum est enim quod D. Paulus in nulla particulari Ecclesia sedem Episcopalem fixerit. Ratione muneris Apostolici, quod omnibus Apostolis jus Episcopale ubique terrarum conferebat, *conc. ant.* Hujus muneris Apostolici virtute, Paulus cum Petro Ecclesiam Romanam fundavit & rexit, sed semper cum subordinatione & dependentia a Petro.

*Inst.* Romani Pontifices in suis bullis ac diplomatibus se fungi authoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli testantur; sic Paulus III. in bulla convocationis Concilii Trident. *Authoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur*, &c. Ergo Paulus fuit particularis Ecclesiæ Episcopus, non secus ac D. Petrus.

Resp. *nego conseq.* Hic enim loquendi modus non intelligitur de auctoritate, cui Romani Pontifices successerunt; sed de authoritate præsidii quod implorant, unde non pauci Rom. Pontifices in suis bullis declarant se aliquid facere non solum Petri & Pauli, *sed & omnium simul Sanctorum, atque venerandorum sex universalium Conciliorum authoritate*, ut loquitur Nicolaus I. in sententia contra Photium lata; atqui tamen non succedunt authoritati omnium Sanctorum; ergo, &c.

*Objicies* 8. Jacobus Episcopus Jerosolymitanus fuit Petro major; ergo.

*Prob. ant.* Jacobus Christo in Episcopatu Jerosolymitano successit; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Neque enim Christus fuit Episcopus alicujus particularis loci, sed fuit, & etiamnum est, totius Ecclesiæ Pontifex, qui, cum vivat in æternum, non potuit habere successorem.

*Inst.* 1. Jerosolymorum Ecclesia fuit mater omnium Ecclesiarum; ergo Jacobus fuit Pater omnium Ecclesiarum, non Petrus.

Resp. *dist. ant.* Fuit mater omnium Ecclesiarum, antiquitate, cum prima omnium fuerit fundata, *conc. ant.* auctoritate & officio gubernandi, *nego ant.* Dominus enim primo Jerosolymorum Episcopo non contulit primatum, sed soli Petro.

*Inst.* 2. Clemens Roman. apud Eusebium (*l.* 2. *Hist. cap.* 1.) docet Apostolos, *post Salvatoris assumptum . . . Jacobum cognomine justum, Apostolorum Episcopum elegisse*; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Ille enim textus est mendosus, qui, licet sic legatur in codice Basileensi, non sic legitur in aliis, in quibus vox *Apostolorum* non reperitur, sed vox *Jerosolymorum*; unde Nicephorus, *l.* 2. *cap.* 3. hunc Eusebii locum sic refert: *Jacobum justum Episcopum Jerosolymorum elegerunt*.

## CONCLUSIO II.

*Romanus Pontifex jure divino primatum honoris & jurisdictionis habet in tota Ecclesia*. Est de fide contra Græcos Schismaticos, Lutheranos, & Calvinistas.

*Prob.* 1. Legitimus Petri successor jure divino primatum habet in tota Ecclesia; atqui Roman. Pontifex est legitimus Petri successor; ergo, &c. . . . . Major est certa: nam legitimus Petri successor eamdem habet in tota Ecclesia potestatem, quam in ea habuit D. Petrus; cum Christus dixerit Petro, non solum in propria persona, sed etiam in persona omnium ejus successorum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et, *Pasces oves meas*; atqui Petrus jure divino

N 2 pri-

primatum habuit in tota Ecclesia, ut probatum est; ergo, &c. Ideo

*Prob. min.* Ille est legitimus Petri successor, qui Cathedram habet, in qua Petrus sedit & mortuus est; atqui Romanus Pontifex Cathedram habet, in qua Petrus sedit & mortuus est; ergo, &c. Major est certa; nam, *non succeditur, nisi locum cedenti vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est, depositionem, vel per renunciationem*, ait Bellarm. (*l. 2. de Rom. Pontif. cap. 12.*). Hinc est quod Episcopus Antiochenus Div. Petri non sit successor, quia, addit Bellarm. *Petrus adhuc vivens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, & Romæ sedem suam fixit*, ibique mortuus est.

*Prob. min.* Ex scriptoribus Ecclesiasticis fide dignissimis.

Eusebius in Chronico ann. 44. ait: „ Petrus Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat ". Et in Chronico anni 71. „ Primus Nero super omnia scelera sua, etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus gloriose Romæ occubuerunt ".

D. Hieronym. de viris illustribus in Petro: „ Simon Petrus, *inquit*, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum, id est 14. Neronis annum, a quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso ".

Paulus Orosius l. 7. Histor. cap. 6. „ Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, a que exinde Christiani Romæ esse cœperunt ". Eamdem veritatem tradunt omnes alii historici Ecclesiastici, Patres & Concilia, ipsaque Ecclesia, quæ in officio SS. Petri & Pauli sic canit: *O Roma felix, quæ duorum Principum es consecrata glorioso sanguine*, &c.

*Prob.* 2. Ex Conciliis, Niceno, in cujus can. 6. dicitur: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.*

Constantinop. I. can. 2. *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum.*

Ephes. in quo Philippus Apostolicæ sedis legatus, nemine reclamante, actione tertia dixit: *Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod S. Beatissimusque Petrus Apostolorum princeps & caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum a Domino nostro J. C. claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit & judicium exercet.*

Chalced. Act. 16. Patres clamarunt: „ Ex his quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari ".

Florentino, quod, Græcis & Latinis consentientibus, in definitione fidei sess. 6. sic pronuntiat: „ Definimus Sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Rom. Pontificem, successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.

Hinc Martinus V. in Conc. Constantiensi, sess. ult. decernit, ut omnis de hæresi Joannis Huss, & Wiclefi, qui hanc fidei veritatem negabant, suspectus, interrogetur, *utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.*

*Prob.* 3. Ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis.

*Ex Græcis*, D. Iræneus, *lib. 3. cap. 3. de Romana Ecclesia*, ait: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles.*

S. Athanas. *Ob id vos*, inquit (*Epist. ad Felicem Papam*), *prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet præsules in summitate arcis constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis.*

S. Chrysost. a sententia depositionis, in se per Theophilum Alexandrinum lata, ad Innocent. I. appellavit . . . Idem Theodoretus a Dioscoro Alexandrino depositus ad S. Leonem appellavit. Ex quibus patet, Ecclesiam orientalem, ante schisma Photii, constanter agnovisse primatum Romani Pontificis, ejusque supremam in omnes Patriarchas & Episcopos jurisdictionem.

Ex PP. Latinis.

August. Epist. 162. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.*

D. Cyprian. (*Epist. 8. ad plebem*): *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata; aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium, non potest; quisquis alibi collegerit, spargit.* Ergo sicut Deus unus est, & Christus unus, & Ecclesia una numero, non specie, ita & Cathedra una est numero, illaque est Cathedra Petri, extra quam quicumque colligit, spargit.

D. Prosper (*l. 2. de vocat. gentium*) *Roma per sacerdotii principatum*, inquit, *amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

His authoritatibus addo declarationem Cleri Gallicani, in comitiis generalibus anni 1681. ubi de Romano Pontifice sic loquitur: *Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis, obtinet ille in nos primatum authoritatis & jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona Sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, Schismaticus, imo & Hæreticus esset.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. D. Cyprian. primatum Romani Pontificis supra alios Episcopos non agnovit; ergo.

*Prob. ant.* Div. Cyprian. asserit omnes Episcopos pares esse in authoritate Episcopali: *Episcopatus unus est*, ait (*l. 2. de unitate Eccl.*), *cujus a singulis in solidum pars tenetur*; ergo.

Resp.

Resp. *nego ant.* Asserit Episcopos esse pares in authoritate Episcopali, quoad munera quæ sunt intrinseca & essentialia Episcopatui, *conc. ant.* quoad munus Episcopatui accidentale, *nego ant.* Porro primatus est quid accidentale Episcopatui, ad eumque pertinet Episcopum, quem Dominus elegit.

*Inst.* 1. Si Romanus Pontifex haberet primatum in Episcopos, esset Episcopus Episcoporum; falsum conseq. ergo.

*Prob. min.* Ex D. Cyprian. Epist. ad Quintum; *Neque enim*, ait, *quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* D. enim Cyprian. loquitur solum de Episcopis in Concil. Carthaginensi III. congregatis, de quibus asserit nullum se Episcopum Episcoporum constituisse, qui vim inferret aliis, ut rebaptizationi, quæ in eo Conc. decreta est, faveret vel non faveret; sed unumquemque suam sententiam liberrime aperuisse: *Superest*, inquit, *ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes .... neque enim quisquam nostrum Episcopum*, &c.

*Inst.* 2. Qui non potest alios judicare Episcopos, non est Episcopus Episcoporum; atqui ex D. Cypr. ibidem, Episcopus Roman. non potest alios judicare Episcopos; ergo.

Resp. *nego min.* D. Cyprian. non loquitur de Rom. Episcopo, sed de Episcopis in Conc. suo Carthaginensi congregatis, de quibus dicit: *Omnis Episcopus . . . . tam judicari ab alio non potest, quam nec ipse possit alterum judicare;* alias contradiceret Conc. Ephesino, a quo Joannes Patriarcha Antiochenus jussus est, *obedientiam & honorem deferre Apostolicæ sanctæ Dei Ecclesiæ Romanorum, apud quam maxime mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eam judicetur*. Errasset ergo D. Cyprian. si judicandi Episcopos potestatem Romano denegasset Pontifici, ipsiusque authoritati possemus cum D. Aug. (*L.* 2. *contra Crescon. c.* 32.) respondere: *Litteras Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero; & quod in eis Scriptur. divinarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo*.

*Inst.* 3. D. Cyprian. Stephano S. P. definienti, *nihil*, circa rebaptizationem Hæreticorum, *esse innovandum*, obstinate reluctatus est; ergo non eum agnovit Episcopum Episcoporum.

Resp. *nego conseq.* Non enim ideo reluctatus est Stephano definienti, quod ejus primatum negaret; dicit enim ibidem, *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra non monstretur*. Sed quod putaret S. P. Stephanum sua abusum fuisse authoritate, cum censuerat Ecclesiastica communione privandos esse Episcopos a se dissentientes in quæstione, quam erronee putabat esse solius disciplinæ, non fidei.

*Inst.* 4. Ille primatum non habet in tota Ecclesia, qui non potest dici Episcopus universalis; atqui Rom. Pontifex non potest dici Episcopus universalis. Ergo.

*Prob. min.* Greg. Magn. *l.* 4. *Epist.* 32. Joannem Constantinop. insectatur quod se diceret Episcopum universalem, atque illud esse *nomen blasphemiæ;* ergo Episcopus Rom. non potest dici Episcopus universalis.

Resp. *dist. ant.* Hoc nomen, *Episcopus universalis*, est nomen blasphemiæ in sensu pravo, quo illud usurpabat Joannes Constantinop. *conc. ant.* in sensu orthodoxo, *nego ant.*

Itaque duplici sensu potest accipi nomen *Episcopi universalis* . . . 1. Ita ut qui dicitur Episcopus universalis, ut solus universæ Ecclesiæ Episcopus, cujus cæteri omnes Episcopi sint tantum delegati ac vicarii, hic sensus est falsus & erroneus, in hoc tamen sensu Joann. Constantinopol. voluit appellari *Episcopus universalis*, ut constat ex his D. Gregorii verbis: *Ad hoc perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari*. 2. Nomen Episcopi universalis potest accipi hoc sensu, quod aliquis dicatur Episcopus universalis, eo quod regat singulas orbis Ecclesias, servata singulorum Episcoporum jurisdictione; hoc vero & orthodoxo sensu Pontifex Romanus vocatus est *Episcopus universalis* a Concilio Chalcedonensi.

*Inst.* 5. Div. Greg. asserit *nullum umquam prædecessorum suorum tali vocabulo appellari voluisse;* ergo non ipsis competit illud nomen.

Resp. *nego conseq.* Non ideo Romani Præsules titulum Episcopi universalis assumere noluerunt, quod ipsis non competat, sed quia pravo sensui obnoxium esse poterat; hanc utique rationem reddit D. Greg. *Ne*, inquit, *si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hunc omnibus fratribus denegasse videretur*.

*Inst.* 6. Ille non est Episcopus universalis, cujus jurisdictio intra limites Occidentis coercetur; atqui Romani Pontificis jurisdictio sic coercetur a Conciliis: ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Canon 6. Concil. Nicæni I. sic habet: „ Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. " Ergo.

Resp. *dist. conseq.* Jurisdictio Romani Episcopi coercetur, quatenus est Patriarcha, *conc. conseq.* quatenus est summus Pontifex & Vicarius Christi, *nego conseq.*

Itaque summus Pontifex spectari potest, 1. Ut Episcopus, respectu Diœcesis Romanæ. 2. Ut Metropolita, respectu Provinciæ Romanæ. 3. Ut Patriarcha, respectu Occidentis. 4. Tandem ut summus Pontifex, respectu totius orbis christiani. Porro prædictus Canon non confert Alexandrinum Episcopum cum Episcopo Romano quoad dignitatem Pontificiam, sed tantum quoad dignitatem Patriarchalem & jura illi annexa; nam hic Canon in Concil. Chalced. sic refertur: „ Trecentorum decem & octo Patrum Canon VI. quod Ecclesia Romana semper habuit primatum: teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ, &c. *Ad cujus relationem Patres dixerunt:* Perpendimus quidem omnem primatum & honorem præcipuum secundum Canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari. "

*Objicies* 2. D. Hieronym. (*Epist.* 85. *ad Evagrium*) ait. „ Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli . . . . . . . . ejusdem meriti, ejusdem est Sacer-

Sacerdotii". Ergo nullus est, qui supra alios habeat potestatem.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Hieron. Epist. ad Damasum clare tradit primatum Rom. Pontificis, dicens: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit.* Itaque hic loquitur de potestate & honore Episcopis debito, hocque ut reprimat Diaconorum Romanæ Ecclesiæ superbiam, qui supra Episcopos Romæ existentes sese extollebant, eisque declarat, *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii*, id est, in loco suæ sedis, *ejusque esse Sacerdotii*, id est, esse supra Clericos inferioris ordinis.

*Objicies* 3. Qui sunt Vicarii Christi in terris, quibusque commissa est universalis Ecclesiæ cura, sunt paris jurisdictionis cum Episcopo Romano; atqui omnes Episcopi sunt Vicarii Christi, juxta Apost. (2. *Cor.* 5. *v.* 10.) *Pro Christo legatione fungimur.* Omnibus *commissa est cura universæ Ecclesiæ*, ut scribit Eleutherius Papa ad Episcopos Galliæ; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui sunt Vicarii Christi in tota Ecclesia, quibusque commissa est cura universalis Ecclesiæ, authoritate jurisdictionis regendæ, *conc. maj.* qui sunt Vicarii Christi in sua quisque particulari Ecclesia, quibusque commissa est universalis Ecclesiæ cura per caritatem, qua Ecclesiæ laboranti subvenire debent, *nego maj.* Porro solus Romanus Pontifex est Vicarius Christi in universa Ecclesia, solus potest per authoritatem & jurisdictionem, curam habere universæ Ecclesiæ; ergo.

Præterea. Decretalis Eleutherii, viris eruditis hodie certissimæ suppositionis convicta habetur, sicut & aliæ Pontificum Rom. usque ad Syricium, qui Petri Cathedram an. 385. ascendit.

*Inst.* 1. Episcopi sunt successores Apostolorum; atqui Apostoli habebant jurisdictionem in universa Ecclesia; ergo.

Resp. *dist. maj.* Sunt successores in Episcopatu, *conc. maj.* in Apostolatu, *nego maj.* Porro Apostoli jurisdictionem universalem habebant, qua Apostoli, non qua Episcopi; illa autem jurisdictio erat extraordinaria, cui non succedunt Episcopi.

*Inst.* 2. Jurisdictio universalis competebat Petro ratione Apostolatus; atqui tamen ei succedit Episcopus Romanus; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam jurisdictio universalis competebat Petro ratione muneris supremi totius Ecclesiæ Pastoris, & non solum ratione Apostolatus, & ideo in eo erat ordinaria & independens.

*Objicies* 4. Primatus totius Ecclesiæ fuit privilegium personale Petri; ergo non transit ad ejus successores.

Resp. *dist. ant.* Fuit privilegium personale Petri, cum potestate, ipsi a Christo facta, illud alligandi ad aliquem certum locum, *conc. ant.* sine tali potestate, *nego anteced.*

*Itaque*, Primatus Petro primum collatus est sine alligatione ad aliquem locum, sed cum potestate illum postea ad aliquem locum particularem alligandi; & cum Petrus, ex speciali Dei inspiratione & jussu, sedem Romæ ultimo fixerit, illiusque Episcopus mortuus fuerit, inde factum est, ut Rom. Episcopus succedat Petro in omni potestate, quam Petrus pro se, & pro suis successoribus, a Christo accepit.

*Inst.* 1. Petrus nunquam Romam venit; ergo non fuit Romæ Episcopus.

Resp. *nego ant.* Cujus falsitas patet tum ex dictis, tum ex prima Petri Epist. quæ scripta fuit Romæ, ut probant hæc cap. 1. verba, *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Atqui, juxta omnes interpretes, D. Petrus per Babylonem significavit Romam, ubi tempore D. Petri erat confusio idolorum & vitiorum. „ Petrus in Epist. prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone, *ait D. Hieronym.* lib. de viris illustr. in Marco."

*Inst.* 2. Non potest dici quo tempore Petrus Romam venerit, & quot annis Romæ commoratus sit; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam ex D. Hieron. (*L. de viris illustrib. in Petro.*) *Petrus Romam venit anno Claudii secundo . . . . ibique 25. annis Cathedram tenuit usque ad ultimum Neronis annum.* Et ex Paulo Orosio (*L.* 7. *hist. c.* 6.): *Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit.* Annus autem secundus potuit dici exordium regni Claudii, qui 14. annis imperavit.

*Objicies* 5. Ex facto Petri sedem Romæ figentis ortum est, quod Romanus Episcopus, potius quam alter, succedat Petro in primatu universæ Ecclesiæ; ergo jure humano, non divino, succedit primatui.

Resp. *dist. ant.* Ex facto Petri ortum est, ut Episcopus Rom. succedat in primatu, quoad ordinem successionis, *conc. ant.* quoad ipsam successionem, *nego ant. & conseq.*

Itaque observandum est cum Bellarm. (*L.* 2. *De Rom. Pontif. cap.* 12.) „ aliud esse successionem, aliud ordinem successionis: nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est, " qui instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, ac proinde quicumque Petro succedit, accipit a Christo Pontificatum. „ Ratio autem successionis, qua Rom. Pontifex, potius quam Antiochenus, aut aliquis alius, succedat, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, & tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset: potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romæ sedem fixit & tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex ei succedat."

*Inst.* Primatus a Canonibus Rom. Pontifici est delatus, nam sic ait, *can.* 28. Concil. Chalced. *antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerant.* Ergo primatus competit Rom. Pontifici jure humano.

Resp. *nego ant.* Concilium enim Chalced. nullum novum privilegium Pontifici Rom. tribuit, sed privilegia ei a Christo collata declaravit & definivit, quomodo Concil. Nicænum definivit Christum esse con-

consubstantialem Patri; juxta illud D. Thom. opusculo contra impugnantes religionem. „ Ecclesia Romana nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit. "

*Resolves*. Contra Novatores, Lutheranos & Calvinistas, quibus accessit Richerius, regimen Ecclesiæ esse vere Monarchicum, summumque Pontificem vere esse illius Monarcham, ut docent melioris notæ Theologi, teste Duvallio Doctore Sorbonico (*L. de Eccles. & politica potest. contra Anonymum, quilibet a DD. Geslin & Froger doctoribus Paris. fuit approbatus.*) „ De fide enim est, inquit, statum Ecclesiæ esse Monarchicum, & Ecclesiam habere unum supremum in terris visibilem Monarcham a quo gubernetur, ut contra nostræ ætatis Novatores luculenter demonstrant melioris notæ Theologi. "

Cum vero *Anonymus*, qui contra hanc veritatem scripsit, falso, & impudenter, ad suorum dogmatum confirmationem, nomen Sorbonæ usurpet, lubet hoc loco clarissimorum Theologorum Parisiensium sententias apponere.

Petrus de Alliaco Cardinalis & Archiep. Cameracensis (*De origine Ecclesiasticæ potestatis, concl. 2.*) *ait*: „ Ideo Dominus hoc prævidens (*nempe Schisma & dissensionem*) contulit Petro pro se & successoribus suis auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, & determinandi eorum jurisdictionem dicens: Pasce oves meas, id est, sis Pastor & Prælatus generalis, ad quem pertinent dispositio & regimen regale ovium & ovilis. "

Joannis Gerson (*Tract. de statibus Eccles. tit. pro statu summi Pontificis considerat. 1.*): „ Status Papalis, *inquit*, est a Christo immediate & supernaturaliter, tamquam primatum habens Monarchicum & regalem in Ecclesiastica Hierarchia: secundum quem statum unicum & supremum, Ecclesia militans dicitur una sub Christo: quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, Hæreticus est, Schismaticus, impius, atque sacrilegus: cadit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ, usque hodie, tam per institutionem Christi de primatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis, & generalibus Conciliis. "

Idem Gerson (*L. de origine juris & legum concl. 2.*) *ait*: „ Plenitudo legis Ecclesiasticæ sic proprie sumpta, non potest esse de lege ordinaria, nisi in uno summo Pontifice formaliter & subjective, alioqui regimen Ecclesiasticum non esset Monarchicum, & habere posset multiplex caput: quod est aperte Hæreticum. "

Idem Gerson (*Tract. de auferibilitate Papæ consider. 8.*) docet: quod *Ecclesia in uno Monarcha supremo, per universum fundata est a Christo*. Et infra, *nullam aliam politicam instituit Christus Monarchicam, & quodammodo regalem, nisi Ecclesiam*.

Almainus (*L. de potestate Ecclesiastica, c. 4.*) *ait*: „ Christus fuit sapientissimus, quia sapientia plenus, & quod instituerit optimam politiam, sed optima politia regi debet regimine regali. Hoc est, *inquit Duvallius referens hunc textum*, Ut sit unus qui in unumquemque authoritatem habeat, & nullus alius in eum. "

Joannes de Cellaja apud Duvallium (*L. contra Anonymum, pag. 157.*) *Dominus Papa*, inquit, *regit universalem Ecclesiam, & merito potest vocari Rex*; quod probat ex eo quod in Ecclesia de Beato Petro canitur: „ Simon Petre, antequam vocarem te, novi te, & super plebem meam te constitui. "

Mauclerus toto libro 3. 1. parte, cui titulus est: „ De Christi regno spirituali, quod per se dum esset visibilis in hoc mundo, post vero ascensionem per Vicarium suum Rom. Pontificem exercuit, hoc est, de Ecclesia, cujus regimen voluit Christus esse Monarchicum. "

Robertus Pœnalis Episc. Abrincensis ait „ Pontificis Monarchia ad hoc ut doctrinæ consensus retineatur, non solum utilis, sed etiam necessaria, imo & a Christo instituta & ab omnibus omnium ætatum doctoribus asserta est. " (*L. 2. de Oblata ab Hæreticis conditione, pag. 42.*)

Gilbertus Genebraldus Archiep. Aquensis (*Lib. 3. pag. 402.*) „ Ecclesia supra Petrum fundata est, unus Episcopus in Catholica Ecclesia a quo cæteri pendere debeant, & Romana Ecclesia ab omnibus aliis Ecclesiis pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ est agnoscenda. "

His omnibus Theologis Parisiensibus adjungimus decretum sacræ Facultatis Paris. quo sic statuit: „ Hierarchiæ Ecclesiasticæ potestas, divino jure Monarchia est, eaque Papalis, quilibet fidelium subesse dignoscitur, " Apud Maucl. p. 4. l. 8. c. 6. col. 2434.

Eadem Facultas has duas Antonii de Dominis damnavit propositiones.

„ 1. Monarchiæ forma non fuit immediate in Ecclesia a Christo instituta. *Censura*, hæc propositio est Hæretica, Schismatica, ordinis Hierarchici subversiva, &c. "

„ 2. Dico: Romanam Ecclesiam ex magnitudine civitatis & ex eo quod duo primi Apostoli eam fundaverunt, Petrus & Paulus, & ex aliis capitibus extra jus divinum, habuisse ut semper reputata sit Ecclesia principalis, non tamen domina & regina super universas Ecclesias. *Et infra*: Erat ergo & est Ecclesia præcipua nobilitate, existimatione, nomine, & dignitatis auctoritate, non regiminis & jurisdictionis principatu. *Censura Parisiensis*, hæc propositio est Hæretica & Schismatica, quatenus aperte insinuat Rom. Ecclesiam jure divino authoritatem in alias Ecclesias non habere. "

## QUÆSTIO II.

### *De Primatus Summi Pontificis prærogativis.*

*Nota*. A controversiis juris, quæ circa primatus Summi Pontificis prærogativas inter Theologos Catholicos agitari solent, data opera abstinemus ad vitandas turbas & contentiones quæ sæpe ob id excitantur, quibus remedium nullum adhiberet nostræ circa eam sententiæ aperta manifestatio. Hic itaque solam quæstionem facti attingemus, nimirum, utrum Sum-

Summus Pontifex ex Cathedra definiens, aliquando erraverit.

*Nota* 2. Summus Pontifex dicitur loqui ex Cathedra, quando, ut caput & universalis Ecclesiæ Pastor, circa fidem & mores, universam docet Ecclesiam.

*Nota* 3. Ut Summus Pontifex dicatur pronuntiare ex Cathedra, quatuor requiruntur conditiones, quarum si vel una defuerit, non ex Cathedra pronuntiabit, sed privatam suam exponet sententiam, quæ consequenter erit errori obnoxia: constat enim apud omnes Summum Pontificem in errorem labi posse, quando, ut Doctor particularis & ex privata sententia, loquitur.

*Prima conditio* est, ut definitio Pontificia sit de re ad fidem vel mores pertinente. *Secunda*, ut non feratur, nisi maturo examine prævio, consultis Prælatis ac Doctoribus adhiberi solitis, in primis vero requisita Romanæ Ecclesiæ doctrina & traditione. *Tertia*, ut sit omnino libera, tam ex parte Doctorum consultorum, quam ex parte Pontificis definientis. *Quarta*, ut res definita universæ Ecclesiæ credenda vel facienda proponatur sub pœna Anathematis. Ad has itaque leges expendimus eorum Pontificum exempla, qui errores ex Cathedra docuisse circumferuntur. His diligenter notatis,

## CONCLUSIO.

*Nullus umquam Pontifex Romanus ex Cathedra pronuntians, erravit in fide aut moribus.*

*Prob.* 1. Ex testimoniis Summorum Pontificum. S. Lucius I. epist. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, ait: „ Ecclesia Romana Apostolica est, quæ a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis depravata novitatibus succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* “. Quæ decretalis, licet supposititia habeatur, magna tamen pollet authoritate, ut infra videbitur.

Idem testatur Felix I. epist. ad Benignum. „ Ecclesia Romana, inquit, ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum principibus, illibata manet, juxta illud: *Rogavi pro te, &c.* “

Agatho Papa epist. approbata in VI. Synodo Act. 8. dicit: „ Ecclesia Romana a tramite Apostolicæ traditionis numquam erravit, quia dictum est Petro: *Ego rogavi pro te, &c.* “

Leo IX. epist. ad Petrum Antiochenum referens hanc Christi orationem: *Ego rogavi pro te, Petre*, ait: „ Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petro non defecit, nec defectura creditur in throno illius “.

*Prob.* 2. Quia nullius Pontificis adferri potest definitio quæ fidei repugnet, ut ex oppositorum argumentorum solutione patebit.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. *cum Magdeburgensibus*: D. PETRUS bis contra fidem erravit: 1. Quando Christum negavit. 2. Quando coegit gentes Judaizare, ex quo a D. Paulo graviter reprehensus est.

*Resp.* A scopo multum aberrare Magdeburgenses tale exemplum proponendo. Primo enim, D. Petrus non corde, sed ore, Christum negavit, cum nondum esset Pontifex; constat enim Christum non ei contulisse Ecclesiæ primatum, nisi post suam resurrectionem, quando (Joann. ult.) dixit: *pasce oves meas*. Secundo. Quando D. Petrus coegit Judaizare, nullo decreto Judaizandum esse sancivit; e contra paulo ante contrarium definivit (Act. 15.): non ergo erravit doctrina, sed exemplo conversationis, qua plurimis occasionem errandi dabat: porro de errore facti non contendimus.

*Objicies* 2. VICTOR I. definivit Christum esse purum hominem; ergo, &c.

*Resp. Eusebius*, hanc esse calumniam, qua ille Pontifex fuit aspersus ab Hæreticis. „ Quomodo non illos pudet hæc Victori tam falso objectare? inquit (*L.* 3. *Histor. cap.* 27.), præsertim cum explorate cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum Coriarium, qui primus Christum, solum hominem dicebat . . . . Christiana communione interdixisse; quod si Victor eadem cum illis sentire visus fuisset (sicut detestabilis istorum docet calumnia), quo pacto Theodotum hujus erroris inventorem, ab Ecclesia ejicere in animam induxit “.

*Objicies* 3. Tertullianus (*L. adv. Praxeam c.* 1.) asserit ZEPHYRINUM approbasse prophetias Montani, earumque authoribus pacis & communionis litteras dedisse, quas postea, suadente Praxea, revocavit; ergo Zephyrinus erravit contra fidem.

Resp. 1. Tertullianum nullam in illa narratione mereri fidem, cum librum illum scripserit post suam in Montani hæresim defectionem, unde non mirum est, si Romanum Pontificem ad partes Montani voluerit adducere.

Resp. 2. Data, non concessa, veritate narrationis, ex ea sequitur tantum quod Zephyrinus, specie pietatis, quam Montanistæ præ se ferebant, persuasus fuerit eos recte sentire ac docere, errotesque falso illis fuisse impositos, eamque ob causam dederit litteras pacis, quas revocavit ubi primum a Praxea eos errorem docere ac defendere cognovit: ubi nullus fuit Zephyrini error in fide (circa quam nihil ex Cathedra pronunciavit), sed solum de personis, earumque qualitatibus, circa quas posse decipi Pontificem, non negamus (*Vide Div. Epiph. hæresi* 48.).

*Objicies* 4. MARCELLINUS idolis sacrificavit; ergo, &c.

Resp. 1. Multi illud factum negant, asseruntque meram esse in sanctum Pontificem calumniam: sic inter alios D. Augustinus (*L. de unico Bapt. contra Petilianum c.* 16.): „ Quid ergo jam opus est, inquit, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est (Petilianus) objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri ejus, traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo, crimine arguuntur; sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo “.

Resp. 2. Dato quod Marcellinus in immani persecutione Diocletiani, metu mortis inductus, idolis

lis sacrificaverit, & sic contra fidem graviter peccaverit, non inde sequitur quod aliquid contra fidem interius tenuerit, vel senserit, multo minus docuerit ac ex Cathedra pronuntiaverit Idolis esse sacrificandum.

*Objicies 5.* LIBERIUS subscripsit damnationi S. Athanasii, & formulæ Sirmiensi Arianæ; ergo erravit ut Pastor universalis.

*Resp.* 1. Esto Liberius subscripserit damnationi Div. Athanasii, atque formulæ Hæreticæ, quid inde? Nisi hoc unum, Pontificem graviter peccasse contra justitiam, damnando Div. Athanasium, & contra fidei confessionem, communicando cum Arianis, at non inde concludes eum ex Cathedra pronuntiantem errasse: an quæso, eam formulam toti Ecclesiæ credendam proposuit? an consuluit traditionem Ecclesiæ Romanæ? an libere egit exilio detentus & ærumnis confectus? minime profecto; ergo, etiamsi Liberius errasset contra fidem, error ille fuisset personalis, non Pontificia authoritate definitus. Verum

*Resp.* 2. Liberium nunquam fuisse Hæreticum, neque ante exilium, quoniam ideo exulare jussus est, quia noluit Arianæ hæresi subscribere, ut testantur illius ætatis historici (*Socrates, lib.* 2. *c.* 29. *Sozomen. l.* 4. *c.* 10. *Niceph. lib.* 9. *c.* 35.): neque ab exilio reversus; quoniam propter acta Concilii Ariminensis, (in quibus Ariana hæresis fuerat iterum conclamata) rescissa & damnata, iterum sede pulsus, in sepulchris delituit, ærumnisque confectus migravit ad Dominum (*Sozom. lib.* 4. *cap.* 10.) neque tempore exilii, nam formula fidei, cui subscripsit, erat Catholica in sensu obvio, in quo ei subscripsit, & nunquam compelli potuit ad reprobandam vocem, *consubstantialis*. Pro cujus rei intelligentia.

*Nota*, Tres esse formulas fidei, quæ *Sirmienses* dicuntur.

*Prima* fuit edita Sirmii contra Photinum Sirmiensem Episcopum, qui Pauli Samosateni erroribus infectus, Christum purum hominem blaspemabat. Hæc formula, cui Liberius subscripsit, erat Catholica, in ea hæresis Photini fuit damnata; definitumque est Verbum esse ejusdem cum Patre substantiæ. Hanc formulam exponens D. Hilarius, Catholicam esse fatetur; & Liberius ipse, in Epistolis quas ad Episcopos orientales scripsit, asserit se ideo cum Valente & Ursacio communicasse, quod eorum fidem agnovisset Catholicam, atque alienam ab Ariana perfidia.

Nec obstat, quod hæc formula nomen *consubstantialis* taceret: rem enim hoc nomine expressam perfecte exprimebat, & ideo ei subscribere potuit Liberius.

*Secunda formula* edita est Sirmii, in qua Dei Filium, nec ejusdem substantiæ cum Patre, nec ei similem esse decretum est. Hæc, cui Hosius Episcopus Cordubensis, ætate ac ærumnis fractus, subscripsit, ab Imperatore Constantino fuit suppressa, ac sub pœna extremi supplicii vetita.

*Tertia formula* in Concil. Ancyrano fuit cusa, in ista secunda Sirmiensis fuit damnata, atque omnimoda & substantialis Filii cum Patre similitudo asserta: hæc cum fuerit ad Constantium Sirmii commorantem delata, eam amplexus est, & omnes Episcopi Concilii Ancyrani, qui Sirmii denuo convenerant, eam ibi sua subscriptione munierunt; unde *tertia Sirmiensis* dicta.

*Dices*, DD. Athanas. (*Epist. ad Solit. vitam agentes*) & Hieron. (*Catalogo Scriptor. in Fortunatiano*) Liberium *hæreticæ pravitati subscripsisse* asserunt; ergo, &c.

*Resp.* Fateor, verum contendo id ab eis non fuisse dictum, quod Liberius formulæ Arianæ subscripserit, sed tribus ex causis. 1. Quia cum Arianis communicavit. 2. Quia sententiam ab Arianis latam contra Athanasium, ratam habuit. 3. Quia vocem, *consubstantialis*, quæ tessera Catholicorum erat in formula fidei, omitti passus est, in quibus graviter peccavit, sed extra naufragium fidei.

*Inst.* 1. Causa Athanasii adeo cum fide tunc conjuncta fuit, ut idem videretur Athanasium condemnare, quod fidem Nicænam violare; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Idem erat Athanasium, propter fidem quam profitebatur, condemnare, quod fidem Nicænam violare, *conc.* propter alia crimina, quæ Athanasio objiciebantur, *nego ant.* Liberius itaque in damnationem Athanasii consentiens, non respexit ad negotium fidei, sed ad alia crimina, quæ, licet falso, ei imponebantur. Liberius tamen ignorabat illa ei falso imponi.

*Inst.* 2. Negari non potest, sparsum fuisse rumorem, quod Liberius in gratiam Constantii Imperatoris, hæresi Arianæ subscripserit; ergo, &c.

*Resp.* Hic rumor sparsus fuit ab Arianis per calumniam, ut scribit Nicephorus, l. 9. c. 37. „ Liberius autem, *inquit*, aliam quoque seorsim fidei „ conscripsit professionem, qua omnes ab Ecclesiæ „ communione arcebat, qui Filium Patri non secundum substantiam & per omnia æqualem dicerent. Id propterea fecit, quod Eudoxius, & „ qui factionis ejus fuere, non ita pridem Antiochiæ propter Ætii hæresim congregati, cum „ Hosii Epistolam in manibus haberent, plurimum „ verborum fecerant, quibus Liberium per calumniam traduxerant, perinde atque consubstantialem repudiasset, & Patri Filium omnino inæqualem dixisset". Idem refert Sozomenus, *lib.* 4. c. 14. ex quo innocentia Liberii evidenter declaratur.

*Objicies 6.* Felix II. fuit Arianus, ut testatur Div. Hieron. (*L. de script. Eccles. in Acacio*) „ Acacius, *inquit*, in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum in Episcopum constitueit".

*Resp. nego ant.* Quia etsi Felix ante Pontificatum communicaverit cum Arianis, ideoque fuerit reprehensibilis, nequaquam tamen fuit Arianus, ut testatur Nicephorus, lib. 9. cap. 35. „ Felix ... Nicœnam quidem fidei professionem retinebat, & „ in religione reprehensione carebat; unum tamen „ illud vitio ei vertebatur, quod priusquam Episcopus creatus esset, cum diversæ opinionis studiosis „ communicare sustinuerit".

Ad D. Hieronymum respondet Coccius (*L.* 7. *de Hierarchia Ecclesiæ art.* 12.), Lipsium *adnotasse in suis mss. codicibus, ut nec in Sophronio Græco* (*qui librum D. Hieronymi, adhuc eo vivente, in græcam linguam transtulit*) *haberi Arianum;*

*num: cui consentit ex nostris*, addit, *Codex Cemblanensis*, & *Viridis vallis*.

*Objicies* 7. VIGILIUS, teste Liberato (*In Breviario cap.* 22.), Epistolam scripsit ad Theodoram Augustam & alios Hæreticos, qua confirmavit hæresim Eutychianorum, & anathema dixit iis qui duas in Christo naturas asserebant.

*Resp.* Ad rem præsentem non facit illa Vigilii Epistola, quam ad Imperatricem scripsit, cum adhuc viveret Sylverius Papa, quo tempore Vigilius erat Schismaticus & Anti-papa, jussu Theodoræ & opera Belisarii creatus; nec ideo mirum esset, si errasset in fide, quanquam ne tunc quidem definitionem ex cathedra, de qua tantum disputamus condidit; sed occultas furtivasque litteras, ab ipso illarum authore silentio damnatas, quod sententiæ e cathedra prolatæ omnino repugnat.

*Objicies* 8. HONORIUS fuit Hæreticus Monothelita, qui unam in Christo voluntatem unamque operationem docuit, in duabus Epistolis ad Sergium scriptis; quam ob causam cum aliis Monothelitis fuit damnatus in Synodo VI. sub Agathone Papa.

*Resp.* 1. Dato, non tamen concesso, reipsa Honorium errasse, ac merito damnatum fuisse, certum est ipsum ex cathedra non definiisse, propter sequentes rationes:

1. Quia illæ Honorii ad Sergium Epistolæ, privatæ fuerunt, nec toti Ecclesiæ credendæ sub pœna anathematis propositæ.

2. Quia Honorius hanc quæstionem nec maturo examine expendit, nec circa eam, quam reliquit Grammaticis discutiendam, consuluit suæ Ecclesiæ Romanæ traditionem: „ Non oportet, *inquit* „ *Epist.* 1., hæc ad dogmata Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc „ examinantes, neque auctoritates Canonicæ visæ „ sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Evangelicæ vel Apostolicæ litteræ, neque „ Synodalis examinatio super his habita, visæ „ sunt examinasse. *Et infra*. Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una, vel „ geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel „ intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis. *Et*, Epist. 2. declarat, *Unius autem operationis vel duarum esse*, „ vel fuisse Christum, sentire vel promere satis „ ineptum est ". Qui sic loquitur, Apostolicam litteram procul dubio non scribit, nec ex cathedra pronuntiat.

3. Quia ipse Honorius, *Epist.* 2. expresse asserit se nihil circa hanc quæstionem velle definire: „ Cæterum, *inquit*, quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quod tenere vel prædicare debemus, propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, „ non unam vel duas operationes in mediatore „ Dei & hominum definire ..... debemus. *Et infra*, „ Auferentes ergo scandalum novellæ adinventionis, „ non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare ". Ex his luce meridiana clarius est, Honorium circa hanc quæstionem nihil definiisse.

*Resp.* 2. Honorium nunquam fuisse Hæreticum Monothelitam, imo prius dedocuisse Monothelitarum hæresim; nam expresse admisit duas operationes: „ Utrasque naturas, *inquit Epist.* 2., in „ uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quæ Dei „ sunt operantem: & humanam, quæ carnis sunt „ exequentem, non divise, neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes, unus atque „ idem æqualis Patri, & minor Patre, &c. *Et infra dicit*: Auferentes scandalum novellæ adinventionis .... pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum „ in utrisque naturis veraciter confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas duas potius naturas, id est, divinitatis & carnis assumptæ in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes ". Quid clarius potuit ab Honorio dici? Si enim quælibet natura habet propriam operationem; ergo sunt duæ operationes.

*Dices* 1. Honorius, *in Epist.* 1. ait: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini N. J. C.* Atqui hæc propositio est hæresis Monothelitarum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Honorius fatetur unam voluntatem, per exclusionem duarum voluntatum contrariarum, sicut in nobis reperiuntur, *conc.* per exclusionem voluntatis divinæ, vel humanæ, *nego maj.* Hoc constat tum ex ratione quam affert Honorius: „ Quia profecto, *inquit*, a divinitate assumpta est „ nostri natura, non culpa: illa profecto (natura) „ quæ ante peccatum creata est; non quæ post prævaricationem vitiata ..... quæ repugnaret legi mentis ejus ..... nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatoris ". Tum ex illa celebri S. Maximi cum Pyrrho Monothelita disputatione, quam refero.

Pyrrhus dixit: „ Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam „ voluntatem Domini N. J. C. esse tradidit "? Respondit Maximus: „ Utra harum litterarum verior, certiorque interpretatio habenda est, ejusne scribæ, qui nomine Honorii illas scripsit, „ præsertim cum idem adhuc superstes sit .... an „ Constantinopolitanorum civium, qui nihil, nisi „ quod ipsis libet, loquuntur? *Pyrrhus*, Verior „ ejus qui scripsit. *Maximus*, At is ad Imperatorem Constantinum sic de illa Epistola, jussu Joannis Pontificis, scripsit. Sane quod unam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus divinæ & humanæ naturæ „ dictum voluntatibus, sed humanæ tantum. Cum „ enim Sergius scripsisset, prædicare quosdam duas „ esse Christi voluntates contrarias, nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non „ habere ".

*Inst.* Honorius rejicit vocabulum geminæ operationis, Sergio dicens: *Hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes*; ergo eodem modo sentit ac Sergius.

*Resp. dist. ant.* Rejicit vocabulum geminæ operationis, retinens rem per hoc vocabulum significatam, *conc.* rejicit vocabulum & rem per illud si-

significatam, *nego ant.* Porro utrumque rejiciebat Sergius, unde *nego conseq.*

*Dices* 2. Synodus VI. damnavit Honorium ut hæreticum, nam postquam, Act. 13. definivit duces Monothelitarum anathemati submittendos, addit: „ Cum his simul projici a sancta Dei Catholica „ Ecclesia simulque, & anathematizari prævidimus „ & Honorium qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo „ quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt „ ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus secu- „ tus est, & impia dogmata confirmavit ".

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas patet tum ex fragmentis Epistolarum Honorii relatis, tum ex Epist. Agathonis Papæ ad Imperatorem Constantinum, cujus hæc sunt verba: „ Hæc est fidei regula, „ quam & in prosperis & in adversis vivaciter te- „ nuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ a tramite „ Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabi- „ tur, nec hæreticis novitatibus depravata succu- „ buit, quia dictum est Petro: Ego pro te rogavi „ ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus „ confirma fratres tuos. Hic Dominus fidem Petri „ non defuturum promisit, & confirmare eum fra- „ tres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices „ meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse „ semper, cunctis est cognitum ". Quam Epistolam communi suffragio approbarunt Patres Synodi VI. qui *Act.* 18. de ea loquentes, sic alloquuntur Imperatorem, „ Confessionem tibi a Deo inscri- „ ptam illa Romana antiqua civitas obtulit. Charta „ & atramentum videbatur, & per Agathonem Pe- „ trus loquebatur ". Quomodo, quæso, Agatho ita constanter ac intrepide de suis omnibus prædecessoribus locutus fuisset? quomodo Synodus hanc probasset Epistolam, si ipsa Honorium tanquam hæreticum damnasset?

Damnatus itaque est Honorius tanquam hæreticorum fautor, quatenus simulatione tunc temporis usus est, quando ei ex officio incumbebat erumpenti hæresi aperte obsistere: nam ut se Monothelitarum studiis accommodaret, scripsit: „ Ut „ abrasa hujusmodi novæ vocis, id est, unius vel „ geminæ operationis, appellatione, unum Chri- „ stum secum in utrisque naturis divina vel huma- „ na prædicent operantem "; ut, hac verborum elusione, illorum insectationem declinaret, tametsi ipsa eadem verba Catholicum sensum, sed ab ista quæstione alienum, exprimerent.

*Inst.* 1. Synodus VI. Act. 16. dicit: *Sergio hæretico anathema. Honorio hæretico anathema.* Ergo fuit damnatus ut hæreticus.

*Resp. dist. conseq.* Ut hæreticus conniventia & favore, *conc.* dogmate & sententia, *nego.* Hunc esse Concilii sensum declarat Agatho in sua ad Constantinum Pogonatum Epistola Synodi VI. confirmatoria: „ Anathematizamus, *inquit*, novi er- „ roris inventores, id est, Sergium, Theodorum, „ Pyrrhum, &c. necnon & Honorium, qui hanc „ Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditio- „ nis doctrina illustravit, sed profana traditione „ immaculatam maculari permisit ". Non ergo maculavit, sed maculari suo silentio permisit. Et in Epist. ad Episcopos Hispaniæ dicit damnatum fuisse Honorium: „ Qui flammam hæretici dogma- „ tis, non, ut decuit Apostolicam authoritatem, „ incipientem extinxit, sed negligentia confovit. „ *Imperator ipse in suo edicto ait:* Anathemati- „ zamus eos, qui novorum dogmatum authores & „ fautores sunt: Theodorum, Sergium, &c. atque „ etiam Honorium, qui fuit antiquæ Romæ papa, „ horum hæreseos in omnibus fautorem, & con- „ firmatorem ". Ergo Honorius fuit damnatus, non ut hæresis auctor & doctor, sed duntaxat ut fautor; eadem autem pœna merito puniuntur & Hæretici & Hæreticorum fautores.

*Inst.* 2. Act. 13. Synodi VI. Honorius dicitur anathematizatus, quia *in omnibus mentem Sergii secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Ergo damnatus est ut hæreticus dogmate.

*Resp. dist. ant.* Mentem Sergii secutus est, &c. ejus consilium de supprimendo unius, vel geminæ operationis vocem sequendo, *conc.* Illius hæresim approbando, *nego ant.* Itaque in hoc uno peccavit Honorius, quod Sergii consilium sequendo de supprimenda unius vel geminæ operationis Christi voce, illius hæresi faverit, atque suo silentio ejus impia dogmata indirecte confirmaverit, quia in circumstantiis in quibus positus est, tacere, erat connivere, juxta illud Cælestini I. (*Epist. ad Episcop. Galliæ*) *Timeo ne connivere sit, hic tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis* (Semi-Pelagianis) *taliter loqui.*

*Inst.* 3. HADRIANUS II. in Conc. Romano, (*Cujus acta in Synodo VIII. Generali referuntur, Act.* 7.) dicit: „ Romanum Pontificem de omnium „ Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo „ vero quemquam judicasse non legimus. Licet „ enim Honorio ab Orientalibus post mortem ana- „ thema sit dictum, sciendum tamen est, quia fue- „ rat de hæresi accusatus, propter quam solam li- „ citum est minoribus majorum suorum motibus re- „ sistere: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec „ cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet „ fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem pri- „ mæ sedis Pontificis consensus præcessisset ". Ergo Honorius fuit hæreticus.

*Resp. dist. conseq.* Fuit hæreticus favore & intempestiva dissimulatione, *conc.* sententia & doctrina, *nego.* Præterea Hadrianus II. non dicit Honorium fuisse hæreticum, sed *de hæresi accusatum.*

Quæres: *An omnes, quæ circumferuntur, summorum Pontificum decretales Epistolæ usque ad Siricium genuinæ sint, aut supposititiæ?*

*Nota:* Quæstio non vertitur de Epistolis S. Cornelii, quæ inter opera S. Cypriani extant. Neque de Epistolis Julii I. quæ referuntur a S. Athanasio apologia secunda. Neque de Epistolis Liberii, quæ a S. Hilario in fragmentis recensentur. Nec etiam de Epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam exscribit Theodoretus, *l.* 2. *hist. Eccles. cap.* 22. de illarum enim veritate nullum est inter Catholicos dubium.

Sola ergo quæstio movetur de eis Epistolis, quas ex Isidori Mercatoris collectione, collectores Canonum in numerum decretalium retulere, nec earum a veteribus historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, aut SS. Patribus fit ulla mentio: tales sunt *S. Clementis* quinque. *S. Anacleti* tres. *S. Evaristi* duæ. *Alexandri* tres. *Sixti I.* duæ. *Telesphori* una. *Hygini* duæ. *Pii I.* quatuor. *Zephyrini* duæ.

*Lucii* una. *Callisti I.* duæ. *Urbani I.* una. *Pontiani* duæ. *Anteri* una. *Fabiani* tres. *Cornelii* duæ. *Stephani I.* duæ. *Sixti II.* duæ. *Dionysii* duæ. *Felicis I.* tres. *Eutychiani* duæ. *Caji* una. *Marci* una ad S. Athanasium. *Julii I.* duæ. *Liberii* duæ. *Felicis II.* duæ. *Damasi* plures, nimirum tres ad D. Hieronymum; aliæque ad Afros de Corepiscopis: ad universos Episcopos Italiæ: ad Aurelium.

*Resp.* Censent communiter eruditi has Epistolas decretales esse supposititias, magna tamen, licet non suprema per se, pollere authoritate in his, in quibus antiquis Canonibus non adversantur.

*Prob. prima pars* variis notis falsitatis:

1. Quia usque ad Sæculi VIII. finem ita latuerunt, ut nullus author, a quo laudentur, inveniatur.

2. Quia laudant vulgatam S. Hieronymi versionem, quæ, defunctis illis summis Pontificibus, excepto Damaso, fuit cusa.

3. Quia Legum imperialium verba, quæ in codice Theodosiano habentur, usurpant; cum tamen ii Pontifices duobus, aut tribus sæculis codicem Theodosianum præcesserint.

4. Quia singulæ propemodum manifestis erroribus scatent, v. g. Epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Gregorii Magni, Gelasii, &c. qui diu postea vixere. Agunt quoque de Patriarchis, quorum nomen primo audiri cœpit circa tempus Conc. Chalcedonensis Sæculo V. celebrati.

5. Quia de controversiis illius ætatis cui tribuuntur, contra morem omnium Scriptorum & SS. Pàtrum, qui illis Sæculis scripsere, penitus tacent.

6. Quia omnes fere Epistolæ illæ falsis temporum & consulum notis consignantur.

7. Quia eodem scribendi stylo & charactere præditæ sunt, quamvis Pontificibus quatuor priorum sæculorum adfingantur, qui certe eodem stylo, eademque latini sermonis forma uti non potuerunt: unius ergo scriptoris esse videntur.

8. Quia *Dionysius exiguus*, qui se diligenter omnes Epistolas, quas in Ecclesiæ Romanæ scriniis invenit, collegisse testatur, earum non meminit, sed initium a Siricio ducit.

9. Quia Leo IV. an. circiter 850. Epistolas decretales diligenter enumerans, initium a Siricio facit: *dist.* 20. c. de libellis.

*Prob. secunda pars:* Nempe quod magna polleant authoritate, quia, ut de Marca (*l.* 3. *cap.* 5. §. 1.) notat: „ E sententiis & verbis legum, „ Canonum antiquorum & SS. Patrum qui Sæcu„ lo IV. floruerunt, si pauca demas, concinna„ tas esse constat “; eisque tota fere Gallia utitur, ut notat idem de Marca (3. *cap.* 6. §. 2.), unde in Concil. Rhemensi an. 992. Epistolæ Anacleti, Damasi, aliorumque Pontificum expenduntur in causa Arnulphi. Item Concilia Asquigranense an. 836. Coloniense an. 887. Moguntinum an. 888. Metense an. 888. Triburiense an. 895. Lateranense sub Calisto II. an. 1122. illarum Epistolarum testimonium tulerunt; ex quibus constat illas decretales non esse quidem eorum Pontificum, quibus adscribuntur, magni tamen esse momenti, magnæque authoritatis, maxime cum, ut fatetur Gibert (*tit.* 24. *cap.* 9. *sect.* 1. *sub finem*), universaliter admissæ fuerint a Sæculo IX. ad XVII.

Dixi, *Licet non suprema per se polleant authoritate*, quia illarum decretalium statuta, quæ ab Ecclesia postea recepta fuerunt, per hanc receptionem authoritatem supremam legis adeptæ sunt. Illius generis sunt loca earum Epistolarum quæ sunt in collectione Gregorii IX. quæ consequenter ab illo Pontifice authoritatem acceperunt, cum sua fecerit, illa collectionis suæ inserendo. Talia sunt c. 1. de elect., c. 5. de jurejur., c. 3. de peculio Cleric., c. 1. 2. 7. de accusat, c. 3. 4. 5. 6. 7. de simonia, c. 7. de reg. juris.

## APPENDIX

*In qua describitur Series legitima ac continua successionis SS. Pontificum, a D. Petro ad Leonem XII. juxta Bullarii magni Chronologiam, qua exactior mihi visa est.*

### SÆCULUM I.

1. S. PETRUS, Jonæ filius, natione Galilæus, patria Bethsaida, postquam Antiochiæ septem annis sedisset, Romam venit, anno Domini 44. Claudii vero Imperatoris anno 2. juxta D. Hieron. de viris illustribus, in Petro; ibique fixit Sedem Apostolicam, quam rexit annis 24. mensibus 3. diebus 12. Martyr occubuit anno Christi 68. Neronis vero Imperatoris an. 13. die 29. Junii. Non vacavit per ejus obitum Sedes Romana.

2. S. LINUS, provincia Tuscus, patria Volaterranus, creatus an. 68. die 29. Junii, *sedit* annis 11. mensibus 2. diebus 23. obiit an. 79. die 23. Septembris, martyr sub Vespasiano. Non vacavit sedes.

3. S. CLETUS, patria Romanus, creatus an. 79. die 23. Septembris, *sedit* an. 11. mensibus 7. diebus 2. obiit an. 91. die 26. Aprilis, martyr sub Domitiano. Vacavit sedes diebus 20.

4. S. CLEMENS I. Romanus, creatus an. 91. die 21. Maji. *Sedit* an. 9. mensibus 6. diebus 4. obiit martyr sub Trajano, an. 100. die 23. Novembris. Vacavit sedes diebus 22.

### SÆCULUM II.

5. S. ANACLETUS, Atheniensis, Græcus, creatus an. 100. die 15. Decemb. *sedit* an. 9. mensibus 2. diebus 28. obiit an. 110. die 13. Julii, martyr sub Trajano. Vacavit sedes diebus 13.

6. S. EVARISTUS, Bethlehemites, Syrus, creatus an. 110. die 27. Julii; *sedit* an. 8. mense uno, diebus 28. sub Hadriano martyr occubuit an. 118. die 26. Octobris. Vacavit sedes diebus 19.

7. S. ALEXANDER I. Romanus, creatus an. 118. die 12. Novemb. *sedit* an. 10. mensibus 5. diebus 21. sub Hadriano martyr coronatus est an. 129. die 3. Maji. Vacavit sedes diebus 35.

8. S. SIXTUS I. Romanus creatus an. 129. die 7. Junii; *sedit* an. 9. mensibus 10. obiit martyr sub Antonino an. 139. die 6. Aprilis. Vacavit sedes diebus 2.

9. S. THELESPHORUS, patria Thuriensis hodie terra

ra nova in Calabria, creatus anno 139. die 9. April. sedit an. 10. mensibus 8. diebus 27. obiit martyr sub Antonino anno 150. die 5. Januarii. Vacavit sedes diebus 7.

10. S. HYGINUS, Atheniensis, Græcus, creatus an. 150. die 31. Januarii, sedit an. 3. mensibus 11. diebus 28. martyr occubuit sub Antonino anno 154. die 11. Januarii. Vacavit sedes diebus 3.

11. S. PIUS I. Aquilejensis, creatus anno 154. die 15. Januarii, sedit ann. 11. mensibus 5. diebus 27. sub Antonino juxta Martyrologium Romanum, vel sub M. Aurelio juxta lib. de Rom. Pontificibus, martyr occubuit anno 165. die 11. Julii. Vacavit sedes diebus 13.

12. S. ANICETUS I. Syrus, creatus anno 165. die 25. Julii, sedit ann. 9. mensibus 8. diebus 24. martyr sub M. Aurelio obiit anno 175. die 17. Apr. Vacavit sedes diebus 17.

13. S. SOTER, ex Fundy in Campania, creatus an. 175. die 5. Maji, sedit an. 7. mensibus 11. diebus 17. obiit martyr sub M. Aurelio anno 182. die 22. Aprilis. Vacavit sedes diebus 21.

14. S. ELEUTHERIUS, Neapolitanus, creatus anno 182. die 14. Maji, sedit ann. 13. diebus 13. obiit martyr sub Commodo anno 195. die 26. Maji. Vacavit sedes diebus 5.

15. S. VICTOR I. Afer, creatus anno 195. die 31. Maji, sedit an. 9. mense 1. diebus 26. obiit martyr sub Severo Imperatore anno 203. die 28. Julii. Vacavit sedes diebus 11.

## SÆCULUM III.

16. S. ZEPHYRINUS, Romanus, creatus an. 203. die 7. Augusti, sedit an. 18. diebus 18. obiit anno 221. die 25. Julii. Vacavit sedes diebus 6.

17. S. CALIXTUS, Romanus, creatus anno 221. die 2. Septembris, sedit an. 5. mense 1. diebus 12. obiit martyr sub Severo anno 227. die 26. Septembr. Vacavit sedes diebus 4.

18. S. URBANUS I. Romanus, creatus anno 227. die 1. Octobris, sedit an. 6. mensibus 7. diebus 4. obiit martyr anno 233. die 25. Maji. Vacavit sedes diebus 30.

19. S. PONTIANUS, Romanus, creatus ann. 233. die 24. Junii, sedit ann. 5. diebus 2. sub Severo exul in Sardinia, martyrium consummavit sub Maximino anno 237. die 19. Novembris. Vacavit sedes die uno.

20. S. ANTERUS, Græcus, ex Petilia urbe, creatus anno 237. die 21. Novembris, sedit mense 1. diebus 12. obiit martyr sub Maximino an. 238. die 3. Januarii. Vacavit sedes diebus 13.

21. S. FABIANUS, Romanus, creatus anno 138. die 17. Januarii, sedit annis 15. diebus 4. obiit martyr sub Decio anno 253. die 20. Januar. Vacavit sedes anno uno, mensibus 3. diebus 10.

22. S. CORNELIUS, Romanus, creatus anno 254. die 30. Aprilis, sedit ann. 2. mensibus 4. diebus 14. martyr obiit anno 256. die 14. Septembris. Vacavit sedes mense 1. diebus 5.

## *SCHISMA I.*

*In Ecclesia Romana inter S. Cornelium & Novatianum Anti-papam.*

*Novatianus.* Romanus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Pseudo-Pontifex, sedit contra Cornelium, aliosque post eum, Romanos Pontifices, annis circiter 6. Hic, schismati hæresim adjungens, docebat non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata; unde exorta est secta Novatianorum.

23. S. LUCIUS, Romanus, creatus anno 256. die 20. Novembris, sedit an. 2. mensibus 3. diebus 13. martyr obiit anno 258. die 4. Martii. Vacavit sedes mense uno, die uno.

24. S. STEPHANUS I. Romanus, creatus an. 258. die 6. Aprilis, sedit an. 3. mens. 3. diebus 26. in propria sede jussu Valeriani decollatus est anno 260. die 2. Augusti. Vacavit sedes diebus 22.

Hic S. Cypriano, hæresim rebaptizantium propugnanti, vivide restitit.

25. S. SIXTUS II. Græcus, Atheniensis, creatus anno 260. die 24. Augusti, sedit mensibus 11. diebus 13. sub Valeriano martyr obiit anno 261. die 6. Augusti. Vacavit sedes mense 1. diebus 3.

26. S. DIONYSIUS, Græcus, Anachorita, creatus anno 261. die 10. Septembris, sedit an. 11. mensibus 3. diebus 14. obiit anno 272. die 26. Decembris. Vacavit sedes diebus 5.

27. S. FELIX I. Romanus, creatus anno 272. die 31. Decembris, sedit an. 2. mensibus 4. diebus 29. obiit martyr anno 275. die 30. Maji. Vacavit sedes diebus 5.

28. S. EUTYCHIANUS, Tuscus, patria Lunensis, creatus anno 275. die 4. Junii, sedit ann. 8. mensibus 6. diebus 4. obiit martyr sub Numeriano anno 283. die 8. Decembris. Vacavit sedes diebus 8.

29. S. CAJUS, Dalmata, patria Salonitanus, creatus anno 283. die 17. Decembris, sedit an. 12. mensibus 4. diebus 6. miseriis oppressus, persecutionem Diocletiani ejus consanguinei fugiens, obiit anno 296. die 22. Aprilis. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 9.

30. S. MARCELLINUS, Romanus, creatus anno 296. die 1. Julii, sedit an. 7. mensib. 9. diebus 27. sub Maximiano martyr obiit anno 304. die 26. Apr. Vacavit sedes mensibus 6. diebus 25.

## SÆCULUM IV.

31. S. MARCELLUS I. Romanus, creatus anno 304. die 21. Novembris, sedit ann. 5. mensibus 6. diebus 21. Hic damnatus ad stabula Diocletiani, miseriis oppressus obiit anno 310. die 16. Januar. Vacavit sedes diebus 20.

32. S. EUSEBIUS, Græcus, creatus anno 310. die 5. Februar. sedit an. 1. mensibus 7. diebus 21. obiit sub Maxentio anno 312. die 26. Septembr. Vacavit sedes diebus 15.

33. S. MELCHIADES, Afer, creatus anno 312. die 12. Octobris, sedit an. 2. mensibus 2. diebus 21. obiit anno 314. die 10. Decembris. Vacavit sedes diebus 16.

34. S. SYLVESTER, Rom. creatus an. 314. die 27.

De-

Decembris, sedit annos 21. diebus 4. obiit anno 335. die 31. Decembris. Hic Constantinum Magnum baptizavit.

35. S. MARCUS, Romanus, creatus ann. 336. die 16. Januarii, sedit mens. 8. dieb. 21. obiit eodem anno, die 7. Octobris. Vacavit sedes diebus 20.

36. S. JULIUS I. Romanus, creatus an. 336. die 27. Octobris, sedit an. 15. mens. 5. dieb. 37. obiit ann. 352. die 12. Aprilis. Vacavit sedes diebus 25.

37. S. LIBERIUS, Romanus, creatus anno 352. die 8. Maji. Post aliquot Pontificatus annos, in exilium missus est a Constantio Imperatore. Unde:

## SCHISMA II.

*In Ecclesia Romana inter Liberium Papam, & Felicem Anti-papam.*

*Felix*, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Constantii opera sedem Apostolicam, vivente Liberio, occupavit; sed Anti-papa semper habitus est a Romanis, donec, cognita Liberii Arianis communicatione, ac ejus subscriptione tum condemnationi D. Athanasii, tum formulæ ambiguæ, in Pontificem elegerunt eumdem Felicem, ideo:

38. FELIX II. Romanus, Pontificatum tenuit anno uno, mensibus 3. diebus 2. Deinde a Constantio, propter excommunicationem in eum latam, martyrio coronatus est. Post ejus martyrium, *Liberius* iterum cathedram S. Petri ascendit, in qua simul cum Felice sedit annos 15. menses 4. diebus 17. obiit anno 367. die 9. Septembris. Sedes vacavit diebus quinque.

39. S. DAMASUS, Hispanus, creatus anno 367. die 15. Septembris, sedit annos 17. menses 2. diebus 26. obiit anno 384. die 11. Decembris. Vacavit sedes diebus 31.

## SCHISMA III.

*Inter Damasum Papam, & Ursicinum Anti-papam.*

*Ursicinus*, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ægre ferens Damasi electionem, collecta seditiosorum hominum manu, Romanum Pontificem se fieri extorquet, & tandem, cædibus utrinque perpetratis, Ursicinus ab urbe ejicitur, Romæ Damaso pacifico Pontifice remanente.

40. SIRICIUS, Romanus, creatus anno 385. die 12. Januarii, sedit annos 13. mens. 1. diebus 9. obiit an. 398. die 22. Februarii. Vacavit sedes diebus 20.

41. S. ANASTASIUS I. Romanus, creatus an. 398. die 14. Martii, sedit annos 4. mens. 1, diebus 13. obiit anno 402. die 17. Aprilis. Vacavit sedes diebus 20.

## SÆCULUM V.

42. S. INNOCENTIUS I. Albanus, creatus anno 402. die 8. Maji, sedit annos 15. menses 2. diebus 10. obiit anno 417. die 27. Julii. Vacavit sedes diebus 22.

43. S. ZOSIMUS, Græcus, creatus anno 417. die 20. Augusti, sedit anno uno, mens. 5. diebus 7. obiit anno 418. die 26. Decembris. Vacavit sedes die 1.

44. S. BONIFACIUS I. Romanus, creatus anno 418. die 28. Decembris, sedit annos 4. menses 9. diebus 26. obiit anno 423. die 25. Octobris. Vacavit sedes diebus 10.

## SCHISMA IV.

*Inter Bonifacium Papam, & Eulalium Anti-papam.*

*Eulalius*, S. Rom. Ecclesiæ Archidiaconus, post electum Bonifacium, in Basilica Lateranensi eligitur: Synodus autem Ravennæ jussu Honorii Imperatoris coacta, Eulalium deposuit, qui, ita coactus, post menses 3. dies 15. abdicavit die 15. Aprilis, & Bonifacius Pontifex remansit.

45. S. CŒLESTINUS I. Romanus creatus anno 423. die 5. Novembris, sedit annos 8. menses 5. diebus 3. obiit anno 432. die 6. Aprilis. Vacavit sedes diebus 21.

46. S. SIXTUS III. Romanus, creatus anno 432. die 28. Aprilis, sedit annos 7. mensibus 11. obiit anno 440. die 28. Martii. Vacavit sedes mense 1. diebus 14.

47. S. LEO MAGNUS, Tuscus, creatus anno 440. die 12. Maji, sedit annos 20. mensibus 10. diebus 28. obiit anno 461. die 16. Aprilis. Vacavit sedes diebus 17.

48. S. HILARIUS, Sardus, creatus anno 461. die 29. Aprilis, sedit annos 6. mensibus 4. diebus 10. obiit anno 467. die 10. Septembris. Vacavit sedes diebus 9.

49. S. SIMPLICIUS, Tiburtinus, creatus anno 467. die 20. Septembris, sedit annos 15. mensibus 5. diebus 12. obiit anno 483. die 2. Martii. Vacavit sedes diebus 5.

50. S. FELIX III. Romanus, creatus anno 483. die 8. Martii, sedit an. 8. mens. 11. dieb. 18. obiit an. 492. die 25. Februarii. Vacavit sedes diebus 4.

51. S. GELASIUS I. Africanus, creatus anno 492. die 2. Martii, sedit annos 4. mensibus 8. diebus 19. obiit an. 496. die 21. Nov. Vacavit sedes diebus 5.

52. S. ANASTASIUS II. Romanus, creatus anno 496. die 27. Novembris, sedit an. 1. mensibus 11. diebus 23. obiit anno 498. die 19. Novembris. Vacavit sedes diebus 3.

53. S. SYMMACHUS, Sardus, creatus anno 498. die 23. Novemb. sedit an. 15. men. 7. diebus 27. obiit anno 514. die 9. Julii. Vacavit sedes diebus 6.

## SCHISMA V.

*Inter Symmachum & Cœlium Laurentium Spurium, qui in Concilio Romano fuit damnatus.*

## SÆCULUM VI.

54. S. HORMISDAS, Campanus, creatus an. 514. die 26. Julii, sedit an. 9. diebus [illegible]. obiit an. 523. die 6. Augusti. Vacavit sedes diebus 5.

55.

55. S. JOANNES I. Tuscus, creatus anno 523. die 12. Augusti, sedit an. 2. mensibus 9. diebus 16. obiit anno 526. die 27. Maji. Vacavit sedes mens. 1. diebus 28.

56. S. FELIX IV. Beneventanus, creatus an. 526. die 25. Julii, sedit an. 4. mensibus 2. diebus 18. obiit anno 530. die 12. Octobris. Vacavit sedes diebus 3.

57. BONIFACIUS II. Romanus, creatus anno 530. die 16. Octobris, sedit an. uno, obiit an. 531. die 16. Octobris. Vacavit sedes mensibus 3. diebus 4.

*SCHISMA VI.*

*Inter Bonifacium II. Papam, & Dioscorum Diaconum, quem Bonifacius excommunicavit.*

58. JOANNES II. Romanus, creatus an. 531. die 22. Januarii, sedit an. 2. mensibus 4. obiit an. 534. die 22. Maji. Vacavit sedes diebus 12.

59. S. AGAPETUS, Romanus, creatus an. 534. die 4. Junii, sedit mensibus 11. diebus 19. obiit Constantinopoli an. 536. die 22. Aprilis: illius translationis solemnitas celebratur die 20. Septembris. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 27.

60. S. SYLVERIUS, Campanus, S. Hormisdæ ex legitimo thoro filius, creatus an. 536. die 20. Julii, sedit an. 3. mens. 11. obiit martyr in insula Pontia an. 540. die 20. Junii. Vacavit sedes diebus 3.

*SCHISMA VII.*

*Inter Sylverium Papam, & Vigilium Anti-papam.*

Cum *Sylverius* Antimum Episcopum Constantinopolitanum, ab Agapeto depositum, restituere noluisset, a Belisario, jussu Theodoræ Imperatricis Justiniani sponsæ, fuit in exilium missus: interim *Vigilius*, S. R. E. Archidiaconus, qui Theodoræ promiserat se Antimum Sedi Constantinopolitanæ redditurum, si Pontifex institueretur: in locum Sylverii, opera Theodoræ, fuit intrusus anno 538. & schisma fecit usque ad Sylverii mortem, quæ contigit anno 540. die 20. Junii.

61. VIGILIUS, Romanus post mortem Sylverii, legitima electione confirmatus anno 540. die 26. Junii, Antimum restituere detrectavit, imo illum cum Theodora excommunicavit, & ideo exul factus est. Sedit an. 18. mensibus 6. diebus 13. obiit an. 556. die 10. Januarii. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 5.

62. PELAGIUS I. Romanus, creatus anno 556. die 15. Aprilis, sedit an. 3. mensibus 10. diebus 18. obiit anno 560. die 2. Martii. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 27.

63. JOANNES III. Romanus, creatus an. 560. die 29. Maji, consecratus die 17. Julii, sedit ann. 13. mense uno, diebus 15. obiit anno 573. die 13. Julii. Vacavit sedes mensibus 10. diebus 3.

64. BENEDICTUS I. Romanus, Benedictinus, creatus an. 573. die 17. Martii, sedit an. 5. mensibus 2. diebus 15. obiit anno 579. die 31. Augusti. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 10.

65. PELAGIUS II. Romanus, Benedictinus, creatus anno 579. die 11. Novembris, sedit an. 10. mensibus 2. diebus 27. obiit an. 590. die 8. Februarii. Vacavit sedes mensibus 6. diebus 22.

66. S. GREGORIUS MAGNUS, Romanus, Benedictinus, ex antiquissima Aniciorum familia, creatus anno 590. die 3. Septembris, sedit an. 13. mensibus 6. diebus 9. obiit anno 604. die 22. Martii. Vacavit sedes mensibus 5. diebus 19.

SÆCULUM VII.

67. SABINIANUS, Tuscus, creatus an. 604. die 1. Septembris, sedit mens. 5. diebus 19. obiit anno 605. die 19. Februarii. Vacavit sedes die uno.

68. BONIFACIUS III. Romanus, Benedictinus, creatus an. 605. die 21. Februarii, sedit mensibus 8. diebus 22. obiit die 12. Novembris. Vacavit sedes mensibus 9. diebus 15.

69. BONIFACIUS IV. Romanus, Benedictinus, creatus an. 606. die 28. Augusti, sedit an. 6. mensibus 8. diebus 12. obiit anno 612. die 8. Maji. Vacavit sedes mensibus 5. diebus 12.

70. S. DEODATUS, Romanus, Benedictinus, creatus anno 612. die 21. Octobris, sedit an. 4. diebus 17. obiit anno 616. die 8. Novembris. Vacavit sedes mens. 1. diebus 15.

71. BONIFACIUS V. Neapolitanus, creatus anno 616. die 24. Decembris, sedit an. 5. mens. 10. obiit an. 622. die 24. Octobris. Vacavit sedes diebus 13.

72. HONORIUS I. Campanus, creatus anno 622. die 7. Novembris, sedit an. 12. mens. 11. diebus 7. obiit anno 635. die 13. Octobris. Vacavit sedes ann. 1. mensibus 7. diebus 18.

73. SEVERINUS, Romanus, creatus anno 637. die 1. Junii, sedit ann. 1. mensibus 2. diebus 13. obiit anno 638. die 1. Augusti. Vacavit sedes mensibus 4. diebus 22.

74. JOANNES IV. Dalmata, creatus anno 638. die 25. Decembris, sedit an. 1. mensibus 9. diebus 18. obiit anno 640. die 12. Octobris. Vacavit sedes mense 1. diebus 5.

75. THEODORUS I. Jerosolymitanus, Græcus, creatus anno 640. die 26. Novembris, sedit ann. 6. mensibus 5. diebus 19. obiit anno 647. die 13. Maji. Vacavit sedes mense 1. diebus 21.

76. MARTINUS I. Tuscus, creatus anno 647. die 4. Julii, sedit an. 6. men. 4. diebus 7. obiit an. 653. die 12. Novembris. Vacavit sedes mensibus 9.

77. S. EUGENIUS I. Romanus, creatus anno 654. die 10. Augusti, sedit an. 2. mensibus 9. diebus 24. obiit anno 657. die 2. Junii. Vacavit sedes mense 1. diebus 29.

78. VITALIANUS I. Campanus, creatus an. 657. die 1. Augusti, sedit an. 14. mensibus 5. diebus 2. obiit anno 672. die 2. Januarii. Vacavit sedes mensibus 3. diebus 8.

79. DEODATUS II. Romanus, Benedictinus, creatus anno 672. die 11. Aprilis, sedit an. 4. mensibus 2. diebus 14. obiit anno 676. die 26. Junii. Vacavit sedes mensibus 4. diebus 6.

80. DONUS, Romanus, creatus anno 676. die 2. Novembris, sedit an. 2. mensibus 5. diebus 8. obiit anno 679. die 11. Aprilis. Vacavit sedes mense 1. diebus 26.

81. S. AGATHO, Siculus, Monachus ordinis Sancti Equirii, creatus anno 679. die 7. Junii, sedit an. 2. mensibus 6. obiit anno 682. die 10. Januar. Vacavit sedes mensibus 7.

82. S. LEO II. Siculus, Canonicus Regularis, creatus anno 682. die 11. Augusti, sedit mensibus 10. diebus 16. obiit anno 683. die 18. Junii. Vacavit sedes mensibus 11. diebus 21.

83. S. BENEDICTUS II. Romanus, Canonicus Regularis Lateranensis, creatus an. 684. die 19. Junii, sedit mensibus 10. diebus 27. obiit an. 685. die 7. Maji. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 17.

84. JOANNES V. Syrus, Antiochenus, creatus anno 685. die 25. Junii, sedit anno uno, diebus 7. obiit anno 686. die 2. Augusti. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 18.

85. CONON, Trax, creatus an. 686. die 21. Oct. sedit mensibus 11. obiit anno 687. die 21. Septemb. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 3.

### *SCHISMA VIII.*

*Inter Cononem Papam, & Theodorum, ac Petrum Presbyteros Romanos.*

Illud Schisma per mortem Cononis non fuit extinctum: nam numerus electorum in tres partes fuit divisus, ab una parte fuit electus idem *Theodorus* Presbyter; ab altera *Paschalis* Archidiaconus; & a tertia, eaque saniori parte, *Sergius*: qui tandem unanimiter legitimus Pontifex fuit proclamatus.

86. SERGIUS I. Syrus, Antiochenus, creatus anno 687. die 25. Decembris, sedit an. 13. mensibus 8. diebus 13. obiit anno 701. die 8. Septembris. Vacavit sedes mense 1. diebus 20.

### SÆCULUM VIII.

87. JOANNES VI. Græcus, creatus anno 701. die 29. Octobris, sedit ann. 3. mensibus 2. diebus 8. obiit anno 705. die 7. Januar. Vacavit sedes mense uno, diebus 21.

88. JOANNES VII. Græcus, creatus anno 705. die 1. Martii, sedit ann. 2. mensibus 7. diebus 17. obiit anno 707. die 18. Octobris. Non vacavit sedes.

89. SISINUS, Syrus, creatus anno 707. die 18. Octobris, sedit diebus 20. obiit die 6. Novembris. Vacavit sedes mense 1. diebus 16.

90. CONSTANTINUS, Syrus, creatus anno 707. die 23. Decembris, sedit an. 8. mense 1. diebus 18. obiit anno 716. die 11. Februarii. Vacavit sedes mense 1. diebus 10.

91. GREGORIUS II. Romanus, Benedictinus, creatus anno 716. die 21. Martii, sedit ann. 15. mensibus 10. diebus 20. obiit anno 731. die 12. Feb. Vacavit sedes diebus 21.

92. GREGORIUS III. Syrus, creatus anno 731. die 5. Martii, sedit ann. 10. mensibus 8. diebus 22. obiit anno 741. die 28. Novembris. Vacavit sedes diebus 2.

93. ZACHARIA, Græcus, Canonicus Regularis, deinde Benedictinus, creatus anno 741. die 1. Dec. sedit ann. 10. mensibus 3. diebus 13. obiit an. 752. die 15. Martii. Vacavit sedes diebus 9.

94. STEPHANUS II. Romanus, creatus ann. 752. die 25. Martii, sedit dieb. 4. obiit die 28. Mart. quare a pluribus non adnumeratur. Non vacavit sedes.

95. STEPHANUS III. dictus II. Romanus, Canonicus Regularis, creatus anno 752. die 29. Martii, sedit ann. 5. diebus 28. obiit anno 757. die 26. Apr. Vacavit sedes mense 1. diebus 2.

96. S. PAULUS I. Romanus, Stephani III. frater germanus, creatus anno 757. die 29. Martii, sedit an. 10. mense 1. obiit anno 767. die 29. Junii. Vacavit sedes anno 1. mense 1. diebus 6.

### *SCHISMA IX.*

*Inter Paulum I. & Theophylactum Anti-papam, qui paulo post legitimo Pontifici se submisit.*

Post mortem Pauli I. *Constantinus* adhuc laicus, vi & armis supremum arripuit Pontificatum, quem cum administrasset 13. mensibus, Clerus Romanus ad legitimam electionem processit, in qua pars electorum, quæ *Desiderio* Regi Longobardorum adhærebat, elegit ***Philippum*** Abbatem Longobardorum, qui statim fuit ejectus ab alia majori, eaque saniori parte Cleri, quæ canonice elegit Stephanum IV.

97. STEPHANUS IV. dictus III. Siculus, Canonicus Regularis, postea Benedictinus, creatus an. 768. die 5. Aug. sedit ann. 3. mens. 5. diebus 25. obiit anno 772. die 31. Jan. Vacavit sedes diebus 8.

98. HADRIANUS I. Romanus, creatus anno 772. die 9. Febr. sedit ann. 23. mensibus 10. diebus 17. obiit anno 795. die 26. Decemb. Non vacavit sedes.

99. LEO III. Romanus, ex Canonico Regulari factus Benedictinus, creatus anno 795. die 27. Dec. sedit ann. 20. mens. 5. diebus 15. obiit anno 816. die 12. Junii. Vacavit sedes diebus 20.

### SÆCULUM IX.

100. STEPHANUS V. dictus IV. Romanus, creatus an. 816. die 3. Julii, sedit men. 6. dieb. 22. obiit an. 817. die 25. Jan. Vacavit sedes diebus 2.

101. S. PASCHALIS I. Romanus, Benedictinus, creatus anno 817. die 28. Januar. sedit an. 7. mensibus 3. diebus 17. obiit anno 824. die 14. Maji. Vacavit sedes diebus 4.

102. EUGENIUS II. Romanus, creatus ann. 824. die 19. Maji, sedit ann. 3. mens. 6. diebus 22. obiit anno 827. die 12. Dec. Vacavit sedes die uno.

### *SCHISMA X.*

*Inter Eugenium II. & Zinzinnum Anti-papam.*

103. VALENTINUS, Romanus, creatus ann. 827. die 14. Decembris, sedit diebus 40. obiit anno 828. die 23. Januarii. Vacavit sedes diebus 2.

104. GREGORIUS IV. Romanus, Benedictinus, creatus anno 828. die 26. Jan. sedit ann. 16. obiit ann. 844. die 25. Jan. Vacavit sedes diebus 15.

Tempore quo Clerus convenerat ad novi Pontificis creationem, *Joannes* Diaconus vi occupavit Palatium Lateranensem, a quo intra horæ spatium fuit expulsus, & *Sergius* electus. De quo:

105. SERGIUS II. Rom. creatus ann. 844. die 10. Febr. sedit an. 3. mensib. 2. dieb. 2. obiit an. 848. die 12. Aprilis. Non vacavit sedes.

106. S. LEO IV. Rom. ex Canonico Regulari factus Benedictinus creatus ann. 848. die 12. April. sedit an. 8. mensibus 3. diebus 14. obiit an. 855. die 17. Julii. Vacavit sedes diebus 6.

107. BENEDICTUS III. Canonicus Regularis, Rom. creatus in schismate an. 855. die 24. Julii; consecratus die 29. Septembr. sedit ab electione an. 2. mensibus 8. diebus 16., a consecratione ann. 2. mens. 6. diebus 10. obiit ann. 858. die 8. April. Vacavit sedes diebus 15.

## *SCHISMA XI.*

Fecit Anastasius Presbyter, qui, auxilio Ludovici II. Imperatoris, Benedictum spoliavit Pontificatu, qui postea ei restitutus est.

108. NICOLAUS I. cognomento *Magnus*, Roman. creatus an. 858. die 24. Apr. sedit an. 9. mens. 6. dieb. 20. obiit an. 867. die 13. Novembr. Vacavit sedes diebus 7.

109. HADRIANUS II. Rom. creatus an. 867. die 21. Nov. sedit an. 4. mensib. 11. die 1. obiit an. 872. die 1. Novemb. Vacavit sedes mensib. 1. dieb. 12.

110. JOANNES VIII. Rom. creatus an. 872. die 14. Decem. sedit an. 9. mens. 11. die 1. obiit an. 882. die 15. Decemb. Vacavit sedes diebus 4.

*Nota.* Hic Pontifex fuit occasio fabulæ, quæ ab hæreticis de Papissa Joanna circumfertur, cum enim pusillanimitate fœminea invasionem sedis Constantinopolitanæ a Photio eunucho factam tolerasset, irrisorie apud vulgus dictum est, sedem Romanam non a viro, sed a fœmina occupatam esse; hanc fabulam cum omnibus mendaciis, quibus illam in sedis Apostolicæ opprobrium ornant hæretici, referre, ac refellere omnino puduit.

111. MARINUS I. ex Monte-Fiascone, creatus an. 882. die 19. Decembris, sedit an. 1. mense 1. obiit an. 884. die 18. Januar. Vacavit sedes diebus 2.

112. HADRIANUS III. Rom. creatus an. 884. die 21. Januarii; sedit ann. 1. mensibus 3. dieb. 19. obiit an. 885. die 9. Maij. Vacavit sedes diebus 3.

113. STEPHANUS VI. Rom. creatus ann. 885. die 13. Maji; sedit an. 6. diebus 7. obiit an. 891. die 21. Maji. Vacavit sedes diebus 5.

114. FORMOSUS, Portuensis, Canonicus Regularis, creatus an. 891. die 27. Maji; sedit ann. 4. mensib. 6. dieb. 16. obiit an. 895. die 14. Decem. Vacavit sedes dieb. 2.

## *SCHISMA XII.*

*Fecit Sergius Diaconus contra Formosum.*

115. BONIFACIUS VI. Rom., ex Tuscia oriundus, creatus eodem mense die 17. sedit dies 15. *tantum* obiit enim die 31. Decembr. & ideo a multis non adnumeratur. Vacavit sedes dieb. 5.

116. STEPHANUS VII. Rom. creatus ann. 896. die 6. Juanuarii; sedit ann. 1. mensib. 2. dieb. 17. obiit an. 897. die 24. Martii. Vacavit sedes diebus 3.

## *SCHISMA XIII.*

*Fecit* Bonifacius Anti-papa, *VI. dictus, qui postquam sedisset diebus* 15. *a Stephano VII. fuit expulsus.*

117. ROMANUS, Marini Papæ nepos, ex urbe, quæ hodie Monte-Fiascone appellatur, creatus an. 897. die 28. Martii; sedit mensibus 4. diebus 21. obiit an. 897. die 19. Augusti. Non vacavit sedes.

118. THEODORUS II. Rom. creatus ann. 897. die 20. Augusti; sedit diebus 20. obiit die 8. Septemb. Non vacavit sedes.

119. JOANNES IX. Tiburtinus, Benedictinus, creatus an. 897. die 9. Septembr. sedit an. 2. dieb. 13. obiit an. 899. die 23. Sept. Non vacavit sedes.

120. BENEDICTUS IV. Rom. Canonicus Regularis Lateranensis, creatus ann. 899. die 24. Septembr. sedit an. 3. mensibus 6. diebus 14. obiit ann. 903. die 8. April. Vacavit sedes dieb. 6.

## SÆCULUM X.

121. LEO V. e villa Priapi, agri Ardeatini, in Latio, Benedictinus, creatus an. 903. die 15. April. sedit mense uno diebus 9. coactus abdicavit die 24. Maji, & vitam regularem repetiit, & non multo post interiit. Non vacavit sedes.

122. CHRISTOPHORUS, Rom. comprehenso Leone V. Pontificem se fecit, eodem anno, die 24. Maji; sedit mensibus 7. nam die 25. Decembr. ejusdem anni a *Sergio*, authoritate *Marociæ* conjugis Ducis Tusciæ fuit ejectus. Non vacavit sedes.

123. SERGIUS III. Romanus ex Comitibus Tusculanis, creatus an. 903. die 25. Decem. sedit an. 7. mensibus 3. dieb. 14. obiit an. 911. die 14. April. Non vacavit sedes.

## *SCHISMA XIV.*

*Inter Leonem V. Christophorum & Sergium III. anno* 903.

124. ANASTASIUS III. Rom. creatus an. 911. die 15. April.; sedit an. 2. mense 1. diebus 19. obiit an. 913. die 4. Junii. Vacavit sedes diebus 2.

125. LANDUS, Sabinus, Can. Regul. Lateranensis, creatus an. 913. die 7. Junii; sedit mens. 6. dieb. 20. obiit an. 913. die 18. Decem. Vacavit sedes dieb. 26.

126. JOANNES X. Romanus, de familia Cinnia, creatus ann. 914. die 24. Januarii; sedit ann. 14. mensibus 2. diebus 12. obiit an. 928. die 6. April. Vacavit sedes diebus 4.

127. LEO VI. Rom. creatus an. 928. die 11. Apr. sedit mensibus 6. diebus 11. obiit an. 928. die 23. Octob. Non vacavit sedes.

128. STEPHANUS VIII. Romanus, creatus an. 928. die 24. Octob. sedit an. 2. mense 1. dieb. 13. obiit an. 930. die 8. Decembr. Vacavit sedes dieb. 2.

129. JOANNES XI. Rom. ex Comitibus Tusculanis, qui postea dicti sunt *de Comitibus*, creatus an. 930. die 11. Decemb. sedit an. 4. mensibus 10. dieb. 13. obiit an. 935. die 25. Octobr. Vacavit sedes die 1.

130. LEO VII. Roman., creatus an. 935. die 27. Octobr., sedit an. 3. mensibus 6. diebus 9. obiit an. 939. die 6. Maji. Vacavit sedes mense 1.

131. STEPHANUS IX. Rom. creatus an. 939. die 7. Junii; sedit an. 13. mensibus 4. dieb. 13. obiit an. 942. die 21. Octobr. Vacavit sedes dieb. 10.

132. MARINUS II. Rom. creatus an. 942. die 1. Novemb. sedit an. 3. mensibus 6. dieb. 12. obiit an. 946. die 14. Maji. Vacavit sedes dieb. 3.

133. AGAPETUS II. Rom. creatus an. 946. die 18. Maji; sedit an. 9. mensibus 7. dieb. 8. obiit an. 955. die 27. Decembr. Vacavit sedes dieb. 12.

134. JOANNES XII. Rom. ex familia de Comitibus, creatus an. 955. die 9. Januar. sedit an. 8. mensibus 4. dieb. 5. obiit an. 964. die 14. Maji. Non vacavit sedes.

135. BENEDICTUS V. Rom. defuncto Joanne XII. statim in ejus loco a Populo & Clero Romano eligitur; sedit mense uno, diebus aliquot. Per vim remotus, & ad *Hambourg* relegatus, ibidem moritur die 3. Julii, an. 965.

### *SCHISMA XV.*

Fecit *Leo*, Anti-papa, dictus VIII. qui authoritate *Othonis I.* Imperatoris fuit intrusus contra Joannem XII. & Benedictum V. contra quos sedit anno uno, mensibus 3. diebus 11.

136. JOANNES XIII. Rom., creatus an. 965. die 6. Octobr., sedit an. 6. mensib. 11. obiit an. 972. die 6. Septembris. Vacavit sedes diebus 13.

137. DONUS II. Rom. creatus an. 972. die 20. Septembris; sedit mensib. 3. obiit eodem an. die 19. Decembr. Non vacavit sedes.

138. BENEDICTUS VI. Rom. creatus an. 972. die 20. Decembr. sedit an. 1. mensib. 3. coactus abdicavit an. 974. die 19. Martii; & non multo post in Adriani mole strangulatus fuit. Vacavit sedes dieb. 10.

139. BONIFACIUS VII. *Franco* antea dictus, creatus an. 974. die 30. Martii, sedit an 1. mens. 1. dieb. 11. Coactus abdicavit, ex urbe pulsus, an. 975. die 11. Maji. Deinde, Benedicto VI. mortuo, reversus, Pontificatum iterum vi tenuit, mensib. 4. diebus 8. postea fuit a Benedicto VII. expulsus, & excommunicatus in Concil. Rom. obiit an. 985. die 21. Julii, anno fere uno post Benedictum VII.

140. BENEDICTUS VII. Rom. ex Comitibus Tusculanus, creatus an. 975. die 29. Maji; sedit an. 9. mense 1. dieb. 10. obiit an. 984. die 10. Julii. Vacavit sedes diebus 5.

141. JOANNES XIV. Papiensis, creatus an. 984. die 16. Julii; sedit mens. 8. Pontificatu spoliatus a Bonifacio VII. in urbem reverso, obiit an. 985. die 16. Martii. Vacavit sedes mensib. 4. dieb. 15. ..... Hic canonizavit Udalricum Episcopum Augustanum.

### *SCHISMA XVI.*

*Inter Bonifacium VII. Benedictum VII. & Joannem XIV.*

142. JOANNES XV. Rom. creatus an. 985. die 1. Augusti, sedit an. 9. mensib. 6. dieb. 9. obiit an. 995. die 9. Febr. Vacavit sedes die 1.

143. JOANNES XVI. creatus an. 995. die 11. Febr. sedit mens. 4. obiit an. 995. die 9. Junii. Vacavit sedes dieb. 6.

144. GREGORIUS V. Saxo, Germanus, Othonis Saxoniæ & Sveviæ Ducis filius, creatus an. 995. die 16. Junii; sedit an. 2. mensib. 8. dieb. 8. obiit an. 998. die 18. Febr. Vacavit sedes mensibus 8. dieb. 10.

### *SCHISMA XVII.*

Inter *Gregorium V.* & *Joannem* Episcopum Placentinum, qui, ope Crescentii Romæ Præfecti, Pontificatum usurpavit, assumpto nomine *Joannis XVII.* quem Gregorius V. excommunicavit in Concilio Papiæ habito: & cui, jussu Imperatoris, nares & aures abscissæ fuerunt, atque oculi eruti.

145. SYLVESTER II. Aquitanus, Gallus, Benedictin. creatus an. 998. die 1. Novem. sedit an. 4. mens. 6. dieb. 12. obiit an. 1003. Vacavit sedes dieb. 25.

## SÆCULUM XI.

146. JOANNES XVII. Romanus, creatus an. 1003. die 7. Junii; sedit mensibus 4. dieb. 24. obiit an. 1003. die 31. Octobr. Vacavit sedes dieb. 19.

147. JOANNES XVIII. Rom. creatus an. 1003. die 20. Novemb.; sedit an. 5. mens. 7. dieb. 17. obiit an. 1009. die 18. Julii. Vacavit sedes mense 1.

148. SERGIUS IV. Rom. Benedictin. creatus an. 1009. die 18. Augusti; sedit an. 2. mensib. 19. dieb. 10. obiit an. 1012. die 28. Maij. Vacavit sedes dieb. 2.

149. BENEDICTUS VIII. Rom. ex Comitibus Tuscul. creatus an. 1012. die 30. Maji; sedit an. 11. mens. 8. dieb. 27. obiit an. 1024. die 27. Februar. Non vacavit sedes.

### *SCHISMA XVIII.*

*Fecit Gregorius, a Romanis intrusus, a S. Henrico Imperatore expulsus.*

150. JOANNES XIX. Rom. Benedicti VIII. frater Germanus, creatus an. 1024. die 28. Febr. sedit annis 8. mensib. 9. dieb. 7. obiit an. 1032. die 8. Novembr. Vacavit sedes diebus 2.

151. BENEDICTUS IX. Rom. ex Comitibus Tusculanis, creatus an. 1032. die 11. Novemb. sedit annis 12. mens. 5. diebus 19. abdicavit an. 1045. die 1. Maji. Non vacavit sedes.

### *SCHISMA XIX.*

Fecit *Joannes*, Laurentii filius, Romanus, *Sylvester III.* dictus. Interim, cum Benedict. IX. esset Romanis invisus, alicui Joanni, qui dictus est *Joannes XX.* postea *Benedictus*, Sylvestro expulso, iterum sedit mense uno, dieb. 21. Erant ergo tres Pontifices, quorum *primus* sedebat apud Lateranum; *secundus*, apud S. Petrum in Vaticano; *tertius*, apud S. Mariam Majorem, quo calamitatis tempore electus fuit Gregorius VI.

152.

152. GREGORIUS VI. Romanus, creatus ann. 1045 die 1. Maij; sedit anno uno, mensibus 7. dieb. 20. in Concilio Sutrii, pro tollendo schismate, coactus abdicavit an. 1046. die 20. Decembris. Non vacavit sedes.

153. CLEMENS II. Germanus, Saxo, creatus an. 1046. die 21. Decembr. sedit mensib. 9. dieb. 24. obiit an. 1047. die 15. Octob.

Post mortem Clementis II. *Benedictus IX.* iterum sedem Pontificiam occupavit mensib. 9.

154. DAMASUS II. Bavarus, creatus an. 1048. die 7. Julii; sedit diebus 23. obiit die 8. Augusti. Vacavit sedes mensib. 6. dieb. 3.

Post mortem Damasi, Benedictus IX. quarta vice sedem occupavit ac tenuit mensib. 5.

155. S. LEO IX. Bruno antea vocatus, Comes d'Aspurg, Hugonis filius, Episcopus Tullensis in Lotharingia, & S. Deodati præpositus, creatus an. 1049. die 12. Febr. sedit annis 5. mensib. 2. dieb. 6. obiit an. 1054. die 17. Maji. Vacavit sedes mensib. 10. dieb. 26.

*Nota:* In hac serie, non numeratur Leo VIII. quia fuit Anti-papa.

156. VICTOR II. Germanus, ex Comitibus Calbensibus in Suevia, creatus an. 1055. die 13. Aprilis; sedit annis 2. mensib. 3. dieb. 16. obiit an. 1057. die 28. Julii. Vacavit sedes diebus 4.

157. STEPHANUS X. Lotharingus, Fridericus antea vocatus, *Gozzelonis* Ducis filius, & *Gothifridi IV.* Ducis frater, Abbas Cassinensis, creatus an. 1057. die 2. Augusti; sedit mensib. 7. dieb. 28. obiit an. 1058. die 29. Martii. Vacavit sedes mensib. 9. dieb. 4.

158. NICOLAUS II. Gerardus Allobrox, cognomento Burgundio, Episcopus Florentinus creatus an. 1059. die 3. Januarii; sedit annis 2. mensib. 6. obiit. an. 1061. die 3. Julii. Vacavit sedes propter subsecutum schisma, mensibus 2. dieb. 27.

### *SCHISMA* XX.

Fecit *Mincius*, ex Comitibus Tusculanis, Anti-papa, Benedictus X. appellatus, qui a Nicolao II. fuit excommunicatus & expulsus, in Concilio Sutrii habito.

159. ALEXANDER II. Mediolanensis, Canonicus Reg. creatus an. 1061. die 30. Sept. Sedit annis 11. mensib. 6. dieb. 22. obiit an. 1073. die 22. April. Non vacavit sedes .... Hic approbavit Congregationem Monachorum Camaldulensium Ordinis Sancti Benedicti.

### *SCHISMA XXI.*

Fecit *Cadolaus Pallavicinus*, dictus *Honorius II.* qui ab Alexand. II. fuit damnatus in Concilio Mantuano.

160. S. GREGORIUS VII. Hildebrandus antea vocatus, natione Tuscus, patria Saonensis, Monachus Cluniacensis, creatus an. 1073. die 22. April. sedit annis 12. mense 1. diebus 2. obiit an. 1085. die 25. Maji. Vacavit sedes an. 1.

### *SCHISMA XXII.*

Fecit *Gilbertus* de Corrigia, Parmensis, Archiepiscopus Ravennatensis, *Clemens III.* dictus in Conciliabulo Bressiæ contra Gregorium VII. electus ab Episcopis Henrico IV. adhærentibus. Sedit contra Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. & Paschalem II. annis 21. diebus aliquot. Obiit Romæ in Arce S. Angeli anno 1101. mense Septembris.

161. VICTOR III. Beneventanus, Abbas Cassinensis, creatus an. 1086. die 24. Maji: sedit anno 1. mensib. 3. dieb. 23. obiit an. 1087. die 16. Septemb. Vacavit sedes mens. 5. dieb. 26.

162. URBANUS II. Gallus, Monachus Cluniacensis, creatus an. 1088. die 12. Martii; sedit annis 11. mensib. 4. dieb. 17. obiit an. 1099. die 29. Julii. Vacavit sedes dieb. 14 .... Approbavit Congregationem Monachorum Vallis Umbrosæ Ordinis S. Benedicti.

163. PASCHALIS II. Tuscus, Monachus Cluniacensis, creatus an. 1099. die 13. Augusti; sedit annis 18. mensib. 5. dieb. 8. obiit an. 1119. die 21. Januarii. Vacavit sedes diebus 3. ... Suscepit sub sedis Apostolicæ protectione Monasterium Cisterciense, unde emanavit Ordo Cisterciensis.

### *SCHISMA XXIII.*

Fecit contra Paschalem II. *Aginulphus*, qui fuit electus in locum Clementis III. Anti-papæ, ac *Sylvester* III. nuncupatus.

## SÆCULUM XII.

164. GELASIUS II. Neapolitanus, Benedictinus; creatus an. 1119. die 25. Januarii; sedit annis 1. dieb. 3. obiit an. 1120. die 29. Januarii. Vacavit sedes dieb. 2.

### *SCHISMA XXIV.*

Fecit contra Gelasium *Mauritius Burtin*, dictus *Gregorius VIII.* electus ab Episcopis *Henrico V.* filio Henrici IV. adhærentibus.

165. CALIXTUS II. Burgundus Monachus Cluniacensis, creatus an. 1120. die 1. Februar. sedit annis 5. mensib. 9. dieb. 17. obiit anno 1125. die 19. Decembris. Vacavit sedes die 1.

166. HONORIUS II. Bononiensis, *Lambertus de Fagnanis* antea dictus, creatus anno 1125. die 21. Decemb., sedit annis 4. mense uno, dieb. 25. obiit an. 1130. die 16. Februar. Non vacavit sedes.

167. INNOCENTIUS II. Rom. *Gregorius de Pavareschis*, creatus an. 1130. die 17. Februar. sedit annis 13. mensib. 7. dieb. 8. obiit anno 1143. die 24. Septembr.

### *SCHISMA XXV.*

Fecit contra Innocentium Cardinalis *Petrus* Leonis filius, *Anacletus II.* dictus, creatus an. 1130. obiit an. 1138. & in ejus locum creatus est *Victor IV.* qui duobus postea mensibus cum dimidio Innocentio II. se submittens, finem schismati fecit.

168. CŒLESTINUS II. Tuscus, *Guido de Castello*,

creatus an. 1143. die 24. Septembris; sedit mensibus 5. diebus 13. obiit ann. 1144. die 9. Martii. Non vacavit sedes.

169. LUCIUS II. Bononiensis, Canonic. Regular. creatus an. 1144. die 9, Martii; sedit mensib. 11. dieb. 16. obiit ann. 1145. die 25. Februarii.

170. EUGENIUS III. Tuscus, ex Oppido Montis magni Diœcesi Pisanæ, Monachus Cisterciensis, creatus ann. 1145. die 27. Martii; sedit annis 8. mensibus 3. diebus 13. obiit an. 1153. die 9. Julii. Non vacavit sedes .... Canonizavit S. Henricum Imperatorem.

171. ANASTASIUS IV. Rom. Canon. Regul. creatus an. 1153. die 10. Julii; sedit an. 1. mensib. 4. diebus 22. obiit an. 1154. die 2. Decembr. Non vacavit sedes.

172. HADRIANUS IV. Anglus, creatus an. 1154. die 3. Decemb.; sedit an. 4. mensib. 8. dieb. 28. obiit an. 1159. die 1. Septembris. Vacavit sedes diebus 2.

173. ALEXANDER III. Tuscus, Senensis, Canonic. Regul. creatus an. 1159. die 4. Septembris; sedit an. 21. mensib. 11. dieb. 23. obiit ann. 1181. die 27. August. Vacavit sedes die 1. .... Canonizavit SS. Eduardum Regem Angliæ, Bernardum Abbatem Claravallensem, & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. Approbavit Ordinem militarem S. Jacobi de Sparta in regno Hispaniæ, Ordinem Monachorum S. Basilii magni, & Ordinem Carthusianorum.

### *SCHISMA XXVI.*

Contra Alexand. III. fecit *Octavianus* Anti-papa, Victor IV. appellatus, cui mortuo successit *Paschalis III.* cui similiter defuncto successit *Calixtus III.* qui se Alexandro III. subjiciens, an. 1178 finem schismati imposuit

174. LUCIUS III. Lucensis, creatus an. 1181. die 29. Augusti; sedit an. 4. mensib. 2. dieb. 27. obiit anno 1185. die 25. Novembris. Non vacavit sedes.

175. URBANUS III. Mediolanensis, creatus an. 1185. die 25. Novemb. sedit an. uno, mens. 6. diebus 23. obiit an. 1187. die 19. Octob. Non vacavit sedes ... Approbavit Ordinem Cruciferorum.

176. GREGORIUS VIII. Beneventanus, Benedictin. creatus ann. 1187. die 20. Octob. sedit mense 1. dieb. 25. obiit an. 1187. die 15. Decemb. Vacavit sedes diebus 20.

177. CLEMENS III. Romanus, creatus an. 1188. die 6. Januarii, sedit an. 3. mensibus 2. diebus 20. obiit an. 1191. die 25. Martii. Vacavit sedes diebus 3.

178. CŒLESTINUS III. Romanus, creatus an. 1191. die 29. Martii; sedit ann. 6. mensib. 9. dieb. 11. obiit an. 1198. die 8. Januarii. Non vacavit sedes. Canonizavit SS. Ubaldum Episcopum Eugubinum, & Joannem Gualbertum Institutorem Congregationis Vallis Umbrosæ.

179. INNOCENTIUS III. ex civitate Anagniæ, Canonicus Regul. creatus an. 1198. die 8. Januarii, sedit ann. 18. mensib. 6. dieb. 9. obiit an. 1216. die 26. Julii. Vacavit sedes die 1. ... Canonizavit S. Homobonum Cremonensem. Confirmavit Ordinem SS. Trinitatis.

## SÆCULUM XIII.

*Nota*. Hoc sæculum, Dei gratia, fuit ab omni schismate exemptum.

180. HONORIUS III. Romanus, creatus an. 1216. die 28. Julii, sedit an. 10. mensib. 8. obiit an. 1227. die 8. Martii. Vacavit sedes dies 1. ... Regulam S. Francisci ab Innoc. III. approbatam confirmavit. Approbavit Ordinem S. Dominici sub Regula Div. Augustini; ac Regulam Ordinis Carmelitarum. Canonizavit S. Laurentium Archiepiscop. Dublinensem.

181. GREGORIUS IX. ex civitate Anagniæ, *Ugolinus* antea dictus, an. 1227. die 20. Martii; sedit an. 14. mensibus 5. diebus 2. obiit an. 1241. die 22. Augusti. Vacavit sedes mense uno. Canonizavit S. Franciscum de Assisio, S. Antonium de Padua, S. Dominicum, S. Elisabeth Hungariæ.

182. CŒLESTINUS IV. Mediolanensis, creatus an. 1241. die 23. Septembris; sedit dieb. 16. obiit die 8. Octobr. Vacavit sedes an. 1. mensib. 8. diebus 5.

183. INNOCENTIUS IV. Genuensis, creatus an. 1243. die 24. Junii; sedit an. 11. mensib. 5. dieb. 14. obiit an. 1254. die 9. Decembris. Vacavit sedes diebus 12. Canonizavit Sanctum Petrum Veronensem Martyrem; S. Stanislaum Episcopum Cracoviensem in Polonia. Approbavit Regulam Sanctæ Claræ a B. Francisco traditam.

184. ALEXANDER IV. ex civitate Anagniæ, creatus anno 1254. die 22. Decembris, sedit annis 6. mensib. 5. diebus 2. obiit an. 1261. die 25. Maji. Vacavit sedes mensib. 3. dieb. 3. ...... Canonizavit S. Claram de Assisio.

185. URBANUS IV. Gallus, ex civitate Trecensi in Campania, Ordinis Cisterciensis, creatus an. 1261. die 29. Augusti; sedit an. 3. mense uno, dieb. 2. obiit ann. 1264. die 8. Octobris. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 2. Instituit Festum SS. Corporis Christi, mitigavit primam Regulam S. Claræ; canonizavit S. Richardum Episcopum Cisterciensem in Anglia.

186. CLEMENS IV. Gallus, creatus ann. 1265. die 5. Febr.; sedit an. 3. mensibus 9. diebus 25. obiit an. 1268. die 29. Novembr. Vacavit sedes ann. 2. mensibus 9. diebus 2. ...... Canonizavit S. Hedvigem Ducissam Poloniæ.

187. GREGORIUS X. Placentinus, creatus an. 1271. die 11. Septem. sedit an. 4. mensib. 4. dieb. 10. obiit an. 1276. die 11. Januarii. Vacavit sedes diebus 8.

188. INNOCENTIUS V. Burgundus, Dominicanus, creatus an. 1276. die 20 Jan. sedit mens. 5. dieb. 2. obiit die 22. Junii. Vacavit sedes dieb. 19.

189. HADRIANUS V. Genuensis, creatus an. 1276. die 12. Julii; sedit diebus 39. obiit die 21. August. Vacavit sedes diebus 22.

190. JOANNES XXI. Lusitanus, Ulyssiponensis, creatus an. 1276. die 13. Septemb. sedit mensib. 8. dieb. 8. obiit an. 1277. die 20. Maji. Vacavit sedes mensib. 6. diebus 5.

191. NICOLAUS III. Roman. Ursinus, creatus an. 1277. die 25. Novemb. sedit annis 2. mensib. 8. diebus 29. obiit an. 1280. die 22. Augusti. Vacavit sedes mensibus 6.

192. MARTINUS IV. Gallus, creatus anno 1281. die 22. Februarii, sedit an. 4. mense uno, dieb. 8. obiit an. 1285. die 28. Martii. Vacavit sedes dieb. 3.

193. HONORIUS IV. Romanus, creatus an. 1285. die 2. Aprilis, sedit ann. 2. diebus 2. obiit anno 1287. die 3. Aprilis. Vacavit sedes mens. 10. diebus 18.

194. NICOLAUS IV. Asculanus, Franciscanus, creatus anno 1288. die 22. Februarii, sedit ann. 4. mense uno, diebus 14. obiit an. 1292. die 4. April. Vacavit sedes ann. 2. mens. 3. diebus 2.

195. CŒLESTINUS V. Italus, Eremita, Petrus de Morone antea dictus, creatus anno 1294. die 7. Julii. Postquam sedisset mensibus 5. diebus 5. abdicavit anno 1294. die 13. Decembris, suum Ordinem instituit, in quo obiit anno 1296. die 19. Maji. Ipsi in Pontificatu suffectus est Cardinalis Cajetanus, qui sequitur.

196. BONIFACIUS VIII. ex civitate Anagniæ, creatus anno 1294. die 24. Decembris, sedit ann. 8. mensibus 9. diebus 18. obiit anno 1303. die 11. Oct. Vacavit sedes diebus 9. Canonizavit S. Ludovicum Regem Galliæ.

## SÆCULUM XIV.

197. BENEDICTUS XI. ex Tarvisio in Longobardia, Dominicanus, creatus anno 1303. die 21. Octobris, sedit mensibus 8. diebus 17. obiit anno 1304. die 7. Julii. Vacavit sedes anno uno. Confirmavit Ordinem Servorum B. Mariæ V. sub Regula D. Augustini.

198. CLEMENS V. Provinciæ Aquitaniæ, Gallus, creatus anno 1305. die 7. Julii, sedit an. 9. mensibus 9. diebus 14. obiit anno 1314. die 20. Aprilis. Vacavit sedes ann. 2. mens. 3. diebus 16. Damnavit milites Templarios. Canonizavit S. Cœlestinum V. Sedem fixit Avenioni.

199. JOANNES XXII. Jacobus de Ossa antea dictus, Gallus, creatus anno 1316. die 6. Augusti, sedit an. 18. mensibus 3. diebus 28. obiit ann. 1334. die 4. Decembris. Vacavit sedes diebus 19.

Canonizavit S. Ludovicum Episcopum Tolosanum, S. Thomam Episcopum Herlodiensem in Anglia, S. Thomam de Aquino. Approbavit Congregationem Monachorum B. Mariæ Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti.

### *SCHISMA XXVII.*

Fecit *Petrus de Corbario*, Franciscanus, dictus *Nicolaus V.* qui, authoritate Ludovici Bavari Imperatoris, sedem Apostolicam invasit anno 1328. seditque contra Joannem XXII. annis 3. mensibus 3. diebus 4. Tandem anno 1330. die 25. Augusti, inserto ad collum laqueo, ad pedes veri Pontificis veniam deprecando, abdicavit.

200. BENEDICTUS XII. Gallus, ex provincia Tolosana, Ordinis Cisterciensis, creatus an. 1334. die 20. Decemb. sedit annis 7. mens. 4. dieb. 6. obiit ann. 1342. die 25. April. Vacavit sedes diebus 11.

201. CLEMENS VI. Gallus Lemoviensis Diœcesis, Benedict. creatus an. 1342. die 7. Maji; sedit an. 10. mensibus 7. obiit an. 1352. die 6. Decemb. Vacavit sedes diebus 11. Canonizavit S. Ivonem Presbyterum.

202. INNOCENTIUS VI. Gallus, creatus an. 1352. die 18. Decembr. sedit an. 9. mensib. 8. dieb. 26. obiit an. 1362. die 4. Septemb. Vacavit sedes mense 1. dieb. 24.

203. URBANUS V. Gallus, Abbas Massiliensis, creatus ann. 1362. die 28. Octobris; sedit annis 8. mense 1. diebus 22. obiit an. 1370. die 19. Decem. Vacavit sedes diebus 9.

204. GREGORIUS XI. Gallus, creatus ann. 1370. die 29. Decemb. sedit annis 7. mensib. 2. dieb. 29. (hic Pontifex SS. Birgittæ & Catharinæ Senensis consilio, Romam rediit an. 1376. die 13. Januarii, post transmigrationem septuaginta annorum, quam Clemens V. incœperat) obiit ann. 1378. die 27. Martii. Vacavit sedes dieb. 11.

205. URBANUS VI. Neapolitanus, creatus an. 1378. die 8. Apr.; sedit annis 11. mensib. 6. dieb. 6. obiit an. 1389. die 13. Octobr. Vacavit sedes diebus 18.

### *SCHISMA XXVIII.*

Fecerunt Cardinales, qui ab Urbano VI. propter nimiam ejus crudelitatem, deficientes, elegerunt Robertum Comitem Genevæ, qui Clemens VII. dictus est, ac Avenione contra Urbanum VI. & Bonifacium IX. sedit annis 15. mensibus 11. diebus 28. obiit Avenione die 16. Octobr. an. 1394. eique successit Petrus a Luna, Aragonensis, dictus Benedictus XIII. de quo infra

206. BONIFACIUS IX. Neapolitanus, creatus an. 1389. die 2. Novembris; sedit annis 14. mens. 11. obiit an. 1404. die 1. Oct. Vacavit sedes dieb. 15.... instituit festum Visitationis B. M. V. Canonizavit S. Birgittam.

## SÆCULUM XV.

207. INNOCENTIUS VII. Italus, Sulmonensis, de familia Meliorata, creatus an. 1404. die 17. Octob. sedit annis 2. diebus 20. obiit ann. 1406. die 6. Novembris. Vacavit sedes diebus 23.

208. GREGORIUS XII. Venetus, Angelus Corarius antea vocatus, creatus an. 1406. die 30. Novemb.; sedit annis 2. mensib. 6. diebus 3. pro bono pacis, schismateque tollendo, sponte abdicavit in Concil. Pisano an. 1409. die 4. Junii. Postea creatus est Episcopus Cardinalis Tusculanus, & Collegii Decanus. Vacavit sedes diebus 4.

209. ALEXANDER V. Franciscanus, Bononiensis, creatus ann. 1409. in Concilio Pisano, sedit mensibus 10. diebus 8. obiit an. 1410. die 3. Maji. Vacavit sedes diebus 13.

210. JOANNES XXIII. Neapolitanus, Balthassar Cossa antea vocatus, creatus an. 1410. die 17. Maji; sedit an. 5. diebus 15. in Concilio Basileensi, pro bono pacis abdicavit ann. 1415. die 31. Maji. Vacavit sedes annis 2. mensib. 5. diebus 10.

Anno 1416. *Petrus a Luna*, dictus *Benedict. XIII.* Pseudo-Pontifex fuit depositus; obiit anno 1424. mense Septembri.

211. MARTINUS V. Otho Columna, Romanus, creatus a Concil. Constantiensi ann. 1417. die 11. Novem. sedit annis 13. mensib. 3. obiit ann. 1431. die 12. Febr. Vacavit sedes diebus 18. Approbavit Congregationem Jesuatorum S. Hieronymi.

*SCHIS-*

SCHISMA XXIX.

Fecit contra Martinum V. *Ægidius Munion*, dictus *Clemens VIII.* qui ope Alphonsi Regis Aragoniæ sedem invasit anno 1424. sed obedientiæ Martini V. se submisit an. 1428.

212. EUGENIUS IV. Venetus, Canonicus Regularis, creatus anno 1431. die 3. Martii, sedit an. 14. mens. 11. diebus 21. obiit anno 1447. die 23. Febr. Vacavit sedes diebus 8. Canonizavit S. Nicolaum de Tolentino.

SCHISMA XXX.

Fecit *Amadeus* Dux Sabaudiæ, vulgo *Felix V.* dictus, contra *Eugenium IV.* electus in Concilio Basileensi anno 1539. die 5. Nov. Sponte abdicavit in Concilio Lugduni habito.

213. NICOLAUS V. Sarzanensis, Thomas Lucanus antea vocatus, creatus anno 1447. die 4. Martii, sedit annis 8. diebus 19. obiit anno 1455. die 24. Martii. Vacavit sedes diebus 14.

Iniit concordatum cum *Friderico* Imperatore, & aliis Principibus Germaniæ super reservatione & collatione Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum. Canonizavit S. Bernardinum Senensem.

214. CALIXTUS III. Hispanus, Alphonsus Borgia antea vocatus, creatus anno 1455. die 8. Apr. sedit an. 3. men. 28. obiit an. 1458. die 6. Augusti. Vacavit sedes diebus 12.

215. PIUS II. Senensis, Æneas Sylvius Piccolomineus antea dictus, creatus an. 1458. die 19. Augusti, sedit an. 1. men. 11. dieb. 27. obiit an. 1464. die 16. Augusti. Vacavit sedes dieb. 14. Canonizavit S. Vincentium Ferrerium, & S. Catharinam Senensem.

216. PAULUS II. Venetus, Eugenii IV. nepos, creatus anno 1464. die 31. Augusti, sedit ann. 6. mensibus 10. diebus 26. obiit anno 1471. die 28. Julii. Vacavit sedes diebus 11. Reduxit SS. Jubilæum ad ann. 25.

217. SIXTUS IV. Savonensis, Franciscanus, creatus anno 1471. die 9. Augusti, sedit an. 13. dieb. 4. obiit an. 1484. die 12. Aug. Vacavit sedes dieb. 16. Canonizavit S. Bonaventuram.

218. INNOCENTIUS VIII. Genuensis, creatus an. 1484. die 29. Aug. sedit ann. 7. mens. 10. dieb. 26. obiit an. 1492. die 25. Julii. Vacavit sedes dieb. 15. Canonizavit S. Leopoldum Austriæ Principem.

219. ALEXANDER VI. Hispanus, creatus anno 1492. die 10. Aug. sedit ann. 11. diebus 8. obiit an. 1503. die 18. Aug. Vacavit sedes diebus 45.

SÆCULUM XVI.

220. PIUS III. Senensis, Franciscus Piccolomineus, creatus an. 1503. die 22. Sept. sedit diebus 26. obiit an. 1503. die 18. Oct. Vacavit sedes diebus 13.

221. JULIUS II. Savonensis, creatus anno 1503. die 1. Nov. sedit an. 9. mens. 3. dieb. 21. obiit an. 1513. die 21. Feb. Vacavit sedes diebus 21. Approbavit Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula.

222. LEO X. Florentinus, ex familia Medicea, creatus anno 1513. die 15. Martii, sedit an. 8. mensibus 8. diebus 15. obiit an. 1521. die 1. Decembris. Vacavit sedes mense 1. diebus 8.

Damnavit Pragmaticam Sanctionem, & concordatum inivit cum *Francisco I.* Rege Galliæ circa provisiones Beneficiorum Ecclesiasticorum. Canonizavit S. Franciscum de Paula.

223. HADRIANUS VI. Belga, ex urbe Trajecto, creatus an. 1522. die 9. Jan. sedit anno uno, mensibus 8. diebus 14. obiit anno 1523. die 24. Septemb. Vacavit sedes mense 1. diebus 25. Canonizavit Sanctum Bennonem Episcopum Misnensem.

224. CLEMENS VII. Florentinus, de familia Medicea, creatus an. 1523. die 19. Nov. sedit ann. 10. mens. 10. dieb. 7. obiit an. 1534. die 26. Septembr. Vacavit sedes diebus 36. Canonizavit S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum. Approbavit Congregationem Theatinorum, & Cappuccinorum.

225. PAULUS III. Romanus, Alexander Farnesius, creatus an. 1534. die 13. Oct. sedit an. 15. diebus 28. obiit ann. 1549. die 19. Novemb. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 28. Approbavit Institutum, seu Religionem Societatis Jesu.

226. JULIUS III. de Monte S. Sabini, qui est in agro Aretino, creatus an. 1550. die 8. Februar. sedit an. 5. mens. 1. diebus 16. obiit anno 1555. die 23. Martii. Vacavit sedes diebus 16.

227. MARCELLUS II. Italus, creatus anno 1555. die 9. Aprilis, sedit diebus 22. obiit die 30. Maji. Vacavit sedes diebus 23.

228. PAULUS IV. Neapolitanus, Petrus Carafa antea dictus, creatus an. 1555. die 23. Maji, sedit an. 4. mensib. 2. diebus 27. obiit an. 1559. die 18. Augusti. Vacavit sedes mens. 4. diebus 7.

229. PIUS IV. Mediolanensis, de familia Medicea, S. Caroli avunculus, creatus an. 1559. die 26. Dec. sedit an. 5. men. 11. diebus 14. obiit an. 1565. die 9. Dec. Vacavit sedes diebus 28.

230. S. PIUS V. Alexandrinus, ex familia de Ghysileriis, Dominicanus, creatus an. 1566. die 7. Jan. sedit an. 6. men. 3. diebus 24. obiit an. 1572. die 1. Maji. Vacavit sedes diebus 11. Approbavit Congregationem Fratrum S. Joannis de Deo ad regimen Hospitalium sub regula S. Augustini.

231. GREGORIUS XIII. Bononiensis, ex familia Buoncompagni, creatus an. 1572. die 13. Maji, sedit ann. 12. mens. 10. diebus 28. obiit anno 1585. die 10. Aprilis. Vacavit sedes diebus 13.

Instituit militiam S. Mauritii Martyris, cui postea univit militiam S. Lazari Jerosolymitani, sub denominatione Ss. Mauritii & Lazari, sub regimine Ducis Sabaudiæ, magni Magistri perpetui Ordinis. Approbavit novum Kalendarium, veteri abolito. Instituit Collegium Maronitarum Romæ. Instituit Universitatem Mussipontanam.

232. SIXTUS V. de Monte-alto, Picenus, Franciscanus, creatus anno 1585. die 24. Apr. sedit an. 5. mensib. 4. diebus. 3. obiit an. 1590. die 27. Aug. Vacavit sedes diebus 18. Canonizavit S. Didacum Ordinis Minorum.

233. URBANUS VII. Romanus, de familia Castanea, creatus ann. 1590. die 15. Septembris, sedit diebus 13. obiit anno 1590. die 28. Septemb. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 8.

234. GREGORIUS XIV. Mediolanensis, Nicolaus Sfondratus, creatus an. 1590. die 6. Decembris, sedit mensibus 10. diebus 10. obiit anno 1591. die 15. Octobris. Vacavit sedes diebus 14.

Concessit Biretum Rubrum Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis.

235. INNOCENTIUS IX. Bononiensis, creatus an. 1591. die 9. Octobris: sedit mensibus 2. obiit an. 1591. die 30. Decembris. Vacavit sedes diebus 30.

236. CLEMENS VIII. Florentinus, Hippolytus Aldobrandinus, creatus an. 1592. die 30. Januarii, sedit annis 13. mense 1. diebus 3. obiit an. 1605. die 3. Martii. Vacavit sedes diebus 27. Canonizavit S. Hyacinthum Polonum, Ordinis S. Dominici professorem. Et S. Raymundum de Pennafort. Damnavit opera Caroli Molinæi.

## SÆCULUM XVII.

237. LEO XI. Florentinus, Alexander Mediceus, creatus an. 1605. die 1. Aprilis; sedit diebus 27. obiit die 27. Aprilis. Vacavit sedes diebus 17.

238. PAULUS V. Camillus Borghesius Rom. creatus anno 1605. die 15. Maji; sedit annis 15. mensibus 8. diebus 13. obiit an. 1621. die 28. Januarii. Vacavit sedes diebus 10. Canonizavit S. Carolum Borromæum. Beatificavit S. Paschalem Baylon, S. Thomam a Villanova, & S. Franciscum Xaverium . . . . approbavit Congregationem Sacerdotum Oratorii Jesu ab Henrico Parisiensi Episcopo, & Maria Galliæ regina institutam.

239. GREGORIUS XV. Bononiensis, Alexander de Ludovisiis, creatus an. 1621. die 8. Febr.; sedit annis 2. mensibus 5. die 1. obiit an. 1623. die 8. Julii. Vacavit sedes diebus 29. Beatificavit S. Petrum de Alcantara Ordinis Minorum.

240. URBANUS VIII. Florentinus, Maphæus Barberinus, creatus an. 1623. die 6. Augusti; sedit annis 20. mensibus 11. diebus 23. obiit an. 1644. die 29. Julii. Vacavit sedes mense 1. diebus 16.

Canonizavit S. Philippum Nerium, S. Ignatium de Loyola, S. Franciscum Xaverium. Beatificavit Jacobum a Marchia Franciscanum, Andream Avellini Theatinum, Felicem de Cantalicio Cappuccinum ... suppressit prætensam Congregationem Jesuitissarum . . . . Decrevit quod non sit jejunandum in vigilia S. Joannis Baptistæ, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi. Cardinales *eminentissimos* vocari jussit, qui antea *illustrissimi* vocabantur.

241. INNOCENTIUS X. Joann. Baptista Pamphilius, creatus an. 1644. die 15. Septembris: sedit annis 11. mensibus 3. diebus 22. obiit an. 1655. die 7. Januar. Vacavit sedes mensibus 3.

242. ALEXANDER VII. Senensis, Fabius Chisius, creatus ann. 1655. die 7. April. sedit annis 12. mense 1. diebus 16. obiit an. 1667. die 22. Maji. Vacavit sedes diebus 29. Canonizavit S. Thomam a Villanova, & S. Franciscum Salesium.

243. CLEMENS IX. Tuscus, Pistoriensis, Julius Rospigliosus antea dictus, creatus an. 1667. die 20. Junii; sedit an. 2. mensibus 5. diebus 20. obiit an. 1669. die 9. Decembris. Vacavit sedes mensibus 4.

244. CLEMENS X. Rom. Æmilius de Alteriis, creatus an. 1670. die 29. April. sedit an. 6. mensibus 2. diebus 24. obiit an. 1676. die 22. Julii. Vacavit sedes mensibus 2. Canonizavit S. Petrum de Alcantara, & S. Rosam de Lima.

245. INNOCENTIUS XI. Novicomensis, antea Benedictus Odeschalchus, creatus an. 1676. 21. Sept. sedit an. 9. mensibus 10. diebus 22. obiit an. 1689. 12. Augusti. Vacavit sedes mense 1. diebus 25.

Christianorum Principum arma contra Turcas ingenti pecuniarum summa juvit, quibus ante Viennam devictis, in rei memoriam Festum SS. Nominis Mariæ quotannis celebrari jussit.

246. ALEXANDER VIII. antea Petrus Ottobonus, Venetus, creatus an. 1689. die 6. Octobris, sedit an. 1. mensis 3. diebus 18. obiit an. 1691. die 1. Februarii. Vacavit sedes mensibus 5. diebus 12.

247. INNOCENTIUS XII. Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, creatus an. 1691. die 12. Julii; sedit an. 9. mensibus 2. diebus 18. obiit an. 1700. die 27. Septembr. Vacavit sedes mense 1. diebus 26.

248. CLEMENS XI. Urbinas, Joannes Franciscus Albanus antea dictus, creatus an. 1700. die 23. Nov. sedit an. 20. mensibus 3. diebus 26. obiit an. 1721. die 19. Martii. Vacavit sedes mense 1. diebus 19.

Quamplures in Sinarum regnum, & alias orbis plagas, misit Evangelii Præcones & Pastores, quorum piis laboribus multi ab Ethnica superstitione ad CHRISTUM adducti, vel a schismate ad S. R. Ecclesiam revocati sunt . . . . duos Germaniæ Principes, scilicet Antonium Ulricum Ducem Brunswicensem ac Luneburgensem, & Fridericum Augustum Electoralem Saxoniæ Principem, a Lutheranis erroribus abduxit . . . . Canonizavit Pium V. P. M. Andream Avellini, Felicem de Cantalicio, & Catharinam Bononiensem.

## SÆCULUM XVIII.

249. INNOCENTIUS XIII. Rom. Michael Angelus *de Comitibus* antea dictus, creatus ann. 1721. die 8. Maji; sedit an. 2. mensibus 10. obiit an. 1724. die 8. Martii. Vacavit sedes mensibus 2. diebus 22.

250. BENEDICTUS XIII. Rom. Vincentius Maria Ursinus antea dictus, creatus an. 1724. die 29. Maji: sedit an. 5. mensibus 8. diebus 24. Vacavit sedes mensibus 8. diebus 24. Canonizavit Ss. Stanislaum Kostka, & Aloysium Gonzaga Societatis Jesu, S. Joannem a Cruce Ordinis Carmelitarum, Ss. Franciscum Solanum, & Jacobum a Marchia Ordinis Minorum, S. Agnetem a Monte Politiano in Tuscia, Joannem Nepomucenum, & Margaritam a Cortona. Beatificavit Fidelem a Sigmaringa, ac Vincentium a Paulo.

251. CLEMENS XII. Florentinus, Laurentius *Corsinus* antea dictus, creatus an. 1730. die 12. Julii; sedit an. 9. mens. 6. diebus 25. obiit an. 1740. die 6. Febr. Beatificavit Seraphinum de Asculo, & Josephum a Leonissa Cappuccinos.

252. BENEDICTUS XIV. Bononiensis, Prosper Lambertinus antea dictus, creatus an. 1740. die 17. August. sedit annis 18. mens. 9. dieb. 17. obiit 3. Maji 1758. De sacris Litteris, de Republica Christiana, & de Ecclesia, quam scriptis illustravit, optime meritus.

253. CLEMENS XIII. Patricius Venetus, Carolus Rezzonico antea dictus, creatus 6. Julii 1758. obiit 2. Februar. 1769.

254. CLEMENS XIV. Riminensis, Laurentius Ganganelli, creatus 19. Maji 1769. obiit 1775.

255.

255. PIUS VI. Cesænatensis, Joan. Angelus Braschius, creatus 15. Februarii 1775. In captivitate ductus obiit Valentiæ in Gallia die 29. Augusti 1799.

256. PIUS VII. Cesænatensis, Gregorius Barnabas Claramontius antea dictus, creatus Venetiis an. 1800. Pridie Idus Martii, obiit Romæ die 20. Augusti 1823. Vacavit sedes diebus 38.

257. LEO XII. Spoletanus, Hannibal de Genga antea dictus, creatus Romæ die 28. Septembris 1823. feliciter regnans, cui longa auspicamus tempora.

N.B. *Seriem hanc Editor implevit.*

## CAPUT V.

*De Conciliis.*

*Nota.* Agemus 1. De Conciliis in genere. 2. De Conciliis in specie, duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*De Conciliis in genere.*

Quæres 1. *Quid sit Concilium?*

*Resp.* Concilium, quod græce *Synodus* dicitur, definitur: *Congregatio Prælatorum Ecclesiæ legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ gravioribus*, quales sunt res fidei, morum, & disciplinæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit Conciliorum genus?*

*Resp.* Quadruplex, generale, scilicet, nationale, provinciale, & diœcesanum, quod communiter vocatur *Synodus*.

Concilium *generale*, est congregatio, ad quam omnes totius orbis Episcopi convocantur a Romano Pontifice, cui per se, vel per suos legatos, præsidet. Vocatur *œcumenicum*, quando convocatione, celebratione, & exitu legitimum est.

Concilium *nationale*, est congregatio omnium unius regni, aut nationis, Episcoporum, præsidente Patriarcha, aut Primate.

Concilium *provinciale*, est congregatio Episcoporum unius Provinciæ, præsidente Archiepiscopo.

Concilium *diœcesanum*, est congregatio Presbyterorum unius Diœcesis, præsidente Episcopo.

*Nota.* Quæ de Conciliis in genere dicenda habemus, pro ratione amicæ brevitatis, in tribus articulis coarctabimus, quorum *Primus* erit de conditionibus requisitis in Concilio generali ut sit legitimum, & vere œcumenicum. *Secundus* de Conciliorum auctoritate. *Tertius* de Conciliorum necessitate.

### ARTICULUS I.

*De conditionibus requisitis in Concilio generali, ut sit legitimum, & vere œcumenicum.*

*Nota.* Ad perfectam Concilii generalis œcumenicitatem tria requiritur, nimirum, legitima convocatio, legitima celebratio, legitimus exitus, tribus paragraphis examinanda.

### §. I. *De legitima Conciliorum convocatione.*

Quæres 1. *Cujus sit Concilium generale convocare?*

*Resp. Potestas ordinaria convocandi Concilia generalia Romano Pontifici competit*, ita ut, nisi Concilium ab ipso convocetur, vel ab alio de ejus consensu & auctoritate, aut saltem nisi convocatio, ab alio facta, ab ipso rata habeatur, non possit esse concilium generale & œcumenicum. Responsio est contra hæreticos modernos, qui docent convocationem Conciliorum generalium pertinere ad Imperatorem, vel generalius ad Principes sæculares.

*Prob.* 1. Ex Conc. Nicæno I. can. 1. (*Refertur a Curanza ex Epist. Julii I.*) ubi hæc veritas expresse definita est: *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Unde Episcopi Ægyptii ad Felicem II. scripserunt: „ Scimus „ in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab „ omnibus concorditer esse roboratum, non debere „ absque Romani Pontificis sententia Concilia cele„ brari “.

*Prob.* 2. Ex definitionibus SS. PP. Marcelli (*Cap. Synodum dist.* 17.) dicentis: *Synodum generalem* (addit glossa) *Episcoporum, absque hujus S. Sedis auctoritate, non potestis regulariter facere.* Et Pelagii II. qui scribens ad Episcopos, qui convocaverant ad illicitam convocationem Joannis Constantinopolitani, ait (*Cap. Multis Dist.* 17.) „ Mul„ tis denuo Apostolicis, Canonicis, atque Ecclesia„ sticis instruimur regulis, non debere absque sen„ tentia Romani Pontificis Concilia celebrari, qua„ propter non Concilium, sed vestrum Conciliabu„ lum cassatur, & quidquid in eo actum est, irri„ tum habetur & vacuum “. His accedit perpetuus Ecclesiæ usus & praxis.

*Prob.* 3. *ratione in Scripturis fundata:* illi soli competit potestas ordinaria convocandi Concilia, qui solus est universalis Ecclesiæ caput, Pastor, & Princeps; atqui solus Rom. Pontifex est talis; ergo, &c. *maj. est certa*, nam illius est convocare Concilia generalia, qui ita potest convocare omnes totius orbis Episcopos, ut illis interesse debeant, secluso legitimo impedimento; atqui solus Romanus Pontifex id potest, qui solus habet supremam in omnes totius orbis Episcopos auctoritatem spiritualem. Imperatores vero, vel Reges non habent nisi auctoritatem mere civilem in Episcopos sibi subditos; ergo *min. non minus constat:* soli enim Petro, non Imperatori, vel Regibus, dixit Christus: Joann. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ergo.

*Objicies* 1. Priora Concilia generalia, non a Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuerunt convocata; & tamen habentur ut legitima & œcumenica; ergo, &c.

*Resp. dist. antec.* Fuerunt convocata ab Imperatoribus proprio suo nomine, & auctoritate, *nego ant.* auctoritate & consensu Romanor. Pontificum a quibus erant rogati, *conc. ant.* Tali porro œconomia usi sunt Rom. Pontifices, quia sine Imperatorum auxilio non potuissent Episcopos congre-

ga-

gare 1. quia legibus Imperii cautum erat, metu seditionum, ne citra Imperatoris auctoritatem, ullus fieri posset hominum conventus; 2. quia Patres ad Concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio tam pro securitate itineris, quam pro sumptibus necessariis, quos Imperatores Episcopis, utpote pauperibus, debebant suppeditare.

*Inst.* Atqui Imperatores priora Concilia convocarunt auctoritate propria; ergo.

*Prob. ant.* Concil. Nicænum I. fuit convocatum a Constantino Magno, de quo dicit Rufin. (*Libro* 10. *histor. cap.* 1.) *Ille apud urbem Nicænam Episcopale Concilium convocat.* Constantinopolitanum I. a Theodosio seniore (*Socrat. libro* 5. *histor. cap.* 8.). Ephesinum a Theodosio juniore (*Evagrius lib.* 6. *histor. cap.* 3.). Et Chalcedonense a Marciano, ut testatur ipsa Synodus actione 1. „ Nomine Domini „ nostri Jesu Christi in Chalcedonia civitate facta „ est Synodus ex decreto piissimorum Imperatorum „ Valentiniani & Marciani. " Ergo.

*Resp. nego ant.* Namque 1. Concil. Nicænum I. convocatum est a S. Silvestro, ut testantur Patres illius Concilii, his verbis: „ Temporibus S. Syl- „ vestri... factum est magnum Concil. in Nicæa „ Bithiniæ, & congregati sunt regulariter ejusdem „ Sylvestri vocatione in idipsum 318. Episcopi Ca- „ tholici. " Quam veritatem ut everterent hæretici, mutilarunt textum Rufini, qui sic est: „ Ille ex sententia sacerdotum & Sylvestri, &c. "

2. Constantinop. I. fuit convocatum a Theodosio seniore, annuente Damaso Papa, ut patet ex Epistola Patrum illius Synodi ad Damasum (*Refertur a Theodoreto, libro* 5. *cap.* 9.) „ Mandato littera- „ rum a superiore anno ad sanctiss. Imperatorem „ missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim us- „ que faciendum, nos præparavimus. "

3. Concil. Ephes. fuit convocatum a Theodosio juniore de consensu Cælestini Papæ id constat ex ipso Concilio, Act. 3. dicente in relatione missa ad Imperatorem: „ Antequam hæc S. Synodus conveni- „ ret, Cælestinus magnæ Romæ Episcopus per litte- „ ras suas indicaverat, Cyrilloque ut suas vices obi- „ ret, commiserat. "

4. Concil. Chalced. fuisse a S. Leone convocatum declarat ipse Marcianus Imperator Epist. ad eum scripta (*Tomo* 2. *Concil. inter præambul. ad Concil. Chalcedon.*), in qua ait: „ Omni impio errore sub- „ lato per celebrandam Synodum te authore, *&c.* „ *cui rescribens S. Leo, ait:* Litteras dedimus ad „ fratres & Coepiscopos nostros, iisque Conc. ge- „ nerale indiximus. "

*Objicies* 2. Possunt dari casus, in quibus convocatio Concilii generalis sit necessaria, v. g. 1. si plures de Papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec Concilium convocare. 2. Si Papa, ut privata persona, sic hæreticus, nec monitus velit ad saniorem mentem redire, nec Concilium convocare; atqui, in illis casibus, alii quam summus Pontifex possunt convocare Concilium generale; ergo non soli Romano Pontifici competit potestas convocandi Concil. generalia.

*Resp. dist. conseq.* Non soli R. P. competit potestas ordinaria, &c. *nego conseq.* extraordinaria, *conc. conseq.* Porro casus allegati sunt extraordinarii, in quibus fatemur, posse absque authoritate vel consensu Papæ congregari Concilium, vel per Cardinales, qui, sede vacante, Romanam Ecclesiam moderantur, vel per Episcopos motu proprio in unum convenientes, & ideo dixi in prop. *Potestas ordinaria.*

Quæres 2. *Quinam sunt ad Concilia vocandi?*

*Resp.* „ De jure soli Episcopi ad Concilia sunt „ vocandi, illique soli in eis habent jus suffragii „ decisivi tamquam judices fidei. " Est contra Lutherum dicentem omnes eruditos, sive Clericos, sive Laicos, ad Concilia convocandos, ac in eis omnes habere jus suffragii decisivi.

*Prob.* Illi de jure ad Concilia sunt vocandi, quorum est definire quæ credenda sunt & agenda; atqui solorum Episcoporum est ista definire; ergo, &c. *Prob. minor.* Illorum est definire, quæ credenda sunt & agenda, ad quos pertinet munus pascendi & regendi Ecclesiam Dei; atqui hoc pertinet ad solos Episcopos, quibus solis dictum est: „ Pascite qui „ in vobis est gregem Dei (1. *Petri* 5.); &, atten- „ dite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus „ sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; (*Actor.* 20.) ergo, &c. "

*Confirm.* 1. Ex Tradition. Patrum unanimi consensu docentium Concilia esse *Conventus Episcoporum* (*Cap. Synodum Dist.* 17.), *Episcoporum esse in Conciliis decernere* (*Cyprian. Epistol.* 73. *ad Jubajan. Ambr. Epist.* 3. *& alii*).

*Confirm.* 2. Ex Concil. generalibus hactenus celebratis, quibus soli Episcopi tanquam judices reperiuntur subscripsisse, his verbis: *Ego N. Episcopus definiens subscripsi.* Unde Ægyptii in Conc. Chalced. dixerunt: " Synodus Episcoporum est, non „ Clericorum, superfluos foras mittite... Imperator „ Episcopos vocavit.

Dixi in resp. *de jure*, quia obtinuit consuetudo ut ad Concilia vocentur: 1. Cardinales, Generales Ordinum, & aliqui Abbates, quibus, ex privilegio Summi Pontificis, conceditur suffragium decisivum; ut factum est in Conciliis Florentino, Lateranensi & Tridentino; 2. Theologi & jurisperiti, sed tantum ut consultores; unde signant: *Ego N. consentiens subscripsi.* 3. Imperator, Reges, Principes, non quidem ut fidei & morum judices, cum nullam habeant potestatem Ecclesiasticam, sed ut Concilii defensores, & decretorum quæ in illo fiunt, testes, ut ita libentius ea executioni mandari curent, & transgressores pœnis coerceant; unde non definiendo, ut Episcopi, sed præcise consentiendo subscripserunt.

*Objicies* 1. In Conc. Apostolorum Act. 15. dicitur: *Convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc;* atqui per tò, *seniores*, intelliguntur ætate provectiores qui erant Laici; &c.

*Resp.* 1. *nego min.* Nam per tò, *seniores*, intelligi debent, *Presbyteri*, sic enim vertunt translatio ex Syriaco, & translatio Erasmi Roterodami permissa. Et quamvis non sit certum, an Presbyteri illi fuerint sacerdotes simplices, an Episcopi, probabile tamen est quod fuerint Episcopi, quomodo ipse D. Petrus (*Petri, c. ult. v.* 1.) per hanc vocem, *Presbyteri*, intelligit Episcopos dicens: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior*, &c.

*Resp.* 2. Supposito quod per tò, *seniores*, intelligantur simplices sacerdotes, *dist.* convenerunt Apo-

stere & seniores videre de verbo hoc eodem modo, *nego*; diversimode, *conc.* convenerunt enim Apostoli ut judices ad definiendum; Presbyteri vero, ut consultores ad discutiendam controversiam, juxta illud: *Cum magna disquisitio fieret*, sed nullo modo apparet quod Laici fuerint vocati.

*Inst.* 1. Act. 15. vers. 22. dicitur: *Placuit Apostolis & senioribus, cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis & mittere Antiochiam*. Atqui per illa verba, *Cum omni Ecclesia*, intelligitur multitudo fidelium qui erant in Concilio; ergo.

*Resp. dist. min.* Per tò, *Cum omni Ecclesia*, intelligitur multitudo fidelium, qui erant in Concilio tanquam motu proprio præsentes, ut definitioni acquiescerent, *conc.* tanquam judices & convocati, *nego min.* Nam illa missio facta est a solis Apostolis & Episcopis, qui soli etiam scripserunt Epistolam quæ sic incipit, *Apostoli & Seniores fratres*, per quam etiam innuitur, per tò, *seniores*, Episcopos fuisse designatos, qui soli sunt Apostolorum fratres, cum simplices sacerdotes sint eorum filii.

*Inst.* 2. Concilium universale universam repræsentat Ecclesiam; sed Ecclesia est omnium fidelium cœtus; ergo ut Conc. sit universale, debet moraliter convenire fidelium multitudo.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Concil. universale universam repræsentat Ecclesiam, per primos Ecclesiæ pastores, *conc. maj.* per alios fideles, licet doctos, *nego maj.* illos enim, non hos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Sic enim deberet concludere Lutherus; ergo ut Conc. sit generale, debet repræsentare omnem fidelium cœtum; porro repræsentatur per corpus Pastorum, nam quilibet Episcopus personam gerit suæ Ecclesiæ, quo sensu D. Cyprian. *Ep.* 69. dixit: *Ecclesia est in Episcopo*. Unde D. Aug. lib. 1. de Bapt. c. 18. asserit Concil. plenarium, in quo soli sederunt Episcopi, esse totius orbis consensum.

*Objicies* 2. Causa communis, ab omnibus tractanda est, juxta Regul. 19. juris in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*. Atqui causa fidei communis est omnibus fidelibus; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quando eodem modo ad omnes pertinet, *conc. maj.* Porro causa fidei pertinet ad omnes, sed diverso modo, nam pertinet ad Episcopos ut judices; ad alios fideles, ut discipulos; Episcoporum ergo est definire & docere; fidelium vero, definientes audire, & res ab eis definitas credere.

*Inst.* Quidam Laici doctiores sunt pluribus Episcopis; ergo in Conciliis habere possunt suffragium.

*Resp. dist. conseq.* Habere possunt suffragium consultativum, & doctrinale, *conc.* suffragium decisivum, *nego conseq.* nam ut quis in Conciliis suffragium ferat decisivum, non sufficit, ut sit doctus, sed insuper requiritur ut habeat jurisdictionem, per quam solam fidelibus imponi potest obligatio rebus definitis obsequium præstandi; porro Laici nullam habent in Ecclesia jurisdictionem.

§. II. *De legitima celebratione Conciliorum*.

Quæres 1. „ An ad Concil. generale requiratur, „ ut omnes omnino totius orbis Episcopi conve- „ niant ad locum Concilii? "

*Resp. nego*. Nam juxta Ecclesiæ doctrinam & declarationem Canonum (*Can. Sancta, dist.* 16.) plura habita sunt Concilia generalia; at nullum reperitur, cui omnes totius orbis Episcopi interfuerint; ergo.

Quæres 2. „ Quis ergo numerus Episcoporum re- „ quiritur, ut Concilium censeatur, & sit generale? "

*Resp.* Non requiritur certus & determinatus Episcoporum numerus: nam in Conciliis, quæ omnes agnoscunt pro generalibus, modo plures, modo pauciores Episcopi interfuisse reperiuntur, ut ex infra dicendis patebit.

Requiritur ergo, & sufficit 1. ut convocatio sit generalis, ita ut omnibus majoribus Ecclesiæ Provinciis innotescat... 2. Ut nullus Episcopus excludatur, nisi sit excommunicatus ... 3. Ut ex majori parte Provinciarum Ecclesiæ, aliqui adveniant, qui cæterorum vota & vices suppleant; ita tamen, ut si Concilium celebretur in Oriente, sufficiat multos ex Provinciis Orientis convenire, & aliquos ex Provinciis Occidentis; si autem celebretur in Occidente, sufficiat, si multi ex Provinciis Occidentis adveniant, & aliqui ex Oriente qui cæteros repræsentent.

*Dices*: Glossa (*In cap.* 1. *dist.* 17.) ait: *Universale Concilium est quod a Papa, vel ejus Legato cum omnibus Episcopis statuitur*: ergo ad hoc ut Concil. sit universale, requiritur ut omnes Episcopi conveniant.

*Resp. dist. conseq.* Requiritur ut omnes conveniant repræsentative, *conc. conseq.* personaliter, *nego*. Qui autem adsunt Episcopi personaliter, absentium personas repræsentant.

Quæres 3. *Cujus sit præsidere Concilio generali?*

*Resp.* „ Soli Rom. Pontifici competit ejus Con- „ cilio generali presidendi, vel per se, vel per „ suos Legatos. " Est contra Luther. & Calvinum qui docent hoc jus pertinere ad Imperatorem.

*Prob.* Ille solus, ex divina institutione, habet jus præsidendi Conciliis, qui solus ex eadem institutione primatum obtinet in universa Ecclesia; atqui solus S. Pontifex est talis; ergo.

*Confirm.* Ex perpetua Conciliorum praxi: namque.

1. In Conc. Apostolorum, Act. 15. Petrus præsedit; nam *cum magna disquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis* &c. ad quæ verba Glossa sic habet: *Præ omnibus quasi Princeps loquitur*.

2. In Conc. Nicæno I. præsedit S. Sylvester per suos legatos Osium Cordubensem Episcopum, Vitum & Vincentium Presbyteros, qui primi omnium etiam ante Patriarchas, subscripserunt.

3. In Concilio Costantinop. I. quidem non præfuit Damasus, nec per se suos legatos, quia tunc temporis aliud Romæ Concilium Episcoporum Occidentis in eadem causa celebrabat; sed observandum est Concilium Constantinopol. cum celebrabatur

tur, non fuisse generale, sed solius Orientis Ecclesiæ Concilium, nec postea œcumenicum evasisse, nisi quia Damasus illius decreta approbavit, & ei cum suo Occidente Concilio, cui per se præsederat, accessit.

4. In Concilio Ephesino, Cælestinus I. per S. Cyrillum Alexandriæ Patriarcham præfuit, ut constat ex omnibus Historicis, & ex his hujus Synodi verbis, *Cyrillo Alexandrino præsidente, & locum tenente sanctissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Cælestini*.

5. In Concilio Chalcedonensi, S. Leo præsedit per suos legatos, id constat ex Patribus Concilii in Epistola ad Leonem summum Pontificem, in qua sic eum alloquuntur: *Tu quidem, sicut caput membris, præeras in his qui tuas vices obibant, Imperatores vero ad ornandum decentissime præsidebant*. Et ex subscriptionibus quæ sic leguntur. *Ego Paschasinus, vice Domini mei Papæ Leonis Synodo præsidens, subscripsi*. Unde Marcianus Imperator, actione 6. Concilii, dicit: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus*.

6. In Concil. Constantinop. II. præsedit Vigilius Papa per Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, qui sic ad Vigilium scripsit: *Petimus, præsidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri;* cui rescripsit Vigilius: *Annuimus, ut de tribus capitulis, facto regulari Conventu cum unitis fratribus, collationem habeamus*. Et Zonaras, in vita Justiniani, scribit: *Sub hoc*, Eutychio, *Concilium V. est coactum 165. Patrum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus*.

7. In Concilio Constantinop. III. præfuit Agatho per suos legatos Theodorum & Gregorium Presbyteros, & Joannem Diaconum, qui semper ante Episcopos nominantur in Actis illius Concilii, cui primi subscripserint ante Episcopos & Imperatorem, qui ultimus subscripsit, non definiens, sed definitioni latæ *consentiens*. Unde Patres illius Concilii, in sermone ad Imperatorem, qui aderat, dixerunt, *Petrus per Agathonem locutus est*.

8. In Concilio Nicæno II. præsedit Hadrianus I. per suos legatos, Petrum Archipresbyterum, & alterum Petrum Presbyterum S. Sabbæ Abatem; nam hi in omnibus actionibus primi nominantur, & definitionibus subscribunt ante omnes Patriarchas, sic, *Petrus, vices agens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi*.

9. In Concil. Constantinop. IV. præsedit Hadrianus II. per suos legatos, Donatum & Stephanum Episcopos, & Macerium Diaconum, qui primi sub scripserunt sub hac forma: *Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Ostiensis, locum obtinens Domini mei Hadriani Pontif. & universalis Papæ, huic sanctæ & universali Synodo præsidens ... manu propria subscripsi*. Postea Imperator subscripsit sub hac forma: *Sanctam hanc & universalem Synodum suscipientes ... subscribimus manu propria*.

10. Cæteris omnibus Conciliis generalibus, Romanos Pontifices per se, vel per suos legatos, præsedisse, constat ex eorum Actis, fatenturque Hæretici.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Constantinus Magnus Conc. Nicæno I. præsedit, ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam Eusebius (*L. 3. de vita Constantini cap. 13.*) testatur Constantinum, postquam orationem suam ad Episcopos habuit, *sermonem omnem deinceps Concilii Præsidibus concessisse;* ergo non ipse fuit Præses Concilii.

*Objicies* 2. Constantinus Pogonatus præsedit Concilio VI. Constantinopol. III. nam initio actionum ejus hæc de eo leguntur: *præsidente eodem piissimo & Deo dilecto Magno Imperatore Constantino;* ergo.

Resp. *dist. ant.* Constantinus præsedit Concilio VI. præsidentia honoraria, juxta quam ille dicitur præsidere qui primo loco sedet, *conc. ant.* præsidentia authoritativa, juxta quam ille dicitur præsidere qui ex authoritate primus loquitur, primusque definit ac subscribit, *nego ant.* Equidem quandoque Imperatoribus concessa est honoraria præsidentia, ut Concilium authoritate sua tuerentur, pacemque in eo conciliarent, nunquam vero ulli Imperatori concessa est præsidentia authoritativa. Unde non alium sibi in Concilio titulum vindicavit Constantinus, quam defensoris & executoris eorum, quæ ab Episcopis statuta fuissent; ait enim in suam ad Gregorium Papam Epistola: *Neque cum illis* (nempe Episcopis) *tanquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis, & prout statuerint Pontifices, ego exequar*.

*Inst.* 1. Ille præsedit præsidentia authoritativa, qui habet jus confirmandi decreta Concilii; atqui Imperator habet tale jus; ergo, &c.

*Prob. min.* Ex Patribus Concilii Constantinopol. I. qui a Theodosio seniore postulant rerum in Concilio gestarum confirmationem: *Cupimus a te*, inquiunt, *piissime Imperator, tuo diplomate, Synodi sententiam confirmari*, &c. Ergo Imperator habet jus confirmandi decreta Conciliorum.

Resp. *dist. ant.* Postulant ab Imperatore rerum gestarum confirmationem, qua Acta Concilii intrinsecam authoritatem accipiant, *nego ant.* ut executioni mandetur, & authoritate Cæsarea definitionibus rebelles coerceantur, *conc. ant.* Igitur per eam confirmationem Imperatores non exhibuerunt se judices rerum ecclesiasticarum, sed executores decretorum, quæ a Conciliis sancita fuerant.

*Inst.* 2. Conc. Chalced. aliqui judices, non a Rom. Pontifice, sed ab Imperatore, fuerunt constituti; ergo.

Resp. *dist. ant.* Aliqui judices ab Imperatore constituti fuerunt, ad definiendum & judicandum authoritative, *nego ant.* ad impediendum fraudes, tumultus & violentias, *conc. ant.* quoniam in Conciliabulo Ephesino Dioscorus Episcopus milites introduxerat, sicque varios Episcopos vi ad subscribendum coegerat, quando deinceps quid simile poterat timeri, adhibiti fuerunt judices laici ad hoc avertendum, & pacem in Synodo conciliandam: hoc clarum est ex iis quæ constituti judices in Conc. Chalced. actione 5. dixerunt: *Dignetur S. Synodus fidem continens, cum taciturnitate audire, quæ decreta sunt;* (non dicunt a nobis, sed) *in præsentia nostra, a congregatis SS. Patribus, qui & definitionem fidei interpretati sunt*.

§. III. *De legitimo exitu Conciliorum.*

Quær. *Quid requiritur ad legitimum Conc. exitum?* Resp. Requiruntur quatuor . . . 1. Ut Episcopi convocati, habeant suffragiorum libertatem, nec metu, violentia, ærumnis, comminationibus vexentur: defectu hujus conditionis Concil. Ephesinum II. Latrocinii nomine solet infamari.

Requiritur ut nullus a Concilio excludatur, qui audiri voluerit, atque Hæreticis ipsis detur licentia opiniones suas proponendi ac tuendi, ut constat ex Concilio Jerosolymitano, *Act.* 13. quod formam & exemplar præbuit cæteris subinde celebrandis Conciliis, ad quod missi sunt plures, tum ex parte Catholicorum, tum ex parte Cerinthi & aliorum Judaizantium, qui de controversia in causa legalium inter se disceptarent, nam, *statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam ex aliis*, id est, ex eis, qui *docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.*

3. Requiritur ut adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate, quomodo in Concil. Apostolorum, Act. 15. legimus factum: *cum autem magna conquisitio fieret;* ratio est, quia Episcopis in Concilio congregatis non fit nova revelatio, sed debent in purissimis Scripturæ & traditionis fontibus detegere quæ habent fidelibus proponenda; atqui ad detegendas & illustrandas veritates in Scriptura & traditione, quandoque subobscure contentas, requiruntur ordinaria media industriæ, studii, collationum, disputationum; ergo.

4. Requiritur ut Concilium approbetur & confirmetur a Romano Pontifice, quod ita necessarium est, ut ea sola Concilia habeantur œcumenica, quæ sunt ab eo approbata & confirmata; illa vero, quæ a summo Pontifice non fuerunt approbata, ab universa Ecclesia pro illegitimis habeantur: juxta, *cap.* significasti, *de elect.* ubi Paschalis Papa dicit: *omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem robur accepisse.*

Hinc Concilia semper . . . solita fuerunt suorum decretorum confirmationem petere a summo Pontifice; sic Conc. Nicæni I. Patres scripserunt S. Sylvestro, „ Quidquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio firmetur; *quibus respondit summus Pontifex*: Confirmo . . . . . . meumque Chirographum offero in vestro S. Concilio una parem dare consensum ": sic Patres Chalcedonenses S. Leoni scripserunt: „ Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum quæ a nobis gesta sunt confirmationem, firmitatem & consonantiam ". Similiter factum est in aliis Conciliis, ut testatur Leo X. sess. 11. Conc. Lateranensis: „ Consueverunt antiquorum Conciliorum Patres, *inquit*, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a Rom. Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere & obtinere, prout in Nicæna & Ephesina, & Chalcedonensi, & VI. Constantinopolitana, & VII. eadem Nicæna . . .earumque gestis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat ". Ita etiam docet Mauclerus Doctor Parisiensis (*l.* 3. *de Monarch. Eccles. p.* 2. *c.* 10. *fol.* 455.), his verbis: „ Neque satis est, quod Concilia generalia ab omni erroris labe immunia sint & libera, ut a Romani Pontificis authoritate congregentur; nisi ab eo congregata confirmentur, veræ fidei claritatem in se retinere, & infallibilis veritatis decus sibi firmiter inviolabile servare non valebunt ". Quam doctrinam probarunt octo Doctores Sorbonici.

## ARTICULUS II.

*De Conciliorum authoritate.*

### CONCLUSIO I.

*Concilium perfecte œcumenicum a Rom. Pontifice approbatum & confirmatum, est omnino infallibile in fidei & morum controversiis definiendis.* Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas.

*Prob.* 1. Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, est infallibilis in fidei & morum controversiis definiendis; atqui Concilium perfecte œcumenicum Ecclesiam universam repræsentat, ejusque omnem authoritatem habet; ergo. Hinc D. Aug. (*L.* 1. *de Bapt. contra Donat. cap.* 18.) asserit *plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ consensionem esse.* Et Martinus V. in Concilio Constantiensi de hæresi suspectos jubet interrogari, *utrum credant quod Concilium generale universam Ecclesiam repræsentet.* Ergo.

*Prob.* 2. Definitioni Spiritus sancti impossibile est subesse falsum; atqui definitio Concilii perfecte œcumenici, est ipsamet Spiritus sancti definitio, juxta illud in Concil. Jerosolymitano assertum: *Visum est Spiritui sancto & nobis:* ergo. Jure itaque S. Greg. Magnus (*Epist.* 15. *ad Joann. Episc. Antiochen.*) ait: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.*

*Confirm.* Ex perpetua traditione & sensu Ecclesiæ, quæ Conciliorum œcumenicorum definitiones ut irreformabiles & infallibiles semper venerata est, quæque pro hæreticis habuit quotquot eorum definitionibus contradixerunt.

*Objicies* 1. Illa Concilia non sunt infallibilia, ex quibus firmum non potest erui veritatis argumentum; atqui, &c.

*Prob. min.* Concilium Nicænum I. est perfecte œcumenicum; atqui ex illo non potest erui firmum veritatis argumentum; ergo.

*Prob. min.* Ex D. August. qui lib. 3. contra Maximum, ait: „ Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris ". Ergo.

Resp. *nego conseq.* Non enim sic loquitur D. Doctor, quod ex Conc. Nicæno non potuerit argumentum desumere omnino certum, cum ibidem dicat: „ Hoc est illud homousion, quod in Conc. Nicæno adversus Arianos a Catholicis Patribus veritatis authoritate & authoritatis veritate firmatum est ". Sed sic loquitur, quia frustra laborasset, si authoritate Concilii Nicæni premere voluisset Maximinum, qui illud Concilium rejiciebat ut illegitimum, & Conciliabulum Ariminense admittebat ut legitimum. Cum ergo Augustino tunc non esset opportunum demonstrare legitimum fuisse Concilium Nicænum, Ariminense vero illegitimum, prudenter judicavit supersedendum esse actis utriusque Concilii ut contro-

ver-

versiam Sacræ Scripturæ momentis prosequeretur, Arianumque errorem confoderet.

*Inst.* D. Aug. l. 2. de Bapt. cap. 5. asserit *Plenaria Concilia priora a posterioribus emendari posse:* atqui quod potest emendari est errori obnoxium: ergo.

Resp. *dist. maj.* Emendari possunt Concilia priora per posteriora, in iis quæ sunt fidei, *nego*, fides enim essentialiter est invariabilis in iis quæ sunt facti aut disciplinæ, quæ rerum experimento cognoscuntur, *conc. ant.* Unde D. Aug. addit: *Cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat:* quod certe ad fidei & morum veritatem non spectat, quæ non rerum experimento, sed verbo Dei scripto & tradito innotescunt.

*Objicies* 2. Div. Gregorius Nazianzenus, (*Epist. 55. ad Procop.*) dicit: „ Hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem & incrementum habuerit. Ergo. "

Resp. *nego conseq.* Nec enim ibi D. Greg. de Conciliis legitimis loquitur, unicum enim suo tempore erat celebratum, nempe Nicænum, quod magnis commendat laudibus Orat. 32. dicens: „ Nicænæ Synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur; hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum. " Et ipse Concilio Constantinopolitano I. interfuit, in quo orationem habuit; loquitur ergo de Conciliis illegitimis sub Constantio Imperatore Ariano celebratis, in quibus ab Arianis non fuit relicta suffragiorum libertas: talia fuere Concil. Ariminense, Mediolanense, & plura Concilia particularia, quæ Gregor. Nazianzeni tempore apud Orientales, contradicentibus Episcopis Occidentalibus, habita sunt. Quare a Procopio ad aliquod non absimile Concilium vocatus, seipsum excusat, atque obtendit tum infirmam suam valetudinem, tum infelicem exitum Conciliorum particularium, a quibus factio Ariana prævaluerat.

*Objicies* 3. Multa Concilia generalia, pro legitimis ab omnibus recepta, erraverunt in fide; ergo.

*Prob. ant.* Namque 1. Concilium Nicænum I. *Can.* 12. damnat eos qui ad militiam redeunt. Et, *Can.* 19. statuit baptizatos ab Hæreticis iterum debere baptizari.

2. Concil. Constantinopolitanum II. a pluribus, iisque magnis, Ecclesiis (præsertim Gallicana) longo tempore non fuit receptum, quæ tamen ob id universæ Ecclesiæ communione privatæ non fuerunt; ergo tunc temporis persuasum non fuit, Concilia generalia, etiam legitima, esse infallibilia.

3. Concilium Nicænum II. definivit eumdem cultum, eamdemque adorationem imaginibus tribuendam ac SS. Trinitati; atqui hoc est hæreticum.

4. Canones Trullani continent varios errores; nam, *Can.* 2. recipiuntur Canones 85. Apostolorum quos Gelasius (*Cap. Sancta Romana dist. 15.*) declaravit apocryphos, item recipitur Concilium sub Cypriano habitum de rebaptizandis hæreticis; atqui Canones illi in Concilio VI. œcumenico fuerunt editi: ergo.

5. Concilium Tridentinum nec ab Ecclesia Græca, nec a variis Occidentis Ecclesiis, maxime Gallicana, est receptum; ergo Concilia œcumenica non censentur infallibilis authoritatis: alias nullus posset, absque hæreseos nota, eorum definitionibus refragari.

Resp. *nego ant.* & quidem *ad primum* dico, quod Concilium Nicænum I. non damnavit indistincte eos qui militiæ sæculari nomen dant, sed eos solummodo, qui, cum deposuissent cingulum militiæ in signum abdicationis idololatriæ, redibant ad militiam, quod erat signum reversionis ad idololatriam, de quibus ideo dicit Concilium, quod *ad proprium vomitum sunt relapsi* .... 2. Non docuit universim quod baptizati ab hæreticis sunt rebaptizandi; sed hoc tantum dicit de Paulianistis, qui invalide baptizabant: *Quia*, inquit Innoc. I. (*Epist. 22. de Patribus Nicænis*) *Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant.*

Resp. *ad* 2. *nego conseq.* Non enim illæ Ecclesiæ V. restitere Concilio, quod dubitaverint de infallibili authoritate Concilii perfecte œcumenici, sed quod, errore facti, crediderint illud Concilium non fuisse œcumenicum, cujus œcumenicitas, ut fuit a majori parte Ecclesiæ comperta, a nullo, absque hæreseos nota, rejici potuerunt ejus decreta.

Resp. *ad* 3. *nego maj.* Nam Patres Nicæni decreverunt sacris Imaginibus exhibendum esse duntaxat cultum relativum, *Typum Crucis adorantes*, ajunt actione 4. *non naturam ligni adoramus .... sed per hoc, eum qui in illo crucifixus est, salutamus & adoramus.*

Resp. *ad* 4. *nego min.* Nam Concilia V. & VI. nullos Canones ediderunt, ut Græci ad Justinianum Imperatorem scripserunt, (*cap. Quoniam, dist. 16.*) his verbis: *Quoniam sanctæ & universales Synodi V. sub Justiniano Augusto, VI. sub Constantino patre tuo Augusto de mysteriis fidei plenissime disputantes, Canones non fecerunt, sicut cæteræ quatuor universales Synodi, propterea non convenientes in hanc imperialem urbem sacros Canones conscripsimus.* Illi ergo Canones conditi fuerunt a solis Orientalibus, qui, post absolutam VI. Synodum, ex solius Justiniani convocatione, convenerunt in Palatium, quod *Trullus* vocabatur, ibique Concilium habuerunt, quod *Quinisextum* dicitur, atque sub prætextu supplendi Synodos V. & VI. Canones 102. ediderunt; sed quoniam Rom. Pontifex, neque per se, neque per suos legatos adfuit, nec istos Canones unquam approbare voluit, ideo illi Canones non habent authoritatem Concilii generalis.

*Inst.* 1. Hadrianus Papa approbavit Canones Trullanos, *Sextam Synodum*, ait, (*cap. Sextam, dist. 17.*) *recipio cum omnibus canonibus suis.* Ergo pertinent ad VI. Synodum & sunt approbati.

Resp. *nego ant.* Nam licet illa verba, in Epistola Hadriani ad Tharasium Constantinopolitanum, reperiantur, ea tamen referri non ut sua, sed ut verba Tharasii, inserta in Epistola Synodica quam ad Hadrianum misit; fallitur ergo Gratianus, cum illa tribuit Hadriano.

*Inst.* 2. Hadrianus, *in sua ad Tharasium Epistola*, citat Canonem 82. quem approbat, & in quo cultus Imaginum fuit assertus; ergo illi Canones sunt approbati.

Resp. *nego conseq.* Nam Hadrianus non ideo citat illum Canonem, quod aliquid authoritatis habeat ex Concil. Trullano, sed quod contineat veritatem ab Ecclesia Romana approbatam: porro veritas, ubicumque reperiatur, recipienda est.

*Ad*

*Ad 5. resp.* Concil. Tridentinum in fidei, morumque decretis, ab omnibus Ecclesiis orthodoxis fuisse admissum, licet non sit admissum ab Ecclesia Gallicana in his disciplinæ particularis capitibus, quæ aut temporalem administrationem spectant, aut antiquas suas consuetudines lædunt, idque ex SS. Pontificum assensu, saltem tacito, ut asserit Paulus a Lugo hic.

*Objicies* 4. Concilia generalia non possunt esse fidei & morum nostrorum regula, ergo.

*Prob. ant.* Ut Concilia generalia sint fidei & morum regula, deberet nobis certo constare ipsa esse perfecte œcumenica; atqui id nobis constare non potest; ergo.

Resp. *nego min.* Et dico œcumenicitatem Concilii nobis constare 1. Ex fide humana certissima, nam contemporanei scriptores id unanimiter testantur. 2. Ex judicio præsentis Ecclesiæ, quæ, cum sit *columna & firmamentum veritatis*, est infallibilis in agnoscenda fidei suæ regula, & qualibet definitione infallibili.

Quæres: *Quibus regulis discerni possit quænam in Conciliis ad fidem Catholicam pertineant?*

Resp. Quatuor regulæ a Cano. (*L. 5. de locis c.* 4.) indicantur.

„ *Prima*, si contrarium asserentes, pro Hæreticis judicentur".

„ *Secunda*, Cum in hanc formam Synodus decreta præscribit: si quis hoc, vel illud, senserit, anathema sit."

„ *Tertia*, si in eos, qui contradixerint, excommunicatio ipso jure feratur."

„ *Quarta*, si quidquam expresse, & proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium dicatur; dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo & firmo decreto."

*Resolves*, Disputationes, quæ præmittuntur decretis, sicut & omnes rationes quæ explicationis & expositionis gratia inducuntur, non pertinere ad fidem, hoc est, non esse fidei Catholicæ judicia.

## CONCLUSIO II.

*Concilia particularia, Nationalia nempe & Provincialia, in definiendis fidei & morum controversiis, non sunt de se infallibilia; si tamen Summi Pontificis approbatione & assensu, ac Ecclesiæ universæ applausu sunt firmata, sunt infallibilis fidei nostræ morum regula.*

*Prima pars* certa est ex facto Concilii Carthaginensis, in quo 80. Episcopi, sub D. Cypriano congregati, erronee definierunt baptismum ab Hæreticis datum, esse invalidum.

*Confirm.* Ex Innocent. I. qui Episcopis Concilii Milevitani his verbis rescripsit: (*Cap. Quoties* 24. *q.* 1.) „ Quoniam fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referre debere (velut nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse." Quod non posset subsistere, si penes Concilia particularia esset dogmata fidei certo & infallibiliter determinare.

*Prob. secunda pars*: Illa decreta sunt infallibilia, quæ ab omnibus Catholicis recipiuntur; atqui decreta Conciliorum particularium, approbatione & assensu Summi Pontificis firmata, ab omnibus Catholicis recipiuntur; ergo . . . . *Prob. min.* Omnes Catholici recipiunt tamquam fidei dogmata, quæ decreta fuerunt contra hæreses Pelagii in Concilio Milevitano per Innoc. I. confirmato; quæ contra Jovinianum in Concilio Telensi, confirmato per Siricium Papam; quæ contra Priscillianistas in Toletano I. per Leonem I. confirmato; quæ contra Petrum Oxomensem in Conc. Complutensi, per Sixtum IV. confirmato, & sic de aliis: hinc D. August. (*Serm.* 131. *de verbis Apost. c.* 10.) ait: „ Jam de hac causa, *Pelagianorum*, duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: utinam aliquando finiatur error."

Quæres: *Qualem authoritatem habent decreta fidei a Conciliis particularibus edita, quando non constat ea fuisse per Summum Pontificem confirmata?*

*Respondet* Alphonsus a Castro, (*L.* 1. *de punit. Hæretic. cap.* 5.) quod illorum definitiones indubitata fide sint tenendæ, quando non reprobantur ab Ecclesia & Summo Pontifice, quia illorum silentium est signum implicitæ & virtualis illorum approbationis, ut docet Bannes, (2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 3.); nam si illa Concil. errassent in fide, numquam Ecclesia dissimulasset, sed juxta suum morem statim illorum errori per contraria decreta occurrisset.

## ARTICULUS III.

### *De Conciliorum necessitate.*

*Nota*. Constat apud omnes, tum orthodoxos, tum hæreticos Concilia universalia esse Ecclesiæ utilissima, idque declarat Paulus III. in Bulla indictionis Concilii Tridentini dicens: „ Animo repetentes majores nostros, sapientia admirabili, & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reip. periculis, remedium optimum, atque opportunissimum, œcumenica Concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus;" de sola ergo absoluta necessitate est hic controversia contra Hæreticos, qui, ut sui condemnationem eludant, præsument ad Concilium generale provocare, licet Conciliorum generalium infallibilem authoritatem rejiciant.

## CONCLUSIO I.

*Concilia generalia non sunt absolute & in omni eventu necessaria.*

*Prob.* Illud non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, sine quo & hæreses & schismata extingui possunt; atqui sine Concilio generali & hæreses & schismata extingui possunt; siquidem variæ, quæ tribus primis Ecclesiæ sæculis exortæ sunt hæreses, absque Conciliis generalibus fuerunt damnatæ, variaque schismata a Montano & Novatiano conflata, fuere extincta; ergo, &c. Hinc Div. August. (*L.* 4. *ad Bonifac. cap.* 12.) contendit adversus Pelagianos, qui Concilii generalis celebrationem requirebant, ipsam perraro esse necessariam: *Quasi*, inquit, *nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit*,

*sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas, necessitas talis* (convocandi Conc. generale) *extiterit; multoque sunt atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic* (Romæ) *improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.*

Hinc sacra facultas Parisiensis (*Die 9. Feb. ann. 1663.*) declarat: „ Necessarium non esse absolute Concilium generale, ad extirpanda quælibet schismata, & quaslibet hæreses, v. g. Pelagianam, & Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas absque Concilio generali; quod tantum in aliquibus casibus est necessarium. "

*Confirm.* 1. Quia multæ hæreses fuerint extinctæ a privatis Episcopis, suis in sedibus, dispersis, seu ab Ecclesia dispersa sine Conciliis.

*Confirm.* 2. Quia multæ hæreses, variaque schismata fuere extirpata per Conc. particularium decreta, „ Cum ergo, ait Canus (*L. 5. de locis cap. 4. conclus. 5.*), Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessariis, nimirum ad hæreses privatas in provinciis refutandas, Concilia provincialia satis erunt, si erunt modo Summi Pontificis authoritate roborata. Præterea quoscumque ejusmodi Concilia damnavere, Ecclesia eos semper explosit. "

*Confirm.* 3. Ex perpetua traditione, qua constat Rom. Pontifices, pro primatus authoritate, quovis Ecclesiæ sæculo, infinitas propemodum absque Conciliis generalibus hæreses damnasse, & cum universæ Ecclesiæ applausu eas profligasse, ut dilucide exponit Duvallius Doctor Sorbonicus (*Parte 2. q. 2. de suprema Rom. Pontif. in Eccles. potest.*) his verbis: „ Plurimi Pontifices varios errores, absque ullo generali Concilio, condemnarunt, quorum condemnatio a tota Ecclesia acceptata fuit, ut patet ex primis 300. annis . . . . cum tamen multæ in fide quæstiones toto hoc tempore feliciter sopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones. "

## CONCLUSIO II.

*Concilia generalia in aliquibus casibus, sunt quodammodo absolute necessaria.*

*Prob.* Illud, sine quo aliquoties, neque finis controversiis imponi, neque hæreses efficaciter confutari, neque fidei aut morum dogmata convenienter determinari possunt, est quodammodo absolute necessarium; atqui sine Concilio generali aliquoties neque finis imponi controversiis, neque hæreses efficaciter confutari, neque decreta fidei & morum convenienter determinari possunt; ergo, &c. *Hinc*, D. Petrus, quamvis supremam haberet potestatem, controversiam tamen de legalibus Antiochiæ exortam noluit resolvere, nisi Concilio generali congregato, quod ad hoc quodammodo necessarium duxit; cujus rei rationem reddens Nilus Thessalonicensis (*L. 1. de primatu Papæ*) ait: „ Quis nescit quod .... & alia quæcumque œcumenicis actis stabilita sunt, vetera erant & Apostolicæ traditiones, imo potius Spiritus Sancti oracula? quæ quidem cum talia essent, nihilominus tamen Concilia Ecclesiæ habenda fuerunt, ut veritas investigaretur, inventa stabiliretur, omnisque contradicentibus occasio præriperetur ". Et ideo dixi in prop. Concilia esse quodammodo absolute necessaria.

Quæres: *In quibus casibus Concilii celebratio videtur quodammodo absolute necessaria?*

Resp. Sunt quatuor ... *Primus*, est hæresis nova, non quæcumque, sed ea quæ a pluribus, iisque insignibus, Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos. Hinc est quod D. Aug. qui contra Pelagianos contendit celebrationem Concilii generalis necessariam non esse, asserit controversiam de rebaptizandis qui erant ab hæreticis baptizati, non fuisse finitam, *Donec plenario totius orbis concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur* (*L. 1. de Bapt. cap. 7.*). Ratio est, quia hæresis Pelagiana in suo exordio fuit paucorum hominum; e contra hæresis rebaptizantium a primo suo exordio plures, & quidem insignium Ecclesiarum, *Magnos viros, & magna caritate præditos Episcopos*, patronos habuerit, ut asserit Div. August. propter hanc causam septem prima Concilia celebrata fuerunt.

*Secundus*, est schisma inter duos, vel plures, de Papatu contendentes, quam ob causam habitum est Conc. Constantiense. *Ratio est*, quia in hac Ecclesiæ calamitate nullum est Concilio generali remedium efficacius, imo nullum aliud videtur suppetere ad terminandum bellum in Ecclesia suscitatum.

*Tertius*, est recuperatio Terræ sanctæ violenter a Turcis occupatæ, quam ob causam varia convocata sunt Concilia generalia ab Urbano II. Calixto II. Eugenio III. &c.

*Quartus*, est reformatio generalis abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt.

## QUÆSTIO II.

### *De Conciliis in specie.*

Claritatis causa agemus 1. de Conciliis Apostolorum; 2. de Conciliis generalibus post tempora Apostolorum celebratis.

## ARTICULUS I.

### *De Conciliis Apostolorum.*

### CONCLUSIO.

*Sunt tria Apostolorum Concilia certa; nempe Jerosolymitanum I.* post Christi ascensionem congregatum ad eligendum aliquem in locum Judæ proditoris, cui, sorte divina, suffectus est Mathias, *Act.* 1.

*Jerosolymitanum II.* ann. 1. post Christi mortem, (ante conversionem Pauli, quæ eo anno contigit) convocatum est ad eligendos septem diaconos, ut satisfieret postulationi gentilium adversus Judæos, quod gentilium viduæ non honorarentur in ministerio distributionis eleemosynarum, & quod his non subveniretur ut viduis Hebræorum.

*Jerosolymitanum III.* ann. post Christi mortem 14. (ut testatur Apost. *ad Galat.* 2.) congregatum pro dirimenda controversia Antiochiæ suborta de Circumcisione, aliisque legalibus cæremoniis servandis a gentilibus ad Christum conversis, in quo, post magnam disquisitionem, definitum est gentes ad Christum conversas, nec ad Circumcisionem, nec ad legis Mosaicæ cæremonias teneri, *Act.* 15.

No-

*Nota*. Præter illa tria Concilia variæ numerantur Apostolorum Congregationes, quarum quidem Sacra Scriptura non meminit expresse, sed quæ ex receptis colliguntur historiis.

1. Ea est, quæ fuit habita in obitu B. M. V. cui omnes Apostolos, licet per orbem dispersos, adfuisse, probabile multi existimant, affirmat Nicephorus.

2. Est ea, quæ congregata est pro edendo fidei Symbolo, & designandis unicuique prædicantium regionibus, de qua congregatione sic loquitur Irenæus l. 1. cap. 2. „ in mundum universum dispergendi, (*Apostoli*) in unum coacti antequam abirent, tesseram illam fidei unanimem & concordem fidelibus describere voluerunt ". In quo conventu, multi volunt Canones, qui Apostolorum dicuntur, fuisse conditos, de quibus.

Quæres: *An Canones, qui Apostolorum dicuntur, fuerint ab Apostolis conditi?*

Resp. Circa hanc quæstionem magna est inter eruditos controversia; alii negant. 1. Quia Gelasius in Concil. Romano 70. Episcoporum illos declarat apocryphos, *liber canonum Apostolorum apocryphus* (*Cap. Sancta Rom. dist. 15.*): supra quod glossa ait: *liber dicitur Apocryphus, cujus author ignoratur*. 2. Quia neque D. Cyprian. neque Firmilianus in suis, de reiterando baptismo Hæreticorum, controversiis, ullam fecerunt mentionem Canonum 46. 47. & 68. qui perspicue decernunt inane esse baptismum & ordinationes ab Hæreticis collatas; quod certe non omisissent, maxime cum S. Stephanus S. P. contra eos urgeret traditionem Apostolorum eis adversantem, certe hos Canones non siluissent Africani. 3. Quia *Can.* Canones, *dist. 16.* dicitur: „ Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recipit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur; tamen ab authoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata ".

Alii e contra affirmant 50. ex illis Canonibus fuisse ab Apostolis conditos, & probant.

1. Ex Concilio generali VII. *Can.* 1. in quo definitur: „ Servanda esse quæ constituta sunt a tubis Spiritus Sancti, sanctissimis Apostolis, & sex SS. œcumenicis Conciliis ". Postea, *Can. 5. & 12.* citat ac refert duos Canones Apostolorum.

2. Ex Leone IX. *Can.* Clementis, *dist. 16.* dicente: „ Canones Apostolorum numerant Patres inter apocrypha, exceptis 50. Capitulis quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda. "

3. Ex Concil. Trid. *sess. 25. c. 1. de ref.* dicente: „ Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, ".

Respondent prioris sententiæ Patroni, illos 50. Canones propter tam graves authoritates maxima & indubitata pollere authoritate, atque orthodoxæ fidei esse adjungendos, non quatenus in illa Canonum serie continentur, sed quatenus ab Apostolis ejusmodi traditio in Ecclesias, præsertim Orientales dimanavit, hocque sensu citari tum a Synodo VII. tum a Concilio Tridentino & SS. Pontificibus.

## ARTICULUS II.

### *De Conciliis generalibus post mortem Apostolorum celebratis.*

*Nota*. De omnibus Conciliis generalibus, tum approbatis, tum reprobatis, tum etiam partim approbatis, partim reprobatis, juxta ordinem temporum quo celebrata sunt, agemus.

### §. I. *De Concilio Niceno I. Oecumenico I.*

Concilium Nicænum, cui adfuerunt 318. Patres ann. Christi 325. a *S. Silvestro S. P.* sub *Constantino Magno* Imperatore, fuit convocatum & indictum Nicææ in Bythinia: 1. Contra Arium Presbyterum Alexandrinum, qui divinitatem Christi ejusque cum Patre consubstantialitatem, negabat. 2. Contra Quartodecimanos, qui asserebant Pascha celebrari debere 14. Luna mensis Martii more Judæorum. 3. Contra Meletium, qui, ægre ferens quod propter varia crimina a S. Petro Alexandrino ab Episcopatu fuerit dejectus, multos per Ægyptum creans Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, Ecclesiam pessimo laceravit schismate. Huic Concil. præsedit S. Silvester per suos legatos.

Quæres 1. *Quænam peracta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Ariana hæresis fuit damnata cum Ario & ejus sectatoribus, atque vox *consubstantialis* Symbolo fuit inserta, ut unico vocabulo omnium Arianorum cavillis obviam iretur. 2. Fuerunt damnati Quartodecimani, & determinata die qua Pascha ubique terrarum celebrari deberet. 3. Statutum est, ut Meletius, solo Episcopi nomine retento, omnibus functionibus privatus, in sua Nicopolitana civitate maneret, atque ut ab eo ordinati Alexandrino Episcopo subjacerent post alios Ecclesiæ Ministros. 4. Editi sunt Canones 20. pro disciplina Ecclesiastica restauranda.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam illius acta a S. Silvestro fuerunt approbata, & confirmata in Concilio Rom. 275. Episcoporum.

Quæres 3. *Nonne aliud Concil. generale in causa Ariana habitum est?*

Resp. Habitum est *Concilium Sardicense* a Julio I. ann. 347. tempore Constantii & Constantis Imperatorum, celebratum ad firmandam fidem Nicænam, & restituendum Athanasium in propriam sedem, a qua ab Arianis injuste dejectus fuerat, cui Concilio adfuerunt 341. Episcopi, quibus præsedit Julius per suos legatos, Osium Cordubensem, Archidamum & Polixenum Presbyteros ..... Hoc Concilium, licet œcumenicum, tamen non recensetur in numero Conciliorum œcumenicorum ut Concilium speciale & ab aliis distinctum, quia nihil de novo in eo fuit constitutum, sed solum fides Nicæna confirmata, unde Concilio Niceno I. adjungitur tanquam illius Appendix.

*Dices*: Canonistarum plerique rejiciunt Concil. Sardicense ut illegitimum & Arianum; ergo.

Resp. *dist. ant.* Rejiciunt Concilium Sardicense ve-

verum, *nego ant.* Omnes enim norunt illud a Nicolao I. fuisse approbatum. *Sardicense Concilium*, inquit, *omnis Ecclesia recipit*. Rejiciunt Sardicense spurium, *conc. ant.*

Itaque Ariani ex Concilio, qui Sardicæ celebrabatur, fugientes atque *Philippopolim* (quæ interjectu montis a Sardica separata est) se transferentes, ubi Conciliabulum habuerunt, quod mendaciter nomine Concilii Sardicensis insigniri voluerunt, in quo fidem Nicænam damnarunt, atque in Julium Papam, & alios Episcopos Catholicos, sententiam excommunicationis procaciter intulerunt. Hoc Concilium Arianum ab omnibus rejicitur.

Quæres 4. *Quot Conciliabula in causa Ariana habita fuerunt?*

Resp. Plura, tum generalia, tum particularia habita sunt; quorum præcipua sunt:

*Antiochenum III.* ann. 340. cui præsedit Eusebius Nicomediensis, in quo ab Arianis damnatus fuit S. Athanasius.

*Mediolanense*, 300. Episcoporum, ann. 355. a Liberio quidem convocatum, in Conciliabulum tandem factum est, cum Constantius Episcopos coegit ad subscribendum condemnationi D. Athanasii: cui iniquæ condemnationi cum plures subscribere constanter renuissent, inter quos erant Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis sedis Apotolicæ Legati, in exilium missi sunt cum ipsomet Liberio S. P. qui exul translatus est in Thraciam.

*Ariminense*, a Constantio, ann. 539. congregatum, annuente S. P. Liberio, qui ad Concilium misit Vincentium Capuæ Episcop. legatum suum ... Hoc Concilium in duas partes fuit divisum ab Imperatore, qui statuit ut Episcopi Occidentales numero 400. *Arimini*, Orientales vero 200. omnes fere Ariani, *Seleuciæ* in Isauria convenirent. Pars *Seleuciæ* congregata, statim in Conciliabulum abiit, in quo Ariani damnati sunt a Semi-arianis; Patres vero *Arimini* congregati, quandiu fuerunt liberi, fuerunt Catholici, damnarunt formulam fidei, quæ Sirmii edita fuerat ab Arianis, fidem Nicænam confirmarunt, atque Valentem & Ursacium Arianorum antesignanos excommunicarunt ..... Interim dum hæc agerentur, Ariani in Conciliabulo Constantinopolitano novam fidei formulam, in specie Catholicam, condiderunt, atque Ariminum, jussu Imperatoris, subscribendam attulerunt, cui de facto Patres Ariminenses fere omnes subscripserunt partim tædio diuturnioris moræ in civitate Ariminensi, in qua 7. mensibus, jussu Imperatoris, detinebantur, partim fraudibus Valentis, Ursacii, aliorumque Arianorum delusi, qui fingebant se idem credere de Christo, quod Catholici, solumque esse quæstionem de voce, *Usiæ*, abjicienda, quæ in Scripturis non reperiebatur, & infirmis scandalo erat. Hoc Concilium fuit reprobatum, 1. a Liberio Papa, (*Ita testatur Damasus. Epist. ad Episcopos Illyricos*: 2. a Damaso in suo Concilio Romano.

## §. II. *De Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico II.*

*Concilium Constantinopolitanum I.* cui adfuerunt 150. Episcopi a Theodosio seniore, annuente Damaso Papa, fuit congregatum, an. 381. contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum qui Spiritus Sancti divinitatem negabat.

Quæres 1. *Quænam in eo Concilio fuerunt peracta?*

Resp. 1. Macedonius fuit damnatus. 2. Addita sunt ad Symbolum Nicænum ea quæ Spiritus Sancti divinitatem spectant: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, &c.* 3. Canones 7. ad disciplinam spectantes editi fuere.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte Oecumenicum?*

Resp. Licet non fuerit generale tempore quo celebrabatur, quia nulli erant Occidentales, tamen evasit Generale Œcumenicum, quando Damasus Papa illius decreta, ad se missa, approbavit, ac ei, cum suo Rom. Concilio, cui personaliter præsedit, accessit; unde factum est, ut illa duo Concilia Nationalia, in unum & idem Concilium Œcumenicum coaluerint.

## §. III. *De Concilio Ephesino, Oecumenico III.*

*Concil. Ephesinum*, cui adfuerunt 200. Episcopi, a Theodosio juniore, annuente S. P. Cœlestino I. fuit congregatum, an. 431. contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum dicentem duas esse in Christo personas, & B. V. M. non esse *Theotocon*, id est, Deiparam, sed tantum *Christotochon*, id est, Christiparam.

Quæres 1. *Quænam in hoc Concilio fuerunt peracta?*

Resp. 1. Definitum est unam tantum esse (Verbi nimirum) in Christo personam, Mariam proinde vere dici, ac esse *Theotocon*. 2. Sententia excommunicationis ac depositionis adversus Nestorium lata est.

Quæres 2. *An Concilium Ephesinum sit perfecte Oecumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam fuit convocatum de consensu Papæ, qui ei per legatos præsedit, illud approbavit, eique cum suo, quod Romæ tunc celebrabat, Concilio accessit.

Quæres 3. *Quodnam Concilium generale, post Concilium Ephesinum Oecumenicum, fuit celebratum?*

Resp. Concil. Ephesinum II. a Theodosio Imperatore convocatum, inscio Leone I. Papa, qui tamen citatus suos legatos misit, quibus denegata est præsidentia a Dioscoro Patriarcha Alexandrino, qui eam usurparat. In hoc Concilio, factione Dioscori, occisus est Sanctus Flavianus Episcopus Constantinopolitanus qui in Concilio 30. Episcoporum damnaverat Eutychem; legati Apostolicæ sedis fuerunt fugati, Eutyches absolutus, & ejus hæresis confirmata, Sancti Episcopi damnati. Hoc Concilium, quod vocatur *Prædatoria Synodus*, & *Latrocinium Ephesinum*, fuit a Sancto Leone, & a Concilio Chal-

Chalcedonensi, in quo illius Acta inserta sunt, prorsus reprobatum.

§. IV. *De Concilio Chalcedonensi, Oecumenico IV.*

*Concilium Chalcedonense*, cui adfuerunt *636.* Episcopi, anno 451. fuit convocatum a S. Leone, sub Marciano Imperatore, contra Eutychem, qui docebat in Christo unicam esse naturam.

Quæres 1. *Quænam peracta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Dioscorus, eo quod Concilio generali præsidere fuerit ausus (quod nunquam factum fuisse, & nunquam fieri licere clamaverunt Patres), fuit damnatus, & post trinam citationem depositus. 2. Latrocinii Ephesini Acta fuerunt reprobata. 3. Definitum est in eodem Christo duas naturas *inconfuse, incommunicabiliter, indivise, inseparabiliter, in unam personam atque subsistentiam concurrere.* 4. Theodoretus Cyrensis, & Ibas Edessenus, qui in Conciliabulo Ephesino a Dioscoro fuerant depositi tamquam Nestoriani, fuerunt in suas sedes restituti, postquam coram universa Synodo dixerunt, *Anathema Nestorio*, & subscripserunt definitioni fidei, ac Epistolæ S. Leonis. 5. Varii Canones constituti sunt pro reformatione morum.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte Oecumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam fuit legitime convocatum, celebratum, atque a S. Leone approbatum, ut constat ex ejus Epistola 59. ad Synodum.

§. V. *De Concilio Constantinopolitano II. Oecumenico V.*

*Concilium generale V.* cui adfuerunt 165. Episcopi anno 553. a Justiniano seniore, annuente Summo Pontifice Vigilio, fuit convocatum 1. contra errores Origenis. 2. Pro trium Capitulorum lite dirimenda. Porro ista Capitula erant: 1. Opus a Theodoreto Episcopo Cyrensi conscriptum, in quo duodecim Ephesinæ fidei capitibus a Sancto Cyrillo conscripti, Anathematismos duodecim opposuerat.

2. Libri Theodori Mopsuesteni, in quibus unam in Christo personam, & Mariam Matrem Dei, aperte negabat.

3. Epistola Ibæ Edesseni, in qua Sancti Cyrilli capitula a Concilio Ephesino probata, insectatus fuerat.

Quæres 1. *Quænam peracta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Errores Origenis damnati sunt.

2. Damnatus est Theodorus, & ejus scripta, atque anathema dictum est ei, *qui non anathematizat eum, & impia ejus conscripta.*

3. Damnata & anathematizata sunt scripta Theodoreti, & Ibæ Epistola ad Marium Persam; sed personis eorum, quæ susceptæ erant a Concilio Chalcedonensi, nulla inusta est nota.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit vere Oecumenicum?*

Resp. Licet pluribus displicuerit errore facti quo putabant Epistolam Ibæ in eo damnatam, in Concilio Chalcedonensi fuisse probatam; nihilominus ab omnibus habetur œcumenicum, probatum non solum a Vigilio Papa, sed etiam a Leone II. Epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ extat in VI. Synodo (*Act.* 8.), & a Gregorio Magno, qui (*Lib.* 1. *Epist.* 24.) postquam dixit: „ Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere „ & venerari me fateor; *subjungit*: Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, &c. "

§. VI. *De Concilio Constantinopolitano III, Oecumenico VI.*

*Concilium VI.* cui adfuerunt 289. Episcopi, anno 681. a Constantino Pogonato, annuente Summo Pontifice Agathone, qui per suos Legatos præsedit, fuit convocatum contra Monothelitas, docentes unam esse in Christo voluntatem, unamque operationem, divinam nimirum, non autem humanam; pro cujus hæresis propugnatione Heraclius Imperator, a Cyro Alexandrino, & Sergio Constantinopolitano deceptus, edictum promulgavit, quod *Ecthesim*, hoc est, fidei confessionem, vocavit. Aliud edictum simile huic, edidit Constans Imperator, quod dictum fuit: *Typus Constantis.*

Quæres 1. *Quænam acta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Damnati sunt Monothelitæ cum sua hæresi.

2. Definitum est esse in Christo *duas naturales voluntates, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse* . . . . . . *secundum doctrinam Ss. Patrum.*

Quæres 2. *An Concilium VI. sit perfecte Oecumenicum?*

Resp. *affirm.* Fuit enim approbatum non solum ab Agathone, sed & a Leone II. ut probat Sylvius ex Yvone.

Quæres 3. *Quænam Conciliabula fuerunt postea celebrata?*

*Resp.* Celebrata sunt tria: nimirum

Constantinopolitanum *quinisextum* in Trullo, anno 692. in quo soli Episcopi orientales, sub convocatione & præsidentia Justiniani Imperatoris, convenerunt, atque condiderunt 102. Canones, Trullani dicti, de quibus supra egimus. Reprobatum est hoc Concilium a Sergio Papa, qui illud vocat *Synodum erraticam.*

Constantinopolitanum, a Leone Isaurico, inconsulto Gregorio II. anno 730. contra sacras imagines convocatum, cui Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus interfuit quidem, sed quia Iconoclastis consentire noluit, sua sede pulsus est.

Constantinopolitanum, a Constantino Copronimo, tempore Stephani III. Summi Pontificis collectum, cui adfuerunt 754. Episcopi, sub præsidentia Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani, qui damnarunt cultum Sacrarum Imaginum, & anathematizarunt Sanctum Germanum Constantinopolitanum, & S. Joannem Damascenum. Hoc Concilium vocatur ab Iconomachis *Synodus VII.* verum a Stephano III. reprobatum fuit, *Act.* 6. Concilii Nicæni II. quod est *Synodus VII. vera*, de qua sit:

§. VII.

§. VII. *De Concilio Nicæno II. œcumenico VII.*

*Concilium VII.* cui adfuerunt 350. Episcopi, an. 787. de expresso Hadriani I. consensu, a Constantino & Irene ejus matre convocatum est contra *Iconomachos*, id est, impugnatores imaginum. Hoc Concilium indictum prius erat Constantinopoli, verum, tumultuantibus in ea urbe Iconomachis, Nicææ in Bythinia celebratum fuit.

Quæres 1. *Quænam acta sunt in hoc Concilio?*

Resp. Definitum est, 1. sacras imagines retineri debere . . . 2. iis imaginibus deberi *honorariam adorationem* . . . 3. eam adorationem non esse latriam, quæ soli Deo debetur, *Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam debet, impertiendam*, inquit, act. 7. . . . 4. eam adorationem non terminari ad figuras, sed referri ad earum prototypa . . . 5. editi sunt 22. Canones ad disciplinam spectantes.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam fuit approbatum ab Hadriano Papa, ut testatur Binius, &c.

*Concilium Francofordiense*, quod aliqui generale, alii melius nationale dicunt, quia ei nullus adfuit Orientalium, qui nec convocati fuerunt, fuit celebratum, an. 794. sub Hadriano I. & Carolo Magno Francorum Rege, qui eidem interfuit cum Legatis Papæ . . . Hoc Concilium est approbatum quatenus definivit Christum esse Filium Dei naturalem, nec dicendum Filium Dei adoptivum; sed est reprobatum in hoc quod Patres illius Concilii, errore facti, damnarunt VII. Synodum, rejeceruntque cultum sanctarum imaginum.

§. VIII. *De Concilio Constantinopolitano IV. œcumenico VIII.*

*Concilium VIII.* & in Oriente ultimum, cui adfuerunt 102. Episcopi, an. 869. a Basilio Imperatore, de expresso consensu Hadriani II. qui ei per Legatos præsedit, fuit convocatum occasione Photii, qui, expulso D. Ignatio a Sede Constantinopolitana, illam sedem invaserat.

Quæres 1. *Quid actum sit in illo Concilio?*

Resp. 1. Photius fuit depositus, & D. Ignatius restitutus. 2. Editi sunt varii Canones ad disciplinam spectantes.

Quæres 2. *An hoc Concilium sit perfecte œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam omnes orbis Patriarchales Ecclesiæ ipsi subscripsere, æque ab Hadriano S. P. fuit confirmatum; ut testatur Baronius & alii cum Binio.

§. IX. *De Concilio Lateranensi I. œcumenico IX.*

*Concilium IX.* Calixtus II. ann. 1123. tempore Henrici IV. Imperatoris, indixit Romæ in Basilica Lateranensi, cui ipsemet interfuit cum 300. Episcopis. 1. Pro componenda lite, quæ jam diu inter Ecclesiam, & Imperium erat accensa, ex usurpatis ab Imperatoribus beneficiorum investituris; investiturarum autem nomine intelligitur jus eligendi præsules, confirmandi electos, & mittendi eos in possessionem: quod jus Imperatores sibi sumpserant. 2. Pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Quæres: *Quænam in hac Concilio fuerunt gesta?*

Resp. 1. Henricus IV. dimisit Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum tradendas; possessiones Ecclesiæ ablatas restituit; promisitque se electiones & consecrationes omnino liberas relicturum . . . . 2. Calixtus II. Henrico IV. concessit ut se præsentem sisteret electionibus; atque ut electis *regalia*, hoc est, fructuum beneficii percipiendorum potestatem daret per sceptri regii contactum; numquam vero per baculum & annulum, quod per hoc designaretur potestas spiritualis emanare a potestate sæculari . . . . Actum est de bello Saracenis indicendo pro recuperatione Terræ Sanctæ . . . . 4. Editi sunt varii Canones pro restauranda disciplina Ecclesiastica.

*Oecumenicitas* hujus Concilii certa est apud omnes.

§. X. *De Concilio Lateranensi II. œcumenico X.*

*Concilium X.* cui ex omnibus orbis partibus mille Episcopi adfuerunt, an. 1139. tempore Lotharii Imperatoris, ab Innoc. II. qui ipsi præfuit, convocatum fuit 1. ad tollendum schisma in Ecclesia factum per Petrum Leonem Anti-papam, *Anacletum II.* appellatum, cui pauci Cardinales suffragati fuerant, quando a majori parte Cardinalium *Innocent. II.* electus fuit . . . 2. ad varias hæreses damnandas, & mores reformandos.

Quæres: *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. Tria, 1. enim Petri Leonis, aliorumque schismaticorum acta sunt rescissa . . . . 2. damnati sunt hæretici, *Petrus de Bruis*, & *Arnaldus de Brixia*, cum eorum hæresibus . . . 3. ad pristinam disciplinam Ecclesiasticam restituendam varii constituti sunt Canones, inter quos ille præcipuus, *Si quis suadente diabolo &c.*

*Oecumenicitas* hujus Concilii certa est apud omnes.

§. XI. *De Concilio Lateranensi III. œcumenico XI.*

*Concilium XI.* cui adfuere 300. Episcopi, ann. 1179. imperante Friderico I. ab Alexandro III. qui ipsi præfuit, convocatum est 1. Ad tollendum schisma in Ecclesiam invectum per Cardinalem *Octavianum* Antipapam, *Victorem IV.* appellatum, a tribus tantum Cardinalibus electum, cui solus adhærebat Fridericus, contra Alexand. III. qui a 20. Cardinalibus electus fuerat, & cui adhærebant tota Gallia, Hispania, Britannia, Polonia, & major pars Italiæ . . . 2. Ad damnandos Waldensium & Albigensium errores . . . 3. Ad mores reformandos.

Quæres: *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. Plures, 1. Enim ad vitanda in posterum schismata, definitum est, nullam deinceps Papæ electionem fore Canonicam, nisi duæ partes Cardinalium ad eam conspirent . . . . 2. Ordinationes ab Antipapis celebratæ, irritæ (quoad usum) declaratæ fuerunt, & collationes beneficiorum nullæ . . . . 3. Damnati sunt hæretici Waldenses & Albigenses, qui etiam dicti sunt *pauperes de Lugduno*, quia sub prætextu paupertatis Evangelicæ errores suos palliare nitebantur . . . . 4. Canones circa disciplinam fuere conditi, maxime ad usuram & simoniam confodiendas.

*Oecumenicitas* hujusce Conc. certa est apud omnes.

§. XII. *De Concilio Lateranensi IV. Oecumenico XII.*

*Concilium XII.* ab Innoc. III. an. 1215. imperante Frederico II. fuit convocatum 1. pro Terræ sanctæ a Turcis occupatæ recuperatione . . . . 2. pro hæresum tunc exortarum eliminatione . . . 3. pro morum reformatione.

In hoc Concilio, teste Vespergensi, qui eo tempore floruit: „ Fuerunt Episcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duos, videlicet Constantinop. & Jerosolymitanus. Antiochenus gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Antheradensem Episcopum. Alexandrinus vero sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germarium. Primates autem & Metropolitani 71. Cæterum Abbates & Priores ultra 800. Archiepiscoporum vero & Episcoporum, Abbatum, Priorum, & Capitulorum absentium certus numerus non fuit comprehensus. Legatorum vero Imperatoris Romanorum, Imperatoris Constantinopolitani, Regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Jerosolymorum, Cypri, Aragoniæ, nec non & aliorum Principum & Magnatum, Civitatum, &c. ingens fuit multitudo“. Verba sunt Vespergensis.

Quæres: *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Damnatus est liber, quem Abbas Joachim scripsit contra Petrum Lombardum qui in sententiis asseruerat, rem unam in Trinitate esse, essentiam nempe quæ nec generet nec generetur... 2. Damnata sunt impia & stulta dogmata *Almerici de Bena*, qui, inter alias insanias, docebat Corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quam in alio pane, & qualibet alia re, transubstantiationem denegans . . . 3. Statuta est expeditio pro recuperatione Terræ sanctæ . . . 4. Varii conditi sunt Canones, pro morum reformatione, inter quos celebris est ille, qui incipit: *Omnis utriusque sexus*.

*Oecumenicitas* illius Concilii ex sui splendore ac plenitudine ita est conspicua, ut in jure Can. quoties laudatur Concilium Lateran. sine addito, hoc intelligitur Conc. Lateran. IV.

§. XIII. *D. Concilio Lugdunensi I. Oecumenico XIII.*

*Concilium XIII.* cui, cum Summo Pontifice præsidente, adfuerunt plures Cardinales, tres Patriarchæ, 140. Episcopi, Balduinus Constantinop. Imperator, oratores regum Galliæ, Angliæ, Arragoniæ & aliorum Principum, imo & ipsius Frederici II. Imperatoris Germaniæ, ann. 1245. ab Innocent. IV. fuit convocatum 1. contra Fredericum Imperatorem erga Ecclesiam Romanam tyrannice se gerentem . . . 2. pro Terræ sanctæ recuperatione.

Quæres: *Quænam peracta sunt in illo Concilio?*

Resp. 1. Sententia excommunicationis & depositionis in Fredericum Imperatorem lata est ab Innoc. IV. Summo Pontifice . . . 2. Renovatum est decretum pro expeditione contra Turcas facienda, atque cruciatis concessa magna privilegia & immunitates ... 3. Condita sunt varia decreta disciplinæ reformationem spectantia.

*Oecumenicum* fuit hoc Concilium, utpote legitime convocatum, celebratum, & approbatum ab Innocentio IV. qui ei præfuit.

§. XIV. *De Concilio Lugdunensi II. Oecumenico XIV.*

*Concilium XIV.* cui, cum Summo Pontifice, adfuerunt mille Patres, inter quos Cardinales 15. Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Antiochenus, Archiepiscopi 70. Episcopi 500. an. 1274. imperante in Germania Rodulpho, fuit a Gregorio X. convocatum, 1. contra errores Græcorum; 2. pro recuperatione Terræ sanctæ, & de aliis causis.

Quæres: *Quænam in hoc Concilio gesta sunt?*

Resp. 1. Definitum est Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, tanquam ex uno, non autem tanquam ex duobus principiis . . . 2. Damnati sunt qui, contra jus, *regalia* de novo usurpare conabantur, & qui hæc fieri procurabant . . . 3. Græcis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro Terræ sanctæ expeditione.

*Oecumenicitas* hujus Concilii apud omnes est indubia.

Ad hoc Concilium vocatus fuerat S. Thomas Aquinas, sed obiit in itinere; verum adfuit S. Bonaventura, quem Gregorius Lugduni S. R. E. Cardinalem & Episcopum Albanensem creavit.

§. XV. *De Concilio Viennensi, Oecumenico XV.*

*Concilium XV.* an. 1311. tempore Henrici VIII. Imperatoris, fuit a Clemente V. convocatum 1. contra Templarios de pluribus, iisque gravissimis, criminibus accusatos . . . . . 2. Contra varios Hæreticos . . . 3. Pro Terræ sanctæ subsidio & morum reformatione. Ad hoc Concilium accesserunt Clemens V. præses, duo Patriarchæ, Alexandrinus, & Antiochenus, Episcopi 300. tres Reges, nempe Philippus Pulcher, rex Galliæ, Eduardus II. rex Angliæ, Jacobus II. rex Arragoniæ.

Quæres: *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Templariorum ordo, qui annis 184. floruerat, fuit penitus extinctus, eorumque bona S. Joannis Jerosolymitani equitibus attributa fuere. 2. Damnati sunt Fraticelli, Dulcinistæ, Beguardi, & Beguinæ: 3. Decreta est nova pro recuperatione Terræ sanctæ bellica expeditio. 4. Editæ sunt variæ constitutiones pro morum reformatione, quæ in jure, *Clementinæ*, dicuntur.

*Oecumenicitas* hujus Concilii apud omnes constat.

§. XVI. *De Concilio Pisano, generali XVI.*

*Nota.* Cum *Angelus Corarius*, Gregorius XII. nominatus, & *Petrus de Luna*, Benedictus XIII. nuncupatus, diu de Papatu contenderent, neuterque, pro pacis Ecclesiæ bono, cedere vellet, licet uterque id, in sua electione promittendo, jurasset, nec alia superesset schismatis extinguendi via, quam Concilium generale; Cardinales utriusque obedientiæ, a suo quique schismatico Papa recedentes, *Pisas* venere, ibique, ut finem schismati imponerent, Ecclesiæque de vero ac indubitato capite providerent, generale hoc indixere Concilium, an. 1409. cui *præsedit Cardinalis Pictaviensis*, utriusque obedientiæ Decanus, cui interfuere 24. Cardinales, 3. Patriarchæ, Alexandri-

drinus, Antiochenus & Jerosolymitanus, 300. Episcopi, cum innumeris aliis Monasteriorum Præpositis, Abbatibus, Doctoribus, ac variis Principum & Universitatum Legatis.

Quæres 1. *Quid factum sit in illo Concilio?*

*Resp.* 1. Duo de Papatu contendentes, post trinam de jure citationem, non comparentes, neque per se, neque per procuratores, contumaces fuerunt declarati, atque ut schismatici, perjuri, & hæretici damnati, ac e suo prætenso Pontificatu dejecti ..... 2. In utriusque locum suffectus est Cardinalis *Philaretus*, Græcus, Doctor Parisiensis, Ordinis S. Francisci, qui *Alexander V.* dictus est, ac reliquo præsedit Concilio, 23. sessionibus completo.

Quæres 2. *An illud Concilium fuerit œcumenicum?*

Ratio dubitandi est, quia sine ulla Romani Pontificis authoritate fuit indictum.

*Resp. affirm.* Nam 1. a Cardinalibus, tempore schismatis, nulliusque veri & indubii Pontificis, pro pace Ecclesiæ procuranda, legitime fuit convocatum. 2. Fuit legitime celebratum præsidente sacri-Collegii Decano. 3. Ad illud vocati sunt duo de Papatu contendentes, cæterique omnes ex universo orbe Prælati. 4. Decreta Concilii approbavit ac confirmavit Alexand. V. his verbis: „ Prædictam „ sententiam & omnia alia, & singula, quæ per „ Concilium hujusmodi, pro tollendo schismate, & „ reintegratione memorata facta fuerunt, utpote pro„ vide & tantorum venerandorum Patrum, imo uni„ versalis Ecclesiæ authoritate & concordia facta, „ rata habentes & grata, ea authoritate Aposto„ lica ex scientia approbamus, & præsentis scripti „ patrocinio communimus ".

## §. XVII. *De Concilio Constantiensi, generali XVII.*

*Nota.* Alexandro V. uno post sui electionem anno, Bononiæ mortuo, in ejus locum electus est *Balthassar Cossa*, dictus *Joannes XXIII.* sicque, cum *Gregorius XII.* & *Benedictus XIII.* non parerent decreto Synodi Pisanæ, tres nomine visi sunt Pontifices in Ecclesia, ideoque auctum schisma quod a 30. annis Ecclesiam dissecabat.

Anno itaque 1414. ad extinctionem tam nefandi schismatis, & damnationem grassantium tunc temporis variarum hæresum, *Joannes XXIII.*, agentibus *Sigismundo* Imperatore, & *Viceslao* Bohemiæ rege, Concilium Constantiæ coegit, cui adfuerunt Cardinales 29. Patriarchæ 4. Episcopi 300. & ingens numerus aliorum inferiorum Ecclesiæ Prælatorum.

Quæres 1. *Quinam huic Concilio præfuerunt?*

*Resp.* Non unus fuit hujus Concilii Præses; namque:

1. Sess. 1. & 2. præsedit *Joannes XXIII.* qui juramento promisit, pro bono pacis, se Pontificatui promptissime renunciaturum, si *Gregorius XII.* & *Benedictus XIII.* Anti-papæ, idem facere non recusarent. Verum, ante 3. sessionem discessit Constantia, seque contulit *Schufusiam*, veritus ne Papatu cedere cogeretur.

2. Cardinalis *de Ursinis*, Episcopus Albanensis, præfuit 4. & 5. sessionibus, in quibus declaratum est authoritatem Concilii œcumenici esse authoritate summi Pontificis superiorem his verbis: „ Ipsa „ Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, „ generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholi„ cam repræsentans, potestatem a Christo immediate „ habet, cui quilibet cujuscumque status vel digni„ tatis, etsi Papalis existat, obedire tenetur in his „ quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schis„ matis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei „ in capite & membris. "

3. Cardinalis *Vivariensis*, Episcopus Ostiensis, præfuit a 6. usque ad 41. sessionem, in qua electus est in summum Pontificem Cardinalis *Columna*, qui dictus est *Martinus V.* qui per seipsum præfuit aliis quatuor sessionibus, quibus finis impositus est Concilio.

Quæres 2. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

*Resp.* 1. Definitum est Concilium esse supra S. Pontificem. *Sess.* 4. *&* 5.

2. Damnati sunt 45. Articuli Joannis Wiclefi, jussumque est omnes ejus libros, & ossa exhumata comburi. *Sess.* 8.

3. Pronuntiata est sententia depositionis in Joannem XXIII. qui sententiæ acquievit, depositis Pontificalibus insigniis. *Sess.* 12.

4. Gregorius XII. per procuratores Papatum resignavit, quæ resignatio admissa fuit a Synodo. *Sess.* 14.

5. Damnati sunt 31. Articuli Joannis Huss, qui, nolens resipiscere, fuit cum suis libris crematus. *Sess.* 15.

6. Hieronymus de Praga, de hæresi convictus, suam ejuravit hæresim, in quam paulo post relapsus traditus est brachio sæculari, a quo vivens exustus est. *Sess.* 20. *&* 21.

7. Benedictus XIII. Anti-papa e Pontificatu fuit depositus, omnesque fideles ab ejus obedientia fuerunt absoluti. *Sess.* 37. Postea electus est Martinus V.

8. Sess. 45. Martinus V. dixit: „ Quod omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat ... ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. "

Quæres 3. *An Concilium Constantiense sit legitimum?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem duæ sunt opiniones.

*Prima*, Est eorum, qui docent Concilium Constantiense, esse partim legitimum, partim illegitimum; est legitimum, inquiunt, in iis sess. in quibus damnati sunt errores Joann. Wicleff, & Joan. Huss, fuit vero illegitimum in iis sess. in quibus definiit S. Pontificem esse Concilio inferiorem.

Quod si objicitur, *Martinum V.* approbasse omnia Concilii Constantiensis decreta.

*Respondent*, Martinum V. approbasse omnia decreta Concilii facta *conciliariter*, *& non aliter*, *nec alio modo*, id est, per modum aliorum Conciliorum legitimorum, in quibus nihil de fide determinari solet, nisi præsidente Summo Pontifice, nisi prævio diligenti examine, & nisi præsentibus omnibus aut plerisque Patribus, qui venturi expectantur: illud autem quod, *sess.* 4. *&* 5. con-

conclusum est, nec a Pontifice habebatur ut res ad fidem pertinens, sed ut res ad disciplinam tempore schismatis determinandam, nec *conciliariter* actum est; nam ab iis solis qui erant de obedientia Joannis XXIII. qui jam e Concilio recesserat, decretum illud emanavit, de quo *Joannes* amare conquestus est, & *cui aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorii XII. & Benedicti XIII. apertissima contradictione se opposuerunt, & eorum contradictio fuit acceptata*, ait Cardinalis de Turre-cremata (*Summa de Eccles. l. 2. cap. 99.*) qui Concilio adfuit.

*Si objiciatur* 2. Concilium Constantiense repræsentasse universam Ecclesiam, quando decretum de superioritate Concilii supra Papam edidit; ergo fuit factum *conciliariter*.

*Respondent negando ant.* Nam illud decretum editum est ab aliquibus Patribus obedientiæ Joannis XXIII. jam absentis; porro Concilium Constantiense non repræsentavit Ecclesiam universam, nisi quando Reges, Principes, & Prælati obedientiæ Benedicti XIII. nova facta convocatione Concilii, per suos oratores se unierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ, quod factum est sessione 37.

*Si objiciatur* 3. Martinum V. approbasse omnia decreta fidei; atqui hæc quæstio, *Utrum Concilium sit supra Papam*, pertinet ad fidem; ergo.

*Respondent* 1. *dist. anteced.* Probavit omnia decreta fidei, quæ spectant errorem Joannis Wicleff & Huss, *concedunt*; alia *negant*: unde quando *Martinus V.* recenset Hæreticorum errores, quæstionis illius: *An Concil. sit supra Papam*, non meminit: quin imo contrarium satis significavit, quando asseruit istum articulum: *Papa legitime electus, est successor B. Petri habens supremam potestatem in Ecclesia Dei*.

*Respondent* 2. *dist. min.* Hæc quæstio, *utrum Concilium sit supra Papam*, pertinet ad fidem quando consideratur ut dogma, *concedunt*, quando consideratur ut reformatio disciplinæ, *negant*. Porro schismatis tempore sic consideratur.

*Secunda sententia*, est eorum qui volunt Concilium Constantiense esse secundum omnes suas partes legitimum & œcumenicum, verum hi iterum circa superioritatem Concilii dividuntur in duas classes; namque

Alii, maxime Galli, docent illud decretum, sess. 4. & 5. editum, spectare quamlibet Synodum generalem, atque *absolute* definire, *quemlibet cujuscumque dignitatis etiamsi Papalis existat, debere obedire Concilio*.

Alii e contra volunt Concilium locutum fuisse non *absolute*, sed *restricte*, de illa Synodo, quæ celebratur tempore schismatis, quando, scilicet, nullus est Papa indubius, vultque quemlibet, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, Concilio isti obedire teneri *in his quæ ad fidem pertinent, & extirpationem præsentis schismatis*: contra quos

*Objiciunt Galli*, Concilium Constantiense „ declarat, quod quicumque, cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis & præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati super præmissis, sive ad ea pertinentibus factis aut faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, &c. debite puniatur ". Ergo decretum Constantiense non restringitur ad Concilium tempore schismatis celebratum, sed ad omnia Concilia generalia se extendit.

*Respondent alii, negando conseq.* Quia, inquiunt, licet hic fiat extensio ad omnia alia Concilia, tamen reperitur præmissa restrictio in his verbis, *super præmissis*, (id est, super authoritate Conciliorum supra Pontifices tempore schismatis,) *seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis*: quis enim hæc verba extra propositum particulare Pontificum dubiorum referat?

## §. XVIII. *De Concilio Basileensi generali.*

*Nota*. Martinus V. in Concilio Constantiensi, *Papiæ* aliud celebrandum indixerat, quod propter pestem *Papiam* vastantem, transtulit *Senas*, ubi habita est prima sessio, in qua Wicleffitarum & Hussitarum damnatio fuit confirmata; deinde, ob exiguum Prælatorum numerum, & ingruentes undique bellorum procellas, Concilium Senense dissolvit, & aliud septennio post, *Basileæ* celebrandum, indixit, qui reipsa *Julianum Cæsarinum* S. Angeli Cardinalem misit; & præsidem constituit; mortuo interim *Martino*, ei suffectus est *Eugenius IV.* qui Concilii indictionem ratam habuit, & ut eodem *Juliano* præside celebraretur, edixit, an. 1431.

Quæres 1. *Quam ob causam coactum fuit Concilium Basileense?*

*Resp.* Triplici de causa, 1. Ad extirpationem hæresis Bohæmorum. 2. Ad pacem inter Principes Christianos conciliandam. 3. Ad Cleri reformationem.

Quæres 2. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio, & quibus præsidentibus?*

*Resp.* 1. Sessio prima habita est præside Cardinali *Juliano*, legato *Eugenii IV.* qui videns quod synodus, sub specie reformandæ Ecclesiæ, cogitaret de nonnullis, iisque præcipuis, abolendis Romanæ Ecclesiæ privilegiis, *Julianum* legatum revocavit, Concilium dissolvit, atque aliud post annum cum dimidio, *Bononiæ* celebrandum, indixit, ea potissimum de causa, quod ineundæ Græcorum cum Latinis unioni, *Bononia*, a Græcis electa, commodior videretur, quam *Basilea*, seque illi cum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adfuturum, promisit.

2. Non obstante revocatione ab Eugenio facta, Patres Basileenses continuaverunt sessiones, in quibus *Ludovicus Alemanus* Cardinalis, & Arelatensis Episcopus, præsidentiam, sine Pontificis facultate assumpsit.

3. Patres citarunt *Eugenium* sess. 12. atque orarunt, ut dissolutionem Concilii revocaret, decreta facta approbaret, legitime inchoatum & continuatum declararet, atque Concilio adhæreret; quæ si non faceret, contumax & ab omni administratione Papatus suspenderetur, omnesque subditi ab ejus obedientia, fidelitate, & juramento absolverentur; quibus postulatis Papa unitati Ecclesiæ consulens, satisfecit, sess. 16. dissolutionem Concilii irritam declaravit, Concilii continuationem approbavit, atque legatos iterum misit ad Concilium.

„ Con-

4. Concilium, *sess.* 18. iteravit decretum de Concilii supra Papam superioritate, quam ob causam legati Eugenii secundo discessere, ac Eugenius Concilium Basileense transtulit Ferrariam, anno 1437. quo major pars Præsulum Basileensium transiit cum Summo Pontifice Eugenio IV., qui propter pestem Ferrariæ grassantem, Concilium post 16. sessionem transtulit Florentiam, a quo loco Concilium Florentinum dictum est.

5. Pars Patrum, qui Basileæ remanserunt, Concilium continuaverunt, a sess. 25. ad sess. 45. in quibus irritaverunt Bullas translationis Concilii, definierunt superioritatem Concilii supra Papam, esse veritatem fidei divinæ, atque deposuerunt Eugenium IV. in cujus locum elegerunt *Amadeum* Ducem Sabaudiæ, cui *Felicis V.* nomen imposuerunt.

6. Concilium Basileæ transtulerunt Lausanam, ubi plures habitæ sunt sessiones, sed in quibus nihil aliud memorabile gestum, præterquam quod Felix Anti-papa, ad pacem Ecclesiæ dandam, abdicavit.

Quæres 3. *An Concilium Basileense sit legitimum?*

Resp. 1. Conveniunt omnes, illud non fuisse œcumenicum, sed degenerasse in merum Conciliabulum a sess. 25. usque ad ultimam, quia tunc Papa, qui secundo dissolvit Concilium, illudque transtulit Ferrariam, ipsi amplius non adhæsit, sicut nec sanior pars Concilii, quæ cum Summo Pontifice Ferrariam advenerat.

Resp. 2. Circa alias sessiones duplex est senténtia:

Prima, quæ propugnatur in Italia, Hispania, Germania, &c. docet Concilium Basileense initio quidem fuisse legitimum; sed ubi primum Eugenius IV. ei amplius non adhæsit (nempe post primam sessionem), illud factum fuisse illegitimum, nec a Nicolao V. fuisse confirmatum, nisi in iis solis, quæ definita fuerant circa beneficia & censuras Ecclesiasticas; in aliis vero fuisse reprobatum ab Eugenio IV. ut testantur Patres Basileæ congregati, *sess.* 38. & a Conciliis Florentino, & Lateranensi V. in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens*.

*Secunda sententia*, quæ in Gallia propugnatur, docet illud fuisse legitimum & œcumenicum a prima sessione usque ad 25. quia 1. a Summo Pontifice, qui ei per Julianum Cardinalem S. Angeli præsedit, fuit convocatum. 2. Quia Eugenius IV. in Bullis pro revocatione translationis Concilii in civitatem Bononiensem, illud adhuc vocat Concilium generale. 3. Quia approbatum fuit a Nicolao V. & Pio II. Summis Pontificibus: verum

*Respondent ad* 1. *contrariæ sententiæ vindices*. Equidem Concilium Basileense fuisse legitime convocatum & inchoatum, & consequenter in hoc fuisse legitimum & œcumenicum; verum, cum post primam sessionem Eugenius IV. Concilium dissolvit, & legatum suum revocavit, evasisse illegitimum.

*Instant* Galli: Equidem Eugenius IV. dissolvit Concilium, sed postea, nimirum *sess.* 16. Bullas & duas Litteras pro Concilii dissolutione, & illius translatione in civitatem Bononiensem revocavit, & annullavit, declaravitque illud Concilium a principio inchoationis suæ fuisse & esse legitime congregatum; ergo per dissolutionem quam Eugenius IV. fecit Concilii, illud non cessavit esse generale & œcumenicum.

*Respondent alii*, ex irritatione Bullæ pro dissolutione Concilii editæ, hoc unice colligi posse, nimirum sessiones post talem revocationem legitime celebrandas fore, sed non sequitur sessiones, quæ habitæ sunt a die dissolutionis, usque ad illius dissolutionis revocationem, fuisse legitimas.

Contra *instant Galli:* Eugenius IV. in Bulla dissolutionis Concilii revocatoria, sic loquitur: „ Decernimus & declaramus præfatum Concilium Basileense a tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse & esse ". Ergo sessiones, quæ habitæ sunt ante revocationem dissolutionis Concilii, fuerunt legitimæ.

*Respondent alii, negando conseq.* Quia Eugenius IV. illis verbis bene approbavit progressum Concilii, non vero ejus decreta: ita se explicavit Eugenius in disputatione publica, in qua respondebat Joann. de Turre-cremata: *Nos quidem*, inquit, *bene progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut incœperat, non tamen approbamus ejus decreta*. Ita testatur ipse Turre-cremata (*libro* 2. *de Ecclesia*, *cap.* 100.), & ipsimet Patres Basileæ congregati, *sess.* 38. fatentur, Eugenium IV. damnare, & reprobare veritates de præeminentia Concilii, quas ipsi Basileenses, veritates fidei esse, asserebant.

*Ad secundam probationem, respondent Itali:* Eugenium IV. in Bulla dissolutionis Concilii revocatoria, illud appellasse *generale* Concilium, non vero legitimum & œcumenicum, ad quod requiritur confirmatio, & approbatio Pontificia, juxta illud Sancti Damasi Papæ, Epistol. 2. ad Stephanum & Concilium Africanum: *Nulla umquam Concilia leguntur rata, quæ Apostolica authoritate non sunt fulta*.

*Ad tertiam probationem respondent*. Negando Nicolaum V. approbasse Concilium Basileense quoad omnia, nam illud solum approbavit quoad ea decreta quæ spectant beneficia & censuras Ecclesiasticas, ut videre est in ejus Bulla, relata in summa Conciliorum, *tom.* 1. *pag.* 99. & asserit ipse Duvallius Doctor Parisiensis (*Elencho Libelli de Eccles. pot. contra Anonym.*), dicens: *Hoc Concilium* (Basileense) *pro beneficiorum pragmaticis tantum recipitur: nec umquam Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatem & valorem est necessarius, fuit confirmatum*.

*Quoad Pium II. respondent:* Quod de facto approbaverit decreta Basileensia, ipsisque firmiter adhæserit cum esset junior & simplex Clericus; verum senior factus, inquiunt, & ab ipsa veritate convictus, mutavit sententiam, atque cum ad Pontificatum fuit evectus, scripsit Bullam retractationum Concilii Basileensis pro Eugenio IV. quæ extat tom. 4. Conciliorum, in qua retractat quidquid contra primæ Sedis authoritatem dixerat, vel scripserat, dicens: „ Nos homines sumus, & ut homines erravimus; „ neque imus inficias, multa quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse. Verum .... dilectiones vestras hortamur & in Domino commonemus, „ ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem „ ullam præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis

„ au-

„ authoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid „ astruunt, quod sacrosancta non amplectitur Romana Ecclesia . . . . . sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis, quam juveni credite, nec „ privatum hominem pluris facite, quam Pontificem, Æneam rejicite, Pium recipite. *Postea addit*: Dicent fortasse aliqui cum Pontificatu hanc „ nobis opinionem advenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam, haud ita est, longe aliter „ actum". Et post enumeratos homines, & facta, quæ ipsum in errorem induxerant, enumerat eos, a quibus fuit in viam veritatis adductus: *Quibus consideratis*, ait, *caligo tandem ab oculis nostris cecidit. Recognovimus errorem nostrum, venimus Romam, Basileense dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, & reconciliati Ecclesiæ Romanæ, doctrinam ejus imbuimus . . . . eramusque adhuc pene Laici quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Basilea, clericali tantum charactere insigniti, recessimus, nec umquam sacros imbuimus ordines, nisi post veritatem cognitam, Basileensi cæcitate relicta . . . . . Hæc est conversatio nostra, per hos gradus a tenebris ad lucem migravimus.*

Deinde probat ex Scriptura & Traditione supremam Vicarii Christi authoritatem; sicque concludit: *Si qua vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnet, illa tamquam erronea, & juvenilis animi parum pensata judicia, revocamus, atque omnino respuimus.*

### §. XIX. *De Concilio Florentino.*

*Nota*. Concilium Florentinum illud est, quod cum Ferrariæ ab Eugenio IV. & saniori parte Concilii Basileensis, anno 1438. inchoatum esset, ob pestem quotidie gravius ingravescentem, Florentiam translatum est, ibique anno 1439. fuit absolutum, imperante in Occidente Alberto II. Indictum fuit ad unionem Græcorum cum Latinis: ipsi adfuere ex Occidentalibus Eugenii IV. præses, 8. Cardinales, 51. Episcopi, & plures tum Abbates, tum Ordinum Generales, & Doctores. Ex Orientalibus, Joannes Paleologus Imperator, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Basilius Patriarcha Jerosolymitanus, Vicarii Patriarcharum Alexandrini, & Antiocheni, multique Archi-Episcopi, & Episcopi.

Quæres 1. *Quænam gesta sunt in hoc Concilio?*

*Resp.* Editum est utriusque Ecclesiæ decretum, cui omnes, tum Græci, tum Latini subscripsere, in quo definitum est:

1. Quod Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat, quodque particula, *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, jure ac merito addita sit Symbolo. 2. Quod sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter conficitur, Sacerdotesque debere in alterutro ipsum Domini Corpus conficere, unumquemque scilicet juxta suæ sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiæ morem. 3. Quod animæ in charitate decedentes, antequam dignis pœnitentiæ fructibus pro peccatis commissis satisfecerint, pœnis Purgatorii post mortem purgentur, eisque prosint vivorum suffragia. 4. Quod Romanus Pontifex in universum orbem teneat principatum, quod sit verus Petri successor, & Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, &c.

Quæres 2. *An Concilium Florentinum sit œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam 1. ab Eugenio IV. fuit convocatum. 2. Eugenius ei præsedit per se. 3. Universalem repræsentabat Ecclesiam, ut patet: unde Eugenius IV. declarat suum decretum editum fuisse; *sacro approbante œcumenico Concilio Florentino.*

### §. XX. *De Concilio Lateranensi V.*

*Nota*. Anno 1511. aliqui Cardinales adversus Julium II. Conciliabulum Pisis convocarunt, eo videlicet prætextu, quod Julius non staret juramento in sua electione præstito, de generali convocando Concilio intra primum a sua consecratione biennium; quod cum Julius dolens cerneret, ad subito medendum nascentis schismatis malo, necnon ad reformandos Ecclesiæ mores, inter Principes Christianos ineundam, ac promovendam in Turcas expeditionem sanctam, convocavit Concilium Romæ apud Lateranum celebrandum, anno 1512. imperante Maximiliano. Ad hoc Concilium undique vocati sunt Prælati omnes, sed ei interfuere 114. duntaxat, inter quos numerabantur Cardinales 18. Patriarchæ Orientales duo, Antiochenus, & Alexandrinus, cum pluribus aliis Doctoribus, & Ordinum Generalibus, quibus præfuit ipse Julius II. ad 4. usque sessionem, &, ipso ad mortem ægrotante, quintæ præfuit Raphael Cardinalis Episcopus Ostiensis; cæteris vero præfuit Leo X. recenter electus.

Quæres 1. *Quænam sunt gesta in illo Concilio?*

Resp. 1. Conciliabulum Pisanum fuit reprobatum. 2. Lecta fuit Bulla pro pragmaticæ sanctionis abrogatione. 3. Actum est de pace inter Principes Christianos componenda. 4. Montes pietatis fuerunt approbati. 5. Publicata fuit pragmaticæ sanctionis abrogatio, & pacta inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ concordata, in locum pragmaticæ substituta. 6. Tandem absolutum est Concilium sessione 12. & a Leone X. speciali diplomate confirmatum.

Quæres 2. *An Concilium Lateranense sit œcumenicum?*

Resp. 1. In Gallia non reputatur œcumenicum, quia Senatus, & Academia Parisiensis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab isto Concilio ad aliud futurum generale interjecerunt propter abrogatam pragmaticam sanctionem, & substituta in illius locum concordia, quæ nuper Bononiæ inter Leonem X. & Franciscum I. inita erant.

Resp. 2. In aliis regionibus hoc Concilium œcumenicum habetur: 1. Ob convocationem, præsidentiam, & confirmationem Summi Pontificis. 2. Ob præsentiam Patriarcharum Orientalium. 3. Ob convocationem omnium Episcoporum, licet plures non adfuerint, maxime Episcopi Galli ob Concilium Pisanum, quod fovebat Rex Galliæ.

### §. XXI. *De Concilio Tridentino, Oecumenico ultimo.*

*Nota*. Concilium Tridentinum a Paulo III. ad damnandos errores Lutheri, Calvini, & sequacium

No-

Novatorum, atque ad reformandam Ecclesiam fuit indictum, 1. *Mantuæ*, deinde *Vicentiæ*, postremo tandem *Tridenti*, ubi an. 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Rom. Pontificibus, Paulo III. Julio III. & Pio IV. celebratum est tempore Caroli V. & Ferdinandi I. atque 25. sessionibus finitum.

Quæres 1. *Quænam sunt gesta in hoc Concilio?*

Resp. Multa in hoc Concilio circa fidem, mores, & disciplinam fuerunt tractata & definita, quæ hic recensere vanum & fastidiosum foret; cum Concilium Trid. omnium manibus teratur.

Quæres 2. *An Concilium Tridentinum sit œcumenicum?*

Resp. *affirm.* Nam 1. fuit canonice convocatum a Summo Pontifice. 2. Habuit debitum præsidem, R. Pontificem, qui præsedit per suos legatos. 3. Ipsi adfuerunt ex præcipuis totius orbis Christi provinciis Patres, numero 255. qui subscripserunt, nimirum 26. Cardinales, 3. Patriarchæ, 25. Archi-Episcopi, 168. Episcopi, 36. Absentium Procuratores, 7. Abbates, 8. Religiosorum Ordinum Generales; prætermissis aliis permultis magni nominis doctoribus, & insignibus viris. 4. In quæstionibus, sive fidei, sive morum, sive reformationis, nunquam definitio lata fuit sine præcedenti maturo examine in congregationibus, tam particularibus, quam generalibus, ut refert Pallavicinus. 5. In sessionibus Episcopi, aliique, quibus jus erat ferendi suffragium decisivum, suum de rebus propositis judicium, liberrime ferebant per verbum, *placeat*, ubi nihil in decreto mutandum esse censebant, ut asserit idem Pallavicinus. 6. A Pio IV. confirmatum fuit Bulla singulari, qua illud recipi & ab omnibus observari mandatur. 7. Denique Concilii Tridentini decretis præcipuæ Christiani orbis Ecclesiæ adhæserunt, illaque tota animi submissione susceperunt, ut constat ex variis omnium ditionum Conciliis, tum nationalibus, tum provincialibus.

*Dices* 1. Concilium Trid. non est receptum in Gallia; ergo a Gallis non habetur pro œcumenico.

Resp. *dist. ant.* Non est receptum in Gallia quoad decreta fidei & morum, *nego ant.* hæc enim lubenti animo amplexa est Ecclesia Gallicana, atque in multis Conciliis provincialibus (*Conc. Rhemense, an.* 1564. *Rothomag. an.* 1581. *Burdigal.* 1583. *Turon.* 1583. *Bituric.* 1584. *Aquense* 1585. *Tolosan.* 1590. *&c.*) promulgavit. Quoad decreta spectantia disciplinam, *subdist.* quoad aliqua decreta, quæ regni juribus & consuetudinibus, ex veterum Canonum præscripto servari solitis, adversantur, *conc. ant.* quoad alia, *nego ant.* nam quoad illa disciplinæ decreta, fuit receptum, non solum in Conciliis provincialibus, sed maxime in Comitiis Cleri generalibus Lutetiæ Parisiorum habitis, an. 1615. Porro sicut Concilia Constantinop. I. & Chalcedonense non desinunt esse œcumenica in Ecclesia Romana, quamvis nonnullos illorum Canones, sedem Constantinopolitanam spectantes, Romana non recipiat Ecclesia, ita Concilium Trid. non desinit esse œcumenicum in Gallia, quamvis aliqua disciplinæ decreta, juribus regni contraria, non recipiat Ecclesia Gallicana.

*Dices* 2. Prioribus Concilii sessionibus pauci adfuerunt præsules; ergo in illis saltem session. Concilium non fuit œcumenicum.

Resp. *nego conseq.* Nam ad Concilii œcumenicitatem non requiritur, ut omnes Patres, qui venturi expectantur, adsint omnibus sessionibus præsentes, sed requiritur & sufficit, ut omnes orbis Episcopi canonice ad Concilium vocentur, & ingens numerus eorum qui postremis sessionibus adsunt, suo judicio priores sessiones comprobent, quod factum est in Concilio Trid. ut constat ex hoc continuationis sess. 25. capitulo: „ Quoniam diversis temporibus, tum sub felicis record. Paulo III. quam Julio III. multa in hoc sacro Concilio quoad dogmata & morum reformationem statuta & definita sunt, vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur & legantur. Et infra, recitata sunt ".

## CAPUT VI.

### *De locis externis Theologiæ.*

### PARAGRAPHUS I.

#### *De Doctorum Scholasticorum authoritate.*

Quæres. *Quanta sit Doctorum Scholasticorum authoritas ad faciendam fidem?*

Resp. 1. *Ubi Doctorum Scholasticorum variæ sunt, eoque discrepantes, sententiæ, major numerus non est certum veritatis argumentum.*

*Prob.* Quia, ut ait Canus, in Scholæ dissidiis non solo authorum numero, sed potissimum pondere rationum quærenda est veritas: atqui opinio minoris Doctorum numeri potest fulciri rationibus æque gravibus, ac quandoque gravioribus opinione majoris numeri; ergo major numerus non est certum veritatis argumentum. Unde expendendæ sunt, & ponderandæ rationes quibus utuntur, atque iis adhærendum, qui suam opinionem gravioribus rationibus fulciunt.

*Hinc*, merito reprehendendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Schola acceperunt, præjudiciis, ipsis ita adhærent, ut statim oppositas absque sufficientibus rationibus damnent, & quandoque notis gravioribus inurant.

Resp. 2. *Communis Theologorum sententia in re aliqua gravi, argumentum subministrat ita probabile, ut nisi manifesta sit obluctandi ratio, notam temeritatis mereatur is qui refragari ausus sit.*

*Prob.* Quia in qualibet arte, peritis credendum esse, ratio demonstrat; ergo temerarius est qui in rebus Theologicis, & Ecclesiasticis dogmatibus, Scholæ Magistris unum communiter sentientibus, non adhæret. Hinc Concil. Viennense (*De locis l.* 8. *c.* 4. *concl.* 3.) docet: „ Opinionem illam quæ dicit, tam pueris, quam adultis, conferri in baptismo gratiam informantem & virtutes; tanquam probabiliorem & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, fore a Catholicis eligendam ".

Dixi: *Nisi manifesta sit obluctandi ratio:* quia opinio communis est ea quam communiter te-

nent Theologi; licet aliqui pauci dissentiant: ergo si illi pauci, qui contra communem sentiunt, tam efficaces suæ opinionis rationes afferant, ut communis sententiæ argumentis æquivaleant, tunc sine temeritate potest quis a communi recedere.

Resp. 3. *Concors & constans omnium Theologorum, in aliquo & morum dogmate tradendo, sententia, tanta est authoritatis, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit.*

Prob. Quia numquam omnes scholastici uno ore aliquod dogma constanter asseruere, *quod vel ex sacris litteris, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Pontificum, aut Conciliorum definitionibus, non habeat certam originem*, ait Canus (Clement. *unica de sum. Trin.*); atqui quod ab illis fontibus ducit originem, tantæ est authoritatis, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit; ergo. Hinc nullum invenitur dogma, quod omnes scholastici constanter asseruerint esse fidei, cui Ecclesia contradixerit.

§. II. *De ratione naturali.*

Quæres 1. *An ratio naturalis, certa Theologo possit suppeditare argumenta?*

*Resp.* Ratio naturalis certa per demonstrationem Theologo potest subministrare argumenta, sed ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* ratio naturalis certo concludit, ergo *non furandum, non occidendum*, &c. sed non potest suppeditare argumenta proprie Theologica, quandoquidem conclusio Theologica ex una saltem propositione revelata deduci debet.

Quæres 2. *An ratio naturalis Theologo sit utilis?*

*Resp.* Non solum est utilis, sed & necessaria: nam Theologus non solum debet esse *potens exhortari in doctrina sana, sed & eos, qui contradicunt, arguere*, ait Apostolus (*Tit.* 1. *v.* 9.); atqui non potest eos, qui contradicunt, arguere, sine ratione naturali, sine qua *fidelis quidem esse poterit, sed fidelium doctor esse non poterit*, ait Canus (*l.* 1. *de locis c.* 2.).

Quæres 3. *An ratio naturalis sit revelationi subjicienda?*

*Resp.* Est revelationi subjicienda velut ancilla, quam in suum obsequium asciscat. *Oportet*, ait D. Thomas (1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2.), *quod naturalis ratio subserviat fidei*. Ab hac regula deficientes Sociniani, atque ad rationis normam Christianæ religionis mysteria commensurantes, quidquid rationis captum superat, ut sunt mysteria Ss. Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis, &c. impudenter rejecerunt.

§. III. *De Philosophorum placitis.*

Quæres 1. *An Philosophorum placita Theologis sint utilia?*

*Resp.* Sunt maxime utilia ad fidem Christianam adversus gentiles obfirmandam, ut, veluti ex propriis Prophetarum suorum oraculis convicti, divinæ veritati facilius præbeant assensum: sic D. Paulus in medio Areopagi non dedignatus est proferre Philosophorum sententias, ut Areopagitas de idolorum vanitate facilius convinceret.

Quæres 2. *An Philosophorum placita, certa Theologo argumenta, sufficere possint?*

*Resp.* Non posse, nisi firma ac demonstrativa ratione fulciantur; Theologo enim indignum est ab aliquo Philosopho, tamquam ab oraculo, pendere, cum habeat *firmiorem propheticum sermonem*.

§. IV. *De historia humana.*

Quæres 1. *An historia humana Theologo sit utilis?*

Resp. Historia humana, præsertim Ecclesiastica, adeo utilis est, ut eruditus non possit esse Theologus, qui historiam veterem ignorat.

*Prob.* Quia Theologus ex historia addiscit, quid antiquum, quidve novum; quæ dogmata fidei & morum sint in Conciliis definita; quæ disciplinæ præcepta sint tradita; qua occasione nonnulla in Conciliis sint statuta; quam ob causam aliqua a Patribus scripta fuerint, ac proinde quinam sit germanus Conciliorum, & Patrum sensus: atqui sine illorum notitia eruditus non potest esse Theologus; ergo.

Quæres 2. *An historia humana, certa Theologo possit administrare argumenta?*

Resp. 1. *Factum historicum a pluribus viris gravibus & fide dignis relatum, probabile argumentum suppeditat.*

Ratio est, quia probabile ac verisimile est evenisse factum, quod a pluribus historicis probatis ac fide dignis asseritur. *Si namque*, ait Canus (*l.* 11. *de locis c.* 4. *concl.* 2.), *in ore duorum, vel trium, stat omne verbum, cur adversus hanc legem pluribus testibus rem eamdem olim gestam contestantibus, fidem Theologus abrogabit?* imprudenter certe se gereret.

Resp. 2. *Factum historicum ab omnibus gravibus & fide dignis, nullo contradicente enarratum, Theologo certum, ad Theologiæ dogmata constituenda, argumentum suppeditat.*

*Prob.* Id certum Theologo argumentum suppeditat, de quo nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest: atqui de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis historicis, nullo contradicente, refertur, nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest; ergo. Quis v. g. nisi desipiat, dubitare potest D. Petrum Romæ collocasse sedem, ibique martyrii gloria coronatum fuisse? Concilium Nicænum a S. Sylvestro vero Ecclesiæ Pontifice, tempore Constantini Magni, coactum fuisse? Certe eo argumenti genere probamus quædam Concilia esse œcumenica, ac proinde fide divina credenda ea, quæ in eis definita fuerunt.

Quæres 3. *Quænam conditiones requiruntur, ut historicus censeatur fide dignus?*

*Resp.* Tres requiruntur. *Prima*, ut sit rei, quam enarrat, coætaneus; neque enim tantam fidem meretur, si multo post tempore vixerit.

*Secundo*, ut numquam, in rebus non multum intricatis, fuerit deceptus.

*Tertia*, ut ipsius non intersit, quod facta sic extiterint, quomodo ab eo referuntur. Hujus conditionis defectu, Eusebii Cæsariensis fides, in rebus quæ Arianismum spectant, dubia est: quia teste D. Hieronymo (*Epist. ad Pammachium*): *Ecclesiasticam pulchre* [illegible] *historiam texit, sed impietatis* [illegible] *apertissimus propugnator est.* Sic etiam Socratis & Sozomeni fides est dubia in rebus quæ ad Novatianos pertinent, quia Novati schismate infectos fuisse perhibetur, &c.

DIS-

## DISSERTATIO VI.

*De propositionum heterodoxarum censuris.*

*Nota.* Cum propositiones hæterodoxæ variis modis damnentur, variisque notentur censuris, pro diversitate modi quo fidei & morum dogmatibus opponuntur; ideo agemus 1. De modo quo propositiones hæterodoxæ damnentur ab Ecclesia 2. De variis censuris, quibus notari solent ab Ecclesia, duplici capite.

### CAPUT I.

*De modo quo propositiones heterodoxæ damnantur ab Ecclesia.*

*Nota* 2. Duplici modo pravæ propositiones notari solent ab Ecclesia: 1. in particulari; 2. in globo. *Notantur in particulari*, quando Ecclesia, eas proscribendo, suas singulis notas tribuit: sic damnatæ sunt quinque famosæ propositiones ex libro Jansenii extractæ.

*Notantur in globo*, quando omnes simul proscribuntur tamquam falsæ, perniciosæ, scandalosæ, hæreticæ, &c. respective, non determinando in particulari propositiones quæ una, vel pluribus ex his notis censoriis debeant affici.

*Nota* 2. Conveniunt omnes decreta in quibus propositiones proscribuntur, & cuilibet specialis aliqua censura affigitur, esse judicia Ecclesiæ dogmatica, ipsumque mentis obsequium a fidelibus exigere. Verum plures in hac nostra ætate, ut Bullæ Clementis XI. quæ incipit, *Unigenitus*, authoritatem detrahant, docent modum damnandi plures in globo propositiones esse illegitimum, & consequenter decreta, in quibus sic in globo damnantur, non esse dogmatica, cum, inquiunt, nihil distincte credendum proponant, sed ad summum spectari posse velut disciplinæ regulam, quæ a fidelibus mentis obsequium minime exigit. Contra quos sit:

### CONCLUSIO I.

*Modus, quo Ecclesia plures in globo damnat propositiones heterodoxas, est legitimus, & ab omnibus approbandus.*

*Prob.* Illud est legitimum & ab omnibus probandum, quod sua praxi probat, & semper probavit Ecclesia, juxta illud Div. August. Ep. 118. *Insolentissimæ insaniæ est disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Atqui Ecclesia sua praxi probat & semper probavit modum plures in globo damnandi propositiones; ergo, &c.

*Prob. min.* variis exemplis.

1. Concilium Constantiense, sess. 8. libros Joannis Wicleffi & 45. articulos ex ipsis extractos, sub hac sequenti forma proscripsit: „ Quibus articulis examinatis fuit repertum, prout in veritate est, aliquos ex ipsis fuisse & esse notorie hæreticos, a SS. Patribus dudum reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos. Compertum est etiam libros ejus plures alios articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in Ecclesia Dei vesanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine Domini Nostri J. C. hæc sancta Synodus prædictos articulos, & eorum quemlibet, libros nominatos, & alios ejusdem, hoc perpetuo decreto reprobat, & condemnat “. Atqui illa censura in globo duntaxat fertur: nec enim determinat quænam nota singulis articulis debeat applicari; ergo, &c.

2. Leo X. Bulla quæ incipit, *Exurge, Domine*, Lutheri 34. articulos proscripsit in globo, quæ damnatio ab omnibus summa lætitia fuit recepta, ut narrat Pallavicinus, *lib. 1. hist. Conc. Tridentini, cap. 21. & 22.* & exinde Lutherus cum suis sectatoribus toto orbe pro hæretico habitus est.

3. S. Pius V. damnavit in globo 97. propositiones Michaelis Baji, quam damnationem sacra Facultas Parisiensis recepit, *die 15. Januarii, an. 1644.* Imo illud censuræ genus ita legitimum visum est ipsi Bajo, ut, an. 1580. scripto publico declaraverit se damnationi Pontificiæ per omnia acquiescere; atque a proscriptis propositionibus omnino recedere.

4. Alexand. VII. & Innocent. XI. varias in materia morum propositiones damnarunt in globo tantum & confuse; hasque damnationes contra laxioris Ethices patronos admittunt ac laudant adversarii, quos hic impugnamus.

5. Idem Innocent. XI. in globo damnavit 68. propositiones Michaelis Molinos . . . . hoc ipsum egit Alexander VIII. decreto dato die 7. Decembris 1690. dum damnavit 31. propositiones: „ tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresis sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, & uti tales prohibuit eas edoceri & ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ “.

6. Innocent. XII. constitutione, *cum alias*, data ann. 1699. damnavit librum, cui gallice titulus est, *Explication des maximes des Saints, &c.* & insuper ex eo 23. propositiones extraxit, quas confixit, *tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective*, huicque censuræ, non solum illustrissimus libri author, sed & universa Ecclesia subscripsit.

7. Tandem Clemens XI. Bulla quæ incipit, *Unigenitus*, damnavit sub eodem genere censuræ 101. propositiones ex libro reflexionum moralium excerptas, cujus constitutio per universam Ecclesiam recepta fuit.

*Objicies.* Damnatio propositionum incerta, non est legitima; atqui damnatio propositionum, quæ tantum fit in globo, est incerta; ergo, &c.

Resp. *nego min.* In hujusmodi enim censuris illud certum est, de quo Ecclesia nos certos vult fieri, nimirum nullam esse e damnatis propositionibus, quæ non mereatur aliquam saltem e censuræ notis quæ in decreto exprimuntur, & vice versa, nullam esse in decreto notam, quæ non possit in aliquas e damnatis propositionibus cadere, & consequenter *omnes damnatas propositiones perniciosas esse, si tradantur, periculosas, si credantur*, ut Cardinalis Pallavi-

lavicinus respondit Fra-Paulo objicienti Leonis X. censuram, quæ Lutheri articulos in globo solum damnabat, insufficientem fuisse.

*Inst.* 1. Per censuram in globo factam, non potest certo sciri quænam nota singulis conveniat propositionibus; ergo illa censura est incerta.

Resp. *transeat ant. nego conseq.* Certum quippe est, nullam esse propositionem quæ non mereatur unam saltem e notis in decreto memoratis, quæcumque tandem ea sit; illud porro sufficit, nec in aliud ferri debet mentis obsequium Ecclesiæ authoritati debitum, uti declarat Martinus V. in formula interrogatoria, quam sacro approbante Constantiensi Concilio digessit, per quam præcipit ut a suspectis litteratis requiratur: „ Utrum credant sententiam sacri Concilii Constantiensis de 45. Wiclefi & 30. Joannis Hus articulis latam, fore veram & catholicam, scilicet quod supradicti articuli non sunt catholici; sed quidam ex eis sunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & seditiosi, alii piarum aurium offensivi ".

Dixi: *transeat ant.* quia Doctores possunt scire quænam nota singulis propositionibus conveniat, & docere: id enim ipsis inquirendum & assignandum relinquitur, donec ab Ecclesia specialibus id fuerit determinatum.

*Inst.* 2. Ecclesia potest determinare quænam nota singulis propositionibus conveniat; ergo id debet definire.

Resp. *nego cons.* Rationem reddit Card. Pallavicinus loco supra citato: „ Etenim, *inquit*, ut aliquis articulus tamquam fidei dogma statuatur, & summa necessitas urgeat, oportet ut exactissima trutina examinetur, cum ejusmodi declaratio imperet hominum mentibus rem maxime omnium quam Christiana lex habet arduam, id est, ut res obscuras circa omnem dubitationem credamus: quapropter Ecclesia, quantum licuit, ab eo semper abstinuit. Jam vero, quia multæ doctrinæ homines inclinant ad hæresim, aliaque infligunt incommoda, par est eas a linguis & paginis relegare ". Ad id autem, & ad fidem tuendam, satis est, quod Ecclesia declaret propositiones, quas damnat, esse penitus rejiciendas, utpote cum ex ipsis quædam sint hæreticæ, quædam erroneæ, &c.

## CONCLUSIO II.

*Ecclesiæ decreta, quibus plures in globo propositiones damnantur, sunt vere dogmatica; ipsumque mentis obsequium a fidelibus exigunt.*

*Prob.* 1. Ex Concil. Constantiensi, quod damnans in globo 45. articulos Wiclefi, expresse ait, se id facere, *ut de medio Ecclesiæ spurcissima illius doctrina eliminetur*. Atqui decretum, quo de medio Ecclesiæ spurcissima aliqua eliminatur doctrina, vere dogmaticum est, internumque mentis obsequium exigit; ergo, &c. Hinc Martinus V. sacro illo approbante Concilio statuit personas de prava Wiclefi doctrina suspectas interrogari: „ Utrum credant quod condemnationes Joannis Wiclefi, Joannis Hus & Hieronymi de Fraga factæ de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Concilium Constantiense, fuerint rite & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ ". Quæ verba perfecte demonstrant solo mentis obsequio satisfieri Decreto Constantiensi, plures in globo propositiones damnanti.

*Prob.* 2. Ex SS. Pontificibus, qui in Decretis, quibus varias damnant propositiones, asserunt se ideo eas damnare, vel quia *per illas invehitur opinandi modus ab Evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina alienus*. Ita Alexand. VII. in Decreto an. 1665. vel, *ut possint fideles pascua nimium pernitiosa in pravis doctrinis exhibita vitare*. Ita Alexand. VII. in Decreto anni 1690. vel, *ut fallacem doctrinam, errores gravissimos, & noxia zizaniorum semina velut ob oculos exponerent, quibus denudatis & in propatulo positis, omnes Christifideles apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur*. Ita Clemens XI. in Costitutione, *Unigenitus*. Atqui decreta quæ damnant doctrinam ab Evangelica simplicitate alienam, &c. sunt vere dogmatica, ipsisque internum mentis obsequium debetur; ergo, &c.

*Prob.* 3. Quia decreta, ex quibus Theologi dogmata fidei confirmare solent, sunt vere dogmatica; atqui talia sunt decreta in quibus plures in globo propositiones damnantur; ergo, &c.

*Prob. min.* Estius, in collatione Lipsiensi, Luthero opposuit articulos Wiclefi in Concilio Constantiensi damnatos; omnes Theologi a tempore Pii V. Gregorii XIII. Alexandri VII. Innoc. XI. Alex. VIII. omnes suas conclusiones probant ex illorum Pontificum decretis; ergo, &c.

*Objicies* 1. Post famosas quinque propositiones Jansenianas damnatas in globo ab Urbano VIII. octoginta quinque Galliæ Episcopi novum postularunt ab Innocentio X. judicium, quo distincte pronuntiaret, quid de qualibet propositione sentiendum; ergo judicarunt censuram in globo latam, esse insufficientem.

Resp. *nego conseq.* Non enim novum judicium requirerunt Gallicani Præsides, quod Bullam Urbani VIII. insufficientem esse putaverint; sed illud unice postularunt, ut per illud frangeretur omnino pertinacia eorum, qui, pravo affecti animo, inde sumebant inobedientiæ prætextum quod nulli propositioni certa censuræ nota fuisset inusta. Quæ responsio constat ex eo quod dicti Præsules in sua ad Innocentium X. epistola expresse dicant per Bullas Pii V. & Urbani VIII. quibus in globo tantum propositiones Baji & Jansenii proscribebantur, contentiones a Jansenii discipulis moras debuisse terminari: " Tales quidem motus, ajunt, sedari oportebat, tum Concilii Tridentini authoritate, tum Bullæ illius qua Urbano VIII. felicis memoriæ adversus Jansenii dogmata pronuntiavit, & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmarunt ".

*Objicies* 2. Decretum dogmaticum habet pro objecto pravam doctrinam quam proscribit; atqui pleræque censuræ, quæ feruntur in globo, non habent pro objecto pravam doctrinam; ergo non sunt decreta dogmatica, sed meræ œconomiæ.

Resp. *nego min.* Nam propositiones censoria nota non inuruntur, nisi sacræ doctrinæ aliquatenus adversentur; *nec ad id necesse est, ut illos* (pro-

(propositiones) *certo Dei verbis repugnent*, ait Cardinal. Pallavicinus, respondens objectioni factæ a Petro Suavi, seu Fra-Paulus, *satis est, si aut gravia extent indicia hujus repugnantiæ, eo quod adversentur seu communi scholæ sensui, seu veteribus Ecclesiæ usibus, seu SS. Patrum authoritati, aut deprehendantur ut semina operum quæ efficiant christianæ reipublicæ, ac proinde mereantur aliquam ex supra memoratis* (in Concilio Constantiensi) *censuris, quæcumque tandem ea sit*. Ac proinde illæ propositiones sic censuratæ non possunt ab ullo Catholico defendi, sed animo sincero debent rejici, quandiu, & ubi eandem significationem retinebunt.

*Inst.* Censuræ in globo latæ hoc tantum præstant, ut usum prohibeant quarumdam propositionum, quas, habita ratione circumstantiarum loci, vel temporis, non expedit enuntiare, licet in se veræ sint, vel etiam in aliis circumstantiis necessariæ; ergo non habent pro objecto pravam doctrinam.

Resp. *nego ant.* Simplicem enim prohibitionem, quæ servandæ pacis gratia fit, confundit cum censura alicujus doctrinæ. Per censuram decernitur doctrinam aliqua propositione expressam, esse nocivam, unde ipsum mentis obsequium exigit, & qui eam infringit, violatæ fidei reum se constituit; e contra simplex prohibitio fit quandoque de libris ac opinionibus, quarum occasione in Ecclesia tumultus possent excitari: unde qui eam infringit, inobedientiæ, quæ disciplinæ legibus debetur, non tamen violatæ fidei, reus efficitur.

## CAPUT II.

*De variis censuris, quibus propositiones heterodoxæ notari solent ab Ecclesia.*

*Nota.* Propositiones perversæ, aliæ sunt *Hæreticæ*, aliæ *erroneæ*, *temerariæ*, *scandalosæ*, &c. Singulas hic breviter exponemus. Itaque

Quæres 1. *Quid sit propositio hæretica?*

Resp. Est ea, *Quæ formaliter & directe adversatur propositioni explicite, vel implicite revelatæ*; cum hac differentia, quod propositio opposita propositioni explicite revelatæ, sit hæretica ante Ecclesiæ definitionem; propositio vero opposita propositioni implicite tantum revelatæ, non sit hæretica, nisi post Ecclesiæ definitionem.

*Resolves* 1. Hanc Jansenii propositionem: *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur*: esse hæreticam, etiam ante Ecclesiæ definitionem, quia contradictorie opponitur huic expresse revelatæ: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*.

*Resolves* 2. Hanc prop. *Baptismus datus ab hæreticis non est validus*, esse hæreticam, sed tantum post expressam Ecclesiæ definitionem; nec enim ante hanc definitionem omnibus Ecclesiis constabat contrariam propositionem in Verbo Dei, sive scripto, sive tradito, implicite contineri.

Quæres 2. *Quid sit propositio erronea?*

Resp. Est ea, *Quæ opponitur veritati, quam vel universa tenet Ecclesia, quamvis non sit de fide, vel communis Doctorum Catholicorum sententia mediate revelatam judicat, licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum.*

*Resolves* 1. Has propositiones: *Expedit ut lingua vulgari sacra celebretur Liturgia; Beata Virgo non est in cælum corporaliter assumpta*, esse erroneas: quia propositiones contradictoriæ tenentur constanter ab universa Ecclesia. Ita docet Canus *lib. 12. de locis cap. 11.*

*Resolves* 2. Hanc propositionem: *Invalidus est Baptismus ab hæreticis datus*, quæ post Ecclesiæ expressam definitionem est hæretica, ante talem definitionem fuisse tantum erroneam.

*Dices*: Propositio erronea, est ea, quæ opponitur veritati, quæ deducitur ex una præmissa de fide, & altera evidenter vera; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam hæc propositio, *Christus non habet humanam voluntatem*, est hæretica, & ut talis damnata contra Monothelitas; ergo non est tantum erronea; atqui tamen sequitur ex una propositione revelata, nempe, *Christus est homo*.. & ex altera evidenter vera, nimirum, *Omnis homo habet humanam voluntatem*; ergo, &c.

Quæres 3. *Quid sit propositio hæresi proxima?*

Resp. Est ea, *Quæ maxima cum probabilitate judicatur hæretica*. Quæ, nimirum tantam cum doctrina hæretica connexionem habet, ut a majori & saniori Doctorum Catholicorum parte hæretica censeatur, quamvis aliqui non infimæ notæ Theologi contendunt hanc ipsi notam non esse inurendam. Hæc non videtur distingui a propositione erronea: ipsi enim tantum deest expressa Ecclesiæ definitio, ut sit hæretica.

Quæres 4. *Quid sit propositio suspecta de hæresi, & hæresim sapiens?*

Resp. 1. Propositio *suspecta de hæresi* est ea, *Quæ licet aliquo sensu tolerari possit & enunciari, tamen magna cum probabilitate judicatur hæretica.*

Resp. 2. Propositio *hæresim sapiens*, est ea, *Quæ majori cum probabilitate, quam suspecta de hæresi, judicatur hæretica*. Sic ista propositio: *Christus est creatura*, vel, *Patre minor*, catholice quidem posset intelligi ratione humanitatis; sed prolata tempore Arianismi, etiam ab eo qui non est de Ariana hæresi suspectus, est *suspecta de hæresi*, prolata vero ab eo qui de Arianismo suspectus est, hæresim Arianam sapit. Sic hæc vox *Christotocos*, tempore Nestorianismi, erat suspecta de hæresi; & hæresim sapiebat prolata ab eo qui suspectus erat de Nestorianismo; hodie est catholica: in Litaniis enim dicitur, *Mater Christi*.

Itaque, ut propositio dicatur suspecta de hæresi, aut hæresim sapere, in se sola considerari non debet; sed attendenda circumstantia loci, temporis, & scriptoris; unde *non tam ex propositione absolute spectata, quam relative ad proferentem*, suspicio, vel, *super hæreseos æstimari debet*, ait Canus, *de locis*, *lib. 12. cap. 11.*

*Inferes ex dictis*: Propositiones, quæ apud unum authorem sunt orthodoxæ, apud alium, qui eis abutitur, suspectas esse de hæresi, vel hæresim sapere, atque ut tales damnari posse ab Ecclesia.

Si hæc propositio, *Pater major me est*, quæ in Evangelio Christi dulcis erat super mel & favum, eadem propositio in Arii libros transfusa sciebat hæresim, eratque Div. Athanasii gustui amarissima, ait Canus loco citato.

Sic

Sic hæ propositiones Quesnellianæ: 13. „ Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas „ humana ei resistit .... omnes, quos Deus vult „ salvare per Christum, salvantur infallibiliter „; prima fronte videntur similes quibusdam DD. Augustini & Prosperi expressionibus, quæ apud sanctos Doctores de voluntate Dei absoluta, quam adversus Pelagianos propugnabant, intelliguntur; verum hæresim sapiunt in ore Quesnellistarum, qui negant Deum sincere velle aliorum quam prædestinatorum salutem, quod in sensu Janseniano blasphemum & hæreticum declaravit Ecclesia.

Quæres 5. *Quid sit propositio schismatica?*

*Resp.* Est ea, *quæ fideles ab obedientia summo Pontifici, aliisque superioribus Ecclesiasticis debita, retrahit*. Talis est propositio illius qui diceret, summi Pontificis tyrannicum esse imperium; talis quoque est propositio eorum qui docent a Bulla, *Unigenitus*, licitum esse appellare ad futurum Concilium, prout anno 1718. declararunt Episcopi Gallicani numero circiter quinquaginta.

Quæres 6. *Quid sit propositio seditiosa?*

*Resp.* Est ea, " quæ per se nata est subditos ad „ rebellionem contra Principes civiles, vel Rempublicam, inducere, eos a debita Principibus „ obedientia retrahendo: v. gr. *si quis diceret*, Principibus vectigalia non deberi; *vel eis*, aut Magistratibus obtemperandum non esse "; quia homines sunt ejusdem cum aliis conditionis.

Quæres 7. *Quid sit propositio hæresi, aut schismati favens?*

*Resp.* Est ea, *qua Hæretici aut Schismatici, uti possunt ad suos errores, suamque inobedientiam propugnandam*. Sic qui doceret, *Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu per vias publicas non esse circumferendum*, faveret errori Calvinistarum docentium Christum substantialiter non contineri in Eucharistia. Item qui doceret, *Benedictum XII*. non esse canonice electum, faveret schismati, retrahendo fideles ab obedientia legitimo Pontifici debita.

Quæres 8. *Quid sit propositio blasphema?*

*Resp.* Est ea, *quæ Deo, vel Sanctis est injuriosa*. Sic hæc Jansenii propositio: " Aliqua Dei „ præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt „ impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant "; est damnata ab Innocentio X. non solum ut *hæretica*, sed etiam ut *blasphema*: reddit quippe Deum injustum Legislatorem.

Quæres 9. *Quid sit propositio impia?*

*Resp.* Est ea, *quæ cultum Deo debitum minuere de se nata est*. Talis est prædicta Jansenii proposito, *Aliqua Dei præcepta, &c.* ex eo enim quod Deus impossibilia homini præcipiat, desitque gratia qua possibilia fiant, sequitur frustra Deum esse orandum, ad obtinendas gratias ad observanda præcepta necessarias.

Quæres 10. *Quid sit propositio scandalosa?*

*Resp.* Est ea, " quæ per se nata est proximum „ inducere ad peccatum, eumque a virtutum exercitio retrahere, v. gr. *si quis diceret*, ex auriculari confessione gravissima sequi incommoda „: hæc enim propositio per se retrahit fideles a peccatorum confessione, & per accidens est, si non retrahat.

Quæres 11. *Quid sit propositio perniciosa?*

*Resp.* Est ea, " ex qua facile possunt deduci „ conclusiones contra fidem, aut bonos mores; *ut* „ *si quis diceret*, Scripturam sacram indiscriminatim esse legendam, & omnibus tradendam. „ Ad hanc reducitur propositio *periculosa*?

Quæres 12. *Quid sit propositio captiosa?*

*Resp.* Est ea, *quæ sub pietatis specie venenum obtegens, apta est simplicium mentes seducere*. Talis erat ista Arianorum propositio, *Christus est similis Patri*; nam prima fronte videtur significare Christum esse similem in natura, & tamen in authorum sensu, significabat Christum esse similem Patri in potentia ipsi tradita a Patre, non vero in natura.

Quæres 13. *Quid sit propositio male sonans?*

*Resp.* Est ea, " quæ, licet duplicem habeat sen„ sum, unum bonum, & alium malum, absolute „ tamen & sine distinctione profertur „. Sic ista propositio, *Christus est creatura rationalis*, male sonat, quia videtur negare divinitatem Christi.

Quæres 14. *Quid sit propositio piarum aurium offensiva?*

*Resp.* Ea est, " quæ aliquid indecorum de Deo, „ vel Sanctis ejus profert "; ut si quis Sanctos non negando, eorum peccata ipsis improperaret; v. gr. *Sancte Paule persecutor Ecclesiæ, ora pro nobis*.

Quæres 15. *Quid sit propositio temeraria?*

*Resp.* Est ea, " quæ, absque ullo aut Scripturæ, „ aut traditionis, aut rationis Theologicæ fundamento, a communi Theologorum sententia recedit „; v. gr. si quis diceret B. M. V. in cœlum, quoad corpus, non fuisse assumptam.

Quæres 16. *Quid sit propositio falsa?*

*Resp.* Est ea, " quæ factum aliquod, quod ad „ fidem pertineat, eique nocere possit, veritati „ contrarium enuntiat; v. gr. *si quis negaret*, quin„ que famosas propositiones a SS. Pontificibus Cle„ mente X. & Alexandro VII. damnatas, ex libro „ Jansenii fuisse excerptas „: propositionem enuntiaret falsam, quæ insuper, post censuratas propositiones in sensu a Jansenio intento, est hæretica, juxta aliquos.

Dixi *quod ad fidem pertineant, &c.* nam si hæc propositio nullatenus pertineret ad fidem, nec ei foret nociva, non posse ei nota falsitatis theologicæ inuri. Unde opiniones Philosophicæ, licet absurdæ, non debent notari ab Ecclesia, nisi saltem indirecte fidem lædant, quo sensu quædam fuerant damnatæ a Concilio Lateranensi V.

Quæres 17. *Quid sit propositio verbo Dei contraria?*

*Resp.* Est ea, " quæ contraria est Scripturæ & „ traditioni „: nec tamen est hæretica, quia illa contrarietas nondum est supremo Ecclesiæ judicio definita.

Quæres 18. *Quid intelligatur per adverbium*, respective, *cum in decreto, in quo plures propositiones damnantur, dicitur eas esse* respective *hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas, &c.*

*Resp.* Hæc particula *respective*, significat nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in conde-

demnationis decreto referuntur; æqualiter ergo propositiones damnantur, cum in globo damnantur, sed non æquali censura afficiuntur; unde decreto Apostolico sic concepto sufficientem exhibet obedientiam qui credit nullam esse propositionem damnatam, in quam non cadat una saltem ex censuris, quibus in globo notantur.

## DISSERTATIO VII.

### *De præcipuis Hæreticis.*

*Nota.* Omnes & singulas hæreses, quæ per omnia sæcula Ecclesiam divexarunt, nostri non est instituti referre, præcipuas tamen per ordinem sæculorum breviter enumerare non inutile duximus in hocce maxime tempore, quo grassatur undique pestis Janseniana, in quam, velut in orbis terrarum sentinam, tum veterum, tum recentiorum sectatorum colluvies confluxit. Itaque

### §. I. *Hæresiarchæ Sæculi I.*

1. *Simon Magus*, a quo *Simoniani*, qui cum repulsam passus fuisset ab Apostolis, quibus pecuniam obtulerat, ut virtutem conferendi Spiritum Sanctum acciperet, totum se magicis artibus dedit, variaque doctrinæ monstra teste Epiphanio docuit: 1. *Mundum non fuisse a Deo conditum*. 2. *Non esse in homine liberum arbitrium*. 3. *Homines non resurrecturos*. 4. *Bona opera non esse necessaria*. 5. *Se esse Deum, & Helenam scortum suam esse Spiritum Sanctum*. Damnatus est a D. Petro (*Act.* 8.).

2. *Menandriani*, a *Menandro*, Simonis Magi discipulo, qui una cum Simonis impietatibus addebat *se esse Salvatorem mundi*. Hoc S. Linus ab Ecclesiæ gremio ejecit.

3. *Nicolaitæ*, a *Nicolao*, uno ex 7. Diaconis, ut perhibetur, ait Augustinus, hic pulcherrimæ conjugis zelotipia accusatus, ut hujus vitii labem purgaret, permisisse fertur, ut sua uxore quisque uteretur; quod turpe factum sectæ Nicolaitarum occasionem dedit, qui inter cætera docebant: 1. *Uxores esse communes*. 2. *Licere vesci idolothitis*. 3. *Mundum non esse a Deo factum*. Hos damnavit Deus (*Ap.* 2. *v.* 6.).

4. *Cerinthiani*, a *Cerintho*, docebant: 1. *Mundum ab Angelis factum*. 2. *Vetus Testamentum ad litteram esse observandum*. 3. *Jesum esse purum hominem, eum nondum resurrexisse, sed resurrecturum esse*. Hos Div. Paulus damnavit in Epistola ad Galatas.

5. *Ebionitæ*, ab *Ebione* sic dicti, docebant, Christum esse purum hominem, & legis mandata more Judaico esse observanda. Hos Lucas apud Ecclesiam Antiochenam inveniens, damnavit.

### §. II. *Hæresiarchæ Sæculi II.*

1. *Gnostici*, quorum *Carpocrates* fuit coriphæus, docebant: 1. *Mundum a Deo non esse factum*. 2. *Christum merum fuisse hominem ex Josepho & Maria natum*. 3. *Nihil esse malum natura, sed opinione*. 4. *Uxores communes esse debere*. 5. *Animas in alia subinde corpora immitti, ut amplius peccent*. Horrenda sunt quæ de nefandis Carpocratianorum impuritatibus scribit D. Epiphanius, quæ hic exscribere pudet.

2. *Ophitæ*, a Colubro sic dicti, docebant: Serpentem, a quo Adam & Eva fuerunt decepti, esse Christum, unde habebant verum serpentem, quem nutriebant, & adorabant. Hos expugnarunt Theocritus Chalcedoniæ, & Evander Nicomediæ Episcopi.

3. *Cainitæ*, qui docebant Cainum, Judam proditorem, Chore, Dathan, & Abiron, imo & Sodomitas colendos esse.

4. *Millenarii*, qui docebant electos post extremum Judicium per mille annos cum Christo regnaturos in terris, omnibus corporeis voluptatibus indulgentes.

5. *Marcionitæ*, a *Marcione*, quem tria principia boni, justi, & pravi admisisse, scribit D. Epiphanius. Hi ab Origene fuerunt confutati.

6. *Cataphryges*, seu *Montanistæ*, a Montano, qui se dicebat Paraclitum, docebant: 1. Secundas nuptias esse sceleratas. 2. Peccatores non admittebant ad pœnitentiam. 3. Conficiebant Eucharistiam ex farina sanguine infantis anniculi delibuta. Docebant cum Sabellio in Trinitate unicam esse personam. Damnati sunt a Summis Pontificibus Zephyrino, & Aniceto, ut scribit Tertullianus (*Lib. contra Psychicos cap.* 1.).

7. *Quarto-decimani*, sic dicti, eo quod 14. luna Martii Pascha celebrabant, qualibet septimanæ occurrerit die. Damnati sunt a Victore S. Pontifice.

8. *Adamitæ*. Sic dicti, quia imitabantur Adami innocentis nuditatem; unde nuptias damnabant, eo quod Adamus, non prius, quam dimissus esset de Paradiso, cognoverit uxorem. Hos Polycarpus Presbyter eliminavit.

### §. III. *Hæresiarchæ Sæculi III.*

1. *Sabelliani*, a *Sabellio*, qui unicam in Trinitate personam admittebant. Hos damnavit Dositheus Episcopus Seleuciæ.

2. *Tertullianistæ*, a *Tertulliano*, qui sectæ Montani nomen dedit, ac insuper docuit: 1. *Animas cum corporibus fuisse genitas*. 2. *Deum esse corporeum*. 3. *Animas damnatorum in diabolum converti*.

3. *Origenistæ*, ab *Origene*, qui asserebat: 1. Animas longe ante corpora fuisse creatas, & in corpore immissas propter peccata ab ipsis antea commissa. 2. Dæmones, & damnatos, post mille annos fore beatos.

4. *Pauliani*, a *Paulo Samosateno*, docebant: Christum esse purum hominem, quia non prius extiterit, quam natus sit de Beata Maria Virgine. Hi deficiebant in forma Baptismi, unde eos rebaptizandos decrevit Concilium Nicænum.

5. *Rebaptizantes*, qui ab Hæreticis baptizatos, rebaptizandos docebant.

6. *Manichæi*, a *Mane*, qui 1. Negabat Trinitatem. 2. Duo admittebat rerum principia, unum bonum, alterum malum. 3. Negabat Christum vere esse passum. 4. Asserebat se esse Spiritum Sanctum, &c.

7. *Novatiani*, a *Novato*, qui contendebant semel lapsos,

lapsos, numquam ad pœnitentiam recipiendos; secundasque nuptias tamquam malas damnabant. Hanc hæresim refricavit *Meletius*, a quo dicti sunt *Meletiani*, qui postea cum Arianis sese conjunxerunt.

§. IV. *Hæresiarchæ Sæculi IV.*

1. *Ariani*, ab *Ario* Presbytero sic dicti, denegabant Christum esse Patri consubstantialem, ac proinde negabant eum esse Deum. Damnati sunt in Concilio Nicæno I.

2. *Semi-Ariani*, qui negantes Christum esse consubstantialem Patri, fatebantur eum esse similem in natura, quomodo homo similis est alteri homini. Horum principes fuerunt *Aëtius*, & *Eunomius*.

3. *Donatistæ*, a *Donato*, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecit, quod in hæresim verterunt Donatistæ, docentes: 1. Hæreticos iterum baptizandos. 2. Solos, qui remanserant in parte Donati, esse de Ecclesia. Fuerunt damnati a Melchiade Papa.

4. *Macedoniani*, a *Macedonio* Episcopo Constantinopolitano sic dicti, docebant: *Spiritum Sanctum esse puram creaturam*. Damnati sunt in Concilio Constantinopolitano I.

§. V. *Hæresiarchæ Sæculi V.*

1. *Pelagiani* docebant: 1. Peccatum Adami illi soli nocuisse. 2. Nullum in ejus posteritate fuisse peccatum originale. 3. Mandata Dei solis naturæ viribus posse observari; sicque hominem posse justificari sine gratia. Damnati sunt ab Innocentio I. & a Concilio Carthaginensi.

2. *Nestoriani*, sic dicti a Nestorio Episcopo Constantinopolitano, qui duas in Christo personas admittens, unam divinam, alteram humanam, Beatam Virginem negabat esse *Theotocon*, sed solum *Christotocon*, seu Christi genitricem. Damnati sunt in Concilio Ephesino I.

3. *Eutychiani*, sic dicti ab Eutychete Abbate Constantinopolitano, qui ut contradiceret Nestorio, docuit unam tantum esse naturam in Christo. Damnati sunt in Concilio Chalcedonensi.

§. VI. *Hæresiarchæ Sæculi VI.*

*Monothelitæ*, qui authore Cyro Patriarcha Alexandrino, quem secutus est Sergius Constantinopolitanus, unam tantum in Christo voluntatem, atque operationem asserebant. Damnati sunt in VI. Synodo.

§. VII. *Hæresiarchæ Sæculi VII.*

*Mahumetismus*, authore *Mahumete*, qui in *Alcorano* sua impia dogmata disseminavit, quorum præcipua capita sunt: 1. Deum esse corporeum. 2. Unicam in Deo esse personam. 3. Christum non esse Deum, sed magnum quemdam Prophetam. 4. Cæremonias Mosaicas esse necessarias. 5. Poligamiam esse licitam. 6. Vitam æternam consistere in voluptatibus corporeis, &c.

§. VIII. *Hæresiarchæ Sæculi VIII.*

1. *Iconomachi*, seu *Iconoclastæ*, qui cultores sacrarum Imaginum idololatria accusabant; unde Leo Isauricus Imperator Iconoclasta edictum proposuit, ut sacræ Imagines de templis tollerentur. Damnati sunt in VII. Synodo.

2. *Albanenses*. 1. Admittebant duo rerum principia, unum bonum, aliud malum. 2. Aliquem ante adventum Christi, justum fuisse negabant. 3. Docebant mundum esse æternum. 4. Animas de novo non creari, sed eas de corporibus mortuorum in alia corpora transmigrare. 5. Juramentum numquam esse licitum. 6. Non extare peccatum originale. 7. Sacramenta a peccatoribus collata, nullam vim habere. 8. Confessionem non esse necessariam. 9. Matrimonium esse illicitum. 10. Ab Ecclesia nihil esse possidendum, nisi in communi. 11. Tandem resurrectionem corporum negabant.

3. *Paulianistæ*, a *Paulo* & *Joanne* sic dicti, præter Manichæismum, quem profitebantur, contendebant formam Baptismi in his verbis consistere: *Ego sum aqua viva*; & Eucharistiæ in his: *Accipite, manducate, & bibite*.

§. IX. *Hæresiarchæ Sæculi IX. & X.*

1. *Gothescalcus* renovavit hæresim Prædestinatorum, docendo Deum sine prævisione boni & mali, aliquos absolute prædestinasse, alios absolute reprobasse; & consequenter tenebat Christum pro omnibus non fuisse mortuum, nec Deum velle omnium salutem.

2. *Græci*, duce *Photio*, schisma fecerunt, seque ab Ecclesia Romana diviserunt, & errorem de processione Spiritus Sancti a solo Patre spargere cœperunt: qui successu temporis in varias hæreses prolapsi sunt.

§. X. *Hæresiarchæ Sæculi XI.*

1. *Sacramentarii*, Berengario duce, qui docebat primum Christi corpus non existere in Eucharistia, nisi figurate; at cum postea hunc errorem revocasset, docuit substantiam panis remanere cum corpore Christi: additque solos adultos esse baptizandos.

2. *Simoniaci*, qui venditionem rerum sacrarum esse licitam prædicabant.

§. XI. *Hæresiarchæ Sæculi XII.*

1. *Petrobusiani*, a *Petro de Bruys* Antuerpiensi, docebant: 1. Baptismum non esse parvulis necessarium. 2. Christum non esse in Eucharistia. 3. Preces pro mortuis esse inutiles.

2. *Valdenses*, seu *Pauperes de Lugduno*, sic dicti a *Valdone* Lugdunensi, qui sua bona pauperibus erogaverat, omnia pene Ecclesiæ Romanæ dogmata rejiciebant. Hos damnavit Lucius Summus Pontifex.

3. *Albigenses*, qui tempore Innocentii III. non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt. Duo admittebant principia, animarum trans-

transmigrationem asserebant, resurrectionem corporum negabant; Baptismum & Eucharistiam rejiciebant, &c.

§. XII. *Hæresiarchæ Sæculi XIII.*

*Flagellantes*, docebant non posse salvari eos qui se non baptizarent in proprio sanguine per flagellationem extracto; flagellationem esse martyrio præstantiorem; Sacramenta, & cætera bona opera esse inutilia; Purgatorium in altera vita non esse.

§. XIII. *Hæresiarchæ Sæculi XIV.*

1. *Fratricelli*, authore quodam *Hermanno*, docebant: 1. S. Pontificem in Ecclesia nullam authoritatem habere. 2. Se solos constituere veram Christi Ecclesiam. 3. Se nullius obedientiæ subditos esse. 4. Copulam cum omnibus mulieribus exercebant, puerosque ex illis procreatos occidebant. Hos damnavit Bonifacius VIII.

2. *Beguardi* & *Beguinæ*, qui, authore *Bogonato*, monasticam vitam sine votis profitebantur, docebant: 1. Hominem posse in hac vita fieri impeccabilem. 2. Hominem statum impeccabilitatis adeptum, non amplius teneri ad jejunia & orationem, & in gratia crescere non posse, & alia id genus. Damnati sunt in Concil. Viennensi.

§. XIV. *Hæresiarchæ Sæculi XV.*

1. *Wiclefitæ*, a Joan. *Wiclef* cujus articuli 45. erronei damnati sunt a Concil. Constantiensi, in quibus inter alia multa asserebat 1. Substantiam panis & vini manere in Sacramento altaris. 2. Deum debere obedire diabolo. 3. Homini contrito confessionem exteriorem esse superfluam. 4. Bonorum temporalium possessionem esse Ecclesiasticis illicitam. 5. Religiosos non esse de Religione Christiana. 6. Omnes Religiosos mendicantes esse hæreticos. 7. Omnia casu ac necessitate absoluta evenire. 8. Rom. Ecclesiam esse synagogam Satanæ. 9. Papam non esse Vicarium Christi, nec Petri successorem. 10. Electionem Papæ a Cardinalibus per diabolum esse introductam, & alia absurda id genus, quæ referre non vacat.

2. *Hussitæ*, a Joann. *Huss*, omnes fere Wiclefi errores propugnabant, quibus sequentes addebant: 1. Ecclesiam solis prædestinatis constare. 2. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ Catholicæ. 3. Obedientiam Ecclesiasticam non esse fundatam in Scriptura. 4. Nullum esse Dominum temporalem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum sunt in peccato mortali. Damnati sunt in Concilio Constantiensi.

§. XV. *Hæresiarchæ Sæculi XVI.*

1. *Lutherani*, a Martino *Luthero* Monacho Augustiniano apostata, qui primum in Indulgentias tamquam in sacrilegos abusus insurrexit, deinde summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum authoritatem impugnavit, Sacramenta mutilavit, liberum arbitrium negavit, sacrificia & preces pro mortuis rejecit.

Hæresis Lutherana in varias sectas dividitur, quarum præcipua est *Anabaptistarum*, qui, ultra errores Lutheri, docent parvulos non esse baptizandos, & si baptizati fuerint, iterum esse baptizandos, dum ad annos discretionis pervenerint.

2. *Calvinistæ*, a Joann. *Calvino*, qui errores Lutheri refricavit, ipsisque plures alios addidit circa Prædestinationem, Liberum arbitrium, justificationem, bona opera, & Missæ sacrificium.

2. *Sociniani*, a Fausto Socino, & Lælio Socino ejus nepote & discipulo, universam Theologiam corruperunt, in primis de sacrosancta Trinitate, & justificatione hominis coram Deo, docentes: 1. Christum esse purum hominem. 2. Non dari peccatum originale. 3. Nullam futuram corporum resurrectionem. 4. Eucharistiam esse meram cæremoniam, in commemorationem mortis Christi institutam.

§. XVI. *Hæresiarchæ Sæculi XVII.*

1. *Janseniani*, qui quinque famosas propositiones ex libro Jansenii extractas, a summis Pontificibus Innocent. X. Alex. VII. & Clem. IX. damnatas, propugnant.

2. *Quietistæ*, qui Michaelis de Molinos prava dogmata (de quibus alibi agemus) sequuntur, damnati sunt ab Innoc. XI.

3. *Deistæ*, sunt qui asserunt Deum existere credendum esse, & nihil aliud. Vocantur etiam 1. *Libertini*, quia modum colendi Deum ex uniuscujusque arbitrio pendere asserunt. 2. *Indifferentes*, quia quemlibet in sua religione salvari posse, præsumunt. 3. *Philosophi*, quia ad rationis naturalis normam Christianæ religionis mysteria ita commensurant, ut quidquid rationis captum superat, rejiciant.

4. *Quesnelistæ*, a quodam *Quesnelo*, Ordinis Oratorii Presbytero, Doctore Sorbonico, qui scripsit librum reflexionum moralium cum notis in novum Testamentum, in quo continentur una supra centum propositiones damnatæ a Clemente XI. in Constitutione *Unigenitus*, *edita* 8. *Septembris* 1713. quæ propositiones renovant hæreses Jansenii, Lutheri, Calvini, &c. ita ut *Quesnelismus* participet cum multis præcedentium sæculorum hæresibus.

# TRACTATUS

## DE DEO, ET ATTRIBUTIS.

Hujus Tractatus quatuor erunt Dissertationes, quarum *Prima:* De Dei existentia. *Secunda:* De Dei natura, seu essentia. *Tertia:* De divinis attributis generatim. *Quarta:* De divinis attributis speciatim.

### DISSERTATIO I.

*De existentia unius Dei.*

*Nota.* Dei nomine nullus est qui non intelligat ens omni perfectionum genere infinitum, a quovis alio independens, cæterorumque omnium originem, & finem, quod, ut ait Div. August. (*L. 1. de Doctr. Chr. c. 7.*) *ita cogitatur ut aliquid, quo nihil melius sit, neque sublimius;* de quo quæritur: 1. Utrum, quam habemus de Deo, idea nobis sit innata, & a natura ita intime impressa, ut nullo medio indigeamus ad existentiam ejus cognoscendam. 2. Utrum hæc prop. *Deus est*, sit per se nota. 3. Utrum existentia Dei possit demonstrari. 4. Quibus argumentis possit demonstrari. 5. Utrum possit invincibiliter ignorari. 6. Utrum Deus sit unus, seu unicus.

### CAPUT PRIMUM.

*Utrum aliqua Dei notio sit nobis innata?*

*Nota.* 1. Idea alia est *innata*, seu ingenita, alia *adventitia*, alia *factitia*.

Idea *innata*, est ea, quæ nec ex discursu, nec ex sensibus habetur, sed ab ipso authore naturæ nobis est impressa; talis est cognitio istorum primorum principiorum, *Totum est majus sua parte: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c.* his enim mens nostra acquiescit, statim atque termini ipsi auditi fuerunt.

Idea *adventitia* est ea, quæ ad præsentiam objectorum extrinsecorum, quæ in sensus incurrunt, a mente, vi ac facultate propria, cuduntur, talis est idea animalis rationalis.

Idea *factitia* est ea, quam mens, ex multis præcedentibus notionibus, componit; ut si quis ex duplici hirci & cervi notione, ideam hirco-cervi sibi effingat.

*Nota* 2. Hæc quæstio, quæ, prima fronte, mere Philosophica apparet, in Theologicam tamen evasit ex eo tempore quo Socinus (*Tom. 1. prælect. Theolog. c. 2.*) ejusque Sectatores, novitatis pro more suo amantes, docuerunt ideam unius Dei nobis potius factitiam esse, quam innatam, contra quos sit

### CONCLUSIO.

*Est in unoquoque homine ingenita Dei notio.*

*Prob.* 1. Ex Script. Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Is. 16. „ Redite prævaricatores ad cor, recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus “. Ex quibus patet notitiam Dei nobis esse impressam, sufficeretque cuique, etiam prævaricatori, ut cor consulat, ad consequendam Dei notitiam.

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus, tum Græcis, tum Latinis. D. Justin. Apolog. 2. ait: *Dei appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis, naturæ hominum insita opinio.*

D. Clem. Alex. (*In protreptico, seu admonitione ad gentes*). „ Omnibus, *inquit*, simpliciter hominibus, maxime autem iis qui versantur in Doctrina & Litteris, instillatus est quidam divinus influxus, qua de causa, vel inviti quidem, fatentur unum esse Deum, ab interitu alienum & ingenitum “.

Div. Cyprian. (*Lib. de Idolor. vanitatibus*) dicit post Tertullian. „ Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui authoris ac principis admonetur, dici frequenter audivimus: O Deus! &, Deus videt; &, Deo commendo, &c. atque hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis “.

D. Joann. Damasc. (*L. 1. Orthodox. fidei, c. 1.*) *Nemo mortalium est*, inquit, *cui non hoc ab eo* (Deo) *naturaliter insitum sit, ut Deum esse cognoscat.*

*Prob.* 3. Ex Philosophis Gentilibus. Plotinus ex secta Platonica, ait: „ Omnes naturali quodam instinctu clamant, in unoquoque nostrum esse Deum “.

Jamblicus Porphirii (*L. 1. de Mysteriis, cap. 3.*). *Cohæret*, inquit, *nostræ ipsi substantiæ de iis innata cognitio;* unde Tullius (*L. 1. de Legib. n. 24.*) ait: „ Nulla gens, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat “. Ergo, tum ex Patribus, cum ex Philosophis, notio Dei nobis est ingenita.

*Respondent Sociniani*, ex his Patrum & Philosophorum testimoniis, equidem sequi Deum hominibus naturale lumen indidisse, per quod facillime Dei existentiæ cognitionem, per demonstrationem ex creaturis petitam, assequi possint; non vero ex eis posse concludi cognitionem Dei esse ingenitam. Sed

*Contra est;* Patres & Gentiles loquuntur de cognitione Dei, quæ est naturæ hominum insita, congenita, & antecedens quodlibet studium, quamlibet demonstrationem, sic Clem. Alex. (*Lib. 5.*

Stro-

*Stromat.*) asserit omnes homines habere de Deo *anticipatam*, id est, quæ præcedit omne studium, *notionem*. Sic Jamblicus cit. dicit: " Humanus animus conjectura, aut opinione, aut syllogismo quopiam temporaneis rebus accommodato, minime divinorum essentiam tempore superiorem assequitur, sed puris & incorruptis intelligentiis, quas hausit ab æterno, divinitus per has notiones divinas, divinis copulatur ".

*Prob. a ratione evidenti:* Dei notitia, aut est animæ ab ipsa natura ingenita, aut est decursu temporis effićta, nullum enim datur medium; atqui non est decursu temporis effićta; ergo, &c.

*Prob. min.* Si notitia Dei esset decursu temporis effićta, eam mens vel ex sese, vel ex rebus sensibilibus efformasset; atqui neutrum dici potest, ergo, &c. *Non primum;* mens enim nullam ex sese potest cudere imaginem, nisi illarum perfectionum, quas aut in se habet, aut in aliis videt; atqui infinitas perfectiones, quas idea Dei repræsentat, mens nec in se habet, nec in aliis videt; ergo &c. *Non secundum;* nam rerum sensibilium universitas, est quid maxime finitum; atqui ex rebus finitis non potest erui idea entis infiniti, cum idea, quæ est imago ab aliquo tanquam exemplari expressa, non possit plures exhibere perfectiones, quam in ipso exemplari ex quo profluit, reperiantur; ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Si nobis ingenita foret notio Dei, nulli unquam fuissent, aut hodie essent Athei; atqui falsum utrumque consequens; ergo, &c. *Resp. nego minorem.*

*Prob. min.* Ante Christi adventum *Protagoras*, *Diagoras*, *Melius*, &c. fuerunt Athei; tales etiam post Christi adventum fuerunt *Vaninus*, vivus ob impietatem Tolosæ combustus: *Spinosa*, qui nullum alium agnoscit Deum, quam mundum universum; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Plures fuerunt, & sunt Athei *improprie* dicti, *conc.* proprie dicti, *subdist.* practice & in corde, *conc.* speculative & in mente, *nego ant.* Itaque Athei nomen non semper idem sonat apud authores, namque alius est Atheus *improprie*, alius *proprie*, sive sit talis practice, sive speculative.

Atheus *improprie*, est is, qui deos vulgares non veneratur; sic teste Justino, *Apologia* 1. ipsimet Christiani passim a Gentilibus vocabantur Athei.

Atheus *practice*, seu cordis, est qui libidine excæcatus, ita perdite vivit, ac si non esset Deus, quem (utpote vindicem criminum intimo conscientiæ sensu reformidans) vellet non esse; talis fuit *insipiens* ille, qui Psalmo 13. *dixit in corde suo: Non est Deus*. Quare dixit in corde suo? quia, inquit August. in hunc locum, nemo aperte audet dicere, non est Deus, *etiam si ausus fuerit cogitare*, contra intimum conscientiæ sensum, unde, *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*; tales sunt etiam qui *confitentur se nosse Deum*, *factis autem negant*. Ad Tit. c. 1. v. 16.

Atheus *speculative*, seu mentis, est is, qui omnem divinitatis ac religionis sensum deponit; tales fuisse Atheos ac esse, prorsus negamus.

*Inst.* 1. Gentes dicuntur Deum non novisse, Psal. 76. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt;* imo dicuntur Deum penitus ignorasse, (1. *Thessal.* 4. v. 5.), *sicut & gentes quæ ignorant Deum*. Ergo fuerunt Athei speculative.

Resp. *dist. ant.* Dicuntur ignorasse Deum practice, *conc.* speculative, *nego ant.* Gentes itaque dicuntur Deum ignorasse, quia non coluere; & ideo addit Psaltes Regius: *Effunde iram ...... & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*. Sed non dicuntur ignorasse Deum hoc sensu, quod nullum de divinitate sensum habuerint; idololatria enim intimum divinitatis sensum animis nostris impressum demonstrat.

*Inst.* 2. Gentes ex Apost. (*Ephes.* 2. *v.* 12.) dicuntur esse *sine Deo in hoc mundo*. Ergo nullum habuerunt de divinitate sensum.

Resp. *dist. ant.* Dicuntur fuisse sine Deo vero quem colerent, *conc.* sine ulla generali Dei, saltem exili, notione, *nego antec.* nam *opinio de Deo naturaliter quidem insita est omnibus hominibus*, ait Greg. Nyss. (*Orat.* 5. *de beatitudine*), *sed ignorantia vera Dei, peccatur contra id quod colitur*. Cum, nempe, ingenita Dei notio ad vana simulacra detorquetur.

*Inst.* 3. Juxta narrationem eorum qui primi prædicaverunt Brasiliensibus, Perusianis, Virginiensibus, & aliis Americanis, illi populi nullum, neque verum, neque falsum, coluerant vel agnoverant Deum; ergo illi nullum habuerant divinitatis sensum.

Resp. *transeat ant. nego conseq.* Nulla enim gens fuit, quæ omni penitus numinis sensu destitueretur, quamvis, propter immanem animi stuporem, publicos conventus ad sua numina colenda non usurparent, alii enim solem, alii idola colebant.

Dixi, *transeat ant.* quia in illo altero orbe homines ita barbari inventi fuerunt, ut non tam homines, quam feræ esse viderentur; quid autem mirum, si qui ratione vix utebantur, ingenita Dei notione, quæ est rationis quasi appendix, pariter non uterentur?

*Instabis* 4. Si Dei notio esset ingenita, eadem omnibus inesset; falsum conseq. ergo.

*Prob. min.* Si eadem omnibus inesset idea Dei, unus idemque omnibus esset Deus; falsum consequens, alii enim Jovem, alii Venerem, &c. adorarunt; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Nam idea Dei unice dictat aliquem existere Deum; quinam vero sit ille, non determinat; unde in eo eligendo, pro prava institutione, aut propria libidine variarunt homines.

*Objicies* 2. Quod ex sensibus oriri debuit, nobis non est innatum; atqui notio Dei ex sensibus oriri debuit, ergo.

*Prob. min.* hoc axiomate: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Ergo.

Resp. *dist. axioma*, Nihil corporeum est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, *conc.* nihil spirituale, *subdist.* Si cognitio sit acquisita; *conc.* si sit innata, *nego*. Unde axioma non est universaliter verum: sic quoniam cognitio hujus principii, *impossibile est idem simul esse, & non*

 *esse*,

*esse*, nobis est ingenita, illud cognoscimus, immediate, & sine ullo sensuum exteriorum ministerio.

*Inst.* 1. Illa notio non prius est in intellectu, quam fuerit in sensu, quæ ex rerum sensibilium consideratione excitatur: atqui talis est notio Dei; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quæ ex rerum sensibilium consideratione, tamquam a causa efficiente, excitatur, *conc. maj.* tamquam a causa occasionali, *nego maj.* atqui notio Dei ex rerum sensibilium consideratione excitatur, tanquam a causa occasionali, *conc. min.* tamquam a causa efficiente, *nego min.* Itaque, occasione rerum sensibilium, idea Dei, nobis a natura impressa, excitatur, non autem ab illis rebus efficitur, cum res finitæ entis infiniti perfectiones non possint nobis repræsentare.

*Inst.* 2. Illius notio nobis a natura non est ingenita, cujus existentia ex creaturis manifeste demonstratur; atqui existentia Dei ex creaturis manifeste demonstratur; ergo.

Resp. *nego maj.* Non enim repugnat multiplici via existentia Dei cognosci, per ideam nempe ab ipsa origine animo impressam, & per multiplicem e creaturis petitam demonstrationem; atque tantum abest, ut hæ variæ probationes sese mutuo impediant, quin potius mutuam sibi lucem subministrent, ut quod, nonnisi subobscure ex uno habetur, ex altero certius colligatur.

*Inst.* 3. Ideo non possumus probare istud principium metaphysicum, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, quia illius notio nobis est a natura ingenita; ergo illius notio non est nobis ingenita, cujus existentia ex creaturis demonstratur.

Resp. *nego ant.* Non enim ideo istud principium non potest demonstrari, quod ejus notio nobis sit a natura indita, sed quod, utpote pure speculativum, nullos producat effectus, unde probari possit; at Deus, cum sit rerum omnium author, ex his, tamquam causa ex effectibus, invicte potest demonstrari.

*Objicies* 3. Si quæ nobis inesset a natura insita Dei notio, cognoscere possemus quid sit Deus; falsum cons. ergo.

Resp. *nego maj.* Idea enim, quam de Deo nobis indidit natura, terminatur ad ejus existentiam, non vero pertingit ad ejus essentiam.

*Inst.* Notio Dei, si quæ sit nobis a natura indita, nobis exhibet Deum ut ens perfectissimum; sed non potest nobis exhibere Deum ut ens perfectissimum, quin nobis exhibeat quid sit Deus; ergo non est in nobis notio Dei innata.

*Prob. min.* Idea Dei, si quæ sit innata, non potest nobis exhibere Deum ut ens perfectissimum, quin omnes ejus perfectiones cognoscamus; sed non possumus omnes Dei perfectiones cognoscere, quin cognoscamus quid sit Deus; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quin omnes ejus perfectiones cognoscamus, in genere & implicite, *conc.* in specie & explicite, *nego maj.* atqui non possumus omnes Dei perfectiones cognoscere in specie & explicite, quin cognoscamus quid sit Deus, *conc. min.* in genere & implicite, *nego min.* Equidem Deus non potest a nobis cognosci ut ens perfectissimum, quin saltem implicite & in genere cognoscatur in eo esse omnium perfectionum cumulus; sed cum multæ sint reipsa perfectiones, quæ non illico perfectiones intelliguntur, (qualis est, v. gr. immensitas, qua Deus in locis etiam obscœnissimis præsens est), ideo non statim intelligitur, illas Deo esse tribuendas, ac proinde rationis auxilio sunt probandæ adversus eos qui illas negant.

## CAPUT II.

*Utrum hæc propositio Deus est, sit per se nota, tum quoad se, tum quoad nos?*

*Nota* 1. Propositio *per se nota quoad se*, est ea, cujus prædicatum est de essentia subjecti, quocum per se immediate est connexum: talis est hæc prop. *homo est rationalis;* rationalitas enim est de essentia hominis, cui immediate, & sine ullo alio, medio, convenit. E contra hæc prop. *homo est risibilis*, non est per se nota quoad se, quia risibilitas nec est de essentia hominis, nec ei immediate convenit, sed mediante rationalitate: homo enim ideo risibilis est, quia rationalis.

Propositio *per se nota quoad nos*, est ea, cujus veritas nobis attendentibus innotescit statim atque intelligimus terminos quibus constat; talis est hæc prop. *Totum est majus sua parte:* ejus enim veritas intellectui attendenti innotescit statim atque intelligit significatum horum vocabulorum, *totum*, *majus*, & *pars*.

*Nota* 2. Conveniunt omnes Theologi hanc propositionem *Deus est*, esse per se notam quoad se, quia illius prædicatum est de essentia subjecti, cum quo ita immediate connexum est, ut ea connexio non possit demonstrari a priori: verum, utrum sit etiam per se nota quoad nos, non conveniunt: negant Thomistæ & Scotistæ, affirmant alii; cum quibus

### CONCLUSIO.

*Hæc propositio, Deus est, nota est per se quoad nos.*

*Prob.* Illa propositio nota est per se quoad nos, cujus termini non possunt intelligi, quin simul concipiatur prædicatum subjecto essentialiter, & sine ullo alio medio a priori, convenire: sic hæc propositio: *Triangulus tribus angulis est distinctus*, est propositio per se nota quoad nos; quia non potest cogitari triangulus, quin statim concipiatur tres ei angulos inesse; atqui termini hujus prop. *Deus est*, non possunt intelligi, quin simul intelligatur prædicatum, nempe existentiam, subjecto, nempe Deo, essentialiter convenire, & hoc sine ullo medio a priori; ergo, &c.

*Prob. min.* Per terminum, *Deus*, intelligitur ens perfectissimum, quo nihil melius aut esse, aut cogitari potest: per terminum, *est*, intelligitur omnium perfectionum prima, & sedes omnium aliarum; atqui illi termini non possunt intelligi, quin simul intelligamus existentiam Deo necessario competere; alias esset ens perfectissimum, & non esset ex hypothesi: non esset, quia careret perfectione omnium prima; ac aliud ens eo perfectius cogitari posset, ens nimirum cui realis existentia conveniret; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illa prop. non est per se nota quoad nos, quam plerique homines quondam ignorarunt; atqui ex Apostol. (1. *Cor.* 15. *v.* 14.) *ignorantiam Dei quidam habent*; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quam plerique homines attendentes ad istius termini, *Deus*, ideam ignorarunt, *conc. maj.* non attendentes ad istius termini, *Deus*, ideam, *nego maj.* atqui plerique quondam ignorarunt Deum, non attendentes ad termini, *Deus*, ideam, *conc.* attendentes ad illam ideam, *subdist.* ignorarunt practice, *conc.* speculative, *nego min.* Itaque plerique homines, licet de Dei existentia conscientiam habuerint, tamen ad illius ideam non sufficienter attendentes supina negligentia ad quid nomen, *Deus*, se extendat, comprehendere non curarunt; idque contingit Deo spargente pœnales cæcitates super illicitas illorum cupiditates, ait *August. in Psalm.* 13.

*Objicies* 2. Prop. quæ potest demonstrari, non est per se nota quoad nos; atqui hæc prop. *Deus est*, potest demonstrari.

*Resp. dist. maj.* Prop. quæ potest demonstrari a priori, *conc.* a posteriori, *nego maj.* Porro hæc prop. *Deus est*, non potest demonstrari a priori, bene vero a posteriori per effectus a Deo productos: potest enim fieri quod subjectum propositionis per se notæ quoad nos habeat aliquos effectus, ac proinde ut illius existentia per eos demonstrari possit.

*Inst.* Atqui prop. per se nota quoad nos, non potest, nequidem a posteriori, demonstrari, ut patet in hac prop. *Totum est majus sua parte*. Ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Non potest demonstrari nequidem a posteriori, quando ejus subjectum nullos producit effectus, *conc.* quando aliquos producit effectus, *nego ant.* non ideo ergo hæc prop. *Totum est majus sua parte*, non potest demonstrari a posteriori, quod sit prop. per se nota quoad nos, sed quod illius subjectum nullos extra se producat effectus, per quos possit demonstrari, quod de Deo dici non potest.

*Objicies* 3. Ideo hæc prop. *Deus est*, dicitur per se nota quoad nos, quod terminus iste, *Deus*, concipi non possit sine reali existentia; atqui falsum consequens, ergo.

*Prob. min.* Ens perfectissimum potest cogitari duntaxat ut possibile; ergo terminus iste, *Deus*, potest concipi sine reali existentia.

*Resp. nego ant.* Pugnat enim in terminis, quod ens aliquod cogitetur ut perfectissimum, & simul cogitetur duntaxat ut possibile: esset enim perfectissimum simul & imperfectum; perfectissimum esset ex hypothesi, imperfectum vero quia careret maxima perfectione, nimirum existentia.

*Inst.* A statu ideali ad statum realem, non est legitima consequentia; ergo ex eo quod Deum existentem concipiamus, non sequitur quod realiter existat.

*Resp. dist. ant.* A statu ideali ad statum realem non est legitima consequentia, in iis de quorum essentia non est existentia actualis, *conc.* in ea re de cujus essentia, & notione, est realis existentia, *nego ant.* Porro in notione Dei includitur existentia actualis, ut probatum est.

## CAPUT III.

*Utrum existentia Dei possit demonstrari?*

*Nota.* Ex Logicis demonstratio quæ est *sillogismus pariens scientiam*, dividitur in demonstrationem a priori, & a posteriori.

Demonstratio *a priori*, est ea, quæ fit per causas rei quæ demonstratur, sive est ea, qua effectus demonstratur per causam; sic risibilitas demonstratur per rationalitatem: *rationale* enim est causa cur *risibile* conveniat homini.

Demonstratio *a posteriori*, est ea, quæ fit per effectus rei quæ demonstratur; sic rationalitas demonstratur per risibilitatem. His positis, sit

### CONCLUSIO I.

*Existentia Dei non potest demonstrari a priori.* Est contra Ariminensem *in* 1. *dist.* 3. *q.* 4.

*Prob.* Demonstratio a priori fieri debet per causam rei quæ demonstratur; atqui Deus nullam habet suæ existentiæ causam, cum nomine Dei intelligatur *ens a se*, seu a quovis alio independens; ergo &c.

*Dices:* Essentia Dei est causa, seu ratio, cur existentia conveniat Deo; ergo Dei existentia potest demonstrari a priori.

*Resp. nego ant.* Nam, ut essentia esset causa cur existentia conveniret Deo, deberet, saltem per operationem intellectus, esse distincta ab existentia; atqui essentia in Deo, nequidem per operationem intellectus, est distincta ab existentia; nam Deus est ens a se: atqui ens a se non potest concipi sine existentia; ergo.

*Inst.* Valet sic sillogismus, *Ens quo nullum perfectius potest excogitari, necessario existit; atqui Deus est ens, quo nullum perfectius potest excogitari;* ergo &c. Atqui ille sillogismus est vera demonstratio a priori; ergo.

*Resp. nego min.* Nam ad veram demonstrationem, medium debet esse distinctum ab ipsa re demonstranda, alioquin idem demonstraretur de eodem; atqui existentia Dei, nequidem per mentem, est ab ejus essentia distincta; nam ens quo nullum perfectius excogitari potest, & ens necessario existens, idem omnino est; ergo &c. Unde hæc prop. *Deus necessario existit*, non est illatio ex ista, *Deus est ens quo nullum perfectius potest excogitari*, sed est tantum illius explicatio.

### CONCLUSIO II.

*Existentia Dei potest demonstrari a posteriori.* Est contra Atheos, & quosdam Socinianos.

*Prob.* 1. Ex Script. Psal. 18. „Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes cognoverunt quis esset artifex... a magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri". Apost. Rom. 1. ait: *Quod notum est Dei*, (id est, quod de Deo cognosci potest naturaliter) *manifestum est illis* (Philosophis); *Deus* enim

*enim illis manifestavit*, (lumine scilicet naturali, & per discursum a rebus creatis ad creatorem). *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Atqui cœli non enarrarent gloriam Dei; invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta non conspicerentur; non essent vani & inexcusabiles homines qui non noverunt Deum, &c. nisi ex creaturis demonstrari posset ejus existentia; ergo.

*Respondent Sociniani*, ex illis Scripturæ testimoniis, probari quidem non posse per rationes naturales ex creaturis habere cognitionem existentiæ Dei probabilem, non vero efficacem & demonstrativam; sed:

*Contra est*. Nam hæc Scripturæ verba, *Notum est, manifestum est, intellecta conspiciuntur, cognoscibiliter videri*, evidentem exprimunt scientiam, & ita hos textus interpretati sunt SS. Patres; sic D. Hieron. hæc verba, *intellecta conspiciuntur*, exponens, ait: *Id est, tam evidenter intellecta sunt, ut conspectu dicantur*. Et Div. August. Tract. 2. in Joann. *Deus*, inquit, *potest inveniri per creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia Dei*, &c.

*Prob*. 2. *Ratione*: Existentia rei potest demonstrari a posteriori per effectus ab ea necessario pendentes, sic existentia mentis ab ejus cogitatione certissime cognoscitur; atqui omnes creaturæ sunt effectus Dei, a quo necessario, *in esse, in conservari*, & *in gubernari*, pendent; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. *cum Socinianis*: Objectum fidei supernaturalis, non potest demonstrari; atqui existentia Dei, est objectum fidei supernaturalis; *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est*, ait Apostol. (*Hebr*. 12. *v*. 1.) ergo, &c. *Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Scientia & fides non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto: ergo objectum fidei supernaturalis non potest demonstrari.

Resp. *dist. ant.* Non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto, per idem motivum, *conc.* per diversa motiva, *nego ant.* Nam Dei existentia creditur propter summam Dei revelantis authoritatem, & evidenter cognoscitur propter necessariam connexionem quæ concipitur inter creaturas existentes, & earum creatorem, quæ sunt motiva valde distincta.

*Inst.* Atqui scientia & fides non possunt, &c. etiam per diversa motiva, &c.

*Prob. subsumpt.* Quæ sese invicem excludunt ab eodem subjecto, non possunt stare simul in eodem subjecto, etiam propter diversa motiva; atqui fides & scientia, &c.

*Prob. min.* Evidentia & inevidentia sese mutuo excluduntur ab eodem subjecto; atqui fides parit inevidentiam; est enim *argumentum non apparentium*, Hebr. 11. scientia vero parit evidentiam; ergo.

Resp. Sub data distinctione, *nego maj.* quia per diversa motiva, idem objectum, modo evidenti & modo inevidenti cognosci potest.

*Prob. maj.* Si evidentia & inevidentia sese mutuo non excluderent ab eodem subjecto, idem actus esset simul evidens & inevidens; absurdum conseq. Ergo.

Resp. *nego sequel. maj.* Quæ est de falso supponente, supponit enim hominem, qui ex revelatione & demonstratione cognoscit Deum existere, uno eodemque actu assentiri huic prop. *Deus est*, quod falsum est, nam duobus actibus illi assentitur, uno propter revelationem, & altero propter evidentem rationem.

*Objicies* 2. *cum nonnullis Philosophis*: Nulla Dei notitia comparari potest sine supernaturali Dei gratia; ergo non potest acquiri per demonstrationem.

*Prob. ant.* Eccli. 1. *Omnis Sapientia a Domino Deo est*. Ergo notitia Dei non potest acquiri sine gratia supernaturali.

Resp. *dist. conseq.* Notitia Dei salutaris, id est, conducens ad vitam beatam, *conc.* notitia naturalis, *nego conseq.* De notitia salutari loquitur Ecclesiasticus.

*Instabis* 1. Scientia Dei in Philosophis paganis fuit mere naturalis; atqui Apostol. *Rom*. 1. illam refert ad gratiam Dei: *Deus enim*, inquit, *illis manifestavit*; ergo.

Resp. *dist. min.* Refert ad gratiam ordinis naturalis, *conc.* ordinis supernaturalis, *nego min.* Itaque duplex est genus beneficiorum Dei; alia sunt *naturalia*, quæ naturam ipsam, etiam post lapsum, consequuntur; alia *supernaturalia*, quæ naturam non consequuntur, sed quæ, per peccatum ablata, ex mera Dei misericordia restituuntur. Porro Apostol. loquitur de donis naturalibus, addit enim illico *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: quo textu relato, ait Div. August. serm. 68. *Fuerunt ergo . . . non adjuti Spiritu Dei*.

*Inst*. 2. Clem. Alexand. (*L*. 1. *Stromat. p*. 282.) Philosophiam comparat legi Mosaicæ: *Ipsa Philosophia*, inquit, *Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex Hebræos ad Christum*. Atqui lex Mosaica revelatione supernaturali Judæis a Deo concessa est; ergo & Philosophia.

Resp. *dist. maj.* Philosophiam legi Mosaicæ comparat, quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego maj.* Itaque Clem. Alex. confert Philosophiam cum lege, in eo quod utraque a Deo data sit ad notitiam Dei, & virtutis comparandam, non vero eas confert in hoc quod Philosophia sit bonum ordinis supernaturalis ad vitam æternam spectans, sicut lex Mosaica, dicit enim (*l*. 6. *Strom*. *p*. 697.) *Philosophos non fuisse a Deo affiatos sicut Moysen & Prophetas*.

*Inst*. 3. Ea gratia est ordinis supernaturalis, quæ hominem justificat; atqui ex Clem. Alex. Philosophia Græcos justificabat: *Iis*, inquit ibid. *qui ex Philosophia fuere justificati, auxilium tanquam ... reconditus*; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quæ hominem justificat, perfecta, interna, & salutari justitia, *conc.* Imperfecta, externa, & civili justitia, *nego maj.* Justitia perfecta est ea, quæ acquiritur per actus virtutum supernaturalium, qualis nulla unquam esse potest

potest sine vera in Christum fide. Justitia imperfecta est ea, quæ acquiritur per actus virtutum moralium ex motivo naturalis honestatis exercitatum; estque ea quam acquirebant Philosophi, dum opera sua ad Deum, tanquam ad authorem naturæ naturaliter cognitum, referebant. *His, qui erant justi ex Philosophia, non solum opus erat fide in Dominum*, ait Clem. Alexan. l. 6. Stromat. p. 669. *sed etiam ut discederent a cultu simulacrorum*.

*Objicies* 3. Entis necessarii existentia non potest demonstrari per existentiam entis contingentis; atqui Deus est ens necessarium, creaturæ vero sunt contingentes; ergo, &c.

*Resp. dist maj.* Si entis contingentis existentia non habeat necessariam connexionem cum existentia entis necessarii, *conc.* si habeat, *nego maj.* porro creaturarum existentia ita necessariam habet connexionem cum existentia Dei, ut si ille non existeret, hæ non essent, proindeque Deus per creaturas demonstrari potest.

*Inst.* 1. Ens contingens non exigit causam necessariam; ergo creaturæ, quæ sunt contingentes, non habent necessariam connexionem cum existentia entis necessarii.

Resp. *dist. anteced.* Non exigit causam necessariam secundariam, *conc.* primariam, *nego ant.* nam in resolutione causarum, ad eam tandem deveniendum est, quæ, a se existens, omnes alias ex nihilo creaverit; illa autem causa, eo quod a se existat, necessaria debet esse & infinita.

*Inst.* 2. Medium demonstrationis debet esse necessarium; atqui creaturæ non sunt necessariæ, ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Debet esse necessarium, hypothetice, & quoad necessariam connexionem cum re demonstrata, *conc.* absolute, & quoad existentiam, *nego maj.* atqui creaturæ non sunt necessariæ, absolute, & quoad existentiam, *conc.* hypothetice, & quoad necessariam cum re demonstrata connexionem, *nego min.* nam ex hypothesi quod sint, necessariam habent cum Deo, a quo dependent, connexionem; ergo dependentia earum non est contingens, sed necessaria.

*Inst.* 3. Omnis demonstratio fit ex prioribus; atqui creaturæ non sunt Deo priores; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Fit ex prioribus cognitione, *conc.* ex prioribus existentia, *nego maj.* atqui creaturæ non sunt Deo priores existentia, *conc. min.* cognitione, *nego min.* Porro, cum adversus Atheos existentiam Dei ex creaturis demonstramus, prius esse creaturas probamus, ut inde in Creatoris existentiæ notitiam veniamus.

*Inst.* 4. Atqui creaturæ non sunt Deo priores cognitione; nam correlativa sunt simul natura & cognitione: atqui Creator & creatura sunt inter se correlativa; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Creator, & creatura sunt correlativa, quando creaturæ spectantur formaliter, ut sunt creaturæ, *conc.* quando spectantur materialiter, ut sunt entia contingentia, *nego min.* Porro quando primo creaturas inspicimus, eas consideramus ut sunt in se, ex qua consideratione intelligimus eas non habere a se ut existant, ex quo concludimus res ab aliquo ente necessario fuisse creatas, quod ens est verus & solus Deus.

*Inst.* 5. Per creaturas non potest demonstrari essentia Dei; ergo nec ejus existentia: utraque enim identificatur in Deo: ergo si una demonstrari nequit, altera non potest demonstrari.

Resp. 1. *dist. ant.* Essentia non potest demonstrari, explicite, *conc.* implicite, *nego ant.* cum enim demonstratur existentia Dei, demonstratur existentia entis existentis a se, seu entis omnimode independentis a quocumque alio; illa autem *aseitas*, seu omnimoda independentia, est ipsamet essentia Dei; ergo, &c.

Resp. 2. Non potest demonstrari quid & qualis sit, *conc.* quod sit, seu quod existat, *nego ant.* hinc licet demonstrari non possit in quo posita sit essentia Solis, recte tamen ex Solis effectibus demonstratur illius existentia; ergo a pari, &c.

*Objicies* 4. Prima veritas non potest demonstrari; atqui Deus est prima veritas; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Prima veritas in cognoscendo quale est hoc principium Metaphysicum, *impossibile est idem simul esse & non esse*, non potest demonstrari, *conc.* in essendo, *nego maj.* atqui Deus est prima veritas, in essendo, *conc.* in cognoscendo, *nego min.* Deus enim non est primum cognitionis principium, cum ex ejus existentia nobis cognita, alias veritates deducere non possimus.

## CAPUT IV.

### *Quibus argumentis potest demonstrari existentia Dei.*

*Nota.* Theologi, contra Atheos, variis demonstrationibus, tum Metaphysicis, tum Physicis, tum Moralibus probant Dei existentiam; nos amicæ brevitati studentes, tres aut quatuor, inter eas efficaciores, hic aperiemus; sit itaque:

### §. I. *Demonstratio ex ente necessario & contingenti.*

Necesse est, ut in rerum natura existat aliquod ens necessarium, de cujus ratione sit, quod necessitate suæ naturæ, & independenter ab omni alio existat; sed illud ens est Deus: nomine enim Dei nihil aliud intelligimus; ergo datur Deus.

*Prob. maj.* Si non daretur aliquod ens necessarium, sequeretur omnia, quæ sunt in rerum natura, esse contingentia; sed hoc implicat contradictionem; ergo in rerum natura, necesse est dari aliquod ens necessarium.

*Prob. min.* Si omnia, quæ existunt, sint contingentia, potuerunt existere, aut non existere; contingens enim definitur, *quod potest esse, aut non esse*; sed dici nequit omnia entia, quæ existunt, ex æquo potuisse existere, vel non existere; ergo non omnia sunt contingentia.

*Prob. min.* Si quæcumque existunt, potuerint ex æquo existere vel non existere, possunt supponi ea omnia non existere: nam, juxta vulgare adagium, *Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi*; atqui supponi non potest omnia non existere, tunc enim simul essent possibilia, & non essent; *essent possibilia*, quia omne contingens est possibile; *non essent possibilia*, quia nullum ens necessarium existeret, a quo illa entia ponerentur in rerum natura; ergo non potest supponi omnia

omnia entia non existere; ergo necesse est ut sit ens omnino necessarium; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies cum impio Spinosa.* Ex necessitate entis necessarii non demonstratur existentia Dei; ergo infirma est nostra demonstratio.

*Prob. ant.* Materia, ex qua res quælibet constat, & consequenter universa substantia, est necessaria; ergo ex existentia entis necessarii, non potest Dei existentia demonstrari.

Resp. *nego ant.* Nam ens necessarium debet esse infinitum in omni genere perfectionis, ac immutabile, tum quoad existentiam, tum quoad existendi modum; utrumque enim habet ex necessitate suæ naturæ; atqui materia non est infinita in omni genere perfectionis, cum sit iners & otiosa, *item* non est immutabilis; neque quoad existentiam, alias esset a se, & consequenter infinite intelligens, justa, sapiens, provida, &c. quod evidenter est falsum; neque immutabilis est quoad existendi modum, cum sit infinitarum modificationum susceptiva; ergo, &c.

*Instab.* 1. In rerum natura non possunt dari plures substantiæ; ergo unica est substantia universa, quæ, cum sit necessaria, est noster Deus.

Resp. *nego ant.* Substantiam enim hominis, esse distinctam a substantia lapidis, substantiam materialem esse distinctam a substantia intelligente & cogitante, luce clarius est.

*Instab.* 2. Illa distinctio, quæ videtur in rebus, est tantum apparens, consistitque in diversa ejusdem substantiæ æternæ & indivisibilis modificatione; ergo unica est in rerum natura substantia quæ Deus est.

Resp. Horrenda illa impietas est, quæ si esset vera, Deus esset simul materia & Spiritus, homo & brutum, justus & impius, &c. & ideo juxta impium illud systema non dicendum esset: „ Sol calefacit terram; Brutus trucidavit Cæsarem; Judas tradidit Christum; *sed dicendum foret*, Deus modificatus in solem, calefacit Deum modificatum in Terram; Deus modificatus in Brutum, trucidavit Deum modificatum in Cæsarem: Deus modificatus in Judam, tradidit Deum modificatum in Christum ": quis unquam tam horrenda cogitare ausus est? Inde enim sequitur nefanda hominum opera ex necessitate divinæ substantiæ promanare, cum nihil aliud sint, quam divinæ substantiæ modificationes.

*Instab.* 3. Non necesse est, ut ens necessarium sit infinitum; ergo, licet hujus universi materia non sit infinita, nihilominus est necessaria. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Essentiæ rerum creatarum sunt necessariæ; atqui tamen non sunt infinitæ; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Essentiæ rerum creatarum sunt necessariæ, hypothetice, & quoad essentiam Metaphysicam, *conc. maj.* absolute, & quoad existentiam, *nego maj.* & sic ad conseq. *Itaque*, essentiæ rerum creatarum dicuntur necessariæ, eo vero sensu, quod, positæ in rerum natura, tales debeant esse, quales concipiuntur, v. gr. homo, si existat, necessario debet esse animal rationale; porro infinitas perfectionum non fluit ex necessitate hypothetica & metaphysica, sed ex necessitate absoluta & physica existentiæ.

*Inst.* 4. Quod est necessarium absolute, & quoad existentiam, non minus in suis perfectionibus limitari potest, quam quod est necessarium hypothetice tantum, & quoad essentiam; ergo necesse non est, ut ens necessarium sit infinitum.

Resp. *nego ant.* Disparitas est, quoad, quæ sunt necessaria hypothetice tantum, & quoad essentiam, necessario debent habere suæ existentiæ causam a qua limitantur: at quod est necessarium quoad existentiam, nullam agnoscit causam; ergo a nulla potest in suis perfectionibus limitari.

*Objicies* 2. Licet singula entia sint contingentia, tota nihilominus entium contingentium collectio est necessaria; ergo ex ente necessario invicte non probatur Dei existentia.

Resp. *nego ant.* Nam ens necessarium, quod probamus, debet esse infinite perfectum, & consequenter simplicissimum; atqui tota prædicta collectio non est simplicissima, a suis enim partibus componentibus pendet ut sit, quod est maxima imperfectio; ergo non est quid unum infinite perfectum.

*Inst.* 1. A sensu distributivo ad collectivum, non valet argumentatio; v. gr. non valet, *singuli milites non sunt exercitus; ergo tota collectio militum non est exercitus*; ergo &c.

Resp. *dist. ant.* A sensu distributivo ad collectivum non valet consequentia, in prædicatis accidentalibus & quantitativis, *conc. ant.* in prædicatis essentialibus, *nego ant.* valet enim ista illatio: *quilibet homo est animal; ergo tota hominum collectio est animal.* Ratio disparitatis est, quia prædicata accidentalia & quantitativa ita singulis conveniunt, ut collectioni repugnent, quia major est quantitas in collectione, quam in partibus collectionis; e contra vero prædicata essentialia tam conveniunt singulis partibus, quam earum collectioni, quia petuntur ab essentia, quæ non suscipit majus & minus, sicut quantitas.

*Inst.* 2. Atqui in prædicatis essentialibus, non valet a sensu distributivo ad collectivum argumentatio; ergo.

*Prob. subs.* Hæc illatio, *quælibet creatura possibilis, est essentialiter producibilis; ergo tota collectio creaturarum possibilium essentialiter producibilis est*, non valet; alias exhauriri posset Dei infinita potentia; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam eodem modo tota collectio possibilium est producibilis, quo singulæ creaturæ possibiles sunt producibiles; atqui singulæ creaturæ possibiles, sunt tantum producibiles distributive; ergo & tota collectio essentialiter producibilis est distributive, non collective.

§. II. *Demonstratio ex necessitate primæ causæ efficientis, & primi moventis immobilis petita.*

Necesse est, ut in rerum natura existat aliquod ens improductum, & primum movens immobile; sed illud ens est Deus; nomen enim Dei nihil aliud intelligimus quam ens a se, improductum, ac primum movens immobile; ergo, &c.

*Prob. maj.* Si omnia entia, quæ sunt, vel fuerunt, producta fuissent ac mota, saltem unum ex illis se ipsum produxisset ac movisset; absurdum con-

consequens, nihil enim potest esse sui ipsius causa, & *quidquid movetur, ab alio movetur*, juxta axioma; ergo, &c.

*Prob. prima pars minoris*. Si in tota entium productorum collectione, unum seipsum produxisset, fuisset se ipso prius & posterius: causa enim est prior suo effectu, & effectus sua causa posterior; atqui hoc est absurdum; ergo nihil potuit se ipsum producere; ergo omnia entia producta supponunt primam causam improductam, aliorum entium effectricem; atqui illa causa est Deus; ergo.

*Prob. secunda pars min.* Si in tota entium motorum collectione, unum seipsum movisset sive ad esse, sive ad qualitatem, sive ad locum, fuisset secundum idem simul in potentia & in actu; in potentia quidem, quatenus potuisset recipere motum, quem (ut supponitur) non habuisset; in actu autem, quia (ut supponitur) seipsum movisset; sed implicat, quod idem, secundum idem, sit in potentia & in actu: nam quod est simul in potentia & in actu, v. gr. secundum esse, simul est & non est; item quod simul est in potentia & in actu secundum eamdem qualitatem, eam habet & simul non habet, quod est contradictorium; ergo datur primum omnino immobile, a quo moveantur cætera quæ moventur; ergo datur Deus.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. In causis producentibus & productis, moventibus, & motis, datur processus in infinitum, ita ut una sit, & moveatur ab alia, & hæc ab altera usque in infinitum: ergo non necessario recurrendum est ad aliquam causam primam & universalem, a qua cæteræ sint.

Resp. *nego ant.* Repugnat enim talis in infinitum processus, nam in enumeratione causarum subordinatarum, tandem deveniendum est ad causam primam; hæc autem vel est *a se*, vel non; si est *a se*, ergo est improducta, & consequenter Deus; si non est *a se*, ergo est ab alio, sed illud aliud est *a se*, cum sit extra collectionem causarum ab alio productarum: ergo est Deus.

*Objicies* 2. *cum Epicuro*. Materia est improducta, & æterna; ergo non potest probari existentia primæ & universalis causæ.

Resp. *nego ant.* Quod non tantum repugnat fidei quæ docet in principio Deum creasse cœlum & terram, sed etiam rationi: nam ens æternum & improductum, est infinitum, cum a nulla causa limitari potuerit; at materia est finita, loco circumscripta, & maxime iners & otiosa; ergo.

*Prob. ant.* Ex nihilo, nihil potest fieri; ergo admittenda est materia æterna & increata, a qua præjacente omnia fiant.

Resp. 1. *dist. ant.* Ex nihilo nihil fit ab homine cujus virtus finita est, ac limitata, *conc. ant.*, a Deo qui est infinitæ virtutis, *nego ant.*

Resp. 2. *nego conseq.* Supposito enim, non concesso, quod detur materia æterna, 1. Ex ea nunquam posset fieri ens spirituale cogitans; atqui extant substantiæ spirituales, ergo non possunt esse a materia; ergo sunt a solo Deo omnium creatore. 2. Esset otiosa, & omnis motus expers; ergo agens superius & infinitæ virtutis, esset adhuc necessarium, a quo illa materia motum ad hanc, vel illam formam acciperet; atqui tale agens est Deus; ergo.

*Objicies* 3. Dantur entia æterna *a parte post*, id est, quæ nullum habitura sunt finem; ergo & possunt dari entia æterna *a parte ante*, id est quæ nullum habuerint initium.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod ens, non habens suæ existentiæ initium, sit a se, & plane independens, quod repugnat creaturæ: sed ens quod non habiturum est finem, semper pendet a suo conditore, qui, sicut illud ex nihilo libere creavit, ita illud in nihilum potest redigere.

### §. III. *Demonstratio ex mirabili mundi hujus fabrica & dispositione.*

Opus, in quo relucet summa rerum multitudo & varietas, fixa tempestatum vicissitudo, immensa cœlorum moles, siderum definitæ conversiones, totius denique naturæ ordo ita sapiens, ut nullus sapientior, ita pulcher, ut nullus pulchrior, ita constans, ut nullus constantior inveniri queat, a suprema quadam mente & intelligentia sapientissima prodiit, regitur, & ordinatur; atqui talis est tota hujus mundi machina; ergo a suprema quadam intelligentia prodiit, &c. atqui illa intelligentia est Deus; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt Athei*, Omnia, quæ in hoc universo cernuntur, ex fortuito atomorum, in vastissimo nihili sinu sese moventium, occursu coaluisse; ergo ad illa explicanda, non est necesse recurrere ad supremam quandam intelligentiam.

Resp. *nego ant.* Insipiens enim sit oportet, qui magnificum aliquod palatium ex fortuito lapidum, cœmentorum, lignorum occursu, factum dicit; magis insaniens, qui hujus universi perpetuo sibi constantem fabricam in fortuitum atomorum fictorum occursum refundit. Quis sanæ mentis considerans solem, lunam, & alia astra constanti & perpetuo motu lucem quocumque diffundentia, solem ab oriente ad occidentem constantissime moveri, nunquam ab occidente ad orientem, &c. quis, inquam, talia contemplans, *potest existimare nullo effecta consilio, nulla convenientia, nulla ratione divina: sed ex atomis subtilibus & exiguis concreta esse tanta miracula? nonne prodigio simile est, aut unum esse hominem qui hæc diceret, aut extitisse qui crederet?* Ait Lactant. (*L.* 1. *de ira Dei cap.* 10.)

*Instant*, Omnia quidem sunt facta, sed a casu & fortuna, non vero ab aliquo intelligente; ergo demonstratio ex mundi fabrica nulla est.

Resp. *nego ant.* Quis enim dixerit ferrum ex casu fortuito talem habuisse motum, qui necessarius est ad horologium producendum? ergo a pari *quis adeo rationis expers*, ait Seneca (*L.* 1. *quæst. nat. in præfat.*), *ut hoc, quo neque formosius quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius, existimet fortuitum & casu volubile, & non a suprema aliqua ratione ordinatum?*

*Objiciunt Libertini*. Universum hoc regitur a sola

natura, quæ uno cursu & ordine semper eadem agit: ergo non datur illius intelligens moderator.

*Prob. ant.* Nox semper eodem cursu succedit diei, æstas veri, autumnus æstati, & autumno hyems, homines semper eodem modo nascuntur & moriuntur, &c. atqui illa non succederent ita regulariter, nisi a sola natura regerentur: ergo.

*Resp. nego min.* Nam quod illa ita regulariter sibi succedant, hoc habent ab ipso Deo authore naturæ, cui placuit ipsi naturæ regulas permanentes statuere, a quibus seipsa non potest recedere, verum tantum abest, ut tam mirabilis ordo officiat existentiæ Dei, quin potius illam, summa cum energia, statuat, nam ut docet Minutius Felix in Octavio, *hic ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret.*

*Instant:* Legislator intelligens, suas leges ad libitum, aut saltem pro temporum & negotiorum exigentia, potest, mutare, aut in illis dispensare; atqui leges naturæ sunt invariabiles, nec in illis potest quis dispensare; ergo.

*Resp. nego min.* Contrarium enim colligitur ex miraculis quotidianis, quibus videmus in hyeme flores & fructus, in æstate nives & glacies, in aquis soliditatem & regressum; in igne, ardoris suspensionem; in sole, retrogradationes & eclypses extraordinarias, &c. hæc spectant ad Dei providentiam.

*Itaque*, Nullus est, qui ex his quæ facta sunt, summam divini illorum artificis sapientiam non agnoscat, sed maxime ex miranda hominis structura, ait Minutius Felix in Octavio, *status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula, constituti, &c. .... & quod magis mirum est, eadem figura omnibus: sed quædam unicuique lineamenta deflexa; sic & similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur.*

§. IV. *Demonstratio moralis existentiæ Dei ex communi hominum sensu, sic proponitur.*

Quod omnes homines unanimi & constanti consensu existere fatentur, illud certissime existit; nam *de quo omnes conveniunt*, ait Cicero, *id verum esse, necesse est.* Atqui populi, quotquot unquam extiterunt, etiam ii qui vix humani quidquam præter speciem habent, omnes unanimi consensu Deum existere fatentur. *Persa*, ait D. Hieron. (*Epist. ad Nepotian.*), *Gothus, Ægyptius, Turca ipsum agnoscunt . . . & totius mundi una vox est, Deus est.*

## CAPUT V.

*Utrum Deus possit invincibiliter ignorari?*

*Nota* 1. Ignorantia duplex est, vincibilis scilicet, & invincibilis. Ignorantia *vincibilis* est ea, quæ, adhibita morali diligentia, vinci ac superari potest: hæc censetur voluntaria saltem indirecte, ac proinde culpabilis. Ignorantia *invincibilis* est ea, quæ, nullo studio, nulla diligentia, superari potest; hæc est, involuntaria & inculpabilis.

*Nota* 2. Aliqui Theologi ausi sunt scribere, nonnullos homines adultos & rationis compotes, posse per totam vitam invincibiliter ignorare Dei existentiam, ita ut nec semel toto vitæ tempore de ipso cogitent, *ita Poncius*. Alii quidam docuere ejusmodi ignorantiam, homini cogitanti non posse quidem per totam vitam inesse, sed per breve tempus, contra quos sit.

CONCLUSIO.

*Nemo, post adeptum rationis usum, etiam ad breve tempus, potest invincibiliter ignorare Deum.*

*Prob.* 1. Ex omnibus momentis, quibus debellavimus Atheos; nam illius existentia a nemine rationis compote potest invincibiliter ignorari, cujus idea nobis ita est ingenita, ut hæc propos. *Deus est*, omnibus *per se* nota sit; cujus existentia invictissimis argumentis demonstrari potest: atqui idea Dei nobis est ita ingenita, ut hæc propos. *Deus est*, omnibus sit *per se* nota, & existentia Dei invictissimis argumentis demonstrari possit, &c. ergo.

*Prob.* 2. Ignorantia invincibilis excusat a peccato; atqui nulli ignorantes Deum, excusantur a peccato, dicuntur enim *inexcusabiles*, Rom. 1. ergo, &c. *Prob. min.* Illi non excusantur a peccato, quibus pœna infligitur, cum nemo, nisi propter peccatum, a Deo justo puniatur; atqui omnibus ignorantibus Deum, pœna infligitur. Psalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, &c.* ergo.

*Confirm.* Si homo rationis compos ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale; absurdum cons. ergo, &c. *Probat. maj. seq.* Malitia peccati mortalis petitur ex injuria Dei; sed Deus non potest injuria affici, nisi cognoscatur; ergo si homo ignoraret Deum, nullum ejus peccatum esset mortale.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Plures sunt, qui Dei ignorantiam superare non possunt; ergo Dei existentia potest invincibiliter ignorari.

*Prob. ant.* Ignorantia Dei non potest superari, nisi per discursum, ex creaturarum scilicet existentia colligendo existentiam Dei creatoris; atqui multi sunt barbari ita agrestes, ut non sint hujusmodi discursus capaces; ergo.

*Resp.* 1. *nego maj.* Quippe omnibus innata est Dei idea, ita ut ad illius cognitionem, sola attentione ad conscientiæ testimonium opus sit.

*Resp.* 2. *nego min.* Nullus enim est homo rationis compos, qui non sit capax rationum, quibus demonstratur Dei existentia; nemo enim est ita stupidus, qui ex creaturis non eruat cognitionem, saltem probabilem, quod in hoc universo sit supremus aliquis gubernator cui sit parendum, qualiscumque tandem ille sit; hoc enim ipso, tenetur inquirere quis ille sit, & qua ratione colendus: quare dicit Tullius (*L. 1. Tuscul. quæst.*)

„ Nulla est gens tam barbara, quæ non fateatur esse aliquem Deum, adeo quidem ut homines falsum Deum habere malint, quam nullum omnino. "

*Inst.* 1. Saltem per breve tempus potest quis invincibiliter ignorare Deum; ergo.

*Prob. ant.* Puer educatus in sylvis, postquam adeptus est usum rationis, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex idea sibi a natura indita, & ex crea-

creaturis concludat existentiam Dei; ergo illo saltem brevi tempore eam invincibiliter ignorabit.

Resp. *nego ant.* Nam statim atque talis puer usum rationis adeptus est, si ad propriæ conscientiæ testimonium, & ad alias creaturas attendat, cognitionem Dei comparabit; ratio est, quia tam clarum est conscientiæ de Deo testimonium, tam evidens est creaturarum cum creatore connexio, ut is qui, ut par est, attenderit, ne momento quidem temporis esse queat sine cognitione Dei, si non statim demonstrativa, saltem probabili, & moraliter certa.

*Inst.* 2. Ut puer sic in sylvis educatus, ex creaturis concludat existentiam Dei, debet aliquo modo præcognoscere terminos, *Deus*, &, *est*: atqui non potest hos terminos præcognoscere, nisi per aliquos doceatur; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ut concludat existentiam Dei, sub ratione propria deitatis, *conc.* sub ratione aliqua communi & confusa deitatis, *nego maj.* atqui non potest illos terminos præcognoscere, sub ratione propria deitatis, *conc.* sub ratione primæ causæ, entis primi, improducti, infiniti, *nego min.* Porro hæc confusa Dei cognitio sufficit, ut serio inquirat distinctam Dei cognitionem, ad quam, juvante lumine rationis, & præveniente gratia Dei, quæ *facienti quod in se est, nunquam deest*, facile potest pervenire; unde si ignoret Dei existentiam, non illam ignorat, nisi quia vult illam ignorare, aut negligit illam cognoscere; quare si male agat, non solum contra rectam rationem peccat, sed etiam contra Deum, quem a se offendi, nonnisi vincibiliter & culpabiliter, ignorat, ut constat ex hac prop. ab Alexand. VIII. damnata: „ Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & morale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum “.

## CAPUT VI.

### *De unitate Dei.*

*Nota.* Unitatem Dei impugnarunt, 1. Gentiles; quorum tanta fuit dementia, ut innumerabilem plane deorum multitudinem adoraverint. 2. Nonnulli Hæretici, ut Marcionitæ, Cerdoniani, Manichæi, qui duos admiserunt deos, unum bonum boni, & alterum malum mali principium. 3. Tritheitæ, qui tres SS. Trinitatis personas, tres Deos numero & natura distinctos dixerunt; hinc *Polytheismus* & fide contra hæreticos, & ratione naturali contra gentiles, est debellandus.

### CONCLUSIO.

*Fide constat unicum esse Deum.*

*Prob.* 1. ex Scriptur. Psalm. 85. *Tu es Deus solus.* Deut. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Marci 12. *Unus est Deus, & non est alius præter eum.* Et 1. Cor. 8. *Scimus ... quod nullus est Deus, nisi unus.* Ergo.

*Prob.* 2. Contra Tritheitas ex Patribus tum Græcis, tum Latinis.

D. Epiphan. (*Hæres.* 57. *contra Neotianos*) *Num deorum multitudinem putaverunt, qui veræ cultum Trinitati offerunt? profecto non sic ... unam deitatem novit Ecclesia, unus est Deus veritatis Pater, Pater perfectus in substantia, Filius perfectus in substantia, Spiritus sanctus perfectus in substantia; una deitas, unus principatus, &c.*

Joann. Maxentius in confessione fidei, *Est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; non tres, sed unus Deus, una substantia, una dominatio.*

D. August. Serm. 6. de tempore: *Maledictus, qui indivisam deitatem, Patris, & Filii, & Spiritus sancti non confitetur: maledictus, qui propria nomina personarum, tres Deos . . . confitetur.*

*Prob.* 3. ex Concil. Nicæno I. in symbolo, *Credo in unum Deum.* Tolet. XI. *Sancta Trinitas unus & verus est Deus.* Later. IV. *Firmiter credimus, ac fideliter confitemur, quod unus solus est Deus verus, æternus, & immensus.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Psalm. 81. dixit Deus: *Ego dixi, dii estis.* Ergo sunt plures dii.

Resp. *dist. conseq.* Sunt plures dii, improprie & participative, *conc.* proprie, & natura, *nego conseq.* Ibi autem Psalmista loquitur de judicibus, quos vocat deos, propter authoritatem judicandi populum, quam a Deo participant, non vero loquitur de diis natura; addit enim: *Vos autem sicut homines moriemini:* quod non potest dici de Deo vero.

*Inst.* 1. Apost. (1. *Cor.* 8. *v.* 5.) ait: *Sunt dii multi & domini multi;* ergo sunt plures dii natura.

Resp. *dist. ant.* Sunt plures dii falsi, *conc.* dii veri, *nego ant.* Ibi Apostolus loquitur de idolis, quæ sunt falsa numina, ut ex illorum multitudine eruat unitatem Dei; ait enim: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus: nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra (si quidem sunt dii multi & domini multi), nobis tamen unus est Deus.*

*Inst.* 2. Illi sunt veri dii, qui habent veros characteres divinitatis; atqui dii gentium habent veros characteres divinitatis; ergo.

*Prob. min.* Tres sunt præcipue characteres divinitatis, nempe patratio miraculorum, Psalm. 71. *Qui facit mirabilia solus.* Infirmitatum repentina curatio, 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivificat.* Futurorum prædictio, Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis vos;* atqui dii gentium hos habent characteres; ergo.

Resp. *nego min.* Namque 1. ea miracula, quæ ad invocationem falsorum deorum dicuntur facta, a dæmonibus, sub deorum nomine, fuerunt patrata, *ut numina lapidis crederentur, & Deus verus non quæreretur*, ait Tertull. in Apologetico c. 22.

2. Curationes morborum a falsis numinibus operatæ, fuerunt potius infestantium dæmonum quies, quam ægritudinum depulsio. *Lædunt enim primo*, ait Tertull. ibidem, *dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova sive contraria, postquam desinunt lædere, & curasse creduntur.*

 3. Præ-

3. Prædictio futurorum facta fuit a dæmonibus, qui mira sua velocitate in momento orbem lustrant, & referre possunt quæ, in remotioribus plagis, geruntur, ut docet Tertull. ibidem, qui addit: „ dispositiones etiam Dei, & nunc concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt, ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem."

*Objicies 2. cum Manichæis.* Tot admitti debent dii, quot prima rerum principia; atqui duo sunt prima rerum principia, ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Tot sunt prima rerum principia, quot sunt effectus oppositi, malum nempe & bonum: ergo duo sunt prima rerum principia.

Resp. *nego maj.* Nam effectus diversi oppositi, licet arguant diversitatem causarum secundarum, quarum virtus est ita limitata & ad certos effectus producendos determinata, ut alios non possint producere, v. grat. ignis ignem, non aquam, producere potest; tamen non arguunt diversitatem causæ primæ, quæ, cum sit infinitæ virtutis, quoslibet effectus producere potest, sive similes, sive dissimiles, sive etiam contrarios, unde Deus, *creator visibilium & invisibilium*, dicitur.

*Inst.* Malum non potest oriri a principio bono: ergo necessario debet oriri a principio malo.

Resp. *dist. ant.* Malum culpæ non potest oriri a principio bono, *conc. ant.* est enim mera rectitudinis privatio, quæ veram non habet causam effectricem, sed potius deficientem. Malum pœnæ, *nego ant.* Nam a Deo justo in ultionem criminum infligitur, & sic consideratum, rationem boni induit.

*Inst.* 2. Si unicus esset Deus, illeque bonus, malum culpæ impediret si posset; atqui non impedit; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Ad Deum enim, qui est provisor generalis, pertinet & boni productio, & mali permissio; quippe creavit hominem liberum, ut vel bonum, vel malum eligeret, oblata ipsi gratia ad bonum prosequendum, & malum fugiendum necessaria, atque etiam proposita æterna felicitate, si bene, æterno vero supplicio, si male ageret. Quid porro sapientius, & ad laudem supremi provisoris opportunius? Culpa igitur hominis est, si misere pereat, beneficium vero Dei, si æternum vivat.

*Objicies 3. cum Tritheistis.* Tres sunt personæ in SS. Trinitate, quarum quælibet est Deus; ergo sunt tres dii.

Resp. *nego conseq.* Quia tres illæ personæ habent eamdem numero naturam, ergo sunt unus Deus.

*Inst.* 2. Personæ divinæ a se invicem realiter distinguuntur; ergo.

Resp. *dist. ant.* Realiter distinguuntur personalitate, *conc.* substantia seu natura, *neg. ant.* Porro pluralitas eorum ex pluralitate numerica naturarum desumitur, non ex pluritate numerica personarum.

*Inst.* 2. Personalitas in Deo non distinguitur a natura in Deo; ergo si personæ divinæ personalitate a se invicem realiter distinguantur, realiter a se invicem distinguuntur natura.

Resp. *dist. ant.* Personalitas & natura in Deo non distinguuntur realiter, *conc.* virtualiter, *nego ant.* Nam modus existendi *per se*, distinguitur virtualiter ab ipsa re existente *per se*; sed personalitas in Deo, est modus subsistendi *per se*, natura vero est res quæ *per se* subsistit; ergo distinguuntur virtualiter; porro distinctio illa virtualis sufficit, ut personæ divinæ, natura omnino indistinctæ, a se invicem realiter distinguantur personalitate.

*Inst.* 3. Personalitas in Deo est de conceptu naturæ; ergo non distinguitur virtualiter a natura.

*Prob. ant.* Persona definitur: *rationalis naturæ individua substantia*; ergo personalitas est de conceptu naturæ.

Resp. *nego conseq.* Quia, in allata definitione, *individua substantia*, non significat essentiam, seu naturam divinam, sed substantiam, seu modum subsistendi *per se*; unde non est substantia simpliciter, sed *individua substantia*, hoc est, substantia incommunicabilis alteri tanquam supposito.

## CONCLUSIO II.

*Ratione demonstratur unicum esse Deum.*

*Prob.* Afferendo varias unitatis Dei demonstrationes.

1. *Demonstratio ex notione Dei*, sic proponitur: Deus est ens summe magnum & infinitum, quo nihil majus aut melius esse, aut cogitari potest; atqui non possunt esse duo entia summe magna & infinita: ergo unicum esse Deum necesse est, non multiplicem.

*Prob. min.* 1. Esse summe magnum ex Tertull. (*L.* 1. *contra Marcion. cap.* 3.) est *parem non habere*; at parem non habere ita uni competit, ut nullo modo possit duobus competere; ergo non possunt esse duo entia summe magna. 2. Esse infinitum, est complecti omne genus perfectionum; duos esse hujusmodi impossibile est; nam si essent duo infiniti, unus ab altero distingueretur: alias plures non essent; atqui id per quod unus ab alio distingueretur, esset aliqua perfectio. Deus enim non nisi perfectione quadam potest constitui; ergo uni deesset ea perfectio, qua alter constitueretur; ergo non haberet omnes perfectiones, ac proinde non esset infinitus; ergo *Deus, si non est unus, non est*, concludit Tertull. *ibid.*

*Dices*: Non magis divinæ naturæ infinitas impedit pluralitatem deorum, quam personarum; atqui tres sunt personæ infinitæ; ergo possunt esse plures Dii infiniti.

Resp. *dist. maj.* Disparitas est, quod, si plures essent dii, differrent a se invicem per aliquam perfectionem infinitam qua unusquisque constitueretur, & qua quilibet alius careret; quare nullus ex eis esset revera infinitus; e contra cum tres SS. Trinitatis personæ habeant unam, eamdemque naturam, nihil habet una, quod, ejusdem naturæ divinæ beneficio, cui omnia identificantur, non habeat alia.

2. *Demonstratio ex omnipotentia Dei*, sic proponitur: repugnat esse plures omnipotentes; ergo & plures deos.

*Prob. ant.* Si essent duo omnipotentes, & unus vellet producere aliquam creaturam, vel alter posset illius creaturæ productionem impedire & projectam destruere, vel non posset; si non posset, non esset omnipotens, cum non posset exequi quodcumque vellet; si posset, alter non esset omnipotens, cum non posset suum opus facere & conservare: unde merito concludit D. Athanas. (*L.*

con-

contra gentiles) *Dicere plures deos æqualiter potentes, est dicere plures æqualiter impotentes.*

3. *Demonstratio.* Deus est primum omnium rerum principium, finis simpliciter ultimus, mundique rector & gubernator; atqui unicum est rerum omnium principium, unicus finis simpliciter ultimus, unicus mundi rector; ergo unicus Deus.

*Prob. prima pars min.* Si essent plura rerum omnium prima principia, quodlibet eorum esset principium totale, vel non; *non primum*, quia implicat ejusdem rei esse plures causas totales; *non secundum*, alias nullus esset Deus, cum nullus haberet virtutem infinitam, sed alterius adminiculo indigeret; ergo unicus est Deus.

*Prob. secunda pars min.* De ratione finis ultimi simpliciter est, quod ad ipsum omnia ordinentur, ipse vero ad nihil aliud referatur; atqui implicat dari duos fines simpliciter ultimos. *Prob. min.* nam vel unum illorum ad aliud referretur, vel non: *si primum*, illud quod referretur, non haberet rationem ultimi finis, de cujus ratione est, ut ad nihil aliud non referatur; *si secundum*, aliud, ad quod non referretur, non esset finis ultimus, de cujus ratione est, quod omnia ad ipsum referantur. Ergo.

*Prob. tertia pars min.* Quæ diversa sunt & divisa, in unum ordinem non possunt convenire, nisi ab aliquo uno dirigantur & ordinentur; atqui in mundo est omnium partium constans harmonia & concors conspiratio; ergo est unicus mundi rector. „ Nam si plures mundo præessent, *ait Athanas. contra gent.* ordo ille servari non posset, sed omnia confusione & perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, & adversus alium pugnaret “.

*Dices*: Deus est ens, quo melius excogitari non potest; atqui melius est plures esse deos, quam unum: ergo.

Resp. *nego min.* Illud enim non est melius, quod repugnat; atqui, &c.

*Prob. min.* Plura paucioribus sunt meliora; atqui plures dii, sunt plura bona; ergo.

Resp. *nego min.* Deus enim est infinitum bonum, ergo omne bonum, juxta illud Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum;* ergo non potest ejus bonitas augeri per alterius boni additionem.

## DISSERTATIO II.

### *De natura, seu essentia Dei.*

*Nota* 1. Essentia, seu natura Dei duplici modo considerari potest. 1. Prout est *in se a parte rei*, quo sensu est actus purissimus omnes omnino includens perfectiones, & cum illis identificatus: sic considerata natura Dei neque in terris, neque in cælis potest perfecte & comprehensive cognosci, ut contra Eunomium, ejusque discipulos suo loco demonstrabimus. *Secundo*, potest considerari per quandam analogiam & proportionem ad rerum creatarum essentias, quæ solent explicari per definitionem ex genere proximo & differentia specifica constantem . . . Deus *primo modo* spectatus non potest definiri, cum non habeat genus & differentiam; genus enim est totum potentiale & perfectibile: at in Deo, qui est actus purissimus, nihil potest esse potentiale & perfectibile. Item differentia excludit genus a suo conceptu; at omnia ita imbibuntur in conceptu divinæ essentiæ, ut nequidem per mentem sejungi possint; hinc D. Ambr. (*L. de fide contra Arianos.*) ait: „ Deus hic est, qui, cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit ... “ Deus *secundo modo* spectatus, potest definiri, quia licet in Deo omnia sint unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio, nonnulla tamen sunt in eo, quæ per modum essentiæ spectantur, ut sunt genus, quo cum creaturis convenit; & differentia, qua ab illis differt; alia per modum attributorum, seu proprietatum, quæ ex ipsa rei essentia, secundum nostrum concipiendi modum, sequuntur; hoc modo Deus in hac vita, imperfecte saltem & abstractive, potest cognosci, & quidem duplici via. 1. *Via negationis*, removendo a Deo quod in creaturis imperfectum est ac limitatum, v. gr. cum Deum immortalem, invisibilem, immutabilem, dicimus. 2. *Via affirmationis*, affirmando nimirum de Deo omnes, quæ enti creato insunt, perfectiones, ab omni labe potentiæ & limitationis defæcatas, v. gr. cum Deus concipitur justus, omnipotens, æternus, &c.

*Nota* 2. Circa genus Dei nulla est difficultas; nam *constat*, 1. Deum non esse in aliquo genere proprie dicto, id est, quod Deo univoce conveniat cum creaturis; nam si quod haberet, esset *ens*, sed *ens* non convenit univoce Deo & creaturis; nam *ens* seu *esse Dei*, necessario est actu, & consequenter non potest concipi ut potens recipere actum existendi, sicut genus concipitur ut potens, recipere suam differentiam; e contra *ens*, seu *ess. creaturæ*, potest concipi, ut non existens actu, quoniam potest concipi, ut potens recipere actum existendi; ergo nihil est in Deo quod univoce ipsi conveniat & creaturis. *Constat* 2. Deum esse in aliquo genere improprie dicto, id est, quod analogice tantum conveniat Deo & creaturæ; illud autem genus, est *ens* simpliciter, nam per to *ens*, Deus convenit analogice cum omnibus creaturis.

*Nota* 3. Gravis est controversia inter Theologos circa differentiam Dei, & quæritur quænam, inter Dei perfectiones, sit differentia essentialis naturæ divinæ, seu quinam sit gradus constitutivus essentiæ divinæ, circa quod.

*Nota* 4. In gradu constitutivo essentiæ alicujus rei quatuor requiruntur conditiones: 1. Ut sit quid *proprium* illi soli rei quam constituit, & a qualibet alia distinguit. 2. Ut sit quid *primum* in ipsa re, nec ab alio præsupposito derivatum. 3. Ut sit *fons* & *radix* aliarum proprietatum, quæ in illa re reperiuntur. 4. Ut sit quid *adæquatum rei*, totumque id amplectatur, quod est de conceptu rei quidditativo.

*Nota* 5. Circa præsentem quæstionem, quæ ad fidem minime pertinet, quatuor sunt potissimum opiniones.

*Prima* est *Thomistarum*, quorum alii pro gradu constitutivo essentiæ divinæ assignant ipsam intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi; alii communius intellectionem actualem, a qua tamen sententia aliqui, ut *Lannez*, *Ledesma*, *Contensonius*, &c. recesserunt.

Se-

*Secunda* est *Nominalium*, quibus placet essentiam divinam constitui per collectionem omnium perfectionum in Deo.

*Tertia* est *Scotistarum*, qui eandem collocant in infinitate radicali, hoc est, in exigentia omnium perfectionum.

*Quarta* est aliorum omnium Theologorum, qui docent essentiam Dei in aseitate, seu in omnimoda ab alio, & tanquam a causa, & tanquam a principio, & tanquam a radice, independentia, collocandam esse.

## CONCLUSIO I.

*Gradus essentiæ divinæ constitutivus, non est intellectio.*

*Prob.* Quia intellectio, sive sit radicalis, sive actualis, non habet conditiones ad gradum essentiæ divinæ constitutivum requisitas. Nam 1. Neutra intellectio est *prima* perfectio in Deo, nam intellectio actualis supponit intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi, sicut & intellectio actualis, supponunt naturam ipsam, a qua fluunt. 2. Neutra intellectio est radix aliarum Dei perfectionum: quæ enim consequentia, *Deus est intelligens, ergo est infinitus, immutabilis*, &c. unde D. Chrysost. (*Orat. 1. de incompreh. Dei natura.*) ait: *Non autem sapientia, substantia est, sed ex substantia sapientia est.* 3. Intellectio non est conceptus Dei adæquatus, nec enim voluntatem, nec volitionem complectitur, quæ tamen Deo æque essentialis est, ac ipsa intellectio.

*Objicies:* Illud in Deo debet haberi tanquam ejus differentia essentialis, quod est omnium quæ sunt in Deo, longe perfectissimum; atqui talis est intellectio actualis; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quod est perfectissimum in genere naturæ, *conc.* in genere facultatis, aut actus naturam ipsam constitutam supponentis, *nego maj.* & sic ad min. Porro ut aliqua perfectio sit perfectissima in genere naturæ, requiritur ut sit prima, adæquata & radix aliarum Dei perfectionum: talis autem non est intellectio actualis; ergo.

*Inst.* 1. Per illud constituitur formaliter natura divina, quo Verbum divinum præcise, & ex vi processionis suæ recipit; atqui recipit præcise ipsum intelligere purissimum & actualissimum; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Nam Verbum divinum vi processionis suæ recipit totam Dei naturam, porro intellectio actualis non est tota Dei natura.

*Inst.* 2. Verbum divinum vi processionis suæ recipit præcise id per quod dicitur, & est Dei filius; atqui dicitur, & est Dei filius, quia vi processionis suæ recipit ipsum intelligere actualissimum, ergo.

Resp. *nego min.* Nam Verbum divinum dicitur, & est Dei filius, quia producitur per intellectum, qui est facultas formaliter assimilativa, non vero quia recipit ipsum intelligere actualissimum, quod sit natura divina, ut videbitur in tractatu de SS. Trinitate.

## CONCLUSIO II.

*Gradus essentiæ divinæ constitutivus, non est cumulus omnium Dei perfectionum.*

*Prob.* Nam gradus ille debet esse specialis aliqua perfectio, quæ, nostro concipiendi modo, sit prima & radix cæterarum; atqui cumulus ille omnium Dei perfectionum, non est specialis perfectio, ut per se patet; nec est prima, cum complectatur omnes perfectiones; nec est radix cæterarum, cum ultra illum cumulum non sit alia; ergo, &c. Ex hoc patet, quod sit aliquid in Deo ante perfectiones, ex quo illæ fluere concipiantur: quare non prædicantur *in quid*, ut loquuntur Logici, sed *in quale* tantum.

*Objicies:* Gradus divinæ essentiæ constitutivus in eo reponi debet, quod est perfectius; atqui omnium perfectionum cumulus, quacumque speciali perfectione perfectior est; ergo.

Resp. *dist. min.* Est perfectior quacumque speciali perfectione, quæ non contineret implicite alias omnes perfectiones, *conc.* quæ alias omnes implicite continet, *nego min.* Porro omnimoda aseitas in suo conceptu importat saltem implicite & confuse omnes omnino perfectiones possibiles, quandoquidem ens a se nullos perfectionis limites habere potest.

## CONCLUSIO III.

*Infinitas radicalis non est formale constitutivum essentiæ divinæ.*

*Prob.* Quia formale constitutivum essentiæ divinæ debet esse perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus *prima occurrit*; atqui infinitas radicalis non est talis, nam fluit ab aseitate: quærenti enim, *quare Deus sit infinitus?* seu *quare nullos in perfectione terminos agnoscat?* recte respondetur, *quia est a se*; ergo.

*Objicies.* Infinitas radicalis, est fons & radix omnium Dei attributorum; ideo enim Deus est immensus, æternus, omnipotens, quia est infinitus; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Est fons & radix mediata & secundaria, *conc.* primaria, *nego ant.* infinitas enim fluit ultimate ab aseitate; ergo non est prima radix omnium perfectionum.

## CONCLUSIO IV.

*Dei differentia essentialis, seu, gradus constitutivus essentiæ divinæ, est aseitas, seu existentia a se.*

*Prob.* 1. Ea opinio est amplectenda, quæ, licet ad fidem non pertineat, magis tamen est ad mentem & modum loquendi sacræ Scripturæ & SS. Patrum; atqui talis est nostra opinio; ergo, &c.

*Prob. min.* Deus, Exod. 3. Moysi interroganti quis esset, respondet: *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Ex quo sic arguo. Quia nomina imponunt rebus, intendunt per illa naturam rei exponere per differentiam propriissimam, & essentiam: atqui Deus non aliunde nomen assumpsit, quam *ab essendo*; ergo aseitas est differentia essentialis Dei, & ita SS. Patres intelligunt illa Exodi verba: namque.

S. Hieron. (*Epist. 57. ad Damasum, nunc 14.*) ait: *Una est Dei & sola natura, quæ vere est; id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est .... Deus solus qui est æternus, qui exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet: idcirco & ad Moysen de rubo loquitur:* Ego sum qui sum.

D. Aug.

D. Aug. in Psal. 134. ait: *Tanquam solus sit, dixit: Ego sum qui sum . . . ipsum esse se vocari respondit; & tanquam hoc esset ei nomen, hoc dices eis, inquit, qui est, misit me.*

D. Joann. Damasc. (*L.* 1. *de fide Orthod. cap.* 9.) *Ex omnibus nominibus*, inquit, *quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, atque, qui est, quemadmodum cum ipsemet Moysi in monte responderet, ait: Dic filiis Israel, qui est, misit me. Nam totum esse velut immensum quoddam, ac nullis terminis definitum, essentiæ pelagus complexu suo ipse continet.*

*Prob.* 2. *ratione.* Gradus essentiæ divinæ constitutivus, 1. debet esse *proprius* rei; 2. debet esse *primus* in ipsa re; 3. debet esse *radix* aliarum rei proprietatum; 4. debet esse *adæquatus rei;* atqui aseitas quatuor illa complectitur; ergo.

1. *Aseitas*, est naturæ divinæ maxime *propria;* per eam enim differt 1. a creaturis, quæ sunt essentialiter ab alio tanquam a causa; 2. ab attributis divinis, quæ sunt ab essentia tanquam a radice; 3. a personis divinis, quæ sunt ab alio tanquam a principio; ergo, &c. Hinc Div. Ambros. in Psalm. 43. exponens hæc verba Exodi, *Ego sum qui sum*, ait: *Rem expressit, non appellationem, dicens, ego sum qui sum; quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse.*

2. *Aseitas*, est *prima* perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus, statim occurrit, cujus nulla ratio reddi potest: hinc D. Dionys. (*L. de divin. nominibus, cap.* 5.) ait: *Ex ipso esse, tanquam antiquiori aliis Dei bonis, ipse Deus celebratur.*

3. *Aseitas*, est *fons*, & *radix* cæterarum Dei perfectionum, juxta illud Div. Bernardi (*L.* 5. *de Consid. cap.* 6.): *Si bonum, si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est.* Ratio est, quia qui est a se, a nullo limitatur; ergo habet omnes perfectiones possibiles.

4. *Aseitas*, est *adæquata* Deo, qui continet formaliter, aut virtualiter omnia quæ dicuntur quidditative de Dei natura, ut docet D. Bernard. ibidem: *Hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, & si certum talia addas, non recessisti ab esse.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Gradus constitutivus divinæ essentiæ, non potest esse negatio; atqui aseitas est pura negatio dependentiæ ab alio; ergo.

Resp. *dist. min.* Aseitas est pura negatio, ratione nominis, *conc.* ratione rei per nomen significatæ, *nego min.* nam licet aseitas explicetur per negationem, tamen, in se & a parte rei, importat positivam plenitudinem omnis esse, ad quam sequitur negatio dependentiæ ab alio in existendo: licitum est autem Theologis, terminis uti negativis, ad naturæ divinæ plenitudinem exprimendam, cum ex D. August. in Psal. 85. *Facilius dicamus quid non sit Deus, quam quid sit.*

*Inst.* Gradus constitutivus essentiæ divinæ debet esse in Deo prima perfectio; atqui si aseitas dicat a parte rei positivam plenitudinem omnis esse, non est in Deo prima perfectio; ergo.

*Prob. min.* Si aseitas dicat plenitudinem omnis esse, est omnis perfectio; ergo non est prima perfectio.

Resp. *dist. ant.* Est omnis perfectio a parte rei, *conc.* formaliter & secundum nostrum modum concipiendi, *nego ant.* Porro quando quærimus gradum essentiæ divinæ constitutivum, quærimus quænam sit perfectio, quæ nobis de Deo cogitantibus statim occurrit, & quæ concipitur ut prima radix, a qua cæteræ omnes promanant.

*Inst.* 2. Illa perfectio non est constitutiva essentiæ divinæ, quæ est communis omnibus Dei attributis; atqui aseitas est communis omnibus Dei attributis; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Intellectam de aseitate, quatenus dicit omnimodam ab alio independentiam, excluditque tum causam efficientem, tum fontem & radicem, tum principium seu originem; aliæ enim perfectiones ab aseitate, fluunt ab ipsa aseitate tanquam a radice.

*Inst.* 3. Ex responsione sequitur Filium & Spiritum Sanctum in divinis, non esse Deum; falsum conseq. ergo, &c.

*Prob. seq. maj.* Deus est essentialiter *a se*, aseitate omnimoda; atqui Filius & Spiritus Sanctus non sunt a se aseitate omnimoda. Filius enim est a Patre, & Spiritus Sanctus est a Patre & Filio; ergo &c.

Resp. *dist. min.* Filius & Spiritus Sanctus non sunt a se aseitate omnimoda, ratione personalitatum, *conc.* ratione essentiæ, *nego min.* Filius enim & Spiritus Sanctus, sunt quid idem realiter cum essentia divina, ratione cujus ipsis competit aseitas omnimoda.

*Inst.* 4. Natura divina, quæ est in Filio, est a Patre tanquam a principio; ergo natura divina, quæ est in Filio, non habet omnimodam aseitatem.

Resp. *dist. ant.* Est a Patre per communicationem, *conc.* per veram productionem, *nego ant.* in divinis enim sola persona producitur, sicut sola persona producit; natura nec producit, nec producitur.

*Inferes* ex dictis, quod licet Deus proprie definiri non possit, cum non habeat genus proprie dictum, tamen potest describi, *ens a se*, nam in hac propositione tota Dei essentia stricte sumpta exprimitur: in Deo enim, eoque solo, idem est *esse* & *essentia*.

## DISSERTATIO III.

*De attributis Divinis generatim.*

*Nota* 1. Attributum late, vel stricte sumi potest; attributum *late*, est id omne, quod de Deo, tanquam de subjecto, prædicatur, quo sensu omnia quæ ad Dei essentiam spectant, ut *ens*, *substantia*, *spiritus*, Dei attributa dicuntur, de quibus hic speciatim non agimus.

Attributum *stricte*, est quælibet Dei perfectio, quæ ab essentia divina, tanquam a radice, virtualiter profluere concipitur, & de Deo per modum proprietatis prædicatur.

*Nota* 2. Attributa stricte sumpta, alia sunt *absoluta*, alia *relativa*.

Attributa *absoluta*, sunt perfectiones tribus personis communes: hæcque vel sunt *positiva*, quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant, ut justitia, bonitas, &c. vel *negativa*, quæ a Deo aliquam imperfectionem removent, ut infinitas, incomprehensibilitas, &c.

Attri-

Attributa *relativa*, sunt perfectiones, quæ uni, vel duabus tantum personis, sunt propriæ, ut *paternitas*, *filiatio*, *spiratio activa*, & *spiratio passiva*. De his ex professo agemus in Tractatu de Trinitate: tamen inquirendo quomodo attributa absoluta inter se, & ab essentia distinguantur, indicabimus quomodo attributa relativa ab eadem essentia sint distincta. Ideo

## CAPUT UNICUM.

*De distinctione attributorum absolutorum a se invicem, & attributorum tum absolutorum, tum relativorum ab essentia divina.*

*Nota* 1. Distinctio in genere, est *negatio identitatis*; ea quippe sunt distincta, quorum unum non est aliud; ea autem vel est realis, vel rationis.

Distinctio *realis* est *negatio identitatis in ipsa re*. Unde ea distinguuntur realiter, quæ non habent a parte rei eandem entitatem, quæ ideo actu, & de facto, ante omnem mentis operationem, sunt distincta.

Distinctio *rationis* est *negatio identitatis in conceptu*, seu, est diversitas conceptuum ejusdem rei, quæ ideo ante mentis operationem non distinguitur.

*Nota* 2. Distinctio realis triplex est, *major* nempe, *minor*, & *minima*, quæ etiam *formalis a parte rei*, & *scotistica*, dicitur.

Distinctio *realis major*, est ea, quæ intercedit inter duas res perfectas v. g. inter ea, quæ vel a se invicem separantur, ut Petrus & Paulus; vel separari possunt, ut corpus & anima; vel relative opponuntur ratione productionis, ut in divinis Pater & Filius.

Distinctio *realis minor*, quæ & *modalis* dicitur, est ea, quæ intercedit inter rem & modum ejus, quorum unum potest esse sine alio, sed non vice versa; sic v. g. inflexio digiti non potest esse sine digito, digitus tamen potest esse sine inflexione.

Distinctio *formalis ex natura rei*, est quæ intercedit, non quidem inter duas res, sed inter rem & ejus formas, aut inter ejusdem rei varias formas, *ex natura rei*, id est, independenter ab operatione mentis diversas.

*Nota* 3. Distinctio *rationis* duplex est, nempe rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ.

Distinctio *rationis ratiocinantis*, est ea, quæ fit per mentem sine ullo in re fundamento: v. g. si quis Petrum a Cepha distinguat; hæc fit pro mentis libitu.

Distinctio *rationis ratiocinatæ*, est ea, quæ fit per mentem cum aliquo in re fundamento; talis reperitur inter animalitatem & rationalitatem hominis, quæ distinguuntur fundamentaliter a parte rei, & formaliter per mentem . . . hæc autem distinctio, quæ, quatenus in mente est, *rationis ratiocinatæ* appellatur, quia mens cum fundamento varias ejusdem rei virtutes distinguit, cum in ipsa re spectatur: *virtualis* nominatur, id est, æquivalens distinctioni reali, eo quod res, licet una & simplex, pluribus realiter distinctis æquivaleat in ordine ad diversos effectus producendos, diversosque conceptus terminandos.

Distinctio *rationis ratiocinatæ*, iterum duplex est, perfecta scilicet & imperfecta . . . . *perfecta* est ea, qua unum ab alio distinguitur per præcisionem objectivam adæquatam, ita ut quod concipitur, aliud a quo præscinditur, ita excludat, ut remaneat in potentia ad illud, quo pacto gradus genericus præscinditur a gradu differentiali . . . . *imperfecta* est ea, qua unum ab alio distinguitur, non per præcisionem objectivam adæquatam, sed per præcisionem formalem in eminentia rei fundatam, qua fit ut illud quod præscinditur actu, sed confuse & implicite, includat aliud a quo abstrahitur.

*Nota* 4. Circa hanc quæstionem duplex est error, & triplex Scholæ opinio.

1. Error est *Aetii*, *Eunomii*, & cæterorum Arianorum, qui nullam, ne mentalem quidem, admittunt distinctionem inter essentiam divinam, & illius attributa etiam relativa, proindeque ea omnia, juxta illos, sunt synonima.

2. Error est *Gualteri*, qui inter essentiam & attributa admisit distinctionem realem majorem. *Palamæ*, qui eandem distinctionem admisit inter essentiam divinam & ejus operationes. *Abbatis Joachim*, qui eandem admisit inter essentiam & personam divinas; & tandem *Socinianorum*, qui, ut facilius probent Spiritum Sanctum non esse Deum, contendunt attributa Dei ab essentia realiter distingui . . . . utrum hanc realem identicam distinctionem inter essentiam & attributa admiserit *Gilbertus Porrethanus*, Episcopus Pictaviensis, vel an realem tantum formalem, quæ Scotistica dicitur, res est incerta; alii volunt eum admisisse realem identicam, alii realem tantum formalem.

*Prima Scholæ opinio* est *Nominalium* inter attributa & essentiam, solam distinctionem rationis ratiocinantis ponentium, in hoc solum ab Eunomii errore recedentes, quod asserant attributa relativa inter se realiter esse distincta.

2. *Opinio* est *Scotistarum*, qui inter attributa tum absoluta, tum relativa, & essentiam divinam, admittunt distinctionem realem formalem, qua unum ab alio differt, ratione formali, seu definitione, ante omnem mentis operationem.

3. Est *D. Thomæ*, & communis Theologorum, qui admittunt inter attributa, tum absoluta, tum relativa, & essentiam divinam, distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ virtualis fit a parte rei, & formalis per mentem. His positis, sit

## CONCLUSIO I.

*Attributa divina absoluta, nec inter se, nec ab essentia divina, neque relativa ab eadem essentia distinguuntur distinctione reali actuali ante mentis operationem, sive illa distinctio sit realis major, sive realis minor, sive formalis a parte rei.*

*Prob. generaliter.* Licet enim distinctio formalis a parte rei, non sit hæretica, sicut realis major, tamen argumenta nostra quamcumque distinctionem, a mente non pendentem, oppugnant. *Prob.* inquam, argumento ex Script. Conciliis & Patribus deducto . . . illa nulla distinctione reali distinguuntur, quæ de se invicem in abstracto possunt prædicari: atqui ex Scripturis, Conciliis & Patribus, essentia divina de attributis, & attributa de se invicem possunt prædicari in abstracto; ergo, &c.

*Prob.*

*Prob. min.* 1. ex Script. Proverb. 8. *Ego sapientia habito in conciliis.* Joann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita;* ergo, &c.

*Prob. min.* 2. ex Patribus. D. Gregor. *lib.* 10. *moral. cap.* 20. dicente: *Deus hoc est, quod æternitatem habet, & ipse est æternitas, . . . non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere.* Et D. August. lib. 6. de Trin. c. 6. *Eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia, & eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia.*

*Prob. min.* 3. ex Conciliis. Rhemensi sub Eugenio III. cui interfuit D. Bernardus: „ Credimus, *inquit, art.* 10. & confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas. *Et art.* 3. Credimus nullas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus ". Et ex Conc. Later. IV. contra Abbatem Joachim: „ Una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & inæstimabilis, divina essentia, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, & sigillatim quælibet earundem, & ideo inde Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina ". Quod verum non esset, si personalitates ab essentia distinctione reali, aut etiam formali ex natura rei distinguerentur: tunc enim, ut loquitur D. Bernard. l. 5. ad Eugen. c. 7. *non quaternitatem, sed centenitatem habebimus.* Ergo ex Script. Conciliis, & Patribus essentia de attributis, & attributa de se invicem prædicantur in abstracto.

*Confirmatur*, quia in Conc. Rhem. damnatus fuit Gilbertus, eo quod inter essentiam & attributa aliquam distinctionem admitteret a parte rei; ergo, &c.

*Dicunt Scotistæ*, distinctionem realem majorem, quam admittebat Gilbertus, fuisse damnatam, non vero formalem realem; ad quod

Resp. Fatemur Scoti sententiam expresse non fuisse damnatam, libere enim in scholis propugnatur, non reclamante Ecclesia; nihilominus, arguendo, tenemus Scotum a Gilberti placitis non satis recessisse, ac ipsius opinionem cum errore Gilberti, a Conciliis, maxime Rhemensi, fuisse rejectam; *primo*, quia luce clarius est, Concilia damnasse omnem distinctionem, quæ fit a parte rei independenter ab intellectu: prohibet enim Concil. Rhemense, *ne aliqua ratio Theologica inter naturam & personam divideret;* id est, ne quis realem in Deo distinctionem excogitaret. Et Joannes Theologus in Concil. Florent. nomine Latinorum, sacro approbante Concilio, declarat sess. 18. *substantiam & personam, sive hypostasim, esse idem re, differre autem nostro modo intelligendi . . . . Secundo*, quia illam distinctionem Concilium Rhemense damnavit, quam admittebat Gilbertus Porrhetanus; atqui non videtur admisisse distinctionem realem entitativam, quam rejecit dicens: *Patrem alio esse Patrem, & alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc;* sed duntaxat realem formalem ante omnem mentis operationem, dicens: *Divinitas Deus non est, sed forma qua Deus est.* Ergo, &c.

*Prob. specialiter contra Scotistas.* 1. In Concil. Florent. convenerunt omnes Patres tum Græci, tum Latini, *omnia in divinis esse unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio;* atqui inter attributa absoluta ad invicem comparata, & inter attributa tum absoluta, tum relativa, ad essentiam divinam comparata, nulla obviat relationis oppositio; ergo inter ea nulla est distinctio actualis ante mentis operationem; sed distinctio Scotistica, est actualis ante omnem mentis operationem, est enim *præcedens intellectum omnimodo*, ut ait Scotus *in dist.* 8. *q.* 4. Ergo.

*Prob.* 2. Ratione, qua D. Bernard. *Serm.* 8. *in Cantica* premit Gilbertum; si sapientia v. gr. ex natura rei, & ante omnem mentis operationem, a Deo Deique essentia distingueretur, vel esset quid illa majus, vel minus, vel ei æquale; atqui 1. Non potest esse divina natura major, nihil enim Deo majus esse, vel concipi potest. 2. Non potest esse minor, alias formaliter esset creatura, omne enim Deo inferius creatum est, & sic Deus esset sapiens per creaturam, quod absurdissimum est. 3. Non potest esse æqualis, alias esset in Deo aliquid a parte rei & actu distinctum a Deo, quod Deo æquaretur, ac proinde essent duo summa bona, quod repugnat; restat ergo, quod sapientia Dei ante omnem mentis operationem, sit Deus, ac consequenter non distinguatur ex natura rei, a Deo.

*Prob.* 3. Scoti sententia summæ Dei simplicitati adversatur; ergo rejici debet. *Prob. ant.* supposita Scoti sententia, esset in Deo vera, realis, formalis compositio; atqui compositio realis formalis summæ Dei simplicitati adversatur, ut docet D. Bernard. (*L.* 5. *de consid. cap.* 7.) dicens: *tam non est simplex, quod vel uni obnoxium fuerit formæ, quam virgo vel uni conjuncta viro;* ergo, &c. *Prob. maj.* Compositio est distinctorum unio; atqui, supposita Scoti sententia, erit in Deo unio distinctorum distinctione reali formali; ergo erit compositio realis formalis.

*Respondent Scotistæ*, ex distinctione reali formali non resultare compositionem realem formalem, quia compositio fit ex iis quorum unum habet rationem actus, & aliud rationem potentiæ; atqui eo ipso quo essentia non distinguatur ab attributis entitative, sed solum formaliter, non potest comparari ad illa tanquam potentia ad actum; ergo, &c. sed.

*Contra est* 1. Quia hoc ipso quod essentia divina ponitur ut formaliter actu ab attributis distincta, hoc ipso ponitur ut formaliter ab illis actuabilis & perfectibilis; ergo hoc ipso essentia divina habet rationem potentiæ respectu attributorum, & attributa rationem actuum, seu formarum informantium respectu essentiæ, sicque non unum erunt cum ea.

*Contra est* 2. Si attributa actu distinguantur ab essentia, non faciunt unum cum essentia per omnimodam identitatem; ergo faciunt unum vel per aggregationem, vel per compositionem ex actu & potentia; *non primum;* alias Deus non esset unum per se, sed per accidens; ergo restat ut faciant unum cum ea per compositionem ex actu & potentia.

*Respondent Scotistæ*, non omnem distinctorum multitudinem sufficere ad compositionem, cum pluralitas personarum in Deo nullam afferat compositionem, licet realiter inter se distinguantur. Sed:

*Contra est* 1. Quia hoc argumento æque probaretur etiam realem attributorum distinctionem nihil officere divinæ simplicitati, quod aperte falsum est.

*Contra est* 2. Quia omnis distinctorum multitudo facit compositionem, quando illa multa inter se uniuntur, ut constituant naturam; atqui illa multa, quæ ponit Scotus, inter se uniuntur; & quidem vera unione, cum ex hypothesi distincta sint, nec sibi invicem opponantur; ergo, &c. E contra personæ divinæ, cum sibi invicem opponantur, unionem non habent; ergo non faciunt compositionem, nec ex actu & potentia, nec per aggregationem.

*Prob.* 4. Scoti sententia adversatur summæ Dei perfectioni; ergo, &c. *Prob. antec.* Summa Dei perfectio talis est, ut eo nihil melius cogitari possit; atqui, supposita Scoti sententia, aliquid Deo melius cogitari posset; ergo repugnat summæ Dei perfectioni. *Prob. min.* Ens quod habet omnes suas perfectiones sibi omnino identificatas, melius est eo cujus perfectiones sunt a se actu formaliter distinctæ; atqui potest cogitari ens quod habeat omnes suas perfectiones sibi omnino identificatas, & in Scoti sententia omnes Dei perfectiones sunt ab ipsa essentia divina actu formaliter distinctæ; ergo in Scoti sententia aliquid Deo melius cogitari potest. Quod expendens D. Bernard. supra cit. ait: *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari poteet, si approbas, non oportet assentiaris, esse aliquid quo Deus sit, & quod Deus non sit: hoc enim sine dubio melius.*

*Prob.* 5. Ea sententia debet rejici, quæ pluribus erroribus ab Ecclesia damnatis favet; atqui sententia Scoti favet 1. Errori Gilberti Porrhetani, 2. Favet errori Socinianorum, qui, ut ostendant Spiritum Sanctum, qui in Scriptura *virtus Dei* nominatur, non esse Deum, commenti sunt Dei virtutem, operationes, & attributa ab eo distingui; ergo est rejicienda, & de facto rejecta a sacra Facultate Parisiensi, teste Gersone (*Epist. ad quemdam F. Minorem, anno 1426. scripta*) *damnata est nuper*, inquit, *per prædecessores meos in sacra Theologiæ facultate sub pluribus articulis, doctrina quam nonnulli solum impune subtilem garriunt . . . cum sit mera insania & vanitas falsa. Unus articulus inter cæteros est, quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.*

*Objectiones Gualteri & Palamæ.*

*Objicies* 1. Multi Ecclesiæ Doctores affirmant, idem non esse naturam & personam in Deo, sic D. Basil. *l. 1. contra Eunomium*, ait: *quomodo ridiculum non est creandi facultatem, substantiam esse dicere? aut etiam providentiam, aut præscientiam rursus substantiam esse, putare?* & D. Aug. (*L. 7. de Trinit. cap. 4.*) *Deo Patri*, inquit, *aliud esse quod Deus sit, aliud quod Pater sit, quia Deus dicitur ad se, Pater ad alium;* ergo distinguuntur realiter.

Resp. *nego conseq.* Ad explicanda enim omnia PP. dicta, quæ in speciem nobis adversari videntur, sufficit distinctio virtualis; iidem profecto Doctores alibi omnem realem distinctionem apertissime excludunt; itaque ne secum turpiter pugnare videantur, benigne exponendi sunt ex statu controversiæ, quæ illis erat cum hæreticis sui temporis, ut nullam in Deo distinctionem, præter virtualem, agnoscant.

*Inst.* D. Chrysost. *Homil.* 37. in hæc verba Joann. *Domine ostende nobis Patrem*, ait: *videamus quidnam Philippus intueri velit? an sapientiam Patris, an vero bonitatem? minime, sed hoc ipsum quid sit Pater, ipsam, inquam, substantiam.* Ergo aperte distinguit attributa ab essentia.

Resp. *dist. conseq.* Distinguit essentiam intuitive videndam ab attributis, bonitate & sapientia, quatenus in creaturis relucent, *conc.* ut sunt in se, *nego*. Itaque D. Chrysost. essentiam & attributa non spectat, ut sunt in se, sed pro vario, quo a nobis cerni possunt, modo, docetque Philippum non postulasse ut bonitatem & sapientiam Patris conspiceret, quatenus in operibus manifestantur & videri possunt; sed eo usque assurrexisse, ut ipsam Patris essentiam intuitive contemplari voluerit.

*Objicies* 2. D. Dionys. de divinis nominibus caput secundum inscripsit, *de unita & distincta Theologia, quænam est divina unio & distinctio.* Atqui nomine unitæ *Theologiæ* D. Dionys. non aliud intelligit, quam essentiam divinam, quæ est unica; nomine vero *distinctæ Theologiæ*, non aliud, quam operationes & attributa Dei; ergo censuit ea distingui realiter ab essentia.

Resp. *nego min.* Nam nomine *unitæ Theologiæ*, D. Dionysius intellexit omnia quæ absolute Deo tribuuntur, ut sunt bonitas, sapientia, & alia attributa. Nomine vero *distinctæ Theologiæ*, intellexit divinas personas, quæ, ut fides docet, distinguuntur realiter a se invicem, hoc ex ipso contextu liquet.

*Inst.* Palamitarum dogma, in quatuor synodis fuit probatum, ut ex historiis fide dignis refert Petavius, *l. 1. de Deo c. 12.* ergo non potest rejici.

Resp. *dist. ant.* In quatuor synodis Schismaticorum *conc.* Catholicorum, *nego*. Græci enim, post Schisma, in varias hæreses prolapsi sunt, atque insana Gregorii Palamæ, Episcopi Thessalonicensis commenta, amplexi sunt; quid mirum! cum Schisma sit omnium mater hæresum.

*Solvuntur Objectiones Scotistarum.*

*Objicies* 1. Attributa divina sunt multa independenter ab intellectu: ergo distinguuntur formaliter a parte rei.

Resp. *dist. ant.* Sunt multa virtualiter, *conc.* actualiter & entitative, *nego antec.* Attributa itaque sunt ipsa essentia divina, quæ, licet a parte rei simplicissima, multis realiter distinctis æquivalet in ordine ad diversos effectus præstandos, & diversos conceptus terminandos; atqui, propter illam suam æquivalentiam, præbet intellectui nostro fundamentum eam diversis & inadæquatis conceptibus repræsentandi; ergo non distinguuntur actu ante mentis operationem.

*Inst.* 1. Illa sunt multa a parte rei, quorum unum non est actu formaliter alterum ante omnem mentis operationem; atqui justitia in Deo v. g. ante omnem mentis operationem, non est actu formaliter misericordia; ergo.

*Resp.*

*Resp. nego min.* Nam justitia & misericordia in Deo sunt ipsamet entitas divina simplicissima, quæ, si spectetur præcise quatenus est principium punitionum, dicitur *justitia*; si quatenus est principium miserationum, dicitur *misericordia*; ideoque non distinguuntur, nisi penes effectus & connotata, sed cum fundamento in ipsa re.

*Inst.* 2. Si justitia, actu & a parte rei, esset misericordia, vera esset ista propos. *justitia est misericordia*; falsum conseq. ergo.

*Resp. dist. maj.* Vera esset in sensu reali actuali, & identico, *conc.* in sensu virtuali, formali, & præcisivo, *nego maj.* atqui ista prop. *justitia est misericordia*, non est vera, in sensu formali & præcisivo, *conced.* eadem enim virtus, repræsentata inadæquate ut est principium punitionum, non est formaliter eadem entitas repræsentata inadæquate ut est principium miserationum; sed sic sumuntur prout substant diversis conceptibus, propter multiplicitatem virtualem in Deo. In sensu reali & identico, *nego min.*

*Inst.* 3. Ergo potest dici, quod Deus puniat per misericordiam, & misereatur per justitiam; absurdum conseq. ergo.

*Resp. nego illatum*. Ratio est, quia cum proferuntur hæc nomina, *justitia*, *misericordia*, &c. per illa non intelligitur natura absolute & in se sumpta, sed cum hoc addito, *prout castigat*, vel *prout parcit*; natura autem divina, licet sit realiter actu idem cum justitia & misericordia, non est tamen parcens prout puniens, ac proinde non potest dici: quod per misericordiam puniat, & parcat per justitiam.

*Inst.* 4. Ea distinguuntur actualiter formaliter, quæ habent diversam naturam: atqui justitia & misericordia habent diversam naturam; ergo.

*Prob. min.* Quæ habent diversas definitiones, habent diversam naturam; definitio enim est oratio explicans naturam rei: atqui justitia & misericordia habent diversas definitiones; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Quæ habent diversas definitiones adæquatas, *conc.* inadæquatas, *nego maj.* atqui . . . habent diversas definitiones inadæquatas, *conc.* adæquatas, *nego*.

Definitio *adæquata* est ea, quæ rem, ut in se est, omnique ex parte exponit. *Inadæquata* est quæ rem, non ut est in se, sed ut ex parte objicitur, menti, explicat. Justitia itaque, ut in se est, est totus Deus & consequenter non potest sic definiri, quin omnes omnino Dei perfectiones comprehendantur. E contra quando justitia seorsim a misericordia definitur, non tota ejus entitas definitur, sed ex parte tantum, nimirum quatenus penes aliquos effectus objicitur intellectui; varia igitur est definitio formalis, variusque conceptus objectivus ei correspondens, sed tum definitio, tum conceptus objectivus sunt inadæquati.

*Inst.* 5. Unum & idem realiter actualiter, non potest diversimode concipi; ergo quæ diversimode concipiuntur, non sunt quid idem realiter actualiter.

*Resp. dist. ant.* Unum & idem realiter & non multiplex virtualiter, *conc.* & multiplex virtualiter, *nego*. Porro entitas divina multiplex est virtualiter, licet sit una & eadem realiter.

*Instabis* 6. Diversitas conceptuum objectivorum, certissimum est actualis rerum conceptarum distinctionis argumentum; ergo.

*Resp. dist. ant.* Diversitas conceptuum objectivorum adæquatorum, *conc.* inadæquatorum, *nego ant.* Itaque ad rerum distinctionem actualem non sufficit qualiscumque diversitas conceptuum, sed insuper requiritur, ut illi conceptus sint adæquati, & rem integram complectantur; quod tunc solummodo evenit, quando res est separabilis ab alia, vel principium, aut terminus productionis realis alterius.

*Inst.* 7. Conceptui debet aliquid in rerum natura respondere; ergo distinctis conceptibus distinctæ res respondent.

*Resp. dist. ant.* Debet aliquid respondere virtualiter distinctum, *conc.* actualiter distinctum, *nego ant.*

*Inst.* 8. Quæ habent diversa objecta, inter se distinguuntur actualiter, saltem formaliter: atqui attributa habent objecta diversa; ergo.

*Resp. nego maj.* Distinctio enim virtualis sufficit, ut res eadem natura, sed quæ virtute pluribus distinctis æquivalet, circa diversa objecta possit occupari.

*Objicies* 2. Ea distinguuntur formaliter ex natura rei, de quibus duo contradictoria prædicantur; nam de eadem re idem non potest simul affirmari & negari: atqui de essentia divina & illius attributis, tum absolutis, tum relativis, duo contradictoria prædicantur; ergo.

*Resp.* 1. *nego maj.* Nam ad verificanda illa prædicata contradictoria, sufficit distinctio virtualis; res enim, propter perfectionem suam, pluribus simul æquivalens tam potest, licet una sit, suscipere prædicata contradictoria pro varia sui consideratione, quam res omnino distinctæ; alioquin rebus diversis non æquivaleret.

*Resp.* 2. *nego min.* Nam, neque de attributis, neque de essentia & relationibus prædicantur vere contradictoria.

*Prob. min.* Communicari & non communicari, sunt prædicata contradictoria; atqui in Deo essentia communicatur, personalitas non communicatur; ergo.

*Resp. dist. maj.* Communicari & non communicari, sunt contradictoria, si dicantur de eodem sub eodem respectu, *conc.* sub diverso respectu, *nego maj.* atqui essentia communicatur, personalitas non communicatur, sub diverso respectu, *conc.* sub eodem respectu, *nego min.* Ratio est, quia *communicari*, dicitur de natura in se & absolute sumpta; *non communicari* vero, dicitur de eadem natura, non in se sumpta, sed prout est modificata per personalitatem, unde eadem entitas, quæ, prout æquivalet absoluto, est communicabilis, incommunicabilis est prout æquivalet relativo.

*Inst.* 1. Ante ullam mentis operationem, verum est, quod natura divina absolute sumpta communicetur, non communicetur vero prout modificata per paternitatem; ergo ante ullam mentis operationem distinguuntur.

*Resp. dist. conseq.* Distinguuntur virtualiter, *conc.* actualiter, *nego conseq.* Cum autem distinctio virtualis nihil aliud sit quam fundamentum distinctionis per mentem, quod quidem fundamentum a parte rei existit, non mirum est, si ante ullam mentis operationem, res illa dicatur inde communi-

cari, & aliunde non communicari, sed distinctio illa virtualis, non fit actualis, nisi per mentem.

*Inst.* 2. Ante ullam mentis cogitationem, essentia divina non est Filius, nec Spiritus Sanctus; ergo distinguuntur formaliter a parte. *Resp. neg. ant.*

*Prob. ant.* Essentia divina ante mentis operationem est ad se, non ad aliud, Filius vero & Spiritus Sanctus sunt ad aliud; ergo.

*Resp. dist. ant.* Essentia sumpta inadæquate, *conc.* adæquate, *nego ant.* Sic enim & est ad se, & ad aliud, cum in se adæquate sumpta, sit eminentissimo modo absoluta & relativa.

*Inst.* 3. Productio Filii est generatio, quia est per intellectum, non per voluntatem; e contra productio Spiritus Sancti non est generatio, quia est per voluntatem, non per intellectum; ergo intellectus & voluntas a parte rei distinguuntur saltem formaliter.

*Resp. dist. min.* Quia est per intellectum, id est, per entitatem quæ a parte rei est indistincte intellectus & voluntas, a qua tamen Filius non procederet, si non esset intellectus, sed solum voluntas, *conc.* id est, per entitatem, quæ a parte rei sit distincta a voluntate, *nego ant.* Itaque Filius sic procedit ab entitate divina, ut, supposita distinctione per præcisionem, intellectui nostro det fundamentum vere judicandi procedere per intellectum, non per voluntatem; sed de his ubi de Ss. Trinitate.

*Inst.* 4. Quod Pater generet per intellectum, non per voluntatem, est veritas realis; ergo independens ab intellectu; ergo intellectus & voluntas distinguuntur a parte rei.

*Resp. dist. conseq.* Est veritas independens ab intellectu, quoad rem significata, *conc.* quoad modum significandi, *nego conseq.* Patet responsio, quia res significata, est quod pater generet per eam perfectionem, quæ significatur nomine intellectus, quod patri propriissime convenit a parte rei independenter ab omni conceptu præcisivo. Modus autem significandi, est quod pater generet per illam perfectionem præcisam a perfectione quæ significatur nomine voluntatis, quod non convenit patri a parte rei, independenter ab intellectu.

*Objicies* 3. Si relationes divinæ ab essentia non distinguantur realiter formaliter, sequitur eas nec a se invicem distingui; atqui falsum conseq.

*Prob. seq. maj.* Ex hoc axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* ergo si relationes sint quid idem cum essentia, erunt quid idem inter se, & sic pater erit filius.

*Resp. dist. axioma:* Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili, *conc.* communicabili, *nego.* Porro natura divina communicabilis est tribus personis; ratio est, quia eo ipso quod tertium illud, est communicabile, debet esse communicantem inter & eum cui communicatur, relationis oppositio, & consequenter realis distinctio.

## CONCLUSIO II.

*Attributa absoluta inter se & ab essentia, item attributa relativa ab eadem essentia, distinguuntur, distinctione rationis ratiocinatæ, non tamen perfecta, sed imperfecta.*

*Prob.* 1. *pars:* Ex Scriptura, quæ Deo, licet simplicissimo, multas proprietates, nempe bonitatem, sapientiam, &c. tribuit; atqui ubi est multitudo, ibi est distinctio, alias omnes illæ voces essent synonimæ, *ut evenit, cum Simonem, & Petrum, & Cepham, eumdem hominem dicimus*, ait D. Basil. (*L.* 2. *contra Eunomium*) quod ut *ridiculum* sugillat; ergo attributa divina inter se, & ab essentia vere distinguuntur; atqui non distinguuntur realiter, nec formaliter ex natura rei; ergo restat ut distinguantur distinctione rationis ratiocinatæ, hoc est, virtualiter ex natura rei, & actualiter per mentis operationem.

*Prob.* 2. *ratione:* Ea distinguuntur ratione ratiocinata, quæ per mentem distinguuntur cum fundamento in re; atqui essentia divina ab attributis, & attributa a se invicem distinguuntur per mentem cum fundamento in re; ergo.

*Prob. min.* Ea distinguuntur per mentem cum fundamento in re, quæ sunt virtualiter multiplicia; atqui essentia & attributa divina sunt virtualiter multiplicia; ergo *Prob. min.* Ea sunt virtualiter multiplicia, quæ æquivalent diversis perfectionibus, quæ actu in creatis distinguuntur; atqui tum essentia, tum attributa, sunt hujusmodi; ergo, &c. *Hinc* patet fundamentum istius distinctionis, esse, tum Dei excellentiam, qua infinitis extra se distinctis æquivalet, tum mentis humanæ tenuitatem, quæ, cum immensum illud perfectionum pelagus uno actu metiri non possit, unam ab altera, saltem imperfecte, abstractam, apprehendit, ut recte exponit *Gregorius Nissenus* contra Eunomium.

*Prob. secunda pars:* Distinctio rationis ratiocinatæ imperfecta, est ea, qua illa distinguuntur, quorum unum non potest ab alio ita perfecte præscindi, quin in eo saltem implicite & confuse contineri intelligatur; atqui attributa divina, nec ab essentia, nec a se invicem, ita perfecte præscindi possunt, quin sese mutuo implicite saltem & confuse includere intelligantur; ergo, &c. *Prob. min.* Quodlibet attributum, quantumcumque ab alio distinctum concipiatur, semper tamen debet concipi ut actus purus & simpliciter perfectus; atqui nullum attributum potest concipi ut actus purus & simpliciter infinitus, quin concipiatur ut includens actu, saltem implicite, omnem perfectionem simpliciter simplicem; ergo.

### *Objectiones contra primam partem.*

*Objicies* 1. *cum Eunomio.* Ens simplicissimum, omnem a se amovet distinctionem; atqui Deus est ens simplicissimum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Amovet a se omnem distinctionem a parte rei, & in se, *conc.* formalem in mente, *nego maj.* & sic ad consequens. Ratio est, quia distinctio per mentem nihil ponit in re, ergo non officit simplicitati rei.

*Inst.* 1. Atqui distinctio per mentem officit summæ Dei simplicitati; ergo.

*Prob. min.* Compositio, etiam rationis, officit summæ Dei simplicitati; atqui distinctio rationis, importat compositionem rationis in Deo; ergo.

*Prob. min.* Compositio est distinctorum unio, qualicumque modo distincta sint, sive actu sive per mentem tantum; atqui si essentia Dei & attributa distinguantur per mentem, erit in Deo unio distinctorum; ergo.

Resp.

Resp. *dist. maj.* Compositio est unio distinctorum, sese invicem excludentium, *conc.* sese invicem includentium, *nego maj.* atqui si ..... erit in Deo unio distinctorum sese invicem includentium, *conc.* excludentium, *nego min.* quamvis enim mens attributa sine essentia concipiat, eam tamen non excludit ab eis, sed ab illa tantummodo abstrahit, per diversos conceptus rem attingendo sub diversis notionibus.

*Inst.* 2. Diversa a parte rei objecta sese invicem excludunt; atqui si mens distinguat essentiam ab attributis, essentia & attributa erunt diversa a parte rei objecta; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Varii conceptus formales, varios conceptus objectivos, (id est, varias in Deo rationes objectivas), supponunt; ergo si adsint diversi conceptus per mentem, erunt a parte rei diversa objecta.

Resp. *dist. maj.* Supponunt varios conceptus objectivos, adæquatos, vel inadæquatos, *conc.* adæquatos semper, *nego maj.* conceptus adæquatus comprehendit totam rem, inadæquatus vero comprehendit rem sub uno tantum respectu; potest autem esse conceptus formalis de una & eadem re sub aliquo tantum respectu considerata, v. g. entitas divina sub conceptu justitiæ, non sub conceptu misericordiæ.

*Inst.* 3. Conceptus objectivus rei inadæquatus, est falsus; ergo conceptus objectivus, respondens conceptui formali, est semper adæquatus.

Resp. *dist. ant.* Conceptus objectivus rei inadæquatus, qui fit per judicium, est falsus, *conc.* qui fit per simplicem apprehensionem abstractivam, *nego ant.* Equidem si inter distinguendum accederet judicium affirmans essentiam divinam esse in re distinctam ab attributis, conceptus esset falsus; verum conceptus inadæquatus fit tantum per simplicem abstractionem, qua unum sine alio concipitur, nihil affirmando, vel negando: *abstrahentium* autem *non est mendacium*, ut fert vulgare adagium.

*Inst.* 4. Falsa est apprehensio, quæ non est conformis objecto suo; atqui apprehensio justitiæ abstrahens a misericordia, non est conformis objecto suo, quia justitia in Deo est misericordia; ergo nequidem per præcisionem unum attributum potest apprehendi sine alio.

Resp. *nego min.* Hæc enim apprehensio est conformis objecto suo inadæquato, hoc est, objecto secundum eam rationem, quæ menti objicitur spectato; nec enim, ut justitiæ divinæ apprehensio conformis sit objecto suo, necesse est ut explicite & adæquate repræsentet quidquid cum justitia realiter & formaliter est unum, sed sufficit quod justitiam apprehendat præcise ut est justitia.

*Objicies* 2. In Concil. Rhemens. contra Gilbertum hæc habentur: *In Theologia inter essentiam & personam, ratio non distinguat;* ergo nulla prorsus distinctio, nequidem rationis, admittenda est inter essentiam & attributa.

Resp. *dist. ant.* Inter essentiam & attributa, sive relativa, sive absoluta, ratio Theologica non debet distinguere, *conc.* ratio Mathematica, *nego ant.* Porro Gilbertus distinguebat duplicem rationem, unam *Mathematicam*, quæ per mentem præscindit & distinguit ea quæ non sunt in re distincta, hancque non sufficere docebat Gilbertus; aliam *Theologicam*, quæ distinguebat ea solum quæ etiam in re distincta sunt, hancque inter essentiam & personas admittebat; ut ergo Concilium hunc errorem proscriberet, & hanc *rationis Theologicæ* distinctionem excluderet, statuit, ne ratio Theologica inter naturam & personas distingueret.

*Objicies* 3. *cum Nominalibus*, nullum est fundamentum reale distinguendi mentaliter, aut essentiam ab attributis, aut attributa a se invicem; ergo inter ea debet admitti sola distinctio rationis ratiocinantis.

Resp. *nego ant.* Nam illud fundamentum est summa & infinita Dei perfectio, quam mens, propter sui tenuitatem, uno conceptu exhaurire non potest.

*Prob. ant.* Non est fundamentum reale distinguendi per mentem ea quæ sese realiter includunt; atqui essentia & attributa realiter sese includunt; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si non sint virtualiter multiplicia, *conc.* si sint virtualiter multiplicia, *nego maj.* atqui essentia & attributa sunt virtualiter multiplicia, proindeque præbent intellectui fundamentum ut sine se invicem concipiantur.

*Inst.* Quæ de se invicem prædicantur, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re; atqui essentia & attributa de se invicem prædicantur, vere enim dicitur, *essentia est bonitas; bonitas est essentia;* ergo.

Resp. *dist. maj.* Quæ de se invicem prædicantur in sensu formali, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re, *conc.* in sensu reali tantum, *nego maj.* atqui essentia & attributa de se invicem prædicantur, in sensu reali, *conc.* in sensu formali, unde falsa est hæc prop. *Essentia, prout essentia, est bonitas*. Ratio est, quia in hac propria distinctio virtualis essentiæ a bonitate jam formaliter exercetur, & reduplicatur super proprium & explicitum conceptum, huncque reddit sensum, *Essentia prout virtualiter distincta a bonitate, est ipsamet bonitas*, quod falsum est.

*Objectiones contra secundam partem.*

*Objicies* 1. Distinctio quæ reperitur inter essentiam Dei & attributa, &c. est intrinseca; ergo est perfecta.

*Prob. ant.* Ea distinctio est intrinseca, cujus fundamentum est intrinsecum; atqui fundamentum distinctionis essentiæ ab attributis est intrinsecum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Cujus fundamentum proximum est intrinsecum, *conc.* fundamentum remotum, *nego maj.* atqui fundamentum distinctionis essentiæ ab attributis remotum, est intrinsecum, *conc.* proximum, *nego min.* fundamentum remotum distinctionis attributorum divinorum, est virtualis rei multiplicitas, seu multis realiter distinctis æquivalentia, hæc est Deo intrinseca. Fundamentum proximum, sunt diversa connotata, seu diversi effectus a Deo producti, quod ipsi Deo est intrinsecum.

*Inst.* Si inter essentiam & attributa non datur distinctio realis perfecta & intrinseca, non potest salvari, quod ante intellectum creatum, intellectus divinus generet, & voluntas non generet; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Ad hoc enim sufficit, quod intellectus & voluntas distinguantur a parte rei virtualiter, nec requiritur ut distinguantur formaliter & actua-

& actualiter; nam sicut tollitur contradictio formalis per distinctionem formalem quæ fit ab intellectu, ita tollitur contradictio fundamentalis per distinctionem fundamentalem, quæ est a parte rei ante omnem mentis operationem.

*Objicies* 2. Quod sequitur ad aliud, non potest realiter includi in illo alio; atqui attributa sequuntur ad essentiam, veluti ejus proprietates; ergo non possunt includi realiter in illa.

Resp. *dist. maj.* Quod sequitur ad aliud cum distinctione reali, non potest realiter includi in illo, *conc.* cum distinctione virtuali, *subdist.* non potest includi in illo explicite, *conc.* implicite, *nego.* Nam proprietates entis virtualiter ad ipsius essentiam sequuntur, & tamen in ea implicite includuntur.

*Inst.* Idem non potest simul esse prius & posterius, includens & inclusum; atqui si unum attributum includat essentiam, & vicissim, idem erit simul prius & posterius, includens & inclusum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Idem non potest simul esse prius & posterius, &c. sub eodem respectu, *conc.* sub diverso, *nego.* Atqui si unum attributum includit essentiam, & vice versa, idem erit simul prius & posterius, sub diverso respectu, *conc.* sub eodem, *nego min.* Itaque idem sub conceptu explicito potest esse posterius se ipso sub conceptu implicito spectato, ut patet in allato de proprietatibus entis exemplo.

Quæres 1. *An & quomodo attributa, sive absoluta, sive relativa essentiam, & hæc vicissim attributa in suo conceptu essentiali includant?*

Resp. *Sese mutuo includunt in sensu identico, non autem in sensu formali, saltem explicite.*

*Prob.* 1. *pars.* Ea dicuntur sese in suo conceptu essentiali includere in sensu identico, quæ inter se nulla distinctione reali distinguuntur, suntque una simplicissima entitas; atqui ex probatis, essentia & attributa sunt una simplicissima entitas, quæ nullam distinctionem admittit a parte rei; ergo &c. Hinc D. August. (*L. 6. de Trinit. cap.* 10.) ait: *singula sunt in singulis, singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

*Prob.* 2. *pars.* Illa dicuntur sese in suo conceptu formali includere explicite, quorum unum est de conceptu virtuali & formali alterius; atqui attributa non sunt de conceptu virtuali, & formali abstractivo essentiæ, nec vice versa; ergo.

*Dices* 1. Deus est ens simplicissimum; ergo quidquid est, ad ejus essentiam pertinet.

Resp. *dist. ant.* Est ens simplicissimum, re, *conc.* virtute, *nego.* Est enim virtualiter multiplex. Unde *nego conseq.* Nam hic agimus de essentia & attributis in sensu virtuali & formali rationis.

*Dices* 2. Essentia divina est simpliciter infinita: ergo omnia quæ Dei sunt, includit.

Resp. *dist. conseq.* Includit in sensu reali, *conc.* in sensu formali, *subdist.* implicite, modo supra explicato, *conc.* explicite, *nego conseq.* Ratio est, quia sicut in sensu formali rationis distinguuntur, ita nec se invicem in eodem sensu includunt explicite.

Quæres 2. *An & quomodo essentia de attributis, & attributa de se invicem, ac de essentia prædicentur?*

Resp. 1. Attributa & essentia divina in concreto de se invicem prædicantur, sic dicitur: *Deus est justus; justus est Deus, misericors est justus,* &c., Ratio est, quia ut concreta de se invicem prædicentur, sufficit ut habeant commune subjectum; atqui essentiæ & attributorum unum est commune subjectum, aut quasi subjectum; ergo.

Resp. 2. In Deo, concreta de abstractis, abstracta de concretis, & abstracta de abstractis, de se invicem prædicantur in sensu reali; sic recte dicitur, *Deus est justitia; deitas est justa; justitia est misericordia.* Ratio est, quia quæ sunt unum & idem in sensu reali actuali, de se invicem in eodem sensu prædicari possunt; atqui attributa, sive cum essentia, sive secum invicem comparata, sunt quid prorsus idem in omni sensu reali actuali, ut ostendimus contra Gualterum & Gilbertum Porrhetanum; ergo.

Resp. 3. In Deo, abstracta de abstractis non possunt de se invicem prædicari in sensu formali per mentem; sic non potest dici in hoc sensu: *deitas est sapientia, justitia est misericordia.* Hæ enim propositiones, licet vere in sensu identico, sunt falsæ in sensu formali. *Ratio est,* quia distincta, ut distincta, de se invicem non dicuntur; atqui abstracta secundum sensum formalem sunt distincta, & ut distincta considerantur; alius enim est conceptus misericordiæ, alius justitiæ; ergo.

*Hinc* ad vitandam æquivocationem, ordinarie, non expedit dicere, *justitia est misericordia,* sed dicendum, *justitia est idem ens realiter cum misericordia.* Multo minus dici debet, *in Deo intellectus vult,* aut *voluntas intelligit;* quia illæ propositiones, in quibus agitur de actibus vitalibus, semper sumuntur in sensu formali.

## DISSERTATIO IV.

### *De attributis speciatim.*

*Nota.* Ut cum ordine procedamus, hancce Dissertationem in tria capita distribuemus. *In* 1. agemus de attributis Dei negativis, quæ aliquam a Deo imperfectionem removent; *In* 2. de attributis positivis, quæ aliquam perfectionem Deo tribuunt; *In* 3. de attributis positivis, quæ Deo, in ordine ad creaturas spectato, tribuuntur.

## CAPUT PRIMUM.

### *De attributis Dei negativis.*

*Nota.* Attributa Dei negativa sex numerantur, simplicitas, nimirum, infinitas, immutabilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas, & invisibilitas, de quibus sigillatim agemus.

## QUÆSTIO I.

### *De simplicitate Dei.*

*Nota* 1. Simplicitas formaliter sumpta, nihil aliud est, quam *negatio compositionis.* Dixi *formaliter,* quia fundamentaliter est ipsa Dei entitas, quæ, cum sit actus purus, omnem potentiam, ac proinde compositionem omnem excludit .... Porro duplex vulgo distinguitur compositio, *realis* nimirum, & *rationis.*

Com-

Compositio *realis*, est plurium partium realiter distinctarum unio. Si sit unio partium physicarum, dicitur compositio *physica*; si sit partium metaphysicarum, dicitur *metaphysica*.

Compositio *rationis*, quæ etiam *logica* dicitur, est plurium partium sola ratione distinctarum unio.

*Nota secundo*. Simplicitatem Dei impugnarunt non solum Gentiles, qui muta simulacra colebant, sed & Antropomorphitæ, qui Deum revera corporeum dixerunt, quorum placitis adhæsisse *Audium*, nonnullis visum est, contra quos sit

## CONCLUSIO I.

*Deus omnem a se excludit compositionem realem physicam*. Est de fide.

*Prob.* 1. *ex Patribus*. S. Cyrill. dialogo 1. de Trinit. *Deus simplex*, inquit, *neque compositus est omnino*. Div. Ambros. *l.* 1. *de fide*, *c.* 7. ait: *Deus naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ, cui nihil accedat*. Unde in Concilio Lateran. III. definitum est: *In Deo sunt tres quidem personæ, sed una natura simplex omnino*.

*Prob.* 2. *ratione*. Compositio realis physica fit, vel ex materia & forma, sic in homine est compositio ex corpore & anima; vel ex subjecto & accidente, sic in homine justo est compositio ex persona hominis & justitia: atqui nulla ex istis compositionibus reperitur in Deo; ergo.

*Prob. min.* per partes.

1. *Deus non est compositus ex materia & forma*. Quia substantia mere spiritualis non componitur ex materia & forma, per hoc enim differt spiritus a corpore; atqui Deus est substantia mere spiritualis; ergo, &c. *Prob. min.* Joann. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum*, non modo carnali quasi corpus esset, sed, *in spiritu & veritate oportet adorare*, ex quibus verbis Theodoret. *q.* 20. *in Genes.* ait: *Si autem Deus spiritus est, simplex igitur, incompositus, & figuram non recipiens*.

*Confirm.* Quia Deus est immensus; atqui quod est immensum, non est corpus, alioquin repleret omnia loca, a quibus excluderet omnia alia corpora; ergo, &c.

2. *Deus non est compositus ex subjecto & qualitate accidentali*. Nam ex D. Aug. (*L.* 5. *de Trinit. cap.* 4.) *Accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest*. Atqui Deus est perfecte immutabilis; ergo in Deo nullum potest concipi accidens.

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. In Deo est compositio; ergo non est simplex.

*Prob. ant.* Deo tribuendum est, quod præstantius est; atqui compositio præstantior est simplicitate, nam *bonum additum bono facit melius*; ergo.

Resp. *nego min.* Compositio præstantior est simplicitate, in entibus limitatæ perfectionis, *conc.* in ente infinito, *nego min.* Cum enim Deus, propter suam infinitatem, omnes omnino perfectiones sibi identificet, hinc fit, ut quo strictior est illius divina simplicitas, eo præstantior sit illius divina perfectio.

*Objicies* 2. *cum Antropomorphitis*: Homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei, *Genes.* 1. atqui homo constat corpore & anima; ergo & Deus, cui similis factus est.

Resp. *dist. maj.* Homo factus est ad imaginem Dei, ratione vel animæ solius, vel dominii quod recepit in cæteras creaturas, *conc.* ratione corporis, *nego maj.* Itaque, non una est de hac hominis cum Deo similitudine Patrum opinio; alii censent eam sitam esse in hominis anima, quæ quidem in eo similis est Deo, quod sicut in eo sunt tres personæ, sic in anima sunt tres facultates, intellectus scilicet, voluntas, & memoria. Ita S. Ambr. *L. de dignitate hom. cap.* 2.

Alii docent Dei imaginem in homine esse ratione dominii, quod in cæteras creaturas a Deo recepit, eo quod post hæc Geneseos verba, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Deus immediate addiderit, *ut præsit piscibus maris & volatilibus cæli*. Ita Div. Chrysost. *Hom.* 8. *in Genesim*.

*Inst.* 1. Quod est extensum in longum, latum, & profundum, est corpus; atqui Deus est talis; ergo.

*Prob. min. ex Job* 11. Deus dicitur *excelsior cœlo, longior terra, profundior abysso, latior mari*. Ergo.

Resp. *nego min.* Probationem *dist.* Deus est excelsior cœlo, &c. metaphorice, *conc.* proprie, *nego*. Itaque Scriptura de Deo interdum modo humano loquitur, ut sese nostro cogitandi & loquendi modo accommodet; & sic per sensum metaphoricum excellentiam Dei exponit, v. g. in textu allato per *altitudinem* Dei, intelligitur ejus divinitas; per *profunditatem*, ejus incomprehensibilitas; per *longitudinem*, æternitas; & per *altitudinem*, immensitas.

*Inst.* 2. Scriptura, variis in locis, membra humana Deo tribuit, nimirum aures, nares, oculos &c. ergo Deus ex ipsis est physice compositus.

Resp. *dist. ant.* Tribuit in sensu improprio & metaphorico, *conc.* in sensu proprio, *nego ant.* Itaque Scriptura per *brachia* intelligit Dei omnipotentiam; per *aures* benignitatem; per *oculos* scientiam, &c. Per istas ergo locutiones, rudiori nostro intelligendi modo accommodatas, designantur variæ Dei perfectiones quamdam cum facultatibus corporeis analogiam habentes.

*Inst.* 3. In Deo sunt affectiones corporeæ, v. gr. pœnitentia, ira, &c. ergo.

Resp. *dist. ant.* In Deo sunt pœnitentia, ira, &c. improprie & quoad effectum, *conc.* proprie & quoad affectum, *nego ant.* Itaque, neque pœnitentia, neque ira, sunt in Deo quoad affectum, & interiorem animi motum, nam ex 1. *Reg.* 15. de Deo dicitur: *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam*. Et Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor*; mutaretur tamen si de non pœnitente pœnitens, & de non irato fieret iratus; pœnitentia ergo & ira sunt in Deo, quoad effectum tantum, quia idem facit Deus erga creaturam quæ eum offendit, quod agere solent homines cum malefactores puniunt, & opera sua destruunt, quæ fecisse illos pœnitet.

Obji-

*Objicies* 2. Tertull. existimavit Deum esse corpus. *Quis negabit*, inquit, (*L. contra Praxeam, c.* 7.) *Deum esse corpus, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim est corpus sui generis in sua effigie*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Existimavit Deum esse corpus, quatenus corpus opponitur nihilo & vacuo, *conc.* quatenus opponitur spirituali & immateriali, *nego*. Agit enim Tertullianus contra Praxeam, qui Verbum divinum non distinguebat a Patre, dicens quod non sit, *nisi vox & sonus oris & aer offensus*, quem Tertullianus arguens, ait: *Ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse . . . nec carere substantia, quod de tanta substantia processit*. Unde nomine *corporis*, solam intellexit substantiam per se subsistentem, non molem extensam; quod confirmat *L. de carne Christi c.* 11. dicens: *Omne quod est, corpus est sui generis*, id est, suo modo & latissimo sensu, *nihil est incorporale, nisi quod non est*.

*Inst.* 1. Tertullianus per hæc verba, *Nihil est incorporale, nisi quod non est*, censuit nihil mediare inter corpus & nihil; ergo putavit Deum esse corpus, cum non putaverit ipsum esse nihil.

Resp. *dist. ant.* Nihil mediare inter corpus late sumptum, nempe pro qualibet substantia, sive corporalis illa sit, sive incorporalis, *conc.* stricte sumptum, pro mole extensa, *nego ant.* dicit enim L. contra Hermog. c. 35. *Omnis res, aut corporalis, aut incorporalis sit, necesse est . . . certe post corporale & incorporale nihil tertium*. Ergo Tertullianus aliquid medium inter corpus & nihil agnovit, nempe rerum spiritualium genus, in quo procul dubio reposuit Deum.

*Inst.* 2. D. Aug. *Epist.* 190. *ad Optatum*, exponens Tertulliani de anima corporea sententiam, ait: *Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem Deum, non esse, nisi corpus, opinatur*. Ergo, juxta D. Aug. Tertullianus existimavit Deum esse corporeum.

Resp. Fateor D. Aug. sicut & SS. Fulgentius (*L. de veritate prædestinat. c.* 21.) & Thomas (*L.* 1. *contra gentes, c.* 21.) id revera de Tertulliano opinatum fuisse, durioribus ejus verbis offensum, quam tamen sententiam mutasse videtur, *L. de hæres. ad quod vult Deum, hæresi* 86. de Tertull. dicens: „ Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora . . . sed quia non est nihil ".

*Objicies* 3. In Deo est forma informans; ergo & corpus. *Prob. ant.* Anima est forma informans; atqui in Deo est anima, Hebr. 10. *Justus . . . si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*. Ergo.

Resp. *nego ant.* Ad prob. *dist. maj.* Anima proprie dicta, est forma informans, *conc.* improprie dicta, *nego maj.* Porro anima in textu allato sumitur improprie, nimirum pro voluntate.

*Objicies* 4. Deus est compositus ex subjecto & accidente; ergo, &c. *Prob. ant.* A creatione mundi, multa de novo advenerunt Deo, quibus antea carebat, v. g. tituli Creatoris, Domini, Judicis, &c. *Ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret*, ait Tertull. (*Contra Hermog. l.* 2. *cap.* 3.) *ex illo per accessionem potestatis & factus, & dictus est Dominus*. Ergo in Deo sunt accidentia.

Resp. *dist. ant.* Multa de novo advenerunt Deo demonstrative, & objective, per meram connotationem ad creaturas, *conc.* intrinsece, & subjective, per ordinem ad divinam virtutem, *nego ant.* Licet enim Deus ab æterno non habuerit denominationem *Domini, Judicis, Creatoris*, quia ab æterno nullæ erant creaturæ, in quas potestatem Domini, Creatoris, &c. exerceret; tamen ab æterno habet virtutem creandi, regendi, &c. quæ Deo non advenit, cum sit ipsi essentialis; hocque sensu esse explicat *ibidem* Tertullianus. Unde patet totam mutationem cadere in res creatas, quæ ab uno statu transeunt ad alium.

*Inst.* 1. Athenagoras, *in orat. pro Christianis*, de bonitate Dei, ait: *Secundum accidens inest sibi tanquam color in corpore, sine quo non est*. Atqui color adhæret corpori tanquam verum accidens; ergo.

Resp. *dist. ant.* Bonitas secundum accidens inest Deo, juxta nostrum concipiendi modum, *conc.* reipsa, *nego*. Ita sensit Athenagoras, qui alioquin sibi contradiceret, cum in eadem oratione apologetica ait, *Deum esse ingenitum, impassibilem, & immutabilem*; atqui Deus non esset impassibilis, & immutabilis, si in se admitteret accidentia; ergo.

*Inst.* 2. D. Aug. (*L.* 5. *de Trinit. cap.* 4. & 5.) docet non omnia, quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam dici; ergo aliqua dicuntur de eo secundum accidens.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Aug. non opponit substantiam accidenti, sed relationi, asserendo non cuncta, quæ de Deo dicuntur, absolute dici, sed aliqua relative: „ In Deo, inquit, nihil secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur: dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium, & filius ad patrem, quod non est accidens . . . non secundum substantiam hæc dicuntur ".

## CONCLUSIO II.

*Deus omnem a se excludit compositionem realem metaphysicam.*

*Prob.* Compositio realis metaphysica fit vel ex essentia & existentia; vel ex essentia & personalitate: atqui nulla ex istis compositionibus reperitur in Deo; ergo, &c.

*Prob. min.* per partes:

1. *Deus non est compositus ex essentia & existentia*; quia omnis compositio fit ex rebus distinctis; atqui existentia Dei est ipsamet essentia, a qua nequidem per mentem sejungi potest; nam Deus est *ens a se*: atqui *ens a se* includit existentiam in suo conceptu; ergo.

2. *Deus non est compositus ex natura & personalitate*; quia, ut diximus, compositio fit ex rebus distinctis; atqui natura divina & personalitas non distinguuntur neque realiter, neque formaliter ex natura rei, nam *personarum proprietates*, ait Div. Bernard. (*L.* 5. *de consid. ad Eugenium, c.* 8.) *non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam ... fides catholica confitetur*.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus est compositus ex essentia & existentia; ergo, &c. *Prob. ant.* Essentia Dei distingui-

tur ab existentia per mentem cum fundamento in re; ergo ex illis Deus est compositus ... *Resp. nego ant. Probatur*. Essentia ab attributis distinguitur per mentem cum fundamento in re; ergo, & ab existentia.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod essentia, licet sit quid idem realiter & actu cum attributis, virtualiter tamen ab eis distinguitur, proindeque præbet intellectui fundamentum, ut possit sine illis concipi. At cum existentia sit de conceptu essentiali Dei, non distinguitur virtualiter ab essentia, ac proinde si intellectus illam distingueret, sine ullo, vel levissimo fundamento distingueret.

*Objicies* 2. Tres divinæ personæ faciunt compositionem realiter; ergo Deus est realiter compositus ex natura, & personalitatibus.

*Resp. nego ant.* Nam personæ divinæ conferri possumus, vel cum essentia, vel inter se: *si primum*, jam sunt una simplex entitas, non plura unita; *si secundum*, jam sunt plura, sed non unita, cum, sic spectatæ, sibi mutuo relative opponantur, ad veram tamen compositionem requiritur unio distinctorum.

*Prob. ant.* Ex D. Greg. Nazianz. *Orat.* 23. dicente, *Trinitatem adorari in unitate, cujus admirabilis & divisio sit, & unio*. Ergo inter essentiam & personalitates est unio.

*Resp. dist. conseq.* Est unio, sumpta pro unitate essentiali, *conc.* pro distinctorum unione, *nego conseq.* Itaque D. Gregor. Nazianz. sicut & alii sancti Patres, per unionem intelligunt duntaxat perfectam unitatem essentialem, ut probent divinitatem communicari tribus personis sine ulla sui divisione, aut diversitate: unde Arianis crebro exprobrabant quod, ipsius divinitatis divisione, pluritatem deorum inducerent.

*Inst.* Quod constat ex aliquo communi, & aliquo proprio, vere compositum est: atqui in personis divinis natura est communis, personalitas est propria; ergo.

*Resp. dist. maj.* Si illud commune & proprium inter se distinguantur, *conc.* secus, *nego*. Porro natura divina a personis divinis non distinguitur, ut supra fuit probatum.

## CONCLUSIO III.

*Deus est ita simplex, ut omnem compositionem logicam ex genere & differentia excludat.* Est contra Gabriel. Biel, Greg. Ariminensem, Witasse, &c.

*Prob.* 1. *ex SS. Patribus*, qui conceptis verbis compositionem ex genere & differentia a Deo excludunt. *Alienum est a ratione*, inquit Cyril. Alex. (*Dialogo* 2. *de Trinit.*) *genus in Deo ullum nominare*. Et (*L.* 3. *Thesauri contra Anomæos.*) *videmus id omne, quod differentiam recipit, esse compositum, non simplex: quare, cum simplex minimeque compositus Deus omnium confessione sit, non potest ingenitum esse illius differentia.* Et Evagrius (*apud Socr. l.* 3. *c.* 7.) definiri Deum vetat; *quia*, inquit, *quæ definiuntur, composita sunt*.

*Prob.* 2. *ratione*: In omni composito ex genere & differentia, genus se habet ut potentia perfectibilis & actuabilis a sua differentia; atqui in Deo, ente purissimo & actualissimo, nihil est per modum potentiæ; ergo Deus non est compositus ex genere & differentia.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies*: Si quid obesset quominus Deo inesset compositio ex genere & differentia, maxime quod imperfecti quidpiam argueret in Deo; atqui falsum conseq. ergo.

*Prob. minor*. Compositio, quæ est in sola mente, nihil imperfecti arguit in Deo: atqui compositio ex genere & differentia, est in sola mente; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam omnis compositio arguit aliquid in Deo, quod se habeat per modum potentiæ: atqui omnis potentialitas repugnat enti perfectissimo; ergo.

*Inst.* 1. Illa potentialitas est pure mentalis: atqui potentialitas pure mentalis non repugnat Deo, cum nihil ponat in ipso; ergo.

Resp. *nego min.* Nam illa prætensa potentialitas, vel nullum haberet in Deo fundamentum, vel haberet: *si primum*, frustra mens illam fingeret, *si secundum*, ergo in ipsa Dei natura esset potentialitas saltem mentalis; atqui hujusmodi potentialitas actui purissimo repugnat: efficit enim ut aliud ens purius excogitari possit; illud nimirum in quo non esset talis potentialitas; ergo.

*Inst.* 2. Distinctio fundamentalis non officit Dei simplicitati, ergo nec compositio fundamentalis.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod distinctio fundamentalis nullam importet imperfectionem, cum nihil aliud arguat, quam summam Dei eminentiam ex una parte, & ex altera tenuitatem mentis humanæ, quæ omnia, quæ Dei sunt, unico conceptu attingere non potest. E contra compositio fundamentalis dicit actum & potentiam, quæ magna est imperfectio, puritati Dei maxime nociva.

*Inst.* 3. Ratio prioritatis & posterioritatis virtualis, non officit Dei æternitati, cum una persona sit prior alia; ergo nec compositio rationis officit Dei simplicitati.

Resp. *dist. ant.* Ratio prioritatis & posterioritatis, originis, *conc.* durationis, *nego ant. & conseq.* Porro nulla est in Deo prioritas durationis, cum ex Symbolo Athanasiano, *in Trinitate nihil sit prius aut posterius;* sed est tantum prioritas & posterioritas secundum processionis originem, quæ non officit æternitati divinæ; e contra compositio, etiam rationis, aliquam imperfectionem semper invehit secum, ex eo quod unum extremorum habeat rationem potentiæ, ac proinde rationem entis perfectibilis, alterum vero, rationem actus perfectivi; & ipsum totum ab utroque dependere concipiatur: quod Dei simplicitati & actualitati maxime officit.

Quæres: *Utrum Deus possit in aliorum compositionem venire?* Ante responsionem.

*Nota*. Duplex a Theologis, cum Div. Thoma, statuitur compositio; una dicitur, *ex his*, altera *cum his*. Prior est, ea quæ fit ex partibus proprie dictis, quarum nimirum una se habet per modum potentiæ, altera per modum actus informantis; sic homo componitur ex corpore & anima . . . posterior, est ea quæ fit ex duobus, quæ ita conjunguntur, ut unumquodque remaneat actus; ejusmodi est compositio ex numeris.

*Resp.* 1. *Deus potest venire in aliorum compositionem, quæ dicitur, cum his.*

*Prob.* Compositio, *cum his*, fit cum plura, ad constituendum compositum, ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus: atqui Deus potest venire in ejusmodi compositionem; nam re ipsa Verbum divinum sic componitur in Incarnatione, in qua solius termini rationem habet; ergo.

*Resp.* 2. *Deus in aliorum compositionem quæ dicitur* ex his, *non potest venire*. Est de fide 1. *Contra Priscillanistas* damnatos in Conc. Tolet. sub S. Leone, quod dicerent: Deum esse animam mundi. 2. *Contra Almaricum*, qui in Concil. Later. IV. insanus dictus est, quod assereret Deum esse causam formalem hujus mundi. 3. *Contra Davidem de Dinando*, qui, stulte simul & impie, docuit Deum esse materiam primam.

*Prob.* Compositio *ex his*, fit ex duobus, quorum unum est materia, alterum forma: atqui ea compositio repugnat Deo; nam 1. *Deus non potest habere rationem materiæ*, quia esset in potentia ad formam: atqui actus purissimus non potest habere rationem potentiæ. 2. *Non potest habere rationem formæ*, quia forma informans dependet a materia tanquam a subjecto. 3. *Non potest habere rationem partis proprie dictæ*, nam pars est minor toto, & est propter totum, quæ omnia dicunt essentialiter imperfectionem: ergo, &c.

*Objicies*: Verbum divinum in Incarnatione venit in compositionem Christi; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Venit in compositionem, cum his, *conc.* in compositionem, ex his, *nego ant.* Itaque Verbum divinum, assumendo naturam humanam, ex ipsa & natura divina non fecit compositum, sed eam tantummodo terminavit, ac ultimo in existendo complevit: complere autem dicit magnam perfectionem.

*Inst.* 1. Persona Verbi in Incarnatione, recepta est in natura humana tanquam in subjecto quod informavit ac perfecit: ergo persona Verbi venit in compositionem, *ex his*.

*Resp. nego ant.* Nam actus informans, simul cum subjecto, componit unicam naturam: atqui in Christo sunt duæ naturæ; ergo.

*Inst.* 2. Ex Symbolo Athanasii: *Sicut anima & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: atqui anima est forma informans carnem; ergo Verbum divinum est forma informans hominem.

*Resp. nego conseq.* In hoc enim solummodo stat comparatio, quod sicut anima & caro substantialiter uniuntur, ita Deus & homo substantialiter uniantur in unitate personæ; sed non in hoc stat, quod Deus & homo componant unicam naturam, sicut caro & anima unicam hominem; de fide enim est in Christo duas esse naturas, licet sit unica persona.

*Inst.* 3. Persona Verbi habet rationem partis; ergo sicut anima & caro componunt unicam naturam, ita Deus & homo.

*Resp. dist. ant.* Habet rationem partis improprie dictæ, *conc.* proprie dictæ, *nego ant.* pars proprie dicta, est ea quæ perficit & perficitur; pars vero improprie dicta, est ea quæ perficit, sed non perficitur.

## QUÆSTIO II.

### *De infinitate & perfectione Dei.*

*Nota* 1. Quæ ad infinitatem & perfectionem Dei spectant, simul conjungimus, quia ejusdem sunt omnino argumenti, ex quo colligitur omnimoda Dei pulchritudo.

*Nota* 2. Infinitum dicitur, quod nullos habet terminos; & triplex est, nempe infinitum quoad molem & quantitatem, quod proprium est corporibus; infinitum quoad virtutem, quod spectat omnipotentiam, de quo infra; & infinitum quoad essentiam, de quo quærimus.

1. Utrum Deus sit quoad essentiam & simpliciter, id est, in omni genere perfectionis infinitus?

2. Utrum & quomodo contineat omnium rerum perfectiones?

## ARTICULUS I.

### *Utrum Deus sit quoad essentiam infinitus?*

### CONCLUSIO.

*Deus est quoad essentiam infinitus.* Prop. est de fide contra Socinianos, & Vorstium Calvinistam.

*Prob.* 1. Ex Script. & Patribus: Ille est simpliciter & quoad essentiam infinitus, in quo est plenitudo totius esse: atqui in Deo est plenitudo totius esse; ergo &c.

*Prob. min.* 1. Ex Script. Psal. 144. dicitur: *Magnus Dominus ... & magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem.*

*Prob. min.* 2. Ex Patribus: D. Dion. (*l. de divinis nominibus, cap.* 5.) *Deus non quovis modo est*, inquit, *sed simpliciter & infinitum, totum in se esse pariter complexus & anticipans.*

D. Joann. Damasc. (*l.* 4. *de fide, cap.* 12.) *Videtur*, ait, *inter Dei nomina primas tenere*, Qui est, *totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, velut quoddam essentiæ pelagus, infinitum & interminatum.* Ergo &c.

*Prob.* 2. duplici ratione.

*Prima.* Deus est ens a se; ergo nullum habet terminum suæ perfectionis; *conseq. est evidens*; nihil enim a seipso limitatur, sed a libera voluntate, vel impotentia suæ causæ; Deus autem nullam sui esse agnoscit causam.

*Secunda*: ille est quoad essentiam infinitus, qui totus est in actu; atqui Deus totus est in actu; ergo; *maj. est certa*; nam ille, cui nihil deest, est in omni genere & quoad essentiam infinitus; sed illi, qui totus est in actu, nihil deest; si enim aliquid ei deesset, esset in potentia ad illud quod deesset; ergo &c. *min. constat*, quia Deus est actus purissimus.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. *cum Socinianis*: In iis Scripturæ locis, quæ Deum ut infinitum exhibent, est exaggeratio & metaphora; ergo ex iis non potest probari Deum essse infinitum secundum essentiam.

Resp.

Resp. *nego ant. quoad primam partem*. Licet enim fateamur metaphoricam esse locutionem, qua Scripturæ de Deo loquentes, ipsi magnitudinem & extensionem tribuunt, negamus prorsus aliquam esse exaggerationem in illis imaginibus, sub quibus infinita essentiæ divinæ perfectio ostenditur, quia ultra veritatis fines metaphora non progreditur.

*Objicies* 2. Corpus infinitum omnem occupat locum, a quo omnia alia corpora excludit; ergo si Deus esset ens infinitum, excluderet omnia alia entia.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod sit de essentia corporis infiniti, ut omnibus omnino locis coexistat cum impenetrabilitate, ac proinde non compatiatur alia secum corpora in loco; at vero infinito secundum essentiam, non est essentiale, ut excludat omnes res a se distinctas; sed sufficit, ut omnes earum perfectiones, vel formaliter, vel eminenter, contineat.

*Objicies* 3. Datur aliquid Deo perfectius; ergo non est in omni genere perfectionum infinitus.

*Prob. ant.* Aggregatum ex Deo & creaturis, Deo, seorsum & solitarie spectato, melius est & perfectius; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Quia, ut ait D. Thom. (1. 2. q. 34. art. 9. ad 2.) *Quod est optimum simpliciter, nullo addito potest fieri melius*.

*Prob. ant.* Perfectiones creaturarum, additæ Dei perfectionibus, faciunt majorem perfectionum numerum; ergo aggregatum ex Deo & creaturis, melius est Deo seorsim spectato. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Perfectiones creaturarum numerice distinguuntur a Dei perfectionibus, nam sapientia creaturæ non est sapientia Dei; ergo si illæ perfectiones addantur Dei perfectionibus, faciunt majorem numerum.

Resp. *nego conseq.* Perfectiones enim creaturæ, vel formaliter, vel eminenter continentur in Dei perfectionibus; ergo non faciunt majorem numerum.

## ARTICULUS II.

### *Utrum, & quomodo Deus contineat omnium creaturarum perfectiones?*

*Nota* 1. Perfectiones triplicis generis a Theologis vulgo distinguuntur, nempe simpliciter simplices, simplices, & secundum quid.

Perfectio *simpliciter simplex*, definitur, *ea quæ melior est ipsa, quam non ipsa*; id est, quam melius est habere, quam non habere. Ad hanc requiritur 1. Ut nihil imperfectionis admixtum habeat; 2. Ut non sit incompossibilis cum alia majori, vel æquali; tales sunt, sapientia, bonitas, &c.

Perfectio *simplex*, est ea, quæ, licet nullam imperfectionem importet, tamen incompossibilis est cum alia æquali perfectione; talis est paternitas in Deo, quæ incompossibilis est cum filiatione, ex quo sequitur melius non esse illam habere, quam non habere.

Perfectio *secundum quid*, est ea, quæ in suo conceptu formali aliquam includit imperfectionem; ut esse corpus, plantam, &c. hæc semper incompossibilis est cum majori perfectione.

*Nota* 2. Aliquid in alio potest contineri tripliciter, scilicet, 1. *Formaliter*, quod in alio continetur secundum propriam formam, sic rationalitas est in homine, 2. *Eminenter*, quod nobiliori modo continetur in alio, quam in subjecto in quo reperitur secundum propriam suam formam. 3. *Virtualiter*, quod in alio est tanquam in causa, sic planta continetur in semine. His positis, sit:

## CONCLUSIO I.

*Omnes creaturarum perfectiones, tum simpliciter simplices, tum simplices, continentur in Deo formaliter.*

*Prob.* 1. *pars*. Quæ de Deo prædicantur in abstracto, & secundum propriam rationem, sunt in Deo formaliter: atqui perfectiones creaturarum simpliciter simplices, prædicantur de Deo in abstracto, & secundum propriam formam, juxta illud Job 12. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia*. Et illud, Prov. 8. *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*, &c. Ergo sunt in Deo formaliter, & quoad propriam rationem & substantiam. *Absit enim*, ait D. Aug. (*L. 15. de Trinit. c. 5.*) *ut Spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem: sed utrumque secundum substantiam*.

*Prob.* 2. *pars*. Illa, quæ constituunt tres SS. Trinitatis Personas, sunt in Deo formaliter: atqui perfectiones, nimirum relationes divinæ, constituunt tres SS. Trinitatis Personas; ergo, &c.

*Dices contra* 1. *partem*. Deus non continet formaliter perfectiones creaturarum, v. g. sapientiam, bonitatem, &c. Ergo.

*Prob. ant.* Sapientia, bonitas, &c. creaturarum, sunt finitæ & imperfectæ; ergo Deus illas non continet formaliter.

Resp. *dist. ant.* Sunt imperfectæ ratione subjecti in sua natura finiti, *conc.* ratione sui, *nego ant.* Illæ enim virtutes ex sese possunt esse infinitæ; unde in subjecto finito sunt finitæ, in subjecto infinito sunt infinitæ.

## CONCLUSIO II.

*Creaturarum perfectiones*, secundum quid, *non sunt in Deo formaliter, sed eminenter*.

*Prob.* 1. *pars*: Quod in suo conceptu dicit aliquid imperfectum, non continetur formaliter in Deo, cum sit ens quo perfectius cogitari non potest; atqui perfectiones, *secundum quid*, dicunt aliquid imperfectum, imo excludunt majorem perfectionem, v. g. esse corpus, dicit habere partes extra partes in ordine ad locum, quod est imperfectum, imo excludit subjectum quod sit mere spirituale; ergo perfectio *secundum quid*, non continetur formaliter in Deo. Hinc Conc. Later. IV. damnavit impietatem *Almarici*, qui, inter cætera, docebat quamlibet creaturam vere ac proprie de Deo prædicari, ita ut Deus vere esset leo, lapis, ostium, &c.

*Prob.* 2. *pars*: Contineri eminenter in aliquo, est contineri nobiliori modo, quam in subjecto in quo reperitur secundum propriam suam formam; atqui perfectiones *secundum quid*, in Deo continentur nobiliori modo, quam in subjecto in quo reperiuntur secundum propriam suam formam; nam

*si magnitudinem quæris, major est*, ait D. Aug. (*Serm.* 384. *de verbis Apostol.*), *si pulchritudinem pulchrior; si dulcedinem, dulcior*, &c. Ratio est quia hæ perfectiones in Deo sunt ab omni prorsus imperfectione defæcatæ; ergo in eo continentur eminenter.

## QUÆSTIO III.

### *De immutabilitate Dei.*

*Nota* 1. Immutabile dicitur, quod mutari non potest, seu, quod aliter non potest se habere, ac est. Porro duplex est mutatio, nimirum *realis*, seu intrinseca, & *impropria*, seu extrinseca.

Mutatio *realis & intrinseca* est ea, quæ fit per receptionem, aut amissionem alicujus positivæ perfectionis.

Mutatio *impropria & extrinseca* est ea, quæ fit per novam denominationem extrinsecam, absque receptione, vel amissione ullius qualitatis positivæ. Hic solum agitur de mutatione reali, quæ dicitur mutatio simpliciter & sine addito.

*Nota* 2. Stoici, ut testatur Origen. l. 3. *contra Celsum*, censerunt Deum esse corpus mutabile ... Sociniani docent Deum esse mutabilem, non quidem in sua substantia, sed in suis decretis. His notatis:

### CONCLUSIO.

*Deus est omnino immutabilis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. & Conciliis. *Num.* 23. dicitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor.* Hinc in Conc. Nicæno I. definitum est: *Eos qui dicunt, vel creatum, vel mutabilem Dei filium, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Et in Conc. Later. IV. definitum est, quod Deus sit *immutabilis.*

*Prob.* 2. *ratione:* Sextuplex potest cogitari mutatio, quarum, 1. est *substantiæ*, cum res oritur, aut interit. 2. *Temporis*, cum res transit de tempore in tempus. 3. *Loci*, cum res transit de loco in locum. 4. *Quantitatis*, cum res mole crescit, vel minuitur. 5. *Qualitatis*, sive proprie, sive improprie dictæ, id est, perfectionis, cum res acquirit, vel deperdit aliquam perfectionem. 6. *Actionis*, cum agens modo hoc, modo aliud intelligit, aut vult; atqui nulla harum mutationum reperitur in Deo; ergo, &c. & quidem.

1. Non reperitur *mutatio substantiæ*. Deus enim ut æternus, ita & immortalis, Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

2. Non est *mutatio temporis*, quia Deus, utpote æternus, præsens est omnibus temporibus; Deut. 32. *Vivo ego in æternum.*

3. Non est *mutatio loci*, quia est immensus; Jerem. 23. *Cœlum & terram impleo.*

4. Non est *mutatio quantitatis*, quia Deus corporis est expers.

5. Non est *mutatio perfectionis*, quia, ut ait Div. August. in Ps. 30. *Non habet quo perficiatur perfectus, non habet unde deficiat æternus.*

6. Non est *mutatio operationis*, sive illa sit intellectus, sive voluntatis; quia quæcumque Deus cognoscit & vult, ab æterno cognoscit & vult; alioquin conciperetur in Deo potentia agendi distincta ab ipsa actione; ac proinde esset compositus ex actu & potentia, nec esset actus purissimus.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus dicitur *sapientia æterna;* atqui ex Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia;* ergo Deus est mutabilis.

Resp. *dist. min.* Sapientia omnibus mobilibus est mobilior, active & extrinsece, quatenus motum cunctis creaturis tribuit, *conc.* passive & intrinsece, quasi hæc motum in se reciperet, *nego min.* Ideoque divina illa sapientia dicitur mobilis, quatenus motrix est & movens, non quatenus mota & agitata.

*Inst.* 1. Atqui Deus movetur passive & intrinsece; ergo.

*Prob. ant.* Qui transit de loco in locum, movetur passive & intrinsece; atqui Deus transit de loco in locum; ait enim, Genes. 11. *Venite, descendamus;* ergo.

Resp. *nego min.* Ad prob. *dist. conseq.* transit de loco in locum, metaphorice, quia ita agit, quasi moveretur, *conc.* vere, *subdist.* sub specie humana assumpta, *conc.* juxta propriam naturam, *nego.* Porro *Gen.* 11. Sermo est de Deo sub specie humana apparente.

*Inst.* 2. Deus de non creante, factus est creans; ergo mutatus est passive & intrinsece.

Resp. *dist. ant.* De non creante factus est creans per actum quem semper habuit, *conc.* per actum qui Deo de novo advenit, *nego ant. & conseq.* Itaque per creationem, & similes actiones, nulla nova entitas Deo advenit, sed nova denominatio & relatio ad creaturas: nec enim vult quidquam in tempore, quod non velit ab æterno, licet non pro æterno, sed pro tempore respondente virtuali æternitatis instanti, quo revera illud creat.

*Inst.* 4. Non potest Deo advenire nova denominatio positiva, quin adveniat nova entitas distincta: atqui per creationem advenit Deo nova denominatio positiva Creatoris, Domini, &c. ergo advenit nova entitas.

Resp. *dist. maj.* Si illa denominatio sit absoluta, qualis est denominatio sapientis, boni, &c. *conc.* si illa denominatio sit relativa, qualis est denominatio creatoris, *nego maj.* Illa enim denominatio nihil intrinsecum Deo contulit, quod antea non haberet, sed tantum aliquid extrinsecum, relationem nimirum actualem ad res creatas, quam acquisivit in tempore.

*Objicies* 2. In Deo sunt varii motus iræ, vindictæ, pœnitentiæ, &c. ergo Deus mutatur.

Resp. *dist. ant.* In Deo sunt varii motus iræ, pœnitentiæ, &c. metaphorici, & quoad effectum, *conc.* proprii & quoad affectum, *nego ant.* Itaque ira, vindicta, pœnitentia, &c. tribuuntur Deo in Scriptura non quoad affectum, quasi in se hos passionum motus sentiat; sed quoad effectum, quia tranquillus & immotus, illos producit effectus, qui in hominibus ex commotionibus illarum passionum oriuntur. Unde D. Anselm. (*Cap.* 10. *Proslogii.*) Deum alloquens, ait: *Misericors es, non quia tu sentis affectum, sed quia nos sentimus effectum.*

Inst.

*Inst.* 1. Deus amat Petrum justum, quem odio habet peccatorem; ergo mutatur.

Resp. *dist. ant.* Amat justum, quem peccantem odio habet, per unum & eundem actum, *conc.* per diversum actum, *nego*. Deus itaque per unum & eundem actum voluntatis suæ, æternum amat hominem pro tempore quo justus est, & odit pro tempore quo est peccator; mutatio vero status justitiæ & peccati, est in homine.

*Inst.* 2. Ex Aug. *Deus novit mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Ergo mutatur.

Resp. *dist. conseq.* Deus mutatur extrinsece, quatenus eodem modo se gerit, ac si mutaret sententiam, *conc.* intrinsece, quasi novum volendi actum reciperet, *nego conseq.* Itaque, sive Deus puniat, sive condonet, punit & condonat per unum & eumdem actum, tendentem in objecta diversa, & ideo tota mutatio est in homine.

*Inst.* 3. Qui est intrinsece liber, potest mutare sententiam intrinsece: atqui Deus est intrinsece liber; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui est liber intrinsece, libertate imperfecta, *conc.* libertate perfecta, *nego maj.* Porro libertas Dei est perfectissima, & sic Deus unico actu, utpote infinito, potest velle & nolle, amare & odisse.

*Inst.* 4. Qui est intrinsece liber, potest carere illo actu, quem libere habet: atqui Deus est intrinsece liber; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Potest carere actu libero connotative sumpto, *conc.* entitative, *nego maj.* Actus Dei liber entitative spectatus, est ipse Deus; sed connotative spectatus, est actionis Dei immanentis terminatio ad creaturas, vel ad hanc potius, quam ad aliam creaturam; potuit ergo Deus illa terminatione, quæ extrinseca est, carere, sed ipso actu entitativo carere non potest, ut evidens est.

## QUÆSTIO IV.

### *De Dei incomprehensibilitate.*

*Nota.* 1. Comprehensio dupliciter sumi potest; 1. *Late*, pro consecutione alicujus rei, quo sensu Ap. (1. *Cor.* 9.) dixit: *Sic currite ut comprehendatis.* Quo etiam sensu beati dicuntur *comprehensores*, quia æternam beatitudinem sunt consecuti. 2. *Stricte*, pro perfecta & adæquata cognitione alicujus rei, cujus nihil prorsus lateat cognoscentem.

*Nota* 2. Eunomiani, qui & Anomæi, asseruerunt divinam essentiam, ne dum a beatis, sed etiam a viatoribus comprehendi, ut testatur D. Epiph. hæresi 76. contra quos sit

### CONCLUSIO.

*Deus a nullo intellectu creato comprehendi potest.* Est de fide.

*Prob.* 1. *ex Scrip. & Patribus.* Ille est incomprehensibilis, quem Scriptura & Patres incomprehensibilem vocant; quem contendunt perfecte, etiam a beatis, penetrari non posse; atqui id Scriptura & Patres docent; ergo, &c. *Prob. min.* 1. ex Jerem. 32. *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu.* Eccl. 43. *Ne laboretis, non enim comprehendetis.* 2. Ex D. Aug. (*Serm.* 38. *de verbis Domini*) dicente: *Attingere aliquantulum mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile.* Et D. Greg. Mag. in hæc verba Job, *excelsior itaque cælo est, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant.* Ergo &c.

*Prob.* 2. Ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, *creditur*, inquit, *quod Deus sis . . . . incomprehensibilis & ineffabilis, &c.* & Conc. Basileensi, *sess.* 22. Hanc Augustini de Roma prop. damnante: *Anima Christi videt Deum tam clare & intense, quantum clare & intense Deus videt seipsum.*

*Prob.* 3. *ratione*: Comprehendere Deum, est essentiam divinam cognoscere, quantum cognoscibilis est, ipsamque omni ex parte exhaurire; atqui essentia divina ab intellectu creato non potest cognosci quantum cognoscibilis est, neque ex omni parte exhauriri; ergo, &c.

*Prob. min.* Quod est infinite cognoscibile, non potest cognosci, quantum cognoscibile est, neque ex omni parte exhauriri, nisi per cognitionem infinitam; atqui nulli intellectui creato competere potest cognitio infinita; ergo, &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Beati Deum comprehendunt; ergo.

*Prob. ant.* Qui vident Deum, ut est in se, Deum comprehendunt; atqui Beati vident Deum ut est in se; ergo, &c. . . . Resp. *nego maj.*

*Prob. maj.* Qui vident totum Deum, comprehendunt Deum; atqui qui vident Deum ut est in se, vident Deum totum; ergo qui vident Deum ut est in se, Deum comprehendunt.

Resp. *dist. maj.* Qui vident Deum totum & totaliter, Deum comprehendunt, *conc.* qui vident Deum totum, sed non totaliter, *nego maj.* atqui qui vident Deum ut est in se, vident Deum totum, & non totaliter, *conc.* vident Deum totum, & totaliter, *nego min.* Porro ad comprehensionem Dei non sufficit, ut totus videatur, sed insuper requiritur ut videatur totaliter, id est, tam perfecte, ac videri potest & exigit, ita ut cognitio, in genere cognitionis, tantæ sit perfectionis, quantæ est objectum in genere rei cognoscibilis. Cum ergo Deus sit infinitus, non potest ulla cognitio ei respondere, nisi infinita quoque ea sit; atqui creata mens non est capax cognitionis infinitæ; ergo.

*Inst.* 1. Quod est simplicissimum, non potest videri totum, quin simul videatur totaliter; atqui Deus est simplicissimus; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Quia ut videatur totaliter, necesse est, ut videatur omni modo, quo videri potest & exigit; atqui Deus potest & exigit videri modo infinito, cujus non est capax intellectus creatus; ergo.

*Inst.* 2. Ut aliqua res comprehendatur, non necesse est ut videatur modo perfectissimo, quo cognosci potest: alias Angelus ne muscam quidem comprehenderet, cum eadem musca a Deo longe perfectiori modo videatur, quam ab Angelo; ergo licet mens creata longe imperfectiori modo

Deum

Deum cognoscat, quam Deus ipse se cognoscit, nihilominus potest Deum comprehendere.

Resp. *nego conseq.* Quamvis enim ad comprehensionem rei, non sit necesse ut videatur modo perfectissimo quo ab ente superiori potest videri, tamen requiritur, ut videatur modo perfectissimo quo res illa *exigit* videri; atqui Deus infinitus, non vero musca finita, exigit videri cognitione infinita; ergo mens creata potest comprehendere muscam, non vero Deum.

*Objicies* 2. Deus comprehendit hominem; ergo homo comprehendit Deum.

*Prob. conseq.* Ex Apost. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. dicente: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*, nempe a Deo: atqui cognitus est a Deo, cognitione comprehensiva; ergo.

Resp. *dist. maj.* Tunc cognoscam sicut cognitus sum, ita ut particula, *sicut*, importet cognitionem Dei immediatam & intuitivam, quam opponit cognitioni quam de Deo habemus per creaturas, *conc.* ita ut particula, *sicut*, æqualitatem perfectionis inter cognitionem Dei & nostram importet, *nego*. Itaque, hoc unum vult Apostolus, nos in æterna beatitudine visuros Deum immediate sicuti est, non vero per creaturas quasi per speculum. Responsio colligitur ex versu præcedenti. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, inquit, *tunc autem facie ad faciem*.

*Inst.* D. Aug. *Epist.* 112. ait: *Illud comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*; atqui nihil Dei latet Beatos; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ut nihil ejus lateat videntem tum quoad rem visam, tum quoad omnem amplitudinem ejus cognoscibilitatis, *conc.* quoad rem visam duntaxat, *nego*. Porro licet beati videant Deum totum, tamen eorum cognitio, cum sit finita, non adæquat totam cognoscibilitatem Dei, qui modo infinito exigit videri; unde D. Aug. addit: *Aut cujus fines circumspici possunt*; atqui cum Deus sit infinitus, non habet fines qui circumspici possint; ergo, &c.

## QUÆSTIO V.

### *De ineffabilitate Dei.*

*Nota*. De fide est Deum esse ineffabilem, prout definitum est in Conc. Later. IV. *cap.* firmiter, *de summa Trinit.* verum controvertitur, quo sensu Deus dicatur ineffabilis. Circa quod

### CONCLUSIO I.

*Deus est ineffabilis, hoc sensu, quod a viatoribus, nullo nomine perfecte, & ut est in se, possit exprimi.*

*Prob.* Non possumus res aliter per nomina exprimere, quam eas cognoscamus; atqui in hac vita Deum perfecte, & ut est in se, non cognoscimus; ergo Deum nullo nomine perfecte, & ut est in se, exprimere possumus. Hinc D. Basil. *Epist.* 80. ait: *Natura divina, ut in se ipsa est, nullis nominibus, quæcumque excogitari possunt, exprimitur*. Et D. Aug. in Psal. 85. *Quid quæris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

Dixi, *a viatoribus*: quia in futura vita, beati possunt nominare Deum sicuti est, quemadmodum eum cognoscunt, sicuti est. De quibus, *Zach. ult. v.* 9. dicitur: *In illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum*.

### CONCLUSIO II.

*Deus non est ineffabilis, hoc sensu, quod a viatoribus nullo nomine, etiam imperfecte, possit exprimi.*

*Prob.* Quia nomina sunt signa non tantum rerum, sed etiam conceptuum: atqui Deum, saltem obscure & imperfecte, possumus cognoscere; ergo & nominare. Sic in Scriptura plura sunt Dei nomina, Jer. 32. *Fortissime, magne, & potens, & Dominus exercituum nomen tibi*. Et Exodi 3. Moysi quærenti: *Si dixerint mihi, quod est nomen ejus; quid dicam eis? dixit Deus . . . sic dices filiis Israel, Qui est, misit me*, &c. quod nomen est maxime proprium Dei, quia ostendit *existentiam* esse Dei essentiam, quod nulli alii convenit.

Quæres 1. *An nomina Dei sint synonima, eamdem rem eadem ratione significantia?*

Resp. *negative*, Quia varia nomina, quæ diversis conceptibus ejusdem rei respondent, non sunt synonima; atqui varia Dei nomina diversis de Deo conceptibus respondent; ergo &c. Sic justitia & misericordia Dei diversis conceptibus exprimuntur, licet eamdem rem omnino simplicem significent.

Quæres 2. *An nomina de Deo & creaturis dicantur univoce?*

Resp. *negative*, Quia nullum nomen convenit Deo & creaturis secundum eamdem rationem; sapientia, v. g. quæ in nobis qualitas est, in Deo est substantia.

## QUÆSTIO VI.

### *De invisibilitate Dei.*

*Nota*. Duplex Dei visio distinguitur, *abstractiva* nimirum, sic dicta, quia abstrahit ab objecti præsentia; & *intuitiva*, sic dicta, quia similis est cognitioni quam habemus de rebus quas in se ipsis, ac propriis oculis nostris intuemur.

Cognitio *abstractiva* est ea, qua Deum, per medium ab eo distinctum, nempe per creaturas, cognoscimus. De hac sufficienter diximus Dissertatione prima.

Cognitio, seu visio *intuitiva*, est ea, qua Deum ut in se est, seu essentiam Dei, cognoscimus; de hac duo habemus solvenda: 1. Utrum essentia Dei videri possit ab oculo corporeo. 2. Utrum videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires.

### ARTICULUS I.

*Utrum Essentia Dei videri possit ab oculo corporeo.*

*Nota*. Antropomorphitæ, quibus olim fuit persuasum Deum esse corporeum, consequenter docuerunt ipsum oculis corporeis videri posse: contra quos sit

CON-

CONCLUSIO.

*Deus a nemine unquam, aut visus est, aut videri poterit oculis corporeis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scrip.. 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili.* Et cap. 6. *Rex Regum qui ... lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui illi textus non possunt intelligi de visione per mentem, *quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (1. *Joan.* 3. *v.* 2.); ergo debent intelligi de visione Dei per oculos corporis.

*Prob.* 2. *ex Patrib.* Origenes, *contra Celsum*, qui hanc opinionem falso exprobrabat Christianis, ait: *Falso nobis imponit Celsus dicens, nos sperare oculis corporis Deum esse visuros* &c.

S. Cyril. Hierosolim. Catech. 8. *Carneis quidem oculis cerni Deus non potest*, inquit, *nam incorporeum, sub corporeos oculos, cadere nequit.*

D. Aug. (*Epistol.* 92. *alias* 62. *ad Italicam viduam.*) *Hoc autem*, ait, *oculus videre corporis, neque nunc potest, neque tunc*, in cœlo, *poterit.*

*Probat.* 3. *ratione.* Nulla facultas vitalis potest ferri extra limites objecti sui adæquati, v. gr. auris non potest percipere nisi sonum, qui est ejus objectum connaturale adæquatum; atqui Deus est extra subjectum adæquatum oculi corporalis; nam objectum adæquatum oculi est coloratum sensibile, quale non est Deus, qui est purus Spiritus; ergo oculus corporeus non potest, etiam *de potentia Dei absoluta*, elevari ad intuitivam Dei visionem.

Dixi, *etiam de potentia Dei absoluta*, quia Deus non potest facere quod implicat; atqui implicat oculum corporeum vitaliter agentem ferri extra limites sui objecti adequati, alias mutaretur essentialiter; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Jacob, Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem.* Ex quo sic argumentor: Videre Deum facie ad faciem, est videre Deum intuitive; atqui Jacob oculo corporeo vidit Deum facie ad faciem; ergo oculo corporeo vidit Deum intuitive.

Resp. *dist. maj.* Videre Deum facie ad faciem in propria natura, *conc.* sub specie aliena & assumpta, *neg. maj.* Itaque Jacob vidit Deum sub specie Angeli, qui assumpto corpore ei apparuit, vocatusque est *Deus* repræsentative, non realiter; ita interpretatur Oseas, *c.* 12. *v.* 3. dicens: *Et in fortitudine sua directus est*, Jacob, *cum Angelo.*

*Inst.* 1. Deus, *Num.* 12. de Moyse, ait: *Ore ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum vidit.* Ergo oculis suis corporeis vidit Deum intuitive.

Resp. *nego conseq.* Ex textu sequitur tantum, quod Moyses viderit Deum in persona Ministri sui, nempe Angeli Deum repræsentantis, ad differentiam Prophetarum, quibus apparebat tantum in somniis; ait enim Deus: „ Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. “ At non talis Moyses... ore enim ad os loquor ei, &c.

*Inst.* 2. Job. 19. ait: *In carne mea videbo Deum meum.* Ergo Deus videri potest oculis corporeis.

Resp. *nego conseq.* Cum D. August. qui (*l.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29.) observat, Job dixisse, se, post resurrectionem, visurum Deum, *in carne*, id est, resumpto corpore, *non per carnem*, sed per mentem.

*Prob. conseq.* Job addit: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Ergo.

Resp. *dist. conseq.* Deus in carne assumpta, potest videri oculis corporeis, *conc.* Deus in se, id est, essentia divina; *nego.* Porro Job loquitur de Deo redemptore: *Scio*, inquit, *quod redemptor meus vivit.* Atqui Christus redemptor potest, quantum ad humanitatem, videri oculis corporeis.

*Inst.* 3. Job, *c.* 42. ait: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Atqui ibi loquitur de Deo in se, non de Christo redemptore; ergo.

Resp. *dist. Nunc oculus meus videt te*, secundum providentiam, de cujus effectibus multa audierat Job, & quos tunc proprius inspexerat, & proprio experimento, quasi ad oculum viderat, cum a tot miseriis tandem sanus evasit, *conc.* secundum essentiam divinam, *nego.* Hæc est germana illius textus interpretatio.

*Inst.* 4. Lucæ 3. dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Ergo.

Resp. *dist.* Salutare Dei, id est, Christum Salvatorem, *conc.* id est, Dei essentiam, *nego.* Ita D. Aug. Serm. 277.

*Objicies* 2. D. Aug. variis locis probat oculos corporis, post resurrectionem, glorificati, substantiam divinam visuros; ergo.

*Prob. ant.* D. Aug. *l.* 22. *de Civit. Dei*, *c.* 29. ait: *Longe itaque alterius erunt potentiæ*, oculi beatorum, *si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est*, &c. Ergo videtur agnoscere, fieri posse, ut beati, post resurrectionem, visuri sint essentiam divinam.

Resp. *dist. conseq.* Videtur hoc agnoscere ex sententia aliorum & hypothetice, *conc.* ex propria sententia & absolute, *nego.* Itaque quoque D. Aug. ex propria sententia locutus, constanter docuit Deum oculis corporis videri non posse. Sed cum locutus est ex sententia aliquorum Philosophorum, qui putabant beatos post resurrectionem per oculos corporis factos spirituales, Deum in se visuros, semper locutus est hypothetice, ut patet ex textu in objectione; sicut ergo circa eorum opinionem nihil negavit, ita etiam nihil affirmavit, nec in eam unquam propendit: „ Sicut aliqui, *ait Epist.* 147. *cap.* 20. qui eos, qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritualis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quod si ita est ... id quod in illa Epistola (*92. ad Italicam, citata in nostris probat.*) mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia nec possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi numquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum, non corpus videbit “. Ubi etiam loquitur hypothetice, *si ita est.*

*Inst.*

*Inst.* 1. D. Aug. *ibidem* addit: *fieri posse ac valde credibile esse, sic nos visuros mundana corpora, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus... clarissima perspicuitate videamus.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Fieri posse ut Deum videamus, mediate, & per effectus, *conc.* immediate & per se, *nego ant.* Nam ait ibidem S. Doctor oculos beatorum Deum esse visuros, eo modo, quo nunc videmus vitam hominis, quem cernimus, exercere actus vitales, *non credimus eum vivere*, ait, sed, *videmus*. Atqui non videmus vitam, seu animam illius hominis in se ipsa immediate, sed duntaxat per clarissimos effectus; ergo.

*Inst.* 2. Div. August. *ibidem*, opponit visionem qua etiam per corpus Deum incorporeum omnia regentem contuebimur, cognitioni abstractivæ, *non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur per speculum & in ænigmate.* Ergo intuitiva erit illa visio.

Resp. *nego conseq.* Utramque enim visionem esse abstractivam & per effectus agnoscit D. August. visionem tamen oculorum corporis glorificati, opponit visioni quæ nunc habetur in ænigmate, quatenus futura est longe perfectior, *quod ex duobus contingit*, ait Div. Thom. ( *1. p. q. 12. art. 3. ad 2.* ) respondens huic D. Augustini objectioni; *scilicet ex perspicuitate intellectus & ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis*, id est, per aspectum cœli novi & terræ novæ.

*Objicies* 3. Visus, est potentia cognoscitiva, Deus vero objectum cognoscibile; atqui potentia cognoscitiva potest extendi ad quodlibet objectum cognoscibile; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est potentia cognoscitiva, particularis & ad objectum corporeum determinata, *conc.* universalis, *nego*. Nam est determinata ad objectum coloratum, & consequenter corporeum, Deus autem non est corpus.

*Instabis*. Quælibet potentia intellectiva ad quodlibet objectum intelligibile pertingere potest; ergo quælibet potentia cognoscitiva ad quodlibet objectum cognoscibile.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod potentia intellectiva sit universalis objective, e contra potentia cognoscitiva visiva, est intra coloratos limites circumscripta.

*Objicies* 4. Ideo asseritur Deum videri non posse oculis corporeis, quia oculi cum illo nullam proportionem habent; atqui hæc ratio nulla est; ergo.

*Prob. min.* Deus per absolutam suam potentiam potest elevare quamlibet creaturam ad producendos effectus, cum quibus nullam habet proportionem; sic utitur igne corporeo ad comburendas animas, aqua in baptismo ad producendam gratiam, &c. Ergo, licet oculi corporei nullam cum essentia divina proportionem habeant, nihilominus possunt elevari ad videndum Deum intuitive.

Resp. *dist. ant.* Deus potest elevare quamlibet creaturam, vitali modo non operantem, *conc.* vitali modo operantem, *nego*. Ratio disparitatis est, quia creaturæ, quæ non agunt vitaliter, non sunt causæ principales; sed tantum instrumentales affectuum ad quos producendos a Deo assumuntur; in hujusmodi autem causis instrumentalibus Deus proportionem aliquam cum effectu producendo non supponit. E contra vero creaturæ, quæ agunt modo vitali, sunt essentialiter causæ principales effectuum quos operantur; atqui causæ principales sese ipsas movere debent ad suos effectus; ergo aliquam, saltem inchoatam, cum illis proportionem habere debent.

*Inst.* Deus potest actum videndi Deum ponere in oculo corporeo; ergo tunc oculus videret Deum.

Resp. *nego ant.* Visio enim Dei est essentialiter actus vitalis, de cujus natura est, ut a sua potentia eliciatur; porro natura rerum mutari non potest.

## ARTICULUS II.

*Utrum essentia divina videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires?*

*Nota*. Anomæi, IV. sæculo, se tantam Dei notitiam propriis naturæ viribus habere jactitabant, quantam sui ipsorum, imo tantam quantam Deus ipse sui haberet: quam hæresim a Patribus illius sæculi ( *SS. Basil. Epiphan. Gregor. Nican. & Gregor. Nazianz. &c.*) damnatam, renovarunt *Beguardi* & *Beguinæ*, damnati in Concilio generali Viennensi. Contra quos sit:

## CONCLUSIO.

*Deus ab intellectu creato, per solas naturæ vires, non potest videri intuitive.* Est de fide definita in Conc. Vienn. in quo hic Beguardorum articulus fuit damnatus: *Qualibet intellectualis natura, in se ipsa naturaliter est beata; & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.*

*Prob.* 1. Ex Script. Isaiæ 64. *Oculus*, mentis, *non vidit Deus, absque te*, ( dante & elevante ) *quæ præparasti expectantibus te.* Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Ex Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna*; decretorii sunt isti textus; nam si vita æterna est donum & gratia Dei, ergo non potest acquiri per solas naturæ vires.

*Prob.* 2. *ex Patrib.* Origenes ( *L. 1. de principiis: cap. 1.*) *Mens nostra*, inquit, *ipsum per se*, id est, per suas vires naturales, *Deum sicut est, non potest intueri*.

D. Ambr. ( *in cap. 1. Lucæ*) ait: *In potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius est apparere.*

D. Aug. ( *L. 19. de Civit. Dei, cap. 25.*) *Non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere.*

*Prob.* 3. Visio intuitiva est actus supernaturalis; atqui intellectus humanus per solas naturæ vires non potest elicere actum supernaturalem, ut contra Pelagianos fuit definitum; ergo intellectus humanus non potest per solas naturæ vires elicere visionem Dei intuitivam.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies*. Intellectus humanus per solas naturæ vires potest consequi suum finem; atqui visio Dei intuitiva, est finis hominis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Potest naturaliter consequi suum finem naturalem, *conc.* supernaturalem, *nego*. Porro visio intuitiva est finis hominis supernaturalis.

Sub-

*Subsumes:* Atqui visio intuitiva est finis hominis naturalis; ergo, &c. *Prob.* Quod homo naturaliter appetit, est finis hominis naturalis; atqui homo naturaliter appetit visionem beatificam; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est finis naturalis, quoad propensionem, *conc.* quoad consecutionem, *nego maj.* Nam *quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum*, inquit Boetius, (*L. de Trinit. q. ult.*) *non potest tamen naturaliter illum consequi, sed solum per gratiam; & hoc est propter eminentiam illius finis.*

*Inst.* 1. Intellectus humanus potest naturaliter consequi, quod est intra latitudinem sui objecti specificativi; atqui Deus intuitive videndus, est intra latitudinem objecti intellectus specificativi; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quod est intra latitudinem objecti specificativi, sibi proportionati, *conc.* sibi improportionati, *nego maj.* Porro, licet Deus clare videndus sit intra latitudinem objecti specificativi, intellectus, quatenus est potentia visiva, tamen, cum sit ordinis supernaturalis, ipsi est improportionatus, nec potest illum intuitive videre, nisi aliquo supernaturali auxilio roboretur: *Deus clare visus*, ait D. Thom. (*L. contra gentes, cap.* 54.) *non est extra facultatem intellectus velut extraneum quid, sed velut excedens.*

*Inst.* 2. Quod menti intime præsens est, non est supra ipsam; atqui Deus intime præsens est menti: ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod menti intime præsens est in ratione objecti, *conc.* in ratione entis, *nego maj.* Porro Deus in ratione entis, est quidem menti intime præsens propter suam immensitatem; sed non est intime præsens in ratione objecti, nisi abstractive & per effectus videndi.

## CAPUT II.

*De attributis Dei positivis.*

*Nota.* Agemus hic: 1. De visibilitate Dei. 2. De ejus æternitate. 3. De ejus immensitate. 4. De ejus bonitate. 5. De ejus intellectu & scientia. 6. De ejus voluntate, sequentibus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

*De visibilitate Dei.*

Agemus, 1. De possibilitate. 2. De existentia. 3. De principiis effectivis. 4. De objecto. 5. De æqualitate & inæqualitate visionis Dei intuitivæ.

## ARTICULUS II.

*De possibilitate intuitivæ Dei visionis.*

*Nota.* Recentiores Græci, quorum antesignanus fuit *Gregor. Palamus*, docebant, teste Radulpho Archiepiscopo Armachano (*L.* 14. *de qu. Armenorum, cap.* 1. Dei), naturam a beatis non videri, sed aliquam duntaxat lucem ab illa distinctam & profluentem: Contra quos sit.

## CONCLUSIO.

*Intellectus creatus, supernaturali roboratus auxilio, Dei naturam videre potest.* Est de fide definita in Concilio Florentino in decreto unionis.

*Prob.* 1. Ex Script. Matth. 5. „ Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem, in patria, facie ad faciem. 1. *Joann.* 3. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ". Atqui videre Deum facie ad faciem, videre eum sicuti est, est videre Deum intuitive; ergo intellectus creatus videre potest naturam divinam, non per solas naturæ vires, ut probavimus; ergo per quoddam Dei auxilium supernaturale.

*Prob.* 2. *ex Patribus*, inter quos duos, vel tres proferemus.

D. Iren. (*L.* 4. *contra hæreses, c.* 20. *alias cap.* 37.) sic ait: „ Participatio Dei, est videre Deum ... homines igitur videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque ad Deum."

D. Clem. Alexand. *L.* 5. *Strom.* sic loquitur. Perspicuum est, nullum unquam, vitæ suæ tempore, posse clare Deum comprehendere, (*seu intueri*); qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.

D. Bernard. (*Serm.* 4. *in Festum omnium Sanctorum.*) „ In hoc erit vita æterna, *inquit*, ut cognoscamus Deum sicuti est, id est, non modo sicut inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso ".

*Probat.* 3. *ratione:* Qua, si non potest demonstrari nostræ propositionis veritas, potest saltem suaderi sic: homini possibilis esse debet consecutio beatitudinis ad quam factus est, & ab ipso Deo tamquam ad finem ultimum destinatus; atqui beatitudo hominis in clara & intuitiva Dei visione consistit, saltem præsuppositive, & causaliter, juxta illud Joann. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*, &c. Ergo homini possibilis esse debet intuitiva Dei visio. Quia tamen hæc beatitudo non est homini naturalis, sed supernaturalis, ideo non nisi auxilio supernaturali corroboratus, potest illam consequi.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus in Scripturis dicitur *invisibilis*, dicitur, *habitare lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ergo nequidem supernaturaliter potest Deus intuitive videri.

Resp. *dist. ant.* Dicitur invisibilis, oculo corporeo, *conc.* menti humanæ, *subdist.* naturæ viribus, *conc.* gratiæ beneficio, *iterum dist.* comprehensive, seu modo infinito, *conc.* intuitive, *subdist.* in hac vita, saltem de lege ordinaria, *conc.* in altera vita, *nego ant. & cons.* Responsio patet ex supra dictis.

*Inst.* 1. Christus (*Joann.* 6. *v.* 36.) ait: „ Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem ". Ergo nemo Deum potest videre intuitive.

Resp. *dist. textum.* Non vidit Patrem quisquam hominum, *conc.* quisquam Angelorum, *nego.* Lo-

Loquitur ibi Christus de hominibus, quibus porta cœli clausa fuit usque ad ejus in cœlos Ascensionem, unde utitur verbo *vidit* in præterito.

*Instabis secundo*. Atqui Angeli non vident Deum intuitive; ergo. *Prob. subs.* Qui Deum desiderant prospicere, ipsum non vident; atqui ex 1. Petri, 1. *In quem*, Deum, *desiderant Angeli prospicere*; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui desiderant Deum videre, desiderio excludente possessionis fastidium, *nego maj.* desiderio excludente possessionem objecti, *conc.* & sic ad min. *Desiderant sine labore*, ait Greg. Magn. (*L.* 18. *moral. cap.* 28.) *quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia satietas ex desiderio semper accenditur.*

*Objicies* 2. Multi sancti Patres, quorum testimonia referre non sinit proposita concisio, asserunt Dei naturam non posse intuitive videri neque a Beatis, neque etiam ab Angelis; ergo.

Resp. *nego ant.* Patres enim nunquam claræ Dei visionis negarunt possibilitatem, quam & alibi di lucide astruunt, & in iis ipsis locis, qui nobis objiciuntur, per non æquivocas expressiones innuunt. Sed unice rejiciunt possibilitatem visionis Dei comprehensivæ, contra quos impugnabant Anomæos, qui ut ait D. Chrysost. (*Homil.* 2. *adver. Anomæos*) *stulte non minus quam impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus se ipse novit.* Apposite ergo ad controversiam, quam versabant, exponi debent hæc eorum verba, *videri*, *non videri*, quæ pro varia eorum significatione de Deo dici possunt, ut observat D. Epiphan. *haeres.* 70. n. 8. & illustrat hac similitudine: „ Veluti, inquit, si quis per angustum foramen, cœlum aspiciat & dicat, video cœlum, non utique mentiatur: videt enim revera cœlum. Quod si quis acute ei dicat, non vidisti cœlum, neque iste mentietur . . . quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem . . . utrumque ergo vere dicitur, & quod Deus videndus aliquando sit "; intuitive nimirum, & ut in se est; *& quod videri non possit*, nempe comprehensive, & juxta totam suam amplitudinem, ita ut exhauriatur.

*Inst.* 1. Saltem negari non potest, quin D. Chrysost. intuitivam Dei visionem Angelis ac Beatis negaverit, ut docet Vasquez *in primam partem D. Th. disp.* 37. Ergo.

Resp. *nego ant.* Neque in hac parte audiendus est Vasquez, qui solus D. Chrysost. quem omnes vindicant, accusat.

*Prob. ant.* D. Chrysost. *Hom.* 14. *in Joann.* ait: „ id quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli. *Et infra ex his Apost. verbis:* Qui manifestatus est in carne, *sic arguit*, quod ipse invisibilis sit, non solum hominibus, sed & supernis virtutibus, cum dixisset Paulus manifestatum esse in carne, subdit, visum ab Angelis; ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis; antea vero non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset substantia ". Atqui qui negat Angelos & Beatos videre *id quod est Deus, & substantiam Dei*, prorsus ipsis denegat visionem intuitivam; ergo.

Resp. *dist. min.* Prorsus ipsis denegat visionem intuitivam adæquatam & comprehensivam, *conc.* ipsis denegat quamcumque intuitivam visionem, etiam inadæquatam, *nego*. Porro de sola visione Dei comprehensiva hic locutus est D. Chrysost. ut ipse declarat inferius his verbis: „ Num omnes in ignorantia vivimus? absit. Sed nemo ita cognovit Patrem ut Filius . . . qui certam notionem, visumque & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est. Sicut enim novit me Pater, inquit, & ego cognosco Patrem . . . hinc, *ex hoc nempe textu*, collige certam Filii de Patre comprehensionem ".

*Inst.* 2. D. Chrysost. Angelis concedit solam Dei cognitionem, quam per Incarnationem acquisierunt; atqui illa cognitio non fuit substantiæ divinæ, sed humanitatis a Deo assumptæ; ergo, juxta Divum Chrysostomum, Angeli non fruuntur intuitiva Dei visione.

Resp. *nego maj.* Nam per ista verba, *ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis;* solum probat Angelos non vidisse divinam essentiam comprehensive, id est, & secundum omnem suam infinitatem, & secundum omnes effectus ad quos extendi ac terminari illa potest, ex eo quod Incarnatio (quæ ab Apost. Ephes. 3. vocatur *Sacramentum absconditum a sæculis in Deo*, id est, in sola Dei notitia, ait Glossa) non ante ab eis visa fuerit, quam Verbum divinum carnem induerit.

*Inst.* 3. D. Chrysost. quinque homiliis, *de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos*, totus est ut probet Dei naturam nullo modo videri posse; ergo.

Resp. *dist. ant.* Probat Dei naturam nullo modo videri posse comprehensive, *conc.* intuitive, *nego*. Constat autem D. Chrysost. loqui de sola Dei cognitione comprehensiva contra Anomæos, qui, ut ait Homil. 1. *se ita Deum nosse, quemadmodum Deus seipsum novit, asserunt.* Quos sic impetit, Homil. 2. *non te obruis, qui eo amentiæ prorupisti, ut quem glorificare duntaxat debes & adorare, hunc . . . . contendas penitus comprehendere?* Et postquam dixit, Hom. 1. *Ipse*, Deus, *solus est incomprehensibilis.* Et Homil. 4. *Statueram . . . . omni virtuti creatæ, Deum esse incomprehensibilem, explicare.* Concludit eandem Homil. sic: *Deum incomprehensibilem esse omnium creaturarum generi, late ex his quæ proposuimus, patet.* Constat ergo Sanctum Doctorem, vocabula *videndi ac comprehendendi*, tanquam synonima usurpare.

*Objicies* 3. Facultas finita non potest videre objectum infinitum; atqui mens creata est finita, & Deus infinitus; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non potest videre objectum infinitum modo infinito & comprehensivo, *conc.* modo finito, *subd.* per solas naturæ vires, *conc.* per auxilium quoddam supernaturale, *nego maj.* & sic ad conseq. Responsio patet ex dictis.

*Inst.* Inter potentiam & objectum debet esse proportio; atqui inter mentem creatam & Deum infinitum, nulla est proportio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Debet esse proportio *habitudinis* in eo posita, quod res aliqua contineatur intra objectum alicujus potentiæ, *conc.* proportio *entitatis*, quæ est similitudo in natura, *nego*. Porro cum Deus contineatur intra verum, quod est objectum intellectus, merito intellectus dicitur habere cum eo proportionem habitudinis, licet non habeat pro-

por-

portionem entitatis. Illa autem proportio habitudinis sufficit cum supernaturali Dei auxilio ad Deum intuitive videndum; alias nequidem abstractive possemus Deum videre.

*Subsumes;* Atqui inter mentem creatam & Deum, nulla est proportio habitudinis; ergo.

*Prob.* Inter potentiam naturalem & objectum supernaturale, nulla est proportio habitudinis; atqui mens creata est potentia naturalis, & Deus est objectum supernaturale; ergo.

Resp. *dist. maj.* Nulla est proportio habitudinis completa, *conc.* inchoata, *nego*. Equidem proportio habitudinis inter mentem creatam & Deum, est tantum inchoata & incompleta, ideoque indiget lumine gloriæ, quo compleatur, elevetur, & reddatur proxime potens ad Deum intuitive videndum.

## ARTICULUS II.

*De existentia intuitiva Dei visionis.*

*Nota*. Duo hic habemus discutienda: 1. Utrum aliquibus in hac vita degentibus concessa fuerit intuitiva Dei visio. 2. Utrum animæ justorum ea nunc donentur in cœlis.

### §. I. *Utrum aliquibus in hac vita concessa fuerit intuitiva Dei visio.*

*Nota*. Quæstio est de puro homine; de Christo enim nulli dubium est, quin visione Dei fruitus fuerit. Unde sit

### CONCLUSIO I.

*Nemini unquam in terris concessa fuit intuitiva Dei visio*. Est probabilior.

*Prob.* 1. Exod. 33. Moysi a Deo postulanti, ut suam ipsi gloriam ostenderet, respondit Deus, *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet*. En lex generalis de non videndo Deo in hac vita, nullum, ne Moysen quidem, excipit; atqui ubi lex neminem excipit, nec nos debemus excipere; ergo.

Joann. 6. dicitur: *Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me; non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem*. Ubi ab illa prop. negativa excipit solum Christum: atqui unius exceptio firmat regulam quoad omnes alios; ergo.

*Prob.* 2. *ex Patrib.* Greg. Mag. (*L.* 18. *Moral.* c. 28.) de Moyse disserens, ait: *Videri potuit Deus per circumscriptas imagines, & videri non potuit per circumscriptum lumen æternitatis*.

Div. Bernard. *Serm.* 31. *in Cantica*, dicit: *Nec Sapiens, nec Sanctus, nec Propheta illum videre sicuti est, potest, aut potuit in hoc mortali corpore*.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus Exodi 33. dixit Moysi: *Ostendam tibi omne bonum*. Atqui per, *omne bonum*, intellexit divinam naturam: ergo Moyses, dum adhuc viveret, fruitus est visione Dei intuitiva.

*Resp. nego min.* Nam infra addit Deus, *faciem autem meam videre non poteris*. Ergo Deus per to, *omne bonum*, intelligit duntaxat, vel mirabilia quæ Deus se per Moysen operaturum promiserat, ut Israelem a captivitate Ægyptiaca liberaret; vel intelligit faciem illius Angeli, qui Moysen ore ad os alloquebatur, quam, præ splendore ex ea emicante, videre non poterat.

*Inst.* 1. Num. 12. Deus de Moyse ait: *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*. Ergo intuitive Deum videbat.

Resp. *dist. conseq.* Intuitive videbat Deum in forma aliena, *conc.* in propria natura, *nego*. Deus ergo non in propria natura, sed in aliqua præstanti forma corporea assumpta Moysi apparuit, vel potius Angelus qui typum Dei gerebat, ut asserit Sanctus Stephanus, *Act.* 7. dicens: „ Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi .... dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, &c. “

*Inst.* 1. D. Ambr. (*L.* 3. *in Examero*, *cap.* 2.) ait: „ Neque in specie, neque per ænigmata, sed clara, atque perspicua præsentiæ divinæ dignatione donatus est Moyses “. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Donatus est clara præsentiæ divinæ dignatione, in forma aliena, *conc.* in propria natura, *nego*. Quod sit hic Ambrosii sensus, probant hæc ejus verba, in caput 1. Lucæ: „ Patrem & Filium, &c. ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formaverit, ut & illud verum sit, quod Deum nemo vidit unquam “.

*Inst.* 3. D. August. *l.* 12. *de Genes. ad litteram*, *cap.* 27. *dicit*: „ Nisi desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in lib. Num. diceret Deus: Ore ad os loquar ad illum in specie, & non per ænigmata “. Ergo visionem intuitivam Moysi tribuit.

Resp. *dist. conseq.* Tribuit inquisitive, *conc.* definitive, *nego*. Licet enim illic propensior in hanc partem S. Doctor fuerit, nihil tamen definivit in illo opere, *in quo*, ut ait lib. 2. retractat. cap. 24. *plura quæsita, quam inventa sunt, & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata, &c.* Ergo vera opinio D. Augustini repetenda est ex aliis, quæ posterius scripsit, operibus: nempe, *tract.* 3. *in Joann.* ait: „ Moyses vidit nubem, Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura est: typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat ... loquebatur ergo cum Moyse Angelus ... non erant illa substantia Dei. *Et Epist.* 147. *dicit*: Ipse ergo, *Deus*, erat in ea specie qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat: ea enim promittitur Sanctis in alia vita; unde quod responsum est Moysi: *non videbit me homo, & vivet*; verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, & vivere “.

*Objicies* 2. Div. Paulus, 2. *Cor.* 12. de se ipso dicit: „ Scio hominem in Christo ante annos 14. sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi ad tertium cœlum; & scio ejusmodi hominem ... quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui “. Atqui nomine Cœli, Paradisi, arcanorum verborum, nihil aliud potest intelligi, quam intuitiva Dei visio. Ergo

Resp. *nego min.* Nam raptus iste contigit antequam scripsisset epistolam ad Timoth. & antequam D. Joann. scripsisset Evangelium; at uterque dicit quod, *nemo vidit Deum unquam*: propositio est generalis, Paulus non se excipit. Ergo in epist. ad Cor. loquitur de revelatione sibi facta in extasi, seu in raptu mirabili, quem, Deo sic volente, passus fuerat, quod suadent tum ista verba sequentia, *ut magnitudo revelationum extollat me*; tum verbum, *audivit*, quo utitur, & quod non ad intuitivam cognitionem, sed ad revelationem pertinet, prout Apost. ipse insinuat verbis immediate antecedentibus, dicens: *Veniam ad visiones, & revelationes Domini. Scio hominem &c.*

*Inst.* Div. Thomas (2. 2. *q.* 175. *art.* 3. *in corp.*) de D. Paulo dicit: *Convenientius dicitur, quod Deum per essentiam vidit*; ergo.

Resp. *nego conseq.* Equidem in ea fuit opinione D. Thom. cum aliquibus aliis Patribus, quam ideo citra errorem defendi posse judicamus; sed aliam, ut probabiliorem, amplectimur, quippe quæ sit & S. Scripturæ conformior, & plurium ex veteribus firmata consensu.

### §. II. *Utrum animæ justorum visione intuitiva nunc fruantur in cœlis.*

*Nota*. Circa hanc quæstionem duo fuerunt errores. *Primus* fuit eorum, qui docuerunt justos, post generalem resurrectionem, per mille annos cum Christo in terris regnaturos, antequam ad visionem Dei in Cœlo reciperentur, hi ideo dicti sunt *Kiliastæ* græce, & *millenarii* latine. Porro millenariorum duplex fuit genus.

*Primum* fuit eorum, qui primo Ecclesiæ sæculo, cum infami Cerintho, docuerunt, Sanctos illum mille annorum spatium in ventris ac libidinis voluptatibus explendis, traducturos.

*Secundum* fuit eorum, quorum aliqui docuerunt, Sanctos per illud spatium, voluptatibus corporeis quidem, sed consuetis ac licitis; alii vero solis animæ spiritualibus deliciis fruituros .... Hujus erroris author II. sæculo, fuit *Papias* Jerapolitanus Episcopus, *vir* quidem *mediocri admodum ingenio præditus* (*Eusebius*, *l.* 3. *cap.* 39.). Sed cum fuisset quondam Joannis Evangelistæ auditor, ut memorant DD. Irenæus, (*lib.* 5. *cap.* 33.) & Hieronym. (*Lib. de viris illustr. cap.* 39.) & esset fama & sanctitate conspicuus, plurimos viros clarissimos in suam opinionem adduxit, inter quos fuere Justinus, Irenæus, Nepos Ægyptius præsul, Lactantius, Severus Sulpitius, & aliquando Augustinus, ut ipsemet candide fatetur, *lib.* 22. *de Civit. Dei*, *cap.* 7. qui tamen non fuerunt hæretici, quia veritas, quam impugnabant, nondum erat ab Ecclesia definita.

*Secundus error* fuit eorum, qui, licet rejecerint terrenum mille annorum regnum, tamen existimarunt neminem ante judicii generalis diem ad visionem Dei introducendum fore. Ita Novatianus, Vigilantius & nonnulli Græci, ut patet ex *Conc. Florent. sess.* 1. In hanc sententiam plus æquo inclinasse videtur Joannes XXII.

In Vigilantii errorem abiere Lutherus, *prælection. in Genes.* Calvinus *l.* 3. *institut. cap.* 25. & Sociniani, *in vindiciis Christianæ confessionis*, *cap.* 25. Contra hos omnes errores sit

### CONCLUSIO I.

*Fabulosa ac delira est millenariorum de regno Christi in terris sententia.* Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Argumentis ex Scriptura deductis. *Primum*, si vera esset millenariorum opinio, regnum Christi esset terrenum, illudque certo quodam tempore, nimirum mille annorum, circumscriptum; atqui ex Scriptura regnum Christi nec est terrenum Joann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*; nec certo quodam tempore circumscriptum, Lucæ 1. *Regni ejus non erit finis*, quem locum Conc. Constantinopolit. I. inseruit symbolo contra Apollinaristas, qui millenariorum sententiam amplexi fuerant; ergo, &c.

*Secundum*, millenarii ex Philastrio Brixiensi (*L. de hæresib. c.* 12. tomo 4. *Bibliot. PP.*) dicunt: *Cum venerit Christus de cœlo, mille anni illi erunt iterum nobis carnaliter ad vivendum, generandum & manducandum, sicut fit nunc in hoc sæculo quotidie*. Atqui nullas post resurrectionem in regno Dei fore corporeas voluptates docet Christus Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*. Ex Apost. Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus*; ergo, &c.

*Prob.* 2. ex Patribus, qui millenariorum placita vocant, *portenta quædam, quæ commentus est Cerinthus* (*Cajus Rom. Ecclesiæ Presbyter apud Euseb.*), *deliram voluptatem* (*Gregor. Nazian. Orat.* 52.), *ridiculas fabulas* (*August. l.* 20. *de Civ. Dei cap.* 7.). Ergo.

*Confirm.* Iis omnibus momentis, quibus sequentem propositionem probabimus, quibus hæresis millenariorum funditus evertetur.

#### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. D. Joann. *in Apoc. c.* 20. annuntiat 1. quod Angelus *ligavit* diabolum *per annos mille* . . . *ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni*.

2. Quod, *qui non adoraverunt bestiam . . . vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis ... hæc est resurrectio prima. Beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.*

3. Prædicit, judicium generale & resurrectionem quæ secunda est; *& dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

℣. Dicit, *& infernus*, id est, damnati, sumit enim continens pro contento, *& mors*, id est, diabolus, qui est causa mortis, *missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.*

Ex his sic argumentantur: in textu allato singula millenariorum capita continentur; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam juxta millenarios, regnum Christi futurum non erat, nisi post generalem corporum resurrectionem: tamen D. Joannes loquitur de regno mille annorum qui præcedent adventum Antichristi, qui regnabit tribus annis & dimidio ante

ante corporum resurrectionem; *& cum consummati fuerint mille anni*, inquit, *solvetur satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes*. Ergo D. Joann. nedum favet millenariis, quin potius eorum fabulam funditus subvertit.

*Inst.* 1. Juxta D. Joann. erit duplex resurrectio. *Prima* erit propria justorum, qui regnabunt per milles annos cum Christo. *Secunda*, quæ consequetur illud intervallum, erit impiorum qui resurgent ad judicium, post quod justi in cœlum ascendent æterna felicitate donandi; impii vero mittentur in infernum ad æterna supplicia; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam sicut D. Joann. duplicem resurrectionem, ita duplicem mortem annuntiat.

*Prima resurrectio*, est animarum quæ in Ecclesia a peccati morte ad vitam gratiæ resurgunt, juxta illud Christi, Joann. 5. *Qui verbum Dei audit, transit a morte ad vitam*, & regnant cum Christo, quare, *Ecclesia, & quæ nunc est, est regnum Christi, regnumque cœlorum*, ait D. Aug. (*L.* 20. *de Civ. Dei c.* 9.)

*Secunda resurrectio* est corporum, quæ simul cum animabus in die judicii resurgent ad perfectam & consummatam gloriam . . . . Hoc delucide exponit D. August. cit. c. 6. „ Sunt resurrectiones duæ, *inquit*, una prima quæ & nunc est, & animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam. Alia secunda, quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est, quæ per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem ".

*Prima mors* ex opposito, est privatio gratiæ pro vivis, & solius animæ damnatio pro defunctis reprobis.

*Secunda mors* est damnatio animæ & corporis, post carnis resurrectionem, rursus punitorum, ait *D. Aug. cap.* 9.

*Inst.* 2. Quod Div. Joann. docet de regno Christi, non potest intelligi de tempore præsentis Ecclesiæ; ergo, &c.

*Prob. ant.* Juxta D. Joann. 1. Toto tempore illius regni, draco ligabitur; atqui quotidie hominibus insidiatur. 2. Tempus illius regni ad mille annos restringitur; atqui Ecclesia ab annis 1763. durat. 3. Animæ decollatorum, propter testimonium Jesu, pertinebunt ad illud regnum; atqui non sunt amplius de Ecclesia; ergo.

*Resp. ad* 1. *dist. ant.* Draco est ligatus, quatenus, per mortem Christi, ejus vires depressæ sunt, & extenuatæ, *conc.* hoc significavit Christus *Joann.* 12. dicens: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Quatenus insidias hominibus struere amplius non potest, *nego*. Adhuc enim *latrare potest, sollicitare potest*, ait Div. August. serm. 197. de tempor. *mordere omnino non potest, nisi volentem*.

*Resp. ad* 2. *dist. maj.* Tempus illius regni restringitur ad mille annos sumptos indefinite, pro toto illo tempore quod a morte Christi, ad diem usque judicii, vel (ut alii volunt) ad adventum Antichristi intercedit, *conc.* sumptos definite, *nego*. Itaque, *mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit*, ait Aug. loco cit. *ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo*, quæ per millenarium numerum solet explicari in Scriptura; v. g. Jerem. 32. *Ego Dominus faciens misericordiam in millibus his qui diligunt præcepta mea*: id est, in omnibus.

*Resp. ad* 3. *nego min.* cum D. Aug. ibidem: „ neque enim, *ait*, piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc est regnum Christi ... regnant cum illo "; per gloriam essentialem, dum isti mille anni, primæ resurrectionis, *decurrunt*.

*Objicies* 2. Christus, *Matth.* 5. dicit: „ Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur ". Atqui non saturabuntur, nisi in terrestri regno mille annorum; ergo.

*Resp. nego min.* Neque enim Christus loquitur de saturitate ventris & veneris, ut fabulabantur millenarii; sed de cœlesti plane saturitate gloriæ Dei, juxta illud, *satiabor cum apparuerit gloria tua*.

*Inst.* Atqui Christus loquitur de saturitate voluptatum corporis; ergo. *Prob.* Matth. 26. Christus dicit: „ Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei "; ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam in illo textu *vinum* sumitur proprie, vel metaphorice; *si proprie*, per *regnum*, intelligi debet tempus quod subsecutum est ejus resurrectionem, quo tempore cum discipulis suis manducavit & bibit in signum suæ veræ resurrectionis, juxta illud D. Petri Act. 10. *Manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*. Illud autem tempus esse regnum Christi, declarat ipse, Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, quam tunc exercere incæpit . . . *si metaphorice*, per *vinum*, intelliguntur spirituales beatitudinis æternæ deliciæ, quas cum suis erat aliquando communicaturus, juxta illud Lucæ 22. „ Ego dispono vobis . . . ut edatis & bibatis super mensam in regno meo, & sedeatis super thronos, &c.

## CONCLUSIO II.

*Animæ justorum, quibus nihil superest expiandum, statim post mortem, ad claram Dei visionem in cœlum admittuntur.*

*Prob.* Est de fide, in Conc. Florent. sess. 25. *in definitione fidei*, cui Latini pariter & Græci subscripsere, definita his verbis: „ Definimus illorum animas, qui post baptisma receptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare Deum unum & trinum sicuti est ".

*Prob.* 1. Ex Script. 2. *Cor.* 5. „ Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ in cœlo est superindui cupientes ". Decretorium est illud testimonium, ex quo sic argumentor: Apostolus per *domum habitationis hujus*, intelligit corpus mortale, per *domum æternam*, intelligit visionem Dei intuitivam; atqui domum illam æternam docet nos habituros post dissolutionem domus *habitationis hujus*, & quidem statim, alioquin in hoc frustra ingemisceremus, visionem illam superindui cupientes, si usque ad diem judicii illa visio esset procrastinanda; ergo, &c.

*Confirmatur*, ex verbis sequentibus: *Scientes*, inquit, *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (per fidem enim ambulamus, &*

non

*non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum, & ut jam non per fidem ambulemus, sed per speciem.* Unde sic arguo: Apostolus distinguit statum eorum qui adhuc sunt in corpore, a statu eorum qui peregrinantur a corpore, in hoc quod primi Deum duntaxat per fidem videant, secundi vero præsentes sint ad Dominum, quem vident per speciem, seu intuitive; atqui homo statim a morte peregrinatur a corpore; ergo, si nihil ipsi expiandum superest, statim fruitur intuitiva Dei visione.

*Prob.* 2. D. Clem. Rom. (*Epist.* 1. *ad Corinth.*), *Petrus*, inquit, *martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum ... Paulus patientiæ præmium obtinuit . . . his viris, qui divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens electorum multitudo.* Atqui locus gloriæ, & virtutis præmium nihil aliud sunt, quam visio Dei intuitiva; ergo jam eam possident.

S. Ignatius Martyr (*Epist. ad Trallianos*) ipsos, cum esset in vinculis, sic alloquitur: *Salutat vos Spiritus meus, non modo nunc, sed ubi Deum nactus fuero, nam etiamnum in periculo*, mortis, *versor*. Ergo ipsi persuasum erat, se statim a morte Deo fruiturum.

Clem. Alex. (*l.* 5. *Strom.*) scribit: *Clarum est neminem unquam vitæ tempore posse Deum evidenter comprehendere; qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam ad extremum finem pervenerint*, quid clarius?

S. Cyprian. (*Exhort. ad martyrium versus finem*) *Quanta securitas*, inquit . . . *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim ut Deus videatur & Christus . . . sine damno temporis merces, judice Deo, redditur*. Ergo *statim, & sine damno temporis*, justi visione beatifica donabuntur.

*Prob.* 3. *ratione*. Deus, cujus *miserationes super omnia opera ejus*, promptior est ad remunerandum, quam ad puniendum; atqui animæ impiorum statim detruduntur ad inferos, Job 21. *in puncto ad inferna descendunt*. Ergo animæ justorum, quibus statim nihil superest luendum, ad claram Dei visionem admittuntur.

*Confirm.* Per sinum Abrahæ intelligitur ab omnibus Patribus & Theologis æterna felicitas: atqui ex Luc. 16. *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ, mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno*. Ergo, &c. unde Pater Abraham dixit diviti: *Hic consolatur, tu vero cruciaris*.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. S. Joann. *Apoc.* 6. dicit se vidisse, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*. Atqui animæ quæ sunt subtus altare, non sunt in cœlis; ergo.

*Resp. nego min.* Nam quidquid intellexerint nomine *altaris*, certum est animas illas in cœlis esse, & beata Dei visione frui: nam infra dicitur, *illis*, *animabus, datæ sunt singulæ stolæ albæ*. Atqui per stolas albas intelligitur æterna felicitas; ergo, &c.

*Inst.* 1. Illæ animæ non fruuntur æterna felicitate, quibus gloriam postulantibus responsum est, ut mundi finem expectarent; atqui animabus Martyrum gloriam postulantibus responsum est, *ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*. Ergo.

*Resp. dist. maj.* Postulantibus gloriam animæ, *conc.* gloriam corporis, *nego maj.* Atqui illæ animæ postulant gloriam corporis, *conc.* gloriam animæ, *nego min.* Itaque animæ illæ, jam una stola, hoc est, animæ felicitate, donatæ, gloriam corporis postulant, quæ dicitur non esse ante mundi finem concedenda.

*Inst.* 2. Apostol. *Hebr.* 11. de justis veteris Testamenti dicit: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Ergo non accipient æternam beatitudinem, nisi cum omnibus justis.

*Resp. dist. conseq.* Non accipient beatitudinem completam, corporis scilicet & animæ, *conc.* incompletam animæ, *nego conseq.* Hanc enim acceperunt post Christi adventum, quando ascendens in Cœlum, *captivam duxit captivitatem* (*Ephes.* 4. *v.* 8.): in quo Deus aliquid melius providit pro nobis, quibus statim a morte, si nihil expiandum supersit, patet aditus in cœlum.

*Inst.* 3. Atqui in ultimo duntaxat judicio patebit nobis aditus in cœlum; ergo, &c.

*Prob.* In ultimo duntaxat judicio patebit nobis aditus in cœlum; ergo, &c. *Prob.* in ultimo dumtaxat judicio electis dicet Christus, *Matt.* 25. *Possidete paratum vobis regnum*; ergo, &c.

*Resp. dist. consq.* In ult. duntaxat judicio, nobis, cum corporibus resumptis, patebit aditus in cœlum, *conc.* sine corporibus, *nego*. Ibi enim Christus loquitur de beatitudine completa, tum corporis, tum animæ, qua electi post ultimum judicium donabuntur.

*Inst.* 4. Matth. 20. Pater familias non solvit denarium diurnum, nisi ad vesperam; atqui per *denarium* intelligitur æterna felicitas, & per *vesperam* intelligitur finis mundi; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Per denarium intelligitur æterna felicitas completa, *conc.* incompleta solius animæ, *nego min.* neque ita interpretatur S. Aug. *Serm.* 87. *de verbis Domini*, ubi felicitatem completam vocat, *felicitatem resurrectionis*.

*Objicies* 2. SS. Patres justorum felicitatem ad ultimum usque judicii diem protrahunt; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Exceptis enim paucis, qui Papiæ adhæserunt, reliqui asseruerunt, animas justorum statim post mortem in cœlis regnare.

*Prob.* 2. D. Ambros. (*De Cain*, *l.* 2. *cap.* 2.) dicit: *solvitur corpore anima, & post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Anima futuri judicii ambiguo suspenditur, eo quod hujus judicii diem ignoret, & nesciat quandonam corpus resumptura est, *conc.* eo quod nondum æterna felicitate gaudeat, *nego*. Sic intelligendum esse D. Ambrosium probat quod dicit ad Thessalonicenses de eorum Episcopo defuncto: *Est jam*, inquit (*Epist.* 15. *ad Thessalon.*), *superiorum incola, possessor æternæ illius Jerusalem, quæ in cœlo est*. Et Orat. de Valentiniano ait: *Vita jam fruitur æterna.*

*Inst.*

*Inst.* Idem, *l. de bono mortis, cap.* 10. ait: *Deum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam, alias manet pœna, alias gloria.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Expectant remunerationem completam per glorificationem corporis, *conc.* incompletam animæ, *nego*, addit enim, *nam & illæ, quas manet pœna, videntes servantibus legem Dei repositam esse mercedem gloriæ, erubescunt in conspectu ejus* (Dei) *venire.*

*Objicies* 3. Div. Chrysost. (*Hom.* 39. *in Epist. ad Cor.*) *Anima*, inquit .... *absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut neque punietur.* Ergo censet animam minime beati ante carnis resurrectionem.

Resp. *nego conseq.* Sensus enim D. Doctoris est, animam solam non esse beatificandam, sed etiam corpus, cum utrumque salutem operatum fuerit; idque asserit tanquam medium ad probandum resurrectionem, de qua totus est ille Sermo D. Chrysostomi, qui, Hom. 3. ad Philipp. *ait:* „ Justi, sive in hoc, sive in futuro sæculo fuerint, cum Rege sunt; illic tamen magis & proprius, non per accessum & fidem, sed facie ad faciem. ".

*Objicies* 4. Hilarius, in Psalm. 138. *in hæc verba*, si descendero in infernum, ades, *ait:* „ Humanæ ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus, ad inferos animæ descendant. " Ergo non statim ascendunt in cœlum.

*Respondent multi*, D. Hilarium locutum fuisse de Sanctis veteris Testamenti, qua missa responsione, magis ad mentem D. Hilarii.

Resp. *dist. ant.* Descendunt ad inferos transeuntes, *conc.* ut ibi remaneant ad diem usque judicii, *nego ant.* Itaque D. Hilarius cum Tertulliano (*L. de Anima, cap.* 55.) existimavit omnium defunctorum animas ad inferos descendere, ad imitationem Christi, qui, ut ait, hanc *descensionem ad consummationem veri hominis non recusavit*, sed sicut Christus cœlum statim ascendit, ita & animæ plene purgatæ.

*Inst.* Idem, *in Psalm.* 120. ait: „ Exeuntes de corpore ad introitum illius regni cœlestis ..... fideles omnes reservabuntur in sinu Abrahæ interim collocati .... quo usque introeundi rursum in regnum cœlorum tempus adveniat. " Ergo usque ad judicium universale in sinu Abrahæ reservabuntur, sed nondum in regnum cœlorum.

Resp. *nego conseq.* Nam per sinum Abrahæ, intelligit regnum cœlorum, ut constat ex hac ejus in Psalm. 2. enarratione: „ Testes nobis sunt Evangelii dives & pauper, quorum unum Angeli in sedibus beatorum, & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit .... nihil illic dilationis, aut moræ est. Judicii enim (*particularis*) dies, vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ. "

*Objicies* 5. Div. August. *Serm.* 299. docet omnes Sanctos per resurrectionem sabbatizaturos in terra cum Christo, antequam in cœlum admittantur, & *sabbatizabunt sancti & justi Dei.* Ergo.

Resp. Fateor D. August. initio Sacerdotii in opinione millenariorum fuisse versatum, ut ipsemet fatetur, *lib.* 2. *de Civit. Dei, cap.* 9. verum brevi postea istam opinionem exuit, & constanter exinde docuit, animas statim a morte, clara Dei visione potiri; nam in Psalm. 119. ait: *Ibi*, in cœlesti Jerusalem, *omnes justi & sancti sunt, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris. Quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei, illi cernunt.*

*Inst.* D. August. *lib.* 1. *retract.* quem sub finem vitæ scripsit, *cap.* 14. recognoscens librum *de utilitate credendi*, hæc sua de mortuis verba, *Sunt jam in ipsa possessione*, ita emendat: *Quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in illa possessione, quo ducit hæc via, magna quæstio est; & Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla magna quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quæritur.* Ergo negat animas jam beatitudine gaudere.

Resp. *dist. conseq.* Negat animas jam beatitudine gaudere, quoad certum perfectionis gradum, *conc.* quoad substantiam, *nego*. Itaque pro certo D. Aug. statuit animas justorum videre jam Deum, sed quæstionem movet duntaxat, utrum non minus perfecte jam videant, quam post resurrectionem visuræ sint, addit enim: „ Utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem nihil ex hoc, (quod adhuc expectant redemptionem corporis sui) minus habeant, non hic locus est disputando inquirere ". Quod alibi (*L. de Genes. ad litter. c.* 35.) solvit his verbis: „ Minime disputandum est, hominis mentem post mortem, carne deposita .... non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corporis administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat ". Non dubitavit ergo de concessione visionis beatificæ, sed de illius visionis qualitate, num futura sit perfectior post resurrectionem, sive intensive & quoad gradus, sive, quod probabilius est, extensive propter gaudium quod in ipsum corpus refundetur.

*Objicies* 6. Div. Bernardus non existimavit Sanctos frui jam nunc beatitudine; ergo.

*Prob. ant.* Serm. 2. de Sanctis, docet Sanctos nunc esse *sub altari & non supra*, ex quo concludit: „ adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus dominici, & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia, cum vultu suo ". Ergo existimavit animas justorum nondum frui Dei visione.

Resp. *dist. conseq.* Nondum frui Dei visione perfecta & completa, *conc.* imperfecta & incompleta, *nego*. Itaque in ea fuit sententia, animas a corpore separatas, propter suum in corpora pondus, non tam esse expeditas ad Dei visionem, & consequenter minus intensive ipsas Deum videre, quam ubi naturalis ad corpus appetitus post resurrectionem, expletus fuerit: *adeo viget in eis desiderium hoc naturale*, ait Serm. 3. de Sanctis, *ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum.*

*Inst.* Idem, Serm. 4. ait: *Quoniam igitur modo*

super

*super altare dixerim exaltandos eos qui nunc sub altari quiescunt?* Respondet, *visione utique & contemplatione*. Ergo nondum vident Deum.

Resp. *dist. conseq.* Nondum vident æque perfecte & intense, ac videbunt, resumptis corporibus, *conc.* nondum vident absolute, *nego*. Ait enim, *Serm.* 2. de S. Victore: *Jam cælos ingressus . . . vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei .... beata visio, qua in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu*.

*Inst.* 2. Serm. 3. de Sanctis, ait: *In illam beatissimam* (Dei) *domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis*. Atqui qui non sunt in domo Dei, nondum vident Deum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non intrabunt sine nobis in domum Dei, cum completa animæ & corporis felicitate, *conc.* cum felicitate incompleta animæ, *nego maj.* Sese explicat B. Pater eodem sermone dicens: *acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos ... stola enim prima, ipsa est, quam diximus, felicitas & requies animarum, secunda vero immortalitas & gloria corporum*. Ac Sermon. de S. Victore, *Non est terra oblivionis*, inquit, *quam anima Victoris inhabitat; non est terra laboris ... non denique terra, sed cælum est*. Hæc de sana Div. Bernardi doctrina nullum relinquunt dubitandi locum.

*Objicies* 7. In Can. Missæ, Ecclesia generatim pro omnibus defunctis Deum precatur, ut *ipsis & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis indulgeat*. Ergo supponit ipsos nondum frui visione beatifica.

Resp. *dist. ant.* Pro omnibus, qui habent aliquid luendum, *conc.* pro omnibus, etiamsi plene sint purgati, *nego*. Est ergo sensus Ecclesiæ & fidelium orare pro animabus Purgatorii, quæ cum obierint in caritate, dicuntur dormire in somno pacis, & in Christo quiescere.

*Inst.* Ecclesia sic orat pro defunctis; „ Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, " &c. Ergo supponit eas animas nondum judicatas esse, earumque sortem adhuc in suspenso esse.

Resp. *nego conseq.* Ecclesia enim sic orat, quia repræsentat illas animas, quasi tunc migrarent e corpore, & in periculo essent subeundi judicii, *quia commemorat, & repræsentat diem depositionis seu obitus:* ait Bellarm. (*Lib.* 2. *de Purgat. cap.* 5.) quemadmodum in festo Nativitatis repræsentat Christum nascentem, & in adventu quasi jamjam nasciturum, dicens, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum*, &c.

*Objicies* 8. Joann. XXII. S. P. definivit Sanctos nonnisi post extremi judicii diem, esse Deum visuros. Ergo.

Resp. *nego ant.* Licet enim Joann. XXII. tanquam doctor privatus docuerit animas Sanctorum non esse visuras Deum intuitive ante generalis judicii diem, nihil tamen super ea re definiit, quod multis momentis potest probari.

1. Quia Galliarum Episcopi, a rege in castrum Vincennarum coacti, declararunt Joann. XXII. nihil unquam ea de re publico diplomate definisse: illius testimonii authenticum instrumentum asservatur apud PP. Dominicanos Parisienses.

2. Quia idipsum Joann. XXII. testatur, revocando suam priorem opinionem sub hac forma (*Apud Rainaldum ad an.* 1336. *n.* 37.), „ Fatemur & credimus, quod animæ purgatæ separatæ a corporibus, sunt in cœlo & cum Christo, in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum & divinam essentiam facie ad faciem clare in quantum status & conditio animæ separatæ patitur. Si vero alia, vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt . . . illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus recitando & conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo . . . . insuper . . . . illa habemus & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, & ea revocamus expresse . . . & ea submittimus Ecclesiæ determinationi & successorum nostrorum. " Hæc verba continentur in diplomate dato Avenione ann. 1334. tertio nonas Decembris, Pontificatus ann. 19. & ultimo. Cum autem propter ejus mortem illud diploma non fuisset Bulla Pontificia munitum, ideo ejus successor Benedictus XII. ut omnes sinistræ formæ prædecessoris sui maculas abstergeret, illud promulgavit anno sequenti *in extravag.* quæ incipit, *Benedictus Deus*.

Momenta quæ ex Gersone, Ochamo, Calvino, opponuntur, probant quidem Joann. XXII. plus æquo in eam inclinasse sententiam, quæ Sanctis visionem intuitivam denegat ante corporum resurrectionem; sed nullum probat illam sententiam ab eo, aliqua constitutione, fuisse definitam.

## ARTICULUS III.

### *De principiis effectivis visionis Dei intuitivæ.*

*Nota*. Multa hic congerunt Scholastici. 1. Utrum in visione beatifica admittenda sit ex parte objecti illius visionis, species impressa, quæ divinam essentiam repræsentet. 2. Utrum intellectus, videndo Deum, producat speciem expressam essentiæ divinæ, &c. Verum, cum hæ quæstiones sint mere philosophicæ, & Theologo inutiles, eas Philosophis tractandas remittimus, ut de indubitato visionis intuitivæ principio, nempe de lumine gloriæ, disseramus variis quæstiunculis.

Quæres 1. *Quid sit lumen gloriæ?*

Resp. Est *habitus supernaturalis, quo mens creata elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam*.

Dicitur 1. *habitus*; quia est qualitas fixa, & permanens, extrinsecus adveniens intellectui creato, ipsumque corroborans ad operandum simpliciter, nempe ad eliciendam visionem.

Dicitur 2. *supernaturalis*, quia solis naturæ viribus haberi nequit.

Dicitur 3. *Quo mens humana elevatur ad eliciendam*, &c. ut designetur præcipuum ejus munus, & officium, quod est conferre intellectui vim supernaturalem ad visionem Dei eliciendam, & ad hanc cum illo effective concurrere, eo fere modo, quo habitus fidei, spei, & caritatis animam juvant & roborant ad actus earumdem virtutum producendos; ex quo

Re-

*Resolves*, lumen gloriæ habere rationem concausæ connaturalis respectu visionis beatificæ, quia cum intellectu, quod elevat, concurrit efficienter ad visionem beatificam, & quidem connaturaliter quia intellectui inhæret tanquam illius complementum; unde illa visio immediate producitur ab intellectu lumine gloriæ instructo.

Quæres 2. *Utrum lumen gloriæ necessarium sit ad Deum intuitive videndum?*

Resp. ***Lumen gloriæ, juxta viam Dei ordinariam, necessarium est cuilibet intellectui creato, ad Deum intuitive videndum.*** Responsio est de fide definita in Concilio Viennensi contra Beguardos, & Beguinas, qui docebant *animam non indigere lumine gloriæ ad Deum videndum*. Tamen illud lumen esse potius auxilium habituale, quam actuale, non est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Atqui visio Dei intuitiva designatur per illa verba, ut colligitur ex versu præcedenti, *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ergo.

*Prob.* 2. *ratione.* Omnis facultas, quæ solis naturæ viribus est insufficiens, & improportionata ad aliquem actum eliciendum, indiget ad id corroborari & elevari; *atqui* intellectus creatus est insufficiens, & improportionatus ad intuitivam Dei visionem eliciendam, quia intuitiva Dei visio, est ordinis supernaturalis; *ergo* indiget ad id per aliquod auxilium supernaturale elevari; atqui illud auxilium est lumen gloriæ; ergo.

*Objicies* 1. Lumen gloriæ non est necessarium ad visionem Dei eliciendam; ergo.

*Prob. ant.* Si lumen gloriæ sit necessarium, vel ex parte essentiæ divinæ, vel ex parte intellectus creati; atqui neutrum dici potest; ergo.

Resp. *nego min.* Nam necessarium est ex parte intellectus creati, qui, cum ex se sit insufficiens ad claram Dei visionem, debet elevari & compleri per aliquid ipsi superadditum, illud autem est lumen gloriæ; ergo.

*Inst.* 1. Omnis facultas potest per se, & sine ullo addito attingere suum objectum; atqui Deus, utpote summe cognoscibilis, est objectum intellectus creati; ergo.

Resp. *dist. maj.* Potest per se, & sine addito attingere suum objectum, sibi proportionatum, *conc.* sibi improportionatum, *nego*. Porro Deus intuitive videndus est objectum intellectus supernaturale; ergo non potest illud solis naturæ viribus attingere.

*Inst.* 2. Atqui lumen gloriæ, intellectum nequit Deo proportionatum reddere; ergo nulla solutio.

Resp. *dist. min.* Nequit reddere intellectum Deo proportionatum, proportione entitatis, *conc.* proportione habitudinis, *nego ant.* Jam responsionem explicavimus.

*Objicies* 2. Si lumen gloriæ sit principium effectivum visionis beatificæ, intellectus erit tantum causa instrumentalis illius visionis; absurdum consequens: ergo, &c.

Resp. *nego sequel. major.* Nam tum intellectus, tum lumen gloriæ, sunt principia effectiva visionis Dei, nec unum recipit suam agendi virtutem ab alio; quippe illa duo conjuncta, efficiunt unicum visionis beatificæ principium.

*Inst.* Quod agit duntaxat per potentiam obedientialem, habet rationem causæ instrumentalis, ut aqua in baptismo; atqui si requiratur lumen gloriæ, intellectus aget duntaxat per potentiam obedientialem; ergo.

Resp. *nego min.* Intellectus enim elicit visionem per virtutem sibi propriam & innatam, elevatam tamen per lumen gloriæ, sine quo non posset actionem supernaturalem elicere, ex quo patet quod non agat per virtutem mere obedientialem.

Dixi in Resp. *Juxta viam Dei ordinariam*; quia lumen gloriæ non est ita necessarium, quin per uberiorem quemdam & supernaturalem Dei concursum, intellectus elevari possit ad videndum intuitive Deum, absque illo lumine intrinseco, sive permanente, sive transeunte. *Ratio* est; quia Deus cum omnem causæ efficientis virtutem eminenter contineat, potest per se supplere omnem causæ efficientis influxum non vitalem, sic potest producere calorem sine igne; atqui influxus luminis gloriæ non est vitalis, cum sit intellectui extrinsecus; ergo.

*Nec dicas*, Principium internum actionis vitalis nullo Dei concursu potest suppleri; atqui lumen gloriæ est principium actionis vitalis internum; ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Principium actionis vitalis, quatenus vitalis, non potest suppleri, *conc.* quatenus supernaturalis, *nego*. Porro lumen gloriæ non est principium actionis vitalis qua vitalis, nam quidquid est vitale in visione beatifica est a principio vitali intrinseco: at lumen gloriæ est a principio, seu causa extrinseca, nempe a Deo; ergo.

Quæres 3. *Utrum lumen gloriæ possit alicui creaturæ esse connaturale?* seu, *utrum Deus possit creare substantiam supernaturalem, quæ sine lumine gloriæ possit per proprias vires naturales videre Deum intuitive?*

Resp. *negative*. Nam creatura, quæ visione beatifica donatur, est necessario beata & impeccabilis; atqui nulla creatura potest sua propria natura esse beata & impeccabilis; ergo. *Prob. prima pars min.* Ex Div. August. (*L.* 12. *de Civit. Dei*, *cap.* 1.) *Quamvis non omnis beata possit esse creatura*, inquit, *ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est*. Atqui creatura quælibet possibilis, ex nihilo est; ergo.

*Prob. secunda pars min.* Ex eodem Aug. (*L.* 14. *de Trinit. cap.* 12.) dicente: *Quamquam magna natura sit, vitiari tamen potuit, quia summa non est*. Atqui nulla creatura potest creari, quæ *summa* sit; alias essent duo summa, quod implicat contradictionem, ut probatum est *dissertat. de unitate Dei*; ergo.

*Dices:* Datur accidens supernaturale, v. gr. fides, spes, caritas; ergo potest etiam dari substantia supernaturalis.

*Inst. nego conseq.* Disparitas est, quod accidens supernaturale, etsi tendat ad Deum, vel videndum vel amandum, &c. non tamen ejusdem sit cum ipso substantiæ, quia non est propter se, sed propter aliud quod perficit, unde destinari potest a Deo ad ordinem supernaturalem, & sic potest in entitate sua esse supernaturale. *E contra*, si daretur substantia supernaturalis, quæ ex se beata foret & impeccabilis, esset ejusdem cum Deo substantiæ, quia omnis substantia est propter se, nec quidquam exigere potest, nisi quod naturale est;

atqui si daretur substantia quæ exigeret beatitudinem & impeccabilitatem tanquam quid sibi naturale, esset ejusdem cum Deo substantiæ; ergo si daretur substantia supernaturalis, esset ejusdem cum Deo substantiæ; ergo Deus; ergo plures essent dii, quod implicat.

*Inst.* 1. Caritas erat connaturalis Christo; ergo natura creata potest exigere accidens supernaturale, tanquam quid sibi connaturale & debitum.

Resp. *dist. ant.* Erat connaturalis Christo ratione Verbi divini, *conc.* ratione humanitatis, *nego*.

*Inst.* 2. Intellectus creatus, simul cum lumine gloriæ esset ens finitum: ergo a Deo potest creari.

Resp. *nego conseq.* Neque enim Deus potest facere id omne quod finitum est, quando illud implicat, sic non potest facere creaturam a se omnino independentem.

*Inst.* 3. Visio Dei, est actio vitalis; atqui omnis actio vitalis est connaturalis facultati vitali; ergo visio Dei est connaturalis intellectui creato.

Resp. *dist. min.* Actio vitalis, quatenus vitalis, est connaturalis facultati vitali, *conc.* quatenus supernaturalis, *nego min.* Sic enim omnem exigentiam facultatis creatæ & creabilis superat; ergo ipsi est supernaturalis; nam omne quod est supra exigentiam naturæ, supernaturale est.

## ARTICULUS IV.

### *De objecto intuitivæ Dei visionis.*

*Nota.* Duplex est objectum intuitivæ Dei visionis, nempe *Primarium*, quod primo, per se, & immediate videtur, & in quo cætera videntur, talis est Deus. *Secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem, nisi accidentaliter, cujusmodi sunt creaturæ. De utroque objecto disseremus duobus paragraphis; quibus addemus tertium, nempe de modo, quo creaturæ videntur in Deo.

### §. I. *De primario visionis intuitivæ objecto.*

*Certum est*, 1. Quod beati videant Deum & omnia quæ sunt in Deo formaliter, sive sint absoluta, sive relativa, tam ea quæ dicunt ordinem unius personæ divinæ ad aliam, quam ea quæ dicunt ordinem ad creaturas, licet hæc ultima non videant, nisi secundum primarias suas & generales rationes. Nam beati vident Deum ut est in se, facie ad faciem; atqui non possunt videre Deum ut est in se, facie ad faciem, quin videant omnia quæ sunt in Deo intrinsece & formaliter; ergo.

*Dixi*, attributa quæ dicunt ordinem ad creaturas, non videri *nisi secundum primarias & generales rationes*, non vero quoad secundarias, & speciales, hoc est, secundum respectus omnes, quos attributa dicunt ad creaturas; atque ita, visa omnipotentia Dei, videtur generatim ejus objectum, nempe ens possibile, sed non videntur singula entia, ad quæ extendi potest Dei omnipotentia. Similiter visa Dei scientia, non videntur omnia divinæ scientiæ arcana & consilia; hæc enim sunt libera in Deo, & ab eo pro arbitrio absconduntur, aut revelantur beatis.

*Certum est* 2. Quod beati videant clare omnia fidei mysteria, quorum fidem in terris habuerunt. Nam ex Apostol. 1. *Cor.* 13. in cœlis videbimus *facie ad faciem* quæ hic in terris videmus *per speculum & in ænigmate;* atqui omnia mysteria fidei hic videmus per speculum, & in ænigmate; ergo. Unde D. Aug. (*Lect.* 20. *de Civit. Dei*, cap. 21.) ait: *hic creditis*, *ibi videbitis*.

Restat ergo videndum, utrum intuitive videri possit essentia divina sine attributis, & una persona sine alia. Affirmant Scotistæ, negant omnes alii Teologi cum D. Thom. 2. 2. q. 2. *art.* 8. *ad* 3., cum quibus sit

## CONCLUSIO.

*Essentia Dei, etiam de potentia absoluta, non potest videri sine attributis, nec una persona sine alia.*

*Prob.* 1. Ex Script. Joann. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, inquit Christus, *quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* quo sic argumentor: Christus docet, quod qui videt Filium, videt etiam Patrem, eo quod sint idem in essentia; atqui omnia attributa, tum absoluta, tum relativa, sunt idem cum essentia, Deus enim est simplicissimus; ergo non potest unum ex illis videri sine alio. Quare D. August. *in Psalm.* 85. post relata illa Joannis verba, ait: „ Videtis quia in visione Patris, & Filii visio est, & in visione Filii, & Patris visio est. Ideo consequenter subjecit & dixit: Nescitis quia ego in Patre & Pater in me est? Id est, & me viso, videtur & Pater, & Patre viso, videtur & Filius; Patris & Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura & substantia, visio separari non potest. “

*Prob.* 2. *ratione:* Ens maxime simplex, non potest videri intuitive, non visis iis quæ sunt de ipsius entitate & natura, hoc enim implicat; atqui Deus est ens maxime simplex; ergo non potest videri, non visis iis quæ sunt de ejus entitate; atqui omnia ejus attributa, omnesque SS. Trinitatis personæ, sunt de ejus entitate; ergo non potest videri intuitive, quin simul videantur omnia attributa, omnesque SS. Trinitatis personæ.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quod ab alio virtualiter distinguitur, potest sine illo videri; atqui essentia divina virtualiter distinguitur ab attributis & personis; ergo, &c. *Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Quod virtualiter distinguitur ab alio, potest absque eo terminare actum intellectus; ergo quod ab alio virtualiter distinguitur, potest absque eo videri.

Resp. *dist. ant.* Potest terminare actum intellectus abstrahentis, *conc.* intuitive videntis, *nego ant.* Ratio est, quia visio intuitiva terminatur ad Deum ut in se est, non ut per mentem una perfectio abstrahitur ab alia; atqui Deus, utpote simplicissimus, non potest videri, ut in se est, quin videatur totus, ac proinde, si quid ejus non videretur, neque ejus videretur quidquam, quia totus ipse est, quidquid est illius.

*Inst.* 1. Distinctio virtualis sufficit, ut communicetur

nicetur Filio essentia, non communicata paternitate; ergo sufficere potest, ut essentia videri possit, non visa paternitate.

Resp. *dist. ant.* Non communicata paternitate immediate, *conc.* mediate, *nego ant.* Equidem cum Pater non communicet naturam divinam Filio secundum omnem modum, quo se habet, id est, ut formaliter subsistentem paternitate, inde est quod ipsi non communicet paternitatem immediate; verum, cum personæ, ob unitatem naturæ in qua identificantur, sint in se invicem, sequitur quod dum immediate communicatur essentia, personæ mediate saltem sibi invicem communicentur; ex quo patet objectionem nobis favere potius, quam obesse, cum ostendat non posse per visionem attingi essentiam, quin persona attingatur.

*Inst.* 2. Objectum primarium visionis beatificæ potest videri sine objecto secundario: atqui essentia est objectum primarium visionis beatificæ, personæ vero & attributa sunt de objecto secundario; ergo &c.

Resp. 1. *dist. maj.* Objectum primarium potest videri sine secundario, quando sunt objecta distincta, *conc.* quando sunt objecta sibi invicem identificata, *nego maj.* atqui personæ & attributa sunt quid realiter idem cum essentia divina.

Resp. 2. *nego min.* Nam quidquid realiter Deus est, pertinet ad objectum primarium visionis beatificæ; atqui personæ & attributa sunt realiter Deus; ergo, &c.

*Inst.* 3. Deus liber est in concedenda sui clara visione; ergo potest clare manifestare essentiam sine attributis, & unum attributum sine alio.

Resp. *dist. ant.* Liber est absolute, quatenus potest se ad videndum exhibere, vel non exhibere, *conc.* liber est hypothetice, *nego antec.* Ex hypothesi enim, quod se clare videndum exhibeat, non potest manifestare essentiam, non manifestatis iis quæ realiter identificantur cum essentia divina; unde non est liber quoad modum applicandæ essentiæ.

*Inst.* 4. Deus tam liber est in modo applicandæ suæ essentiæ, scilicet absque attributis, quam sit liber in applicatione suæ essentiæ clarius, & clarius cognoscendæ; atqui in hoc liber est; ergo.

Resp. *nego maj.* Disparitas est, quod applicatio posterior non impedit quominus Deus videatur totus, licet impediat quominus videatur quantum est visibilis; & prior applicatio faceret ne tota videretur entitas Dei, & consequenter nullatenus videretur, nam objectum simplicissimum, quando non videtur totum, nullatenus videtur.

*Objicies* 2. Ea possunt intuitive videri sine se invicem, quæ a se invicem realiter distinguuntur; atqui personæ divinæ a se invicem realiter distinguuntur; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Si non identificentur cum alio quod videtur, *conc.* si identificentur, *nego maj.* Porro personæ divinæ, licet realiter a se invicem distinctæ, tamen identificantur cum essentia divina, ac proinde una persona non potest videri sicuti est, id est, prout est quid unum cum essentia, quin pariter videantur aliæ personæ, quæ similiter sunt quid unum cum essentia.

*Inst.* Tam una persona potest videri sine alia, quam non potuit incarnari sine alia; atqui una persona potuit incarnari sine alia; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Disparitas est, quod non necesse sit, ut res, quæ alicui unitur, vel aliquid terminat, ei uniatur, vel illud terminet adæquate, hoc est, secundum id omne quod est idem cum ipsa: unde Verbum potuit uniri humanitati, qui quamvis id omne quod est idem cum essentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, id est, licet unaquæque persona propriam suam substantiam humanitati non univerit; contra visio objecti non potest esse intuitiva, quin objectum adæquate attingat, id est, secundum omnia quæ sunt ejusdem cum ipso naturæ.

*Subsumes*, Atqui ad visionem intuitivam non requiritur, ut omnia, quæ sunt in objecto, videantur; ergo.

*Prob. subs.* Qui videt aliquem a longe venientem, videt illum sub ratione viventis, sed non discernit, an sit homo, vel brutum; atqui illa visio est intuitiva; ergo.

Resp. *dist. min.* Illa visio est intuitiva imperfecte, *conc.* perfecte, *nego min.* Porro, licet ad visionem intuitivam imperfectam, qualis est visio corporea, non requiratur ut omnia quæ sunt in objecto, videantur, id tamen requiritur in cognitione intuitiva perfecta, qualis est visio beatifica. *Ratio disparitatis* est, quia oculus corporeus attingit res tantum sub ratione colorati & lucidi, non cognoscendo illas secundum rationem specificam, aut individualem; intellectus vero creatus habet pro objecto omne verum, sub quo continentur omnia rei cognitæ prædicata, tam constitutiva, quam modificativa, unde si ejus cognitio sit intuitiva, necessario se extendit ad omne quod pertinet ad naturam objecti, & modum essendi illius.

## §. II. *De secundario visionis beatificæ objecto.*

*Nota.* Secundarium visionis beatificæ objectum, sunt creaturæ de quibus resolvendum est: 1. Utrum beati videant omnes creaturas in aliqua temporis differentia existentes. 2. Utrum videant omnes creaturas possibiles.

### CONCLUSIO I.

*Beati non vident omnes res in aliqua temporis differentia existentes; vident tamen aliquas.*

*Prob. prima pars:* Quia beati ea omnia non vident, quæ cognoscere ad ipsos nihil attinet; atqui multa sunt quæ ad ipsos nihil attinent; ergo &c. Sic non vident ultimi judicii diem, dicente Christo (*Matth.* 24. *v.* 36.): *De die autem illo, vel hora nemo scit . . . neque Angeli cælorum:* nec vident secreta cordis, nisi ad eos dirigantur.

*Prob. secunda pars:* Quia beati videbunt omnes res ad quas naturalem habent appetitum: nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui non esset talis, si non viderent omnes res ad quas naturalem habent appetitum; ergo, &c. Quare Guillelmus Paris. (1. *part. suæ summæ Tract. de immortalit. animæ, cap.* 9.) ait: *Quidquid decebit vel delectabit eos videre, visuri sunt.*

Hinc 1. Beati vident rerum, quæ sunt in universo, genera & species, & rationes earum; ratio D. Thomæ est, quia *naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum illa omnia quæ pertinent ad perfectionem intellectus.*



2. Vi-

2. Vident omnia quæ ad illos spectant, sive ratione status, sive officii, sive dignitatis, peculiarisve alterius tituli, ut definit Concil. Senonense de decretis fidei, cap. 13. *Beatis*, inquit, *pervium est divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interest, elucescit*. Sic Angeli norunt quæ ad eos spectant, quos in custodiam acceperunt: SS. Pontifices, quæ ad Ecclesiæ totius regimen: *Dabo operam*, inquit D. Petrus, Ep. 2. cap. 1. *& frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*. Parentes vident quæ ad propriam familiam spectant, ita Div. Ambros. (*Orat. de obitu Theodosii*) docet Theodosium in cœlo curam habiturum Honorii & Arcadii liberorum. Reges vident quæ ad regna, quæ, dum viverent, administrarunt, pertinent; sic Elias post suam translationem, cognovit quæ pertinebant ad regnum Israel, in quo prophetaverat, 2. *Paralip. cap.* 21. *v.* 12.

3. Vident preces quas viventes ad eos dirigunt, quia hoc spectat communionem quam Christus instituit inter membra corporis sui, quod est Ecclesia in cœlis regnans, in terris militans, & in purgatorio patiens; ita Div. Thom. (2. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2.) & omnes Theologi.

4. Denique Beati sese invicem, suosque parentes & amicos in patria cognoscunt. *In meliorem statum destinamur*, inquit Tertull. (*L. de Monogamia*, *c.* 10.) *resurrecturi in spiritale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam & nostros*. Et D. Cyprian. lib. de mortalitate, ait: „ Magnus illic, *in patria*, nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum ... ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est “.

## CONCLUSIO I.

*Beati non vident omnia possibilia*.

*Prob*. Beati non possunt Deum comprehendere; atqui si viderent omnia possibilia, Deum comprehenderent, omnipotentiam enim Dei, quæ Deus est, comprehenderent; ergo, &c. *Minor*, in qua sola potest esse difficultas, certa videtur, quippe comprehendere Dei omnipotentiam, nihil aliud est, quam videre ea omnia ad quæ potest se extendere.

*Dices*: Beati vident omnipotentiam Dei, ut est in se; atqui non possunt eam sic videre, nisi omnia possibilia videant; ergo.

Resp. *dist. min.* Nisi omnia possibilia videant confuse, *conc.* distincte & sigillatim, *nego min.* Vident enim beati omnipotentiam Dei in se, sed non vident sigillatim omnes creaturas ad quas potest sese extendere, alias comprehenderetur, quod menti finitæ est impossibile.

*Inst.* 1. Non major requiritur virtus ad videnda omnia possibilia, quam ad videndum Deum: atqui beati actu vident Deum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quam ad videndum Deum infinite, *conc.* finite, *nego maj.* At Deus a beatis videtur solum finite, neque aliter videri potest: si tamen a beatis viderentur omnia possibilia, exhauriretur potentia infinita, quod mentis finitæ vires superat.

*Inst.* 2. Mens humana elevari potest ad videndum Deum, ut est ens supernaturale; ergo ut est ens infinitum.

Resp. *nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia mens humana elevata ad Deum videndum, ut est ens supernaturale, non ascendit ad comprehensionem, quæ uni Deo propria est; at si elevaretur ad videndum Deum, ut est ens infinitum, eadem comprehensio, quæ est modus cognoscendi uni Deo proprius, menti creatæ communicaretur, quod est impossibile.

### §. III. *De modo, quo creaturæ videntur in Verbo divino*.

*Nota* 1. Non esse hic quæstionem de creaturis spectatis secundum illud esse eminentiale quod habent in Deo, quia sic spectatæ, sunt Deus ipse; sicque eodem modo videntur, quo Deus ipse. Est ergo quæstio de creaturis spectatis secundum esse proprium & reale quod habent in se ipsis, utrum in Verbo videantur.

*Nota* 2. Creaturas videri in Verbo, est eas in essentia divina videri: unde dicuntur videri *in Verbo* per appropriationem, eo quod ea quæ pertinent ad intellectum, attribuuntur Verbo, sicut attribuuntur Spiritui Sancto ea quæ ad voluntatem pertinent.

*Nota* 3. Creaturas duobus modis videri posse in Verbo. 1. Causaliter. 2. Formaliter.

Creaturas videri *in Verbo causaliter*, est eas videri in se ipsis, visione quidem distincta a visione divinæ essentiæ, sed ab illa causata, ita ut essentiæ visio præsupponatur tanquam visionis creaturarum causa, saltem moralis. Hac visione, quæ *vespertina* dicitur, creaturæ videntur in se ipsis per revelationem, vel per species a Deo infusas.

Creaturas videri *in Verbo formaliter*, est illas videri eadem visione, qua videtur essentia divina, in qua repræsentantur tanquam in speculo. Ad hanc cognitionem duæ conditiones requiruntur; *prima* est, ut eorum, quæ videntur, unum habeat connexionem cum altero; *defectu hujus conditionis*, cum per unam speciem & unam cognitionem Angelus equum & leonem videt, neque equus in leone, neque leo in equo dicitur videri formaliter, quia neuter cum altero connexionem habet; ad summum sese concomitanter habet utriusque cognitio; *secunda*, ut unum ex objectis cognitis sit medium, seu ratio motiva alterius cognoscendi, sitque objectum primarium, prius in signo rationis cognitum, quam illud quod in ipso cognoscitur: *cujus conditionis defectu*, relatum non dicitur videri formaliter in suo correlato, quamvis inter utrumque sit talis connexio, ut unum sine alio cognosci non possit, & sic mere concomitanter non se habeant. His suppositis, sit

## CONCLUSIO.

*Creaturæ, sive mere possibiles, sive existentes in aliqua temporis differentia, a beatis videntur in Verbo formaliter secundum suum esse proprium; item videntur in Verbo causaliter, id est, videntur in se ipsis, visione ab ipsa Dei visione causata*.

*Prob.* 1. *pars* 1. Ex Concil. Senonensi, dicente, *pervium esse beatis omniformis divinitatis speculum*

*rum, in quo quidquid eorum interest, elucescit.* Ergo divina natura est medium, *in quo* velut in speculo eæ creaturæ, quæ ad beatos spectant, videntur.

*Prob.* 2. *ratione Theologica:* Id beati vident in Verbo formaliter, cujus Verbum est velut speculum; atqui Verbum est veluti speculum rerum omnium, *in quo*, inquit D. Aug. lib. 4. de Genes. ad litteram, cap. 24. *sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia.* Ergo beati vident res omnes, quas vident, in Verbo formaliter.

*Prob.* 3. *utraque pars;* Ex D. Aug. *ibid. cap.* 23. ubi duplicem in beatis distinguit creaturarum cognitionem, unam, qua creaturæ videntur in Verbo formaliter, quam appellat *matutinam*, quia clarior est; alteram, qua creaturæ, virtute visionis beatificæ, videntur in se ipsis, quam appellat *vespertinam*, quia obscurior est. „ Multum quippe interest, *inquit*, inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam; in comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non immerito nox dici potest ". Ergo ex D. Aug. beati vident creaturas, 1. in Verbo formaliter, 2. in Verbo causaliter, seu in seipsis visione a Dei cognitione causata.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quod distincte & formaliter non est in Verbo, non potest formaliter in eo videri: atqui creaturæ non sunt in Verbo formaliter & distincte; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Nam ut aliquid videatur formaliter, non requiritur ut in eo sit formaliter, sed sufficit ut cum Verbo habeat connexionem talem, ut Verbum sit ratio formalis, & motiva illud cognoscendi; atqui creaturæ talem habent connexionem cum Verbo, tum ratione causæ exemplaris, quippe factæ sunt ad normam idearum, quas de eis Verbum habuit ab æterno: cum ratione causæ efficientis, quippe per Verbum omnia facta sunt: ergo, &c.

*Inst.* 1. Atqui creaturæ non habent necessariam connexionem cum Verbo; ergo Verbum non potest esse ratio formalis, & motiva illas cognoscendi.

*Resp. dist. ant.* Non habent necessariam connexionem absolute, *conc.* hypothetice, *nego*. Ex hypothesi enim quod creaturæ possibiles sunt, vel existentes, necessariam habent connexionem cum Verbo divino, in quo, tanquam in objecto prius cognito, videntur formaliter.

*Inst.* 2. Si beati viderent creaturas in Verbo, ea visio non esset intuitiva; atqui absurdum conseq. nam creaturarum visio in beatis debet esse perfecta, sola autem visio intuitiva est perfecta, siquidem abstractiva multum est imperfecta; ergo &c. . .

*Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Illa visio non est intuitiva, per quam res videtur in alio; atqui visio creaturarum in Verbo, esset in alio: ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Illa visio non est intuitiva, per quam res videtur in alio, si illud aliud perfecte rem non repræsentet, *conc.* si perfecte eam repræsentet, *nego maj.* At Verbum, quod est perfecta imago Patris, est etiam perfecta imago rerum omnium, tum possibilium, tum existentium.

*Objicies* 2. Si beati viderent in Verbo aliquas creaturas possibiles, aut existentes in aliqua temporis differentia, viderent omnes tam possibiles quam existentes; sed falsum ex dictis consequens; ergo. *Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Ideo beati vident in Verbo aliquas creaturas possibiles & existentes, quod repræsententur in Verbo tanquam in speculo; atqui omnes, tum possibiles, tum existentes, æqualiter in Verbo repræsentantur; ergo.

*Resp. dist. maj.* Ideo . . . quod repræsententur in Verbo tanquam in speculo voluntario, *conc.* in speculo necessario, *nego*. Porro essentia divina est speculum voluntarium, & consequenter beati eas solas creaturas in ea vident, quas Deus illis, pro beneplacito, vult manifestare, eorum intellectum per specialem concursum adjuvando ad harum, non ad aliarum, cognitionem.

## ARTICULUS V.

*De æqualitate & inæqualitate visionis Dei intuitivæ.*

*Nota.* Duo hic quæruntur, *primum*, utrum beati fruantur Dei visione in gradu æquali vel inæquali; *secundum*, quænam sit causa illius inæqualitatis. Primum pertinet ad fidem. Secundum ad Scholæ dissidium.

*Circa primum*, Jovinianus, IV. sæculo, juxta Stoicorum placita, docuit tam æqualia esse peccata, quam recte factorum merita, & consequenter omnes beatos æquali Dei visione fruituros; quem errorem renovarunt sæculo XVI. pseudo-reformati.

*Circa secundum*, Conveniunt omnes Theologi justorum merita esse causam moralem inæqualitatis visionis beatificæ, sed controvertitur, utrum lumen gloriæ sit causa totalis & inadæquata illius inæqualitatis; negat Scotus, qui hanc inæqualitatem repetit partim ex lumine gloriæ, partim ex majori vel minori intellectus perspicacia; affirmant omnes alii.

## CONCLUSIO I.

*Inæqualis est visio beatifica.*

Propositio est de fide, definita in Conc. Florent. sess. 13. ubi dicitur: „ Beatos visuros Deum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. *Et in Conc. Trid.* Si quis dixerit hominis justificati bona opera. . . non vere mereri. . . gloriæ augmentum, anathema sit. "

*Prob.* 1. Ex Script. Joann. 14. dicitur: „ In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *Et* 1. *Cor.* 15. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. " Ex quibus sic arguo: mansiones in domo Patris, & claritas stellarum sunt inæquales; atqui, juxta SS. Patres, claritas illa & mansiones significant visionem beatificam; ergo inæqualis est visio beatifica.

*Prob. min.* Ex Tertull. in *Scorpiace*, *c.* 6. dicente: " Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo stellam stella dista-

distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? *Ex D. Aug. Tract. 57. in Joann.* Multæ mansiones, *inquit*, universas meritorum in una vita æterna significat dignitates .... tanquam stellæ sancti diversas mansiones, diversas claritates, tanquam in cœlo sortiuntur in regno. *Et ex D. Greg. Magno, l. 35. Moral. cap.* 4. Apud Patrem mansiones multæ sunt, *inquit*, quia in illa beatitudinis vita sunt dispares, unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit. "

*Prob.* 2. *ratione Theologica:* Debet esse eadem ratio mercedis pro diversitate meritorum, quæ supplicii pro diversitate criminum; atqui pro diversitate criminum varia decernuntur supplicia, Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum illi date tormentum;* ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. *Matth.* 20. Unus denarius retribuitur omnibus qui in vinea patrisfamilias, qui Deum adumbravit, operati sunt, licet alii plus, alii minus laboraverint; ergo æqualis omnibus decernitur visio beatifica.

Resp. *dist. conseq.* Visio beatifica erit æqualis quoad substantiam, *conc.* quoad gradum & intensionem, *nego*. Ita cum aliis Patribus interpretatur D. Aug. (*Serm. 56. de verbis Domini, cap.* 4.) „ Ille denarius, *inquit*, vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius majus, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alii brevius, alteri longius, quod pariter æternum est. "

*Inst.* 1. Atqui visio beatifica erit æqualis quoad gradum & intensionem; ergo, &c.

*Prob. ant.* Quod est maxime simplex, non potest inæqualiter videri; atqui Deus est maxime simplex; ergo.

*Prob. maj.* Quod non potest dividi, non potest inæqualiter videri: atqui quod maxime simplex, non potest dividi; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod non potest dividi, neque ex parte objecti, neque ex parte intellectus, *conc.* quod non potest dividi ex parte objecti, potest vero dividi ex parte intellectus, *nego maj.* atqui ens simplex non potest dividi ex parte objecti, *conc.* ex parte intellectus, *nego min.* Itaque Deus, licet maxime simplex, est tamen infinitus, ac propter talem infinitatem præbet intellectui fundamentum, ut perfectius & perfectius in infinitum intelligatur.

*Inst.* 2. Atqui Deus non potest dividi ex parte intellectus; ergo, &c. *Prob.* quod videtur sicut est, non potest dividi ex parte intellectus; atqui Deus a beatis videtur sicuti est; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Non potest dividi ex parte intellectus, si particula *sicuti* determinet modum visionis, tum ex parte rei visæ, tum ex parte videntis, *conc.* si determinet modum visionis solum ex parte rei visæ, *nego maj.* atqui ex D. Thom. (1. *p. q.* 12. *art. 6. ad* 1.) *adverbium sicut, determinat modum visionis ex parte rei visæ, ut sit sensus, videbimus eum ita esse sicuti est, quia ipsum esse ejus videbimus, quod est ejus essentia. Non autem determinat modum visionis ex parte videntis, ut sit sensus, quod ita erit perfectus modus videndi sicut est in Deo perfectus modus essendi.*

*Objicies* 2. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui, supposita inæqualitate visionis beatificæ, non erit talis status; ergo.

*Prob. min.* Posita visionis Dei inæqualitate, alter alteri invidebit, illiusque majorem desiderabit felicitatem; ergo.

Resp. *nego ant.* Equidem *unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit*, ait Gregor. Magn. (*L. 4. Moral. c.* 31.) *sed ejusdem disparitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit.* Unde omnes homines plene sunt saturati, nec aliorum perfectiorem statum ambiunt.

## CONCLUSIO II.

*Inæqualitas visionis intuitivæ ab inæqualitate luminis gloriæ, tanquam a causa physica totali, repetitur, non vero a majori vel minori perspicacia intellectus.*

*Prob.* Ex D. Thom. (1. *p. q.* 12. *art. 6. in corp.*) Quia *facultas videndi Deum, non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei formitate constituit.* Ergo, *intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate.* Hinc sacra Facultas Parisiensis, præeunte Guillelmo Parisiensi, damnavit hanc prop. *Cujus meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia & gloria.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies.* Intellectus concurrit ad visionem beatificam; ergo intellectus magis perspicax, ad eam magis concurrit.

Resp. *dist. ant.* Concurrit per vires supernaturales a Deo per lumen gloriæ acceptas, *conc.* per vires naturales, *nego ant.*

*Inst.* 1. Intellectus ad visionem concurrit ut potentia vitalis; ergo concurrit per vires naturales.

Resp. *dist. ant.* Concurrit ut potentia vitalis, elevata & supernaturalis; *conc.* naturalis, *nego ant.* Agit ergo in quantum elevatur per lumen gloriæ, & consequenter tota visionis inæqualitas physice fluit ab inæqualitate luminis gloriæ, intellectum magis vel minus elevantis.

*Inst.* 2. Duo intellectus, æquali habitu fidei instructi, possunt elicere actum fidei magis vel minus intensum pro majori, vel minori eorum perspicacia; ergo a pari, duo intellectus æquali lumine gloriæ instructi, possunt elicere visionem magis vel minus intensam, pro majori vel minori eorum perspicacitate.

Resp. *transeat ant. nego conseq.* Disparitas est inter habitum fidei & lumen gloriæ, quod, posito lumine gloriæ, intellectus necessario visionem beatificam eliciat; e contra usus habitus fidei pendet a libertate, & ideo quod cum æquali habitu fidei unus intensiorem actum fidei eliciat, quam alter, hoc non provenit ex eo quod supra divinam motionem credere possit, sed quod bene utatur habitu, quem alter, pro libertate sua, otiosum ex parte relinquere potest.

Dixi,

Dixi, *transeat ant.* Quia quamvis intellectus perspicacitas possit aliquid conferre, ut per revelata perfectius apprehendatur; tamen quantum ad assensum magis aut minus intensum, in quo consistit formalis ratio actus fidei, perspicacitas intellectus nihil potest; hoc solum repetitur ab intensiori vel remissiori habitu fidei.

## QUÆSTIO II.

### *De Dei æternitate.*

*Nota.* Æternum dicitur, quod initio & fine caret. Unde *æternitas* recte definitur a Boetio, *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*.

Dicitur 1. *possessio*, ut designetur ejus firmitas, & quieta stabilitas. Illud enim possidere censemur, quod firmiter, stabiliter, & quiete habemus.

Dicitur 2. *tota simul*, ut excludatur omnis in duratione successio, quia æternitas unicum est instans indivisibile, quod eminenter omnes temporis præteriti, præsentis, & futuri, continet differentias.

Dicitur 3. *perfecta* ut excludatur tum dependentia ab alio, tum mutabilitas. Licet enim momenti præsentis duratio, sit tota simul, partibus successivis carens, tamen est imperfecta, utpote dependens a Deo, & statim evanescens.

Dicitur 4. *interminabilis vitæ*, id est, quæ nec initium habuerit, nec finem habitura sit, imo nec habere possit.

*Resolves.* Æternitatem differre 1. *a tempore*, quod tempus sit duratio rei successivæ, puta motus, & consequenter admittat prius & posterius; e contra æternitas est tota simul. 2. *Ab ævo*, quod ævum sit duratio rei, non successivæ quidem, sed permanentis, & quæ tota simul existit, nec habitura est finem, licet initium habuerit; talis est Angelorum duratio: unde *tempus* est mensura corporum, *ævum* est mensura spirituum. His notatis, sit:

## CONCLUSIO.

*Deus est æternus.* Prop. est de fide, definita in Conc. Later. IV. cap. *Firmiter*, de summa Trinit.

*Prob.* 1. Ex Scriptur. *Deuter.* 31. Deus ipse dicit: *Vivo ego in æternum.* Psalm. 9. *Dominus in æternum permanet.* Et Dan. 6. *Ipse est Deus vivens & æternus in sæcula.* Quam æternitatem uno ore SS. Patres asserunt cum Tertull. (*Contra Hermogenem*, *cap.* 4.) dicente: „ Quis alius Dei census, quam æternitas? qui alius æternitatis status, quam semper fuisse & futurum esse ex prærogativa nullius initii, & nullius finis? *ergo* “.

*Prob.* 2. *ratione Theologica.* Quidquid est immutabile, illud est æternum: æternitas enim nihil aliud est, quam duratio prorsus immutabilis; atqui, ex dictis supra, Deus est omnino immutabilis; ergo æternus.

*Objicies.* Ille non est æternus, æternitate proprie dicta, cujus duratio successionem importat; atqui existentiæ Dei duratio, successionem importat; ergo, &c.

*Prob. ant.* Illius duratio, in qua reperitur tempus præsens, præteritum, & futurum, successionem importat; atqui in duratione Dei reperitur præteritum, præsens, & futurum; ergo.

Resp. *dist. maj.* In qua reperitur tempus præsens, præteritum, & futurum formaliter, *conc.* eminenter, *nego maj.* Atqui in duratione Dei reperitur præteritum, præsens, & futurum, eminenter, *conc.* formaliter, *nego min.* Itaque, nulla in duratione Dei reperitur successio, & consequenter nulla temporis differentia formaliter; sed reperitur differentia temporis eminenter quatenus Deus sua æternitate complectitur omnia tempora, utpote respondens omnibus motibus, qui in diversis temporis partibus fiunt. Ita docet D. Aug. *Tract.* 99. *in Joann.*

*Inst.* 1. Quod rei successivæ coextenditur, est vere successivum; atqui æternitas coextenditur temporum spatiis, quæ vere successiva sunt: ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod rei successivæ coextenditur proprie & formaliter, est vere successivum, *conc.* improprie duntaxat & eminenter, *nego*. Porro æternitas coextenditur temporum spatiis eminenter, non formaliter: inter utrumque autem hoc discrimen est, quod res coextensa formaliter sit mutabilis sicut res successiva cui coextenditur, res vero coextensa, eminenter sit immutabilis.

*Inst.* 2. Si æternitas non sit successiva, in eodem instanti durationis duo contradictoria erunt simul vera, v. gr. quod Petrus in eodem instanti durationis ambulet, & non ambulet: absurdum conseq. ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Si non sit successiva neque formaliter, neque connotative, *conc.* si non sit successiva formaliter, sit tamen successiva connotative, *nego maj.* Atqui æternitas, licet non sit formaliter successiva, est tamen talis extrinsece & connotative, quatenus nimirum rerum omnium tempora, quæ successiva sunt, ipsi correspondent. Unde assimilari solet mundi centro, circa quod immutabiliter stans cœlorum orbes rotato decursu volvuntur.

Quæres. *An æternitas sit ita propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit?*

Resp. *affirm.* Nam quidquid necessario habere debet initium, non potest esse æternum; atqui omnis creatura habet necessario suæ existentiæ initium, cum sit necessario facta ex nihilo quod præcessit; ergo, &c. Hac ratione utuntur unanimiter sancti Patres, ut ostendant Verbum non esse creaturam, eo quod sit æternum: sic D. Athanas. *orat.* 2. *contra Arianos* argumentatur: *Res creatæ æternæ esse non possunt, quia ex non extantibus sunt, & non erant antequam fierent.*

*Dices:* Deus ab æterno est omnipotens; ergo ab æterno potuit producere creaturas.

Resp. *dist. cons.* Potuit ab æterno producere creaturas in tempore, *conc.* in æternitate, *nego*. Hoc enim repugnat, cum æternitas nihil, aut tempore, aut natura prius, supponat, atqui omnis creatura supponit nihilum, quod sui creationem præcedit; ergo &c.

## QUÆSTIO III.

### *De immensitate Dei.*

*Nota* 1. Immensitas differt ab ubiquitate tanquam actus primus ab actu secundo; nam:

*Immensitas* est illimitata substantiæ divinæ diffusio, per quam apta est coexistere omnibus rebus &

& locis . . . *Ubiquitas* vero, est actualis Dei existentia in omnibus rebus & locis.

*Nota* 2. Triplici modo res aliqua potest esse in loco: 1. *Per potentiam*, quando scilicet virtus ejus in aliquo loco operatur, etiamsi ejus substantia non sit ibidem, sic sol est in visceribus terræ. 2. *Per præsentiam*, quando videt quæ fiunt in loco. 3. *Per substantiam*, quando substantia ejus locum implet.

*Nota* 3. Triplici iterum modo res potest esse in loco per substantiam, nempe, 1. *Circumscriptive*, quando res per diversas sui partes respondent totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur. 2. *Definitive*, quando res tota est in toto loco, & tota in qualibet parte loci, ita ut existentia locati non excedat locum. 3. *Repletive*, quando res tota est in toto loco, & tota in qualibet parte loci, nec a loco definitur, sed est ubique.

*Prior modus* existendi in loco convenit corporibus, *secundus* spiritibus finitis, & *tertius* soli Deo qui solus sic replet omnia loca, ut non terminetur loco, sed sit etiam extra omnem locum.

*Nota* 4. Hic investigandum habemus, 1. Utrum Deus sit immensus. 2. Utrum sit ubique. Ideo

## CONCLUSIO I.

*Deus est immensus*. Est de fide.

*Prob*. Tum ex Script. *Baruch* 3. ubi dicitur: *Excelsus & immensus*. Tum ex Concilio Lateran. IV. cap. 1. *Firmiter credimus* . . . *quod unus solus est verus Deus*, *æternus*, *& immensus*. Tum ex symbolo D. Athanas. *Immensus Pater*, &c.

Ratio est, quia Deus omnes perfectiones simpliciter simplices in se continet formaliter; atqui immensitas est perfectio simpliciter simplex, cum melius sit nullum habere terminum, quam habere, nam habere terminum, imperfectionem sonat; ergo.

## CONCLUSIO II.

*Deus est ubique*, *seu existit in omnibus rebus & locis tum per potentiam*, *tum per præsentiam*, *tum per substantiam*. Propositio est de fide quoad omnes partes.

*Prob. prima pars:* Ille est ubique per potentiam, qui operatur in quocumque loco; atqui Deus operatur in quocumque loco; nam ex Apost. (1. *Cor.* *v.* 6.) *Deus omnia operatur in omnibus*. Et Act. 17. *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus*, *movemur & sumus*; ergo.

*Prob. secunda pars:* Ille est ubique per præsentiam, cujus cognitioni omnia nuda sunt & aperta; atqui ex Apost. (*Hebr.* 4. *v.* 13.) *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*. Unde D. August. (*Serm.* 46. *de verbis Domini*.) ait: „ Procedis? videris. Lucerna extincta est? videris. Cubile ingrederis? videris. In corde versaris? videris. “ Ergo.

*Prob. tertia pars:* Contra Socinianos, & Vorstium Calvinistam, qui admittunt quidem præsentiam Dei in rebus quoad virtutem & operationem sed negant quoad essentiam; contra quos

*Prob.* 1. Ex Script. Jerem. 23. „ Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo, dicit Dominus? nunquid non cœlum & terram ego impleo? *Psal.* 138. Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades “. Ex quibus argumentor: illi textus eodem modo loquuntur de præsentia Dei in terra & in inferis, ac de ejus præsentia in cœlo; atqui, ex ipsis adversariis, Deus est in cœlo præsens per substantiam, & hanc substantialem præsentiam colligunt ex his textibus; ergo est quoque præsens in terra & in inferno per substantiam, quam substantialem præsentiam debent colligere ex iisdem testimoniis.

*Prob.* 2. *ex SS. Patribus*. Pro omnibus sint Div. August. Epist. 57. „ Est Deus per cuncta diffusus: ipse quippe ait per Prophetam, *Cœlum & terram impleo*. . . substantialiter Deus est ubique diffusus. “ Et D. Bernard. (*Hom.* 3. *de Adventu.*) *Æqualiter ubique totus est per suam substantiam*.

*Prob.* 3. *ratione Theologica*. Deus est ubique per operationem, ut ipsi fatentur Sociniani; ergo est ubique per substantiam: nam in Deo operatio entitative sumpta, idem est cum illius substantia. Idem est esse Dei & potestas ejus, *ait S. Anselm.* (*L. de Incarnat. cap.* 4.) sicut itaque potestas Dei est semper & ubique, ita quidquid est Deus, & ubique & semper est. “

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Scriptura indicat Deum esse in cœlo, Psalm. 113. *Deus autem noster in cœlo*; ergo non est ubique.

*Resp. dist. ant.* Indicat Deum esse in cœlo, quod in eo sit peculiari modo, *conc.* quod non sit alibi; *nego*. Dicitur itaque esse in cœlo, *quod locus ille*, inquit S. Damasc. *magis particeps sit operationis ipsius interioris & gratiæ*, *ideo cœlum ipsius est thronus*.

*Inst.* 1. Atqui Deus ita dicitur esse in cœlo, ut significetur eum non esse in terra; ergo.

*Prob. ant.* Eodem Psalm. dicitur: *Cœlum cœli Domino*, *terram autem dedit filiis hominum*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Cœlum cœli Domino, quoad peculiarem modum manifestandæ suæ gloriæ, *conc.* quasi unicum sit ejus domicilium, *nego*. Est eadem responsio. Præterea potest dici cum S. Athanas. (*L.* 1. *contra Sabellium*) hunc textum metaphorice sumi debere, atque David sic locutum fuisse, ut supremam Dei majestatem, & hominum humilem statum exprimeret.

*Inst.* 2. Scriptura id tanquam proprium justis assignat, quod in ipsis sit Deus, *Qui manet in caritate*, *in Deo manet*, *& Deus in eo*. (1. *Joann.* 4.) Ergo.

*Resp. dist. ant.* Quod in ipsis sit per inhabitantem gratiam, *conc.* per substantiam duntaxat, *nego ant.* Ita D. August. Epist. 57. „ Fatendum est, *inquit*, ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam “.

*Inst.* 3. Horrendum est dicere, Deum esse in dæmonibus, in locis fœtidissimis; ergo non est ubique.

*Resp. nego ant.* Nam purus spiritus incapax est, qui sordibus locorum, ubi est, inquinetur, nec magis iis inquinatur Deus, quam sol dum easdem fœditates radiis suis perlustrat, & anima dum est in corpore corrupto & leproso, &c.

Inst.

*Inst.* 4. Clem. Alex. *lib.* 2. *Stromatum*, dicit: „ Deus appropinquans ego sum, ait Dominus; procul quidem substantia: quomodo enim quod est genitum appropinquaret ingenito? proxime autem est potestate: " ergo censet Deum non esse ubique per substantiam.

Resp. *dist. ant.* Deus est procul substantia a rebus, *conc.* id est, absens est substantia e rebus, *nego ant.* Responsio colligitur ex ipso textu, *quomodo enim*, inquit, *quod est genitum, appropinquaret ingenito?* id est, quomodo esset ejusdem naturæ.

*Inst.* 5. Atqui S. Clem. censet Deum non esse in rebus substantialiter; ergo, &c.

*Prob. subseq.* lib. 5. Strom. refutans Stoicos, ait: „ Illi Deum omnem permeare substantiam asserunt; nos autem eum solum dicimus effectorem: " Ergo censet Deum non esse in rebus substantialiter.

Resp. *dist. conseq.* Non esse in rebus substantialiter, per modum partis res omnes animantis, *conc.* per modum totius res omnes penetrantis, *nego ant.* Itaque, Clemens Alex. disputabat contra Stoicos, qui contendebant Deum esse in omnibus rebus tanquam earum animam, quod negat posse fieri; nunquam vero negavit Deum esse per substantiam in omnibus rebus, nam, *lib.* 7. *Strom.* de justo loquens, ait: „ Ejusmodi est, cui persuasum est Deum ubique adesse; non autem certis ac definitis locis esse conclusum. "

*Objicies* 2. Qui est ubique, non est capax motus localis; atqui Deus movetur localiter, Gen. 11. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, &c.* ergo, &c.

Resp. *nego min.* Ad prob. *dist.* Deus dicitur descendere, metaphorice, *conc.* proprie, *nego*. His itaque figuris utitur Scriptura, ut se captui nostro accommodet. *Descendere dicitur Deus*, inquit D. Aug. Serm. 70. de tempore, *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*.

*Objicies* 3. Si Deus est ubique, est extensus; atqui Deus non potest esse extensus; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est extensus virtualiter, *conc.* formaliter, *nego*. Extensio *formalis* est spatiosa magnitudo, hæc convenit solis corporibus. Extensio *virtualis* est aptitudo qua Deus potest & exigit esse præsens in omnibus rebus & locis; hæc maxime convenit Deo, qui est immensus.

*Objicies* 4. Scriptura & SS. Patres passim innuunt, Deum non esse in rebus, nisi per suam actionem. Act. 17. *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, &c.* Joann. Damasc. (*L.* 1. *orthod. fidei, cap.* 15.) *Ibi locus Dei esse asseritur, ubi perspicua ejus operatio existit*. Ergo.

Resp. *nego ant.* Nam duntaxat præsentiam Dei substantialem ex ejus operatione colligunt; operatio enim Dei ab ejus substantia non distinguitur.

*Inst.* 1. Atqui Scriptura & Patres existentiam Dei in rebus ex ejus operatione non colligunt; ergo.

*Prob. subsumpt.* Existentia substantialis Dei in rebus ex ejus operatione non potest efficaciter probari; ergo.

*Prob. ant.* Ex actione solis in visceribus terræ, non potest colligi quod iis in locis sit substantialiter præsens; ergo neque ex eo quod Deus operetur ubique, colligi potest eum esse ubique substantialiter præsentem.



Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod sol, dum conformat aurum in visceribus terræ, agit per virtutem a se ipso distinctam, ac proinde mirum non est, quod ex ejus operatione non recte colligatur ejus substantialis præsentia; e contra Dei virtus non distinguitur actu ab ipsa Dei substantia, proindeque fieri non potest, ut alicubi operetur, quin ibi sit substantialiter præsens.

*Inst.* 2. Ex actione illius, qui potest agere in distans, non potest colligi præsentia substantialis; atqui Deus, utpote omnipotens, potest agere in distans; ergo.

Resp. *nego min.* Nam Deus, licet omnipotens, non potest facere quod repugnat; atqui repugnat aliquam causam agere in distans, quia omnis causa debet effectum contingere, vel per se, vel per virtutem suam; porro virtus Dei & ejus substantia sunt unum & idem re. Hinc concludit Hugo Victorin. (*L.* 7. *eruditionis Theologicæ, c.* 19.) *ubicumque præsens est opere, præsens etiam necesse est ut sit deitate*.

Quæres, *An Deus sit ita immensus, ut sit extra mundum, nempe, ut sit ultra ambitum cœlorum?* Ante responsionem:

*Nota*. Duplici modo potest Deus intelligi esse extra mundum, positive scilicet & negative. *Positive* quidem, si illic sit tanquam in spatio reali, cui coexistat. *Negative* autem, si illic existat, sed non extra se, nec cum ulla ad locum coexistentia, & connotatione. His positis

Resp. *Deus est extra mundum negative, non vero positive*. Est de fide.

*Prob. prima pars*. Si Deus non esset extra mundum, cœlorum ambitu coarctaretur; atqui non potest cœlorum ambitu coarctari, 3. Reg. 8. *Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt*. Et quomodo capere eum possent, qui ex Job 11. *excelsior cœlo est .... profundior inferno .... longior terra mensura ejus & latior mari*: ergo &c. Unde Gregor. Magn. (*l.* 2. *Moral. c.* 12.) ait: *Ipse est juxta omnia, infra omnia, supra omnia*.

*Prob. secunda pars*. Nempe, quod sit ultra mundum negative, non positive; Deus est extra mundum, quomodo jam erat antequam mundus fieret; atqui Deus antequam mundus fieret, non erat in loco a se distincto, sed erat in se ipso; ergo & nunc est extra mundum in se ipso. *Prob. min.* ex Div. August. in Psalm. 122. ubi quærit: *Antequam faceret Deus cœlum & terram ubi habitabat?* respondet, *in se habitabat Deus: apud se habitabat, & apud se est Deus*. Unde canit Poeta:

*Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset.*
*Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.*

Quare de spatiis imaginariis controversia tam prolixe, quam operose, a nonnullis tractata, est prorsus imaginaria, & a Scholis Theologicis eliminanda.

## QUÆSTIO IV.

### *De bonitate Dei.*

*Nota* 1. Bonitas, alia est absoluta, alia respectiva, & alia moralis.

*Bonitas absoluta*, est plenitudo essendi rei, quæ

habet tales, quales debet habere perfectiones; unde bonum absolute, idem est ac perfectum.

*Bonitas relativa* est perfectio entis conveniens alteri, ab eoque appetibilis. Unde bonum respective, idem est ac alteri conveniens.

*Bonitas moralis* est perfectio qua quis a sua regula non deflectit. Unde bonum moraliter, idem est ac sanctum.

*Nota* 2. Bonum, aliud est per essentiam, aliud per participationem.

*Bonum per essentiam* est ens, quod habet bonitatem vi essentiæ suæ solius, & independenter ab omni alio.

*Bonum per participationem*, est ens, quod habet bonitatem dependenter ab alio, a quo participatur.

## CONCLUSIO I.

*Deus est bonus bonitate absoluta, relativa & morali*. Est de fide.

*Prob. prima pars*. Ille est bonus bonitate absoluta, qui est summe perfectus; atqui Deus est summe perfectus; est enim ens quo nihil melius ac perfectius excogitari potest; ergo &c.

*Prob. secunda pars*. Ille est bonus bonitate relativa, qui est summe conveniens creaturis, ab eisque appetibilis; atqui Deus creaturis est summe conveniens & appetibilis, cum omnes earum perfectiones sint participationes divini illius esse, quod eis reipsa communicatur; ergo.

*Prob. tertia pars*. Bonitas moralis est perfecta sanctitas; atqui Deus est perfecte sanctus, neque enim a bono deficere potest, qui *universa propter semetipsum*, qui est finis summe bonus, *operatus est*, Prov. 16. ergo, &c. Hinc scriptum est, Rom. 9. *Non est iniquitas apud Deum*. Qui *sanctus est in omnibus operibus suis*. Psalm. 144.

## CONCLUSIO II.

*Deus triplici illa bonitate bonus est per essentiam*. Est de fide.

*Prob*. Ille bonus est per essentiam, qui est bonus per se, & independenter a quocumque alio; atqui Deus sic bonus est, tum bonitate absoluta, tum respectiva, tum morali; quare dixit Christus (*Luc.* 18.) *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Nempe per essentiam & independenter, cum tamen creaturæ sint bonæ per participationem. Hinc D. Aug. *Epistol.* 54. ait: *Nullius participatione bonus est, quoniam bonum quo bonum est, ipse sibi est*.

## CONCLUSIO III.

*Deus in quocumque genere boni, est summe bonus*. Est de fide.

*Prob*. Qui est bonus bonitate infinita, quæ Deus ipse est, est summe bonus; atqui Deus est bonus bonitate infinita, quæ Deus ipse est, quo sensu dixit Christus, Matth. 19. *Quid me interrogas de bono? unus est bonus, Deus*. Quia, ut ait D. Aug. (*L. 1. de Trinit. cap. 2.*) *est summum bonum, quod a purgatissimis mentibus cernitur*. Ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quod est summe bonum, debet se summe diffundere, cum bonum sit sui diffusivum; atqui Deus se summe non diffundit; ergo non est summe bonus.

Resp. *dist. min.* Non se summe diffundit ad intra, *nego*, ad extra *subdist.* propter conditionem creaturæ, *conc.* propter defectum bonitatis infinitæ ex parte Dei, *nego*; summa itaque bonitas non potest nisi personæ divinæ summe communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui sancto in ejus productione.

*Objicies* 2. Si Deus esset in quocumque genere bonus, nullum esset malum, etiam extra Deum; falsum conseq. ergo, &c.

*Prob. maj.* Summum in aliquo genere, quodcumque contrarium, tum a subjecto, tum ab aliis extra ipsum positis excludit; v. g. si calor existeret infinitus, non posset cum eo subsistere minimum frigus; ergo si Deus sit summum in quocumque genere bonum, debet excludere omne malum, tum a se, tum a quocumque alio ente.

Resp. *dist. ant.* Si illud summum agat necessario, ut agit ignis, *conc.* si agat libere, ut Deus agit ad extra, *nego ant.* Ideoque, licet Deus sit infinite bonus, cum agat libere, mala esse & fieri permittit, quia *melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere*, ait D. Aug. Enchiridii cap. 26.

*Inst.* Vitiosum est, peccatum permittere, cum possumus illud impedire; atqui Deus quodcumque malum potest impedire; ergo illi vitiosum est illud permittere.

Resp. *dist. maj.* Cum possumus & tenemur illud impedire, *conc.* cum non possumus, nec tenemur illud impedire, *nego maj.* & sic distincta minore, *nego cons.* Itaque Deus, utpote causa universalis, non tenetur impedire singula hominum peccata, imo non debet illa impedire, ne violet leges providentiæ suæ, secundum quas reliquit homini liberum arbitrium; quo per gratiam, quam nemini denegat, corroboratus, potest homo, & singula vitare peccata, & æternam mereri gloriam.

# QUÆSTIO V.

*De intellectu & scientia Dei.*

*Nota*. Hanc quæstionem in sex Articulos partiemur, quorum 1. erit de existentia, proprietatibus, & divisione scientiæ Dei. 2. De scientia simplicis intelligentiæ. 3. De scientia visionis. 4. De scientia conditionata, seu conditionatorum. 5. De causalitate scientiæ Dei. 6. De ideis divinis.

## ARTICULUS I.

*De existentia, proprietatibus, & divisione scientiæ Dei.*

## CONCLUSIO I.

*Est in Deo scientia, & quidem perfectissima, sumpta pro cognitione cujuscumque rei certa & evidente.*

*Prob.* 1. ex Script. Esther 14. *Domine, qui habes*

*les omnium scientiam*. Et Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*. Ergo &c.

*Prob*. 2. *ratione Theologica*. Scientia est perfectio simpliciter simplex, cum sit melior ipsa, quam non ipsa; atqui omnes perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo; ergo, &c.

*Objicies*, Scientia est accidens; atqui nullum est accidens in Deo; ergo, &c.

Resp. *dist. maj*. Scientia quæ est in creaturis, *conc*. quæ est in Deo, *nego maj*. nam in Deo scientia non distinguitur ab essentia: *non aliud est in Deo esse, aliud intelligere*, inquit D. Aug. Ep. 102.

*Inst*. 1. Scientia proprie dicta est discursiva; atqui cognitio discursiva repugnat Deo, cum maximam involvat imperfectionem; ergo, &c.

Resp. *dist. maj*. Scientia spectata in homine, est discursiva, *conc*. spectata in se ipsa, *nego maj*. Tantum itaque abest, ut discursus pertineat ad essentiam scientiæ, quin potius sit ejus defectus & imperfectio. Porro cum aliqua creaturæ perfectio tribuitur Deo, oportet ab illa excludi omnem modum imperfectum, secundum quem competit creaturæ.

*Inst*. 2. Deus cognoscit minus notum per notius, conclusiones per principia; ergo ejus scientia est discursiva.

Resp. *nego ant*. Nam Deus uno & simplicissimo actu omnia simul pervadit & penetrat, unde ejus scientia est simplicissima, eminenter continens omnes intellectus creati virtutes, scilicet intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem; *unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest*, Div. Thom. 1. p. q. 14. art. 1. ad 2.

Quæres 1. *Quot, & quænam sunt scientiæ Dei proprietates?*

Resp. Præter substantialitatem & simplicitatem, de quibus jam egimus, sunt tres, scilicet *infinitas, æternitas, & immutabilitas*.

1. Scientia Dei est *infinita:* tum extensive, quia omnia cognoscit, Ps. 138. *Domine, tu cognovisti omnia novissima & antiqua*; tum intensive, quia ejus cognitio est certissima, evidentissima, & omnium comprehensiva, Eccl. 23. *Oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem .... hominum corda intuentes in absconditas partes*.

2. Scientia Dei est *æterna;* quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura est; unde sapientia divina de se ipsa ait, Prov. 8. *Ab æterno ordinata sum*.

3. Scientia Dei est *immutabilis*, quia Deus est immutabilis; atqui scientia Dei non est quid realiter & entitative distinctum a Deo, ut fides docet; ergo, &c. Ita docet D. Aug. (*L*. 13. *Confess. cap*. 13.) *Sicut omnino tu es*, inquit, *tu scis solus qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter*.

*Dices:* Scientia visionis est mutabilis & variabilis: ergo non omnis scientia in Deo est immutabilis.

*Prob. ant*. Deus potest plura scire, quam quæ scit; ergo, &c.

*Prob. ant*. Deus potest facere plura, quam quæ fecit; ergo & plura scire.

Resp. *dist. ant*. Deus potest facere plura absolute, *conc*. hypothetice & supposito decreto, *nego ant*. Itaque neque alia scire potest, quam quæ scit, neque potest non scire, quæ novit actu.

Quæres 2. *Quotuplex sit in Deo scientia?*

Resp. Licet a parte rei unica sit, & quidem simplicissima in Deo scientia, tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quæ se extendit, variaque media sub quibus illa diversa objecta considerat, multiplex a Theologis cum fundamento assignatur scientiæ Dei divisio.

1. *Dividitur* in necessariam, seu naturalem, & liberam, seu contingentem. *Necessaria* dicitur, quæ terminatur ad ea, quæ aliter non possunt se habere; hujusmodi sunt Deus, & res possibiles; hæc antecedit omne decretum divinæ voluntatis. *Libera* dicitur, quæ terminatur ad res contingentes, nempe ad creaturas vel præteritas, vel existentes, vel aliquando futuras. Hæc supponit liberum Dei decretum.

2. *Dividitur* in speculativam, & practicam. *Speculativa* est ea, quæ in objecti sui contemplatione quiescit; talis est scientia qua Deus res mere possibiles cognoscit. *Practica* est ea, qua Deus res creatas producit.

3. *Dividitur* in scientiam approbationis, & improbationis. *Scientia approbationis* est ea, qua Deus cognoscit ea, quæ illi placent. *Scientia improbationis* est ea, qua Deus cognoscit ea quæ illi displicent ... hæc divisio prodest ad intelligenda quædam Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur nescire peccatores & peccata. Sic, Matth. 25. Deus dicit fatuis virginibus, *Nescio vos*. Et Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*. Neque enim sensus est, quod Deus peccatores & peccata non cognoscat; sed quod non cognoscat scientia approbationis.

4. *Dividitur*, in scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam visionis, & scientiam sub conditione futurorum.

Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea, qua Deus cognoscit res mere possibiles, seu res consideratas secundum ipsarum essentiam, abstrahendo ab omni earum futuritione & existentia. Hæc antecedit omne Dei decretum.

Scientia *visionis*, est ea, qua Deus cognoscit res vel existentes, vel aliquando futuras, sive sit Deus, sive aliquid extra Deum. Hæc pro rebus extra Deum supponit decretum Dei absolutum, atque pro varia temporum differentia, sortitur varia nomina, nimirum, ut est futurorum cognitio, dicitur *præscientia*, ut præteritorum, *memoria*, ut præsentium, *visio*.

Scientia *sub conditionem futurorum*, est ea, per quam Deus cognoscit res quæ nunquam evenient, sed tamen evenirent, si quædam conditio poneretur, sive postea ponatur, sive non.

Circa hanc ultimam scientiæ Dei divisionem, est in Scholis celeberrima controversia, quam magis apposite dirimemus Articulo quarto.

## ARTICULUS II.

*De scientia simplicis intelligentiæ*.

*Nota* 1. Quæritur hic, 1. Utrum Deus cognoscat res possibiles, non tantum secundum esse eminens quod habent in Deo, sed etiam secundum esse

esse proprium & formale quod haberent in seipsis extra Deum, si producerentur. 2. In quo medio Deus creaturas possibiles cognoscat.

*Nota* 2. Per medium cognitionis intelligitur id in quo, tanquam in ratione prius cognita, Deus certissime & perspicacissime ea novit, quæ per suam scientiam attingit.

*Nota* 3. Essentia divina duobus modis spectari potest. 1. Prout est causa creaturas possibiles continens. 2. Prout est species intelligibilis quæ illas repræsentat.

## CONCLUSIO I.

*Deus certissime cognoscit omnes creaturas possibiles, & quidem secundum esse proprium & formale, quod haberent in se ipsis si producerentur.* Est de fide.

*Prob. prima pars*, Eccl. 23. „ Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia. *Rom.* 4. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt ". Atqui entia ante sui creationem, & ea quæ non sunt, sunt tantum possibilia: ergo Deus certissime cognoscit possibilia. *Ratio est*, quia Deus perfecte comprehendit suam omnipotentiam; ergo perfecte cognoscit ea omnia, ad quæ potest sese extendere; atqui se extendit ad omnia possibilia; ergo, &c.

*Prob. secunda pars*: Deus videt creaturas omni modo, quo, absque ulla imperfectione, videri possunt; atqui creaturæ possibiles videri possunt secundum esse quod haberent in se ipsis, si producerentur, sic enim habent verum esse, nec iste modus videndi, ullam in Deo importat imperfectionem, nec excludit perfectionem cognoscendi modum, in essentia nimirum tanquam in causa; ergo, &c.

## CONCLUSIO II.

*Deus creaturas possibiles videt, non tantum in sua essentia tanquam in causa earum effectrice, sed etiam in se ipsis, prout in essentia divina, tanquam in specie intelligibili, repræsentantur.*

*Prob. prima pars*, 1. Ex D. Aug. (*L. 5. de Genes. ad litteram*) qui ad hæc Joann. verba: *Quod factum est, in ipso vita erat*, ait: *In qua vita vidit omnia quando fecit, non propter se ipsum videns, sed in se ipso.*

*Prob.* 2. *ratione Theologica*. Deus comprehendit suam essentiam; ergo in ea videt omnes res possibiles tanquam in causa earum effectrice. *Prob. conseq.* Comprehendere essentiam divinam, est eam cognoscere, tum secundum id quod est in se, tum secundum id ad quod potest se extendere; sed qui divinam essentiam sic cognoscit, in ea videt res possibiles, tanquam in causa earum effectrice; ergo, &c.

*Prob. secunda pars*. Ut Deus videat res possibiles in se ipsis, prout in essentia divina tanquam in specie intelligibili repræsentantur, sufficit quod in essentia divina reperiatur ratio speciei illarum intelligibilis; atqui in essentia divina reperitur ratio speciei illarum intelligibilis; ergo, &c.

*Prob. min.* Ex D. Thom. (1. *p. q.* 14. *art.* 11. *in fine corp.*) dicente: *Cum enim, Deus, sciat alia a se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, vel ut principium activum earum, necesse est quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt, non solum in universali, sed etiam in singulari.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem*. Repugnat Deum habere medium cognitionis; ergo non cognoscit possibilia in se ipso.

Resp. *dist. ant.* Medium cognitionis, per illationem, *conc.* nam tale medium dicit pluralitatem actuum, & imperfectionem importat, unde repugnat Deo. Medium cognitionis, per simplicem intelligentiam, *nego ant.* nam in tali medio, tanquam prius cognito, aliud noscitur per eundem cognitionis actum, quod, cum nullam importet imperfectionem, potest Deo convenire.

*Inst.* 1. Deus non prius cognoscit suam essentiam, prout est causa rerum effectrix, quam res possibiles; ergo essentia sic considerata, non est medium cognitionis divinæ.

Resp. *dist. ant.* Non prius cognoscit, tempore, *conc.* ratione, *nego*: cognoscere rem prius tempore, est illam cognoscere in instanti quo alia nondum cognoscitur, quod Deo ut imperfectum repugnat. Cognoscere prius ratione, est unum esse rationem cognoscendi aliud; per eundem cognitionis actum, ita ut unum per se directe & immediate concipiatur cognosci, aliud vero non nisi mediate, indirecte & per aliud; atqui Deus suam essentiam, ut est rerum causa effectrix, sic prius cognoscit, quam res possibiles; nam cognoscendo suam essentiam ut causam rerum effectricem, simul, per eandem cognitionem, cognoscit res possibiles, propter connexionem quam habet cum illis.

*Inst.* 2. Atqui essentia Dei, ut est causa effectrix, non habet necessariam connexionem cum possibilibus; ergo.

*Prob. subsumpt.* Si essentia divina, prout rerum effectrix, habeat necessariam connexionem cum rebus possibilibus, ab ipsis penderet; absurdum conseq. Ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Tum quia unum relativum, est necessario connexum cum suo correlativo, nec tamen ab eo pendet, cum relativa sint simul natura & cognitione. Tum quia medium cognitionis non pendet a rebus cognitis, e contra medium est id a quo alia, ut cognoscantur, dependent, quæ consequenter sunt objecta cognitionis secundaria.

*Objicies contra secundam partem*. Si Deus cognosceret res possibiles in se ipsis, cognitio divina specificaretur a creaturis; falsum cons. Ergo &c.

*Prob. seq. maj.* Cognitio specificatur a suo objecto; atqui, si Deus cognosceret creaturas in se ipsis, creaturæ essent objectum cognitionis divinæ; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Cognitio specificatur a suo objecto primario & motivo, *conc.* secundario & terminativo, *nego maj.* & sic ad min. Itaque, res ut sunt in se ipsis, non sunt objectum motivum divinæ cognitionis, sed terminativum tantum; objectum vero primarium & motivum, est sola essentia divina, quæ independenter ab esse quod creaturæ habent in se ipsis, perfecte terminat cognitionem divinam, quatenus omnium species in se comprehendit. „ Ipsum intelligere non specifi-

cificatur per id quod in alio intelligitur, *ait D. Thom.* (*Q.* 14. *art.* 5. *ad* 3.) sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur, quod in Deo nihil aliud est, quam essentia sua; unde non oportet quod ipsum intelligere divinum, vel potius ipse Deus, specificetur per aliud, quam per essentiam divinam ".

*Inst.* 1. Cognitio divina ab illo specificatur, a quo Deus perficitur; atqui si creaturæ possibiles in se ipsis a Deo viderentur, Deus ab illis perficeretur; ergo, &c.

*Prob. seq. min.* Cognoscens a suo objecto perficitur; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Cognoscens creatum, *conc.* increatum, *nego ant.* Itaque intellectus creatus perficitur, ab objecto, quatenus illius speciem impressam, quæ est forma ipsum perficiens, recipit; at Deus non cognoscit creaturas per species ab ipsis emendicatas, sed illas cognoscit in se ipsis per suam essentiam, in qua tanquam in speculo, seu specie intelligibili, repræsentantur.

*Inst.* 2. D. Thom. *art.* 3. ait: „ Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per suam essentiam; alia autem a se videt, non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipsa ". Ergo res creatas non videt in se ipsis.

*Resp. dist. conseq.* Non videt res in se ipsis, per species a rebus emendicatas, *conc.* per terminationem cognitionis ad ipsas res, *nego conseq.* Neque enim possibilia cognoscuntur a Deo per propriam speciem extra ipsum positam, alias illam speciem reciperet, & ab ea perficeretur; quod de Deo dici repugnat; sed cognoscuntur per essentiam, ut continet omnes omnium creaturarum species; unde D. Thom. ibidem ait: " In se ipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquantem ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis: in alio autem videtur, id quod videtur per speciem continentis, sicut cum homo videtur in speculo per speciem speculi ".

*Inst.* 3. Res possibiles in se ipsis non sunt; ergo Deus eas non potest cognoscere in se ipsis.

*Resp. dist. ant.* In se ipsis non sunt formaliter, *conc.* objective, *nego*. Equidem possibilia non habent actu esse proprium, sed possunt habere, & reipsa haberent, si producerentur. Deus autem res, quas producere potest, cognoscit, & quidem secundum eorum esse proprium, non quod habent, sed quod haberent si producerentur.

Quæres. *An Deus videat impossibilia, entia rationis, negationes, privationes, &c. & quomodo?*

*Resp. ad* 1. *affirm.* Cum D. Thom. *art.* 9. quia Deus cognoscit quidquid est cognoscibile; atqui illa omnia sunt cognoscibilia, & de facto cognoscuntur ab homine; ergo.

*Resp. ad* 2. Deus cognoscit impossibilia, videndo eorum extremorum oppositionem; videt entia rationis, quatenus videt intellectus creati figmenta, dum illius operationes omnes penetrat. Videt negationes & privationes, non quidem positive, cum sic nihil sint, sed negative, quatenus videntur formæ quæ ipsis oppositæ sunt; unde non mirum, si Deus *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Rom. 4.

## ARTICULUS III.

### *De scientia visionis.*

*Nota.* Cum scientia visionis attingat præsentia, præterita & futura, majoris claritatis causa, hunc articulum in duas Sectiones distribuemus: in prima quæremus, utrum Deus videat omnia præsentia & præterita, & quo in medio; in secunda, utrum videat futura, & in quo medio.

## SECTIO PRIMA.

### *Utrum Deus videat præsentia & præterita, & in quo medio?*

### CONCLUSIO I.

*Deus se ipsum videt, & quidem comprehensive.* Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. 1. Cor. 2. „ Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... quæ Dei sunt nemo cognovit, *comprehensive*, nisi Spiritus Dei ".

*Prob.* 2. *ratione* D. Thom. art. 7. „ Illud comprehenditur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile ". Atqui Deus se ipsum tantum cognoscit, quantum est cognoscibilis, se infinitum cognoscit cognitione infinita; ergo, &c.

*Dices*. Ex D. Aug. (*L.* 12. *de Civ. Dei*, *cap.* 18.) „ Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur". Atqui Deus, utpote infinitus, nullo modo potest finiri, ergo.

*Resp. dist. ant.* Finitur negative, *conc.* positive, *neg.* Deus itaque se sua comprehensione finit negative, quatenus cognitio ejus adæquat totam sui cognoscibilitatem; non vero se finit positive, quasi per suam intellectionem, aliquem sibi terminum præscribat.

### CONCLUSIO II.

„ Deus omnia præsentia, & præterita, occultas etiam cordium cogitationes, certissime, distincte & sigillatim cognoscit ut sunt in se ipsis." Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Job 28. „ Ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. Et c. 31. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos ipse dinumerat? Et Eccl. 23. Omnis homo qui transgreditur lectum suum . . . dicens quis me videt? tenebræ circumdant me . . . quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus: Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius; & non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum . . . & hominum corda intuentes in absconditas partes ". Illi certe textus non indigent expositione.

*Prob.* 2. *ratione*. Dei scientia est infinita; ergo cognoscit omne agnoscibile; atqui omnia præsentia & præterita, sive sint bona, sive mala, occultæ etiam cordis cogitationes, sunt cognoscibilia; ergo, &c.

*Dices* 1. Deus non cognoscit mala, ergo.

*Resp. nego ant.* Mala enim, vel sunt naturæ, ut monstra, & *monstra scit antequam fiant*. Vel sunt

sunt pœnæ, & eorum est author, Isai. 45. *Ego Dominus creans malum*, ac proinde ea cognoscit; vel sunt culpæ, & ea cognoscit, *Psal.* 68. *Deus*, *tu scis insipientiam meam*, *& delicta mea a te non sunt abscondita*. Ergo videt omnia mala.

*Prob. ant.* Deus non cognoscit, nisi illa quorum est causa efficiens, aut exemplaris; atqui non est causa efficiens, aut exemplaris peccatorum; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Nam Deus videt omnia, etiam mala, non quidem in se ipsis, sed in forma illis opposita, *sicut per lucem cognoscuntur tenebræ*, ait Div. Thom. hic.

*Dices* 2. Deus non agnoscit secreta cordis; ergo, &c.

*Prob. ant.* Deus, *Gen.* 18. ait: *Descendam & videbo utrum clamorem*, *qui venit ad me*, *opere compleverint*, *an non est ut ita sciam*. Ergo ante illud de Sodomorum sceleribus experimentum, illa ignorabat.

*Resp. dist. conseq.* Sic enim locutus est Deus, non quod clamorem Sodomorum ignoraret, dicit enim ibidem, *Clamor Sodomorum multiplicatus est*, sed ut modo loquendi humano sese accommodaret; id enim perfecte scire dicimur quod proprio experimento comprobamus.

Quæres, *Quo in medio Deus videt omnia præsentia & præterita?*

*Resp.* 1. Deus se ipsum videt per suam essentiam absque ullo medio: ratio est, quia nihil prius est essentia divina; ergo nihil potest esse prius cognitum, in quo ipsa videatur.

*Resp.* 2. Deus videt entia præsentia & præterita, tum in ipsis, tum in sua essentia tanquam in specie intelligibili, quia in ea, tanquam in speculo, repræsentatur realis eorum existentia.

*Resp.* 3. Deus videt peccata in forma quæ illis est apposita; nam ex D. Thom. art. 10. „ Sic est cognoscibile unumquodque secundum quod est: unde cum hoc sit esse mali quod est privatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. "

## SECTIO II.

### *Utrum Deus videat entia futura, & quo in medio?*

*Nota* 1. Futurum duplex est, *necessarium*, scilicet, quod a causa necessaria pendet, & *contingens*, quod pendet a causa libera.

*Nota* 2. Futurum contingens, aliud est a solo Deo, ut gratia danda; aliud ab homine solo, ut peccatum; aliud a Deo & ab homine, ut quælibet actio, sive sit naturalis, sive supernaturalis ordinis.

*Nota* 3. Futura contingentia libera, alia sunt *absoluta*, quæ licet sint a causa libera, absolute tamen & independenter a quavis conditione habitura sunt existentiam in certa temporis differentia. Alia sunt *conditionata*, quorum futuritio pendet ab aliqua conditione aliquando ponenda, vel nunquam ponenda. Hic autem de solis futuris necessariis, & liberis absolutis agimus; de liberis conditionatis articulo sequenti acturi.

*Nota* 4. Certum est Deum cognoscere distincte & certissime omnia futura necessaria, & alia a se uno pendentia, ut fides docet, Sap. 8. *Signa & monstra scit antequam fiant*, *eventus temporum & sæculorum*.

*Nota* 5. Certum est etiam Deum videre omnia futura necessaria in sua essentia, prout ad illorum futuram productionem determinata est per decretum efficax, quod de eorum productione, in tempore facienda, latum est ab æterno . . . . De solis ergo futuris absolutis liberis potest esse controversia, quam dirimemus duobus paragraphis.

### §. I. *An Deus cognoscat omnia futura libera absoluta?*

*Nota*. Sociniani certam futurorum contingentium liberorum notitiam Deo inesse inficiantur, docentque ea conjecturis duntaxat verosimilibus esse Deo perspecta. Ita Socinus, *prælect. cap.* 11. Contra quos sit.

### CONCLUSIO.

*Deus omnia & singula futura contingentia libera absoluta certissime cognoscit*. Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Daniel 13. sic Susanna Deum alloquitur: „ Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me. *Psalm.* 138. Intellexisti cogitationes meas de longe... & omnes vias meas prævidisti. *Joann.* 6. Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. " Ex his textibus sic argumentor: Illa loca intelliguntur de liberis hominum actionibus futuris; atqui Deus illas cognovit de longe, antequam fiant, illas prævidet; ergo. Hinc D. Aug. (*L.* 5. *de Civit. Dei*, *cap.* 9.) ait: *Confiteri esse Deum*, *& negare præscium futurorum*, *apertissima insania est*.

*Prob.* 2. Deus de liberis hominum actionibus futuris multa prædixit, quæ adamussim, ut prædicta erant, evenerunt, v. g. infidelitatem Judæorum, negationem Petri, proditionem Judæ, conversionem Gentium, &c. ergo certissime ea noverat Deus, ita concludit Tertull. (*L.* 2. *contra Marcion. c.* 5.) dicens: *Præscientiam Dei tantos habere testes*, *quantos fecit Prophetas*.

*Prob.* 3. *ratione*. Si omnes creaturarum liberas actiones Deus non cognosceret ab æterno, sed duntaxat quando fiunt, sequeretur Deum singulis momentis infinitas propemodum res de novo cognoscere; atqui id evidenter repugnat infinitati & immutabilitati scientiæ divinæ; ergo omnes istas actiones ab æterno cognoscit.

#### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Deus cum dubitatione prædicit futura libera; ergo non certo illa novit.

*Prob. ant.* Deus, cum prædicit futura contingentia, sæpe utitur particulis *forte*, *forsitan*, Jerem. 26. *Noli substrahere verbum*, *si forte audiant & convertantur*. Lucæ 20. *Mittam Filium meum dilectum*; *forsitan cum hunc viderint verebuntur*. Atqui illæ particulæ dubitationem & incertitudinem loquentis aperte præ se ferunt; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Particulæ, *forte*, *forsitan*, præ se ferunt dubitationem hominis loquentis, *conc.* Dei loquentis, *nego min.* in Deo enim particula,

*forte*,

*forte*, significat, *utique*, quæ particula est vox affirmantis: sic usurpatur, *Prov.* 24. ubi dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte videat Dominus, & displiceat ei.* Certum est autem quod Dominus videat. Item Christus dicit: (*Joann.* 8. *v.* 19.) *Si me sciretis, & Patrem meum forsitan sciretis.* Atqui non potest cognosci Filius, quin cognoscatur Pater; ergo illa particula, *forsitan*, in Deo non est verbum dubitationis, sed increpationis, ut docet D. Aug. ,, Tract. 37. in Joann. *his verbis:* Ille qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat ..... dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente: cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas."

*Objicies* 2. D. Aug. (*L.* 2. *ad Simplician. quæst.* 2.) videtur negare quod Deus habeat præscientiam futurorum; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Videtur negare quod Deus habeat futurorum præscientiam, quoad nomen, *conc.* quoad rem, *nego.* Non itaque negat præscientiam Div. Augustinus, quod Deus futura contingentia non cognoscat, sed quod illa quæ futura sunt in se, non sint futura & absentia respectu Dei, qui illa videt tanquam præsentia, & æque perfecte ac si actu existerent. ,, Quid est præsentia, *inquit*, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia prætergreditur tempora? si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes, & per hoc jam non præscientia, sed scientia dici potest ".

*Objicies* 3. Id non potest a Deo certo cognosci, quod non habet determinatam veritatem; atqui futura contingentia libera non habent determinatam veritatem; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Qui enim de hujusmodi futuris dicit: Erunt pro tali tempore, verum dicit; ergo habet determinatam veritatem.

*Inst.* 1. Quod est indifferens ad esse, vel non esse non habet determinatam veritatem; atqui futura contingentia libera sunt hujusmodi; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quod est indifferens ad esse, vel ad non esse pro omni tempore, *conc.* pro aliquo tantum tempore, *nego maj.* Atqui futura contingentia libera, sunt indifferentia ad esse, vel non esse pro tempore præsenti, *conc.* pro quolibet tempore, *nego min.* Sunt enim determinata pro tempore futuro, pro quo futura prævidentur.

*Inst.* 2. Futura contingentia libera non habent causam determinatam; ergo non habent veritatem determinatam.

Resp. *dist. ant.* Non habent causam determinatam pro præsenti, *conc.* pro futuro, *nego ant.* Deus enim videt determinationem causarum futuram eo tempore, pro quo earum effectus præsciuntur futuri; unde jam habent veritatem certam & determinatam pro futuro, saltem respectu Dei, licet eam nos ignoremus.

*Objicies* 4. Præscientia futurorum stare non potest cum libertate hominis; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam præscientia est simplex & speculativus Dei intuitus, quo videt omnia futura, relinquens ea suæ naturali conditioni, ut scilicet eveniant necessario, vel contingenter, juxta causarum suarum veritatem; sicut visio nostra non immutat rerum visarum naturam, nec in illas influit.

*Prob. ant.* Quod Deus prævidit, necessario eveniet: alioquin falli posset præscientia divina; ergo præscientia libertatem hominis penitus evertit.

Resp. *dist. ant.* Eveniet necessario, necessitate hypothetica & consequente, *conc.* necessitate absoluta & antecedente, *nego ant.* Duplex itaque est necessitas, antecedens nimirum, seu absoluta, & consequens, seu hypothetica. *Necessitas antecedens* est ea, quæ præcedit liberam creatæ voluntatis determinationem; oriturque a causa, quæ voluntatem ita determinat ad agendum, ut potestatem ad oppositum non relinquat. *Necessitas consequens* est ea, quæ sequitur liberam creatæ voluntatis determinationem: sic ex hypothesi: quod loquor, non possum non loqui, quia actum cum non actu componere simul non possum. Porro quod Deus præscivit futurum, necessario futurum est necessitate consequente liberam voluntatis determinationem, quam Deus liberam futuram esse cognovit, non autem necessitate antecedente, quia, ut ait D. Hieron. (*In cap.* 26. *Jerem.*) ,, Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, ideo futurum est; sed quia futurum est, ideo Deus novit ". Unde addit D. Aug. l. 3. de lib. arbitr. cap. 4. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt ". Et proinde non officit libertati.

*Inst.* 1. Atqui quod Deus prævidit, necessario eveniet, necessitate etiam antecedente; ergo nulla allata distinctio.

*Prob. ant.* Præscientia Dei, quæ est ab æterno longe antecedit actiones nostras, quæ sunt in tempore; ergo si Deus illas prævideat, necessario futuræ sunt, necessitate etiam antecedente.

Resp. *dist. ant.* Præscientia Dei antecedit actiones nostras, ut existentes actu, *conc.* ut futuras & a nobis eliciendas, *nego ant.* Nam prius, secundum aliquod instans rationis, actiones nostræ futuræ sunt, quam a Deo prævideantur.

*Inst.* Si præscientia Dei non imponat necessitatem antecedentem rebus prævisis, illæ res possunt non evenire; atqui repugnat res a Deo prævisas non evenire, tunc enim falletur Dei præscientia; ergo.

Resp. *dist. maj.* Res illæ possunt non evenire, nulla facta hypothesi, *conc.* facta hypothesi quod eventuræ sint infallibiliter, *nego.* Sicut enim homo ambulans, nulla facta hypothesi, potest non ambulare, sed, facta hypothesi quod actu ambulet, non potest non ambulare; ita nulla facta hypothesi, seu antecedente ad futuram creatæ voluntatis determinationem, res a Deo prævisæ possunt non evenire; sed facta hypothesi quod infallibiliter futuræ sint, seu consequenter ad futuram creatæ voluntatis liberam determinationem, non possunt non evenire, alioquin essent infallibiliter futuræ, & non essent.

*Inst.* 3. Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi; atqui, si res a Deo prævisæ non evenirent, sequeretur maximum absurdum, nimirum præscientiam Dei posse falli; ergo non est possibile ut res a Deo prævisæ non eveniant.

Resp.

Resp. *dist. maj.* Nihil sequitur absurdi, si nulla hypothesis præcesserit, *conc.* si aliqua præcesserit hypothesis, *nego*. Res illustratur exemplo: si nulla præcesserit hypothesis, nihil sequitur absurdi, si homo qui potest sedere, sedeat: sed si præcesserit hypothesis quod actu ambulet, non potest pro illo instanti sedere; ergo a pari, si nulla præcesserit hypothesis, nihil sequitur absurdi, si actio hominis eveniat, vel non eveniat; sed si ponatur hypothesis, quod infallibiliter futura sit, & sic prævideatur a Deo, non potest non evenire, hæc enim pugnant.

*Objicies 5.* Si actio prævisa a Deo, sit infallibiliter futura, frustraneæ sunt consultationes & deliberationes; atqui falsum consequens, cum dicat Div. Petrus, Epist. 2. cap. 1. *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Ergo.

Resp. *nego maj.* Nam Deus non aliter prænoscit res futuras, quam futuræ sint; atqui res non sunt futuræ, nisi per suas causas & principia: ergo Deus prænoscit res futuras per tales causas; atqui inter rerum causas numerantur consultationes & deliberationes; ergo sedulo sunt adhibendæ.

*Prob. maj.* Vel Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum; *si primum*, quidquid egero, sive bonum, sive malum, salvus ero; *si secundum*, quidquid egero, damnabor; ergo, posita præscientia divina, frustraneæ sunt consultationes & deliberationes.

Resp. 1. *retorq. argumentum:* Vel Deus prævidit me fame moriturum, vel non; *si primum*, sive manducem, sive non manducem, fame moriar; *si secundum*, etiamsi non manducem, fame non moriar. Quid illo argumento insanum magis?

Resp. *dist. ant.* Deus prævidit me salvum fore, vel damnandum, propter bona, vel mala opera mea, eaque libera, *conc.* independenter a bonis vel malis meis operibus liberis, *nego ant.* Nempe, non nisi per bona opera obtinendam esse salutem æternam præordinavit Deus; quæ si fiant, Deus obtinendam salutem prævidet; si vero non fiant, salutem non obtinendam Deus prævidet, sed de hoc argumento infra.

*Objicies 6.* Si Deus bonus esset, & præscius futuri, & avertendi mali potens, non pateretur hominem labi de obsequio legis in mortem; atqui tamen hoc patitur: ita objicit Marcion, apud Tertull. l. 2. contra ipsum, cap. 5.

Resp. *nego seq. maj.* Deus enim (ut Tertull. respondet) liberum & sui arbitrii instituit hominem, qua perfectione abutitur homo dum peccat; eam vero homini, propter talem abusum, adimere non debuit Deus qui est provisor generalis, & qui etiam peccata hominum in manifestationem suæ justitiæ convertit.

### §. II. *In quo medio, seu motivo, Deus videat futura libera absoluta.*

*Nota*. Circa hanc celebrem controversiam quatuor præcipuæ sunt opiniones.

*Prima* est eorum, qui, ut omnem difficultatem fugiant, docent futura hæc videri in reali eorum cum æternitate coexistentia; cum enim, inquiunt, æternitas sit tota simul, omnesque temporis differentias absque divisione contineat, nihil ei futurum est, aut præteritum, sed omnia præsentia; ita *Cajetanus*, *Capreolus*, *Ferrariensis*, *Paul. a Lugd.*

*Secunda* est eorum, qui arbitrantur futura hæc videri in propriis eorum causis, proxime completis, & in actu primo consideratis. Ita *Alvarez*, *Cabrera*, *& multi Thomistæ*.

*Tertia* est Thomistarum, qui docent Deum omnia absoluta futura certo cognoscere in suis decretis absolutis & prædeterminantibus, quia, inquiunt, nihil est futurum libere in quocumque ordine vel statu, nisi quia Deus illud futurum prædefinivit & prædeterminavit.

*Quarta* est aliorum, qui, cum contendant Deum circa liberas hominis actiones nihil omnino absolute determinare ac prædefinire, nisi prius cognoverit quid homo facturus esset, si in his, vel illis circumstantiis collocaretur, si hæc vel illa gratia ipsi conferretur, omnia decreta absoluta & prædeterminantia rejiciunt, docentque illas a Deo videri, 1. In seipsis, objective ac determinative; 2. In essentia sua tanquam specie intelligibili infinita in repræsentando. 3. In decreto, quo, post operationem causæ secundæ prævisam per scientiam conditionatam, si concursum illi decernat, reipsa eidem concursum decernit. Ita multi Doctores Sorbonici, *Dumetz*, *Grandin*, &c. Quid nos circa hanc controversiam sentiamus, aperient sequentes conclusiones.

### CONCLUSIO I.

*Deus libera absoluta futura, non videt in reali eorum cum æternitate coexistentia.*

*Prob.* Ut Deus videat futura libera absoluta in reali eorum cum æternitate coexistentia, necesse est ut illa ab æterno realiter æternitati coexistant; atqui illa ab æterno non coexistunt æternitati; ergo, &c. *Prob. min.* Illa realiter ab æterno non coexistunt æternitati, quæ ab æterno non existunt, siquidem coexistere nihil aliud est, quam simul cum alio existere; atqui futura libera absoluta non existunt ab æterno, alias essent futura, & non essent; essent futura, ut supponitur; non essent futura, quia essent æterna; ergo ab æterno non coexistunt æternitati realiter.

#### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies 1.* Illud realiter coexistit æternitati, quod æternitas complectitur; atqui æternitas complectitur omnia tempora, præsentia, præterita, & futura; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Infinita & indivisibilis duratio complectitur omnia omnino tempora; atqui æternitas est infinita & indivisibilis duratio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Complectitur omnia tempora, quæ existunt, *conc.* quæ non existunt, *nego maj.* Porro futura non existunt actu; ergo non coexistunt æternitati, sed coexistent quando erunt actu; idem enim debet esse de æternitate Dei judicium, quod de immensitate, quæ, cum infinita sit & invisibilis, omnia ambit loca, sed ea duntaxat quæ sunt, non vero ea quæ nondum sunt.

*Inst. 1.* Quod toti æternitati, quæ est tota simul, coc-

coexistit, ipsi ab æterno coexistit; atqui futura contingentia absoluta toti æternitati coexistunt; ergo.

*Resp. nego min.* Equidem quando illa futura erunt, toti æternitati coexistent; sed nondum coexistunt.

*Prob. min.* Quod coexistet rei quæ est tota simul, jam ei coexistit; atqui futura coexistent æternitati, quæ est tota simul; ergo.

*Resp. dist. min.* Quia æternitas, licet sit tota simul, tamen virtualiter est extensa, & durationi infinitas partes sibi succedentes habenti æquipollet; sicque quod finitam durationem habet; æternitati secundum ejus totam entitatem respondet quidem, non vero secundum omnes ejus partes virtuales, nec proinde dici potest illi ab æterno coexistere.

*Objicies* 2. SS. Patres docent Deo nihil esse futurum, sed omnia præsentia. D. August. (*L.* 15. *de Trinit. cap.* 7.) *Præterita*, inquit, *& futura cum præsentibus sint cuncta*, Deo, *præsentia*. Et l. 2. ad Simplician. quæst. 2. *Quid futurum est Deo*, inquit, *qui omnia prætergreditur tempora?* Ergo.

*Resp. dist. ant.* Deo nihil est futurum quoad cognitionem, *conc.* quoad realem existentiam, *nego ant.* Itaque nihil Deo futurum, sed omnia præsentia dicuntur, quia res futuras ita clare ac certo intuetur, ac si non tantum futuræ, sed præsentes essent; nec alia est mens SS. Patrum & D. August. qui ibid. dicit, quod in scientia Dei *ab aliis ad alia cogitando non transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sunt universa.*

*Inst.* 1. Atqui D. Aug. docet omnia Deo esse præsentia quoad realem existentiam; ergo.

*Prob. subseq.* Div. Aug. *l.* 5. *de Trinit. cap.* 16. ait: *Apud Deum nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt.* Ergo.

*Resp. dist. ant.* Jam facta sunt in scientia Dei; *conc.* in se ipsis, *nego ant.* Sic sese explicat D. Doctor, *l.* 5. *de Genes. ad litteram*, *c.* 18. dicens: „ Antequam fierent, & erant, & non erant; erant in Dei scientia, non erant in sua natura ". Quid disertius?

*Inst.* 2. D. Thom. hic qu. 13. ait: „ Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, sed qua ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate ". Ergo Deus videt futura libera, prout jam facta sunt in æternitate.

*Resp. dist. ant.* Prout sunt in sua præsentialitate objectiva, *conc.* reali, *subdist.* pro tempore in quo exituræ sunt, *conc.* pro æterno, *nego ant.* Itaque hoc unum vult D. Thomas, nullam esse successionem in scientia Dei, cum una eademque cognitione, res videat antequam existant, & cum existere incipient; ait enim ibidem: „ Licet contingentia fiant in actu successivo, non tamen Deus successive cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul; quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse ". Ex quo fit ut non alio modo feratur in res, dum futuræ sunt, quam si in se existerent; sicque eas habet in sua præsentialitate, scilicet objectiva. Ita explicat Ægidius Romanus D. Thomæ auditor, *in opusc. contra corruptorem doctrinæ Sancti Thomæ*, ubi ad objectionem propositam dicit, falso imponi S. Thomæ, quod scripserit, omnia quæ sibi invicem succedunt in tempore, in natura propria coexistere in æternitate.

## CONCLUSIO II.

*Deus libera absoluta futura non videt in proximis eorum causis actu primo consideratis.*

*Prob.* 1. Ex D. Thom. quæst. 14. art. 13. „ Quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Deus autem (*cujus cognitio est certa metaphysice, non autem moraliter tantum*) cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso ".

*Prob.* 2. *ratione.* Unum non potest infallibiliter in alio cognosci, nisi illud aliud habeat infallibilem connexionem cum illo; atqui causa libera, nempe voluntas, etiam proxime ad agendum disposita, non habet infallibilem connexionem cum effectu futuro libero, quia hæc, positis omnibus antecedenter ad agendum requisitis, adhuc manet indifferens ad agendum vel non agendum: ergo effectus non potest in sua causa certo cognosci.

*Dices*: Deus, cognitione sua, comprehendit voluntatem humanam; ergo certo videt in ea omnes ejus effectus futuros.

*Resp. nego conseq.* Hujus enim comprehensionis vi, effectus causæ liberos certo cognoscit ut possibiles, non vero ut futuros, quia causa libera remanet semper ad agendum ex se indifferens & indeterminata.

## CONCLUSIO III.

„ Deus futura libera absoluta cujuslibet ordinis, sive naturalis, sive supernaturalis, in quocumque naturæ statu, sive innocentis, sive lapsæ, non cognoscit in suis decretis absolutis physice præmoventibus.

*Nota.* Hanc gravem controversiam tractaturi sumus articulo sequenti; ideo, ne multoties eadem refricare cogamur, hanc conclusionem unico argumento hic probabimus. Itaque

*Prob.* Non sunt admittenda in Deo decreta absoluta & physice prædeterminantia, antecedentia omnem voluntatis creatæ determinationem; ergo Deus absoluta futura in hujusmodi decretis non videt.

*Prob. ant.* Decreta Dei absoluta & physice præmoventia, non satis cum dogmate catholico circa humanam libertatem cohærere videntur; ergo non sunt in Deo admittenda.

*Prob. ant.* Posito decreto absoluto physice præmovente, actiones nostræ non sunt in nostra potestate; ergo.

*Prob. ant.* Quotiescumque aliquod prævium & antecedens non est in nostra potestate, nec a nobis impedibile, toties effectus, qui ex illo consequitur, non est in nostra potestate; atqui decretum absolutum & physice præmovens, non est in nostra potestate, cum, ex adversariis, sit ante omnem prævisionem determinationis voluntatis nostræ ad agendum, nec est a nobis impedibile, cum,

eum ex iisdem, motione ineluctabili & insuperabili applicet voluntatem ad actum; ergo actio consequens ex illo decreto, non est in nostra potestate.

*Respondent Thomistæ*, apud Gonet. (*Disput.* 4. *art.* 5. §. 8.) *ad majorem*, quod prævium decretum prædeterminans non tollat libertatem, quia, *licet non procedat ab ipsa libertate, & electione voluntatis humanæ, oritur tamen ab ejus principio, primaque veluti radice, efficacia, scilicet divinæ voluntatis.* Sed

*Contra est*, Quia illud tollit libertatem, quod tollit proprium agendi modum libertatis creatæ, in eo positum, ut se ipsam determinet ad agendum; atqui decretum prævium, ad actionem insuperabiliter movens, tollit proprium agendi modum libertatis creatæ; ergo.

*Respondent negando min.* Quia decretum Dei efficax, non tantum attingit substantiam actionis, sed & illius modum, ita ut moveat creaturas modo naturæ earum accommodato, necessarias necessario, liberas libero, juxta illud D. Thom. (1. *p. q.* 19. *art.* 2. *ad* 2.) *Ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit; sequitur quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario quæ sic fieri vult.* Sed

*Contra est*: Quia semper manet eadem difficultas, quo nimirum modo possit conciliari libertas creata cum efficacia gratiæ, imo magis implicatur per illam responsionem quæ implicat, quia per idem decretum Deus efficaciter vellet, ut v. g. libere loquar, & non libere loquar; libere quidem, ex responsione adversariorum; non libere, cum non possim motioni divinæ dissentire, imo, cum juxta illos, implicet ut non fiat quod Deus efficaciter decrevit, quod est contra Conc. Trid. (*Sess.* 6. *can.* 4.) definiens, *liberum arbitrium a Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit.* Nec ipsis favet D. Thomas: equidem fiunt contingenter, vel necessario quæ sic fieri vult Deus; sed an vult per decretum prædeterminans? minime; sed vult tantum per decretum supponens prævisionem operationis causæ secundæ liberæ: sic sese explicat D. Thom. (*Quæst.* 14. *art.* 13. *ad* 2.) dicens: *Si dicam, si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens intelligendum est prout subest divinæ scientiæ.*

*Respondent*, Voluntatem quidem non posse divino decreto & ejus motioni dissentire in sensu composito & potentia consequenti, *ita ut de facto conjungatur & componatur actualis resistentia, seu dissensus cum divino decreto, ejusque motione*, ut explicat Gonet; bene vero dissentire posse in sensu diviso, & potentia antecedenti; Sed

*Contra est*: Quia, juxta Canonem Trident. voluntas motioni divinæ potest dissentire, etiam in sensu composito gratiæ ipsam moventis & excitantis; atque adeo retinet indifferentiam proxime expeditam ad actum oppositum: ergo illa doctrina videtur contraria definitioni Tridentinæ.

*Respondent Thomistæ*, Juxta doctrinam Tridentinam sufficere, ut voluntas, prout subest divino decreto ejusque motioni, servet potentiam ad resistendum & ad eliciendum actum oppositum; atqui voluntas, prout subest divino decreto, servat potentiam ad resistendum & ad eliciendum actum oppositum, non quidem in sensu composito actionis, sed in sensu diviso, quia, inquiunt, decretum prædeterminans non potentiam, seu voluntatem afficit, sed actum ipsum, hoc est, non datur ad posse, sed agere; ergo &c. Sed

*Contra est*, 1. Quia voluntas in sensu diviso nunquam potest facere actum oppositum actui prædefinito, defectu præmotionis efficacis, quam adversarii volunt absolute necessariam esse ad determinandam causam liberam; ergo potentia illa antecedens, ad oppositum non est expedita, sed impedita, proindeque vera impotentia; nam quoquo modo sensum compositum & divisum explicent, eo reduci debet, quod sensus compositus sit stante prædefinitione, & sensus divisus ea ablata.

*Contra est*, 2. Juxta Thomistas, præmotionis physicæ munus est perficere potentiam, tollendo ejus indeterminationem, indifferentiam, & potentialitatem; ergo non tantum attingit actum, sed præcipue potentiam, quam complet.

*Respondent ad primum*, Adversarios suos teneri similiter admittere distinctionem sensus compositi, & sensus divisi, cum, juxta illos, gratia efficax nunquam conjungatur cum actuali resistentia, seu dissensu. Sed

*Contra est*: Quia sensus noster compositus, amicus est libertatis; oritur enim ab illius intrinseco usu & exercitio, & ex prævisione nostræ cooperationis, seu voluntatis se determinantis, ut infra explicabimus; e contra sensus compositus adversariorum oritur ab extrinseco, nempe a decreto antecedente prævisionem nostræ cooperationis, ex quo tollitur libertatis exercitium.

## CONCLUSIO IV.

„ Deus certo videt futura libera absoluta, tum in se ipsis objective & terminative, id est, in determinata eorum veritate; tum in sua essentia, tanquam in specie intelligibili in repræsentando; tum in decreto, quo decernit actu concurrere cum causa libera ad suum actum, in hypothesi quod præviderit eam acturam, si concursum suum decerneret. “

*Prob. prima pars*: Quia, ut Deus futura libera cognoscat in illorum determinata veritate, sufficit ut hic cognoscendi modus sit possibilis, nam aliunde nihil habet Deo indignum; atqui hic modus cognoscendi est possibilis; ergo.

*Prob. min.* Ut hic modus sit possibilis, sufficit ut Deus sit infinite cognoscitivus, & futura libera habeant veritatem per se cognoscibilem; atqui Deus est infinite cognoscitivus, ut per se patet, & futura libera habent veritatem per se cognoscibilem: nam unumquodque eo ipso quo est, & eo modo quo est, seu præsens, seu præteritum, seu futurum, suam habet veritatem, eamque per se cognoscibilem; ergo, &c. Unde Div. Thom. (*q.* 14. *art.* 6. *ad* 1.) ait: *Deus non solum cognoscit res esse in se ipso, sed per id quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura.*

*Nec dicas*: Ad cognitionem alicujus rei requiritur medium: atqui determinata rei veritas non potest esse medium, quo ipsa cognoscatur; ergo res non potest cognosci in determinata sui veritate.

*Resp. nego maj.* Generatim sumptam; nam & Deus

Deus sine medio suam cognoscit essentiam, & nos ipsi absque medio cognoscimus prima principia, quæ propterea dicuntur immediata; ergo quia quidquid perfectionis est in creatura, Deo denegandum non est, futurorum in seipsis cognitio ei tribuenda est.

*Secunda pars* probata manet ex eis quæ diximus articulo secundo, ubi probavimus Deum videre possibilia in sua essentia tanquam in specie intelligibili; utrobique enim par eademque ratio est & probatio.

*Prob. tertia pars*: Deus futura libera absoluta videt in illo medio, quo posito, de illis futuris verum est dicere, *erunt*, & quo non posito, id dici non potest; atqui posito decreto, quo prævisa per scientiam conditionatorum operatione causæ liberæ, si concursum illi decernat, re ipsa eidem concursum illum decernit, de illis futuris verum est dicere, *erunt*, quo non posito, id dici non potest; nam eo posito, res futura est absolute, nec ante futura est absolute, quam illud sit ponendum, licet conditionate futura sit; ergo.

*Objicies*: Non datur decretum, quod subsequatur prævisionem operantis causæ liberæ; ergo.

Resp. *nego ant.* Quare enim non daretur? *An quod supponat scientiam conditionatorum, quæ non detur?* sed illius existentiam probabimus articulo sequenti. *An quod necessitet causam liberam?* sed ei, ut exigit, sese accommodat, cum non detur, nisi prævisa sub conditione illius operatione, in quo differt a decreto prædeterminante. *An quod sit inutile?* at videtur utilissimum, quia sapientiæ Dei admodum convenit, ut non decernat concursum suum vage & confuse, nimirum sub hac conditione, *si causa secunda, quæ potest velle & non velle operari, operari voluerit;* sed determinate, ut nempe re ipsa decernatur auxilium, quocum prævidetur causa secunda operatura.

Quæres: *Quinam ex tribus illis modis, quibus Deus libera absolute futura videt, sit primus?*

Resp. Modus ille in decreto videndi, est primus; quia, cum decretum habeat rationem causæ, seu potius concausæ respectu contingentium absolute futurorum, & sit prius causam videri, & proinde effectus in causa (si cognitio perfecta sit) quam effectum ipsum: consequens est quod contingentia absolute futura, quatenus absolute futura, prius videantur in decreto, quam vel in se ipsis, vel per speciem sui intelligibilem,

## ARTICULUS IV.

### *De scientia conditionatorum.*

*Nota.* Duplici sectione quæremus 1. Utrum Deus certo videat contingentia libera sub conditione futura. 2. Quo in medio, seu motivo, illa videat.

### SECTIO I.

#### *Utrum Deus certo videat futura libera conditionata?*

*Futura libera conditionata Deus certo novit, etiam ea, quorum non est ponenda conditio.*

*Prob.* 1. Ex Script. Id Deus certo & determinate cognoscit, quod futurum prædixit; atqui Deus certo & determinate prædixit futura sub conditione, etiam ea quorum nunquam est ponenda conditio; ergo.

*Prob. min.* Tribus Sacræ Scripturæ textibus.

*Primus*, 1. Reg. 23. cum David in urbem Ceilam fugisset, & Saul ad urbem obsidendam, Davidemque capiendum accederet, David de duobus Dominum interrogat, dicens: *Si tradent me viri Ceila in manus ejus?* Saul; *& si descendet Saul? . . . & ait Dominus, descendet . . . tradent.* Ista interrogatio est de futuro, & quidem sub conditione non ponenda, si nempe ibi maneret David, & tamen respondit Dominus, *descendet, tradent.* Ergo hoc certo futurum noverat.

*Secundus*, Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ergo certo noverat Dominus animum esse immutandum, si homo ille diutius vixisset; super illa verba loquens D. August. (*L. de dono persever. c. 9.*) ait: *Certo poterit illos Deus, præsciens esse lapsuros, auferre de hac vita.*

*Tertius*, Matth. 11. *Væ tibi, Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Compertum ergo id erat Christo, & quidem certo & infallibiliter: alioquin nullus extitisset justæ exprobrationi locus.

*Prob.* 2. *ratione.* Quidquid est determinate verum, scitur a Deo; atqui futura conditionata, sunt determinate vera; tum quia possunt fieri de iis contradictoriæ propositiones, quarum necesse est alteram esse determinate veram, alteram determinate falsam. Tum quia propositio absoluta de futuro conditionato, v. g. *Petrus positus in tali occasione peccabit*, est vera; ergo & hæc prop. conditionalis vera est: *Si Petrus poneretur in tali occasione, peccaret.* Imo conditionalis ista prius vera est, quam illa absoluta.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. SS. Patres, maxime Augustinus, Fulgentius, & Prosper, affirmant nihil a Deo præsciri, nisi quod re ipsa futurum est. *Scimus namque*, ait D. Fulgent. (*L. 1. de verit. prædest. cap. 7.*) *præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, vere futura sint.* Ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Affirmant nihil a Deo præsciri absolute, nisi quod reipsa futurum est, *conc.* conditionate, *nego ant.* Itaque aliquando SS. Patres statuunt scientiam absolute futurorum, ut probent contra semi-Pelagianos Deum non puniturum, aut præmiaturum ea opera quæ futura duntaxat fuissent ex aliqua conditione nunquam ponenda; sed ea duntaxat opera quæ reipsa futura sunt absolute. Verum iidem Patres non rejiciunt scientiam conditionatorum, quam infinitis locis propugnant.

*Inst.* 1. Illi rejiciunt scientiam conditionatorum, qui eam in semi-Pelagianis damnant ac irrident; atqui SS. Patres in semi-Pelagianis scientiam conditionatam damnant & irrident; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Qui eam simpliciter & in se spectatam damnant, *conc.* qui eam damnant ratione

ne abusus illius scientiæ a semi-Pelagianis facti, *nego maj.* Atqui Sancti Patres damnant, &c. ratione abusus, *conc.* ratione sui ipsius, *nego min.* Itaque semi-Pelagiani abutebantur scientia Dei conditionata, docentes, causam prædestinationis ad fidem & gloriam, esse bona opera ex solis viribus liberi arbitri elicita, quæ Deus futura prævidebat; & cum urgerentur exemplo infantium, qui, meritis pares, a Deo tamen, occulto judicio, ita secernuntur, ut alii sine baptismate decedant ex hac vita, alii contra, baptismate donati, salutem consequantur, respondebant: (*Test. Aug. & Prospero. Epist.* 194. *ad Sixtum.*) „ Deus in eis quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret: & ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo fecit emori; sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit ". Quod manifeste falsum est, quodque reprobat Div. August. (*L. de prædest. Sanct. cap.* 12.) „ Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum "?

*Inst.* 2. Ex Aug. (*L. contra Faustum, cap.* 4.) *Omnia quæ vere futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant.* Atqui quæ futura sunt sub conditione non ponenda, nunquam fient; ergo non sunt futura; ergo illa non præscit Deus.

Resp. *dist. maj.* Si autem facta non fuerint, futura non erant, absolute, *conc.* conditionate, *neg maj.* Ex hoc loco colligi duntaxat potest futura sub conditione non ponenda, non esse vere futura, quod verum est; sed inde male infertur, quod non fuerint futura, si quædam conditio fuisset posita; porro Deus non tantum cognoscit vere futura, sed etiam ea quæ futura fuissent, si aliqua conditio posita fuisset.

*Objicies* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 14. *art.* 9. duplicem solum scientiam distinguit; alteram simplicis intelligentiæ, alteram visionis; ergo nullam agnoscit scientiam conditionatorum.

Resp. *dist. conseq.* Non agnoscit scientiam conditionatorum, distinctam a scientia simplicis intelligentiæ, *conc.* quæ sit veluti ejus pars, *nego*. Itaque juxta Div. Thom. scientia conditionata non tam est distincta specie a scientia simplicis intelligentiæ, ut opponitur scientiæ visionis, quam ejus pars, quæ opponitur alteri parti, quæ est rerum mere possibilium: nam *scientia media* est rerum, non ut mere possibilium, sed ut exiturarum sub conditione, abstrahendo a positione conditionis, & proinde ab eo quod actu exituræ sint: atque adeo *media* dicitur, quod sit objecti medii inter res mere possibiles & existentes actu. Unde quod scientia Dei adæquate dividatur *in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis*, & *mediam*, vel quod dividatur tantum in *scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis*, nobis est indifferens, cum sit quæstio de nomine; modo tamen Deo tribuatur scientia conditionatorum, de qua infra.

## SECTIO II.

*Quo in medio, seu motivo, Deus videat libera sub conditione futura, seu, ut alii loquuntur, futuribilia.*

*Nota* 1. Si quæ sit Scholæ controversia in qua omnia præjudicia necessario sint deponenda, hæc certe est quam aggredimur, quæ licet tota sit scholastica, origo tamen fuit omnium Congregationum *de auxiliis*, quæ tanto æstu coram SS. Pontificibus Clem. VIII. & Paulo V. inter PP. Dominicanos ex una parte, & PP. Societatis ex altera, fuerunt agitatæ, in quibus nihil fuit definitum, sed utraque opinio liberæ Scholasticorum voluntati fuit permissa, graviterque prohibitum fuit, ne quis alterutram ulla Pelagianismi & semi-Pelagianismi, aut Calvinismi censura notaret.

*Nota* 2. Totus hujusce controversiæ cardo in eo consistit, utrum scientia conditionatorum futurorum, sit posterior decreto absoluto Dei prædefinientis & prædeterminantis illius scientiæ objectum; affirmant Thomistæ, negant alii; sed ut comperta fiat utraque sententia, exponendus est ordo decretorum Dei, qui in utroque systemate statuitur.

*Nota* 3. In systemate Thomistarum, hic fingitur decretorum Dei ordo:

1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit omnia, quæ potest efficere.

2. Deus, voluntate, saltem generali & antecedente, vult omnium salutem, eisque sufficientia gratiæ auxilia vult subministrare, quibus possint salvari.

3. Decreto suo absoluto, ac præcedente omnem conditionatorum scientiam, statuit aliquibus hominibus auxilia gratiæ ex sese efficacis concedere; aliis vero non concedere, nisi ea, quæ, licet sufficientia non sunt, tamen efficacia. Et ne cogantur dicere omnia futura, esse absolute futura, duplex distinguunt in Deo decretum absolutum, nempe absolutum, tum ex parte subjecti, scilicet Dei, tum ex parte objecti, nempe hominis, v. g. *decerno Petrum cras oraturum*. Et decretum absolutum ex parte subjecti, sed conditionatum ex parte objecti, v. g. *decerno Petrum cras moriturum, si eat in Ecclesiam*.

4. Absoluto & efficaci decreto Deus alios efficaciter ad gloriam & gratiam ex sese efficacem prædestinat, alios vero, saltem negative, reprobat.

5. Per scientiam visionis Deus cognoscit quidquid facturus est, tum absolute, tum sub aliqua conditione ponenda: nam si conditio nunquam sit ponenda, illius futuri cognitio pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ.

*Nota* 4. In systemate scientiæ conditionatorum, quæ postea dicta est *scientia media*, Dei decretorum ordo sequens fingitur.

1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videt omnia quæ efficere potest, &, ex iis omnibus, produxit Angelos & homines quos ad finem supernaturalem destinavit.

2. Prævidit & permisit lapsum Angelorum & hominis.

3. Redemptorem destinavit hominibus omnibus, eosque

eosque antecedenter ad prævisionem meritorum sincera voluntate decrevit salvare, si vellent obedire mandatis, atque eis præparavit generalia saltem gratiæ sufficientis auxilia, quibus ad salutem æternam pervenire possent, si vellent.

4. Per scientiam conditionatorum videt quidquid homo facturus esset, si in his vel illis circumstantiis collocaretur; si hæc vel illa gratiæ auxilia ipsi conferrentur, non quod prævisus sub tali gratia voluntatis consensus, sit Deo causa & ratio, quæ illum certo moveat atque determinet ad gratiam concedendam; absit: non ita est; multi enim sunt quorum futurus prævidetur consensus, quibus tamen gratia illa, occulto, sed justo Dei judicio, denegatur, ut exemplo Tyriorum & Sydoniorum manifestum est: gratia itaque ex mera Dei benignitate, pro beneplacito ipsius confertur; ideo prævisus ille consensus est tantummodo ratio, qua Deus, juxta nostrum concipiendi modum, dirigitur in suis decretis absolutis formandis, & sub efficaci Dei motione salva remanet humana libertas.

*Porro*, in scientia conditionatorum reperitur decretum conditionatum ex parte Dei, seu, ut accuratius loquar, scientia conditionatorum includit conditionate decretum, quod est pars necessaria conditionis, sub qua effectus eveniret; v. g. quando Deus futuram sub conditione Tyriorum conversionem prævidit, non dixit, *vellem, ut si fierent miracula, converterentur:* velleitates enim illæ, & actus suspensionis, sonant imperfectionem, quæ a Deo prorsus removeri debet. Sed dixit: *Si vellem fieri apud Tyrios miracula, quæ facta sunt apud Corozaitas, eisque gratiam concedere, quam concessi Corozaitis, converterentur.* Ubi evidens est, decretum esse partem ipsius conditionis, sub qua prævisa fuit Tyriorum conversio.

5. Inter multa gratiæ auxilia, quibus homo, vel consensurus, vel non consensurus prævidetur, illa Deus ex mera benignitate absoluto decreto conferre statuit, quibus homo reipsa est consensurus, quæ certe gratia est speciale donum in ratione beneficii, cum detur talis, & tunc, quando prævidetur profutura.

6. Per scientiam visionis, certo & infallibiliter cognoscit Deus, quidquid homo, gratia præmunitus, simul cum illa, in tempore operaturus est.

*Nota* 5. Juxta systema Thomistarum, certitudo divinæ scientiæ repetitur ex decretis Dei absolutis, quibus, antecedenter ad prævisionem hominis consensus, decernit ac determinat quid homo facturus sit, ac proinde hæc decreta conditionalem actuum liberorum futuritionem antecedunt, prioritate, non tantum temporis, sed & causalitatis. E contra in systemate scientiæ mediæ, Decreta Dei absoluta sequuntur, non vero antecedunt scientiam conditionatorum. Unde

Scientia media definitur, *cognitio certa & infallibilis actuum liberorum sub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei absoluto, eoque anterior.* His exacte notatis, sit

## CONCLUSIO I.

*Deus libera sub conditione futura non videt in decretis absolutis ex parte sui, & conditionatis duntaxat ex parte creaturæ liberæ.*

*Nota.* Paragrapho præcedenti, *Prop.* 3. jam probavimus decreta Dei absoluta & prædefinientia non satis cum libertate hominis cohærere, quod directe hanc nostram probat conclusionem; ulterius tamen.

*Prob.* 1. Christus. *Matth.* 11. objurgat Judæos præ Tyriis, quod non egerint pœnitentiam, quam egissent Tyrii, si habuissent eadem gratiæ, tum externæ, tum internæ auxilia, quæ habuerunt Judæi; atqui si Christus non novit conversionem Tyriorum, nisi dependenter a decreto absoluto ex parte sui, hæc objurgatio, Judæi facta præ Tyriis, non esset justa, quod dicere nefas est; ergo, &c. *Prob. min.* Qui destitutus fuit auxilio absolute necessario ad faciendum aliquem actum bonum, & illum omisit, injuste objurgatur præ alio, qui eum fecit instructus auxilio ad illum faciendum necessario, & quo posito repugnat actum non fieri; atqui in doctrina prædeterminantium Judæi destituti sunt auxilio prædeterminante, absolute necessario ad agendam pœnitentiam; Tyrii vero illud habuissent, & eo posito repugnasset ut non egissent pœnitentiam; ergo Judæi injuste a Christo objurgati fuissent præ Tyriis.

*Prob.* 2. Decreta absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte hominis, sunt inania & majestatis divinæ omnino indigna; ergo, &c. *Prob. ant.* Inane est, & majestatis divinæ omnino indignum, quod Deus statuat fieri, quod non fieri absolute decernit; atqui per decreta absoluta ex parte subjecti & conditionata ex parte objecti, Deus absolute statueret fieri, quod non fieri absolute decernit, statuendo conditionem, sine qua non possunt fieri, nunquam esse ponendam, v. g. „ Statuo Tyrios pœnitentiam acturos, si apud ipsos fierent miracula quæ facta sunt apud Judæos, sed simul statuo talia miracula apud ipsos nunquam operari. *Ergo &c.* "

*Prob.* 3. Si admitterentur decreta prædeterminantia absoluta pro futuritione rerum conditionatarum, 1. Deus nihil videret ante suum decretum, 2. Æque definiret peccata conditionate futura, ac alios omnes actus creaturarum; atqui utrumque falsum, & doctrinæ D. Augustini contrarium, utrumque constituit Deum causam & authorem peccati; ergo &c.

*Prob. prima pars min.* D. Aug. (*L. de prædest. Sanctor. cap.* 10.) sic loquitur: „ *Prædestinatio*, id est, absoluta prædefinitio, est quæ sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. " Ergo Deus aliqua videt ante decretum absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti.

*Prob. secunda pars min.* Qui, antecedenter ad prævisam voluntatis creatæ determinationem, prædefinit actus illos, a quibus inseparabilis est peccati malitia, ad illosque physice præmovet, est causa & author peccati; atqui &c.

*Respondent Thomistæ*, Deum prædefinire [illegible] tatem actus peccaminosi, ad eamque physice præmovere, non vero ad malitiam illius actus, quam adversatur & prohibet; sed:

Con-

*Contra est* 1. Quia non potest intelligi prædeterminatio ad entitatem actus peccaminosi, quin sit prædeterminatio ad ipsius malitiam, seu ad actum, ut malus est. Nam quisquis est author actus, cui annexa est malitia, ad eumque prædeterminat secundum entitatem, is quoque ad eum prædeterminat, ut malus est; ergo Deus non potest intelligi prædeterminate ad actum malum, quin ad eum prædeterminet, ut malus est. Quare enim Deus exciperetur? *an quod non intendit malitiam actus?* at neque homo malitiam intendit, & tamen est author actus mali, ut malus est. *An quod malitia dicit tantum ordinem ad causam secundam?* sed quidni & ad primam, si eumdem actum ponat quem causa secunda, & eum velit ac intendat ante causam secundam? Alias & mentiri posset Deus, & seipsum odisse sine ulla malitia, quoniam malitia ad solam causam secundam ordinem diceret; quo nihil absurdius dici potest. *An quod Deus bono fine prædeterminet?* at quisquis alium ad actum, qui non potest non esse malus, impellit, quocumque fine imbuat motionem suam, is est commissi peccati reus.

*Nec dicant*, Quod Deum absolvat a peccato, prædeterminandi necessitas; nempe creata voluntas indifferens est & indeterminata; ergo necesse est ut a Deo physice præmovente ad agendum determinetur. *Resp.* Enim voluntatem sese ipsam determinare, & a statu indifferenti sese, per vim suam activam, ad actum reducere; ergo Dei determinatio non est necessaria.

*Contra est*. 2. Quia si Deus, præmovendo creaturam liberam ad entitatem peccati, non præmoveret ad ejusdem malitiam, nihil esset in quo Deus videre posset peccati malitiam; attamen illam certo cognoscit, ut docet D. August. supra citatus.

*Respondent*, Deum cognoscere peccata in suo decreto permissivo. *Sed hoc falsum est:* nam decretum illud permissivum, vel supponeret prævisionem peccati, si illud permitteret & ad illud concurrere paratus esset; vel non supponeret. *Si primum*, esset eadem sententia, quæ nostra. *Si secundum*, decretum illud permissivum diceret voluntatem negandi auxilium necessarium ad peccatum vitandum; ex quo necessario sequeretur peccatum: & sic Deus Angelis, qui lapsi sunt, etiam ante omne peccatum, denegasset auxilium illis necessarium, ut peccatum vitarent, quo durius nihil, nihil a voluntate divina alienum magis; ergo recurrit, ut Deus viderit illorum peccatum in decreto absoluto suæ voluntatis prædeterminantis futurum saltem materiale illorum actus peccaminosi; at non cognovit in illo decreto, tum quia, ut probatum est, esset author illorum peccati, tum quia illud decretum repugnat D. Anselmo, *l. de casu diaboli*, *c.* 27. ubi dicit, *voluntatem Angeli desertoris nullam habuisse causam peccati, præter seipsam*. Et cap. 28. asserit actum malum voluntatis esse a Deo, sed non sponte dante, id est, non sponte concurrente, quoniam bonitati Dei repugnat actum illum sponte dare, cum tamen illum sponte daret, si ad eum prædeterminaret.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Est in Deo vera & sincera voluntas antecedens salvandi omnes; atqui illa voluntas antecedens, est absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte creaturæ; ergo decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, non sunt rejicienda.

Resp. *dist. min.* Illa voluntas est absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte creaturæ, ita ut conditio pendeat a sola creatura, *conc.* ita ut conditio pendeat vel a solo Deo, vel partim a Deo, partim a creatura, *nego* .... Itaque est in Deo vera & sincera voluntas salvandi omnes, si illi mandatis obedientiam præstiterint, quæ conditio pendet a solo homine, quia Deus, quantum est ex se, omnibus dat, aut saltem offert media, quæ sunt ad salutem consequendam necessaria. Porro non rejicimus decreta absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte creaturæ, quando conditio pendet a sola creatura; sed illa rejicimus, quando conditio pendet a solo Deo, aut saltem partim a Deo, partim a creatura; nec Deus ex sua parte conditionem illam vult implere, illa certe sunt ludrica & superflua, indigna consequenter majestatis divinæ.

*Objicies* 2. Voluntas creata ex se est indifferens & determinata; ergo debet determinari a Deo.

Resp. *nego conseq.* Nam causa secunda libera, sese ipsam in actu secundo determinat quantum ad exercitium, quatenus sic agit, ut possit non agere; alias non esset libera.

*Inst.* 1. Deus est causa prima & universalissima; atqui talis non esset, nisi causam secundam physice, per decretum absolutum, præmoveret ad agendum; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Nec enim Deus dicitur causa prima, quod prius tempore debeat influere in effectum, quam causa secunda; sed dicitur causa prima, 1. Quod a nulla alia causa vim agendi accipiat, cæteræ vero ab ea vim agendi habeant. 2. Quod causa prima possit absolute omnia sine secunda operari, e contra causa secunda nihil possit efficere sine prima concurrente & operante. 3. Quod concursus causæ primæ sit universalis, concursus vero causæ secundæ, sit particularis.

*Inst.* 2. D. Thom. (1. *p. q.* 19. *art.* 3. *ad* 5.) ait: *Oportet quod causa, quæ est contingens, determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*. Ergo Deus ideo dicitur causa prima, quod prius natura debeat influere in effectum, quam causa secunda.

Resp. *nego conseq.* Nam ad summum admittit Div. Thom. determinationem moralem, non vero physicam, art. enim 8. dicit: *Vult quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant.* Atqui tolleretur illa contingentia per physicam prædeterminationem; cum autem admittitur determinatio moralis, illa est a Deo *positive* circa actus meritorios, & circa malos *permissive* tantum.

Cæteræ objectiones proponentur conclusione tertia & solventur.

## CONCLUSIO II.

*Deus libera conditionate futura videt, tum in se ipsis,*

*ipsis, tum in essentia sua tanquam in specie intelligibili.*

*Prob.* Ideo (ut probavimus supra) Deus cognoscit futura libera absoluta in seipsis & in essentia divina, quia illa habent suam intelligibilitatem, & Deus vim intelligendi infinitam, & quia essentia divina propter suam in repræsentando infinitatem, est omnium rerum species intelligibilis; *atqui* eædem rationes valent pro contingentibus liberis sub conditione futuris, quæ non secus ac illa habent suam intelligibilitatem; ergo &c.

## CONCLUSIO III.

*Deus libera conditionate futura videt per scientiam mediam, in qua includitur Dei decretum de futuritione rei conditionate ponendum, tanquam pars conditionis, sub qua res esset futura, & ut talis prænoscitur.*

*Prob.* 1. Scientia media, est certa & infallibilis cognitio actuum liberorum sub conditione futurorum, independens ab omni decreto Dei absoluto, eoque anterior; atqui Deus per talem scientiam cognoscit libera sub conditione futura; ergo, &c.

*Prob. min.* Ex SS. Patribus. Aug. l. 1. ad Simplic. q. 2. *Cujus autem miseretur*, inquit, *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Et D. Chrysostom. *Hom.* 31. *in Matth.* quærens cur Christus Matthæum, *non cum Petro simul ac Joanne, & aliis discipulis vocavit?* respondet: *Certo quemadmodum tunc ad illos accessit, vocavitque quando obtemperaturos sciebat, sic Matthæum quoque tunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est*. Ex quibus sic argumentor: Ex DD. August. & Chrysost. Deus certo & infallibiliter noscit quomodo quisque sit vocandus, ut vocantem non respuat, non reluctetur, sed vocationi divinæ obtemperet; atqui illa cognitio est scientia conditionata, per quam Deus, antecedenter ad omne decretum absolutum, infallibiliter novit talem hominem libere consensurum, si tali aut tali vocatione præveniatur; ergo datur in Deo scientia conditionata, per quam Deus, ante omne decretum absolutum, novit consensum ab homine libere ponendum.

*Prob. min.* 1. Quia illa scientia non est simplicis intelligentiæ, quatenus est rerum mere possibilium, ut patet; non est etiam visionis, quæ est rerum in aliqua temporis differentia absolute futurarum, cum D. Augustinus loquatur etiam de iis, qui vocati non veniunt, & quorum *si vellet etiam misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & consequerentur*. Ergo est scientia conditionata.

*Prob. min.* 2. Quia D. Chrysost. dans rationem directivam, cur Deus vocaverit DD. Matthæum & Paulum, quando eos vidit suæ vocationi obtemperaturos, non recurrit ad suum ipsius decretum, sed ad perspicaciam suæ prævisionis: *Nam qui corda scrutatur*, inquit, *& occulta cordium perspicit, is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit*. Quare D. Matthæum non vocavit quamdiu prævidit eum vocationi restiturum, sed solummodo quando vidit eum obtemperaturum, non quidem solis naturæ viribus, sed ex auxilio gratiæ, voluntatem ejus ad credendum moventis & inclinantis. *Propterea*, inquit, *non continuo incipiens quando durior fuit, sed post mille miracula . . . . aptiorem jam ad obtemperandum vocavit*. Nihil illo textu dilucidius.

*Prob.* 2. Ex D. Bonav. (*In* 1. *dist.* 40. *art.* 2. *q.* 2.) qui scientiam conditionatam clare & distinctissime admisit: *Talis est aspectus divinæ præscientiæ*, inquit, *quia ab æterno cognovit, quid cogitare poteramus, vel velle, & simul cum hoc, vidit in quam partem nostra voluntas & operatio inclinantur; & quia totum posse & velle, & agere complectitur, ideo non potest falli. Et quia prædestinatio*, id est, absoluta prædefinitio, *claudit præscientiam, hinc est, quod concordat cum libero arbitrio, & non potest discordare, & non potest cassari, & necessario infert salutem, sed non necessario efficit*. Omnia illius textus verba bene sunt pensanda, ipsissimam enim nostram continent sententiam.

*Prob.* 3. Si libera sub conditione futura, ex decretis ex parte Dei absolutis, suam haberent futuritionem, præscientia Dei non præsupponeretur decretis Dei actualibus & absolutis; atqui ex Patribus præscientia Dei decretis ejusdem absolutis & actualibus præsupponitur; ergo.

*Prob. min.* 1. Ex Orig. (*in cap.* 8. *Epist. ad Rom.*) *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat.*

2. Ex D. Joann. Damasc. (*L. advers. Manich. circa finem.*) *Et quidem Dei præscientia vera atque inculpabilis est: verum ipsa haudquaquam causa est, cur omnino fiat id quod futurum est, sed quia hoc, vel illud facturi sumus, ideo prænoscit.*

3. Ex D. Aug. (*L.* 3. *de lib. arb. cap.* 4.) *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt.*

4. Ex D. Thom. (3. *p. q.* 1. *art.* 5. *ad* 4.) *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*. Et in 1. dist. 46. art. 1. dicit: *quod voluntas Dei consequens*, id est, decretum efficax voluntatis, *præsupponat scientiam rerum*. Hæc testimonia adeo clara sunt, ut mirum sit Thomistas contrarium docere.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Nihil omnino futurum est independenter a Dei decreto; *ergo* Deus non cognoscit futura sub conditione independenter a decreto.

Resp. *dist. ant.* Nihil est futurum independenter a Dei decreto absoluto, vel conditionato, *conc.* semper absoluto, *nego ant.* nempe ante decretum nihil vere est futurum, verum decretum debet proportionari naturæ & conditioni rei futuræ; si res sit absolute futura, admittendum est decretum absolutum, non quidem antecedens prævisionem rei futuræ sub conditione, sed subsequens, ut dictum est supra; si vero res sit futura duntaxat sub conditione nunquam ponenda, sufficit decretum conditionatum, quod sit pars conditionis, sub qua res futura prænoscitur.

*Inst.*

*Inst.* 1. Ut actus sit conditionate futurus, debet extrahi e statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis: *atqui* ad hoc requiritur decretum absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti; ergo, &c.

Resp. Transeat maj. *nego min.* nam, ut aliquid a statu meræ possibilitatis extrahatur ad statum conditionatæ rei futuritionis, sufficit decretum conditionate ponendum, quod includitur in ipsa conditione, nec requiritur decretum actuale.

Dixi: *transeat maj.* Quæ posset negari, quia actus sub conditione futurus, non est futurus, sed solum esset futurus, si poneretur aliqua conditio; *atqui* ad talem actum non requiritur, ut ab uno statu extrahatur ad alium, sed sufficit, ut habeat veritatem objectivam, vi cujus de illo dici potest, *esset, si poneretur talis conditio*. Veritas autem illa objectiva non pendet ab ullo decreto actuali.

*Inst.* 2. Futurum sub conditione, seu futuribile, habet aliquid, quod non habet mere possibile; ergo e statu possibili est extractum.

Resp. *dist. ant.* Habet aliquid objective, *conc.* entitative, *nego ant.* Itaque res sub conditione futura, nullam habet entitatem actualem, aut futuram, sed solum haberet, si poneretur aliqua conditio; unde rei mere possibili superaddit solummodo veritatem objectivam, quatenus de re sub conditione futura dici potest, non solum quod posset esse, sed etiam quod esset, si poneretur aliqua conditio, quod dici non potest de re mere possibili.

*Objicies* 2. D. Aug. in Semi-Pelagianis reprehendit scientiam liberorum sub conditione futurorum independentem a decreto actuali absoluto; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam D. Aug. in Semi-Pelagianis nunquam reprobavit scientiam mediam, spectatam præcise ut est scientia rerum sub conditione futurorum independens ab omni decreto absoluto actuali, de quo non erat controversia inter S. Doctorem & illos hæreticos, sed solum de necessitate gratiæ interioris, & ejusdem gratuitate, quam contra ipsos propugnabat S. August. qui solum abusum scientiæ conditionatorum damnavit in illis hæreticis.

*Itaque*, Semi-Pelagiani circa prædestinationem tum adultorum, tum infantium abutebantur scientia conditionatorum.

*Circa prædestinationem adultorum* docebant, 1. Quod voluntatis consensus sub conditione futuri a Deo prævisus, sit Deo causa & motivum gratiæ conferendæ iis quos prævidet ea bene usuros: ex quo sequitur gratiam per liberum arbitrium præveniri, quod falsum & hæreticum esse constat exemplo Tyriorum, quibus veritas Evangelii non fuit annuntiata, etsi Deus prævidisset futurum ut ipsi crederent, si eis annuntiata fuisset. 2. Quod res absolute futura, v. g. conversio ad fidem, non tam sit a decreto Dei absoluto, tanquam a vera & propria ejus caussa, quam a præviso voluntatis consensu sub conditione futuro, quo Deus certo & infallibiliter ad gratiam conferendam determinatur.

*Circa prædestinationem infantium, in infantia morientium*, docebant, alios ad gratiam baptismatis prædestinari propter bona opera, alios vero ab eadem gratia reprobari propter mala opera, quæ facturi fuissent, si ad adultam ætatem pervenissent.

Porro, hos scientiæ conditionatæ abusus merito reprobavit D. Aug., nosque cum illo reprobamus; verum nunquam scientiam ipsam conditionatam rejecit, cujus duplex tantummodo assignatur munus & officium. *Primus*, ut nostro concipiendi modo, Deus dirigatur in suis decretis absolutis formandis, ut sapienter, & non cæco modo, aliquid statuat circa prædestinationem, & operum salutarium præfinitionem: *secundum*, ut explicetur quomodo salva & integra remaneat libertas humana sub motione gratiæ efficacis. Non ad alium ergo finem adhibemus scientiam conditionatam, nisi ut conciliemus fidei dogmata.

*Inst.* 1. Atqui D. August. reprobavit scientiam mediam, non solum quoad abusum, sed etiam quantum ad substantiam; ergo, &c.

*Prob. ant.* Div. August. (*L. de prædest. Sanct. cap.* 10.) ait: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt.* Ex quo sic argumentatur Genetus . . . „ Quæ Deus est facturus, ex sua prædestinatione prænoscit: at Deus omnes actiones nostras, quantumcumque liberas, facturus est; ergo illas in sua prædestinatione præcognoscit, id est, in decreto efficaci; ac proinde non datur in Deo præscientia futurorum independens a decreto, eoque anterior ".

Resp. *dist. maj.* Quæ Deus facturus est, ex sua prædestinatione, scientiam conditionatam subsequente, prænoscit, *conc.* antecedente, *nego maj.* atqui Deus omnes actiones nostras liberas facturus est, per decretum subsequens scientiam conditionatam, *conc.* per decretum antecedens scientiam conditionatam, *nego min.* & *conseq.*

Itaque Div. August. ibi agit de re absolute futura, unde addit, *fecit quæ futura sunt.* Non autem de re sub conditione futura; nam ut ibid. ait: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse, potest autem sine prædestinatione præscientia*, rerum nimirum sub conditione futurarum, per quod minoris argumenti videtur falsitas; porro res absolute futuræ, sicut & res conditionate futuræ quando conditio est ponenda, videntur a Deo in suo decreto, non quidem quod præcedat, sed quod sequatur scientiam conditionatam, quodque sit vera & prima causa rei futuræ, ut diximus in fine articuli tertii.

*Inst.* 2. Ibidem addit D. Aug. *Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium ... non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit.* Ex quo sic argumentatur Genet ... „ Quod Deus promittit, non de nostra potestate, sed de sua prædestinatione promittit; at Deus multoties promittit nostras actiones liberas, sicut quando promisit Abrahæ fidem & conversionem Gentium; ergo illas de sua prædestinatione promittit, easque in illa cognoscit. "

Resp. *dist. maj.* Quod Deus promittit absolute, non de nostra potestate, sed de sua prædestinatione antecedente scientiam conditionatam, promittit, *nego*; sequente scientiam conditionatam, *subdist.* quæ solummodo sit directiva decreti absoluti quod sequitur, ac mere gratuitum est, *conc.* quæ sit causa & motivum quo Deus determinetur ad dandam gratiam, *nego maj.* Distinguo similiter

conseq.

conseq. ergo illas promittit de sua prædestinatione, antecedente scientiam conditionatam, *nego*; consequenter scientiam conditionatam, *subdist.* quæ solummodo sit directiva decreti absoluti quod gratuito sequitur, *conc.* quæ sit causa & motivum illius dandi, *nego conseq.* Hic est verus D. August. sensus, qui debellat errorem Semi-pelagianorum, qui cognitionem rei absolute futuræ fundabant in consensu futuro voluntatis a Deo præviso, ita ut consensus ille sit Deo causa & motivum gratiæ conferendæ, quod est hæreticum.

*Inst.* 3. D. August. *ibid. c. 9.* exponens „ quod in lib. contra Porphyrium *dixerat*, *nempe* tum voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, *dicit*: se sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse. " Ex quo sic arguitur; futurum, de quo loquitur, erat conditionatum; atqui affirmat illud fuisse a Christo præscitum *sine præjudicio latentis consilii Dei*, id est, quia erat prædefinitum; ergo ex mente D. Aug. futura conditionata sunt a Deo prædefinita.

Resp. *dist. maj.* Futurum, de quo August., erat conditionatum, cujus conditio erat ponenda, *conc.* cujus conditio non erat ponenda, *nego maj.* atqui fuit præscitum, quia erat prædefinitum, prædefinitione subsequente scientiam conditionatam, eaque omnino gratuita, *conc.* prædefinitione antecedente scientiam conditionatam, *nego min.* Itaque hic D. August. damnat sensum erroneum Semi-Pelagianorum, qui scientiam conditionatam omni decreto actuali anteriorem, convertebant in absolutam, etiam a decreto actuali & absoluto, tamquam a prima ejus causa, independentem.

*Inst.* 4. D. Aug. (*L. de dono persever. cap.* 18.) ait: *Sine dubio enim præscivit*, Deus, *si prædestinavit*: *sed prædestinasse*, *est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus*. Unde sic arguunt: D. August. sumit præscientiam pro ipsa prædestinatione; ergo præscientia pendet a prædestinatione, id est a decreto Dei absoluto.

Resp. *dist. ant.* Sumit præscientiam absolutam, nempe scientiam visionis pro prædestinatione, *conc.* præscientiam conditionatam, *nego ant.* Porro D. Aug. loquitur de donis Dei, (nempe de initio fidei, & in fide perseverantia) in aliqua temporis differentia, quæ certe pertinent ad scientiam visionis; atqui illa scientia fundatur in prædestinatione, seu decreto absoluto & efficaci, non quidem antecedente, sed subsequente scientiam conditionatam, qua Deus dirigitur in illis decretis absolutis formandis. *Nota*. Hac responsione possunt solvi omnia alia, quæ ex D. Aug. objiciuntur.

*Objicies* 3. Juxta scientiæ mediæ patronos, ejus munus est, 1. dirigere Deum in suis decretis absolutis formandis; 2. conciliare libertatem hominis cum decretis absolutis & gratia efficaci; atqui ad utrumque inutilis est scientia media; ergo &c.

*Prob. prima pars min.* Ut Deus per scientiam mediam dirigeretur in decretis suis absolutis, deberet prius in aliquo signo rationis explorare actus liberos sub statu conditionato, quam sub statu absoluto; *atqui* hoc dici non potest juxta adversariorum principia, ergo &c.

*Prob. min.* Non potest Deus prius explorare res contingentes & liberas sub statu conditionato, quam sub statu absoluto, si nullum possit dari signum rationis, in quo res liberæ sint prius cognoscibiles ut conditionate futuræ, quam ut absolute; atqui res sic se habet juxta adversariorum principia; ergo.

*Prob. min.* Juxta adversariorum principia in quocumque signo rationis, etiam antecedenti decretum Dei, possunt formari propositiones contradictoriæ de futuro absoluto, quarum una sit determinate vera, & altera falsa; ergo Deus in quocumque signo rationis novit quid sit absolute futurum, & consequenter non prius cognoscit futura conditionata, quam absoluta.

Resp. *nego min.* Primi & secundi argumenti, & *ant.* ultimi, quod est de falso supponente, neque enim dicimus in aliquo signo rationis antecedente absolutum Dei decretum, posse fieri propositiones contradictorias de futuro absoluto; nihil juxta nos certo cognosci potest futurum, sive absolute, sive conditionate, nisi supposito decreto, absoluto quidem, si res sit absolute futura, & conditionato, si sub conditione futura, & ideo res futura, ante decretum, cognoscitur ut mere possibilis.

*Instat Gonet*: „ Deus in formandis decretis suis absolutis circa salutem & conversionem hominum, sufficienter dirigitur per scientiam simplicis intelligentiæ; ergo non indiget scientia media directrice, Resp. *nego ant.*

*Prob. ant.* „ Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehendit suam omnipotentiam, & videt in thesauris ejus latere infinita media, seu auxilia efficacissima, quibus potest voluntates hominum potenter & suaviter ad se pertrahere, quando & ubi voluerit; ergo.

Resp. *nego conseq.* Quia per scientiam simplicis intelligentiæ videt quidem Deus quid revera fieri potest, non vero quid futurum est; ergo necessaria est alia scientia per quam Deus videat quid futurum sit, si hæc vel illa conditio ponatur; porro illa scientia non simplicis intelligentiæ, sed conditionata dicitur.

*Prob. secunda pars min.* Nempe, scientiam mediam inutilem esse ad conciliandam libertatem hominis cum decretis absolutis & gratia efficaci, „ Div. August. recte cum nostra libertate, certitudinem prædestinationis & efficaciam gratiæ composuit; sed ad talem concordiam non adhibuit scientiam mediam; " ergo. Ita Gonetus.

Resp. Transeat maj. *dist. min.* D. Aug. non adhibuit scientiam mediam ad conciliandam gratiam efficacem cum nostra libertate, quia per eam nihil cum Semi-Pelagianis profecisset, *conc.* quia scientia conditionatorum ad illam concordiam erat inutilis, *nego min.* Frustra namque D. Aug. confugisset ad scientiam conditionatam, ut libertatem cum gratia conciliaret, eo quod scientia illa supponat gratiæ prævenientis necessitatem, quam idcirco illi hæretici negabant, quod non satis intelligerent eam conciliari posse cum hominis libertate, qui error totus perseverat, etiam supposita nostra conditionatorum scientia.

Dixi: *transeat maj.* Quia D. Aug. totus occupatus in probanda necessitate gratiæ ad quodlibet pietatis opus contra Pelagianos, vel ad initium fidei & finalem perseverantiam contra Semi-Pelagianos, non fuit sollicitus de modo, quo conciliari posset libertas cum gratia & prædestinatione.

*Inst.* 1. Ut mysterium gratiæ & libertatis conciliaret D. August. recurrit ad omnipotentissimam Dei voluntatem; ergo ad hoc inutilis est scientia media.

*Resp. dist. ant.* Recurrit ad omnipotentissimam Dei voluntatem, sine exclusione scientiæ conditionatorum, *conc.* cum tali exclusione, *nego ant.* Ita juxta S. Doctorem (*L. de corrept. & gratia*, *cap.* 4.) *Deus habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quatenus habet in thesauris suæ potentiæ plura & plura in infinitum auxilia gratiæ, de se repudiabilia, sed quæ per scientiam conditionatorum certo & infallibiliter novit habitura effectum, si dentur, quibuscum proinde efficacissime & infallibiliter potest nos ad bonum libere agendum movere; atque ita recte conciliatur tum certitudo præscientiæ & prædestinationis, tum libertas humanæ voluntatis.

*Inst.* 2. Modus quo Faustus Semi-Pelagianorum princeps conciliabat libertatem cum gratia & prædestinatione, est rejiciendus; atqui Faustus conciliabat libertatem cum gratia & prædestinatione per scientiam futuri consensus, *nisi præscientia exploraverit*, inquit, *prædestinatio nihil decernit.* Ergo.

*Resp. dist. min.* Conciliabat libertatem cum gratia & prædestinatione per præscientiam absolutam consensus absolute futuri moventis voluntatem divinam ad decernendum, *conc.* per præscientiam conditionatam, quæ Deum, non quidem moveat, sed dirigat in decernendo, *nego ant.* Itaque Faustus contendebat prædestinationem nihil decernere, nisi præcesserit absoluta meritorum naturalium præscientia, qua Deus certo & infallibiliter moveretur ad gratiam fidei concedendam, qui certe error longe alienus est a systemate scientiæ.

*Inst.* 3. Omnis novitas in materia religionis merito est suspecta: atqui scientia media est nova; ergo, &c.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Omnis novitas, ubi agitur de dogmate, est suspecta, *conc.* ubi agitur de modo exponendi dogma, *nego maj.* Etiamsi esset nova scientia media, non ideo esset rejicienda, quia non attingit dogma, sed modum dogmatis exponendi, qui modus, cum bene succedat, merito est amplectendus.

*Resp.* 2. *dist. min.* Est nova quoad nomen & sui clariorem explanationem, *conc.* quoad rem significatam tali nomine, *nego min.* Quippe sic considerata, nihil est aliud quam scientia conditionatorum a decreto Dei absoluto independens, eoque anterior, quæ tam antiqua est quam ipse Deus, cui inest ab æterno & pro æterno, ut probavimus ex Scriptura & Patribus, & fateri debent adversarii, qui ejus antiquitatem in Semi-Pelagianis agnoscunt.

*Nota.* Cæteræ objectiones pertinent ad tractatum de Gratia, in quo solventur.

## ARTICULUS V.

### *De causalitate scientiæ Dei.*

*Nota.* Causa rerum duplex est, *directiva* nimirum, quæ dirigit operantem ad opus; sic artifex, per habitum cognoscitivum artis, dirigit se ad operandum; & *efficiens*, quæ per veram causalitatem influit in ipsum opus, sic idem artifex, per facultatem executricem, exequitur quod ejus voluntas, juxta regulas artis, præcipit,

*Certum est*, 1. Scientiam Dei practicam, esse causam rerum ab eo productarum, Sap. 8. *Quis horum magis quam illa* (Sapientia) *est artifex?* Unde, *Joann.* 1. de Verbo, quod est sapientia increata, dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.*

*Certum est* 2. Scientiam Dei esse causam rerum directricem, quia se habet ad res creatas, sicut scientia artificis ad arteficiata; atqui scientia artificis est causa arteficiatorum directrix, quatenus per ideam quam in mente habet, dirigit opus quod exequitur; ergo. Unde, *Ps.* 103. dicitur: *Omnia in sapientia fecisti.*

*Certum est*, 3. Scientiam Dei, ut sit causa rerum, non solum directiva, sed efficiens, debere adjunctas habere voluntatem & omnipotentiam, quia illa tria attributa ad rerum productionem concurrunt; nam scientia dirigit opus, voluntas illud imperat, & omnipotentia illud exequitur. His positis.

*Quæritur*, quænam scientia Dei sit causa rerum, an scientia simplicis intelligentiæ, vel scientia visionis? si sit scientia simplicis intelligentiæ, verum erit dicere: *Non ideo res futuræ sunt, quia cognoscuntur a Deo, sed ideo potius cognoscuntur quia futuræ sunt.* Si sit scientia visionis, verum erit dicere: *Res ideo futuræ sunt, quia prævidentur a Deo;* particula, *quia*, veram causalitatem inferente.

## CONCLUSIO.

*Scientia simplicis intelligentiæ, quatenus habet adjunctam voluntatem, non vero scientia visionis, est causa rerum.* Est contra Thomistas.

*Prob. prima pars.* Ea scientia est causa rerum, quæ Deum, tanquam supremum artificem dirigit ad operandum; atqui talis est scientia simplicis intelligentiæ, quæ, Deo essentias & proprietates rerum omnium possibilium repræsentando, proponit modum quo fieri possunt; ergo.

*Prob. secunda pars.* 1. Ex SS. Patribus docentibus, non ideo res esse futuras, quia Deus novit eas esse futuras; sed e contra ideo Deum res futuras præscire, quia futuræ sunt: *non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum*, inquit Origenes (*in cap.* 8. *Ep. ad Rom.*) „ sed quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat. *Et D. Damascenus* (*L. contra Manichæos*) est quidem præscientia Dei vera & inviolabilis; verum ipsa nequaquam est causa cur omnino fiat, quod futurum est: quia hoc vel illud facturi sumus, ideo prænoscit. " Ita etiam loquuntur omnes alii Patres, quotiescumque de scientia Dei, quæ *visionis* dicitur, loquuntur.

*Prob.*

*Prob. 2. ratione.* Scientia, quæ est causa rerum, est ea quæ dirigit potentiam executricem ad res producendas; *atqui* scientia visionis, non est hujusmodi; nam scientia quæ versatur circa res jam productas pro aliqua temporis differentia, non potest dirigere potentiam executricem, ad illas producendas; atqui scientia visionis versatur circa res jam pro aliqua temporis differentia productas; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. D. Aug. (*L.* 13. *Confess. cap. ult.*) ait: *Nos ista quæ fecisti vidimus, quia sunt; tu autem quia vides, ea sunt.* Ergo scientia visionis est causa rerum.

Resp. *nego conseq.* D. enim Aug. non intelligendus est de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ, quæ præcedit decretum voluntatis, quod dirigit; alias sibi contradiceret D. Aug. qui loquens de scientia visionis, *l.* 4. *de lib. arbitr. c.* 4. ait: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.*

*Objicies* 2. Scientia, quæ est causa rerum, debet esse libera; atqui scientia simplicis intelligentiæ non est libera; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non est libera, quatenus est speculativa, *conc.* quatenus est practica, *nego min.* Porro scientia simplicis intelligentiæ, ut est practica, est libera, quia non causat res, nisi adjunctum habeat liberum divinæ voluntatis decretum, quod diriget, & quo potentia applicatur ad operandum.

*Inst.* 1. Scientia, quæ jungitur decreto, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis; ergo.

Resp. *dist. ant.* Si jungatur decreto, ita ut illud subsequatur, *conc.* si jungatur, ita ut præsit decreto, tanquam causa dirigens, *nego.*

*Inst.* 2. Scientia, quæ terminatur ad esse rerum actuale, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis; atqui scientia, quæ est causa rerum, terminatur ad esse rerum actuale; ergo.

Resp. *dist. maj.* Scientia, quæ terminatur ad esse rerum actuale, tanquam repræsentatio ab objectum præsentatum, est scientia visionis, *conc.* tanquam causa ad effectum, *nego maj.* Atqui scientia, quæ est causa rerum, terminatur ad illarum esse actuale tanquam causa ad effectum per ejus directionem productum, *conc.* tanquam repræsentatio ad objectum repræsentatum, *nego min.* Itaque scientia practica terminatur ad esse rerum actuale, ut causa directiva ad effectum directione sua productum.

*Objicies* 3. D. Thom. (*q.* 14. *art.* 8. *in corp.*) ait: *Scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.* Sed scientia illa approbationis, est scientia visionis; ergo.

Resp. *nego min.* Quia D. Thom. per scientiam approbationis, intelligit scientiam, *quæ sit causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam*, id est, decernentem, & quasi approbantem quid velit decernere; *atqui* scientia Dei, prout habet adjunctam voluntatem, non est visionis, cum hæc jam supponat decretum voluntatis, solumque respectum dicat ad res jam pro aliqua temporis differentia existentes; *ergo* est scientia simplicis intelligentiæ, quod ut plene intelligatur.

*Nota.* Hic ordo rationis distingui potest inter varias Dei scientias. 1. Per scientiam simplicem speculativam videt omnes res quas potest producere. 2. Per scientiam simplicem practicam, seu approbationis, quæ & ars dici potest, videt hæc præ aliis esse producenda per decretum voluntatis, cui, tanquam causa dirigens, prælucet. 3. Posito illo decreto, res jam in aliqua temporis differentia existentes, videt per scientiam visionis; ex quo patet, quod scientia visionis supponit res factas, non vero facit.

## ARTICULUS VI.

*De ideis divinis.*

Quæres 1. *Quotuplex, & quid sit idea?*

Resp. Duplex, objectiva scilicet & formalis.

*Idea objectiva*, est forma quædam, seu exemplar, in mente artificis existens, ad cujus imitationem extra se operatur. Hæc simpliciter est idea.

*Idea formalis*, est cognitio formæ, seu exemplaris, quod artifex sibi in suo opere exprimendum proponit. Quare *idea formalis* in Deo, nihil aliud est quam scientia simplicis intelligentiæ, spectata quatenus dirigit Deum in rerum productione.

Quæres 2. *An sint in Deo ideæ?*

Resp. *affirm.* Nam, *Joann.* 1. dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quatenus scilicet in mente divina existebat secundum esse ideale & objectivum, quod habent ab æterno in Verbo Dei, omnia quæ fiunt in tempore; *ratio est*, quia Deus, tanquam summus rerum omnium artifex, operatur sciens & volens; sed, qui operatur sciens & volens, habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis; ergo, &c.

*Dices*, Idea non requiritur, nisi ad dirigendum artificem; sed Deus non eget directione, cum non possit deficere; ergo.

Resp. *dist. min.* Non eget directione per aliquid extra se, *conc.* per regulam quæ sit ipsemet Deus, *nego min.* Deus enim per suam sapientiam est sibi ipsi directio & regula.

Quæres 3. *Quid sit idea Dei objectiva?*

Resp. Est essentia Dei, prout est conceptus objectivus & imitabilis, seu participabilis a creaturis. Ita D. Thom. (*quæst.* 15. *art.* 2.) *in quantum*, inquit, *Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem & ideam hujus creaturæ.*

Quæres 4. *An plures sint in Deo ideæ?*

Resp. 1. In Deo est unica idea formalis, quia in Deo unica est rerum omnium cognitio.

Resp. 2. In Deo sunt plures ideæ objectivæ; quia idea objectiva, est forma in mente divina existens, ad quam respiciens Deus omnia entia producit, vel producere potest, sed illa entia sunt plura; ergo & illorum ideæ.

## QUÆSTIO VI.

*De voluntate Dei.*

*Nota.* Ut cum methodo procedamus, hanc quæstionem in quatuor articulos partiemur, quorum

*Primus*, erit de existentia & quidditate; *Secundus*, de divisione; *Tertius*, de proprietatibus; *Quartus*, de objecto divinæ voluntatis.

## ARTICULUS I.

*De existentia & quidditate divinæ voluntatis.*

### CONCLUSIO I.

*In Deo est voluntas proprie dicta.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura. Matth. 6. *Fiat voluntas tua*. Unde Synodus VI. adversus Monothelitas definiit duplicem esse in Christo voluntatem, divinam nimirum & humanam.

*Prob.* 2. Omnis perfectio simpliciter simplex est in Deo; atqui talis est voluntas; ergo.

### CONCLUSIO II.

*Voluntas Dei est ipsamet essentia divina, concepta per modum facultatis appetitivæ rationalis.*

*Prob. prima pars:* Quia quæcumque in Deo sunt, non distinguuntur ab essentia realiter, sed tantum virtualiter; ergo voluntas divina est ipsamet essentia divina.

*Prob. secunda pars:* Conceptum de divina voluntate formamus, secundum conceptum quem formare solemus de voluntate creata, removendo tamen ab illa imperfectiones quæ in voluntate creata deprehenduntur; atqui voluntas creata est facultas appetitiva rationalis; ergo.

*Objicies contra secundam partem:* In Deo nihil potest concipi per modum facultatis, seu potentiæ; ergo.

*Prob. ant.* Deus est actus purissimus; ergo nihil in eo potest concipi per modum potentiæ.

Resp. *dist. conseq.* Nihil in Deo potest concipi per modum potentiæ, distinctæ ab ipsa Dei essentia, *conc.* indistinctæ ab essentia, *nego conseq.* Licet ergo voluntas divina concipiatur per modum potentiæ, nihilominus est actu semper volens, utpote indistincta ab essentia.

*Inst.* De ratione potentiæ est, quod sit principium per se influens in operationem; atqui voluntas in Deo non potest esse, nec concipi cum fundamento in re, ut principium influens in volitionem divinam; ergo.

Resp. *dist. maj.* De ratione potentiæ creatæ, *conc.* de ratione potentiæ divinæ, *nego maj.* Responsio est D. Thom. (*q. 25. art. 1. ad 3.*) dicentis: „ Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus; sic igitur in Deo salvatur ratio potentiæ, quantum ad hoc quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc quod est principium actionis, quæ est divina essentia ".

## ARTICULUS II.

*De divisione divinæ voluntatis.*

*Nota.* Licet voluntas Dei a parte rei sit unica & simplicissima, qua Deus unico actu, a natura indistincto, vult quæcumque vult; tamen propter varia objecta ad quæ fertur, & multiplices ad illa objecta respectus, secundum nostrum concipiendi modum, multipliciter dividitur. Unde:

### CONCLUSIO I.

*Voluntas Dei dividitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi.*

*Voluntas beneplaciti*, est ipsa volitio Dei qua aliquid vult, vel non vult: de qua Apost. (*Rom. 12. v. 2.*) ait: *ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Talis est voluntas dandi gloriam.

*Voluntas signi*, est signum quoddam externum declarans Dei volitionem, de qua Christus, *Matth.* 12. ait: *Qui facit voluntatem Patris mei*, id est, mandata, prohibitiones, &c. servat, *ipse intrabit in regnum cælorum.* Ubi mandata Dei dicuntur voluntas Dei; quia iis significatur Deum velle fieri, quod lege sua sanxit.

Porro voluntas signi semper significat aliquam voluntatem beneplaciti, sed non semper eam quæ prima fronte intellectui humano occurrit; sic quando Deus præcepit Abrahamo, ut immolaret filium suum, volebat quidem ejus obedientiam probare, sed non volebat revera Isaac immolari. Sic quando permittit peccatum, vult quidem ut homo non agat coacte, sed non vult ut peccatum perpetret, quod alio signo prohibet, &c.

Quæres 1. *Quodnam est discrimen inter voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti?*

Resp. Est hoc discrimen, quod voluntas beneplaciti sit proprie dicta voluntas Deo intrinseca; voluntas vero signi sit metaphorica, Deoque extrinseca, eo fere modo quo testamentum, quod est signum ultimæ hominis voluntatis, vocatur ultima hominis voluntas.

Quæres 2. *Quotuplex numeratur voluntas signi?*

Resp. Quintuplex, quæ hoc versu comprehendi solet:

*Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.*

Hæc enim omnia a nobis, ut totidem signa voluntatis, spectantur. Nam volumus fieri quod præcipimus, non fieri vero quod vetamus; indirecte velle censemur quod permittimus, cum possumus impedire; volumus & optamus ea quæ consulimus; & tandem id vere volumus quod facimus, sponte scilicet, & non inviti.

### CONCLUSIO II.

*Voluntas beneplaciti dividitur multipliciter.*

1. Enim dividitur in antecedentem, & consequentem.

*Voluntas antecedens* est ea, qua Deus aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo a circumstantiis quæ illi adjungi possunt. Hac voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri, quia hoc in se bonum est.

*Voluntas consequens* est ea, qua Deus aliquid vult simpliciter & absolute, spectatis omnibus circumstantiis particularibus. Hac voluntate Deus vult hominem in impœnitentia finali morientem damnari. Hanc divisionem tradit S. Damas. (*L. 2. de fide orthod. c. 29.*). „ Hoc itidem nosse oportet, *inquit*, Deum primaria & antecedente voluntate, velle omnes salvos fieri ... quia bonus est ... peccantes vero puniri vult, quia justus est. Itaque pri-

prima illa voluntas, antecedens dicitur, & beneplacitum cujus ipse causa sit. Secunda autem consequens voluntas & permissio, ex nostra causa ortum habens. "

*Voluntas absoluta* est illa, quæ a nulla conditione pendet, & est semper efficax: talis est voluntas de mundo condendo.

*Voluntas conditionata* est ea, quæ ex aliqua conditione pendet; unde non est semper efficax, quia non semper ponitur conditio requisita, qualis est voluntas qua Deus statuerat Ninivem infra 40. dies subvertere, nisi resipisceret. *Jonæ* 3.

ARTICULUS III.

*De proprietatibus divinæ voluntatis.*

*Nota*. Quatuor sunt divinæ voluntatis proprietates, nimirum *causalitas*, *efficacia*, *libertas* & *omnipotentia*, de quibus sequentibus Paragraphis.

§. I. *De causalitate divinæ voluntatis*.

CONCLUSIO.

*Voluntas Dei est causa rerum imperans.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura Psalm. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Et Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*.

*Prob.* 2. Duplex tantum est modus agendi, scilicet per naturam & per voluntatem; atqui Deus non agit per naturam; ergo, &c. *Prob. min.* Agens per naturam ad certum ac determinatum finem, certosque effectus, est determinatum; atqui Deus non est sic determinatus, nam *omnia quæcumque voluit fecit*; ergo non est agens naturale; ergo per liberam voluntatem est causa rerum.

*Dices* 1. D. Thom. (*q.* 19. *art.* 4. *ad* 2.) docet Deum operari per naturam; ergo non agit per voluntatem.

Resp. *dist. ant.* Docet Deum operari per naturam identice, *conc.* formaliter, *nego*. Id itaque docet D. Thom. ex eo quod intelligere, & velle Dei, identificentur essentiæ. Porro, *ibid.* dicit, *Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ*.

*Dices* 2. Ex dictis supra, Deus est causa rerum per scientiam; ergo non per voluntatem.

Resp. *nego conseq.* Deus enim agit per intellectum & voluntatem, quatenus „ intellectus est causa dirigens, qua concipitur forma operis; & voluntas est causa imperans, quia forma ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc quod sit, vel non sit in effectu, *ait D. Thom. hic*. "

*Dices* 3. Si Deus est causa rerum, rebus volitis necessitatem imponit; falsum conseq. ergo.

Resp. *dist. seq. maj.* Imponit necessitatem rebus volitis quibus aptavit causas necessarias, *conc.* quibus aptavit causas contingentes defectibiles, id est, quæ non habeant eodem modo semper operari, *neg. seq. maj.* Porro Deus quibusdam effectibus aptavit causas contingentes defectibiles; tales sunt actiones humanæ, quæ pendent ab hominum voluntatibus, quæ sunt contingentes, ac defectibiles, ad quas licet concurrat Deus, tamen illis non imponit necessitatem, quia concursus Dei sequitur liberam voluntatis creatæ determinationem.

*Inst.* D. Thom. (*quæst.* 19. *art.* 8.) docet necessitatem & contingentiam volitorum reperendam non esse a causis mediis; ergo non est repetenda a causa prima.

Resp. *nego conseq.* Non enim hoc docuit D. Thom. quod causæ secundæ non sint necessitatis & contingentiæ causæ proximæ, sed quia voluntas divina est prima radix & causa necessitatis & contingentiæ: „ Non propterea, *inquit*, effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. "

§. II. *De efficacia divinæ voluntatis*.

*Nota*. Quæritur hic utrum voluntas Dei semper impleatur, ita ut effectum semper obtineat, quem intendit.

CONCLUSIO I.

*Voluntas signi non semper impletur.*

*Prob.* Quia consilia & præcepta Dei sunt signa divinæ voluntatis; atqui non tantum consilia, sed & præcepta Dei non semper implentur, cum multi contemnant ejus consilia, & mandatis non obediant, Prov. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*.

CONCLUSIO II.

*Voluntas Dei antecedens, & conditionata, cujus nempe conditio non a solo Deo, sed a libera etiam creatæ voluntatis cooperatione pendet, non semper impletur.*

*Prob.* 1. Deus voluntate antecedente vult omnes salvos fieri, & damnari neminem, *omnes homines vult salvos fieri* (1. *ad Tim.* 2. v. 4.), & *nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* 18. v. 32.); atqui non omnes homines salvantur, quia conditionem quæ a Deo simul & a libera humanæ voluntatis cooperatione pendet, homines ex sua parte non implent; ergo.

*Prob.* 2. Ex infinitis Scripturæ testimoniis, quibus declaratur Deum aliquid velle, quod tamen, defectu hominis Deo reluctantis, non fit. Ezech. 24. „ Mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis. *Matth.* 23. Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? *Unde D. Aug.* (*L. de Catechiz. rudibus*, *cap.* 26.) ait: Deus vult homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ creatoris sui. " Ergo, &c.

CONCLUSIO III.

*Voluntas Dei consequens & absoluta, tum circa objectum a solo Deo pendens, tum circa liberas hominis actiones, semper impletur, nec illi unquam resistitur.*

*Prob. prima pars.* Ex Script. Ps. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Esther 13. *Domine Deus, rex omnipotens . . . . non est qui possit tuæ resi-*

*resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* Atqui in his locis agitur de externis operibus omnipotentiæ divinæ: ergo circa illa, Dei voluntas semper impletur.

*Prob. secunda pars:* Ex Script. Isaiæ 46. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet.* Roman. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Atqui in his locis agitur de liberis hominis actionibus; ergo circa illas consequens & absoluta voluntas Dei semper impletur.

Hinc D. Aug. Enchiridi 96. dicit: „ Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus ".

*Dices:* Non potest conciliari humana libertas cum absoluta Dei voluntate circa liberas nostras actiones; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Quia voluntas Dei absoluta circa liberas hominis actiones, supponit liberam hominis determinationem a Deo conditionate prævisam; qua præsupposita, Deus, pro suo beneplacito, absolute decernit hanc actionem, quare vocatur *voluntas consequens*.

*Inst.* Necesse est, ut homo faciat, quod Deus absolute vult ut faciat; ergo cum absoluta Dei voluntate non potest conciliari humana libertas.

Resp. *dist. ant.* Necesse est, necessitate consequente liberam hominis determinationem a Deo ab æterno prævisam, *conc.* necessitate antecedente, *nego ant.* Porro cum necessitas consequens supponat liberi arbitrii exercitium, non nocet libertati.

## §. III. *De libertate divinæ voluntatis.*

*Nota.* Hic non est quæstio de libertate actuum Dei ad intra, quales sunt amor sui, generatio Verbi, &c. Certum est enim ista omnia esse necessaria. *Tota ergo difficultas est*, an Deus sit liber, quando agit circa creaturas, & in quo consistat talis libertas; itaque sit

## CONCLUSIO I.

*Deus vere & proprie liber est circa creaturas.* Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Is enim est vere & proprie liber, qui quod vult, quando vult, & prout vult, facit; atqui Deus ita se habet circa res a se distinctas. Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et Ps. 93. *Deus ultionum libere egit.* Ergo, &c.

*Prob.* 2. *ratione Theologica.* Libertas in se spectata, est perfectio simpliciter simplex, omnis expers defectus & imperfectionis; at omne genus perfectionum est in Deo, qui est perfectissimus; ergo.

*Objicies* 1. Ille non est liber, qui non potest peccare; atqui Deus peccare non potest; ergo.

Resp. *nego maj.* Peccandi enim facultas ad libertatis naturam non pertinet, sed est ejus defectus, ex imperfectione creaturæ proveniens.

*Objicies* 2. Ille non est liber, qui non habet indifferentiam ad agendum vel non agendum; atqui Deus non habet indifferentiam, &c.

*Prob. min.* Qui semper fuit determinatus ad agendum, vel non agendum, non est indifferens ad agendum, vel non agendum; atqui Deus fuit determinatus ad agendum, vel non agendum; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Qui semper fuit determinatus, non est indifferens, indifferentia passiva & suspensionis, *conc.* indifferentia activa, *nego maj.* & similiter ad consequens.

*Itaque indifferentia activa* est vis ad agendum, vel non agendum, quæ competit ei qui ad certum quid agendum non alligatur, hæc Deo competit. *Indifferentia passiva* reperitur in eo, qui, aliquid libere decernens, novum actum immanentem, producit ac in se recipit. *Indifferentia suspensionis* reperitur in eo, qui, anceps consilii, quod agat, nondum decrevit: neutra harum Deo competit, in quo nulla est indeliberatio, & inquisitio eorum quæ agenda sunt, & qui, cum sit suus actus & sua volitio, nullum actum novum producit aut in se recipit, cum aliquid libere decernit: ac proinde nulla fit in eo mutatio, sed in creaturis duntaxat, quas de novo producit, vel sanctificat.

*Objicies* 3. Deus non potest non ponere suam volitionem; ergo vult necessario quæcumque vult.

Resp. *dist. ant.* Si ille actus sumatur entitative, *conc.* si sumatur secundum suam terminationem ad creaturas, *nego ant.* Hæc solutio manifesta fiet conclusione sequenti, ad quam remittimus cæteras objectiones.

## CONCLUSIO II.

*Libertas divinæ voluntatis posita est in entitate divinæ voluntatis, quatenus pro nutu intrinsece connotat objecta extra se posita.*

*Prob.* In eo reponenda est Dei libertas, quod melius ac facilius explicat actum ejus liberum; atqui talis esse videtur modus in nostra conclusione expressus; ergo.

*Prob. min.* Ad libertatem Dei duo requiruntur, 1. Ut sit perfectio quædam Deo intrinseca. 2. Ut dicat indifferentiam activam; atqui in nostra sententia hæc duo facile intelliguntur convenire libertati Dei. *Primum* quidem, nam actus liber est ipsa divina voluntas, quæ est perfectio Dei intrinseca. *Secundum* quoque, nam ille actus voluntatis divinæ ita connotat creaturas, ad quas terminatur, ut potuerit illas non connotare, proindeque dicit indifferentiam; ergo &c.

*Objicies* 1. Deus non potest libere tendere in objectum per actum entitative necessarium; ergo actus Dei liber, non est idem cum actu Dei necessario.

Resp. *nego ant.* Nam cum actus divinæ voluntatis sit infinite perfectus, potest *necessario* tendere ad quædam objecta, & *libere* in alia.

*Instabis* 1. Idem non potest esse necessarium simul & liberum; atqui actus divinæ voluntatis est necessarius; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Sub eodem respectu, *conc.* sub diverso, *nego maj.* Porro actus divinæ voluntatis est necessarius quoad entitatem, liber vero quoad terminationem ad creaturas.

*Inst.* 2. Terminatio divinæ voluntatis partim est intrinseca, partim extrinseca; ergo Dei libertas coalescit ex intrinseco ac extrinseco, &c.

Resp. *nego conseq.* Solum enim respectus intrinsecus illius terminationis libertatem Dei formaliter constituit, quatenus nempe se tenet ex parte voluntatis divinæ, non quatenus se tenet ex parte creaturarum; ille enim extrinsecus respectus liber-

libertatem Dei sequitur; ergo non eam constituit. Quod ut concipiatur.

*Nota*. Terminatio, seu connotatio ad duo pertinet, nempe ad id quod terminat, & ad id quod terminatur: qua parte pertinet ad id quod terminat, est intrinseca: qua parte pertinet ad id quod terminatur, est extrinseca: porro libertas Dei collocata est in ipsa actus entitativi connotatione.

*Objicies* 2. Si Deus hoc, vel illud connotare possit, non est immutabilis, falsum consequens; ergo, &c.

Resp. *dist. seq. maj.* Non est immutabilis terminative, *conc.* entitative, *nego*. Porro mutatio terminativa immutabilitati non nocet: res enim ipsa, eadem semper manet.

### §. IV. *De omnipotentia divinæ voluntatis.*

*Nota*. Per omnipotentiam intelligitur *vis*, seu *potestas infinita producendi omnia possibilia*, id est, omnia quæ non repugnant, aut in se, aut respectu Dei: sic Deus non potest facere, ut quod factum est, non sit factum, quia hoc repugnat in se, item non potest mentiri, quia hoc repugnat respectu Dei.

### CONCLUSIO.

*Deus est omnipotens*. Est de fide.

*Prob.* Ex Script. Job 42. *Scio quia omnia potes*. Eccli. 1. *Deus est altissimus creator omnipotens*. Matth. 14. Christus dicit: *Pater, omnia tibi possibilia sunt*. Ratio est, quia Deus est infinitus; ergo habet infinitam virtutem; atqui infinita virtus, idem est ac omnipotentia; ergo.

*Objicies* 1. Deus ex quolibet non potest facere quodlibet; nam non potest facere ut lapis videat; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*. Ad prob. *dist.* Non potest facere ut lapis videat, in sensu composito naturæ lapideæ, *conc.* quia sic esset animal & non esset, quod repugnat. In sensu diviso, *nego*. Potest enim Deus mutare lapidem in animal vivens, & tunc erit capax actionis vitalis immanentis, qualis est visio.

*Objicies* 2. Deus non potest facere alia ab iis quæ vult facere, & actu facit; ergo.

Resp. *dist. ant.* De potentia ordinaria, *conc.* de potentia absoluta, *nego ant.* potentia ordinaria spectatur cum decreto, vi cujus non potest facere quæ non facit, cum nihil possit fieri sine decreto. Potentia absoluta spectatur seorsim a decreto, per quam potest alia facere, quam quæ fecit.

*Inst.* 1. Potentia & voluntas non distinguuntur in Deo; ergo Deus non potest plura facere, quam quæ vult.

Resp. *dist. ant.* Non distinguuntur realiter, *conc.* virtualiter, *nego ant.* fundant enim diversos conceptus; nam voluntas concipitur ad instar facultatis decernentis & præcipientis; omnipotentia vero ad instar facultatis exequentis, unde vocatur in Scriptura, *manus*, *brachium*, &c.

*Inst.* 2. Deus, *Genes.* 19. sic alloquitur Loth: *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc*; ergo non potest omnia facere.

Resp. *dist. conseq.* Non potest potentia ordinaria, *conc.* potentia absoluta, *nego*. Deus potentia absoluta potest quidquid non implicat contradictionem, sed potentia ordinaria, non potest, nisi quæ statuit; porro Deus statuerat non opitulari Loth, nisi post illius egressum e Sodomis.

## ARTICULUS IV.

### *De Objecto divinæ voluntatis.*

*Nota*. Hic investigandum habemus; 1. Quodnam sit objectum divinæ voluntatis; 2. Quomodo Deus velit & amet se ipsum & creaturas; 3. An Deus velit mala; 4. An velit omnium salutem.

### §. I. *Quodnam sit objectum divinæ voluntatis?*

*Nota*. Objectum divinæ voluntatis est id omne quod habet rationem boni; illud autem objectum, aliud est *primarium* & *motivum*, ad quod divina voluntas principaliter fertur, & propter quod fertur ad cætera. Aliud est *secundarium* & *terminativum*, ad quod secundario fertur & in ordine ad aliud.

### CONCLUSIO.

*Objectum primarium & motivum divinæ voluntatis, est ipsemet Deus; objectum vero secundarium & terminativum sunt omnes creaturæ, tum in aliqua temporis differentia existentes, tum mere possibiles.*

*Prob. prima pars.* Illud est objectum primarium & motivum divinæ voluntatis, quod est summum bonum, & ratio volendi & amandi cætera; atqui Deus est summum & infinitum bonum, estque una & tota ratio amandi cætera bona, juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*; ergo, &c.

*Prob. secunda pars.* Quia voluntas Dei, cum sit infinita, fertur in illud omne quod habet bonitatem; atqui omnes creaturæ in aliqua temporis differentia existentes, habent aliquam bonitatem actualem, & possibiles bonitatem possibilem; ergo sunt objectum divinæ voluntatis, & divini amoris; atqui non sunt objectum primarium & motivum, nam Deus illas amat propter semetipsum; ergo sunt secundarium & terminativum; hinc D. Thom. (*Lib. 3. contra gentes, cap.* 84.) ait: *Deus vult . . . ea quæ sunt, vel possunt esse bona.*

### §. II. *Quomodo Deus amet seipsum & creaturas?*

*Nota*. Duplex distinguitur amor, nimirum amor *complacentiæ*, qui est inefficax & necessarius; & amor *benevolentiæ*, qui est efficax & liber.

### CONCLUSIO I.

*Deus seipsum amat necessario amore complacentiæ.*

*Prob.* Summum bonum clare & intuitive visum, necessario amatur; sed Deus suam summam bonitatem videt clare intuitive, imo comprehensive; ergo seipsum amat necessario; non quidem *amore benevolentiæ*, quia nihil suæ perfectioni addit per suum amorem; ergo *amore complacentiæ*, quo sibi complacet in propria sua bonitate, seu perfectione infinita.

CON-

CONCLUSIO II.

*Deus amat creaturas possibiles amore complacentiæ & inefficaci; creaturas vero, in aliqua temporis differentia existentes, amat amore benevolentiæ & efficaci.*

*Prob. prima pars.* Illas creaturas Deus amat amore simplicis complacentiæ, qui sibi complacendo in earum possibilitate, nihil statuit circa earum existentiam; atqui sic se habet Deus circa creaturas mere possibiles; ergo illas amat amore simplicis complacentiæ, & quidem eadem necessitate, qua amat suam omnipotentiam, in qua tanquam in causa continentur.

*Prob. secunda pars.* Illas creaturas Deus amat amore benevolentiæ, quibus libere vult & confert aliquod bonum; atqui Deus, &c. cum velit eas esse & conservari, quod potuisset non prædefinire; ergo.

*Objicies contra primam partem.* Possibilia sunt pure nihil; atqui Deus non potest amare pure nihil; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Possibilia sunt pure nihil, in se; *conc.* in potentia Dei, in qua continentur, & a qua non distinguuntur, *nego maj.* Ideo quando Deus amat possibilia, amat suam potentiam, in qua sibi complacere concipitur.

*Inst.* 1. Amare, est velle & conferre bonum amato: sed Deus nullum vult, nec confert bonum possibilibus; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Amare amore benevolentiæ, *conc.* amore simplicis complacentiæ, *nego maj.* ad hunc enim amorem sufficit approbatio quædam & complacentia in objecti amati bonitate, qualiscumque sit.

*Inst.* 2. Illa simplex complacentia non est actus voluntatis, sed intellectus approbantis naturas rerum; ergo non est verus amor.

Resp. *nego ant.* Nam illa complacentia est verus voluntatis actus, sequens ad judicium intellectus.

*Inst.* 3. Omnis actus voluntatis Dei est efficax, juxta illud Psalmistæ, *omnia quæcumque voluit, fecit.* Atqui simplex complacentia est actus inefficax; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Textus enim ille intelligitur de voluntate Dei efficaci, & libere se determinante; actus vero simplicis complacentiæ est inefficax & necessarius.

*Inst.* 4. Deus non amat necessario creaturas possibiles, ergo.

Resp. *nego ant.* Nam si Deus vellet contingenter res possibiles, posset facere ut non essent possibiles, eodem modo, quo potuisset facere, ut res futuræ non essent futuræ, eo quod contingenter illas vult futuras; atqui falsum & impossibile consequens; ergo, &c.

*Prob. ant.* Deus non amat necessario, nisi summum bonum, sed possibilia non sunt summum bonum; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Non sunt summum bonum, ut considerantur in se, *conc.* ut considerantur in potentia divina, a qua non distinguuntur, *nego.* Sic enim considerantur entitative, non terminative solummodo.

§. III. *An Deus velit mala?*

*Nota* 1. Triplex est mali genus: nimirum naturæ, pœnæ, & culpæ.

*Nota* 2. Aliquis duplici modo potest aliquid velle, nempe, 1. *directe & per se*, quando illud vult ratione sui ipsius, 2. *indirecte & per accidens*, quando illud vult ratione alterius, in quod directe fertur.

CONCLUSIO I.

*Neque mala naturæ, neque mala pœnæ Deus vult per se directe, bene vero per accidens & indirecte.*

*Prob. prima pars.* Deus non vult directe & per se, nisi quod habet rationem boni; atqui mala naturæ, & pœnæ, qua talia, nullam habent rationem boni, cum mala naturæ sint defectus naturæ, & mala pœnæ ex peccato originem trahant; ergo.

*Prob. secunda pars.* Ut Deus dicatur indirecte, & per accidens, velle mala naturæ & pœnæ, satis est quod per se & directe velit aliquid positivum, cum quo ista mala conjuncta sint; atqui Deus vult directe & per se aliquid positivum cum quo mala naturæ & pœnæ sunt conjuncta: sic v. g. vult servari naturæ ordinem, quocum aliqui naturæ defectus conjunguntur; item vult justitiam suam servari, quod sine irrogatione pœnæ non potest fieri; ergo, &c. Hinc Scriptura dicit: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus* (*Amos* 3. *vers.* 6.); &, *bona, & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt.* (*Eccl.* 11. *vers.* 14.) Qui textus non possunt intelligi, nisi de malis naturæ & pœnæ.

CONCLUSIO II.

*Deus nulla ratione vult mala culpæ, licet illa permittat.*

Propositio est de fide definita a Conc. Trident. (*Sess.* 6. *can.* 6.) his verbis: „ Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum . . . . anathema sit. “

*Prob.* 1. Ex Script. Psalm. 5. „ Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Et Jac.* 1. Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est. “

*Prob.* 2. Deus neque directe & per se, neque indirecte & per accidens vult peccatum; ergo nullo modo, &c.

*Prob. prima pars ant.* Si Deus vellet peccatum directe & per se, vel appeteret malum quatenus malum, vel appeteret malum sub ratione boni; atqui neutrum dici potest, &c. *non primum*, quia sic non est appetibile; *non secundum*, quia Deo res apparent tales, quales sunt; ergo.

*Prob. secunda pars ant.* Velle aliquid indirecte & per accidens, est illud velle per aliquid positivum, cui necessario conjunctum est; atqui Deus non sic vult peccatum; nam non posset velle malum culpæ per aliquid positivum, v. g. per entitatem peccati, cum qua necessario conjunctum esset,

set, quin vellet malitiam peccati, nos enim ita solummodo eam volumus; atqui Deus non potest velle malitiam peccati; ergo, ut concludit Div. Thom. (*quæst. 19. art. 9. in corp.*) *malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult*.

Dixi in Prop. *Licet ea permittat:* quia ut ait D. August. (*In Enchiridio cap. 95.*) *non fit aliquid, nisi omnipotens velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*.

*Nec dicas*, Deum male agere permittendo peccatum quod non potest impedire.

Resp. enim cum D. Aug. (Ibidem, cap. 96.) „ Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male: non enim hoc, nisi justo judicio sinit: & profecto bonum est, quod justum est. "

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus vult & amat potentiam peccandi; ergo vult saltem indirecte peccatum.

Resp. *dist. ant.* Amat potentiam peccandi, secundum substantiam, *conc.* secundum ejus defectum, *nego ant.* neque enim peccandi facultas ad libertatis naturam pertinet, sed est defectus proveniens ex ejus limitatione.

*Inst.* 1. Deus amat quidquid connexum est cum sua omnipotentia; atqui entitas peccati connexa est cum Dei omnipotentia; ergo.

Resp. 1. *retorq. arg.* Deus amat quidquid connexum est cum sua scientia; atqui peccatum formaliter connexum est cum Dei scientia: ergo. Ideo

Resp. 2. *nego maj.* Neque enim Deus amat, quidquid connexum est cum sua omnipotentia qualis est entitas peccati: nam licet velit permissionem peccati, peccatum tamen, quod ex ea sequitur, & quod detestatur, non vult, nequidem interpretative si non teneatur impedire, uti non tenetur.

*Inst.* 2. Deus amat quidquid vult facere; atqui vult facere peccati entitatem; ergo.

Resp. *dist. maj.* Deus amat quidquid vult facere, suo nomine, aut ad quod impellit, aut cujus agendi vim imprimit, *conc.* quod facit tantum ex conditione causæ universalis, *nego maj.* Itaque Deus non concurrit ad entitatem peccati tanquam causa particularis quæ se determinet per se ad talem actum, sed ad illam concurrit tantum ut causa universalis, quæ per accidens tantum se determinat ad talem actum, quatenus scilicet constituit dare concursum omnibus causis secundis; porro quidquid Deus vult ex munere causæ universalis, illud non tam vult, quam non vult impedire ne fiat.

*Inst.* 3. Atqui Deus impellit ad entitatem peccati. Nam, *Act.* 4. dicitur quod Herodes, Pilatus, & populus Israel, *Convenerunt adversus puerum tuum Jesum, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*; ergo.

Resp. *nego ant.* Ex textu sequitur quidem, quod Deus voluerit redemptionem hominum per mortem Christi; sed non sequitur, quod voluerit peccatum, quod Judæi interficiendo Christum patrarunt, quorum propensam ad malum voluntatem, potius ad Deicidium ferri permisit, ob finem & rationes quas divina providentia sibi præscripsit.

*Inst.* 4. Qui vult absolute effectum, censetur velle illius causam; atqui Deus voluit absolute redemptionem hominum per mortem Christi; ergo censetur voluisse Deicidium.

Resp. *dist. maj.* Censetur velle illius causam, quando illius causa unica potest esse, *conc.* quando illius causa esse potest multiplex, *nego maj.* Porro redemptio hominum poterat per alias causas evenire, nempe per mortem Christi vi amoris causatam, vel alio quocumque modo.

*Objicies* 2. Roman. 9. Deus Pharaoni dicit: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*. Ergo, inquit Calvinus, Deus excitavit Pharaonem ad peccandum, ad hoc ut illum puniret.

*Nota*. Apostolus citat Scripturam *Exod.* 9. ubi loco istius vocis, *excitavi te*, legitur, *posui te*, nempe super thronum, in Hebræo legitur, *stare feci te*, in 70. *& propter hoc conversatus es*. Hoc notato,

Resp. *nego conseq.* Sensus enim hujus textus est, quod Deus excitaverit Pharaonem prævidens futurum eum impium & puniendum, unde textus non est intelligendus de mandato, sed de permissione peccatorum.

*Inst.* Atqui Scriptura intelligenda est de mandato peccatorum; dicitur enim, *Exod.* 9. *Induravitque Dominus cor Pharaonis*; atqui indurare cor hominis, est velle ut homo peccet; ergo, &c.

Resp. *nego subsumpt.* Ad argumentum, *dist. min.* indurare positive, *conc.* negative, *nego min.* nam, ut ait August. (*Epistol.* 105.) *non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, subtrahendo nempe gratiam specialem & uberiorem ob peccata præterita, qua subtracta, homo frequentius cadit, nec resurgit.

*Objicies* 3. Psalm. 104. dicitur: Deum convertisse Ægyptios ad odium Israelitarum: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Deus convertit Ægyptios in odium Israelitarum occasionaliter, *conc.* positive, *nego ant.* Ex eo enim quod Deus Israelitas multiplicaverit in Ægypto, inde Ægyptii sumpserunt occasionem illos odio habendi.

### §. IV. *An Deus velit omnium salutem; & an Christus mortuus sit pro salute omnium?*

*Nota* 1. Has duas quæstiones conjungimus, quia inter se ita connexæ sunt, ut separari a se invicem nullatenus possint; de fide enim est Patrem æternum voluisse, ut Christus moreretur pro salute eorum omnium, quos ipse Pater vult salvari, & Christum, omnem Patris voluntatem implevisse. *Descendi de Cœlo*, inquit Jo. 6. *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*.

*Nota* 2. Et recole ex dictis, voluntatem aliam esse *signi*, aliam *beneplaciti*, quæ vel est *antecedens* & conditionata, nec semper habet suum effectum; vel *consequens*, quæ absoluta est, semperque efficax.

*Nota* 3. Cum quæritur, utrum Deus velit omnes salvos fieri, non est quæstio, 1. utrum in statu naturæ innocentis, Deus, voluntate beneplaciti antecedente, voluerit omnium salutem, neque 2. utrum etiam in statu naturæ lapsæ Deus id velit voluntate signi, aut voluntate simplicis complacentiæ, otiosæ, & sterilis; id enim fatentur omnes hæretici; sed:

Quæstio est, utrum Deus antequam, secundum nostrum concipiendi modum, præviderit merita aut peccata hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera & activa, conditionata tamen, scilicet, modo in gratia moriantur. . . . Negarunt olim Prædestinatiani, dicentes ex hominibus alios ad gloriam, alios vero ad sempiternum exitium, sola Dei voluntate, ab æterno destinatos fuisse; quem errorem renovarunt Calvinus (*L.* 1. *instit. cap.* 24.), & Jansenius (*L.* 3. *de gratia Christi*, *cap.* 20.); affirmant vero omnes Catholici.

*Nota* 4. Cum quæritur, utrum Christus sit mortuus pro omnibus, quæstio non est, utrum Christus moriendo sufficiens pretium pro omnibus obtulerit: id enim fatentur omnes, sed quæstio est, utrum Christus voluntate, non quidem absoluta & consequente, sed conditionata & antecedente, voluerit omnibus & singulis hominibus ad salutem prodesse sanguinem suum, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. . . . Negant Calvinus (*in Epist.* 1. *Joann. c.* 2.), & Jansenius (*L.* 3. *de gratia Christi*, *c.* 21.), cum hac differentia, quod Calvinus doceat nullis reprobis ullam gratiam ex meritis Christi concedi; e contra Jansenius, licet doceat Christum non magis pro reproborum salute sanguinem suum fudisse, quam pro salute diaboli, fatetur tamen multis reprobis, propter merita mortis Christi, conferri fidem & justificationem, in qua non possunt perseverare. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

„ De fide est Deum vera & sincera voluntate beneplaciti, velle alios salvos fieri quam prædestinatos. "

*Prob.* 1. Ex isto celebri testimonio, Joann. 3. „ Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. " Ex quo sic argumentor: De fide est, Deum vere & sincere velle, ut omnes, qui credunt in Christum, habeant vitam æternam; atqui non omnes, qui credunt in Christum, sunt prædestinati; ergo.

*Prob.* 2. Fuit in Deo vera & sincera voluntas salvandi Apostolos, juxta illud: (*Joann. 6. v.* 39.) „ Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. " Atqui tamen Judas, qui erat unus ex eis, non erat prædestinatus: *Quos dedisti mihi*, inquit Christus (*Joann.* 17. *v.* 12.), *custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*. Ergo de fide est Deum velle sincere salvare alios, quam prædestinatos. Decretorium est illud testimonium, nec illius vim eludere possunt Janseniani.

*Dicunt* quidem, Judam non fuisse unum ex eis, quos Deus Christo dederat, ut vitam æternam haberent; sed

*Contra est* interpretatio omnium Patrum. Div. August. (*Tract.* 105. *in Joann. cap.* 17.) qui in hæc verba: " Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, *ait*: Quanquam & hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt ... sed ut de his solis, quos tunc habebat discipulis, hæc loqui intelligitur, illud magis urget quod paulo post ait: " Cum essem cum eis, servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur *Judam significans*, *qui tradidit* eum: *ex isto quippe duodenario numero Apostolorum, solus periit*.

Et D. Cyrill. Alex. (*L.* 11. *Commentar. in Joann.*) hæc ait: *Suos Discipulos ita servasse ait . . . . ut nemo, præter unum perierit*. Et in hæc verba: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, illic sint*, ait: *Volo igitur, o Pater, ut qui ad te per fidem accedunt, & qui, per tuam illuminationem, mei facti sunt* (id est, fideles), *mecum sint, & meam claritatem videant*. Ergo omnes fideles Deus dedit Christo; ergo sincere vult ut omnes salventur.

CONCLUSIO II.

„ Deum velle sincere salutem omnium omnino hominum nullo excepto; si non est expresse de fide, certe est fidei proximum & catholicum; cui nihil deest ut sit expresse de fide, præter expressam & publicam Ecclesiæ definitionem.

*Prob.* Illa propositio est catholica & saltem fidei proxima, cui tum Scriptura, tum SS. Patrum & Conciliorum traditio, tum universæ Scholæ consensus suffragatur; atqui talis est nostra propositio; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Ex Script. 2. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Atqui hanc Dei voluntatem extendi ad omnes & singulos homines, probant, tum votum Apostoli, monentis, ut fiant „ orationes pro omnibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, *licet fuerint pagani, & in paganismo obierint*, *quia* bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri; *tum ratio*, *quam illius Dei voluntatis reddit*, *quia nimirum* unus est Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. *Ergo sicut Apostolus monet* fieri orationes pro omnibus hominibus; " sicut Deus, omnium omnino hominum, nullo excepto, Deus est; ita & omnium Salvator & Redemptor; ita vult omnes omnino & singulos homines salvos fieri.

Ezech. 36. *Vivo ego*, *dicit Dominus*, *nolo mortem impii*, *sed ut convertatur a via sua*, *& vivat*. Atqui si vel unum Deus nollet salvari, vellet ejus mortem, id est, æternam damnationem; ergo. Sunt infiniti textus hujusmodi, quos, brevitatis causa, omittimus.

*Prob.* 2. Ex Concil. Carisiaco (Gallice, Crecy, in Picardia): „ Deus omnipotens omnes homines, sine exceptione, vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum. "

*Prob.* 3. Ex Patribus, inter quos sufficiat unus August. quem ad suas partes trahere nituntur Janseniani: *lib. de Spiritu & litter. c.* 33. quærit si bona voluntas, qua creditur, sit donum Dei, quare non detur omnibus, cum *omnes homines velit salvos fieri? &c.* Respondet: „ Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veri-

ritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur; quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt". Ibi loquitur de iis qui, non credentes, faciunt contra voluntatem Dei, cui per liberum arbitrium & resistunt, & justam sibi damnationem acquirunt.

*Prob.* 4. De consensu Scholasticorum, inter quos duos refero: Magistrum nempe Sententiarum, qui in collectaneis in Epist. Pauli, quærit: *si Deus, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non impletur hæc ejus voluntas?* Respondet: *in hac locutione sensus & conditio latet; unde Petrus ait: omnis Scriptura indiget interpretatione. Vult ergo Deus omnes salvos fieri, si accedant ad eum: non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult eos salvari, si & ipsi velint.* En voluntas Dei conditionata clare & nitide expressa, conditione se tenente ex parte creaturæ; ergo Deus, quantum est ex se, vult omnes & singulos salvos fieri .... & D. Thom. *qu.* 13. *art. 9. ad* 1. dicit textum Apostoli, *Deus vult omnes salvos fieri*, intelligi *de voluntate antecedente, non de consequente.* Et in cap. 12. Epist. ad Hebræos, ait: *Vult omnes salvos fieri; & ideo gratia Dei nulli deest; sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* En voluntas beneplaciti antecedens, actuosa, clarissime expressa, pro omnibus, nullo excepto.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Hæc Apost. verba, *Deus vult omnes salvos fieri*, significant tantum voluntatem signi; ergo Deus non vult sincere, & voluntate beneplaciti, omnes salvos fieri.

Resp. *nego ant.* Tum quia illa verba in sensu proprio significant voluntatem beneplaciti, qua Deus vere, & sincere vult, & desiderat salutem omnium & singulorum; tum quia illa voluntas est beneplaciti, vi cujus destinavit omnibus redemptorem, eisque præparavit media, quibus salvari possent, ita ut sola sua culpa non salventur; atqui Deus, vi voluntatis salvandi omnes, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Omnibusque & singulis præparavit media salutis æternæ consequendæ sufficientia; gratias nempe vere sufficientes, quibus saluti suæ consulere possent, ut fuse probabimus Tomo 3. de Gratia, cap. 3. Unde Œcumenius (*In cap. 2. Epist. 1. ad Timot.*) ait: *Si ergo Deus vult, quare non fit quod vult? non fit, quia illi nolunt.*

*Objicies* 2. D. August. generalem Dei voluntatem omnes & singulos homines salvandi, damnat in Pelagianis & Semi-pelagianis; ergo.

Resp. *dist. ant.* Voluntatem Dei generalem damnat in sensu perverso Pelagianorum, *conc.* absolute & in se, *nego.* Est enim propositio vera & catholica.

Itaque Pelagiani & Semi-pelagiani docebant 1. Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, solis nempe liberi arbitrii viribus; quod tanquam falsum reprobat Div. Aug. sed nusquam negavit Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint per gratiam suam: *Verum est omnino*, ait, lib. 1. retract. cap. 10. *omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas a Domino.*

2. Docebant Deum velle indifferenter, seu æqualiter omnium hominum salutem, ita ut nulla sit Dei specialis voluntas erga electos. Quod recte damnavit D. Aug. ex hoc Apostoli 1. ad Tim. 4. „Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium."

*Inst.* 1. Atqui D. Aug. generalem Dei voluntatem salvandi omnes & singulos damnavit absolute, & in se; ergo.

*Prob. subs.* D. August. Enchiridii, cap. 103. ista verba Apost. *Vult omnes salvos fieri*, exponit, 1. Per distributionem accommodam negativam, hoc sensu, *quod nullus salvus fiat, nisi quem* (Deus salvum fieri) *velit.* 2. Per distributionem accommodam affirmantem de generibus singulorum, non de singulis generum, hoc sensu, quod Deus quosdam homines ex omnibus nationibus & conditionibus salvari velit. 3. Exponit de voluntate causali, ita ut dicatur, *quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle*, &, quantum possumus, procurare. Atqui omnes illæ expositiones omnino sunt alienæ ab illa voluntate generali, quæ omnes & singulos complectitur; ergo illam voluntatem in Deo non agnoscit D. Doctor.

Resp. *dist. min.* Sunt alienæ a generali Dei voluntate salvandi omnes, quam non excludunt, *conc.* quam excludunt, *nego min.* & conseq.

Itaque D. August. agens hic contra Pelagianos, qui docebant voluntatem Dei absolutam frustrari posse ab hominibus, apposite ad eorum mentem, istam sententiam, *Deus vult omnes salvos fieri* (ex suppositione quod intelligatur de voluntate absoluta & efficaci ex parte Dei) exponit non de singulis generum, sed de generibus singulorum, ita ut Deus quosdam homines ex omnibus regionibus & conditionibus, absolute velit salvari; quæ voluntas efficax salvandi electos, non excludit voluntatem sinceram, licet inæqualem, salvandi omnes omnino homines, nullo excepto; tum quia eam aliis in locis admittit; tum quia hic de illa Apost. sententia, ait: *Quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri*, voluntate scilicet efficaci, *factumque non esse.*

*Inst.* 2. Ex D. Aug. ibid. cap. 102. *Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est.* Atqui tamen omnes non salvantur; ergo Deus non vult omnes salvari.

Resp. *dist. ant.* Voluntas Dei absoluta & consequens, *conc.* conditionata & antecedens, *subdist.* Invicta est, hoc sensu, quod qui antecedenti voluntati Dei omnes salvandi resistunt, incidant in ordinem voluntatis consequentis eos damnandi qui salutem æternam, omnibus oblatam, respuunt, *conc.* hoc sensu, quod voluntas antecedens semper impleatur ratione salutis, quam proxime intendit, *nego ant.* ita D. Aug. (*L. de Spiritu & littera, c.* 33.) *infideles*, inquit, *contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt ... experturi in suppliciis potestatem*

*statem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt, ita voluntas Dei semper invicta est.*

*Inst.* 3. Deus non potest simul velle, & non velle salutem hominis; atqui si admittatur illa duplex voluntas antecedens & consequens in Deo, Deus vult, & simul non vult salutem ejusdem hominis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Sub eodem respectu, *conc.* sub diverso, *nego*. Voluntas itaque antecedens spectat salutem hominis in se præcise considerati, præcisione facta omnium circumstantiarum consensus, vel dissensus, meriti vel demeriti, &c. voluntas vero consequens spectat salutem ejusdem hominis spectatis circumstantiis meriti, vel demeriti, ita ut Deus velit absolute salvare hominem in gratia morientem, & damnare eum qui in peccato mortali moritur.

*Inst.* 4. Ergo voluntas antecedens versatur circa salutem hominis, præcisis omnibus circumstantiis; atqui peccatum originale est circumstantia hominis; ergo voluntas illa abstrahit a peccati originalis prævisione.

*Resp. dist. ant.* Præcisis omnibus circumstantiis, personalibus, *conc.* naturæ communibus, *nego maj.* atqui peccatum originale est circumstantia hominis, toti naturæ communis, *conc.* est circumstantia hominis, personalis, *nego min.* Porro Deus hominem salvandum considerat quatenus est obnoxius peccato toti naturæ humanæ communi, quo supposito, vult eum salvum fieri voluntate antecedente, prævisionem ejus meritorum vel demeritorum.

*Objicies* 2. S. Fulgentius (*L.* 2. *de Incarnat. & gratia*, *cap.* 29.) arguit Pelagianos & Semi-pelagianos, quod hanc sententiam, *omnes homines vult salvos fieri*, intelligerent de voluntate generali salvandi omnes homines; ergo.

*Resp. dist. ant.* Quod hanc sententiam intelligerent de voluntate generali, æqualiter efficaci erga reprobos & prædestinatos, *conc.* inæquali & inefficaci, *nego ant.* Admittebant itaque Pelagiani & Semi-pelagiani voluntatem in Deo salvandi omnes omnino homines æqualem & efficacem ex parte Dei, ex quo sequebatur voluntatem Dei efficacem suo effectu frustrari in omnibus qui non salvantur, quod falsum & absurdum est, ut demonstrat Div. Fulgentius.

*Inst.* 1. Illa voluntas Dei, si non sit efficax, est simplex velleitas; atqui velleitas est Deo indigna; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam illa voluntas, licet non sit efficax, est tamen sincera, ex qua in homines defluunt media sufficientia ut salutem æternam possint consequi, ita ut per Deum non stet, ut effectus, dependens ab hominis arbitrio, non ponatur.

*Inst.* 2. D. Thom. (1. *p. q.* 19. *art.* 6. *ad* 1.) asserit quod voluntas illa antecedens, *magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas*. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Potest dici velleitas, comparate ad voluntatem absolutam & consequentem quæ semper impletur, *conc.* absolute & in se, quasi esset in Deo mera circa salutem reproborum complacentia, *nego ant.* Sese explicat D. Thom. hic, & lib. contra Gentes, cap. 159. *Deus, quantum est in se*, inquit, *paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri*. Ergo ex D. Thom. illa voluntas non est otiosa & sterilis; ergo non est simplex velleitas; sed est sincera voluntas, licet inefficax.

*Inst.* 3. Voluntas inefficax derogat omnipotentiæ divinæ; ergo repugnat Deo. Resp. *nego ant.*

*Prob. ant.* Voluntati Dei inefficaci resistit homo pro suo libero arbitrio; ergo voluntas inefficax derogat omnipotentiæ divinæ, *ita Janseniani.*

*Resp. nego conseq.* Quæ potest retorqueri in adversarios; illi quippe admittunt pro statu innocentiæ veram & sinceram in Deo voluntatem salvandi omnes: *Habuit igitur*, ait Jansenius (*L.* 10. *de grat. Christi*, *c.* 1.), *Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est.* Atqui tamen inefficax fuit, illi enim restitere mali Angeli, cæteris in accepta justitia perseverantibus; ergo, si velint consequenter loqui, debent dicere, in illo priori statu fuisse derogatum omnipotentiæ divinæ, vel fateri voluntatem inefficacem, quæ non impletur defectu alicujus conditionis ex parte creaturæ, nihil derogare omnipotentiæ divinæ.

*Objicies* 3. Saltèm Deus non vult vere & sincere salvos fieri infantes, qui prius in utero materno extinguuntur, quam possit ipsis applicari baptismus; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Cum D. Aug. (*L.* 4. *contra Jul. cap.* 8.) qui exponens sententiam Apostoli, *omnes homines vult salvos fieri*, dicit: *numquid parvuli, homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, omnes homines?* Porro, ut hæc generalis voluntas Dei erga illos infantes admittatur, sufficitur, quod pro illis remedium salutis instituerit, & paratus sit, quantum est ex se illud ipsis procurare, nisi obstaret naturalis causarum secundarum ordo, qui mortem infantis postulat; unde non penes Deum stat, quominus sàlventur dicti infantes, sed penes causas secundas, quarum ordinem interturbare, tanquam generalis provisor, non vult, nec tenetur, ut docet D. Thom. (*In* 4. *dist.* 6. *art.* 1. *ad* 1.). Sed de hoc argumento fusius in Tractatu de Gratia.

## CONCLUSIO III.

*Christus non est mortuus pro salute duntaxat prædestinatorum; sed mortuus est etiam pro aliquibus reprobis, nempe pro omnibus saltem fidelibus.*

*Prob. Conclusio* 1. Ex Summis Pontificibus Innoc. X. & Alex. VII. qui, constitutione ab universa Ecclesia recepta, hanc prop. Jansenii: „ Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse "; damnarunt tanquam falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit; damnarunt tanquam impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam; ergo hæc ejus contradictoria, Christus non est mortuus pro solorum prædestinatorum salute, est dogma fidei ".

*Prob.* 2. Ex Symbolo Nicæno, ubi de Christo dicitur: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cælis, homo factus est, passus est, &c.* ex quo sic argumentor:

de

de fide est Christum mortuum esse pro omnibus qui exprimuntur his vocibus: *Propter nos; Propter nostram salutem*. Atqui his vocibus saltem omnes omnino fideles exprimuntur; ergo de fide est Christum mortuum esse pro omnium saltem fidelium æterna salute. *Prob. min.* Quia omnes omnino fideles tenentur credere fide divina omnia in isto Symbolo contenta; ergo eadem fide tenentur credere Christum pro æterna sua salute mortuum esse.

## CONCLUSIO IV.

*Christus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, mortuus est.*

*Prob. Conclusio*, quæ, si non est expresse de fide, certe est fidei proxima & catholica, cui nihil deest, ut sit expresse de fide, præter expressam & publicam Ecclesiæ definitionem.

*Prob.* inquam, 1. Ex Script. 2. *Cor.* 5. Apostolus ait: „ Caritas Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus “. Decretorium est illud testimonium, juxta quod pro omnibus illis mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo; atqui omnes & singuli (excepta sola B. M. V.) mortui sunt in Adamo; ergo, &c. Pessime concluderet Apostolus omnes mortuos esse in Adam, ex hoc quod unus mortuus sit pro omnibus, si vel unus esset, pro quo Christus mortuus non esset. Unde S. Aug. Julianum negantem peccatum originale, sic *lib.* 6. *cap.* 4. insectatur: „ Probavit Apostolus omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus, impingo, inculco, infercio recusanti: accipe, salubre est; nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus est “.

*Prob.* 2. Ex Concil. Carisiaco, cap. 4. „ Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit *Christus*, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. *Et Concil. Trident.* (*Sess.* 6. *cap.* 2. & 3. *de justif.*) *ait:* Hunc (*Christum*) proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur “. Ergo non solum pro electis, sed & pro omnibus reprobis mortuus est.

*Prob.* 3. Ex Div. August. enarratione in Psalm. 95. hæc verba referens: „ Judicabit orbem terrarum in æquitate, *ait:* non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit “. Ergo pro iis omnibus mortuus est, quos judicaturus est; atqui omnes & singulos, nullo excepto, judicaturus est; ergo.

L. 20. de Civit. Dei, cap. 6. ait: „ Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nullo prorsus excepto ... & pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus, id est, nullum habens omnino peccatum “. Ergo mortuus est pro omnibus mortuis; atqui omnes mortui sunt, nullo excepto. Ergo.

L. 2. operis imperfecti, contra Julian. qui cum dixerit: *omnes, pro multis sumi*, respondet August. „ Ad hoc jam responsum est, non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes, non pauci, sed multi sunt ... hinc te exue si potes, quod unus pro omnibus mortuus est, & aude dicere non omnes esse mortuos, pro quibus mortuus est Christus, cum statim tibi Apostolus fauces premat, & opprimat audacissimam vocem quid sequeretur ostendens & dicens, ergo omnes mortui sunt ... ibi sunt & parvuli, quia pro ipsis Christus mortuus est, qui propterea pro omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt, &c. “

*Prob.* 4. Ex Scholæ Theologis. Magister (*In collectaneis in Epist. S. Pauli*) docet: „ Unus est mediator Dei & hominum . . . qui dedit redemptionem semetipsum; in hoc indicatur omnes velle salvare: dedit dico pro omnibus, nullum excipit, qui velit omnes “.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus, Matth. 20. dicit se venisse *dare animam suam redemptionem pro multis*. Ergo non pro omnibus.

Resp. *nego conseq.* Nam, ut vidimus ex Div. Aug. ista vox, *multis*, supponit pro, *omnibus*, *quia*, inquit, *ipsi omnes, non pauci, sed multi sunt*. Unde Apost. Rom. 5. voces illas, *multi*, & *omnes*, promiscue usurpat ad unum & idem significandum. „ Sicut per unius delictum, *inquit*, in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi “. Hic *multi*, & *omnes* idem evidenter significant.

*Inst.* 1. Christus, *Joann.* 10. testatur se mortuum esse pro solis electis, *animam meam pono pro ovibus meis;* ergo.

Resp. *dist. ant.* Testatur se mortuum esse pro solis electis, quoad efficacem meritorum Christi applicationem, & assecutionem vitæ æternæ, *conc.* quantum ad sufficientem mortis Christi oblationem pro omnium salute, *nego ant.* Dicit enim Christus se animam ponere pro ovibus suis, sed sine exclusione aliorum, quos sufficienter redemit per suam mortem, quam omnibus prodesse Christus intendit, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. 1. Tim. 2.

*Inst.* 2. Pro illis solis Christus mortuus est, pro quibus oravit, pro solis prædestinatis (*Joann.* 17. *v.* 9.) *non pro mundo rogo*, inquit, *sed pro iis quos dedisti mihi*.

Resp. *dist. min.* Oravit pro solis prædestinatis, illa vice, *conc.* alias, *nego*, nam ibidem addit Christus, *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Dubitari autem nemo potest, quin inter eos multi reprobi forent.

*Inst.* 3. Oratio Christi semper effectum obtinuit: Joann. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis;* atqui non omnes salvantur; ego Christus non oravit pro salute reproborum.

Resp. *dist. maj.* Oratio Christi absoluta, *conc.* conditionata, *nego maj.* Itaque oratio, qua Christus absolute rogavit Patrem, ut electis vitam æternam, & media efficacia ad eam obtinendam concederet, suum obtinuit effectum; ea vero, qua rogavit Patrem, ut ipsis etiam reprobis vitam æter-

æternam daret, si velint recte uti mediis saluti vere sufficientibus, quæ in ipsos virtute passionis suæ defluxerunt, non habuit suum effectum defectu conditionis, culpa eorum, non impletæ.

*Inst.* 4. D. Thom. (3. *p. q.* 21. *art.* 4. *ad* 2.) docet: ***Dominum non orasse pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.*** Ergo nullo modo oravit pro reprobis, nequidem oratione conditionata & inefficaci.

**Resp.** ***nego conseq.*** **Ibi enim D. Thom. loquitur de** oratione efficaci & absoluta; ait enim: *Absoluta Christi voluntas, etiam humana, fuit impleta, quia Deo conformis, & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita*, **ea nimirum quæ ex voluntate efficaci prodiit.**

*Objicies* 2. Conc. Valentinum III. Canon. 4. damnat **Capitulum Concil. Carisiaci, in quo dicitur, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse;** ergo, &c.

**Resp.** ***dist. ant.*** **Damnat Capitulum Concil. Carisiaci,** in sensu ipsi falso attributo, *conc.* in sensu ab illo Concilio intento, *nego ant.* Itaque Concilium Valentinum damnavit Capitulum Carisiacum, quia falso credidit Patres Carisiacos definiisse, *Christum mortuum esse pro liberandis impiis illis, qui a mundi exordio usque ad Passionem Domini, in sua impietate mortui,* ***æterna damnatione puniti erant.*** Ita testantur PP. Valentini, qui cum postea, per Librum ab *Hincmaro* conscriptum, cognovissent veram Concilii Carisiaci doctrinam, censuram illius Concilii sustulerunt in Synodo Lingoniensi.

*Objicies* 3. D. Aug. (*Epist.* 269. *alias* 102. *ad Evodium*) ait: *Non periit unus ex iis, pro quibus mortuus est Christus.* Ergo mortuus est pro solis prædestinatis.

Resp. *dist. ant.* Non periit unus ex iis, pro quibus Christus mortuus est, **voluntate absoluta & efficaci,** *conc.* **voluntate conditionata, antecedente &** generali, *nego ant.* Ibi porro D. August. loquitur de voluntate Christi efficaci.

*Objicies* 4. D. Anselmus, *in elucidario*, ait: ***Christus pro solis electis mortuus est.*** Ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Pro solis electis mortuus est, efficaciter, *conc.* sufficienter, *nego.* Suam mentem declarat D. Doctor (***in cap. 2. Epist. 1. ad Tim.***) dicens: *Mediator Deus, quem Deus inter se & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret.* Sic intelligendi sunt omnes alii Patres, qui nobis objiciuntur.

*Objicies* 5. Christus certus erat de decreto Dei immutabili damnandi omnes reprobos; ergo non potuit sincere mortem suam offerre pro illorum salute.

Resp. *dist. conseq.* Non potuit offerre mortem suam **pro illorum salute, post prævisionem demeritorum,** *conc.* ante illam prævisionem, *nego conseq.* in illo enim instanti priori rationis, Deus habuit voluntatem sinceram omnes salvandi, & in hunc finem Christus suam Patri obtulit mortem.

*Inst.* Ergo sincera Dei voluntas vincitur a creatura; **absurdum consequens; ergo.**

Resp. *nego illatum.* Nam per illam voluntatem conditionatam & inefficacem salutis reproborum, Deus vult absolute observationem suorum mandatorum, & si non observentur, vult ut peccatores puniantur, unde ejus sincera voluntas nunquam vincitur, ut docet Div. August. *l. de Spiritu & litt. c.* 33. **supra citato.**

## CAPUT III.

### *De attributis positivis, quæ Deo in ordine ad creaturas spectato tribuuntur.*

*Nota.* Hic agemus 1. De justitia & misericordia Dei. 2. De ejus providentia. 3. De prædestinatione. 4. De reprobatione, sequentibus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *De justitia & misericordia Dei.*

*Nota* 1. Sociniani, ut dogma catholicum circa **Christi satisfactionem facilius evertant, negant** ***ullam*** *in Deo esse justitiam quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renuntiare non possit.* Ita Socin. *prælect. cap.* 16.

*Nota* 2. Non esse in Deo justitiam *commutativam* stricte, quæ consistit in æqualitate dati & accepti; quia, ut ait D. Thom. (1. *p. q.* 21. *art.* 1.) *cum omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi a Deo retribuatur,* ***jure in ipso justitia commutativa non est.*** **Ideo sit**

## CONCLUSIO I.

*Est in Deo formaliter justitia distributiva in præmium bonorum & malorum vindictam.* Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Psalm. 10. ***Justus Dominus, & justitias dilexit.***

***Prob.*** **2. Justitia distributiva est virtus, qua bonis præmium, & malis supplicium, pro ratione eorum** meriti, vel demeriti, redduntur; atqui Deus **bonis quidem præmium, juxta illud Apostoli (2.** ***ad*** *Tim.* 4. *v.* 7.) *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*; malis **vero supplicium decernit, juxta illud Psalm. 5.** ***perdes omnes qui loquuntur mendacium.*** Ergo.

*Prob.* 3. Deus necessario odit peccatum, ergo necessario debet illud punire. **Peccati enim odium nihil** aliud est, quam constans voluntas illud puniendi.

***Dices*** **1. Deus potest peccatum omnino impunitum** dimittere; ergo justitia vindicativa non est in Deo formaliter.

**Resp.** ***nego ant.*** **Sanctitas enim & justitia Dei exi**gunt, ne injuria illi per peccatum illata, impunita remaneat.

*Inst.* Deus pœnas peccatoribus debitas relaxat, gratisque remittit; ergo peccatum impunitum dimittit.

Resp. *dist. ant.* Gratis relaxat & dimittit per applicationem satisfactionum Jesu Christi, *conc.* sine tali applicatione, *nego ant.* Equidem Deus nobis, pro **beneplacito suo, pœnas pro peccatis debitas remit**tit; sed eas a Christo sponsore nostro ad strictos ju-

stitiæ apices repetit, ut videbimus in Tractatu de Incarnatione. Hinc cum Apostol. *Rom.* 3. dicit: *justificati gratis per gratiam ipsius*, addit: *per redemptionem quæ est in Christo Jesu*, &c.

*Dices* 2. Justitia Dei vindicativa non fuit ab æterno in Deo; ergo non est in ipso formaliter.

Resp. 1. *Retorqueo argumentum:* Potentia creatrix non fuit ab æterno in Deo; ergo.

Resp. 2. *nego ant.* Vel etiam *dist.* non fuit in Deo ab æterno, terminative, *conc.* entitative, *nego antec.* Deus enim ab æterno est secundum essentiam justus & omnipotens, licet ab æterno neminem judicaverit, nec creaverit; porro denominationes vindicis, creatoris, &c. quæ desumuntur ab objectis circa quæ terminatur potentia creatrix & vindex, non tribuuntur Deo ab æterno, sed ipsi adveniunt in tempore.

## CONCLUSIO II.

*Est in Deo misericordia;* est de fide.

*Prob.* Ex Script. Psal. 144. *Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors ... miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ratio est, quia misericordia est perfectio simplex; ergo non est Deo deneganda.

*Dices:* Misericordia est species tristitiæ, ex S. Damasceno *lib.* 2. *c.* 15. atqui tristitia non potest esse in Deo; est enim maxima imperfectio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Misericordia, ut est in nobis, est species tristitiæ, *conc.* ut est in se, seu secundum suam propriam rationem, *nego maj.* Nam misericordia ex sua ratione exigit solum voluntatem subveniendi alienæ miseriæ, quæ voluntas est perfectio sine imperfectione. Hinc D. Thom. (*Quæst.* 21. *art.* 3.) docet misericordiam esse in Deo *secundum effectum, non secundum passionis affectum . . . tristari ergo de miseria alterius non competit Deo, sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit.*

## QUÆSTIO II.

### *De providentia Dei.*

*Nota* 1. Providentia definitur: *ratio ordinis rerum in finem.*

Dicitur 1. *ratio ordinis:* id est, notitia practica, per quam Deus ab æterno novit media quibus creatura possit ordinari in suum finem, cum voluntate conferendi ea media in tempore. Unde non versatur circa finem ultimum, sed tantum circa media quæ ad eum tendunt.

Dicitur 2. *In finem*, non tantum in eum qui cuilibet rei particularis est, verum etiam in eum qui omnibus rebus generalis est, quique in gloriæ Dei manifestatione consistit.

*Nota* 2. His agemus. 1. De existentia providentiæ. 2. De ejusdem efficacia; duplici articulo.

## ARTICULUS I.

### *De existentia providentiæ divinæ.*

## CONCLUSIO.

*Est in Deo providentia rerum omnium, etiam minutissimarum* . . . Est de fide contra Atheos, Marcionitas, & quosdam antiquos Philosophos, qui omnia casui fortuito & astris adscribebant.

*Prob.* 1. Ex Script. Sap. 6. *æqualiter cura est illi de omnibus.* Et cap. 8. *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et cap. 4. *tua autem, Pater, providentia gubernat.* Matth. 29. *unus passer non cadet super terram sine Patre vestro: vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt:* atqui illi textus generaliter loquuntur, nihil excipiunt, imo res vilissimas comprehendunt; ergo omnes res, etiam vilissimæ subjiciuntur divinæ providentiæ.

*Prob.* 2. Ex PP. D. Damasceno, lib. 2. de fide orthod. *Necesse est*, inquit, *eundem esse eorum quæ sunt, & factorem & provisorem.* Nam, *quis operator negligit operis sui curam?* ait D. Ambros. (*L. de officiis cap.* 13.) & Lactant. de Epicuro dicit (*L. de ira Dei, cap.* 9.): *cum providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse . . . alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.*

*Prob.* 3. *ratione.* Si nulla sit providentia, nulla quoque erit religio, *si non præsidet divina providentia rebus humanis, nihil est de religione satagendum*, ait D. August. (*L. de utilitate credendi, cap.* 16.): atqui tamen religio omnium animis a natura insita est. Ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Si esset in Deo providentia omnium rerum, nihil casu & fortuito fieret; atqui multa casu & fortuito fiunt; ergo.

Resp. *dist. min.* Multa casu fiunt, respectu nostri, qui ignoramus causas multorum effectuum, & finem ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.* respectu Dei, *nego min.* nihil fit omnino, nisi Deus illud vel voluerit, vel permiserit, & ad bonum finem dirigat.

*Inst.* Multa fiunt frustra in rerum natura, ergo illa non subjacent divinæ providentiæ.

Resp. *dist. ant.* Multa fiunt frustra, respective ad causas particulares, quæ non raro deficiunt, *conc.* respective ad provisorem generalem, *nego ant.* Illa enim, quæ frustra fieri videntur, ad decorem universi ordinantur, sicut *umbra in picturis*, ait D. Aug. (*L. de Genes. ad litter. cap.* 5.) *quæ non specie, sed ordine placent.*

*Objicies* 2. Sapiens provisor removet malum ab eis quorum curam gerit, atqui Deus a rebus singulis malum non excludit, ut sunt mala naturæ, & mala pœnæ; ergo.

Resp. *dist. maj.* Bonus provisor particularis, *conc.* generalis, *nego maj.* Provisoris enim generalis ratio non postulat, ut removeat omnia mala, imo par est, ut permittat tum mala naturæ, quæ indirecte conducunt ad pulchritudinem universi; tum mala culpæ, ne destruat libertatem, sine qua non eluceret meritum bonorum.

*Instit.* Bonus provisor generalis non permittit justos opprimi, & impios prosperare; atqui tamen hoc permittit Deus; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam in hoc & malis providet Deus & bonis; malis quidem, ut eos adducat ad pœnitentiam, & ut virtutes morales, si quæ sint in eis, compenset: bonis vero, ut expientur in

hac

hac vita peccata eorum, ut virtus eorum probetur, exerceatur, & perficiatur, ut, præsentem vitam contemnentes, Deum ardentius quærant; ut eorum merces augeatur &c.

*Objicies* 3. Job 22. dicitur: *Et dicis . . . . nubes latibulum ejus, nec nostra considerat*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Hæc enim verba calumniose Elipha Themanite imponuntur Jobo, quod negaret Dei providentiam, dicens c. 11. *Quare impii vivunt?* quod certe, non ex dubitatione, sed magis ex zelo justitiæ divinæ, ut dixit Job, qui de illis impiis, quibus hac in vita omnia succedunt, ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*.

*Objicies* 4. Apost. 1. *Corinth.* 9. ait: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Ergo Deus non habet curam brutorum.

Resp. *dist. conseq.* Non habet curam de brutis tam specialem, quam de hominibus, *conc.* nullam prorsus de illis curam habet, *nego*. Nam *Matth.* 6. legitur: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cœlestis pascit illa*. Vult ergo Apostolus solummodo Deum non providere bobus propter ipsos, sed in hominum gratiam & commodum.

*Inst.* 1. D. Hieron. (*In cap.* 2. *Habacuc*) ait: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotque moriantur*. Ergo si non novit illa vilissima, nec etiam eorum curam habet.

Resp. *dist. conseq.* Si non novit nullo modo, *conc.* si non novit successive, *nego*. Hic itaque D. Hier. excludit duntaxat a Deo cognitionem, quæ cum successione habetur, quæ cum sit imperfecta, merito tanquam indigna removetur a Deo. Est hic verus D. Hier. sensus, qui in vita D. Pauli Eremitæ docet, *sine Dei nutu, nec folium arboris defluere*.

*Inst.* 2. D. Thom. (*q.* 23. *art.* 7. *in corp.*) ait: *Licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum, vel culicum, &c. est per se præordinatus a Deo*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nec enim Div. Thom. dicit numerum boum non præordinari, sed non præordinari *per se*, seu propter se, quod verissimum est, providentur enim propter utilitatem hominis.

*Objicies* 5. Si Deus omnibus provideat, actus creaturæ etiam liberæ a Deo provisi, erunt necessarii: ergo divina providentia non potest stare cum hominis libertate.

Resp. *nego ant.* Cum enim divina providentia *disponat omnia suaviter*, res necessarias necessario, res vero liberas libero modo regit & gubernat.

*Inst.* Quæ sunt a Deo provisa & ordinata, fient necessario; ergo actus a Deo provisi erunt necessarii.

Resp. *dist. ant.* Fient necessario necessitate hypothetica, *conc.* necessitate absoluta, *nego ant.* Cum itaque divina providentia non possit falli, necesse est, consequenter & hypothetice, ea evenire, quæ Deus præscivit & providit. Illa autem necessitas hypothetica non officit libertati.

## ARTICULUS II.

*De efficacia divinæ Providentiæ.*

*Nota* 1. Quæritur hic, utrum Providentia divina finem suum semper assequatur; circa quod

*Nota* 2. Duplex distingui potest finis, nempe *specialis*, qui est rei cujuscumque proprius, ut respectu hominis æterna beatitudo; & *communis*, seu generalis, qui est Dei attributorum manifestatio.

### CONCLUSIO.

*Providentia Dei non semper assequitur finem specialem rerum quæ ei subsunt; bene vero semper assequitur finem suum generalem.*

*Prob. prima pars.* Omnes homines ad æternam beatitudinem, tanquam ad finem sibi proprium, a divina Providentia ordinantur; atqui omnes homines ad eum finem non perveniunt, multi enim sunt reprobi; ergo.

*Prob. secunda pars.* Finis providentiæ communis, ad quem Providentia divina res omnes ordinat, est manifestatio divinæ bonitatis, aliorumque attributorum; atqui Providentia divina hunc finem semper assequitur; ergo, &c.

*Prob. min.* Tria sunt divinæ Providentiæ munera. 1. Præfinire unicuique creaturæ certum finem, v. g. homini beatitudinem æternam. 2. Præparare certa media ad finem illum assequendum. 3. Sinere creaturam illis mediis pro arbitrio uti, quibus si utatur, æterna gloria donatur, & sic Providentia assequitur tum finem particularem, tum finem communem, qui est manifestatio divinæ bonitatis in æterna beatorum gloria; si vero illis non utatur, in æternum perit, & sic Providentia, licet excidat a fine particulari, assequitur tamen finem communem, qui est manifestatio justitiæ divinæ, in æterna ejus damnatione; ergo Providentia divina semper assequitur finem generalem.

## QUÆSTIO III.

*De Prædestinatione.*

*Nota* 1. Prædestinatio, est vox composita ex particula, *præ*, quæ antecessionem, non quidem meritorum, sed existentiæ illius, qui in aliquem finem supernaturalem destinatur; & ex nomine *destinatio*, quod ordinationem, seu decretum significat. Unde prædestinatio nihil aliud est, quam destinatio hominum in aliquem finem, antequam ipsi existant: illa porro prævia destinatio quandoque sumitur late pro qualibet Dei ordinatione ab æterno facta, sive ea in bonum sit, sive in malum, quo sensu Conc. Valentinum III. *Can.* 3. ait: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem*. Communiter tamen sumitur pro ordinatione ad gloriam, & gratiam, qua, tanquam medio, gloria obtinetur. Unde:

Resp.

*Nota* 2. Prædestinatio sumitur dupliciter; 1. *incomplete*, pro prædestinatione, vel ad gratiam nude & solitarie sumptam, vel ad gloriam nude item & solitarie sumptam; 2. *complete*, pro prædestinatione ad gratiam simul & gloriam, seu quatenus non tantum respicit gloriam æternam, sed etiam omnia gratiæ dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur: hæc ergo gratiam specialem, perseverantiam simul & gloriam complectitur.

Prædestinatio ad gratiam solitarie spectata, est voluntas divina, absoluta, & efficax dandi gratiam.

Prædestinatio ad gloriam solitarie spectata, est voluntas divina, absoluta, & efficax dandi gloriam.

Prædestinatio complete sumpta definitur a Div. Aug. (*L.* 3. *de dono persever. cap.* 14.) „ Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur “.

*Dicitur* 1. *præscientia*, quo nomine non intelligitur scientia simplicis intelligentiæ, cum hæc versetur circa mere possibilia, sed intelligitur scientia visionis, præsupponens scientiam conditionatorum, tum quia D. August. illam scientiam præponit decreto absoluto præparationis beneficiorum gratiæ & gloriæ; tum quia, *cap.* 17. ejusdem libri de Deo, ait D. Doctor: „ Namque in sua, quæ falli, mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam, est prædestinare “. Ergo illa præscientia, de qua D. Aug. loquitur, antecedit decretum Dei absolutum, cujus directiva est, & quam subsequitur scientia absoluta & visionis, quæ, nostro concipiendi modo, Dei decreto posterior est.

*Dicitur* 2. *præparatio*, id est præordinatio in Deo existens ab æterno, antequam effectum suum consequatur in tempore.

*Dicitur* 3. *beneficiorum Dei*, per quod alii gratiæ solius, alii gloriæ solius, alii tum gratiæ, tum gloriæ dona intelligunt, quod nobis verosimilius videtur.

*Dicitur* 4. *quibus certissime liberantur*, nempe a peccato per gratiam efficacem, & a miseria per gloriam æternam.

*Dicitur* 5. *quicumque liberantur*, quia prædestinatio, non ad omnes homines, sed ad aliquos tantum extenditur, per quod differt a providentia, tum naturali, tum supernaturali, quæ est voluntas dandi gloriam antecedens & conditionata.

*Nota* 3. Quæ prædestinationis materiam spectant, quatuor articulis concludemus. *Primus* erit de illius existentia. *Secundus*, de illius causa meritoria. *Tertius*, de illius effectibus. *Quartus*, de illius proprietatibus.

## ARTICULUS I.

### *De existentia prædestinationis.*

*Nota*. Prædestinationem in Deo negaverunt 1. Valentiniani, Basilidiani & Marcionitæ, docentes unumquemque hominem natura sua bonum vel malum, salvandum vel reprobandum nasci. 2. Pelagiani & Semi-pelagiani, eo quod arbitrarentur prædestinationem esse fatalem quandam necessitatem, quæ creatam libertatem extingueret; & ad omne meritum viam præcluderet, ut docet D. August. *lib. de dono perseverantiæ*, *cap.* 14. contra quos sit:

### CONCLUSIO.

*Existit vera ex parte Dei prædestinatio*. Prop. est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Matth. 25. „ Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi “. Et ad Rom. 8. *quos prædestinavit, hos & vocavit*, &c. quam Ecclesiæ fidem sine errore negari non posse affirmat D. August. lib. de dono persever. cap. 19. „ Hoc scio, *inquit*, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputare posse “. Cui consentit D. Prosper (*In respons.* 1. *ad objectiones Gallorum*) dicens: „ Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat. “

*Prob.* 2. *ratione*: Quia quidquid Deus facit in tempore, illud ab æterno facere præordinavit ac decrevit; atqui nonnullis hominibus dat gloriam in tempore; ergo illam dare ab æterno decrevit, atque illud decretum est præordinatio ad gloriam; ergo, &c.

*Dices*: Doctrina prædestinationis omnem solvit de procuranda salute vigilantiam & curam, hominesque conjicit, vel in temerariam præsumptionem, vel in desperationem; ergo illa non est admittenda.

*Prob. ant.* Si detur prædestinatio, valebit istud dilemma: „ Vel sum prædestinatus, vel non: si sum prædestinatus, certissime salvabor, nec proinde ulla mihi debet esse de procuranda salute sollicitudo; si vero non sum prædestinatus, quidquid boni egero, æternum peribo “; solus quippe prædestinatus salvari potest. Ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Illud enim dilemma, est putidum sophisma, quod dialectici vocant *a falso supponente*: supponit enim Deum electos ad gloriam prædestinare absque operibus, cum tamen nemo ad gloriam prædestinetur, nisi quia prævidetur facturus bona opera, quæ ad eam comparandam sunt necessaria, ut tradit Div. Gregor. (*L.* 3. *Dialog. cap.* 13.): quemadmodum enim Deus non statuit finem concedere, nisi per idonea media, v. g. sanitatem per medicinam, uberes messis fructus per agriculturam; sic & prævidit & constituit salutem æternam consequendam per opera bona: *Quapropter fratres*, monet Div. Petrus 2. cap. 1. *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis . . . sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris J. C.*

## ARTICULUS II.

### *De causa Prædestinationis morali & meritoria.*

*Nota* 1. Non est hic quæstio de prædestinatione ad gratiam, quia de illa acturi sumus *in Tractatu de Gratia*, ubi contra Pelagianos & Semi-pelagianos, dicemus, cum omnibus orthodoxis, prædestinationem ad gratiam esse omnino gratuitam, juxta illud Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*,

*ipso*, (id est, per ipsum) *ante mundi constitutionem ut essemus sancti.*

*Nota* 2. Nec est quæstio de prædestinatione independenter a prævisione meritorum Christi; constat enim electos, in hoc statu naturæ lapsæ; a Deo non prædestinari independenter a meritis Christi, sed agitur de prævisione meritorum ab ipsis adultis cum gratia Christi consummandorum.

*Nota* 3. Non est quæstio de prædestinatione parvulorum post baptismum ante usum rationis morientium; constat enim, eos solis Christi meritis prædestinari ad gloriam, non vero ex suis propriis, quorum sunt incapaces.

*Nota* 4. Nec est quæstio de prædestinatione ad gloriam simul & gratiam; certum est enim, quod illa conglobata prædestinatio sit ante prævisa merita, ideo non est universaliter verum, quod prædestinatio illa completa sit post prævisa merita, cum in ea contineatur illa, quæ est ante prævisa merita; & ideo loquimur solum de prædestinatione ad gloriam nude & solitarie spectatam, & prout condistinctam a prædestinatione ad gratiam.

*Nota* 5. Prædestinatio ad gloriam nude & solitarie sumptam, spectari potest vel secundum ordinem intentionis, vel secundum ordinem executionis. *Primo modo* spectata, est actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis alicui dare gloriam. *Secundo modo* spectata, est ipsa actualis gloriæ retributio. Hic quæstio non est de prædestinatione secundum ordinem executionis; certum est enim prædestinationem sic sumptam habere rationem mercedis, quæ non nisi legitime certantibus titulo justitiæ debita rependitur. De sola ergo prædestinatione secundum ordinem intentionis hic controvertitur, utrum Deus efficaciter & absolute decreverit prædestinatis dare gloriam ex mero suo beneplacito, & independenter a meritis eorum supernaturalibus, aut non nisi propter merita supernaturalia prædestinati prævisa, circa quod duæ sunt sententiæ, quarum quælibet su s habet non infimæ notæ patronos.

*Prima sententia* docet prædestinationem ad gloriam esse mere gratuitam, & independenter a quovis prædestinati merito factam, ita ut Deus aliquos in primo instanti ad gloriam efficaciter præelegerit: & in secundo eosdem ad gratiam efficacem & ad merita supernaturalia, quibus gloria est obtinenda. Ita *Thomistæ*, *Scotus*, *Suarez*, &c.

*Secunda sententia* docet efficacem prædestinationem ex præsupposita meritorum gratiæ prævisione fieri, ita ut Deus nemini prius gloriam efficaciter decernat, quam præviderit eum gratiæ certo consensurum. Ita *D. Bonaventura*, *Alexander Halensis*, *Albertus Magnus*, *Joannes Major*, *Grandin*, *Dumetz*, *Tournely*, &c. quam sententiam probabiliorem amplectimur; itaque sit

CONCLUSIO.

*Prædestinatio ad gloriam fit ex prævisis gratiæ meritis.*

*Prob.* Quia nostra sententia conformior est Scripturis, SS. Patribus & rationi; ergo, &c. *Ant.* probandum per omnes suas partes:

*I. Probatio ex Scripturis.*

Primus textus. *Matth.* 25. Ubi Christus prædestinatos alloquens, ait: *venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c. ubi manifeste Christus docet, regnum cælorum non tantum dari, sed etiam parari propter bona opera; nam particula causalis, *enim*, quæ illa duo verba *possidete*, & *paratum*, subsequitur, utrumque efficit.

*Respondent* adversarii, particulam causalem, *enim*, non referri ad, to, *paratum*, sed ad, to, *possidete*, ut sensus sit; possidete ex meritis regnum vobis gratuito præparatum. Sed

*Contra est* 1. Quia Christus declarat eodem modo præparatum esse regnum cœlorum prædestinatis, quo præparatur pœna æterna reprobis, statim enim Christus adjungit: „ discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c. " Atqui de fide est, contra Lutheranos & Calvinistas, Deum non tantum dare, sed etiam præparasse pœnam æternam reprobis ob prævisa eorum demerita; ergo certum videri debet, Deum non tantum dare, sed etiam præparasse gloriam æternam prædestinatis ob prævisa eorum merita gratiæ.

*Contra est* 2. Quia Christus per particulam causalem, *enim*, non tantum affert causam collationis, sed etiam præparationis gloriæ, ut exponit D. Chrysost. (*Homil.* 80. *in Matth.*) „ Quia, *inquit*, sciebam vos, antequam nati essetis hujusmodi futuros, hæc vobis a me præparata sunt ". Certe sine manifesta violentia hæc non possunt detorqueri ad alium sensum, quam ad prædestinationem ex prævisis meritis, non solum secundum executionem, sed maxime secundum intentionem. Et D. Hieronymus verba Matthæi objecta interpretans, ait: „ Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum est, apud quem futura, jam facta sunt ". At præscientia non respicit executionem, seu collationem gloriæ actualem, sed solum illius præparationem ob futura merita, quæ respicit præscientia; ergo.

*Contra est* 3. Quia vix intelligi potest, quod Deus ab æterno decreverit dare gratis gloriam, & tamen in tempore illam tribuat propter merita & tanquam mercedem; cum enim, v. g. dux exercitus alicui militi tribuit præmium ob illius præclare gesta, signum est eum, nonnisi post notitiam victoriæ, absolute decrevisse illi dare præmium.

*Secundus textus*, Jacobi 2. v. 5. „ Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se. " Quo in loco dilectio Dei affertur tanquam ratio & causa prædestinationis, non tantum secundum ordinem executionis, sed etiam secundum ordinem intentionis, prout sonat verbum, *elegit*.

*Tertius textus*, Rom. 8. v. 29. „ Quos præscivit, *inquit Apost.* & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ". Præscientia hic præmittitur prædestinationi, ut significetur præscientiam meritorum esse causam directivam prædestinationis, ut interpretantur SS. Patres.

D. Ambros. (*L.* 5. *de fide*, *cap.* 15.) „ Quos „ præscivit, *inquit*, hos & prædestinavit, quia „ non ante prædestinavit, quam præscivit: sed

quo-

„ quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit “.

Sedulius Scotus Hiberniensis, in Epist. ad Roman. „ Hos quos præscivit futuros devotos sibi, *inquit*, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda. *Et paulo post*, aliud est præscire, aliud prædestinare: præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit; illa prævidet merita, hæc prædestinat præmia. “ Ergo quod primum est in tota prædestinatione, est præscientia, quam sequitur prædestinatio, sicut prædestinationem sequitur vocatio, vocationem justificatio, justificationem glorificatio: quam seriem describit Apostolus, *quos præscivit*, inquit, *& prædestinavit* (id est, consequenter), *quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, eos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit*.

Hæc porro explicatio, quæ præscientiam meritorum præmittit prædestinationi ad gloriam, optime convenit cum intentione Apostoli: nam *in illo*, c. 8. fideles hortatur ad patientiam, a qua vult pendere, ut simus cohæredes Christi in gloria: *si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Deinde ostendit tribulationes leves esse, si comparentur cum gloria: *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et tandem exponit seriem prædestinationis, dicens: *Quos præscivit & prædestinavit, &c.* ut illa serie cogitandum nobis relinquat, quam sint utiles tribulationes, utpote quæ prævisæ sint causa prædestinationis ad gloriam, ex qua vocatio, justificatio & glorificatio consequuntur: & ideo concludit, vers. 31. *Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos?*

*Quartus textus*. Secundæ Petri 1. *Satagite, ut, per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Ergo ante opera non est certa vocatio & electio, imo est velut in suspenso, alias nihil esset satagendum; nam supposito quod certa sit vocatio & electio ante prævisa opera, poterit sic quis ratiocinari: „ Si me Deus prædestinavit, „ & opera necessaria sint ad obtinendam gloriam, „ faciet, ut bona opera eliciam; si sollicitudo necessaria est, faciet quoque, ut sim sollicitus, &c. „ nihil ergo ex me curæ esse debet, quam, ut non „ curem; neque enim Deus magis tenere se potest, quominus me bene operantem, sollicitum & „ perseverantem faciat, quam sibi ipse mentiri „ queat “.

### *II. Probatio ex SS. Patribus.*

Cum adversarii semper provocent ad D. August. quæ cæteris Patribus, in materia prædestinationis, & gratiæ, longe præferant; ideo illorum Patrum, quorum doctrinam laudat & probat D. Augustinus, item ipsius Augustini, & discipulorum ejus testimonia profeiam.

S. Epiphanius (*L. adversus hæreses, hæresi 69. n.58.*) explicans illa Matth. verba: „ Non est meum dare vobis, *ait*: Hoc vult ostendere, quod non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate, &c. *ex quo infert*, non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, erit vobis paratum a Patre meo. “ Ex quo sic argumentor: S. Epiphanius per illam gloriæ præparationem, intelligit prædestinationem in mente Dei, non vero executionem in tempore; atqui illa præparatio fit propter prævisa merita: ergo.

S. Chrysost. Hom. 66. in Matth. explicans hæc Christi verba: „ Sedere ad dexteram non est meum dare, &c. *ait*: Non est meum dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est; *ergo gloria præparatur propter prævisa merita, ut immediate declarat dicens*: Num igitur quasi non potentem illud id facere condemnabimus? nequaquam, sed justitiam ejus admirabimur, quoniam non personam sed rem, id est, merita, respicit. “ Quid clarius?

S. Hieron. in cap. 1. Isaiæ: *Deus liberum servat arbitrium*, inquit, *ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei*, (id est, non ex sententia antecedente cognitionem causæ) *sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit*.

Idem, *Ep.* 150. ad Hedibiam, *quæst.* 10. loquens de reprobis, & prædestinatis ad gloriam, ait: „ Vasa misericordiæ quæ præparavit, *Deus*, in gloriam, quæ vocavit, &c. non salvat irrationabiliter, & absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, *id est, meritis*, quia alii susceperunt „ Filium Dei, alii autem recipere sua sponte noluerunt; ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed „ hominum voluntates. “ Ex quibus clare apparet D. Hieron. loqui non de executione sola, sed de electione ad gloriam.

### *III. Probatio ex D. Augustino.*

*Primus Textus*, l. 2. de peccatorum meritis, ait: „ Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus, ante ultimum futurum judicium denegavit, quos per certissimam præscientiam, & justissimam misericordiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam. “ Hoc testimonium est decretorium; nam prædestinari per certissimam præscientiam & per justissimam misericordiam, est certe prædestinari propter prævisa merita; atqui, &c. Hinc D. Doctor præmittit semper præscientiam prædestinationi: „ Diffundit, inquit (*L. de Spiritu & litt. c.* 50.) caritatem in cordibus eorum quos præscivit ut prædestinaret, prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret. “

„ Secundus Textus, *Serm. 7. de verbis Domini*: „ *ait*: Quos voluit, Dominus elegit: elegit autem, „ ut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, „ & secundum illorum justitiam. *Et postea, præmissis his Apostoli verbis*, Reliqui mihi septem „ millia, qui non curvaverunt genu ante Baal, „ *Deum sic loquentem inducit*: Ego illos elegi, quia „ vidi mentes illorum de me præsumentes, non de „ se, nec de Baal; “ hoc est, in me sperantes. Atqui electio quæ fit secundum Dei gratiam & nostram justitiam, fit propter bona gratiæ opera prævisa; ergo.

„ Tertius Textus *lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. explicans illud Apost. Roman. 9.* Cum nondum nati essent, &c. *ait*: Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud, (*propositum*) manet ut justificet credentes, ideo invenit

opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum ". Hic manifeste S. Doctor distinguit prædestinationem ad gratiam a prædestinatione ad gloriam; in hoc quod prima sit ex liberalitate donorum gratiæ; altera vero ex electione meritorum, quæ homo, post sui justificationem a gratia factam, acquirit. Quod utrumque clarius adhuc explicans, addit: *non tam electio* (ad gloriam) *præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans,* (per opera bona prævisa) *ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est*: elegit nos ante mundi constitutionem, *non video quomodo sit dictum nisi præscientia* (operum scilicet cum gratia Dei elicitorum); deinde a prædestinatione ad gloriam, a prædestinatione ad gratiam sermonem transferens, addit: *hoc autem quod ait Apost.* non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori; *non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Licet hic locus sit evidens tamen

*Respondent adversarii* 1. Hanc authoritatem non esse magni faciendam. 1. Quia hunc librum scripsit Aug. dum adhuc junior esset, & ante exortam hæresim Pelagianam, ideoque non ita accurate quæstiones de prædestinatione eo in libro enodavit. 2. Quia D. Doctor, *lib. 2. retract. cap.* 1. retractavit quod in illo libro scripserat ad Simplicianum. Sed

*Contra est* 1. Nam S. Doctor. *in lib. de prædest. Sanctorum*, asserit jam se Episcopum ordinatum fuisse quando scripsit ad Simplicianum; at ex Baronio, S. August. ordinatus fuit Episcopus anno ætatis quadragesimo primo.

*Contra est* 2. Quia tantum abest, ut D. Doctor retractaverit quod in secunda illa quæstione scripserat, quin potius illud approbet & confirmet *in lib. 2. retractat.* Imo *in lib. de prædest. Sanctorum, cap.* 4. declarat, secundam quæstionem ad Simplicianum fuisse *secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam*, Deumque sibi revelasse quod in illo libro scripsit, unde Semi-pelagianos ad illum librum remittit, si veram de prædestinatione doctrinam habere voluerint, *eodem cap. 4. de prædestin. Sanctorum.*

*Respondent* 2. Hoc D. Augustini testimonium intelligendum esse de prædestinatione quoad executionem, non vero quoad intentionem. Sed

*Contra est* 1. Quia ibi D. Aug. manifeste loquitur de decreto *intentionis*, non de solo decreto *executionis*, cum utatur nomine *electionis*, quod sumitur proprie pro decreto intentionis, nec potest recte sumi pro decreto executionis, quod supponit electionem jam factam, cum illius exequendæ modum decernat, ergo electionem non facit.

*Contra est* 2. Quia D. Aug. in eadem electione nunquam admisit decretum executionis distinctum adversative a decreto intentionis, nam semper credidit rem eodem modo executioni mandari, ac electa fuit in mente, seu intentione eligentis; cum non aliter probet aliquid gratis prædestinari, quam quia illud gratis datur, ut *lib. de dono pers. cap.* 16. postquam multis argumentatus esset, ut evinceret initium fidei & perseverantiam prædestinari gratis, ita concludit: „ Concluditur itaque gratiam Dei non secundum merita accipientium dari, sed secundum placitum voluntatis ejus . . . dando enim quibusdam quod non merentur; profecto gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit ". Ubi vides eum concludere de sola collatione, & non de prædestinatione, quia nempe eodem modo sciebat rem dari, prædestinari a Deo.

*Probatio ex D. Augustini discipulis.*

D. Fulgent. Lib. 1. ad Monimum, cap. 24. ait: Prædestinavit ad regnum, quos præscivit ad se misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se, misericordiæ subsequentis auxilio mansuros ". Quod manifeste indicat prædestinationem ad gloriam esse post prævisa merita. Et, *eod. lib. cap.* 26. ait: *Posset enim Apostolus, quos dixit vasa misericordiæ,* (sic vocans prædestinatos ad gloriam) *vasa justitiæ nuncupare: sed si vasa justitiæ vocarentur, forsitan ex seipsis habere justitiam putarentur.* Hic manifestum est D. Fulgentium velle prædestinatos ad gloriam, tam recte esse vasa justitiæ, quam vasa misericordiæ, sed non ita vocari propter inconveniens assignatum; ergo vere sunt prædestinati propter eorum justitiam prævisam, non quidem ut a seipsis, sed ut a Deo excitante & adjuvante acquisitam.

D. Prosper in respons. 15. ad objectiones Gallorum, cap. 16. præscientiam præmittit prædestinationi, dicens: „ Qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, sed certum numerum prædestinatorum, (scilicet quoad personas determinatum) durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire, & voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit ". Hic textus valde est notandus, in eo namque reprehendit adversarios, qui volunt certum numerum etiam quoad personas determinatum, a Deo eligi & prædestinari ante merita; ipse vero dicit e contra, Deum esse ex se paratum ad omnes prædestinandos, qui meruerint, sine determinatione unius præ alio.

Primasius D. Augustini discipulus & acerrimus gratiæ defensor, *in Epist. ad Rom.* in hæc verba: „ Nam quos præscivit & prædestinavit, &c. ait: Prædestinavit, ut qui dono ejus conformis esset, *Christo*, in vita, esset conformis in gloria ". Ecce clarissime gloria prædestinata ob conformitatem in vita Christi, & per consequens ob prævisa merita, cum ibi conformitas in vita præcedat prædestinationem conformitatis in gloria.

Div. Thom. *Comment. in Epist. ad Rom. cap.* 8. *lect.* 6. aperte suam declarat de prædestinatione sententiam, dicens: „ Circa ordinem præscientiæ „ & prædestinationis, dicunt quidam quod præ„ scientia meritorum bonorum & malorum, est „ ratio prædestinationis & reprobationis, ut sci„ licet intelligatur, quod Deus prædestinet ali„ quos, quia præscivit eos bene operaturos, & „ in Christum credituros: & secundum hoc, lit„ tera sic legitur: Quos præscivit conformes fieri imagi-

imagini Filii ejus, hos prædestinavit: ,, Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum gloriam quæ datur meritis: sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno præparatum: unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quam ponere gratiam dari ex meritis nostris ". Hic manifeste D. Doctor distinguit prædestinationem adæquatam, ab ea quæ est ad gloriam tantum, & hanc ex prævisis meritis fieri, ait rationabiliter & vere dici posse; declarat nihilominus se, per nomen prædestinationis, non intelligere prædestinationem ad gloriam tantum, sed solam prædestinationem adæquatam, quæ respicit gratiam simul & gloriam; unde quotiescumque D. Doctor loquitur de prædestinatione, nisi expresse dicat se loqui de prædestinatione ad gloriam solitarie spectatam, manifestum est, quod semper debeat intelligi de prædestinatione completa, etiamsi diceret se loqui de prædestinatione ad gloriam, quia hæc verba non excludunt gratiam, & per consequens possunt intelligi de utraque, quæ sic est ante prævisa merita ratione gratiæ, quam includit conglobata illa prædestinatio.

### IV. *Probatio ex rationibus Theologicis.*

*Prima ratio*. Deus ab æterno decrevit facere quod facit in tempore, & quidem eodem modo, quo illud in tempore facit, ut docet Div. Thom. (*Comment. in cap.* 8. *Epist. ad Rom. Lect. 6.*) *Eadem ratione Deus*, inquit, *beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit ab æterno;* atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita, cum det illam per modum mercedis & coronæ, quæ ex Apost. (2. *ad Tim.* 2.) non datur nisi ob partam victoriam, *non*, enim, *coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Ergo, &c. Minor est de fide.

*Prob. maj.* 1. Quia Theologi concludunt reprobationem ab æterno fieri ob prævisa peccata, quia fit in tempore propter peccata; ergo a pari concludere debent prædestinationem ab æterno fieri ex meritis, quia gloria in tempore datur propter merita.

*Prob. maj.* 2. Quia SS. Patres inferunt executionem gratuitam ex electione, seu intentione gratuita: *Deus nato gratis gratiam suam tribuit*, inquit Div. Fulgent. (*L.* 1. *de prædest. & gratia*) *quia gratis eam præparaverat* nascituro; ergo idem est modus eligendi seu intendendi finem, cum modo illum executioni mandandi. Et certe si quis mereretur primam gratiam, Deus non decerneret ab æterno illam dare nisi propter merita; ergo a pari, si datur homini gloria propter merita, Deus ab æterno non decernit illam dare, nisi propter merita.

*Secunda ratio*. Quilibet prædestinatus libere gloriam assequitur, nam Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi*. Atqui liberæ assecutioni gloriæ opponitur antecedens & absoluta, quam admittunt adversarii, Dei voluntas aliquibus dandi gloriam independenter a prævisis meritis; ergo.

*Prob. min.* Quia necessitas antecedens opponitur libertati; atqui decretum illud absolutum dandi gloriam ante prævisa merita, infert necessitatem antecedentem respectu assecutionis gloriæ; ergo, &c.

*Prob. min.* Illud antecedentem infert necessitatem respectu assecutionis gloriæ, quo antecedenter posito, non potest non poni gloriæ assecutio; atqui ita voluntas Dei absoluta & efficax, est antecedens, eaque posita, non potest non poni gloriæ assecutio; ergo, &c.

*Tertia ratio est:* Quia, posita sententia nostræ contraria, poni quoque debet exclusio, saltem negativa, reproborum a gloria ante prævisa quæcumque demerita; atqui exclusio illa compati non potest cum vera ac sincera Dei voluntate salvandi omnes homines; ergo, &c. namque ex illa voluntate Deus auxilia gratiæ ad salutem sufficientia largitur, sed ad quid quæso illa auxilia gratiæ pro assequenda gloria, a qua jam sunt exclusi, & ad quam nunquam pervenient?

### *Solvuntur Objectiones, ex Scriptura.*

*Objicies* 1. Lucæ 12. Christus dixit discipulis suis: ,, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ". Atqui vox ista, *complacuit*, significat voluntatem puri beneplaciti, quæ excludit omne meritum prævisum; ergo electio, seu prædestinatio ad gloriam, est ante prævisa merita.

Resp. *dist. ant.* Vox ista, *complacuit*, significat voluntatem puri beneplaciti antecedentem, conditionatam, & inefficacem dandi gloriam sub conditione meritorum, *conc.* significat voluntatem absolutam & efficacem, *nego min.* Certe vox ista, *complacuit*, non potest intelligi de voluntate antecedente, absoluta, & efficaci: alias Judas, qui de illo pusillo grege erat, fuisset efficaciter electus ad gloriam, nec esset reprobatus; ergo debet intelligi de voluntate conditionata, inefficaci, & meræ complacentiæ promittentis gloriam sub conditione meritorum, quandoquidem monet illos de hac conditione necessaria ad consequendam illam gloriam: ,, Vendite quæ possidetis, inquit, & date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, &c. "

*Objicies* 2. Joann. 13. Christus ait: ,, Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea: non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim ". Atqui ibi agitur de electione antecedente ad gloriam, eaque efficaci; ergo ideo erunt beati, quia electi sunt, & consequenter electio ad gloriam est ante prævisa merita.

Resp. *nego min.* Ille enim textus ad litteram non est de electione ad gloriam, sed solum de perfectione scientiæ Christi, per quam intime noverat eos quos elegerat ad Apostolatum, ita ut nosset quid facturi essent, antequam eos Apostolos eligeret; unde sensus est, ego cognosco quales sint internus, quos ad Apostolatum elegi, cum inter eos unus proditor existat.

*Inst.* D. Aug. illum textum exponit de electione ad gloriam; ergo intelligi debet de illa.

Resp. 2. *dist. ant.* D. August. exponit illum textum de electione ad gloriam, quam Christus fecit consequenter, & ex prævisione meritorum, *conc.* antecedenter ad prævisa merita, *nego antecedentem.* nam

nam cum D. August. retulit illa verba, *ego scio quos elegerim*, statim dicit, *quos? nisi eos qui beati erunt, faciendo ea quæ præcepit, & facienda monstravit, qui efficere beatos potest*. Quod supponit ea bona opera esse objectum illius electionis.

*Objicies* 3. Joann. 15. dicit Christus discipulis suis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*; ergo Christus elegit suos ad gloriam ex mera misericordia, non vero ex prævisis meritis.

Resp. *nego conseq*. Hic enim locus non potest intelligi de electione ad gloriam, tum quia Judas, qui erat unus ex discipulis quos alloquebatur, non erat prædestinatus, tum quia paulo infra Christus dicit illam electionem esse causam cur mundus Apostolos odio habeat; at mundus non poterat eos odisse ob electionem ad gloriam, cum eam non cognosceret; ergo necesse est quod loqueretur de alia electione, quam mundus cognoscebat, scilicet vel de electione ad Apostolatum, ut ad litteram explicat hunc textum Estius, quare Christus ait: *Elegi vos, ut eatis & fructum afferatis*. Vel de electione ad fidem, aut primam gratiam, quam per externam professionem mundus cognoscebat, ut exponunt contra Semi-pelagianos DD. Augustinus & Thomas.

*Objicies* 4. Act. 13. dicitur: *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*. Ergo prædestinatio est causa fidei & bonorum operum, adeoque illa non fit ex prævisis meritis.

Resp. *nego conseq*. Nam illius textus sensus est: illi crediderunt in tempore, quos Deus, ab æterno prævidens credituros, præordinavit ad vitam æternam; ergo tantum abest ut prædestinatio sit causa bonorum operum, quin potius bona opera sint causa prædestinationis; nihil ergo est in illo textu quod faveat prædestinationi ante prævisa merita, aut quod sit contrarium prædestinationi post prævisa merita.

*Objicies* 5. Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*. Ergo sicut mors æterna est propter solum peccatum, ita gloria est propter solam Dei gloriam.

Resp. *dist. conseq*. Gloria est propter solam Dei gratiam, quatenus gratia sumitur pro operibus quæ sunt a gratia, *conc.* quatenus gratia sumitur pro seipsa formaliter, *nego conseq*. Si enim vita æterna esset gratia formaliter, daretur gratis in tempore, sicut datur gratia, quod est hæreticum. Sic explicat hunc textum D. Aug. (*L. de corrept. & gratia*, c. 13.) *Verumtamen*, inquit, *quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini*.

*Objicies* 6. Ephes. 1. Apost. ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*. Ex quo sic argumentor: Apostolus asserit nos electos esse ad gloriam, non quia prævisi sumus futuri sancti, sed ut simus sancti; ergo illa electio non est ex prævisis meritis.

Resp. *nego ant*. Ibi enim Apostolus non agit de prædestinatione ad gloriam, sed de prædestinatione ad gratiam vocationis & justificationis, ut patet ex consequentibus: „ Prædestinavit nos, *inquit*, in adoptione filiorum per J. C. . . . . in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum. " Quæ omnia denotant gratiam, & non gloriam, siquidem adoptio, redemptio, & remissio peccatorum pertinent ad gratiam justificationis.

*Objicies* 7. Rom. 9. de Jacob & Esau dicitur: „ Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei (*Rebeccæ*), quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Et postea*. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. " Unde sic argumentor: Ante omne prævisum meritum Jacob diligitur; atqui per illam dilectionem Jacob, illius prædestinatio intelligitur; ergo prædestinatio est ante prævisum omne meritum.

Resp. 1. *nego maj*. Nam ex loco citato colligitur quidem Deum dilexisse Jacob antequam actu mereretur, non vero ante prævisum illius meritum, unde excludit quidem opera jam facta, sed non opera prævisa.

Resp. 2. *dist. min*. Per dilectionem Jacob, intelligitur illius prædestinatio ad gratiam, *conc.* ad gloriam, *nego min*. hæc solutio manifesta est ex ipso textu, in quo Apostolus dicit Esau perinde gratis fuisse odio habitum, ac Jacob dilectum; ergo si sermo esset de prædestinatione ad gloriam, sequeretur reprobationem fieri ante prævisa demerita & ex solo Dei beneplacito, quod nemo, nisi Calvinus aut Calvini sectator, dicet.

*Inst.* 1. Per reprobationem Esau figuratur reprobatio negativa, quæ est sola exclusio a gloria, & est sine prævisis demeritis, non vero positiva, quæ consistit in inflictione pœnæ, & est ex prævisis demeritis; ergo non repugnat quod textus intelligatur de prædestinatione ad gloriam.

Resp. *nego ant*. Nam decretum illud Dei, *major serviet minori*, non est quid mere negativum, sed est quid positivum, cum sit vera pœnæ inflictio, duræ scilicet servitutis; unde si hic textus figuret reprobationem a gloria, non figurat reprobationem mere negativam, sed etiam positivam, quæ cum secundum fidem sit ex demeritis peccatorum, ita & electio ad gloriam debet esse ex bonorum operum meritis, cum hic eodem modo considerentur.

*Inst.* 2. Saltem ex his verbis sequentibus: *vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam*, colligitur Apostolum loqui de prædestinatione ad gloriam; ergo.

Resp. *dist. ant*. Quia ibi gloria non sumitur pro gloria cælesti, sed pro gloria Dei extrinseca, seu clarificatione, propter quam Deus præparavit electos ad gratiam, nimirum ut Deus in eorum operibus laudetur, & glorificetur, ut interpretatur Haymo.

*Inst.* 3. Ibi opponit Apostolus eos quos Deus præparavit in gloriam, iis quos dixerat aptatos in interitum: „ quod si Deus, *inquit*, volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. " Atqui hic, *interitus*, sumitur pro morte æterna; ergo, *gloria*, sumitur pro gloria æterna.

Resp.

Resp. *nego ant.* Nam oppositio non est inter hæc verba, *interitus*, & *gloria*, sed inter ista, *sustinuit* & *præparavit*, ita ut sensus sit, quod malos de se aptatos ad damnationem, *sustinuit* mala facere, ut, eos postea puniendo, ostenderet potentiam & justitiam suam in gloriam suam; bonos vero de se ineptos ad bonum, *præparavit*, per gratiam ad bene agendum in gloria nominis sui. Itaque utrosque ordinavit in gloriam suam, sed malos indirecte, sustinendo, scilicet, eos in peccatis, ut ostenderet in eis suam potentiam, eos puniendo; bonos vero directe (in quo est oppositio) præparando eos per gratiam ad bona opera, ut clarificaretur in eis.

*Objectiones ex D. Augustino.*

*Objicies* 1. S. August. pluribus in locis, docet prædestinationem fieri ante omnia merita; ergo.

Resp. *dist. ant.* Docet prædestinationem ad gratiam fieri ante omnia merita, *conc.* prædestinationem ad gloriam fieri ante omnia merita, *subdist.* ante omnia merita naturalia, & gratiam præcedentia, *conc.* ante omnia merita quæ sunt ex gratia, *nego ant.*

Itaque D. Aug. in locis, quæ objiciuntur, impugnat Pelagianos & Semi-pelagianos, quorum *primi* docebant gratiam Dei secundum merita nostra naturalia dari; *secundi* vero docebant gratiam dari propter merita, quorum saltem initium esset a natura & libero arbitrio; sicque tota quæstio, inter S. Augustinum & ejusmodi hæreticos, non erat de meritis antecedentibus prædestinationem ad gloriam, sed de meritis antecedentibus prædestinationem ad gratiam. Inde est, quod D. Doctor loquens obiter de prædestinatione ad gloriam, docuit eam non esse factam ex operibus naturalibus ad sensum illorum hæreticorum, qui non poterant dicere, eam esse factam ex prævisis meritis a gratia præveniente adæquate profectis; cum saltem tenerent initium fidei esse a nobis, ut solis, & non a prædicta Dei gratia adjutis.

*Inst.* 1. Gratuita prædestinatio ad gloriam, nihil aliud est, quam Dei propositum antecedens & efficax, quo certus numerus salvandorum, reliquis pereuntibus, a massa perditionis discernitur; atqui talem ad gloriam prædestinationem admisit D. August. ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* D. Aug. Epist. 206. ait: *Certus est ergo præscientia definitus numerus, & multitudo Sanctorum, quibus diligentibus Deum quod eis donavit per diffusum in cordibus eorum Spiritum Sanctum, omnia cooperantur in bonum:* ergo.

Resp. *nego conseq.* Quia D. August. per hanc vocem, *Sanctorum*, non intelligit prædestinatos ad gloriam solitarie sumptam, sed intelligit prædestinatos ad primam gratiam sanctificantem, per quam illi sancti sunt pro eo tempore, quo illam habent, quod patet ex titulo illius Epistolæ, quæ est contra Pelagianos, cum quibus Div. Aug. non disputabat de prædestinatione ad gloriam solitarie sumpta, sed de sola prædestinatione ad gratiam.

Resp. 2. *nego iterum conseq.* Quia dato quod ille terminus, *Sanctorum*, exponeretur de prædestinatione ad gloriam solitarie sumpta, nihil tamen inde inferretur contra prædestinationem post prævisa merita, quia D. Doctor docet quidem, quod definitus sit numerus Sanctorum, sed abstrahit a modo quo est definitus; an ante, an post prævisa merita? non declarat; imo si quis vellet rimari mentem Augustini, potius concluderet illam esse post prævisa, quam ante prævisa merita, quoniam numerus ille Sanctorum, vocatur *præscientiæ definitus numerus*, quasi diceret, quod ex præscientia meritorum, definitus est quoad personas: & paulo infra ait: *quos ante præscivit*; ergo prius præscitus erat ille numerus quoad personas, quam quoad illas definiretur.

*Inst.* 2. Ille admisit in Deo intentionem efficacem conferendi aliquibus gloriam ante prævisa merita, qui docuit eam intentionem esse causam, cur efficacia eis dona concedantur, quibus ad salutem perveniunt; atqui id docuit Augustinus, ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* S. Aug. *lib. de correp. & gratia c.* 7. sic habet: *quicumque ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate, discreti sunt, non est dubium quod & procuretur eis audiendum Evangelium: & cum audiunt, credant, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in fine perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur.* Ergo, juxta Div. Augustinum, intentio efficax aliquibus conferendi gloriam ante prævisa merita, est causa cur eis dona efficacia concedantur, quibus ad salutem perveniunt.

Resp. *dist. conseq.* Nam Div. Aug. hic non agit de prædestinatione ad gloriam solam, sed de prædestinatione adæquata & totali; nam per discretionem a massa perditionis comprehendit omnes effectus prædestinationis, inter quos sunt gloria & omnia gratiæ dona; hoc patet ex ipsomet textu, qui, paulo ante verba in objectione laudata, habet: *Discernuntur, non meritis suis, sed per gratiam mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam justificati gratis*, &c. non autem mirum est, si illa discretio, quæ complectitur gratiam, sit gratuita.

*Inst.* 3. D. Aug. ibid. declarat se loqui de prædestinatione ad gloriam solam, *illos ergo elegit*, inquit, *ad obtinendum regnum suum.* Atqui asserit illam prædestinationem esse factam ante prævisa merita: *profecto electi sunt*, inquit, *per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum.* Ergo prædestinatio ad gloriam solam, est ante prævisa merita.

Resp. *transeat maj. dist. min.* Prædestinatio ad gloriam solam, est facta ante prævisa merita naturæ, *conc.* ante prævisa merita gratiæ, *nego min.* Non enim D. Doctor excludit prædestinationem factam post prævisa merita gratiæ, imo potius eam admittit; tum quia præscientiam præmittit prædestinationi; loquens enim de iis qui aliquando justificati, non perseverant, sed in peccato moriuntur, ait: „ Non sunt a massa illa perditionis, præscientia Dei & prædestinatione, discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi ". Ergo cum vocatio prædestinationem, & prædestinatio præscientiam operum supponat, evidenter sequitur S. August. ibi solum agere de prædestinatione post prævisa merita. Tum quia *lib. de gratia, & lib. arbitr. cap.* 6. aperte declarat se, in materia prædestinationis, admittere merita gratiæ, *cum dicunt Pelagiani*, in-

inquit .... *æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis, si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda illa sententia. Quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea a semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus*, quis te discernit?

Dixi: *transeat maj.* Quia manifestum est D. Augustinum in toto illo cap. loqui de sola prædestinatione ad perseverantiam, ut est mere gratuita, & non meritis arbitrii debita: nam licet infra loquatur de gloria, non tamen de ea loquitur, ut de objecto istius prædestinationis, etiam inadæquato: sed tantum loquitur de ea occasionaliter, & ratione arctissimæ conjunctionis, quam habet cum perseverantia, de qua loquebatur; nemo enim electus est ad perseverantiam, qui non consequenter eligatur ad gloriam.

*Objicies* 2. Lib. de corrept. & gratia, cap. 14. ait: *Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Ergo Deus eligit ad gloriam ante prævisam humanæ voluntatis cooperationem.

Resp. *nego conseq.* D. August. ibi non loquitur de salute consummata, seu de gloria, sed de salute inchoata, seu de gratia, & justificatione, ut patet ex verbis immediate præcedentibus: „ Cum autem, *inquit*, homines per correptionem in viam justitiæ, seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui, quolibet plantante & irrigante, dat incrementum, Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. “ Ergo textus non est ad rem præsentem.

*Objicies* 3. D. Aug. (*L. de gratia & lib. arbit. cap.* 9.) expendens hæc verba Apostoli: „ Gratia Dei vita æterna, *ait:* Cum posset dicere Apostolus & recte dicere, stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere, gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione, perducere “. Ergo aperte significat Deum nostra non attendere merita in decernenda prædestinatione.

Resp. *dist. ant.* Aug. significat Deum, in decernenda prædestinatione, non attendere merita, naturæ viribus elicita, *conc.* merita, gratiæ beneficio elicita, *nego conseq.* Quod sit genuina S. Aug. sententia, constat: 1. Quia asserit Apostolum potuisse recte dicere, *stipendium justitiæ vita æterna*. 2. Quia immediate super illud Psalmistæ, Qui coronat te in miseratione & misericordia, *ait:* Nunquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur ... ideo dixit Psalmus, *coronat te in miseratione*, &c. quia illius miseratione bona operantur, quibus corona redditur. “

*Objicies* 4. D. Aug. lib. de dono perseverantiæ, c. 9. ait: „ Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non detur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, inquit unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum “. Ex quo sic argumentor: Juxta D. Aug. prædestinatio ad gloriam est causa vocationis efficacis & perseverantiæ & omnium meritorum; ergo est ante omnia merita prævisa.

Resp. *nego ant.* Nam D. August. non agit hic de prædestinatione ad gloriam, sed tantum de prædestinatione ad gratiam vocationis efficacis ad fidem & ad perseverantiam, nihilque vult aliud demonstrare, nisi quod vocatio efficax ad fidem & ad perseverantiam, sit donum Dei, mere gratuito concessum, & non hominum meritis redditum.

*Inst.* Div. August. dans rationem cur illi justificati non perseverent, ait: „ Quia non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur “. *Atqui per hæc verba*, prædestinati secundum propositum, intelligit prædestinationem efficacem ad gloriam; ergo D. Aug. vult illam esse causam perseverantiæ & omnium meritorum gratiæ.

Resp. *nego min.* Nam D. Aug. per illa verba, intelligit prædestinationem ad perseverantiam, quæ a Deo gratis datur, nec hominum meritis redditur. Ita se explicat D. Aug. c. 7. dicens: *Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum*, id est credat, *neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo*, id est perseveret. *Hanc gratiam posuit in illo, quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur; ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus.* Hic textus de mente D. Doctoris nullum relinquit dubium.

*Objectiones ex Discipulis D. Aug. & ex D. Thoma.*

*Objicies* 1. D. Fulgentius, *lib.* 2. *ad Monimum, cap.* 13. ait: *Quos Deus prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Ex quo argumentantur sic: ex D. Fulgentio prædestinatio ad gloriam, est causa prædestinationis ad justitiam; ergo non est ex prævisis meritis.

Resp. *nego maj.* Non enim dicit, quod prius prædestinet ad gloriam, quam ad justitiam, cum nullum sit ibi comparativum ex quo deducatur illa prioritas; sed præcise dicit, quod nullum Deus prædestinet ad gloriam, quin eum prædestinet etiam ad justitiam, quod tantum indicat individuam societatem, quæ est inter utramque illam prædestinationem.

*Inst.* D. Fulgent. (*L. de fide ad Petrum, cap.* 3.) ait: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita sua bonitate prædestinavit ad regnum;* ergo gratuita bonitate, non ex prævisis meritis.

Resp. *dist. conseq.* Non ex prævisis meritis naturæ, *conc.* non ex meritis gratiæ, *nego conseq.* Hoc declarat S. Doctor, cum addit: *ad quod regnum diversis temporibus per Sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi pervenerunt, quos Deus gratia, nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente, salvavit.* Ubi excludit solum meritum naturæ. Deinde D. Fulgentius loquitur de prædestinatione secundum executionem, seu de collatione gloriæ; atqui de fide est quod non detur sine meritis; ergo.

*Objicies* 2. D. Prosper ad excerpta Genuensium cap. 6. ait: *Absit talis impietas, ut quemquam pu-*

te-

*temus meritis suis erui de potestate tenebrarum, & in regnum Filii Dei debita, non gratuita adoptione transferri*. Ergo prædestinatio ad vitam æternam est gratuita.

Resp. *dist. conseq.* Est gratuita, eo quod gratia sit ejus radix & origo, *conc.* eo quod non retribuatur, nec destinetur meritis gratiæ, *nego conseq.* Excludit ergo S. Doctor sola opera viribus naturæ elicita.

*Objicies* 3. Div. Thomas (1. *p. q.* 23. *art.* 5. *ad* 3.) ait: *Quare, Deus, hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem*. Ergo in mente D. Thomæ, prædestinatio ad gloriam non supponit merita, sed fit ex sola Dei voluntate.

Resp. *dist. conseq.* Prædestinatio unius præ alio fit ex sola Dei voluntate, *conc.* prædestinatio absolute sumpta, *nego conseq.* Alias sequeretur Deum ex sola sua voluntate aliquem absque ullis demeritis reprobare positive, quod est hæreticum; porro quod Div. Doctor loquatur de prædestinatione & reprobatione comparate unius præ alio, ostendit textus D. Augustini, quem in confirmationem suæ sententiæ adducit: *quare hunc trahat, & hunc non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare*.

*Inst.* 1. D. Thom. in arg. 3. „Sed contra est, ait ex *Apost.* non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit: sicut autem salvos nos fecit, ita & prædestinavit nos salvos fieri; non ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis. "

Resp. 1. Argumentum est ab adversariis solvendum, nam ibi D. Doctor eundem agnoscit ordinem intentionis gloriæ, quem executionis; atqui prædestinatio secundum ordinem executionis fit ex prævisis meritis, ut fides docet; ergo.

Resp. *dist. conseq.* Præscientia meritorum non est causa prædestinationis adæquatæ, *conc.* inadæquatæ, ad gloriam solitarie sumptam, *nego*. D. enim Thomas distinguit prædestinationem inadæquatam ad gloriam, a prædestinatione adæquata, quod nulla hujus detur causa meritoria, bene vero illius. *Effectum prædestinationis possumus considerare dupliciter*, inquit, *uno modo in particulari, & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius .... sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, & quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereatur gloriam. Alio modo potest considerari effectus prædestinationis in communi, & sic impossibile est, quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra: quia quidquid est in homine ordinans ipsum ad salutem, comprehendit totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam, neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum*.

Textum hunc integrum, etsi prolixiorem, referre necesse fuit, quod ex illo genuina D. Thomæ sententia perfecte aperitur, & possunt solvi omnia, quæ objiciuntur ex ipso contra nos.

*Solvuntur Objectiones ex rationibus Theologicis.*

*Objicies* 1. Deus prius vult dare gloriam, quam velit dare gratiam; ergo vult dare gloriam ante prævisa merita, quæ sunt a gratia.

*Prob. ant.* Qui ordinate & sapienter vult, prius intendit finem quam media: siquidem movetur ad electionem mediorum ex voluntate finis; atqui Deus ordinate & sapienter vult; ergo prius intendit dare gloriam, quam intendat dare gratiam.

Resp. *dist. maj.* Prius intendit finem quam media, si velit finem sub unica ratione finis, *conc.* si velit finem sub ratione mercedis & præmii, *subdist.* prius vult finem conditionate, *conc.* absolute, *nego maj.* & sic ad consequens. *Itaque*, gloria non solum decernitur ut finis, sed etiam ut præmium; atqui quod sic decernitur, non decernitur absolute, sed conditionate, nempe, si is, cui finis intenditur, laborare velit ad eum obtinendum; ergo.

*Inst.* 1. Gloria non tantum habet rationem mercedis, sed etiam hæreditatis; atqui hæreditas efficaciter intenditur ante prævisa merita; ergo.

Resp. *dist. maj.* Habet rationem hæreditatis jure adoptionis, *conc.* jure nativitatis, *nego*. Porro ad hæreditatem jure adoptionis capessendam, requiritur, ut Filius Dei adoptivus per bona opera acquirat aditum ad hæreditatem: sumus *hæredes quidem Dei*, ait Apost. (*Ad Tit.* 3. *v.* 7.), *cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur*.

*Inst.* 2. Atqui revera Deus prius intendit efficaciter finem, quam media; ergo.

*Prob. subsumpt.* Deus prius eligit finem, quam eligat media ad finem, ut docet D. August. (*L. de dono persever. cap.* 14.) de Tyriis & Sydoniis, qui credidissent, si vidissent opera Christi, *sed quoniam ut crederent, non erat eis datum*, inquit, *etiam unde crederent est negatum*. Ergo voluntas finis efficax, est semper prior voluntate mediorum.

Resp. *nego conseq.* Quia ubi unum colligitur ex alio comparato, necesse est, ut inter utrumque intercedat aliqua paritas, in eo, in quo ipsa comparantur; atqui nulla est paritas inter prædestinationem ad fidem, seu gratiam, de qua solum loquitur D. August. in objectione, & prædestinationem ad gloriam solam, de qua nobis controversia est, idque in iis in quibus comparantur, scilicet in finibus & in mediis eorum; ergo.

1. *Non est paritas in finibus*: finis enim prædestinationis ad fidem, est absolutus, nec enim fides pendet a meritis, cum præcedat omne meritum. *E contra*, finis prædestinationis ad gloriam solam, est conditionatus & limitatus ad merita, in quo est magna disparitas, cum non repugnet rem absolutam decerni absolute, rem autem conditionatam repugnet decerni ante prævisionem conditionis futuræ.

2. *Non est paritas in mediis*: nam media actus fidei, quæ sunt actualia gratiæ auxilia, sunt tantummodo media respectu Dei intendentis actum fidei ut finem, & sic debent esse posteriora fine in mente Dei, quia media ut media, sunt posteriora fine. At vero, media respectu glorificationi nostræ, quæ sunt merita nostra, non sunt media respectu Dei, sed tantum respectu nostri, & sic non postulant esse posteriora in mente Dei: imo postulant esse priora, cum respectu Dei sint motiva; motiva autem ut motiva, semper debent esse priora in mente decernentis, quam id quod decernitur vi illorum.

*Inst.* 3. Effectus est posterior sua causa, saltem in aliquo signo rationis; sed opera meritoria a Deo volita, sunt effectus prædestinationis ad gloriam; ergo illa sunt a Deo volita in priori signo rationis, adeoque prædestinatio fit ante prævisa merita.

Resp. *nego min.* Unicus est enim & proprius effectus prædestinationis ad gloriam solitarie sumptam, nempe ipsa gloria, quæ sola nobis confertur vi prædestinationis ad illam, sicut ex D. August. (*L. de prædest. Sanctor. cap.* 10.) unicus est effectus prædestinationis ad gratiam solam, nempe gratiam, quam solam respicit: *Prædestinatio, quæ in bono est,* inquit, *gratiæ est, ut dixi, præparatio; gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.*

*Objicies* 2. Efficax volitio mediorum ad finem efficacium, supponit efficacem intentionem finis; atqui Deus prædestinatis confert media efficacia ad gloriam, quæ non confert reprobis; ergo Deus efficacem habet intentionem dandi gloriam prædestinatis ante prævisa merita.

Resp. 1. *nego maj.* Judas enim erat reprobus, tamen longe plures & efficaciores gratias recepit, quam rusticus, qui, in statu gratiæ sanctificantis vitam finiens, est electus; ergo volitio mediorum efficacium, non supponit intentionem efficacem finis.

Resp. 2. *dist. maj.* Volitio mediorum efficacium absolute & independenter a libera voluntatis per gratiam motæ & excitatæ cooperatione, *conc.* efficacium conditionate & dependenter a cooperatione voluntatis a gratia excitatæ, *nego maj.* Atqui Deus prædestinatis dat media efficacia ad gloriam, conditionate & dependenter ab eorum libera cooperatione, *conc.* secus, *nego.* Itaque, quæcumque supponatur gratiæ efficacia, de fide est voluntatem ipsi semper posse dissentire si velit, & ideo non est efficax *in actu secundo*, nisi voluntas, a gratia mota & excitata, ipsi consentiat.

*Inst.* 1. Ideo ergo Deus prædestinatis confert gratiæ auxilia, quia prævidit ipsis profutura; atqui hoc fieri non potest, nisi ipsis velit efficaciter gloriam ante merita; ergo.

Resp. *nego maj.* Deus quidem decernit prædestinatis auxilia gratiæ, quæ prævidit habitura effectum, sed non ea decernit quia prævidit ea habitura effectum, quasi illa auxilia non seligeret, nisi essent habitura effectum: decernit ergo illa ex mero beneplacito, quoniam alia media, quæ efficacia non forent, licet sufficientia ad effectum consequendum, posset decernere. Similiter non decernit Deus reprobis media inefficacia, quia prævidit ea fore inefficacia, sed decernit media ad effectum consequendum sufficientia, quæ prævidit ex prava hominis voluntate fore inefficacia.

*Inst.* 2. Est specialis Dei affectus erga electos; atqui ille affectus in eo elucet, quod Deus illis decernat media, quæ non modo prævidet profutura, sed quia sunt profutura; ergo.

Resp. *nego min.* Sufficienter enim talis affectus in eo elucet, quod Deus, inter multa gratiæ auxilia, ea seligat ac ipsis conferat, quibus prævidet eos consensuros; ideoque salutem æternam consecuturos: illa autem confert ex mero suo beneplacito.

*Inst.* 3. Deus debet velle alio modo gloriam prædestinatis, quam reprobis; atqui non alio modo vellet, nisi mediorum efficacium supponeret antecedentem efficacem volitionem gloriæ respectu prædestinatorum; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam, in illo priori, vult tantum affectu simplici gloriam comparandam per merita, quæ non ponuntur nisi post illam primam intentionem, qua scilicet *vult omnes salvos fieri*. Itaque, prima discretio prædestinatorum a reprobis, ponenda est in decreto conferendæ gratiæ efficacis, non ad solum primum actum, sed ad illum & consequentes, per quos perseveretur.

*Objicies* 3. Ex D. Aug. (*L. de perseverantia, c.* 24.) *Nullum est illustrius prædestinationis exemplar, quam ipsemet Salvator;* atqui prædestinatio Christi fuit ante prævisa merita; ergo.

Resp. *dist. maj.* Christus est exemplar nostræ prædestinationis ad gratiam, *conc.* ad gloriam, *nego maj.* Alias sequeretur quod sicut Christus fuit actu beatus ante merita, ita etiam & nos deberemus esse beati ante merita, quod est absurdum. Nec aliud intendit D. August. qui, *ibidem*, explicat illam similitudinem prædestinationis nostræ, cum prædestinatione Christi quoad gratiam sanctificantem, quæ nos facit esse filios Dei adoptivos *sine ullo merito præcedentis voluntatis nostræ*, sicut ipse fuit Filius Dei naturalis *sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus.*

*Objicies* 4. Eodem modo prædestinamur ad gloriam, quo prædestinamur ad perseverantiam, quæ immediate conjungitur cum gloria; atqui prædestinamur ad perseverantiam actualem ante prævisa merita; ergo.

Resp. *dist. min.* Prædestinamur ad perseverantiam ante prævisa merita de condigno, *conc.* de congruo, *nego min.* Nam electi per preces & bona opera de congruo merentur, & impetrant gratiam perseverantiæ. *Hoc ergo donum Dei*, inquit D. August. (*L. de dono perseverantiæ, c. 6.*) *suppliciter emereri potest, licet cum datum fuerit, amitti contumaciter non possit.* Imo *cap.* 16. dicit, Deum illud donum, *non nisi conantibus præparasse.*

*Inst.* 1. Quod est ex mera misericordia, non est ex meritis; atqui perseverantia est ex mera misericordia, cum ab August. vocetur *donum Dei;* ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Non est ex meritis justitiæ, *conc.* ex meritis congruis & impetrationis, *nego maj.* Porro merita congrua & impetrationis non impediunt meram Dei misericordiam, cum non adstringant Deum ex justitia, sed tantum ex quadam decentia bonitatis & clementiæ.

*Inst.* 2. Perseverantia, ex Conc. Trid. (*Sess. 6. can. 21. de Justif.*) non potest haberi, nisi ex speciali Dei auxilio; ergo datur sine ordine ad meritum congruum, quod importat semper aliquod debitum.

Resp. *nego conseq.* Quia solum meritum justitiæ importat debitum.

*Objicies* 5. Si electio ad gloriam facta esset ex prævisis meritis, mysterium prædestinationis non esset incomprehensibile, quærenti enim cur unus prædestinetur, alter reprobetur, facilis est responsio, quia nimirum Deus prævidit, unum habiturum merita, & alterum demerita; atqui hoc est contra Apost. *Rom.* 11. exclamantem: *O altitudo*

*titudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* &c. Ergo.

Resp. *nego maj.* Licet enim in nostra sententia nonnullæ difficultates, ad quietem animarum, emolliantur, multæ tamen supersunt, quas nullus mortalium poterit unquam solvere, ait Tournely: „ Quare ex multis efficacibus gratiæ auxiliis quæ tali homini Deus conferre posset, cum quibus salvus fieret, ea tamen dumtaxat conferat, quibus non consentiet: alteri vero ea, quibus prævidetur consensurus? quare illum efficaciter trahat, non istum? *O altitudo!* quare e duobus justis, unum ex hac vita rapiat dum justus est, alterum vero tentationum periculis obnoxium relinquat, quibus futurum est, ut aliquando succumbat? *O altitudo!* quare uni, etiam non oranti, perseverantiam det, alteri vero non det? *O altitudo!* quare e duobus hominibus, unum, qui longe majoribus implicitus est sceleribus, efficaciter convertat, alterum vero non ita scelestum derelinquat? *O altitudo!* quare e duobus infantibus originali peccato æqualiter infectis, permittat unum baptizari, antequam moriatur, alterum vero non baptizari? *O altitudo!* "

## ARTICULUS III.

### *De effectibus prædestinationis adæquatæ.*

*Nota* 1. Effectus prædestinationis est id omne, quod, virtute prædestinationis factæ, Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat. Unde

*Nota* 2. Ad effectum prædestinationis tres requiruntur conditiones.

*Prima*, ut talis effectus sit a Deo, quemadmodum ipsa prædestinatio formaliter sumpta, est a Deo. Quare peccatum non potest dici effectus proprie dictus prædestinationis; licet enim cadat sub præscientiam Dei, non tamen cadit sub prædestinationem, ut docet D. Aug. *lib. de prædest. Sanctorum cap.* 10.

*Secundo*, ut detur ex meritis Christi. *Deus* enim *prædestinavit nos per Christum.* Quare creatio non est effectus prædestinationis.

*Tertia*, ut certissime ad ipsius gloriæ consecutionem conducat, sive formaliter, sive dispositive, sive etiam occasionaliter.

Quæres 1. *Quot sunt effectus prædestinationis adæquatæ, id est, tum ad gratiam, tum ad gloriam?*

Resp. Sunt tres, ad quos omnia, quæ ad gloriam assequendam conferunt, reducuntur, nempe, gratia vocationis, gratia justificationis, & glorificatio, juxta illud Apostoli Rom. 8. „ Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit ".

Ratio est, quia id omne quod oritur ex prædestinatione tanquam ex causa, reducitur ad perfectam & integram hominis prædestinati liberationem: atqui integra & perfecta prædestinati liberatio fit adæquate per gratiam, tum actualem, tum justificantem, per quam liberatur a servitute peccati; & per gloriam, per quam liberatur ab omnibus miseriis tum animæ, tum corporis; ergo.

*Dices* 1. Effectus prædestinationis nequeunt esse communes prædestinatis & reprobis; atqui vocatio & justificatio sunt communes prædestinatis & reprobis: ergo.

Resp. *dist. min.* Vocatio & justificatio sunt communes, &c. si spectentur in se, *conc.* si spectentur ex parte Dei, *nego min.* Porro non quælibet vocatio & justificatio sunt prædestinationis effectus, sed eæ duntaxat quæ a Deo dantur ex absoluta & efficaci intentione perducendi ad gloriam; sic solis electis dantur, reprobis vero conceduntur tantum ex voluntate Dei generali salvandi omnes homines, ideo in illis sunt tantum communes providentiæ generalis effectus.

*Inst.* Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis, ut patet exemplo parvulorum post susceptum baptisma decedentium, qui gratiam vocationis non possunt recipere defectu rationis & libertatis; ergo.

Resp. *dist. ant.* Omnes prædestinati non habent gratiam vocationis, immediate, *conc.* mediate saltem, *nego*. Licet enim parvuli per se & immediate non vocentur ad baptismum, vocantur tamen mediantibus iis qui eorum curam gerunt.

*Dices* 2. Quandoque contingit electos, a gratia justificationis per peccatum mortale excidere: ergo, eo saltem in casu, justificatio non est in electis effectus prædestinationis.

Resp. *nego conseq.* Etsi enim illa justificatio, per peccatum mortificetur, nihilominus per subsequentem pœnitentiam reviviscit, ac proinde ad gloriam consequendam ordinatur.

Dixi in resp. *Tres prædestinationis effectus, ad quos omnia, quæ ad gloriam consequendam conferunt, reducuntur*. Quia:

1. *Ad gratiam vocationis*, reducuntur omnia auxilia externa, quæ, simul cum internis, ad justificationem concurrunt: talia sunt Evangelii prædicatio, miracula, bona aliorum exempla, a parentibus christianis ortus & educatio, occasionum peccandi remotio, fraterna correctio, morbi, calamitates, &c.

2. *Ad gratiam justificationis* reducuntur, habitus fidei, spei & caritatis, & aliarum virtutum supernaturalium, item dona Spiritus sancti, gratiæ sacramentales, & donum finalis perseverantiæ.

3. *Ad glorificationem* revocantur omnia dona gloriæ accidentalis, quæ vel animam, vel corpus respiciunt. Illa enim proveniunt ab illa benevolentia, qua Deus electos dilexit, ob merita, & per quam tot & tanta suæ largitatis dona ipsis præparavit.

*Dices:* Plura ex illis donis sunt naturalia; ergo non sunt effectus prædestinationis.

Resp. *dist. conseq.* Non sunt effectus prædestinationis, per se & ratione sui, *conc.* per accidens & ratione ordinationis divinæ, *nego*. Licet ergo illa dona non sint entitative supernaturalia, pertinent tamen ad ordinem supernaturalem ratione ordinationis Dei, qui illa concedit ex meritis Christi, quatenus juvant prædestinatos ad gloriam consequendam; sic bona fortunæ dici possunt aliquando prædestinationis effectus, quando scilicet inserviunt ad eleemosynas erogandas, & ad obtinendam salutem.

Quæres 2. *An peccati permissio prædestinationis sit effectus?*

Resp. Probabilius est quod sit prædestinationis effectus occasionalis. Quia illud est effectus prædestinationis, quod prædestinato præbet ansam illa sectandi & exequendi quæ conducunt ad gloriam; atqui talis est peccati permissio, dicente D. Aug. serm. 33. de verbis Domini. „ Audeo dicere: superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur, & cum timore & tremore salutem suam operentur ".

*Objicies* 1. Effectus prædestinationis est Dei beneficium; atqui permissio peccati non est Dei beneficium, imo est beneficii Dei substractio, gratiæ nempe efficacis; ergo.

Resp. *dist. min.* Non est Dei beneficium, secundum se, *conc.* quatenus a Deo intenditur & ordinatur ad prædestinati salutem, *nego*. Permissio enim peccati, hoc ultimo modo considerata, est Dei beneficium, cum per eam electus fiat magis humilis, ac imposterum magis cautus, ut tradit D. Aug. *l. de corrept. & gratia cap. 9.*

*Objicies* 2. Effectus prædestinationis confertur ex meritis Christi; atqui permissio peccati non confertur ex meritis Christi; neque enim Christus Patrem rogavit, ut ab eo electis gratiam removeret; ergo.

Resp. *dist. min.* Permissio peccati in se considerata, *conc.* sic enim est effectus providentiæ communis: considerata quatenus ordinatur in prædestinati salutem, *nego*. Permissionem peccati sic consideratam Christus postulavit a Patre.

*Subsumes:* Ergo licebit a Deo petere permissionem proprii peccati; atqui hoc est absurdum; ergo.

Resp. *nego sequelam*. Cum enim peccatum non possit esse in homine, quin fiat propria ipsius voluntate, idcirco homo non potest petere permissionem peccati, quin pariter petat voluntatem peccandi, quod est vere malum & peccatum.

*Prob. seq.* Licet petere id omne, quod Christus nobis meruit; ergo.

Resp. *dist. ant.* Licet petere quod Christus meruit per se, *conc.* quod meruit tantum ex consequenti, *nego*. Permissionem autem illam peccati meruit tantum ex consequenti, quatenus nempe sua merita obtulit Patri, ut ex illa permissione eliceret gratias prædestinato conferendas, ut cautior & ferventior per pœnitentiam resurgat.

## ARTICULUS IV.

### *De proprietatibus prædestinationis.*

*Nota*. Proprietates prædestinationis sunt ejus certitudo, immutabilitas, & concordia cum libertate, de quibus breviter sit

### CONCLUSIO I.

*Prædestinatio secundum se est certissima*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. *Joann.* 10. Christus de suis electis loquens, ait: „ Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Et c. 13. scit Christus quos elegerit ". Ergo Deus certo cognoscit numerum electorum in communi, & personas electas in particulari.

*Prob.* 2. *ratione:* Quod Deus futurum præscivit, quodque decrevit efficaciter, illud est certissimum, cum ejus præscientia non possit falli, eo quod sit perfectissima, nec decretum ejus impediri, eo quod Deus sit omnipotens; atqui decrevit ut prædestinati essent beati, & hoc futurum esse præscivit; ergo prædestinatio est certissima: nihil enim aliud est hanc esse certissimam, quam certissimum esse ejus objectum. Quod argumentum est Div. Augustini (*L. de corrept. & gratia*, *c.* 7.) de prædestinatis dicentis: „ Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla vi revincitur Deus.

### CONCLUSIO II.

*Prædestinatio non est certa respectu nostri, certitudine absoluta, absque speciali revelatione*. Prop. est de fide.

*Prob.* Philipp. 4. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Atqui hæc timoris incussio excludit firmam de futura salute securitatem & certitudinem; ergo, &c. Hinc D. Aug. *ibid. c.* 13. ait: „ Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Cum Eccl. 9. dicatur: Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta ".

Tandem Conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 16. definit: „ Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit ".

*Dices* 1. Joann. 5. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei*. Ergo certi esse possumus de nostra prædestinatione.

Resp. *nego conseq.* Quia ibi nomine vitæ æternæ, non intelligitur vita æterna perfecta, & in re; sed inchoata, & in spe; quomodo *Rom.* 8. dicitur, *spe salvi facti sumus*.

*Inst.* Apost. *Thessal.* 1. ait: „ Scientes fratres, dilecti a Deo, electionem vestram ". Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam Apost. ibi loquitur duntaxat de electione Thessalonicensium ad gratiam Dei, addit enim: „ Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa. "

Dixi in prop. *certitudine absoluta:* quia possumus de prædestinatione nostra esse certi certitudine morali, quæ licet non excludat omnem formidinem, excludit tamen anxietatem, & quandam confert fiduciam: illius autem certitudinis varia assignantur signa, quaiia sunt illa quæ continentur octo beatitudinibus, *Matt.* 5. & alia quæ tradunt Patres vitæ spiritualis, quæ hic enumeramus.

1. Frequens sacramentorum usus cum debitis dispositionibus.
2. Zelus honoris Dei, & salutis proximi.
3. Frequens de Deo sermo & cogitatio.

4. De-

4. Desiderium patiendi pro Christo.

5. Ardens studium audiendi, & docendi verbum Dei.

6. Rerum caducarum contemptus, & cælestium amor.

7. Metus & tremor in operanda salute, cum vera humilitate conjunctus, de quo signo Gregorius M. *l.* 34. *moral.* ait: „ Quia Redemptor noster corda regit humilium, Leviatham rex superborum: aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum est superbia; & e contra humilitas electorum ".

8. Devotio erga B. M. V. cui Ecclesia accommodat ista: *Prov.* 8. verba: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.* Et de qua sermonem faciens D. Anselmus cit. a S. Antonino *p.* 4. *tit.* 15. *cap.* 14. §. 7. ait: „ Sicut impossibile est, ut illi, a quibus oculos suæ misericordiæ avertit, salventur, ita necessarium est, ut hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur, & glorificentur ".

## CONCLUSIO III.

„ Prædestinatio, sive consideretur ex parte Dei, sive ex parte prædestinatorum, est omnino immutabilis.

*Prob. prima pars.* Nam prædestinationem esse immutabilem ex parte Dei, est Deum non mutaturum decretum, quo statuit efficaciter gloriam electis conferre; atqui Deus nunquam mutabit; cum enim sit sapientissimus, consilium non mutat; ergo, &c. Hinc Apost. 2. ad Tim. 2. ait: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; novit Dominus qui sunt ejus.*

*Prob. secunda pars.* Prædestinationem esse immutabilem ex parte prædestinatorum, idest prædestinatos non posse non consequi gloriam ad quam electi sunt; atqui eam revera non possunt non consequi; ergo, &c. Hinc D. Augustinus (*L. de corrept. & gratia, c.* 13.) ait: *Certus est prædestinatorum numerus, qui neque augeri potest, neque minui.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. D. Aug. ibidem, super illud Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, dicit: *alius non est accepturus, nisi iste perdiderit.* Atqui hic locus intelligitur de corona per prædestinationem assignata, quæ potest amitti; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Hic enim locus intelligendus est de prædestinatis ad aliquam gratiam, a qua excidere possunt: qui enim prædestinatus est ad gratiam, scilicet sanctificantem, habet quidem coronam ex meritis, nondum habet ex prædestinatione divina, ut observat Divus Thomas, *quæst.* 23. *art.* 6. *ad* 1.

*Inst.* Possibile est prædestinatum peccare lethaliter, & in peccato mori, & potest tunc Deus non prædestinare, quem antea prædestinaverat; ergo prædestinatio non est immutabilis

Resp. *dist. ant.* Potest in sensu diviso, *conc.* in sensu composito, id est, posito quod sit prædestinatus, *nego.* Ita D. Thom. hic ad 2. & 3. Porro illa possibilitas nunquam reducenda est ad actum, & consequenter *ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo*, ait D. Thom. hic.

*Objicies* 2. Si immutabilis sit prædestinatio, ita ut numerus prædestinatorum augeri vel minui non possit, valebit hæc Semi-pelagianorum argutia Augustino toties objecta: „ Ex utraque parte superfluus labor est, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere ". Absurdum consequens; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Valebit, si prædestinatio sit immutabilis propter decretum Dei absolutum & antecedens prævisionem meritorum gratiæ, *transeat ant.* (quod eis est solvendum, qui admittunt prædestinationem fieri ante prævisa merita.) Valebit, si prædestinatio fiat ex Decreto Dei supponente prævisionem meritorum gratiæ, *nego ant.* nam ex tali prædestinatione, non alia quam consequens oritur necessitas; „ adeoque quod prædestinatus, in sensu composito, damnari non possit, nec reprobus salvari, ex libera prædestinati & reprobi determinatione nascitur, quam Deus ab æterno cognovit ", ait Tournely.

*Objicies* 3. Prædestinatio est idem realiter cum libro vitæ; atqui liber vitæ non est immutabilis, ergo.

*Prob. min.* Qui in libro vitæ scripti sunt, possunt ex eo deleri: dixit enim Moyses, Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

*Nota* 1. Ante responsionem. Liber vitæ definitur a D. Thom. (1. *p. q.* 24. *art.* 1.) *Notitia Dei, qua retinet firmiter se aliquot prædestinasse ad vitam æternam.* Unde liber vitæ non differt a prædestinatione, nisi prout memoria differt ab objecto suo, cum sit tantum cognitio præsens eorum quos Deus ab æterno elegit.

*Nota* 2. Cum duplex sit vita supernaturalis, una *inchoata*, nempe gratia quæ vitæ æternæ radix est & principium; & *consummata*, nempe gloria, ideo duplex liber vitæ distinguitur, nimirum *liber vitæ secundum quid*, in quo inscribitur qui ad gratiam prædestinatus est; & *liber vitæ simpliciter*; in quo inscribitur qui ad gloriam æternam est prædestinatus. His diligenter notatis,

Resp. *dist. ant.* Qui scripti sunt in libro vitæ *secundum quid*, possunt ex eo deleri, *conc.* qui scripti sunt in libro vitæ, *simpliciter*, possunt ex eo deleri, *nego ant.* potest ergo quis excidere a gratia, nunquam vero a gloria, quando ad eam est prædestinatus.

Ad Textum Exodi, dico, Moysen postulasse deleri de libro vitæ, sumpto, non pro inscriptione prædestinatorum, sed pro inscriptione viventium, paratus vitam propriam pro salute populi Israelitici fundere, quomodo clare asserit, *n.* 11. dicens ad Dominum: *Obsecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis.*

*Inst.* Regius Psaltes, *Psal.* 68. loquens de libro vitæ simpliciter, ait: *Deleantur de libro viventium.* Ergo prædestinati possunt deleri de libro vitæ simpliciter.

Resp. *dist. cons.* Possunt deleri negative, id est, non inscribi, *conc.* positive *nego.* Ita D. August. in hunc Psalmum: *Deleantur*, inquit, *de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent:* nam

nam versus qui sequitur exponit, quod dictum est: & cum justis non scribantur. Dixi ergo, deleantur secundum spem eorum. Secundum autem æquitatem tuam, quid dico! non scribantur. "

## CONCLUSIO IV.

*Prædestinatio nullam necessitatem imponit prædestinatis.*

*Prob.* Decretum quod supponit scientiam conditionatorum, non imponit necessitatem prædestinatis; quia ex bonis operibus, quæ prædestinatus in hac vita exerect, pendet: atqui decretum prædestinationis supponit scientiam conditionatorum, per quam prævideatur causa libera sese determinatura, in hypothesi quod Deus velit concurrere cum illa; ergo, &c.

*Dices:* D. August. (*l. 6. de Genes. ad litteram, cap. 15.*) ait: *Dei voluntas, rerum necessitas est.* Ergo decretum prædestinationis imponit necessitatem.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Aug. ibi agit de prima rerum creatione, quæ facta est prout Deus voluit; quod ad præsentem quæstionem non pertinet.

Quæres: *An prædestinatio juvari possit Sanctorum precibus?*

Resp. *affirm.* Quia quidquid prædestinatos juvat ad merendum, illud prædestinationem juvat, cum ex meritorum prævisione prædestinentur: sed preces Sanctorum juvant prædestinatos ad merendum, emerentur enim aliis suppliciter gratiam, ergo, &c. Hinc Div. Augustinus (de dono persever. cap. 7.) *ait:* „ Orat Ecclesia, ut increduli credant: Deus ergo eos convertit ad fidem: orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque ad finem. "

## QUÆSTIO IV.

### *De Reprobatione.*

*Nota* 1. Reprobatio a gloria (de reprobatione enim a gratia efficaci hic non agimus) definitur a Magistro (*l. 1. Sentent. dist. 4.*): *Præscientia impietatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem.* Explico definitionem.

Dicitur 1. *Præscientia impietatis*, ut detur intelligi, quod sicut prædestinatio fit ex prævisis meritis, sic & reprobatio ex prævisis demeritis.

Dicitur 2. *Impietatis*, per quod intelligitur, vel peccatum originale solum, vel actuale solum, vel utrum que simul conjunctum in adultis peccatoribus non baptizatis.

Dicitur 3. *Et præparatio damnationis eorumdem*; per quod intelligitur efficax & absolutum Dei decretum aliquos excludendi a gloria, & ad supplicium æternum deputandi.

*Nota* 2. Reprobatio duplex est, positiva scilicet, & negativa.

„ Reprobatio positiva est decretum divinum, quo aliqui excluduntur a vita æterna, & deputantur ad pœnas æternas: " hæc etiam dicitur *adæquata*.

*Reprobatio negativa*, secundum aliquos Scholasticos, definitur *mera non electio ad vitam æternam;* unde non tam est actus divinæ voluntatis, quam ejusdem actus suspensio, qua Deus, aliquos gratuito ad gloriam eligendo, non involvit alios in isto electionis decreto, sed mere negative se habet erga illos. Secundum alios definitur: *Actus positivus, quo Deus quosdam non tantum non elegit, sed etiam excludit a vita æterna, tanquam a beneficio indebito*; quo sensu potest etiam dici reprobatio positiva secundum quid.

Porro reprobatio, quæ *negativa* dicitur, sive sit pura actus negatio, sive sit actus positivus, perinde est quantum ad causam reprobationis; eadem enim dura & acerba incommoda ex utroque modo prætensam illam reprobationem negativam explicandi, consequuntur.

*Nota* 3. Certum est dari reprobationem aliquorum, & quidem adæquate & positive sumptam, quidam enim a Deo excluduntur a gloria æterna, & pœnis æternis deputantur, Matth. 25. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

Restat ergo agendum 1. De causa reprobationis motiva, 2. De effectibus reprobationis, duobus articulis.

## ARTICULUS I.

### *De causa reprobationis motiva.*

*Quæritur.* Utrum ex parte hominis sit aliqua causa, quæ Deum moveat, ut ipsum reprobet; an vero reprobatio fiat a solo Dei beneplacito, qui, aliquos prædestinando, alios rejicit, vel positive, vel negative. Circa quod duo sunt hæreticorum errores, & tres Scholasticorum opiniones.

*Primus error* est Calvini, qui, cum cæteris Prædestinatianis, docet Deum, ante omnem peccati prævisionem, aliquos exclusisse a gloria æterna & pœnis æternis addixisse; atque, ex hac intentione eos damnandi, illos excæcare, immo ad peccata impellere propter quæ puniantur (*l. 3. Instit. cap. 23. n. 1. & c. 24. n. 12. & 13.*).

*Secundus error* est Jansenii (*l. 10. de gratia Christi, cap. 2.*) docentis, *veram reprobationis causam*, quoad omnes, *esse peccatum originale quo*, reprobi, *periisse & damnationem prævidentur meruisse.*

*Prima Scholasticorum opinio*, est quorumdam Thomistarum, qui docent Deum actu positivo reprobos a gloria, tanquam a beneficio indebito excludere ex mera sua voluntate, ante prævisum quodcumque eorum peccatum, sive originale, sive actuale; non tamen eos pœnis æternis de facto addicere, nisi propter eorum peccata prævisa, in quo differunt a Calvino.

Porro hi Theologi reprobationem, quam tuentur, *negativam* vocant, non respectu Dei, cum illam per actum positivum decernat; sed respectu gloriæ, quæ est res homini prorsus indebita: quomodo cæcitas in lapide, quia est carentia visus ipsi indebiti, dicitur, *negatio;* e contra cæcitas in homine, quia est carentia formæ ipsi debitæ, *privatio* dicitur.

*Secunda opinio* est aliquorum Thomistarum, & aliorum, qui cum Suarez & Bellarmino docent, Deum, non quidem positive, sed mere negative, id est, per meram non electionem, reprobos excludere a gloria ante prævisa quæcumque demerita. Hanc opinionem tenentur admittere omnes, qui tuentur systema prædestinationis gratuitæ ante prævisa merita gratiæ.

Ter-

*Tertia opinio* est omnium aliorum, qui censent Deum neminem addicere pœnis æternis, neque a gloria, sive positive, sive negative, excludere, ante prævisionem peccatorum, non modo originalis, sed & actualium. His præmissis sit:

## CONCLUSIO I.

*Deus nullum positive reprobat, ac pœnis addicit æternis ante prævisionem peccati*. Est de fide contra Calvinum.

*Prob.* 1. Ex Script. Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*. Atqui si Deus aliquos, ante omne demeritum, excluderet positive a gloria, & pœnis addiceret æternis, faceret mortem, & maxime lætaretur in perditione vivorum; ergo, &c.

Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, &c. ergo causa discessus in ignem æternum, est omissio mortalis bonorum operum.

*Prob.* 2. Ex SS. Patribus, maxime S. Augustinus (*L.* 2. *contra Julianum, cap.* 18.): *Non potest*, Deus, inquit, *quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Ergo Calvini dogma facit Deum injustum, quo nihil blasphemum magis.

*Hinc* Concil. Arausicanum II. dogma de quo agitur confixit: *aliquos*, inquit, *ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*.

*Dices*, Prov. 16. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum*. Ergo Deus damnat positive & addicit pœnis æternis ante prævisa demerita.

Resp. *nego conseq.* Quia illa verba non sunt sic intelligenda, ut Deus impium creaverit eo fine, ut reprobus esset; quod adversatur Scripturæ de Deo dicenti: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*. Sed sic intelligenda sunt allata verba, quod quamvis homo prævideatur in peccatum lapsurus, atque adeo damnandus, non desinat tamen a Deo produci, ut inde gloria Dei patefiat: *utilius enim*, ait D. Aug. (*In Enchirid. cap.* 27.) *judicavit Deus de malis bene facere, quam nulla mala permittere*.

## CONCLUSIO II.

*Peccatum originale non est causa reprobationis adultorum baptizatorum*. Est contra Jansenium & ejus discipulos.

Dixi: *adultorum*, certum est enim infantes, qui sine baptismo moriuntur, reprobari a gloria propter solum peccatum originale prævisum, cum alterius peccati rei esse non possint. Itaque

*Prob. prop.* 1. Deus, etiam supposito peccato originali, vult omnes homines salvos fieri: Christus pro omnibus mortuus est; atqui illa Dei voluntas salvandi omnes, illa mors Christi oblata pro omnibus, etiam supposito peccato originali, non potest stare cum voluntate aliquos reprobandi a gloria, propter illud idem peccatum originale; illa enim secum pugnare videntur. Ergo, &c.

*Prob.* 2. Argumento, quod Bellarm. (*L. de gratia & lib. arb. cap.* 16.) insolubile dicit: Peccatum originale in hominibus baptizatis fuit per baptisma remissum; ergo non potest esse causa eorum reprobationis. *Ant.* est de fide, *Si quis*, ait Conc. Trid. sess. 5. can. 5. *per J. C. Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit*. Quam definitionem confirmat ex Apost. *Rom.* 8. dicente: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Id est, ut habet Trid. *Qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*.

*Respondent adversarii*, peccatum originale remitti per baptisma quoad culpam, non vero quoad omnem pœnalitatem: in baptizatis enim remanent ignorantia, & concupiscentia, quæ moralem quamdam peccandi necessitatem inducunt, nisi Deus efficaciter adjuvet. Sed:

*Contra est* 1. Quia Conc. Trident. definit concupiscentiam, *nocere non consentientibus, sed viriliter per JESU CHRISTI gratiam repugnantibus non valere*. Atqui plurimum noceret, si esset causa reprobationis a gloria; ergo, &c.

*Contra est* 2. Quia idem Concil. docet quod renati per baptisma, *Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur*. Atqui si esset causa reprobationis a gloria, renatus per baptisma haberet aliquid, quod eum ab ingressu cœli remoratur; ergo.

*Confirmatur*. Quia, qui excluditur a gloria, est objectum odii Dei; atqui ex Conc. Trid. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis est iis*, &c. ergo in renatis nullum est objectum odii; quodnam enim illud esset? *peccatum*? at totaliter est sublatum; *pœnalitates*? at ex se nullam mali moralis rationem habent; ergo.

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Rom. 8. de Jacob & Esau dicitur: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali . . . non ex operibus, sed ex vocante dictum est . . . Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Atqui ibi Scriptura expresse excludit a reprobatione Esau quodlibet actuale peccatum; ergo propter solum originale sic fuit reprobatus.

Resp. 1. *nego min.* Nam reprobatio Esau, de qua Apostolus, non est a gloria, sed a gratia efficaci; exemplo enim Jacob & Esau utitur Apostolus, ut ostendat vocationem ad gratiam fidei plane gratuitam esse, nec ullis aut naturæ, aut legis Mosaicæ meritis debitam esse, prout volebant Judæi.

Resp. 2. Ex hypothesi quod hic agatur de reprobatione a gloria, *dist. min.* Scr. excludit a reprobatione Esau quodlibet actuale peccatum, aut commissum, *conc.* futurum a Deo prævisum, *nego*. Ex hoc ruit objectio proposita.

*Inst.* D. August. Epist. 105. ad ista verba, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, dicit: *Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Ergo solum peccatum originale fuit causa odii Dei in Esau; odium autem Dei & reprobatio a gloria idem sunt.

Resp.

Resp. *nego cons.* D. Aug. enim tantummodo de reprobatione a gratia speciali loquitur, ut ostendat eam non dari propter bona opera naturæ prævisa; quandoquidem Deus uni suam largitur gratiam antequam quidquam boni egerit, & alteri denegat antequam quidquam egerit mali: „ Ubi nunc opera, inquit, vel præterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta, vel implenda? nonne apertam protulit Apostolus de gratuitate gratiæ, hoc est, veræ gratiæ commendatione, sententiam?" Porro antequam Esau quidquam mali egerit, nullum habebat objectum odii actu, nisi peccatum originale; sed quid contra nos?

*Objicies* 2. D. August. lib. de dono persev. c. 14. ait: " In massa perditionis justo divino judicio ... Tyrii relicti sunt & Sydonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illi Christi signa vidissent; sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est denegatum. " Unde sic argumentor: Illa reprobatio fit propter solum peccatum originale, quæ Deo causa est cur reprobos a massa perditionis non liberet, nec illis in tempore gratias efficaces & perseverantiam finalem concedat: atqui ex D. Aug. reprobatio a gloria est causa cur, &c. ergo.

Resp. *nego min.* Neque enim ibi D. August. agit de reprobatione adultorum baptizatorum a gloria, de qua sola nos hic agimus; sed agit tantum de reprobatione baptizatorum a gratia efficaci fidei & perseverantiæ, quam non habuerunt Tyrii & Sydonii, licet habuerint sufficientem, nam *credere potuerunt*. Hocque, ut ostendat D. Doctor gratiam & perseverantiam esse donum Dei omnino gratuitum, quod probet exemplo Tyriorum, qui licet credere potuerint, quia tamen donum fidei illis, justo Dei judicio, non erat datum, etiam Christi miracula, quibus credidissent, sunt denegata: „ Ex quo apparet, inquit, quosdam habere in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiunt verba, vel facta conspiciant: attamen quia Dei altiore judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent. " Est ergo totus D. Doctor, ut astruat gratuitatem gratiæ; unde nihil contra nos.

## CONCLUSIO III.

*Non datur reprobatio negativa adultorum a gloria tanquam a beneficio indebito, quæ fiat ex solo Dei beneplacito ante prævisum quodcumque peccatum actuale, sive illa reprobatio sit actus positivus, sive sit mera actus negatio; sed unica reprobationis adultorum baptizatorum causa, sunt actualia eorum peccata.*

*Prob.* 1. Omnibus argumentis, quæ attulimus contra prædestinationem ante prævisa merita gratiæ. Ideo enim admittitur reprobatio negativa a gloria, quia, multis ante prævisa merita prædestinatis, relicti sunt cæteri; atqui Deus non prædestinat ante prævisionem meritorum; ergo.

*Prob.* 2. Quia sincerus affectus homines salvandi stare non potest cum reprobatione negativa a gloria; ergo est rejicienda.

*Prob. ant.* Affectus, qui non tam est, quam esset futurus, si nihil aliud obstaret, non est sincerus; atqui, juxta adversarios, affectus Dei erga salutem hominum, non tam est, quam esset, si nihil aliud obstaret: *Voluntas illa antecedens*, inquit Alvarez (*Disput.* 34. *conclus.* 4. *n.* 5.), *actum conditionatum importat in Deo, quo vellet salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulchritudo universi, & bonum universale divinæ justitiæ & misericordiæ.* Ergo, juxta illos, Deus non tam vult homines salvos fieri, quam vellet; quomodo prodigus vellet parcere sumptibus, nisi vellet satisfacere nimio luxui, & avarus liberaliter agere, nisi vellet ditescere; quomodo autem hoc potest cum his, *Ezech.* 33. verbis convenire? *Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat.* Et cum his, Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

*Prob.* 3. Ex D. Prospero (*Respons. ad objectionem tertiam Gallorum*) de reprobis dicente: *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri* (nempe mali in fine vitæ) *ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt .... essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate mansuri.* Ubi manifeste rejicit reprobationem negativam, cum asserat eam fieri ob prævisa peccata actualia.

D. Fulgentius (*L.* 1. *ad Monimum, cap.* 24. *Quæso, Monime*, inquit, *ut hunc locum Pauli, Rom.* 9. *attendas: Notum namque est iram Dei non posse dici, nisi ubi creditur iniquitas præcessisse.* Ubi nullam Dei iram agnoscit, (qualis existit, non solum in condemnationem ad supplicia, sed etiam in exclusione a gloria, quæ est pœna damni) nisi ubi præcesserit iniquitas.

*Objicies*: Jacob ex communi massa perditionis non fuit eductus, & Esau in ea relictus, nisi ex sola Dei voluntate, qua *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*; ergo sola voluntas est causa reprobationis negativæ.

Resp. *dist. conseq.* Sola Dei voluntas est causa reprobationis negative comparatæ, *conc.* absolute consideratæ, *nego conseq.* Cur enim e duobus eodem Adami peccato infectis, unus liberetur, alter vero non liberetur? nulla potest reddi ratio, & cum Apostolo exclamandum, *O altitudo!* (*Ita docet D. August. Epist.* 194. *ad Sixtum.*) verum, cum agitur de reprobatione unius absolute spectata, illius causa legitima redditur, peccatum scilicet originale in infantibus, actuale in adultis non baptizatis, & utrumque in adultis baptizatis.

*Inst.* Atqui sola Dei voluntas est causa reprobationis negativæ absolute consideratæ; ergo.

*Prob. ant.* Deus excludit negative, seu non eligit hominem ad gloriam, quia illi est indebita; ergo ex sola sua voluntate cum eligit.

Resp. *nego ant.* Quia, posita misericordia & ordinatione Dei, qui sincere vult omnes homines salvos fieri, eisque dat sufficientia media quibus ad salutem pervenire possint, posita item redemptione per Christum: Deus non potest excludere hominem a gloria, præcise quia est beneficium ipsi indebitum, sed requiritur ex parte hominis peccatum, sive originale si prævideatur non remittendum, sive actuale in renatis.

AR-

ARTICULUS II.

*De effectibus reprobationis.*

Quæres 1. *Quot sunt effectus reprobationis?*

Resp. Sunt quatuor, nempe:

*Primus*, est permissio peccati, non cujuscumque, quia peccatum potest per gratiam deleri; sed peccati cum morte conjuncti.

*Secundus*, est excæcatio mentis, qua fit ut homo se peccare non amplius advertat, sicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impœnitens; licet enim Deus ei non deneget gratiam illuminationis sufficientem, ipsi tamen, in pœnam peccatorum præcedentium, efficacem denegat. Cæcitas autem illa ita pœna est peccati, ut etiam sit ipsa peccatum, utpote voluntaria.

*Tertius*, est obduratio cordis, qua fit ut obduratus lucentem veritatem rejiciat, monitiones spernat, & adhortantibus hoc unum respondere soleat *non possum*.

*Quartus*, est pœna tum damni, quæ in exclusione a gloria; tum sensus, quæ in deputatione ad pœnas æternas consistit. Hæc enim utraque pœna est a Deo justo vindice, *discedite a me, maledicti, in ignem æternum, &c.*

Quæres 2. *Quomodo Deus peccatorem indurat & excæcat?*

Resp. Deus hoc exequitur duobus modis.

1. Cum peccatori denegat auxilia efficacia, per quæ converteretur actu, & non moreretur in peccato: nam *non indurat Deus*, inquit D. August. Epist. 194. *infundendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.*

2. Cum permittit peccatorem incidere in tentationes & occasiones peccandi, quibus videt futurum ut peccata peccatis accumulet; aut etiam illi offert objecta per se bona, vel certe non mala, quibus abutitur ad suam perniciem: sicut advenit Pharaoni, ut explicat Div. August. *l. de gratia & lib. arb. cap.* 21.

*Resolves:* Causam meritoriam indurationis, esse antecedentia peccata, ut tradit Apostol. Rom. 1. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c. propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Quem locum expendens Divus Augustinus (*L.* 5. *contra Julianum, cap.* 3.) ait: *Hinc utique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam; dixit quippe quid mali ante fecissent & adjunxit: propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum, proinde præcedentis est hæc pœna peccati.*

# TRACTATUS
## DE DEO TRINO.

*Nota.* Ut in augustissimo Sanctissimæ Trinitatis mysterio tractando, cum ordine procedamus, hunc tractatum in tres dissertationes distribuemus. *Prima*, erit de mysterio Sanctissimæ Trinitatis in genere. *Secunda*, de Personis divinis in particulari. *Tertia*, de modo, quo loquendum est de hoc mysterio.

## DISSERTATIO I.

*De mysterio SS. Trinitatis in genere.*

*Nota.* Hujus dissertationis quinque erunt capita: 1. De existentia SS. Trinitatis. 2. De modo cognoscendi SS. Trinitatem. 3. De processionibus divinis. 4. De personalitatibus & relationibus divinis. 5. De his quæ tribus personis sunt communia.

### CAPUT PRIMUM.

*De existentia SS. Trinitatis.*

*Nota.* Cum mysterium SS. Trinitatis in eo sit positum, ut una natura in tribus personis realiter a se invicem distinctis subsistat, ideo, ut illius existentia agnoscatur, probari debet: 1. Personarum Trinitas; 2. Earumdem consubstantialitas, seu unitas naturæ in tribus personis.

### QUÆSTIO I.

*De Trinitate personarum in Deo.*

*Nota.* Personarum in Deo Trinitatem negarunt 1. *Judæi*, qui contendebant illa personarum Trinitate, deorum pluralitatem invehi.

2. *Sabelliani*, qui Praxeæ & Noeti hæresim circa hoc punctum refricantes, docuerunt unicam esse in Deo personam pro diversis ejus officiis trinominem, qui ideo *Patripassiani* dicti sunt, quia Filius, qui juxta illos eadem est cum Patre persona, passus & crucifixus est.

3. *Sociniani*, qui negant Spiritum Sanctum esse subsistentem personam, asseruntque eum esse Dei virtutem tantum & efficaciam: contra quos

#### CONCLUSIO I.

*Sunt in Deo tres personæ realiter a se invicem distinctæ.* Est de fide contra Judæos & Hæreticos.

*Probatio ex veteri Testamento contra Judæos.*

*Nota.* Licet non fiat tam aperta mentio Trinitatis personarum in veteri testamento, quam in novo: sive quia periculum erat, ne, si pluralitas personarum Judæis aperte revelata fuisset, illi, utpote ad idololatriam propensissimi, plures esse deos existimarent, sive quia Deus SS. Trinitatis manifestationem voluit Messiæ reservari; tamen multis in locis satis aperte insinuatur pluralitas, simulque Trinitas personarum divinarum, quod ut manifestum fiat:

*Prob.* 1. Ex iis locis, in quibus, ubi de Deo est sermo, pluralis numerus singulari jungitur, ut indicetur unitas naturæ, & personarum trinitas, ut Gen. 1. *Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi in singulari ponuntur hæc verba, *Vidit Deus, & ait*, ut unitas essentiæ manifestetur; & ista: *Faciamus, nostram*, ponuntur in plurali, ut Trinitas personarum demonstretur; nam illa verba ad quasdam alias personas, a loquente distinctas, diriguntur: unde Theodoret. (*Interrog.* 19. *in Genesim*) ait: *Subjungens illud*, faciamus, *expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit*, imaginem, *eandem esse naturam ostendit.*

Ut vim hujus argumenti eludant Judæi & Sabelliani,

*Respondent* 1. Deum loquentem uti plurali numero ad designandam suam majestatem, uti Principes facere solent.

Sed inanis est ista responsio, tum quia dici non immerito potest, Principem sic in plurali numero loqui, quia non suam tantum voluntatem, sed optimatum etiam consilium, hoc loquendi modo, significat; nam non posset sermonem suum dirigere ad alias personas, si ipse esset solus. Tum quia ut ait Theodoretus ibidem, Deus *raro pluraliter sermonem format, nisi cum innuit numerum personarum Trinitatis.*

*Respondent* 2. Deum, licet unica sit persona, in plurali numero more artificis loqui, qui sese ad opus accingens, ut seipsum ad opus excitet, ait: *Age, faciamus*, v. g. *calceamentum.*

Sed plane nugatoria ac Deo indigna est ista responsio, quam D. Basilius (*Hom.* 9. *in Hexameron sub fine*) refellens contra Judæos, ait: *Sunt insignes profecto nugæ, unum aliquem invenire qui sibi imperet . . . . heriliter seipsum, vehementer urgere & exhortari.*

*Respondent* 3. Deum per illa verba pluralis numeri, cum Angelis, non autem cum aliis personis divinis locutum fuisse.

Verum falsa est illa responsio: namque 1. homo non fuit creatus ab Angelis, immo nec quidquam ad illius creationem, etiam per modum instrumenti, contulerunt. 2. Deus eas alloquitur personas, ad quarum imaginem factus est homo; atqui homo, non ad Angelorum, sed ad Dei imaginem factus est; ergo, &c.

*Prob.* 2. Gen. 3. dicit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Atqui hic manifeste pluralitatem significat; nam si esset una tantum persona divina, sensus illorum verborum hic esset, *Ecce Adam quasi unus ex me factus est*, quæ locutio est inepta & ridicula.

*Prob.* 3. Psalm. 109. dicitur: *Dixit Dominus Domino meo . . . ex utero ante luciferum genui te.* Hic Deus Pater alloquitur Filium a se genitum; at Filius realiter distinguitur a Patre, nemo enim potest seipsum generare; ergo, &c. Hoc textu usus est Christus, *Matth.* 22. ut probaret suam divinitatem.

*Prob.* 4. Ex iis locis in quibus nomen Dei, vel alicujus attributi divini ter repetitur, Ps. *66. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Ubi particula, *eum*, indicat unitatem naturæ; & verbum, *Deus*, ter repetitum, significat Trinitatem personarum, ut fatentur antiqui Rabbini apud Galatinum.

Alia plura possent afferri, ut illud Isaiæ *6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, quod Rabbi Jonathan & Rabbi Simeon (*Ut refert Galatinus, lib.* 2. *c.* 20.) sic exponunt: *Sanctus, hic est Pater; Sanctus, hic est Filius; Sanctus, hic est Spiritus Sanctus.*

*Colliges* ex dictis, mysterium SS. Trinitatis in Synagoga fuisse creditum, saltem a viris primariis, quales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, & alii Doctores.

*Probatio ex novo Testamento contra hæreticos.*

*Prob.* 1. Ex iis locis in quibus diserte numerantur tres personæ, Matth. 28. *Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi Christus dicens, *in nomine*, in singulari, significat unam esse trium personarum virtutem & operationem, ac consequenter unam naturam; & cum distincte addit appellationem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, aperte exprimit eorum a se invicem distinctionem.

1. Joann. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Ergo realiter, & non nomine tantum, distinguuntur, alias non essent tres testes, sed unus tantum, quod sacro textui repugnat.

*Respondent Sociniani* illum versiculum esse falsum & supposititium. 1. Quia in textu Syriaco, Arabico & variis exemplaribus tum Græcis, tum Latinis, non reperitur. 2. Quia nec D. Augustinus, nec D. Athanasius, nec D. Ambrosius, &c. qui ex professo contra Sabellianos, Arianos, & Macedonianos manus conseruerunt, usquam eo versiculo (qui tamen ad confutandum errorem maxime idoneus fuisset) usi sunt; ergo.

Resp. *nego ant.* Ad priorem probationem, Resp. quidem in aliquibus codicibus versum illum non reperiri; verum in multo pluribus reperitur, ut testatur Robertus Stephanus (*In edit. novi Test. quam an.* 1550. *adornavit*), qui ex sexdecim vetustis exemplaribus Græcis, ab Italia, Hispania & Gallia conquisitis, septem solummodo notat, in quibus versiculus ille non reperitur, quod factum videtur incuria exscriptoris, qui cum textum descripsisset usque ad hæc verba, *quoniam tres sunt qui testimonium dant*, errante oculo, transivit ad versum sequentem, ubi eadem verba repetuntur, sic, *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, & Aqua & Sanguis, & hi tres unum sunt.*

*sunt*. Atqui ita versum 7. prætermisit. Porro præferendi sunt codices, qui numero plures sunt, & cum utraque Ecclesia Latina & Græca citatum versiculum retinent.

Resp. *ad* 2. *prob.* Aliquos Patres, qui contra Arianos pugnarunt, non usos fuisse adversus illos eo versiculo, quia imperfectis codicibus usi sunt: alii tamen Patres qui codicibus integris utebantur, illum versiculum contra ipsos opposuerunt, quorum hic aliquos referre necessarium puto.

Tertull. (L. contra Praxeam, cap. 25.) „ Connexus, *inquit*, Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est: Ego & Pater unum sumus. "

D. Cyprian. *l. de unitate Eccles.* ait: *De Patre & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est*, & hi tres unum sunt.

Idacius Clarus, l. adversum Varimadum Arianum, dicit: „ Joannes Evangelista ait . . . . Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus, & ii tres unum sunt. "

Victor Uticensis (Lib. 3. cui titulus, Professio Catholicorum Episcoporum Hunerico Regi Vandalorum oblata) *ait*: „ Ut adhuc luce clarius, unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur: ait enim, tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, &c. "

*Prob.* 2. Joann. 14. v. 16. Christus ait: *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis:* In hoc testimonio expressa habetur trium personarum distinctio, nimirum Filii qui rogat Patrem, Patris qui rogatur a Filio, & Spiritus Sancti qui mittitur a Patre: ideo D. Athanas. hunc locum contra Sabellianos sic urget: „ Cum Christus de se loquitur dicit, ego; cum de Patre, dicit, ille: cum de Spiritu Sancto, subjungit, alium: nonne igitur manifestæ pertinaciæ est negare tres?

*Prob.* 3. Ex iis omnibus locis, in quibus docetur esse in Deo Filium ab æterno Patre genitum, & Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedentem; qui enim ab alio realiter producitur, ab eo realiter distinguitur: atqui Filius realiter a Patre, & Spiritus Sanctus realiter a Patre & Filio producuntur, ut infra probabitur; ergo, &c.

*Prob.* 4. Ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ innotescit non solum ex Symbolis Apostolorum, Nicæno, & Athanasiano, in quo ultimo legitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur*, &c. sed etiam ex unanimi SS. Patrum consensu dicentium cum D. Irenæo, (*L.* 1. *hæresibus*, *cap.* 2.) „ Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata . . . . . accepit eam fidem quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem . . . & in unum J. C. Filium Dei . . . & in Spiritum Sanctum ".

*Solvuntur objectiones Sabellianorum & Socinianorum.*

*Objicies* 1. Deus in Scrip. dicitur solus Deut. 32. *Videte quod ego sum solus*. Ergo est unica persona in Deo.

Resp. *dist. ant.* Dicitur *solus* per exclusionem deorum aliorum, & pluralitatis naturarum in Deo vero, *conc.* per exclusionem personarum, *nego ant.* dicit enim Christus, Joann. 8. *Solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater.*

*Inst.* 1. Christus, Joann. 10. dicit, *Ego & Pater unum sumus*. Ergo Filius est quid unum cum Patre.

Resp. *dist. conseq.* Est quid unum substantive, *conc.* adjective & personaliter, *nego conseq.* Itaque, *unus*, substantive excludit pluralitatem deorum, non vero pluralitatem personarum in Deo; hic autem, *unum*, sumitur substantive, unde Tertull. (*L.* 4. *contra Marcionem*) quærens: „ Quomodo dictum est, Ego & Pater unum sumus? *respondet:* Ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem ".

*Inst.* 2. Christus, Joann. 16. ait: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Ergo non substantive solum, sed etiam personalier Filius est quid unum cum Patre.

Resp. *dist. ant.* Omnia essentialia, scilicet per communicationem accepta, *conc.* omnia relativa & personalia, *subdist.* quatenus relationes, seu personalitates identificantur essentiæ, *conc.* quatenus sibi invicem opponuntur, *nego ant.* licet enim personalitates divinæ sint in se invicem, hoc non habent quatenus sibi invicem opponuntur, sed quatenus identificantur in essentia.

*Objicies* 2. Greg. Nazianzenus, *orat.* 35. dicit: „ Unam quoque Dei essentiam, & naturam, & appellationem esse; tametsi per cogitationes quasdam distinctas nomina quoque simul distinguantur ": Ergo divinæ personæ solis nominibus, & intellectus cogitatione sunt distinctæ.

Resp. *nego conseq.* Hanc enim injuriam S. Nazianzenus longe a se proscribit, *eadem orat.* dicens: „ Paris impietatis est, vel Sabellii more personas „ connectere; vel Arii instar, naturas distinguere „ ac separare "; ergo quando dicit unam personam, seorsim ab alia consideratam, cogitatione distingui, ita est intelligendus, quod vix mens nostra possit revera unam personam ab alia seorsim concipere & sejungere: nam a parte rei quælibet persona habet in se manentes alias personas per circuminsessionem, & quantum ad essentiam, est idem cum ipsis, adeoque non potest ab illis realiter separari.

*Objicies* 3. Si in Deo essent tres personæ, essent quoque tres dii; absurdum conseq. ergo, &c.

*Prob. seq. maj.* Personæ se habent respectu divinitatis, sicut Petrus, Jacobus, Joannes respectu humanitatis; atqui Petrus, Jacobus, & Joannes constituunt tres in individuo humanitates; ergo, &c. *Resp. nego maj.*

*Prob. maj.* Ex D. Greg. Nysseno (*Tract. An tres Dii dicendi sint, ad Abladium*) qui ut probet unum esse Deum, hoc affert exemplum: „ Multi quidem homines singulares in natura hominis ostenduntur, ut Petrus, Jacobus, & Joannes; unus vero in his homo est ". Ergo personæ eodem modo se habent respectu divinitatis, sicut &c.

Resp. *dist. conseq.* Eodem modo quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego conseq.* mancum enim & imperfectum est exemplum a D. Doctore allatum, in hocque tantummodo valet, quod sicut Petrus, Jacobus, & Joannes tres diversas constituunt personas, ita etiam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres constituunt distinctas personas; sed non valet

valet in eo quod eædem tres personæ in divinis constituant tres naturas divisas, quemadmodum Petrus, Jacobus & Joannes; qui ideo dicuntur *unus homo*, quia conveniunt in eadem natura specifica, cum e contra ideo tres personæ divinæ dicantur *unus Deus*, quia conveniunt in eadem natura numerica & individuali.

*Objicies* 4. Trinitas Deorum est impossibilis; ergo & Trinitas personarum.... *Resp. nego conseq.*

*Prob. cons.* Ideo non possunt esse tres dii, quia Dei natura, cum sit infinita, omnem perfectionem complectitur, & si dii plures essent, unus alterius perfectionem a se excluderet; atqui persona divina pariter infinita est; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Persona divina infinita est, & habet aliquid cum aliis personis commune, nempe naturam, ratione cujus cæterarum perfectionem includit, *conc.* & nihil tale quid habet commune, *nego min.* Itaque ideo non possunt esse tres dii, quia nihil haberent commune, ratione cujus unus includeret perfectionem alterius; nam ad summum convenirent in natura specifica, per cujus unitatem non fit ut inferiora mutuas perfectiones includant; ut non ita est de personis divinis: nam licet inter se distinguantur, quatenus relative opponuntur, non tamen distinguuntur ab essentia, unde omnis emanat perfectio, ac consequenter nulla est in una persona perfectio, quæ non sit in altera; unde D. Thom. (1. *p. q.* 30. *art.* 4. *ad* 4.) ait: *Tantus est Pater, quanta tota Trinitas.*

*Inst.* 1. Si Pater includeret perfectionem Filii, denominari posset Filius; falsum conseq. ergo, &c.

Resp. *nego seq. maj.* Quia, ut Pater posset denominari Filius, deberet habere *formaliter* filiationem; at eam habet *identice* tantum, id est, quatenus identificatur cum natura divina quæ filiationem includit, & sic solummodo postulat eam habere; nam licet filiatio in natura divina *formaliter* contineri postulet & debeat, non tamen in Patre, immo postulat ab eo formaliter excludi, cum ei opponatur, & relatum postulet a se ipso formaliter excludere suum correlatum.

*Inst.* 2. Æque posset intelligi Trinitas naturarum identificari in una persona, ut Trinitas personarum in una essentia; ergo perinde personarum Trinitas impossibilis est, sicut Trinitas deorum.

Resp. *nego ant.* Nam Trinitas personarum datur, quia natura divina, ut præscindit a personis, fœcunda est, pollerque intellectu & voluntate, quæ sunt processionum principia; ex quo fit ut suus intellectui terminus assignetur, nempe *Verbum*; suus voluntati nempe *Spiritus Sanctus*; at si daretur in Deo unica persona, nihil tale contingeret; quæ enim posset, si a natura præscinderet, illius esse fœcunditas, quænam processionum principia? certe nulla.

*Objicies* 5. Istud Scholæ axioma, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; atqui personæ divinæ sunt quid idem uni tertio, nimirum, naturæ divinæ; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Sunt eadem inter se, sub eo respectu, sub quo sunt eadem uni tertio, *conc.* sunt eadem inter se, sub alio respectu, *nego maj.* Itaque Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt quid idem in natura divina, proindeque non distinguuntur ratione naturæ divinæ, sed non quid idem in personalitatibus divinis; & ideo, licet non distinguantur ratione naturæ divinæ, non sequitur quod ab invicem non distinguantur ratione proprietatum personalium.

*Inst.* Quando duo, vel plura identificantur uni tertio, quod singulare est, debent quoque identificari inter se sub omni respectu; atqui personæ divinæ identificantur uni tertio, quod singulare est, nempe naturæ divinæ; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si illud tertium pluribus non sit communicabile, *conc.* si sit communicabile, *nego maj.* Porro natura divina, licet singularis, communicatur Filio a Patre, & Spiritui Sancto a Patre & Filio; & ideo cum prædicatur de una persona, de ea non prædicatur adæquate, quasi totaliter ei, & non alteri personæ conveniat. Unde sicut non concludit hic Syllogismus: *Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus*; ita nec iste, *Pater est Deus, Filius est Deus, ergo Filius est Pater.* In utroque enim medius terminus non distribuitur.

## CONCLUSIO II.

*Spiritus Sanctus vera est persona per se subsistens.* Est de fide contra Socinianos.

*Prob.* 1. Quia actiones personam viventem, & per se subsistentem denotant, juxta illud effatum: *actiones sunt suppositorum*; atqui Scriptura sacra Spiritui Sancto proprias tribuit actiones, nempe, docere: „ (Joann. 14. v. 26.) Paraclitus autem Spiritus Sanctus . . . vos docebit omnia. *Venire, arguere, audire, loqui, accipere*, cum venerit ille arguet mundum de peccato . . . quæcumque audiet loquetur . . . de meo accipiet. (Joann. 16. v. 8. 13. & 14.) “ Ergo &c.

*Prob.* 2. Ex operationibus externis Patris & Filii, rite infertur Patrem & Filium duas esse personas distinctas & per se subsistentes; atqui Spiritus Sanctus eadem cum Patre & Filio operatur exterius; sic Matth. 28. baptismus conferendus præscribitur *in nomine*, id est, auctoritate, *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sic 1. *Joan.* 5. dicitur, *tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt Sociniani* 1. Ex actionibus quas Scriptura Spiritui Sancto tribuit, non potest inferri ipsum esse subsistentem personam; ergo.

*Prob. ant.* Scriptura sacra actiones tribuit iis rebus, quæ non sunt veræ personæ, sic Apost. (1. *Cor.* 13. *v.* 4.) de charitate ait: *Non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, &c.* Atqui charitas est donum Dei & accidens, non persona subsistens; ergo.

Resp. *dist. ant.* Scriptura sacra rebus, quæ non sunt personæ, tribuit actiones, quæ solis personis tribui solent, ut *velle, deliberare, audire*, &c. *nego ant.* Actiones quæ tum veris personis, tum rebus inanimatis tribui solent, *subdist.* ita ut virtus principalis agendi personis tribuatur, rebus vero inanimatis usu recepto tribuatur solummodo virtus

virtus agendi instrumentalis, *conc.* ita ut indifferenter rebus animatis & inanimatis tribuatur virtus agendi principalis, *nego ant.* Quando enim Scriptura de charitate dicit, *non æmulatur*, *non agit*, *quærit*, &c. charitas non sumitur in abstracto, sed in concreto, pro homine charitate instructo, qui est agens principalis, charitas vero medium agendi.

*Inst.* 1. Inter res quibus Scriptura tribuit actiones, non potest discerni quænam sint personæ subsistentes, vel quænam sint res inanimatæ; ergo &c.

Resp. *nego ant.* Res enim illæ sunt inanimatæ, quæ sæpissime a Scriptura ut mera accidentia designantur; illæ vero sunt personæ subsistentes, quæ ut tales a Scriptura constanter designantur, & quæ a suis donis distinguuntur; porro Spiritus Sanctus a Scriptura constanter designatur ut persona subsistens, Joann. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis;* 1. Cor. 6. *membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Ac a suis donis distinguitur, Rom. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* 1. Cor. 12. *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, &c.

*Inst.* 2. Actiones personales tribuuntur Spiritui Sancto per figuram prosopopejæ, qua res, quæ non est persona, inducitur loquens quasi esset persona; ergo ex illis actionibus non potest concludi quod sit vera persona subsistens.

Resp. *nego ant.* Quis enim, nisi cæcus sit, dicat hæc verba, Actor. 10. *dixit Spiritus ei* (Petrus): *Ecce viri tres quærunt te ... vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos*, de Spiritu Sancto dici figurate, cum pronomen, *ego*, apertissime demonstret personam quæ imperat & mittit.

*Prob. ant.* Quando Scriptura de Spiritu Sancto ait: *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, figurate loquitur, neque enim vera persona divina potest interpellare, gemitus fundere, &c. ergo.

Resp. *nego conseq.* Equidem eo loci Scriptura figurate de Spiritu Sancto loquitur, quatenus nos per suam gratiam facit gemere & orare sicut oportet: sed quis inde concludat Scripturam in omnibus aliis locis de Spiritu Sancto loqui figurate? idem certe præstaret ac qui diceret; cum Scriptura dicit Christum esse vitem, ostium, agnum, figurate loquitur; ergo semper de Christo figurate loquitur: an hoc ratiocinium ferrent vel ipsi Sociniani? ergo ex subjecta materia, ex antecedentibus & consequentibus, &c. æstimandum est an Scriptura figurate loquatur, vel non.

*Objicies* 2. Nomine Spiritus Sancti in hoc textu Matth. 28. *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, intelligitur Dei donum, nempe gratia sanctificans; ergo ex eo non potest inferri Spiritum Sanctum esse personam subsistentem.

Resp. *nego ant.* Nam, juxta textum, baptismus conferendus est *Nomine*, id est, auctoritate *Spiritus Sancti;* atqui absurdum plane est nomine & auctoritate alicujus doni & accidentis ministerium exercere; ergo, &c.

*Prob. ant.* In hoc textu Actor. 2. *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, per Spiritum Sanctum intelligitur gratia Dei; neque enim repleri quis potest persona divina; ergo, &c.

Resp. *nego conseq.* Non enim negamus, quin aliquando, raro tamen, nomine Spiritus Sancti intelligatur donum ejus; sed dicimus Scripturam sacram communiter nomine Spiritus Sancti intelligere personam divinam, quod vel ex subjecta materia, vel ex antecedentibus & consequentibus colligi debet; sicut in textu allato colligitur ex contextu, in quo manifeste distinguitur Spiritus Sanctus a suis donis, cum enim dictum est: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, statim additur: *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.*

## QUÆSTIO II.

### *De divinarum Personarum consubstantialitate.*

*Nota* 1. De Patris divinitate nullum unquam fuit dubium; verum Abbas Joachim docuit tres personas sola collectione unum Deum esse, sicut multi homines dicuntur unus populus, ac proinde negavit Patrem secundum se, & seorsim ab aliis personis Deum esse. Damnatus fuit in Concilio Lateranensi IV. sub Innocent. III. ubi definitum est, quod *una quædam summa res est ... quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres simul personæ, & sigillatim quælibet earumdem.* Cum itaque hic error fuerit extinctus statim atque fuit damnatus, non est quod in eo confutando immoremur.

*Nota* 2. Ariani, *sæculo IV.* negarunt Filium Dei esse verum Deum Patri consubstantialem, blasphemantes eum esse meram creaturam, ante omnia alia entia ex nihilo factam, per quam Deus, tanquam per instrumentum, omnia, quæ facta sunt, condidit. Hanc hæresim sæculo proxime elapso renovarunt Sociniani, eique addentes, docuerunt Verbum non prius extitisse, quam ex B. Virgine nasceretur.

*Nota* 3. Macedoniani, eodem sæculo, negarunt Spiritum Sanctum esse verum Deum, Patri consubstantialem, quibus etiam accesserunt Sociniani. Agendum ergo habemus de divinitate Filii & Spiritus Sancti, distinctis Articulis.

## ARTICULUS I.

### *De divinitate Verbi Divini.*

*Nota.* Licet controversia de Verbi divinitate sit distincta ab ea, quæ est de Christi divinitate, cum Nestoriani, qui Verbi divinitatem admittunt, negent Christum esse vere ac substantialiter Deum, quia moralem duntaxat, non vero physicam & hypostaticam agnoscunt Verbi divini cum humanitate unionem: tamen, utranque hic attingemus, tum propter sui connexionem, Christus enim nihil aliud est quam *Verbum caro factum:* tum maxime quia ex eo quod Christus sit substantialiter Deus, sequitur necessario Verbum esse substantialiter Deum; nec enim Christus potest esse substantialiter Deus, nisi illius humanitas substantialiter unita sit cum persona, quæ vere & substantialiter sit Deus; unde indiscriminatim *Verbi*, *Filii Dei*, & *Christi* vocibus utemur. Itaque sit:

CON-

## CONCLUSIO.

*Filius Dei, verus est Deus, Patrique consubstantialis*. Prop. est de fide, præcipuumque fidei & Christianæ religionis fundamentum.

*Prob. 1.* Ex præcipuis verbis Testamenti veteris.

1. *Textus* Isaiæ 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis ... & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi*. Et cap. 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos*. Atqui, fatentibus Arianis & Socinianis, hi textus intelliguntur de Christo Filio Dei; ergo est verus Deus.

*Nec obstat*, quod respondent Sociniani, verbum nempe, *vocabitur*, referri ad Patrem qui dedit Filium, non ad Filium qui datus est, quia, inquiunt, in Hebræo legitur, *vocabit*, non *vocabitur*.

Resp. Enim, *nego ant.* nam verbum, *vocabitur*, refertur ad Deum, qui venturus est ad salvandum nos. *Deus ipse veniet*, inquit Isaias, cap. 35. *& salvabit nos*; atqui Filius Dei veniet ad salvandum nos; ergo, &c. nec Socinianos juvat, quod verbum, *vocabitur*, in editione Hebraica reddatur per verbum, *vocabit*, ut illud reddidit Vatablus, quia tunc supplendus est nominativus, *quilibet*, ut docet illustrissimus Huetius (*Prop. 9. demonstrat. Evangelicæ*) & tunc eundem sensum reddit, ac *vocabitur*; deinde 70. Interpretes verterunt, *vocatur*, Symmachus, translatio ex Hæbreo S. Pagnini, habent, sicut Vulgata nostra, *vocabitur*, ex quo patet communem locutionem esse retinendam.

2. *Textus* Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Id est, ut interpretatur D. Matth. c. 1. *Nobiscum Deus*; ergo Christus est *Deus nobiscum*, in carne habitans.

3. *Textus* Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*. Quod quidem testimonium, est argumentum pro divinitate Christi adeo invictum, ut Judæi *Matth.* 22. nihil potuerint respondere Christo suam ex illo textu probanti divinitatem, namque particula hæc, *Dixit Dominus*, intelligitur de Deo Patre; & ista, *Domino meo*, de Deo Filio qui secundum naturam divinam solum, est Dominus Davidis, non secundum naturam humanam, quam ab ipso Davide recepit.

4. *Textus* eodem Psalmo, Deus Pater dicit Filio: *ex utero ante luciferum genui te*. Simplex explicatio hujus loci evidenter demonstrat divinitatem Verbi, *genui te*, id est, vera ac proprie dicta generatione produxi te, *ex utero*, id est, ex mea propria substantia, unde dicitur Filius Dei Psalm. 2. *Filius meus es tu* non adoptivus per gratiam, sed naturalis. *Cui enim Angelorum dixit aliquando*, ait Apost. (*Hebr.* 1. *v.* 4.) *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* & tandem dicitur genitus *ante luciferum*, id est, ab æterno, ut prænuntiavit Michæas, cap. 3. *egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Illa probatio est peremptoria. Alia infinita veteris testamenti loca cumulari possunt, sed quæ laudata sunt, sufficiunt.

*Prob. 2.* Ex præcipuis novi Testamenti locis.

1. *Textus* Joann. 1. dicitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt*, &c. hic Verbum clare & distincte appellatur *Deus*, & quidem ille Deus, *qui erat in principio*, id est, ab æterno; qui *erat apud Deum*, id est, a Deo genitus; *per quem omnia facta sunt*, id est, qui habuit supremam creandi potentiam; & tandem qui assumpsit naturam humanam, *& Verbum caro factum est*. Nihil, ut patet, validius contra Socinianos; tamen:

*Dicunt*: Ex his verbis, Genes. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*, non potest colligi æternitas cæli & terræ; ergo nec ex his: *In principio erat Verbum*, potest colligi æternitas Verbi.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Moyses non dicit absolute cælum & terram fuisse in principio, sed creata fuisse in principio; quod autem creatum est, æternum esse nequit: e contra Joannes non dixit Verbum in principio creatum fuisse, sed simpliciter & absolute fuisse apud Deum, & omnia quæ facta sunt, per ipsum facta fuisse. Præterea utitur termino, *erat*, qui, cum non importet tempus determinatum, denotat Verbum semper fuisse.

*Inst.* D. Joannes nomine, *Verbi*, non significat personam a Patre distinctam, sed attributum *sapientiæ*, quod est a Patre indistinctum; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam D. Joann. loquitur de illo Verbo, quod *caro factum est & habitavit in nobis*. Atqui illud Verbum sapientia est subsistens & personalis, quæ sola potest dicere quod ab æterno sit genita, Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, &c. hoc est, *genuit me*, quomodo Eva, *Genes.* 4. dixit, *possedi hominem*, id est, *genui*.

2. *Textus*. Matth. 14. cum Caiphas interrogasset Jesum, *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* respondit, *Ego sum*: perspicuum est autem Caipham, cæterosque Judæos intellexisse de Filio naturali, alias Caiphas non dixisset, *Audistis blasphemiam*; nec Judæi clamassent *reum esse mortis*. Nam Judæi dicebant etiam se esse Filios Dei adoptivos Jo: 8. *Unum Patrem habemus Deum*. Neque Christus de alio Filio Dei, quam de naturali est locutus, alioquin correxisset Judæorum opinionem, ut ipsis occasionem ruinæ auferret.

3. *Textus*. Christus *Joann.* 10. dixit: *Ego & Pater unum sumus*, id est, una natura divina. In hunc locum S. August. ait: *Quod dixit, unum, liberat te ab Ario; quod dixit, sumus, liberat te a Sabellio: si unum, ergo non diversum; si, sumus, ergo Pater & Filius*, duæ personæ divinæ; quod intelligentes Judæi, voluerunt illum lapidare propter blasphemiam, *quia*, inquiunt, *tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum*, nimirum natura & substantia, quam accusationem non diluit Christus, immo confirmavit, dicens: „ Quem Pater misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre "; per identitatem, scilicet, naturæ, & consubstantialitatem.

4. *Textus*. Joann. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Atqui Pater habet divinitatem; ergo, &c. unde D. August. (*L.* 1. *contra Maxim.* cap.

cap. 14.) dicit: *Nihil Pater minus habet ille, qui dicit:* omnia quæ habet Pater, mea sunt: *Æqualis est igitur.*

5. *Textus* 1. Joann. 5. dicitur: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis se ipsum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus & vita æterna.* Quid evidentius dicere potuit Joannes, ut demonstraret Christum esse Deum, quam dicere verum Deum esse? *ut enim* Joannes cap. 17. ait Athanas. (*In disput. cum Ario p.* 469.) *De Patre dixit:* hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, *ita hic de Filio dicit*, hic est Deus verus & vita æterna. Paritas est perfecta.

6. *Textus* Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Insignis est hic locus contra Socinianos: nam Christo duplex tribuitur forma, scilicet forma Dei, & forma servi, id est, hominis, quam accipiendo, semetipsum exinanivit; ergo sicut per formam servi verus est homo, ita per formam Dei verus est Deus, sed majestatem divinam voluit occultare, vilem formam servi induens velut habitum.

*Prob.* 3. Ex traditione Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum qui ante Concilium Nicænum floruerunt; alios enim nobis dimittunt Sociniani.

I. Sæculo, S. Ignatius, Epist. ad Antiochenos, ait: *Omnis igitur qui unum annuntiat Deum, in interemptione divinitatis Christi, Filius est diaboli, & inimicus omnis justitiæ.* Et Epist. ad Tarsenses, redarguens eos qui de Christo dicebant, *quoniam nudus homo est*, ait: *Qualiter autem nudus homo audiret*: sede a dextris meis: *qualiter autem & diceret*, priusquam Abraham fieret, ego sum; & clarifica me claritate quam habui, antequam mundus esset apud te?

S. Martialis, Petri comes, & primus Lemovicensis Episcopus, in 1. ad Burdigalenses Epistol. cap. 2. ait: „ Christus mori potuit, quia homo fuit, Filius Dei ante principium fuit: & quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem tertia die, de loco, ubi eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, &c. *Et cap.* 8. Crucem Domini, *inquit*, in quem credidistis Deum verum, & Filium, semper in mente, in ore & signo tenete ".

D. Dionysius Areogapita. (*L. de divinis nominibus, cap.* 2. §. 1.) ait: *Sacræ Scripturæ tradunt ipsummet Deum, se designando, dixisse: Quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi solus Deus.* Porro Deus, qui sic se designavit, est Deus Filius: *Etenim*, addit Div. Dionysius, *& Verbum ipsum, quod natura bonum est, ait*: Ego bonus sum. (*Matth.* 20. *v.* 15.) *& rursum illud*, Ego sum qui sum, *nisi de tota concedant Divinitate*, id est, Trinitate, (*Ita explicat S. Maximus in Scholiis, totam divinam essentiam, inquit, vocat Trinitatis deitatem, quæ in tribus personis agnoscitur*) *pronuntiatum, sed secundum unam duntaxat partem*, id est, unam Patris personam, *quomodo illud intelligent: Hæc dicit qui est, qui erat & qui venturus est, omnipotens?* Porro hoc Div. Joannes in Apoc. dixit de Filio incarnato. Idem Dionys. §. 10. ex S. Hierotheo, dixit: *Causa omnium & quæ omnia implet, est Jesu divinitas.*

II. Sæculo, S. Justinus, in Apologia 2. pro Christianis, de Christo dicit: „ Qui quod Verbum & Primogenitus Dei sit, Deus etiam est. *Et in expositione fidei de recta confessione*, Unus ergo revera est, *inquit*, universitatis hujus Deus qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto cognoscitur, cum namque ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, quæ unam eandemque participant essentiam, una eademque dignantur divinitate ".

Athenagoras, legatione pro Christianis: „ Quis igitur non miretur, *inquit*, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo vocari "?

S. Theophilus VI. Patriarcha Antiochenus. (*L.* 1. *Comment. in* 4. *Evangelia*) dicit: *Obtulerunt ei* (Christo) *Magi munera, Aurum ut Regi, Thus ut Deo, Myrrham ut homini ad sepulturam.* Et l. 2. ad Autholycum, ait: *Joannes ad hunc modum disserens*, In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, &c. „ Deus itaque existens sermo, & ex Deo genitus; quando vult Pater universorum, mittit eum sermonem ad aliquem locum ".

III. Sæculo, S. Gregor. Thaumaturgus in prima expositione fidei: „ Unus Deus, *inquit*, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis . . . perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti; unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo .... Filius verus veri Patris, invisibilis ejus qui est invisibilis .... & sempiternus sempiterni ".

S. Dionysius Alexandrinus, Epist. contra Paulum Samosatensem, ait: „ Unus est Christus qui est in Patre, coæternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis, & visibilis factus, Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante luciferum ".

Patres Synodi Antiochenæ, Epist. ad Paulum Samosatensem, dicunt: „ Hunc autem Filium unigenitum ... Verbum ac virtutem Dei ante sæcula, non præcognitione, sed substantia & hypostasi Deum cum in veteri & novo Testamento cognoverimus, confitemur, & prædicamus ".

IV. Sæculo, Eusebio Pamphilus, Cesareæ Episcopus, lib. 1. de fide, adversus Sabellium, quærit quis ille sit qui dicit, „ Hic est Filius meus dilectus? *respondet*: Utique Pater de Deo, qui videbatur ut homo. *Et lib.* 2. Gentiles non sumus, quia non dicimus deos. Judæi non sumus, quia Christum Deum confitemur ".

*Prob.* 4. Non solum ex Concilio Nicæno I. quod in Symbolo definiit, Filium esse: „ Deum de Deo, genitum non factum, consubstantialem Patri ", &c. sed etiam ex omnibus Conciliis Œcumenicis, quæ illud secuta sunt, in quibus Symbolum Nicænum fuit approbatum & confirmatum, & fides Nicæna recepta.

*Solvuntur Objectiones ex Scriptura.*

*Objicies* 1. Solus Pater est Deus; ergo Filius non est Deus.

*Prob.*

*Prob. ant.* Christus, Joann. 17. dicit Patri: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum*. Ergo solus Pater est Deus.

Resp. *dist. conseq.* Solus Pater est Deus, per exclusionem falsorum Deorum, *conc.* per exclusionem aliarum personarum divinarum, *nego*. Hæc solutio petitur ex regula a D. Aug. tradita (*l. 3. contra Maximin. cap. 13. & lib. 1. de Trinit. c. 6.*), nimirum, quando attributum absolutum uni personæ tanquam soli tribuitur, cum dicitur, *solus Deus, unus Deus, solus Pater* &c. non excluduntur aliæ personæ divinæ, sed solum res quæ sunt naturæ diversæ a natura divina: sicut quando dicitur, *Nemo novit Patrem, nisi Filius, non excluditur Pater, quia inseparabiles sunt*, ait D. August. *sic etiamsi dictum esset, soli sapienti Patri, simul intelligi deberet & Filius, quia inseparabiles sunt*.

*Inst.* 1. Filius est Deus figurate, sicut Moyses, de quo Deus, *Exodi 7.* dicit: *Constitui te Deum Pharaonis*. Ergo solus Pater est Deus per exclusionem Filii.

Resp. *nego ant.* Cum enim Scriptura de aliqua creatura dicit quod sit *Deus*, id non dicit simpliciter, sed cum addito, quomodo Moyses dicitur constitutus Deus Pharaonis; illa porro additio destruit rationem veri Dei, at de Filio divino dicit absolute & sine addito, quod sit Deus, *Hic est verus Deus & vita æterna*, ait D. Joann. Epist. 1. c. 5.

*Inst.* 2. Cum Judæi vellent lapidare Christum, quod se Dei Filium appellasset, respondit ipse, se non alio sensu Deum esse quam homines illi, qui in Scriptura vocantur dii, Joann. 10. „Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, *inquit*, quia ego dixi, dii estis? si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum"? Atqui illi sunt dii figurate, ergo &c.

Resp. *nego maj.* Christus enim argumentatur a minori ad majus sic: Si Judices propter auctoritatem quam a Deo acceperunt, & justi propter sanctitatem, participatam dumtaxat & creatam, dii appellantur, quanto magis Deus dici debet ille *quem Pater sanctificavit*, nimirum sanctitate increata & personali? atque ut illos inducat ad credendum suam divinitatem, addit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est & ego in Patre*. Propter identitatem naturæ & consubstantialitatem.

*Inst.* 3. Christus in hoc loco probat ex miraculis a se patratis, quod sit Filius Dei; atqui miracula non probant Filium Dei naturalem esse, qui ea operatur: nam Elias & alii Prophetæ patrarunt miracula, ex quibus colligi non potest ipsos fuisse filios Dei naturales & consubstantiales; ergo Christus hoc ratiocinio non concludit se esse Filium Dei naturalem.

Resp. *dist. maj.* Ex operibus & miraculis editis in confirmationem suæ doctrinæ, qua asserebat se esse Filium Dei unigenitum, & æqualem Patri, *conc.* qua asserebat se esse Filium Dei eo modo quo Elias & alii Prophetæ dicuntur filii Dei, *nego maj.* Itaque miracula, secundum se præcise spectata, non probant Deum esse, qui ea operatur: sed quando educuntur ad probandam divinitatem ejus qui loquitur, sunt signa indubitata illum esse Deum: nec enim miracula edi possunt in testimonium mendacii & falsitatis.

*Inst.* 4. Christus se negat Deum natura; dum *Luc.* 18. principi eum vocanti bonum, dicit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus*. Ergo.

Resp. *nego ant.* Immo se Deum ostendit Christus, nempe, excitat principem, a quo nondum cognoscebatur Deus, ad suam divinitatem cognoscendam, ac si diceret: tu me cognoscis bonum; ergo & Deum agnosce. *Recte me appellabis bonum*, inquit D. Aug. (*L. contra Maximin. cap. 23.*) *si me noveris Deum: nemo enim bonus, nisi solus Deus*.

*Inst.* 5. Ille non est Deus natura, qui a Deo creatus est; atqui sapientia, quæ eadem res est cum Verbo, fuit a Deo creata: *Ab initio & ante sæcula creata sum*, Eccl. 24. Ergo.

Resp. *dist. min.* Sapientia creata fuit, creatione improprie dicta, *conc.* proprie dicta, *nego min.* Creatio improprie dicta idem est cum simplici productione & generatione; creatio vero proprie dicta, est eductio rei ex nihilo: illa, non vero ista, convenit Dei sapientiæ, quæ de se ipsa dicit, *Ab æterno ordinata sum*, id est, ait D. August. lib. de Trinit. cap. 12. *ante omnia tempora & temporalia*; unde LXX. verterunt, *ante sæculum fundavit me*; id est, æterna sum.

*Objicies* 2. Ille, quo, tanquam instrumento, Deus usus est ad rerum omnium creationem, non est Deus; atqui Deus Verbo, tanquam instrumento, usus est ad rerum creationem, *Joann.* 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Ergo.

Resp. *nego min.* ad prob. *dist. textum:* Omnia per ipsum facta sunt, tanquam per causam exemplarem, *conc.* tanquam per causam instrumentalem, *nego*. Scilicet Pater per Verbum operatur, tanquam per ideam in qua omnium agendorum rationes continentur; illa porro idea est personalis & verus Deus, qui *quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Ideo in Scripturis particulæ, *ab*, *ex*, & *per*, idem significant; unde Apostol. Rom. 11. de Christo ait: *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*.

*Objicies* 3. Christus de se ipso loquens, Jo: 14. *Pater*, inquit, *major me est*. Ergo Filius est minor Patre, & consequenter non Deus natura, ut Pater.

Resp. *dist. conseq.* Filius est minor Patre, quatenus homo, *conc.* quatenus Deus, *nego conseq.* Cum itaque Christus natura divina & humana constet, ex attributis, quæ illi, quatenus homo, conveniunt, non debet colligi quod non sit Deus, juxta regulam a D. August. *lib. 1. de Trinit. cap. 11.* traditam.

Juxta hanc regulam, Div. Augustinus multa loca Scripturæ, quæ ab Arianis olim, & hodie a Socinianis objiciuntur, solvit dicens: *Secundum formam Dei æqualis est Patri & Filius & Spiritus San-*

*Sanctus, quia neuter eorum creatura est; secundum autem formam servi, minor est Patre, quia ipse dixit*, Pater major est .... *secundum formam Dei*, ipse & Pater unum sunt; *secundum formam servi*, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum ..... *secundum formam Dei*, ipse est verus Deus & vita æterna; *secundum formam servi*, factus est obediens usque ad mortem .... *secundum formam Dei*, omnia mea tua sunt & tua mea; *secundum formam servi*, doctrina mea, non est mea, sed ejus qui misit me .... *Quomodo mea, quomodo non mea? nisi secundum formam Dei suam, secundum formam servi non suam*, &c. Sic infinita loca solvit Div. Doctor.

*Objicies* 4. Verus Deus est omnipotens; atqui Christus non est omnipotens, Joann. 5. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem ... Non possum ego a me ipso facere quidquam*. Ergo.

Resp. *nego min.* Ad textum, *dist.* Non potest Filius a se facere quidquam, quia omnipotentia est ipsi a Patre per generationem communicata, *conc.* quia non habet æqualem potentiam cum Patre, *nego*. Nam *quæcumque Pater facit, hæc eadem facit similiter*. Ad quæ D. Aug. (*L. 2. de Trinit. cap.* 1.) tradens tertiam regulam ad explicandos Sacræ Scripturæ textus circa Trinitatem, ait: *Dixit similiter, ac per hoc inseparabilis & par est operatio Patri & Filio, sed a Patre est Filius, ideo* non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem ... *tenenda est hæc regula, qua non minor est Filius, sed quod de Patre sit, intimatur quibus verbis non inæqualitas, sed nativitas ejus ostenditur*. Quia ergo Filius naturam a Patre communicatam habet, ac proinde scientiam, potentiam, & alia attributa absoluta, de eo, etiam quatenus Deus est, recte dicit quod nihil sciat, nihil velit, nihil possit a se ipso, sed a Patre, de quo sicut habet esse, ita & operari.

*Inst.* Marci 13. Christus loquens de die judicii, ait: „ De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater ". Atqui particula exclusiva, *nisi Pater*, excludit quamlibet aliam personam, etiam personam Filii, a cognitione diei judicii; ergo.

Resp. *nego min.* Nam particula, *nisi*, excludit solum eos, qui eandem cum Patre non habent naturam, ut constat ex Matth. 11. *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem novit quis, nisi Filius*. Quis porro dicat Filium Dei se non cognoscere, cui D. Petrus dixit: *Domine, tu omnia nosti*? Quis cogitare audeat Deum Patrem se ipsum ignorare? Hoc ergo sensu Christus dicit se nescire diem judicii, quia illum non revelat, nec aperit nobis, ut docet Div. Aug. *lib.* 83. *quæstionum, q.* 60. dicens: „ Quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum est, quia facit Filium scire; & quod dictum est, nescire Filium, sic dictum est, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent ".

*Solvuntur Objectiones ex Patribus.*

*Objicies* 1. D. Ignatius, Epist. ad Tharsenses, de Filio dicit: *Non ipse est, qui super omnia Deus Pater, sed Filius ejus*. Ergo si non est super omnia Deus, non est verus Deus.

Resp. *dist. textum*. Filius non est super omnia Deus, eo quod non sit fons totius divinitatis sicut Pater, *conc.* eo quod non sit verus Deus, *nego*. Quod autem sic intelligi debeat S. Ignat., patet tum ex nostris probationibus; tum quia hic etiam probat quod Filius sit, *Deus, Verbum, & Filius unigenitus*, ex hoc textu, *In principio erat Verbum*.

*Objicies* 2. S. Justinus, dialogo cum Triphone, dicit 1. Deum Patrem esse Filio *causam ut sit*. Dicit 2. Filium *esse & dici Deum & Dominum alium præter factorem omnium ... supra quem alius Deus non est*. 3. Filium *administrum esse Dei*, universorum creatoris. 4. Christianos *in secundo loco habentes*, Filium Dei, *cum ratione venerari*. Atqui illa omnia pugnant contra Verbi divinitatem; ergo.

Resp. *nego min.* Licet enim S. Justinus (sicut & alii PP. Antenicæni) non adeo caute de Mysterio Trinitatis interdum locutus fuerit, eo quod nulli hæretici illud tunc impugnarent, nihil tamen scripsit contrarium huic mysterio, quod clare astruit in nostris probationibus; unde:

Resp. *ad* 1. Pater est causa Filio ut sit, causa improprie dicta, *conc.* proprie dicta, *nego*. Causa improprie dicta, est ea, a qua aliquid accipit suum esse, quoquo modo illud accipiat, sive cum dependentia, sive sine dependentia. Causa proprie dicta, est ea, a qua aliquid recipit suum esse cum dependentia. Primo, non secundo modo, Justinus causam sumpsit, ut astrueret Patrem esse principium Filii, seu Filium a Patre procedere, ut probaret contra Sabellianos, quos hic impugnat, Filium esse personam a Patre distinctam.

Resp. *ad* 2. Justinus docet Filium *esse Deum alium a Patre*, ratione personalitatis, *conc.* ratione naturæ, *nego*. Nam clare docet, quod tres SS. Trinitatis personæ, *una eademque dignentur divinitate*.

Resp. *ad* 3. Docet Filium administrum esse Deo, improprie, *conc.* proprie, *nego*. Ille est proprie minister, qui nec per se, nec proprio nomine agit; ille vero est minister improprie, qui non agit nisi ratione illius esse quod habet ab alio; hoc ergo improprio sensu Filius potest dici minister Patris; quod *quæcumque*, Pater, *fecerit, hæc & Filius similiter facit*, per virtutem a Patre acceptam in sui generatione.

Resp. *ad* 4. Docet Christianos *secundo loco Filium habere ac venerari*, ratione originis, quia est secunda persona, *conc.* ratione dignitatis & naturæ, *nego*. Nam apologia 2. assignat Filio eundem cultum, qui Patri exhibetur. *Filium*, inquit, *& Spiritum Sanctum colimus & adoramus cum ratione & veritate venerantes*.

*Objicies* 3. Athenagoras *in apologia* docet: Verbum non prodiisse a Patre, nisi in tempore cum voluit mundum condere; ergo.

Resp. *dist. ant.* Docet Verbum prodiisse in tempore exterius, *conc.* interius, *nego*. Verbum ergo prodiit in tempore exterius, scilicet per universum hoc ab ipso & per ipsum conditum; sed secundum se non prodiit in tempore, cum sit æternum, ait hic Athenagoras.

*Objicies* 4. D. Irenæus (*L. 3. adversus hæreses*, cap.

*cap.* 8.) in hæc Psalmi verba, *Ipse mandavit, & creata sunt*, ait: *Cui ergo præcipit? Verbo scilicet, per quod cœli firmati sunt*. Atqui præceptum inferioritatem & dependentiam arguit; ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Pater præcepit Verbo improprie, *conc.* proprie, *nego maj.* præcepit itaque improprie, hoc sensu, quod Pater voluit mundum fieri per Verbum, hoc est, voluntate Verbi a Patre accepta & utrique communi. Porro illud præceptum non arguit inferioritatem in Christo, *ipse* enim *Christus*, ait D. Irenæus lib. 4. cap. 11. *cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.*

*Objicies* 5. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *Strom.* dicit: *Beneficentissima est natura Filii, quæ soli omnipotenti propinquissima est*; ergo Filii natura distincta est a natura Patris.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Clemens hic *naturam* usurpat pro *persona* Filii, quæ ideo dicitur Patri *propinquissima*, nimirum ordine originis, quia prima procedit a Patre. Porro, quod naturam pro persona usurpet, constat, tum quia apud veteres vox *usia*, seu *natura*, sumebatur etiam pro persona; tum quia sibi contradiceret, dicit enim (*l. admonitionis ad gentes, cap.* 8.) *nihil odio habet Deus, sed neque Verbum, utrumque enim unum est, nempe Deus.*

*Inst.* Clemens, lib. 5. Strom. docet Verbum esse *sapientiam primo creatam*; ergo.

Resp. *nego cons.* Quia per verbum, *creatam*, intelligit *genitam*, est autem primogenita, quia prior est origine persona Spiritus Sancti.

*Objicies* 6. Origenes, lib. 8. contra Celsum, dicit: *non deesse quosdam, qui temere affirmant, quod Servator sit ille universorum Deus: nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater major me est.* Ergo non credidit Verbum esse verum Deum.

Resp. Licet dura sit doctrina Origenis, & tanquam Ariana a DD. Augustino, Hieronymo, & Epiphanio censurata, potest tamen rite exponi. Nam agit contra Noetianos, qui volebant Filium esse Deum Patrem, quem illius temporis scriptores his vocibus, *universorum Dominum*, significabant; unde ut eos refelleret, asseruit Verbum non esse illum *universorum Deum*, sumendo Deum pro persona Patris. Quod sic debeat intelligi Origenes, patet, quia eodem libro respondens Celso objicienti, immerito Ethnicos a Christianis accusari, quod plures deos colerent, cum & ipsi Christum pro Deo haberent a Patre distincto, ait: *nos unum Deum, Patrem & Filium colimus*, atque probat Patrem & Filium esse unum Deum ex his testibus: *Ego & Pater unum sumus. Pater in me est & ego in Patre.*

Id autem quod dixit, Filium, qua Deus est, esse minorem Patre, intelligendum est ratione originis, non ratione dignitatis aut naturæ, qua loquendi ratione usus est ipsemet D. Athanas. *orat.* 2. contra *Arianos*, dicens: „ Non dixit Filius, Patrem se meliorem esse, ne quis ipsum externum, alienumque a Patris natura existimaret: sed Pater, inquit, major me est, non quidem magnitudine aliqua, aut ætate, sed propter generationem ex ipso Patre. "

*Inst.* Origenes, *lib.* 1. *comment. in Job*, ait: „ Istam Trinitatis sectam & hæresim atque infidelitatem jam olim de longe designans diabolus, tria cornua misit ad Job deprædandum. " Ergo.

Resp. *nego* illum librum esse Origenis: illum enim supposititium probant Erasmus, qui in censura hujus operis, illud Maximino Ariano adjudicat, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus & Genebrardus, qui pro notis falsitatis affert, quod illud opus: „ Luciani martyris celebrat agonem, & omousii nomen & omousianorum sententiam commemorat ... constat autem & Lucianum .... post Origenem fuisse: ipsum omousii & omousianorum nomen longe post Origenis tempora enatum. "

*Objicies* 7. Tertullianus, *lib. contra Hermogenem cap.* 3. docet, Filium non esse Patri coæternum; ergo non credidit eum esse proprie Deum. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Tertull. ait: „ Et Pater Deus est, & judex Deus est; non tamen ideo Pater & judex semper quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec judex ante delictum; fuit autem tempus cum delictum & Filius non fuit, quod judicem & qui Patrem Dominum faceret. " Ergo Pater non fuit ab æterno Pater, nec Filius ab æterno Filius.

Resp. *dist. conseq.* Pater non fuit ab æterno Pater paternitate essentiali, nec Filius adoptivus, fuit ab æterno Filius, *conc.* Pater non fuit ab æterno Pater paternitate notionali, nec Filius naturalis, fuit ab æterno Filius, *nego conseq.* Negat itaque Tertull. Deum ab æterno fuisse Patrem paternitate essentiali, quæ respicit productionem creaturarum, estque tribus personis communis, non vero notionali paternitate, quæ est ad Filium, quem *lib. contra Praxeam cap.* 3. dicit æternum: *Sermo ergo in Patre semper sicut dicit*, Ego in Patre, & *apud Deum semper, sicut scriptum est*, & sermo erat apud Deum: & *nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia*, Ego & Pater unum sumus.

*Inst.* 1. L. contra Praxeam cap. 9. dicit: „ Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur: Pater major me est. " Ergo non est verus Deus.

Resp. *dist. ant.* Secundum imperfectum nostrum concipiendi modum, *conc.* realiter, *nego*. Sic enim loquitur Tertull. ut ostendat Filium esse a Patre per generationem, ut inde concludat contra Praxeam, eum a Patre distingui persona & hypostasi: addit enim, *alius est qui generat, alius qui generatur.*

*Inst.* 2. Eodem lib. dicit: *Deum Filium agnosco, secundum a Patre defendo.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Secundum ratione originis, *conc.* ratione dignitatis, quasi Filius non habeat eandem dignitatem cum Patre, *nego ant.* nam ibidem ait: *Ego & Pater unum sumus*, dictum esse, *ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Quid clarius?

*Objicies* 8. Conc. Antiochenum, quod congregatum fuit contra Paulum Samosatenum, *ann.* 265. definivit Filium non esse *omousion* Patri; ergo.

Resp. *dist. ant.* Definivit Filium non esse consubstantialem Patri, ad sensum Pauli Samosateni qui per hanc vocem intelligebat cum Sabellio Filium esse eandem personam cum Patre, *conc.* ad

sensum

sensum catholicum, quem probavit Conc. Nicæn. I. *nego ant.* Itaque *male omousion Samosatenus confessus est:* ait D. Hilar. lib. de synodis, *quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum esse Patrem & Filium prædicabat.*

*Inst.* Vox consubstantialis non reperitur in Scriptura; ergo non debuit usurpari a Conc. Nicæno.

Resp. *dist. ant.* Non reperitur quoad vocabulum, *conc.* quoad rem per illam significatam, *nego.* Nam vox, *consubstantialis*, quoad sensum continetur in hoc textu, *Ego & Pater unum sumus.* Itaque Concil. Nicænum, definiendo Filium esse consubstantialem Patri, dixit quidem nove, sed non dixit novum.

*Objic.* 9. Quando Filius Dei genitus est, vel erat, vel non erat: si erat, quare genitus est? si vero non erat, æternus non est; atqui si non est genitus, non est; si non est æternus, non est Deus; ergo.

Resp. Cum DD. Hilario & Augustin. Filius Dei erat quando genitus est, non quasi prius exstiterit quam gigneretur, sed quia semper gignit Pater, & semper nascitur Filius: terminus enim actionis æternæ, est æternus, est autem jam existens, sed existens vi generationis ipsius.

## ARTICULUS II.

### *De divinitate Spiritus Sancti.*

### CONCLUSIO.

*Spiritus Sanctus est verus Deus, Patri Filioque consubstantialis.* Est de fide contra Macedonianos & Socinianos.

*Prob.* 1. Ex Scripturæ locis, in quibus Spiritus Sanctus vocatur Deus.

2. Reg. 23. „ Spiritus Domini locutus est per me, sermo ejus per linguam meam; dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, dominator hominum. “ Ergo Spiritus Sanctus est Deus Israel dominator hominum; ergo verus Deus.

Act. 5. D. Petrus sic Ananiam alloquitur: „ Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? . . . . non es mentitus hominibus, sed Deo. “ Ubi Spiritus Sanctus dicitur simpliciter & absolute Deus, & opponitur creaturis; ex quo concludit S. Epiphan. hær. 74. „ Deus ergo de Deo est, & Deus Spiritus Sanctus, cui mentiti sunt: “ &c.

*Prob.* 2. Ex iis Scripturæ locis, in quibus Spiritui Sancto tribuuntur perfectiones & operationes, quæ soli Deo sunt propriæ.

Immensitas, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Omniscientia, 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, quem comprehendit.

Omnipotentia, *Ps.* 32. „ Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. “

Operatio miraculorum, Matth. 12. *In Spiritu Dei ejicio dæmones.*

Associatio cum Patre & Filio in omnibus operibus ad extra, Matth. 28. „ Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti “.

*Prob.* 3. Ex traditione Patrum: S. Justinus, Apologia secunda, ait: „ Filium & Spiritum Sanctum propheticum colimus & adoramus, & Deum solum adoramus “.

Clemens Alexand. *lib.* 1. *Pædagogi*, *cap.* 6. Sic loquitur: „ Unus quidem est universorum Pater: unus est etiam Verbum universorum; & Spiritus Sanctus unus, qui & ipse est ubique “.

Tertull. lib. adversus Praxeam, cap. 13. „ Duos deos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque “. Et lib. de pudicitia profitetur, Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Gregorius Thaumaturgus, 1. parte operum, in fidei confessione, dicit: „ Non igitur creatum quid ac servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid & adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis & invariabilis, eadem semper manet Trinitas “. Ex quo sic arguo: Spiritus Sanctus pertinet ad Trinitatem, in qua nihil creatum, nihil servum reperitur, non minus est æternus, quam Pater & Filius; est immutabilis & invariabilis; ergo verus Deus.

*Prob.* 4. Ex Conc. Constantinop. I. in quo hæc veritas contra Macedonium fuit definita, his verbis: „ Credimus Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem . . . . cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas “. Ergo est Patri & Filio consubstantialis. Porro hæc definitio confirmata est in subsequentibus Conciliis Œcumenicis.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Spiritus Sanctus est creatura: ergo.

*Prob. ant.* Joann. 1. dicitur: *Omnia per ipsum*, Verbum, *facta sunt;* ergo Spiritus Sanctus per Verbum factus est.

Resp. *dist. ant.* Omnia, quæ facta sunt, per Verbum facta sunt, *conc.* omnia quæ sunt, *nego.* Alioqui ipse Pater per Verbum esset factus, quod aperte falsum est. Unde D. Joann. addit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

*Inst.* 1. Ille non est Deus, quem Scripturæ testantur gemere, postulare, contristari, immo & extingui; atqui id de Spiritu Sancto testantur Scripturæ, Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ephes. 4. *Nolite contristari Spiritum Sanctum.* 1. Tessal. 5. *Spiritum nolite extinguere.* Ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Ille non est Deus, quem Scripturæ testantur gemere, postulare, &c. proprie, *conc.* metaphorice, *nego.* Porro Spiritui Sancto hæc competunt solum metaphorice & improprie.

1. Quidem, dicitur postulare pro nobis, & gemere, quia nos sua gratia movet ad postulandum, & coram Deo gemendum: *Interpellat pro Sanctis*, ait D. August. Epist. 105. *quia interpellare Sanctos facit.*

2. Dicitur contristari, quia producit effectus similes, quos producit homo ab aliis contristatus: nempe improbat quod male gerunt homines.

3. Dicitur extingui, non ratione sui, sed ratione gratiarum, quas in cordibus nostris diffundit, quas homo extinguit, vel non utendo, vel abutendo.

*Inst.* 2. Christus *Joann.* 16. de Spiritu Sancto dicit:

cit: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*; ergo non est Deus.

Resp. *dist. ant.* Quæcumque audiet, procedendo, loquetur, *conc.* discendo, *neg. ant.* Spiritus Sanctus per suam processionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem, quæ cum ipsa identificantur. *Audire, illi scire est*, inquit Div. Aug. tract. 99. in Joann. *scire vero esse: quia ergo non est a semetipso, sed ab alio a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia.*

*Inst.* 3. Amos 4. Spiritus Sanctus dicitur creatus, *firmat tonitru, & creat Spiritum.* Juxta LXX. Ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Quia Propheta per *Spiritum*, intelligit *ventum*, quare Vulgata habet, *formans montes, & creans ventum.*

*Objicies* 2. Dionysius Alexandrinus negavit divinitatem Spiritus Sancti; ergo, &c.

*Prob. ant.* Ex S. Basilio de Dionysio dicente: *Hunc* (Spiritum Sanctum) *ab adorandæ Deitatis consortio segregasse, & creatæ ac servili naturæ annumerasse fertur.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* D. enim Basilius non asserit se, id quod objicitur, legisse in operibus Dionysii, sed tantum de eo rumorem fuisse a quo se purgavit Dionysius in libro apologetico quem scripsit, qui amplius non extat, sed qui citatur a S. Athanasio; sed extat ipsius liber contra Paulum Samosatenum, in quo dicit: *Non impune feret is qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est; Spiritus autem est Deus.*

*Instant Sociniani.* D. Basilius in nullo suorum operum ausus est Spiritum Sanctum appellare Deum; ergo non credebat Spiritum Sanctum.

Resp. *nego ant.* Equidem fatendum est S. Doctorem prudenti œconomia aliquoties expressis verbis non dixisse Spiritum Sanctum esse Deum, ne hæretici inde occasionem sumerent Ecclesiam, cui præerat, invadendi & pervertendi; in quo eum laudat Gregor. Nazianz. *orat.* 20. sed tamen multis in locis eum distincte Deum dicit, v. g. lib. 5. adversus Eunomium: „ Quibus designatur in Scriptura, *inquit*, Pater & Filius esse Deus, eisdem designatur & Spiritus Sanctus Deus . . . . ex quo patet Trinitatem esse consubstantialem “.

*Objicies* 3. Ille non est Deus, qui nec ingenitus, nec genitus est, atqui talis est Spiritus Sanctus; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Nam inter genitum & ingenitum datur medium, nimirum, procedens alia via, quam per generationem, de qua processionis specie infra agemus.

*Objicies* 4. Qui mittitur, minor est eo, qui mittit; atqui Spiritus Sanctus mittitur a Patre & Filio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui mittitur cum imperio & dependentia, *conc.* qui mittitur sine imperio, & dependentia, ut accidit in missionibus divinis, de quibus infra, *nego maj.*

## CAPUT II.

### *De modo cognoscendi SS. Trinitatem.*

*Nota* 1. Hic quæritur, utrum mysterium SS. Trinitatis ratione naturali possit probari, sive supposita, sive non supposita illius revelatione.

*Nota* 2. Duobus modis aliquid probari posse. 1. *Positive*, per demonstrationem, vel *a priori*, vel *a posteriori*, desumptam. 2. *Negative*, solvendo argumenta, quæ veritatem aliquam impugnant.

*Certum est*, Mysterium SS. Trinitatis probari posse *negative*; nam illud probatur negative, quod non probatur impossibile; atqui mysterium Trinitatis non probatur impossibile; ergo, &c. *Prob. Min.* Aliquid non probatur impossibile, cum omnia solvuntur argumenta, quæ ejus oppugnant existentiam; atqui omnia argumenta, quæ oppugnant mysterium Trinitatis, solvi possunt, & jam a nobis soluta sunt cap. præcedenti; ergo, &c. Restat ergo resolvendum, utrum possit demonstrari positive; ideo sit

### CONCLUSIO I.

*Mysterium SS. Trinitatis, sive non supposita, sive supposita illius revelatione, nulla ratione naturali demonstrari potest.* Est certissima contra Raymundum Lullum.

*Prob.* 1. *ex Script.* Illud mysterium ratione naturali demonstrari non potest, quod sola revelatione cognoscitur: atqui mysterium Trinitatis sola revelatione cognoscitur, Matth. 11. „ Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: “ ergo.

Hinc S. Hilarius, lib. 1. de Trinit. ait: „ Non putet homo sua intelligentia generationis Sacramentum posse consequi “. Et S. Ambros. lib. 1. de fide c. 10. „ Impossibile est, *inquit*, generationis Verbi divini scire secretum, mens deficit, vox silet “. Porro illi Patres, & alii, loquuntur supposita fide illius mysterii.

*Prob.* 2. *ratione*. Omnis demonstratio fit a priori, vel a posteriori; atqui mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari nec a priori, nec a posteriori: ergo, &c. *Non a priori*, sive per causam, quia hoc mysterium nullam sui habet causam. *Non a posteriori*, sive per effectus ad extra, illi enim effectus sunt a Deo præcise ut est unus in natura, prodeunt enim a virtute creativa, quæ, cum sit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturæ, non distinctionem personarum; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Antiqui Philosophi gentiles non obscure locuti sunt de mysterio SS. Trinitatis; tales sunt Plato, Aristoteles, Trismegistus, qui dixit: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Ergo illud mysterium, etiam non supposita revelatione, potest naturali ratione demonstrari.

Resp. *transeat ant. nego conseq.* Nam si Philosophi gentiles aliquam de hoc mysterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipsis immediate factam, ut de Sybillis tradunt DD. August. (*L.* 18. *de Civit. Dei cap.* 23.) & Hieron. (*L.* 1. *contra Jovinianum*) vel ex lectione librorum Moysis & Prophetarum.

Dixi: *transeat ant.* Quia D. Thom. hic ad 1. docet paganos Philosophos nullam in Deo agnovisse pro-

productionem, & probat ex illo 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam . . . quam nemo principum hujus sæculi*, id est, Philosophorum, *cognovit.* Et certe Trismegistus, quando dixit: *Monas Monadem genuit, &c.* non ad generationem Filii, aut processionem Spiritus Sancti, illud referri debet, sed ad productionem mundi, quem Deus propter suum amorem produxit.

*Objicies* 2. Saltem supposita revelatione mysterii, potest naturaliter demonstrari; ergo, &c.

*Prob. ant.* variis demonstrationibus.

*Prima demonstratio:* De ratione boni infiniti est, ut se communicet modo infinito; atqui non potest infinito modo se communicare, nisi suam naturam communicet; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ut se communicet infinito modo sincathegorematico, qui, in eo consistit, quod ejus bonitas sui communicatione exhauriri nequeat, *conc.* cathegorematico, qui in eo consistit, quod ejus bonitas actu tota simul & adæquate sese communicet, *nego maj.* Non videtur enim possibilis terminus, qui divinæ naturæ sit particeps, cum Deus alter foret, a producente realiter distinctus, ab eoque dependens tanquam effectus a causa.

*Secunda demonstratio:* Omnis perfectio possibilis, Deo est tribuenda; atqui generare sibi simile, est maxima perfectio; ergo, &c. Hinc Deus, Isai. ult. dicit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?*

Resp. *dist. maj.* Omnis perfectio, quæ non involvit imperfectionem, *conc.* quæ imperfectionem involvit, *nego maj.* Porro gentilis dicet generationem magnam habere imperfectionem, tum generatim, tum in Deo. *Generatim*, quia spectat speciei conservationem, ac proinde supponit singula individua interitui esse obnoxia. *In Deo*, quia generatio tendere debet in terminum, non persona solum, sed etiam natura a generante distinctum, sicque necessarium foret, ut alius a generante daretur Deus. Ergo nemo generationem ab imperfectione, nisi per revelationem, vindicare potest . . . locum Isaiæ contemneret Ethnicus & si illum admitteret, non ratione, sed auctoritate solum consensum præberet.

*Tertia demonstratio.* Certissimum est. 1. Deum esse intelligentem & volentem. 2. Omne intelligens & volens terminum utriusque actionis producere. 3. Producens & productum distingui realiter. 4. Hunc duplicem terminum debere esse substantiam in Deo, qui nihil accidentale potest in se admittere. 5. Hos terminos naturam divinam & quidem individuam, participare, quia multiplex non potest esse natura divina, & quidquid in Deos est, necessario Deus est.

Resp. Hanc probationem non esse demonstrationem; nam mens humana, sibi relicta, cognoscere minime potest actionem intellectus & voluntatis in Deo esse productivam; qualis enim illius erit terminus? *an aliquod accidens*? at in Deo, utpote ente perfectissimo, nullum esse potest. *An substantia?* minime; alias, cum, juxta leges naturæ, omne productum & substantia distinguantur a producente, tot essent naturæ divinæ, quot personæ producentes & productæ; ergo essent plures dii, quod lumini naturali repugnat; ergo gentilis concludet potius Deum, intelligendo, & volendo, nullum producere terminum substantialem & personalem; immo ostendet talem terminum non esse necessarium, quia, fatentibus Theologis, Filius & Spiritus sanctus intelligunt & volunt, nec tamen producunt terminum.

## CONCLUSIO II.

*Supposita fide hujus mysterii, potest rationibus naturalibus probabile suaderi; & variis exemplis, licet imperfectis, illustrari.*

*Prob.* Illud mysterium potest probabile suaderi, cujus in rebus creatis variæ reperiuntur imagines imperfectæ, quæ illud aliquatenus adumbrant; atqui in rebus creatis variæ exstant imperfectæ imagines, quæ hoc mysterium aliquatenus adumbrant; ergo, &c.

*Prob. min.* Unico exemplo mentis humanæ, quæ, licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, scilicet intellectu, voluntate & memoria, quæ relative distinguuntur: „ Ecce ergo, inquit Div. Aug. (*L. 14. de Trin. cap. 8.*) mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, (nam illa similitudo est valde imperfecta, maximeque distat a distinctione reali personarum divinarum in unitate ejusdem naturæ) *sed jam imaginem Dei* ".

## CAPUT III.

### *De Processionibus divinis.*

*Nota.* Processio universim sumpta, est *origo*, seu *productio unius ab alio.* Alia est immanens & ad intra, alia transiens seu ad extra.

*Processio immanens* est ea, cujus terminus manet intra suum principium: sic intellectio est actio immanens, quia ejus terminus, nempe verbum mentis, extra mentem non exit.

*Processio transiens* est ea, cujus terminus extra suum principium exiit, ut, in humanis, Filius a Patre productus.

Processio immanens, alia est physica & tanquam a causa, alia metaphysica & tanquam a mero principio.

*Processio immanens physica* est ea, qua unum ab alio procedit actione quadam physica, quæ includit mutationem, dependentiam, & diversitatem naturæ in eo quod ab alio procedit: talis est nostra intellectio, a qua verbum mentale, quod est accidens, procedit.

*Processio immanens metaphysica* est ea, qua unum ab alio procedit tanquam a mero principio, seclusa omni imperfectione mutationis, dependentiæ, ac diversitatis naturæ, remanentibus solum istis duobus respectibus, *a quo alius*, & *qui ab alio*, inter principium, & id quod oritur a principio.

*Nota 2.* Præsens caput in sex quæstiones distribuemus: *Prima* erit de existentia & numero processionum divinarum. *Secunda*, de earumdem principiis. *Tertia*, de discrimine processionis Filii a processione Spiritus Sancti. *Quarta*, de ratione hujus discriminis. *Quinta*, de cognitione ex qua procedit Filius. *Sexta*, de personis ex quibus prodit Spiritus Sanctus.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

*De existentia & numero divinarum processionum.*

### CONCLUSIO I.

*Datur in Deo vera processio metaphysica.* Est de fide.

*Prob.* 1. *Ex Scriptura:* processio est origo unius ab alio tanquam a principio; atqui in divinis admitti debet talis origo; dicit enim Christus de seipso (*Joann.* 8. *v.* 42.) *Ego ex Deo processi.* Et de Spiritu Sancto, *mittam vobis Spiritum veritatis qui a Patre procedit*, Joann. 15. ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex traditione Patrum dicentium cum Div. Joann. Damasc. ( *Lib.* 1. *fidei orthod xæ*, *cap.* 8. ) „ Nefas est dicere Deum naturali fœcunditate caruisse; fœcunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, id est, ex propria substantia, prolem naturæ similem sui edat ".

Hinc Concil. Nicænum I. definivit Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine, &c.* & Constantinop. I. definivit *Spiritum Sanctum ex Patre procedere.* Quæ veritas confirmata fuit in posterioribus Conciliis œcumenicis, in quibus particula *Filioque* addita fuit Symbolo Constantinopolitano.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Primum principium non potest produci ab alia persona; atqui Filius & Spiritus Sanctus sunt primum principium; ergo.

Resp. *dist. maj.* Primum principium ad intra non potest produci, *conc.* primum principium ad extra, *nego maj.* Porro Filius & Spiritus Sanctus sunt primum principium ad extra, seu omnium creaturarum; illud autem primum principium ad extra excludit quidem principium a quo pendeat tanquam effectus a causa; sed non excludit principium prius, a quo procedat.

*Inst.* 1. Atqui primum principium ad extra debet excludere principium ad intra; ergo.

*Prob. subd.* Primum principium ad extra, debet excludere omnem ab alio dependentiam; sed qui habet principium a quo procedit, non excludit omnem ab alio dependentiam; pendet enim a suo principio; ergo.

Resp. *dist. min.* Qui habet principium a quo procedit, in tempore & libere, *conc.* a quo procedit ab æterno & necessario, *nego min.* Porro una persona divina non procedit ab alia in tempore, sed ab æterno; non procedit libere, sed necessario, quatenus Pater intelligendo, non potest non producere Verbum, & Pater & Filius sese amando, non possunt non producere Spiritum Sanctum.

*Inst.* 2. Persona producens, est prior persona producta: ergo hæc ab illa pendet.

Resp. *dist. ant.* Est prior prioritate originis, *conc.* prioritate temporis & naturæ, *nego ant.* Itaque in divinis Pater non est Filio prior tempore, quia Filius est Patri coæternus, nec est prior natura, quia Filius non habet naturam a Patre productam, sed eandem numericam habet cum Patre, sibi necessario communicatam, restat ergo, ut sit tantum prior origine, quatenus Filium realiter producit; quæ prioritas in sua notione nullam importat imperfectionem.

*Inst.* 3. Quod transit a non esse ad esse, est suo principio posterius tempore: atqui quod producitur, transit a non esse ad esse; nam productus terminatur ad existentiam rei; ergo.

Resp. *dist. min.* Quod producitur in tempore, *conc.* quod producitur ab æterno, *nego min.* Quod enim sic producitur, ab æterno habet esse; ergo non transit a non esse ad esse.

*Inst.* 4. Quod existit, frustra producitur; ergo quod producitur, transit a non esse ad esse.

Resp. *dist. ant.* Quod existit, frustra producitur si existat antequam producatur, *conc.* si existat dum producitur, *nego ant.* Porro Filius Dei v. g. & est cum producitur, & producitur cum est; producitur enim ab æterno, in æternitate autem nec est prius, nec posterius.

*Objicies* 2. Si sit in Deo processio, erit in Deo mutatio interna; Pater quippe transibit a statu non producentis, ad statum producentis; falsum consequens; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Nam, sicut ait D. Aug. *semper gignit Pater, & semper nascitur Filius;* ergo producit Pater, & producitur Filius absque ulla sui mutatione.

### CONCLUSIO II.

*Duæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores.* Est de fide.

*Prob.* 1. Tot sunt in Deo processiones, quot sunt personæ procedentes; atqui fide constat duas tantum esse personas procedentes, Filium, scilicet, & Spiritum Sanctum. Pater enim a nullo procedit, quare dicitur ingenitus, principium sine principio, origo & fons totius divinitatis: ergo.

*Prob.* 2. Tot sunt processiones, nec plures, nec pauciores, quot sunt in Deo modi operandi ad intra: quilibet enim modus operandi ad intra exhauritur productione unius personæ infinitæ; atqui in Deo sunt tantum duo modi operandi ad intra, unus per intellectum, quo producitur Verbum divinum; & alter per voluntatem, quo producitur Spiritus Sanctus; ergo in Deo duæ tantum sunt processiones, nec plures, nec pauciores.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Unica est in Deo processio; ergo.

*Prob. ant.* Quod infinitum est, unicum esse oportet; atqui processio in Deo est infinita; ergo.

Resp. *dist. maj.* Unicum esse oportet, in suo genere, *conc.* in omni genere, *nego maj.* Sic processio per intellectum, est infinita in genere intellectionis, & sic unicum est Verbum; similiter processio per voluntatem, est infinita in genere volitionis, & sic est unicus Spiritus Sanctus; sed nulla in Deo est processio infinita in omni genere intellectionis & volitionis simul, proindeque processio per intellectum non excludit processionem per voluntatem.

*Inst.* 1. Prima processio totam naturam divinam communicat; ergo excludit alteram processionem.

Resp. *dist. ant.* Totam naturam communicat, sed

sed non omni modo quo communicari potest, *conc.* totam naturam communicat, & omni modo quo communicari potest, *nego ant.* natura enim jam communicata Filio per intellectum, communicatur Spiritui Sancto per voluntatem.

*Inst.* 2. Intellectus & voluntas in Deo non distinguuntur; ergo natura communicata per intellectum, communicatur omni modo quo communicari potest.

Resp. *dist. ant.* Non distinguuntur realiter, *conc.* virtualiter, *nego ant.* Porro distinctio virtualis sufficit ad varios & diversos realiter effectus producendos: sic justitia & misericordia, licet distinguantur tantum virtualiter in Deo, effectus tamen realiter distinctos producunt, pœnas nempe & gratias.

*Objicies* 2. Sunt plus quam duæ processiones in Deo; ergo.

*Prob. ant.* Filius potest producere alium Filium, & Spiritus Sanctus alium Spiritum Sanctum; ergo.

*Prob. ant.* Filius & Spiritus Sanctus eundem intellectum, eandemque cum Patre recipiunt voluntatem; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Eundem intellectum, eandemque recipiunt voluntatem, essentialem, *concedo*; notionalem, *nego ant.* Intellectus & voluntas essentiales, sunt intelligendi & volendi facultates quæ sic præcise sunt infœcundæ. Intellectus & voluntas notionales, sunt intelligendi & volendi facultates quatenus habent adjunctas relationes paternitatis & spirationis activæ, quæ, ut sic, sunt fœcundæ: porro Filius non recipit a Patre intellectum notionalem, nec Spiritus Sanctus recipit a Patre & Filio voluntatem notionalem, quia hæ sunt exhaustæ per eorum productionem.

*Inst.* 1. Licet virtus spirandi in Patre sit exhausta per processionem Spiritus Sancti, nihilominus tamen communicatur Filio, qui simul cum Patre producit Spiritum Sanctum; ergo licet vis intelligendi sit exhausta per generationem Filii, nihilominus potest alium generare Filium.

Resp. *nego ant.* Quod supponit falsum; nempe Patrem prius spirare, quam generare Filium quod est falsum: nam instanti originis priori producit Filium, quam producat S. Sanctum; & ideo Filius per sui productionem recipit voluntatem fœcundam, quæ in illo originis priori nondum est, secundum nostrum concipiendi modum, exhausta; at vis intelligendi est omnino exhausta per productionem Filii; ergo, cum sit infinitus, alius Filius omnino est impossibilis.

*Inst.* 2. Deus sine fœcunditate esset imperfectus; ergo si Filius & Spiritus Sanctus sint infœcundi, erunt imperfecti.

Resp. *dist. conseq.* Erunt imperfecti, si sint infœcundi ex aliqua naturæ potentia, *conc.* ex summa eorum perfectione, *nego conseq.* Quod ergo Filius intelligendo, alium Filium non producat, provenit ex infinita naturæ divinæ perfectione, cujus tota in intelligendo fœcunditas unius Filii productione exhauritur, sicut tota Patris & Filii fœcunditas in volendo, unius Spiritus Sancti productione.

*Inst.* 3. Omnipotentia & bonitas in Deo sunt principia productiva; ergo sunt plures, quam duæ, processiones.

Resp. *dist. ant.* Sunt principia productiva ad extra, *conc.* ad intra, *nego ant.* Porro hic agimus duntaxat de productionibus ad intra, seu immanentibus.

Quæres: *Quænam sunt divinarum processionum proprietates?*

Resp. Quinque numerantur, namque:

1. Sunt *immanentes*, quia earum termini in suis principiis manent, *Pater in me est, & ego in Patre*, ait Christus, Jo: 10.

2. *Æternæ*, quia Pater, ab æterno se cognoscendo, producit Verbum; & Pater & Filius, ab æterno sese amando producunt Spiritum Sanctum.

3. *Substantiales*, quia eorum termini sunt personales ac subsistentes, cum in Deo nihil accidentale esse possit.

4. *Necessariæ*, quia Pater necessario se cognoscit, item Pater & Filius necessario se amant; sed Pater, se cognoscendo, producit Filium; Pater & Filius, se amando, producunt Spiritum Sanctum; ergo necessario Pater producit Filium, & Pater cum Filio producunt Spiritum Sanctnm.

5. Sunt *Metaphysicæ*, quia non sunt tanquam a causa proprie dicta, sed tanquam a mero principio, importantque solum in suo conceptu originem unius personæ ab alia, absque ullâ imperfectione mutationis, dependentiæ, & diversitatis naturæ.

## QUÆSTIO II.

*De principiis divinarum processionum.*

*Nota.* In omni productione triplex principium reperitur, nempe principium *quod*, & *quo* tum remotum, tum proximum.

Principium *quod*, est persona agens: unde effatum, *actiones sunt suppositorum*.

Principium *quo remotum*, est id per quod persona *mediate* tantum operatur.

Principium *quo proximum*, est illud per quod persona *immediate* operatur. Circa quæ.

1. Certum est, principium *quod* divinarum processionum esse personam Patris respectu Filii, & persona Patris & Filii respectu Spiritus sancti.

2. Omnes fatentur, principium *quo remotum* divinarum processionum esse naturam divinam, in qua virtus processionum remote continetur: siquidem id quod proxime continetur in potentiis alicujus naturæ, remote continetur in ipsa natura; atqui, ex dicendis, virtus divinarum processionum proxime continetur in potentiis divinis, intellectu nimirum & voluntate: ergo.... Tota ergo difficultas est de principio *quo proximo*, circa quod triplex est opinio.

1. Est Durandi, docentis principium *quo proximum* processionum, esse essentiam divinam, quæ, inquit, habet fœcunditatem præcise ex sua infinitate, & non ex hoc quod est intelligens & volens.

Verum hanc opinionem, ut temerariam, impugnant cæteri Theologi; tum quia huic recepto in scholis effato, ac in Concil. Lateran. sub Innocentio III. confirmato, repugnat, *essentia nec producit, nec producitur: nec generat, nec generatur.* Tum quia in illa sententia explicari non possunt: 1. Cur processio Filii sit prior origine, processio Spiritus Sancti posterior. 2. Cur illa sit generatio, hæc non item, utraque enim æque immedia-

diate ab essentia fluit, juxta Durandum. 3. Cur Filius sit imago Patris, non Spiritus Sanctus. 4. Cur non plures quam duæ processiones, cur non una tantum processio. Namque si processiones illæ immediate ab essentia dimanant, quatenus propter suam infinitatem est fœcunda, vel una processione infinita exhauritur, vel infinitis numero processionibus opus est, ut ejus fœcunditas exhauriatur.

2. *Opinio* est eorum, qui solas relationes originis signant pro principio *quo proximo* divinarum processionum.

Verum hæc opinio communiter rejicitur, quia principia processionum debent esse operativa; atqui solæ relationes non sunt operativæ, cum supponant terminum operationis: relatio enim, ex logicis, exurgit ex fundamento & termino.

3. *Opinio* est communis aliorum, qui pro principio *quo proximo* processionum divinarum, assignant intellectum & voluntatem notionales, qui intellectui & voluntati essentialibus superaddunt connotationem relationum paternitatis & spirationis activæ; unde producere Verbum, est intelligere cum relatione paternitatis; & producere Spiritum Sanctum, est velle cum relatione spirationis activæ.

## CONCLUSIO.

„ Principium, *proximum quo*, processionum divinarum est intellectus & voluntas, prout connotant relationes paternitatis & spirationis activæ. " Est probabilior.

*Prob.* 1. *pars*. Illa sententia est probabilior, quæ magis accedere videtur ad mentem, & loquendi modum tum Scripturæ, tum SS. Patrum; atqui talis est nostra sententia; ergo, &c.

*Prob. min.* Eccl. 24. Sapientia de se ipsa dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi*; atqui os Patris, est intellectus quo loquitur; ergo, &c. Præterea Filius dicitur Verbum, Joann. 1. *In principio erat Verbum*. Atqui Verbum pro immediato principio habet vim intellectivam; ergo, &c. unde D. Basil. *Homil.* 16. *in Joann.* quærens *cur*, Filius, *appellatur Verbum ac sapientia*? respondet, *quoniam ex intellectu immediate, atque indivisibiliter est*. Et S. Fulg. (*L.* 3. *ad Monimum*, *cap.* 7.) ait: *Cum mens cogitat, & cogitando Verbum intra se generat, de sua substantia generat Verbum*. Ergo.

Quod si Filius per intellectum immediate procedat, Spiritus Sanctus per voluntatem immediate procedit, unde in Scriptura vocatur charitas, Rom. 15. *Obsecro ergo vos, fratres . . . per charitatem Sancti Spiritus*. Charitas autem ad voluntatem pertinet.

*Prob.* 2. *pars*. Quia intellectus & voluntas, separata relatione, non sunt principia *quo proxima* processionum: alias sicut Pater generat, sic & Filius generaret, quia Filius intelligit sicut Pater; ergo postulant adjunctam relationem, a qua distinguuntur tanquam includens ab incluso.

*Confirmatur*. Quia in nostra sententia, horum omnium probabilis redditur ratio: 1. *Cur processio Filii sit prior origine*? quia nimirum actus voluntatis actum intellectus supponit, cum nihil sit volitum, quin prius cognitum. 2. *Cur Filii processio sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti*? quia intellectus simile producit, non autem voluntas. 3. *Cur Filius sit imago Patris, non autem Spiritus Sanctus*? quia terminus intellectus, repræsentativus est sui principii, non vero terminus voluntatis. 4. *Cur non plures, quam duæ processiones, cur non una tantum processio*? quod duæ sint potentiæ operativæ, scilicet intellectus & voluntas, non plures, nec pauciores.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. SS. Patres dicunt cum D. August. (*L.* 15. *Trinit. cap.* 20.) *Verbum esse Filium natura*. Ergo natura divina est principium proximum quo processionum.

Resp. *dist. ant.* SS. Patres, dicunt Verbum esse Filium natura, & per nomen *naturæ* significant modum generationis, *conc.* principium generationis, *nego ant.* hoc enim termino usi sunt Patres, ut demonstrarent, adversus Arianos, processionem Filii non esse liberam, sed naturalem & necessariam, non proinde Verbum esse Filium adoptivum, sed naturalem.

*Inst.* 1. Id, in quo genitum assimilatur generanti, est principium generationis; atqui natura est id, in quo genitum assimilatur generanti; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Est principium radicale & remotum, *conc.* proximum & immediatum, *nego*: natura enim non per se immediate, sed per potentias producit, sic vivens producit per potentiam generativam, a qua, vel ratione, vel etiam re, distinguitur.

*Inst.* 2. Naturæ divinæ convenit ex sua infinitate quod sit fœcunda & communicabilis pluribus personis; ergo ipsa immediatum est communicationis sui, ac proinde processionum principium.

Resp. *dist. ant.* Naturæ divinæ convenit, quod sit fœcunda, mediantibus intellectu & voluntate, tanquam necessariis potentiis, aut quasi potentiis, *conc.* sine ordine ad intellectum & voluntatem, *nego ant.* nam sic non posset reddi ratio, cur natura sit hujus, aut illius generis; processiones, cur sint tot numero, non plures processiones.

*Inst.* 3. Homo non est fœcundus per intellectionem & volitionem; ergo nec Deus.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod intellectio & volitio humanæ, sunt imperfectæ, adeoque solum accidens habent pro termino: e contra intellectio & volitio divinæ sunt perfectissimæ, quæ, sicut ipsæ sunt substantiæ, ita nec possunt terminos, nisi substantiales, producere.

*Inst.* 4. Intelligere & velle communia sunt omnibus personis; ergo vel omnes personæ producunt, quod falsum est, vel intellectio & volitio non sunt principia *quo proxima* processionum.

Resp. *dist. ant.* Intelligere & velle communia sunt omnibus personis, si sumantur essentialiter & sine relatione, *conc.* si sumantur notionaliter & cum relatione, *nego ant.* Itaque omnis potentia cognoscitiva & appetitiva aliud objectum habet, alium terminum, v. g. intellectus habet pro objecto rem intelligibilem, & pro termino verbum mentis: quatenus est in Patre, Filio & Spiritu Sancto, attingit omne intelligibile, sed non attingit terminum nisi in Patre, in quo solo relationem paternitatis habet adjunctam, per quam

fit ut Pater producat; hinc est quod in Filio & Spiritu Sancto solum *intellectio*, in Patre etiam *dictio* nominetur.

*Objicies* 2. Sola relatio est in Deo principium *quo proximum processionis*; ergo &c.

*Prob. ant.* Ex SS. Patribus, qui docent Patrem hypostasi generare Filium; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Pater generat Filium hypostasi, tanquam per principium quod, *conc.* tanquam per principium quo, *nego ant.*

*Inst.* 1. Illud est principium *quo proximum* generationis in Patre, a quo Pater habet ut possit proxime generare; atqui id habet a sola paternitatis relatione; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Ab eo Pater habet ut possit proxime generare, quod non est cæteris personis commune; atqui sola relatio paternitatis in Patre, non est cæteris personis communis; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Nam intellectus notionalis, quatenus adjunctam habet relationem originis, est Patri singularis. Porro intellectus non generat, nisi quatenus notionalis est, & modificatur relatione originis, nempe paternitate.

*Inst.* 2. Quod dat esse, dat quoque operari; atqui relatio dat esse, quippe paternitas constituit Patrem in ratione Patris; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quod dat esse specificum, *conc.* individuale, *nego maj.* Porro relatio paternitatis dat esse tantum individuale, id est, talem numero personam constituit.

## QUÆSTIO III.

*De discrimine processionis Filii a processione Spiritus Sancti.*

*Nota.* Generatio definitur: *Origo viventis a vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ vi processionis formaliter.*

Dicitur 1. *Origo*, quæ particula tenet locum generis, convenit enim omnibus productionibus.

Dicitur 2. *Viventis a vivente*, id est, geniti viventis a generante vitaliter agente: hujus conditionis defectu productio Evæ ex Adami costa, non fuit vera generatio, quippe Adamus non vitaliter, sed mere passive se habuit in illa productione.

Dicitur 3. *Principio conjuncto*: quia generans & genitus substantialiter conjunguntur, quatenus substantia Patris fit substantia Filii; vel tota, uti in generatione divina; vel pars illius, ut in generatione creata, in qua semen a patris substantia decisum, est pars substantiæ genitori genitoque communis.

Dicitur 4. *In similitudinem naturæ*: quia finis generationis est, ut generans producat similem in natura, vel numerica, ut in Deo, vel saltem specifica, ut in creatis; unde Filius *imago Patris* dicitur; defectu hujus conditionis nec pili, nec ungues, sunt filii.

Dicitur 5. *Vi processionis formaliter*: id est, ex modo suæ productionis; qui debet esse modus assimilationis, ita ut in eo reperiatur ratio, cur id quod procedit, sit simile principio, a quo procedit; per hanc conditionem excluditur a generatione processio Spiritus Sancti.

## CONCLUSIO.

*Inter processiones divinas hoc discrimen est, quod processio Verbi sit vera generatio, & talis non sit processio Spiritus Sancti.* Est de fide.

*Prob.* 1. *pars.* Illius processio est vera ac proprie dicta generatio, qui in Scripturis dicitur Filius genitus a Deo Patre, & cui convenit vera generationis ratio; atqui Verbum divinum dicitur Filius a Patre genitus, Ps. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Processioni Verbi convenit vera generationis ratio: namque:

1. Est origo viventis a vivente, Joann. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic & dedit Filio habere vitam in semetipso.* 2. Est a principio conjuncto, non quidem per partitionem sui esse, ut fit in creaturis, sed per totius naturæ communicationem .... 3. Est in similitudinem naturæ, & quidem vi processionis formaliter, quia procedit per intellectum, qui tendit in Verbum, seu speciem expressam, quæ est objecti repræsentatio, accidentalis in creatis, sed substantialis in Deo.

*Prob.* 2. *pars.* Ex Scriptura, qua docemur unicum esse in Trinitate Filium, Joann. 1. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et c. 4. *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* Eandem veritatem definiunt omnia Symbola, Apostolicum, *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum:* Nicænum I. *In Filium Dei unigenitum:* Athanasianum, *Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

*Dices:* Hebr. 1. Verbum dicitur, *Filius primogenitus*; ergo Spiritus Sanctus est alter Filius.

Resp. *dist. ant.* Est primogenitus negative, quod nullum priorem se habeat, qui filius sit, *conc.* positive, quod alter post ipsum fuerit genitus, *nego ant.* Sic de B. Virgine, Luc. 2. dicitur, *Peperit Filium suum primogenitum*, quo scilicet nullum priorem habuit, quamvis nec posteriorem.

*Inst.* Salomon, *Prov.* 4. de se ipso dicit: *Ego filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre mea.* Atqui tamen tres habuit fratres; ergo ex nomine *unigeniti* non potest concludi, quod Spiritus Sanctus non sit genitus.

Resp. *dist. ant.* Salomon dicitur unigenitus, quia unice dilectus a matre, *conc.* quia solus genitus, *nego ant.* Unde Vulgata non dicit, unigenitus matris, sed *coram matre*, & LXX. vertunt, *dilectus in facie matris suæ.* Sanctus Pagninus & Vatablus, *unicus inter filios matris meæ.*

## QUÆSTIO IV.

*De ratione discriminis processionis Filii a processione Spiritus Sancti.*

*Nota.* Sancti Patres monent evidentem rationem reddi non posse, cur Filii a Patre processio dicatur generatio, potius quam Spiritus Sancti a Patre & Filio processio. *Quid inter nasci & procedere intersit*, inquit D. Augustinus (*Lib.* 5. *contra Maximinum, cap.* 15.), *de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? . . . di-*

*stinguere inter illam generationem & hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio*. Tamen iidem Patres contra Macedonianos agentes, conati sunt aliquam rationem reddere, quæ verisimilitudine niteretur, quorum vestigiis inhærentes Theologi, varias hujusce discriminis rationes proferunt, præcipuas expendemus & verosimiliorem probabimus.

*Prima ratio*, eorum est, qui dicunt Filium esse genitum, quia naturam fœcundam a Patre accipit, per quam est perfecte similis Patri; e contra Spiritus Sanctus accipit naturam omnino sterilem.

Verum hæc ratio non satisfacit. *Primo*, quia non est de essentia Filii, ut Filii, quod sibi similes producat; alioquin Filius divinus alium Filium posset producere, istud siquidem potest Filius creatus. *Secundo*, quia ex illa opinione sequeretur Spiritum sanctum non esse tam perfecte Patri in natura similem, ac ei similis est Filius; immo & ipsummet Verbum esset dissimile Patri in natura; nam, juxta hanc opinionem, similitudo in natura exigit, ut non solum essentia communicetur, sed etiam idem modus fœcunditatis; atqui Filius non accipit a Patre naturam eo modo fœcundam, quo Patris natura fœcunda est; Pater enim fœcundus est ad generandum & spirandum, Filius ad spirandum tantum; ergo &c.

*Secunda ratio* est eorum, qui dicunt Verbum esse genitum, quia procedit a Patre per intellectionem actualem, quæ est ultima differentia naturæ divinæ, quamque vi processionis suæ primario recipit; non vero Spiritus Sanctus.

Verum inefficax est illa ratio; quia, ut supra probavimus, intellectio actualis non est ultima naturæ divinæ differentia.

*Tertia ratio* est eorum qui dicunt Verbum ideo esse genitum, quia procedit secundum naturam; e contra Spiritum Sanctum non esse genitum, quia procedit secundum voluntatem.

Verum, nec ista ratio satisfacit, quia procedere secundum naturam, vel idem est ac procedere necessario, & non libere; vel idem est ac procedere ex naturæ divinæ fœcunditate; atqui hoc utrumque tam competit Spiritui Sancto, quam Filio; ergo, &c. His opinionibus rejectis sit

## CONCLUSIO.

*Verosimilis ratio, cur Verbum dicatur & sit genitum potius quam Spiritus Sanctus, est, quia Verbum procedit per intellectum, qui, præcise quatenus est intellectus perfectissimus, vim habet producendi terminum similem in natura: e contra Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quæ sumpta præcise quatenus est voluntas perfectissima, parem vim non habet*. Ita Div. Thom. 1. p. q. 27. art. 2.

*Prob. prima pars*, 1. Ex SS. Patribus, qui passim docent Filium ideo esse genitum, quia est Verbum, id est, terminus ex intellectione per se assimilativa productus tanquam imago producentis. *Et Filius quo Verbum*, inquit D. Augustinus (*L. 7. de Trinit. cap. 2.*), *& eo Verbum quo Filius*, cujus rationem reddens (*L. 9. de Trinit. cap. 12.*) ait: *Quia mens notitiam suam gignit, cum se novit: & amorem suum non gignit, cum se amat*.

*Prob. 2. ratione*, ille vere ac proprie generatur, qui, ex vi processionis suæ, suo principio similis est in natura; atqui Verbum divinum, eo præcise quod procedat per intellectum Patris perfectissimum, est simile Patri in natura; ergo eo præcise Verbum generatur, quod procedat per intellectum Patris perfectissimum.

*Prob. min.* Omnis intellectus, ex propria sua virtute, tendit ad producendum terminum similem objecto cognito, & quidem tanto perfectiori similitudine, quanto intellectus perfectior est; atqui intellectus Patris æterni est perfectissimus; ergo debet producere terminum sibi similem, similitudine perfectissima; atqui similitudo perfectissima, est similitudo in natura, seu identitas in natura; ergo.

*Prob. secunda pars*. Quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, & est terminus amoris divini: atqui terminus amoris divini, non est suo principio similis in natura, vi processionis suæ formaliter; ergo Spiritus Sanctus non est genitus.

*Prob. min.* Ut terminus amoris esset suo principio similis in natura vi processionis suæ formaliter, necesse esset, ut actus voluntatis *per se*, & *ex natura sua*, tenderet ad reddendum objectum suum simile voluntati a qua exoritur: atqui actus voluntatis, *per se*, & ex *natura sua*, non tendit ad reddendum objectum simile voluntati: nam *per se* non est similitudo, sed tantum pondus aliquod, & impulsus in rem amatam; ergo terminus amoris divini non est suo principio similis in natura, vi processionis suæ formaliter. Est ergo similis in natura realiter tantum, materialiter, & identice: sic Eva fuit quidem Adam similis in natura specifica, non tamen formaliter vi processionis ab Adamo, ideoque non fuit Adam filia.

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies contra primam partem*. Intellectus noster non producit terminum objecto cognito similem in natura; ergo nec intellectus divinus.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod intellectus noster sit imperfectus, & ideo exprimendo intra se imaginem objecti cogniti, producit solum imaginem accidentalem: at vero intellectus divinus, utpote perfectissimus, necessario producit substantialem Dei imaginem, proindeque Filium consubstantialem.

*Objicies contra secundam partem*. 1. Ille procedit per generationem, qui perfecte similis est suo principio; atqui Spiritus Sanctus est perfecte similis suo principio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui perfecte est similis, vi suæ processionis, *conc.* aliunde quam vi suæ processionis, *nego maj.* Spiritus Sanctus quidem perfecte, & in natura, similis est Patri & Filio; sed id solum habet ex eo quod natura divina identificetur amori, per quem procedit.

*Inst.* 1. Spiritus sanctus procedit ut Deus; ergo perfecte similis est Patri & Filio vi processionis suæ.

Resp. *nego ant.* Nam Spiritus Sanctus procedit tantum ut impulsus Patris & Filii, qui licet a parte rei sit Deus propter sui cum divinitate iden-

identitatem, tamen, sub ratione qua est impulsus, non est Deus; sicut justitia, licet a parte rei sit misericordia, tamen sub ratione qua est justitia, non est misericordia.

*Inst.* 2. Spiritus Sanctus non procedit ut creatura: ergo procedit ut Deus.

Resp. *nego conseq.* Neque enim Spiritus Sanctus procedit ut creatura, neque ut Deus, sed procedit ut impulsus amoris, qui est Deus, non quia procedit per voluntatem, sed quia quidquid est in Deo identificari debet cum natura divina.

*Inst.* 3. Homo procedens ab homine, procedit ut homo; ergo Deus procedens de Deo, procedit ut Deus.

Resp. *dist. conseq.* Deus procedens de Deo, procedit ut Deus, si ei communicetur natura per actum qui habeat vim sibi assimilandi terminum, *conc.* secus, *nego*. Porro disparitas est de homine genito qui non recipit naturam tantummodo communicatam, sed productam, unde eo ipso generatio hominis est in similitudinem naturæ.

*Objicies* 2. Spiritus Sanctus, vi suæ processionis, recipit naturam perfecte similem principio a quo producitur; ergo, &c.

*Prob. ant.* Voluntas, reduplicative ut est voluntas perfectissima, producit unionem perfectissimam objecti amati cum principio amante; atqui unio perfectissima, est unio in natura; ergo voluntas perfectissima, reduplicative ut talis producit unionem in natura.

Resp. *nego min.* Quippe voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quæ consequenter nunquam potest per se pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc est, ad efficiendum unum identice ex principio amante & objecto amato. Sed hæc satis sint de quæstione maxime metaphysica, de qua nihil certi & evidentis statui potest.

## QUÆSTIO V.

*De cognitione, ex qua procedit Filius.*

*Nota.* Cum Pater divinus cognoscat essentiam divinam, omnia attributa, tum absoluta, tum relativa, & omnes creaturas, tum possibiles tum existentes in aliqua temporis differentia: *quæritur*, an Verbum ex illorum omnium cognitione procedat.

### CONCLUSIO I.

„ Verbum essentialiter & necessario procedit, non solum ex essentiæ divinæ & attributorum absolutorum, *ut omnes fatentur*, sed etiam ex cognitione trium personarum & creaturarum possibilium “. Est Thomistarum & aliorum, contra Scotistas, & Vasquezium.

*Prob.* Verbum divinum, utpote perfectissimum, necessario & essentialiter procedit ex cognitione essentiæ divinæ comprehensiva; atqui cognitio comprehensiva essentiæ divinæ est ipsamet cognitio attributorum divinorum, personarum divinarum, & creaturarum possibilium; ergo.

*Prob. min.* Cognitio comprehensiva rei alicujus, est cognitio omnium rerum quæ cum illa re identificantur; atqui attributa divina, personæ, & creaturæ possibiles cum natura divina identificantur; ergo, &c.

*Objicies* 1. Cognitio, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior est: item productio Verbi prior est productione Spiritus Sancti; ergo Verbum non potest produci ex cognitione sui ipsius, nec ex cognitione Spiritus sancti.

Resp. *dist. ant.* Prior est prioritate originis, *conc.* prioritate temporis, *nego ant.* Cum ergo in quocumque instanti reali simul extiterint, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, nulla est contradictio quod Verbum producatur ex cognitione trium personarum.

*Inst.* 1. Verbum est imago illius objecti, ex cujus cognitione procedit; atqui non est imago sui ipsius, nec Spiritus Sancti; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est imago objecti, ex cujus cognitione procedit, repræsentativa, *conc.* naturalis, *nego maj.* Ad imaginem repræsentativam sufficit, ut procedat objective ex re cognita; sed ad imaginem naturalem requiritur, ut procedat active & productive. Porro cum Verbum non producatur a cognitione sui ipsius & Spiritus Sancti, nisi objective, id est, quatenus sunt objectum divinæ cognitionis, consequens est, ut non sit eorum imago naturalis, sed solius Patris, a quo solo active procedit.

*Inst.* 2. Objectum cognitum active concurrit cum intellectu ad producendum terminum; ergo si Verbum ex cognitione omnium personarum procederet, active quoque concurrerent ad ejus productionem.

Resp. *nego ant.* Nam objectum cognitum terminat tantum actionem intellectus, nec ullam causalitatem exercet respectu actionis.

*Objicies* 2. Prius a Patre cognoscitur essentia divina, quam creaturæ possibiles; sed in illo priori procedit Verbum; ergo non procedit ex cognitione creaturarum possibilium.

Resp. *nego maj.* Nam essentia est quidem paternæ cognitionis objectum primarium, res possibiles secundarium, non tamen prius videtur ipsa, quam res possibiles; est enim illa veluti speculum, in quo hæ videntur; at speculum non videtur prius quam imago, licet sit veluti causa videndæ imaginis; ergo.

### CONCLUSIO II.

„ Verbum divinum procedit ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia existentium non quidem necessario & essentialiter, sed concomitanter, & quasi consequenter. “ Est probabilior opinio.

*Prob.* Verbum procedit ex cognitione omnium rerum quas repræsentat; atqui res omnes, in aliqua temporis differentia existentes, repræsentat: alioquin non esset infinitum; ergo, &c. Hinc merito Div. August. (*lib. 15. de Trinit. cap. 4.*) ait: *Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio: sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in seipso.*

*Objicies.* Quod est absolute necessarium, non potest procedere ex cognitione objecti contingentis;

 atqui

atqui Verbum divinum est absolute necessarium, creaturæ vero præteritæ, præsentes, & futuræ, sunt contingentes; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod est absolute necessarium, in repræsentando, *conc.* in essendo, *nego maj.* Atqui Verbum divinum est absolute necessarium, in essendo, *conc. min.* in repræsentando, *subdist.* in repræsentando objecto primario, nempe Deo & omnia quæ cum eo identificantur, *conc.* in repræsentando objecto secundario, nempe creatura, *nego min.* Cum enim creaturæ potuerint non esse, non repræsentantur necessario a Verbo divino, sed tantum concomitanter & hypothetice, & ideo ex earum cognitione procedit tantum concomitanter & quasi consequenter.

*Inst.* Licet nulla foret creatura præterita, præsens, aut futura, Verbum semper idem esset Verbum; ergo nullatenus ex earum cognitione procedit.

Resp. *dist. ant.* Esset semper idem Verbum quoad se, *conc.* quoad repræsentationem concomitantem & quasi consequentem, *nego ant.* Si enim nullæ essent creaturæ, nulla utique Verbum repræsentaret.

## QUÆSTIO VI.

### *De personis, ex quibus procedit Spiritus Sanctus.*

*Nota* 1. Spiritum Sanctum a Patre non procedere, Macedonii fuit error, qui in Concilio Constantinopol. I. fuit damnatus, & brevi totaliter extinctus, utpote contrarius huic veritati expresse revelatæ Joann. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit:* unde in dicto Concilio hæc particula, *qui a Patre procedit*, addita fuit symbolo Nicæno.

*Nota* 2. Spiritum Sanctum a Filio procedere primus negasse videtur Theodoretus *sæculo V.* qui in confutatione anathematismi IX. S. Cyrilli reprehendebat, quod dixisset Spiritum Sanctum proprium esse Filii Spiritum, ut inde probaret Christum Spiritu Sancto, non virtute aliena, fecisse miracula.

In hunc errorem abierunt Græci, præsertim post schisma Photii, *sæculo IX.* quorum error fuit damnatus, & oppositum fidei dogma definitum in variis Conciliis, etiam generalibus, in quibus ad unionem cum Ecclesia Romana redierunt; talia sunt Concilia *Barense* sub Urbano II. *Lateran. IV.* sub Innocentio III. *Lugdunense II.* sub Gregor. X. *Florentinum* sub Eugenio IV. in quo pax solemniter sancita est, atque definitum: „ Quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est . . . . . & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit “. Cui definitioni omnes Græci subscripserunt, excepto uno *Marco Ephesino*, cujus opera paulo post in pristinum errorem relapsi sunt; stipendium illud levitatis & blasphemiæ consecuti, ut, Constantinopoli post annos 14. a Turcis expugnata & ipsomet die Pentecostes capta, eorum Imperium funditus extinctum sit. Contra quos:

## CONCLUSIO.

*Spiritus Sanctus vere a Filio procedit.* Est de fide.

*Prob.* 1. Triplici ex Scripturis argumento.

*Primum*, desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris, & Filii, Matth. 10. „ Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Ad Gal.* 4. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra “. Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Patris & Filii; atqui nulla alia ratione dicitur Spiritus Patris, quam quod a Patre procedit; ergo nec alia ratione dicitur Spiritus Filii, quam quod a Filio procedit, ut concludit Divus Augustinus (*Tract. 99. in Joann.*): „ Cur ergo non credamus, *inquit*, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? “

*Secundum*, desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur mitti a Filio, perinde ac a Patre, Joann. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* At Spiritus Sanctus non potest mitti, nisi procedat ab eo, a quo mittitur. *Spiritus Sancti missio*, inquit S. Gregorius (*Homil. 26. in Evangelia*), *ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio.* Ergo.

*Tertium*, desumitur ex iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur a Filio accipere, Joannis 16. *Ille*, Spiritus Sanctus, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ex quo sic argumentor: Persona quæ recipit esse, seu naturam ab alia, ab ipsa procedit; atqui Spiritus Sanctus recipit esse a Filio, nam recipit aliquid; sed quidquid est in Deo, Deus est; ergo, &c. Ita S. Cyrillus (*Comment. 11. in Joann.*): *Quoniam*, inquit, *consubstantialis est Filio Spiritus, & procedit ab eo . . . . . propterea, inquit, de meo accipiet.*

*Prob.* 2. Ex Patribus Græcis; Latinos enim omnes confessos esse processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio fatentur Græci schismatici.

S. Martialis, *Ep.* ad Burdegalenses: „ Spiritus Domini, *ait*, non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est a Patre & Verbo “.

S. Athanasius, in Symbolo, ait: „ Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens “.

S. Chrysost. Homil. 1. in Symbolum Apost. „ Iste est Spiritus, *inquit*, procedens de Patre & Filio, qui dividit propria dona singulis prout vult. *Et Hom.* 2. Et in Spiritum Sanctum credimus, qui procedens de Patre, & Filio, charitate conjungitur “.

S. Cyrillus in Thesauro. „ Cum igitur Spiritus Sanctus . . . procedat a Patre & Filio, manifestum est ex divina essentia ipsum esse “. Et ex Epistola contra Nestorium, quæ lecta & approbata fuit in Conciliis œcumenicis Ephesino, Chalcedonensi & Constant. II. in ea sic loquitur: „ Spiritus non est a Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem est veritas; & proinde quoque ab illo, sicut a Deo Patre, procedit “. Hæc est ergo Fides utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, in quinque Conciliis generalibus orientalibus, & in tribus occidentalibus, definita. (*Ephes. Chalced. Constantinop. II. III. & IV. Later. IV. Lugdun. III. & Florent.*)

*Prob.* 3. Rationibus Theologicis.

*Prima.*

*Prima*. Omnia quæ Patris sunt, Pater unigenito Filio dedit, præter esse Patrem, seu una excepta relatione paternitatis, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, ait Christus, *Joann.* 15. Atqui Pater habet virtutem spirandi Spiritum Sanctum, & eum reipsa spirat, ut fatentur ipsimet Græci; ergo illum dedit Filio. Hoc argumento usi sunt Patres Florentini, immo & ipse Christus exponens, cur a se Spiritus Sanctus accipiat, seu procedat, *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*.

*Secunda*. Spiritus Sanctus realiter distinguitur a Filio, ut fides docet, atqui si non procederet a Filio, ab illo minime distingueretur realiter; ergo, &c. *Prob. min.* Juxta Concilia & SS. Patres. *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio;* atqui si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nulla inter ipsum & Filium esset relationis oppositio; talis enim oppositio oritur ex origine unius personæ ab alia; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura facit tantum mentionem processionis Spiritus Sancti a Patre, Joann. 15. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Ergo non procedit a Filio.

Resp. *dist. ant.* Facit tantum mentionem processionis Spiritus Sancti a Patre, expressam, *conc.* implicitam, *nego ant.* Processio enim Spiritus Sancti a Filio continetur in iis locis, in quibus Spiritus Sanctus dicitur mitti a Filio, accipere de Filio, esse Spiritum Filii; unde *nego conseq.* cujus falsitas aperte demonstratur ex traditione, quæ non minus est verbum Dei, ac Scriptura Sacra.

*Objicies* 2. Concil. Constantinop. I. Symbolo Nicæno addidit hæc verba, *Qui a Patre procedit*, nulla facta mentione Filii; ergo.

Resp. *nego conseq.* Ideo enim Concilium non adjecit particulam, *Filioque*, non quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, sed quia agebat tantum contra Macedonium & Eunomium, qui asserebant Spiritum Sanctum a solo Filio procedere eumque creaturam esse; & ideo satis fuit Concilio definire Spiritum Sanctum procedere a Patre non negando, sed supponendo procedere etiam a Filio.

*Objicies* 3. In Conc. Ephesino, lectus est liber Theodoreti contra anathematismum IX. S. Cyrilli; in quo, postquam dixit Spiritum procedere a Patre, addit: *Si vero tanquam ex Filio, aut per Filium extantiam habeat, hoc ut impium, & blasphemum rejicimus;* atqui tamen non fuit ea doctrina a Concilio reprobata; ergo.

Resp. *dist. min.* Non fuit reprobata explicite, *conc.* implicite, *nego min.* Nam eo in Concilio approbata est Epistola synodica S. Cyrilli ad Nestorium, in qua expresse profitetur Spiritum Sanctum a Filio perinde procedere ac a Patre; ergo sufficienter improbata censeri debuerunt contraria Theodoreti scripta, quæ, post approbationem doctrinæ S. Cyrilli, referuntur . . . ideo autem Conc. Ephes. expresse non damnavit sententiam Theodoreti circa Spiritus Sancti processionem, quia de illo dogmate non agebatur contra Nestorium, sed tantum de unica Christi persona, & unione *Deiparæ*.

*Objicies* 4. D. Dionysius (*L. de divinis nominibus cap.* 4.) dicit: *Pater solus est fons superessentialis Spiritus Sancti;* atqui si Spiritus Sanctus a Filio procederet, Pater non esset solus fons divinitatis; ergo.

Resp. *nego min.* Ille enim dicitur fons totius divinitatis, qui, a nulla persona procedens, producit alias personas; atqui talis est solus Pater; ergo, &c. Ex hoc patet discrimen, quod est inter esse fontem totius divinitatis, & esse principium, a quo aliqua procedit persona.

*Objicies* 5. S. Gregor. Nazianz. (*Orat. ad Episcopos qui ex Ægypto venerant*) sic ait: *Omnia quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium;* ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Præter principium Filii, *conc.* præter principium Spiritus Sancti, *nego ant.* Sese explicat D. Doctor cum addit: *Omnia quæ habet Filius, Spiritus sunt, excepta generatione*.

*Objicies* 6. D. Joann. Damasc. *lib.* 1. *de fide orthod. cap.* 11. ait: „ Spiritum Sanctum tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum: ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus. Et c. 13. Filius Spiritus est; non tanquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedat ". Ergo expresse docuit Spiritum Sanctum ex Filio non procedere.

Resp. *dist. conseq.* Docuit Spiritum Sanctum non procedere ex Filio, tanquam ex primo principio a nullo procedente, *conc.* tanquam a secundo principio, *nego conseq.* Itaque Div. Damascenus, sicut & ex Græcis plures, hac loquendi forma, *Ex Filio Spiritum non dicimus*, unice intendunt Filium non esse primum principium, seu principium sine principio, ut in hæc B. Dionysii verba: „ Solus fons Deitatis Pater est (explicat Manuelis Caleca Græcus *L.* 3. *contra Græcos*, tomo 26. *Biblioth. PP. pag.* 433.) qualem enim fontem, magnus iste Pater Deo Patri reddit, ante quem nihil cogitatur: talem Damascenus in Filio denegant . . . fontem ergo Sancti Spiritus & Filium a doctoribus dici supra monstratum est. Sed quoniam ante Filium quidem Pater cogitatur, ante Patrem autem nihil, ipseque ex Patre esse dicitur, atque ad ipsum refertur ".

*Inst.* Si Div. Damascenus credidisset Spiritum Sanctum ex Filio procedere, usus fuisset particula, *ex*, & non particula, *per;* atqui usus est tantum particula, *per;* ergo.

Resp. *nego maj.* Quia D. Damascenus, sicut & alii Patres, per particulas, *ex*, & *per*, idem significant, usu tamen receptum fuit apud ipsos, ut particula, *ex*, uterentur ad designandum principium sine principio, & particula, *per*, ad designandum principium ex principio, propter varias rationes quas tradidit *Caleca* citatus: „ Placuit ergo Damasceno, *inquit*, potius uti particula, *per*, a qua & consubstantialitas, & unitas, processuumque, ac personarum ordo, & discretio apparent, quam assumendo particulam, *ex*, causam tantummodo significare: maxime, ne vel una persona, Pater & Filius existimaretur propter præpositionum similitudinem: vel ne videretur Filius nihil ante se cogitatum habere, sicut & Pater ".

*Obji-*

*Objicies* 7. Solus Pater potest producere Spiritum Sanctum; alias foret impotens; ergo Filius eum non producit.

Resp. *nego ant. & ejus probationem.* Non enim defectu potentiæ Pater solus non potest producere Spiritum Sanctum, sed quia virtus spirativa est communis Patri & Filio: nam omnia quæ habet Pater, una excepta paternitate, Filio suo communicat; atqui Pater habet spirationem activam; ergo eam communicat Filio, qui proinde simul cum Patre producit Spiritum Sanctum.

*Inst.* 1. Atqui virtus spirativa, non potest esse communis duabus personis; ergo nulla solutio.

*Prob. subsumpt.* Proprietas notionalis non potest esse communis duabus personis; atqui spiratio activa, est proprietas notionalis; ergo.

Resp. *nego maj.* Equidem proprietates personales non possunt esse communes toti Trinitati, sed falsum est nullam duabus personis convenire: siquidem amor, quo se mutuo amant Pater & Filius, est proprietas personalis, qua illæ duæ personæ spirant, seu producunt Spiritum Sanctum; atqui ille amor, cum sit mutuus, est in duabus personis; ergo.

*Inst.* 2. Spiratio activa, est volitio notionalis; atqui volitio notionalis non convenit Filio; ergo.

*Prob. min.* Volitio notionalis supponit intellectionem notionalem; atqui intellectio notionalis non convenit Filio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Supponit intellectum notionalem in eadem, vel in distincta persona, *conc.* in eadem persona, *nego maj.* Equidem volitio notionalis supponit intellectionem notionalem, quia operatio per intellectum, prior est operatione per voluntatem; verum non requiritur, immo impossibile est, ut intellectio notionalis sit in duabus personis, cum Pater producendo Filium, ei communicet intellectionem jam per illius productionem exhaustam; sufficit ergo quod sit in Patre, in quo solo intellectio essentialis contrahitur ac modificatur per paternitatem; porro intellectio notionalis non est aliud, quam intellectio essentialis modificata per paternitatem.

*Objicies* 8. Si Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, essent duo principia Spiritus Sancti: falsum conseq. ergo.

Resp. *nego maj.* Concilia enim ac Patres agnoscunt Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere; negant tamen esse duos Spiritus Sancti principia. „ Damnamus, inquiunt PP. Lugdunenses, & reprobamus omnes qui temerario ausu asserunt, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat ". Et D. August. (*L.* 5. *de Trin. c.* 14.) ait: „ Fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia ".

*Prob. min.* Principium quod processionis, est persona a qua procedens suum esse recipit; ergo, cum Pater & Filius duæ sint personæ, duo quoque sunt principia Spiritus Sancti.

Resp. *dist. ant.* Est persona simul cum proprietate relativa, *conc.* sine proprietate relativa, *nego ant. & conseq.* Itaque ad multiplicitatem principiorum, non sufficit multiplicitas suppositorum, sed præterea requiritur multiplicitas virtutis spirativæ; atqui in Patre & Filio una eademque est virtus spirativa, cum in eis sit unica eademque voluntas; ergo Pater & Filius sunt unicum Spiritus Sancti principium, suntque unus spirator, sicut tres personæ sunt unum creationis rerum principium, suntque unus creator, quia in illis una eademque est omnipotentia.

*Inst.* 1. Spiratio activa est proprietas relativa; atqui proprietas relativa non potest esse in duabus personis: personæ enim a se invicem distinguuntur per illas proprietates relativas; ergo eadem spiratio activa non potest esse in Patre & Filio.

Resp. *dist. maj.* Spiratio est proprietas relativa non personalis, *conc.* personalis, *nego maj.* atqui proprietas relativa personalis non potest esse in duabus personis, *conc.* non personalis, *nego min.* Porro spiratio activa non est proprietas personalis, cum non constituat personam Patris aut Filii, sed ipsis, jam per paternitatem & filiationem constitutis, advenire a nobis intelligatur; & ideo potest esse in pluribus personis & de facto est in Patre & Filio.

*Inst.* 2. Pater & Filius non sunt unus spirator, sed duo spiratores; ergo sunt duo principia.

*Prob. ant.* Ex D. Hilario (*L.* 1. *de Trin. non remote a fine libri*) *Spiritus Sanctus a Patre & Filii auctoribus confitendus est.* Ergo Pater & Filius sunt duo spiratores.

Resp. *nego conseq.* Sunt quidem duo spirantes & unus spirator; *spirans* enim est nomen adjectivum, quod multiplicatur secundum multiplicationem suppositorum; *spirator* vero est nomen substantivum, quod non multiplicatur, nisi secundum multiplicationem formæ significatæ, nimirum, spirationis activæ, quæ cum una sit, unus etiam spirator. *Quod vero Hilarius dicit*, inquit D. Thom. (*L.* 15. *de Trin. c.* 17.) *quod Spiritus Sanctus est a Patre & Filio auctoribus, exponendum est, quod ponitur substantivum pro adjectivo.*

*Inst.* 3. D. August. docet Spiritum Sanctum procedere *principaliter* a Patre; ergo non est eadem vis spirandi in Patre & Filio.

Resp. *nego conseq.* Non enim ideo D. August. dicit Spiritum Sanctum *principaliter* procedere a Patre, quod non sit in Patre & Filio eadem vis spirandi, sed quod Filius habet a Patre virtutem spirandi; sic se explicat Div. August. *Ideo autem addidi, principaliter*, inquit, *quia & de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit.* Unde c. 27. ait: *Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Pater.*

Quæres 1. *Utrum particula*, Filioque, *jure ac rationabiliter addita fuerit Symbolo Nicæno.*

Resp. *affirm.* Ita enim definierunt Patres Florentini. *Definimus explicationem illorum verborum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Ratio est, quia Ecclesia jus habet novam particulam Symbolo addendi, quoties id necessarium judicaverit ad fidem catholicam contra insurgentes hæreses clarius explanandam; sic Concilium Nicænum I. Symbolo Apostolorum addidit vocem, *consubstantialis*, adversus Arianos: sic Concilium Constantinopolitanum I. addidit Symbolo Nicæno voces, *qui ex Patre procedit*, adversus Macedonianos; sic eadem

eadem Ecclesia contra Græcos sch[illegible]cos eidem Symbolo Nicæno Constantinopolitano addidit vocem, *Filioque;* quæ vox, non tam *additio*, quam expositio, seu explicatio, dici debet, quia, ut contendebat Archiepiscopus Rhodius in sess. 6. Conc. Florentini particula, *Filioque*, in Symbolo jam continebatur implicite, in hac nimirum voce, *qui ex Patre;* non enim potest a Patre procedere, quin procedat etiam a Filio, qui eandem cum Patre habet vim spirandi.

*Dices* 1. Concil. Ephesinum statuit: „ Alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a SS. Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt ". Sed qui Symbolo addit particulam, *Filioque*, alteram fidem profert, &c. Ergo.

Resp. *nego min.* Nam ille solus *alteram fidem* profert, qui Symbolo addit aliquid fidei Nicænæ contrarium, non qui addit aliquid ipsi consonum, illiusque expositorium; atqui particula, *Filioque*, non est contraria fidei Nicænæ, imo illius fidei est explicatio; ergo.

*Inst.* 1. Concilium Ephes. definivit B. M. V. esse Deiparam, nec tamen hanc vocem, *Deipara*, addit Symbolo; atqui non alia de causa hanc vocem non addidit Symbolo, nisi quia omnem additionem, etiam fidei ejusdem explicativam, prohibuit: ergo.

Resp. *nego min.* Vera enim ratio, cur Concil. Ephesinum non inseruit Symbolo vocem, *Deipara*, est, quia sat expresse continetur in Symbolo, in quo definitur Christum esse *Deum verum de Deo vero*, & eumdem esse *natum ex Maria Virgine*. Porro si Deus est natus de Maria Virgine, Maria Virgo vere est Deipara.

*Inst.* 2. Patres Synodi VII. generalis dicunt: *Nos eos qui addunt quid*, Fidei Nicænæ, *vel adimunt*, *de Ecclesia anathematizamus*. Ergo Symbolo Nicæno nihil addere licet.

Resp. *dist. conseq.* Nihil addere licet fidei Nicænæ contrarium, *conc.* fidei Nicænæ consonum & expositorium, *nego*. Quod sit verus Patrum illius Synodi sensus, inde patet quod Symbolum Nicænum in illa Synodo lectum fuit cum additione particulæ, *Filioque*, ut observat Cardinalis Julianus, Act. 5. Concilii Florentini.

*Dices* 2. Cum Patres Conc. Aquisgranensis Symbolo Nicæno inseruissent particulam, *Filioque*, Leo III. hanc additionem improbavit; ergo censuit non esse licitum illam particulam addere Symbolo.

Resp. *dist. conseq.* Censuit non esse licitum, &c. ubi id nulla exigit necessitas, *conc.* ubi urgens exigit necessitas, *nego*. Porro tempore Leonis III. nondum ortum fuerat schisma Græcorum; ergo tunc nulla erat necessitas Symbolo inserendi hanc vocem, *Filioque*.

*Inst.* Idem Pontifex Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum describi jussit in tabula argentea absque additione, *Filioque*, illudque reponi in altari juxta corpus S. Pauli ad perpetuam memoriam; ergo censuit nihil unquam addendum fore huic Symbolo.

Resp. *nego conseq.* Id enim jussit summus Pontifex ex prudenti œconomia, ne scilicet illa additio daret Græcis occasionem existimandi, hoc Symbolum a latinis contemni; quæ œconomia in hoc prudens erat, quod nulla tunc necessitas cogeret explicationem Symboli fieri, nondum exorto schismate, quo postea gliscente, Romanis Pontificibus non displicuit eam additionem fieri.

Quæres 2. *An Spiritus sanctus realiter distingueretur a Filio, si ab illo non procederet?*

*Nota*. Licet Latini in Conc. Florentino adversus Græcos processionem Spiritus Sancti a Filio demonstraverint hoc potissimum argumento, quod si a Filio non procederet, ab illo non distingueretur, nihilominus Scotus, cum nonnullis aliis, docet, Spiritum Sanctum, in ea etiam hypothesi, fore realiter a Filio distinctum; e contra hoc negant Thomistæ & alii Theologi communiter, cum quibus.

Resp. *Quod in prædicta hypothesi Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio.*

Hanc responsionem jam superiori conclusione probavimus, ubi, ex distinctione Spiritus Sancti a Filio, collegimus processionem Spiritus Sancti ex eodem Filio.

*Prob.* Iterum ex Conciliis & SS. Patribus, qui distinctionem personarum repetunt ex sola processione unius ab alia. Pro omnibus sint, 1. Concil. Tolet. I. quod in confessione fidei hæc habet: *Credimus Spiritum Sanctum esse paracletum, qui nec Pater, nec Filius sit, eo quod sit a Patre, Filioque procedens* .... 2. S. Greg. Nyssenus, qui *l. ad Ablavium*, ait: *Distinguitur Spiritus a Filio, quod per ipsum est*. Et S. August. tract. 39. in Joann. *hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt*, hoc est, quod opponuntur relative.

*Objicies* 1. D. Anselmus (*Lib. de processione Spiritus Sancti, c. 2.*) docet rationem distinctionis realis Filii a Spiritu Sancto in hoc consistere, quod Filius per viam intellectus, & Spiritus Sanctus per viam voluntatis procedat; ergo, seclusa processione Spiritus Sancti a Filio, adhuc distingueretur ab illo; adhuc enim unus per intellectum, & alter per voluntatem procederet.

Resp. *dist. ant.* Ratio distinctionis Filii a Spiritu Sancto, radicalis & remota, in hoc consistit, &c. *conc.* formalis & proxima, *nego ant.* Ratio enim illius distinctionis proxima & formalis, est sola oppositio relativa fundata in processione unius ab alio; ratio vero radicalis & remota illius distinctionis, est differentia originis unius, ab origine alterius. *Sed ipsa differentia originis*, inquit D. Thom. (*1. p. q. 36. art. 2. ad 7.*) *est per hoc quod Filius est solum a Patre, Spiritus Sanctus vero a Patre & Filio*, qui a Patre recipit voluntatem fœcundam, per quam simul cum Patre producit Spiritum Sanctum.

*Objicies* 2. Si Spiritus Sanctus procederet a solo Filio, adhuc distingueretur a Patre; ergo realiter distingueretur a Filio, etiamsi a solo Patre procederet.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod in prima hypothesi, Spiritus Sanctus adhuc mediate opponeretur Patri, a quo mediate adhuc procederet, nimirum per vim spirandi, Filio a Patre necessario communicatam; at in secunda hypothesi Spiritus Sanctus, nec immediate, nec mediate procederet a Filio.

*Objicies* 3. Quamvis Spiritus Sanctus non procederet a Filio, duæ adhuc essent processiones, una

una per intellectum, alia per voluntatem; ergo in illa hypothesi Spiritus Sanctus adhuc distingueretur a Filio.

*Prob. dist. ant.* Duæ essent processiones secundum rationem distinctæ, *conc.* realiter distinctæ, *nego ant.* Equidem in illa hypothesi liceret duas rationes distinguere, alteram generationis, alteram processionis, attamen una realiter processio foret, & una tantum persona producta, quæ secundum quod per intellectum procederet, Filius; secundum quod per voluntatem, Spiritus Sanctus diceretur.

*Inst.* 1. Saltem illæ duæ processiones essent oppositæ disparate, neque enim processio per intellectum, esset processio per voluntatem, & vicissim; atqui oppositio disparata, sufficit ad fundandam realem personarum distinctionem; ergo.

Resp. *nego min.* Nam ad distinctionem personarum realem requiritur oppositio relativa originis, nec sufficit oppositio disparata, ut patet in Patre, in quo paternitas & spiratio activa opponuntur disparate, nec tamen realiter distinguuntur in eodem Patre.

*Prob. min.* Filiatio & spiratio passivā distinguuntur realiter; atqui inter utrumque est oppositio disparata tantum; ergo.

Resp. *nego min.* Nam inter filiationem & spirationem passivam est oppositio relativa ratione spirationis activæ, quæ tam exigit esse in Filio, quam in Patre, quatenus est productio Spiritus Sancti, qui est terminus amoris, non cujuscumque, sed amoris mutui, ac proinde a duabus personis procedere postulantis. Unde quia principium non potest non distingui ab eo, cujus est principium, non possunt Pater & Filius non distingui a Spiritu Sancto, si Pater & Filius ab eo distinguuntur; ergo & paternitas & filiatio.

*Inst.* 2. Remanente eodem constitutivo rei, remanet quoque ejus ab alia re distinctivum; atqui licet Spiritus Sanctus non procederet a Filio, remaneret in eo idem constitutivum, nempe spiratio passiva; ergo & idem remaneret distinctivum.

Resp. *nego min.* Nam spiratio passiva, est terminus amoris mutui Patris & Filii; atqui si non procederet a Filio, non esset terminus amoris mutui; ergo non remaneret spiratio passiva; sed hæc sufficiant de quæstione alias parum utili.

## CAPUT IV.

### *De personalitatibus & relationibus divinis.*

*Nota.* Cum processiones sint veluti fontes, ex quibus personalitates emanant, & personalitates non constituantur, nec inter se distinguantur, nisi per relationes, post tractatas processiones, apposite tractandum suscipimus 1. De personalitatibus; 2. De relationibus divinis, duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De personalitatibus, seu subsistentiis divinis.*

*Nota.* Communi omnium Theologorum usu firmatum est, ut hæ voces *persona*, *personalitas*, *subsisten[tia], hypostasis*, & *suppositum*, pro eodem sumantur in divinis, licet *hypostasis*, *sub[sis]tentia*, & *suppositum* latius pateant, quam *persona*, & *personalitas*, in eo nimirum, quod hypostasis, subsistentia, & suppositum, dicantur de omni ente completo incommunicabili, v. g. de lapide, equo, &c. persona vero, & personalitas, de solis entibus intellectualibus: unde omnis persona est suppositum, sed [illegible]ge suppositum est persona.

[illegible] 2. Persona & personalitas non aliter differunt quam homo, & humanitas, namque:

*Persona* definitur a Boetio, *naturæ rationalis individua substantia*. Verum paulo implicata & obscura est hæc definitio, namque 1. Per to *rationalis*, intelligitur, *Intellectualis*. 2. Per to, *individua*, non intelligitur individuum, prout sonat, *singulare*, quo sensu humanitas Christi est individua, sed intelligitur id quod est incommunicabile alteri tanquam supposito, ideo clarius.

*Persona* definitur: *Substantia intellectualis, per se perfecte subsistens, & ultimo completa*. Explicatur:

Dicitur 1. *Substantia intellectualis:* quia accidens seu ens inhærens, non est persona, sicut nec ens irrationale.

Dicitur 2. *Per se perfecte subsistens:* id est, quæ non uniatur aut communicetur alteri tanquam supposito, ita ut nec in esse, nec in operari ab alio dependeat: hinc humanitas Christi non est persona, quia utitur Verbo divino tanquam supposito, a quo dependet in esse & in operari. Item natura divina, prout est natura, non est persona, quia Patri, Filio, & Spiritui Sancto communicatur & in illis subsistit.

Dicitur 3. *Ultimo completa:* id est, quæ non ordinetur ad aliud, ut cum illo constituat totum: hinc nec manus, nec anima rationalis, sunt personæ, quia non sunt ultimo completæ; nam manus ordinatur ad corpus, cujus manus est pars, & quocum anima conjuncta constituit hominem.

*Personalitas*, seu *subsistentia*, definitur: *forma, seu modificatio naturæ intellectualis, per quam natura constituitur per se perfecte subsistens & ultimo completa;* unde est ultimum complementum substantiæ reddens illam incommunicabilem alteri tanquam supposito; his notatis:

Quæres 1. *Quot sunt subsistentiæ in Deo?*

Resp. *Sunt tres subsistentiæ relativæ, nec quarta admittenda est communis & absoluta.* Prima pars est de fide; Secunda est probabilior contra Cajetanum & Suarez.

*Prob. 1. pars:* Quia tot sunt in Deo subsistentiæ, seu personalitates, quot sunt personæ: nam multiplicato concreto substantivo, multiplicari debet abstractum; atqui in Deo sunt tres personæ, ut fides docet & probavimus; ergo sunt tres subsistentiæ, nimirum paternitas, filiatio, & spiratio passiva.

*Prob. 2. pars.* Quia effectus formalis subsistentiæ, est constituere veram personam: subsistentia enim est ultimum complementum, quo natura redditur alteri tanquam supposito incommunicabilis; ergo si essent in Deo tres subsistentiæ relativæ & una absoluta & communis, essent quatuor personæ in Deo; atqui repugnat fidei Catholicæ admittere in Deo quatuor personas: ergo, &c.

Præ-

Præterea sententia, quam impugnamus, destruit mysterium SS. Trinitatis; nam vel [illegible] subsistentia absoluta, est communicabilis, vel non; *si est communicabilis*; ergo non est persona; quia de ratione subsistentiæ est, quod reddat naturam incommunicabilem alteri, ut supposito, est enim ultimus rei terminus: *si non est communicabilis*, ergo unica est in Deo subsistentia, & consequenter unica persona, quod pugnat contra fidem; ergo nulla talis subsistentia admittenda est in Deo.

*Objicies primo contra secundam partem.* Hæc vox, *Deus*, etiam præintellecta suis relationibus, est concreta, adeoque complectitur naturam & subsistentiam; atqui non complectitur subsistentias relativas; ergo subsistentiam absolutam involvit.

Resp. *dist. maj.* Complectitur naturam distincte & subsistentiam confuse, *conc.* utramque complectitur distincte, *nego maj.* Atqui non complectitur subsistentias relativas distincte, *conc.* confuse, *nego min.* Hæc enim vox, *Deus*, distincte divinitatem significat, confuse vero illud omne quod habet divinitatem; atqui quod habet divinitatem, sunt tres personæ relativæ; ergo, &c.

*Inst.* 1. Deus, præcisis relationibus, est per se subsistens; atqui non est per se subsistens subsistentia relativa; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Est per se subsistens, quatenus tò *per se subsistens* opponitur accidenti, quod per se non subsistit, sed indiget subjecto cui inhæreat, *conc.* quatenus dicit naturam ultimo terminatam & ita completam, ut cuilibet alteri tanquam supposito reddatur incommunicabilis, *nego ant.* Porro hoc ultimo sensu accipimus nomen *subsistentiæ*, & dicimus nullam extare talem in Deo communem & absolutam.

*Inst.* 2. Deus Pater, producendo Filium, ei communicat naturam ultimo completam; atqui non est completa nisi per subsistentiam absolutam; nondum enim intelliguntur subsistentiæ relativæ; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Nam communicat naturam, personam vero non communicat, sed producit; ac proinde, quia natura non est completa, nisi qua persona, naturam ultimo completam non communicat, sed tantum completam complemento essentiæ, quod est independentia ab alio tanquam a subjecto inhæsionis.

*Objicies* 2. Nulla perfectio divinitati deneganda est; atqui subsistentia absoluta, est perfectio; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Perfectio excludens imperfectionem, *conc.* non excludens, *nego maj.* Porro subsistentia absoluta in Deo non excluderet omnem imperfectionem, cum sit inutilis; tum quia id præstaret per subsistentias relativas, quod ipsa præstaret; tum quia ipsa poneret aliquid repugnans in Deo, redderet enim naturam incommunicabilem, & non redderet; *redderet*, quia est ejus munus; *non redderet*, quia subsistentiis relativis communicaretur, sicque ita terminus foret, ut tamen natura ulterius terminaretur.

Quæres 2. *Utrum, sicut sunt tres subsistentiæ relativæ in Deo, ita & tres sint existentiæ relativæ, præter absolutam?*

Resp. *Sententia negans mihi videtur probabilior.*

*Prob.* Quia modus existendi, novam existentiam non superaddit rei, quam modificat; sic verb. gr. natura humana, seu per se existat, ut in nobis, seu in alio, ut in Christo, non accipit novam existentiam, licet novum habeat existendi modum; atqui subsistentiæ divinæ sunt modi existentiæ Dei; ergo novam existentiam non superaddunt, sed duntaxat existentiam Dei absolutam modificant; unde non mirum est, si SS. Patres nullam existentiarum relativarum in Deo faciant mentionem.

*Dices* 1. Omnis vera productio terminatur ad existentiam; atqui in Deo dantur plures veræ productiones; ergo terminantur ad plures existentias.

Resp. *dist. maj.* Terminatur ad existentiam productam, vel communicatam, *conc.* semper productam, *subdist.* in creatis, quæ extra naturam producuntur, *conc.* in divinis, quæ intra naturam producuntur, *nego maj.* In divinis itaque satis est, ut productiones terminentur ad plura existentia objective, quibus una existentia communicetur, sicut plures productiones terminantur ad plura supposita divinitatem velut adjective habentia, quibus una natura communicatur.

*Inst.* Quælibet res habet existentiam sibi propriam; atqui personæ sunt res; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Habet existentiam sibi propriam, si naturam propriam & distinctam habeat, *conc.* si naturam communem cum aliis, *nego*. Porro tres personæ divinæ unam eamdemque habent naturam.

Verum, non est quod hujusmodi quæstionibus omnino inutilibus immoremur.

## QUÆSTIO II.

### *De Relationibus divinis.*

*Nota* 1. Relatio est ordo, seu respectus, unius ad alterum. Quando autem ille respectus existit independenter a qualibet mentis operatione, est relatio realis.

*Nota* 2. In Deo relationes sunt duplicis generis: aliæ sunt tribus personis *communes*, v. gr. relationes identitatis, similitudinis, æqualitatis, de his non est hic quæstio; aliæ sunt *personales*, seu, *originis*, quæ fundantur in processione unius personæ ab alia, v. g. paternitas, filiatio, &c.

*Nota* 3. Relatio originis spectari potest secundum *esse in*, id est, prout afficit subjectum in quo est; secundum *esse ad*, id est, prout respicit terminum ad quem refertur.

*Nota* 4. Relationum originis investigabimus 1. Numerum & essentiam, 2. Distinctionem a se invicem, 3. Qualitatem, 4. Munus, totuplici Articulo.

## ARTICULUS I.

### *De numero & essentia relationum originis.*

#### CONCLUSIO I.

*Quatuor sunt in Deo relationes originis, nec plures, nec pauciores, nimirum paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.*

*Prob.* Quia singulis processionibus respondent duæ relationes, una producentis ad productum, altera

tera producti ad producentem; atqui duæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores, ut supra probatum est; ergo, &c.

*Objicies*. Si essent in Deo quatuor relationes, essent in Deo quatuor personæ; falsum & hæreticum consequens; ergo.

*Prob. seq. maj.* Relationes personas constituunt; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Relationes a se invicem realiter distinctæ, personas constituunt, *conc.* non sic a se invicem realiter distinctæ, *nego ant.* Porro spiratio activa non realiter distinguitur a paternitate & filiatione, proindeque non constituit personam a Patre & Filio distinctam.

## CONCLUSIO II.

*Relationes originis sunt subsistentes & reales.*

*Prob.* Illæ relationes sunt reales, quæ fundantur in reali origine, & per quas personæ realiter distinguuntur ab invicem: neque distinctionis realis ratio potest esse, nisi quod reale est; atqui relationes originis fundantur in reali origine unius personæ ab alia, & per eas personæ ab invicem realiter distinguuntur; ergo &c.

*Objicies*. Relatio realis præsupponit extrema realiter distincta; atqui relationes divinæ non præsupponunt, sed constituunt extrema realiter distincta; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* In creatis, *conc.* in divinis, *nego maj.* Ratio disparitatis est, quod relationes, quæ in creaturis reperiuntur, sunt accidentia, & ideo præsupponunt subjecta quibus inhæreant; e contra relationes divinæ sunt substantia, & consequenter non præsupponunt suum objectum, cui inhæreant, sed per se subsistunt, & a se ipsis distinguuntur.

*Inst.* 1. Ubi sunt relationes reales, ibi mutua est correlatorum dependentia; atqui nulla potest esse in Deo dependentia vera & realis; ergo nec ulla vera & realis relatio.

Resp. *dist. maj.* Ubi sunt relationes reales, ibi est mutua correlatorum dependentia, improprie dicta & connexionis, *conc.* proprie dicta & causalis, *nego maj.* Itaque relationes divinæ efficiunt quidem ut personæ habeant connexionem cognitionis & existentiæ: correlata enim sunt simul natura & cognitione, cum non possit esse Pater nec cognosci, quin sit ac cognoscatur Filius; sed non efficiunt ut personæ a se invicem pendeant tanquam effectus a causa, quia producuntur actionibus per quas unicuique personæ productæ communicatur eadem numero natura quæ est in producente; ergo natura illa est prorsus independens.

*Inst.* 2. Relationes non possunt dici realiter de subjecto, nisi aut secundum substantiam, aut secundum accidens; atqui neutro modo sunt in Deo; non quidem secundum substantiam, cum sit una substantia & plures relationes; nec secundum accidens, cum nihil sit accidentale in Deo; ergo, &c.

Resp. *neg. maj.* [illegible] dici secundum substantiam, & d[illegible] accidens, datur medium, nimirum [illegible] esse relativum; nam esse relativum [illegible] abstrahit a substantia & accidente; quippe nihil aliud dicit in suo conceptu, quam referre unum ad aliud, unde non est substantia absolute, sed est modus substantiæ quo unum respicit aliud.

## ARTICULUS II.

*De distinctione relationum originis a se invicem.*

*Nota*. Relationes divinas non distingui ab essentia divina realiter, sed tantum virtualiter, probavimus in Tractatu de Deo & attributis; unde:

## CONCLUSIO I.

*Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur, nimirum paternitas, & filiatio, & spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur*. Est de fide contra Sabellium.

*Prob.* Personæ divinæ realiter ab invicem distinguuntur per relationes originis; siquidem ideo prima persona distinguitur a secunda, quod prima sit Pater, & secunda Filius, quod habent per relationes; ergo illæ relationes originis inter se realiter distinguuntur, nam propter quod unumquodque tale, & illud magis.

*Objicies*. Paternitas & filiatio non opponuntur spirationi passivæ; ergo ab illa non distinguuntur realiter.

Resp. *dist. ant.* Non opponuntur per se, *conc.* per spirationem activam, cum qua identificantur, *nego ant.* nam prima & secunda persona non solum sunt Pater & Filius, sed præterea sunt spirator, & sub illo respectu Spiritui Sancto opponuntur, & ab eo realiter distinguuntur.

## CONCLUSIO II.

*Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate, nec a filiatione*. Est de fide.

*Prob.* Ex hoc D. Anselmi effato ab omnibus recepto. *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio*. Atqui inter spirationem activam ex una parte, & paternitatem & filiationem ex altera, non obviat relationis oppositio; quippe relationis oppositio in divinis fundatur in reali processione unius ab alio, atqui spiratio activa non procedit realiter a Patre & Filio, sed a Patre communicatur Filio; ergo, &c.

*Objicies*. Quæ producunt terminos distinctos, distinguuntur realiter; atqui paternitas & spiratio activa habent terminos distinctos; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam ad productionem terminorum realiter distinctorum, sufficit distinctio virtualis; porro paternitas, & spiratio activa, distinguuntur virtualiter.

*Inst.* 1. Spiratio activa in Patre communicatur, paternitas non communicatur; ergo distinguuntur realiter.

Resp. *nego cons.* Eademque quippe res, sub diverso respectu, communicatur & non communicatur; sic licet paternitas & spiratio activa sint in Patre eadem res, tamen communicatur Filio quatenus ei non opponitur relative; non communicatur quatenus ei relative opponitur: porro sola paternitas opponitur Filio relative.

*Inst.* 2. Spiratio activa, quæ est in Filio, est a Patre; ergo a paternitate distinguitur realiter.

Resp. *retorq.* Natura divina, quæ est in Filio, est

est a Patre; ergo a paternitate distinguitur realiter. *Nego itaque consequentiam*, quia spiratio activa non est a Patre per productionem, sed per communicationem, sicut & ipsa natura.

*Inst.* 3. Tam spiratio activa in Patre, mediante paternitate, opponitur filiationi, quam filiatio, mediante spiratione activa, opponitur spirationi passivæ; atqui filiatio, mediante spiratione activa, opponitur spirationi passivæ realiter; ergo.

Resp. *nego maj.* Disparitas est, quod Filius, per spirationem activam, producat Spiritum sanctum; & inde inter utrumque est relationis o[...]ositio; econtra Pater per spirationem activam non [...]ducit Filium.

## ARTICULUS III.

*De qualitate relationum originis; utrum nimirum sint perfectiones.*

*Nota.* Hic non quæritur, utrum relationes divinæ secundum *esse in*, sint perfectiones; omnes enim affirmant, eo quod, secundum nostrum concipiendi modum, sic spectatæ, modificent ac determinent naturam divinam ad esse Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti. Sed controvertitur inter Theologos, utrum, etiam spectatæ secundum *esse ad*, sint perfectiones? Pro quo solvendo sit

### CONCLUSIO.

*Relationes divinæ, spectatæ secundum* esse ad, *sunt veræ ac reales perfectiones, licet non simpliciter simplices*. Est contra Scotistas.

*Prob.* 1. *pars*. Relationes secundum *esse ad*, sunt in Deo realiter: quippe, nemine cogitante, est respectus Patris ad Filium, & Filii ad Patrem; at quidquid est realiter in Deo, est perfectio; ergo, &c. Hinc D. Cyrillus *l.* 2. *thesauri*, c. 1. ait: *Non potest esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat*. Atqui illud certe est perfectio, sine quo divinitas foret imperfecta.

*Prob.* 2. *pars*. Perfectio simpliciter simplex, *ea est quæ melior est ipsa, quam non ipsa*, id est, quæ melior est quam opposita, & quæ a subjecto, in quo est, æqualem perfectionem non excludit, sed cum illa compatitur; atqui relationes originis non sic se habent; nempe paternitas non est melior filiatione ipsi opposita, & eam a subjecto, in quo est, expellit; ergo, &c. Restat ergo ut relationes divinæ sint perfectiones simplices, non quidem propter aliquam imperfectionem, absit; sed quia simul compati non possunt in eodem subjecto.

*Objicies contra* 1. *partem*. Si relationes divinæ essent perfectiones, tres personæ simul sumptæ, plus continerent perfectionis, quam una sola persona; falsum & hæreticum conseq. ergo &c.

Resp. *nego seq. maj.* Quia una persona, non minus quam tres personæ, habet divinam naturam quæ est omnis perfectio; ergo non minus perfecta, ut docet D. Aug. (*l.* 7. *de Trinit. cap.* 6.): *Non major essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul*, inquit, *quam solus Pater, aut solus Filius; sed tres simul illæ personæ æquales sunt singulis*.

*Inst.* 1. In Trinitate prima persona caret filiatione & spiratione passiva; ergo non est tam perfecta, quam sint perfectæ tres personæ.

Resp. *dist. ant.* Caret filiatione & spiratione passiva formaliter, *conc.* eminenter, *nego ant.* Ratio est, quia relationes non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed sunt perfectiones simplices tantum, quæ, ut diximus, in Deo continentur eminenter tantum & identice, propter summam divinarum relationum in essentia divina identitatem.

*Inst.* 2. Omnis perfectio in Deo, prædicari potest in abstracto de alia perfectione; atqui una relatio originis non potest prædicari de alia in abstracto; neque enim potest dici paternitas est filiatio; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Omnis perfectio, absoluta, *conc.* relativa, *nego maj.* Ratio disparitatis est, quod attributa relativa mutuam dicant inter se oppositionem: adeoque unum de alio prædicari non potest; e contra cum absoluta attributa nullam inter se dicant oppositionem, unde de alio prædicari potest in sensu reali identico.

## ARTICULUS IV.

*De munere & officio divinarum relationum.*

### CONCLUSIO.

*Munus proprium relationum divinarum, est personas constituere, & unam personam ab aliis distinguere.*

*Prob.* Per id personæ divinæ constituuntur & distinguuntur, quod singulare est, non commune; atqui solum relativum in Trinitate singulare est, cum e contra omne absolutum, sit commune, & ex æquo in singulis personis reperiatur; ergo, &c.

Hinc D. Basil. *Epist.* 349. ait: *Commune est Deitas: proprium est paternitas*; & D. Greg. Nazianz. *orat.* 39. dicit: *Adoramus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: ita ut proprietates*, id est, relationes, *distinguamus, divinitatem autem, unam faciamus*.

*Objicies*, Persona prius concipitur in divinis, quam relativum; ergo persona non constituitur per relativum, sed per absolutum: neque enim quod prius est, constituitur per id quod est posterius.

*Prob. ant.* Illud est prius relativo, quod est prius eo quod est principium relativi; atqui persona in divinis, est prior intellectione & volitione, quæ sunt principium *quo* immediatum relativi, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu Sancto; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Persona enim est quid idem cum intellectione & volitione; ergo sunt simul.

*Inst.* 1. Actio supponit personam jam constitutam, actiones enim sunt suppositorum; ergo persona in divinis est prior intellectione & volitione.

Resp. *dist. ant.* Actio creata supponit personam jam constitutam, *conc.* actio increata, *nego ant.* disparitas est, quod actio creata ab ipso supposito distinguatur; e contra actio Dei identificatur cum supposito.

*Inst.* 2. Relatio supponit in subjecto aliquid absolutum quod referat; ergo supponit subjectum jam constitutum.

Resp. *dist. ant.* Relatio accidentalis, *conc.* relatio essentialis & subsistens, *nego ant.* sic v. g.

 rela-

relatio paternitatis in Deo Patre non refert naturam quæ absoluta est, sed ipsam refert personam, quam non supponit, sed quam referendo constituit.

*Quærunt hic Theologi*, an relationes constituant personas secundum *esse in*, vel secundum *esse ad*.

Resp. 1. Si spectetur constitutio & distinctio personarum ex relationibus, prout se habent a parte rei, personæ constituuntur & distinguuntur relationibus secundum utrumque *esse in*, & *ad*, nam eadem relatio utrumque realiter importat.

Resp. 2. Si illa constitutio & distinctio spectetur secundum nostrum imperfectum concipiendi modum, personæ constituuntur relationibus secundum *esse in*, non vero secundum *esse ad*.

*Prob. ratione evidenti;* illud est rei constitutivum & distinctivum, quod est primum in re; atqui relatio secundum *esse in*, prior est, quam secundum *esse ad*. Ergo, &c. Verum satis de hac quæstione metaphysica.

## CAPUT V.

*De his quæ tribus personis sunt communia.*

*Nota*. Quæ tribus personis sunt communia, revocari possunt ad notiones, circuminsessionem & missionem divinarum personarum: de quibus agemus tribus quæstionibus.

### QUÆSTIO I.

*De notionibus divinis.*

*Nota* 1. Per notiones divinas intelliguntur notæ quædam peculiares, quibus personæ divinæ dignoscuntur, & ab invicem secernuntur.

*Nota* 2. Ad notionem divinam tres requiruntur conditiones. *Prima*, ut sit aliquid proprium uni personæ, vel duabus tantum. *Secunda*, ut aliquam importet dignitatem. *Tertia*, ut pertineat ad originem; nihil enim in divinis est distinctivum & speciale, quod non pertineat ad originem. His notatis sit:

### CONCLUSIO.

*Quinque admittendæ sunt in Deo notiones, nec plures, nec pauciores, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva*. Est communis.

*Prob.* Tot sunt notiones admittendæ in Deo, quot sunt notæ propriæ, quibus personæ divinæ dignoscuntur, & a se invicem secernuntur; atqui tales notæ sunt quinque modo recensitæ; namque per paternitatem & filiationem, Pater & Filius inter se distinguuntur; & per spirationem activam & spirationem passivam, Pater & Filius distinguuntur a Spiritu Sancto, sicque ternarius numerus personarum ostenditur; & ne plures personæ cogitentur quam tres, necessario addi debet *innascibilitas*, per quam ostenditur Patrem a nullo principio esse; ergo quinque admittendæ sunt in Deo notiones.

Hinc *innascibilitas* & *paternitas* conveniunt Patri; *filiatio*, Filio; *spiratio activa*, Patri & Filio; & *spiratio passiva*, Spiritui sancto.

*Objectiones, quibus minuitur numerus notionum.*

*Objicies* 1. Tot, & non plures, debent admitti notiones, quot sunt proprietates relativæ; atqui proprietates relativæ sunt tantum quatuor, *paternitas* scilicet, *filiatio*, *spiratio activa*, & *spiratio passiva*; ergo &c.

Resp. *nego maj.* Quia notiones, qua notiones, nullam dicunt ad se invicem oppositionem; ergo non necesse est ut sint relativæ.

*Prob. maj.* Ideo notiones statuuntur, ut personæ cognoscantur & ab invicem distinguantur; atqui per proprietates relativas personæ cognoscuntur & ab invicem distinguuntur; ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Ut personæ cognoscantur, & distinguantur, tam negative, quam positive, *conc.* positive tantum, *nego maj.* atqui per proprietates relativas personæ cognoscuntur, positive, *conc.* negative, *nego min.* cum ergo personæ divinæ cognosci possint a nobis vel *positive*, per oppositionem relativam quam habent ad se ipsas, vel *negative*, per exclusionem principii, inde fit quod, quamvis Pater sufficienter innotescat positive distinctus ab aliis personis per paternitatem & spirationem activam, nihilominus, ut intelligatur omnino improductus, necessario opus est, ut ei tribuatur *innascibilitas*, quæ est negatio productionis ab alio.

*Inst.* 1. Innascibilitas non est quid positivum; ergo non potest esse notio.

Resp. *transeat ant.* *nego conseq.* Sufficit enim ad notionem, quod personam distinguat per ordinem ad origines, & ad certum numerum personarum adstruendum faciat; sed id innascibilitati competit, quamvis non sit positiva; ergo est vera notio; sicut unitas & simplicitas admitti possent pro notionibus essentiæ divinæ, licet sint formaliter negationes.

Dixi, *transeat ant.* Quia multi docent innascibilitatem esse quidem quid negativum quoad nomen, sed esse quid positivum quoad rem hoc nomine significatam: significat enim Patrem esse fontem totius divinitatis.

*Inst.* 2. Innascibilitas sumpta pro negatione processionis ab alio, non dicit perfectionem; ergo non est notio.

Resp. *nego ant.* Dicit enim esse principium formale totius divinitatis; atqui hoc dicit summam perfectionem; ergo.

*Inst.* 3. Nascibilitas, seu processio ab alio non dicit imperfectionem; ergo innascibilitas non dicit perfectionem.

Resp. *nego conseq.* Utrumque enim in Deo æqualiter, est perfectum, non procedere & procedere, quia utrumque eandem naturam divinam participat; porro natura divina est omnis perfectio.

*Objicies* 2. Innascibilitas non distinguit Patrem a Spiritu Sancto; ergo non est notio Patris.

*Prob. ant.* Innascibilitas tam convenit Spiritui Sancto, quam Patri; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Innascibilitas sumpta pro negatione generationis, *conc.* sumpta pro negatione processionis, *nego ant.* Procedit enim a Patre & Filio.

*Objectiones quibus augetur numerus notionum.*

*Objicies* 1. Personæ distinguuntur per origines, nempe per generationem activam & passivam; ergo inter notiones sunt computandæ.

Resp. *neg. conseq.* Quia origines concipiuntur ut via & tendentia ad terminum, cum notiones concipi debeant ut formæ permanentes, per quas personæ, velut propriis characteribus, dignoscantur, & a se invicem distinguantur.

*Objicies* 2. Tam improductivitas in S. Sancto dicenda est notio, quam innascibilitas in Patre; ergo sunt plures quam quinque notiones.

Resp. *nego ant.* Disparitas est, quod innascibilitas aliquam exhibet dignitatem in Patre, nam ex eo quod non producatur, sequitur quod sit principium totius Deitatis; sed improductivitas nullam importat dignitatem, alias perfectior esset illa creatura quæ producere non posset; quod est falsum.

*Objicies* 3. Quod Filius sit *Verbum*, & *Imago Patris*, sunt notiones Filii; item, quod Spiritus Sanctus sit *donum*, *amor*, & *vinculum Patris & Filii*, notiones sunt Spiritus Sancti: ergo sunt plus quam quinque notiones.

Resp. *dist. ant.* Sunt notiones quæ exprimuntur notionibus filiationis & spirationis passivæ distinctius intellectis, *conc.* quæ aliud menti ingerant, *nego ant. & conseq.* Quid enim est esse Verbum & Imaginem Patris? nisi esse Filium expressivum Patris; quid est esse donum, amorem & vinculum Patris & Filii? nisi esse terminum spirationis activæ; ille autem terminus, est spiratio passiva.

*Objicies* 4. Sicut datur notio communis, nempe spiratio activa, qua Pater & Filius constituuntur in ratione principii productivi; sic debet dari notio communis, qua Filius & Spiritus Sanctus constituantur in ratione termini producti; ergo sex numerandæ sunt notiones.

Resp. *nego ant.* Disparitas est, quod Pater & Filius per spirationem activam sibi communem in una speciali ratione producendi Spiritum Sanctum conveniant, unde sunt unum illius principium; e contra Filius & Spiritus Sanctus ratione realiter distincta producuntur, unde produci in illis, non est quid realiter unum, sive non est unus specialis existendi modus, & ideo est quid unum tantum per mentem; porro notiones debent esse reales.

## QUÆSTIO II.

*De circuminsessione divinarum personarum.*

*Nota.* Circuminsessio est *personarum divinarum intima in se mutuo inexistentia*. Quare ad illam duo requiruntur, 1. identitas naturæ; 2. distinctio personarum.

### CONCLUSIO.

*Datur in Deo circuminsessio personarum.* Est de fide.

*Prob.* 1. Circuminsessio, est personarum intima in se mutuo inexistentia; atqui personæ divinæ in se mutuo intime inexistunt, Jo: 14. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* ait Christus; & paulo post, *Pater in me manens, ipse facit opera.* Ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex PP. dicentibus cum D. Fulgentio (*L. de fide ad Petrum, cap.* 1.) „ totus est Pater in Filio & Spiritu Sancto, totus Filius in Patre & Spiritu sancto, & totus Spiritus Sanctus in Patre & Filio “.

*Prob.* 3. *ratione.* Eæ personæ in se invicem inexistunt, quæ unam eandemque numero naturam indivisibilem & impartibilem habent; atqui personæ divinæ unam eandemque numero naturam indivisibilem & impartibilem habent; ergo.

*Objicies* 1. Quæ se invicem excludunt, non possunt esse in se mutuo; atqui personæ divinæ sese mutuo excludunt; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Quæ relative opponuntur, sese invicem excludunt; atqui personæ divinæ relative opponuntur; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quæ relative opponuntur, secundum omnia, *conc.* secundum aliqua tantum, *nego maj.* Porro personæ divinæ relative opponuntur sub ratione personalitatis, non sub ratione naturæ, quæ una & eadem est numero in singulis personis.

*Objicies* 2. Si Pater sit in Filio, Filius erit Pater, & vicissim; atqui consequens repugnat fidei; ergo, &c.

*Prob. maj.* Ille in quo est paternitas, est Pater; atqui si Pater sit in Filio, in eo quoque erit paternitas; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ille est Pater, in quo est paternitas formaliter, *conc.* identice, *nego maj.* Porro paternitas non est in Filio *formaliter*, id est, per modum formæ hypostaticæ & proprietatis personalis, cujus est constituere personam; sed in Filio *identice*, ratione nimirum essentiæ divinæ, quæ una, eademque numero est in tribus personis.

*Inst.* Qui ab alio exivit, non est in eo; atqui Filius a Patre exivit, juxta illud Christi, Joann. 16. *Exivi a Patre.* Ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui ab alio exivit per productionem ad extra, *conc.* per productionem ad intra, *nego maj.* Exitus autem Filii a Patre est ad intra, & *secundum solam distinctionem relationis*, ait Div. Thom. (1. *p. q.* 42. *art.* 5. *ad* 2.) non secundum *essentialem aliquam distantiam*.

## QUÆSTIO III.

*De missione divinarum Personarum.*

*Nota.* Missio in divinis recte definitur: *Processio unius personæ ab alia cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis.* Unde missio duplicem dicit respectum, unum ad personam originantem, & alium ad creaturam, vel locum in quo incipit esse novo modo, nimirum per aliquem effectum de novo productum, qua ratione missio est temporalis. Utrumque illum respectum expressit Christus, Joann. 14. *Exivi a Patre*, en processio, *& veni in mundum*, en novus modus existendi in mundo. His notatis, sit

### CONCLUSIO.

*Datur missio in divinis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Jo. 8. *Solus non sum, sed ego,*

*ego, & qui misit me, Pater*. Et Joann. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.*

*Prob. 2. ratione*. Ut persona divina dicatur mitti, sufficit, quod procedat ab alia, & importet novum quemdam modum existendi in creaturis; atqui aliqua persona in divinis procedit ab alia, ut Filius a Patre, & importat novum modum existendi in creaturis, ut idem Filius, qui extitit in mundo per carnem assumptam; ergo.

*Objicies:* Mitti ab alio multiplicem importat imperfectionem; ergo missio non debet admitti in Deo.

Resp. *dist. ant.* Mitti ab alio, per imperium, consilium, vel transmissionem ab uno loco ad alium *conc.* mitti ab alio, per processionem originis cum habitudine ad novum modum existendi ad extra, *nego ant.* Itaque persona divina mitti non potest per imperium, quia superiorem non habet; nec per consilium, quia non habet se sapientiorem; nec per transmissionem ab uno loco ad alium, quia est immensa; sed mittitur solum per divinam originem cum illo novo modo existendi in alio.

Quæres 1. *Quænam personæ in divinis mittantur?*

Resp. *Solus Filius & Spiritus Sanctus*, est de fide.

*Prob.* Quia illæ solæ personæ mittuntur, quæ procedunt secundum originem; atqui solus Filius a Patre, & solus Spiritus Sanctus a Patre & Filio procedunt; ergo solus Filius & Spiritus Sanctus mittuntur; Filius quidem a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre & Filio.

*Dices* 1. Joann. 14. de tribus personis dicitur: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Ergo omnes personæ mittuntur.

Resp. *nego conseq.* Aliud est enim *mitti*, aliud *venire:* qui mittitur, ab alio debet exire; qui venit, a se ipso venire potest; unde D. Aug. (*L. 2. de Trin. c. 5.*) ait: *Solus Pater non legitur missus*.

*Dices* 2. Filius non procedit a Spiritu Sancto; atqui tamen dicitur missus a Spiritu Sancto: *Filius*, inquit *Conc. Toletanum XI. non solum a Patre, sed & a Spiritu Sancto missus esse credendus est, in eo quod per Prophetam dicitur: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus*. Isaiæ 48. Ergo.

Resp. *dist. min.* Filius missus est a Spiritu Sancto, ut homo est, *conc.* ut Deus est, *nego min.* Synodus enim Toletana, nomine missionis, intelligit Verbi divini cum natura unionem hypostaticam, quæ cum sit opus ad extra, operatum est a tribus personis Sanctissimæ Trinitatis; unde addit: *A se ipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur*.

Quæres 2. *Quotuplex est missio in divinis?*

Resp. Duplex est, visibilis nempe, & invisibilis. *Missio visibilis* est ea, quæ fit in specie sensibili; talis fuit missio Filii in carne assumpta; & Spiritus Sancti in specie columbæ super Christum, & in specie linguarum ignearum super Apostolos.

*Missio invisibilis* est ea, quæ fit sine specie sensibili, interius sanctificando animas, vel *formaliter* per gratiam habitualem, vel *efficienter* per gratiam excitantem, qua Deus sibi vult præparare templum in quo habitet, juxta illud, Apocal. 3. *Ego sto & ad ostium pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo.*

## DISSERTATIO II.

### *De Personis divinis in particulari.*

*Nota*. Cum, tractantes de divinis processionibus, jam majorem partem eorum quæ spectant personas divinas sigillatim, exposuerimus; hic restat de earum nominibus & attributis disserendum, triplici Capite.

## CAPUT I.

### *De nominibus primæ Personæ propriis & appropriatis.*

*Nota*. Nomen *proprium* est illud quod uni personæ realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit.

Nomen *appropriatum* est illud quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen, propter quandam rationem specialem, uni personæ singulari modo tribuitur.

Quæres 1. *Quot sunt nomina primæ personæ propria?*

Resp. Sunt tria, nimirum: *Pater*, *ingenitus*, seu innascibilis, & *principium fontale totius divinitatis*.

*Prob.* Quia prima SS. Trinitatis persona spectatur, vel per respectum ad Filium, quem sola producit, & sic dicitur *Pater:* vel per respectum ad suam primitatem, quatenus nimirum a nulla alia ducit originem, & sic dicitur *ingenita;* vel per respectum ad duas simul personas productas, quibus divinitatem ex sua infinita fœcunditate communicat, & sic dicitur *principium & fons divinitatis*, sumptæ scilicet in concreto, pro personis quæ a Patre ducunt originem.

Quæres 2. *Quomodo nomen*, Pater, *primæ personæ proprium est?*

Resp. Proprium est, ut *notionaliter* sumitur, id est, quatenus dicit relationem realem ad Filium, quem producit ex sua substantia.

Quæres 3. *Quomodo nomen*, ingenitus, *primæ personæ est proprium?*

Resp. Prima persona dicitur *ingenita*, hoc sensu quod nullo modo producta sit; sola enim prima persona est improducta; ergo ratio *improducti*, ipsi soli propria est. Unde Div. Gregor. Nazianzenus ait: *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit*.

Quæres 4. *Quo sensu dicitur*, principium fontale divinitatis, *esse nomen primæ personæ proprium?*

Resp. Dicitur hoc sensu, quod prima persona, a nulla producta, cæteras producat; quare D. Athan. contra gregales Sabellii dicit: *Pater radix & fons Filii & Spiritus Sancti*.

*Dices:* Filius est etiam *principium* ad intra; ergo illud nomen non est proprium Patri.

Resp. *dist. ant.* Filius est principium notionale, *conc.* principale & fontale totius divinitatis, *nego ant.* Principium *notionale* designat fœcunditatem ad intra, quæ communis est Patri & Filio. Principium

cipium *fontale* designat principium sine principio, quod solus est Pater, ut explicat D. August. (*L.* 4. *de Trin. cap.* 22.) qui illud, Joann. 15. *Spiritum veritatis quem ego mittam vobis a Patre*, exponens, ait: *videlicet ostendens quod totius divinitatis principium Pater est*.

Quæres 5. *Utrum Pater possit etiam dici causa, & auctor Filii, & Spiritus Sancti?*

Resp. Non potest recte dici apud Latinos, quia causa, juxta propriam rationem, est *principium influens esse in aliud*, unde importat diversitatem substantiæ, & dependentiam unius ab alio; atqui Filius & Spiritus Sanctus non habent diversam a Patre substantiam, neque ab eo dependent; ergo.

Dixi: *apud Latinos*, quia Græci Patrem vocant causam & auctorem Filii & Spiritus Sancti, sed improprie & lato modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat principium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Bessarion, sess. 25. Conc. Florentini: „ Notandum, *inquit*, quod SS. Doctores orientales, etiam in divinis, utantur nomine causæ & causati largo modo: non quidem ut limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem a principio ejus quod est a principio, significat. "

Quæres 6. *Quot sunt nomina primæ personæ appropriata?*

Resp. Primæ personæ appropriatur quod sit *primum creaturarum principium*, quare dicitur: *Pater noster, creator omnium*. Ratio est, quia congruenter ratio primi principii respectu creaturarum appropriatur ei, qui est primum in Trinitate principium.

## CAPUT II.

*De nominibus secundæ personæ propriis, & appropriatis.*

Quæres 1. *Quænam sunt nomina secundæ personæ propria?*

Resp. Sunt tria, nempe, Filius, Verbum & Imago Patris.

*Prob.* Quia illa nomina sunt secundæ personæ propria, quæ ei soli, ex vi processionis, conveniunt; atqui nomina Filii, Verbi, & Imaginis, soli secundæ personæ, ex vi processionis suæ, conveniunt; ergo, &c.

1. Ille proprie dicitur *Filius*, qui ex propria Patris substantia genitus est; atqui secunda persona sola ex propria Patris substantia genita est, cui soli dixit Pater, Psalm. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.*

2. Illi soli ratio *Verbi* convenit, qui est terminus ab intellectu Patris fœcundo productus; atqui sola secunda persona est talis; ergo, &c. unde sola, in Scriptura, vocatur Verbum, Joann. 1. *Verbum caro factum est*. Et Div. Cyrillus, lib. 7. Thesauri, c. 1. *Verum igitur Patris Verbum*, inquit, *Filius est, neque est aliud verum Verbum Patris, quam Filius*.

3. Ad rationem *Imaginis* requiritur similitudo in natura vi processionis; atqui sola secunda persona est similis Patri in natura, quam unam eamdemque numero habet cum Patre, idque vi suæ processionis, ut supra fuse probavimus: ergo sola secunda persona dicitur proprie & personaliter Imago Patris: sic Coloss. 1. dicitur *Imago Dei invisibilis*.

*Dices* 1. Hoc nomen, *Verbum*, non est proprium Filii; ergo, &c.

*Prob. ant.* Div. Basilius *l.* 5. *contra Eunomium*, *cap.* 11. Spiritum Sanctum vocat Verbum Filii, *Dei quidem Verbum, Filius est*, inquit, *Filii autem Verbum, Spiritus*. Ergo *Verbum* non est nomen proprium Filio.

Resp. *dist. ant.* D. Basilius Spiritum Sanctum vocat Verbum Filii, late, improprie, & figurate, quatenus significat quidquid habet vim repræsentandi alterum a quo procedit, quocumque modo fiat illa repræsentatio, *conc.* proprie, quatenus significat eum qui ab intellectu Patris fœcundo procedit, *nego ant.* Etenim Spiritus Sanctus a Filio procedens, illum hominibus annuntiat per gratiam, inspirationes, & prædicationem Evangelii, quod promisit Christus, Joann. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Porro illa impropria & figurata locutio satis fuit ad institutum D. Basilii, ut probaret contra Eunomium, Spiritum Sanctum Deum esse, quia a Filio procedit, sicut Filius Deus est, quia a Patre procedit.

*Dices* 2. Nomen, *Imago*, est commune Filio & Spiritui Sancto; ergo non est proprium Filio.

*Prob. ant.* Ex Damasceno *lib.* 1. *de fide cap.* 18. dicente: *Imago Patris est Filius, & Filii Spiritus Sanctus*. Ergo, &c.

Resp. *dist. ant. & textum*. Spiritus Sanctus est Imago Filii, improprie dicta, *conc.* proprie dicta, *nego*. Hoc itaque sensu D. Damasc. dicit Spiritum Sanctum esse Imaginem Filii, quod eandem habeat naturam cum Filio, non vero quod eam habeat vi processionis suæ, quod requiritur ad proprie dictam imaginem.

Quær. 2. *Quodnam est nomen appropriatum Filio?*

Resp. Nomen, *sapientia*, adpropriatur Filio; & quidem congruentissime, quia sapientia est virtus intellectus: atqui Filius est terminus sapientissimæ intellectionis: ergo.

*Dices*: In Scriptura Filius vocatur *sapientia*; ergo sapientia est nomen Filii proprium, non appropriatum.

Resp. *dist. conseq.* Nomen, *sapientia*, cum actu notionali conjunctum, est proprium Filio, *conc.* non conjunctum cum tali actu notionali, quod est generare vel generari, *nego conseq.* Porro quando Scriptura Filio tribuit nomen, *sapientia*, illud semper conjungit cum actu notionali, sic Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita*. Tuncque est nomen notionale & proprium, quod idem significat ac *Verbum*, & *Imago Patris*. Sed quando sapientia de Filio dicitur sine addito, tunc est nomen essentiale, tribus personis commune, quod Filio appropriatur. Hoc totum exponit D. August. (*L.* 7. *de Trin. cap.* 2.) „ Verbum sapientia est, *inquit*, sed non eo Verbum quo sapientia: Verbum enim relative, sapientia vero essentialiter intelligitur. Id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit Filius & Imago; & hæc duo cum dicuntur, id est, nata sapientia, in uno eorum, eo quod nata est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur, & in his omnibus nominibus non intelligitur essentia, quia relative dicuntur ".

CA-

## CAPUT III.

*De nominibus tertiæ personæ propriis & appropriatis.*

Quæres 1. Quænam sunt nomina tertiæ personæ propria?

Resp. Sunt tria, nimirum, Spiritus Sanctus, donum, & amor.

### CONCLUSIO I.

*Spiritus Sanctus, est nomen quod proprie convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis*, non hoc sensu, quod sit immaterialis & omnis impuritatis expers, sic enim est proprietas essentialis, quæ consequenter communis est tribus personis; sed hoc sensu, quod sit *spirata*, & quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas.

*Prob.* Illud nomen proprie convenit tertiæ Trinitatis personæ, quod ei in Scriptura & Patribus tribuitur per oppositionem ad alias personas; atqui Spiritus Sancti nomen tribuitur tertiæ personæ per oppositionem ad alias personas: Matth. 28. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et D. Ambros. in Symbolum Apost. cap. 1. ait: *Licet Pater Spiritus sit, & Filius Spiritus sit, & Pater sit Sanctus, & Filius sit Sanctus: solam tamen tertia persona proprie Spiritus Sanctus nuncupatur.* Quia, nimirum, sola spiratur, seu flatur ab amore, quo sanctitas repetitur.

*Dices.* Hoc nomen, *Spiritus Sanctus*, non significat relationem; ergo non est proprium alicui personæ.

Resp. *dist. ant.* Non significat relationem, quatenus significat rem immaterialem, *conc.* quatenus significat rem spiratam, *nego ant.* Sic enim significat relationem personæ spiratæ ad personas spirantes.

### CONCLUSIO II.

*Donum est nomen, quod proprie convenit tertiæ Trinitatis personæ.*

*Prob.* Ut aliqua persona dicatur *donum proprie & personaliter*, requiritur & sufficit, ut a dante procedat, & quidem ex voluntatis inclinatione; atqui sola tertia persona ex voluntatis inclinatione procedit; ergo proprie & personaliter dicitur donum.

*Dices:* Isaiæ 9. dicitur, *Filius datus est nobis*; ergo esse donum, non est proprium Spiritui Sancto.

Resp. *dist. conseq.* Esse donum, non personale, *conc.* esse donum personale, *nego conseq.* Filius itaque non procedit ex voluntatis inclinatione, sed ex intellectus fœcunditate; unde non est terminus amoris, quo se mutuo cum Patre diligit, alias esset principium simul & terminus, quod implicat; datur ergo tantum ex amore, quo Pater hominem diligit, juxta illud Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

### CONCLUSIO III.

*Amor, est nomen proprie conveniens Spiritui Sancto*; quia est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris & Filii. *Quid convenientius est*, ait D. August. (L. 15. de Trinit. cap. 19.) *quam ut ille dicatur charitas proprie, qui Spiritus est communis ambobus?* ergo, &c.

Quæres 2. *Quænam sunt nomina Spiritui Sancto appropriata?*

Resp. Ipsi attribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis, & misericordiæ, & quidem congruentissime; congruit enim ut divinæ charitatis & misericordiæ effectus ei personæ attribuantur, quæ ex perfectissima charitate procedit; atqui, &c. hinc vocatur *Paraclitus*, id est, consolator, consolatur enim nos per dona gratiæ, quibus nos cumulat.

## DISSERTATIO III.

*De modo, quo loquendum est de mysterio SS. Trinitatis.*

*Nota.* Agemus hic: 1. De vocibus, quibus unitas naturæ exponitur. 2. De vocibus, quibus numerus personarum exprimitur. 3. De vocibus, quibus distinctio personarum exprimitur. 4. De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis, & relativorum de absolutis. 5. De suppositione attributorum absolutorum pro personis.

## CAPUT I.

*De vocibus, quibus unitas naturæ exponitur.*

*Nota.* Voces, quibus suspicari quis posset naturæ divinæ unitatem explicari posse, sunt istæ: *idem, unus, unicus, singularis, solitarius, unitus*, seu, *conjunctus, solus.*

### CONCLUSIO I.

*Voces, unus & idem, recte dicuntur de personis divinis in neutro genere; non autem in masculino, nisi jungantur termino absoluto.*

*Prob.* Quia *unus* & *idem*, in neutro genere, vel quando in masculino conjunguntur cum termino absoluto, significant naturam; in masculino vero significant personam; ergo cum una sit natura, possunt dici in neutro genere de personis; cum vero plures sint personæ, non possunt dici de personis in masculino, nisi conjungantur cum termino absoluto & essentiali.

Hinc catholicæ sunt hæ propositiones: *Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt unum & idem. Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt unus & idem Creator, Omnipotens*; & e contra hæc, *Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt unus & idem*, est falsa, & hæresim Sabellii continens.

### CONCLUSIO II.

*Voces*, unicus, & singularis, *non recte dicuntur de Deo, seu de essentia*: quia illæ voces in sensu obvio significant naturæ incommunicabilitatem; atqui Dei natura non est incommunicabilis; ergo, &c. Ista prop. *Pater est Deus singularis, Deus unicus*, est falsa. Possunt vero dici de personis, v. g. *Pater est unicus, singularis.*

CON-

CONCLUSIO III.

*Vox*, solitarius, *non potest recte dici de personis divinis*, v. g. non potest recte dici, *Pater est solitarius;* quia hæc vox, non tantum naturæ, sed etiam pluralitatem personarum, excludit. *Non invenitur*, inquit D. Aug. (*l.* 1. *de Trinit. cap.* 9.), quomodo dici possit, aut *Pater solus*, *aut Filius solus*, *cum semper . . . in invicem*, *neuter solus*, ubi sumit vocem, *solus* cathegorematice, pro voce, *solitarius*.

CONCLUSIO IV.

*Voces*, unitus, & conjunctus, *non recte dicuntur de personis*. Quia arguunt compositionem: quæ enim uniuntur & conjunguntur, ad modum partium se habent; atqui quæ compositionem arguunt, admitti non possunt in Deo, qui est ens summe simplex; ergo.

CONCLUSIO V.

*Vox exclusiva*, solus, *non potest enuntiari de Deo cathegorematice; bene vero sincathegorematice*; hoc est, quando conjungitur cum alio termino, sive essentiali, sive notionali.

*Ratio primi est*, quia vox, *solus*, cathegorematice sumpta, idem significat, quod vox, *solitarius*. Hinc falsa est hæc propositio, *Deus est solus*.

*Ratio secundi est*, quia vox *solus*, sincathegorematice sumpta, non aliud significat quam prædicatum convenire subjecto, & non alteri; unde recte dicitur: *solus Deus est omnipotens; solus Pater generat*.

CAPUT II.

*De vocibus, quæ numerum personarum exprimunt.*

*Nota*. Hæ voces, sunt istæ: *multiplex*, *triplex*, *multiplicitas*, *trinus*, *trinitas*.

CONCLUSIO I.

*Hæ voces:* multiplex, triplex, *de Deo non possunt prædicari;* quia vox ista, *Deus*, non abstrahit a natura, sed illam formaliter includit; ergo hæ voces, *triplex*, *multiplex*, cadunt supra formale significatum hujus vocis, *Deus*, id est, supra naturam divinam, quæ non est multiplex; falsa ergo est hæc prop. *Deus est multiplex*, *triplex*.

CONCLUSIO II.

*Hæc vox*, multiplicitas, *recte de Deo potest prædicari*, *etiam sine hoc addito*, personarum; unde vera est hæc propositio, *in Deo est multiplicitas*. Ratio est, quia cum aliqua in Deo vox est indifferens ad naturam vel personam significandam, illius significatio determinatur per subjectum, de quo prædicatur, ac proinde cum Deus, in quo dicitur esse multiplicitas, excludat in suo conceptu multiplicitatem naturarum, vox, *multiplicitas* per subjectum restringitur ad multiplicitatem personarum, quæ in Deo realiter reperitur.

CONCLUSIO III.

*Hæ voces*, trinus, trinitas, *recte dicuntur de Deo*, v. g. *Deus est trinus*, *in Deo est trinitas*. Quia in Deo est determinatus numerus personarum.

*Dices:* Deus non potest dici *triplex;* ergo nec potest dici *trinus*.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod *trinus* dicit tantum unum quid tribus distinctis modis existens; e contra *triplex*, non tantum tres distinctos existendi modos dicit, sed etiam tres, saltem secundum numerum, essentias. *Nec quoniam trinitas est*, inquit D. Aug. (*l.* 6. *de Trinit. cap.* 7.) *ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus: aut Filius solus*, *quam simul Pater & Filius*.

Quæres: *Quo sensu in hymno corporis Christi dicitur:* Te trina Deitas, unaque poscimus?

Resp. Dicitur hoc sensu, quod deitas una & indivisa, sit communis tribus personis, quibus inest & cum quibus identificatur; non vero dicitur hoc falso sensu, quod deitas ex se multitudinem importet, alias essent tres naturæ.

CAPUT III.

*De vocibus, quibus distinctio personarum exprimitur.*

*Nota*. Hæ voces sunt istæ: *distinctus*, *discretus*, *secretus*, *alius*, & *alter*, *dissimilis*, *dispar*, *discrepans*, *differens*, *divisus*, & *separatus*.

CONCLUSIO I.

*Hæ voces*, distinctus, discretus, & secretus, *recte prædicantur de personis*; quia de fide est personas esse realiter distinctas, & verba, *discernere*, *secernere*, idem significant, ac verbum *distinguere*.

CONCLUSIO II.

*Hæ voces*, alius & alter, *in masculino*, *vel feminino*, *catholice de personis dicuntur*, *non autem in neutro genere*, ex Conc. Later. IV. *Licet igitur alius sit Pater*, *alius Filius*, *alius Spiritus Sanctus*, *non tamen aliud*. Ratio est, quia illæ voces in masculino, vel feminino, significant personam, at in neutro significant naturam, ut probat D. Th. (1. *p. q.* 31. *art.* 2. *ad* 4.) dicens: „ Si quæratur quis est iste? respondemus, Socrates, quod nomen est suppositi. Si autem quæratur: quid est iste? respondetur, animal rationale & mortale ".

CONCLUSIO III.

*Hæ voces*, dissimilis, dispar, discrepans, differens, divisus, & separatus, *non recte prædicantur de personis*; quia significant naturam, non vero personam. Ideo Div. Tom. (1. *p. q.* 39. *art.* 2. *in corp.*) ait: *Ne tollatur simplicitas divinæ essentiæ*, *vitandum est nomen separationis & divisionis*, *quæ est totius in partes*. *Ne autem tollatur æqua-*

*æqualitas*, *vitandum est nomen disparitatis*, & dissimilitudinis. *Ne vero tollatur similitudo*, *vitandum est nomen alieni & discrepantis*.

## CAPUT IV.

*De mutua prædicatione nominum absolutorum de relativis*, *& relativorum de absolutis*.

*Nota*. Nomina, tum absoluta, tum relativa, sunt vel abstracta, vel concreta. *Abstracta*, sunt ea, quæ exprimunt formam sine subjecto, ut deitas, paternitas, &c. *Concreta*, sunt quæ formam cum subjecto, seu subjectum habens formam, significant, ut Deus, Pater, &c. item alia sunt substantiva, ut Deus; alia adjectiva, ut sapiens. His positis:

Quæres 1. *An & quomodo nomina absoluta prædicentur de personis?*

Resp. 1. *Nomina absoluta abstracta*, *non prædicantur de personis in plurali*, *sed tantum in singulari*.

*Prob.* Nomina abstracta formam sine subjecto significant; atqui in Deo est unica forma; ergo nomina abstracta, illam formam significantia, non possunt de personis prædicari, nisi in singulari ... Hinc recte dicitur: *Tres personæ sunt una deitas*, *una sapientia*, &c. sed perperam diceretur, *sunt deitates*, *sapientiæ*, &c.

Resp. 2. „ Nomina absoluta concreta substantiva, vel etiam adjectiva substantive usurpata, prædicantur de personis in singulari tantum; adjectiva vero prædicantur in plurali ".

*Prob.* Quia forma in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, significat per modum substantiæ, & habentis esse per se: e contra in adjectivis significat per modum accidentis, seu adjacentis suo supposito, & in eo esse habentis; ergo in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, singularitas vel pluralitas, petitur a singularitate, vel pluralitate formarum, & in adjectivis a singularitate, vel pluralitate suppositorum; atqui in Deo est unica substantia, plura vero sunt supposita; ergo &c. . . . Hinc 1. recte dicitur: *Tres personæ sunt unus Deus*, *unus creator*. Perperam vero diceretur: *sunt tres Dii*, *tres creatores*; 2. recte dicitur, *tres personæ sunt tres creantes*, *sunt æquales*, &c.

*Dices*: Hæc nomina, *increatus*, *immensus*, *omnipotens*, sunt adjectiva; tamen in Symbolo Athanasiano dicitur: *Non tres increati*, *nec tres immensi*, *sed unus increatus & unus immensus . . . . non tres omnipotentes*, *sed unus omnipotens*. Ergo nomina adjectiva non dicuntur de personis in plurali.

Resp. *dist. conseq.* Nomina adjectiva substantive sumpta, *conc.* adjectiva adjective sumpta, *nego conseq.* Itaque adjectiva substantive sumpta sequuntur conditionem substantivorum; porro in Symbolo Athanasiano, *Unus*, *increatus*, *immensus*, *omnipotens*, sunt adjectiva substantive usurpata, ut ait D. Thom. „ (1. p. q. 39. art. 3. in corp.): Dicimus enim, *inquit*, tres existentes, vel tres increatos & immensos, si adjective sumantur. Si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, æternum, ut Athanasius dicit.

Quæres 2. *Utrum personæ possint prædicari de nominibus absolutis?*

Resp. Personæ de nominibus absolutis, sive in abstracto, sive in concreto sumptis, possunt prædicari. *Ratio est*, quia inter personas & essentiam, sive in abstracto, sive in concreto sumptam, est realis identitas. Hinc istæ prop. sunt veræ: *Essentia seu Deus est tres personæ: essentia est Pater: Deus*, *vel essentia*, *est paternitas*.

## CAPUT V.

*De suppositione nominum absolutorum pro personis*.

Quæres 1. *Utrum nomina absoluta abstracta supponant*, *seu in propositionibus sumantur pro personis?*

Resp. *negative*, prout definitur in Conc. Lateran. IV. in quo dicitur: *Illa res* (essentia divina) *non est generans*, *neque genita*, *neque procedens*. Ratio est, quia si absoluta supponerent pro personis, essentia produceret seipsam, cum eadem numero sit essentia in tribus personis; hinc si hæc propositio *essentia generat*, esset vera, sensus esset, *essentia producit se ipsam*, quod repugnat; producens enim realiter debet distingui a producto.

Quæres 2. *Utrum nomina absoluta concreta supponant pro personis?*

Resp. Aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona. Nam hæ propositiones sunt veræ, *Deus creat*, *Deus generat*; atqui in prima propositione, *Deus* supponit pro essentia, in secunda supponit pro persona; ergo nomina absoluta concreta supponunt aliquando pro essentia, aliquando pro persona.

Quæres 3. *Quomodo potest cognosci quandonam hæc vox*, Deus, *supponat pro persona*, *quandonam pro natura?*

Resp. Ad hujus quæstionis resolutionem Sylvius *quæst.* 49. *art.* 4. dat quatuor sequentes regulas, quas refero.

„ *I. Regula*. Quando huic nomini, *Deus*, nihil „ adjungitur, quod ejus significationem restringat „ vel determinet, supponit pro natura communi, „ sive pro illo singulari simplicissimo, quod est „ natura divina ut communis, imo ut realiter eadem cum tribus personis; ac per consequens „ æque principaliter & primo supponit pro personis „ & pro natura, ut cum dicitur, *soli Deo honor* „ *& gloria*.

„ *II. Regula*. Quando isti nomini, *Deus*, tribuitur actus essentialis qui personis convenit ra„ tione essentiæ, tunc nomen, *Deus*, principaliter „ ac primario supponit pro essentia, minus autem „ principaliter, & secundario pro personis, ut in „ hac propos. *Deus creat*: nam creare non con„ venit Patri, quia est Pater, aut Filio, quia Fi„ lius est, sed singulis personis competit, ratione „ divinæ naturæ.

„ *III. Regula*. Quando eidem nomini, *Deus*, „ tribuitur talis actus, vel proprietas essentialis, „ quæ convenit essentiæ secundum quod ipsa di„ stinguitur a personis, tunc supponitur tantum, „ pro essentia, ut in his propositionibus: *Deus est*

„ *com-*

*communis tribus personis; Deus est trinus; Deus est trinitas.*

„ *IV. Regula*. Quando eidem nomini, *Deus*, tribuitur actus, vel proprietas notionalis, tunc supponit pro persona, eaque vel una, vel pluribus, secundum quod exigit proprietas ipsi attributa. Unde in hac prop. *Deus generat Deum* subjectum supponit pro persona Patris, & prædicatum pro persona Filii. In ista vero, *Deus spirat Deum*, subjectum supponit pro Patre & Filio, prædicatum vero pro Spiritu Sancto ".

Huic Tractatui de ineffabili SS. Trinitatis mysterio finem imponentes, dicamus cum Sapiente ( *Eccl.* 43. *v.* 9. ): „ Multa dicemus, & definiemus in verbis, consummatio autem sermonum, ipse est omnibus, *quia* videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ". Itaque cum D. August. ( *L.* 15. *de Trinit. cap. ult.* ) concludens, Deum, sic deprecor: „ Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in hoc tractatu de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu ignosce & tui ". Interim protestamur nolle nos, nostrosque, te cognoscere, nisi ut te, unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. Amen.

# TRACTATUS

## DE DEO CREATORE.

*Nota*. Circa creationem, hæc est fides nostra, in Symbolo Nicæno-Constantinopolitano definita: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem*. Cum itaque illud Symbolum omnes creaturas in *visibiles*, seu corporeas, & *invisibiles*, seu spirituales distribuat, hunc ordinem sequemur, agemusque: 1. De Angelis: 2. De visibilis hujus universi productione.

### DISSERTATIO I.

*De Angelis.*

*Nota*. De Angelis multas quæstiones congerunt Theologi, quæ vel ad Philosophiam spectant, vel sunt penitus incertæ, vel certe prorsus inutiles videntur; nos vero S. Scripturæ & traditionis lumine ducti, ea principaliter examinanda suscipimus, quæ his duobus momentis possunt probari. Agemus itaque: 1. De existentia, & creatione. 2. De natura. 3. De statu in quo conditi sunt. 4. De loco, motu, potentia motrice, & locutione Angelorum. 5. De eorum peccato & ejusdem pœna. 6. De variis eorum ordinibus. 7. Tandem de missione, illuminatione, & custodia Angelorum.

### CAPUT PRIMUM.

*De existentia Angelorum.*

*Nota*. Angelus, juxta Patres & Theologos, nomen est officii, non naturæ: definiri potest, *substantia creata, spiritualis, completa*.

Dicitur 1. *Substantia creata*, id est, per se subsistens, & ex nihilo producta.

Dicitur 2. *Spiritualis*, id est, incorporea, juxta illud Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus*. Atque ex Lucæ 24. *Spiritus carnem & ossa non habet*.

Dicitur 3. *Completa*: quia est integra, nec ordinatur ad alterius compositionem, & per hoc ab anima rationali distinguitur.

### CONCLUSIO.

*Existunt Angeli*. Est de fide contra Sadducæos.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, in qua frequens est memoria Angelorum: Genes. 19. „ Viderunt duo Angeli Sodomam; *& cap.* 22. Angelus Domini de cœlo clamavit dicens, Abraham, &c. *Matth.* 18. Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris. *Unde D. Aug. in Ps.* 102. *ait:* Esse Angelos novimus ex fide; & multis apparuisse scriptum legimus, ac tenemus, nec inde dubitare fas nobis est ".

*Prob.* 2. Ex Conc. Lateranensi, cap. *Firmiter*, ubi definitur, Deum „ sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, & spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem, & spiritu & corpore constitutam ".

*Dices:* Moyses non descripsit creationem Angelorum; ergo non dantur.

Resp. *nego conseq.* Ideo enim Moyses creationem Angelorum prætermisit, quia periculum erat ne Israelitæ, idololatriæ maxime dediti, Angelorum excellentiam cognoscentes, ipsos tanquam Deos colerent.

Quæres 1. *Quo tempore Angeli fuerunt creati?*

Resp. Simul cum mundo creati sunt, nec ante, ut constat ex cap. *Firmiter*; & probatur ex Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ubi

sub nomine *cœli* comprehendit Angelos; & Exodi 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt;* ergo & Angelos, qui in cœlis continentur.

Quæres 2. *Quo in loco creati sunt Angeli?*

Resp. Id omnino certum non est. Probabile est in cœlo quidem eos fuisse conditos, juxta illud Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Sed non in cœlo empyreo, quod est sedes beatorum, alias non potuisset dicere, *In cœlum conscendam*, Isaiæ 14.

## CAPUT II.

### *De natura Angelorum.*

Constat ex definitione Angelorum, ipsos esse spirituales & intellectuales; restat resolvendum utrum sint immortales, & ejusdem, vel diversæ speciei.

Quæres 1. *An Angeli sint immortales?*

Resp. Sunt immortales ab intrinseco, non ab extrinseco.

*Prob.* 1. *pars.* Illi sunt immortales ab intrinseco, qui carent principio corruptionis; atqui Angeli carent principio corruptionis; nempe principium corruptionis est materia, cujus, cum partes dissolvuntur, totum perire necesse est: atqui Angeli, utpote spirituales, non constant materia; ergo.

*Prob. secunda pars.* Illi non sunt immortales ab extrinseco, qui possunt ab aliqua causa extrinseca destrui; atqui Angeli possunt a Deo destrui, Sap. 11. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* ergo, &c.

*Dices:* Ex D. Damasceno (*L. 2. de fide ortodoxa cap. 3.*) *Angelus immortalis est, non natura, sed gratia;* ergo non est immortalis ab intrinseco.

Resp. *dist. ant.* Angelus est immortalis gratia naturalis creationis, *conc.* gratia supernaturali, *nego ant.* Hic est ergo SS. Patrum sensus, quod Angelus non a se, sed a Deo per creationis beneficium immortalitatem habeat: illud autem beneficium vocatur gratia, quia est indebitum.

Quæres 2. *An Angeli sint ejusdem, vel diversæ speciei?* Hæc quæstio non pertinet ad fidem, cum nec colligi possit ex Scriptura & traditione, nec sit definita.

Resp. Probabilior est sententia, quæ asserit omnes Angelos esse ejusdem speciei, soloque numero differre.

*Prob.* Illa sententia videtur probabilior, quæ propius accedit ad modum loquendi Patrum; atqui talis est sententia quæ docet Angelos omnes esse ejusdem speciei; ergo &c. *Prob. min.* ex Patribus. *Angeli omnes*, ait D. Basil. (*L. 3. contra Eunomium*) *ut appellationis unius, sic & naturæ omnino sunt ejusdem invicem.* D. Damasc. lib. de duabus voluntatibus ait: *Angeli & homines suam quique divisam & distinctam habent hypostasim, etsi ejusdem naturæ sint.* Quia ex D. Aug. in Psalm. 103. natura Angeli est quod sit Spiritus. *Ex eo quod est*, inquit, *Spiritus est, ex eo quod agit, Angelus est.* Atqui omnes Angeli sunt Spiritus, ergo.

*Dices:* Angeli differunt forma; ergo differunt specie.

Resp. *dist. ant.* Angeli enim solo numero, seu individuatione, differunt, non forma; differt enim Gabriel a Michaele, quod hanc, non autem illam in individuo naturam habeat, licet ejusdem sit speciei cum aliorum Angelorum natura.

## CAPUT III.

### *De statu, in quo Angeli conditi sunt.*

Quæres 1. *Utrum Angeli creati fuerint beati?*

Resp. Angeli fuerunt creati beati beatitudine naturali, non autem beatitudine supernaturali.

*Prob. prima pars.* Beatitudo naturalis consistit in perfectione quæ omnem excludat miseriam: atqui Angeli fuerunt creati in illa perfectione; miseria enim est pœna peccati; ergo, &c. Hinc D. August. *l. de corrept. & gratia*, ait: *Diabolus & Angeli ejus beati erant antequam caderent.*

*Prob. secunda pars.* De ratione beatitudinis supernaturalis, quæ consistit in intuitiva visione, est stabilitas & confirmatio in bono; sed Angeli, statim ut creati sunt, stabiliti & confirmati non fuerunt in bono, ut patet ex lapsu malorum Angelorum; ergo, &c.

*Resolves*, Beatitudinem bonorum Angelorum supernaturalem, fuisse præmium illorum in bono perseverantiæ, ut asserit D. Aug. (*Lib. de corrept. & grat. c. 11.*) dicens: „ Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua certissimum sit, semper se in illa mansuros ".

Quæres 2. *An Angeli creati fuerint in statu gratiæ sanctificantis?*

Resp. *affirm.* Ut constat tum ex Scriptura, *Ezech.* 18. ubi quod de Rege Tyri ad litteram dicitur, a SS. Patribus de Lucifero intelligitur: *Ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ergo per peccatum amisit perfectionem, non naturalem; ergo supernaturalem; sed perfectio supernaturalis consistit in gratia sanctificante; ergo, &c. Hinc D. Aug. (*Lib. 12. de Civ. Dei c. 9.*) ait: *Cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit; simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Contrarium nostræ responsionis damnatum est contra Bajum Proposit. IX.

*Resolv.* Angelos in primo instanti suæ creationis recepisse fidem, spem, & alias virtutes, quæ gratiam sanctificantem consequuntur.

## CAPUT IV.

### *De loco, motu, potentia motrice, & locutione Angelorum.*

Quæres 1. *An Angeli sint in loco & quomodo?*

Resp. *ad primum.* Angeli vere sunt in loco.

*Prob.* Ex *Apoc. cap. 20.* ubi dicitur, diabolum fuisse ligatum & missum in abyssum; ergo Angelus est in loco, alias esset nullibi, quod repugnat.

Resp. *ad secundum.* Angeli non sunt in loco circumscriptive, sed definitive.

*Prob. prima pars.* Esse in loco *circumscriptive*, est ita contineri loco, ut res, quæ in eo est, cor-

correspondeat variis partibus loci; atqui Angeli non correspondent variis partibus loci, nam sola illa res correspondet variis partibus loci, quæ habet partes; atqui Angeli partes non habent, cum omnis materiæ sint expertes; ergo.

*Prob. secunda pars*. Rem esse in loco *definitive* est eam certo spatio ita contineri, ut non sit alibi; atqui certo spatio ita continentur, ut non sint alibi nam extensionem virtualem limitatam habent; ergo.

*Dices contra primam partem*: Div. Athanasius, Ep. ad Serapionem, ait: *Angeli consistunt in certis locis, loco circumscribuntur*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Loco circumscribuntur, improprie, *conc.* proprie, *nego*. Circumscribi improprie est spatio comprehendi, seu rem ita certo spatio contineri, ut alibi non sit: hoc autem satis erat Patribus, ut probarent immensitatem soli Deo, non Angelis competere.

Quæres 2. *An Angeli moveantur localiter?*

Resp. *affirmative*. Nam moveri localiter, est transire de loco in locum fluxu continuo; idque factum esse declarat Scriptura, Luc. 2. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem ... & ingressus Angelus ad eam, dixit ... & discessit ab illa Angelus*. Et Lucæ 2. *discesserunt Angeli a Pastoribus in cœlum*. Ibi certe est motus localis, nempe derelictio termini a *quo*, & progressus ad terminum *ad quem*.

Quæres 3. *An Angeli possunt movere corpora localiter?*

Resp. *affirmative*, ut constat, *Daniel. cap.* 14. ubi Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judæa in Babylonem, „ Et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum. *Et Matth.* 4. *assumpsit eum* (Jesum) diabolus in sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi ".

Quæres 4. *Utrum, & quomodo Angeli inter se colloquantur?*

Resp. *ad primum*. Angeli inter se colloquuntur, ut fide constat ex Script. Isaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*, &c. & Epist. can. Judæ: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur ... dixit imperet tibi Dominus*.

Resp. *ad* 2. Angelus alterum alloquitur Angelum suam intellectionem aut volitionem ad illum dirigendo per actum quo vult, ut utraque, vel alterutra, illi pateat. Ratio Div. Thomæ est, (1. *p. q.* 107. *art.* 1.) quia *loqui ad alterum, nihil aliud est, quam conceptus mentis alteri manifestare*. Atqui Angelus, intellectionem & volitionem ad alterum dirigendo, illi manifestat suos conceptus; & non dirigendo, illi occultat, ergo, &c.

## CAPUT V.

### *De peccato Angelorum, & ejusdem pœna.*

Quæres 1. *Cujus speciei fuerit primum peccatum Angelorum?*

Resp. *Fuit peccatum superbiæ*.

*Prob.* Ex Tobiæ 4. ubi Spiritus Sanctus dicit: „ Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium „ sumpsit omnis perditio ". Et Isaiæ 14. de diabolo, sub nomine Regis Babylonis dicitur: „ Detracta est ad inferos superbia tua . . . quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam . . . similis ero Altissimo. *Unde S. Chrysost.* homil. 15. in Joann. *ait*: Neque diabolus cecidisset, nisi se scelere superbiæ coinquinasset ".

Quæres 2. *Quodnam fuit objectum superbiæ Angelorum apostatarum?*

Resp. Est incertum, probabilius tamen est, illud peccatum superbiæ in eo positum fuisse, quod æqualitatem cum Deo desideraverint, non quidem absolute, (neque enim potuerunt ante peccatum judicare illam æqualitatem esse possibilem) sed conditionate, si nimirum esset possibilis, in eoque desiderio mirum in modum sibi complacuerint.

*Prob.* Ex citato textu Isaiæ 14. „ In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo ". Idipsum diserte docet D. Gregor. l. 34. moral. cap. 17. „ Ei a quo conditus fuerat subesse despexit . . . appetiit, ut & præesset cæteris, & nulli subesset, dicens: ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo; cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit ".

Quæres 3. *An omnes Angeli, qui cum Lucifero ceciderunt, fuerunt ex uno tantum ordine, aut ex una tantum hierarchia?*

Resp. Probabile est, quod fuerint ex quolibet ordine, & ex qualibet hierarchia.

*Prob.* Quia Apost. *Rom.* 8. inter humanæ salutis hostes recenset Angelos, principatus & virtutes. „ Neque Angeli, *inquit*, neque principatus, neque virtutes . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei ".

Quæres 4. *Quot Angelos Lucifer in suam partem traxerit?*

Resp. Cum D. Thom. (1. *p. q.* 63. *art.* 8.) „ Eum quamplurimos secum traxisse, quamquam non tot, quot in gratia, cum suo duce Michaele, remanserunt ". Nam Apocal. 12. de apostatarum Angelorum principe legitur: „ Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram "; atqui per illas stellas intelliguntur Angeli qui ceciderunt; ergo duæ illorum partes missæ non sunt in terram.

Quæres 5. *Quotuplex pœna consecuta est peccatum dæmonum?*

Resp. Quadruplex, nempe 1. Cæcitas mentis. 2. Obstinatio voluntatis in malo. 3. Exclusio a gloria. 4. Tormentum ignis.

Quæres 6. *Quæ & quanta sit dæmonum cecitas?*

Resp. In hoc consistit, quod priventur omni penitus lumine supernaturali, non vero naturali.

*Prob.* 1. *pars*: Quia lumen supernaturale est ordinatio quædam ad vitam æternam; atqui dæmones nullum habent ordinem ad vitam æternam; ergo privantur omni lumine supernaturali gratiæ. Unde de dæmone dicitur Ezech. 28. *Ejeci te de monte Dei, & perdidi te o Cherubim . . . . & elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te*. Et ideo dicuntur ab Apost. (*Ephes.* 6.) *mundi rectores tenebrarum harum*.

*Prob.*

*Prob. secunda pars:* Quia intellectus in naturalibus non minuitur, nisi cum minuitur natura, cujus est facultas; atqui dæmonum natura per peccatum non est immutata; ergo nec eorum intellectus in naturalibus; unde S. Dionys. (*L. de divinis nominib. cap.* 4.) dicit: *Naturalia dona in Angelis reprobis integra remanserunt.*

Quæres 7. *An tanta sit in dæmonibus obstinatio voluntatis, ut nullum possint exercere actum moralem omnino bonum?*

Resp. *affirm.* Ratio est 1. suum Dei vindicis odium, quo voluntas eorum male affecta, semper Deo displicere velit. 2. Privatio concursus divini, cujus defectu nihil, nisi malum, ipsis placere potest: unde vocantur spiritus mali, Psalm. 77. *immissiones per Angelos malos.*

Quæres 8. *Utrum detur aliquis locus in terræ visceribus, ad cruciatum dæmonum destinatus?*

Resp. *affirm.* Ut clarissime testatur Div. Petrus Epist. 2. Cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*, inquit, *sed rudentibus inferni detractos ad tartarum tradidit cruciandos.* Et licet nonnulli ex illis, ante diem judicii, pœnas suæ damnationis luant in hoc aere nostro, ubi ad hominum exercitationem divagari permittuntur, juxta illud Ephes. 6. „ Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus "; id est in aere nostro. Tamen fides docet, in die judicii, omnes prorsus in carcerem infernalem esse detrudendos, qui est *terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Job 10.

Quæres 9. *An dæmones in inferno torqueantur igne vero & corporeo?*

Resp. *affirm.* Ut tradit communis Patrum & Ecclesiæ consensus.

*Prob.* 1. Ex Script. Deuter. 32. „ Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima. Isaiæ 33. quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Et Matth. 25. discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus ". Ex quibus sic argumentor: Scriptura Sacra sumi debet in proprio sensu, quando nulla est necessitas illam in sensu metaphorico accipiendi; atqui nulla est necessitas nomen, *ignis*, toties repetitum, in sensu metaphorico accipiendi, cum nullum sequatur absurdum, si intelligatur de vero igne corporeo; ergo, &c. Hinc Div. Hieron. Epist. 59. arguit Origenem, quod ignem tartareum ad metaphoram transtulerit.

*Prob.* 2. Ex Patribus: S. Gregor. (*Lib.* 4. *dial. c.* 29.) de igne infernali affirmat, *corporeum esse non ambigo.* Et S. August. (*L.* 21. *de Civ. Dei cap.* 10.) *[illegible] ardebunt*, inquit, *Spiritus incorporeis ignibus cruciandi.*

Quæres 10. *Quomodo dæmones ab igne corporeo torqueantur?*

Resp. Hæc quæstio est mere philosophica, de qua nihil certum posse haberi in hac vita, ingenue fatetur Div. August. *ibid.* dicens: *Quamvis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.* Non ergo mirum est, si in tot, tamque varias, circa præsentem controversiam, sententias, abierunt Theologi, quas referre contra nostrum institutum est.

## CAPUT VI.

### *De variis Angelorum ordinibus.*

*Nota.* Certum est, quod Angelorum numerus sit maximus, ut constat ex Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* At quantus sit hic numerus, res est penitus incerta, de qua tum Scriptura, tum traditio, sine quibus id sciri non potest, tacent.

*Nota* 2. Cum Angeli inter cæteras omnes creaturas dignitate præstent, dubium esse non potest, quin innumera earum multitudo sit ordinatissima; hinc vulgo dicitur *exercitus*, qui nonnisi ex ordine coalescit, & *chorus* qui proprie est societas psallentium, in qua ne minima quidem dissonantia debet reperiri.

*Nota* 3. Hierarchia, *est multitudo ordinata sub unius sacri Principis gubernatione.*

Ordo, seu chorus, *est hierarchiæ Angelicæ gradus unus:* conveniens hierarchiæ suæ communi modo illuminationis, distinctus secundum officia diversa. His positis:

Quæres 1. *Quot sunt hierarchiæ Angelorum?*

Resp. Cum Div. Dionisio *lib. de cœlesti hierarchia, cap.* 6. sunt tres, nempe *Suprema*, quæ immediate a Deo recipit illuminationes, easque transmittit Angelis secundæ hierarchiæ. *Media*, quæ divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primæ hierarchiæ, easque transmittit Angelis tertiæ hierarchiæ. *Infima*, quæ divinas illuminationes recipit ab Angelis secundæ hierarchiæ, easque transmittit hominibus.

Quæres 2. *Quot sunt ordines, seu chori Angelorum?*

Resp. Sunt novem, quorum tres in qualibet hierarchia continentur.

In prima hierarchia continentur, *Seraphini*, *Cherubini*, & *Throni.*

In secunda hierarchia sunt *Dominationes*, *Virtutes*, & *Potestates.*

In tertia hierarchia, sunt *Principatus*, *Archangeli*, & *Angeli.* Porro illa diversa nomina sortiuntur ex diversis, quibus funguntur, ministeriis & officiis.

1. *Seraphini*, sic dicuntur, quia charitatem divinam, qua ardent, in alios Angelos transfundunt.

2. *Cherubini*, sic appellantur, quia eminentem scientiam, qua præditi sunt, aliis communicant.

3. *Throni*, sic dicuntur, quia ipsis majestas divina insidet tanquam Judex, unde divina judicia aliis Angelis denuntiant.

4. *Dominationes*, sic dicuntur, quia in eis maxime elucet supremum Dei in res creatas dominium, dominatumque exercent in inferiores Angelos, tanquam in subditos.

5. *Virtutes*, sic dicuntur, quia, virtute quasi divina

divina pollentes, causas universales movent, per eos patrantur miracula, &c.

6. *Potestates*, sic dicuntur, quia potestatem creatoris participantes, potestates infernales cohibent, efficiuntque, ne hominibus noceant.

7. *Principatus*, sic dicuntur, quia moderamine suo inferioribus Angelis principantur, nec non Regnis & Principatibus, quos regunt & custodiunt.

8. *Archangeli*, sic dicuntur, quia majora & summa hominibus annuntiant, ipsisque committitur custodia Pontificum, Regum, & Principum, & aliorum Pastorum.

9. *Angeli*, sic dicuntur, quia minora annuntiant, hominumque privatorum custodes constituuntur.

## CAPUT VII.

### *De missione, illuminatione, & custodia Angelorum.*

Quæres 1. *Utrum & a quo Angeli mittantur?*

Resp. Angeli hominibus a Deo mittuntur, tum ad quædam ipsis exhibenda ministeria, tum ad ventura ipsis prænuntianda. Id patet ex Script. Exodi 33. *Mittam præcursorem Angelum tuum*. Tob. 12. Angelus Raphael ait: *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit*. Et Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*.

Quæres 2. *Utrum Angeli ab aliis Angelis superioris hierarchiæ mitti possint?*

Resp. *affirm.* Ut communis Theologorum fert sententia: ratio est, quia ibi potest esse missio unius ab alio, inter quos est prælatio; atqui inter Angelos, sive bonos, sive malos, est prælatio, ut constat *ex Daniel.* 10. ubi Michael dicitur, *unus de principibus primis*. Et ex Job. 41. ubi *Leviathan* dicitur: *Rex super universos Filios superbiæ*: ergo.

Quæres 3. *Utrum Angeli illuminent homines?*

Resp. *affirm.* Estque de fide: nam illuminare nihil aliud est, ex D. Thoma, quam veritatem aliquam revelare; atqui Angeli revelant hominibus plures veritates; ut constat ex Scriptura, Daniel 8. *ait ad me* (Gabriel) *intellige Fili hominis*. Et cap. 9. *docuit me*, Gabriel, *dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerem te & intelligeres*. Et Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: surge . . . . & fuge in Ægyptum . . . . futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*.

Quæres 4. *An Angeli deputentur ad custodiam hominum?*

Resp. *affirm.* Est de fide. *Prob.* Ex Scriptura, Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te*. Et Hebr. 1. Apost. ait: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?*

Accedit unanimis consensus Patrum, dicentium cum Origene, homil. 8. in Genes. *Angeli tenent curam animarum nostrarum, & in eis ab infantia, tanquam tutoribus & curatoribus committuntur*.

Quæres 5. *An singuli fideles suum habeant Angelum custodem?*

Resp. *affirm.* Hocque ita certum est, contra Calvinum (*Lib. 2. instit. cap.* 14.), ut quamvis oppositum non sit hæreticum, utpote nondum ab Ecclesia definitum, nihilominus est erroneum.

*Prob.* 1. *ex Scriptura*, Matth. 18. „ Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est ". Ubi Christus 1. non dicit, *Angelus*, sed *Angeli*, significans non unum, sed plures præfici. 2. Non dicit simpliciter, *Angeli*, sed *Angeli eorum*, id est Angeli cuilibet deputati ... hæc veritas ita primorum fidelium mentem pervaserat, ut, *Act.* 12. Petro e carcere educto & pulsante ostium domus Mariæ matris Joannis, fideles, qui ibi multi erant, dixerunt, *Angelus ejus est*.

*Prob.* 2. Ex Patribus Græcis & Latinis.

Eusebius Cæsariensis. (*L.* 13. *de præparatione evangelica, cap.* 7.) ait: „ Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum, nos ex Scriptura didicimus ".

S. Hieronym. in cap. 18. Matthæi: „ Magna dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat in custodiam sui Angelum delegatum. *Et S. Anselmus, in elucidario, ait*: Unaquæque anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur ".

Quæres 6. *An quilibet homo etiam reprobus & infidelis suum habeat Angelum custodem?*

Resp. *affirm.* Ut communiter docent Theologi: tum quia Patres citati, asserentes unicuique deputatum esse Angelum custodem, non distinguunt inter fideles, & infideles ac reprobos: *Putemus Angelos dici*, inquit D. Bern. (*L. 5. de considerat. cap.* 5.) *qui singulis hominibus dati creduntur*. Tum quia Deus vult sincere omnium, etiam infidelium & reproborum, salutem, ergo neminem excludit a mediis salutis generalibus, inter quæ est Angelorum custodia.

Quæres 7. *Utrum singula regna habeant Angelos custodes?*

Resp. *affirm.* Id enim constat ex Scriptura, *Daniel* 10. ubi fit mentio Angeli, qui præerat regno Persarum, & alterius Angeli, qui præerat regno Græcorum: Princeps regni Græcorum sic Danielem allocutus est: „ Princeps regni Persarum restitit mihi 21. diebus, & ecce Michael, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum. *Unde D. Basilius de Angelis agens, ait*: Alii ipsorum gentibus præpositi sunt, alii fidelium singulos consequuntur ".

Imo, communis est sententia Patrum, singulas diœceses, civitates, & communitates, suos habere Angelos tutelares. Ita censent Origenes, Homil. 20. in Numer. Ambrosius lib. 2. in Luc. &c.

Quæres 8. *Quænam ministeria circa nos exercent Angeli custodes?*

Resp. 1. Homines a periculis & malis imminentibus liberant. *Genes.* 48. dicit Jacob: *Angelus qui eripuit me de cunctis malis*.

2. Impediunt ne dæmones hominibus noceant, Tobiæ 8. *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deserto*, ne videlicet noceret Tobiæ.

3. Pias cogitationes suggerunt ad prosecutionem boni, & fugam mali. Hinc Deus Moysi de Angelo

lo dixit, Exodi 13. „ Observa eum & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo ".

4. Preces nostras Deo offerunt, suasque ipsi nostris conjungunt, ut declaratur Apocal. 8. „ Alius Angelus venit . . . ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei ".

5. Clientum suorum animas in Purgatorio consolantur, easque, plene purgatas, ad cœlum deducunt, ut colligitur ex Lucæ 16. „ Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ ".

Quæres 9. *Utrum sicut quilibet homo ad sui custodiam habet Angelum bonum, ita etiam ad pugnam habeat Angelum malum?*

Resp. 1. Certum est quod dæmones hominibus semper nocere conentur, eos, Deo ita permittente, impugnando, & ad peccatum inducendo; quare Apost. *Ephes. 6.* dicit: „ Nobis non est colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus ", id est, in aere.

Resp. 2. Non est credendum, quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat ad exercitium; quia hoc repugnat bonitati Dei, qui ut dicitur Jac. 1. *Neminem tentat*.

Resp. 3. Valde probabile est, Luciferum, qui propter superbiam & æmulationem opera Dei audet usurpare, cuilibet homini dæmonem tentatorem deputasse, ut colligi posse videtur ex 1. Petri 5. *Vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.*

## DISSERTATIO II.

*De visibilis hujus universi creatione.*

*Nota*. Moyses, *Genes.* 1. narrat creationem hujus mundi aspectabilis sex diebus perfectam fuisse, refertque quid singulis diebus productum fuerit, ad quem remittimus eos qui ordinem creationis voluerint scire, ut de solo homine, qui, tanquam opus Dei præstantissimus, ultimo loco formatus est, disseramus; agemusque 1. De ejus creatione. 2. De dotibus quas accepit a suo auctore. 3. De ejus peccato.

## CAPUT PRIMUM.

*De primi hominis creatione.*

Quæres 1. *Quinam fuerunt primus homo, & prima mulier?*

Resp. *Fuerunt Adamus & Eva*. Est de fide contra Præadamitas.

*Prob.* Quia, *Genes.* 2. ubi fit recapitulatio creationis cœli & terræ, dicitur: *Homo non erat qui operaretur terram*; & statim sequitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem*, &c. eod. cap. dicitur: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Atqui si fuissent Præadamitæ, inventi fuissent viri ac mulieres sibi in natura similes, nec Eva potuisset dici *mater cunctorum viventium*, Genes. 3. nam Præadamitæ fuissent viventes: ergo.

Quæres 2. *Ubinam fuerunt conditi Adamus & Eva?*

Resp. Adamus & Eva extra paradisum voluptatis conditi sunt, in quem paulo post translati fuere.

*Prob.* Ex Genes. 2. ubi dicitur: *Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum;* id est, ut docet Div. August. (*L.* 8. *de Genesi ad litteram, cap.* 10.) *ut operaretur per agriculturam, non laboriosam, sed delitiosam ... custodiret autem eundem paradisum ipse sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.* Illud autem intelligitur de Adamo & Eva.

*Dices:* Eva formata est in paradiso; ergo.

*Prob. ant.* Juxta narrationem Moysis, Deus postquam posuit hominem in paradiso, formavit mulierem ex costa Adami; ergo.

Resp. *nego ant.* Equidem productio Evæ narratur postquam narrata est translatio hominis in paradisum; verumtamen, juxta ordinem productionis rerum, prius formata est Eva, quam homo in paradiso poneretur: hoc patet tum *ex hoc cap.* 2. *Gen.* ubi per vocem, *hominem*, intelligit Adamum & Evam: nam sic habet textus, *Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis ... præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem boni & mali ne comedas*, &c. Ergo eum hominem posuit in Paradiso, cui præcepit: atqui præcepit Adamo & Evæ: nam Eva serpenti interroganti respondit: *de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Præterea *Gen.* 1. dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Ergo per to, *hominem*, intelligit utrumque sexum, quem comprehendit vox, *homo*.

Quæres 3. *Quomodo Adam & Eva fuerint producti?*

Resp. 1. Adam *ex limo terræ* formatus fuit a Deo, qui *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, id est, animam, ita refertur *Gen.* 1. per hoc significatur discrimen inter corpus & animam, quod illud ex præsupposito subjecto, limo nimirum, productum sit, anima e contra ex nihilo creata sit.

Resp. 2. Corpus Evæ fuit formatum ex costa Adami, quam Deus extraxit, & spatium quod occupabat, replevit carne. *Genes.* 1.

Quæres 4. *Quare Deus fecit mulierem ex viri costa?*

Resp. Propter varias rationes. 1. Ut vir magis diligat uxorem, & sint *duo in carne una*, ut exprimit Scriptura. 2. Ut appareat qualis esse debeat societas inter virum & uxorem: mulier enim non est facta ex capite, ne dominetur; non ex pedibus, ne serviat, sed ex costa, ut vitæ socia sit. 3. Ut adumbretur Sacramentum Ecclesiæ, quæ de latere Christi secundi Adam in cruce dormientis formata est, ut tradit D. August. tract. 9. in Joann. *Dormit Adam*, inquit, *ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia; dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

Quæres 5. *Quare Scriptura dicit mulierem esse datam viro in adjutorium?*

Resp.

Resp. Hoc dicitur, eo quod data sit ad filiorum generationem: *Ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro*, inquit D. Aug. (*Lib. 6. de Genes. ad litteram, cap. 7.*) *si generandi causa subtrahatur?* Ex quo sequitur naturam humanam in statu innocentiæ propagaturam fuisse ex conjunctione maris & fœminæ, quibus Deus dixit, non secus ac aliis animantibus, *crescite & multiplicamini*.

Quæres 7. *In quo consistit imago & similitudo Dei, ad quam homo factus est?*

Resp. In eo consistit quod homo intellectu, voluntate libera, & dominio in alias creaturas sit præditus, ut docet D. Aug. *tract.* 8. *in Epist. primam Joannis*. Ratio est, quia homo, pro modulo suo, per illas facultates imitatur suum exemplar: nempe per intellectum efformat verbum, in quo ipsi repræsentantur omnia quæ sub ejus notitiam cadunt; per voluntatem liberam, non solum producit amorem eorum omnium quæ intellectus amanda proponit, sed etiam actuum suorum est dominus, atque præest cunctis animantibus: unde postquam dixit Deus, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, addit, *& præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.*

Quæres 7. *In quo statu primus homo fuerit creatus?*

„ Nota ante responsionem. *Status naturæ est* certa conditio, qua, juxta legem divinæ providentiæ, tota natura humana certo modo se habet in ordine ad suum finem ultimum". Sextuplex potest distingui status naturæ, quorum tres reales, scilicet, status *naturæ innocentis*, status *naturæ lapsæ*, & status *naturæ per Christum reparatæ*. Et tres possibiles, nempe, status *naturæ puræ;* status *naturæ integræ;* & status *naturæ lapsæ, non reparatæ*.

Status naturæ innocentis est *Conditio naturæ humanæ in justitia originali creatæ*.

Status naturæ lapsæ est *Conditio naturæ humanæ justitia originali privatæ*. In hoc statu sunt omnes posteri Adami ante Baptismum.

Status naturæ reparatæ est *Conditio naturæ humanæ in justitia per Christum restitutæ*. In hoc statu sunt omnes posteri Adami post Baptismum.

Status naturæ puræ est *Conditio naturæ humanæ consideratæ in meris suis perfectionibus naturalibus, absque gratia & peccato, obnoxiæ tamen iisdem, quibus nunc premitur, infirmitatibus*, nimirum fami, siti, ægritudini, morti & concupiscentiæ. Utrum hic status fuerit possibilis, videbimus infra.

Status naturæ integræ est *Conditio naturæ, in qua homo, nec gratia supernaturali præditus, nec peccato infectus, nullam appetitus sensitivi adversus rationem experiretur rebellionem*. Licet hic status non extiterit, tamen reduci potest ad statum naturæ puræ, quatenus homo esset absque gratia & peccato; & ad statum innocentiæ, quatenus rebellionem appetitus sensitivi non experiretur.

Status naturæ lapsæ non reparatæ est *Conditio naturæ, in qua fuisset homo post peccatum, si Deus eum per suam infinitam misericordiam non redemisset*. De hujus status possibilitate nullum unquam fuit dubium. His notatis:

Resp. Primus homo fuit creatus in statu justitiæ originalis.

*Prob.* Quia Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum;* atqui illa rectitudo est justitia originalis, qua anima hominis erat perfecte subdita Deo, & appetitus sensitivus perfecte subditus animæ, & ipsum corpus erat immortale & incorruptibile, quæ sunt totidem effectus justitiæ originalis, & hominis innocentis dotes; de quibus.

## CAPUT II.

*De dotibus, quas homo innocens accepit a suo auctore.*

*Nota*. Illæ dotes sunt, gratia sanctificans, subjectio partis inferioris ad superiorem, immortalitas, & immunitas a miseria, de quibus quæritur: 1. An homo innocens illas acceperit in sui creatione? 2. An justitia originalis & illæ dotes hominis innocentis naturales fuerint, vel supernaturales?

### QUÆSTIO I.

*An homo in sua creatione gratiam sanctificantem & dictas alias dotes a Deo acceperit?*

### CONCLUSIO I.

*Homo, in suo ortu, accepit a Deo gratiam sanctificantem*.

*Prob.* 1. Ex Script. Eccl. 17. Deus creavit de terra hominem .... *& secundum se vestit illum virtute*. Atqui per hunc textum SS. Patres & interpretes intelligunt gratiam sanctificantem, quam Adamus accepit in sua creatione, ergo, &c. unde Apost. exhortans ad recuperationem gratiæ sanctificantis per peccatum amissæ, dicit, Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*.

*Prob.* 2. Ex D. August. (*Lib. 4. de Civ. Dei, cap. 11.*) *Fecit Deus*, inquit, *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas, opus est Dei*. Atqui D. August. per bonam voluntatem intelligit gratiam sanctificantem: *Quasi vero*, inquit, l. de grat. c. 24. *aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus*. Ergo, &c. Sed:

Quæres: *An sit de fide, primum hominem, in primo instanti suæ creationis, gratiam habuisse sanctificantem?*

Resp. *negative:* Quia nec satis expresse in Scripturis continetur, nec definitum reperitur: porro ut aliquid, quod explicite non continetur in Scripturis, sit de fide catholica, requiritur definitio Ecclesiæ.

*Dices:* Hanc veritatem Concil. Trid. definivit: „ Si quis, *inquit, sess. 6. de peccato origin. can.* 10. non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, *&c.* anathema sit". Ergo.

Resp. *nego ant.* Aliud est enim in sanctitate constitutum fuisse, aliud in ea creatum esse, nam & in paradiso constitutus, id est, positus fuit Adam, quamvis in eo creatus non fuerit.

## CONCLUSIO II.

*Homo, in suo ortu, tantam accepit a Deo scientiam, ut non potuerit esse errori obnoxius.*

*Prob.* Ex Script. Eccl. 17. „ Deus ... disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum. Unde D. August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. ait: Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati ". Ergo.

*Dices:* Eva, adhuc innocens, decepta fuit a serpente, ut ipsa testatur, Gen. 3. *Serpens decepit me, & comedi.* Ergo homo innocens errare potuit.

Resp. *nego ant.* Non enim Eva innocens erat quando fuit decepta: nam licet peccatum nondum opere compleverat, tamen corde, per internam nimirum elationem, jam illud patraverat. „ Nec arbitrandum est, *inquit D. Augustinus* (*Lib.* 11. *de Genes. ad litteram*, *c.* 5.) quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elevatio comprimenda ".

*Inst.* Adamus ipse de fructu vetito comedit, ut æqualitatem cum Deo, a serpente promissam, consequeretur; ergo fuit seductus.

Resp. *nego ant.* Nam ideo tantum comedit fructum vetitum, ne contristaret uxorem, ad hanc comestionem eum invitantem, ut docet D. Augustinus (*L.* 14. *de Civit. Dei*, *cap.* 11.) dicens: *Non enim frustra dixit Apostolus*: Adam non est seductus, mulier autem seducta est (1. *ad Timoth.* 2.), *nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit: ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit.*

## CONCLUSIO III.

*Appetitus sensitivus in Adamo innocente ita perfectæ rationi erat subditus, ut nullis inordinatis concupiscentiæ motibus fuerit obnoxius.* Est de fide.

*Prob.* Ex Eccl. 17. *Deus fecit hominem rectum*; atqui non fuisset rectus si inordinatis concupiscentiæ motibus fuisset obnoxius; ergo, &c. Hinc Concilium Trident. *sess.* 5. *can.* 5. definit concupiscentiam ideo ab Apostolo peccatum dici, *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

*Prob.* 2. Tunc primum in Adamo & Eva exorta est concupiscentia, quando de sua nuditate erubuerunt; atqui solum post peccatum de sua nuditate erubuerunt; nam, ut ait Divus Augustinus: *Ante peccatum erat uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescebant.* Post peccatum vero, *aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*, &c. quem locum exponens Div. August. (*L.* 11. *de Genes. ad litteram*, *cap.* 1.) ait: „ Verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in Paradiso conversantium, nec pudebat eos: quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est . . . . justitia puniente commissum; " ergo.

## CONCLUSIO IV.

*Homo innocens, fuit conditus immortalis & ab omni miseria liber.* Est de fide contra Pelagium.

*Prob. prima pars:* 1. Ex Script. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Ergo ante peccatum, corpus hominis erat morti obnoxium, quæ, *Rom.* 6. dicitur *stipendium peccati.*

Sap. 2. dicitur; *Deus mortem non fecit: invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Atqui si corpus hominis innocentis mortale fuisset, Deus ipse fecisset mortem, quam in mundum invenisset, plasmando corpus quod esset morti obnoxium; ergo.

*Prob.* 2. Ex Synodo Palæstina, quæ hanc Pelagii propositionem damnavit ut hæreticam: „ Adam mortalis factus est, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Et Concil. Trident. sess. 5. can. 1. definit: Si quis non confitetur primum hominem Adam . . . . incurrisse per offensam prævaricationis hujusmodi, iram atque indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat, anathema sit ".

Respondent Pelagiani, textus Scripturæ, qui homini peccanti mortem comminantur, intelligendos esse de morte animæ, non vero corporis; ergo, &c. Sed:

*Contra est:* Illi textus intelligendi sunt de morte, quam Deus homini minatus fuerat; atqui mortem corporis comminatus est, ut constat ex his, *Genes.* 3. verbis: „ Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris ". Hæc porro de morte animæ intelligi non possunt.

*Prob. secunda pars* 1. Ex D. Augustino, qui expresse nostram conclusionem tuetur: „ Quam igitur, *inquit*, (*L.* 14. *de Civit. Dei cap.* 10.) felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis, &c. "

*Probat.* 2. ratione, desumpta ex eodem D. Aug. „ Quis enim, *inquit lib.* 12. *de Civ. Dei cap.* 12. primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum "? fuerunt ergo beati beatitudine naturali; atqui ex eodem, lib. 12. c. 10. „ Quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore? quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec . . . inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? " ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem.* Corpus quod constat ex elementis contrariis, est mortale; atqui corpus primorum parentum, ante peccatum, constabat ex elementis contrariis non secus ac nunc; ergo.

Resp.

Resp. *dist. maj.* Corpus, quod constat ex elementis contrariis, est mortale, si suæ naturali conditioni permittatur, *conc.* si pugna elementorum contrariorum impediatur, *nego maj.* Porro per dotem immortalitatis, quam homo innocens a Deo accepit in suo ortu, pugna elementorum fuit realiter impedita, ut nullam alteri læsionem afferre potuerit, & sic homo mori non potuerit.

*Inst.* 1. Corpus, quod tandem consenuisset, erat mortale; atqui corpus Adami innocentis tandem consenuisset; ergo.

„ Resp. nego min. *Quia, ex D. August.* lib. 1. de peccat. meritis, cap. 3. *corpus Adami innocentis* habebat . . . & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

*Inst.* 2. Homo innocens, saltem ab extrinseco, puta igne, aqua, ferro, subversione molis, &c. obrui potuisset; ergo erat mortalis.

Resp. *dist. ant.* Potuisset obrui, si singulari Dei providentia non fuisset conservatus, *conc.* si sic fuisset conservatus, *nego ant. & conseq.* Deus enim impeditus fuisset, ne objecta extrinseca corpori hominis innocentis aliquod detrimentum inferrent, cum ut ait D. August. ibidem: „ Deus vellet (*eum*) a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturum ".

*Inst.* 3. D. Aug. ibidem, c. 5. ait: *Illud corpus, hominis innocentis, jam erat mortale.* Ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Jam erat mortale, id est, poterat mori, *conc.* debebat mori, *nego ant.* Hic est verus sensus D. Augustini qui, *lib.* 1. *contra Julianum, operis imperfecti*, dicit: *Poterat mori, poterat namque peccare*, sed non debebat mori: quando enim dixit D. Augustinus: „ Corpus jam erat mortale, *addit*, sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum ". Et lib. 6. de Genes. ad litter. cap. 25. „ Mortalis ergo erat, *inquit*, conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris ".

*Objicies contra secundam partem.* Homines in statu innocentiæ famem, sitim passi fuissent; ergo.

*Prob. ant.* Illi famem, sitim, &c. passi fuissent, quin, ut iis incommodis mederentur, usi fuissent cibo & potu; atqui homines in statu innocentiæ, ut fami & siti mederentur, usi fuissent cibo & potu, Genes. 1. „ Ecce dedi vobis omnem herbam & universa ligna, ut sint vobis in escam "; ergo &c.

Resp. *nego min.* Non enim cibus datus est hominibus innocentibus, ut famem & sitim extinguerent, sed ut ipsas vitarent: „ Vivebat itaque, *inquit Divus Augustinus*, (*L.* 14. *de Civ. Dei, c.* 26.) homo in paradiso sicut volebat . . . cibus aderat, ne esuriret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat ".

## QUÆSTIO II.

*An justitia originalis, sanctitas, immortalitas, &c. fuerint homini innocenti naturales, vel supernaturales?*

*Nota.* Naturale dicitur, quod est secundum exigentiam naturæ, ipsique debitum, vel tanquam ejus pars, vel tanquam proprietas ex ejus principiis fluens, ita ut sine injustitia ipsi denegari non possit. E contra supernaturale, est quod superat omnem naturæ humanæ exigentiam, eique plane indebitum est.

*Nota* 2. Novatores, Lutherani, & Calvinistæ, ut ostenderent hominem per peccatum fuissse ita læsum in donis naturalibus, ut liberum arbitrium in eo penitus extinctum fuerit, docuerunt justitiam originalem, sanctitatem & immortalitatem naturæ innocenti fuisse debitas ac plane naturales. „ Statuimus, *inquit Luther. ad cap.* 3. *Genes*, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturale; ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, &c. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant, &c. *Postea addit.* Porro hæc omnia probant originalem justitiam fuisse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, manifestum est naturalia non mansisse integra, sicut Scholastici delirant ". Calvinus pariter, *lib.* 1. *instit. cap.* 15. docet, divinæ justitiæ & bonitati repugnare, primum hominem creari absque justitia originali ejus naturæ debita.

His accesserunt Bajus, Jansenius, & Quesnellius.

### CONCLUSIO.

„ Justitia originalis, sanctitas, & immortalitas in homine innocente fuit supernaturalis; ac consequenter possibilis fuit status naturæ puræ.

*Prob.* 1. Auctoritate SS. Pontific. Pii V. Gregor. XIII. & Urbani VIII. qui has Baji propositiones damnarunt.

„ XXI. Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. "

„ XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate, Deum supernaturaliter coleret. "

„ LXXIX. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari & institui sine justitia naturali ". Similes sunt propositiones 1. 3. 7. 9. 24. 26. 55. 78. videantur in Prolegomenis nostris. "

Item Clemens XI. damnavit has Quesnellii propositiones:

„ XXXIV. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana. "

„ XXXV. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ. "

*Prob.* 2. Ex Divo Augustino, qui pluribus locis nostram conclusionem astruit, lib. 4. contra Julian. cap. 16. „ Quid est, *inquit*, gustato cibo „ prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nuda„ tum, quod gratia contegebat? gratia quippe Dei „ magna ibi erat, ubi terrenum & animale cor„ pus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo „ vestitus gratia non habebat in nudo corpore „ quod puderet; spoliatus gratia, sensit quod ope„ rire deberet ". Ergo si donum integritatis in natura innocente fuit gratia, natura innocens sine

eo potuit creari, nam quod est gratuitum, est indebitum naturæ, ejusque exigentia superat.

Lib. 6. de Genes. ad litteram, cap. 25. de Adamo dicit: „ Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris “. Ergo immortalitas non erat debita naturæ humanæ, sed ei, *mirabili Dei gratia*, *præstabatur*, ait D. Doctor *lib.* 13. *de Civ. Dei*, *cap.* 20. Ergo natura humana potuit primitus creari sine immortalitate sibi indebita.

*Prob.* 3. *ratione*. Deus potest hominem creare cum defectibus naturalibus: „ Quamvis, inquit D. Augustinus lib. 1. retract. c. 9. ignorantia & difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalis naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus “. Atqui concupiscentia, mortalitas, &c. sunt defectus naturales, qui non possunt nisi creatoris gratia, impediri; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus non potuit hominem creare cum concupiscentia; ergo justitia originalis, quæ est virtus cohibitiva concupiscentiæ, est naturalis homini.

*Prob. ant.* Ex D. August. (*Lib.* 1. *de lib. arbitrio*, *cap.* 18.) Ignorantia & concupiscentia, sunt pœnæ peccati: atqui pœnæ peccati non possunt infligi a Deo homini innocenti; ergo Deus non potuit hominem creare cum ignorantia & concupiscentia.

Resp. *dist. maj.* Sunt pœnæ peccati, in præsenti rerum statu, *conc.* in statu naturæ puræ, *nego maj.* in hoc enim statu fuissent primordia naturalia. *Non supplicium peccati*, ait D. Augustinus ibidem cap. 20. „ sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium “.

*Inst.* 1. Deus non potuit creare hominem cum eo quod inclinat ad peccatum; atqui concupiscentia inclinat ad peccatum: ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Deus non potuit creare hominem cum eo quod inclinat ad peccatum per se, prout sunt habitus vitiosi, *conc.* per accidens, cujusmodi sunt divitiæ, ignorantia, &c. *nego maj.* Porro concupiscentia per se est potentia concupiscendi bona sensibilia, quo sensu est bonum naturæ, quatenus est principium actuum ad naturæ functiones & conservationem necessariorum, & rectæ rationi consentaneorum, licet quatenus erumpere potest in motus inordinatos, sit defectus naturæ connaturalis, & a Deo permissus ex munere causæ primæ: immo Deus plura auxilia ordinis naturalis concederet ad motus illos reprimendos, nec ad illos alio modo concurreret, quam nunc ad entitatem actus mali concurrit.

*Inst.* 2. In statu naturæ puræ, homo de membrorum rebellione erubesceret; sed repugnat quod homo, peccato præcedente, erubescat; ergo.

Resp. *nego min.* Non enim repugnat, quod sicut in illo statu esset membrorum rebellio propter carentiam justitiæ originalis, qua pars inferior superiori perfecte subjicitur; ita esset erubescentia connaturalis, quæ ex tali rebellione oriretur.

*Inst.* 3. Ergo homo erubesceret de opere Dei; atqui hoc est absurdum; ergo, &c.

Resp. *nego illatum*, nam opus Dei est natura, non defectus naturæ; habet enim natura ex nihilo creata, ut per se defectibilis sit; unde rebellio membrorum in statu naturæ puræ, non esset a natura, qua bona, sed a natura, qua defectibilis est.

*Objicies* 2. Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad suum finem ultimum; ergo nec potuit eum creare sine justitia & sanctitate ad illum finem assequendum ordinatis.

Resp. *dist. ant.* Sine ordinatione ad suum finem ultimum vel naturalem, vel supernaturalem, *conc.* sine ordinatione ad finem supernaturalem, *nego ant.* Duplex itaque est finis, nempe naturalis, & supernaturalis. *Naturalis* consistit in perfecta quadam contemplatione Dei abstractiva, & ejusdem, ut auctoris naturæ, amore, qui viribus naturæ non depravatæ elici potest. *Supernaturalis* vero consistit in Dei visione intuitiva, & amore fruitivo; ad priorem finem natura humana fuisset ordinata, si in puris naturalibus condita fuisset, illumque mediis naturalibus consequi potuisset.

*Inst.* 1. Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad id quod naturaliter appetit; atqui homo naturaliter appetit finem suum ultimum supernaturalem; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Homo naturaliter appetit finem suum ultimum supernaturalem, in præsenti statu, *conc.* in statu naturæ puræ, *nego min.* Itaque homo naturaliter appetit id, ad quod creatus est: atqui in statu naturæ puræ homo creatus esset ad solam beatitudinem naturalem; ergo solam beatitudinem naturalem appeteret naturaliter; in præsenti vero statu, homo cum ordinatus sit ad beatitudinem supernaturalem, eam naturaliter appetit.

*Inst.* 2. Quod naturaliter appetitur, in quovis statu appetitur; atqui, ex concessis, homo naturaliter appetit beatitudinem supernaturalem in præsenti statu; ergo & eam appetiisset in statu naturæ puræ.

Resp. *dist. maj.* Quod naturaliter appetitur, appetitu innato, *conc.* appetitu elicito, *nego maj.* atqui homo in præsenti statu naturaliter appetit beatitudinem supernaturalem, appetitu elicito, *conc.* appetitu innato, *nego min.* & *conseq.* Itaque appetitus naturalis, alius est innatus, alius elicitus; *appetitus innatus*, est rei proclivitas ad proprium bonum, etiam absque discursu aut reflexione, sic qui sitit, appetit potum. *Appetitus elicitus*, est naturalis actus rei aliquod bonum appetentis supposito discursu, seu reflexione, tale est desiderium hominis; qui, admirando effectum, causam videre cupit. Porro appetitus videndi Deum intuitive, est elicitus, quatenus homo, supposita revelatione, desiderat videre eum, quem scit sibi propositum esse tanquam beatitudinem suam, per actus supernaturales, possidendam.

*Inst.* 3. Deus non potuit creare hominem in eo statu, in quo homo non posset amare Deum propter se, atqui in statu naturæ puræ, homo non posset amare Deum propter se; ergo.

Resp. *dist. min.* Homo non posset amare Deum propter se, amore supernaturali; *conc.* amore naturali, *nego min.* Itaque duplex amor distinguitur, nimirum *naturalis*, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & *supernaturalis*, quo Deus amatur ut beatificator supernaturalis; porro homo in statu naturæ puræ non potuisset amare Deum amore supernaturali, ad hoc enim requiritur gratia, qua in illo statu non donatus fuisset, potuisset autem ama-

amare Deum amore naturali, ad quem sufficere possunt media naturalia, quibus Deus hominem juvasset in illo statu.

*Inst.* 4. Amor Dei naturalis, fictitius est, & impossibilis; Ergo.

Resp. *nego ant.* Cujus falsitas constat ex hac Baji prop. damnata a Pio V. & Gregor. XIII. „ Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum Sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata ".

*Inst.* 5. Div. August. (*Lib.* 3. *de gratia & lib. arb. c.* 18.) ait: „ Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex ipso Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos ". Ergo nullus potest esse amor Dei propter se, ex solis naturæ viribus.

Resp. *dist. conseq.* Nullus est amor Dei supernaturalis ex solis naturæ viribus, *conc.* naturalis, *nego conseq.* Porro D. Aug. hic loquitur de amore supernaturali, & ad salutem æternam sufficiente.

*Inst.* 6. D. Aug. variis in locis docet, omnem amorem creaturæ rationalis esse charitatem, aut cupiditatem; atqui per charitatem intelligit Dei amorem supernaturalem, qui producitur per Spiritum Sanctum; ergo.

Resp. *dist. min.* Nam D. Aug. per charitatem non intelligit amorem supernaturalem, sed amorem boni & honesti, qui est amor alicujus virtutis, ex quo sequitur tantum, omnem amorem creaturæ rationalis esse bonum, vel malum; sed inde non sequitur, omnem amorem creaturæ rationalis, qui non sit Dei propter se dilecti, esse vitiosam cupiditatem, ut constat ex hac propositione Bajana: „ Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur ".

## CAPUT III.

### *De peccato primi hominis.*

Quæres 1. *Quodnam fuerit peccatum primorum parentum?*

Resp. Fuit superbia, quæ est inobedientiæ origo.

*Prob.* Ex Scriptura, *Tob.* 4. qui, deterens Filium suum a superbia, dat hanc rationem: *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. Et Apostolus, *Rom.* 5. dicit: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi*. Atqui inobedientia est actus superbiæ: primus enim actus superbiæ est, nolle alterius imperio subjici; ergo, &c. Hinc Div. August. (*Lib.* 8. *de Genes. cap.* 12.) ait: „ Ab homine peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi ".

Quæres 2. *Quænam fuit causa peccati primorum parentum?*

Resp. Causa illius extrinseca fuit diabolus, intrinseca vero fuit eorum voluntas.

*Prob. prima pars:* Ille fuit causa extrinseca peccati primorum parentum, qui illos ad divinæ legis infractionem induxit; atqui diabolus induxit primos parentes ad divinæ legis infractionem, Evæ dicens: *In quocumque die comederitis ex eo . . . . . eritis sicut dii, &c.*

*Prob. secunda pars:* Causa interna peccati primorum parentum fuit vel ignorantia, vel concupiscentia, vel voluntas; atqui nec fuit ignorantia, qua non laborabant primi parentes, nec concupiscentia, cujus motibus, ante peccatum non erant obnoxii; ergo.

*Dices:* Causa interna peccati primorum parentum fuit concupiscentia fructus vetiti, juxta illud: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, &c.* ergo non fuit voluntas.

Resp. *nego ant.* Quando enim Eva concupivit fructum vetitum, jam interne peccaverat, sibi complacendo in independentiam quam ei serpens hisce verbis promiserat: *Eritis sicut dii scientes bonum & malum.*

Quæres 3. *Quale fuit peccatum primorum parentum?*

Resp. Fuit peccatum mortale, & quidem gravissimum, nimirum superbia, qua independentiam, quæ attributum est Deo proximum, sibi tribuere concupierunt.

Quæres 4. *Quænam fuerunt pœnæ peccati primorum parentum?*

Resp. Multiplices fuere, tum quoad corpus, tum quoad animam.

*Prima pœna quoad corpus* fuit ejectio a beatitudine in hujusce vitæ miserias, famem nempe, sitim, dolores, labores, &c. *Secunda pœna* fuit mors corporalis; utraque illa pœna describitur *Genes.* 3. quando Deus dixit mulieri: *Multiplicabo ærumnas tuas ... in dolore paries filios, & sub viri potestate eris*. Et Adamo: *maledicta terra in opere tuo . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Quoad animam, *prima pœna* fuit spoliatio omnium donorum supernaturalium. Adamus enim fuit spoliatus justitia originali, & consequenter omnibus Sancti Spiritus donis, & virtutibus per se infusis.

*Secunda pœna* fuit vulnus facultatum naturalium. Adamus quippe per peccatum in animæ potentiis quatuor accepit vulnera, scilicet *ignorantiam* in intellectu, *malitiam* in voluntate, *infirmitatem* in irascibili, & in concupiscibili appetitu *concupiscentiam*, quæ vulgo fomes peccati nuncupatur, & quam cum statim post peccatum experti fuissent Adamus & Eva, ipsos puduit se nudos videre.

Dixi: *Vulnus facultatum naturalium*: quia licet naturalia in Adamo peccante fuerint sauciata, non fuerunt tamen omnino extincta, ut docet Conc. Trid. *sess.* 5. *can.* 1.

*Tertia pœna*, fuit mortis æternæ debitum morale, quod Adamus per suum peccatum contraxit, & in hanc miseram sortem omnes posteros traxit, a qua non possunt exurgere nisi per merita mediatoris nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, & redemptio; *nisi*, enim, *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*.

TRA-

# TRACTATUS

## DE DEO INCARNATO.

*Nota* 1. Dei incarnati nomine, intelligitur compositum resultans ex unione naturæ divinæ cum humana, in una Verbi divini persona.

*Nota* 2. Actio, per quam illa unio facta est, variis insignitur nominibus: dicitur enim a SS. Patribus, *assumptio, incorporatio, inhumanatio, attemperatio, œconomia,* sed præsertim vocatur *incarnatio,* quæ vox primis Ecclesiæ temporibus usurpari cœpit, ut constat ex his Symboli Nicæni verbis, *Et incarnatus* est, & licet in Scriptura non legatur, fundatur tamen in his verbis, Joann. 1. *Et Verbum caro factum est.* Non quod Verbum assumpserit solam carnem anima destitutam, ut nonnulli Ariani docuerunt, aut carentem mente, sicut Apollinaristæ blasphemarunt: sed quod totam naturam humanam sibi conjunxerit: nam & nomen, *caro,* non raro pro tota humanitate sumitur in Scripturis: sic Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam;* Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei,* id est, omnis homo.

*Nota* 3. Hunc de augustissimo Incarnationis mysterio tractatum septem dissertationibus absolvemus, quarum *prima* erit de Incarnationis possibilitate; *secunda,* de ejus convenientia; *tertia,* de ejus necessitate; *quarta,* de ejus existentia; *quinta,* de ejus causis; *sexta,* de ejus quidditate; *septima,* de ejus termino, nempe de Christo Domino.

### DISSERTATIO I.

#### *De Incarnationis possibilitate.*

*Nota.* Duo circa Incarnationis possibilitatem expenduntur; *primum,* sitne possibilis Incarnatio? *secundum,* utrum possibilitas Incarnationis ratione naturali possit demonstrari? Pro quo solvendo supponimus, quæ in tractatu de SS. Trinitate (*Dissert.* 1. *cap.* 2.) notavimus, demonstrationem aliam esse *a priori,* per causas; aliam *a posteriori,* per effectus. Item aliquid posse demonstrari, vel *positive,* vel *negative,* supposita, vel non supposita mysterii revelatione. His, inquam, suppositis, sit

#### CONCLUSIO I.

*Mysterium Incarnationis est possibile.* Est non solum contra Gentiles, sed etiam contra Socinianos, qui omnes, qua possunt, rationes contra hujus mysterii possibilitatem opponunt.

*Prob.* 1. Quod revera peractum est, illud est possibile; atqui Incarnatio revera peracta est, ut planum fiet Dissertatione quarta; ergo.

*Prob.* 2. Illud est possibile, quod nullam involvit repugnantiam; ergo, &c. *Prob. min.* Si quam Incarnatio involveret repugnantiam, hæc peteretur vel ex parte Verbi assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ, vel ex parte unionis utriusque; atqui ex neutro capite repugnantia deduci potest, ut patebit objectionum solutione; ergo.

#### *Objectiones ex parte Verbi assumentis.*

*Objicies* 1. Illud implicat contradictionem, ex quo sequeretur Deum fore mutabilem; nam in illa suppositione, esset Deus, & non esset; esset ex hypothesi; non esset, quia immutabilitas est Deo essentialis, Malac. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Atqui ex possibilitate Incarnationis sequeretur Deum fore mutabilem; ergo.

*Prob. min.* Quod acquirit novam formam, vere & proprie mutatur; atqui Deus, supposita Incarnationis possibilitate, acquireret novam formam, videlicet humanam naturam, quam antea non haberet; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod acquirit novam formam, tanquam subjectum quod ab illa forma perficiatur, vere mutatur, *conc.* tanquam terminus qui illam formam ultimo implet ac perficit, *nego maj.* Atqui Verbum divinum acquireret novam formam, tanquam terminus qui illam ultimo compleret ac perficeret, *conc.* tanquam subjectum quod ab illa forma perficeretur, *nego min.* Itaque Verbum divinum per Incarnationem non recipit in se humanitatem, & consequenter non est subjectum ab illa perfectibile, sed est terminus illius intrinsecus, quatenus, seipsum illi communicando, illam perficit ac ultimo complet, subindeque non mutatur.

*Inst.* 1. Verbum divinum per Incarnationem reciperet in se humanitatem; ergo esset subjectum ab ea perfectibile.

*Prob. ant.* Qui de non homine fit homo intrinsece, recipit in se humanitatem tanquam illius subjectum;

ctum; atqui Verbum divinum per Incarnationem de non homine fit homo intrinsece; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui de non homine fit homo intrinsece, per sui conversionem in humanitatem, *conc.* per assumptionem humanitatis, solamque illius terminationem, *nego maj.* unde D. Athanasius in Symbolo ait: *Deus factus est homo, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Proindeque in Incarnatione nulla prorsus facta fuit mutatio in Verbo divino.

*Inst.* 2. Verbum divinum per Incarnationem reciperet novam denominationem intrinsecam; nimirum, denominationem hominis; ergo reciperet in se humanitatem, ac proinde mutaretur intrinsece.

Resp. *dist. ant.* Reciperet novam denominationem intrinsecam petitam ab unione substantiali & intrinseca sui cum humanitate, *conc.* petitam a forma intrinseca de novo in se recepta, *nego ant.* Itaque Verbum divinum per Incarnationem recipit intrinsecam hominis denominationem, quia intrinsece unitur humanitati, sed per illam unionem humanitas non perficit Verbum; e contra Verbum perficit humanitatem, proindeque tota mutatio in naturam humanam refunditur, quæ recipit personam Verbi, cui substantialiter unitur, & per quam terminatur omnimoda illius communicatio.

*Inst.* 3. Qua ratione natura humana dicitur mutari per Incarnationem, eadem Verbum divinum diceretur mutatum; ergo in utramque naturam refunderetur.

*Prob. ant.* Ideo natura humana dicitur mutari, quia in se recipit naturam divinam, cui antea non erat unita personaliter; atqui similiter Verbum divinum per Incarnationem in se recipit naturam humanam, quam sibi copulat personaliter, cui antea non erat unitum; ergo pari ratione per Incarnationem dicitur mutari.

Resp. *nego min.* Disparitas enim est, quod Verbum divinum sibi copulat naturam humanam per modum terminantis illius dependentiam in ratione personæ; e contra natura humana in se recipit personam Verbi tanquam intrinsecum sui complementum, ita ut jam non in se subsistat, sed in Verbo, per quod ultimo completur substantialiter, sicque intrinsece perficitur.

*Inst.* 4. Humanitas est intrinseca Verbo; ergo in illo recipitur.

Resp. *nego conseq.* Non enim humanitas est Verbo intrinseca, quod recipiatur in illo ut subjecto substentationis; sed quod subsistat vi subsistentiæ Verbi, id est, quod a Verbo, supplente defectum subsistentiæ propriæ, accipiat ultimum complementum substantiale & intrinsecum.

*Objicies* 2. Actus purus non potest uniri cum ullo alio; atqui persona divina est actus purus: ergo, &c.

*Prob. maj.* Actus purus non potest dicere potentialitatem ad aliud, alias non esset purus; atqui si persona divina uniretur cum alio, diceret potentialitatem ad illud; ergo.

Resp. *dist. min.* Si persona divina uniretur cum alio per modum partis componentis, *conc.* per modum termini infiniti supplentis vices alicujus termini creati, *nego min.* Porro Verbum divinum in Christo non habet rationem partis proprie dictæ; pars enim proprie dicta, est quid incompletum & perfectibile a sua comparte; atqui Verbum divinum est infinite completum & tam perfectum se solo, quam compositum, quod ex ipso & humanitate resultat; ergo, &c.

*Inst.* 1. Persona divina non potest uniri cum humanitate, nisi cum ipsa constituat unum per se; atqui ex pluribus non potest constitui unum per se, nisi unum eorum habeat rationem actus, aliud vero rationem potentiæ; ergo.

Resp. *dist. min.* Ex pluribus non potest constitui unum per se, nisi, &c. si illud unum per se, fiat per compositionem & conformationem, *conc.* si fiat per terminationem dependentiæ unius ad alterum, *nego min.* Porro Verbum divinum unitur humanitati, ut constituat unum per se, nempe Christum, non per modum compositionis formalis, sed duntaxat per modum personæ divinæ terminantis, ac supplentis vicem personæ creatæ.

*Inst.* 2. Quæ constituunt unum per se, sunt entia incompleta; ergo habent rationem actus & potentiæ.

Resp. *dist. ant.* Quæ constituunt unum per se, in ratione naturæ, *conc.* in ratione suppositi, *nego ant.* Porro Verbum & natura humana in hoc mysterio constituunt unum per se, non in esse naturæ, sed in esse suppositi, sub qua ratione natura assumpta propria subsistentia, est incompleta. Verbum vero assumens est infinite completum in omni ratione, unde non est perfectibile, sed humanitatis perfectivum in ratione suppositi.

*Inst.* 3. Verbum divinum non potest complere naturam creatam in ratione suppositi; ergo.

*Prob. ant.* Quod complet aliquid, se habet per modum causæ illius formalis; atqui Verbum divinum non potest habere rationem causæ formalis; ergo, &c.

Resp. *dist. ant. maj.* Quod complet aliquid, per modum formæ adhærentis & incompletæ, *conc.* per modum termini infinite perfecti & nullatenus perfectibilis, *nego maj.* Porro sic Verbum divinum complet naturam humanam, quæ sic a Verbo terminata, in se non subsistit, sed in Verbo, cujus fit natura.

*Objicies* 3. Si Verbum divinum incarnaretur, Pater, & Spiritus Sanctus, simul incarnarentur, falsum conseq. ergo.

*Prob. maj.* Tres personæ unam eandemque numero habent naturam; ergo una non potest incarnari, quin cæteræ incarnentur.

Resp. *nego conseq.* Ratio est, quia unio, in Incarnatione, non est facta in natura tribus personis communi, sed facta est in persona Verbi realiter distincta a personis Patris, & Spiritus Sancti.

*Objectiones ex parte naturæ humanæ assumptæ.*

*Objicies* 1. Ut Incarnatio sit possibilis, necesse est ut natura humana sua propria spolietur subsistentia; atqui natura humana non potest sua propria spoliari subsistentia; ergo.

*Prob. min.* Persona definitur: *Naturæ rationalis individua substantia:* atqui impossibile est dari aliquam naturam actu existentem, quin sit individua substantia; ergo natura humana non potest spoliari sua propria subsistentia.

Resp.

Resp. *dist. min.* Quin sit individua substantia, si *tò individua*, sumatur pro *tò singulari*, *conc.* si sumatur pro incommunicabili alteri ut supposito, *nego min.* & *conseq.* Itaque *individuum* sumitur duobus modis, 1. ut significat substantiam actu existentem extra causas, singularem, & determinatam. 2. Ut denotat substantiam incommunicabilem alteri tanquam supposito, & ita per se, non in alio, existentem; fatemur non posse dari naturam actu existentem, quin sit individua priori modo, qui spectat ad unitatem numericam; negamus autem non posse dari naturam actu existentem, quin sit individua posteriori modo per propriam subsistentiam; potest enim uniri substantialiter cum alia substantia perfectiori, nempe cum Verbo divino, in quo casu non subsistit subsistentia propria, sed subsistentia Verbi, a quo substantialiter perficitur & completur, in quo sistit, a quo terminatur, & cujus juris tota efficitur.

*Inst.* 1. Subsistentia non distinguitur ab ipsa substantia; ergo natura humana non potest sua spoliari substantia.

Resp. *dist. ant.* Subsistentia non distinguitur a substantia, tanquam res a re, *conc.* tanquam modus a re modificata, *nego ant.* Itaque subsistentia est modus, quo substantia ultimo terminatur, & redditur incommunicabilis alteri tanquam supposito; porro res aliqua integra subsistere potest absque suo certo subsistendi modo, v. g. digitus sine inflexione.

*Inst.* 2. Subsistentia est ipsamet natura; ergo non distinguitur ab illa tanquam modus a re modificata.

Resp. *dist. ant.* Subsistentia est ipsamet natura præsuppositive, *conc.* formaliter, *nego ant.* Itaque subsistentia præsupponit naturam, sed secundum se & formaliter nihil aliud est quam negatio communicabilitatis, seu unionis substantialis cum alia perfectiore, quæ negatio tollitur, cum natura humana personam Verbi in se recipit, quia tunc desinit esse sui juris, ac proinde desinit habere subsistentiam propriam, cum desinat habere illius effectum, qui est reddere naturam proprii sui juris, non autem alieni.

*Inst.* 3. Subsistentia est modus magis intrinsecus substantiæ, quam figura quantitati; atqui non potest quantitas actu separari ab omni prorsus figura; ergo nec humana natura ab omni prorsus supposito.

Resp. *conc. totum.* Neque enim dicimus naturam humanam in mysterio Incarnationis privari posse omni subsistentia, sed solum privari posse sua propria subsistentia, cujus tamen loco participet alienam perfectionem, puta divinam, qua perficiatur & ultimo compleatur.

*Inst.* 4. Natura humana non potest existere per existentiam alienam; ergo nec potest subsistere per subsistentiam alienam.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod existentiæ effectus sit naturam actu & formaliter ponere in seipsa extra nihil, ergo, hac sublata, impossibile est hanc naturam actu remanere, quia nec formalis effectus absque sua causa conservari potest, nec ab illa separari; alioqui & natura simul existeret & non existeret; at vero subsistentia non facit naturam esse actu, sed illam solum reddit incommunicabilem; porro indifferens est ut incommunicabilis reddatur per propriam subsistentiam, vel per alienam perfectiorem, a qua perficiatur.

*Objicies* 2. Si natura humana in Verbo careat propria subsistentia, erit in statu violento; consequens repugnat; ergo.

*Prob. seq. maj.* Quod frustratur appetitu naturali, est in statu violento; atqui si natura humana in Verbo careat propria subsistentia, frustrabitur appetitu naturali quem habet ad propriam subsistentiam; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Neque enim violentum dici potest quidquid ab auctore naturæ fit in creaturis, imo præcipuus naturæ ordo in hoc consistit, ut omnia Creatori ad nutum obediant: ergo cum ipsi obediunt, non possunt dici violentiam pati; porro natura humana potentiam passivam obedientialem habet ut terminetur subsistentia aliena, saltem increata; & ideo nullam patitur violentiam per illam terminationem, per quam in statum nobiliorem exaltatur.

*Objectiones ex parte unionis Verbi cum natura humana.*

*Objicies* 1. Inter unibilia debet esse quædam proportio; atqui inter Verbum divinum & naturam humanam nulla esset proportio; quippe Verbum divinum infinitum est, natura vero creata finita; ergo non sunt inter se unibilia.

Resp. *dist. maj.* Debet esse proportio habitudinis, qualis est inter perfectivum & perfectibile, terminans & terminatum, *conc.* proportio entitatis ad entitatem, *nego maj.* Licet ergo inter Verbum & naturam humanam nulla sit proportio entitatis, est tamen proportio habitudinis, quatenus natura humana est terminabilis, & Verbum infinite terminativum. Sic licet inter Deum videndum & intellectum creatum, nulla sit proportio entitatis, cum inter utrumque sit infinita distantia, nihilominus intellectus creatus elevari potest ad eliciendam visionem intuitivam, per quam Deo unitur in ratione objecti, propter habitudinem, quam creatura intellectiva habet ad objectum intelligibile.

*Subsumes:* Infinitum & finitum non possunt simul uniri in ratione terminantis & terminati; ergo nulla solutio.

*Prob. subs.* Infinitum & finitum magis invicem pugnant quam duo contraria; atqui duo contraria nequeunt esse simul in eodem subjecto; ergo infinitum & finitum non possunt simul esse in eodem supposito.

Resp. *dist. maj.* Magis invicem pugnant, in perfectione, *conc.* in incompossibilitate, *nego maj.* Porro incompossibilitas contrariorum provenit duntaxat ex eorum repugnantia naturali; sed Verbum divinum & natura humana nullam inter se habent repugnantiam respectu ejusdem suppositi, & consequenter, quamvis sint magis diversa, quam contraria, possunt facilius subsistere in eodem supposito, quam duo contraria.

*Objicies* 2. Implicat contradictionem unum & idem esse simul mortale & immortale, finitum & infinitum, &c. atqui ex unione naturæ divinæ & humanæ

manæ in uno supposito illa omnia sequuntur absurda; ergo.

Resp. *dist. maj.* Implicat unum & idem esse simul mortale & immortale, &c. & sub eodem respectu, *conc.* sub diverso respectu, *nego maj.* Porro Deus incarnatus ratione naturæ divinæ est immortalis, & ratione naturæ humanæ est mortalis; at compositum aliquod esse mortale sub uno respectu, & immortale sub alio, non sunt contradictoria, quia contradictoria debent esse de eodem secundum idem, ex Philosophis.

*Inst.* 1. Ex unione naturæ divinæ & humanæ in uno Verbi supposito, duo saltem gravia sequerentur incommoda. *Primum*, quod Verbum divinum localiter moveretur ad motum humanitatis. *Secundum*, quod natura humana, quæ Verbo divino subsisteret, deberet esse ubique, sicut ubique Verbum est; atqui illa duo sunt absurda; ergo.

Resp. *nego sequel. ant.* Et utrumque incommodum oppositum. 1. Quidem Verbum divinum non movetur ad motum humanitatis, quia est immensum, & per suam immensitatem ubique est. 2. Natura humana non potest esse ubique sicut Verbum, quia ubique non terminatur a subsistentia Verbi, sed in certo quodam & determinato spatio.

*Inst.* 2. Ex unione utriusque naturæ in uno Verbi supposito, sequeretur divinam hypostasim non esse immensam; falsum conseq. ergo.

*Prob. ant.* Hypostasis non valet ultra naturam a se terminatam extendi; ergo si hypostasis divina terminaret naturam humanam, non esset immensa.

Resp. *dist. ant.* Hypostasis non valet ultra naturam propriam a se terminatam extendi, *conc.* ultra naturam alienam quam facit subsistere, *nego ant.* Porro natura propria, quam divina hypostasis terminat, est divinitas, quæ cum sit ubique, eam ubique terminat.

*Objicies* 3. Ex Verbo divino & humanitate non potest fieri unum per se; ergo non possunt substantialiter uniri.

Resp. *nego ant.* Nam ex Verbo divino & humanitate assumpta, resultat unum per se subsistens in duabus naturis, nempe Christus Dominus, qui est Deus homo.

*Inst.* Entia completa non possunt constituere unum per se; atqui Verbum divinum & humanitas sunt entia completa; ergo.

Resp. *dist. maj.* Entia completa tum ratione naturæ, tum ratione personæ, non possunt constituere unum per se, *conc.* completa ratione naturæ, sed quorum unum sit incompletum ratione personæ, *nego maj.* Porro in Incarnatione Verbum divinum est omnimode completum; verum humanitas assumpta, est completa in ratione naturæ tantum cum a Verbo compleatur in ratione suppositi; unde non habet suam totalitatem, quæ est terminatio naturæ in se, ratione cujus est sui juris, & incommunicabilis alteri ut supposito.

## CONCLUSIO II.

*Possibilitas mysterii Incarnationis, sive supposita, sive non supposita illius revelatione, potest quidem ratione naturali demonstrari* negative, *sed nulla omnino ratione potest demonstrari* positive.

*Prob. prima pars.* Illud demonstratur *negative*, quod nullo argumento insolubili potest impugnari; atqui possibilitas mysterii Incarnationis nullo argumento insolubili potest impugnari, ut constat ex propositione superiori, in qua momenta quæ a Paganis contra eam objici solent fuerunt dissoluta; ergo, &c.

*Prob. secunda pars:* 1. Illud mysterium nulla ratione naturali potest demonstrari positive, quod sola revelatione cognosci potest; atqui, ex Scriptura, mysterium Incarnationis sola revelatione cognosci potest: Coloss. 1. *Mysterium quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est in sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.* Ergo.

Hinc Concilium Toletanum XI. cap. 1. de confessione fidei, ait: „ Partus virginis, nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quia si ratione colligeretur, non esset admirabilis: si exemplo, non esset singularis. Idem habet Divus August. Ep. 3. ad Volusianum, ubi addit: „ Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis “.

*Prob.* 2. *ratione.* Omnis demonstratio fit a priori, & per causam, vel a posteriori, & per effectum; atqui mysterium Incarnationis nec a priori, nec a posteriori potest demonstrari; *non a priori*, quia nihil est in rerum natura, quod sit causa naturalis hujus mysterii, aut quod naturaliter exigat ejus dispensationem; *non etiam a posteriori*, cum nullus sit effectus in rerum natura, qui necessariam habeat cum hoc mysterio connexionem; ergo nulla ratione naturali demonstrari potest.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Id naturali ratione potest demonstrari possibile, quod naturali ratione cognoscitur non repugnare; atqui naturali ratione cognosci potest mysterium Incarnationis non repugnare; ergo.

Resp. *dist. maj.* Id naturali ratione potest demonstrari possibile, quod, &c. negative, solvendo nimirum omnia quæ in contrarium afferuntur argumenta, *conc.* positive, seu per causam aliquam aut effectum quo possimus cognoscere & probare talem possibilitatem, *nego maj.* Solutio patet ex conclusione præcedenti.

*Inst.* 1. Evidenter solvere omnia argumenta impossibilitatem Incarnationis suadentia, est Incarnationis possibilitatem demonstrare positive; atqui intellectus perspicax & perfectus potest evidenter solvere omnia argumenta impossibilitatem Incarnationis suadentia: ergo.

Resp. *dist. maj.* Omnia argumenta solvere evidenter positive, *conc.* negative, *nego maj.* Equidem intellectus perspicax potest argumenta quæ fiunt contra Incarnationis possibilitatem, solvere evidenter, *negative*, negando nimirum principia ex quibus inferuntur, & ostendendo illationes ex illis principiis non convincere, nec evidenter probare illud

illud mysterium esse impossibile; sed non potest illa solvere evidenter *positive*, nimirum ostendendo evidenter, quod principia, ex quibus procedunt, falsa sunt, & consequenter quod eorum contradictoria sunt vera; ergo nedum potest demonstrare tale mysterium esse possibile, sed dubitare potest an aliqua principia naturalia sibi, divinitus saltem, sint occulta, ex quibus aliqua hujus mysterii implicantia deduci possit.

*Inst.* 2. Intellectus perfectus, v. gr. angelicus, evidenter *positive* cognoscit Deum posse efficere quidquid non implicat contradictionem; atqui mysterium Incarnationis non implicat contradictionem; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Potest evidenter positive cognoscere Deum posse efficere, indeterminate & in genere, quidquid, &c. *conc.* determinate & in particulari, *neg. maj.* Alias Dei omnipotentiam, in qua sunt omnia possibilia, comprehenderet, quod est impossibile.

*Subsumes*. Atqui Angelus evidenter positive cognoscit nullam esse contradictionem, quod Deus fieri possit homo; ergo nulla solutio.

*Prob. subsump.* Angelus potest evidenter cognoscere subsistentiam divinam infinitam esse in terminando, & subsistentiam naturæ creatæ ab illa esse distinctam; ergo potest evidenter cognoscere, quod subsistentia divina possit supplere vices personalitatis creatæ, terminando naturam creatam.

Resp. *nego conseq.* Quamquam enim Angelus cognoscere possit subsistentiam divinam esse infinitam in terminando, & subsistentiam creatam esse distinctam & separabilem a natura humana, tamen non potest cognoscere naturaliter, quo pacto Verbum uniri posset humanitati; quippe non posset cognoscere an subsistentia humana esset a sua natura realiter separata; & utrum ipsa natura subsisteret subsistentia Verbi, siquidem ille subsistendi modus, est ordinis supernaturalis, & obedientialis.

*Inst.* 3. Angelus naturaliter cognoscere potest, naturam humanam posse spoliari propria subsistentia; ergo naturaliter potest cognoscere, naturam humanam posse subsistere subsistentia Verbi.

Resp. *transeat ant. nego cons.* Quamquam enim Angelus posset naturaliter cognoscere naturam humanam posse spoliari propria subsistentia, non sequitur tamen, quod possit naturaliter cognoscere eam subsistere subsistentia Verbi; tum quia infinita est, inter naturam humanam, & Verbi subsistentiam, disproportio; tum quia posset judicare Deum conservare illam naturam individualem absque omni subsistentia, sicut de facto conservat species Eucharisticas absque omni subjecto.

Dixi: *transeat ant.* Quod multi negant: 1. Quia nullum est in naturalibus exemplum, quo constet naturam creatam spoliari posse subsistentia sibi propria. 2. Quia natura humana ita determinata est ad propriam subsistentiam, ut absque ea naturaliter non possit existere.

*Inst.* 4. Cum Angelus comprehendat naturam humanam, cognoscit omnes modos, quibus illa existere potest; ergo cognoscit eam subsistere posse per subsistentiam Verbi.

Resp. *dist. ant.* Cognoscit omnes modos naturales, quibus potest subsistere, *conc.* supernaturales & obedientiales, *nego ant.* Alias comprehenderet omnipotentiam Dei; porro modus, quo natura humana subsistit in Verbo, est supernaturalis & obedientialis.

*Inst.* 5. Lucæ 4. dicitur: „ Exibant autem dæmonia a multis clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum ". Ex quo sic argumentor: Dæmones cognoverunt Jesum Nazarenum esse Christum Deum & hominem; atqui illud non cognoverunt per revelationem divinam, cujus erant incapaces; ergo cognoverunt per nativam intelligendi virtutem.

Resp. *dist. maj.* Dæmones cognoverunt, &c. conjecturaliter, *conc.* certo & evidenter, *nego maj.* atqui illud non cognoverunt per revelationem divinam sibi immediate factam, *conc.* per revelationem in Scripturis exaratam, ac miraculis declaratam, *nego min.* Potuerunt ergo dæmones, tum ex vaticiniis Prophetarum, tum ex mirandis operibus quæ Jesus quotidie operabatur, cognoscere ipsum esse Messiam promissum, quæ cognitio erat conjecturalis, non certa & evidens, unde tentator ad eum accessit quærens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

*Objicies* 2. Ratio naturalis suadet mysterium Incarnationis esse evidenter credibile: ergo pariter suadet esse evidenter possibile.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod credibilitas rei sumitur ab auctoritate dicentis fide digni; unde quo quis magis judicatur verax in dicendo, eo etiam facilius & firmius ei fides datur. At possibilitas rei petitur ex internis illius rei principiis, a quibus habet quod non repugnet, nec ullam involvat contradictionem.

*Objicies* 3. SS. Patres variis exemplis naturalibus possibilitatem Incarnationis demonstrant, qualia sunt unio animæ spiritualis cum corpore materiali in homine; insertio rami in arborem naturæ diversam: conjunctio ignis & ferri in ferro candente, &c. ergo.

Resp. *nego ant.* Equidem illis exemplis possibilitas Incarnationis potest illustrari ac verosimilis reddi, supposita illius revelatione, eoque fine illa exempla usurpant SS. PP. verum illis nullo modo potest demonstrari, sive supposita, sive non supposita illius mysterii revelatione: immo illa omnia symbola, seclusa revelatione, nullam hujus mysterii suspicionem possunt ingerere, cum nullus hominum, ante hujus mysterii revelationem, quidpiam de illo unquam fuerit suspicatus.

## DISSERTATIO II.

### *De Incarnationis convenientia.*

*Nota*. Conveniens hic dicitur id quod decens ac consentaneum est: quia vero convenientia explicari non potest sine relatione rei convenientis, ad rem, cui convenit; ideo quæritur, utrum Incarnatio fuerit conveniens 1. Deo redemptori; 2. Homini redimendo; 3. Toti universo; pro quibus solvendis sit

### CONCLUSIO I.

*Incarnatio fuit maxime conveniens.*

*Prob.* Illud est Deo maxime conveniens, per quod præ-

præcipua illius attributa hominibus manifestantur; atqui per Incarnationem præcipua Dei attributa, nimirum omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia, & justitia, hominibus manifestantur; ergo.

1. Quidem in Incarnatione elucet omnipotentia Dei, quia Incarnatio est operum Dei maximum, cum per eam uniantur duo extrema a se infinite distantia, & evehatur creatura ad esse personale Dei; unde Beata Virgo Maria de hoc ineffabili mysterio benedicens Deum, (*Luc.* 1. *v.* 49.) ait: *Fecit mihi magna qui potens est.*

2. Elucet sapientia, quia debiti difficillimi adinvenit decentissimum solvendi modum, in quo mirabiliter jura misericordiæ conciliantur cum juribus justitiæ divinæ.

3. Elucet bonitas, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed sese illi communicavit, quantum communicari potest, se ipsum ad servi conditionem deprimendo, ut servum ad Deum usque eveheret.

4. Elucet misericordia Dei, quia pro impiis & inimicis suis redimendis unigenitum suum morti crudelissimæ tradidit; Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

5. Elucet justitia, quia peccatum non impunitum reliquit, sed pretium condignum, quod pro eo solvendum erat, a Mediatore nostro repetiit; ergo in mysterio Incarnationis, præcipua Dei attributa mirifice manifestantur.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies cum Socinianis.* Quod dedecet summam Dei majestatem, non est conveniens; atqui Incarnatio dedecet summam Dei majestatem; ergo.

*Prob. min.* Summam Dei majestatem dedecet humiliari; atqui Deus per Incarnationem sese humiliasset; ergo.

Resp. *dist. ant.* Dedecet summam Dei majestatem humiliari, secundum se, *conc.* secundum carnem assumptam, *nego maj.* Cum itaque divinitas sit omnino invariabilis, secundum se, nec exaltationis, nec humiliationis, est capax; sed ratione naturæ humanæ sibi unitæ potest humiliari ad manifestationem suæ magnitudinis.

*Inst.* 1. Dedecet majestatem Dei sese exinanire; atqui per Incarnationem Deus sese exinaniisset; ergo.

Resp. *nego maj.* Solum enim peccatum Deum dedecet; ergo Verbi exinanitio, quæ facta fuit in assumptione humanitatis, majestatem divinam non dedecet.

*Inst.* 2. Indecens est, ut qui omnia excedit, contineatur in corpore infantis; ergo non est conveniens Incarnatio.

Resp. *dist. ant.* Si ita contineatur ut in illo coarctetur, *conc.* si in illo non coarctetur, *nego ant.* Porro Deus ita continetur in corpore humano, ut etiam sit ubique.

*Inst.* 3. Conveniens non est Deo aliter se habere in tempore, quam ab æterno; atqui ab æterno fuit sine carne; ergo.

Resp. *dist. maj.* Conveniens non est Deo aliter se habere in tempore, secundum perfectiones intrinsecas, *conc.* secundum communicationem, ad extra, *nego maj.* Itaque Deus per Incarnationem aliter se habuit solum per communicationem ad extra; atqui summa sui communicatio, Deo, qui est summe bonus, est convenientissima; ergo.

*Objicies* 2. Prodigalitas non est conveniens Deo; atqui est magna prodigalitas, quod vita Filii Dei, quæ pretiosissima est, exponatur profundenda pro misero peccatore, qui cæteroquin alia via redimi potuerit; ergo.

Resp. *nego min.* Quia Deus non subjecit Filium suum morti, ut ab illa absorberetur, sed ut, devicta morte, resurgeret immortalis; ergo in Deo non fuit prodigalitas, sed maxima liberalitas amoris, qui nunquam expletur, nisi cum amantem dedit amato, quare *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

*Inst.* Non est conveniens, ut majus bonum ordinetur ad minus; atqui in Incarnatione majus bonum ordinaretur ad minus, videlicet, Incarnatio Dei ad reparationem generis humani; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non est conveniens, ut majus bonum ordinetur ad minus, tamquam medium ad finem ultimum, *conc.* tanquam causa ad effectum, *nego maj.* Incarnatio itaque ordinatur: 1. Ad reparationem generis humani, tanquam causa ad effectum quem producit. 2. Ordinatur ad gloriam Dei, tamquam ad finem ultimum, porro gloria Dei excellenlentior est vita Christi.

*Objicies* 3. Quod minus cedit in gloriam Dei, non est conveniens Deo; atqui satisfactionem exigere pro peccato, minus cedit in gloriam Dei, quam illud gratis remittere; ergo.

Resp. *nego min.* Nam opus, in quo cum summa misericordia elucet etiam summa justitia, magis cedit in gloriam Dei, quam opus in quo sola misericordia maxime commendatur; igitur Deo congruum fuit ut ex misericordia præberet mediatorem, qui debitum ex justitia solveret; sic enim *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.*

*Inst.* 1. Illud opus non est justitiæ, in quo maxima committitur injustitia; atqui id fit in mysterio Incarnationis; ergo.

*Prob. min.* Innocentem tradere ad supplicium, est maxima injustitia; atqui in Incarnatione, Christus innocens traditus est ad supplicium; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si illud supplicium habeat rationem punitionis, *conc.* si habeat rationem satisfactionis tantum & reparationis, *nego maj.* Disparitas est, quod in punitione attenditur peccantis iniquitas; in satisfactione vero pro alio, spectatur satisfacientis charitas; porro in satisfaciendo, unus potest ferre pœnam pro altero.

*Inst.* 2. Deus Pater pœnas peccati alieni repetiit a Filio; ergo supplicium, ad quod illud tradidit, habuit rationem punitionis.

Resp. *dist. ant.* Pœnas peccati alieni, quas in se Filius susceperat, a Filio repetiit, *conc.* quas in se non susceperat, *nego ant.* Christus itaque tamquam peccatoris sponsor, pœnas peccati in se voluntarie susceperat; unde illas merito repetiit ab illo Pater.

*Inst.* 3. Læditur justitia, quoties ad finem consequendum eligitur medium iniquum; atqui per Incarnationis decretum, Deus Pater ad redemptionem hominis elegit medium iniquum; ergo.

*Prob. min.* Deus Pater ad redemptionem hominis prædefinivit crucifixionem Christi, quæ scelus fuit gravissimum; ergo elegit medium iniquum.

Resp. *dist. ant.* Prædefiniit, permittendo, *conc.* impellendo, *nego ant.* Unde licet crucifixio Christi iniqua fuerit ex parte Judæ proditoris, Judæorum, Pilati; tamén æquissima fuit ex parte Dei Patris, qui eam permisit, & permissam ordinavit ad hominum salutem.

Quæres obiter, *An convenientius fuerit Verbum incarnari quam Patrem, & Spiritum Sanctum?*

Resp. *affirm.* 1. Quia conveniens erat ut idem esset Filius hominis in tempore, qui jam erat Filius Dei in æternitate: confusio enim visa fuisset in Trinitate, si duo dicti fuissent Filii, unus æternus & Increatus, alter temporalis & Incarnatus. 2. Quia, ut ait S. Leo (*Serm. 12. de passione Domini*) „ Cum per Verbum omnia facta sint, conveniens erat, ut idem esset hominis reparator, qui ejusdem fuerat conditor “.

## CONCLUSIO II.

*Incarnatio hominis redimendo maxime fuit conveniens.*

*Prob.* Homo consideratur vel in individuo, vel in specie; atqui Incarnatio fuit maxime conveniens utroque modo spectato; ergo.

1. Incarnatio fuit conveniens homini in individuo, id est, naturæ, quæ reipsa a Verbo assumpta est; quia per Incarnationem factum est, ut hic homo esset Deus, ac proinde caput Angelorum & hominum supremo latriæ cultu colendus; atqui illæ prærogativæ homini in individuo sunt maxime convenientes & consentaneæ; ergo.

2. Incarnatio fuit conveniens homini in specie, id est, toti naturæ humanæ; tum quia tota natura humana, per conjunctionem Verbi cum uno ex ejus individuis, fuit exaltata ad supremum honorem cognationis & consanguinitatis cum Deo; tum quia ex Verbo Incarnato in totam naturam humanam innumera beneficia defluxerunt; *de plenitudine* enim *ejus omnes accepimus*, Joann. 1. Atqui illæ omnes excellentiæ sunt maxime convenientes homini in specie; ergo.

## CONCLUSIO III.

*Incarnatio toti universo fuit maxime conveniens.*

*Prob.* Quia totum universum aliquid dignitatis sortitum est in ipsa hominis ad divinum consortium sublimatione, tum quia in aliqua sui parte ad fastigium divinitatis evectum est; tum quia, cum homo totius universi sit nomenclatura, in quo, tamquam in summa, omnia continentur, illius dignitas & excellentia in alias omnes creaturas redundat; ergo, &c. Hinc est, quod Apostolus, Ephes. 1. de Patre æterno dicat: *Proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt, in ipso.*

Quæres: *An convenienter mysterium Incarnationis in plenitudine temporis fuerit adimpletum?*

Resp. *affirm.* Quia sicut sol naturalis in medio planetarum positum est, ut superiores & inferiores illuminare possit; ita conveniens fuit, ut Christus, verus sol justitiæ, in medio annorum veniret ut sæcula anteriora per fidem suæ Incarnationis futuræ illuminaret, & sequentia per doctrinam Evangelicam illustraret, & per Sacramenta a se instituta sanctificaret.

*Dices:* Convenientius Incarnatio facta fuisset in mundi initio, quam in plenitudine temporis; ergo.

Resp. *nego ant.* Conveniens enim erat, ad commendationem tam excellentis mysterii, ut plurima sæcula præcederent ejus executionem, ut nempe tot sæculorum decursu Salvator postularetur a Patriarchis, prædiceretur a Prophetis, a Legis mosaicæ umbris præfiguraretur, & esset desideratus cunctis gentibus; nam, ut ait D. Aug. tract. 3. in Joann. *Quanto major Judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat.*

*Prob. ant.* Incarnatio est unicum remedium humani generis post lapsum: ergo convenientius facta fuisset statim post lapsum hominis.

Resp. *nego conseq.* Neque enim conveniebat, ut Deus homini, statim post lapsum, mederetur per Incarnationem, ne remedium illud vel ex superbia contemneret, vel sibi debitum existimaret; debuit ergo prius suam infirmitatem, inopiam, & imbecillitatem agnoscere, & sic efficacius medici charitatem implorare.

*Inst.* Opus Incarnationis est opus immensæ charitatis; atqui charitas non tardat subvenire necessitatem patientis, ergo non conveniens fuit differri Incarnationem.

Resp. *dist. min.* Non tardat subvenire necessitatem extremam patienti, *conc.* necessitatem non extremam, *nego min.* Porro homo lapsus, nunquam fuit in extrema salutis necessitate, quia etsi Incarnationis executio fuerit dilata, ejus tamen efficacia effectum habuit anticipatum per fidem in Christum venturum, quam habuerunt priora etiam sæcula, & per quam homines in lege naturæ & scripta justificati sunt; quare Apoc. 3. Christus dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi.*

## DISSERTATIO II.

### *De necessitate Incarnationis.*

*Nota* 1. Aliquid duobus modis necessarium dicitur: absolute nimirum, & hypothetice.

Necessarium absolute est illud quod, qualibet facta hypothesi, aliter esse non potest; eo modo necessarium est Deum existere.

Necessarium hypothetice duplex est: *Primum*, quod in tali hypothesi absolute & simpliciter necessarium est, ut cibus ad vitam conservandam. *Secundum*, quod in tali hypothesi necessarium est tantum secundum quid, id est, valde utile & maxime conveniens, ut equus ad iter faciendum.

*Nota* 2. Quærunt hic Theologi 1. Utrum Incarnatio fuerit absolute necessaria? 2. Utrum fuerit necessaria ex hypothesi lapsus hominis? 3. Ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum reparare ac salvum facere voluerit? 4. Ex hypothesi, quod Deus voluerit sibi pro offensa per peccatum illata condigne satisfieri? Circa quod.

*Certum est* 1. Incarnationem non fuisse absolute necessariam; nam illud non est absolute necessarium, quod potest a Deo poni, vel non poni; atqui

qui talis est Incarnatio: est enim opus ad extra, circa quod Deus est omnino liber; ergo.

*Certum est* 2. Incarnationem non fuisse absolute necessariam ex hypothesi peccati hominis: nam Deus hominem perditum potuit relinquere in peccato & statu damnationis, sicut reliquit apostatas Angelos, ut asserit Scriptura, Sap. 11. *Quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Et D. August. lib. de nat. & gratia, cap. 5. *Si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste redderetur.* Unde maximæ Dei misericordiæ & charitati tribuitur, quod hominem lapsum redemerit, ad Tit. 3. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

*Certum est* 3. Incarnationem non fuisse absolute necessariam etiam ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum voluerit reparare; cum Deus per omnipotentem virtutem potuerit naturam humanam multis aliis modis liberare, nempe vel peccatum gratis condonando, vel imperfectam hominis satisfactionem acceptando, &c. Unde D. Aug. (*L. de agone Christiano, cap.* 12.) merito stultos vocat qui contra sentiunt. *Sunt stulti*, inquit, *qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, ut nasceretur ex fœmina & a peccatoribus omnia illa pateretur; quibus dicimus, poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.*

Tota ergo controversia præsens versatur circa quartam hypothesim, nempe, utrum Incarnatio necessaria fuerit simpliciter, ex hypothesi, quod voluerit Deus hominem reparare, & quidem non nisi condigna atque rigorosa pro peccato satisfactione, cujus difficultatis resolutio a duobus capitibus pendet: *Primum*, an constans fuerit in Deo voluntas peccatum non remittendi absque condigna satisfactione? *Secundum*, an pura creatura condignam pro peccato possit exhibere satisfactionem? Si enim hoc posset pura creatura, ad hunc finem non esset absolute necessaria Incarnatio; si vero hoc non posset, Incarnatio, in hac hypothesi, fuit absolute necessaria; itaque sit

## CAPUT PRIMUM.

*Utrum constans fuerit in Deo voluntas peccatum absque condigna satisfactione non remittendi?*

*Nota* 1. Satisfactio sumitur duobus modis; 1. *Improprie*, pro redditione cujuscumque debiti, sive per furtum, sive per commodatum, sive etiam per læsionem honoris & famæ, contracti. 2. *Proprie*, pro injuriæ illatæ compensatione, & honoris læsi restauratione; per priorem æqualitas in rebus; per posteriorem æqualitas in actionibus & personis constituitur.

Satisfactio proprie sumpta definitur: *Redditio voluntaria honoris æquivalentis, ex propriis, & aliunde non debitis, ad compensandam injuriam alteri, per peccatum, illatam.*

Dicitur 1. *redditio:* per quod distinguitur a gratuita donatione, & convenit cum restitutione, cum sicuti res per restitutionem, ita per satisfactionem honor ablatus reddatur.

Dicitur 2. *voluntaria:* quia est actus virtutis justitiæ, actus autem virtutis debet esse a voluntate libera; hinc redditio honoris involuntaria, non dicitur *satisfactio*, sed *satispassio;* qui enim coacte reddit alteri quod suum est, non tam active se habet, saltem moraliter, quam passive.

Dicitur 3. *æquivalentis:* quia cum satisfactio sit actus justitiæ commutativæ, requirit æqualitatem *arithmeticam*, qua tantum honoris redditur, quantum fuit ablatum.

Dicitur 4. *ex propriis:* hoc est, ex bonis, quorum dominium perfectum ipse debitor habeat; si enim satisfactio fieret ex bonis creditoris, semper eadem maneret inæqualitas.

Dicitur 5. *& aliunde non debitis:* quia si persona quæ satisfacit, personæ offensæ offerret ea quæ eidem solvere tenetur ex aliis titulis, v. g. justitiæ, gratitudinis, &c. non perfecte & rigorose satisfaceret, quia non ex propriis satisfaceret.

Dicitur 6. *ad compensandam injuriam, &c.* per quod satisfactio distinguitur 1. *A merito*, quod refertur, non ad injuriam compensandam, sed ad præmium merenti, vel alteri, cui meretur, obtinendum. 2. *A restitutione*, quæ compensat, non injuriam personæ factam, sed damnum, in rebus, injuste ablatis & retentis, illatum.

*Nota* 2. Sociniani (*Socin. l.* 1. *de servatore Christo, c.* 1. *Crellius l. de satisfact. Christi contra Franzium*) necessariam fuisse Christi satisfactionem negant, quia, inquiunt, Deus peccatum gratis, & sine ulla satisfactione, voluit remittere, ac reipsa remisit; contra quos

## CONCLUSIO.

*Deus nunquam voluit peccatum sine condigna satisfactione remittere.*

*Prob.* Ex Apost. qui *Hebr.* 10. testatur sacrificium Christi necessarium fuisse ad reatum peccati tollendum: *Impossibile enim est*, inquit, *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens mundum dixit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et cap. 9. jam dixerat, *sine effusione sanguinis, non fit remissio.* Ergo si necesse fuit nos a peccatis mundari Sanguine Christi, signum est evidens Deum noluisse absque debita satisfactione peccatum remittere.

*Confirmatur*, quia verosimile non videtur Deum voluisse proprium suum Filium tam acerbæ morti subjici, si non fuisset decretum de homine non redimendo, nisi per satisfactionem condignam & perfectam: quare Apostolus, *Rom.* 3. testatur Deum constituisse Christum sponsorem pro peccatore, ut ostenderet se velle in peccatum justitiam rigorosam exercere. *Quem proposuit Deus*, inquit, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.*

Sociniani multa objiciunt, ut ostendant Deum reipsa voluisse sine ulla satisfactione peccata condonare; verum commodius solventur dissertatione septima, quando agemus de satisfactione Christi.

## CAPUT II.

*Utrum pura creatura condignam pro peccato possit exhibere satisfactionem?*

*Nota* 1. Pura creatura hic dicitur ea, quæ Deo hypostatice non est unita, sed est purus homo, aut Angelus.

*Nota* 2. Valor operis satisfactorii, est ipsius dignitas, ratione cujus redditur aptum ad compensandam injuriam honoris ablati: porro quantitas illius valoris repetitur ex duobus capitibus.

1. *Petitur ex objecto operis*, quia quo præstantius est objectum, eo, cæteris paribus, opus satisfactorium nobilius est: sic actus virtutis Theologicæ nobilior est actu virtutis moralis.

2. *Petitur ex dignitate personæ satisfacientis*, quia persona satisfaciens se ipsam subjicit & offert illi cui satisfacit; ergo eo plus se subjicit, quo dignior est, ac proinde operis satisfactorii valorem auget; sic satisfactio homini plebejo exhibita a magistratu dignior est, quam satisfactio hominis plebeji exhibita magistratui.

*Nota* 3. Gravitas offensæ ex duobus capitibus petitur.

1. *Petitur ex dignitate personæ offensæ:* quia offensa, quantum est ex se, deprimit personam offensam, sicque, quo plus hæc dignitatis habet, tanto plus aliquid deprimit, majoremque habet malitiam; sicut majus est damnum, si aurum in lutum, quam si plumbum abjiciatur.

2. *Gravitas offensæ petitur ex vilitate personæ offendentis*, unde gravior est offensa, si rusticus percutiat Regem, quam si Rex percutiat rusticum. His notatis sit

## CONCLUSIO.

*Nulla pura creatura, quantacumque gratia exornata, potest pro suo, vel alieno peccato, sive mortali, sive etiam veniali, condigne Deo satisfacere.*

*Prob.* 1. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur;* ergo citra Christi satisfactionem non haberet homo, quo condigne satisfaceret. Hinc Psal. 48. dicitur: *Frater non redimit, redimet homo*, id est, redimet Homo Deus, ut interpretantur Patres communiter cum D. Basil. in hæc verba, dicente: „ Redimit homo, non homo nudus, sed homo Deus J. C. quia nullus alius condignum offerre poterat pretium ".

*Prob.* 2. *Ex SS. PP.* S. Cyrillo (*Epist.* 1. *ad Monachos Ægypti*, *c.* 17. *relata in Conc. Ephes.*) „ Quo pacto, *inquit*, unus pro omnibus mortuus, justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujusdam hominis esse dicamus "? Ubi supponit hominem purum, gratia ornatissimum, qualem Nestorius dicebat esse Christum, non potuisse pretium condignum exsolvere.

S. August. Enchiridii cap. 108. ait: „ Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus ".

S. Fulgentius (*l. de Incarnat. & gratia c.* 4.) Nullatenus humana natura, *ait*, ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei . . . transiret ".

Sanctus Anselmus (*lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 6.) ex professo ostendit solum hominem Deum posse pro peccato satisfacere. „ Hanc satisfactionem, *inquit*, non potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est ut eam faciat Deus homo ".

*Prob.* 3. *ratione Theologica*. Nempe, tres sunt potissimum conditiones ad condignam satisfactionem requisitæ: *Prima*, ut sit æquivalens; *Secunda*, ut sit ex propriis; *Tertia*, ut sit ex aliunde indebitis; atqui puri hominis satisfactio, nec potest esse æquivalens, nec fieri ex propriis, & aliunde indebitis; ergo, &c.

1. *Satisfactio puri hominis non potest esse æquivalens*. Siquidem, ut valor satisfactionis sit æquivalens gravitati injuriæ, requiritur, ut inter valorem satisfactionis & gravitatem offensæ sit æqualitas; atqui inter valorem satisfactionis a pura creatura exhibitæ, & offensæ Dei gravitatem, non potest esse æqualitas; ergo, &c. *Prob. min.* Inter offensam infinitam & satisfactionem finitam, non est æqualitas; atqui offensa Dei est infinita, saltem extrinsece & objective, satisfactio vero puræ creaturæ est finita; ergo, &c. *Prob. min.* Gravitas offensæ præcipue desumitur ex dignitate personæ læsæ, e contra valor satisfactionis præcipue petitur ex dignitate personæ satisfacientis; ergo offensa personæ infinitæ illata, est infinita, & satisfactio a parte creaturæ exhibita, est finita, juxta conditionem ejus naturæ; atqui Deus offensus, est infinitus, pura vero creatura satisfaciens est finita & veluti nihilum præ Deo. „ Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei ". Isaiæ 40.

2. *Satisfactio puræ creaturæ non potest esse ex propriis*. Quia, qui satisfacere Deo non potest, nisi ex bonis quæ sunt sub dominio Dei, non potest satisfacere ex propriis; atqui creatura pura satisfacere non potest, nisi ex eis, quæ sunt sub dominio Dei, Paralip. 29. *Cuncta enim quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt* ". Ergo ex propriis satisfacere non potest.

*Nec dicas:* Privatus quilibet satisfacere potest reipublicæ ex bonis, quæ sunt sub illius reip. dominio, idque tanquam ex propriis; ergo a pari creatura pura potest satisfacere ex bonis, quæ sunt sub Dei dominio, idque tamquam ex propriis.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod bona privati sint tantum sub dominio reipublicæ alto & semipleno, quatenus respublica iis uti potest, ubi, & quando publica necessitas postulat. At Deus in omnia nostra bona particulare & absolutum dominium habet, neque in res tantum, sed etiam in omnes actus nostros, cum ab eo dependeant in esse, & in conservari.

3. *Satisfactio creaturæ puræ non potest esse ex aliunde indebitis*. Quia, quod Dei proprium est, illi quoque est debitum, cum alicui nihil magis debitum sit, quam quod ejus est; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Qui Deo tantum potest reddere bonum,

num, quantum ipsi malum per peccatum intulit, potest condigne satisfacere Deo: atqui homo purus, gratia sanctificante præditus, potest Deo tantum reddere bonum, quantum ipsi malum per peccatum intulit; ergo.

Resp. *nego maj. & min.* Quia ad condignam satisfactionem, necesse est ut fiat ex propriis & aliunde indebitis; atqui homo purus nihil potest Deo conferre ex propriis & aliunde indebitis: nam bonum quod Deo redderet, ut meritorium foret deberet esse ex gratia, quæ plane gratuita est, & in Deum auctorem referri debet.

*Prob. min.* Homo purus, per actum perfectæ contritionis, reddit Deo totum, quod ab ipso per peccatum abstulerat, nempe rationem ultimi finis; ergo condigne satisfacit Deo.

Resp. *nego conseq.* Licet enim redditio rei ablatæ sufficiat ad restitutionem, satis tamen non est ad condignam satisfactionem pro injuria Deo per peccatum illata, quæ, cum sit infinita, non potest condigne reparari, nisi per satisfactionem infinitam, cujus homo purus, quantalibet gratia sit ornatus, non est capax.

*Inst.* 1. Tantus est valor actus perfectæ charitatis, quanta est gravitas injuriæ Deo per peccatum illatæ; ergo.

Resp. *nego ant.* Ratio est, quia valor actus charitatis moraliter æstimatur ex dignitate personæ satisfacientis, & proinde est finitus quando a persona finita elicitur; econtra gravitas offensæ Dei moraliter æstimatur ex dignitate personæ læsæ, a qua consequenter infinitam quamdam gravitatem contrahit. Porro homo purus non potest elicere actum finitum adæquantem gravitatem offensæ infinitam.

*Subsumes:* Atqui malitia peccati est finita; ergo.

*Prob. subseq.* Privatio rectitudinis finitæ est finita; atqui malitia peccati est privatio rectitudinis oppositæ, quæ est finita; ergo.

Resp. *dist. min.* Malitia peccati, sumpta pro macula, est privatio rectitudinis oppositæ, *conc.* sumpta pro offensa & injuria Dei, *nego min.* & sic ad consequens. Itaque duo in malitia peccati distinguenda sunt. *Primum est macula*, quæ est deformitas orta ex aversione a Deo & privatione rectitudinis actui debitæ, hæc est finita, tolliturque per conversionem ad Deum. *Secundum est injuria*, qua homo per voluntariam a Deo aversionem, illum inhonorat, violando jus divinum, quo homo tenetur magis diligere Deum, quam ullam creaturam; hæc est infinita extrinsece & objective, nec tollitur nisi per condonationem, vel per æquivalentem compensationem, quæ nunc fit in nobis ex applicatione satisfactionum Christi.

*Inst.* 2. In hoc statu per actum contritionis perfectæ deletur peccatum, non tantum quoad maculam, sed etiam quoad injuriam; ergo purus homo talem actum eliciens condigne satisfaceret.

Resp. *dist. ant.* In hoc statu deletur, &c. virtute satisfactionum Christi, quæ nobis applicantur, *conc.* virtute ipsius actus contritionis duntaxat, *nego ant.*

*Inst.* 3. Homo purus, per actum charitatis perfectæ, posset mereri vitam æternam de condigno; ergo & per eundem actum posset condigne satis facere pro peccato.

Resp. 1. *dist. ant.* Per actum perfectæ charitatis, cui adjunguntur merita Christi, *conc.* per actum charitatis secundum se sumptum, *nego ant.* Id testatur Conc. Trident. sess. 14. cap. 8. *Omnis gloriatio nostra in Christo est*, inquit, *in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus: facientes fructus dignos pænitentiæ, qui in illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.*

Resp. 2. *dato ant. nego conseq.* Disparitas est, quod meritum, cum respiciat mercedem, nullam requirat personarum æqualitatem, bene autem satisfactio, quæ, cum a persona offensa specificetur, non potest condigne exhiberi, nisi a persona ejusdem ordinis & dignitatis.

*Objicies* 2. Purus homo potest Deo satisfacere ex propriis; ergo potest condigne satisfacere.

*Prob. ant.* Purus homo est dominus & arbiter suorum actuum; ergo.

Resp. *dist. ant.* Est dominus suorum actuum, dependenter a Deo, *conc.* independenter, *nego ant.* Neque enim libertas hominis, actiones ejus eximit a dominio Dei, cum & secundum entitatem, & secundum bonitatem, a Dei dominio dependeant.

*Objicies* 3. Peccatum veniale est quid finitum; ergo pro eo potest homo purus condigne satisfacere.

Resp. *dist. ant.* Est quid finitum physice & entitative, *conc.* objective & terminative, *nego ant.* Infert enim Deo infinito injuriam, quæ condigne compensari per opus finitum non potest.

*Inst.* 1. Si homo purus non posset Deo condigne pro peccato veniali satisfacere, posset propter illud excludi a vita æterna; atqui falsum conseq. ergo.

Resp. *dist. ant.* Posset excludi a vita æterna, si Deus pro illo exigeret satisfactionem condignam & rigorosam, *conc.* secus, *nego*. Porro Deus non exigit, ut homo justus, pro suo peccato veniali rigorosam exhibeat satisfactionem, sed ex æquitate & misericordia acceptat imperfectam, quam homo, gratia instructus, potest exhibere; cujus voluntatis divinæ signum est, quod Deus propter veniale peccatum amicitiam cum peccante non abrumpat, neque illum a se abjiciat.

*Inst.* 2. Peccatum veniale meretur tantum pœnam temporalem; atqui homo purus potest condigne satisfacere pro pœna temporali; ergo.

Resp. *nego min.* Potest quidem homo purus satispati pro pœna temporali, ad quod sufficit proportio pœnæ toleratæ cum pœna debita; sed non potest satisfacere, ad quod requiritur proportio æqualitatis inter personam satisfacientem, & personam cui fit satisfactio; talis tamen æqualitas inter Deum & hominem non reperitur.

*Inst.* 3. Homo justus, per actum contritionis, condigne satisfacit pro peccato veniali; ergo.

Resp. *dist. ant.* Satisfacit in præsenti statu per applicationem satisfactionis Christi, *conc.* in alio statu, *nego ant.* Incarnatione enim sublata, non posset homo condigne satisfacere ad æqualitatem pro veniali.

*Inst.* 4. Ergo sublata Incarnatione, homo justus, venialiter peccans, æternum periret; falsum consequens.

Resp.

Resp. *nego illatum*: Quia, ut jam dictum est, Deus pro peccato veniali non exigit satisfactionem rigorosam, & ideo, in quocumque statu, homo justus potest mereri gratiam, cui annexa est peccati remissio.

## DISSERTATIO IV.

### *De existentia Incarnationis.*

*Nota.* Messiam a Deo promissum jam advenisse inficiantur, nedum Gentiles, sed & Judæi, cujus tamen adventus contra Gentiles invicte demonstratur fidei nostræ motivis credibilitatis, quæ, *in Tractatu de Fide*, exponemus, ad quæ, ne in fastidiosas repetitiones impingamus, Lectorem remittimus, ut probemus contra Judæos, 1. Messiam jam dudum advenisse; 2. Jesum Nazarenum esse Messiam in Lege promissum.

## CAPUT I.

### *Utrum Messias, a Deo promissus, jam advenerit?*

*Nota.* Innumeris propemodum oraculis Prophetarum potest contra Judæos demonstrari adventus Messiæ jam præteritus; nos vero, brevitatis gratia, ea seligimus, quibus tempus adventus Messiæ designatur; tales sunt Prophetiæ Jacob *Genes.* 49. Danielis *cap.* 9. Aggæi *cap.* 2. & Malachiæ *cap.* 3. Itaque:

## CONCLUSIO.

*Messiam jam a multis sæculis advenisse, probatur efficaciter ex Prophetarum vaticiniis.*

*Prima probatio ex vaticinio Jacob Gen.* 49. *vers.* 8. & 10.

Jacob morti proximum, prædicens filiis suis quæ eorum posteris eventura erant, sic Judam alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui .... adorabunt te filii patris tui .... non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Atqui ex hac Prophetia patet, Messiam jam advenisse; ergo.

*Prob. min.* Ut ex hac Prophetia pateat Messiam jam advenisse, sufficit ut hæc tria constent: 1. Per *Sceptrum & Ducem*, intelligi principatum politicum; 2. Per eum, *qui mittendus est*, ad cujus adventum sceptrum auferendum est a tribu Juda, intelligi Messiam; 3. Jamdiu sceptrum, seu principatum politicum, e tribu Juda ablatum esse; atqui hæc tria constant; ergo.

1. Per *Sceptrum & Ducem* intelligitur principatus politicus; nam vox hebræa, *Schebet*, pro qua vertitur *sceptrum*, significat supremam auctoritatem; & vox, *Mechokek*, pro qua vertitur, *Dux*, significat Ducem, Legislatorem, & Magistratum; unde Septuaginta sic vertunt: *Non deficiet Princeps de Juda & Dux de femoribus tuis*. Et Chaldaica paraphrasis: *Non auferetur habens principatum a domo Juda, neque Scriba*, id est, Legislator, *a filiis filiorum ejus*. Ergo.

2. Per eum *qui mittendus est*, intelligitur Messias; nam vox hebræa, *Siloch*, significat mittere, sicut interpretatur Jo: 9. *Lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus*. Porro Messias per excellentiam vocatur mittendus: *Obsecro, Domine*, inquit Moyses, Exodi 4. loquens de Messia, *mitte quem missurus es*. Hinc Chaldaica paraphrasis & S. Pagninus vertunt: *Donec veniat Messias*; qui solus potest dici *expectatio gentium*, juxta promissionem Messiæ factam Jacob, Genes. 28. *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*; de quo Messia sibi promisso hic evidenter loquitur Jacob.

3. Omnis supremus principatus jam dudum sublatus est, non solum de tribu Juda, sed etiam de tota gente Judæorum, qui a multis sæculi vagi sunt, ac ubique terrarum, juxta prophetiam Osee 3. depressi sunt, *sine rege, & sine principe, sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim*. Ergo ex vaticinio Jacob patet Messiam jamdiu advenisse.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt* 1. *Judæi*: in Jacob vaticinio, per vocem, *Schebet*, non significatur *Sceptrum*, seu *Virga* dominationis, sed *Virga* tribulationis, ita ut sensus sit: *Non recedet virga tribulationis a Juda, donec veniat Messias*. Atqui usque modo Judæi ubique terrarum tyrannica servitute premuntur, ergo Messias nondum venit.

Resp. *dist maj.* Quia 1. Jacob tribui Judæ nonnisi fausta & felicia prænuntiat, nimirum honorem ab aliis tribubus, victoriam de hostibus, supremam potestatem, ubertatem, &c.

2. Quia vox, *Schebet*, nusquam significat virgam tribulationis, nisi vocem habeat adjunctam, qua determinetur ad tribulationem significandam v. g. Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Isaiæ 10. *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est*. Atqui tantum abest, ut vox, *Schebet*, per aliquid adjunctum determinetur ad significandam tribulationem, quin e contra per hæc verba sequentia, *& Dux de femore ejus*, determinetur ad significandam supremam auctoritatem; ergo, &c.

*Objiciunt* 2. In vaticinio, particula, *donec*, non significat cessationem regiæ dignitatis in Juda, sed ejusdem continuationem, ut sensus sit: *Postquam venerit Messias, qui sceptrum Tribui Judæ restituet, nunquam deinceps ab ea auferetur*. Ergo nondum venit Messias.

Resp. *nego ant.* Absque ullo enim vel levissimo fundamento, particula, *donec*, vertitur in particulam *postquam*, ab que ullo Scripturarum exemplo, in quibus particula, *donec*, cessationem rei naturaliter significat; sic Genes. 26. de Isaac dicitur: *Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus effectus est*, tunc enim desiit succrescere. Porro veteribus Judæis ita exploratum fuit Jacob per particulam, *donec*, determinasse Messiam venturum, cum sceptrum de Juda defecerit, ut, cum in Herode illud defecisse cognoverunt, aliqui Herodem ipsum, alii Joannem Baptistam, Messiam esse arbitrati fuerint.

*Instant* 1. Jacobæum vaticinium in Davide, longo tempore post mortem Jacob, primum vim habuit; ergo ex illo concludi minime potest non defuturum in tribu Juda sceptrum, donec veniat Messias.

Resp.

Resp. *nego conseq.* Jacob enim non prædixit, fore, ut statim a sua morte, Tribus Juda sceptrum obtineret, sed prædixit duntaxat, fore, ut, ex quo Tribus Juda sceptrum obtinuisset, eo non destitueretur simpliciter & absolute donec Messias veniret.

*Instant* 2. Juxta illam explicationem nondum venit Messias; nam in extremis Asiæ partibus extat imperium Judæorum, in quo præficiuntur Duces ex Tribu Juda, ut testantur aliqui Rabini; ergo.

Resp. *nego ant.* Illud enim imperium est prorsus fictitium: nam ex relationibus viatorum, qui totam peragrarunt Asiam, constat Judæos ubique terrarum dura premi servitute; immo ipsimet, tempore mortis Christi declaraverunt se omni autoritate ac reipublicæ forma destitutos, cum clamaverunt (*Joann.* 18. *vers.* 31. *& cap.* 19. *vers.* 15.) *Nobis non licet interficere quemquam, non habemus regem, nisi Cæsarem.*

*Objiciunt* 3. Per vocem, *Siloch*, in Jacob vaticinio, significatur urbs, *Silo*, quatenus pertinet ad Saul & Jeroboam, qui in *Silo*, ubi servabatur Arca, uncti fuerunt in reges, ita ut sensus sit: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniant Saul & Jeroboam in Silo, ubi consecrentur in reges.* Ergo illa prophetia non potest intelligi de Messia.

Resp. *nego ant.* Quia 1. prophetia redderet hunc sensum ridiculum: *Non auferetur, &c. donec veniat urbs Silo.* 2. Quia nec Saul, nec Jeroboam, uncti sunt in *Silo*, sed Saul in Ramatha (1. *Reg.* 10.), & Jeroboam in Sichem (3. *Reg.* 12.). 3. Quando unctus est Saul, Arca erat in Cariathiarim, in domo Aminadab (1. *Reg.* 7. *vers.* 1.); & quando unctus est Jeroboam, Arca erat Jerosolymis, quo translata fuerat a Davide de Cariathiarim (2. *Reg.* 6.). 4. Quia, nec in Saule, nec in Jeroboam defecit sceptrum de Juda; *non in Saule*, quia quando unctus est, nondum erat sceptrum in Tribu Juda, ut constat; *non in Jeroboam*, quamvis enim decem tribus illum secutæ fuerint, stetit tamen semper incolume regnum Judæ, cujus regia erat Jerusalem.

Quæres: *An prophetia Jacob fuerit completa in Jesu Nazareno?*

Resp. *affirm.* Quia ex quo David, in quo Judæ vaticinium vim habere cœpit, sceptrum accepit, penes Tribum Juda perpetuo mansit suprema auctoritas, sive singularibus personis ex ea regnum capessentibus, sive tota Tribu libere aliarum tribuum personas ad Ducatum evehente, usque ad Herodem, in quo, cum esset alienigena, Idumæus nempe, seu ex posteris Esau, ut docet Josephus (*Lib.* 14. *Antiq. Judaicarum cap.* 2.), extincta est omnis Judaicæ Tribus auctoritas, &, quo regnante, natus est Jesus Nazarenus, in quo impleta sunt omnia; quæ de Messia prædicta sunt a prophetis, ut videbimus cap. sequenti.

*Objicies* 1. Vaticinum Jacob non fuit impletum in Jesu Nazareno; ergo.

*Prob. ant.* Jesus Nazarenus non venit statim ut Herodes regnum a Romanis obtinuit; ergo, &c.

Resp. *nego conseq.* Nam particula, *donec*, sæpe in Scriptura sumitur late & indeterminate, nempe pro aliquo temporis intervallo, ut hic sumitur pro tempore adventus Christi; unde, ad verificationem vaticinii Jacob, sufficit, quod Jesus natus sit sub Herode alienigena: immo requiritur quod Jesus non venerit, nisi sublato sceptro, cujus ablatio debuit esse signum illius adventus, ut, non solum docti, sed & vulgus, pro certo habebant, juxta illud Samaritanæ, Joann. 4. *Scio quia Messias venit.*

*Inst.* 1. Herodes non erat alienigena; ergo.

Resp. *nego ant.* Certum est enim, ex omnibus historicis, Herodem fuisse alienigenam, Ascalonitam secundum aliquos, Idumæum secundum alios, quos conciliat Epiphan. hæresi 20. dicens, eum posse dici *Idumæum*, & *Ascalonitam*, quod nempe ex Antipatre, Ascalonita, in Idumæa captivo, inibi natus fuerit.

*Inst.* 2. Idumæi, ex quo a Joanne Hircano, annis ante Christum 90. subacti fuerunt circumcisioni, aliisque Judaicæ religionis ritibus, subjecti fuere, omnibusque Judæorum privilegiis donati, teste Joseph (*Lib.* 13. *Orig. cap.* 17.). Ergo Herodes fuit Judæus.

Resp. *dist. conseq.* Fuit Judæus, nomine, & religione, *conc.* genere, & sanguine, *nego conseq.* Genus autem Herodis hic quærimus, non religionem.

*Inst.* 3. Atqui Herodes fuit Judæus genere; ergo.

*Prob. ant.* Ex Nicolao Damasceno, qui apud Josephum, *lib.* 4. *antiquit. cap.* 2. scribit, *Herodem genus duxisse a primoribus Judæorum, qui in Judæam venerant e Babylonia.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Neque enim audiendus est Nicolaus Damascen. cum subjungat ibidem Josephus, Nicolaum hoc scripsisse, non tam ad posteritatis cognitionem, quam ex adulatione, ut inde Herodis gratiam sibi conciliaret.

*Objicies* 2. Sceptrum non permansit in Tribu Juda usque ad adventum Jesu Nazareni; ergo vaticinium Jacob in eo non fuit impletum.

*Prob. ant.* Sceptrum desiit in Tribu Juda tempore Sedeciæ, qui postremus rex fuit in Babyloniam captivus a Nabuchodonosore ductus; nimirum sexcentis circiter annis ante Nativitatem Jesu Nazareni; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam, durante captivitate Babylonica, rex Judæorum erat *Joachim*, de Tribu Juda, quam in ipsa captivitate, ad solium regni exaltavit *Evilmerodach* rex, filius & successor Nabuchodonosoris (*L.* 4. *Reg. cap. ult. vers.* 27.); post mortem regis Joachim, *Zorobabel*, ex Tribu Juda & regio sanguine oriundus, recepit legislativam potestatem, & Ducis nomen; non ergo penitus ablatum fuit sceptrum de Juda, neque Dux de femore ejus in captivitate Babylonica, cujus tamen utriusque potestatis, regiæ, & ducalis ablatio, erat adventus Messiæ certum indicium, in Jacob vaticinio designatum.

*Inst.* 1. Post transmigrationem Babylonis, Machabæi, qui erant ex Tribu Levi, utpote Sacerdotes, Tribu Judæ præfuerunt per 400. circiter annos ante adventum Jesu Nazareni; ergo potestas suprema ducalis fuit tunc temporis ablata a Tribu Juda.

Resp. *dist. ant.* Machabæi præfuerunt Tribui Juda, auctoritate ab illa Tribu accepta, *conc.* au-

auctoritate propria ab illa Tribu independente, *nego ant.* Itaque, tempore Machabæorum, suprema potestas semper mansit penes Tribum Juda, quæ summos Sacerdotes de Tribu Levi, & Concilium, *Sanhedrin*, eligebat, ut, suo nomine & secundum suas leges, rempublicam administrarent, ut patet, 1. *Machab.* 9. ubi, defuncto Juda Machabæo, „ Congregati sunt omnes, *Judæi*, amici Judæ, & dixerunt Jonathæ *ejus filio* . . . Te hodie eligimus esse pro eo nobis in Principem & Ducem ad bellandum bellum nostrum. *Et subditur:* Et suscepit Jonathas tempore illo principatum ". Quemadmodum igitur dici non potest sceptrum Polonicum in natione Polonica defecisse, & ad gentem Germanicam transiisse, eo quod Germanum in regem elegerit: ita nec potest dici sceptrum in Tribu Juda defecisse, aut in Tribum Levi transisse, quando Tribus Juda in Duces elegit Machabæos, ut rempublicam, suo nomine, & secundum suas leges, administrarent: quare sceptrum semper in Tribu Juda remansit, donec Herodes alienigena regnum Judæorum, sine spe restitutionis, a Romanis obtinuit, absque electione, & consensu Judæorum: quod contigit tempore adventus Jesu Nazareni.

*Inst.* 2. Post captivitatem Babylonicam, suprema potestas non magis mansit penes Tribum Juda, quam penes Tribus Benjamin & Levi, quæ se Tribui Judæ ita adjunxerunt, ut nullo post hæc, quam Judæorum nomine appellarentur & censerentur (*Lib.* 1. *Paralip. cap.* 11. *v.* 12. & 13.); ergo.

Resp. *nego ant.* Nam suprema potestas ad solam Tribum Juda pertinebat, tum quia sedes regni fuit in Jerusalem, quæ pertinebat ad Tribum Juda; tum quia Tribus Levi & Benjamin, ita in unum populum, sub Regibus & Ducibus de Tribu Juda, coiverant, ut unicam duntaxat Tribum, nomine Juda appellatam, instituere censerentur; ideoque suprema auctoritas, quæ penes populum mansit, semper Tribui Juda propria fuit.

*Objicies* 3. Sicut Jacob prædixit, non defuturum sceptrum in Juda, donec veniat Messias, ita prædixit non defuturas benedictiones in Tribubus Joseph donec veniret idem Messias. „ Filius accrescens Joseph ... benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum ". Atqui vaticinium de posteritate Joseph non fuit impletum in Jesu Nazareno; ergo nec vaticinium de Juda.

*Sol. min.* Posteri Joseph simul ac sceptrum Israeliticum in Jeroboam adepti sunt, a veri Dei cultu ad vitulos aureos defecerunt, & diu ante adventum Jesu Nazareni, puta annis 717. juxta chronologiam doctissimi Calmet (*Tab. Chronolog. Biblios.* p. 255.) a Salmanassare, Assyriorum rege, in perpetuum exilium abducti fuerunt, 4. *Reg.* 17. Ergo.

Ut hæc gravis objectio solvatur, Theologi, & Interpretes, in duas abiere sententias circa transmigrationem decem Tribuum Israel sub Salmanassare.

*Prima* est eorum, qui volunt illam transmigrationem fuisse perpetuam, sicque *distinguunt maj. primi argumenti*. Jacob prædixit benedictiones in Tribubus Joseph, id est, in Ephraim, Manasse, & aliis Tribubus Israel, non defuturas, conditionate, nempe, si, & quamdiu Deo fideles permanserint: *concedunt*; absolute, *negant*; & ideo Jacob non dixit: *Non auferentur benedictiones, donec*, &c. quomodo dixit: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec*, &c. sed dixit: *Benedictiones confortatæ sunt*, &c. quæ dictionis differentia denotat, promissionem factam Joseph, non figere cessationem illarum benedictionum circa tempus Nativitatis Messiæ: ex qua responsione ruit tota vis argumenti.

*Secunda Sententia* est eorum, qui *negant min. utriusque argumenti*; quia, inquiunt, captivitas 10. Tribuum non fuit perpetua: ipsæ enim, cum Tribubus Juda & Benjamin, e Babylone reversæ sunt, sicut prænuntiatum fuerat a Prophetis, Jerem. 3. v. 18. „ In diebus illis, ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris. *Et Ezech.* 27. *vers.* 21. Hæc dicit Dominus, ecce ego assumam Filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos undique; & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem unam in montibus Israel, & Rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna . . . & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus ". Ibi clare prædicitur unio duodecim Tribuum post captivitatem. Item Amos 9. vers. 14. „ Convertam captivitatem populi mei Israel, & ædificabunt civitates desertas; & inhabitabunt . . . . & plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus ". Item Tobias, qui erat de Tribu Nephthali, monet filium, *cap.* 14. quod: „ Fratres tui, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam; omnis autem deserta terra ejus replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur, ibique revertentur omnes timentes Deum ". *Quare Esdras*, lib. 1. c. 6. vers. 16. *narrat hunc reditum*: Fecerunt autem, *inquit*, Filii Israel, Sacerdotes & Levitæ & reliqui Filiorum transmigrationis Dedicationem domus Dei in gaudio, & obtulerunt . . . . hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum Tribuum Israel. " Quare duodecim hircos immolarunt? nisi quia 12. Tribus redierant, & unum populum constituebant.

*Inst.* Osee 1. vers. 6. dicitur: „ Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, & domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo. " Ergo captivitas decem Tribuum Israel fuit perpetua.

Resp. *nego conseq.* Oseas enim, *cap.* 11. de filiis Israel, ait: „ Avolabunt quasi avis ex Ægypto, „ & quasi columba de terra Assyriorum & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. " Ergo, ex Cap. 1. videtur tantum sequi, quod Deus non eodem modo misertus sit domui Israel, quo misertus est domui Judæ, quæ rediit cum duce suo; cum e contra decem Tribus Israel redierint sub duce Tribuum Judæ & Benjamin, quibus fuerunt unitæ & quasi insitæ, nec amplius populum distinctum formaverint, ut prophetavit Ezechiel supra.

II.

### II. *Probatio ex vaticinio Danielis. 9. vers. 24.*

Danieli oranti apparuit Gabriel Archangelus, eique adventum Messiæ, & illius adventus tempus revelavit, his verbis: „ Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum ".

„ Scito ergo & animadverte: ab exitu sermonis ( *id est edicti Regis Persarum* ) ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum ".

„ Et post hebdomades sexaginta duas, ( *ab urbis ædificatione* ) occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio ".

„ Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia & Sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio ". Ex hac prophetia, sic argumentum conficitur.

Ille, de quo fit mentio in Danielis Prophetia, est Messias; atqui jamdiu hebdomadæ, post quas venturus dicitur, elapsæ sunt; ergo jamdiu venit Messias.

*Prob. maj.* Soli Messiæ adaptari possunt characteres a Daniele in sua Prophetia delineati; ergo, &c. namque:

1. Dicitur *Christus*, quæ vox græca idem sonat, ac hebraica, *Messias*.

2. Dicitur *Dux*, quo titulo insignitur Messias Isaiæ 55. *Ecce testem dedi eum, Ducem, ac Præceptorem gentibus.*

3. Dicitur *Sanctus Sanctorum*, quod nomen soli Messiæ convenit, qui est Sanctus per excellentiam, Isaiæ 54. *Redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.*

4. Dicitur, quod sit impositurus finem peccato, iniquitatem deleturus, justitiam sempiternam adducturus; quæ omnia soli Messiæ conveniunt, juxta illud Isaiæ 61. *Spiritus Domini . . . misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, &c.* & illud Malachiæ 4. *Orietur vobis timentibus nomen Sol justitiæ.*

5. Dicitur quod per ejus adventum debeat impleri *Visio & Prophetia*, quod soli Messiæ convenit, qui, cum sit veritas, finem imposuit umbris & figuris quæ eum designabant.

6. Dicitur, quod sit morti tradendus; atqui id de Messia Prophetæ prædixerant. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, inquit Isaias, 53.

Porro hi characteres ita sunt Messiæ proprii, ut veteres Rabbini, test. D. Hieronym. in Daniel c. 9. hoc vaticinium de Messia interpretati fuerint.

*Prob. min.* In Sacra Scriptura, hebdomada duobus tantum modis sumitur, nimirum: 1. Pro septem diebus, sic *Levitici* 22. sumitur: 2. Pro hebdomada annorum, Levit. 25. *Numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum*, id est, septies septem annos, qui simul efficiunt 49. annos. Atqui sive 70. hebdomades sumantur pro hebdomadibus dierum, sive sumantur pro hebdomadibus annorum, (ut de facto sumi debent) jamdiu prætererunt: nam septuaginta hebdomades dierum conficiunt dies 490. septuaginta vero hebdomades annorum conficiunt 490. annos. Hoc porro spatium a multis jam sæculis elapsum est; ergo Messias jamdiu venit.

Quæres: *An Prophetia Danielis fuerit completa in Jesu Nazareno?*

Resp. *affirm.* Idque ostenditur ex tribus capitibus: 1. Ex circumstantiis illius, qui Danieli, ab Angelo Gabriele, promittitur: 2. Ex eventibus mortem illius comitantibus. 3. Ex eventibus mortem ejus sequentibus.

1. Ex circumstantiis illius Messiæ, qui venturus Danieli promittitur, ostenditur quod Messias ille sit Jesus Nazarenus, namque . . . . 1. Per adventum Messiæ promissi, peccatum debet finem accipere, deleri iniquitas, & adduci justitia sempiterna; atqui finem accepit peccatum & deleta est iniquitas per Jesum Nazarenum, qui *dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate* (2. *ad Tit. v.* 14.); & per eum adducta est justitia sempiterna, nam *factus est nobis . . . justitia, & sanctificatio & redemptio* (1. *Cor.* 1. *v.* 30.) ergo, &c. . . . 2. Messias promissus, dicitur, *Christus*, id est, unctus, & *Sanctus Sanctorum*; atqui Jesus Nazarenus est unctus, quia ex plenitudine divinitatis cum humanitate conjunctæ, factus est plenus gratia & veritate; item est *Sanctus Sanctorum*, quia non tantum est Sanctus sanctitate accidentali, sicut alii qui dicuntur sancti, sed est Sanctus sanctitate substantiali per sui cum divinitate substantialem unionem . . . 3. In adventu Messiæ debent *impleri Visio & Prophetia*; atqui figuræ & Prophetiæ, quæ Messiam annuntiabant, impletæ sunt in Jesu Nazareno, ut tradit D. Matth. c. 12. *Omnes Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt* .... 4. Messias promissus debuit occidi post hebdomadas 69. atqui Jesus Nazarenus, juxta Chronologicos exactiores, occisus est in medio hebdomadæ septuagesimæ; ergo &c.

2. Idem ostenditur ex eventibus mortem Messiæ promissi comitantibus, nimirum: 1. Quod *non erit populus*, id est, nihil ad Christum, a quo alienus habebitur populus Judaicus, *qui eum negaturus est*.

2. Quod *in dimidio hebdomadis* (septuagesimæ) *deficiet Hostia & Sacrificium*; atqui hæc comitata sunt mortem Jesu Nazareni: tunc enim populus Judaicus eum negavit, cum dixit: *Non habemus Regem nisi Cæsarem, crucifige, crucifige eum.* Tunc item defecit Hostia & Sacrificium, non quod reipsa sacrificia Judaica tunc cessaverint, sed quod eorum vis & præceptum evanuerint; quando Christus ea abrogavit, dicens: *Consummatum est*, quod quidem mysterium, velo templi scisso, adumbratum est.

3. Idem ostenditur ex eventibus mortem Messiæ sequentibus, nimirum, quod *Civitatem & Sanctua-*

*rium dissipabit populus cum Duce venturo*; quod *finis ejus vastitas*; quod post *finem belli statuta desolatio*, quæ *usque ad consummationem & finem perseverabit*. Atqui hæc omnia Jesu Nazareni mortem secuta sunt, non quidem immediate, hoc enim non requirit prophetia, sed paucis aliquot annis: etenim 40. post Christi mortem annis, *Titus* Vespasiani filius, Dux ille venturus cum exercitu Romano, Jerosolymam oppugnavit, & penitus evertit, tuncque & ipsum templum a militibus dissipatum & combustum fuit, Judæique occisi, alii capti, abducti, & undequaque ita dispersi, ut populus esse desierint, quæ desolatio ab annis 1700. & amplius durat, & usque ad mundi finem duratura est.

*Objicies* 1. Non potest assignari tempus, quo 70. hebdomades sint enumerandæ; ergo ex Prophetia Danielis non potest colligi, saltem certo, Messiam promissum jam advenisse.

Resp. *transeat ant. nego conseq.* Nam etsi manifestum non esset, a quo præcise tempore enumerandæ forent 70. hebdomades, tamen adhuc esset evidens elapsam esse ultimam, in cujus medio Messias prænuntiatur morti tradendus; nam desinere debuit ante cessationem sacrificii veteris; atqui sacrificium illud jamdiu desiit: in uno enim Jerosolymorum templo, juxta Legis Mosaicæ præscriptum, sacrificia offerri poterant: ergo, cum a mille septingentis annis & amplius, Jerosolymorum templum dirutum fuerit, sacrificia apud Judæos omnino desierunt.

Dixi, *transeat ant.* Quia, juxta fere omnes Chronologos hodiernos, 70. hebdomades ducunt initium ab anno 20. Artaxerxis Longimani, qui eo anno Nehemiæ fecit facultatem iterum ædificandi, non templum, sed urbem Jerosolymitanam, juxta illud Nehemiæ, 2. Esdræ 2. *anno* 20. *Artaxerxis . . . . dixi ad Regem . . . . si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem patris mei: & ædificabo eam . . . . & dedit mihi Rex juxta manum Dei mei bonam mecum.*

*Inst.* 1. Ergo Prophetia Danielis non fuit completa in Jesu Nazareno.

*Prob. ant.* Juxta Prophetiam, ultima hebdomada debuit incidere in tempus Passionis Christi; atqui si initium 70. hebdomadum ducatur ab anno 20. Artaxerxis Longimani, ultima hebdomada non incidit in tempus Passionis Jesu Nazareni; ergo &c.

Resp. *nego min.* Nam, juxta exactiorem Chronologiam doctissimi Calmet (*Dictionario Historico, Chronologico, v. Artaxerxes*) annus vigesimus Artaxerxis incidit in annum mundi 3550. quibus si addantur 490. anni, quibus constant 70. hebdomades annorum, conficient annos 4040. qui est annus quartus post Jesu Nazareni Passionem, quæ advenit anno mundi 4036. cum medio, & consequenter in medio hebdomadis septuagesimæ; nempe anno, ab edicto Artaxerxis 486. cum medio.

*Inst.* 2. Artaxerxes, anno sui regni septimo, Judæis dedit facultatem reædificandi urbem Jerosolymitanam (*Esdræ* 1. *cap.* 7.): ergo ab eo anno hebdomades Danielis ducunt initium.

Resp. *nego ant.* Nam Artaxerxes, edicto dato anno regni sui septimo, potestatem non facit rursus ædificandæ civitatis Jerusalem, sed tantum Templi restaurandi, & cultus veri Dei restituendi: unde non alterius rei fit mentio in edicto quod Esdras anno 7. Artaxerxis obtinuit.

*Prob. ant.* 1. Esdræ cap. 7. dicitur: *Dedit ei* (Esdræ) *Rex . . . omnem petitionem ejus.* Atqui non est dubium, quin Esdras petierit urbis reædificationem; quomodo enim sine muris manere potuissent tot Judæorum millia, quæ secum reduxerat Esdras, cum tot, tamque infensos haberent hostes vicinos? Ergo.

Resp. *nego min.* Nihil enim tunc temporis a Rege petierat Esdras, quod murorum civitatis instaurationem spectaret, sed tantum ea, quæ ad Dei cultum & observationem Legis pertinerent, quod ex una lectione citati capitis septimi Esdræ manifestum est.

*Objicies* 2. In Prophetia dicitur, quod hebdomades sint *abbreviatæ*; ergo non debent sumi pro 70. hebdomadibus integris.

Resp. *nego conseq.* 1. Quia in Hebræo legitur: *Hebdomadæ 70. decisæ sunt*, juxta quem sensum nulla remanet difficultas. 2. Quia hebdomadæ non ideo dicuntur abbreviatæ, quod integræ non sint, sed quod cum Deus hebdomadas plures quam 70. constituere potuisset ante Messiæ adventum, tamen 70. duntaxat statuit, ob Danielis, aliorumque Sanctorum, orationes & suspiria.

*III. Probatio ex vaticinio Aggæi, cap. 2. vers. 7.*

Cum Judæi, qui viderunt magnificentiam Templi a Salomone ædificati, tristitiam ex eo concepissent, quod Templum a Zorobabele constructum ad veteris Templi gloriam non accederet, ut narratur 1. *Esdræ* 3. Aggæus sic eos consolatur: *Hæc dicit Dominus exercituum, adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria . . . . . magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Ex hac Prophetia sic argumentor: Nulli dubium est quin de adventu Messiæ locus iste intelligatur, qui solus potest dici, *desideratus cunctis gentibus*; in quo benedicendæ sunt omnes gentes; solus potest dici daturus pacem veram, & cœlestem, qui solus innocens reconciliavit Deo peccatores; atqui ille Messias jamdiu advenit; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Messias promittitur venturus post *unum tempus modicum*, post *unum pusillum*, ut habet Hebraica editio; atqui ab anno 2. Darii Hystaspis, quo prædixit Aggæus, usque ad tempus præsens, plusquam duo annorum millia effluxerunt; ergo Messias jamdiu advenit.

*Prob. min.* 2. Messias promittitur venturus stante adhuc Templo a Zorobabele constructo, in quo debuit annunciare pacem, cujus major futura erat gloria, quam gloria primi Templi a Salomone constructi, nimirum ob præstantiam Messiæ illud ingredientis: nullo enim alio sensu superare potuit gloriam Templi Salomonis, cujus stupenda erat magnificentia, quod fuit decoratum Arca fœderis, unde Deus reddebat oracula: oleo divinæ unctionis: igne perpetuo: virga Aaron: præsentia Dei in propitiatorio, &c. quibus caruit Templum Zorobabelis; atqui a mille sexcentis annis & amplius,

plius, illud Templum a Tito funditus dirutum fuit ac combustum; ergo concludendum est, jamdiu advenisse Messiam, eumque esse Jesum Nazarenum.

*Objiciunt Judæi.* Christus non intravit in Templum Zorobabelis, sed in illud, quod Herodes, post Templum Zorobabele penitus dirutum, construxit; ergo Prophetiæ Aggæi promissiones, non possunt referri ad secundum Templum, sed ad tertium Herodianum.

Resp. *nego ant.* 1. Quia hæc particula demonstrativa, *ista domus*, indigitat secundum Templum, quod tunc a Zorobabele construebatur. 2. Quia templum quod Judæi vocant Herodianum, hoc ipsum est Templum Zorobabelis, quod, in aliquibus duntaxat suis partibus collapsum, Herodes reparavit, ornavit, atque ditavit, ut notat Cornel. a Lapide in Aggæum.

*II. Probatio ex vaticinio Malachiæ Prophetarum ultimi.* Cap. 3. v. 1.

Prophetiam Aggæi confirmat Malachias, dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Ibi profecto intelligitur Messias, qui est Dominus quem expectabant Judæi, & Angelus testamenti quem desiderabant, quia fœdus sempiternum Deum inter & homines constituere debebat; atqui promittitur venturus *statim*, & juxta Septuaginta, *subito*, immo *ecce* jamjam *venit* juxta Prophetiam: promittitur venturus ad Templum a Zorobabele constructum, quod a 17. sæculis & amplius, est ita destructum, ut nulla prorsus illius iterum excitandi spes affulgere possit; ergo Messias jam venit. Estque Jesus Nazarenus, qui *statim* post suam Nativitatem in Templo oblatus est, cujus Angelus, seu Præcursor prædicitur, nimirum Joannes Baptista, qui per suam prædicationem homines disposuit ad illum, ut verum Messiam, recipiendum: *Hic est enim de quo scriptum est*, ait, Matth. 11. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

## CAPUT II.

*Utrum Jesus Nazarenus sit Messias in Lege promissus?*

### CONCLUSIO.

*Jesus Nazarenus est Messias in Lege promissus.* Propositio jam probata manet ex mox dictis: nihilominus.

*Prob. ulterius:* Omnes Prophetiæ de Messia editæ, in Jesu Nazareno fuerunt impletæ; ergo.

*Prob. ant.* Percurrendo singulas Prophetias.

1. Messias debuit nasci ex familia David, Isaiæ 11. *Egredietur virga de radice Jesse.* At Jesus Nazarenus ex semine David ortus est, Matth. 1. *Liber generationis Jesu Christi, Filii David, &c.*

2. Debuit nasci in Bethlehem, Michææ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* At Jesus natus est in Bethlehem, Matth. 2. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda.*

3. Nasci debuit ex Virgine, Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* At Jesus natus est ex Matre Virgine, Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

4. Debuit adorari a Regibus, Psal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ.* Quod impletum in Jesu legitur Matth. 2. *Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? .... venimus adorare eum.*

5. Debuit fugere in Ægyptum, Osee, cap. 11. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* At impletum est in Jesu, Matth. 2. *Consurgens, Joseph, accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.*

6. Debuit vendi 30. argenteis, Zachar. 11. *Et appenderunt mercedem meam 30. argenteis.* Quod in Jesu impletum dicitur, Matth. 26. *At illi*, Judæ, *constituerunt 30. argenteos.*

7. Novum sacerdotium debuit instituere, Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod impletum est in Jesu, Matth. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, &c.*

8. Debuit prodi ab amico & familiari, Psal. 40. *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*: quod impletum est in Jesu, Joann. 18. *Sciebat autem & Judas qui tradebat eum, locum* &c.

9. Messias debuit potari felle & aceto, Ps. 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*: quod in Jesu impletum legitur, Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.*

10. Debuit ingredi Jerosolymam, sedens super asinam, & a civibus cum gaudio excipi. Zachar. 9. *Jubila, filia Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ:* quod impletum est in Jesu, Matth. 21. *Et adduxerunt asinam & pullum .... & eum desuper sedere fecerunt .... turbæ autem clamabant, dicentes: Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

11. Debuit crucifigi & cum iniquis reputari, Ps. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Et Isaiæ 53. *Cum iniquis reputatus est.* Hoc autem fuit impletum in Jesu, Matth. 37. *Duxerunt eum ut crucifigerent. Crucifixi sunt cum eo duo latrones.*

12. Messias debuit resurgere, Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* At impletum est in Jesu, Matth. ult. *Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim sicut dixit.*

13. Messias debuit ascendere in cœlum, Psalm. 46. *Ascendit Deus in jubilo.* Id autem in Jesu impletum

pletum legitur, Act. 1. *videntibus illis*, Apostolis, *elevatus est . . . . cumque intuerentur in cœlum euntem illum*, &c.

14. Debuit mittere Spiritum Sanctum, Joel. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*. Id autem in Jesu impletum legitur, Act. 2. *Factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis . . . . & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

15. Messiæ promissa fuit conversio gentium. Is. 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Illudque magnum opus perficere debuit per eos qui credituri erant in eum, Isaiæ 66. *Ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes . . . ad insulas longe . . . . & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. Et assumam ex eis Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus*. Atqui vocatio gentium facta est per Jesum Nazarenum, qui, Apostolorum suorum ministerio, totum mundum, idololatriæ deditum, ad veri Dei cultum reduxit.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objiciunt Judæi*. Adventus Messiæ debet esse magnificus & gloriosus, Psalm. 49. *Deus noster manifeste veniet & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet*. Atqui talis non fuit adventus Jesu Nazareni, qui in vili stabulo, & in medio duorum animalium, natus est; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Adventus Messiæ secundus, quando nimirum veniet in majestate sua judicaturus vivos & mortuos, *conc.* nam ex Matth. 25. *Tunc sedebit super sedem majestatis suæ*. Adventus Messiæ primus, *nego maj.* tunc enim, juxta Prophetiam Zachariæ 9. *Rex veniet justus & Salvator: ipse pauper*, & ascendens *super asinam & super pullum filium asinæ*. Ecce illius Regis tota magnificentia.

*Inst.* 1. Cum venerit Messias, *Super solium David, & super regnum ejus sedebit*, Isai. 9. atqui Jesus Nazarenus non sedit super solium David; ergo.

Resp. *dist. maj.* Sedebit super solium David, ita ut per solium David intelligatur Regnum spirituale, quod est Ecclesia, cujus Christus est Caput, *conc.* Regnum temporale, *nego maj.* Loquitur itaque Isaias hic de Ecclesia, quæ in æternum duratura est, unde addit, *Super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, corroboret in judicio & justitia, amodo & usque in sempiternum*. Regnum autem David temporale, in æternum non debuit, nec potuit durare, unde Christus ipse ait, Joann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

*Inst.* 2. In adventu Messiæ futura est Israelitarum exaltatio, & rerum omnium abundantia: atqui tantum abest, ut Israelitæ in Jesu Nazareni adventu fuerint exaltati & ditati, quin potius fuerint depressi, & ad extremam egestatem redacti; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Futura est Israelitarum exaltatio secundum spiritum, & rerum omnium spiritualium abundantia, *conc.* secundum carnem exaltatio, & rerum temporalium abundantia, *nego maj.* Itaque Israelitæ dupliciter sumuntur. 1. Carnaliter, pro iis qui secundum carnem sunt posteri Israel. 2. Spiritualiter, pro iis qui fidem Israel imitantur, hi vero sunt Israelitæ, qui in adventu Christi constituti sunt in regno gratiæ & sanctitatis, juxta hanc Isaiæ 61. Prophetiam: *Spiritus Domini misit me . . . ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris; & vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum*. Quam Prophetiam cum legisset Jesus Nazarenus in Synagoga Nazareth, declaravit eam dicens: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant.*

*Inst.* 3. Messias promissus debet Judæos liberare a servitutis jugo; atqui eos non liberavit Jesus Nazarenus; immo ab ejus adventu sub durissima servitute gemunt; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* A servitute peccati & mortis æternæ, *conc.* A servitute principum, *nego maj.* Certum est autem quod Jesus Christus non modo Judæos, sed omnes gentes a jugo mortis æternæ & peccati liberavit, Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ.*

*Inst.* 4. Messias debet omnes gentes imperio suo subjicere, Psalm. 2. *Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; atqui Jesus Nazarenus non subjecit omnes gentes imperio suo; ergo.

Resp. *dist. maj.* Debet omnes gentes imperio suo spirituali subjicere, *conc.* temporali & caduco, *nego maj.* Porro Jesus Christus omnes gentes suo spirituali imperio subjecit, fidem interius, occulta gratiæ suæ subministratione, suadendo, mores reformando, &c.

*Inst.* 5. Atqui Messias debet omnes gentes subjicere imperio suo temporali; ergo, &c.

*Prob. ant.* Messias promissus, futurus est bellator, Psalm. 44. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Messias futurus est bellator sensu spirituali, *conc.* sensu carnali Judæorum, qui Messiam Ducem, armis & opibus præpotentem, expectabant, a quo ab omnibus suis hostibus forent liberandi, *nego ant.* Porro Jesus Christus spirituali modo bellator & victor fuit, quia de infidelitate, de errore, dæmone, immo de ipsamet morte plenam reportavit victoriam, nam ex Heb. 2. *Participavit carni & sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.*

*Inst.* 6. Verus Messias debuit idolorum cultum extinguere; atqui Jesus Christus idolorum cultum non extinxit; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Debuit cultum idolorum extinguere paulatim, & per gradus, *conc.* simul & uno momento, *nego maj.* Est quippe ordo divinæ providentiæ, ut nonnisi per quosdam gradus ad finem suum perveniat.

*Inst.* 7. Verus Messias ab Ecclesia recipi debuit; atqui Synagoga, quæ tunc sola erat Ecclesia, non recepit Nazarenum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Messias debuit ab Ecclesia nova, quæ tunc formabatur, recipi, *conc.* a Synagoga, *nego maj.* Imo, juxta prophetias de Messia factas

factas debuit a Judæi rejici & crucifigi & a gentibus recipi. Id expresse prædixit Isaias 65. *Invenerunt me, qui non quæsierunt me; dixi: ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.* E contra, *expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas.* Hoc autem impletum est in J. C. qui Jo: 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

## DISSERTATIO V.

*De causis Incarnationis.*

*Nota.* Circa causam Incarnationis efficientem nulla est controversia: certum enim est, ipsam opus esse totius Trinitatis; est enim opus ad extra; sed opera ad extra, sunt totius Trinitatis; ergo, &c. Itaque restat agendum: 1. De causa finali, seu motiva Incarnationis: 2. De causa ejusdem meritoria, duplice Capite.

## CAPUT I.

*De causa finali, seu motiva Incarnationis.*

*Nota.* Hic duplex movetur quæstio: *prima*, quæ spectat dogma, utrum generis humani redemptio fuerit finis Incarnationis; *secunda*, quæ spectat scholæ dissidium, utrum generis humani redemptio, ita fuerit finis adæquatus & totalis Incarnationis, vi præsentis decreti, ut, homine non peccante, Verbum non fuisset Incarnatum.

### QUÆSTIO I.

*Utrum generis humani redemptio fuerit finis Incarnationis?*

### CONCLUSIO.

*Incarnatio facta est ad liberandum hominem a peccato* .... Est de fide contra Pelagianos negántes peccatum originale, & necessitatem gratiæ Christi ad delenda peccata, docentesque Christum datum esse hominibus ut exemplum, Doctorem & Legislatorem, non ut redemptorem proprie.

*Prob. prop.* 1. Ex Scriptura, Joann. 3. *Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum*: Matth. 18. *venit Filius hominis salvare, quod perierat.* 1. Ad Tim. 1. *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Quibus verbis expresse & clare declaratur Verbum Incarnatum esse ad liberandum homines a peccato & damnatione æterna.

*Prob.* 2. Ex Concilio Nicæno I. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est.*

*Prob.* 3. Ex traditione PP. quorum textus referemus quæst. sequenti, contenti hic proferre testimonium S. Bernardi epist. 190. contra Abailardum. *Si verum est dicere*, inquit, *quod Christus non venit ad hominem liberandum, sed tantum ad institutionem vitæ & charitatis commendationem*, (*ut Abailardus volebat*) *hoc modo ipse Abailardus cum Pelagio evacuat pretium sanguinis Christi*. Ergo.

Quæres 1. *An Christus venerit, tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia?*

Resp. *affirm.* Idque est de fide cum expresse legatur in Scripturis, 2. ad Tit. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Et 1. Joann. 1. *Sanguis Jesu Christi emundet nos ab omni peccato.* Et c. 3. ait: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Atqui non solum peccatum originale, sed & actualia, sunt opera diaboli; ergo.

Quæres 2. *An Christus magis præcipue venerit ad delendum peccatum originale?*

Resp. *affirm.* Quia propter illud peccatum magis præcipue Christus venit, quod est majus extensive; atqui peccatum originale, peccato actuali majus est extensive, cum per illud primus parens omnes suos posteros reddiderit inimicos Dei, Filios iræ, & indignos vita æterna; ergo.

Quæres 3. *Utrum venisset Christus, si, Adamo non peccante, peccassent ejus posteri?*

Resp. Nihil de hac re certum potest definiri, cum id nullibi revelatum reperiatur. *Quis*, ait Apost. Rom. 11. *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ab his ergo otiosis quæstionibus abstinendum judicamus.

### QUÆSTIO II.

*Utrum generis humani redemptio ita fuerit finis adæquatus & totalis Incarnationis, ut, homine non peccante, Verbum non fuisset Incarnatum?*

*Nota.* Præsens quæstio non est de possibili: certum est enim, quod Deus potuisset Incarnari virtute alterius decreti, si homo non peccasset; in hoc enim nulla est repugnantia; sed quæstio est de facto, nimirum, utrum in præsenti rerum ordine, ac virtute præsentis decreti, Christus venisset, etiamsi homo non peccasset: circa quod duplex est sententia.

*Prima*, est Scoti & ejus discipulorum, qui docent Verbum, etiam homine non peccante, incarnandum fuisse vi præsentis decreti, non quidem in carne passibili, sed in carne impassibili. Hinc, secundum hos Theologos, Verbum fuit incarnatum vi duplicis virtualiter decreti: *Per primum*, decreta est Incarnatio in carne impassibili propter ejus excellentiam ante prævisionem lapsus hominis. *Per secundum*, decreta est Incarnatio in carne passibili propter redemptionem hominis lapsi.

*Secunda*, est Divi Thomæ & majoris partis Theologorum, qui docent redemptionem hominis fuisse motivum totale & adæquatum Incarnationis ita ut Verbum, vi præsentis decreti, Incarnatum non fuisset, si homo non peccasset; cum quibus sit:

### CONCLUSIO.

*Verbum divinum vi præsentis decreti non fuisset incarnatum, si homo non peccasset.*

*Prob.* 1. *ex Scriptura*, in qua Filius Dei dicitur simpliciter venisse, ut redimeret genus humanum; immo hoc unicum assignat motivum, Joann. 3. *Non misit*

*misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Hinc D. Paulus rationem reddens, cur Christus carnem assumpserit, ait: *Quia ergo pueri participaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum*. Atqui in his textibus non solum agitur de adventu Christi in carne passibili, sed de ejus adventu simpliciter; ergo illius unicum est motivum, nempe redemptio generis humani.

*Dicunt Scotistæ*: Quamquam Scripturæ redemptionem homini pro motivo Incarnationis assignent, tamen non negant aliud motivum; ergo datur aliud.

Resp. *dist. ant.* Non negant aliud motivum expresse, *conc.* tacite, *neg. ant.* In his quippe rebus, in quibus, quid voluerit Deus, e Scriptura magis, quam ex nostris conjecturis expiscandum est, tacite saltem negatur aliud motivum, quando unicum refertur; sic dum Scriptura unius mundi creationem exponit, plures tacite negat.

*Instab.* Scripturæ alia motiva non obscure designant, puta quod venerit Christus: 1. Ut Doctor noster, Joann. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. 2. Ut Pastor, Jo. 11. *Ego sum Pastor bonus*. 3. Ut largitor vitæ per gratiam, Joann. 10. *Ego veni ut vitam habeant*. 4. Ut Sponsus Ecclesiæ, Ephes. 5. Ergo &c.

Resp. *dist. ant.* Scriptura, alia designat Incarnationis motiva, in motivo redemptionis hominum comprehensa, *conc.* a motivo redemptionis distincta, *nego ant.* Itaque illæ Christi adventus rationes a motivo redemptionis exiguntur tamquam illius appendices: venit enim Christus ut doctor, sed ut illuminet hominem existentem in tenebris peccatis, Jo. 1. venit ut pastor, sed ut quæreret ovem quæ perierat, *Lucæ* 15. venit ut largitor vitæ, sed instar medici ad ægrum, quem semivivum latrones reliquerunt, *Luc.* 10. venit ut sponsus, sed cui applicatur illud quod, *Exodi* 4. Moysi tribuit Sephora, *Sponsus sanguinum tu mihi es*: ut qui suo sanguine sibi coemerit ac desponsaverit animas nostras; ergo illæ omnes rationes adventus Christi, quas designat Scriptura, in singulari motivo redemptionis nostræ comprehenduntur.

*Prob. 2. Ex tradit. PP.* Qui nullum aliud motivum afferunt, immo sæpe quodlibet aliud excludunt.

S. Irenæus, lib. 5. contra hæreses c. 14. ait: *Si non haberet caro salvari nequaquam*, id est, nullo modo: *Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus*.

S. Athanasius, orat. 3. contra Arianos: „ Dominus *inquit*, non habuit causam, ut esset Verbum, nisi quod esset patris germen & sapientia unigenita; cum tamen homo efficitur, tum causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare: necessitas quippe hominum indigentiaque anterior est, quam illius nativitas, qua sublata non induisset carnem ".

S. Chrysost. hom. 5. in Epist. ad Hebr. *Carnem nostram suscepit propter benignitatem solum & clementiam, ut nostri misereretur, non enim est alia dispensationis causa, quam hæc sola*.

Origenes homil. 24. in Numeros: *Si non fuisset peccatum . . . mansisset*, Christus, *hoc quod in principio erat, Deus Verbum*.

Div. August. Serm. 8. de verbis Apost. *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset*. Et Serm. 9. *nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa*. Consentiunt alii Patres.

Argumenta ex ratione deprompta non afferimus, ex Scripturis enim solum & traditione, explorandum est quod ab una Dei voluntate pendet.

*Scotistæ respondent*, Sanctos Patres intelligendos esse de adventu Christi in carne passibili, non vero in carne impassibili, sed

*Contra est*: Quia SS. PP. absolute & simpliciter negant Christum venturum fuisse, hac sublata causa; ergo sicut nunc simpliciter & absolute dici non potest quod Christus nequaquam venerit, quia non venit in carne impassibili, ita nec SS. PP. potuerunt dicere, quod, sublata hac causa, Christus nequaquam venisset, intelligendo quod non venisset in carne passibili.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ille, homine non peccante, venturus fuisset, saltem in carne impassibili, quam Deus futurum decrevit, antequam Adami futuritionem decerneret; atqui Deus Christum futurum decrevit; ergo, &c. Resp. *nego min.*

*Prob. min.* Is, quem Deus voluit esse initium viarum suarum, antequam quidquam operaretur ad extra, haud dubie decretus fuit, antequam Adami futuritio decerneretur; atqui Deus Christum voluit esse initium viarum suarum, antequam quidquam operaretur ad extra, Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret*, quod intelligitur de Sapientia incarnata; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Deus Christum, quatenus est Verbum divinum, voluit esse initium viarum suarum, *conc.* quatenus homo, *subdist.* Voluit esse initium viarum suarum, antequam quidquam faceret circa salutem hominis lapsi, *conc.* circa hominis existentiam naturalem, *nego min.* Itaque textus allatus intelligitur litteraliter de Verbo divino, quod est Sapientia increata, hoc constat, tum quia ibidem Sapientia de se ipsa dicit: *Cum eo (Deo) eram cuncta componens*; tum quia singula membra illius textus Verbo æterno apprime conveniunt: dicitur enim 1. *Dominus possedit me*, id est, genuit me, prout sonat verbum, *possedit*: dicitur 2. *In initio viarum suarum*, id est, ut sim principium viarum suarum, unde versio ex Hebræo S. Pagnini habet: *Dominus possedit me principium viæ suæ*. Dicitur 3. *Antequam quidquam faceret*, &c. id est, ab æterno, per quod significatur divinitas & æqualitas cum Patre, unde Hebræum habet: *Ante opera sua*; nimirum ad extra, quale opus est Incarnatio; sic interpretantur hunc locum plures Patres.

Verum cum plures alii Patres hunc textum de incarnata quoque Sapientia interpretentur, in ea suppositione dicendum erit, eo textu significari Christum, ut est Homo Deus, esse in initio viarum Dei ad hominem lapsum redimendum, atque perducendum ad beatitudinem, ad quam ante omnes prædestinatus est Christus, ut interpretantur iidem Patres.

*Inst.* Septuaginta legunt: *Dominus condidit me initium viarum suarum*, id est, creavit; ergo textus ille intelligitur litteraliter de Sapientia incarnata.

Resp. *dist. ant.* Condidit improprie, id est, produxit,

duxit, *conc.* condidit proprie, id est, creavit, *nego ant.* Nam Septuaginta versu sequenti, habent: *Ante sæculum fundavit me*, id est, ab æterno; porro æternitas adjuncta verbo, *condidit*, satis indicat illud verbum significare generationem, non vero proprie dictam creationem ex nihilo, quam impossibile est esse antequam Deus quidquam faceret.

*Objicies* 2. Ille, homine non peccante, fuit futurus, qui futurus fuit ante omnem creaturam; atqui Christus fuit futurus ante omnem creaturam; ergo.

*Prob. min.* Coloss. 1. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*. Ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Christus, ut Deus, dicitur primogenitus omnis creaturæ, *conc.* ut Homo *subdist.* Dicitur primogenitus prioritate honoris & dignitatis, *conc.* priorate temporis vel intentionis, *nego antec.* Itaque Apostolum loqui de Christo, prout est Deus, constat ex antecedentibus & consequentibus, quippe ait: Christus *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia .... omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Atqui Christus, ut homo est, non est imago Dei invisibilis, nec ab eo, ut homo est, creata sunt omnia, sed tantum, prout Deus est; ergo.

*Inst.* Hæc verba quæ sequuntur, *Christus est caput corporis Ecclesiæ .... primogenitus ex mortuis*, intelliguntur de Christo ut homine; ergo Christus, ut homo, est primogenitus omnis creaturæ.

Resp. *conc. antec.* Cum autem in Christo duplex sit natura, non mirum est, quod Scriptura modo de eo secundum divinitatem, modo secundum humanitatem loquatur, quod ex antecedentibus & consequentibus dijudicandum est, *dist. conseq.* Est primogenitus ordine dignitatis & excellentiæ, *conc.* ordine intentionis vel temporis, ita ut prædefinitus fuerit ante omnes creaturas, *nego conseq.* cum D. Hier. in hunc locum: *Primogenitus*, inquit, *non quod Deus illum ante omnem creaturam producere constituerit, sed quod illi creaturam omnem subjecerit.* Itaque vox, *primogenitus*, per Hebraismum sæpe, in Scriptura, significat præstantissimum in suo genere, quomodo David, *Ps.* 88. dicitur primogenitus: *Ego primogenitum ponam illum.* Et Ephraim, Jerem. 31. *Ephraim primogenitus meus.*

*Subsumes*, atqui Christus ut homo, est primogenitus omnis creaturæ ordine intentionis; ergo.

*Prob. subs.* Christus dicitur finis, ad quem omnes creaturæ ordinantur, Hebr. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, auctorem salutis eorum per passionem, consummare.* Atqui finis propter quem sunt omnia, prius volitus est, quam omnia decernerentur; ergo.

Resp. *dist. maj.* Christus, ut Deus, est finis, ad quem omnes creaturæ ordinantur, *conc.* ut homo, *subdist.* Est finis, eo quod, postquam, supposito peccato, decretus est, omnia ad illum Deus referri voluerit, *conc.* quia, ut ait Apostolus, 1. Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Eo quod ante omnia decretus sit, *nego maj.* nam in his, quæ ex instituto dependentiam habent, non necesse est, ut id prius existat, aut decretum fuerit, ad quod referuntur cætera. Locus autem Apostoli, non de Christo ut homine, sed de Deo Patre intelligendus est, ut series sermonis satis indicat.

*Objicies* 3. Sancti Patres docent Christum prædefinitum fuisse ante omnem creaturam: ergo, homine non peccante, venturus fuisset, saltem in carne impassibili.

*Prob. ant.* Ex D. Iræneo, *lib.* 3. *cap.* 33. dicente: *Cum præexisteret salvans, oportebat, & quod salvaretur, fieri, ut non vacuum sit salvans.* Ergo Christus fuit prædefinitus ante Adamum, ejusque peccati prævisionem.

Resp. *nego conseq.* Ibi enim D. Irenæus loquitur de Christo, ut Deo, qui ab æterno fuit salvans in actu primo, hoc est, valens salvare in natura assumpta, non vero loquitur de Christo ut homine: alias & de eo in carne passibili acciperetur, cum in ea tantum sit salvans, quem tamen in carne passibili decretum esse ante peccatum adversarii non dicent. Et vero D. Irenæus clare sententiam nostram docet, loco in probatione citato.

*Inst.* 1. D. Cyrill. lib. 5. Thesauri, cap. 8. ait: „Præfundatur, *id est, decernitur*, ante nos Christus, & in illo nos omnes superædificamur; idque ante initium mundi in præscientia Dei, ut cum ordine divino benedictio maledictionem antecesserit, &c. " ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam S. Cyrillus solum vult Christum fuisset præfundatum ante nos, quia definitus est in divina misericordia; non quidem ante prævisum peccatum nostrum, sed antequam actu peccaremus, ut, nempe, homine peccante, remedium jam paratum esset, quod patet ex his ejus verbis paulo superius: *Sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, & ideo ex misericordia sua ante sæcula constituit, ut Verbum suum homo fieret.* Ergo propter liberationem a peccato præviso, Christus factus est homo; hocque solo sensu benedictio prævisa maledictionem actualem antecessit, non autem maledictionem prævisam.

*Inst.* 2. D. Cyrillus addit: „ Creator noster Christum, nostræ salutis fundamentum, etiam ante initium mundi fundavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur. " Ergo Christus fuit decretus ante lapsum hominis.

Resp. *dist. conseq.* Ante lapsum hominis personalem, *conc.* originalem, *subdist.* actu commissum, *conc.* prævisum, *nego.* Sensus itaque D. Cyrilli est, Christum tam firmum esse nostræ liberationis a peccato originali fundamentum, ut, si laberemur postea in peccata actualia, iterum reparari in Christo possemus, ut patet ex his verbis: *Ut si prævaricatione*, personali, *caderemus, in ipso rursus renovaremur.*

*Objicies* 4. D. August. (*Lib.* 1. *de nuptiis & concup. cap.* 21.) docet ante peccatum matrimonium futurum fuisse Sacramentum, scilicet, *in Christo & in Ecclesia.* Ergo ante peccatum Christus fuit decretus.

Resp. *dist. conseq.* Christus fuit decretus ante peccatum, actu commissum, *conc.* ante peccatum, prævisum, *nego conseq.* constat ex ipso textu Augustini. *Ante peccatum*, inquit, *dictum est in paradiso, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; quod magnum Sacramentum* dicit

*dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia*; ergo ante peccatum actu commissum decretus fuit Christus, non vero ante idem peccatum prævisum, quia si non fuisset futurum, Christus, vi præsentis decreti, non venisset, & consequenter matrimonium non fuisset signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.

*Inst.* 1. Adamus ante suum peccatum cognovit mysterium Incarnationis, ut tradunt multi Patres cum D. Thom. (2. 2. *q.* 2. *art.* 7.); ergo ante peccatum futura erat Incarnatio.

Resp. *nego conseq.* Adamus enim potuit illud mysterium cognoscere, quia tunc reipsa futurum erat; quamvis non fuisset futurum, nisi in peccatum lapsurus fuisset.

*Inst.* 2. Ex D. August. (*lib.* 11. *de Genes. ad litt. cap.* 18.) licet Adamus innocens habuerit cognitionem Mysterii Incarnationis: *Non tamen sui peccati præscius fuit*. Ergo Deus erat incarnandus, etiam Adamo non peccante.

Resp. *nego conseq.* Ex antecedente sequitur tantum, quod Adamus in statu innocentiæ finem & motivum Incarnationis ignoraverit; non vero sequitur, quod Deus, Adamo non peccante, incarnandus fuerit.

*Objicies* 5. Ille futurus fuit, Adamo non peccante, qui est caput Adami innocentis, immo & Angelorum; atqui Christus est caput Adami innocentis, immo & Angelorum, Coloss. 2. *Est caput omnis principatus & potestatis*. Ergo.

Resp. *dist. min.* Christus est caput Adami innocentis & Angelorum, dignitate & excellentia, *conc.* influxu, *nego min.* Dona enim, quæ primis parentibus ante lapsum & Angelis sanctis concessa sunt, erant dona Dei creatoris, non autem Christi redemptoris: unde hæc verba, Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, de hominibus lapsis intelligi debent.

*Inst.* D. Bernardus *Serm.* 22. in *Cantica*, ait: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens: & hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, & servans istum*. Ergo Christus fuit caput Angelorum influxu.

Resp. *dist. conseq.* Christus, ut Deus, *conc.*, ut homo, *nego conseq.* solum vult D. Bernardus gratiam Angelo ad non peccandum, sicut homini ad resurgendum a peccato necessariam fuisse; at non eodem modo, nec ex meritis Christi, sed ex pura creatoris liberalitate.

*Objicies* 6. Deus decrevit Incarnationem propter suam gloriam æternam, nam *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Ergo non eam decrevit propter generis humani redemptionem.

Resp. *dist. ant.* Decrevit Incarnationem propter gloriam suam, tamquam propter finem remotum, *conc.* proximum, *nego*. Deus enim Incarnationem, quam ad suam gloriam externam ultimate refert, proxime voluit propter redemptionem generis humani.

*Instabis* 1. Inordinatum est perfectius referre ad minus perfectum; atqui Incarnatio est quid perfectius redemptione generis humani; ergo inordinatum est illam referre ad generis humani redemptionem.

Resp. *dist. maj.* Inordinatum est perfectius referre ad minus perfectum, tamquam ad finem ultimum *conc.* tanquam ad finem proximum prius efficaciter intentum, *nego maj.* & sic ad consequentiam. Itaque Deus, qui est liberrimus ad extra potuit absque inordinatione decernere Christum propter redemptionem generis humani, tamquam finem immediatum, ordinatum ad suam gloriam externam, quæ est finis ultimus omnium rerum.

*Inst.* 2. Inordinatum est magis amare quod est minus amabile; atqui si Deus Incarnationem ordinavit ad redemptionem hominis, magis amavit hominem redimendum, quam Christum, licet sit Christo minus amabilis; ergo.

Resp. 1. *retorq. argument.* Contra adversarios, Deus Christum in carne passibili ordinavit ad redemptionem hominis; ergo magis amavit hominem redimendum, quam Christum in carne passibili.

Resp. *nego min.* Amor enim major, vel minor, non mensuratur ex ordinatione unius ad aliud, sed ex majori complacentia, & majoribus donis collatis; atqui Deus multo plus sibi in Christo complacuit, quam in puro homine redimendo, eique multo plura ac majora contulit dona; ergo.

*Instabis* 3. Si Deus Incarnationem ordinavit ad hominis redemptionem, amavit hominem redimendum ut finem, Christum vero incarnandum ut medium; atqui magis amatur finis, quam medium ad finem: ergo.

Resp. *dist. min.* Si medium ametur tantum propter bonitatem finis, *conc.*, si ametur principaliter propter bonitatem suam absolutam, quæ sit præstantior bonitate finis, *nego min.* Deus autem amat Christum, quatenus est medium aptissimum ad redemptionem hominis; verum eum multo magis amat propter ejus bonitatem absolutam infinite præstantiorem salute hominum, ad quam ordinatur, licet, vi præsentis decreti, Incarnationem non decrevisset, nisi homo fuisset redimendus.

*Objicies* 7. Si Verbum ita propter peccatum delendum Incarnatum esset, ut eo sublato, Incarnaturum non fuisset, *sequeretur* 1. Incarnationem esse bonum nobis per accidens concessum, nimirum ex occasione peccati: *sequeretur* 2. humanitatem Christi posse lætari de primorum parentum peccato, quod tanto bono, quantum est Incarnatio, occasionem præbuit, immo & gratias agere Adamo de peccato; atqui illa sunt absurda; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Nam 1. quæ ex occasione alterius libere & positive decernuntur, non dicuntur decerni per accidens ex parte illius, a quo decernuntur; ergo licet Christus non fuerit prædefinitus, nisi ex occasione peccati, fuit tamen prædefinitus propter suam expetibilitatem; ergo non per accidens ex parte Dei, sed propter se. 2. Humanitas Christi non potest lætari de peccato Adami, sed de summa Dei in homines charitate, qua sola, ex occasione peccati prævisi, motus est ad Incarnationem prædefiniendam, *sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Unde horum verborum, quæ canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*, sensus est, quod Adami culpa, ex summa Dei misericordia, homini per Verbum Incarnatum redempto, feliciter cesserit.

CA-

## CAPUT II.

### *De causa Incarnationis meritoria.*

*Nota* 1. Meritum est *Valor operis in ordine ad præmium*, & duplex est, unum de condigno, alterum de congruo.

Meritum *de condigno*, est opus bonum, cui stricto jure præmium debetur, ita ut sine injustitia negari non possit.

Meritum *de congruo*, est opus bonum, cui, ex quadam duntaxat decentia, præmium debetur. In hoc differunt, quod ad meritum de condigno requiratur status gratiæ ex parte operantis, & promissio ex parte præmiantis, quod non requiritur ad meritum de congruo.

*Nota* 2. Incarnatio considerari potest duobus modis. 1. *Secundum substantiam*, nempe, prout dicit hypostaticam Verbi cum humanitate unionem. 2. *Secundum varias illius circumstantias*, v. gr. quod facta sit ex tali gente, familia, muliere, hoc vel illo tempore, &c.

*Nota* 3. Quæstio hic est, utrum Christi humanitas, veteres Patriarchæ, & B. Virgo Maria meruerint Incarnationem Verbi? quam sequentibus conclusionibus resolvemus. Itaque.

## CONCLUSIO I.

*Humanitas Christi, nec de condigno, nec de congruo, meruit hypostaticam cum Verbo Divino unionem.*

*Prob.* 1. Quia Christi humanitas sine unione hypostatica nunquam fuit, siquidem in primo instanti suæ Conceptionis unita fuit cum Verbo, ut fides docet adversus Nestorium; ergo illam non meruit; alias effectus esset prior sua causa. 2. Quia principium meriti non cadit sub meritum; atqui unio hypostatica fuit principium meritorum Christi; ergo, &c. Hinc Incarnatio in Scripturis clementiæ divinæ unice tribuitur, ad Tit. 3. *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Suffragatur D. August. cap. 36. Enchiridii dicens: *Hic granditer & evidenter Dei gratia commendatur: quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? . . . quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo?*

*Objicies* 1. Apoc. 5. de Christo dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem.* Ergo humanitas Christi meruit suam cum Divinitate unionem.

Resp. *nego conseq.* Neque enim textus agit de merito Christi in ordine ad unionem personalem cum Divinitate, sed solum in ordine ad manifestationem suæ Divinitatis, id est, ad gloriam externam, quatenus Christus morte sua meruit, ut suum nomen, toto passim orbe, cultu latriæ celebraretur, ut docet Apost. Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.*

*Objicies* 2. Psalm. 44. de Christi humanitate prænuntiatur: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Ex quo sic arguo: unctio, de qua loquitur Psaltes Regius, est unio hypostatica Divinitatis cum humanitate: atqui hanc unionem meruit Christi humanitas, ut constat ex hac particula causali, *propterea*; ergo.

Resp. 1. *nego maj.* Nam juxta multos Patres (*D. Hieronym. Ep.* 140. *Ambr. in c.* 1. *ad Hebr.*) per illam unctionem, non intelligitur unio hypostatica, sed gloria quæ Christo resurgenti concessa est in mercedem amoris, quo, dum viveret, flagrarat in justitiam.

Resp. *nego min.* Particula enim, *propterea*, non sumitur in hoc textu causaliter meritorie, sed finaliter, ita ut sensus sit, quod humanitas Christi fuerit uncta divinitate, non quia aliquid egisset istius unctionis meritorium; sed potius eo fine, ut justitia diligeret, & omnia præstaret quæ ab eo perfecta sunt. Ita D. August. in illum Psalmum, Gregor. Nazianz. orat. 36. &c.

## CONCLUSIO II.

*Veteres Patriarchæ, nec de condigno, nec de congruo meruerunt Incarnationem sumptam secundum substantiam.*

*Prob.* Veteres Patriarchæ nulla ratione meruerunt id quod cuilibet merito præsupponitur; atqui Incarnatio, secundum substantiam sumpta, præsupponitur cuilibet merito: de fide enim est nullum, in statu naturæ lapsæ, meritum esse, nisi ex meritis Dei incarnati; ergo veteres Patriarchæ nulla ratione meruerunt Incarnationem secundum substantiam.

*Objicies* 1. D. Thom. in 3. quæst. 3. art. 1. ait: *Acceleratio Incarnationis potuit cadere sub merito de condigno, Incarnatio autem sub merito de congruo.* Ergo veteres Patriarchæ meruerunt de congruo Incarnationem, sumptam secundum substantiam. D. enim Doctor hic distinguit Incarnationem secundum substantiam, ab Incarnatione sumpta secundum circumstantiam temporis, quæ secundum hanc circumstantiam mereri potest de condigno.

Resp. *nego conseq.* Licet enim D. Thomas illam tenuerit sententiam, dum scriberet in sententias, eam tamen correxit in sua Summa, dicens: *Gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quia est principium gratiæ, secundum illud Joann.* 1. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

*Inst.* Div. Thom. in loco citato Summæ addit: *Ex congruo tamen meruerunt SS. Patres Incarnationem desiderando & petendo.* Ergo non correxit priorem sententiam.

Resp. *dist. ant.* Meruerunt Incarnationem, quoad circumstantiam temporis, hoc est, meruerunt accelerationem Incarnationis, *conc.* quoad substantiam, *nego ant.* Alioquin Divus Thomas sibi contradiceret, cum paulo ante docuerit Incarnationem esse principium cujuscumque meriti, ac proinde eam nullo modo cadere sub meritum.

*Objicies* 2. Veteres Patriarchæ enixissime postulaverunt Incarnationem; ergo arbitrati sunt se posse eam promereri.

Resp. *dist. ant.* Postulaverunt Incarnationem, secundum illius mysterii ipsius revelati accelerationem, *conc.* secundum substantiam, *nego ant.* Quando enim Moyses dixit Deo, Exod. 4. *Obsecro, Domine, mitte* addit, *quem missurus es*; id est, mitte quamprimum quem mittere jam statuisti.

## CONCLUSIO III.

*Veteres Patriarchæ aliquas Incarnationis circumstantias meruerunt, non quidem de condigno, sed de congruo.*

*Prob. prima pars.* 1. Quia Abraham meruit, ut Christus de sua stirpe nasceretur, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo*, id est, in Christo ex te oriundo, *omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* 2. Quia Daniel suis precibus ac votis meruit accelerationem adventus Messiæ: *Ab exordio precum tuarum*, inquit Angelus, cap. 9. *egressus est sermo . . . . septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum*, &c.

*Prob. secunda pars.* Quia ad meritum de condigno requiritur ex parte præmiantis promissio, ut si talia egerint, tales circumstantias mererentur; atqui nulla talis promissio ex parte Dei facta est antiquis Patriarchis; ergo.

Dixi, *aliquas meruerunt circumstantias*, quia non meruerunt circumstantias Incarnationis, secundum præsens decretum, necessarias, v. g. quod Christus nasceretur, quod moreretur, nec proinde quod moreretur pro nobis; licet enim ab his circumstantiis abstrahat Incarnatio, ut decerni potuit, tamen ab iis non abstrahit, ut actu decreta est.

*Objicies.* Patriarchæ non meruerunt, etiam de congruo, hanc Incarnationis circumstantiam, quod Christus de eorum stirpe nasceretur; ergo, &c.

*Prob. ant.* Patriarchæ non meruerunt circumstantias Incarnationis, secundum præsens decretum, necessarias; atqui circumstantia, quod Christus ex stirpe Patriarcharum nasceretur, est, secundum præsens decretum, necessaria; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Incarnatio enim, secundum substantiam spectata, abstrahit ab hac circumstantia, quod Christus ab hac, vel illa stirpe nasci debeat, & ideo sancti Patriarchæ illam potuerunt mereri de congruo, ut de facto illam meruere: valde quippe congruum fuit, ut Deus illam concederet Patriarchis in præmium eorum virtutum, puta, obedientiæ, religionis, &c.

## CONCLUSIO IV.

*Beata Virgo non meruit divinam maternitatem de condigno, bene vero de congruo.*

*Prob. prima pars:* Quia ad meritum de condigno requiritur Deum inter & B. Virginem pactum de danda illi maternitate; atqui Deum inter & B. Virginem nullum tale pactum intercessit; ergo.

*Dices:* D. Ambros. (*L. 2. de Virginibus*) de Beata Virgine ait: *Quid in singulis immoror, quæ digna fuit, ex qua filius Dei nasceretur.* Et de eadem concinit Ecclesia: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur.* Ergo B. Virgo meruit, ut fieret Mater Dei.

Resp. *nego conseq.* Ex textibus allatis sequitur quidem, quod B. M. V. fuerit condigne disposita, ut esset Mater Dei, ad quod sufficit ut per gratias & dona Dei ita fuerit præparata, ut, quantum fert conditio creaturæ, decenter maternitatem reciperet; sed nulla ratione sequitur, quod de condigno divinam maternitatem meruerit.

*Prob. secunda pars.* Beata Virgo aliquo merito meruit maternitatem; ergo merito saltem de congruo.

*Prob. ant.* 1. Ex ipso B. Virginis Cantico, Luc. 2. *Quia*, inquit, *respexit humilitatem ancillæ suæ*; quorsum autem Deus respexit humilitatem B. Virginis, nisi ut illi concederet maternitatem, propter quam eam Beatam omnes nationes dicturæ essent: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ita sensit Ecclesia, quæ sic B. Virgini congratulatur: *Quia quem meruisti portare, resurrexit*, &c.

*Prob. 2. ex Patrib.* D. Hieron. (*L. 2. epist. 17. ad Eustochium*) ait: *Propono tibi B. Virginem, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.*

D. Aug. (*L. de natura & gratia, cap. 36.*) *Concipere meruit & parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

S. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 1. *Meritorum verticem*, inquit, *usque ad solium Divinitatis erexit.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Beata Virgo non potuit mereri maternitatem, quin simul meruerit Incarnationem; atqui Incarnationem mereri non potuit; ergo nec maternitatem.

Resp. *dist. maj.* Non potuit mereri maternitatem Dei, ante decretam Incarnationem, nisi meruerit etiam Incarnationem, *conc.* Non potuit mereri maternitatem Dei, ex hypothesi jam decretæ Incarnationis, *nego maj.* Potest autem intelligi ante decretam Incarnationem, quam decerneretur hæc, vel illa mater; cum id ita factum esse non repugnet, ac proinde maternitatem huic, aut illi, intuitu bonorum operum, concessam esse.

*Inst.* 1. Qui meretur aliquid, meretur quoque quod illud consequitur; atqui Incarnatio sequitur maternitatem; ergo &c.

Resp. *dist. min.* Incarnatio sequitur maternitatem, in genere consideratam, *conc.*; hanc aut illam numero maternitatem, *nego min.* Nam Deum venturum in carne passibili, dicit quidem eum ex aliqua matre nasciturum esse, sed non ex hac aut illa: quare posito decreto quod veniat Deus in carne passibili, & nascatur ex matre, datur adhuc huic, aut illi matri, locus promerendi, ut ex se potius quam ex alia nascatur.

*Inst.* 2. Incarnatio dicit hanc numero carnem assumi; ergo sequitur hanc numero maternitatem.

Resp. *nego conseq.* Nam hæc caro non est necessario hujus matris. Itaque, prævisis meritis B. Virginis, cogitandus est Deus ita disposuisse causas naturales, ut sub forma purissimi ejus Sanguinis esset pars illa materiæ, ex qua Christi corpus formandum esset; & quamvis merito

rito non daretur, quod B. Virgo talem habuisset materiæ partem, tamen ea obtenta, Deo sic causas naturales disponente, cogitari adhuc possit obtinuisse suis meritis, ut ex illa materiæ parte Christus nasceretur.

*Objicies* 2. B. Virgo ante omne meritum electa est, ut esset Mater Dei; ergo maternitatem non meruit.

Resp. *nego ant.* Cum D. Ambros. Epist. 82. *Quid loquar quanta sit virginitatis gloria*, inquit, *quæ meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum?* Ergo electio non excludit omne meritum.

*Inst.* Scriptura Sacra gratiæ adscribit, quod B. V. Christum conceperit: Lucæ 1. *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Ergo divina maternitas merito tribuenda non est.

Resp. *nego conseq.* Ut enim quid tribuatur gratiæ, sufficit quod ejus meritum pendeat a gratia, quo sensu *vita æterna* dicitur *gratia Dei*, licet cadat sub meritum.

*Inst.* 2. Gratiæ singulares, quibus cumulata fuit B. Virgo, ei concessæ sunt intuitu maternitatis divinæ; ergo cum illæ gratiæ ei omnino gratis concessæ fuerint, gratuita quoque debuit esse maternitas divina.

Resp. *dist. ant.* Intuitu maternitatis decernendæ propter merita, ad quæ disponeretur per illas gratias, *conc.* intuitu maternitatis jam decretæ absolute, *nego ant.* Equidem B. Virgo, a primo suæ conceptionis instanti, eximiis gratiis ac privilegiis fuit præventa, quibus, per nobiliores omnium virtutum actus, correspondens, non solum condigne fuit disposita, ut esset Mater Dei, sed etiam meruit de congruo divinam illam maternitatem: congruum enim erat, ut Deus intuitu bonorum operum sanctissimæ mulieris, illi concederet maternitatem.

*Objicies* 3. Omnia merita B. Virginis fundata fuere in hoc numero Christo, ex hac numero Matre genito; ergo merita B. Virginis non præcesserunt maternitatem, quæ consequenter non cecidit sub meritum.

Resp. *dist. ant.* Fundata fuere in hoc numero Christo, ex hac numero Matre genito *specificative*, id est, qui genitus est ex hac Matre, *conc.* ex hac numero Matre genito *reduplicative*, id est, quatenus ex hac Matre genitus est, *nego ant.* Nam licet nulla B. Virginis merita fuerint, nisi ex illo, qui est Filius hujus Matris, tamen non fuerunt ex illo, quatenus fuit Filius hujus matris; quod enim Christus ex hac numero Matre natus sit, non fuit circumstantia necessaria ad merendum; prius enim Christus cogitatur nasciturus ex aliqua Matre, quam ex hac numero Matre.

## DISSERTATIO VI.

### *De quidditate Incarnationis.*

*Nota.* Cum Incarnatio nihil aliud sit essentialiter, quam unio hypostatica naturæ divinæ simul & humanæ in una Verbi persona, agemus hic: 1. De persona assumente: 2. De natura assumpta: 3. De utriusque unione hypostatica, triplici capite.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De Persona assumente.*

*Nota* 1. Scholastici varias hic congerunt quæstiones *de possibili*, v. g. utrum plures personæ unicam humanitatem assumere possint? utrum una persona possit assumere plures humanitates simul? utrum Pater & Spiritus Sanctus tam potuerint Incarnari quam Filius? utrum Persona divina possit assumere naturam Angelicam?

Communis est sententia, illa omnia fuisse possibilia, quia nulla ex parte implicant. Verum jam non semel monuimus, satis otii nobis non esse, ut in hujuscemodi otiosis quæstionibus *de possibili* immoremur; itaque:

*Nota* 2. Error fuit Sabellianorum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum inter se non distingui, nisi nomine tenus, & penes quasdam temporarias ejusdem realiter personæ functiones: ex quo falso principio concludebant, Filium non potuisse reipsa Incarnari, quin Pater, & Spiritus Sanctus simul cum eo incarnarentur; unde *Patripassiani* dicti sunt; contra quos:

### CONCLUSIO.

*Sola Filii persona naturam humanam assumpsit.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ *Jo:* 1. expresse asserit Verbum divinum Incarnatum esse: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis;* nullibi autem id de Patre aut Spiritu Sancto affirmat. Immo Filius declarat se solum fuisse Incarnatum, cum de Patre dicit, *Pater major me est;* neque enim minor est Patre, nisi ratione humanitatis assumptæ.

*Prob.* 2. Ex traditione perpetua Ecclesiæ, quæ in omnibus suis Symbolis, Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Incarnationem soli Filio tribuit: *Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Et homo factus est, &c.* Et quæ Patripassianos, tanquam hæreticos, anathemate profligavit.

#### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Una persona non potuit sine alia Incarnari; ergo non sola persona Filii humanam naturam assumpsit.

*Prob. ant.* Opera ad extra sunt communia toti Trinitati; atqui Incarnatio est opus ad extra; ergo.

Resp. *dist. maj.* Opera ad extra, quatenus sunt actio, *conc.* quatenus sunt terminus illius actionis, *nego maj.* Itaque in Incarnatione duo sunt distinguenda, nempe actio per quam assumpta est humanitas, & terminus illius actionis. Actio, communis est toti Trinitati, quia procedit a potentia & virtute, quæ tribus personis communis est. Terminus vero illius actionis, particularis est Filio, quia pendet a subsistentia relativa, quæ singularis est personæ Verbi, ut docet Concilium Toletanum VI. his verbis: *Cum tota cooperata sit Trinitas ad formationem suscepti hominis, quoniam inse-*

*inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est, in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.*

*Inst.* Atqui Incarnatio, quatenus est terminus actionis incarnativæ, est communis toti Trinitati; ergo, &c.

*Prob. subs.* Terminare est agere; atqui ex dictis actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; ergo Incarnatio, quatenus est terminus, communis est toti Trinitati.

Resp. *dist. maj.* Terminare est agere, grammatice, *conc.* est agere, physice, *nego maj.* Itaque terminare nihil aliud est physice, quam esse terminum, quod actionem non importat: quis enim dicat parietem agere, quando potentiam alicujus visivam terminat?

*Objicies* 2. Una persona non potest videri intuitive absque altera; ergo nec potest Incarnari sine altera.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod essentia divina, quæ est primarium visionis intuitivæ objectum, identificatur tribus personis, & consequenter non potest sine illis videri intuitive; e contra tres personæ a se invicem realiter distinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quæ est effectus relativus, potest prodire ab una persona, absque eo quod prodeat ab aliis.

*Inst.* Natura divina est communis tribus personis; atqui, juxta D. Damascenum citatum a D. Thoma, (3. *part. quæst.* 3. *art.* 4. *ad* 2.) tota natura divina est Incarnata; ergo.

Resp. *dist. min.* Tota natura divina est Incarnata, mediate, *conc.* immediate, *nego min.* Neque enim unio facta est in natura, sed in persona, qua mediante natura dicitur Incarnata; est ergo: *Incarnata*, inquit D. Thom. *ratione personæ ad quam terminata est unio, non autem prout communis est tribus personis. Dicitur autem tota natura divina Incarnata, non quod sit Incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione divinæ naturæ, personæ Incarnatæ.*

*Objicies* 3. Assumptio hominis, quæ fit per gratiam, est communis omnibus personis; ergo & ea quæ fit hypostatice.

Resp. *nego conseq.* Nam assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, juxta illud 2. Petri 1, *Ut divinæ consortes naturæ, &c.* & ideo hujusmodi assumptio communis est tribus personis & ex parte principii effectivi, & ex parte termini: sed assumptio, quæ fit hypostatice, licet sit communis ex parte principii, non est tamen communis ex parte termini, de facto enim terminatur ad unam hypostasim. Ita D. Thom. ad 3.

## CAPUT II.

### *De natura assumpta.*

*Nota.* Cum natura humana duabus partibus essentialiter constet, corpore nimirum & anima; ideo, majoris claritatis causa, de utroque, & de naturæ humanæ defectibus sigillatim agemus, triplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De corpore a Verbo divino assumpto.*

*Nota* 1. Circa corpus a Verbo divino assumptum varie erraverunt Hæretici; namque:

1. Simon magus, Menander, Saturninus, Basilides, Marcion, Manes, &c. docuerunt Corpus Christi non fuisse verum Corpus carneum, sed apparens tantum, & phantasticum.

2. Valentinus, Apollinaris & Apelles, docuerunt Corpus Christi non fuisse terrenum ex carne B. M. Virginis formatum, sed fuisse e cœlo delatum, & per uterum Virginis, tamquam per canalem, transmissum.

*Nota* 2. Controvertitur inter Catholicos, utrum Verbum immediate assumpserit dentes, ungues, capillos, tres humores, & maxime sanguinem, quam controversiam, post debellatos Hæreticos, dirimemus. Itaque:

## CONCLUSIO I.

*Verbum divinum, verum & reale corpus assumpsit.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Joann. 1. *Verbum caro factum est.* Luc. ult. *Videte manus meas & pedes, quia ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ex quibus sic arguo: qui habet carnem & ossa, verum & reale corpus habet, & non corpus phantasticum; atqui Christus carnem & ossa habet; ergo.

*Prob.* 2. Verus homo habet verum Corpus reale; atqui ex Script. Patribus & Conciliis, Christus est verus homo; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Ex Script. Joann. 8. *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis.*

*Prob. min.* 2. ex *Patrib.* S. Athanasius *lib. de Incarnat.* contra Apollinarem: *Perfectus Deus*, inquit, *& perfectus homo Christus.* S. Greg. Nazianz. in orat. de Nativitate Christi, ait: *Ipse Dei Filius . . . . humana omnia, excepto peccato, suscepit.* S. Aug. Ep. 3. ad Volusianum, dicit Christum esse *æqualem Patri secundum divinitatem, minorem autem Patre secundum carnem, hoc est, secundum hominem.* Ergo Christus est verus homo.

*Prob. min.* 3. Ex Conciliis Generalibus, Nicæno I. *Incarnatus est*, Filius Dei, *& homo factus est.* Constantinop. IV. Act. 10. „ Confitemur unicum Dei Verbum Incarnatum, & factum fuisse propter nos secundum nos . . . . duplicem docentes unum eundemque Christum & Dominum, Deum scilicet perfectum, & hominem perfectum in una persona ".

*Confirm.* Ex D. Aug. qui, *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 14. sic premit phantasiastas: „ Si phantasticum fuit Corpus Christi, ergo fefellit Christus, & si fefellit, veritas non est: est autem veritas Christus: non igitur Corpus Christi phantasma fuit; alioquin esset dicendum, quod ejus nativitas ex Virgine, passio, mors, & resurrectio fuisset solum quid phantasticum & imaginarium. Quis autem hoc dicat sine hæresi & impietate? Nam si Christus vere non resurrexit sic ut & mors ejus sit phantastica: igitur

tur inanis erit prædicatio & fides nostra, inquit *Apost.* 1. *Cor.* 15. & vita Christi perpetua fictio fuit, & perpetua illusio & deceptio ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus, *Philipp.* 2. dicitur, *in similitudinem hominum factus*. Ergo non habuit veram carnem, sed apparentem & phantasticam.

Resp. *nego conseq.* Nam illa similitudo phantastica non est, sed vera & naturalis, qualis est inter individua ejusdem speciei, sic homo est similis homini. Hinc Apostolus subjungit: *Factus est obediens usque ad mortem*; homo vero, nisi verum corpus habeat, non moritur.

*Inst.* 1. Quando, *Rom.* 8. dicitur: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, illa similitudo non est vera & naturalis, sed tantum exterius apparens; ergo quando Christus dicitur *in similitudinem hominum factus*, illa similitudo est externæ tantum apparentiæ.

Resp. *nego conseq.* Disparitas desumitur ex ipsa Scriptura, quæ, cum dicit Christum missum fuisse *in similitudinem carnis peccati*, sufficienter declarat illam similitudinem esse tantum quoad externam apparentiam, asserendo Christum esse sanctum, & ab omni vel minima peccati umbra immunem, Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. 2. Cor. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, hoc est pœnas peccati tulit. Cum vero dicit Christum *in similitudinem hominum esse factum*, nullibi innuit illam similitudinem esse tantum externæ apparentiæ, e contra declarat illam similitudinem esse veram, realem, & naturalem, cum ubique asserat Christum esse verum hominem, 1.Timoth. 2. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus*.

*Inst.* 2. Atqui Scriptura sufficienter declarat se loqui de similitudine quoad externam tantum apparentiam; ergo.

*Prob. subsumpt.* Scriptura addit: *Et habitu inventus ut homo*. Atqui habitus externam speciem significat cum exclusione substantiæ, idque innuit particula, *ut*; ergo.

Resp. *dist. min.* Habitus, sumptus pro vestimento, *conc.* sumptus pro figura, *nego min.* Porro hic habitus sumitur pro figura, unde translatio Erasmi Roterod. habet: *Et figura repertus ut homo*. Figura autem per se realitatem non excludit a subjecto in quo reperitur: sic licet nihil magis sit simile, quam ovum ovo, non sequitur ovum non esse realiter ovum.

*Inst.* 3. Particula, *ut*, in hoc textu, est nota meræ similitudinis, non autem veritatis; ergo realitatem excludit.

Resp. *nego ant.* Particulæ enim, *ut*, *velut*, *quasi*, &c. non excludunt rei veritatem; sic Christus, qui 1. Joann. v. 14. dicitur, quasi Unigenitus, *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre*, dicitur absolute Unigenitus vers. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*.

*Objicies* 2. Apostolus 2. Cor. 5. ait: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*. Ergo Christus non habet veram carnem.

Resp. *nego conseq.* Alias sequeretur nullum hominem habere veram carnem, cum Apostolus dicat: *Neminem novimus secundum carnem*. Sensus ergo est, licet olim pluris fecerimus Christum habere pro consanguineo, nunc mortui veteris vitæ affectibus, augustius de eo sentimus, nec amplius eum novimus *secundum carnem*, sed *secundum spiritum*, ut auctorem omnis gratiæ & salutis, qualem eum toto orbe prædicamus.

*Objicies* 3. Apparitiones Angelorum in veteri testamento, quæ fuerunt signa apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem; ergo cum signa respondere debeant signatis, Christi apparitio in carne non fuit secundum rei veritatem.

Resp. *nego conseq.* Apparitiones enim illæ debuerunt esse quoad similitudinem, non quoad rei veritatem; alias, ut docet D. Damasc. *l.* 3. *c.* 26. jam non forent signa, sed res ipsæ. Præterea ex Coloss. 2. quæ contingebant in veteri testamento, erant umbra futurorum; ergo apparitiones debuerunt esse secundum apparentiam, cum apparitio Filii Dei in mundo, secundum corporis veritatem fieri postea deberet.

*Inst.* Scriptura apparentes Angelos non minus homines vocat, quam Christum; atqui tamen non inde sequitur eos fuisse veros homines; ergo nec Christus.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Scriptura nihil adscribit illis Angelis, quod sit proprium veri hominis, e contra multa Christo attribuit, quæ soli vero homini convenire possunt, v. g. Conceptionem & Nativitatem ex Virgine, passionem, mortem, & Resurrectionem.

## CONCLUSIO II.

*Verbum divinum carnem e cœlo non detulit, sed eam sumpsit ex Maria Virgine*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Lucæ 1. Angelus ad Mariam dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Rom. 1. de Christo dicitur: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Et Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. Atqui quod natum est ex muliere, quod factum est ex semine David, verum corpus habet terrenum, & non e cœlo delatum. Ergo.

*Prob.* 2. Ex Conciliis General. & speciatim Ephesino, in quo approbata est S. Cyrilli Epistola ad Nestorium, in qua dicitur: *Non dubitarunt* (SS. PP.) *sacram Virginem Deiparam appellare ... quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit*.

*Objicies*. Apostol. 1. Corinth. 15. Christum Adamo opponens, ait: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis*. Ergo Christus habuit corpus cœleste.

Resp. *nego conseq.* Christus enim non dicitur homo cœlestis, quod habuerit corpus cœleste; sed quod substiterit subsistentia Verbi Divini.

*Inst.* Corpus cœleste omnium præstantissimum est; ergo Deo est tribuendum.

Resp. *nego conseq.* Nam ad maximam Dei gloriam pertinuit, ut corpus infirmum & terrenum ad sublimitatem omnium maximam eveheret.

## CONCLUSIO III.

*Verbum Divinum immediate assumpsit dentes, ungues, capillos, tres humores, & maxime sanguinem.*

*inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, id est, in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.*

*Inst.* Atqui Incarnatio, quatenus est terminus actionis incarnativæ, est communis toti Trinitati; ergo, &c.

*Prob. subs.* Terminare est agere; atqui ex dictis actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; ergo Incarnatio, quatenus est terminus, communis est toti Trinitati.

Resp. *dist. maj.* Terminare est agere, grammatice, *conc.* est agere, physice, *nego maj.* Itaque terminare nihil aliud est physice, quam esse terminum, quod actionem non importat: quis enim dicat parietem agere, quando potentiam alicujus visivam terminat?

*Objicies* 2. Una persona non potest videri intuitive absque altera; ergo nec potest Incarnari sine altera.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod essentia divina, quæ est primarium visionis intuitivæ objectum, identificatur tribus personis, & consequenter non potest sine illis videri intuitive; e contra tres personæ a se invicem realiter distinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quæ est effectus relativus, potest prodire ab una persona, absque eo quod prodeat ab aliis.

*Inst.* Natura divina est communis tribus personis; atqui, juxta D. Damascenum citatum a D. Thoma, (3. *part. quæst.* 3. *art.* 4. *ad* 2.) tota natura divina est Incarnata; ergo.

Resp. *dist. min.* Tota natura divina est Incarnata, mediate, *conc.* immediate, *nego min.* Neque enim unio facta est in natura, sed in persona, qua mediante natura dicitur Incarnata; est ergo: *Incarnata*, inquit D. Thom. *ratione personæ ad quam terminata est unio, non autem prout communis est tribus personis. Dicitur autem tota natura divina Incarnata, non quod sit Incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione divinæ naturæ, personæ Incarnatæ.*

*Objicies* 3. Assumptio hominis, quæ fit per gratiam, est communis omnibus personis; ergo & ea quæ fit hypostatice.

Resp. *nego conseq.* Nam assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, juxta illud 2. Petri 1. *Ut divinæ consortes naturæ, &c.* & ideo hujusmodi assumptio communis est tribus personis & ex parte principii effectivi, & ex parte termini: sed assumptio, quæ fit hypostatice, licet sit communis ex parte principii, non est tamen communis ex parte termini, de facto enim terminatur ad unam hypostasim. Ita D. Thom. ad 3.

## CAPUT II.

*De natura assumpta.*

*Nota.* Cum natura humana duabus partibus essentialiter constet, corpore nimirum & anima; ideo, majoris claritatis causa, de utroque, & de naturæ humanæ defectibus sigillatim agemus, triplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*De corpore a Verbo divino assumpto.*

*Nota* 1. Circa corpus a Verbo divino assumptum varie erraverunt Hæretici; namque:

1. Simon magus, Menander, Saturninus, Basilides, Marcion, Manes, &c. docuerunt Corpus Christi non fuisse verum Corpus carneum, sed apparens tantum, & phantasticum.

2. Valentinus, Apollinaris & Apelles, docuerunt Corpus Christi non fuisse terrenum ex carne B. M. Virginis formatum, sed fuisse e cœlo delatum, & per uterum Virginis, tamquam per canalem, transmissum.

*Nota* 2. Controvertitur inter Catholicos, utrum Verbum immediate assumpserit dentes, ungues, capillos, tres humores, & maxime sanguinem, quam controversiam, post debellatos Hæreticos, dirimemus. Itaque:

### CONCLUSIO I.

*Verbum divinum, verum & reale corpus assumpsit.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Joann. 1. *Verbum caro factum est.* Luc. ult. *Videte manus meas & pedes, quia ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ex quibus sic arguo: qui habet carnem & ossa, verum & reale corpus habet, & non corpus phantasticum; atqui Christus carnem & ossa habet; ergo.

*Prob.* 2. Verus homo habet verum Corpus reale; atqui ex Script. Patribus & Conciliis, Christus est verus homo; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Ex Script. Joann. 8. *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis.*

*Prob. min.* 2. ex *Patrib.* S. Athanasius *lib. de Incarnat.* contra Apollinarem: *Perfectus Deus*, inquit, *& perfectus homo Christus.* S. Greg. Nazianz. in orat. de Nativitate Christi, ait: *Ipse Dei Filius .... humana omnia, excepto peccato, suscepit.* S. Aug. Ep. 3. ad Volusianum, dicit Christum esse *æqualem Patri secundum divinitatem, minorem autem Patre secundum carnem, hoc est, secundum hominem.* Ergo Christus est verus homo.

*Prob. min.* 3. Ex Conciliis Generalibus, Nicæno I. *Incarnatus est*, Filius Dei, *& homo factus est.* Constantinop. IV. Act. 10. „ Confitemur unicum Dei Verbum Incarnatum, & factum fuisse propter nos secundum nos ..... duplicem docentes unum eundemque Christum & Dominum, Deum scilicet perfectum, & hominem perfectum in una persona ".

*Confirm.* Ex D. Aug. qui, *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 14. sic premit phantasiastas: „ Si phantasticum fuit Corpus Christi, ergo fefellit Christus, & si fefellit, veritas non est: est autem veritas Christus: non igitur Corpus Christi phantasma fuit; alioquin esset dicendum, quod ejus nativitas ex Virgine, passio, mors, & resurrectio fuisset solum quid phantasticum & imaginarium. Quis autem hoc dicat sine hæresi & impietate? Nam si Christus vere non resurrexit sic ut & mors ejus sit phantastica: igitur

tur inanis erit prædicatio & fides nostra, inquit *Apost.* 1. *Cor.* 15. & vita Christi perpetua fictio fuit, & perpetua illusio & deceptio ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus, *Philipp.* 2. dicitur, *in similitudinem hominum factus.* Ergo non habuit veram carnem, sed apparentem & phantasticam.

Resp. *nego conseq.* Nam illa similitudo phantastica non est, sed vera & naturalis, qualis est inter individua ejusdem speciei, sic homo est similis homini. Hinc Apostolus subjungit: *Factus est obediens usque ad mortem*; homo vero, nisi verum corpus habeat, non moritur.

*Inst.* 1. Quando, *Rom.* 8. dicitur: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, illa similitudo non est vera & naturalis, sed tantum exterius apparens; ergo quando Christus dicitur *in similitudinem hominum factus*, illa similitudo est externæ tantum apparentiæ.

Resp. *nego conseq.* Disparitas desumitur ex ipsa Scriptura, quæ, cum dicit Christum missum fuisse *in similitudinem carnis peccati*, sufficienter declarat illam similitudinem esse tantum quoad externam apparentiam, asserendo Christum esse sanctum, & ab omni vel minima peccati umbra immunem, Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* 2. Cor. 5. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, hoc est pœnas peccati tulit. Cum vero dicit Christum *in similitudinem hominum esse factum*, nullibi innuit illam similitudinem esse tantum externæ apparentiæ, e contra declarat illam similitudinem esse veram, realem, & naturalem, cum ubique asserat Christum esse verum hominem, 1.Timoth. 2. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.*

*Inst.* 2. Atqui Scriptura sufficienter declarat se loqui de similitudine quoad externam tantum apparentiam; ergo.

*Prob. subsumpt.* Scriptura addit: *Et habitu inventus ut homo.* Atqui habitus externam speciem significat cum exclusione substantiæ, idque innuit particula, *ut*; ergo.

Resp. *dist. min.* Habitus, sumptus pro vestimento, *conc.* sumptus pro figura, *nego min.* Porro hic habitus sumitur pro figura, unde translatio Erasmi Roterod. habet: *Et figura repertus ut homo.* Figura autem per se realitatem non excludit a subjecto in quo reperitur: sic licet nihil magis sit simile, quam ovum ovo, non sequitur ovum non esse realiter ovum.

*Inst.* 3. Particula, *ut*, in hoc textu, est nota meræ similitudinis, non autem veritatis; ergo realitatem excludit.

Resp. *nego ant.* Particulæ enim, *ut*, *velut*, *quasi*, &c. non excludunt rei veritatem; sic Christus, qui 1. Joann. v. 14. dicitur, quasi Unigenitus, *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre*, dicitur absolute Unigenitus vers. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

*Objicies* 2. Apostolus 2. Cor. 5. ait: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ergo Christus non habet veram carnem.

Resp. *nego conseq.* Alias sequeretur nullum hominem habere veram carnem, cum Apostolus dicat: *Neminem novimus secundum carnem.* Sensus ergo est, licet olim pluris fecerimus Christum habere pro consanguineo, nunc mortui veteris vitæ affectibus, augustius de eo sentimus, nec amplius eum novimus *secundum carnem*, sed *secundum spiritum*, ut auctorem omnis gratiæ & salutis, qualem eum toto orbe prædicamus.

*Objicies* 3. Apparitiones Angelorum in veteri testamento, quæ fuerunt signa apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem; ergo cum signa respondere debeant signatis, Christi apparitio in carne non fuit secundum rei veritatem.

Resp. *nego conseq.* Apparitiones enim illæ debuerunt esse quoad similitudinem, non quoad rei veritatem; alias, ut docet D. Damasc. *l.* 3. *c.* 26. jam non forent signa, sed res ipsæ. Præterea ex Coloss. 2. quæ contingebant in veteri testamento, erant umbra futurorum; ergo apparitiones debuerunt esse secundum apparentiam, cum apparitio Filii Dei in mundo, secundum corporis veritatem fieri postea deberet.

*Inst.* Scriptura apparentes Angelos non minus homines vocat, quam Christum; atqui tamen non inde sequitur eos fuisse veros homines; ergo nec Christus.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Scriptura nihil adscribit illis Angelis, quod sit proprium veri hominis, e contra multa Christo attribuit, quæ soli vero homini convenire possunt, v. g. Conceptionem & Nativitatem ex Virgine, passionem, mortem, & Resurrectionem.

## CONCLUSIO II.

*Verbum divinum carnem e cœlo non detulit, sed eam sumpsit ex Maria Virgine.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Lucæ 1. Angelus ad Mariam dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Rom. 1. de Christo dicitur: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Et Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Atqui quod natum est ex muliere, quod factum est ex semine David, verum corpus habet terrenum, & non e cœlo delatum. Ergo.

*Prob.* 2. Ex Conciliis General. & speciatim Ephesino, in quo approbata est S. Cyrilli Epistola ad Nestorium, in qua dicitur: *Non dubitarunt* (SS. PP.) *sacram Virginem Deiparam appellare ... quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit.*

*Objicies.* Apostol. 1. Corinth. 15. Christum Adamo opponens, ait: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis.* Ergo Christus habuit corpus cœleste.

Resp. *nego conseq.* Christus enim non dicitur homo cœlestis, quod habuerit corpus cœleste; sed quod substiterit subsistentia Verbi Divini.

*Inst.* Corpus cœleste omnium præstantissimum est; ergo Deo est tribuendum.

Resp. *nego conseq.* Nam ad maximam Dei gloriam pertinuit, ut corpus infirmum & terrenum ad sublimitatem omnium maximam eveheret.

## CONCLUSIO III.

*Verbum Divinum immediate assumpsit dentes, ungues, capillos, tres humores, & maxime sanguinem.*

*nem*. Est communis contra Durandum, in 4. dist. 10. quæst. 1. & Franciscum Maironis, dist. 43.

*Prob.* 1. *generaliter*, Verbum immediate assumpsit quidquid ad naturæ humanæ perfectionem & integritatem pertinet; atqui dentes, ungues & capilli, ad naturæ humanæ perfectionem & ornatum pertinent; tres vero humores, & maxime sanguis ad ejusdem integritatem spectant; ergo.

*Nec obstat*, quod Verbum immediate non assumpsit lacrymas, sudorem, sputum, &c. Dispar est enim ratio; nam lacrymæ, sudores, sputum, &c. sunt pura excrementa, nec per se requiruntur ad naturæ humanæ constitutionem & integritatem, cum non sint quid permanens in homine, sicque non habeant locum in Beatis; at vero dentes, ungues, capilli, & humores, ad perfectam corporis humani constitutionem, & naturæ humanæ integritatem requiruntur, ac sunt quid in homine permanens, sicque locum habent in Beatorum corporibus gloriosis; ergo.

*Prob. specialiter de sanguine*: 1. Ex Scriptura Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*, scilicet per unionem hypostaticam, ut explicat S. Cyrillus *L. de fide ad Reginas*, dicens: *Verbum ex Deo factum est particeps carnis & sanguinis*. Ergo cum caro immediate unita sit, idem de sanguine; de quo, simili modo, loquuntur Apostolus & Cyrillus, sentiendum est.

*Prob.* 2. Quia eadem Scriptura declarat nos per Sanguinem Christi redemptos fuisse, 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis . . . . sed pretioso Sanguine quasi Agni Immaculati Christi*. Hinc Clemens VI. (*Extravag. Unigenitus, de pœnit. & remiss.*) infert, unicam guttam Sanguinis Christi, propter unionem ad Verbum, sufficere potuisse pro redemptione generis humani.

*Objicies*: Subsistentia Verbi supplevit solum subsistentiam humanam; atqui subsistentia humana non terminat sanguinem proxime; ergo nec subsistentia Verbi.

Resp. *nego min.* Nam subsistentia humana omnes naturæ humanæ partes, etiam integrantes, terminat; atqui sanguis est pars naturæ humanæ integrans, pertinens ad naturalem constitutionem, immo & conservationem hominis; ergo.

*Inst.* Subsistentia humana cum natura, quam terminat, personam constituit; atqui non constituit personam cum sanguine; ergo sanguinem non terminat.

Resp. *dist. maj.* Cum natura totali, quam terminat, personam constituit, *conc.* cum natura partiali, *nego maj.* Porro sanguis, sicut corpus, & anima separatim, sunt naturæ partiales, quæ personam non constituunt, nisi uniantur.

## QUÆSTIO II.

*De anima a Verbo Divino assumpta.*

*Nota*. Hæretici, alii animam, alii facultates animæ Christo denegarunt; namque

1. *Ariani* docuerunt Verbum carnem assumpsisse absque anima, cujus vices obibat ipsummet Verbum. *August. hæres.* 49. hocque docebant, ut ipsimet Verbo mortem & passionem adscriberent.

2. *Apollinaristæ*, animam quidem a Verbo assumptam admiserunt, sed quæ Verbum haberet pro mente.

3. *Monothelitæ*, quorum duces fuerunt Cyrus Alexandrinus, Macharius Antiochenus, Sergius Constantinopolitanus & ejus in Sede Constantinopolitana successores Pirrhus & Paulus, & tandem Theodorus Pharanitanus, docuerunt Verbum Divinum voluntatem humanam non assumpsisse, ac proinde unicam voluntatem, eamque Divinam, in Christo admittebant; contra quos:

## CONCLUSIO I.

*Verbum assumpsit veram animam humanam*. Est de fide contra Arianos.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Jo*: 10. Christus ait: „ Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, *in Resurrectione*. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam ". Atqui illa anima, quam Christus potest ponere, & quam, semel demissam, potest iterum sumere, haud dubie non est ipsamet Divinitas, quam Christus nunquam dimisit, cum non distinguatur a persona Verbi; ergo est vera anima humana.

*Prob.* 2. Ex traditione, cujus testes sunt, Div. Athanas. *In Symbolo*, ubi Christus dicitur, *perfectus Deus & perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Et D. Aug. *epist.* 187. ad Dardanum. „ Quæro, *inquit*, quemadmodum accipias hominem Christum: non utique, sicut quidem hæretici, Verbum Dei, & carnem, hoc est, sine anima humana, ut Verbum esset pro anima "; ergo.

*Objiciunt Ariani*; loca, in quibus anima Christo tribuitur, metaphorice sunt intelligenda; ergo Christus non habuit veram animam humanam.

*Prob. ant.* Hic textus Isaiæ 1. *Kalendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea*, metaphorice est accipiendus; ergo.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Scriptura veteris testamenti, cum Deo animam tribuit, non ei tribuit historice affectiones quæ sine anima esse non possunt, e contra *ostendimus*, inquit D. Aug. Lib. 83. quæstionum, quæst. 80. „ Per innumerabiles locos Evangelicæ Scripturæ narratum de illo (*Christo*) ab Evangelistis, quod in his affectionibus fuerit, quæ sine anima esse non possunt ... &, *miratus est Jesus*, &, *iratus*, &, *contristatus*, &, *exhilaratus*, & multa alia innumerabilia; sicut etiam illa quæ conjuncta simul, officia & corporis & animæ ostendunt: sicut sunt quod *esurivit*, quod *dormivit*, quod *fatigatus ab itinere sedit*, & alia hujusmodi ".

*Instant.* 1. Etiam in veteri testamento varii motus iræ, & lætitiæ, &c. Deo tribuuntur, nec ideo consequens est Deum habuisse animam; ergo licet Christus illas affectiones habuerit, non sequitur quod animam vere humanam habuerit.

Resp. *nego conseq.* Disparitas enim est inter ea quæ dicta sunt prophetice, & ea quæ dicta sunt historice, quod illa figurate, ista vero secundum rerum proprietatem accipienda sint. Ut docet D. Augustin. ibidem: „ Dicta sunt enim, *inquit*, pro„ pheticis imaginationibus, non narratoria mani„ festatione: nam & membra Dei dicta sunt, &

ma-

manus, & pedes, &c. Et quemadmodum ista non indicant eum habere corpus, sic nec illa animam. Quemadmodum autem narratur aliquid, ubi nominata sunt manus Christi, & caput, & cætera quæ indicant ejus corpus: ita etiam, quæ de animi affectionibus eodem narrationis tenore nominata sunt, indicant ejus animam ".

*Instant* 2. Si Christus assumpsit animam, fuerunt in eo tres substantiæ, nimirum natura divina, corpus, & anima; atqui h c falsum est, ut docet Div. Damascenus, *Lib. 3. de fide*; *c. 16.* Ergo.

Resp. *dist. maj.* Fuerunt in Christo tres substantiæ, quarum duæ sunt partiales, *conc.*; totales, *nego maj.* Quamvis itaque possit dici, quod sint tres substantiæ in Christo, ut docent D. Bernard. *Serm.* 4. in vigilia Natalis Domini: „ In hac speciali commixtione, *inquit*, Trinitas est in substantiis, unitas vero in persona ". Et Concil. Toletan. XV. probat in Christo fuisse tres substantias & duas naturas; attamen ab hac loquendi formula communiter abstinendum est, & duæ solum substantiæ perfectæ & totales in Christo ponendæ, natura divina nimirum, & humana, ex quibus Christus proxime compositus fuerit, siquidem corpus & anima unicam naturam humanam constituunt.

## CONCLUSIO II.

*Verbum assumpsit animam mente præditam*. Est de fide contra Apollinarem.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Isaiæ 52. de Christo dicitur: „ Ecce intelliget Puer meus, *in quem locum S. Fulgentius*, de fide ad Petrum, cap. 24. *ait*: Firmissime tene, & nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem, & animam rationalem ".

*Prob.* 2. *duplici ratione*: 1. In Christo fuerunt passiones humanæ, nimirum, gaudium, tristitia, metus, ira, &c. Atqui illæ passiones nihil aliud sunt, quam affectiones animæ rationalis; cum ex perceptione boni præsentis, vel mali imminentis oriantur: ergo, &c. 2. Christus oravit Patrem; atqui oratio in Christo est actus mentis humanæ; ergo, &c. *Prob. min.* Oratio est actus religionis, quo orans, supremam Dei excellentiam, suamque a Deo dependentiam agnoscit: atqui Christus non potuit suam dependentiam a Deo agnoscere per intellectum divinum, cum nempe ut Deus est omnino independens; ergo per intellectum humanum; ergo, &c. Quare D. Aug. Ep. 57. ad Dardanum, sugillat eos qui dicunt, *Verbum Dei esse animæ pro mente humana*, & probat ex eo quod Christus sit homo perfectus: *Non est autem homo perfectus*, inquit, *si vel anima carni*, *vel animæ ipsi mens humana defuerit*.

*Objicies*: Verbum in Christo supplet vices animæ humanæ, prout rationalis est: ergo anima Christi non est prædita mente humana.

Resp. *nego ant.* Nam anima Christi fuit principium & subjectum voluntarium quarumdam passionum, v. g. metus, tristitiæ, &c. Atqui Verbum non potuit esse principium & subjectum hujusmodi passionum, alias esset mutabile, nec proinde Deus; ergo.

*Inst.* 1. Lux major evacuat lucem minorem; ergo mens divina mentem humanam in Christo evacuat.

Resp. *dist. ant.* Evacuat lucem minorem corporis illuminantis, *conc.* corporis illuminati, *nego ant.* Neque enim præsente sole, adamantis splendor evanescit; porro mens humana in Christo est quasi lux illuminata a luce Verbi divini.

*Inst.* 2. Mens humana est imago Verbi; ergo hæc, Verbo præsente, evanescere debet.

Resp. *dist. ant.* Mens humana est imago Verbi, a Verbo perficienda, *conc.* supplens vicem Verbi, *nego ant.* Equidem imago rei, supplens illius vicem, evanescit, re præsente, sed non evanescit, si a re, cujus est imago, perficienda sit: sic imago hominis in speculo, quia perficitur ab homine, non evanescit eo præsente, immo resultat ex ejus præsentia.

## CONCLUSIO III.

*Verbum assumpsit voluntatem humanam, proindeque in Christo, non una, sed duplex est voluntas: non una, sed duplex est volitio seu operatio.* Est de fide, contra Monothelitas, definita in VI. Synodo, Act. 4. 8. 11. & 18.

*Prob.* 1. Ex iis Scripturæ locis, in quibus voluntas divina a voluntate humana aperte distinguitur, Matth. 26. „ Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Lucæ* 22. Non mea voluntas, sed tua fiat. *Joann.* 6. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me ". Ergo in Christo fuit voluntas Patri subjecta, non divina, quæ subjectionis est incapax; ergo humana; ergo divina simul & humana; nam divinam nunquam Monothelitæ excluserunt a Christo.

*Prob.* 2. Ex iis textibus, in quibus dicitur Christum Deo Patri obedivisse. Philipp. 2. „ Factus obediens usque ad mortem. *Joann.* 4. Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. *Hebr.* 5. Didicit, ex iis quæ passus est, obedientiam ". Ex quibus sic argumentor: obedientia est actus voluntatis; atqui non est actus voluntatis divinæ, quia obedientia superiorem agnoscit, Deus autem superiorem non habet; ergo est actus voluntatis humanæ; ergo in Christo fuit voluntas humana.

*Prob.* 3. Traditione PP. Gregor. Nyssenus, in libro contradictionum contra Apollinarem laudato in VI. Synodo, Actor. 10. *ait*: „ Alia est humana voluntas (*in Christo*) & alia divina . . . qui enim dixit, *non mea voluntas*, humanam hoc sermone significavit; addens vero, *tua*, ostendit conjunctionem suæ deitatis ad Patrem, cujus nulla voluntatis est differentia propter communitatem naturæ: nam, *Patri*, dicens, voluntatem etiam Filii demonstravit ".

S. Athanas. *lib. de Incarnatione contra Arianos*, dicit: *Cum ait*, non voluntas mea, sed tua fiat: *Et*, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, duas voluntates ibi ostendit, alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam, quæ Dei est ".

S. Ambros. *lib.* 10. *in Lucam*, *n.* 59. de Christo dicit: „ Quod autem ait: *non mea voluntas, sed tua fiat*; suam ad hominem retulit; Patris, ad divinitatem: voluntas enim hominis, temporalis; voluntas divinitatis, æterna ". Ergo.

*Prob.* Ex VI. Synodo, in qua Patres, in sermone ad Imperatorem Constantinum, dixerunt: „ Perfectum igitur (*Christum*) in divinitate, & in humanitate perfectum, secundum antiquas Patrum traditiones, & divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus: atque uti naturas duas accepimus, ita & duas naturales voluntates, & naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam, in ejus Incarnatione, voluntatis expertem, aut operationis, audebimus asserere, ne earum proprietates perimentes, natura una perimamus “.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Juxta doctrinam SS. Patrum unica fuit in Christo voluntas, unicaque voluntatis operatio; Ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* S. Dionysius *lib. de divinis nominibus* docet, *unam esse in Christo Dei-virilem operationem*. Ergo.

Resp. *nego ant.* Fraudulenter enim Monothelitæ textum D. Dionysii corruperunt, ac, *tò unam*, pro, *tò novam*, substituerunt, quod ipsis exprobrat Martinus Papa I. in Concilio Lateran. consultatione tertia. „ B. Dionysio, *inquit*, asserente novam quamdam Dei-virilem operationem inter nos conservatam: uterque eorum apertissime contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo, novam immutando, & unam pro nova asserendo . . . . Sergius autem immutationem novi cum illo confirmans, & non solum hoc, sed &, Dei-virilem, amputans penitus vocem, & unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem “. Porro D. Dionysius dixit esse in Christo *novam operationem*, quia plane novus ac mirus est modus operandi divina & humana in Christo propter utriusque naturæ divinæ & humanæ hypostaticam unionem.

Resp. 2. Dato, non concesso anteced. *dist. conseq.* Est una in Christo operatio, mixta, quæ ab utraque natura, divina, & humana, procedat, *conc.* simplex, *nego conseq.*

Itaque triplex fuit genus actionum Christi, nimirum, *pure divinæ*, quæ a Christo emanarunt ut Deus est, id est, absque ullo ad humanam naturam respectu, ut est sanatio infirmi a Christo absente: *pure humanæ*, quæ naturæ humanæ fuerunt propriæ, ut edere, flere, pati, velle, intelligere, &c. *mixtæ*, quæ ab utraque natura prodierunt, v. g. dum Christus suo contactu curabat ægrotos; in ea quippe curatione agebat utraque natura, divina nempe per suam omnipotentiam, & humana per suum contactum. Hæc non est simplex, sed duplex operatio, divina nempe & humana, quæ, licet non sint divisæ, sunt tamen a se invicem realiter distinctæ: ideo hæc operatio a Græcis *Theandrica*, & a Latinis *Deivirilis*, id est, Dei hominis operatio, dicitur; de qua locutus est Divus Dionysius, ut exponit S. Maximus Martyr in scholio in Epistolam quartam Dionysii: „ Hanc miscellaneam solam, *inquit*, Dei-virilem appellavit, siquidem ut Deus tantum operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum vero homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hæmoroissæ fluxum solo tactu sistens “.

*Objicies* 2. S. Cyrillus, *lib.* 4. *in Joann.* affirmat Christum *unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse*; ergo una tantum fuit Verbi & naturæ humanæ operatio.

Resp. *dist. conseq.* Fuit una tantum operatio, unitate improprie dicta, seu unitione, *conc.* unitate proprie dicta, *nego conseq.* Non itaque D. Cyrillus loquitur de unitate numerica, sed de unitione, quæ petitur ex arctissima conjunctione duorum inter se, nempe Verbi & naturæ humanæ, quæ ad operationes Theandricas, modo sibi convenienti, concurrunt, Verbum quidem jubendo, humana natura vero, per suum contactum, exequendo. Ita respondet S. Martinus Papa ad Euthymium: „ Unam actionem, *inquit*, vocat unitione, cognatam vero, ratione partium, utpote quæ ejusdem fuerit in omnium efficiente imperio, & sanctæ carnis attactu “.

*Objicies* 3. D. Greg. Nyssenus *in Synodo VI. Act.* 12. *asserit*: „ ita divinitatem, per corpus quod induit, communem omnium revera salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei sit operatio “. Ergo non fuit in Christo voluntas humana operans.

Resp. *nego conseq.* Nam passiones voluntatis humanæ, sunt veræ actiones; sic Sancti patiuntur, quando a Deo per gratiam moventur, & tamen habent proprias voluntates operantes.

*Objicies* 4. D. Athanas. *Oratione* 4. ait: „ Deus existens proprium corpus habuit, & hoc usus instrumento, homo propter nos factus est “. Atqui instrumentum non agit, sed agitur; ergo.

Resp. *dist. min.* Instrumentum artificiale, quod agendi principio caret, & sola moventis impressione movetur, *conc.* instrumentum naturale, quod propria agendi virtute præditum est, *nego minor. & conseq.* Nam natura humana in Christo, si sit divinitatis instrumentum, non est instrumentum artificiale, sed naturale, quia ex se ipsa propriam exercet actionem, nec tantummodo patitur.

*Objicies* 5. Actiones sunt suppositorum; atqui in Christo unicum est suppositum; ergo & unica operatio.

Resp. *nego maj.* Actiones sunt suppositorum, denominative, *conc.* elicitive, *nego maj.* Itaque sola natura est principium elicitivum actionum, non vero personalitas, quæ est verus naturæ terminus & ultimum complementum; unde persona, quæ est principium *quod* actionis quæ ipsi tribuitur ut toti cuidam, non agit nisi per naturam, quæ est principium *quo* actionis; quare unitas vel multiplicitas actionum desumitur ab unitate & multiplicitate naturæ, non vero ab unitate vel multiplicitate suppositi.

*Inst.* 1. Voluntas operans, est proprietas personalis; ergo unitas, vel multiplicitas voluntatis operantis, desumitur ab unitate, vel multiplicitate personæ.

Resp. *nego ant.* Voluntas enim est proprietas naturæ intellectualis, non vero est proprietas personalis: alias tres essent in Trinitate voluntates & operationes divinæ realiter distinctæ, cum in

ea

ea sint tres personalitates realiter inter se distinctæ.

*Prob. ant.* Proprietas naturalis necessaria est; atqui voluntas non est necessaria, sed libera; ergo.

Resp. *dist. maj.* Proprietas naturalis, ut est potentia, est necessaria, *conc.* ut est actus hujus potentiæ *subdist.* si sit actus potentiæ necessariæ, prout est intellectus, *conc.* si sit actus potentiæ liberæ, qualis est voluntas, *nego maj.* Atqui voluntas, ut est potentia, est necessaria, *conc.* ut est actus illius potentiæ, *nego min. & consq.* Responsio est D. Thomæ (*3. p. q.* 18. *art.* 1. *ad* 5.) dicentis: „ Quod ipsa potentia voluntatis est naturalis, & consequitur naturam ex necessitate, sed motus, vel actus hujus potentiæ (qui etiam voluntas dicitur) quandoque quidem est naturalis & necessarius, puta respectu felicitatis: quandoque autem ex libero arbitrio rationis proveniens, & non necessarius, neque naturalis .... & ideo oportet ponere voluntatem humanam, non solum prout est potentia naturalis, aut prout est motus naturalis, sed etiam prout est motus rationalis "; id est, ex libero arbitrio proveniens.

*Inst.* 2. Si fuissent duæ in Christo voluntates operantes, fuissent inter se aliquando pugnantes; atqui hoc repugnat sanctitati Christi; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam ex summa gratia, & maxime ex originali justitia, fuit in Christo perfectissima rectitudo voluntatis humanæ, ita ut nunquam repugnarit voluntati divinæ, ut fide constat; Joann. 8. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.*

*Inst.* 3. Deus habuit voluntatem efficacem, ut Christus moreretur; Christus vero habuit voluntatem inefficacem vitandi mortem: *Pater*, inquit *si possibile est, transeat a me calix iste*; atqui illi duo actus sunt contrarii; ergo Christus habuit actum contrarium voluntati divinæ.

Resp. *nego min.* Nam actus voluntatis humanæ Christi, tum efficax, quo mortem acceptavit, tum inefficax, quo mortem refugit, semper fuit perfecte conformis voluntati divinæ; Deus enim, ad nostrum exemplum & solatium, voluit, ut simplici displicentia refugeret mortem tamquam malum naturæ suæ disconveniens; ergo nulla ex parte humana Christi voluntas divinæ contraria fuit.

*Objiciunt ultimo Monothelitæ*, Honorium I. summum Pontificem hæresi Monothelitarum adhæsisse ex animo; verum eum ab illa calumnia vindicavimus *Tomo I.* unde a facto hujusmodi discutiendo hic supersedemus.

Quæres, *Quomodo explicari possint Christi operationes?*

Resp. Ad explicandas Christi operationes, sequentes tenendæ sunt regulæ.

*Prima regula.* In Christo fuerunt unus operans, & duæ operationes; ratio est, quia unitas, aut multiplicitas operantis, desumitur ab unitate, vel multiplicitate personæ: unitas vero, aut multiplicitas operationis, desumitur ab unitate aut multiplicitate naturæ; atqui in Christo unica fuit Verbi persona, duæ vero & diversæ naturæ; ergo.

*Secunda regula.* Una natura nunquam divisim, sed semper cum altera conjunctim operatur, quia utraque hypostatice est conjuncta; hinc licet operationes humanæ a sola prodeant humana natura, a divina, cum qua conjunctim operatur, summam dignitatem nanciscuntur, & ratione suppositi cooperantis, divinæ dici possunt: unde recte dicitur, *Deus comedit, esuriit, mortuus est*, &c.

*Tertia regula.* Omnes actiones humanæ, etiam naturales & indeliberatæ, fuerunt in Christo liberæ, utpote, quæ nutu divinitatis gubernatæ fuerunt. Unde D. August. Tract. 49. in Joan. ait: Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit; esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit: in illius potestate erat sic affici, vel non affici. "

*Quarta regula.* Natura humana Christi fuit instrumentum, per quod natura divina operabatur ea quæ ad salutem nostram, & ad mediatoris officium pertinebant, ita tamen ut natura illa humana actus sibi proprios elicuerit. „ Operatio, *inquit D. Thom. 3. par. qu.* 19. *artic.* 1. *ad* 2. quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi & divinitas ejus; *sed est eadem operatio Dei hominis, quæ ideo* Theandrica, seu Dei-virilis dicitur: habet tamen natura humana in Christo, in quantum est natura quædam, quamdam propriam operationem præter divinam. "

## QUÆSTIO III.

*De defectibus a Verbo divino assumptis.*

*Nota.* Naturæ humanæ defectus, alii se tenent ex parte corporis, alii ex parte animæ, alii ex parte utriusque; de quibus distinctis agemus Articulis.

## ARTICULUS I.

*De defectibus corporis a Verbo assumptis.*

*Nota.* Corporis defectus, alii sunt communes omnibus hominibus in statu naturæ lapsæ, ut sitis, fames, dolor, corruptibilitas, mors, &c. alii particulares aliquibus tantum hominibus, qui ex particularibus causis oriuntur, ut febris, lepra, claudicatio, cæterique morbi distincti a consumptione humidi radicalis, calorisque naturalis. Itaque

## CONCLUSIO I.

*Verbum assumpsit omnes humani corporis defectus communes.* Est de fide contra Julianum Halicarnensem, qui, præter unitatem naturæ, quam in Christo profitebatur cum Eutyche, asserebat carnem Christi fuisse incorruptibilem & impassibilem: unde ejus sectatores, *Incorrupticolæ*, dicti sunt.

*Prob.* 1. *ex Scriptura.* Quæ refert Christum, in vitæ suæ mortalis cursu, varia dedisse infirmitatis signa & argumenta; nam Matth. 4. *Esuriit.* Joann. 4. *Fatigatus est itinere, sedit ad fontem.* Luc. 19. *Flevit super Jerusalem.* Tandem 2. Cor. 13. *Crucifixus est ex infirmitate.* Vetus testamentum prædixerat; quod novum accidisse refert: „ A planta pedis usque ad verticem non est in „ eo sanitas, *inquit Isaias c.* 1. *& c.* 53. Vere „ languores nostros ipse tulit, & dolores nostros

 „ ipse

„ ipse portavit . . . vulneratus est propter inquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ". Atqui fames, defatigatio, passio & mors, &c. sunt communes corporis humani defectus; ergo Verbum assumpsit illos defectus.

*Prob.* 2. Ex tradit PP. & Conciliorum: S. Cyril. Jerosolymit. ait: „ Passus est Jesus pro hominibus „ vere: non enim apparentia est Crux, neque opinio redemptio: vere crucifixus est, &c. " Unde Concil. Ephesinum, *Anathematismo* 12. definit: „ Si quis non confitetur Dei Verbum carne passum & crucifixum, mortemque gustasse, anathema sit ".

*Prob.* 3. Quia conveniens erat, ut Verbum divinum hos defectus assumeret: 1. Ut verum hominem nobis per omnia similem sese exhiberet, & ideo ex Aposto!. Hebr. 4. fuit *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* . . . . 2. Ut nobis esset exemplum patientiæ, Hebr. 12. *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes* . . . 3. Ut proprio sanguine nos redimeret.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. David, *Ps.* 15. prædixit carnem Christi fore incorruptibilem: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Prædixit carnem Christi fore incorruptibilem, post ejus mortem, *conc.* ante ejus mortem, *nego ant.* Loquitur ergo Psaltes Regius de corruptione putredinis, quam non sensit caro Christi, non vero de corruptione alterationis & mortis, id explicat D. Fulg. Epist. ad Reginum c. 4. „ Christus ergo *inquit*, non vidit corruptionem, quia nullam sensit ejus caro putredinem; hoc autem, non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas, fecit ".

*Inst.* 1. Atqui caro Christi fuit incorruptibilis ante ejus mortem; ergo.

*Prob. ant.* Christus, qui ex Scriptura novus Adam dicitur, carnem prioris Adam innocentis gessit; atqui caro Adami innocentis fuit incorruptibilis, id est, non erat Adamo occasio doloris; ergo.

Resp. *nego maj.* Ratio est, quia Verbum eam carnem assumpsit, quam sanavit; atqui non sanavit carnem Adami innocentis; ergo eam non assumpsit, sed eam ipsam carnem assumpsit, qualis fuit post peccatum, nempe infirmitatibus & doloribus obnoxiam.

*Inst.* 2. Illi defectus & dolores sunt pœnæ peccati; atqui nullum fuit, nec esse potuit in Christo peccatum; ergo &c.

Resp. *dist. maj.* Sunt pœnæ peccati, proprii vel alieni, *conc.* proprii semper, *nego maj.* Itaque in nobis tales defectus & infirmitates sunt pœnæ peccati proprii vel originalis, vel actualis, in Christo autem fuerunt pœnæ peccati alieni, nempe hominis, pro quo se vadem ac sponsorem dedit.

*Inst.* 3. Visio beatifica excludit omnem dolorem sensibilem; atqui anima Christi, a conceptione, fuit visione beatifica donata; ergo non fuit obnoxia doloribus sensibilibus.

Resp. *dist. maj.* Excludit omnem dolorem sensibilem, si non impediatur, ne animæ felicitas in corpus & potentias inferiores resiliat, *conc.* si impediatur, *nego maj.* Porro Deus per miraculum impedivit, ne animæ Christi felicitas in ejus corpus resiliret, ut posset pati & ea operari quæ erant necessaria ad finem Incarnationis. *Virtute Divinitatis Christi*, ait D. Thom. quæst. 15. art. 5. ad 3. *dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus; ut ejus passibilitas & mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente quod non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.*

*Objicies* 2. Clemens Alexandrinus, *lib.* 6. *Stromat.* de Christo dicit: *Ipse autem passionis erat expers, ut, quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor.* Ergo Christus non fuit dolori obnoxius.

Resp. *dist. conseq* Christus non fuit dolori involuntario & indeliberato obnoxius, *conc.* deliberato & voluntario, *nego conseq.* Nec de alio dolore intelligendus est Clem. Alexandr. licet hic non satis accurate videatur locutus; alias contradiceret Christo per os Jeremiæ, Thren. 1. dicenti: *Videte si est dolor sicut dolor meus.*

*Objicies* 3. Div. Hilarius *lib.* 10. *de Trinit.* ait: „ Homo itaque Jesus Christus . . . in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet . . . afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans ". Ergo, ex S. Hilario, Christus non sensit dolorem, qui tamen communis est naturæ humanæ defectus.

Resp. *dist. conseq.* Ex S. Hilario, Christus non sensit dolorem, quatenus Deus est, *conc.* quatenus homo, *subdist.* Non sensit dolorem, qui sit ineluctabilis, indeliberatus, mentem perturbans & a sua sede dejiciens, qualem nos experimus, *conc.* dolorem omnem simpliciter & absolute, *nego cons.* Itaque verba D. Hilarii ex scopo ipsius sunt interpretanda; agit porro contra aliquos hæreticos, qui asserebant Divinitatem in Christo, doloribus, cæterisque humanitatis infirmitatibus, subjectam fuisse. „ Volunt, *inquit ibidem*, plerique eorum (*hæreticorum*) non in natura cum impassibilis Dei fuisse: ut qui timuit, & doluit, non fuerit in ea spiritus incorruptione quæ non dolet, sed inferioris a Deo Patre naturæ ". Contra quos

Docet 1. Dolorem non in Divinam, sed in humanam duntaxat naturam cecidisse: „ Volunt enim, *inquit Commentario in Matth. c.* 31., ex infirmitate corporis ærumnam spiritui adhærere, ac si virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ forte assumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit . . . mori ergo nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est; in Christo enim Deus erat mundum reconcilians sibi ".

Docet 2. Christum vere doloris sensum expertum fuisse. „ Ut, *inquit*, cum in eodem (*Christo*) esset & infirmitas ad passionem, & ad vitam Dei virtus, non alius aut divisus a se esset qui & pateretur & viveret; passus quidem est Unigenitus Deus quæ homines pati possunt ".

Docet 3. Dolores & infirmitates, quas Christus assumpsit, fuisse immunes a defectibus & imperfe-

fectionibus dolorum & infirmitatum, quas nos patimur: *Quia*, inquit, *dum homo Christus est, habet & nativitatem hominis, quia homo est: nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est*. Hujus discriminis varias affert causas: 1. Quia dolores, quos Christus passus est, non erant ex peccato, sicut in nobis sunt: *Missus namque est*, inquit, *in peccati carnis similitudine, portans quidem in carne peccata, sed nostra & pro nobis dolens*. 2. Quia Christus, non ex necessitate, sed ex propria voluntate patiebatur. *Si in passione sua*, inquit, *necessitas est, & non salutis tuæ donum .... adscribe infirmitatem*. 3. Quia dolores Christi, illius mentem non perturbabant, sed erant deliberati, ordinati, & ad nutum ejus moderati: *Non est itaque*, inquit, *in ea natura, quæ supra hominem est, humanæ trepidationis anxietas*. Unde quando anima ejus turbata est, *Joann*. 5. illam commotionem Christus in seipso volens ac lubens excitavit, Joann. 11. *Turbavit seipsum*.

### CONCLUSIO II.

*Verbum non assumpsit defectus corporis humani particulares*, quales sunt morbi & deformitas.

*Prob. prop. generaliter*: Quia illi defectus particulares ex triplici veluti radice oriuntur. 1. Ex culpa, puta intemperantia. 2. Ex aeris intemperie. 3. Ex defectu virtutis formatricis: atqui ex nulla harum radice evenire potuerunt in Christo. *Non ex culpa*, nam fuit temperantissimus & impeccabilis, ut mox videbitur; 2. *Non ex aeris intemperie*, nam optimi fuit temperamenti, unde facillime potuit inclementiæ aeris resistere. 3. *Non ex defectu virtutis formatricis*, nam corpus ejus formatum est de Spiritu Sancto, cujus virtus deficere non potest; ergo, &c.

*Objicies*. Christus mortalitatem assumpsit; ergo & morbos particulares ... Resp. *nego conseq*.

*Prob. conseq*. Mors absque morbo contingere non potest; ergo si mortalitatem assumpsit, morbos quoque assumpsit.

Resp. *nego ant*. Nam natura humana, in corpore bene formato, & convenienter gubernato, sic potest intelligi deficere, ut sensim, debilitato naturali calore & humido radicali, vita absque morbis particularibus repente deficiat.

Prob. *prop. specialiter de deformitate*: Ex Scriptura, Ps. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, quem locum S. Bernardus, *Serm*. 1. *de omnibus Sanctis*, & S. Chrysost. *hom*. 28. *in Matth*. de Corporis Christi pulchritudine interpretantur. *Sicut in faciendis signis erat mirabilis*, inquit D. Chrysost. *sic visus gratiosissimus fuisse traditur*. Ergo.

*Prob. ratione*: Pulchritudo oritur ex tribus; nimirum, ex membrorum integritate, eorundem debita proportione, & colore convenienti orto ex bono temperamento; atqui Corpus Christi, utpote virtute Spiritus Sancti formatum, iis qualitatibus haud dubie fuit donatum; ergo.

*Objicies*. Isaiæ 53. de Christo dicitur: *Non est species ei, neque decor*; ergo, &c.

Resp. *dist*. Non est species, neque decor, tempore passionis, *conc*. extra tempus passionis, *nego ant*. Ibi enim Christus prædicitur, qualis erat futurus tempore passionis: in hunc locum scribens D. Hier. ait: *Despectus erat & ignobilis quando pendebat in Cruce, & factus est pro nobis maledictum*.

*Inst*. 1. Oris venustas non decet prædicatorem Evangelii: atqui Christus fuit prædicator Evangelii; ergo.

Resp. *dist. maj*. Oris venustas mollis & effœminata, *conc*. gravis & majestuosa, *nego maj*. talis enim pulchritudo, est viro digna.

*Inst*. 2. Divus Augustinus *in Psalm*. 49. de Christo ait: *Ipse sponsus, non carne, sed virtute formosus*; ergo vult pulchritudinem Christi repetendam esse a Divinitate, vel animæ virtutibus.

Resp. *dist. conseq*. Vult Christi pulchritudinem repetendam esse a Divinitate, vel animæ virtutibus, sine exclusione pulchritudinis corporalis, *conc*. cum tali exclusione, *nego conseq*. Unde horum verborum, *Non carne, sed virtute formosus*, sensus est, *non tam carne, quam virtute formosus*; unde non deprimit formositatem Corporis Christi absolute, sed comparate ad Divinitatem, aut ad animæ pulchritudinem, aut etiam ad pulchritudinem corporis post resurrectionem.

## ARTICULUS II.

*De defectibus animæ a Verbo Divino assumptis*.

*Nota*. Defectus animæ humanæ præcipui, sunt ignorantia, & peccatum: de ignorantia agemus dum de scientia Christi sermonem faciemus; de peccato ergo restat resolvendum: 1. Utrum aliquod in Christo fuerit: 2. Utrum, quatenus homo, peccare potuerit.

### CONCLUSIO I.

*Nullum prorsus in Christo fuit peccatum*. Est de fide contra Calvinum, lib. 2. institut. cap. 16.

*Prob*. 1. Ex Scriptura, Hebr. 4. *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato*. 1. Petri 2. *Christus .... peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Quare Joann. 8. de seipso confidenter dicebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

*Prob*. 2. Ex Conc. Ephesino Can. 10. definiente: *Si quis dixerit Christum pro seipso sacrificium obtulisse, & non potius pro nobis (neque enim oblatione indigebat, qui peccatum omnino nescivit), anathema sit*.

*Objicies* 1. Christus, *Ps*. 21. ait: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*; ergo fuerunt in Christo peccata.

Resp. *dist. conseq*. Fuerunt in Christo peccata aliena, *conc*. propria, *nego conseq*. Christus itaque peccata nostra, vocat sua, quia debitum satisfaciendi pro illis in se suscepit, Isaiæ 53. *Iniquitates eorum ipse portavit*.

*Inst*. 1. Apost. 2. *Cor*. 5. de Christo ait: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Ergo fuerunt in Christo peccata propria.

Resp. *nego conseq*. Ibi enim peccatum sumitur pro hostia, seu victima pro peccato, quo sensu de Sacerdotibus Oseas 4. dicit: *Peccata populi mei comedent*, id est, hostias pro peccatis oblatas.

*Inst*. 2. *Cum Calvino*: Christus desperatione & im-

impatientia reus fuit, quando in cruce pendens, dixit Patri: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ergo.

Resp. *nego ant.* Neque enim illa verba sunt hominis impatientis & desperantis, sed hominis doloris sui acerbitatem indicantis, ac suæ humanitatis veritatem demonstrantis, ut observat S. Cyrillus, *l. 1. ad Reginas*: & certe quomodo desperasset Christus, qui intuitiva Dei visione fruebatur, qui de resurrectione certus erat, qui Deo Patri dicebat: *In manus tuas commendo spiritum meum?*

*Inst.* 3. Humana Christi voluntas rebellis fuit voluntati divinæ, cum dixit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Nam Christus præceptum moriendi lubens acceptavit, *Oblatus est enim, quia voluit*, Isaiæ 53. Licet ergo humana Christi voluntas illis verbis voluerit significare affectum naturalem abhorrentem a cruciatibus, ut, nempe, se verum demonstraret hominem, subdita tamen & semper conformis divinæ voluntati fuit, quod testatur, cum addit: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*.

*Objicies* 2. Christus peccavit in Adam; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam, *Lucæ* 1. Angelus Mariæ dixit: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Qui locus excludit a Nativitate Christi peccatum originale.

*Prob. ant.* Christus etiam originaliter fuit in Adam; ergo in eo peccavit, *in quo omnes peccaverunt*, Rom. 5.

Resp. *dist. antec.* Fuit in Adam materialiter, & secundum corpulentam substantiam, *conc.* active, & secundum seminalem rationem, *nego ant.* Licet ergo Christus sumpserit carnem de Virgine, filia Adam, tamen non descendit ab Adam per seminalem propagationem, neque enim ab ullo Adæ filio fuit genitus; ergo non contraxit peccatum originale.

## CONCLUSIO II.

*Christus, etiam prout homo, fuit omnino impeccabilis*. Prop. secundum præsentem statum, in quo natura humana Christi est Verbo hypostatice unita, & visione beatifica donata, est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; atqui quod nascitur sanctum, nimirum sanctitate substantiali, non potest peccare; ergo.

*Prob.* 2. *ex traditione Patrum*. S. Hyppolitus Martyr, apud Theodoretum, dialogo 1. ait: *Dominus a peccato alienus erat*.

S. August. *lib.* 2. *de peccatorum meritis & remissione*, *cap.* 11. de Christo dicit: *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum*. Et cap. 13. ex his Apostoli verbis: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, segregatus a peccatoribus, &c.* Probat Christum, non tantum non peccasse, sed nec peccare potuisse, asserens omnes Sacerdotes: „ qui in Sacerdotio laudabiliter justeque vixerunt, habuisse necessitatem sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, qui hanc necessitatem Sacerdos incontaminabilis non haberet ".

*Prob.* 3. *ratione*. Si Christus, etiam prout homo, peccare potuisset, idem de Verbo dici potuisset; atqui absurdum & impium conseq. ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Quæcumque dicuntur de natura tanquam de principio *quo*, prædicantur de supposito tanquam de principio *quod*: sic dicitur, *Deus mortuus est*, quia mors naturæ, cui Verbum est substantialiter unitum, tribuitur tanquam principio *quo*: atqui suppositum naturæ humanæ in Christo, aliud non est quam Verbum; ergo, &c.

*Objicies* 1. Christum potuisse peccare non repugnat; ergo.

*Prob. ant.* Christum potuisse mori non repugnat: ergo nec repugnat Christum potuisse peccare: non enim Deus minus est vivens per essentiam, quam sanctus per essentiam.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod mors sit malum pœnæ, cujus Deus auctor esse potest: quare nihil impedit, quominus, per idiomatum communicationem, Deus, in natura creata subsistens, dicatur mortuus; e contra peccatum est malum culpæ, cujus Deus auctor esse non potest, cum sit essentialiter inordinatio, indecentiamque in Deum refunderet, si esset in natura creata, cum qua unam personam constituit: ac proinde peccatum magis repugnat sanctitati per essentiam, quam mors repugnet vitæ per essentiam in aliena natura subsistenti.

*Objicies* 2. Christus fuit liber; ergo potuit peccare.

Resp. *dist. ant.* Fuit liber libertate contradictionis, qua poterat bonum illud amplecti, vel non, *conc.* libertate contrarietatis, qua bonum posset amare vel odisse, vel etiam aliquid bono contrarium amplecti, *neg. ant.* Neque ex eo ejus libertas fuit imminuta, cum peccandi potestas sit defectus libertatis, non perfectio, ut docet D. Thom. 1. *part. qu.* 62. *art.* 8. *ad* 3.

*Inst.* Humanitas Christi, seclusa unione hypostatica, peccare posset; ergo & tali unione posita.

*Prob. conseq.* Persona Verbi nihil prorsus immutavit in operationibus naturæ humanæ; ergo si humanitas Christi potuerit peccare seclusa unione, ita & ea posita.

Resp. *dist. ant.* Nihil immutavit, physicum, *conc.* nihil immutavit, morale, *nego ant.* Illa porro immutatio moralis consistit in hoc, quod persona Verbi, quæ in omnibus humanitatem Christi regebat, effecit ne ejus voluntas aliquid admitteret inordinatum.

Quær. *Unde repeti debeat impeccabilitas Christi?*

*Nota*. Durandus, *in* 3. *dist.* 12. *qu.* 2. Gabriel, *dist.* 2. *&* 12. *qu.* 1. & Scotus, *qu.* 1. docent humanitatem Verbo unitam non habere præcise rationem unionis ut non posset peccare, sed ex adjunctis, nimirum visione beatifica, gratia sanctificante, singulari Dei protectione, &c. quæ si a Christo separata fuissent, ut separari absolute potuisse affirmant, peccare potuisset. Contra quos

Resp. *Impeccabilitas in Christo oritur præcise ex hypostatica naturæ humanæ cum Verbo unione.*

*Prob.* 1. Ex Script. Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Ex quo sic argumentor: eadem ratione Christus est impeccabilis, qua

qua est Sanctus, sanctitate non tantum adventitia & accidentali, sed naturali ac substantiali; atqui Christus, præcise vi unionis hypostaticæ, est Sanctus sanctitate substantiali & naturali; ergo præcise vi unionis hypostaticæ est impeccabilis; quia, ut ait Tertullian. l. de carne Christi, *Verbum assumendo* humanitatem, illam *fecit suam*, *& faciens suam, fecit non peccatricem*.

*Prob.* 2. *ex traditione* PP. S. Athanas. *serm.* 2. *contra Apollinarem*, ut refertur in Synodo VI. Act. 8. dicit, quod Christus est *sanctus natura sua*, *& immutabilis ad malum*; atqui natura Christi consistit in unione hypostatica humanitatis cum Verbo; ergo ex illa unione Christus habuit, ut nullatenus peccare potuerit.

*D. Ambros.* lib. de Incarnatione, c. 7. *ait*: „ Anima Christi est incapax peccati, quia per unionem facta est impeccabilis. "

*D. Hilarius*, lib. 16. de Trinit. *ait*: „ Homo Christus est & in veritate Nativitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati, dum Christus est, quia & qui homo est, non potuit non esse quod natus est, & qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est ". Quibus verbis significat posse peccare æque Christo repugnare, ac ei repugnat non esse Christum; atqui impossibile est Christum non esse Christum; ergo.

*Prob.* 3. Si humanitas Verbo unita posset peccare in sensu composito unionis, ipsum Verbum posset peccare, non solum denominative per communicationem idiomatum, ut concedit Durandus, sed etiam formaliter & secundum se, ita ut in Christo distinguenda essent duo peccata, unum voluntatis humanæ: alterum divinæ; atqui voluntatem divinam posse peccare repugnat; ergo.

Resp. *neg. maj.* Quia quando plures naturæ in idem suppositum conveniunt, tenetur superior, saltem si commode possit, inferiorem regere, & impedire ne peccet, alioqui peccatum ipsi imputatur, ut patet in humana voluntate, quæ si permittat in appetitu sensitivo motus inordinatos, quamvis in se formaliter non peccaminosos defectu libertatis, eo ipso tamen contrahit peccatum; atqui natura divina & humana in idem Christi suppositum conveniunt; ergo superior, nempe divina, debet regere inferiorem, nempe humanam, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Deus non tenetur impedire peccata hominum, suorum subditorum, & filiorum adoptivorum, si sint in gratia; ergo nec tenetur impedire peccata naturæ assumptæ.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Deus, respectu hominum, solum se habeat ut causa universalis, juxta eorum exigentiam ad illorum actiones concurrens; econtra respectu actionum naturæ assumptæ, se habet ut causa particularis, illas ponens tamquam actiones sui proprii suppositi, & consequenter ut suo supposito (a quo solo, ut principio *quod* particulari, procedunt) specialiter imputabiles.

*Inst.* 1. Verbum potest efficaciter velle, ut actiones naturæ assumptæ ad se non pertineant alio titulo, quam causæ universalis; ergo potest efficere ut sibi non imputentur ad culpam.

Resp. *nego ant.* Quia sicut, posita unione hypostatica, Verbum non potest efficere; ut humanitas assumpta sibi non sit propria, ita non potest efficere, ut istius humanitatis actiones non sint sibi propriæ, ut principio *quod* particulari, & ideo tenetur illas, tamquam specialiter suas, regere, & ordinare.

*Inst.* 2. Non magis imputari debet Verbo peccatum naturæ assumptæ, quam ejus mors; atqui mors naturæ assumptæ Verbo in se non imputatur; ergo.

Resp. *nego maj.* Disparitas est quod mors sit malum physicum, quod Deus potest velle, & ut causa particularis inferre naturæ assumptæ; peccatum vero sit malum morale, quod Deus velle nequit absque inhonestate; nec ullo modo ad illud, tanquam causa particularis, concurrere, ita ut illi tamquam auctori tribui possit.

*Inst.* 3. Peccatum naturæ inferioris superiori non tribuitur, quando natura inferior propria gaudet libertate; atqui natura humana in Christo propria gaudet libertate; ergo.

Resp. *nego maj.* Cujus falsitas patet in patre obligato ad directionem filii, licet unum moraliter tantum cum eo faciat; ex quo a fortiori sequitur naturam superiorem ad id obligari, quando cum inferiori facit unum per se in ratione suppositi, cujus sunt actiones illius naturæ inferioris. In hac itaque suppositi unitate, & non in defectu libertatis partis inferioris, fundatur obligatio, qua pars superior in homine tenetur gubernare inferiorem, quam licet propria gauderet libertate, æque teneretur gubernare præcise qua superior & conveniens in unum suppositum, cum per hoc præcise inferior superiori subordinetur in operando, sicut in essendo, tamquam aliquid ad ipsum specialiter pertinens.

*Inst.* 4. Atqui nulla ratione natura divina in Christo tenetur gubernare naturam humanam; ergo.

*Prob. ant.* In Deum nulla cadit obligatio; ergo.

Resp. *dist. ant.* Nulla cadit obligatio ex aliqua lege superioris, *conc.* ex rectitudine divinæ voluntatis, *nego ant.* Sic Deus tenetur non mentiri, quia tenetur ad nihil faciendum suæ sapientiæ & sanctitati repugnans, ad idque ex suis intrinsecis determinatur ac necessitatur.

*Inst.* 5. Si ex rectitudine divinæ voluntatis oritur illa obligatio, tam Pater & Spiritus Sanctus tenentur peccata naturæ assumptæ impedire, ac Verbum, quia communis est voluntas; atqui hoc dici non potest; ergo.

Resp. *dist. maj.* Tam Pater & Spiritus Sanctus tenentur, indirecte & quasi per accidens, *conc.* directe & per se, *nego maj.* Solus quidem Filius per se ac directe tenetur ad impedienda naturæ assumptæ peccata, quia ista obligatio fundatur in unione hypostatica, quam solus Filius per se immediate terminat, ratione cujus terminationis & naturam assumptam, & naturæ assumptæ actiones fecit suas; quia tamen ejus voluntas communis est aliis personis, ideo etiam Pater & Spiritus Sanctus indirecte, & velut per accidens, id est, non ratione sui, sed ratione alterius personæ etiam ad idem obligantur, ad quam obligationem jam tunc consenserunt, cum humanam naturam unire Verbo decreverunt.

*Obji-*

*Objicies* 2. Per actiones naturæ assumptæ honestas, Verbum, secundum se, seu, ut est suppositum naturæ divinæ, non meruit; ergo a pari non peccaret per ejusdem actiones inhonestas.

Resp. *nego seq.* Disparitas est, quod Verbum secundum se, actiones honestas naturæ assumptæ non obtulit alteri a se, tamquam superiori, a quo possit præmium accipere, quod antecedenter non sit suum, quod tamen essentialiter requiritur ad rationem meriti; verum permittendo actiones inhonestas fieri a natura sibi hypostatice unita, voluntate divina consentiret in actiones essentiali suæ bonitati ac sanctitati repugnantes, easque produceret ut suas, adeoque peccaret secundum se, quod omnino repugnat.

## ARTICULUS III.

### *De defectibus animæ & corpori communibus a Verbo assumptis.*

*Nota* 1. Sub hoc titulo comprehendimus fomitem peccati, & passiones, utpote quæ a corporali appetitu eliciantur, & ab anima secundum vim sentiendi producantur, de quibus quæritur utrum fuerint in Christo.

*Nota* 2. Fomes peccati est inclinatio appetitus sensitivi in id quod est contra rectam rationem; sumitur, vel *in actu primo*, & est ipse appetitus sensitivus, prout proxime dispositus ad eliciendos motus inordinatos rationi repugnantes, vel *in actu secundo*, & sic est actualis motus appetitus sensitivi contra rectam rationem.

*Nota* 3. Passio est motio appetitus sensitivi circa bonum aut malum sensibile, secundum rectam rationem. Undecim sunt passiones, quarum sex pertinent ad appetitum concupiscibilem, nempe, *amor*, & *odium*, *desiderium* & *fuga*, *gaudium* & *tristitia*: quinque vero pertinent ad appetitum irascibilem, nimirum, *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor* & *ira*. Ilis positis sit

## CONCLUSIO I.

*Non fuit in Christo fomes peccati neque in actu primo, neque in actu secundo.*

*Prob.* 1. Ex V. Synodo, *Collat.* 8. *can.* 12. ubi anathematizantur, qui cum Theodoro Mopsuesteno dicebant Christum fuisse passionibus concupiscentiæ obnoxium.

*Prob.* 2. *Ex PP.* Div. Leo, Epistol. 11. expresse docet: *Non fuisse in Christo legem peccati*; & D. Aug. *lib.* 1. contra duas Epistol. Pelagianorum cap. 11. *Quam*, inquit, *Spiritui resistentem non habere* (concupiscentiam) *in carne mortali, ille tantummodo hom. habuit, qui non per ipsam ad homines venit.* Id est Christus, qui non communi cæterorum hominum via natus est, sed ex Virgine, divino Spiritu specialiter operante.

*Prob.* 3. *ratione*. Peccati fomes, sive in actu primo, sive in actu secundo, oritur a peccato originali: neque enim eum habuit Adamus in statu innocentiæ; *atqui* Christus non habuit originale peccatum, neque etiam illius contrahendi debitum, cum non descenderit ab Adamo via ordinaria; ergo, &c.

*Dixi in prop.* non fuisse in Christo fomitem peccati *in actu primo*, ex quo sequitur fomitem peccati in Christo non fuisse, ut in quibusdam Sanctis, ligatum, id est, per extrinsecam Dei protectionem remotum ab occasionibus, quibus excitari potuisset ad motus inordinatos; sed omnino extinctum, ita ut passiones ejus naturales, per specialissimam Dei assistentiam, Christo, propter unionem hypostaticam, debitam, ita rationi fuerint subjectæ, ut nunquam, nisi ex ejus præscripto, in ullos motus erumpere potuerint.

*Objicies*. Hebr. 4. Christus dicitur: *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato*. Ergo tentatus fuit a fomite peccati.

Resp. *dist. ant.* Christus fuit tentatus per omnia, tentatione extrinseca, v. gr. a diabolo, *conc.* tentatione intrinseca, quæ est a fomite peccati, *nego ant.* fuit ergo tentatus, non a propria concupiscentia, (hæc enim, cum magnam importet indecentiam, non fuit in Christo) sed experientia malorum quibus obnoxii sumus, hocque *absque peccato*, & iis quæ sunt vel effectus, vel causæ peccati.

*Inst.* 1. Christus assumpsit defectus toti naturæ communes; atqui fomes peccati communis est toti naturæ; ergo.

Resp. *dist. maj.* Assumpsit defectus, qui ad finem Incarnationis utiles erant, & nullam involvebant indecentiam, qualis erat passibilitas, *conc.* qui ad finem Incarnationis inutiles erant, ac insuper magnam involvebant indecentiam, *nego maj.* Porro fomes peccati inutilis erat ad finem Incarnationis, magnamque indecentiam involvebat sanctitati Christi repugnantem.

*Inst.* 2. Fomes peccati in se, est appetitus, quo delectabilia concupiscuntur & adversa refugiuntur; atqui talis appetitus fuit in Christo; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quo delectabilia concupiscuntur, & adversa refugiuntur contra rectam rationem, *conc.* secundum rectam rationem, *nego maj.* Fuit itaque in Christo appetitus sensitivus, quo escam, somnum, potum, secundum rationem appetebat, & quæ fugienda sunt tormenta, refugiebat; sed in eo non fuit fomes.

## CONCLUSIO II.

*Revera fuerunt in Christo passiones, nostris quidem quoad substantiam similes, dissimiles vero quoad modum.*

*Prob. prima pars* 1. Ex Scriptura, quæ Christo tribuit tristitiam, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Amorem. Joan. 11. sorores Lazari dixerunt ad Jesum: *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Iram, Marci 3. *Circumspiciens eos* (Pharisæos) *cum ira*. Timor, Marci 14. *Cœpit pavere & tædere*. Gaudium, Joann. 11. dixit Jesus, *Gaudeo propter vos*. Atqui tristitia, amor, ira, &c. sunt passiones; ergo, &c.

*Prob.* 2. *ratione*: Quia passiones sunt connaturales appetitus sensitivi perfectiones, quæ nec dedecent naturam humanam Verbo hypostatice unitam, nec statui beatitudinis repugnant; ergo *in Christo fuerunt sicut & cætera quæ ad naturam hominis pertinent*, ait D. Thom. q. 15. *art.* 4. Rationem reddit Theophilactus in hunc Marci locum,

*Cœpit pavere & tædere*, apud S. Thom. in catena: *Quia*, inquit, *qui assumpserat hominem; assumpsit & naturales proprietates hominis, pavere, tædere, & contristari*.

*Prob. secunda pars*. Quia Christus fuit homo nobis consubstantialis; ergo habuit passiones nobis substantialiter similes: *Neque enim*, ait Div. August. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 9. *in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus*.

*Prob. tertia pars*, ex D. Thom. citato, dicente: „ Quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria: 1. Quantum ad objectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. 2. Quantum ad principium: quia frequenter in nobis præveniunt judicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis, *sicut probant hæc verba Jo.* 11. Turbavit seipsum. 3. Quantum ad effectum: quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt, *ac perturbant*, rationem: quod in Christo non fuit: cum exercerentur solum quando, & quantum permittebat ratio ". Hinc Div. Hieron. (*in cap. 24. Matthæi*) vocat illas, *Propassiones*, non passiones, quæ secundum Stoicos rationem debent turbare; ita sese explicat D. Doctor dicens: „ Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœpit contristari ".

*Objicies*: SS. PP. excludunt a Christo passiones, nimirum tristitiam, timorem, iram, &c. ergo in eo non fuerunt reipsa passiones, sed tantum apparenter.

Resp. *dist. ant.* Excludunt a Christo passiones, quoad modum, *conc.* quoad substantiam & veritatem, *nego ant.* Itaque SS. PP. 1. Excludunt a Christo tristitiam sumptam pro inquietudine animi & vultus morositate, quo sensu intelligitur istud Isaiæ 42. *Non erit tristis, neque turbulentus*. Sed eam non excludunt, quæ pro voluntatis & appetitus sensitivi vero dolore sumitur.

2. Excludunt timorem, secundum quod dicit incertitudinem mali futuri, & spem illud evitandi; non vero illum excludunt secundum quod dicit affectum appetitus sensitivi, per simplicem displicentiam refugientis malum futurum sine spe illud evadendi.

3. Excludunt iram, secundum quod vindictam quærit absque ordine rationis; sed non eam excludunt secundum quod appetit vindictam juxta ordinem justitiæ: sic enim est affectus laudabilis, & ad zelum pertinens, juxta illud Psalm. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*.

*Inst.* 1. In Christo propter visionem beatificam fuit summum gaudium; ergo in eo non potuit esse vera tristitia.

*Prob. conseq.* Summum gaudium & tristitia sunt actus vitales stricte contrarii, adeoque virtualiter contradictorii; ergo non possunt esse simul in eodem subjecto.

Resp. *dist. ant.* Sunt actus vitales stricte contrarii, si versentur circa idem objectum & motivum, *conc.* si versentur circa diversa objecta & motiva, *nego ant.* Porro gaudium in Christo habuit pro objecto & motivo summum bonum per claram visionem possessum, tristitia vero habuit pro motivo & objecto supplicium & ignominiam Crucis, ruinam Judæorum, Dei offensam, &c. ergo non fuerunt de eodem objecto & motivo.

*Inst.* 2. Licet gaudium & tristitia versentur circa objecta & motiva diversa, tamen repugnat ut sint simul in eodem subjecto; ergo nulla solutio.

Resp. *dist. ant.* Repugnat ut sint simul in eodem subjecto, repugnantia naturali, quæ in hoc consistit, quod motivum vehementissimi gaudii non relinquat naturaliter ullam efficaciam motivo tristitiæ, cum actus vehementis gaudii ita rapiat voluntatem, ut non det locum tristitiæ, etiam respectu diversi objecti, *conc.* repugnantia essentiali, *nego ant.* Porro in hoc differt repugnantia essentialis a naturali, quod essentialis nullo modo possit superari, naturalis vero possit virtute supernaturali superari, quomodo de facto superata fuit in Christo, ut posset actus utrique statui viatoris & comprehensoris connaturales simul elicere, &, ad majorem satisfactionis perfectionem, tristitiam cum gaudio voluntarie assumere.

## CAPUT III.

### *De unione hypostatica.*

*Nota* 1. Quamvis *unio hypostatica* a PP. & Conciliis vocetur etiam *unitio*, tamen, stricte loquendo, ab ea differt; nam *unio* est vinculum duorum extremorum; *unitio* vero stricte sumpta, est actio, per quam fit extremorum unio; unde si Incarnatio sumatur active & causaliter, idem est ac *unitio*; si verum sumatur passive & formaliter, idem est ac *unio*.

*Nota* 2. Hic agemus 1. De quidditate unionis hypostaticæ. 2. De modo quo facta est unio hypostatica. 3. De proprietatibus illius unionis. 4. Tandem de consequentibus unionem hypostaticam, totidem quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *De quidditate unionis hypostaticæ.*

*Nota*. In assignanda unionis hypostaticæ natura, varias in partes scinduntur Scholastici.

Nonnulli censent, unionem hypostaticam esse ipsammet actionem, per quam humana Christi natura fuit producta.

Alii docent, eam esse entitatem realem extremis unitis superadditam; sed hi valde iterum discordes sunt in assignanda illa entitate reali superaddita ... Gabriel, *in* 1. *dist.* 30. *quæst.* 4. *art.* 1. vult eam esse qualitatem quamdam supernaturalem absolutam, quam *gratiam unionis* vocat .... Scotus vult eam esse relationem realem, qua humanitas refertur ad Verbum divinum ..... Suarez putat, eam esse entitatem modalem a Verbo & humanitate realiter distinctam.

Alii tandem sentiunt, unionem non esse quid ab extremis unitis distinctum, sed Verbum & humanitatem se ipsis formaliter absque ullo medio uniri, per hoc quod Verbum communicet humanitati suum esse divinum.

## CONCLUSIO I.

*Unio hypostatica realiter distinguitur a productione humanitatis Christi.*

*Prob.* 1. Quia productio humanitatis Christi, cum sit opus ad extra, est actio toti Trinitati communis, unio vero solius est Verbi divini; ergo illæ duæ actiones sunt distinctæ realiter . . . . 2. Quia actio unitiva pertinet ad ordinem supernaturalem & hypostaticum, actio vero productiva humanitatis, est ordinis pure naturalis; ergo distinguuntur realiter: hinc B. V. Maria præbuit suum concursum ad generationem humanitatis, non vero ad actionem unitivam humanitatis cum Verbo divino.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Leo Magnus, *Epist.* 11. *ad Jul.* dicit: *Natura nostra non sic assumpta est, ut, prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Ergo unio hypostatica non distinguitur ab ipsa humanitatis creatione.

Resp. *nego conseq.* Solum quippe vult D. Doctor, humanam Christi naturam, non præcessisse tempore Incarnationem, sed eodem instanti reali, quo creata fuit, assumptam fuisse; docet ergo concomitantiam, non vero identitatem illius duplicis actionis, ut inde refelleret Nestorium, qui contendebat humanitatem Christi aliquo tempore realiter fuisse sine unione cum Verbo, ex quo concludebat B. V. Mariam esse quidem Christiparam, non autem Deiparam.

*Inst.* Maria Virgo est vere Mater Dei; atqui non est vere Mater Dei, nisi actio humanitatis productiva sit eadem, ac actio unitiva ejusdem humanitatis cum Verbo; ergo.

Resp. *nego min.* Nam ut Beata Virgo Maria dicatur, & vere sit Mater Dei, sufficit ut ejus actio generativa, qua animam corpori univit, terminata fuerit ad humanitatem eodem instanti assumptam, licet forte in posteriori naturæ.

*Objicies* 2. Ea non distinguuntur realiter, quæ unum eumdemque habent terminum; atqui unio hypostatica & actio humanitatis productiva, habent in Christo unum eundemque terminum; ergo.

*Prob. min.* Unio hypostatica habet pro termino subsistentiam humanitatis in Verbo; atqui actio humanitatis productiva habet quoque pro termino eandem humanitatis subsistentiam; ergo, &c.

Resp. *nego min.* Siquidem adæquatus creationis terminus est substantia, non vero subsistentia creata, cum substantiæ indifferens sit, ut per se vel per alium subsistat.

*Prob. min.* Creatio non terminatur nisi ad rem subsistentem; ergo.

Resp. *nego ant.* Nam creatio prorsus indifferens est ad subsistentiam propriam vel alienam; ergo præcise terminatur ad naturam, quæ, si non communicetur alteri, est sui juris, ac proinde in se subsistit; si vero communicetur alteri, est juris alterius, ac proinde in alio subsistit.

## CONCLUSIO II.

*Unio hypostatica non est entitas realiter distincta a Verbo & humanitate unitis, sive illa entitas sit qualitas supernaturalis absoluta; sive sit relatio realis; sive sit modus substantialis, aut quodlibet aliud.*

*Prob.* 1. Non potest admitti entitas copulans humanitatem cum Verbo divino, quæ recipiatur tum in Verbo, tum in humanitate; atqui illa non potest recipi in Verbo, alias mutaretur; ergo illa non debet admitti.

Respondent, sufficere ut illa entitas recipiatur in humanitate, cui inhæret, cum tantum adhæreat Verbo; sed

*Contra est.* Nam Verbum est intrinsece unitum humanitati; atqui non potest esse intrinsece unitum per unionem quæ est illi extrinseca, & quam non recipit; ergo non potest intrinsece uniri per aliquam entitatem a se & humanitate distinctam.

*Prob.* 2. Quia si unio hypostatica sit entitas realiter ab extremis distincta, debet admitti secunda entitas per quam prima uniatur, & tertia per quam uniatur secunda: & sic in infinitum; atqui in illud infinitum processus repugnat; ergo.

Respondent adversarii negando major. quia hæc prima entitas non est indifferens ut uniatur, cum ad unionem ex propria ratione sit determinata.

Sed quare eadem ratione dici non poterit naturam humanam Christi non esse indifferentem ad hoc ut uniatur Verbo divino, cum ad unionem determinetur ab ipso Deo, in quantum scilicet Deus illam creavit in Verbo, quod eam per seipsum immediate terminat, complet, & perficit?

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quod est indifferens, ut cum aliquo uniatur, ad id debet determinari per aliquid superadditum: atqui humanitas Christi ad unionem erat indifferens; ergo debuit per aliquid reale superadditum determinari.

Resp. 1. *retorq. argumentum.* Quod est indifferens, ut cum aliquo uniatur, ad id per aliquod superadditum debet determinari: atqui Verbum divinum ad unionem erat indifferens, non minus quam humanitas; ergo debuit per aliquid reale ipsi superadditum, ad unionem determinari; tamen illud non admittunt adversarii.

Resp. 2. *nego maj.* Quia indifferentia unibilium tollitur per accessionem unius ad aliud, & ideo indifferentia humanitatis Christi ad sui unionem cum Verbo, fuit sublata per actionem, qua Verbum illi suum esse Divinum communicavit.

*Objicies* 2. Omnis mutatio arguit aliquid de novo productum; atqui humanitas, per sui unionem cum Verbo, mutata est, nimirum de non unita, facta est unita; ergo in illa unione aliquid fuit de novo productum.

Resp. *dist. maj.* Omnis mutatio entitativa, *conc.* mutatio duntaxat connotativa, licet intima & personalis, *nego maj.* Porro dum humanitas Verbo divino copulata est, non est mutata entitative, cum semper eandem entitatem retinuerit; sed mutata est connotative, quatenus tunc habuit habitudinem ad Verbum, quam antea non habebat.

*Inst.* 1. Ergo unio hypostatica consistit in habitudine, seu relatione humanitatis ad Verbum; atqui hoc est ipsa Scoti sententia; ergo.

Resp. *nego illatum.* Equidem habitudo humanitatis ad Verbum resultat ex unione hypostatica, sed

sed illa habitudo non est unio, cum unionem jam factam præsupponat.

*Inst.* 2. D. Thom. 3. *p.* *q.* 2. *art.* 7. ait: *Unio est relatio quædam, quæ consideratur inter divinam naturam & humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei.* Ergo ipsamet unio est relatio.

Resp. *dist. conseq.* Unio sumpta pro mutua habitudine, quæ oritur ex conjunctione humanitatis & Verbi, *conc.* sumpta pro formali humanitatis & Verbi vinculo, *nego conseq.* Et ita Cajetanus D. Thom. interpretatur, dicens: *Super conjunctione substantiali personæ Verbi & naturæ humanæ, fundatur in opinione D. Thomæ relatio unionis inter duas naturas, vel inter naturam humanam & personam Verbi; talis autem relatio unionis, præ vocum inopia, vocatur unio.*

*Objicies* 3. Omnis actio habet terminum de novo productum; atqui Incarnatio, seu unitio, est actio; ergo habet terminum de novo productum; atqui ille terminus non est sola humanitas, nec sola Verbi subsistentia: nam utraque potest existere sine unione: ergo est entitatula quædam ab utraque natura realiter distincta.

Resp. *dist. maj.* Omnis actio productiva habet terminum de novo productum, *conc.* unitiva, *nego maj.* Porro Incarnatio causalis quidem est actio, sed unitiva duntaxat, cujus proinde terminus non est entitas de novo producta, sed est totum compositum ex partibus unitis conflatum, quod nihil aliud est, quam partes simul conjunctæ.

## CONCLUSIO II.

*Unio hypostatica nihil aliud est, quam communicatio Divini esse, a Verbo facta humanitati, per illius translationem in suam propriam subsistentiam.*

*Prob.* In eo consistit essentialiter unio hypostatica, quo posito, omnia Incarnationis Mysteria concipi & exponi possunt; atqui posita communicatione Divini esse a Verbo facta humanitati, concipi & exponi possunt omnia Incarnationis Mysteria; ergo.

*Prob. min.* Posita communicatione Divini esse facta humanitati, concipitur & exponitur.

1. Quomodo natura humana in Christo non sit persona humana, sed divina. Quia nimirum non est sui juris, sed alieni, nempe Divini; atqui natura humana, ut non sit sui juris, habet per communicationem Divini esse, sibi a Verbo factam: quoties enim natura inferior accedit ad superiorem, tunc inferior desinit esse juris proprii, ac sub jure & dominio superioris constituitur; ergo.

2. Exponitur, quomodo natura humana sit persona divina. Quia nempe per divinæ substantiæ communicationem, persona Verbi Divini, eam assumendo, fecit suam, cum eam terminet, ac ultimo compleat.

3. Exponitur, cur inter Verbum & humanitatem non sit tantum unio moralis per gratiam & alia dona ut docuit Nestorius, sed physica & substantialis. Quia nempe illa unio oritur ex intima ipsiusmet substantiæ divinæ communicatione facta humanitati.

4. Exponitur, cur inter Verbum & humanitatem sit communicatio idiomatum. Nempe quia ex communicatione Divini esse facta humanitati exurgit una persona quæ est principium *quod*, & subjectum omnium Christi actionum & passionum; hinc recte dicitur, *Deus est mortalis: homo est immortalis; Deus passus est*, &c.

5. Exponitur, cur actiones Christi valoris sint infiniti. Quia nempe Verbum, quod humanitatem ad se transtulit per communicationem Divini esse, illas humanitatis actiones fecit suas, quatenus illarum est principium *quod*, & consequenter illarum veluti pars. Cætera omnia sic exponi possunt.

## QUÆSTIO II.

*De modo, quo facta est unio hypostatica.*

*Nota.* Circa modum, quo facta est unio hypostatica, duo extreme oppositi insurrexerunt errores.

1. *Error* fuit *Nestorii*, Patriarchæ Constantinopolitani, contendentis unionem Verbi Divini cum humanitate non fuisse factam in persona, & ideo non fuisse physicam & hypostaticam, sed moralem tantum & accidentalem, qualis reperitur inter Deum & templum in quo habitat; ex qua doctrina:

*Inferebat* 1. Non unam, sed duas in Christo personas esse, humanam scilicet inhabitatam, & divinam inhabitantem.

*Inferebat* 2. Verbum assumpsisse hominem, tum natura, tum persona perfectum, qui primo in utero B. Mariæ Virginis formatus, postea ad unionem cum Verbo assumptus est; ex quo necessario sequebatur Christum non esse Deum, & B. V. Mariam non esse Dei, sed tantum Christi hominis Matrem, non *Theotocon*, ut blasphemabat, sed *Christotocon*.

*Inferebat* 3. Admitti non debere realem idiomatum communicationem, qua utriusque naturæ, divinæ & humanæ, proprietates in Christo de se invicem prædicarentur; proindeque has propositiones, *Deus est mortalis*, *homo est immortalis*, &c. rejiciebat, ut falsas, & blasphemas.

2. *Error* fuit *Eutychis*, qui, cum veritatem de unica in Christo persona contra Nestorium propugnasset, in oppositum errorem lapsus est, docens ante unionem hypostaticam duas fuisse in Christo naturas realiter distinctas, divinam scilicet & humanam: post unionem vero, unam remansisse in Christo naturam, sive quia natura divina conversa est in humanam, sive quia natura humana conversa est in divinam, a qua penitus fuit absorpta, quod probabilius est, ut constat ex his *Eranistis Eutychiani* verbis, apud Theodoretum dialogo 2. *Ego dico Divinitatem mansisse, humanitatem vero ab hac esse absorptam, ut si in mare mellis gutta fundatur, nam illa gutta statim evanescit.* Sive etiam, ut aliqui volunt, quia ex duabus naturis confusis & permixtis, conflata est una tertia natura a duabus distincta, sicut mixtum ex elementis substantialiter transmutatis producitur. Licet ergo non possit certo definiri, quo sensu Eutyches voluit unam tantum in Christo naturam fuisse post unionem; certum est tamen unicam admisisse. *Confiteor*, inquit coram Patribus Conc. Constantinop. I. *ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem: post unionem vero unam naturam profiteor.* Itaque:

Resolvendum est 1. Utrum natura humana Christi prius tempore extiterit, quam uniretur cum Verbo? 2. Utrum unio Verbi facta sit in unitate personæ? 3. Utrum B. V. M. vere sit Mater Dei? 4. Utrum unio Verbi facta sit unitate naturæ? sequentibus conclusionibus.

## CONCLUSIO I.

*Humana Christi natura non extitit aliqua duratione temporis ante sui cum Verbo unionem.* Est de fide contra Nestorium & Eutychem.

*Prob.* 1. Ex Symbolo, ubi dicitur, quod Christus *conceptus est de Spiritu Sancto*: arqui esse conceptum de Spiritu Sancto, est naturam Christi humanam non extitisse ante sui unionem cum Verbo, ut ostendunt hæc, *Lucæ* 1. verba: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: ergo.

*Prob.* 2. Ex D. Leone, epist. 10. dicente: *Tam impie, duarum naturarum ante Incarnationem Dei Filius fuisse dicitur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.* Atqui impiam duarum in Christo naturarum conjunctionem ante Incarnationem dicit in sensu Eutychis, qui ideo tantum duas ponebat in Christo naturas, quia volebat naturam humanam aliqua temporis duratione præcessisse unionem; ergo, &c. Hinc idem D. Leo *epist.* 11. dicit: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.*

*Confirmatur.* Quia B. V. M. Deipara dici non potest, nisi quatenus genuit humanam naturam divina personalitate subsistentem; atqui si natura humana aliqua temporis duratione extiterit ante unionem, B. Virgo non genuit naturam humanam divina personalitate subsistentem; ergo non potest dici Deipara, quod est hæreticum, ut probabitur conclus. 3.

## CONCLUSIO II.

*Unio Verbi incarnati facta est in unitate personæ, unde una tantum est in Christo persona.* Est de fide contra Nestorium.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ aperte docet unum eundemque Christum, esse Deum & hominem, Rom. 9. *Ex quibus* (nempe Israelitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Philipp. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, &c. Ex quibus sic argumentor: unus & idem Christus, qui natus est ex Abraham, est super omnia Deus: unus & idem, qui est in forma Dei, est in forma servi: ergo si unus & idem, non duæ, sed una est in Christo persona; particula enim, *qui*, in his textibus designat personam.

*Prob.* 2. Jo: 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Atqui Verbum fieri carnem, est Verbum conjungi cum humanitate, non moraliter & per effectum: alioqui, in quolibet justo Deus dici posset incarnari; ergo realiter, substantialiter, & hypostatice; ergo una est in Christo persona: unde hæc veritas omnibus credenda proponitur in Symbolis, & præcipue Athanasiano, his verbis: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus; unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

*Prob.* 3. Ex Conc. œcumenicis: Ephesino contra Nestorium celebrato, in quo approbati fuere S. Cyrilli contra Nestorium anathematismi, quorum secundus sic habet: „ Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum hypostasim unitum, & unum tantum cum sua carne esse Christum, eundem nimirum Deum simul & hominem, anathema sit. . . . . *Tertius*, si quis in uno Christo post unionem, dividit hypostases, eaque duntaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, & potestatem; & non eo potius concursu, qui est secundum naturalem unionem, anathema sit ".

Conc. Constantinop. II. collat. 8. anathematismo 4. „ Si quis dicit: secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem . . . & non secundum compositionem, sive secundum substantiam, unitionem Verbi ad carnem factam esse, anathema sit ".

*Prob.* 4. Ex traditione omnium Patrum dicentium cum D. Petro Alexandrino, lib. de Deitate: „ Deus autem Verbum citra viri commercium, Dei voluntate, in utero Virginis incarnatus est. Quomodo vero, nisi quatenus Verbum humanæ naturæ in persona unitum est? *Et Div. Ambrosius lib. de Incarnatione, cap.* 5. Cum Deus semper esset æternus, *inquit*, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus: quia utrumque unus & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine ". In æternitate nimirum ex Patre, in tempore ex Virgine.

*Prob.* 5. Variis rationibus ex Scriptura deductis.

*Prima.* Duæ naturæ formaliter ab invicem distinctæ, de se invicem substantive, & in concreto prædicari non possunt, nisi uniantur in persona (ideo enim non dicitur substantive, *homo est vestis*, sed tantum adjective, *homo est vestitus*, quia non est unum idemque hominis & vestis suppositum); atqui natura divina & natura humana, formaliter ad invicem distinctæ, de se invicem substantive & in concreto prædicantur; dicitur enim, *Deus est homo*, & *homo est Deus*. Ergo natura divina & natura humana in una persona uniuntur.

*Secunda.* Philipp. 1. de Christo dicitur: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Atqui si in persona Verbi unio non sit facta, dici non potest Verbum semetipsum exinanivisse, cum ex ejus unione tantum morali, nulla resultet exinanitio: alias Pater & Spiritus Sanctus, qui in Sanctis uniuntur moraliter per inhabitationem, exinaniti pariter dicerentur; ergo Verbum exinanivit semetipsum, quod cum in forma Dei esset, formam servi, id est, naturam, in unitatem suæ personæ, assumpsit.

### *Solvuntur Objectiones Nestorianorum.*

*Objicies* 1. Persona Verbi & persona Christi hominis sunt diversa; ergo.

*Prob. ant.* Diversa est persona illius qui inhabitat, & illius qui inhabitatur; atqui humanitas Christi

sti inhabitatur a Verbo humanitatem inhabitante, juxta illud Joann. 2. *Solvite templum hoc*, &c. Ergo diversa est persona Verbi & humanitatis.

Resp. *dist. maj.* Diversa est persona illius qui inhabitat, & illius qui inhabitatur, proprie, *conc.* metaphorice, *nego maj.* Atqui humanitas Christi inhabitatur, metaphorice, *conc.* proprie, *nego min.* Itaque Verbum dicitur inhabitare humanitatem metaphorice, eo scilicet modo, quo anima nostra dicitur inhabitare corpus nostrum, juxta illud 2. Cor. 5. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*, &c. Ergo sicut, ex eo quod anima est in corpore velut in habitatione, non licet colligere in eodem homine duas esse personas; ita etiam ex eo quod Christus suam humanitatem templum appellet, non licet inferre duas in illo esse personas.

*Inst.* 1. Atqui Deus habitat humanitatem Christi proprie; ergo.

*Prob. ant.* Colos. 2. dicitur: *In ipso*, Christo, *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Sensus enim illius textus est, quod Divinitas habitet in Christo, sicut anima hominis in homine, scilicet per conjunctionem substantialem, non vero per conjunctionem tantum moralem & habitationis, ut volebat Nestorius.

*Inst.* 2. In Christo, se habet humanitas respectu Verbi, sicut vestimentum respectu vestiti, juxta illud, Philip. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*; ergo quemadmodum inter vestem & vestitum non est unio substantialis, ita nec inter Verbum & humanitatem.

Resp. *nego maj.* Nam Apostolus loquitur de similitudine substantiali, nec per *habitum*, significat vestem, sed figuram exteriorem, secundum quam Christus visus est talis, quales sunt puri homines; verum figura exterior realitatem non excludit; Verbum ergo realiter fuit homo.

*Objicies* 2. SS. Patres passim asserunt Verbum divinum assumpsisse hominem, sic DD. Aug. & Ambrosius in Hymno, *Te Deum*, dicunt, *Tu ad liberandum suscepturus hominem*; atqui vox, *homo*, suppositum connotat; ergo Verbum assumpsit suppositum, id est, personam hominis.

Resp. *dist. maj.* Dicunt Verbum assumpsisse hominem in abstracto, *conc.*, in concreto, *nego maj.* Itaque SS. Patres, dicendo Verbum assumpisse hominem, locuti sunt improprie, sumendo hominem pro humanitate; tunc enim, cum nondum exorta esset hæresis Nestoriana, paulo liberius & securius loquebantur: mentem suam declarat D. Aug. *Enchiridii*, c. 36. dicens: *Filius Dei, non gratia sed natura suscepit hominem tanta unitate, ut idem esset Filius hominis*. Porro si assumpsisset hominem in concreto, non idem esset Filius hominis & Filius Dei.

*Inst.* 1. D. Aug. *Enchiridii cap. 36.* dicit Christum esse *aliud propter hominem, & aliud propter Verbum*: atqui ubi est, *aliud*, & *aliud*, ibi sunt duæ personæ & duo supposita: ergo in Christo sunt duæ personæ.

Resp. *nego min.* Quamvis enim ubi est, *alius*, &, *alius*, adjective, ibi sint diversa supposita, quia nomen adjectivum personam præsertim denotat, non tamen ubi est, *aliud*, & *aliud*, substantive, siquidem nomina substantiva præsertim connotant naturam. Itaque ex verbis D. Aug. solummodo sequitur duas esse in Christo naturas, quæ tamen in unica persona resident, ut declarat, Enchiridii c. 35. *In unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro*.

*Inst.* 2. Div. Damasc. *lib. 3. de fide cap.* 11. asserit Verbum assumpsisse naturam humanam *in atomo*, id est, in individuo; ergo assumpsit illam propria persona subsistentem.

Resp. *dist. ant.* Asserit assumpsisse naturam humanam in individuo, sumpto pro eo quod est singulare, & unum in unitate numerica, *conc.* sumpto pro eo quod per se subsistit, & est incommunicabile alteri, *nego ant.* Itaque hoc loquendi modo, solum voluit D. Doctor, Verbum assumpsisse humanitatem singularem, non universalem, & unam tantum, non omnes, nec singulas.

*Objicies* 3. Plurimos SS. Patres, quorum aliqui Christum vocant *hominem Deiferum*, ita D. Basil. teste Theodoreto. Alii *hominem Deificatum*, *Dominicum*, ita Athanas. in expositione fidei, & Aug. *lib.* 83. *q.* 36. Alii humanitatem vocant *Divinitatis templum*, ita S. Cyrillus, *lib. 6. in Joann.* Alii *Divinitatis instrumentum*, ita D. Damasc. *lib. 3. de fide cap.* 15. Atqui illæ omnes loquendi formulæ indicant unionem duntaxat moralem inter utramque in Christo naturam; ergo.

Resp. *nego min.* Illi enim termini indifferentes sunt ad exprimendam unionem moralem tantum, vel physicam & substantialem; personarum ergo loquentium mens, scopus, & circumstantiæ accurate pensandæ sunt, ut genuinus verborum illorum sensus habeatur. Non de vocibus nobis est discrepatio, *inquit Leontius Bizantinus huic objectioni respondens lib. 3. contra Eutychianos & Nestorianos, sed de ipsis rebus & horum unione, & naturali cohæsione, quam Patres secundum substantiam factam esse senserunt: vos autem secundum habitudinem & voluntatem, eam introducitis*. Itaque.

1. Christus rite potest vocari *Deifer*, hoc vero sensu, quod Deum sibi hypostatice unitum ferret, licet Div. Basilius non ipsum hominem Christum, ut objiciebat Theodoretus tunc Nestorio favens, sed ejus carnem vocaverit, *Deiferam*.

2. Potest dici *Homo Deificus*, & *Dominicus*, hoc vero sensu quod Christus propter unionem hypostaticam non sit purus homo, sed homo Deus; id enim PP. per illa verba significare voluerunt.

3. Humanitas potest dici *Templum Divinitatis* non quod in ipsa Divinitas habitaret moraliter, per meram scilicet assistentiam, & gratiæ subministrationem, ut volebat Nestorius, sed substantialiter & hypostatice, ad sensum Apostoli, Coloss. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, id est, physice & realiter.

4. Humanitas potest dici *Instrumentum Divinitatis*, non quidem separatum, sed conjunctum, pertinens ad unitatem personæ, ad opera satisfactoria exercenda, cujusmodi est corpus respectu animæ, ad operationes vitæ sensitivas exercendas.

*Inst.* Div. Chrysost. *Hom. 3. ad cap. 1. epist. ad Hebr.* aperte duas in Christo personas admittit; ergo, &c.

*Prob. ant.* D. Chrysost. exponens hæc verba: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, ait: *Hic & Judæos & Pauli Samosateni asseclas, & Arianos*,

*nos*, *Marcellumque & Sabellium* feriit *& Marcionem*. *Quomodo? Judæos quidem ostendens eis esse duas personas & Deum & hominem . . . . Marcellum vero & cæteros, quoniam duæ sunt istæ personæ, secundum subsistentiam ab invicem separatæ*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam hæc verba: *duas personas*, &, *duæ personæ*, non dicuntur de Christo, cujus nomen nullo in codice legitur, sed de Patre & Filio: nam S. Doctor ibi probat Patrem & Filium duas esse personas realiter distinctas, quæ tamen sunt unus & idem Deus; impugnat enim Judæos, Pauli Samosateni asseclas, Sabellium, qui quidem negabant pluralitatem personarum in Deo, sed quorum nullus distincte admittebat duas in Christo personas. Ita D. Chrysostomum interpretatur Donnæus Angius: *Nequaquam*, inquit, *ubi Chrysostomus dicit*, *Deum & hominem esse duas personas*, *ut Nestorius*; *sed Patrem & Filium designates in istis Scripturæ verbis: propterea unxit te Deus*, *Deus tuus*. Hæc interpretatio est ad mentem ipsius Chrysostomi, qui *hom. 5. de incomprehensibili natura Dei*, illum Scripturæ textum interpretatur de duabus SS. Trinitatis personis, Patre nimirum & Filio: *Visne*, inquit, *discere ubi Patrem & Filium simul positos Deum & Deum vocet? audi Prophetam David & Apostolum Paulum hoc ipsum nobis declarantes: propterea unxit te Deus*, *Deus tuus*. Præterea D. Chrysostomus aperte docuit unicam in Christo esse personam: *Etsi enim duplex* ( in Christo ) *natura* inquit Epist. ad Cæsarium, *verumtamen indivisibilis & indissipabilis unitio*, *in una filiationis confitenda persona*, *& una subsistentia*; certe dilucidius nihil.

*Objicies* 4. Persona in Deo non distinguitur a natura; atqui unio non est facta in natura; ergo nec in persona.

Resp. *dist. maj.* Non distinguitur realiter a natura, *conc.* virtualiter, *nego maj.* Porro distinctio illa virtualis sufficit, ut unio fiat immediate in persona, non in natura, quæ mediate tantum unitur.

## CONCLUSIO III.

*B. V. M. vere & proprie est Mater Dei*. Est de fide contra Nestorium.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Lucæ 1. *Quod nascetur ex te Sanctum*, *vocabitur Filius Dei*. Ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum*, *factum ex muliere*. Ex quo sic argumentor: quæ genuit Filium Dei, vere est Mater Dei; atqui B. Virgo vere genuit Filium Dei; ergo, &c.

*Prob.* 2. *Ex traditione PP.* S. Cyrill. Alex. *lib. de fide ad Reginas*, ait: *Vocem hanc*, *Deipara*, *veteribus Patribus . . . . per universum* ( *ut ita dicam* ) *orbem terrarum*, *familiarem esse*, *ostendendum esse existimavi*. Deinde profert Patrum testimonia, inter quæ istud Theophili Episcopi reperitur: *Illud utique non prætermiserim*, *optimos ac sapientissimos quosque Patres*, *quicumque ante nos extiterunt*, *omnes sacram Virginem Deiparam appellare*.

S. Dionysius Alexand. Epist. ad Paulum Samosatenum. *Una sola Virgo Filia vitæ*, inquit, *genuit viventem Verbum*, *subsistens . . . . quomodo ais tu hominem esse eximium Christum*, *& non revera Deum*, *Incarnatum ex S. Virgine & Deipara Maria?*

S. Greg. Nazianz. orat. 51. ait: *Si quis S. M. Deiparam non credit*, *extra Divinitatem est*.

*Prob.* 3. Ex Symbolis & Conciliis œcumenicis.

1. In Symbolo Apostolorum dicitur: *Credo in Jesum Christum Filium ejus unicum*. En æterna Filii a Patre generatio. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*, *natus ex Maria Virgine*. En temporalis ejusdem ex Maria Virgine generatio. Ergo.

2. In Symbolo Nicæno Christus dicitur: *Deus de Deo . . . . Incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, &c.

3. In Concilio Ephesino fuerunt approbati anathematismi S. Cyrilli, quorum primus sic habet: *Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum esse*, *& ob id sanctam Virginem Deiparam* ( *genuit enim illa Incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem* ) *anathema sit*.

*Prob.* 4. *ratione manifesta*. B. Virgo est Mater Christi hominis; ergo est Mater Dei. *Prob. conseq.* Christus homo est nomen suppositi & personæ, cum sit nomen concretum; atqui in Christo alia non est persona, quam divina, quæ est formaliter Deus; ergo Mater Christi hominis est etiam vere Mater Dei.

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. B. V. M. non potest esse Mater Dei, nisi divinitatem genuerit; atqui non genuit divinitatem, cum sit improducibilis; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam ut B. V. M. sit Mater Dei, non requiritur ut genuerit divinitatem, sed satis est, quod eum genuerit, qui non prius homo, quam Deus extitit, hoc est, cujus corpus, & anima, non prius in rerum natura fuerint, quam inter se conjuncta, ac cum Verbo hypostatice copulata, eodem fere modo, quo, ut mulier aliqua vere dicatur mater hominis corpore & anima constantis, non opus est ut animam ipsam genuerit, sed sufficit ut eum genuerit qui anima præditus est; atqui B. V. M. eum genuit, qui non prius homo, quam Deus extitit; ergo.

*Inst.* 1. Terminus generationis est suppositum; atqui B. V. non genuit suppositum Christi, utpote suppositum divinum; ergo non genuit Deum.

Resp. *dist. maj.* Terminus generationis emanativus, *conc.* terminus productus, *nego maj.* Neque enim hypostasis producitur revera formaliter, sed potius naturaliter resultat per emanationem simplicem ex unione corporis cum anima.

*Inst.* 2. Illa non potest dici Mater ejus, quo posterior est tempore; atqui B. V. M. Deo posterior est tempore; ergo.

Resp. *dist. maj.* Nam potest dici Mater ejus, quo posterior est tempore, secundum id, quo posterior est, *conc.* secus, *nego maj.* atqui B. V. posterior est Deo, prout includit divinitatem & personam divinam, *conc.* prout terminat naturam humanam, *nego min.* Itaque, ut B. V. sit Mater Dei, non est necesse, ut sit prior Verbo seorsim sumpto, sed sufficit, quod ipso toto, seu composito prior sit; at B. Virgo prior fuit Verbo, ut terminat humanitatem, & quatenus ex ejus personalitate

litate & natura humana, constituta est una persona; ergo.

*Objicies* 2. Mater debet esse ejusdem naturæ cum Filio; atqui B. Virgo non est ejusdem naturæ cum Deo; ergo non est Mater Dei.

Resp. *nego maj.* Nam ut B. Virgo dicatur & sit Mater Dei, non est necesse ut sit ejusdem cum Deo substantiæ, sed satis est, ut ejus partus ad suppositum divinum terminatus sit; atqui B. Virginis partus terminatus est ad suppositum, quod vere & proprie Deus est; ergo vere & proprie Mater Dei est, ac dici debet.

*Inst.* D. Hilarius, *lib.* 10. *de Trinit. cap.* 16. dicit: *Corpori Christi Mariam originem non dedisse, licet ad incrementa partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est, contulerit.* Ergo Dei Mater dici non potest.

Resp. *nego conseq.* Ex qua sequeretur Mariam ne Christi quidem Matrem dici posse; quandoquidem *corpori Christi originem non dedisse.* Sensus ergo Divi Hilarii est, Mariam non dedisse originem corpori Christi more cæterorum hominum, nempe ex commercio viri cum muliere, sed ex operatione Spiritus Sancti carnem Christi ex purissimo B. Virginis sanguine efformantis, ut patet tum ex his textus verbis: *Licet . . . omne quod sexus sui naturale est, contulerit*; tum ex textu præcedenti: *Virgo*, inquit, *nonnisi ex Spiritu Sancto genuit, quod genuit.*

## CONCLUSIO IV.

*Unio Verbi incarnati facta non est in unitate naturæ; unde duæ sunt in Christo, post unionem, naturæ distinctæ & impermixtæ, divina scilicet & humana.* Est de fide contra Eutychem.

*Prob.* 1. Ex iis omnibus Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur Deus verus & homo verus, illius divinitas aperte traditur, *Matth.* 3. ubi Pater æternus, de Christo loquens, ait: *Hic est filius meus dilectus.* Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Humanitas pariter asseritur, Joann. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis*, Jo: 9. *Ille homo, qui dicitur Christus.* Atqui Christus non potest esse Deus, & homo, quin in eo sit utraque natura, divina & humana, non confusa & permixta, sed omnino distincta; ergo.

*Confirmatur*, ex iis textibus, in quibus Christus nunc dicitur æqualis Patri, Joann. 10. *Ego & Pater unum sumus*; nunc minor Patre, Joann. 14. *Pater major me est*: atqui Christus secundum naturam humanam non potest esse æqualis Patri, & secundum naturam divinam non potest esse minor Patre; ergo necesse est duas esse naturas in Christo. *Qui*, Philipp. 2. *cum in forma Dei*, id est, in natura divina, *esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit*, non quidem amittens naturam Dei, sed *formam servi*, id est, naturam humanam, *accipiens*, per quam est, *in similitudinem factus, & habitu inventus ut homo.*

*Prob.* 2. Ex Concilio Chalcedonensi, quod in definitione fidei adversus Eutychem pronuntiat: *Confitemur Christum Dominum nostrum, eundem perfectum in deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex M. V. Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum, Filium Dominum Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque substantiam concurrente.* Accurata illa definitione utrinque feriuntur Eutyches & Nestorius.

*Prob.* 3. Ex omnibus PP. dicentibus cum D. Athanas. in Symbolo: *Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster J. C. Dei Filius, Deus, & homo est . . . qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

*Prob.* 4. *Ratione evidentissima*: si ambæ naturæ in Christo non mansissent integræ, sed una tertia ex illis fuisset conflata, hoc factum fuisset *vel per conversionem unius in aliam*, ut gutta vini in mare conjecta; *vel per mixtionem, & conversionem ambarum*, ut mixtum ex elementis transmutatis confectum; *vel per compositionem ex duabus naturis*, quidem permixtis aut permutatis, sed imperfectis, sicut ex corpore & anima fit homo; atqui nihil horum dici potest; ergo.

*Non primum*, quia immutabilis est Deus; atqui si divinitas converteretur in humanitatem, vel humanitas in divinitatem, mutaretur Deus, cui tam repugnat quidquam de novo in se recipere, quam in se destrui, & in aliud transire.

*Non secundum*, tum quia quæ infinite distant, misceri invicem non possunt; solvitur enim species debilioris eorum, altera manente, ut si quis guttam vini in mare conjiciat; atqui natura divina ab humana infinite distat; ergo, &c. Tum quia mixtum cum ullo miscibilium est idem specie, & sic Christus non esset ejusdem cum Patre & Matre substantiæ, ac proinde nec verus Deus, nec verus homo.

*Non tertium*, quia cum una natura ex duabus naturis imperfectis componitur; necesse est illæ duæ naturæ se habeant per modum partis respectu tertiæ naturæ, quæ ex eis componitur, ut videre est in natura humana, quæ ex corpore & anima componitur; atqui natura divina non potest habere rationem partis, alias nec esset immutabilis, nec infinita, nec simplicissima; ergo utraque natura distincta & impermixta pertransit in Christo.

### *Solvuntur Objectiones Eutychianorum.*

*Objicies* 1. Unum fieri aliud, est unum converti in aliud, ut constat ex illo, Jo: 2. *Ut gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, idest in vinum conversam; atqui ex Joann. 1. *Verbum caro factum est*; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Significat unum converti in aliud, aliquando, *conc.* semper, *nego maj.* Equidem aliquando particula, *factum*, significat substantialem muta-

mutationem unius rei in aliam, ut cum *aqua* dicitur *vinum facta*: sed interdum significat acquisitionem, vel assumptionem alicujus de novo, ut cum Adam, *Genes.* 2. dicitur, *factus in animam viventem*. Et Hebr. 7. *Christus factus est Pontifex*. Porro ex antecedentibus vel consequentibus, & ex ipsa rerum natura pensandum est, quando, to *factum*, alterutrum significat: sic hanc propositionem, *Verbum caro factum est*, significare assumptionem humanitatis de novo, probant, tum hæc verba consequentia, *& habitavit in nobis*, quomodo enim Verbum habitavit in nobis, nisi quia, idem manens, carnem assumpsit; tum ipsa Verbi natura, quæ cum sit immutabilis, in aliud converti non potest.

*Inst.* 1. Eodem modo dicitur, *Verbum caro factum est*, ac, *aqua vinum facta est*. Atqui per hæc verba, *aqua vinum facta est*, vera significatur aquæ in vinum conversio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Eodem modo, &c. quoad sonum verborum, *conc.* quoad significationem verborum, *nego maj.* Nam similiter eodem modo quoad sonum verborum dicitur, Gal. 3. *Christus factus pro nobis maledictum*, nec tamen Christus in maledictum conversus dici potest: *desinant*, ait D. Ambros. lib. de Incarnat. adversus Apollinaristas, cap. 6. „ Desinant dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati “.

*Inst.* 2. Filius Dei, Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit*. Atqui non potuit semetipsum exinanire, nisi per sui conversionem in carnem; ergo.

Resp. *nego min.* Nam semetipsum exinanivit, *formam servi accipiens*, id est, per carnis assumptionem, per quam, *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, cum antea nulli obedire potuerit, non vero semetipsum exinanivit per sui conversionem in carnem.

*Inst.* 3. S. Justinus, *Apologia secunda*, docet Verbum carnem esse factum, sicut in Eucharistia panis fit caro Christi; atqui panis fit caro Christi per conversionem; ergo Verbum caro factum est per sui conversionem in carnem.

Resp. *dist. maj.* Secundum aliquam similitudinem, *conc.* secundum omnimodam paritatem, *nego maj.* In eo valet allata ex Justino paritas, quod sicut Verbum fit *realiter* caro, ita panis in Eucharistia fit *realiter* corpus Christi; non valet autem ea paritas, quoad modum quo panis fit corpus Christi.

*Objicies* 2. Mixtio confusionem parit, & distinctionem tollit; atqui duæ naturæ, divina & humana, secum invicem permixtæ sunt in Christo, ut cum pluribus PP. docet D. Aug. *epist.* 3. *ad Volusiarum*, dicens personam Christi *mixturam esse Dei & hominis*. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Mixtio, proprie dicta, *conc.* improprie dicta, *nego maj.* Atqui naturæ, divina & humana, in Christo sunt mixtæ, mixtione improprie dicta, quæ solum dicit intimam ac substantialem naturarum unionem in persona, *conc.*, mixtione proprie dicta, qua unum mutatur in aliud, *nego min.* Itaque Patres, quandiu nihil fuit periculi, nomine mixtionis, in hoc mysterio usi sunt ad exprimendam intimam unionem duarum naturarum in Christo, sed nunquam eo usi sunt ad significandam naturæ utriusque confusionem, quod patet ex eo quod plerumque Patres unionem animæ cum corpore protulerint ad explicandam naturarum permixtionem, quam asserebant esse in Christo: „ Sicut in unitate personæ, *inquit D. August. cit.* anima unitur corpori ut homo sit, „ ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut „ Christus sit. In illa ergo persona mixtura est „ animæ & corporis; in hac persona mixtura est „ Dei & hominis “. Et ne ab aliquo videatur admittere naturarum confusionem, addit: „ Si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, „ qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam “.

*Objicies* 3. Julius S. P. epist. ad Dionysium ait: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare*. Et D. Gregor. Thaumat. in exposit. fidei: *Non duæ personæ*, inquit, *neque duæ naturæ, non enim quatuor nos adorare dicimus*; ergo.

Resp. *nego ant.* Illa enim scripta, falso ab Eutychianis adscribuntur illis Patribus, ut testatur Leontius (*Biblioth. PP. tom.* 9. *pag.* 707. *C.*) dicens: „ Quidam ex hæresi Apollinarii, vel Eu„ tychis, vel Dioscori, cum vellent suam hære„ sim confirmare, quasdam orationes Apollinarii „ Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Ju„ lio inscripserunt, ut simpliciores fallerent “.

*Objicies* 4. S. Cyrillus conceptis terminis asserit, non duas, sed unam tantum naturam esse in Christo post unionem; ergo.

Resp. *nego ant.* Clare enim exponit suam mentem in sua ad Nestorium epist. a Conc. Ephes. approbata; „ Quamvis naturæ sint diversæ, *inquit*, „ vera tamen unione coeuntes, unum nobis Chri„ stum & Filium effecerunt: non quod naturarum „ differentia propter unionem sublata sit, verum „ quod divinitas & humanitas, secreta quadam ineffabilique conjunctione, in una persona unum no„ bis Jesum Christum & Filium constituerint “.

*Prob. ant.* S. Cyrill. epist. 1. ad Successum ait: „ Post unionem, naturas alteram ab altera „ non dividimus, neque in duos filios unum illum „ impartibilemque secamus, sed unum asserimus „ Filium ut & SS. Patres dixerunt, unam natu„ ram Dei Verbi incarnatam “: ergo unicam in Christo post unionem admisit naturam.

Resp. *nego conseq.* Non enim dicit, esse unam naturam Christi, sed *unam naturam Verbi incarnatam*, quod verum est, quia sola natura divina incarnata est, hoc est, carni personaliter unita, ut explicat D. Thom. (3. *p.* *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3.) „ Natura divina dicitur incarnata, *inquit*, quia „ est unita carni personaliter: non quod sit in na„ turam carnis conversa. Similiter & caro dici„ tur deificata, ut dicit Damasc. lib. 3. de fide „ orthodoxa, cap. 6. non per conversionem, sed „ unionem ad Verbum, salvis suis proprietatibus „ naturalibus, ut intelligatur caro deificata, quia „ facta est Verbi Dei caro, non quia facta sit „ Deus “. Et ipse Cyrillus, cum ob citatum in objectione locum, Apollinarista diceretur, ita mentem suam explicat, epist. 2. ad Successum: „ Si „ dicentes unam Verbi naturam, *inquit*, tacuis-

„ semus,

semus, & minime adjunxissemus, INCARNATAM, excluso propemodum dispensationis mysterio, esset illorum ( *Nestorianorum* ) fortassis oratio non inepta . . . sed . . . dum dicimus, INCARNATAM, desinant baculo inniti arundineo ". Ita etiam S. Cyrilli textum exponit Synodus V. can. 8.

*Inst.* 1. S. Cyrillus, eadem Epist. negat duarum naturarum distinctionem post unionem. *Post unitionem*, inquit, *naturas easdem a se mutuo non dividimus*. Ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Semper enim D. Cyrillus distinctionem naturarum professus est, sed negavit earundem divisionem & separationem post unionem, quia nimirum in unitate personæ adunantur.

*Inst.* 2. S. Cyrill. Epist. 2. ad Successum, docet duas naturas in Christo *sola mentis consideratione distingui*; ergo non sunt a se invicem distinctæ realiter.

Resp. *nego conseq.* Nam S. Cyrillus per verbum, *Distingui*, intelligit, *dividus*, & *separari*, quod patet, quia Cyrillus in exemplum distinctionis, quam asserit sola fieri cogitatione, profert ejusdem hominis viventis corpus & animam, quæ quidem haud dubie non eo sensu sola cogitatione distinguuntur, quod realiter sint unum & idem a parte rei, sed tantum quod a se invicem separata ac per se subsistentia non sint.

*Objicies* 5. S. Athanasius in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*; atqui anima & corpus in unam hominis naturam coalescunt; ergo Deus & homo in unam Christi naturam coalescunt.

Resp. *nego conseq.* Comparatio enim a Div. Athanasio allata in eo stat, quod sicut ex unione animæ & corporis, una resultat hominis persona, ita & in Christo ex utriusque naturæ unione; verum in hoc deficit comparatio, quod in homine anima & corpus in unam naturam totalem coalescant, quia sunt entia incompleta & ad unam naturam essentialiter ordinata; e contra humanitas & divinitas in Christo, cum sint entia completa in ratione naturæ, in unam naturam totalem coalescere nequeunt, unde integræ & inconfusæ in una Verbi persona remanent.

*Objicies* 6. Concilium Ephesinum II. probavit doctrinam Eutychis: ergo.

Resp. *nego conseq.* Illud Concilium, quod non tam Episcoporum, quam sicariorum & prædonum Conciliabulum fuit, a S. Leone & Conc. Chalcedonensi, fuit penitus reprobatum. Vide illius historiam, Tractatu *de Prolegomenis*.

*Objicies* 7. Si duæ essent in Christo naturæ, essent quoque duo Christi; falsum cons., ergo & ant.

*Prob. seq. maj.* Ideo in Trinitate est unus Deus, quia est unica natura; ergo a contrario si duæ sint in Christo naturæ, duo sunt Christi.

Resp. *nego conseq.* Quia concreta substantiva non multiplicantur, nisi multiplicentur natura simul & persona; atqui *Deus* & *Christus* sunt concreta substantiva; ergo Deus non multiplicatur quia unicam habet naturam, & Christus non multiplicatur, quia habet unicam personam.

*Inst.* Nisi naturæ, divina & humana, confluant in unam naturam totalem, Christus non erit unum *per se*. Atqui absurdum conseq. Ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Nam ad constituendum unum *per se*, sufficit unio duarum naturarum in una persona, sive naturæ in unum coeant, si sint incompletæ, ut materia & forma, sive non sic in unum coeant, si sint completæ, ut est divinitas & humanitas in Christo.

## QUÆSTIO III.

### *De proprietatibus unionis hypostaticæ.*

*Nota.* Circa proprietates unionis hypostaticæ quæri potest, 1. An sit quid creatum? 2. An sit substantialis? 3. An sit supernaturalis? 4. An sit unionum maxima? 5. An sit indissolubilis? sequentibus quæstiunculis, itaque:

Quær. 1. *An unio hypostatica sit aliquid creatum?*

Resp. *affirmative*: Etenim id debet necessario creatum censeri, quod aliquando cæpit in tempore, nec fuit ab æterno; atqui unio hypostatica est hujusmodi; & quamvis Verbum divinum semper fuerit, attamen non semper fuit conjunctum humanitati nostræ, sed illam assumpsit in tempore, ex quo per veram actionem factum est hoc compositum, *Christus*, quod antea non erat; ergo, &c. Hinc, Jerem. 31. dicitur: *Creavit Dominus novum super terram: fæmina circumdabit virum.*

*Dices*: Creatio est productio rei ex nihilo; atqui hoc compositum, *Christus*, non fuit productum ex nihilo: ergo.

Resp. *dist. maj.* Creatio, stricte dicta, *conc.* late dicta, *nego maj.* & sic distincto consequente; *nego conseq.* Hic itaque creatum sumimus late, nimirum pro actione qua aliquid fit, quod ante non erat.

*Inst.* Verbum divinum est increatum; ergo compositum ex humanitate & Verbo, non potest simpliciter dici quid creatum.

Resp. *nego conseq.* Ut enim hoc compositum, *Christus*, dicatur simpliciter quid creatum, sufficit, ut per veram actionem factum sit in tempore, nec requiritur ut quidquid complectitur, sit creatum, sicut homo, constans ex anima & corpore; dicitur simpliciter genitus, licet ejus anima non sit genita, sed creata.

Quær. 2. *Utrum unio hypostatica sit substantialis?*

Resp. *affirmative contra Nestorium*: Quia, ubi duæ naturæ, formaliter a se invicem distinctæ, de se invicem in concreto substantive prædicantur, ibi necessario debet esse unio substantialis in supposito; atqui in Christo sunt duæ naturæ, formaliter a se invicem distinctæ, quæ de se invicem in concreto substantive prædicantur, recte enim dicitur: *Deus est homo: homo Deus*. Ergo illa unio est substantialis; *maj. est certa*; neque enim unio accidentalis potest præstare mutuam rerum unitarum prædicationem in concreto substantivo: sic homo, cum habet vestem sibi accidentaliter conjunctam, bene dicitur *vestitus* adjective, sed non dicitur *vestis* substantive: *minor est de fide*; ergo.

*Objicies*. Hoc axioma philosophicum: *Quod advenit enti completo, non facit ens per se, sed per accidens*; atqui humanitas advenit Verbo divino in suo esse completo; ergo unio hypostatica est accidentalis.

Resp. *dist. axioma*: Quod advenit enti completo, non

non facit ens per se, sed per accidens, si compositio sit naturalis, *conc.* si compositio sit supernaturalis, *nego axioma*. Ratio disparitatis est, quia, quod, in compositione naturali, advenit enti completo, non trahitur in communionem istius esse completi cui advenit; at in compositione supernaturali, qualis est unio hypostatica, natura humana, ex se incompleta in ratione suppositi, trahitur in unum & idem esse personale cum Verbo.

*Inst.* 1. Quod rei accidit, est ipsi accidentale; atqui Verbo divino accidit, quod unitum fuerit cum humanitate, potuit enim non uniri; ergo illa unio est accidentalis.

Resp. *dist. maj.* Est ipsi accidentale, vel physice vel logice, *conc.* semper physice, *nego maj.* ergo unio hypostatica est accidentalis, logice, *conc.* physice, *nego conseq.* &c. Itaque, *accidens physicum*, est quidquid non est de rei substantia; quo sensu unio hypostatica non potest dici accidentalis, quia, ut jam dictum est, Verbi subsistentia trahit humanitatem in communionem sui esse, sicut corpus assumitur ad esse animæ, quia esse vitale habet per animam: *accidens logicum*, est quidquid non est de essentia rei, nec ut genus, nec ut differentia, quo sensu unio hypostatica potest dici accidentalis, qualiter etiam unio animæ cum corpore potest dici accidentalis, quia nempe unio non est de ejus essentia.

*Inst.* 2. Quod non pertinet ad existentiam, aut naturam rei, est ejus accidens physicum: atqui humanitas non pertinet ad naturam aut existentiam Verbi; ergo.

Resp. *nego maj.* Quia, ut aliquid sit alicujus rei accidens physicum, non sufficit ut non pertineat ad ejus naturam aut existentiam; sed insuper requiritur, ut ab eo substantialiter non compleatur; atqui licet humanitas non pertineat ad naturam aut existentiam Verbi, tamen ab eo substantialiter completur; ergo.

Quæres 3. *Utrum unio hypostatica sit supernaturalis?*

Resp. Est & debet dici simpliciter supernaturalis.

*Prob.* Illud est simpliciter supernaturale, quod est naturæ indebitum, omnemque illius exigentiam superat; atqui ad esse personale cum Deo attolli, est naturæ creatæ prorsus indebitum, omnemque illius exigentiam longe superat; ergo unio hypostatica est supernaturalis.

*Objicies:* SS. Patres & Concilia docent, unionem hypostaticam esse naturalem: sic S. Cyrill. anathematismo 3. tradit Verbum esse connexum cum humanitate, *eo concursu, qui est secundum naturalem unionem*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Docent unionem Verbi cum humanitate esse *naturalem*, quatenus naturale opponitur ficto & umbratili, *conc.* quatenus naturale dicit, quod debitum est naturæ, & opponitur gratuito beneficio, *nego ant.* Sic D. Cyrillus a Theodoreto reprehensus, quod unam naturam in Christo admisisset, eo quod illos improbasset, qui negabant Verbum divinum conjunctum esse cum humanitate, reposuit, (*in defensione tertii anathematismi*) se per *naturalem unitionem*, veram & realem unionem, non fictam & umbratilem, intellexisse.

*Inst.* 1. Quod est supernaturale, factum est per gratiam; atqui unio hypostatica non est facta per gratiam; ergo.

Resp. *nego min.* Nam unio & est gratia gratuito humanitati collata, & est facta per gratiam, id est, per voluntatem Dei gratuitam, ait D. Thom. hic: „ Si gratia, *inquit*, accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem faciens, unio incarnationis facta est per gratiam “.

*Inst.* 2. Si unio hypostatica facta sit per gratiam, Christus est Deus per gratiam; atqui Christus non est Deus per gratiam, ut definitum est contra Nestorium; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Christus est Deus per gratiam substantialem unionis ad Verbum, *conc.* per gratiam adoptionis, *nego maj.* Itaque, Christus non est Deus per meram adoptionis gratiam, quum habeat divinitatem sibi assistentem, & in eo tanquam in templo inhabitantem, ut volebat Nestorius; sed est Deus per gratiam substantialem unionis duarum naturarum in unitate personæ Verbi, ex quo sequitur, quod sit verus & substantialiter Deus.

Quæres 4. *An unio hypostatica sit unionum maxima & præstantissima?*

Resp. *affirm.* Nam magnitudo & dignitas unionis hypostaticæ spectari potest vel ex parte extremorum, nempe naturæ divinæ & humanæ, quæ conjunguntur; vel ex parte Verbi, in quo conjunguntur; atqui ex utraque parte unio hypostatica est omnium maxima & præstantissima; ergo.

*Prob. prima pars min.* Eo major ac præstantior æstimari debet unio extremorum, quo extrema longius a se distant: atqui extrema unionis hypostaticæ, natura nimirum divina & humana, a se infinite distant; ergo.

*Prob. secunda pars.* Illa unio eo major ac præstantior æstimari debet, ex parte illius in quo extrema conjunguntur, quo illud est magis simplex; atqui in unione hypostatica Verbi persona, in qua extrema uniuntur, est simplicissima; ergo, &c. Hinc D. Bernard. *lib.* 5. *de consideratione cap.* 5. ait: „ Inter omnia quæ recte dicuntur unum, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personæ sunt una substantia; secundo loco illa præcellit, qua e converso, tres substantiæ (scilicet divinitas, anima & corpus) una in Christo persona sunt “. Quod verum est de illa unitate, seu unione, qua tria ista tendunt ad aliquod tertium, puta personam.

Quæres 5. *An unio hypostatica sit indissolubilis?*

Resp. *affirm.* est *de fide*. Expresse enim dicitur, Joann. 12. *Christus manet in æternum*; & Hebr. 13. Jesus *Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*: ergo, cum Christus sit æternus, unio hypostatica, per quam Christus efficitur, est æterna & indissolubilis; hinc Conc. Chalcedonense definit in Christo utramque naturam concurrisse in unitatem personæ *indivise & inseparabiliter*.

Quæres 6. *An in triduo mortis, Verbum manserit unitum cum corpore & anima separatis?*

Resp. *affirm.* Nam, ex nostræ fidei Symbolis, Christus sepultus est quoad corpus, descendit ad inferos quoad animam; atqui Christus nihil aliud est quam Divinitas conjuncta cum humanitate, aut tota simul, aut cum ejus partibus; ergo.

Hanc

Hanc veritatem nitide exponit D. Damascenus *lib. 3. de fide orthod. c. 27.* dicens. „Quamvis Christus, ut homo, mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, Divinitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima, nec a corpore, quomodo sejuncta est, neque propterea persona una in duas personas divisa fuit: siquidem & corpus & anima ab initio in Verbi persona existentiam habuerunt: ac licet in morte divulsa fuerint, utrumque tamen eorum Verbi personam, qua subsisteret, semper habuit". Ex quo textu profluit hoc effatum in scholis receptum: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

Quæres 7. *An Sanguis in passione effusus, toto triduo mortis, remanserit Verbo unitus?*

Resp. *Totus Sanguis, in resurrectione resumendus, Verbo unitus remansit toto triduo.* Est communis & certa.

*Prob.* Quia caro & anima ideo in triduo mortis Verbo remanserunt unitæ, quia erant pars humanæ naturæ resumenda: atqui sanguis est pars naturæ humanæ integrans, cum ex Galeno, Aristotele, & D. Thoma, corpus sine sanguine non sit integrum & perfectum; ergo totus sanguis reassumendus remansit Verbo unitus.

*Confirmatur.* Quia in triduo mortis si calix fuisset consecratus, Verbum per concomitantiam fuisset sub speciebus vini, juxta illud Joannis *6. Qui bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo;* ergo.

*Dices:* Si Sanguis Christi Verbo mansisset unitus in triduo mortis, inter ipsum & Verbum fuisset communicatio idiomatum; atqui falsum consequens; neque enim potuit dici, *Verbum est Sanguis;* ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quia communicatio idiomatum datur tantum inter Verbum & naturam humanam completam, non vero inter partes naturæ humanæ, sic non dicitur: *Verbum est anima, est corpus,* &c.

Quæres 8. *Utrum totus sanguis in passione effusus, reassumptus fuerit a Verbo in resurrectione?*

Resp. *Reassumptus fuit totus moraliter, seu quoad maximam partem; probabilius autem est, quod non reassumptus fuerit totus physice.*

*Prob. prima pars:* Quia in Corpore Christi temperantissimo nihil sanguinis superfluebat: ergo, cum pertineat ad integritatem corporis hnmani, totus, aut fere totus, resumptus est.

*Prob. secunda pars:* Quia in linteaminibus, lancea, corona spinea, &c. remanserunt maculæ sanguineæ, quæ certe non fuerunt purus color, cum colores non sint activi, nec aliter communicentur, quam per adhærescentiam substantiæ coloratæ; ergo.

*Confirmatur.* Quia plures Sanguinis Christi particulæ in variis Ecclesiis asservantur, qualem vidi Viennæ in Austria, in thesauro Reliquiarum Cæsareo apud PP. Capuccinos collocato, ad cujus authenticitatem extat Summi Pontificis Bulla aurea in eodem thesauro conservata; qualis etiam est illa quam *Longinus* secum detulit in *Italiam*, quamque, propter sævientem persecutionem, Mantuæ in terra occultavit, ubi delituit, donec Deus, per miracula, quæ ibi quotidie patrabantur, illam manifestavit tempore Caroli Magni Imperatoris, & Leonis III. S. P. a quibus, effossa terra, reperta est hac munita inscriptione, quæ cum tota historia reperitur in archivio Monasterii *Wingartensis* in Suevia: EGO LONGINUS, QUONDAM CENTURIO SUB PRÆSIDE PILATO, CREDENS IN JESUM, HUNC CRUOREM A LATERE CURRENTEM IPSIUS JESU, NOSTRORUM MILITUM MANIBUS CRUCIFIXI, RECEPI, ET HOC IN LOCO, PROPTER HOSTES FIDEI JESUMQUE BLASPHEMANTES, OCCULTAVI, DONEC DEUS VERIS SUIS CULTORIBUS DIGNETUR INDICARE. Quem sanguinem probatum, *Leo III.* reverenter collocavit Mantuæ in Ecclesia Sancti Andreæ Apostoli; cum autem denuo turbata fuerit Italia, & propterea ille sanguis in terra iterum fuerit occultatus ab *Josepho VII.* Episcopo Mantuano, repertus fuit a quodam *Adalberto*, qui, in hunc finem Deum deprecans, a cæcitate, qua laborabat, sanatus fuit in loco ubi delitescebat: quod cum fuerit delatum *S. P. Leoni IX.* illuc cum quinquaginta Cardinalibus, Episcopis & Archiepiscopis, cumque *Henrico III.* Imperatore & pluribus aliis Germaniæ & Italiæ Principibus, se contulit, pretiosum Sanguinem recognovit, ac in tres partes divisit, quarum unam reliquit Mantuæ, ubi adhuc hodie colitur in Ecclesia S. Andreæ; alteram secum Romam asportavit, quam in Basilica S. Joannis Lateranensis vidi cum ingenti satisfactione; tertiam concessit *Henrico III.* qui morti proximus eam *Balduino* Flandriæ Comiti dono dedit; *Juditha* hujus Comitis filia, sponsa *Tostici* Angliæ Regis, illam per legatum reliquit *Altoni* Scotorum Principi, qui tam venerandum thesaurum secum detulit in Monasterium *Wingartense*, cujus fuit primus Abbas; hunc sanguinem inclusum in ampulla ex crystallo, in medio Crucis aureæ margaritis & lapidibus pretiosis ornatæ, collocata, in manibus tenui, reverenter deosculatus sum, ac, attente considerans, eum perfecte rubeum, tota mente, toto corde, totis visceribus, admiratus sum.

Quæres 9. *Utrum Sanguis Christi, si aliqua ejus particula remanserit in terris, sit adhuc Verbo unitus?*

Resp. *negative.* Quia cum iste sanguis non fuerit assumptus propter se, sed propter totum, & jam neque actu, neque potentia remanet pars Corporis Christi, non est ratio cur unionem cum Verbo retineat.

*Nec obstat* hoc axioma: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit;* cum illud non intelligatur de quibuslibet minutis corporis partibus, sed de his tantummodo, quæ ad corporis integritatem requiruntur.

## QUÆSTIO IV.

*De consequentibus unionem hypostaticam.*

*Nota.* Cum unio hypostatica nihil aliud sit, quam unio substantialis Verbi cum humanitate; quæritur 1. Utrum ex illa unione sequatur Christum esse compositum. 2. Utrum sequatur idiomatum utriusque naturæ communicatio.

## ARTICULUS I.

*Utrum ex unione substantiali Verbi cum humanitate sequatur Christum esse compositum?*

*Nota*. Duplex distingui potest compositio, prima vocatur, compositio *ex his*: secunda, compositio *cum his*.

Compositio *ex his*, est ea, quæ fit ex partibus proprie dictis, quæ inter se mutuam dicunt habitudinem actus, & potentiæ ad aliquod totum efficiendum: hujusmodi est compositio hominis ex anima & corpore: vulgo vocatur compositio *per modum partium*.

Compositio *cum his*, est ea, quæ fit ex rebus realiter distinctis, quæ inter se nullam habent habitudinem actus & potentiæ, ad aliquod totum constituendum: vulgo dicitur compositio, *per modum numeri*; numerus enim multitudinem importat unitatum. His positis:

## CONCLUSIO.

*Christus non est compositus compositione* ex his, *sed est vere ac proprie compositus compositione* cum his.

*Prob. prima pars*: Quia omnis compositio, *ex his*, fit ex partibus proprie dictis; atqui natura divina in Christo non potest habere rationem partis proprie dictæ: quia omnis pars proprie dicta, est ens imperfectum & incompletum, dicens ordinem ad suam compartem, ut ab ipsa compleatur; ergo, &c. Hinc Divus Augustinus, *lib. 2. contra Maximinum*, c. 10. ait: *Porro autem Christus una persona est gemina substantia, quia & Deus & homo est, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest*.

*Nec obstat*, quod nonnulli e veteribus dixerint divinitatem & humanitatem esse *partes* Christi. Locuti sunt enim de partibus improprie dictis, quatenus nimirum duæ naturæ perfectæ & completæ conjunguntur in uno eodemque supposito.

*Prob. secunda pars*. 1. Ex Concil. Gener. V. collat. 8. Can. 4. ubi dicit anathema ei, *qui non confitetur unam ejus* (Christi) *subsistentiam compositam*. Et can. 7. dicit simpliciter Christum esse compositum *ex duabus naturis*. Quæ doctrina confirmata est in Concil. VI. *Act.* 21. ubi expresse habetur, personam Christi *ex duabus naturis esse compositam*: atqui non est composita compositione, *ex his*; ergo.

*Prob.* 2. Ex PP. D. Damasc. *lib.* 3. *de fide*, c. 7. ubi expresse dicit: *Persona Verbi, quæ prius erat simplex, facta est composita ex duabus naturis*.

D. August. Epist. 3. *Persona hominis*, inquit, *mixtura est animæ & corporis; persona autem Christi mixtura est Dei & hominis*.

*Prob.* 3. *ratione*. Quia composito, *cum his*, non est aliud, quam realis extremorum realiter distinctorum conjunctio ad constituendum unum per se; atqui in Christo talis est conjunctio; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ex D. Thom. (1. *p. q.* 3. *art.* 8. *in corp.*) *Neque est possibile Deum aliquo modo in compositionem alicujus venire*. Ergo, &c.

Resp. *dist. textum*: Non est possibile Deum in alicujus compositionem *ex his* venire, *conc.* in compositionem *cum his* venire, *nego*; sese explicat Divus Doctor addens, *Nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale*.

*Objicies* 2. Si Christus sit compositus, erit perfectior Verbo divino; falsum conseq. ergo.

*Prob. seq. maj.* Ex axiomate: *Compositum est perfectius suis partibus componentibus*. Atqui si Christus est compositus, partes componentes sunt Verbum divinum & humanitas; ergo si Christus est compositus, est perfectior Verbo divino.

Resp. *dist. maj.* Omne compositum ex partibus proprie dictis, *conc.* ex partibus improprie dictis, *nego maj.* Partes proprie dictæ habent rationem actus & potentiæ, proindeque important imperfectionem entis incompleti, perfectibilis, ac dependentis a sua comparte, & a toto, ut a causa finali; pars vero improprie dicta, est id omne quod intrinsece constituit quid unum, abstrahendo ab omni imperfectione actus aut potentiæ, partibus proprie dictis intrinseca.

*Inst.* 1. Omnis pars pendet a toto: atqui Verbum divinum non potest pendere a Christo; ergo.

Resp. *dist. maj.* Omnis pars proprie dicta, quæ scilicet est aliquid incompletum & perfectibile, *conc.* omnis pars improprie dicta, quæ est aliquid completum & nullo modo perfectibile, *nego major.* Porro ejusmodi est Verbum divinum.

*Inst.* 2. Omnis pars, etiam improprie dicta, est minor toto; atqui Verbum divinum non est minus Christo; ergo.

Resp. *dist. maj.* Omnis pars finita, *conc.* infinita, *nego maj.* Porro Verbum divinum est infinitum in omni genere, adeoque eminenter continet totam perfectionem alterius secum componentis, & sic compositum non est eo majus intensive, sed solum extensive, prout dici solet de aggregato ex mundo & Deo.

*Objicies* 3. Persona Verbi non est composita; atqui persona Christi, est persona Verbi; ergo.

Resp. *dist. min.* Persona Christi materialiter, est persona Verbi, *conc.* persona Christi formaliter sumpta, *nego min.* Ergo persona Christi non est composita, materialiter, *conc.* formaliter sumpta, *nego conseq.* Itaque persona Christi materialiter sumpta, importat præcise suppositum Verbi, & sic est quid simplex; sed persona Christi reduplicative & formaliter ut Christi, sub qua ratione est constitutum ex humanitate & divinitate, eadem Verbi subsistentia terminatis, est vere ac proprie composita.

*Instant.* Persona Christi ante unionem non erat composita; ergo nec est composita post unionem.

*Prob. conseq.* Eadem res non potest simul esse simplex & composita; atqui si persona Christi fuerit simplex ante unionem, & composita post unionem, eadem persona erit simul simplex & composita; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Eadem res, sub eadem ratione & acceptione, non potest simul esse simplex & composita, *conc.* sub diversa ratione & acceptione, *nego maj.* Porro persona Christi ante unionem consideratur secundum se, prout est persona Verbi

bi solius, post unionem vero consideratur prout terminat humanitatem, quam antea non terminabat, sub qua ratione distinguitur realiter inadæquate a se ipsa ante unionem considerata.

## ARTICULUS II.

*Utrum, ex unione substantiali Verbi cum humanitate, sequatur idiomatum communicatio?*

*Nota* 1. Idioma idem est, quod attributum & proprietas, unde stricte loquendo communicatio idiomatum, est communicatio proprietatum; tamen late & ex usu communi tribuitur adhuc communicationi naturarum; hinc duplex est communicatio idiomatum, nimirum secundum naturas, & secundum proprietates.

Communicatio idiomatum secundum naturas, est duarum naturarum de Christi persona ac de se invicem prædicatio, qua nimirum dicitur: *Homo est Deus; Deus est homo; Christus est Deus*, &c.

Communicatio idiomatum secundum proprietates, est mutua proprietatum utriusque naturæ de se invicem, ac de Christi persona, prædicatio. Sic recte dicitur: *mortalis est immortalis; immortalis est mortuus; Christus est mortalis*, &c.

*Nota* 2. Communicatio idiomatum fieri potest in concreto, vel in abstracto . . . . . *Fit in concreto*, quando fundatur in unitate personæ, in qua utraque natura, divina & humana, subsistit; ratio est, quia nomina concreta supponunt pro persona, ac pro ea accipiuntur, unde sensus hujus propositionis: *Deus est homo, hoc est, persona habens divinitatem, est persona habens humanitatem*. Nestorius, negans unionem hypostaticam Verbi cum humanitate, negat consequenter communicationem idiomatum in concreto, ut videre est in ejus ad Cyrillum Epistola.

Communicatio idiomatum *fit in abstracto*, quando fundatur in communicatione proprietatum Divinitatis propriarum facta humanitati; ita ut dici possit: *Humanitas Christi est ubique: est immensa: est omnipotens*, &c. Hanc admittunt aliqui Lutherani, qui propterea *Ubiquistæ* dicti sunt.

*Nota* 3. Duo hic veniunt exponenda: 1. Utrum in Christo detur vera & realis communicatio idiomatum & quomodo? 2. Quot & quænam sint regulæ observandæ, ut recte fiat idiomatum communicatio?

### §. I. *Utrum in Christo detur vera & realis communicatio idiomatum, & quomodo?*

## CONCLUSIO I.

*Datur in Christo vera & realis communicatio idiomatum in concreto*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, in qua plerumque humanitati tribuuntur in concreto ea quæ sunt Divinitatis propria, & vicissim Divinitati quæ solius humanitatis propria sunt: sic, *Joann.* 3. Christus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*: ubi Scriptura tribuit homini in Christo, descensum de cœlo, & existentiam in cœlo, dum Christus in terra degeret; atqui illa soli Deo sunt propria; ergo, &c.

Sic Scriptura tribuit Deo mortem, Act. 3. „ Auctorem vitæ interfecistis; & 1. *Joann.* 3. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit "; atqui mors solius humanitatis est propria; ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex Conciliis œcumenicis & fidei Symbolis, quæ prædicant „ Jesum Christum Filium Dei unigenitum, *esse* Deum verum de Deo vero, qui propter nos homines. . . . . . incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine . . . . passus mortuus, ac sepultus ". Atqui nativitas ex Virgine, passio, mors, & sepultura, quæ solius humanitatis sunt propria, prædicantur ibi de Deo in concreto; ergo &c.

*Prob.* 3. Ex omnibus PP. dicentibus cum D. Damasc. lib. 3. de fide, cap. 15. „ Unus est Christus, & una ipsius persona sive hypostasis, duas „ tamen naturas obtinet, Divinitatis & humanitatis. Porro cum ex Divinitate naturaliter gloria procedat, utrique communis est, propter hypostasis identitatem. Ex carne vero humilia „ proficiscuntur, & eadem ambobus communia; „ quippe unus est & idem, qui hoc & illud est, „ nempe Deus & homo, & ad eundem pertinent, „ tam quæ sunt Divinitatis, quam quæ humanitatis propria ".

*Prob.* 4. *ratione*: Quæ supponunt pro eodem in recto, vere ac proprie de se mutuo prædicari possunt in concreto: sic recte dicitur, *Socrates est homo*, quia idem est rectum prædicati & subjecti, nempe, suppositum, pro quo accipiuntur & supponunt; atqui nomina concreta tum naturarum, tum earundem proprietarum in Christo supponunt, seu accipiuntur, pro eodem in recto; ergo de se invicem possunt prædicari.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Si daretur communicatio idiomatum, hæc admittenda foret propositio, *Unus de Trinitate passus est*. Atqui tamen Felix III. S. P. eam damnavit in Petro Cnaphæo Episcopo Antiocheno; ergo.

Resp. *concessa maj. dist. min.* Eam damnavit in sensu Petri Cnaphæi, *conc.* eam damnavit in sensu obvio, *nego min.* Illa enim propositio in sensu obvio significat *unam personam de Trinitate passam esse*; quod verum & catholicum est, ut declarat Joannes II. *Epistola ad Avienum*. Verum hæretica est & damnata in sensu Petri Cnaphæi, & aliorum Eutychianorum, qui, cum docerent Divinitatem solam, humanitate penitus absorpta, remansisse in Christo, existimabant Divinitatem carni factam consubstantialem, vere passam esse, quod est hæreticum.

*Inst.* Monachi Scythiæ non erant Eutychiani; atqui tamen Hormisdas S. P. in Epistola ad Possessorem, eandem propositionem in illis damnavit; ergo, &c.

Resp. *transeat maj. dist. min.* Eam damnavit, propter illius novitatem, & illorum Monachorum superbam temeritatem, *conc.* in sensu obvio, *nego min.* Non itaque propter aliud Hormisdas illam propositionem tunc damnavit, quam quod esset

nova,

nova, & dissidiorum causa, ac quod esset nota temeritatis illorum Monachorum, qui asserebant illam loquendi formam definitione Concilii Chalcedonensis necessario adjiciendam esse, quasi, absque tali additione, manca illa & imperfecta foret; nec ullam aliam notam illis inurit Hormisdas in sua ad Possessorem Affricanum Episcopum Epistola.

*Dixi, transeat maj.* Quia nonnulli tenent, illos Monachos revera hæresi Eutychiana fuisse infectos.

*Objicies* 2. Tres personæ SS. Trinitatis conveniunt identice in eadem essentia, & tamen non prædicantur de se invicem, nec enim dici potest, *Pater est Filius*; ergo licet naturæ, divina & humana Christi, conveniant in eodem supposito, de se invicem in concreto prædicari non possunt.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod in hac proposit. *Pater est Filius*, sint duo supposita; e contra in hac, *Deus est homo*, unicum est suppositum, nempe persona Christi. Atqui prædicatio in concreto supponit pro supposito; ergo, si sint duo supposita, prædicatio, si sit affirmativa, est falsa: enuntiat enim identitatem suppositi, ubi sunt duo supposita.

*Inst.* Corpus & anima conveniunt in uno hominis supposito, nec tamen de se invicem prædicantur: falsa est enim hæc proposito, *corpus est anima*; ergo licet homo & Deus conveniant in eodem supposito, non possunt de se invicem prædicari in concreto.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod ista vocabula, *corpus*, *anima*, non sunt nomina suppositi, cum sint partes proprie, quæ non existunt per se, sed in alio, nempe in toto, adeoque non significant per modum habentis, seu constituti, sed tantum per modum constituentis, & consequenter velut in abstracto; e contra hæc vocabula, *Deus & homo*, sunt nomina suppositi, cum non sint partes proprie, sed substantiæ completæ in una Verbi persona conjunctæ, ideoque significant per modum habentis; hæc enim propos. *Deus est homo*, reddit hunc sensum, *habens divinitatem*, *est habens humanitatem*, quod verum est propter unionem utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in uno Verbi divini supposito, ex qua sequitur mutua & reciproca idiomatum communicatio.

## CONCLUSIO II.

*Non datur in Christo communicatio idiomatum in abstracto*. Est de fide contra Eutychianos & Ubiquistas.

*Prob.* 1. *generatim*: Quæ realiter a se invicem distinguuntur, non possunt de se invicem prædicari, nisi in aliquo communi subjecto, seu supposito, uniantur, nam enuntiatio nihil aliud est, quam affirmatio aut negatio identitatis unius de alio; atqui duæ naturæ in Christo, & earum proprietates realiter distinguuntur, nec in ullo communi subjecto uniuntur, quando considerantur in abstracto; ergo naturæ humana & divina, in Christo, & earum proprietates, in abstracto sumptæ, de se invicem prædicari non possunt.

*Prob.* 2. *peculiariter contra Ubiquistas*: Ut communicatio idiomatum fieri posset in abstracto, necesse esset, ut attributa unius naturæ communicarentur attributis alterius naturæ; atqui attributa unius naturæ in Christo, non communicantur attributis alterius naturæ; ergo, &c. . . . *Prob. min.* Idem fit judicium de aliis attributis divinitati propriis, ac de immensitate; atqui immensitas divina non communicatur humanitati; ergo.

*Prob. min.* Humanitas Christi non est ubique; ergo immensitas ei non est intrinsece communicata.

*Prob. ant.* Joann. 11. Christus de se ipso loquens, ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi*. De quo etiam Matth. ult. dicitur: *Non est hic, surrexit enim*; ergo, &c. Unde S. Maximus in disputatione cum Pyrrho, ait: „ In sanctis Evangeliis scriptum est: postridie voluit ire Jesus in Galilæam, ire nimirum voluit, quatenus ibi non erat, non erat autem humanitate, divininate autem ubique est. *Et D. August.* epist. 187. ad Dardanum, *de Christo dicit*: Cui immortalitatem dedit, naturam (*humanam*) non abstulit; secundum hanc formam (*carnis*) non est putandus ubique diffusus; cavendum enim est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus: " nihil certe dilucidius.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies cum Ubiquistis*, 1. Scriptura humanitati Christi sæpe tribuit immensitatem, Christus enim de seipso, ut homo est, dicebat, Matth. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et, cap. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Ergo Christi humanitas est ubique.

Resp. *nego ant. & conseq.* Neque enim ex illis textibus evincitur præsentia localis, sed assistentia per auctoritatem, ut in primo textu, vel assistentia per auxilium gratiæ, ut in secundo.

*Inst.* 1. Christus, Matth. 22. *Sedet ad dexteram Dei*: atqui dextera Dei ubique est; ergo Christi humanitas ubique est.

Resp. *dist. maj.* Christus *sedet ad dexteram Dei*, ratione suppositi, *conc.* ratione humanitatis, *nego maj.* Nam dextera hic metaphorice sumi debet pro honoris & dignitatis æqualitate cum Patre: atqui ratione suppositi est æqualis Patri, & idem Deus cum illo; ergo, &c. Hinc Christus, Matth. 22. hunc textum Psalmistæ, *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, adhibet ut suam Judæis divinitatem probet.

*Inst.* 2. Ephes. 4. Christus, ut homo, *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. Ergo est ubique.

Resp. *nego conseq.* Neque enim ille textus de locorum impletione intelligendus est, sed, vel de oraculorum omnium completa adimpletione, vel de impletione bonorum spiritualium, quomodo *omnes repleti sunt de Spiritu Sancto*.

*Objicies* 2. Quando duo sunt inseparabiliter unita, ubicumque unum illorum est, ibi debet esse & alterum: atqui Verbum & humanitas inseparabiliter uniuntur, & Verbum est ubique; ergo humanitas Christi est ubique.

Resp.

Resp. *dist. maj.* Quando duo sunt inseparabiliter unita, tunc ubi reperitur unum, reperitur etiam & aliud, si hæc duo uniantur adæquate & totaliter, *conc.* inadæquate, *nego maj.* sic quia manus, quæ est inseparabiliter unita animæ, non adæquat totam animæ extensionem; ubi est manus, est quidem anima, sed non ubicumque est anima, ibi est etiam manus; ita est de humanitate Christi, quæ cum non adæquet immensitatem Verbi, ideo ubi illa reperitur, etiam reperitur Verbum; sed non ubicumque est Verbum, est etiam humanitas.

*Inst.* 1. Si humanitas Christi non sit ubicumque est Verbum, sequitur, Verbum alicubi esse hominem, & alicubi non esse hominem; absurdum conseq. ergo, &c.

Resp. *nego sequel. maj.* Ex eo enim quod humanitas Christi non sit ubicumque est Verbum, sequitur quidem, quod Verbum alicubi est, ubi non est humanitas Christi; sed non sequitur quod alicubi non sit homo, sed unitus intrinsece humanitati, quam semel assumptam, numquam dimisit.

*Inst.* 2. Verbum divinum est ubique; sed Christus homo est Verbum divinum; ergo Christus homo est ubique.

Resp. 1. *nego conseq.* Hic enim syllogismus est mera fallacia, *A dicto simpliciter ad dictum secundum quid*; in majori, Verbum divinum sumitur simpliciter & in se, quatenus supponit pro sola natura divina; in minori vero sumitur secundum quid, nimirum quatenus est unitum humanitati; porro a dicto simpliciter, ad dictum secundum quid, non valet argumentatio, in qua sunt quatuor termini.

Resp. *dist. min.* Christus homo, est Verbum divinum incarnatum, *conc.* non incarnatum, *nego min.* Porro Verbum incarnatum, duplici constat natura, divina nempe & humana; secundum divinam est ubique, non secundum humanam.

*Inst.* 3. Hæc propositio est vera: „ Christus, „ *seu*, hic homo, qui est Christus, est ubique, „ *ergo & ista*: Christus, ut homo, est ubique “.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod in prima propositione *homo*, supponit pro supposito, quod est immensum & ubique; in secunda vero, *homo*, propter particulam reduplicativam, *quatenus*, supponit pro sola humanitate, quæ, cum sit finita, non potest esse ubique.

### §. II. *Quot, & quænam sint Regulæ observandæ, ut recte fiat idiomatum communicatio.*

### CONCLUSIO.

*Sex observandæ sunt regulæ in communicatione idiomatum.*

*Prima regula.* Quando duæ naturæ completæ existunt in eodem supposito, ipsæ naturæ, & proprietates naturarum, possunt vere ac proprie de se mutuo prædicari in concreto: modo illa concreta non inferant suppositum creatum, nec reduplicentur, nec faveant errori vel hæresi; sic dicitur, *Deus est homo: homo est Deus: Deus est mortalis: homo est immortalis.* Ratio est, quia concreta significant subjectum in recto, subjectum autem in recto est persona, in quam duæ naturæ conveniunt.

Dixi 1. *Modo illa nomina concreta non inferant suppositum creatum*, quia faveret hæresi Nestorii, duas admittentis in Christo personas; sic falsa est hæc propositio: *Homo factus est Deus*, quia videtur supponere hominem fuisse creatum antequam a Verbo divino assumeretur; ista autem est vera, *Deus factus est homo.*

*Nec dicas.* Hæc propositio, *Homo factus est Deus*, est convertens hujus, *Deus factus est homo.* Ergo utraque vera est.

Resp. *nego ant.* Nam prædicatum hujus propositionis convertendæ, *Deus factus est homo*, non est *to homo*, sed, *qui factus est homo.* Unde sic debet converti: *Qui factus est homo, est Deus*; quod verum est.

Dixi 2. *Modo concreta non reduplicentur*: quia particula reduplicativa ipsam naturam afficit, non personam: sic falsa est hæc proposit. *Christus quatenus Deus, est homo*; nam sensus est, *Christus, ratione naturæ divinæ, est homo*, quod est falsum.

Dixi 3. *Modo non faveant errori aut hæresi*; hinc ista propos. *Christus est creatura*, non est simpliciter enuntianda, quia errori Arianorum favet, qui, ex eo quod Christus diceretur creatura, docebant eum absolute minorem esse Patre: idem sit judicium de hac propos. *Christus incepit esse*, quæ ideo non debet simpliciter enuntiari, sed cum hac restrictione, *Secundum humanitatem.*

*Secunda regula.* Concreta, quæ conveniunt soli humanæ naturæ abstracto expressæ, non autem supposito ratione ipsius suppositi, non possunt prædicari de supposito, nec de natura divina, etiam in concreto. *Ratio est*, quia non supponunt pro supposito: sic non potest dici: *Christus est pura creatura, Deus est assumptus.*

*Tertia regula.* Concreta unius naturæ, aut ejus attributorum, non possunt prædicari de abstractis alterius naturæ, aut illius attributorum, saltem formaliter & proprie. *Ratio est*, quia habent alium significandi modum: nempe abstracta per modum formæ habitæ & constituentis, concreta vero per modum habentis & constituti; sic hæc propos. *Divinitas est homo*, est falsa in sensu formali, licet in sensu identico sit vera, quia hæc vox, *Homo*, importat suppositum in recto, quod identificatur divinitati.

*Quarta regula.* Concreta adjectiva, quæ substantiam designant, non possunt stricte prædicari de Christo; sicut de iis quæ significant proprietates naturæ divinæ aut humanæ; sic non potest dici, *Christus est homo deificatus, dominicus, deifer*, &c. potest vero dici, *Christus est æternus & temporalis.*

*Ratio primi* est, quia ejusmodi concreta adjectiva innuere videntur formam accidentaliter tantum & moraliter supposito esse unitam, qui sensus est Nestorianus. Hinc quando Patres has voces usurpant, improprie loquuntur, adjectivum nempe sumendo pro substantivo.

*Ratio secundi* est, quia ejusmodi concreta adjectiva denominative, significant suppositum in recto, quod est subjectum illorum attributorum.

*Quinta regula.* Abstracta naturarum & earum proprietatum, non possunt de se mutuo prædicari. *Ratio est*, quia naturæ ipsæ, sicut & earum pro-

proprietates, sunt distinctæ realiter, unde non supponunt pro eodem in recto. Sic dici non potest: *Humanitas est divinitas: divinitas est humanitas: divinitas est passibilis: humanitas est impassibilis*, &c.

*Sexta regula*. Abstracta naturæ divinæ, de persona Christi identice prædicari possunt, non autem abstracta naturæ humanæ. *Ratio est*, quia persona Verbi, est quid idem identice & realiter cum natura divina, non vero cum natura humana. Sic dici potest, *Persona Verbi est divinitas: est omnipotentia*, &c. sed non potest dici, *Persona Verbi est humanitas: est mortalitas*, &c.

## DISSERTATIO VII.

*De termino totali Incarnationis, seu de Christo*.

*Nota*. Hanc dissertationem in octo distribuemus Capita. *In* 1. agemus de scientia Christi. *In* 2. de ejus gratia, donis, ac virtutibus. *In* 3. de libertate. *In* 4. de ejus merito. *In* 5. de ejus satisfactione. *In* 6. de variis ejus titulis ac officiis. *In* 7. de illius adoratione, reliquiarum & imaginum cultu. *In* 8. tandem de Beata Virgine Matre Christi. Sic itaque:

### CAPUT I.

*De Scientia Christi*.

*Nota*. De Scientia Christi, quatenus Deus est, egimus, *Tom. II. pag.* 172. Hic ergo unice quæstio movetur de scientia creata, quæ triplex est, nempe *Beatifica*, quæ in clara Dei visione posita est. *Infusa*, tum *per se*, quæ omnem naturæ exigentiam ita superat, ut sola divina infusione haberi possit; tum *per accidens*, quæ licet propriis naturæ viribus comparari possit, a Deo tamen liberaliter infunditur absque ullo humanitatis actu... *Acquisita*, quæ propriis naturæ viribus, successu temporis, comparatur. His positis:

#### CONCLUSIO I.

*Christus aliquam habuit scientiam creatam*. Est de fide.

*Prob*. 1. ex VI. Synodo, quæ, *Act*. 4. & 8. approbavit Epistolam Agathonis Papæ, in qua dicitur: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent: duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates habere confitemur: divinam, omnia quæ divina: humanam, omnia quæ humana sunt, absque peccato*. Ergo si omnia in Christo sint duplicia, Christus habet duos intellectus, & duas operationes, nimirum intellectus divini & humani.

*Prob*. 2. *ratione D. Thomæ:* Christus habuit animam rationalem; ergo & scientiam ipsi respondentem. *Prob. conseq*. Anima rationalis in Christo non fuit sine sua propria operatione, alias fuisset imperfecta, utpote frustrata fine propter quem est; atqui propria animæ rationalis operatio est cognitio & scientia; ergo Christus habuit cognitionem & scientiam creatam.

*Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Christus omnia cognoscebat per scientiam divinam; ergo inutilis erat cognitio creata. Resp. *nego conseq*.

*Prob. conseq*. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; ergo si Christus omnia cognoverit per scientiam divinam, scientia creata fuit inutilis.

Resp. *dist. antec*. Frustra fit per plura &c. quando fit per eandem facultatem, *conc*. quando fit per diversas facultates, *nego ant*. Christus autem ratione diversarum facultatum, diversas habebat cognitiones, increatam nempe & creatam, nec frustra per unam facultatem fiebat, quod per alteram facultatem intellectivam non poterat præstari.

*Inst*. Majus lumen offuscat minus; atqui scientia divina est majus lumen, scientia creata est minus; ergo, &c.

Resp. *dist. maj*. Majus lumen offuscat minus, si sint ejusdem ordinis, *conc*. si sint diversi, *nego maj*. Porro scientia divina est in ordine illuminantis, scientia creata in ordine illuminari; ergo sicut aer a sole, sic creata scientia a divina non offuscatur, sed clarescit.

*Objicies* 2. Christus idcirco non habuit subsistentiam creatam, quia per increatam sufficienter subsistebat: atqui sufficienter etiam omnia cognoscebat per scientiam increatam; ergo.

Resp. 1. *retorq*. Sic; atqui Christus sufficienter etiam omnia volebat per volitionem increatam; ergo unica volitio fuit in Christo, quod est hæreticum.

Resp. 2. *nego maj. & paritatem*. Disparitas est: 1. Quia subsistentia Verbi se habebat per modum puri termini, dependentiam humanitatis hypostatice terminantis; atqui dependentia humanitatis potest a propria vel aliena subsistentia terminari; scientia vero se habebat per modum cujusdam formæ informantis de ratione facultatis intellectivæ, quæ nullo modo potest suppleri, nemo enim intelligit per intellectionem alterius. 2. Quia subsistentiæ multiplicatio supposita realiter multiplicaret, quod repugnat Christo: multiplicatio vero operationum non multiplicat supposita, sed notat tantum multiplicationem facultatum.

#### CONCLUSIO II.

*Christus, ut homo, a primo instanti conceptionis habuit scientiam beatificam perfectam, non tamen comprehensivam*. Est de fide quoad tertiam partem, & ita certa quoad primam & secundam, ut contraria sit saltem *Temeraria*, immo secundum aliquos est *Erronea*, utpote communi fidelium sensui repugnans.

*Prob. prima pars*. 1. Ex Scriptura, Joann. 6. *Omnis qui audivit a Patre, venit ad me, non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem*. Ibi Christus de se ipso loquitur ut homine: atqui testatur se vidisse Patrem, visione atque intuitiva, cum hanc visionem opponat abstractivæ visioni aliorum viatorum: ergo, &c. item, Joann. 8. Christus dicit: *Si dixero quoniam* ne-

*nescio eum* (Patrem) *ero similis vobis mendax, sed scio eum, & sermonem ejus servo*. Christus eo loci loquitur de se ipso ut homo est, ut probant hæc verba: *Sermonem ejus servo;* atqui asserit se scire Patrem; scire autem, est rem clare & absque ænigmate cognoscere; qui enim clare & intuitive non videt, credit, non novit, nec scit: ergo, &c.

*Prob. 2. ex PP.* Eusebius Cæsariensis, *lib. 3. Evangelicarum demonstr. cap. ult.* introducit Christum sic Deum alloquentem: *Cum adhuc intra cellam gestantis me in utero laterem, Deum meum videbam*. Et Divus Fulgentius resp. ad quæst. 3. Ferdinandi Diaconi, dicit: *Sicut Christus singulariter habet, ut sit Deus verus, sic totam divinitatem suam singulariter novit, & plenam habet notitiam divinitatis suæ, scilicet secundum animam*. Unde Card. de Lautea d. 14. quæst. 2. ait: *Nusquam in scholis, vel aliqua particulari Ecclesia, privilegium hoc fuit negatum animæ Christi.*

Suffragatur ratio, quia natura humana per Incarnationem sublimata est ad esse divinum; ergo pariter elevari debuit ad perfectissimam operationem; atqui perfectissima operatio est visio beatifica ergo, &c.

*Prob. secunda pars:* Quia visio beatifica debebatur animæ Christi vi suæ unionis hypostaticæ cum Verbo, ut innuitur Jo. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis;* atqui a primo instanti conceptionis anima Christi fuit unita Verbo, ergo a primo instanti conceptionis habuit visionem beatificam.

*Prob. tertia pars:* Tum ex dictis, *Tomo II.* ubi probavimus divinam essentiam esse incomprehensibilem omni creata cognitione; tum ex Concil. Basileensi *sess.* 22. ubi damnata est hæc propos. Augustini de Roma: *Anima Christi videt Deum tam clare & intense, quam clare & intense videt seipsam.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem:* De Christo dicitur, Joann. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Ergo Scriptura supponit Christum non fuisse glorificatum ante passionem; unde Christus instante morte, sic orabat: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum*, &c.

Resp. *dist. conseq.* Scriptura supponit Christum ante passionem non fuisse glorificatum, quoad corpus, vel quoad Ascensionem in cœlum & exaltationem nominis sui, *conc.* quoad animam, *nego conseq.* Primus enim locus intelligitur de glorificatione Christi in ipsa die Ascensionis, quando, *videntibus* Apostolis, *elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Actor. 1. Secundus locus intelligitur de gloria corporis & nominis exaltatione, de qua Apostolus, Philipp. 2. ait: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.*

*Inst.* 1. Christus in terris erat viator; ergo non potitus est visione beatifica.

Resp. *dist. ant.* Christus erat viator simul & comprehensor, *conc.* erat viator tantum, *nego ant.* Christus enim respectu visionis beatificæ comprehensor, viator erat respectu impassibilitatis & immortalitatis sui corporis, quam mereri debuit; nam Lucæ 24. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, id est, sui corporis.

*Inst.* 2. Visio beatifica cum maximo dolore, maximaque tristitia, non potest compati: atqui Christus maximos dolores, maximamque expertus est tristitiam, ut ipse declarat, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Visio beatifica non potest compati cum maxima tristitia, naturaliter, *conc.* supernaturaliter, seu per miraculum, *subdist.* circa idem objectum & ex eodem motivo, *conc.* circa objectum & motivum diversum, *nego maj.* Porro Christus per miraculum cohibuit vim delectationis quam sua anima percipiebat ex Dei fruitione, ut ipsa posset tristitiæ affectionem percipere, tum ex ejus morte, tamquam malum naturæ; tum ex peccato discipulorum, eum abnegantium, & Judæorum eum occidentium, tamquam malum morale ipsi summe displicens.

*Objicies contra secundam partem:* Christus sibi meruit scientiam beatificam; ergo illam a primo instanti suæ conceptionis non habuit.

Resp. *nego ant.* Neque enim visio beatifica Christo fuit concessa titulo mercedis, sed jure filiationis naturalis: porro non prius fuit homo, quam Filius Dei naturalis; ergo.

*Prob. ant.* Christo tribui debet id quod perfectius est; atqui perfectius est aliquid habere ex merito, quam sine merito; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Perfectius est aliquid habere ex merito, quando illius rei assecutio non derogat dignitati naturali, *conc.* quando dignitati naturali derogat, *nego min.* Itaque cum visio beatifica, ratione unionis hypostaticæ & filiationis naturalis quasi nativo jure, Christo debeatur, fuisset quoddam illius dignitati præjudicium, si illam per studium & laborem debuisset promereri.

Quæres. *Quænam Christus scientia beatifica cognovit in essentia divina?*

Resp. Cognovit actualiter omnia præsentia, præterita, & futura, etiam secreta cordium; non tamen cognovit omnia possibilia actualiter.

*Ratio primæ partis* est, quia istarum omnium cognitio pertinet ad statum Christi, cum ut homo sit Judex omnium constitutus, caput Angelorum & hominum, & Dominus omnium; atqui ex D. Thoma hic, quilibet beatus videt in essentia divina omnia quæ ad ipsum spectant: ergo, &c. Unde, *Matth.* 9. de Christo dicitur: *Cum vidisset cogitationes eorum;* Et Joann. 2. *Ipse enim* (Christus) *sciebat quid esset in homine.*

*Ratio secundæ partis*, est quia omnia possibilia simul actu cognosci non possunt, quin comprehendatur Dei omnipotentia; atqui nullus intellectus creatus potest comprehendere Dei omnipotentiam; ergo, &c.

CONCLUSIO III.

*Christus, ut homo, a primo instanti suæ conceptionis, præter scientiam beatificam, habuit scientiam tum per se, tum per accidens, infusam.*

*Prob.* 1. Christus, a primo conceptionis instanti, fuit vir perfectus; juxta illud Jerem. 31. *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum*. Atqui non fuisset vir perfectus, si, more cæterorum hominum, ad plenam rerum omnium

omnium scientiam debuisset paulatim, & quasi per ætatis gradus, pervenire; ergo &c. Unde Apostolus Coloss. 2. de Christo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

*Prob.* 2. Omnis perfectio, quæ non habet oppositionem, vel cum visione beatifica, vel cum statu redemptoris, Christo est tribuenda, utpote ipsi, ratione unionis hypostaticæ, debita; atqui scientia, sive per se, sive per accidens, infusa, est perfectio, quæ nec habet oppositionem cum statu redemptoris, cum ejus carentia nihil conferre potuerit ad finem redemptionis; nec cum visione beatifica, cum res diversimode cognosci possint, nimirum in essentia divina per scientiam beatificam, & in se ipsis per scientiam infusam; ergo Christus, ut homo, habuit scientiam infusam, & quidem a primo instanti conceptionis, cum ipsi debita fuerit ratione unionis, nec ulla fuerit ratio ejus concessionem differendi.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scientia infusa inutilis est ei, qui scientia gaudet beatifica; atqui Christus scientia beatifica gaudebat; ergo ei inutilis fuit scientia infusa.

Resp. *nego maj.* Nihil enim inutile est in beatis, atqui tamen reipsa in beatis, præter scientiam beatificam, qua res videntur in essentia divina, & quæ ideo dicitur *cognitio matutina*, datur etiam scientia infusa, qua eædem res videntur in se ipsis per species intelligibiles divinitus inditas, quæ ideo vocatur *cognitio vespertina*; ergo.

*Prob. maj.* Per scientiam beatificam cognoscuntur omnia, quæ cognosci possunt per infusam; ergo hæc inutilis est.

Resp. *dist. ant.* Cognoscuntur, diverso modo, *conc.* eodem modo, *nego ant.* Nam per scientiam beatificam res cognoscitur in essentia divina; per scientiam infusam cognoscitur in se, seu in propria specie; hic autem modus cognoscendi, Christum decebat, sicut & decuit, ut videret oculis corporeis, quod mente per scientiam beatificam videbat.

*Inst.* 1. Scientia infusa est incompatibilis cum beatifica; ergo non possunt esse simul in eodem intellectu.

*Prob. ant.* Scientia perfecta & scientia imperfecta non possunt simul stare in eodem intellectu de eadem re; atqui scientia beatifica est perfecta; scientia vero infusa est imperfecta; ergo.

Resp. *nego min.* Utraque enim scientia est perfecta, in suo genere & ordine, licet comparative beatifica sit perfectior, hæc enim pertinet ad statum & ordinem gloriæ; illa ad statum & ordinem gratiæ.

*Inst.* 2. Ideo fides non remanet in beatis, quia cognitio per fidem est imperfecta comparative ad cognitionem intuitivam; atqui similiter cognitio infusa, est imperfecta comparative ad cognitionem intuitivam; ergo.

Resp. *nego maj.* Vera enim ratio, cur fides non remaneat cum scientia beata, est, quia fidei & scientiæ beatæ idem est immediatum objectum, scilicet Deus; & sic cum videatur clare & distincte per scientiam beatam, supervacaneum est, ut videatur obscure & abstractive per fidem; at vero non est idem objectum scientiæ infusæ & scientiæ beatæ: hæc Deum habet pro objecto immediato, illa habet pro immediato objecto res a Deo distinctas, illasque videndas in propria specie.

*Objicies* 2. Scientia Christi beatifica, utpote perfectissima, absorbebat potentiam ejus intellectivam; ergo locum non relinquebat scientiæ infusæ.

Resp. *dist. ant.* Absorbebat potentiam intellectivam, secundum suum cognoscendi modum, *conc.* secundum omnem cognoscendi modum, *nego ant.* Itaque medium cognitionis scientiæ beatificæ est ipsa divina essentia, quatenus repræsentativa rerum, quas eminenter continet; medium vero scientiæ infusæ, sunt species intelligibiles divinitus inditæ, quæ res cognoscendas repræsentant, non secus ac si illæ species essent proprio labore comparatæ; porro operatio respondens uni cognitionis medio, non officit operationibus alteri cognitionis medio respondentibus.

## CONCLUSIO IV.

*Christus ut homo, præter scientiam beatificam & infusam, habuit etiam scientiam acquisitam.* Est D. Thomæ hic, & communis inter Theologos.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Lucæ* 2. de Christo dicitur, *Proficiebat ætate & sapientia.* Atqui non proficiebat sapientia infusa, ea enim in ipso fuit a primo conceptionis puncto; ergo proficiebat sapientia acquisita.

Hebr. 5. dicitur: *Cum esset Filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam.* Qui locus intelligitur de scientia experimentali acquisita, qua proprio experimento didicit, quam arduum esset exequi quæ Deus ab eo postulabat; licet enim hanc arduitatem jam antea noverit per scientiam infusam, nondum tamen cognoscebat experientia propria, qua certe non excluditur scientia infusa.

*Prob.* 2. *ratione:* Scientia acquisita, ea est, qua quis per varias mentis vel sensuum externorum operationes, aliquid successive intelligit, vel in se experitur; atqui Christus usus est sua ratione, ex primis principiis conclusiones inferendo, ac suis sensibus, famem, sitim, aliasque corporis infirmitates patiendo; ergo habuit scientiam acquisitam.

*Objicies:* Divus Damascenus, *lib. de fide c.* 12. & alii Patres negant Christum in scientia profecisse; ergo in eo non fuit scientia acquisita.

Resp. *dist. ant.* Negant Christum in scientia profecisse, hoc sensu, quod nihil didicerit, quod antea penitus ignoraverit, *conc.* hoc sensu, quod non ceperit rem aliquam certo scientiæ modo cognoscere, quo eam ante non noverat, *nego ant.* Porro ad perfectionem intellectus Christi spectat, non solum omnia objecta cognoscere, sed etiam secundum omnem modum quo cognoscibilia sunt; unde cum aliter res, maxime sensibiles, cognosci possint per phantasmata ab ipsis abstracta, quam per species a Deo infusas, idcirco hic cognoscendi modus in Christo est asserendus, utpote cum sit maxime connaturalis animæ Christi, quatenus conjunctæ humano corpori.

*Inst.* Scientiæ naturales debebantur Christo ratione unionis hypostaticæ; ergo non potuit illas acquirere.

Resp.

Resp. *dist. ant.* Debebantur, quoad aliquem modum habendi, nempe per species a Deo infusas, *conc.* quoad omnem modum habendi, *nego ant.* Itaque Christus ratione unionis debuit habere omnem scientiam modo supernaturali per infusionem ab initio suæ conceptionis, verum hic modus habendæ rerum cognitionis, non excludit acquisitionem cognitionis earundem rerum modo connaturali, nempe per discursum & propriam experientiam.

## CAPUT II.

### *De gratia, donis, ac virtutibus Christi.*

*Nota* 1. Quadruplex in Christo gratiarum genus communiter a Theologis distinguitur, nimirum:

*Gratia unionis ad Verbum*, per quam humanitas Christi substantialiter sanctificata, ac Deo acceptissima fuit.

*Gratia habitualis*, quæ est sanctitas adventitia, perficiens animam in ordine ad operationes supernaturales eliciendas.

*Gratia actualis*, quæ est influxus Dei ad actionem supernaturalem concurrentis.

*Gratiæ gratis datæ*, quæ sunt dona supernaturalia ad utilitatem aliorum gratuito concessa.

*Nota* 2. Virtutes, aliæ sunt Theologicæ, aliæ Morales, ad quas revocantur dona Spiritus Sancti. Hic ergo resolvendum est, utrum Christus his omnibus gratiis & virtutibus fuerit ornatus. Ideo sit

### CONCLUSIO I.

*Fuit in Christo gratia unionis, per quam humanitas Christi sanctificata est sanctitate substantiali.* Ita D. Th. hic, & alii communiter contra Durandum.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Joann. 10. „ Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum. " Ibi Christus intendit probare se esse Filium Dei naturalem, quia sua missione in mundum, id est, unione humanitatis ad Verbum, fuit sanctificatus: atqui sanctificatio, quæ per unionem hypostaticam communicatur, est substantialis; ergo Christus fuit sanctificatus sanctitate substantiali unionis.

*Prob.* 2. *ex Patribus*: Greg. Nazianz. orat. 2. de Paschate ait. „ Perfectus enim fuit (*Christus*) non modo propter divinitatem, qua nihil est perfectius, sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam, idemque effectum quod id, quo peruncta est. " D. Damasc. l. 3. orthodoxæ fidei, c. 3. dicit: " Ipse enim (*Christus*) seipsum unxit: corpus videlicet divinitate sua ungens ut Deus; unctus autem ut homo, quandoquidem ipse & hoc & illud est: unctio porro humanitatis est divinitas. „ Ex quibus sic argumentor: qui ipsa divinitate ungitur, gratia substantiali sanctificatur; atqui Christus, juxta Patres, divinitate ungitur; ergo.

*Prob.* 3. *ratione*: Sanctificari substantialiter, est habere esse divinum sibi substantialiter unitum; atqui Christi humanitas, per unionem hypostaticam, habet esse divinum sibi substantialiter unitum: nam Verbum divinum seipsum formaliter ac substantialiter communicavit humanitati suæ, hoc ipso, quod ei personaliter unitum est; ergo humanitas Christi, per gratiam unionis hypostaticæ, substantialiter fuit sanctificata.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Gratia habitualis est unica causa justificationis & sanctitatis; ergo humanitas Christi non sanctificatur nisi per illam.

Resp. *dist. ant.* Gratia habitualis est unica causa sanctitatis accidentalis, quæ solum terminatur ad filiationem adoptivam, *conc.* sanctitatis substantialis, quæ terminatur ad filiationem naturalem, *nego ant.* Itaque sicut Deus est in se formaliter sanctus per sanctitatem sibi identificatam, sic humanitas Christi est formaliter sanctificata per substantialem Verbi sanctitatem, non quidem sibi identificatam, sed sibi realiter hypostatice unitam.

*Inst.* 1. Verbum non communicat humanitati suam immensitatem, æternitatem, &c. Ergo nec suam sanctitatem.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod humanitas sit capax recipiendæ sanctitatis substantialis, quæ nihil aliud est, quam sui unio hypostatica cum Verbo; e contra immensitatis & æternitatis recipiendæ est incapax: cum enim humanitas illa sit finita & limitata, tum in entitate, tum in duratione, habet ex natura sua repugnantiam ut sit infinita, immensa, & æterna.

*Inst.* 2. Humanitas Christi est tam capax divinæ scientiæ & potentiæ, quam sanctitatis; atqui ex sui cum Verbo unione, non recipit omnipotentiam & omniscientiam; ergo nec sanctitatem substantialem.

Resp. *nego maj.* Disparitas est, quod sanctitas se habeat per modum rei cujusdam moralis, subjectum moraliter afficientis, ob quam illud subjectum dignum censeatur, quod diligatur a Deo, quod sit expers peccati, & jus habeat ad æternam beatitudinem, quæ omnia non præsupponunt aliquam formam intrinsece existentem; at vero omnipotentia & scientia se habent per modum rei physicæ subjectum physice afficientis, quod præsupponit formam intrinsece inexistentem, sive per identitatem, sive per informationem; & ideo humanitas in Christo potest participare sanctitatem Verbi in se moraliter derivatam, non potest autem participare scientiam aut omnipotentiam, quæ ipsi nec possunt identificari, nec inhærere.

*Inst.* 3. Ergo saltem sanctitas, quæ ex unione hypostatica derivatur in humanitatem, non est intrinseca, ergo non est intrinsece sancta sanctitate substantiali.

Resp. *dist. ant.* Non est intrinseca, physice, id est, sanctitate vel sibi identificata, vel a qua informetur, *conc.* non est intrinseca moraliter, *nego ant.* Certum est enim quod humanitas reddatur sancta sanctitate Verbi in ipsam derivata intrinsece, moraliter & equivalenter in ordine ad varios effectus sanctificationis.

*Objicies* 2. Si Divinitas humanitatem sanctificaret formaliter, etiam personalitates Patris & Spiritus Sancti, Divinitati realiter identificatæ, eandem sanctificarent; falsum conseq. ergo, &c.

Resp. *nego seq. maj.* Quia effectus & denominationes Divinitatis, spectatæ non præcise secundum se, sed ut est in aliqua persona; v. g. *Uni-*

*ri*, *sanctificari formaliter*, &c. non sunt communes toti Trinitati.

*Inst.* Divinitas non potest esse forma humanitatis; ergo non potest illa sanctificare formaliter.

Resp. *dist. ant.* Non potest esse forma proprie dicta, quæ perficiatur & in subjecto recipiatur, *conc.* improprie dicta, *nego ant.* Equidem divinitas non potest esse forma humanitatis, sed se habet respectu illius instar formæ illam substantialiter sanctificantis, seclusa omni imperfectione.

## CONCLUSIO II.

*Christus, ut homo, habuit gratiam habitualem.* Est communis omnium Theologorum sententia, unde opposita, est temeraria.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Atqui per Spiritum Domini intelligitur gratia habitualis permanens, ut docet Tertull. (*Lib.* 5. *contra Marcion. cap.* 4.) his verbis: *Requiescere habebat omnis operatio gratiæ spiritualis;* ergo, &c.

Lucæ 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi designatur sanctificatio & per gratiam unionis, & per gratiam habitualem, juxta illud D. Bernardi (*Hom.* 4. *in Missus est*): *singulariter sanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.*

Joann. 1. *Verbum caro factum est ... plenum gratiæ & veritatis.* Atqui illa plenitudo intelligitur tum de gratia substantiali Christi: *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* tum de gratia habituali, quæ tanta fuit, ut major non potuerit dari de lege ordinaria; ergo, &c. Hinc D. Aug. lib. 15. de Trin. cap. 26. ait: „ Dominus ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo: & propterea est plenus gratiæ, quia unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia ". Hinc D. Doctor manifeste loquitur de gratia adventitia habituali.

*Prob.* 2. *ratione*: Quia omnis perfectio supernaturalis, quæ nullam habet repugnantiam cum unione hypostatica, & nullam imperfectionem includit, Christo denegari non debet; atqui gratia habitualis est magna perfectio, cum sit vel habitus charitatis infusus, vel inseparabiliter connexa cum habitu charitatis, sitque principium radicale, & maxime connaturale operationum supernaturalium, nec ullam habet imperfectionem annexam, aut repugnantiam cum unione hypostatica; ergo Christo denegari non debet.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Qui incapax est filiationis adoptivæ, est etiam incapax gratiæ habitualis; atqui Christus est incapax filiationis adoptivæ, ut probabitur cap. 7. ergo, &c.

*Prob. maj.* Filiatio Dei adoptiva, est formalis affectus gratiæ habitualis, quam Apostolus Roman. 8. vocat *Spiritum adoptionis filiorum*; atqui forma non potest esse in subjecto sine suo effectu formali; ergo gratia habitualis non potest esse in Christo, nisi sit Filius Dei adoptivus.

Resp. *dist. maj.* Filiatio Dei adoptiva est formalis effectus secundarius gratiæ habitualis, *conc.* primarius, *nego maj.* & sic distincta minore, *nego conseq.* Porro quamvis effectus primarius alicujus formæ non possit separari a subjecto cui forma illa communicatur, tamen separari potest ab eo effectus secundarius; effectus itaque primarius & formalis gratiæ habitualis est reddere subjectum suum Deo gratum & sanctum sanctitate formali & inhærente, ad quem effectum divina filiatio adoptiva sequitur ubi, & quando subjectum, quod hæc gratia afficit, est capax filiationis adoptivæ: unde cum Christus, pro eo instanti, quo recepit gratiam habitualem, jam esset Filius Dei naturalis per gratiam unionis, hinc est quod gratia habitualis non potuit illi conferre filiationem adoptivam; naturalis enim filiatio opponitur filiationi adoptivæ, quam impedit.

*Objicies* 2. Gratia habitualis conceditur maxime, ut anima fiat Deo grata; atqui anima Christi non potest esse magis grata, cum gratia habituali, quam sine illa; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Non potest esse magis grata intensive, *conc.* extensive, *nego min.* Equidem Christus per gratiam unionis fuit infinite Sanctus, & sic per gratiam habitualem non potuit esse magis gratus *intensive*, quia infinito nihil est majus: sed potuit esse magis gratus *extensive* per gratiam habitualem, quia est aliud genus sanctificationis, quod non excluditur per gratiam unionis.

*Objicies* 3. Gratia habitualis non erat Christo necessaria; ergo non debet illi tribui.

Resp. *dist. ant.* Non erat Christo necessaria absolute, *conc.* non erat necessaria Christo ut connaturaliter eliceret actus supernaturales & meritorios, *nego ant.* Itaque agens connaturaliter operari dicitur, quando habet proportionem ad actus quos elicit, sed anima Christi, cum sit entitas naturalis, non potest habere proportionem ad producendos actus supernaturales absque gratia habituali; ergo illa ad hoc fuit Christo necessaria.

*Inst.* 1. Gratia actualis potuit sufficienter elevare animam Christi ad actus supernaturales connaturaliter eliciendos; ergo ad hoc non fuit necessaria gratia habitualis.

Resp. *nego ant.* Equidem gratia actualis sufficit ut actus supernaturalis fiat, sed non sufficit, ut fiat connaturaliter, saltem de potentia ordinaria; agens enim naturale non inclinatur ad suum effectum connaturalem, nisi per aliquam formam in se permanentem.

*Inst.* 2. Gratia habitualis non est ex se operativa, nec ordinatur ad operationem; ergo non fuit necessaria Christo ad actus supernaturales eliciendos connaturaliter.

Resp. *dist. ant.* Non ordinatur ad operationem primario & proxime, *conc.* radicaliter & secundario, *nego ant.* Gratia habitualis quidem primario & proxime ordinatur ad sanctificandam animam, & eam efficiendam Deo gratam; verum secundario & radicaliter ordinatur ad operationem, quatenus virtutem animæ confert ad producendos actus supernaturales.

*Quærunt* hic Theologi, utrum gratia Christi habitualis fuerit infinita?

Resp. Non fuit infinita physice & in genere entis, sed tantum moraliter, nempe juxta quamdam æsti-

æstimationem moralem propter conjunctionem cum personalitate Verbi.

*Prob. prima pars:* Quia quidquid est creatum, est secundum entitatem finitum, nam Sap. 11. „ Deus fecit omnia in pondere, numero & mensura "; sed gratia habitualis est quod creatum; ergo.

*Prob. secunda pars:* Quia quidquid, unione hypostatica mediante, unitur Verbo, illud quamdam infinitatem moralem contrahit; atqui gratia habitualis mediante unione hypostatica Verbo unita est; ergo, &c. Illam infinitatem tangit D. Thomas, quæst. 7. art. 11. ad 2. dicens: *Gratia Christi habet infinitum effectum . . . propter unitatem divinæ personæ, cui anima Christi unita est.*

*Objicies contra primam partem.* Dicitur Joannis 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio;* ergo ejus gratia finita non est.

Resp. *nego conseq.* Ex textu enim non sequitur gratiam Christi habitualem esse entitative infinitam, sed sequitur tantum quod non sit limitata *secundum propriam rationem gratiæ*, inquit Div. Thomas, *eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratia mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud Ephes.* 1. Gratificavit nos in dilecto Filio suo.

*Inst.* Quod habet effectum infinitum, etiam in entitate infinitum est; atqui gratia habitualis *habet effectum infinitum*, juxta D. Thom. cit. ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quod habet effectum infinitum physice, *conc.* moraliter, *nego maj.* Hoc itaque solo sensu gratia Christi habet effectum infinitum, quod sit causa meritoria omnium gratiarum, quas intuitu illius meritorum Deus hominibus & Angelis concedit.

## CONCLUSIO III.

*Christus habuit gratiam actualem, non quidem excitantem, sed cooperantem.*

*Prob. prima pars:* Quia gratia ideo dicitur *excitans*, quia hominem quasi sopitum excitat ad bonum operandum; atqui Christus nunquam fuit sopitus, sed semper vigil, & ad optima quæque erectus; ergo, &c.

*Prob. secunda pars:* Christus in actibus suis naturalibus, non obstante unione ad Verbum, eodem concursu naturali indigebat, quo indigent cæteri homines, ob essentialem ac necessariam dependentiam creaturæ a creatore; ergo similiter, non obstante gratia unionis & habituali, egebat insuper gratiis actualibus adjuvantibus, quibus egere solent homines ad actus supernaturales eliciendos: unde D. Augustinus Epistola 7. ad Dardanum, ait: *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo sunt omnes gratiæ.*

*Objicies:* Verbum divinum per unionem hypostaticam sufficienter supplevit concursum Dei necessarium ad opera supernaturalia elicienda; ergo ad id non fuit necessaria gratia actualis.

Resp. *nego ant.* Quia verbum divinum per unionem hypostaticam sustentabat quidem & terminabat humanitatem, sed active nihil efficiebat; unde nil mirum, si in Christo requisitus fuerit insuper aliquis concursus in genere causæ efficientis ad supernaturales & meritorias actiones peragendas, qui concursus nihil aliud est, quam gratia actualis.

## CONCLUSIO IV.

*Christus habuit omnes gratias gratis datas.* Est communis contra Abulensem.

*Prob.* Apostolus 1. *Cor.* 10. novem enumerat gratias gratis datas dicens: „ Alii per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum ". Atqui Christus omnes illas gratias habuit; ergo.

*Prob. min.* Percurrendo singulas gratis datas, & quidem.

1. *De sapientia:* Est enim perfecta mysteriorum fidei cognitio, qua conclusiones e principiis fidei deducuntur; atqui hæc gratia fuit in Christo, unde Doctores, quos sedens docebat, *Stupebant super prudentia ejus.* Lucæ 2.

2. *De scientia:* Quia nihil aliud est, quam perfectissima rerum creatarum v. g. Virtutum & vitiorum cognitio, & peritia deducendi ex eis conclusiones, easque aliis proponendi; atqui fuit in Christo, qui varia præcepta moralia tradidit.

3. *De fide:* Quæ hic sumitur pro fide miraculorum, juxta illud Marci 11. „ Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicumque jusserit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei "; atqui fiducia fuit in Christo, qui de se ipso dicit Joann. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.*

4. *De gratia sanitatum*, innotescit ex Luc. 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.*

5. *De operatione virtutum*, constat ex Lucæ 24. ubi dicitur: „ De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo ".

6. *De prophetia*, constat tum ex textu superiori, tum quia *Lucæ* 7. de Christo dicitur: *Propheta magnus surrexit in nobis.*

7. *De discretione spirituum*, pariter innotescit: nihil enim aliud est quam facultas penetrandi quo spiritu quis impellatur ad aliquid dicendum vel faciendum; atqui Christus hanc facultatem habuit, ut constat ex Matth. 22. ubi indicavit Pharisæos proposuisse ei quæstionem de censu reddendo Cæsari, *ut caperent eum in sermone*, unde *cognita nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?*

8. *De generibus linguarum.* Clarum est enim, quod in Christo, qui erat Doctor universalis, fuerit facultas loquendi variis linguis & idiomatibus.

9. *De interpretatione sermonum.* Quia nihil aliud est quam peritia explicandi obscuros & reconditos sensus sacræ Scripturæ; atqui hæc gratia fuit in Christo qui Lucæ 24. *Incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis* (discipulis qui ibant in Castellum nomine Emmaus) *in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Ergo, &c.

*Dices*

*Dices* cum Abulensi, Fides Theologica non fuit in Christo; ergo nec gratia prophetiæ.

*Prob. conseq.* Ideo fides non fuit in Christo, quia obscuritatem includit, quæ incompatibilis est cum visione intuitiva; atqui donum prophetiæ obscuritatem similiter importat, ergo.

Resp. *dist. min.* Donum prophetiæ importat obscuritatem per accidens, *conc.* per se & essentialiter, *nego min. & conseq.* Dispar est ergo ratio inter fidem & prophetiam, quod fides essentialiter obscuritatem includat, & ideo non potest stare cum visione beatifica; at vero prophetia est tantum obscura per accidens, nimirum respectu Prophetarum, quibus quandoque res revelata non est nota nisi sub involucris & in ænigmate; at hoc fuit per accidens ad prophetiæ donum, ad quod præcise spectat percipere & annuntiare quæ naturalem hominum notitiam excedunt, sive sint præterita, sive præsentia, sive futura.

*Instab.* Quod est evacuandum, non fuit in Christo, nam quod est evacuandum, dicit imperfectionem; atqui ex 1. ad Cor. 13. *Prophetiæ evacuabuntur*; ergo donum prophetiæ non fuit in Christo.

Resp. *dist. maj.* Quod est evacuandum quoad se, *conc.* quoad effectum, *nego maj.* Atqui prophetiæ evacuabuntur, quoad effectum instructionis aliorum, *conc.* quoad se, & propter earum imperfectionem, *nego min.* Itaque prophetiæ evacuabuntur, sicut scientia destruetur, non quidem quoad habitum, sed quoad effectum instructionis aliorum, quia in altera vita nulli supererunt edocendi.

## CONCLUSIO V.

*Omnia dona Spiritus Sancti fuerunt in Christo.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Isaiæ* 11. ubi Christo tribuuntur septem dona Spiritus Sancti, his verbis: „ Egredietur virga de radice Jesse ..... & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus; spiritus consilii & fortitudinis: spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini “. Quem locum exponens de Christo Theodoretus, ait. „ In ipso habitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter, & secundum humanitatem omnia Spiritus charismata “.

*Prob.* 2. *ratione.* Omnis perfectio a Deo collata hominibus, Christo debet tribui, si non adversetur unioni hypostaticæ, aut statui beatitudinis; atqui dona Spiritus Sancti sunt perfectiones, quibus homo prompte & expedite Deo moventi obsequitur, nec adversantur unioni hypostaticæ, aut statui beatitudinis; ergo.

*Objicies:* Quædam ex donis Spiritus Sancti important imperfectionem; ergo in Christo non debent admitti.

*Prob. ant.* Consilium supponit ignorantiam & dubitationem circa agibilia; atqui dubitatio & ignorantia est imperfectio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Supponit ignorantiam, per accidens, & ratione subjecti, *conc.* per se, *nego maj.* Licet ergo consilium, ut est in nobis, habeat ignorantiam & dubitationem sibi annexas, id provenit ex nostra imperfectione; non vero ex imperfectione consilii, quod formaliter importat duntaxat rectum & sanum de agendis judicium.

*Inst.* Saltem donum timoris non fuit in Christo: nam ex 1. Jo: 4. „ Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem “; atqui in Christo fuit perfecta charitas; ergo.

Resp. *dist. maj.* Timor servilis ex metu gehennæ conceptus non est in charitate, *conc.* timor filialis & reverentialis, *nego maj.* Porro timor in Christo fuit pure filialis, & reverentialis, quia nihil aliud est, quam affectus summæ reverentiæ erga infinitam Dei majestatem.

## CONCLUSIO VI.

*Fuerunt in Christo, tum charitas, tum omnes virtutes morales, tam infusæ quam acquisitæ, absque imperfectionibus, quæ vel proprium peccatum supponunt, vel statui beatitudinis adversantur.*

*Prob.* 1. *de charitate.* Charitas, vel est quid idem cum gratia habituali, ut volunt Scotistæ, vel ejus individua comes, ut volunt Thomistæ; atqui in Christo fuit gratia habitualis, ut probavimus supra; ergo, &c.

*Prob.* 2. *de virtutibus moralibus infusis*: Quia ex dictis fuit in Christo gratia habitualis præstantissima; atqui virtutes morales infusæ, gratiam habitualem veluti connaturaliter sequuntur, simulque cum illa infunduntur, ut indicatur in his, *Sap.* 7. verbis: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*; ergo, &c.

*Prob.* 3. *de virtutibus acquisitis*: Quia non sunt denegandæ Christo virtutes illæ, quæ animam perficere ac rite instituere poterant ad opera legi naturæ consentanea, & intra limites ejusdem legis exercenda; atqui tales sunt virtutes morales; ergo.

*Objicies*: Habitus virtutum acquisitarum inutiles sunt cum virtutibus infusis; ergo non fuerunt in Christo.

Resp. *nego antec.* Diversum enim est illarum munus; nam virtutes infusæ dant solum agere in ordine ad finem supernaturalem; naturales vero in ordine ad finem naturalem, quæ munia a se invicem distingui constat.

Dixi, *absque imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis adversantur*: quia nullum fuit, nec esse potuit peccatum in Christo, qui insuper, a primo conceptionis instanti, visione beatifica fruitus est.

Hinc, 1. *Fides non fuit in Christo*, quia fidei obscuritas, per visionis beatificæ claritatem, excluditur. Unde, cum *Isaiæ* 11. de Christo dicitur: *Et erit fides cinctorium renum ejus*. Per fidem, intelligitur fidelitas in promissis.

2. *Spes non fuit in Christo*, Fides ex Apost. Hebr. 11. est fundamentum spei, *est enim sperandarum substantia rerum*. Ergo ubi non est fides, ibi non est spes Theologica; atqui in Christo non fuit fides; ergo, &c.

*Nec dicas* 1. Fuit in Christo spes circa gloriam corporis, nominis exaltationem, & alia quæ promeruit; ergo.

*Prob. ant.* Gloria corporis, exaltatio nominis, erant bona Christo absentia, possibilia, & ardua; ergo, &c.

Resp. *nego conseq.* Nam ad spem Theologicam non sufficit, ut ejus objectum sit arduum, possibile, & absens; sed insuper requiritur, ut ejus por-

possessio futura, sit incerta & anceps; at Christus de illorum bonorum possessione futura, erat omnino securus & certus; ergo.

*Nec dicas* 2. Spes Theologica Christo tribuitur, Psalm. 15. *Caro mea requiescet in spe.* Ergo.

Resp. *nego ant.* Neque enim spes ibi sumitur pro virtute Theologica, sed pro simplici desiderio, expectatione, & confidentia.

3. *Temperantia non fuit in Christo*, quatenus importat resistentiam pravis concupiscentiæ motibus, quia sic peccatum supponit, a quo ortum habuit concupiscentia; sed solum quatenus dicit abstinentiam ab omni voluptate venerea.

4. *Pœnitentia non fuit in Christo*, quatenus dicit principium actus, quo dolemus de peccatis propriis, sed solum quatenus dicit principium actus, quo dolemus de peccatis alienis & offensa Dei.

Quæres: *Quandonam Christus habuit virtutes acquisitas?*

Resp. Eas habuit a primo instanti conceptionis, quia ei statim debitæ fuerunt ratione unionis hypostaticæ: unde illæ virtutes, quæ ideo dicuntur acquisitæ, quia per actus repetitos possunt acquiri, in Christo fuerunt infusæ per accidens.

## CAPUT III.

### *De libertate Christi.*

*Nota* 1. Ex dicendis, *tomo* 2. libertas alia est a coactione, alia a simplici necessitate.

*Libertas a coactione*, est immunitas ab omni violentia ab extrinseco, contra voluntatis inclinationem illata.

*Libertas a necessitate simplici*, est potentia activa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, vel hoc aut ejus contrarium agere; unde duplex quasi species libertatis distinguitur, nempe *contradictionis*, qua agens liberum, potest agere, vel non agere; & *contrarietatis*, qua potest aliquid agere, vel ejus contrarium, sed hæc ad essentiam libertatis non pertinet, juxta illud S. Anselmi, dialogo de lib. arb. c. 1. *nec libertas, nec pars libertatis est potestas peccandi: immo est defectus libertatis:* ait Div. Thom., ex quo certum est libertatem contrarietatis non fuisse in Christo, qui potentiam peccandi nec assumpsit, nec assumere potuit. Itaque

Quærendum superest: 1. Utrum Christus circa præcepta fuerit liber, & quomodo? 2. Qua ratione conciliari possit ejus libertas cum ejus impeccabilitate? duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *Utrum Christus circa præcepta fuerit liber, & quomodo?*

*Nota* 1. Duplicis generis esse præcepta quibus Christus fuit obligatus; nempe naturalia, quæ a lege naturali dictantur, v. gr. præcepta de Deo amando, parentibus honorandis, &c. & præcepta positiva, quæ lege positiva imponuntur, v. gr. præceptum de morte subeunda, juxta illud Jo: 14. *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

*Nota* 2. In quolibet præcepto duo distinguuntur, nimirum substantia præcepti, & circumstantiæ ipsi adjunctæ, v. gr. in præcepto charitatis, ipsa dilectio est substantia præcepti; hoc vel illud motivum ex quo elicitur, hic vel ille finis ad quem ordinatur, actus intensio vel remissio, &c. sunt præcepti circumstantiæ. His positis:

## CONCLUSIO I.

*Christus fuit liber circa præcepta legis naturalis, non quidem quoad substantiam rei imperatæ, sed solum quoad motivum & circumstantias.*

*Prob.* 1. *pars:* Libertas circa substantiam rei præceptæ, aut prohibitæ, consistit in hoc quod possit omitti res præceptas, aut poni res prohibitas; atqui Christus rem lege naturali præceptam non potuit omittere, aut rem eadem lege prohibitam ponere, alias peccato obnoxius fuisset; ergo.

*Prob. secunda pars:* Quia nec motivum actus præcepti determinatur, nec circumstantiæ imperantur lege naturali; v. gr. per præceptum honorandi parentes, neque motivum, vel charitatis, vel obedientiæ, ex quo id præstare debeamus, neque omnes actus circumstantiæ determinantur; ergo Christus circa motivum & circumstantias illorum præceptorum fuit liber.

## CONCLUSIO II.

*Christus in subeunda morte a Patre præcepta fuit liber, non solum quoad circumstantias, sed etiam quoad ipsam mortem in se consideratam.*

*Prob.* 1. Ex Script., Isaiæ 55. *Oblatus est, quia ipse voluit:* in quem locum D. Hieron. ait: *non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit.*

Joann. 10. *Ego pono animam meam .... nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* Supra quæ verba Div. August. tract. 47. in Jo: ait: *Non glorientur Judæi .... sæviant quantum possunt, si ego noluero animam meam ponere, quid sæviendo facturi sunt?* & Div. Chrysost. hom. 28. in Epist. ad Hebr. *Erat ei promptum, si voluisset, non venire ad Crucem: potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam.*

*Prob.* 2. *ex PP.* qui eandem doctrinam apertissime tradunt. Div. August. tract. 37. in Joann. *Dominus, inquit, quando voluit, carnem in utero virginali accepit .... quando voluit, a carne discessit; hoc est potestatis, non necessitatis.*

Div. Greg. lib. 24. moral. cap. 2. *Dominus, ait, non pœnam ex necessitate suscepit .... mortem nostram, omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit.*

*Prob.* 3. *Ratione in Scriptura fundata:* Christus ipsa sua morte meruit, juxta illud Joann. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Et illud Hebr. 5. *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Atqui ad merendum requiritur libertas a necessitate simplici, ut definivit Innocent. X. hanc prop. Jansenii, ut hæreticam damnando: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Ergo Christus in subeunda morte fuit liber.

Nec

*Nec obstant* hæ particulæ: *In statu naturæ lapsæ*: quia non sunt restrictivæ, sed ampliativæ, quasi diceretur, *Etiam in statu naturæ lapsæ*, quod patet ex scopo Pontificis Jansenium damnantis, qui docebat in statu naturæ innocentis, in quo fuit natura Christi, fuisse libertatem a necessitate, eamque per peccatum Adami periisse.

*Objicies*. Christus est impeccabilis; atqui impeccabilitas stare non potest cum potestate non adimplendi præceptum; ergo.

Resp. *nego min.* Quia Christi libertas cum ipsius impeccabilitate recte conciliari potest. Quod ut manifestum fiat, sit

## QUÆSTIO II.

### *Qua ratione conciliari possit Christi libertas cum ejus impeccabilitate.*

### CONCLUSIO.

*Christi libertas circa mortem præceptam, rite cum ejus impeccabilitate conciliari potest, dicendo eam in hoc consistere, quod potuerit dispensationem a Patre petere & obtinere, si voluisset, quam tamen volens ac lubens non petivit.*

*Prob.* Ex Matth. 26. ubi Christus aperte significat se potuisse dispensationem præcepti de morte subeunda obtinere, his verbis: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Atqui qui dispensationem ab aliquo præcepto petere potest & obtinere, nec tamen eam vult petere, ad hujus præcepti observationem est maxime liber; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Præceptum de morte subeunda Christo impositum, fuit indispensabile, juxta illud Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum*; ergo Christus non potuit illius dispensationem obtinere.

Resp. *dist. ant.* Fuit indispensabile, postquam Christus sese determinavit ad non petendam dispensationem, *conc.* ante illam determinationem, *nego antec.* Porro Scripturæ locus loquitur de eo quod factum est, non de eo quod fieri potuit. Christus autem passus est, quia sese libere determinavit ad non petendam a mandato Patris dispensationem.

*Inst.* 1. Christus dispensantionem petiit a Patre, *Matth.* 26. dicens, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*: & tamen non obtinuit; ergo præceptum fuit indispensabile.

Resp. *dist. ant.* Dispensationem petiit inefficaciter & conditionate, *conc.*, efficaciter & absolute, *nego ant.* Itaque Christus inefficaciter petivit dispensationem ut veritatem humanitatis suæ demonstraret, sed statim absolute mortem acceptavit, his verbis: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ad quæ verba D. August. *Serm.* 5. *de Passione Domini*, ait: *Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis*: qua se passioni tradidit: *illud optavit ex nostro, hoc elegit in proprio.*

*Inst.* 2. Voluntas Filii non potest esse contraria voluntati Patris; atqui, si Christus dispensationem hujus petiisset, ejus voluntas fuisset contraria voluntati Patris; ergo.

*Prob. min.* Pater determinate voluit mortem Filii; ergo.

Resp. *dist. ant.* Voluit determinate mortem Filii, & simul statuit Filium ab ea lege dispensare, si efficaciter dispensationem petiisset, *conc.* & simul statuit non dispensare, *nego ant.* Prudens enim superior, aliquid libere præcipiens, semper præcipit sub hac tacita conditione, *Nisi dispensavero.*

*Inst.* 3. Quando Christus dixit: *An putas quia non possum rogare Patrem meum*, &c. jam acceptaverat legem moriendi; ergo inde non potest concludi, quod dispensationem ab illa lege potuerit obtinere.

Resp. *dist. ant.* Jam acceptaverat legem moriendi, & simul facultatem sibi reservaverat dispensationem petendi ab illa lege, si vellet, *conc.* secus, *nego ant.* Et hoc manifeste colligitur ex textu allato.

*Inst.* 4. Præceptum, quo quis sese liberare potest per dispensationem quam habet in sua potestate, non est verum & rigorosum præceptum; atqui Christo fuit impositum præceptum moriendi verum & rigorosum; ergo, &c.

Resp. *dis. maj.* Non est verum & rigorosum præceptum, si ab eo quis possit se eximere auctoritate propria, *conc.* si sola auctoritate præcipientis, *nego maj.* Certe præceptum audiendi Missam die festo, est verum & rigorosum, etiam erga eum, qui certus est se ab eo dispensationem obtenturum a superiore, si illam voluerit petere.

*Inst.* 5. Præceptum rigorosum semper obligat sub culpa; atqui præceptum, a quo quis potest dispensationem obtinere, non semper obligat; ergo.

Resp. *dist. maj.* Semper obligat sub culpa, vel ad rem præceptam exequendam, vel ad obtinendam dispensationem, *conc.* semper obligat sub culpa ad exequendam rem præceptam, *nego maj.* Ab omni enim præcepto positivo potest Legislator dispensare, nec potest subditus illi non obtemperare absque peccato, nisi dispensationem obtineat, qua posita, nulla remanet rei præceptæ exequendæ obligatio.

*Objicies* 2. Modus quo conciliamus libertatem Christi cum ejus impeccabilitate, non solvit difficultatem; nam non est quæstio, utrum Christus liber fuerit in petenda dispensatione, sed quomodo, stantibus ejus impeccabilitate & præcepto divino, fuerit liber ad implendum illud præceptum, vel non implendum; ergo non satisfacit ille conciliandi modus.

Resp. *nego ant.* Ad probationem fateor hic quæstionem non esse, utrum Christus fuerit liber in petenda dispensatione, sed contendo Christum eo ipso fuisse liberum in adimplendo præcepto, quo fuit liber in petenda dispensatione, quam sese obtenturum sciebat; hoc enim sufficit ad veram circa præceptum libertatem.

*Inst.* Ergo Christus non fuit liber ad præceptum non implendum, eo stante, sed tantum eo per dispensationem sublato; atqui de illa libertate non est hic quæstio; ergo.

Resp. *nego illatum*: Quia præceptum illud erat disjunctivum, de morte subeunda, vel de petenda dispensatione; atqui primum Christus elegit libere, quando se determinavit ad non petendam dispensationem; ergo fuit perfecte liber.

CA-

## CAPUT IV.

### *De merito Christi.*

*Nota.* Meritum est operis valor in ordine ad præmium, & duplex est, nempe meritum de condigno, & meritum de congruo.

*Meritum de condigno*, est opus bonum, cui ex justitia præmium debetur . . . *Meritum de congruo* est opus bonum, cui, ex quadam duntaxat decentia, præmium est debitum . . . De solo merito de condigno, quod solum verum & proprie dictum est meritum, hic est controversia, & quæritur 1. An Christus vere & proprie meruerit? 2. Quandonam? 3. Per quos actus? 4. Tandem, quidnam & quibus personis, meruerit?

### CONCLUSIO I.

*Christus vere ac proprie meruit.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ docet Christum morte sua meruisse sibi gloriam corporis & nominis exaltationem, hominibus vero salutem: Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem . . . propter quod & Deus exaltavit illum, &c. Hebr. 5. Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa* (*utique meritoria*) *salutis æternæ.*

*Prob.* 2. Ex Concil. Trid. *sess. 6. c.* 7. de Christo dicente: *Sua sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.*

*Prob.* 3. *ratione*: Quia omnes conditiones ad meritum de condigno reperiuntur in Christo; ad verum namque meritum de condigno requiritur 1. *Ex parte actus*, ut sit honestus, liber, & præmio proportionatus. 2. *Ex parte merentis*, ut sit Deo charus & viator. 3. *Ex parte præmiantis*, ut intervenerit pactum, seu promissio; atqui nulla hic deest conditio, ne postrema quidem, ut constat ex illo Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Ergo, &c.

### CONCLUSIO II.

*Christus meruit a primo Conceptionis instanti usque ad extremum vitæ suæ spiritum, & non ultra.*

*Prob. prima pars:* Ex Hebr. 10. ubi de Christo dicitur: *Ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi . . . tunc dixi, ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ergo, juxta Apostolum, ingrediens mundum, id est, in primo instanti suæ Conceptionis, obtulit se Deo Patri, ut morte sua impleret voluntatem ejus de Redemptione generis humani; hæc autem oblatio utique fuit meritoria, & ideo subdit Apostolus: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.*

*Prob. secunda pars:* Quia ad meritum necessario requiritur status viæ; atqui Christus post mortem non fuit amplius viator; ergo, &c. Unde de seipso dicit, Joann. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox quando nemo potest operari.* Ubi per *diem* intelligitur tempus vitæ, & per *noctem*, tempus mortis.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem:* Prius est esse, quam operari; ergo Christus non meruit primo suæ Conceptionis instanti.

Resp. *dist. ant.* Prius est natura, *conc.* prius est tempore, *nego ant.* Unde potuit eodem instanti reali incipere esse & operari libere, adeoque mereri.

*Inst.* 1. Id quod habetur primo instanti, tribuitur producenti; ergo.

Resp. *dist. ant.* Quod habetur, vi ipsius generationis, *conc.* quod habetur, per entis producti determinationem, *nego ant.* Primus autem Christi actus fuit a propria voluntate elicitus.

*Inst.* 2. Si Christus meruisset primo Conceptionis instanti, nihil postea mereri potuisset; falsum consequens; ergo.

*Prob. seq. maj.* Qui meritus est quodlibet præmium, non potest amplius mereri; atqui Christus per meritum primi instantis, meritus fuisset quodlibet præmium; illud enim meritum fuisset infiniti valoris; ergo.

Resp. *dist. min.* Meritus fuisset quodlibet præmium, si illud primum opus fuisset seorsim acceptatum ad præmium, *conc.* aliter, *nego min.* Itaque merita Christi non fuerunt singula seorsim acceptata a Deo ad præmium, sed omnia simul & morte consummata.

*Objicies contra secundam partem.* SS. Patres asserunt ex latere Christi post mortem aperto fluxisse Sacramenta; atqui non fluxerunt realiter, sed meritorie; ergo Christus post mortem meritus est.

Resp. *dist. maj.* SS. Patres asserunt Sacramenta ex latere Christi profluxisse, figurative, *conc.* meritorie, *nego maj.* Itaque, ex dictis Patrum, non sequitur, quod Christus per illius sanguinis & aquæ profluvium promeritus fuerit divinam Sacramentorum virtutem & efficaciam, sed tantum quod Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ, in isto sanguinis & aquæ profluvio, adumbrata & expressa fuerint.

*Inst.* 1. Ex Apost. *Rom.* 4. Christus *resurrexit propter justificationem nostram.* Ergo per suam resurrectionem meritus est.

Resp. *nego conseq.* Nam particula, *Propter*, non significat ibi causam meritoriam, sed causam exemplarem nostræ justificationis, quia repræsentabat nostram resurrectionem ad vitam gratiæ.

*Inst.* 2. Christus in cœlo adhuc nobis impetrat dona cœlestia; ergo.

Resp. *dist. ant.* Impetrat dona cœlestia, meritum in morte sua consummatum Deo offerendo, nobisque applicando, *conc.* de novo merendo, *nego ant.* Hoc sensu Apostolus, *Hebr.* 7. dicit: quod sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

### CONCLUSIO III.

*Christus meruit per omnes actus liberos humanitatis suæ, non vero per actus Divinitatis.*

*Prob. prima pars:* Quia nulli earum actionum defuerunt conditiones ad meritum necessariæ; fuerunt honestæ, liberæ, proportionatæ præmio, factæ a justo, a Deo acceptatæ cum promissione præmii, juxta illud Psalmi 2. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ergo.

*Prob. secunda pars:* Quia ratio meriti dicit subjectio-

jectionem præmiati ad præmiantem; atqui Christus in actibus suæ divinitatis non potest subjici, cum divinitas non habeat superiorem; ergo.

Quæres, *utrum Christus meruerit per actus amoris Dei?* Ante responsionem

*Nota*. Duplex distinguitur amor Dei in Christo, nempe beatificus, qui elicitus est ex directione visionis beatificæ, & alius supernaturalis ab amore beatifico distinctus, qui elicitus est ex directione scientiæ infusæ. Unde

Resp. *Christus non meruit per actum amoris, quem ex visione beatifica eliciebat, sed solum per actum dilectionis, quem ex scientia infusa elicuit.*

*Prob. prima pars:* Quia ad meritum requiritur ut actus sit liber & a viatore elicitus: atqui actus amoris, ex visione beatifica profluens, nec fuit liber, nec a viatore, sed a comprehensore elicitus; ergo.

*Prob. secunda pars:* Amor Christi, qui a scientia infusa oriebatur, erat liber & Christi ut viatoris, aliasque actus meritorii conditiones habebat; ergo Christus per eum meruit, ut asserit D. Th. q. 19 art. 3. ad 1. *Non tamen*, inquit, *per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.*

## CONCLUSIO IV.

*Christus meruit sibi quidem corporis gloriam & exaltationem nominis, nobis autem omnia dona gratiæ & gloriæ; Angelis vero sanctis quasdam illustrationes, & gaudia, aliaque dona accidentalia, non vero gratiam & gloriam essentialem.*

*Prob. tertia pars:* Quæ est de fide, Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur &c.* Atqui ibi vera causalitas significatur; ergo.

Ratio D. Thom. *hic art. 3.* est, quia nobilius est habere aliquid ex merito, quam sine merito, nisi aliquid obstet; atqui nihil obsticit quominus Christus gloriam corporis & exaltationem nominis acciperet ex merito, cum illis aliquando caruerit; ergo.

*Objicies:* Gloria corporis & nominis exaltatio erant Christo debitæ ratione unionis hypostaticæ, ergo illas non meruit.

Resp. *nego conseq.* Nam debitum naturale, & meritum inter se non pugnant: ergo duplici illo titulo Christus recepit gloriam corporis, & nominis exaltationem.

*Inst.* Christus non potest dici propter se mortuus; atqui si sibi meruit, pro se mortuus est; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non potest dici pro se mortuus, ex primaria intentione, *conc.* ex secundaria, *nego maj.* Christus siquidem ex primaria intentione venit & mortuus est propter peccata nostra tamquam principale motivum, quo cessante non venisset, cum quo tamen stat quod sibi etiam aliquid meruerit.

*Prob. secunda pars*, quæ est de fide. 1. *Quoad dona gratiæ*, Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Et 1. Jo. 2. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.* Quibus verbis significatur nostram justificationem esse gratuitam respectu nostri, & remuneratoriam respectu Christi. Idem definiit Conc. Trid. sess. 6. c. 5. *Declarat* (S. Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse.*

*Prob. quoad dona gloriæ:* Ex Apost. Rom. 5. *Multo magis abundantiam gratiæ donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Quod etiam definitur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, & tamquam merces, &c.*

*Prob. tertia pars:* Quia Coloss. 2. Christus *est caput omnis principatus & potestatis*, id est, Angelorum; ergo aliquid ipsis meruit; atqui ipsis non meruit gratiam & gloriam essentialem; ergo ipsis meruit aliquas illustrationes & gloriam accidentalem.

*Prob. quarta pars:* Christus iis tantum meruit gratiam & gloriam essentialem, pro quibus mortuus est; atqui Christus non est mortuus pro Angelis, nam ex Hebr. 2. *Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno omnes . . . nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

*Ratio* est, quia gratia, & consequenter gloria, decreta est Angelis ante prævisam Incarnationem: ergo non ex meritis Christi.

*Objicies*, Ephes. 1. Apostolus dicit: *Deus omnia instaurasse in Christo quæ in cœlis & in terra sunt.* Ergo Christus Angelis meritus est gratiam & gloriam.

Resp. *nego conseq.* Textus enim exponi debet de ruina Angelorum in cœlis instaurata per electos, qui loca rebellium Angelorum occupaturi sunt, & de reparatione hominum in terris, facta per redemptionem generis humani.

*Inst.* 1. Ephes. 1. dicitur: *Complacuisse Deo per Christum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Sensus textus est, omnia per Christum reconciliata esse, eo quod homines & Angeli, qui per peccatum divisi erant, reconciliati sunt inter se, & in Christo, ut communi capite moraliter uniti.

*Inst.* 2. D. Gregor. in lib. 2. Reg. c. 2. ait: *Angeli sanctificati creduntur in Filio.* Ergo sanctificantur per gratiam Christi.

Resp. *dist. conseq.* Per gratiam Christi, ut Deus est, *conc.* ut homo Deus, *nego conseq.* Ibi D. Doctor aperte loquitur de Christo ut Deo, unde non dicit, *in Christo*, sed dicit, *in Filio*.

*Inst.* 3. D. Bernardus Serm. 1. de Circumcisione ait: *Idem quippe & Angeli Salvator & hominis.* Atqui loquitur de Christo, ut homo Deus; ergo.

Resp. *nego min.* Loquitur enim de Christo ut Deo, ut clare se explicat, addens: *Sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ;* ergo loquitur de Christo, ut est creator.

## CAPUT V.

### *De satisfactione Christi.*

*Nota*. Sociniani fatentur quidem Christum improprie ac metaphorice pro nobis satisfecisse, hoc

nempe

nempe sensu, quod patientiæ & obedientiæ exemplum nobis præbuerit; sed negant ipsum vere ac proprie pro nobis satisfecisse, hoc catholico sensu, quod pœnæ, quas passus est, essent pretium redemptionis nostræ, quo nimirum pœnæ nobis debitæ compensarentur; unde inferunt Patrem æternum ex mera misericordia, & sine ullo ad Passionem Christi respectu, pœnam peccato debitam iis remittere qui credunt in eum.

E contra Catholici omnes docent Christum pro nobis vere, proprie, ac perfecte satisfecisse; sed aliqui contendunt eum non satisfecisse ex vera justitia; alii fatentur satisfecisse ex vera quidem justitia, sed non stricta & rigorosa: quæ omnia triplici quæstione solvemus.

## QUÆSTIO I.

*Utrum Christus vere & proprie pro nobis satisfecerit?*

### CONCLUSIO.

*Christus vere, proprie, & perfecte, pro nobis satisfecit*. Est de fide.

*Prob.* 1. *Argumento ex Scriptura deducto*: ille vere ac proprie pro nobis satisfecit, quem Pater pœnis peccato debitis oneravit; qui illas pœnas persolvendas in se suscepit; qui illas loco nostri, per veram in locum nostrum subrogationem, persolvit; atqui Christus: 1. Pœnis peccato debitis oneratus fuit a Patre. 2. Illas pœnas solvendas in se suscepit. 3. Easdem pœnas loco nostri, per veram subrogationem, persolvit; ergo.

*Prob. prima pars min.* Isaiæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Unde S. Cyrill. Alexand. *lib.* 2. *in Joann.* ait: *Quoniam in peccato eramus, atque idcirco morti & interitui debebamur, Filium suum Pater in redemptionis pretium dedit pro nobis*; ergo.

*Prob. secunda pars min.* Ex Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: id est, punitionem nobis debitam in se transtulit. Unde D. August. lib. 14. contra Faustum cap. 4. ait: *Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum*.

*Prob. tertia pars min.* Ex Roman. 8. *Cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. 2. Corinth. 5. dicitur: *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Ex quibus sic argumentor: pro aliquo agere aut pati, est illius vice & loco agere, aut pati per veram in illius locum subrogationem: nam particula, *pro*, ex usu Scripturæ, aut rei, aut personæ, in alterius rei, aut personæ locum, subrogationem significat; sic 2. Regum 18. David ait; *Absalon fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te?* id est, *utinam loco tuo mortuus essem*. Atqui Christus pro nobis mortuus est, pro nobis pœnas peccati tulit; ergo non solum utiliter nobis, sed etiam vice & loco nostro, atque adeo vere & proprie pro nobis satisfecit.

*Prob.* 2. Tradit. Patrum, qui unanimi consensione docent, Christum nos redemisse per satisfactionem proprie dictam.

Origenes, *Tract. in cap.* 16. *Matth.* hæc habet: *Deus pro animabus omnium dedit commutationem, pretiosum sanguinem Filii sui*.

Cyrill. Jerosolym. Catechesi 13. *Jesus seipsum in redemptionis pretium offerens, nonne illam adversus homines iram dissolvit?*

D. August. enarratione in Psalm. 95. *Tenebantur homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate; vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt: venit redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum . . . Sanguis Christi pretium est*. Ex his omnibus sic arguitur: illi censuerunt Christum vere ac proprie nos, per satisfactionem proprie dictam, redemisse, qui asseruerunt Christum seipsum dedisse in pretium redemptionis nostræ, sanguinem suum dedisse commutationem pro animabus nostris, fudisse sanguinem, & eo emisse orbem terrarum; atqui id asseruerunt Patres; ergo.

#### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Scriptura nullibi docet Christum pro nobis satisfecisse, & loco nostro subrogatum fuisse; ergo.

Resp. *dist. ant.* Scriptura nullibi id docet, expresse, *conc.* implicite, æquivalenter, & necessaria consecutione, *nego ant.* In his enim & aliis Scripturæ verbis continetur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, ex quibus utrumque certe colligitur, & Christum loco nostri fuisse subrogatum, ac debita nostra solvendo, pro nobis satisfecisse; & ita, licet vox ipsa, *satisfactionis*, & *subrogationis*, expresse in Scripturis non reperiatur, res tamen nomine significata in illis expresse continetur, quod sufficit ad dogma catholicum de satisfactione Christi stabiliendum.

*Objicies* 2. Vera satisfactio pro peccatis repugnat ex parte Dei Patris; ergo.

*Prob. ant.* Deus Pater nobis peccata gratis omnino remittit; atqui nihil magis opponitur gratuitæ remissioni, quam proprie dicta satisfactio, ergo repugnat ex parte Dei Patris, proprie dicta satisfactio.

Resp. *dist. min.* Nihil magis opponitur gratuitæ remissioni, quam proprie dicta satisfactio, repetita ab eo, cui fit gratuita remissio, *conc.* repetita ab alio, qui se vadem ac sponsorem pro debitore constituit, *nego min.* Porro, in præsenti mysterio, Deus satisfactionem a nobis non repetiit, sed a dilecto Filio suo, in quo summa misericordia respectu nostri, & summa justitia respectu Christi satisfacientis, enituit, ut declarat Apostolus Roman. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium peccatorum*.

*Inst.* 1. Illi gratis non remittitur, qui sponsorem habet, a quo omne debitum solvitur; atqui, ex responsione, homo peccator Christum habet sponsorem, a quo omne debitum solvitur; ergo.

Resp. *dist. maj.* In debitis realibus, *conc.* personalibus, *nego maj.* Inter utrumque illud debitum,

tum, hoc discrimen est, quod in debitis realibus restituenda sit æqualitas rei ad rem, quod quilibet potest præstare pro alio; at in debitis personalibus, restituenda est æqualitas personæ ad personam, quæ ita exigit constitui a persona ipsa lædente, ut sit gratuita remissio respectu illius, si persona læsa satisfactionem ab alio oblatam acceptet, licet vera sit satisfactio justitiæ respectu illius, qui loco personæ lædentis ponitur, ut in hoc mysterio factum est.

*Inst.* 2. Ut debitum gratis remitti dicatur, requiritur ut creditor nihil exigat; atqui Deus creditor gravissimas pœnas a Christo sponsore solvendas exigit; ergo.

Resp. *dist. maj.* Requiritur ut creditor nihil exigat a debitore, *conc.* a sponsore, qui pœnas a debitore contractas in se suscepit, *nego maj.* Diversum ergo est subjectum gratuitæ remissionis & satisfactionis; a Christo exigitur satisfactio, nobis vero gratuita remissio impenditur; quæ duo non sunt sibi contraria, sed rite conciliantur in diversis subjectis.

*Inst.* 3. Si Christus ut sponsor perfecte pro nobis solvit, commutatus quidem est debitor, sed debitum non est gratis remissum; atqui res ita se habet in hoc mysterio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non est gratis remissum, respectu sponsoris, qui pro debitore solvit, *conc.* respectu ipsius debitoris, cujus personale debitum in alium transfertur, *nego maj.* Quod ergo Deus vadis & sponsoris solutionem personalem acceptaverit, fuit certe maxima benignitas, eaque censetur gratuita debiti remissio respectu hominis.

*Inst.* 4. Si Christus pro nobis vere ac proprie satisfecisset, inanes & frustraneæ essent nostræ privatæ satisfactiones; falsum conseq. Ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quia licet Christus omne pretium pro nobis solverit, ejus tamen merita nobis non applicantur, nisi per bonas nostras actiones per gratiam Christi elicitas; nam Deus satisfactiones Christi pro nobis non acceptavit quoad ejus effectus, nisi sub conditione applicationis ipsis faciendæ per bona gratiæ opera; & Christus ipse non aliter eas voluit a Patre acceptari, & hominibus prodesse.

*Objicies* 2. Scripturæ loca, in quibus dicitur quod Christus pro peccatis hominum satisfecerit, metaphorice, non ad litteram, sumenda sunt; ergo.

*Prob. ant.* Toties Scriptura metaphorice sumenda est, quoties sumpta in sensu litterali probare videtur factum, quod est contra æquitatem, vel repugnat; atqui Christum satisfecisse pro nobis, est contra æquitatem, & repugnat; ergo.

*Prob. ant.* Est contra æquitatem, ut innocens pro reo plectatur, ejusque loco substituatur; atqui Christus est innocens; ergo &c. 2. Repugnat Deum sibi ipsi satisfacere; simul enim daret & acciperet solutionem; atqui Christus est Deus; ergo.

Resp. *ad* 1. *dist. maj.* Contra æquitatem est, ut innocens pro reo puniatur, si sponsor ejus fuerit, *nego*, peccata enim rei quoad pœnam censentur translata in sponsorem, si sponsor ejus non fuerit, *subdist.* contra æquitatem est, si ista substitutio fiat auctoritate humana, *conc.* hanc enim potestatem Deus non concessit judicibus, quibus prohibuit ne unum pro alio puniant, *Exod.* 24. dicens: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Si ista substitutio fiat auctoritate divina, *nego maj.* hujus enim substitutionis multa sunt exempla in Scripturis, v. gr. ob factum Cham, execrationi subjicitur Canaan: Genes. 19. ob factum Davidis, pereunt septuaginta hominum millia: & Thren. 5. dicitur: *Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus.*

Resp. *ad* 2. *dist. min.* Christus est Deus simul & homo, *conc.* est Deus tantum, *nego min.* Porro Christus, ut homo, sibi ipsi satisfecit ut Deo, in quo nulla est contradictio; adversarii ergo committunt fallaciam, *a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter*, quando, ex eo quod Christus sibi satisfecerit ut Deo, concludunt simpliciter & absolute Christum sibi satisfecisse.

*Inst.* Scripturæ non alium assignant mortis Christi finem, quam ut nobis exemplum potentiæ præbeat: *Christus passus est pro nobis*, inquit Divus Petrus, epist. 1. cap. 2. *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ergo.

Resp. *nego ant.* Cujus falsitas constat ex testimoniis inter probationes adductis; equidem Christus passus est, ut nobis esset patientiæ exemplum, sed ille finis partialis est & secundarius, non adæquatus, nec primarius, cum primario & principaliter passus sit ad humani generis redemptionem.

*Objicies* 3. Is pro nobis non satisfecit vere, qui non solvit id omne, quod debebamus sustinere; atqui Christus non sustinuit id omne quod debebamus sustinere: debebamus enim mortem æternam sustinere, quam Christus non sustinuit; ergo.

Resp. *nego min.* Ad prob. *dist.* Christus non sustinuit mortem æternam, quoad ejus durationem, *conc.* quoad valorem æquivalentem, *nego.* Equidem mors Christi temporanea fuit physice, sed a persona infinita, a qua fuit tolerata, infinitam quamdam moralem contraxit, quæ plusquam sufficiens est ad compensandas pœnas in duratione infinitas.

## QUÆSTIO II.

*Utrum Christus satisfecerit ex vera justitia?*

## CONCLUSIO.

*Satisfactio Christi fuit ex vera justitia.*

*Prob.* Ex Scriptura Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* Et Coloss. 2. *Delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Atqui eæ voces, *ostensio justitiæ*, *delens chirographum*, sonant satisfactionem ex vera, & proprie dicta justitia factam; ergo.

*Prob.* 2. *ex trad.* P. Divus August. lib. 13. de Trinit. ait: *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit.*

S. Leo, Serm. 12. de Passione Domini: *Ad destructionem diaboli destruendam*, inquit, *magis usus est justitia rationis, quam potestate virtutis.*

Proclus Cyzicensis, Hom. de Incarnatione relata in Conc. Ephes. part. 1. cap. 1. „ Erat itaque, in-

*inquit*, alterutrum duorum necessarium, aut ut omnes condemnati præcipites abirent in mortem, aut certe ut tale redemptionis pretium daretur, quod omnibus justitiæ numeris sufficeret ad liberationem ".

*Prob.* 3. *ratione:* Justitia definitur: " constans ac perpetua voluntas unicuique quod suum est reddendi ad æqualitatem. ". Atqui Christus omne debitum nostrum solvit, ut probavimus contra Socinianos; solvitque non solum ad æqualitatem, sed superabundanter, propter infinitam suæ personæ dignitatem; ergo.

*Objicies* 1. Inter Deum & hominem non potest dari actus justitiæ proprie dictæ; atqui Christus satisfecit Deo, quatenus homo fuit; ergo.

Resp. *dist. maj.* Inter Deum & hominem purum, *conc.* inter Deum & hominem Deum, *nego maj.* Porro Christus satisfecit, non ut homo purus, sed ut homo Deus, per actiones theandricas.

*Inst.* Inter Patrem & Filium non potest dari actus justitiæ stricte dictæ: atqui Christus, ut Deus homo, est Filius Patris æterni; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si Filius non habeat bona propria, *conc.* si habeat, *nego maj.* Filius autem Dei habet bona propria, nempe humanitatem, cujus est dominus; ergo ex propriis potuit satisfacere.

*Objicies* 2. Omne peccatum non est contra justitiam; ergo satisfactio non est ex vera justitia.

Resp. *nego ant.* Omne enim peccatum est injuria Deo illata, qua læditur jus, quod Deus habet, ut ipsi obediatur.

## QUÆSTIO III.

*Utrum Christus satisfecerit ex justitia rigorosa?*

*Nota*. Ut satisfactio sit ex rigore justitiæ, requiruntur juxta definitionem satisfactionis a nobis traditam, ut supra qu. 2. immediate præc. sex conditiones: *Prima*, ut sit redditio voluntaria honoris. *Secunda*, ut sit æquivalens. *Tertia*, ut sit ex propriis. *Quarta*, ut sit ex alias indebitis. *Quinta*, ut sit ad compensandam injuriam. *Sexta*, ut injuria sit alteri illata.

1. Constat apud omnes satisfactionem Christi fuisse voluntariam; nam ex Isaia 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.*

2. Constat eam fuisse ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, Roman. 5. " Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus ".

Restat ergo videndum 1. An satisfactio Christi fuerit æquivalens? 2. An ex propriis? 3. An ex alias indebitis? 4. Tandem an fuerit ad alterum? sequentibus articulis.

### ARTICULUS I.

*An satisfactio Christi fuerit æquivalens; sive an Christus tantum reddiderit, quantum Deus exigere juste poterat ad compensandam perfecte injuriam sibi illatam?*

*Nota* 1. Triplex distingui potest valor satisfactionum Christi. *Primus est essentialis*, qui petitur ex parte actionum Christi physice spectatarum. *Secundus, est accidentalis*, qui petitur ex parte gratiæ sanctificantis, quæ actiones Christi significabat. *Tertius, est substantialis*, qui petitur ex parte personæ satisfacientis, & is duplex est, radicalis & derivatus.

*Valor radicalis* est ille, qui petitur ab ipsa Verbi divini personalitate, in quantum est veluti pars pretii oblati, ex qua & ipsa actione, unum quoddam morale coalescit, quod Deo in satisfactionem offertur.

*Valor derivatus* est ille, qui petitur ab ipsa Verbi divini personalitate, prout habet rationem circumstantiæ dignificantis actiones agentis.

*Nota* 2. Valor *essentialis*, & *accidentalis* satisfactionum Christi est finitus, sicut principia ex quibus oritur; valor vero *substantialis* sive radicalis, sive derivatus, est infinitus, sicut infinita est persona, ex qua oritur. His notatis.

## CONCLUSIO.

*Satisfactio Christi est æquivalens, immo & superabundans.* Ita D. Thom. & communiter Theologi contra Scotum & Scotistas.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ docet 1. nostram, per Christum, redemptionem fuisse superabundantem, Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* 2. Eam superasse peccati gravitatem, Rom. 5. " Non sicut delictum, ita & donum: ubi abundavit delictum, superabundavit gratia ". 3. Illius virtutem fuisse sufficientem ad delenda omnium hominum peccata, 1. Jo: 2. " Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ".

*Prob.* 2. *ex PP.* D. Chrysost. in cap. 5. ad Rom. Hom. 10. ait: " Christum non modo tantum juvisse, quantum læserat Adam, sed & multo plenius . . . . multo enim plura iis quæ debebamus, rependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum, majus esse possit. *Et Clemens VI. Extravag.* Unigenitus, *de pœnit. & remis.* Non guttam, *inquit*, sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse ".

*Prob.* 3. *ratione:* Nam satisfactio Christi in genere moris, est infiniti simpliciter valoris; ergo non solum est æquivalens peccato, cujus malitia non est simpliciter, sed tantum extrinsece infinita, sed est superabundans. *Prob. ant.* Valor satisfactionis petitur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ est illius principium *quod*, immo, quæ est pars satisfactionis illius: *Qui semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem.* Atqui persona Christi est infinita simpliciter; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Satisfactio Christi non fuit infinita; ergo, &c.

*Prob. ant.* Christus satisfecit per actiones humanas; atqui actiones humanæ Christi sunt finitæ; ergo, &c.

Resp. *conc. maj. dist. min.* Sunt finitæ quoad entitatem physicam, *conc.* quoad valorem moralem substantialem, *nego min.* Nam si attendatur valor radicalis, est infinitus utpote fluens a persona Verbi infinita, quæ & offerebat simul, & erat pars rei oblatæ: *Humiliavit enim seme-*

*metipsum*. Si attendatur valor derivatus, est etiam infinitus, utpote fluens ex unione hypostatica Verbi cum humanitate.

Dixi: *Esto maj.* nam Christus non satisfecit per actiones solum humanas, sed per actiones Theandricas, id est, per actiones hominis Dei: utraque enim natura suo modo concurrit ad satisfactionem, humana materiam actionum & passionum subministrando, divina valorem infinitum impertiendo, unde potest negari major.

*Inst.* 1. Ut valor *radicalis* actionum Christi sit infinitus, debuit persona Christi sese submittere & offerre; atqui persona Christi, utpote divina, non potuit sese submittere & offerre; ergo.

Resp. *dist. min.* Persona Christi, seorsim & secundum se sumpta, *conc.* hypostatice unita cum humanitate, *nego min.* nam de ea sic considerata scribit Apostolus Philippens. 2. *Humiliavit semetipsum*. Hæ fuerunt adinventiones Domini, ut quod in cœlis non poterat, in terris sese persona Verbi submitteret.

*Inst.* 2. Si valor infinitus sit ex eo quod persona infinita conjunctim cum humanitate offeratur & submittatur, Beata Virgo Maria, offerendo suum Filium, satisfecisset infinite, & nunc sacerdos in altari pro omnium peccatis satisfaceret; falsum consequens; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quia in satisfactione, non solum spectari debet res oblata, sed etiam persona offerens, quæ se, vel per se, vel per rem suam sub mittit, sicque ad infinitam satisfactionem requiritur persona infinita offerens.

*Inst.* 3. Non potuerunt actiones Christi a divina persona habere infinitum valorem, nisi singula Christi opera fuerint æqualis valoris cum omnibus ejus operibus collective sumptis; absurdum conseq. ergo.

Resp. *dist. seq. maj.* Nisi singula opera fuerint æqualis valoris, quoad sufficientiam, *conc.* quoad effectum satisfaciendi, *nego seq.* Equidem singula opera Christi fuerunt æqualis valoris *quoad sufficientiam*, quia singulorum operum valor fuit infinitus; non fuerunt tamen æqualis valoris *quoad effectum satisfaciendi*, quia pendet effectus ille ab ordinatione Christi, qui noluit singula sua opera suum effectum habere, nisi dependenter a sua morte, nam Hebr. 2. *Decebat . . . . auctorem salutis eorum per passionem consummare*.

*Inst.* 4. Si unica Christi actio sit infiniti valoris, superflue Christus moriendo totum effudit sanguinem; impium conseq. ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Nam opus salutis ex intentione Christi debet considerari; atqui Christus propter suam erga nos ardentissimam charitatem, per mortem propriam voluit opus salutis consummare; ergo &c. nam, ut ait D. Aug. serm. 101. de tempore: *Mors, nisi a morte, separari non poterat*, *ideo mortem Christus sustinuit*, &c.

*Inst.* Valor operum Christi est quid creatum; ergo & quid finitum.

Resp. *nego ant.* Neque enim est aliquid creatum, neque aliquid increatum, cum non sit ens physicum sed morale, scilicet fundamentum reale æstimationis Dei, & omnium prudentum.

*Objicies* 2. Cui aliquid deest, illud non est æquivalens, atqui satisfactioni Christi aliquid deest ex Apost. Coloss. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea*; ergo.

Resp. *dist. min.* Aliquid deest, quoad illius applicationem nobis factam, *conc.* quoad valorem solutionis, *nego min.* Id ergo quod deest satisfactioni Christi, sunt bona nostra opera; sine quibus satisfactio Christi nobis applicari non potest.

*Inst.* Necesse fuit ad valorem satisfactionis Christi, ut a Deo acceptaretur; ergo ex sese aliquid ipsi defuit, nec fuit æquivalens.

Resp. *dist. ant.* Necesse fuit ut a Deo acceptaretur, nec potuit non acceptari, *conc.* & potuit non acceptari, *nego ant.* unde satisfactio Christi, non ex Dei acceptantis liberalitate vim obtinuit, sed ex sola sui ipsius condignitate, qua factum est ut Deus nihil habuerit gratuito remittendum, nec potuerit non acceptare satisfactionem ex se valoris simpliciter infiniti.

*Objicies* 3. Si Christus non solum æquivalenter, sed & superabundanter satisfecerit, jam sunt inutilia Sacramenta, jam nos non tenemur amplius ullam ex parte nostra exhibere satisfactionem; falsum conseq. ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quia Deus noluit satisfactiones Christi, licet valoris sint infiniti, nobis applicari, nisi dependenter a cooperatione nostra per opera virtutum, & specialiter per receptionem Sacramentorum, quæ sunt publica instrumenta, quibus Deus utitur, ut, quam sanguine suo promeruit, gratiam nobis communicet: *Sumus*, quidem, *cohæredes Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ait Apost. Rom. 8.

## ARTICULUS II.

*An satisfactio Christi fuerit ex propriis?*

### CONCLUSIO.

*Christus satisfecit ex propriis*. Est contra Vasquez.

*Prob.* Ille satisfecit ex propriis, qui satisfecit ex bonis sub speciali suo dominio constitutis; atqui Christus satisfecit ex bonis sub speciali suo dominio constitutis; ergo, &c. *Prob. min.* Christus satisfecit per actiones *theandricas*, secundum suum valorem substantialem consideratas; atqui actiones *theandricæ*, erant sub speciali Christi dominio constitutæ; ergo, &c. *Prob. min.* Actiones *theandricæ* spectari possunt, vel ut personam Verbi se se submittentem, intrinsece includebant tanquam sui partem, a qua hauriebant valorem radicalem; vel ut connotabant extrinsece eamdem personam, a qua valorem derivatum habebant; atqui actiones *theandricæ*, utroque modo illo spectatæ, erant sub speciali & absoluto Christi dominio: persona enim Verbi, utpote divina, sub nullius dominio jacet, sive spectetur ut est pars satisfactionis, sive ut dignificat actiones satisfactorias; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Actiones, per quas satisfecit Christus, erant sub dominio Dei; ergo.

Resp. *dist. ant.* Actiones secundum entitatem, & valorem finitum spectatæ, *conc.* secundum valorem

lorem substantialem & infinitum, *nego ant.* Solutio patet ex dictis.

*Inst.* 1. Christus satisfecit in quantum erat homo; atqui omnia, quæ Christus habuit ut homo, erant sub dominio Dei; ergo id, per quod satisfecit, erat sub dominio Dei.

Resp. *dist. maj.* Christus satisfecit in quantum erat homo & Deus simul, *conc.* in quantum homo tantum, *nego maj.* suppositum enim Verbi & fuit pars satisfactionis, & actiones satisfactorias dignificavit.

*Inst.* 2. Christus passus & mortuus est in quantum homo tantum; ergo & satisfecit in quantum homo tantum.

Resp. *nego conseq.* Nam triplicis generis sunt attributa Christi: alia ipsi competunt in quantum Deus est, v. gr. comprehendere Deum; alia illi conveniunt in quantum homo est, non vero conveniunt ei, ut Deus est, nisi per communicationem idiomatum, v. gr. pati, mori, &c.; alia ei conveniunt in quantum est Deus homo, talia sunt quæ submissionem significant, v. g. offerre se, satisfacere, &c.

Resp. *dist. ant.* Fuit principium partiale, *conced.* totale, *nego ant.* Itaque humanitas fuit *principium quo*, actionum Christi satisfactoriarum, sed persona Verbi, quæ sustentabat humanitatem, fuit earumdem *principium quod*, ac proinde Christus, nec ut homo seorsim, nec ut Deus seorsim; sed ut homo Deus satisfecit.

*Objicies* 2. Ea satisfactio non fit ex propriis, quæ fit ex gratia creditoris; atqui satisfactio Christi facta est ex gratia creditoris, nempe ex gratia unionis hypostaticæ: ergo.

Resp. *dist. min.* Satisfactio Christi facta est ex gratia unionis hypostaticæ, præsuppositive, *conc.* formaliter, *nego min.* neque enim per gratiam unionis formaliter Christus satisfecit, sed per actiones proprias quibus, supposita unione hypostatica, contulit valorem infinitum.

## ARTICULUS III.

*An satisfactio Christi fuerit ex alias indebitis?*

### CONCLUSIO.

*Satisfactio Christi fuit ex alias indebitis.* Est contra Vasquez.

*Prob.* Quia Christus satisfecit per opera secundum valorem substantialem considerata; atqui opera Christi, secundum illum valorem spectata, sunt indebita: nam sunt actiones Verbi divini se submittentis & dignificantis actiones satisfactorias; atqui actiones Verbi alteri sunt indebitæ sicut & ipsum Verbum; ergo.

*Confirmatur* ex dictis superiori conclusione: Illud quippe est alteri indebitum, quod est sub singulari & absoluto Christi dominio; atqui actiones Christi satisfactoriæ, secundum valorem substantialem spectatæ, sunt tales, ut probavimus; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quidquid creatum est, Deo debetur titulo gratitudinis, religionis, &c. atqui omnes Christi actiones satisfactoriæ, erant creatæ, ergo.

Resp. *dist. min.* Erant creatæ, quoad entitatem *conc.* quoad valorem substantialem, *nego min.* Valor enim ille oritur ab ipsa Verbi persona, quæ, sicut nulli subjacet, sic nulli quidquam debet; immo ille valor est ipsamet Verbi persona humanitati conjuncta, quæ simul cum ea humanitate se *exinanivit*.

*Inst.* 1. Christus illum valorem infinitum in suis actionibus accepit a Deo: ergo illum Deo debebat.

Resp. *nego ant.* Equidem actiones Christi istum valorem acceperunt, sed non Christus ipse, qui a se, supposita humanitatis a Verbo sustentatione, valorem istum effundebat.

*Inst.* 2. Christus accepit a Deo unionem hypostaticam; ergo & valorem substantialem suarum actionum accepit a Deo.

Resp. *dist. ant.* Accepit a Deo unionem hypostaticam, quæ est conditio necessario prærequisita ad eliciendas actiones satisfactorias, *conc.* quæ sit principium activum actionum satisfactoriarum, *nego ant. & conseq.* Equidem Christus accepit a Deo unionem hypostaticam, qua supposita, dignitas quædam infinita effluxit in humanitatem; at sola Verbi persona dignitatem illam per se proxime & directe contulit; ergo ab ea sola emanavit uterque valor, radicalis scilicet & derivatus, actionum Christi.

*Objicies* 2. Omnes actiones Christi theandricæ, a Deo reposci poterant; ergo ipsi erant debitæ.

*Prob. ant.* Ab eo, qui concessit beneficium infinitum, reposci potest infinita gratitudo; atqui Deus Christo concessit beneficium infinitum, nempe unionem hypostaticam; ergo.

Resp. *dist. min.* Unio hypostatica est beneficium infinitum, ratione Verbi uniti, *conc.* ratione modi unionis, *nego min.* Beneficium enim, quod humanitas accepit per unionem hypostaticam, erat quidem rei infinitæ secundum se, sed non secundum participandi modum; nam humanitas finite solum a Verbo terminata est; unde illud beneficium non reposcebat gratitudinem infinitam simpliciter, sed solum gratitudinem finitam.

## ARTICULUS IV.

*An satisfactio Christi fuerit ad alterum?*

### CONCLUSIO.

*Satisfactio Christi fuit ad alterum.*

*Prob.* Satisfactio ab eo facta, qui habet distinctam naturam, distinctum dominium, & distinctum saltem virtualiter suppositum, est ad alterum; atqui talis fuit satisfactio Christi; ergo, &c. *Prob. min.* quia satisfactio fuit ab ipsa Verbi divini personalitate ut terminante naturam humanam; atqui personalitas Verbi, prout terminat humanitatem, habet naturam & voluntatem distinctam a natura & voluntate divina, habet distinctum dominium, personam quoque saltem virtualiter a persona, cui facta est satisfactio, distinctam, ob diversitatem dominiorum; ergo.

*Objicies*. Satisfactio Filii respectu Patris, non est proprie ad alterum; atqui Christus, etiam prout est homo, est Dei Patris Filius & quidem naturalis; ergo, &c.

*Prob.*

*Prob. maj.* Pater & Filius unam tantum personam moralem constituunt; ergo.

Resp. *dist. ant.* Unam tantum moralem personam constituunt, si non habent diversa dominia, *conc.* si habeant, *nego ant.* Porro Christus prout est homo, dominium habet omnino distinctum a dominio Patris, ratione cujus personam virtualiter a Deo Patre distinctam habet.

*Inst.* Unius ad seipsum satisfactio, non est ad alterum; atqui satisfactio Christi fuit sui ipsius ad se ipsum; ergo.

Resp. *dist. maj.* Unius ad se ipsum, si non sit virtualiter duplex, *conc.*, si sit virtualiter duplex, *nego maj.* Itaque persona Verbi, propter distinctas naturas, ex quibus constat, habet diversa dominia, & est virtualiter duplex; nam Verbum in se ipso subsistens, virtualiter a seipso, prout in humanitate subsistit, distinguitur; proindeque illius ad seipsum satisfactio, vere ac proprie fuit ad alterum.

## CAPUT VI.

*De variis Christi titulis & officiis.*

*Nota.* Nostri non est instituti hic omnes Christi dignitates, & omnia recensere officia: magis præcipuis contenti, agemus: 1. De prædestinatione Christi. 2. De ejus filiatione. 3. De ejus servitute. 4. De dignitate capitis in Christo. 5. De ejus regia & judiciaria dignitate. 6. De ejus sacerdotio. 7. De ejus patrocinio. 8. De ejus mediatione, totidem quæstionibus.

### QUÆSTIO I.

*De prædestinatione Christi.*

CONCLUSIO.

*Christus, ut homo, vere est, & dicitur prædestinatus, tum ad filiationem divinam, tum ad visionem beatificam.*

*Prob. prima pars.* Prædestinatio est *rerum, quæ fiunt in tempore, præordinatio in mente divina*; atqui decretum fuit ab æterno, ut Christus, quatenus homo, esset in tempore Filius Dei, juxta illud Apostoli, Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*; ergo Christus est, & vere dicitur prædestinatus ad divinam filiationem.

*Prob. secunda pars*: Ille prædestinatus est ad visionem beatificam, qui prædestinatus est ad id, cui debetur, & ex quo sequitur visio beatifica; atqui Christus prædestinatus est ad divinam filiationem, cui debetur, & ex qua sequitur visio beatifica; ergo.

*Objicies contra primam partem*: Prædestinatio refertur ad personam; atqui persona Christi non potest dici prædestinata ad divinam filiationem; ergo Christus non potest dici prædestinatus.

Resp. *dist. min.* Persona Christi, prout in seipsa subsistens, non potest dici prædestinata ad divinam filiationem, *conc.* prout subsistens in natura humana, *nego min.* Licet ergo persona Verbi semper fuerit Filius Dei simpliciter, non tamen fuit semper Filius Dei, quatenus subsistens in humanitate assumpta, sed hoc acquisivit in tempore ex mera Dei liberalitate.

*Inst.* 1. Christus non potest dici Filius Dei adoptivus, ne hoc quidem sensu, quod adoptio referatur ad personam, prout subsistentem in natura humana; ergo a pari, &c.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod filiatio adoptiva excludat filiationem naturalem, ut dicemus quæst. sequenti; at in prædestinatione hæc exclusio locum non habet.

*Inst.* 2. Prædestinatio est gratia; atqui Christus prout supponit pro persona, nihil potest recipere titulo gratiæ; ergo.

Resp. *dist. min.* Christus prout supponit pro persona in se subsistente, *conc.* subsistente in natura humana, *nego min.*

*Inst.* 3. Terminus prædestinationis debet esse distinctus a re quæ prædestinatur; atqui divina filiatio, quæ est terminus prædestinationis, non est distincta a Christo Filio Dei, qui est res prædestinata; ergo.

Resp. *dist. min.* Divina filiatio non est distincta a Christo, si spectetur ut suppositum, quod terminat naturam divinam, *conc.* si spectetur ut suppositum, quod terminat naturam humanam, *nego min.* Porro diversus ille respectus sufficit, ut eadem res & sit prædestinata, & terminus prædestinationis.

### QUÆSTIO II.

*De filiatione Christi.*

*Nota* 1. Duplex est filiatio, naturalis nempe, & adoptiva.

*Filius naturalis* est ille, cui, jure nativitatis, paterna hæreditas debetur . . . *Filius adoptivus* est extraneus, qui per gratiam ad hæreditatem assumitur. Unde adoptio a Jurisconsultis definitur: *Personæ extraneæ assumptio gratuita ad hæreditatem.*

*Nota* 2. In VIII. sæculo *Felix* Urgelitanus & *Elipandus* Toletanus, docuerunt Christum esse Filium Dei adoptivum. Damnati sunt ab Hadriano S. P. & a Concil. Francofordiensi.

CONCLUSIO.

*Christus, etiam quatenus homo, nec est, nec dici potest Filius Dei adoptivus.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Rom. 8. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quo sic argumentor: ille cui non pepercit Deus, est Filius Dei proprius & naturalis; atqui ille est Christus quatenus homo, cum, ut arguit *Hadrianus I.* ad Episcopos Hispaniæ, non potuerit tradi in mortem, nisi quatenus homo; ergo Christus, quatenus homo, & Filius naturalis non potest esse Filius adoptivus; illa enim duo opponuntur; ergo.

*Prob.* 2. *ex PP.* Div. Hilarius, lib. 6. de Trinit. super hæc verba: *Hic est Filius meus*, ait: *Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab Apostolis prædicatum, non ex nuncupatione, sed ex natura, neque ex adoptione, sed ex nativitate*".

Divus August. tract. 82. in Joann. *Nos filii gratio,*

*tia*, inquit, *non natura: unigenitus autem natura, non gratia*. Ut autem significet se etiam loqui de Christo ut homine, subjungit: *An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? ita sane*.

In lib. qui inscribitur, *Sacrosyllabus*, approbato in Conc. Francofordiensi, dicitur: *Proprius Filius factus est ex muliere, non adoptivus*. Atqui factus est ex muliere, prout homo est; ergo.

*Prob.* 3. Ratione peremptoria, desumpta ex libro *sacrosyllabo*: Filius adoptivus debet esse persona extranea, ut constat ex definitione adoptionis; atqui Christus, *etiam ut homo*, non est persona extranea respectu Dei, cum non sit persona alia a persona Verbi divini, quæ est vere & proprie Filius Dei; ergo Christus nec est, nec potest dici Filius Dei adoptivus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Div. Irenæus, *lib.* 3. *Adversus hæreses cap.* 21. sic habet: *propter hoc enim, Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, immixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei*. Ergo Christus adoptionem percepit.

Resp. *nego conseq.* Nam hæc verba, *ut adoptionem percipiens*, non referuntur ad Christum, sed ad quemlibet hominem, qui justificationis gratiam adeptus est, ita ut sensus verborum D. Irenæi hic sit: Filius Dei factus est Filius hominis, ut quilibet alius homo per ejus merita justificatus, per adoptionem fiat Filius Dei: addit enim post citata verba: *Non poteramus aliter immortalitatem accipere, nisi prius immortalitas fieret quod & nos, ut adoptionem filiorum perciperemus*.

*Objicies* 2. D. Hilar. *lib.* 2. *de Trinit.* de Christi nativitate loquens, ait: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Ergo Christus, *ut homo*, fuit adoptatus.

Resp. In textu Hilarii mendum irrepsisse in aliquibus exemplaribus, positumque, *adoptatur*, pro, *adoratur*, quod verbum requiritur, ut constat ex antecedentibus, sic enim exemplar quod habeo præ manibus, Basileæ, ann. 1523. prælo mandatum, habet: *Parit Virgo, partus a Deo est, panni sordent, Deus adoratur; ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur*.

*Objicies* 3. Qui habet formam adoptionis, est Filius adoptivus, forma enim necessario producit suum effectum; atqui Christus habet formam adoptionis, nempe gratiam habitualem; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si sit capax effectus illius formæ, *conc.* si non sit capax, *nego maj.* Itaque, ut si quis sit capax adoptionis, debet esse persona extranea; atqui Christus etiam ut homo, non est persona extranea, ejus enim humanitas subsistit subsistentia divina; ergo, &c. *Ratio est*, quia effectus gratiæ, non est constituere Filium adoptivum reipsa præcise, sed cum connotato extraneitatis, quam extraneitatem gratia in Christo non connotat, cum sit Filius naturalis.

*Inst.* 1. Filius naturalis est productus in similitudinem naturæ; atqui Christus ut homo, non est productus a Deo in similitudinem naturæ, ergo.

Resp. *dist. maj.* Filius naturalis, qui producitur per viam generationis, est in similitudinem naturæ, *conc.* qui producitur per viam unionis substantialis cum Verbo, *nego min.* Christus itaque, ut homo, non est Filius Dei naturalis per generationem, sed est Filius Dei naturalis per unionem substantialem, quia in primo suæ conceptionis instanti fuit hypostatice unitus cum Verbo, cujus unionis virtute fit, ut una sit cum Deo persona, & consequenter Filius naturalis.

*Inst.* 2. Hæc propositio: *Christus, ut homo, est Deus*, falsa est; ergo & ista: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis*.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod in prima propositione, particula, *Ut*, sumitur *reduplicative*: unde sensus est: *Christus ratione humanitatis est Deus*, quod falsum: in secunda vero, particula, *Ut*, sumitur *specificative*, & sensus est: *Verbum in humanitate subsistens, est Filius Dei naturalis*, quod verissimum est.

*Inst.* 3. Verbum, quatenus Deus, ex ratione suæ naturæ divinæ, habet ut sit Filius Dei naturalis; ergo ex ratione naturæ humanæ, habet ut sit Filius Dei adoptivus.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Verbum, ut Deus, sit persona divina; e contra, ut homo, non est persona humana; & ideo cum adoptio non respiciat naturam, sed personam, sequitur quod Verbum, quatenus Deus, sit Filius Dei naturalis, sed non sequitur quod Verbum, quatenus homo, sit Filius Dei adoptivus.

## QUÆSTIO III.

*De servitute Christi.*

*Nota* 1. Duplici modo quis potest alterius esse servus, stricte, nimirum, & late.

*Servus stricte*, est ille, qui non est sui juris, sed domini, ad cujus hæreditatem & bona nullum habet jus.

*Servus late*, est ille, qui habet naturam ab alio dependentem, cui obedire tenetur ut subditus.

*Nota* 2. Felix & Elipandus contenderunt, ideo Christum, quatenus hominem, esse, & dici debere Filium Dei adoptivum, quod esset & dici deberet proprie servus Dei, contra quos sit

CONCLUSIO.

*Christus, etiam quatenus homo, nec est, nec dici potest proprie servus Dei*.

*Prob.* 1. Auctoritate Concil. Francofordiensis in Epist. Synodica, ubi dicitur: *Si Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo potest tunc dici servus, vel adoptivus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum*.

*Prob.* 2. *Ex PP.* D. Damasc. lib. 3. de fide cap. 21. „ Sciendum est, *inquit*, eum ne servum quidem dicere nobis licere, *cujus sententiæ rationem dans, ait*: Siquidem servitutis & dominationis vocabula, non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere, quæ sunt ad aliud, quemadmodum paternitatis & filiationis nomina “; id est, non in naturam cadunt, sed in solam personam; persona autem Christi, cum sit divina, nequaquam serva dici potest.

*Prob.* 3. *ratione*. Christus, *etiam ut homo*, est Filius Dei naturalis, ut supra probavimus; ergo Christus, *etiam ut homo*, nec est, nec potest dici servus Dei stricte. *Conseq.* patet, quia Filius naturalis, est sui juris, atque vi suæ originis habet jus ad bona & hæreditatem Patris, quod cum servitute stricte sumpta stare non potest.

*Objicies*. Christus, in Scriptura, sæpissime appellatur servus, sic Isaiæ 42. dicitur: *Ecce servus meus, suscipiam eum . . . . complacuit sibi in illo anima mea . . . . judicium gentibus proferet*. Quæ verba Christo applicantur, Matth. 12. Ergo.

Resp. *dist. conseq.* Dicitur servus, improprie & late, *conc.* proprie & stricte, *nego conseq.* Christus itaque dicitur *servus* improprie & late, quatenus naturam humanam habebat, per quam servitutis officia exercebat; sed non dicitur *servus* proprie, quatenus conditionis servilis, ut docent Patres Francofordienses, *in epist. ad Episcopos Hispaniæ*, his verbis: *Etsi eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem*.

*Inst.* 1. Omnis creatura est Dei serva; atqui Christus est, & secluso Arianæ hæresis periculo, potest dici creatura: ergo.

Resp. *dist. maj.* Omnis creatura, pura, *conc.* creatura, in Verbo divino subsistens, *nego maj.* Christus autem est creatura a Verbo divino personalizata & terminata.

*Inst.* 2. Christus, Philipp. 2. *Formam servi accepit*; ergo est servus proprie.

Resp. *dist. ant.* Formam servi accepit, improprie, & quoad officia tantum, *conc.* quoad conditionem servilem, *nego ant.* Equidem ad officia servi sese Christus demisit, sed servi conditionem nunquam suscepit, immo nec suscipere potuit, utpote Filius Dei naturalis.

*Inst.* 3. Conditio servilis nil aliud est, quam natura creata ac dependens; atqui Christus suscepit naturam creatam ac dependentem; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam conditio servilis non cadit in naturam, sed in personam, quæ nec sui juris est, sed alieni, nec habet jus ad hæreditatem paternam; proindeque cum persona Christi & sit sui juris, & habeat jus ad hæreditatem paternam, Christus non potest dici stricte servus, etiam prout est homo. Ita respondent Patres Francofordienses, suamque responsionem confirmant ex S. Leone, qui *homil.* 2. *de Nativitate Christi*, ait: *creata est forma servi sine conditione servili*.

*Inst.* 4. Qui fuit Patri obediens usque ad mortem Crucis, ille potest dici servus Patris; atqui talis fuit Christus; ergo.

Resp. *dist. maj.* Qui fuit obediens ex necessitate & timore, *conc.* qui fuit obediens libere & ex charitate, *nego maj.* Sic autem Christus fuit obediens Patri, ut Felici & Elipando respondet Alcuinus, *lib.* 5. nomine PP. Francofordiensium: *Non conditioni debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humana, voluntaria obedientia; nam in Christo quidquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis*.

## QUÆSTIO IV.

*De dignitate capitis in Christo.*

*Nota*. Ad rationem capitis mystici & moralis requiritur, ut præstet in membra, ea omnia, quæ caput naturale obit in corpore physico, & specialiter hæc tria. 1. Ut habeat preæminentiam supra singula & omnia membra. 2. Ut habeat plenitudinem bonorum, quæ per partes duntaxat reperiuntur in membris. 3. Ut habeat vim in membra influendi dona vitæ supernaturalis per gratiam & gloriam. Quæritur, hic, utrum Christus sit caput Ecclesiæ, hominum, & Angelorum. Ideo

### CONCLUSIO.

*Christus, ut homo, est caput Ecclesiæ*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. Et Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*.

*Prob.* 2. Quia Christus, ut homo specificative, habet omnes conditiones veri capitis respectu Ecclesiæ; namque

1. Habet præeminentiam in totam Ecclesiam, Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens*. Unde Christus de seipso dicit, Jo. 13. *Vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim*.

2. Habet plenitudinem omnium gratiarum, Jo: 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*.

3. In omnia Ecclesiæ membra gratiam & dona spiritualia influit, Ephes. 4. *Crescamus in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum*, nempe per influxum gratiarum, nam Jo: 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

*Objicies* 1. Si Christus esset caput Ecclesiæ, esset etiam membrum Ecclesiæ: nam caput est membrum corporis naturalis: atqui id dici non potest: ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quia, *Caput*, est vox analoga respectu capitis naturalis, & mystici; in hoc autem mysticum convenit cum naturali. 1. Quod sicut caput naturale est suprema pars corporis, ita caput mysticum dignitate præcellat iis, respectu quorum est caput. 2. Quod quemadmodum in capite naturali omnes sensus vigent, ita in mystico est plenitudo omnium gratiæ donorum. 3. Quod sicut in capite naturali est virtus influendi in cætera membra vitam & motum, ita in morali sit vis influendi vitam supernaturalem gratiæ, & gloriæ; sed in hoc disconvenit, quod caput morale non importet rationem partis, nec consequenter dependentiam ab aliis partibus; Christus ergo, qui est fundator gregis, non est de grege.

*Inst.* Apost. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, ergo Christus est membrum hujus corporis.

Resp. *nego conseq.* Quia Apostolus per *membra* intelligit quemcumque fidelem, & per vocem, *de mem-*

membro, intelligit non Christum, sed Ecclesiam Corinthiam, unde sensus est: vos estis membra Ecclesiæ Corinthiæ, quæ est pars Ecclesiæ universalis, unde in Græco dicitur: *Estis membra ex parte*. Et in Syriaco: *Estis corpus mystice*, (id est Christi) *& membra in loco vestro*.

*Objicies* 2. Christus, ut homo, seu per humanitatem, non influit dona gratiæ in membra corporis Ecclesiæ; ergo, ut homo, non est caput Ecclesiæ.

Resp. *dist. ant.* Si per *to-homo*, intelligatur sola humanitas, *conc.* si intelligatur homo subsistens in natura Verbi, *nego ant.* atqui per, *to homo*, intelligitur homo subsistens in natura Verbi, quia merita, quæ Christus, prout caput, membris suis communicat, pretium habent ex conjunctione humanitatis cum Verbo; unde particula, *ut homo*, non est reduplicativa *adæquate*, ita ut indicet rationem adæquatam meriti, sed inadæquate, & *quasi specificative*.

*Resolves*. Christum esse caput morale: 1. *Beatorum*, quibus communicat gloriam. 2. *Justorum*, quibus communicat gratiam. 3. *Fidelium peccatorum*, qui uniuntur illi per fidem, quæ licet sit mortua, est tamen gratia per Christum. Sola difficultas est de infidelibus & damnatis, pro qua solvenda:

## CONCLUSIO II.

***Christus est caput infidelium, non quidem actu, sed potentia; nulla vero ratione est caput damnatorum.***

*Prob. prima pars:* Illi non sunt actu membra Christi, quibus nullam vitam communicat, neque perfectam per charitatem, neque imperfectam per fidem; atqui tamen sunt infideles; ergo.

*Prob. secunda pars:* Infideles a Christo gratias actuales accipiunt, quibus si cooperarentur, ulterioribus auxiliis instruerentur, quibus possent ad fidem pervenire, baptizari, & salvari; ergo sunt membra Christi potentia, ait D. Thom. *Quæst.* 8. *art.* 3. *in corp.*

*Dices:* Infideles non baptizati, non sunt membra Ecclesiæ; ergo nec sunt membra Christi.

Resp. *dist. antec.* Non sunt membra Ecclesiæ actu, *conc.* potentia, *nego ant.* Sunt ergo membra Ecclesiæ potentia, hoc sensu, quod Christus det illis media sufficientia quibus bene uti possunt, & justificari, si voluerint. Ita D. Thom. hic.

*Prob. tertia pars*: Qui sunt a Christo in æternum separati, nec jam ullum ab eo accipiunt influxum, non sunt membra Christi; atqui damnati tales sunt; ergo, &c. Ita D. Thom. hic.

## CONCLUSIO III.

*Christus, ut homo, est caput bonorum Angelorum.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Coloss. 2. ". Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. *Et* 1. *Petr.* 3. Profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus. *Unde D. August.* serm. 3. in Psalm. 36. ait: Corpus capitis illius sumus. Nunquid soli nos? Omnes qui ab initio fuerunt justi, adjunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum ".

*Prob.* 2. Quia Christus, etiam respectu Angelorum, habet tres conditiones ad rationem capitis necessarias, & sufficientes, cum eis præcellat dignitate, gratiarum plenitudine, & in eos influat varias illuminationes, variaque dona gloriæ, & gaudiorum accidentalium.

## QUÆSTIO V.

### *De regia & judiciaria Christi dignitate.*

Quæres 1. *An Christus, ut homo, fuerit Rex?*

Resp. *affirm.* Ut manifeste declarat Scriptura, Matth. 27. *Hic est Jesus Rex Judæorum*. Et ipse Jesus sciscitanti Pilato utrum esset Rex, *Matth.* 28. respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Unde D. August. *in Psal.* 147. de Christo dicit: „ Unctus est & Rex & Sacerdos: Rex pugnavit pro nobis; Sacerdos obtulit se pro nobis ".

Quæres 2. *Quale fuerit regnum Christi, an temporale, vel spirituale tantum?*

Resp. Non fuit temporale, ut declarat ipsemet Joan. 18. „ Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc ". Ergo fuit spirituale, positum in institutione, administratione, dispositione rerum omnium, quæ ad hominum salutem ordinantur. Unde Christus potuit 1. Sacramenta instituere. 2. Creare magistratus ecclesiasticos. 3. Condere leges. 4. Omnes homines ad suarum legum observationem adstringere.

*Dices:* Christo concedi debet omnis dignitas, quæ ipsum non dedecet; atqui Christo non dedecuit regia potestas temporalis; ergo.

Resp. *dist. ant.* Quæ Christo non deceret, nec est contraria officio redemptoris, *conc.* si sit contraria officio redemptoris, *nego ant.* Porro regia dignitas in Christo erat maxime contraria officio redemptoris, quod debuit exequi *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*.

Quæres 3. *An Christus, ut homo, sit judex vivorum & mortuorum.*

Resp. *affirm.* Id enim expresse tradit Scriptura, Act. 10. *Ipse est constitutus a Deo judex vivorum & mortuorum*. Idem habetur Joann. 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Atqui non est constitutus judex ut Deus, habet enim hanc potestatem a se; ergo est constitutus judex ut homo: sic enim declaratur Joann. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*. Hinc D. August. lib. 1. de Trin. cap. 13. „ Filius hominis, *inquit*, judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est; & rursum Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea qua Filius hominis est. "

Quæres 4. *Ad quos se extendat judiciaria Christi potestas?*

Resp. Se extendit ad omnes omnino homines, nullo dempto, juxta illud 2. Corinth. 5. „ Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum ".

Ratio est, quia Christus per passionem meruit, ut

ut sit & dicatur omnium Dominus, ex Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur.*

*Objicies* 1. Christus non judicabit homines qui jam credunt; ergo &c.

*Prob. ant.* Ex Joann. 5. ubi dicitur: *Qui credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit de morte ad vitam;* ergo, &c.

Resp. *nego conseq.* Quia ibi, *judicium* non sumitur pro actu judicandi, sed pro condemnatione; unde sensus est; qui credit, non condemnabitur in extremo judicio; quo etiam sensu dicitur ibidem: *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii:* id est, condemnabuntur.

*Objicies* 2. Joann. 5. *Qui non credit, jam judicatus est;* ergo hic non stabit in judicio Christi.

Resp. *dist. ant.* Jam judicatus est per legem, ob illius transgressionem, *conc.* aliter, *nego ant.* Illa porro condemnatio propter legis transgressionem, non impedit quominus etiam judicetur per Judicem, ad quem pertinet ferre sententiam mortis quoad executionem, in eum qui jam per legem morti addictus est quantum ad reatum & obligationem, nam Matth. 25. *Tunc dicet his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

## QUÆSTIO VI.

*De Christi Sacerdotio.*

*Nota.* Sacerdotium duobus modis sumitur, nimirum, 1. *Late*, & improprie, pro facultate bonum opus exercendi, quo sensu, 1. *Petri* 2. omnibus fidelibus dicitur, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* 2. Proprie & stricte, pro auctoritate, singulari titulo alicui collata, ad sacrificium proprie dictum Deo offerendum.

Hic sacerdotii nomen *proprie* sumitur, ac quæritur, 1. Utrum Christus fuerit vere ac proprie Sacerdos? 2. An fuerit Sacerdos prout homo? 3. An Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?

### CONCLUSIO I.

*Christus vere ac proprie fuit Sacerdos.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Hebr. 5. ubi Christo attribuuntur hæc verba Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et Hebr. 4. dicitur: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei.*

*Prob.* 2. *ratione:* Sacerdos proprie est ille, qui publica auctoritate constituitur, ad offerenda Deo dona & sacrificia pro hominibus; atqui Christus 1. auctoritate publica, nempe divina, fuit constitutus Sacerdos, Hebr. 5. *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.* 2. Fuit constitutus ad offerenda pro hominibus dona & sacrificia; ibidem: *Pro hominibus constituitur . . . . ut offerat dona & sacrificia pro peccatis;* ergo.

*Objicies:* Christus non immolavit hostiam; ergo non fuit proprie Sacerdos.

Resp. *nego conseq.* Quia ad verum sacrificium satis est, quod hostia ab eo offeratur, qui ad id est constitutus; atqui Christus, ex Eph. 5. *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis:* ergo.

*Inst.* Martyres vitam propriam pro Deo offerentes, non dicuntur, nec sunt Sacerdotes; ergo.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod Christus ad offerendam hostiam corporis sui a Deo constitutus est, non autem Martyres.

### CONCLUSIO II.

*Christus non fuit Sacerdos prout Deus, sed prout homo hypostatice unitus Deo.*

*Prob.* 1. Ex Apost. Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus;* sed qui assumitur ex hominibus, homo est; ergo.

*Prob.* 2. Ex PP. dicentibus cum D. Ambr. lib. 3. de fide, cap. 5. *Idem Sacerdos; idem & hostia,* atqui Christus fuit hostia prout homo Verbo substantialiter conjunctus; ergo.

*Prob.* 3. *ratione:* Quia Sacerdos debet esse medius inter Deum & homines, debetque habere superiorem cui sacrificet: atqui Christus non ut Deus, sed ut homo, est medius inter Deum, & homines, & Deo inferior; ergo.

### CONCLUSIO III.

*Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

*Prob.* Ex Script. Hebr. 7. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans* (Christus), *corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit* &c.

Quæres 1. *Quare Christus dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech?*

Resp. Ratio est, quia sacrificium Christi ex parte rei oblatæ, expressius fuit repræsentatum per sacerdotium Melchisedech, quam per sacerdotium Aaron; nam Christus in ultima cœna suum corpus & suum sanguinem incruento modo obtulit sub panis & vini speciebus, quibus olim Melchisedech, in suo sacrificio, tamquam Sacerdos, usus fuerat, Genes. 14. *Melchisedech proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.*

Quæres 2. *Quare Christus dicitur Sacerdos in æternum?*

Resp. Dicitur in æternum, quoad se, & quoad effectum: 1. quidem *Quoad se,* quia Christus in suo munere sacerdotali non habuit successorem, sed eo adhuc fungitur, seipsum quotidie sacrificans Sacerdotum ministerio, quod sacrificium duraturum est usque in finem mundi: porro quæ diu durant, dici solent æterna. 2. *Quoad effectum,* qui est consummatio Sanctorum in gloria; quæ in æternum duratura est; & sic causa dicitur æterna ab æternitate effectus.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

*De Christi patrocinio.*

*Nota.* Patroni nomine intelligitur is, qui unum pro alio rogat & interpellat: unde hic quæritur, utrum Christus, ut homo, oraverit in terra, & nunc etiam in cœlis oret pro nobis.

### CONCLUSIO I.

*Christus ut homo, in hac vita vere ac proprie oravit pro nobis.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura: Lucæ 6. *Exiit in montem orare; & erat pernoctans in oratione Dei.* Ergo.

*Prob.* 2. *ratione;* Ut Christus in terris degens oraverit proprie dicta oratione, satis fuit, ut per voluntatem humanam, ex qua orabat, non potuerit implere omne quod volebat, sed tantum dependenter a Deo; atqui Christus per voluntatem humanam, ex qua orabat, non potuit adimplere omne quod per illam volebat; ergo potuit, ac debuit ad divinam virtutem recurrere, ut, quæ volebat, obtineret.

*Objicies:* Christus præsciebat quid futurum esset; ergo non debuit orare.

Resp. *nego conseq.* Nam ad orandum satis fuit Christo, ut sciverit, id quod petebat, non futurum, secundum Dei decretum, nisi dependenter a sua oratione.

Quæres: *An omnis oratio Christi fuerit semper exaudita?*

*Nota.* Duplex fuit oratio Christi, *una absoluta*, per quam aliquid postulabat ex absoluto obtinendi desiderio; *altera conditionata*, per quam aliquid ex affectu duntaxat conditionate exoptabat.

Resp. Oratio Christi absoluta, semper fuit exaudita; non vero conditionata.

*Prob. prima pars.* Ex Jo: 11. ubi Christus dixit Patri: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Quod non potest intelligi nisi de oratione absoluta.

*Ratio est*, quia oratio Christi absoluta, fuit semper divinæ voluntati conformis: nihil enim per eam voluit, nisi quod sciret Deum absolute velle, posita sua oratione; ergo, cum Dei voluntas absoluta suum effectum semper obtineat, oratio Christi absoluta, semper fuit exaudita.

*Prob. secunda pars.* Quia Christus *Matth.* 26. oravit Patrem oratione conditionata: *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat a me calix iste;* atqui non fuit exauditus: ergo.

### CONCLUSIO II.

*Christus, ut homo, etiam nunc in cœlis orat pro nobis.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Roman. 8. „ Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis: *Ad quæ verba D. Aug.* epist. 59. *ait:* Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Immo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat. *Et D. Gregor. in Psalm.* 5. *pænitentialem:* Quotidie Christus orat pro Ecclesia, de qua testatur Apostolus, quia sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis ".

*Prob.* 2. *ratione:* Oratio est expressio sui desiderii facta illi, qui juvare potest; atqui tale desiderium merito admittitur in Christo: ergo, &c. *Oratur in forma Dei*, ait D. August. in Psalm. 85. *Orat in forma servi.*

*Objicies* 1. Christus nunc non meretur; ergo nec orat.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod status viæ requiratur ad merendum, non autem ad orandum; atqui Christus non est in via; ergo.

*Inst.* 1. Qui orat, impetrat; sed qui impetrat, meretur; ergo qui orat, meretur.

Resp. *dist. min.* Qui impetrat, propter dignitatem actualem suæ orationis, meretur, *conc.* propter merita præterita, *nego min.* Cum itaque Christus, & Sancti in cœlis, nobis aliquid impetrant, id eis conceditur, non propter meritum actuale, sed propter merita, quæ, cum in terris viverent, compararunt.

*Inst.* 2. Christus in hac vita sufficienter oravit; ergo nunc non orat.

Resp. *nego cons.* Non orat, ex indigentia, *conc.* ex abundantia, *nego conseq.* Christus itaque orat ex abundantia, eo modo quo amicus, qui ab amico gratiam sibi concedendam impetrasset, eandem gratiam tempore ipsius concessionis postulare non desineret.

*Objicies* 2. Si Christus adhuc hodie oret pro nobis, possemus illum rogare, ut oret pro nobis; atqui hoc est contra praxim Ecclesiæ, quæ in suis Litaniis nunquam dicit: *Christe, ora pro nobis*, sed, *miserere nobis.* Ergo.

Resp. *dist. maj.* Possemus absolute, *conc.* si sit periculum erroris aut periculi, *nego maj.* Illa ergo orandi formula non est usurpanda: 1. Ne connivere videamur cum Arianis; quando enim simpliciter rogatur aliquis, ut oret, tunc significatur ipsum habere superiorem quem possit orare, & quia, simpliciter loquendo, Christus non est inferior Deo, immo Deus ipse, non debet rogari, ut oret; sed potius, ut misereatur nostri. 2. Quia Christum debemus invocare secundum titulum ipsi magis honorificum; standum ergo est praxi Ecclesiæ, quæ errorum Arii & Nestorii vitandorum causa, renuit hunc orandi modum usurpare.

## QUÆSTIO VIII.

*De mediatione Christi.*

*Nota* 1. Mediator est is, qui medius est inter partes dissidentes, ut eas reconciliet. Porro mediator, alius est talis *simpliciter*, alius *secundum quid*.

Mediator *simpliciter* est is, qui reconciliat partes dissidentes, non tantum orando & supplicando, sed etiam solvendo & satisfaciendo uni parti pro altera.

Mediator *secundum quid* est is, qui reconciliat partes dissidentes, orando solum & supplicando uni parti pro altera, & quidem mediate; sic Sancti & Sacerdotes sunt mediatores Dei & hominum, quia interpellant Deum pro hominibus *mediate* tantum, nempe per Christum qui nos redemit.

*Certum est* apud omnes, Christum esse mediatorem Dei & hominum simpliciter, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem*

*nem semetipsum pro omnibus:* quod de solo mediatore simpliciter intelligi potest.

*Nota* 2. Circa mediationem Christi, duplex est error. *Primus* est Calvini, qui, *In duabus Epistolis ad Polonos contra Stancarum*, contendit Christum secundum utramque naturam divinam & humanam, tanquam principium *quo*, mediatoris officio perfunctum fuisse; cum e contra Catholici omnes doceant Christum esse mediatorem, prout est homo cum persona Verbi unitus, ita ut natura humana Christi fuerit principium *quo* operationum, quibus mediatoris opera agebat: Verbum vero fuerit eorumdem opera principium *quod*, a quo suum valorem substantialem desumebant.

*Secundus error* est ejusdem Calvini & Lutheri, qui contendunt invocationem Sanctorum in cœlis regnantium, (quos dicimus mediatores secundum quid) oppositam esse mediationi Christi, eique detrahere; quos errores duobus articulis confutabimus.

## ARTICULUS I.

*Utrum Christus sit mediator Dei & hominum secundum humanitatem, vel divinitatem?*

### CONCLUSIO.

***Christus non est mediator Dei & hominum secundum divinitatem, sed secundum Humanitatem in Verbo subsistentem.*** Est contra Calvinum.

*Prob.* 1. Ex Apost. ad Tim. 2. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Cur, quæso, addit, *homo*, nisi ad exprimendam naturam, secundum quam Christus est mediator? Hoc notat August. *serm.* 11. de verbis Apostoli: *Non ait; Christus Jesus*, inquit, *ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit, homo, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Et lib. 2. de peccato orig. cap. 28. *Non per hoc mediator est, quod æqualis Patri; per hoc enim, quantum Pater, tantum & ipse a nobis distat: & quomodo erit medietas, ubi eadem distantia est? ideo Apostolus non ait: Christus Jesus: sed homo Christus Jesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo, inferior Patre, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati.*

*Prob.* 2. Traditione PP. S. Cyrill. (*Apologia* 12. *cap. contra Orientales*) ait: *Audiens quod dictus est Sacerdos propter humanitatem, erubescis? deinde quomodo non admiratus es quod non secundum Sacerdotium merum alteri fecerit sacrificii modum, sed sibi ipsi & Patri:* Ubi non solum aperte dicit, Christum esse Sacerdotem propter humanitatem, sed etiam innuit non esse talem propter divinitatem, dicens, obtulisse sacrificium *sibi ipsi & Patri*. Non enim potest unus & idem, ut idem, sacrificium offerre & accipere, accipit ergo ut Deus, offert ut homo.

D. Aug. lib. 10. conf. cap. 43. *In quantum homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo.*

*Prob.* 3. *ratione:* Mediator debet esse medius, id est, aliquo modo distans ab utraque parte dissidente: atqui Christus, ut Deus, non potest esse medius inter Deum & homines, cum sit ipse Deus; ergo est medius, ut homo unitus Verbo; sic enim distat a Deo in natura, & ab hominibus in dignitate infinita gratiæ unionis.

*Objicies.* Sub ea ratione Christus est mediator, sub qua nos reconciliavit & pacificavit; atqui Christus nos reconciliavit, prout Deus ab humanitate præcisus; juxta illud 2. Cor. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit per Christum.* Et illud Coloss. 1. *pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ergo.

Resp. *dist. maj.* Sub ea ratione Christus est mediator, sub qua nos reconciliavit & pacificavit, supplicando & satisfaciendo, pro nobis, *conc.* exaudiendo & acceptando satisfactionem præstitam, *nego maj.* Atqui Christus nos reconciliavit prout Deus, &c. exaudiendo & satisfactionem acceptando, *conc.* supplicando & satisfaciendo, *neg min.* Sic enim non fuit mediator, nisi qua homo unitus divinitati. Ex hac responsione patet, quod omnis mediator reconciliat & pacificat, sed non omnis, qui reconciliat & pacificat, continuo est mediator.

*Inst.* 1. SS. PP. asserunt necesse fuisse Christum esse Deum, ut esset mediator. *Neque enim liberaremur per unum mediatorem Dei & hominum*, inquit Aug. Enchiridii cap. 18. *nisi esset Deus.* Ergo Deus, qua Deus, est mediator.

Resp. *nego consq.* Equidem, ut Christus fuerit mediator, necesse fuit ut esset Deus, non quod debuerit opera mediatoris elicere per naturam divinam; sed ut illa mediatoris opera haberent ex persona divina dignitatem moralem infinitam, necessariam ad satisfaciendum Deo; itaque, cum is tantum sit mediator, qui opera elicit, per quæ impetrat reconciliationem, Christus formaliter fuit mediator per solam humanitatem, licet, præter formam humanitatis debuerit habere divinum suppositum, quod pretium, & dignitatem operibus humanitatis conferret. Unde D. Aug. lib. 9. de Civ. Dei, cap. 15. postquam dixit: „ Quærendus est mediator, qui non solum homo, sed etiam Deus sit, *addit:* Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum, & maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseris, sed mediator per quod homo ".

*Inst.* 1. Renovare corda & dari Spiritum Sanctum sunt opera mediatoris; atqui illa opera soli Deo, ut Deus est, conveniunt; ergo.

Resp. *dist. maj.* Renovare corda & dare Spiritum Sanctum meritorie, sunt opera mediatoris, *conc.* efficienter, *nego maj.* Sic enim non est opus mediatoris, sed ejus, apud quem mediator intercedit, id est totius Trinitatis.

## ARTICULUS II.

*Utrum invocatio Sanctorum opposita sit mediationi Christi?*

*Nota.* Hic *non quæritur* 1. Utrum liceat a Sanctis petere, ut nobis concedant beneficia spiritualia; certum est enim quod, *Omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.* Jac. 1. Ergo nihil debemus a Sanctis petere, quam ut nobis impetrent a Deo illa gratiæ & gloriæ dona, quibus indigemus.

2. *Non quæritur*, Utrum Sancti sint mediatores no-

nostri apud Deum simpliciter & immediate; certum est enim, quod Christus solus sit mediator noster simpliciter, Sancti sint tantum mediatores secundum quid & mediate, quia quidquid a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant, unde Ecclesia in suis orationibus, quæ de Sanctis sunt, hanc semper formam adhibet: *Concede nobis, Deus, intercessione hujus Sancti tale beneficium, per Christum Dominum nostrum.*

3. *Nec quæritur*, utrum fideles aliquo præcepto teneantur Sanctos invocare; certum est enim, nullum aut in Scriptura, aut in traditione, aut in Ecclesiæ decretis extare tale præceptum.

*Quæritur ergo* unice 1. utrum Sancti una cum Christo regnantes, orent pro nobis? 2. Utrum bonum atque utile sit invocare Sanctos? Unde

## CONCLUSIO I.

*Sancti, una cum Christo regnantes, orant pro nobis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Jerem. 15. *Dixit Dominus ad me: si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moyses & Samuel jam mortui solebant orare pro populo Israel: neque enim dicitur: *si starent*, sed *si steterint*, proindeque illa verba non sunt de conditione impossibili.

2. Machab. 15. legitur, Judam in visu vidisse „ Oniam, qui fuerat Summus Sacerdos, orare pro omni populo Judæorum. *Et postea apparuisse* alium virum ætate & gloria mirabilem, *de quo dixit Onias:* Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei ". Ad hunc locum nihil habet quod respondeat Calvinus, nisi hunc librum non esse canonicum: sed esse canonicum probavimus alio loco.

Tobiæ 12. Angelus Raphael sic Tobiam alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis . . . . ego obtuli orationem tuam Domino.* Atqui non obtulit ut eam Deo omniscio manifestaret; ergo ut pro Tobia intercederet.

*Prob.* 2. Traditione. S. Cyprian. *lib.* 1. *epist.* 1. ait: ***Si quis hinc nostrum prior præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.***

D. Greg. Nazianz. orat. 14. de obitu patris sui, dicit: *Nunc magis proficit nobis precibus, quam antea doctrina.*

D. Hieron. epist. ad Paulam, de obitu Blesillæ: *Pro te*, inquit, *Dominum rogat, mihique veniam impetrat peccatorum.*

D. Aug. lib. 7. de Bapt. contra Donatistas cap. 1. ait: *Adjuvet nos Cyprianus orationibus suis . . . ut, donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* Eodem modo omnes alii Patres laudant orationes sanctorum defunctorum pro vivis.

## CONCLUSIO II.

*Pium est & utile Sanctos invocare.* Est de fide, definita in Conc. Trid. sess. 25. his verbis: „ Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, &c. ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis christianæ religionis temporibus receptum . . . . fideles diligenter instruant, docente eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus J. C. D. N. qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. "

*Prob.* 1. ***Ex Scriptura:*** Pium & utile est invocare Angelos, Genes. 19. Angelus alloquitur Loth sic: *Ecce suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.* Et Osee 9. de Jacob dicitur: *Invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit & rogavit eum.* Ergo pium quoque, & utile est invocare sanctos homines, qui cum Christo regnant in cælis, de quibus dicitur Lucæ 20. *Æquales enim Angelis sunt, & Filii sunt Dei.*

*Prob.* 2. Pium & utile est invocare Sanctos viventes, *lib.* 1. *Regum, cap.* 7. Dicunt filii Israel ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos.* Et Rom. 5. Apostolus ait: *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Ergo similiter pium ac utile est invocare homines sanctos, qui cum Christo regnant in cælis.

*Prob. conseq.* Quia si nunc non sit pium ac utile Sanctos invocare, vel quia nolunt nobis succurrere; vel quia non possunt; vel quia quod oramus ignorant; vel quia ipsos invocando fit injuria Deo & Christo; atqui nihil horum dici potest; ergo, &c.

*Non primum*, cum nunc majori charitate sint præditi, quam cum in terris degerent, nam *de sua immortalitate securi, de nostra incolumitate solliciti sunt*, ait D. Cypr. serm. de immortalitate.

*Non secundum*, quia si poterant nobis succurrere, cum hic erant peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria?

*Non tertium*, quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cælis, *Luc.* 15. inde sciunt Sancti nostras preces.

*Non quartum*, quia similiter fieret injuria Christo, viventes Sanctos invocare. Hoc argumentum Calvinistæ nunquam solvere potuerunt.

*Prob.* 3. Traditione PP. S. Cyrillus Catechesi 5. mystag. *Cum hoc sacrificium offerimus*, inquit, *facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, &c. ut Deus orationibus illorum, suscipiat preces nostras*, &c.

S. Aug. *serm.* 17. de verbis Apostoli, ait: *Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

S. Gregorius Turonensis, ***lib.*** 1. ***de gloria Martyrum***, *cap.* 49. dicit: *Cyprianus beatiss. Antistes & Martyr, salutem sæpius infirmis supplicantibus præstat.*

*Ven. Beda*, lib. 4. in Cantica, *ait: Sanctorum vel Angelorum, vel hominum crebras pro nobis intercessiones quæramus: hæc sunt etenim firmissima ac tutissima S. Ecclesiæ præsidia.*

*Prob.* 4. Ex Conc. General. Act. 11. Conc. Chalcedonensis Patres dixerunt: *Flavianus post mortem vivit; Martyr pro nobis oret.*

In Symbolo VI. cap. 7. dicitur: *Solo Deo Creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur.*

In-

In Synodo VII. Act. 6. legitur: *Cum timore omnia agamus postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item SS. Angelorum, omniumque Sanctorum.* His omnibus auctoritatibus accedit praxis Ecclesiæ nunquam interrupta.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Impium est invocare eum, qui Deus non sit; ergo.

Resp. *nego ant.* Alias esset impium invocare Sanctos qui adhuc in terris militant, quod aperte repugnat Scripturis.

*Prob. ant.* Impium est invocare eum, in quem non credimus, juxta illud, Roman. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Atqui non credimus in Sanctos; ergo.

Resp. *dist. maj.* Eum, in quem non credimus, impium est invocare, tanquam supremum bonorum auctorem, *conc.* tanquam Dei amicum, & intercessorem nostrum apud Deum, *nego maj.* Nec enim Sanctos invocamus, ut ipsi nobis dona conferant, sed ut ea pro nobis a Deo impetrent.

*Inst.* 1. Impia est praxis, quæ Christo est injuriosa; atqui praxis Sanctos invocandi, Christo est injuriosa; ergo.

Resp. *dist. min.* Neque enim invocamus Sanctos ut Christum adjuvent, ad impetrandum, sed ut nos adjuvent, quo facilius per merita Christi impetremus. Deinde si valeret argumentum, etiam concluderet invocationem fidelium in terris degentium esse injuriosam Christo, quod tamen contrarium esse Scripturis fatentur Hæretici.

*Inst.* 2. Injuriosum est Christo, mediatorem apud Deum adjungere; atqui praxis invocandi Sanctos adjungit Christo mediatorem; ergo.

Resp. *dist. maj.* Injuriosum est Christo mediatorem adjungere, primarium & simpliciter, *conc.* secundarium & secundum quid, *nego maj.* Porro, juxta dicta superius, mediator secundarius & secundum quid, non est ille, qui pro nobis solvit ac satisfacit; sed est ille tantum, qui pro nobis orat per merita primarii mediatoris, & virtute gratiarum ab illo acceptarum, quod tantum abest ut sit Christo injuriosum, quin potius ejus merita maxime commendet.

*Inst.* 3. Christus, ut mediator primarius, interpellat pro nobis; ergo si Sancti interpellant pro nobis, sunt etiam mediatores primarii.

Resp. *dist. ant.* Interpellat, simul, & satisfacit pro nobis, *conc.* interpellat tantum, quomodo Sancti pro nobis orant, *nego ant.* Ratio est, quia oratio Christi nititur propriis meritis, oratio vero Sanctorum nititur meritis Christi.

*Inst.* 4. Christus, *Matth.* 6. docet solum Deum esse orandum, dicens: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster*, &c. Ergo Sancti non possunt orari.

Resp. *nego ant.* Alias nec Christus, ut homo, posset orari, & Apostolus peccasset commendando se fidelium precibus. Itaque his verbis Christus docuit quod & quomodo orandum sit, non vero quis sit orandus: sciebant enim Apostoli Deum esse orandum ut omnium bonorum auctorem; sed nesciebant quid petendum esset & quo ordine, & ideo Christus utrumque eos docet.

*Inst.* 5. Concil. Laodicenum, Can. 35. damnat cultum Angelis exhibitum: *Non oportet Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire, & Angelos nominare ... quod est prohibitum.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Damnat cultum latriæ Angelis exhibitum, *conc.* cultum duliæ, *nego ant.* Itaque illud Concilium damnat hæresim Simonis Magi, qui docebat Angelos cultu latriæ adorandos, eosque sacrificiis placandos, quasi minores Deos, qui mundum condiderint; addit enim: *Si quis inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema*, quod de solo cultu latriæ ipsis exhibito potest intelligi. Ita Bellarminus, *lib.* 1. *de beatitudine Sanctorum, cap.* 20.

*Objicies* 2. Prorsus inutilis est invocatio Sanctorum; ergo frustra a fidelibus adhibetur.

*Prob. ant.* Oratio, quæ ad Sanctos mortuos dirigitur, ab illis ignoratur; ergo inutilis prorsus est.

Resp. *nego ant.* Quod est contra Scripturam, nam Lucæ 16. Abraham Epuloni diviti dixit: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Ergo hoc Abrahamo non erat ignotum. Item, *Lucæ* 15. Beati gaudent de pœnitentia cujuslibet peccatoris; ergo cognoscunt actus liberos hominum viventium.

*Inst.* 1. Solus Deus scit hominis cogitationes, 4. Reg. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*; ergo Sancti non eas cognoscunt.

Resp. *dist. conseq.* Non eas cognoscunt naturaliter & propria virtute, *conc.* supernaturaliter & virtute divina, *nego conseq.* Preces ergo nostras cognoscunt quæ ipsis a Deo manifestantur, sive a principio suæ beatitudinis per intuitivam Dei visionem, ut docet Greg. Magnus, *lib.* 12. *Moral. cap.* 14. sive quando preces funduntur, per novam revelationem, ut vult D. August. (*Lib. de cura pro mortuis c.* 15.) „ Possunt spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse ... Spiritu Dei revelante, cognoscere, sicut Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant quæ illis revelanda Dei providentia indicabat "

*Inst.* 2. Eccl. 19. dicitur: *Mortui nihil noverunt amplius*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Nihil noverunt amplius, naturaliter, *conc.* supernaturaliter, *nego ant.* Omnia enim, quæ ad eos pertinent, vident in Deo.

*Inst.* 3. Sancti in cælo nihil sibi mereri, vel impetrare possunt; ergo multo minus aliis.

Resp. *nego secundam partem ant.* Licet enim nihil sibi, nec aliis possint mereri, quia non sunt amplius in statu meriti; tamen ex meritis præcedentibus possunt & sibi & aliis impetrare id quod orando petunt: nimirum sibi gloriam corporis, nobis autem omnia quibus indigemus.

*Inst.* 4. Sancti jam præmium meritorum suorum acceperunt; ergo nihil amplius eis debetur.

Resp. *dist. ant.* Jam acceperunt præmium essentiale, *conc.* accidentale, *nego ant.* Porro ad præmium accidentale pertinet gloria eorum corporis, & potestas impetrandi a Deo quidquid ab eo tamquam ejus amici, petunt.

*Inst.* 5. Deus paratissimus est nos audire, magisque nos diligit, quam ullus Sanctorum; ergo frustra invocantur Sancti.

Resp. *nego conseq.* Licet enim Deus nos audire sit paratissimus, nosque magis diligat quam ullus Sanctorum, adhuc tamen magis est paratus nos audire

cum

cum Sancti nobiscum orant, quia Sanctos magis amat, quam nos, cum ei sint magis grati: unde Job ult. dicit Deus: *Ite ad servum meum Job, ut oret pro vobis*. Sunt ergo aliqua beneficia quæ Deus decrevit nobis non aliter concedere, quam per intercessionem Sanctorum.

## CAPUT VII.

*De adoratione, sive cultu Christi, ejus Matris, Sanctorum, Imaginum & Reliquiarum.*

*Nota* 1. Adoratio generatim sumpta, est " testificatio excellentiæ alterius, & propter illam, nostræ erga eum submissionis ". Quare in adoratione tria requiruntur: 1. Actus intellectus, excellentiam alienam apprehendentis. 2. Actus voluntatis eandem approbantis, seque ei subjicientis. 3. Actus protestativus excellentiæ alienæ, & submissionis propriæ ad illam: qui actus vel est externus, ut in hominibus capitis inclinatio, genuflexio, &c. vel est internus tantum, qualis est adoratio in Angelis, & anima rationali.

*Nota* 2. Adoratio dividitur 1. in civilem & sacram.

Adoratio *civilis* ea est, quæ alicui exhibetur propter aliquam excellentiam naturalem & politicam; sic *Gen.* 23. Abraham filios Heth adoravit, sic adorantur Reges, Superiores, &c.

Adoratio *sacra*, seu *religiosa*, est ea, quæ alicui exhibetur propter aliquam supernaturalem excellentiam. Hæc, propter excellentiæ diversitatem, triplex est, nempe *latriæ*, *duliæ*, & *hyperduliæ*; quæ voces non tam spectantur secundum sensum grammaticalem, quam secundum usum, secundum quem:

*Latria* est adoratio quæ soli Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam, qua supremum in res omnes creatas habet dominium. Cultus latriæ secundum communem usum exprimitur per nomen, *adoratio*.

*Dulia* est adoratio quæ Sanctis exhibetur propter eorum gratiæ & gloriæ supernaturalem perfectionem & excellentiam.

*Hyperdulia* est adoratio quæ soli B. M. V. exhibetur propter eximiam ejus supra omnes alias creaturas præeminentiam; unde hic cultus mediat inter latriam & duliam.

*Dividitur* 2. in absolutam & relativam.

Adoratio *absoluta* est ea, quæ exhibetur alicui propter excellentiam sibi inexistentem, in qua sistit, nec ulterius tendit.

Adoratio *respectiva* est ea, quæ exhibetur alicui propter excellentiam, non propriam, sed alterius quem repræsentat, vel ad quem relationem habet: talis est illa quæ redditur imaginibus; refertur enim ad exemplar, cujus imagines sunt. His præsuppositis

Quæritur 1. Utrum Christus, B. Virgo & Sancti colendi sint, & quo cultu? 2. Utrum imagines Christi, B. M. V. & Sanctorum sint colendæ & quo cultu? 3. Utrum vera Crux & Reliquiæ Sanctorum sint colendæ, & quo cultu? triplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*Utrum Christus, Beata Virgo, & Sancti, sint colendi, & quo cultu?*

*Nota*. Certum est, apud omnes, Christum quatenus est hic homo, adorandum esse adoratione absoluta latriæ, quia sic sumptus, est verus Deus; difficultas ergo solum remanet utrum humanitas Christi, prout est unita Verbo, & velut unum totum cum illo constituens, sit colenda cultu latriæ.

### CONCLUSIO I.

*Christus, ut homo, sive humanitas Christi, prout conjuncta Verbo divino, adorari debet cultu latriæ absoluto.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Philipp. 2. " Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem . . . propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum ". Ex quo sic argumentor: Apostolus ibi loquitur de eo, quem Deus exaltavit in meritorum mercedem; atqui is non est Christus prout est Verbum, sed tantum prout est homo, nec enim meruit, nec exaltari potuit ut Deus; ergo Christo prout homini, seu humanitati Christi, Deus exhiberi voluit ab omni creatura absolutam latriæ adorationem, per genuflexionem, significatam.

*Prob.* 2. Ex PP. D. Athanas. *Epist. ad Adelphium* loquens de adoratione Christi, ait: " Etsi enim ipsa caro seorsim spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus: neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus ". Ergo si humanitas a Verbo dividi non debet, eadem ipsi debetur species adorationis, quæ Verbo divino exhibetur.

D. Damascen. *lib.* 3. *de fide*, expresse asserit carnem & Verbum in Christo unica adoratione coli: " Unus igitur Christus, *inquit*, Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu, unica adoratione cum ejus immaculata carne; neque tamen, hoc agentes, creaturæ servimus: non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam ". Ergo objectum adorationis est, tum Verbum, tum humanitas Verbo conjuncta; *adoro utrumque*, addit, *quod est Christi propter divinitatem carni copulatam*. Quæ est adorationis motivum.

D. Ambros. *lib.* 3. *de Spiritu Sancto*, *cap.* 11. explicans hæc verba Ps. 98. " Adorate scabellum pedum ejus, quia Sanctum est, *ait*: per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt ".

*Prob.* 3. Ex definitionibus Concil. Generalium. Concil. V. *Si quis*, inquit, *duas adorationes introducit, & non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat, anathema sit* ". Eodem modo loquuntur alia Concilia.

*Prob.* 4. *ratione*. Tota Christi persona supremo latriæ cultu adoratur; atqui tota persona Christi non est solum personalitas Verbi, sed etiam omnis natura quæ in illa subsistit: ergo cum adoratur persona Christi, eadem adoratione adoratur humanitas Christi subsistens subsistentia Verbi.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Soli Deo cultus latriæ debetur; atqui humanitas Christi non est Deus; ergo.

Resp. *dist. min.* Humanitas Christi, a Verbo separata, *conc.* cum Verbo hypostatice unita, *nego min.*

*min.* Porro hic spectamus humanitatem Christi, prout est conjuncta cum Verbo in unitate personæ Verbi, cujus est natura; ergo simul cum Verbo adoratur eodem latriæ cultu, non quidem propter suam propriam excellentiam, sed propter insitam Verbi excellentiam.

*Inst.* Si humanitas Christi adoretur tantum propter excellentiam Verbi cum quo unitur, adoratur cultu latriæ relativo; atqui ex nobis humanitas Christi adoratur tantum propter excellentiam Verbi; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Nam cultus relativus est is, quo unum suppositum adoratur propter excellentiam alterius suppositi; quando autem humanitas adoratur propter excellentiam Verbi, adoratur propter excellentiam sui proprii suppositi.

*Objicies* 2. Natura, quæ excellentiam habet distinctam ab excellentia sui suppositi, potest coli cultu distincto ab eo qui exhibetur suo supposito; atqui humanitas Christi habet excellentiam gratiæ & gloriæ, distinctam ab excellentia increata Verbi; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si illa excellentia non sit conjuncta cum excellentia, quæ majorem cultum exigat, *conc.* si sit conjuncta, *nego maj.* Porro excellentia humanitatis Christi est conjuncta cum infinita Verbi excellentia, & ideo debet eodem latriæ cultu coli, ac Verbum. *Ratio est*, quia in publico cultu præcipuus personæ titulus spectari debet; neque enim probaretur qui Benedictum XIV. ut Archiepiscopum Provinciæ Romanæ, non ut Summum totius orbis Pontificem, salutaret; talis enim salutatio esset injuriosa potius, quam honorifica, ut patet.

*Inst.* D. Damasc. *Orat.* 1. *de imaginibus*, ait: „Non materiam, sed materiæ auctorem adoro, qui propter me materia factus est .... materiam vero, per quam mihi salus parta est, colere non desinam, non tamen ut Deum, absit". Ergo humanitas Christi adorari debet cultu inferiori, nempe hyperduliæ.

Resp. *dist. ant.* Humanitas Christi non debet adorari ut Deus, propter suam excellentiam, *conc.* propter excellentiam Dei, cujus est aliqua natura, *nego ant.* Sese explicat Div. Damasc. lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 3. „Ipsius caro, *inquit*, suapte quidem natura .... haudquaquam adoranda est, utpote condita: at cum Deo Verbo copulata sit, ob ipsum, & in ipso adoratur".

## CONCLUSIO II.

*B. Virgo, cæterique Sancti, colendi sunt aliquo cultu religioso absoluto.* Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas, definita *in Concil. Trid. sess.* 25. de invocatione Sanctorum.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ docet Patriarchas Spiritu Dei motos, Angelis religiosum cultum exhibuisse; sic Genes. 1. *Abraham cucurrit in occursum eorum* (Angelorum) *de ostio tabernaculi sui, & adoravit in terram.* Et Josue 5. dicitur, quod cum Angelus ipsi apparuisset & dixisset: *Sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio; cecidit Josue pronus in terram, & adorans, ait:* atqui eadem est ratio de hominibus beatis, ac de Angelis; ergo sicut Angeli cultu religioso, in eorum eximia sanctitate fundato, coluntur, ita & Sancti cum Christo regnantes coli possunt.

*Prob.* 2. *ex tradit.* PP. D. Hieron. epist. ad Riparium contra errores Vigilantii, qui primus cultum Sanctorum abjecit, ait: *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos spernit, me spernit.*

S. Damasc. lib. 4. de fide, c. 16. *Honorare decet Sanctos, ut amicos Christi, ut filios, & hæredes Dei.*

D. Ambros. serm. 6. *Quisquis honorat Martyres,* inquit, *honorat & Christum: & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.*

*Prob.* 3. Ex praxi Ecclesiæ, quæ Sanctos semper venerata est, dies festos in eorum honorem instituit, templa Deo in memoriam eorum dicavit, &c. ergo, &c.

*Prob.* 4. *ratione.* Tam licet Sanctos cultu religioso colere ob eorum supernaturales dotes, quam licet cultu civili & politico honorare Principes, Nobiles, &c. atqui.

## CONCLUSIO III.

*Sancti colendi sunt cultu duliæ, sed Beatissima Virgo cultu hyperduliæ.*

*Prob. prima pars:* Quia cultus *duliæ* est is qui exhibetur multis ob eorum excellentiam creatam & supernaturalem, nec alicui est singularis; atqui cultus Sanctis, & quidem omnibus, exhibetur ob eorum excellentiam creatam & supernaturalem, nimirum propter dona gratiæ & gloriæ quibus cumulantur; ergo.

*Prob. secunda pars:* Quia cultus *hyperduliæ* est is qui exhibetur uni singulari personæ creatæ propter eximiam & singularem excellentiam supernaturalem; atqui Beatissima Virgo ex maternitate Dei contraxit eximiam ac singularem aliquam excellentiam, qua cæteros omnes Sanctos transcendit; ergo debet coli cultu aliquo speciali, ac majori eo quo cæteri Sancti coluntur, qui cultus vocatur *hyperdulia.*

### *Solvuntur Objectiones contra cultum Sanctorum.*

*Objicies* 1. Apostolus, 1. *ad Tim.* 1. dicit: *Soli Deo honor & gloria;* ergo solus Deus est cultu religioso colendus.

Resp. *nego conseq.* Solus Deus est colendus cultu latriæ, *conc.* cultu inferiori, *nego conseq.* Nam ibidem Apostolus ait: *Gloria & honor omni operanti bonum.*

*Inst.* 1. Servitus & submissio soli Deo debetur; atqui in omni cultu est servitus & submissio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Servitus & submissio suprema, *conc.* servitus inferior, *nego maj.* Cultus porro, qui exhibetur propter excellentiam creatam, inferior est eo, qui soli Deo exhibetur propter excellentiam increatam & infinitam.

*Inst.* 2. S. Petrus, *Act.* 17. cultum, qui sibi exhibebatur a Cornelio, recusavit, dicens, *surge, nam & ego homo sum.* Ergo D. Petrus inquit solum Deum esse colendum.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Petrus & humilitate & modestia ita se gessit, non autem ex eo quod putaret hoc esse illicitum: *Hoc faciens*, inquit D. Chrysost. *Homil.* 23. in acta Apostol. *humilitatem suam ostendit, & alios docuit.*

*Inst.*

*Inst.* 3. Apocal. 19. Angelus Joanni volenti ipsum adorare, dicit: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum . . . Deum adora.* Ergo Sancti non sunt colendi.

Resp. *nego conseq.* Non enim Angelus hunc cultum recusavit, quod sit illicitus, nam constat ex locis a nobis citatis Angelos bonos adorationem ab hominibus oblatam non semper recusasse, sed hunc honorem recusavit Angelus propter duas rationes: *Prima* est D. Augustini: quia scilicet Angelus sic apparuit, ut poterit existimari Christus, quare monendus fuit D. Joannes, ne cultum latriæ exhiberet. *Secunda* est Gregorii Magni, quia nempe postquam Deus factus est homo, Angeli apparentes facile non permiserunt se coli ab hominibus, præcipue ab Apostolis ad procurandam Dei gloriam destinatis. Porro Angelum non rejecisse adorationem, quia erat illicita, patet ex *Apoc.* 22. ubi D. Joann. iterum voluit Angelum adorare, quod certe nunquam tentasset, si credidisset hanc adorationem sibi prohiberi ut illicitam.

*Inst.* 4. Apostolus *Coloss.* 2. ait: *Nemo vos seducat in humilitate & religione Angelorum.* Atqui ibi reprehendit quosdam, qui Angelis cultum exhibebant; ergo &c.

Resp. *dist. min.* Reprehendit quosdam, qui Angelis exhibebant cultum latriæ, *conc.* cultum duliæ, *nego min.* Hic ergo Apostolus damnat cultum, quem aliqui, hausto a Platonicis errore, exhibebant Angelis, per quos mundum fuisse conditum & nos reconciliatos Deo dicebant, non autem per Christum, quem Angelis inferiorem esse contendebant, ut interpretatur D. Chrysost. *Hom.* 7. in hunc locum. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui dicunt non oportere per Christum reconciliari, & ad Patrem accedere, sed per Angelos.* Quos arguit Apostolus his verbis sequentibus: *Et non tenens caput*, (id est, Christum) *ex quo totum corpus . . . crescit in augmentum Dei.*

*Inst.* 5. Idem significant dulia ac latria, utrumque enim servitutem significant; atqui Sancti non possunt adorari cultu latriæ; ergo nec cultu duliæ.

Resp. *dist. maj.* Idem significant dulia & latria, secundum vim nominis, *conc.* secundum usum Ecclesiæ, *nego maj.* Nam secundum usum Ecclesiæ, *latria* significat servitutem supremam, quæ soli Deo exhibetur; *dulia* vero significat servitutem imperfectam & honorariam, quæ exhibetur Sanctis qui cum Christo regnant.

*Objicies* 2. Multi PP. damnant cultum Sanctis hominibus & Angelis exhibitum; ergo.

Resp. *dist. min.* Damnant cultum latriæ Sanctis exhibitum, *conc.* cultum duliæ, *nego ant.* Sic D. Epiphan. *hæresi* 79. reprehendit Collyridianos, qui B. Virginem cultu supremo colebant, atque mulieres constituebant quæ ei offerrent sacrificia.

*Inst.* Div. August. *lib. de moribus Ecclesiæ*, eos reprehendit, qui sepulchra Martyrum colunt; ergo.

Resp. *dist. ant.* Reprehendit eos, qui sepulchra Martyrum colunt, perverse, & inordinate, *conc.* religiose, *nego ant.* Sese exponit *ibidem* D. August. dicens: *Novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant.* Qui cultus erat perversus & gentilitatem sapiens. Aperte vero D. August. laudat cultum duliæ Sanctis exhibitum, ait enim l. 20. contra Faustum c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat . . . . colimus Martyres, &c.*

## QUÆSTIO II.

*Utrum imagines Christi, B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, sint colendæ, & quo cultu.*

*Nota* 1. Differt imago ab idolo, quod *imago* sit similitudo rei veræ, seu repræsentet id quod est; e contra *idolum* sit similitudo rei falsæ, seu repræsentet id quod non est: sic repræsentatio Dei Jovis est idolum, quia Jupiter repræsentatur tamquam Deus, cum talis non sit.

*Nota* 2. Sæculo Ecclesiæ VIII. omnem imaginum cultum, ut illicitum & impium, damnarunt *Iconoclastæ*, quorum princeps fuit *Leo Isaurus* Orientis Imperator, qui publico edicto omnes imagines e templis tolli jussit, atque multos Christianos, imaginum defensores, martyrio delevit. Hujus filius, *Constantinus Copronymus*, Imperii & impietatis paternæ hæres, convocavit conciliabulum Constantinopoli, cui interfuerunt 333. Episcopi, in quo cultus imaginum proscriptus fuit; quod conciliabulum, cum Iconoclastarum hæresi, fuit damnatum in Concilio Nicæno II. œcumenico VII.

Hæresim Iconoclastarum ubique proscriptam, ex inferis suscitarunt *sæculo XII.* Albigenses, *sæculo XIV.* Wiclefitæ, & *sæculo XVI.* Lutherani & Calvinistæ, contra quos sit:

### CONCLUSIO I.

*Cultus Imaginum Christi, & Sanctorum, licitus est, pius ac religiosus.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Exodi* 25. duo Cherubini ad Arcæ latera positi, imagines erant Angelorum: atqui Cherubinis illis cultus religiosus exhibebatur a Judæis; ergo, &c. Idem dici debet de *serpente æneo*, quem Moyses jussu Dei erexit in deserto, qui erat Christi in Cruce pendentis figura; & de *Arca fœderis*, quæ cum Dei majestatem exhiberet, tanto honore fuit venerata ab Israelitis, ut coram illa adorantes procumberent, Josue 7. *Josue pronus cecidit super terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel.*

*Prob.* 2. *Traditione PP.* D. Basil. epistola *ad Julianum Apostatam*, ait: *Characteres Imaginum ipsorum* (Apostolorum & Martyrum) *honoro, & palam adoro: hoc enim nobis a Sanctis Apostolis traditum, non est prohibendum.*

D. Chrysost. *in liturgia*, dicit: *Sacerdos, ad Imaginem Christi, caput inclinet.*

D. Damasc. *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 17. cultum Crucis & Imaginum, asserit esse traditionem Apostolicam.

*Prob.* 3. *Ex Concil. generalibus*, Nicæno II. in quo damnati fuerunt Iconoclastæ, quod sic pronuntiat: „ Definimus . . . . sicut figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles & sanctas imagines proponendas . . . . congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, &c. quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium & ad osculum,

lum, & ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet impertiendam . . . sic enim robur obtinet SS. PP. nostrorum doctrina, id est, traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit evangelium ".

Concil. Trid. in quo damnati sunt Lutherani & Calvinistæ, docet Sess. 25. „ Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas ac retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur ".

*Prob.* 4. *ratione*. Quando res aliqua digna est honore, ejus quoque imago digna est illo honore; sic quia Rex cultu civili dignus est, ejus imagines cultu civili honoramus, quia *qui adorat imaginem, in ipsa adorat imperatorem*, ait D. Athanas. *serm.* 4. *contra Arianos*. Atqui Christus, & Sancti, aliquo cultu religioso digni sunt, ut supra probatum est; ergo & eorum imagines.

*Confirmatur*, quia sanctas imagines in templis honorifice collocatas, atque fidelium venerationi expositas fuisse testantur veteres PP. pene omnes & Historiographi. Religiosum & pium referre putavi antiquissimum monumentum, quod propriis oculis vidi *Neapoli* in Catacumbis, in quibus adhuc hodie Christi sub pastoris habitu ovem deperditam reportantis; Virginis Deiparæ filium ablactantis; Petri & Pauli, extant imagines supra rupem variis coloribus auro mixtis, depictæ, quarum conservationem, nonnisi singulari Dei providentiæ adscribere, non dubitavi.

## CONCLUSIO II.

*Imagines Christi, & ejus Crucis, cultu latriæ respectivo: imagines B. M. V. cultu hyperduliæ respectivo: & imagines Sanctorum, cultu duliæ respectivo, sunt colendæ.*

*Prob.* 1. Ex Conciliis œcumenicis. Concilium Nicænum II. rationem reddens cultus, quem SS. Imaginibus decernit, ait: *Imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam*. Idem habet Conc. Trid. supra citatum.

*Prob.* 2. *ratione*: Quia ex dictis, Christus colitur cultu latriæ absoluto; B. V. M. cultu hyperduliæ absoluto; & Sancti cultu duliæ item absoluto; atqui imagines coluntur per relationes ad prototypa; ergo imagines Christi cultu latriæ relativo; imagines B. V. cultu hyperduliæ relativo; & imagines Sanctorum cultu duliæ respectivo, sunt colendæ.

*Solvuntur objectiones contra cultum imaginum.*

*Objicies* 1. Scriptura vetat cultum imaginum, Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*. Ergo.

Resp. *nego ant.* Ibi enim sola prohibetur idololatria, seu cultus imaginum & simulacrorum quæ a Paganis proponebantur adoranda cultu latriæ instar Deorum; quod constat tum ex his verbis antecedentibus: *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, &c.* tum ex his consequentibus; *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*. Tum ex eo quod dicitur Levit. 26. *Non facietis vobis idolum & sculptile . . . ut adoretis eum*, videlicet cultu latriæ, ut faciebant cæteræ nationes.

*Objicies* 2. Conc. Eliberitanum, *can.* 36. statuit, *Picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Statuit picturas in Ecclesia esse non debere, quia locus & tempus id postulabant, *conc.* quia illicitus est earum cultus, *nego ant.* prohibuit ergo Concilium, ne imagines in parietibus Ecclesiarum depingantur: 1. Propter metum, ne, imminente persecutione, Christiani eas secum auferre, aut occultare non possent, & ita Paganis & Judæis ludibrio essent. 2. Propter periculum idololatriæ, quod tunc temporis probabiliter imminebat, nam in omnibus fere actis illius Concilii agitur de iis, qui labuntur in idololatriam.

*Inst.* 1. Duo Concilia Constantinopoli habita, *Primum*, sub Leone Isauro, *Secundum*, sub Constantino Copronymo, definierunt illicitum esse cultum imaginum; ergo.

Resp. *nego conseq.* Illa enim duo Concilia non fuere legitima, sed Conciliabula a seditiosis Episcopis, sub Imperatoribus Iconoclastis, contra voluntatem Romani Pontificis, coacta, quæ a Concilio Nicæno II. fuerunt damnata, & semper ab Ecclesia rejecta.

*Inst.* 2. Concil. Francofordiense, præsentibus Legatis Hadriani I. damnavit VII. Synodum, Nicænam II. ob probatum in illo Concilio cultum imaginum; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Neque enim Concilium Francofordiense ideo damnavit Concil. Nicænum II. quia probavit cultum legitimum sacrarum Imaginum; sed quia, errore facti, credidit hoc Concilium definiisse imagines Sanctorum cultu latriæ absoluto adorandas esse, itemque tale decretum a Græcis, sine consensu Summi Pontificis, latum fuisse. Huic errori occasionem dedit confessio fidei Constantini, Constantiæ Cypri Episcopi, a Concilio Nicæno approbata & recepta, sed a Græco in Latinum male reddita, his verbis; „ Suscipio & amplector sanctas & venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto. *Cum sic in Græco habeatur*: His consentio & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas & venerandas imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali ac vivificæ Trinitati defero ". Ex quo patet Patres Francofordienses neque rejecisse definitionem Nicænam, neque damnasse cultum imaginum, sed tantum cultum latriæ illis deferendum, sicut defertur vivifi-

cæ Trinitati, (quem etiam cultum damnat VII. Synodus) damnasse, his verbis: „ Allata est in medium quæstio de Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur; hoc autem Patres nostri, adorationem renuentes, contempserunt, atque consentientes damnaverunt ". Nec parit difficultatem, quod Canon Francofordiensis, Synodum appellet Constantinopolitanam, non Nicænam; id enim ex hoc provenit, quod Synodus Nicæna II. fuit primum Constantinopoli congregata, deinde Nicæam translata.

*Inst.* 3. Libri quatuor *Carolini* dicti, quos Carolus Magnus aut exaravit, aut exarari jussit contra definitionem Concilii Nicæni II. cultum imaginum in Concilio Nicæno II. definitum damnant; ergo.

1. *Aliqui respondent ad hoc argumentum*, auctorem librorum Catholicorum damnasse cultum imaginibus a Concil. Nicæno decretum, quia, errore facti, cultum latriæ ipsis a PP. Nicænis decretum fuisse existimabat, eo quod infida actorum illius Concilii translatione usus fuerit; hocque probant: 1. *Ex libro primo Carolino, cap. secundo*, ubi dicitur: *Non mediocris est error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is qui dicit: Dominum tuum adorabis, & illi soli servies*". Loquitur ergo de cultu soli Deo debito; alias non sibi constaret auctor, qui admittit cultum Sanctorum. 2. *Ex titulo cap.* 27. *libri* 3. qui sic habet: „ Insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: suscipio . . . . imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto ". Ubi certe damnatur cultus latriæ imaginibus exhibitus. 3. *Et tit. cap.* 18. qui est. „ Quod Euthymius Sardensis a præfati Constantini errore non multum dissentit eo quod ait: ex toto corde suscipio venerandas imagines cum condecenti honore & amplectabili adoratione ". Ergo licet per hanc vocem, *amplectabili*, nomen *adoratio* referatur ad cultum duliæ, tamen auctor Carolinorum ex errore illud de cultu latriæ interpretatus est, cum dicat, confessione *Euthymii* non multum differre ab infida translatione confessionis *Constantini* in Cypro Episcopi.

2. *Alii respondent*, auctorem lib. Carolinorum, aliosque Episcopos Gallos, cultum, quem Græci imaginibus deferebant, non rejecisse quoad substantiam, sed tantum quoad varios modos, quibus illas honorabant, v. gr. luminibus, thurificatione, genuflexione, corporis prostratione, & aliis similibus modis, qui cum non essent in usu apud Gallos, ac superstitionis aliquid redolere videri potuissent cum imperitorum scandalo, ab auctore Carolinorum improbati fuerunt, salva remanente cultus substantia. „ Nam etsi, *ait præfatus auctor*, a doctis quibusque vitari possit, hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his præter id quod vident, venerantur & adorant ".

*Inst.* 4. Conventus Parisiensis, *ann.* 824. jussu Ludovici Pii convocatus, damnat iterum & Concilium Nicænum, & cultum imaginum; ergo.

Resp. *dist. ant. similiter:* Damnat cultum imaginum superstitiosum, quem errore veteres PP. Parisienses Græcis imputabant ob male redditam confessionem Constantini, *conc.* cultum legitimum, *nego ant.* sese explicant illustrissimi Præsules in Epistola *ad Ludovicum Pium*, his verbis: „ Imagines SS. stulta præsumptione non sunt confrigendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ; sed potius, hujuscemodi superstitione remota, juxta veram religionem, memoriæ & amoris causa, ob recordationem eorum, quorum imagines sunt habendæ, sicut a B. Gregorio, satis catholice, perspicueque dictum declaratur ". Non ergo rejicit cultum duliæ, qui in eo potissimum positus est, ut imagines in templis honorifice collocentur, *ad memoriam & honorem eorum, quorum imagines sunt*.

*Objicies* 3. Multi Patres aperte damnant cultores imaginum; namque 1. S. Irenæus, *lib.* 1. *cap.* 24. ponit inter alios Carpocratis & Gnosticorum errores, quod colerent imaginem Christi.

2. Div. Ambros. *orat. de obitu Theodosii* ait: *Helena Crucem invenit, Regem adoravit, non lignum utique, qui est error Gentilium.*

3. Div. Hieronym. *in cap.* 3. *Danielis* dicit: *Cultores Dei imagines adorare non debent.*

4. D. Aug. lib. de moribus Ecclesiæ, c. 34. *Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.*

5. Div. Epiphan. Epist. ad Theodos. Imperat. *Habete*, inquit, *in memoria, ne imagines inducatis, sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris.*

Resp. *dist. ant.* Multi Patres aperte damnant imaginum cultum, perversum, & superstitiosum, *conc.* cultum legitimum, *nego ant.* Id evidenter patet, nam:

1. Div. Iræneus Carpocratem arguit, quod imaginem Christi eo modo coleret, quo gentiles idola colunt, nimirum sacrificiis, *cum quibus idolis*, inquit, *etiam alias imagines Jesu collocant, collatasque adorant, & gentium mysteria perficiunt.*

2. D. Ambr. solum vult Helenam ante Crucem Christi prostratam, non adorasse lignum cultu latriæ absoluto, sed ipsum Christum, quod & nos vere docemus.

3. Div. Hieronym. loquitur de simulacris gentium, arguit enim eos qui deos gentium adorant, quod tres pueri facere recusarunt in Babylone.

4. D. Aug. de iis loquitur, qui ad quorumcumque hominum sive tumulos, sive picturas, festa conviviis celebrabant: „ Nolite consectari turbas imperitorum, *inquit*, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt; vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores ".

5. Epistola Div. Epiphanii est suppositítia, ut variis argumentis probant Patres Nicæni, quibus hæc verba addunt: *Deinde, in Historia Hæresum ab ipso facta, venerationem imaginum non recensuit. Denique libri S. Epiphanii notissimi sunt; quæ autem objiciuntur, penitus ignota.*

*Objicies* 4. Pictura, lignum, &c. non sunt digna cultu; ergo.

Resp. *dist. ant.* Si spectentur in se, *conc.* si spectentur ratione repræsentationis, *nego ant.* & ideo cultu tantum relativo coluntur, qui cultus fertur quidem ad imaginem, sed terminatur ad imaginis prototypum.

*Inst.*

*Inst.* 1. Ethnici, præsertim doctiores, non crediderunt lignum, & lapides esse deos, sed in statuis coluerunt Deum verum per illas repræsentatum; ergo Catholici adorando imagines Dei, æque sunt idololatræ, ac illi.

Resp. *nego ant.* Constat enim ex Historiis sacris & profanis, plerosque idololatras, statuas, seu idola pro diis habuisse, Sap. 13. *Appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium*, &c. Quod si aliqui, argumentis Christianorum convicti, non crediderint illas statuas esse deos, tamen circa illas varie errabant. 1. Quia per illas statuas repræsentabant falsos deos. 2. Quia sentiebant in eis aliquod numen habitare, & ideo eas absoluto cultu adorabant. 3. Quia credebant nihil a diis posse impetrari nisi per simulacra. Porro ab iis erroribus longe absunt Catholici, qui cum Concil. Trident. profitentur nullam inesse imaginibus virtutem intrinsecam, neque ab eis quidquam petendum & sperandum, sed a Deo & Christo per invocationem Sanctorum, quos illæ imagines repræsentant.

*Inst.* 2. Homo est imago Dei; atqui tamen, qua talis, non est aliquo cultu religioso colendus; ergo.

Resp. *dist. maj.* Homo est imago Dei propter suas perfectiones naturales, *conc.* supernaturales, *nego maj.* Porro cultus religiosus, qui Sanctis exhibetur, fundatur in donis supernaturalibus quæ possident.

## QUÆSTIO III.

*Utrum vera Crux, & Reliquiæ Sanctorum sint colendæ, & quo cultu.*

*Nota* 1. Per veram crucem intelligi eam, in qua Christus fuit crucifixus, quæ sacro ejus cruore fuit purpurata, & ab Helena inventa.

*Nota* 2. Per Reliquias Sanctorum, non solum intelliguntur corpora mortuorum, eorum ossa, sed etiam vestes, & quævis alia, quæ ipsis inservierunt, dum in terris viverent.

*Nota* 3. Cultus veræ Crucis & Reliquiarum Sanctorum, eosdem passus est hostes, quos cultus imaginum, contra quos

## CONCLUSIO I.

*Vera Crux Christi adorari debet; & quidem cultu latriæ relativo.* Prima pars est de fide, definita in Conc. Trid. *sess.* 25. tit. de Reliquiis Sanctorum.

*Prob. prima pars:* Auctoritate Ecclesiæ, quæ veræ Crucis inventionem, & ejusdem exaltationem, solemni festo honorari voluit, in quibus solemnitatibus canit: *O Crux ave spes unica.* Et, *tuam Crucem adoramus*, &c. Ergo.

*Prob.* 2. *Ex PP.* D. Ambros. orat. in Theodosium, ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.*

D. Hieronym. Epist. 18. ad Marcellam, dicit: *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speculum Salvatoris intrare, Crucis deinde lambere lignum?* Eodem modo loquuntur cæteri Patres.

*Prob.* 3. *ratione:* Primum victoriæ Christi & nostræ salutis instrumentum, quod Sanguine pretioso fuit consecratum, atque Christum in Cruce extensum repræsentat, maxima certe veneratione est dignum; atqui talis est Crux vera; ergo.

*Prob. secunda pars.* Quia Christus, etiam ut homo, adoratur cultu latriæ absoluto; atqui vera Crux adoratur per ordinem ad Christum; ergo adoratur cultu latriæ relativo.

*Confirmatur:* ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 25. *art.* 4. ubi ait: „ Si loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi, & extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ „: quæ sane est absoluta erga Christum, & respectiva erga Crucem.

*Objicies:* Vera Crux, & alia passionis instrumenta, Christo ignominiam attulerunt; ergo potius execranda sunt, quam honoranda.

Resp. *dist. ant.* Christo ignominiam attulerunt, & simul sunt signum victoriæ Christi & nostræ salutis, *conc.* & tale signum non sunt, *nego ant.* Infideles primo modo considerant Crucem Christi, Christiani vero secundo modo, quo sensu est adoranda; quare Apostolus, 1. *Cor.* 1. ait: *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem, qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est.*

*Inst.* 1. Ideo humanitas Christi adoratione latriæ colitur, quia unita est Verbo in persona; atqui Crux sic non est Verbo unita; ergo.

Resp. *nego conseq.* Argumentum enim supponit illud tantum posse adorari cultu latriæ, quod Verbo fuit personaliter unitum, quod est falsum; nam ex *D. Thom. ad* 2. potest etiam cultu latriæ adorari, quidquid Christo fuit unitum per repræsentationem & contactum: *Atqui Crux vera fuit unita Christo per repræsentationem & contactum; & hac sola ratione ei exhibetur reverentia:* ait D. Thom. ergo.

*Inst.* 2. Ergo etiam labia Judæ, quibus Christus osculatus est, Asinus quo vectus est, &c. colenda sunt cultu latriæ propter contactum Corporis Christi; absurdum conseq. ergo, &c.

Resp. *nego illatum.* Disparitas est inter res inanimatas & animatas, quod hæ non honorentur, nisi propter intrinsecam suam excellentiam, illæ e contra possint coli, propter habitudinem, quam possunt habere ad rem veneratione dignam.

## CONCLUSIO II.

*Pie ac religiose Sanctorum Reliquiæ coluntur;* est de fide, contra Vigilantium, Lutheranos & Calvinistas.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Ex.* 13. ossa Joseph a Moyse honorantur, dum ea transfert ex Ægypto. 4. *Reg.* 13. corpus Elisei contactum, suscitat mortuum, & sic divinitus veneratio illi conciliatur. *Act.* 19. Fideles moribundi tangunt sudaria Pauli, & curantur; ergo.

*Prob.* 2. Ex PP. dicentibus cum D. Hieron. Epist. ad Riparium: *Si non sunt adorandæ Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus*, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? „ Si ossa mortuorum polluunt

luunt contingentes, quomodo Eliseus mortuus mortuum suscitavit, & dedit vitam corpus, quod juxta Vigilantium, jacebat immundum ".

Hinc Conc. Trid. sess. 25. definit: „ Affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi .... omnino damnandos, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia ".

*Prob.* 3. *ratione*. Quia corpora Sanctorum fuerunt templa Spiritus Sancti, organa sanctarum animarum instrumenta virtutum; ergo pium est illa aliquo cultu religioso colere, cum honor illis exhibitus redundet in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ.

*Objicies*: Deus, *Deuter. ult.* abscondit corpus Moysis, ne Judæi illud adorarent; ergo improbat adorationem Reliquiarum.

Resp. *dist. ant.* Ne Judæi illud adorarent, cultu latriæ, *conc.* cultu duliæ, *nego ant.* Itaque Deus corpus Moysis abscondi voluit Judæis, quia, cum essent valde propensi in idololatriam, facile eum, ut Deum, honorassent ob miracula ab eo, tum in Ægypto, tum in Deserto, patrata, ipsique ut Deo sacrificassent.

*Inst.* Christus, *Lucæ* 11. maledicit Judæis, quod magnifica sepulchra Prophetis ædificarent; ergo.

Resp. *nego ant.* Non enim eis maledicit Christus, quod ornarent monumenta Prophetarum, sed quod cum sub pietatis specie ornarent monumenta Prophetarum a majoribus suis occisorum, suos majores imitarentur, meditando occisionem Christi Prophetarum Domini; unde addit: *Profecto testificamini quod consentitis operibus Patrum vestrorum*.

## CAPUT VIII.

### *De B. V. Maria Matre Christi.*

*Nota*. Immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem probabimus in tractatu de peccatis; ejus divinam maternitatem probavimus *pag.* 325. *hujus Tomi*. Restat ergo agendum. 1. De ejus perpetua virginitate. 2. De ejus impeccabilitate; duplici articulo.

### ARTICULUS I.

#### *De virginitate perpetua B. Mariæ Matris Christi.*

*Nota*. Perpetua B. M. virginitas varios habuit hostes.

1. *Cerinthus* & *Ebion* docuerunt, Christum ex Josephi cum B. M. congressu genitum fuisse; ex quo sequitur B. M. non fuisse Virginem ante partum. 2. *Jovinianus* docuit B. M. in partum integritatem amisisse. 3. *Helvidius* asseruit B. M. post Christi partum ex S. Josepho liberos suscepisse, contra quos sit

#### CONCLUSIO.

*Maria Mater Christi semper fuit Virgo, ante partum, in partu, & post partum.* Est de fide.

*Prob.* Tota propositio: 1. Ex Script. *Isaiæ* 7. statuitur virginitas B. Mariæ ante partum & in partu, his verbis: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*. Quod vaticinium, non solum veteres Patres, sed etiam Matthæus, *c.* 1. de Maria fuisse prædictum testantur ... *Ezech.* 41. statuitur virginitas B. Mariæ post partum, his verbis: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Quem locum SS. PP. de B. M. Virginis utero interpretantur cum D. Ambr. *epist.* 7. ad Syricium Papam: *Hæc porta*, inquit, *est B. Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum, quia Virgo concepit, & genuit.*

*Prob.* 2. *Ex PP.* Inter quos unum refero Divus August. serm. 23. *Videte*, inquit, *miraculum Matris Dominicæ, Virgo concepit, Virgo parturiit, Virgo post partum permansit*.

*Prob.* 3. Ex definitione Conciliorum œcumenicorum: in V. Synodo in confessione fidei actione 3. dicitur: *B. Maria semper Virgo*. Et in Conc. Lateranensi sub Martino V. Can. 3. generatim definitur: „ Si quis secundum SS. PP. non confitetur proprie & secundum veritatem, Dei genitricem sanctam, semperque Virginem & immaculatam Mariam .... in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, & post partum, ejusdem virginitate, condemnatus sit ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Cum Ebion, ad Galat. 4. dicitur: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. Atqui *mulier* est nomen fœminæ corruptæ; ergo.

Resp. *nego min.* Nam vox, *mulier*, significat sexum, non qualitatem sexus, unde tam de Virgine dicitur, quam de corrupta, ut docet Tertull. *lib. de velandis Virginibus*; qui id probat ex eo quod *Eva* statim a sua creatione, *mulier*, appellata sit.

*Objicies* 2. Maria indiguit Purificatione; ergo non fuit Virgo in partu.

Resp. *nego ant.* Quod continet proposit. 24. damnatam ab Alexandro VIII. Ratio est, quia lex Purificationis eas solummodo mulieres obligabat, quæ ex coitu imprægnatæ erant, Lev. 12. *Mulier, si suscepto semine, peperit masculum, &c.* Itaque legem Purificationis, qua non tenebatur, implevit ad præbendum aliis obedientiæ exemplum, & scandalum vitandum; non secus ac Christus voluit legi Circumcisionis & tributi obtemperare, licet eis legibus non teneretur.

*Objicies* 3. Matth. 1. de Maria & Joseph dicitur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Atqui particula, *antequam*, denotat Mariam postea convenisse cum Joseph; ergo non fuit Virgo post partum.

Resp. *nego min.* Nam ut notat Div. Hieronym. contra Helvidium, per particulam, *Antequam*, *Scriptura quid factum non sit*, *ostendit*: non vero ostendit quid postea factum sit: unde addit Div. Hieron. *Quod dicitur antequam convenirent, non sequitur, ut postea convenerint*.

*Inst.* 1. Ibidem de Joseph dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*. Atqui particula, *donec*, significat terminum continentiæ Joseph; ergo.

Resp.

Resp. *nego min.* Nam particula, *donec*, non semper definitum tempus designat, sed infinitum; nec ita tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non respiciat, v. g. *Ps.* 109. Deus dicit Filio: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quis inde inferat Christum non amplius futurum a dextris Dei postquam inimicos ejus posuerit scabellum pedum illius? ergo particula, *donec*, quod antea factum non sit, duntaxat ostendit.

*Inst.* 2. Christus habuit fratres, Matth. 12. *Ecce mater tua & fratres tui;* ergo Maria plures habuit filios.

Resp. *nego conseq.* Nam Scriptura appellat fratres non solum eos qui ex iisdem patre & matre nati sunt, sed etiam eos qui consanguinei sunt, sic Abraham dicebat Lothi nepoti suo, Genes. 13. *Nos fratres sumus.*

*Inst.* 3. Ille est vere frater ex eisdem patre & matre, qui dicitur primogenitus, atqui Christus dicitur primogenitus Mariæ, Matth. 1. *Peperit Filium suum primogenitum;* ergo.

Resp. *nego maj.* Nam primogenitus dicitur ille, ante quem nullus genitus est, sive alter post ipsum genitus fuerit, sive non; nam, ut argumentatur Div. Hieronym. *Contra Helvid. n.* 8. Si primogenitus is tantum est quem sequuntur alii fratres, tandiu Sacerdotibus primogenitus hominis non debebatur, quamdiu alius frater non fuisset procreatus, quod ex *n.* 18. *z.* 15. aperte falsum est.

## ARTICULUS II.

### *De impeccabilitate B. M. Virginis.*

### CONCLUSIO.

***Beatissima Virgo immunis fuit ab omni prorsus peccato actuali, sive mortali, sive veniali.*** Propos. est Catholica contra Lutheranos & Calvinistas.

*Prob.* 1. Ex Conc. Trid. *Sess.* 6. *Can.* 23. definiente: „ Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam vere justificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit ".

*Prob.* 2. *Ex PP.* D. Aug. lib. de natura & gratia cap. 36. ait: „ Excepta S. Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum ". Et Div. Bernard. Epist. 174. de B. Virgine loquens, dicit: „ Copiosiorem sanctificationis benedictionem in eam descendisse, quæ & ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum ".

*Prob.* 3. Ratione D. Thom. *Quæst.* 60. *art.* 3c. „ Maria non fuisset idonea Mater Christi, si aliquando peccasset, tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. 18. *Gloria filiorum parentes eorum:* unde per oppositum ignominia matris in filium redundasset; tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit dicitur autem 1. Corinth. 5. *Quæ conventio Christi ad Belial?* tum etiam quia Christus, qui est sapientia Patris, singulari modo habitavit, non solum in ejus anima, sed etiam in ejus utero; dicitur autem Sap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic impleatur quod dicitur Cantic. 4. " *Tota pulchra es amica mea.*

*Objicit Lutherus:* Maria Angelo Incarnationem annuntianti, dicit: *Quomodo fiet istud?* ergo peccatum actuale infidelitatis commisit.

Resp. *nego conseq.* Nam, ut ait Div. Bernard. *Super missus est*, Hom. 4. *Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem: neque enim quærit, an fiet istud, sed quomodo?*

*Inst.* 1. Maria peccavit peccato impatientiæ, cum Filium objurgavit his verbis: *Fili, quid fecisti nobis sic?* ergo.

Resp. *nego ant.* Præfata enim B. Mariæ verba, non sunt impatientiæ & reprehensionis indicia, sed doloris de absentia amantissimi filii sui.

*Inst.* 2. Maria videtur peccasse peccato ambitionis, dum in nuptiis a Filio requisivit miraculum, dicendo: *Vinum non habent.* Unde ejus petitio a Christo fuit improbata, ut nimis importuna, his verbis: *Quid mihi & tibi, mulier?* Ergo.

Resp. *nego ant.* Et dico cum D. August. *Tract.* 8. *in Joann.* Illa verba non fuisse indicium ambitionis & inanis gloriæ, sed eximiæ fidei B. Virginis circa omnipotentiam Filii sui, necnon & signum ardentissimæ charitatis erga pauperes, quos nolebat pudore affici propter defectum vini; nec Christus petitionem matris, ut nimis importunam, reprobavit, sed sapientiæ & potestatis plenitudinem pro libitu sese communicantem ostendit, juxta illud D. Aug. l. 4. de consensu Evangelistarum c. 10. *Non repellens de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans divinitatem: quæ divinitas illam etiam fœminam fecerat, non in illa facta erat.*

Quæres, *quomodo B. Virgo fuerit impeccabilis, an physice, an moraliter?*

Resp. Non fuit impeccabilis physice, sed tantum moraliter.

*Prob. prima pars:* Quia impeccabilitas physica, qua nimirum tollitur omnis potentia peccandi etiam venialiter, convenit soli comprehensori, cum oriatur ex amore Dei necessario, & ejusdem visione intuitiva; atqui B. Virgo fuit viatrix in hac vita; ergo, &c.

*Prob. secunda pars:* Quia impeccabilitas moralis, qua nimirum per confirmationem in gratia, tollitur actu & de facto peccare, convenit omni, qui actum peccaminosum non potest committere, propter specialem Dei assistentiam, protectionem, & specialia auxilia, quæ ita contemperantur libero arbitrio, ut infallibiliter omnem peccaminosum actum removeant; atqui talis fuit B. Virginis impeccabilitas; ergo.

Hæc itaque de ineffabili Incarnationis mysterio dicta sufficiant: superest ut theoriæ praxim jungamus; atque amantissimum Redemptorem nostrum Jesum Christum ita intime & jugiter diligamus, veneremur, & adoremus in terris, ut dilectioni, venerationi, & adorationi nullus sit unquam finis imponendus in cœlis. Amen.

TRA-

# TRACTATUS
## DE GRATIA CHRISTI.

### PROŒMIUM.

Gratia, secundum vim nominis, significat donum gratis collatum. *Si autem gratia,* inquit Apostolus, Rom. 11. *jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

Juxta hanc generalissimam gratiæ acceptionem, omnia Dei beneficia creaturis concessa, v. g. creatio, conservatio, &c. nomine gratiæ venire possunt; at strictius a Theologis usurpatur, ut designentur omnia dona quæ intuitu meritorum Christi hominibus conferuntur ad vitam æternam obtinendam, & definitur:

*Donum supernaturale gratis a Deo collatum, quod de se tendit ad actum & finem supernaturalem.* Gratia sic sumpta dividitur in externam & internam.

Gratia *externa* est donum, quod hominem exterius tantum afficit, ut sunt prædicatio Evangelii, lex, miracula, bona exempla, &c.

Gratia *interna* est donum, quod hominem interius afficit, sive ipsi insit per modum habitus, sive per modum actus transeuntis. Hæc dividitur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem.

Gratia *gratis data* est donum, quod alicui conceditur primario & per se propter aliorum salutem; talia sunt dona prophetiæ, miraculorum, linguarum, & alia quæ Apostolus, *Rom.* 11. commemorat. Dicitur *gratis data,* non quod sola gratis detur, omnis enim gratis datur; sed quod eo præcipue nomine gratia est respectu illius, cui confertur.

Gratia *gratum faciens* est donum, quod ad propriam salutem illius, cui confertur, primario & per se ordinatur. Dicitur *gratum faciens,* quia eum, cui datur, Deo gratum reddit, aut reddere apta est. Hæc vel est actualis, vel habitualis.

Gratia *actualis* est auxilium quoddam internum, intellectui aut voluntati a Deo transeunter impressum, quo potentiæ illæ, de se insufficientes, adjuvantur ad eliciendos actus supernaturales, quibus justitia, vel justitiæ incrementum obtinetur. Hinc hominem Deo gratum reddit efficienter.

Gratia *habitualis* est qualitas homini permanenter inhærens, quæ ipsum formaliter reddit Deo gratum & sanctum. Est enim forma, qua existente, sumus Deo grati.

Cum igitur ab hac utraque gratia, actuali quæ efficienter, & habituali quæ formaliter sanctificat, tota hominis salus & æterna felicitas pendeat: hunc Tractatum in duas Dissertationes dividimus; in *prima* agemus de gratia actuali, in *secunda* de gratia habituali.

## DISSERTATIO I.

### *De gratia Actuali.*

*Nota.* Ut omnia, quæ spectant gratiam actualem interiorem, dilucide pertractemus, hanc Dissertationem in tria Capita distribuemus. *Primum* erit de necessitate gratiæ. *Secundum*, de ejusdem natura & divisione. *Tertium*, de ejus dispensatione ac distributione.

## CAPUT PRIMUM.

### *De necessitate gratiæ actualis interioris in statu naturæ lapsæ.*

*Nota.* Circa necessitatem & existentiam gratiæ actualis interioris varie erraverunt:

*I. Pelagius* qui in tantum gratiæ fuit inimicus, ut docuerit hominem lapsum per solas naturæ vires, absque ullo gratiæ interioris auxilio, posse quod-

quodlibet opus salutare peragere, omnia Dei mandata observare, tentationes quascumque superare, pravas cupiditates convellere, ac tandem beatitudinem æternam consequi. Quod si ad effugiendam damnationem Concilii Diospolitani, aliquam dari gratiam confessus fuerit, per gratiam intellexit liberum arbitrium, eo quod gratis a Deo in creatione concederetur. Cum autem a Catholicis objurgaretur, quod nullam, præter liberum arbitrium, admitteret gratiam, novum gratiæ externæ genus adinvenit, legem, nempe, doctrinam, & exempla Christi. Cum vero denuo urgeretur ut gratiam interiorem admitteret, aliquam visus est admisisse, non quidem qua moveretur voluntas ad bonum, sed tantum qua illustraretur intellectus ad mandata divina, non simpliciter, sed facilius adimplenda; hancque illustrationis gratiam dicebat *secundum merita nostra dari*. Hæc omnia constant ex Div. Augustini *lib. de hæresibus*, *hæresi* 88. & pluribus aliis locis maxime libri *de gratia Christi*.

Itaque errores Pelagianorum circa gratiam, in hoc consistebant, quod negarent tum necessitatem, tum gratuitatem gratiæ actualis interioris; quos errores Pelagius, tum per se, tum per discipulos suos, maxime per Cœlestium, & Julianum Capuanum, aut Eclanensem Episcopum disseminavit.

*II. Semipelagiani*, Massilienses communiter dicti, (quorum principes fuerunt *Joannes Cassianus*, Collator dictus, & *Gennadius*, Presbyteri Massilienses, *Faustus* Regiensis Episcopus, &c. quibus præiverat *Vitalis* Carthaginensis) cum convenissent Massiliæ ad conciliandam libertatem cum gratiæ necessitate & gratuitate, in varios prolapsi sunt errores, qui ad tria Capita revocari possunt circa præsentem materiam, scilicet:

1. Quod docuerint initium fidei & salutis esse a nobis; nosque solis liberi arbitrii viribus posse conari, vel ordiri opus salutis, ut referunt DD. Prosperus & Hilarius Arelatensis, *Epist. ad Aug.*

2. Quod asseruerint hominem per nisum & conatum naturalem mereri gratiam ad opus salutare ulterius perficiendum, & salutem æternam consequendam, si non de condigno, saltem de congruo: ex quo sequebatur gratiam secundum merita humana dari; ipsamque non prævenire voluntatem, a qua e contra præveniri debebat. Ita asserit idem Hilarius, *Epist. ad August.*

3. Quod voluerint, (saltem aliqui) perseverantiam usque in finem a nostro libero arbitrio pendere, nec esse donum Dei speciale, ut innuit D. Aug. lib. de dono perseverantiæ, cap. 17. *Hæc dicentes*, inquit, *nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide.*

*III. Lutherus & Calvinus*, liberi arbitrii vires ita extenuant ac deprimunt, ut nihil omnino boni moralis per solas naturæ vires fieri posse contendant. Immo volunt omnia opera quæ fiunt, non tantum sine speciali gratiæ auxilio, sed etiam sine fide justificante, esse peccata; ex quo sequitur, etiam ea opera, quæ ex speciali gratiæ auxilio ab infidelibus fiunt, vitiosa esse & peccaminosa.

*IV. Bajus*, & *Jansenius*, cum novatoribus pariter docent: 1. Gratiam habitualem ita necessariam esse ad quodlibet opus bonum morale, ut omnia peccatorum opera sint peccata, ut patet ex hac propos. 35. Baji: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Docent 2. omnes infidelium virtutes vera esse vitia; & omnia eorum opera vera esse peccata. Sic docet Bajus, prop. 25. & 27. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.* Et Jansenius, l. 4. de statu naturæ lapsæ, c. 17. in tit. ait: *Insania, error, impietas, contraria Christianorum sensui, Scripturis, & fidei: quod infidelium sit ulla vera virtus vel opera sine peccato, juxta Augustinum & Concilium Arausicanum.* Idem censuit *Quesnellus* in suis reflexionibus moralibus.

Ut hos omnes gratiæ Christi hostes debellemus, videndum est: 1. Utrum gratia Christi actualis & interior necessaria sit in statu naturæ lapsæ ad operis salutaris effectionem, aut inchoationem? 2. Utrum sit necessaria ad perseverandum in accepta justitia usque in finem vitæ? 3. Utrum gratia interior sit necessaria ad boni moralis effectionem? 4. Ad quodnam bonum morale naturale efficiendum gratia interior necessaria sit, vel non? quæ omnia solventur sequentibus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

*Utrum gratia Christi actualis interior necessaria sit, in præsenti statu, ad operis salutaris effectionem, aut saltem inchoationem?*

### CONCLUSIO I.

*Nullus homo lapsus, sive justus, sive injustus, in præsenti statu, potest sine gratia interiori præveniente efficere aliquod opus salutare, id est, opus conducens ad vitam æternam.* Est de fide contra Pelagianos.

*Prob.* Ex Scriptura, Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quomodo autem trahit? per fidem; ergo fides, quæ est donum salutare, est a solo Deo; unde ibidem dicitur: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere*, nempe quod conducat ad vitam æternam.

2. Ad Corinth. 3. *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et 1. Corinth. 4. *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Ex quibus omnibus locis sic argumentor: Qui non potest venire ad Deum per fidem, nisi trahatur ab ipso Deo; nec quidquam facere potest in negotio salutis, nisi adjuvetur a Christo; nec aliquid salutare potest cogitare, nisi ad id sufficientiam recipiat a Deo per Christum, nec ullum habet meritum, quod non receperit a Deo; ille non potest quidquam boni salutaris facere absque præveniente interiori gratia Christi; atqui, ex omnibus locis supra allatis, & infinitis aliis, homo lapsus talis est; ergo.

*Prob.* 2. *ex PP.* inter quos unus sufficiat August. qui,

qui, *lib. de gratia Christi*, *cap.* 26. ait: „ Gratiam . . . sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quoad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quo modo ille (*Pelagius*) qui cum dicit, *propterea dari gratiam*, *ut quod a Deo præcipitur*, *facilius impleatur*, quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, potest “. *Porro D. Doctor*, *c.* 29. *Pelagium increpans*, *ait*: „ Tolle: *facilius*, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cum autem, *facilius*, additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tradita significatione suggeritur, quem sensum redarguit, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* “.

*Prob.* 3. *Ex Conciliis*: Diospolitano, in quo omnes Pelagii errores fuerunt damnati, cui interfuit Pelagius ipse, qui abutendo gratiæ nomine, damnationem effugit.

Carthaginensi III. cap. 4. „ Quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit “. De hoc Concilio loquens S. Prosper in resp. ad objectionem 8. Gallorum: „ Cum 214. Sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, dicamus gratiam Dei per J. C. Dominum . . . ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare: ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere, valeamus “.

Arausicanum II. can. 7. definit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmet, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.*

*Prob.* 4. *ratione*: Quia media debent esse proportionata fini, & ejusdem cum illo ordinis; atqui opera salutaria sunt media ad salutem æternam, quæ est supernaturalis; ergo debent esse supernaturalia; atqui non possunt esse supernaturalia, nisi præveniantur & excitentur gratiæ supernaturalis auxilio; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Fides est opus salutare; atqui fides haberi potest sine prævenientis gratiæ interioris auxilio; ergo.

Resp. *nego min.* Quæ repugnat Apost. (*Ephes.* 2. *vers.* 8.) dicenti: *Gratia salvati estis per fidem*, *& hoc non ex vobis*, *Dei enim donum est*. Unde de se ipso, 1. *Cor.* 7. *vers.* 25. dicit: *Misericordiam consecutus a Domino*, *ut sim fidelis*. Ubi Apostolus non ait, *quia fidelis eram*, observat D. August. (*Lib. de prædestin. Sanctorum*, *cap.* 3.) *fideli ergo datur quidem*, *sed data est etiam ut esset fidelis.*

*Inst.* 1. Mysterio credibiliter proposito, potest homo ratione utens assentiri & credere, absque gratiæ interioris auxilio; ergo.

Resp. *dist. ant.* Potest sine gratiæ interioris auxilio assentiri & credere, fide humana & sterili, *conc.* fide supernaturali & salutari, *nego ant.* quod est contrarium huic Tridentinæ definitioni: „ Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit “.

*Inst.* 2. Fides data mysterio revelato propter Dei revelantis auctoritatem, eo ipso supernaturalis est; ergo est salutaris, etiam absque gratiæ interioris auxilio.

*Prob. ant.* Actus suam desumit speciem ab objecto; atqui objectum illius fidei est supernaturale; ergo fides illa supernaturalis est.

Resp. *dist. maj.* Actus suam speciem desumit ab objecto, simul & principio operandi, *conc.* ab objecto tantum, *nego maj.* Ut enim actus sit intrinsece supernaturalis, non sufficit ut circa objectum supernaturale versetur, sed insuper requiritur ut procedat a principio supernaturali; facultas enim non potest ultra vires proprias tendere, nisi per formam aliquam superadditam vegetetur & corroboretur.

*Inst.* 3. Potest quis, propter motiva credibilitatis propius inspecta, per lumen naturale, tanta cum certitudine assentiri veritatibus revelatis, quanta alter assentiretur per gratiam interiorem; ergo ejus fides ei erit æque salutaris.

Resp. 1. *nego ant.* Cum Bellarm. (*Lib. 6. de gratia & lib. arbitrio*, *cap.* 3.) „ Argumenta enim, *inquit*, quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjuvetur; *unde* res credibiles sine alia gratia, credi possunt, sed humana fide, non divina “.

Resp. 2. *nego conseq.* Quia naturalis ejusmodi fides proportionem non haberet cum supernaturali beatitudine; ergo non esset medium ad illam perducere aptum.

*Inst.* 4. Hæretici suis falsis figmentis firmissime, & ad mortem usque adhæserunt absque ullo gratiæ adjutorio; ergo pariter citra gratiam poterit homo veritatibus revelatis & credibiliter propositis, cum summa certitudine, adhærere.

Resp. *nego conseq.* „ Non est enim eadem ratio veri & falsi, sicut nec est eadem ratio boni & mali, *ait Bellarm. cit.* potest enim homo peccator ex animo, ac toto corde blasphemare Deum, non tamen potest ex animo ac toto corde laudare Deum, sine speciali gratia: ita poterit sua figmenta, quamvis aliis incredibilia, ipse facile credere propter affectum erga res suas, nec tamen poterit sine speciali gratia Dei res divinas credere. Addo præterea ejusmodi homines, sicut temere credunt falsa, & diabolica, ita etiam temere credere vera & divina, non autem, sicut diximus, *Ut oportet*, id est, pio affectu, ut res a Deo revelatas, & quibus falsum subesse nulla ratione possit “.

*Objicies* 2. Div. August. in exposit. Epistolæ ad Rom. ait: *Quod credimus*, *nostrum est*; *quod au-*

*autem bonum subsequens operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum*. Ergo credere, etiam fructuose, non est ex gratia.

Resp. D. August. hanc prop. ut erroneam revocavit *lib. 1. retract. cap. 23.* his verbis: *Quod dixi:* quod credimus nostrum est, &c. „ Profecto non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis ".

*Objicies* 3. Saltem homo justus, habituali gratia donatus, & bonis habitibus instructus, potest absque gratia actuali voluntatem præveniente, facere aliquod opus conducens ad vitam æternam. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Tum quia, *Joann.* 13. de justis dicitur: „ Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. *Qua comparatione vitis & palmitum utitur Conc. Trident.* sess. 7. cap. 16. *dicens:* Cum enim ille ipse C. J. tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, & sine quo, nullo pacto, Deo grata & meritoria esse possent, *præiverat Concil. Arausicanum II.* can. 9. *dicens*: Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur ". Nequidem justus hic excipitur; cujus rei ratio est, quia per peccatum originale adeo vitiata & infirma facta est nostra voluntas, atque ita torpet circa bonum, ut excitari debeat gratia præveniente, ad volendum bonum ad salutem conducens.

## CONCLUSIO II.

*Nullus homo lapsus, sine gratia interiori præveniente, potest incipere aliquod opus salutare*. Est de fide contra Semipelagianos.

*Prob.* 1. Ex Scriptura & PP. 2. Corinth. 3. „ Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Ad quæ verba Div. August.* lib. de prædest. SS. cap. 2. *ait:* Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum . . . quod ergo pertinet ad religionem & pietatem, de qua loquebatur Apostolus, *si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis:* Profecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum . . . ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est, quoniam fides, nisi cogitetur, nulla est ".

Divus Fulgentius, *l. de incarnatione & gratia Christi*, exponens hunc Apost. textum. „ Justus ex fide vivit, *ait:* Vita nostra a fide sumit initium. Quam fidem non ex nostra voluntate nasci, sed per Spiritum Sanctum unicuique dari, Beatus Paulus ostendit. *Et infra:* In hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus Sanctus effundat & nutriat ". Ergo a nemine unquam Deus potest præveniri.

*Prob.* 2. *Ex Conciliis*. Arausicano II. can. 5. „ Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus Sancti . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur. *Et Can.* 7. Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti . . . hæretico fallitur spiritu ".

*Prob.* 3. *ratione Theologica:* Ideo Semipelagiani asserebant hominem, sine gratia præveniente, posse incipere aliquod opus salutare, ut per illud mereretur gratiam divinam vires ulteriores suppeditaturam ad perficiendum & complendum opus salutare, a voluntate naturaliter expetitum. *Nam*, ait D. Hilarius, Epist. ad August. *Quod dicitur:* crede & salvus eris: *Unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur*. Atqui consequens repugnat 1. naturæ gratiæ, quæ omnino gratuita est, nec meritis humanis rependitur. 2. Humilitati Christianæ, quæ cum Apostolo, 1. *Cor.* 4. clamat: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* ergo.

*Prob. min. prima pars:* Ex D. Aug. *l. de prædest. SS. cap.* 2. dicente: „ Si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus . . . . ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quod aliud fideliter poscimus; sed contra hæc cur non potius audimus: quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est? neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cætera, sed*, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ergo gratia nullo modo rependitur meritis humanis ". Sed ut Semipelagianismus funditus evellatur.

Quæres; *An saltem homo, per solas naturæ vires, possit se præparare ac disponere ad gratiam?*

Resp. *negative:* Nam omnis dispositio quandam habere debet proportionem cum forma ad quam disponit; atqui actus morales naturales, nullam habent proportionem cum gratia, quam non exigunt; ergo non possunt ad gratiam disponere. Hinc D. Aug. *lib. 1. ad Simplicianum quæst.* 2. ait: „ Nonne videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, & tamen vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide & vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur meretricum & histrionum subito conversorum, non solum patientia & temperantia, sed etiam fide, spe & charitate superari? restat ergo ut voluntates eligantur: sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate ".

Con-

*Confirmatur*, quia si homo posset se disponere ad gratiam per solas naturæ vires, hoc fieret vel per aliquem actum, saltem de congruo, meritorium: vel per desiderium recuperandæ salutis: vel tandem per pactum quo Deus decrevit homini, quod in se est facienti, dare gratiam; atqui nihil horum dici potest, ergo &c. *Non primum*, quod continet totum Pelagianismi virus, evertitque totam rationem gratiæ, quæ omnino debet esse gratuita. *Non secundum*, quia hoc desiderium est a gratia, ut de fide est definitum in Concil. Arausicano; cujus canones retulimus supra. *Non tertium*, quia hujus fictitii pacti nullum, vel levissimum vestigium reperitur in Scripturis; unde Clerus Gallic. anno 1700. in censura propositionis contrariæ, dicit: „ Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura & SS. PP. traditione prolatum “.

*Solvuntur Objectiones Semipelagianorum.*

*Objicies* 1. Proverb. 16. dicitur: „ Hominis est præparare animam & Domini gubernare linguam . . . . cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus “. Ergo hominis est incipere opus salutare, cujus intuitu Deus præparat & confert gratiam.

Resp. *dist. conseq.* Hominis est incipere opus salutare, ope gratiæ prævenientis, *conc.* per solas naturæ vires, *nego conseq.* Sensus ergo textus allati est, hominis esse animam, ope gratiæ prævenientis, præparare ad ulteriorem gratiam specialiorem, quæ necessaria est, ut pie cogitata, recte & fructuose eloquatur.

*Inst.* 1. Psalmo 87. dicitur: *Mane oratio mea præveniet te.* Ergo in negotio salutis voluntas hominis prævenit gratiam Dei.

Resp. *nego conseq.* In textu enim verbum, *Præveniet te*, sumitur pro verbo, maturabit ad te tendere, quod non fit sine gratia præveniente & inspirante, quia, ut ait Apost. Roman. 8. „ Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus “.

*Inst.* 2. Zachariæ 1. Deus dicit: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Ergo homo debet incipere negotium salutis.

Resp. *dist. conseq.* Homo debet incipere negotium salutis, præventus & excitatus a gratia divina, *conc.* per vires naturales, *nego conseq.* Conversio enim hominis ad Deum, est fructus gratiæ prævenientis, & conversio Dei ad hominem designat gratiæ subsequentis, aut etiam justificantis collationem; atque ita consentit Zacharias Jeremiæ dicenti, c. 31. *Converte me & convertar*, cum hoc, ex diversis loquendi modis, emolumento, quod Zacharias hominis libertatem, Jeremias vero præviam gratiæ motionem astruat; ut observat Concil. Trid. *Sess. 6. cap. 5.* his verbis: *Cum dicitur*, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus:* converte nos, Domine, ad te, & convertemur: *Dei gratia nos præveniri confitemur.*

*Inst.* 3. Apost. *Rom.* 7. v. 18. ait: *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* Ergo desiderium salutis est a nobis.

Resp. *dist. conseq.* Est a nobis, a gratia excitatis, *conc.* a nobis solis, *nego ant.* Id constat ex ipso Apostolo, qui *Philipp.* 2. ait: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Bona ergo Apostoli voluntas erat ex gratia præveniente, quæ ipsum movebat ad volendum bonum, quod, propter contrarios concupiscentiæ motus, non poterat tam prompte, ac facile perficere, ex quo necessaria erat gratia ulterior adjuvans, quæ daret & ipsum agere.

*Objicies* 2. In Scripturis multa leguntur exempla eorum, qui, absque gratia, salutis suæ initium posuerunt; ergo.

Resp. *nego ant.* Cujus contrarium fuit definitum in Conc. Arausicano II. Can. 3. his verbis: „ Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ & Apostolo idem dicenti “: *inventus sum a non quærentibus me: palam apparui his qui me non interrogabant.*

*Prob. ant.* Cornelius Centurio, *Act.* 10. *per bonam voluntatem & eleemosynas obtinuit fidem in Christum;* atqui hanc bonam voluntatem habuit, & eleemosynas fecit absque gratia; ergo.

Resp. *nego min.* Nam Cornelius, antequam instructus esset a D. Petro, supernaturalem gratiam actualem habuit, quæ fuit principium bonæ illius voluntatis & eleemosynarum, ut definiit Concil. Arausicanum, Canon. 25. „ Unde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum, &c.

*Objicies* 3. Multi PP. antiquiores docuisse videntur gratiam Dei bona hominis voluntate præveniri; ergo, &c.

*Prob. ant.* Ex S. Irenæo, qui *lib.* 4. *c.* 37. docet: „ Prophetas hortari homines ad justitiam, & ad bonum opus, quia hoc in nobis est “. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Quia hoc in nobis est, per liberum arbitrium gratia motum & excitatum, *conc.* sine gratia, *nego ant.* Agit itaque contra Simonianos & Marcionitas, qui docebant voluntates nostras ineluctabili necessitate ad bonum aut malum propelli, contra quos demonstrat ex exhortationibus, quibus ad virtutem incitamur, esse in nobis liberum arbitrium, quod verum est. Ad bonum autem salutare inchoandum & perficiendum necessariam esse gratiam agnovit Divus Irenæus, qui *lib.* 3. *cap.* 17. ait: „ Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos fructum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus ad vitam sine superna voluntaria pluvia “.

*Inst.* 1. Div. August. *lib. de prædest. SS.* ait: „ Salus solius religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciter promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit “. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Nulli unquam defuit, qui dignus fuit

fuit, per auxilium gratiæ, *conc.* per solas naturæ vires, *nego ant.* Sese explicat D. Aug. *lib.* 2. *retract. cap.* 31. dicens: *Non ita dixi, tamquam ex meritis suis quisque dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus*, non ex operibus, sed ex vocante Deo.

*Inst.* 2. D. Chrysostomus, variis in locis, docet hominem seipsum ad gratiam per solas naturæ vires posse præparare. Sic, *Hom.* 12. *in Epist. ad Hebræos*, ait: „ Oportet nos primum bona eligere, & tunc affert quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem . . . . nam nostrum quidem est præeligere & velle, Dei autem est perficere & ad finem deducere “.

Resp. *nego ant.* Totus quidem ibi est D. Chrysostomus in defendendo contra Manichæos lib. arbitrio, & excutienda hominum negligentia, ne scilicet putent se in omnibus a Deo sic præveniri per gratiam, ut nihil sibi agendum relinquatur; verum non rejicit D. Doctor necessitatem gratiæ ad actus salutares, quam variis locis astruit, v. gr. Hom. 13. in Jo: *Gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicat*. Et Homil. 12. in Epist. ad Hebræos astruit tum liberum arbitrium, tum necessitatem gratiæ, dicens: „ Etiamsi curras, etiamsi studium ponas, ne tuum esse existimes quod recte gestum est. Nam nisi a superis opem adipiscaris, frustra erunt omnia . . . frustra currimus, si totum esse nostrum existimamus, si non plus Deo tribuimus. Non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temere coronare. Neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam “. Ex quo evidenter patet, mentem D. Chrysostomi esse, quod Deus non præveniat nostras voluntates, totum faciendo, & nihil nobis agendum relinquendo; sed cum parati fuerimus per bonum usum gratiæ prævenientis acceptæ, puta gratiæ orationis & boni desiderii, tunc Deus multas ulteriores & potentiores gratias nobis suppeditet, quibus homo & justificationem, & præsertim perseverantiam usque in finem, possit obtinere.

*Inst.* D. Hieron. *dial.* 3. *contra Pelagianos*, ait: *Nostrum est incipere, illius perficere, nostrum offerre quod possumus, illius perficere quod non possumus*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Nostrum est incipere cum gratia excitante, *conc.* sine gratia, *nego ant.* Sese explicat D. Doct. epist. ad Demetriadem: *Velle & nolle nostrum est*, inquit, *ipsumque, quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est*.

*Objicies* 4. Stare non potest libertas cum necessitate gratiæ ad opera salutaria inchoanda & perficienda; ergo &c.

Resp. *nego ant.* Quia per gratiæ collationem, confirmatur potius libertas, quam tollitur, ut docet D. Aug. (*Lib. de Spiritu & littera, cap.* 30.) his verbis: *Liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur*. Rationem reddit *ibid.* D. Doctor, *quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligitur*. Non ergo per gratiam liberum arbitrium extinguitur, quandoquidem ejus motioni & excitationi potest consentire vel dissentire, prout definivit Conci.. Trident.

*Inst.* Si gratia nos, pro Dei beneplacito, prævenit, sequitur 1. Quod Deus sit personarum acceptor, cum uni det, alteri deneget gratiam. 2. Quod oratio fiat frustra. 3. Quod nullus exhortationi aut correptioni locus relinquatur. 4. Quod negligentiæ aut desperationi locus detur; atqui omnia illa sunt absurda; Ergo.

Resp. *nego sequel.* 1. Etenim Deus, ex eo, quod pro beneplacito suo nos præveniat, non est personarum acceptor, tum quia personarum acceptio non est, nisi cum ea, quæ debentur ex justitia, secundum justitiæ leges non distribuuntur, quod in distributione gratiæ, quæ nemini ex justitia debetur, locum non habet; tum quia gratia præveniens nemini deest, ut infra probabitur, quamvis illam Deus secundum mensuram diversam, pro beneplacito suo, elargiatur.

2. Oratio non fit frustra, quia dum fit ex gratia præveniente, valet ad consequendam gratiam subsequentem; unde D. August. (*Lib. de corrept. & gratia cap.* 1.) ait: *in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere*.

3. Locus est exhortationi, & correptioni, tum quia in ipsa exhortatione & correptione Deus cordis aures sæpe aperit interius ut homines audiant & obediant. *Corripitur*, ait D. Aug. ibid. cap. 6. „ ut strepitu concionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione, operetur & velle “. Tum quia *dolor ille, quo sibi displicet* homo, ait D. August. ibid. cap. 5. „ quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majores orationis affectum, ut Deo miserante incremento charitatis adjutus, desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda “.

4. Non datur locus negligentiæ aut desperationi, sed potius acuitur diligentia, dum significatur gratiam a nobis non pendere, & periculum esse, ne si dissentiendo reddatur inutilis, subtrahatur, spes autem firmatur, dum auxilium divinum, quo nostra juvetur infirmitas, promittitur.

*Objicies* 5. Axioma theologicum, *facienti quoad in se est, Deus non denegat gratiam*. Ergo homo potest per vires naturales sese ad gratiam præparare.

Resp. *dist. axioma*: Facienti quod in se est, ex gratiæ viribus, *conc.* ex naturæ viribus, *nego*. Axioma enim, hoc ultimo sensu intellectum, damnatum est a Clero Gallicano, an. 1700. *Tanquam instaurans Semipelagianismum, mutatis tantum vocibus*.

*Inst.* 1. Illud axioma est D. Thomæ & aliorum Theologorum plurimorum, asserentium gratiam a Deo non denegandam homini per naturæ vires quod in se est facienti; ergo temerarie fuit a Clero Gallicano censura notatum.

Resp. *dist. ant.* Asserunt gratiam non denegandam homini per naturæ vires a Deo motas & excitatas, quod in se est facienti, *conc.* per naturæ vires solas, *nego ant.* Clare hoc asserit D. Thom. *in cap.* 10. *Epist. ad Rom. lectione* 3. dicens: „ Quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, secundum illud Thren. 5. “ Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.

*Inst.* 2.

*Inst.* 2. D. Thom. de veritate, *quæst.* 14. *art.* 11. *ad* 1. dicit: „ Ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia nutritus, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ". Ergo mens ejus est, hominem per solas naturæ vires posse se ad gratiam disponere.

Resp. *nego conseq.* Mens enim, & vera Div. Thomæ sententia, quærenda est specialiter in ejus Summa, quæ postremum ipsius opus est: porro in ea (1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. *ad* 2.) dicit: *Quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Joann.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo.*

## QUÆSTIO II.

*Utrum gratia Christi actualis interior, sit necessaria ad perseverandum in accepta justitia usque ad finem vitæ?*

*Nota* 1. Perseverantia, ex Div. August. *lib. de bono perseverantiæ, cap.* 1. sumi potest secundum quid, vel simpliciter.

Perseverantia *secundum quid* est ea, qua homo justus, per aliquod tempus, sed non usque ad mortem, perseverat in accepta justitia, per prosecutionem boni & fugam mali.

Perseverantia *simpliciter*, definitur ab Aug. *donum Dei quo usque in finem perseveratur in Christo*; id est, usque in finem vitæ; *finem autem dico*, inquit, *quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur.* De hac sola hic loquimur.

*Nota* 2. Dupliciter contingere potest, ut aliquis in gratia justificante perseveret usque ad mortem. 1. Cum post acceptam gratiam justificantem quis moritur antequam ullum actum liberum possit exercere, v. gr. cum infans baptizatus moritur ante adeptum usum rationis, vel adultus statim post acceptam justitiam. 2. Cum justus adultus aliquandiu vivit post acceptam gratiam sanctificantem, & in observantia mandatorum Dei, tentationum victoria, ac virtutum exercitio ad mortem usque jugiter perseverat.

*Nota* 3. Quæstionem hic non esse de infantibus, qui post Baptisma ante usum rationis adeptum moriuntur; nec de adultis justis, qui e vita excedunt statim post acceptam gratiam justificantem: *constat* enim erga istos, tam infantes, quam adultos, elucere specialem Dei protectionem & singularem providentiam, quæ fit ut tunc, & in talibus circumstantiis, moriantur, juxta illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properavit illum educere de medio iniquitatum.* Constat similiter in istis non necessariam esse gratiam perseverantiæ internam, illustrationis nimirum & inspirationis, quâ nec sunt capaces infantes, nec indigent adulti statim post acceptam justificationem decedentes.

Quæstio igitur est de adultis, qui post justificationem aliquandiu vivunt, & pugnandum habent contra dæmonem, mundum, & carnem. Itaque.

### CONCLUSIO.

*Homo justus in præsenti statu, sine speciali divinæ gratiæ auxilio, non potest in accepta justitia perseverare usque ad finem vitæ.*

*Prob.* 1. Ex Scripturæ textibus, quibus D. Aug. *lib. de dono perseverantiæ*, probat perseverantiam esse speciale donum Dei.

Cap. 2. ait: *Si perseverantia non sit donum Dei, quomodo verum est, quod Apost. Philipp.* 1. ait: Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo: *Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum.*

Cap. 7. in hæc, *Psal.* 79. verba: „ Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus a te; *ait*: Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus a Deo. Manus, inquam, ejus est ista, qui dixit Jer. 32. " Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant. „ Propter quod & posci a se voluit, *ne inferamur in tentationem*: quia si non inferamur, nulla ab eo ratione discedimus: quod poterat nobis, etiam non orantibus, dari, sed oratione nostra nos voluit admoneri, a quo recipiamus hæc beneficia ".

Cap. 5. In hæc verba orationis Dominicæ: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, *ait*: Cum dicunt Sancti, *& ne nos inducas in tentationem, &c.* quid aliud, quam ut in sanctitate perseverent, precantur? *Additque perseverantiam* esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis aperteque monstratur. *Nam, ut ait, c.* 2. Irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare. "

*Prob.* 2. *Ex Conciliis*: Arausicano II. Can. 10. „ Adjutorium Dei, etiam renatis ac sanctis, semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. *Trid. sess.* 6. *Can.* 22. Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit ".

Idem definiit Cœlestinus S. P. *in Epist. ad Episcopos Galliæ*, dicens: „ Neminem etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi, per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit ".

*Prob.* 3. *ratione*: Quia gratia perseverantiæ hominem reddit in bono ita immobilem, ut finem, nempe mortem in Christo, indeclinabiliter assequatur; atqui homo justus cum gratia justificante & donis eam comitantibus, ac etiam cum auxiliis gratiæ ordinariis, non est ita immobilis in bono, ut finem indeclinabiliter assequatur, ob illius voluntatis mobilitatem; ergo gratia perseverantiæ est donum speciale ab illis auxiliis distinctum, quod ideo a Conc. Trid. *Can.* 16. vocatur, *Magnum perseverantiæ donum.*

*Sol-*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Omni justo debetur gratia, cum qua perseverare possit; ergo perseverantia non est speciale donum.

Resp. *dist. ant.* Omni justo debetur gratia communis & sufficiens, cum qua perseverare possit, saltem mediate, *conc.* gratia specialis, cum qua actu perseveret, *nego ant.* Itaque omnes justi donum habent sufficiens, cum quo possunt usque ad finem perseverare, saltem mediate, quia habent gratiam, qua, per orationes & bona opera possunt impetrare perseverantiæ donum; sed omnes non habent donum speciale & efficax perseverantiæ, quo fiat ut actu perseverent, neque tale auxilium eis debitum est; immo neque illud mereri possunt de condigno, sed tantùm de congruo, juxta illud D. August. lib. de dono perseverantiæ cap. 6. *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest.*

*Inst.* 1. Homo justus habet jus ad gloriam, quæ in gratia habituali, velut fructus in semine, virtualiter continetur, juxta illud 1. Joann. 3. *Semen Dei est in illo.* Ergo perseverantia, quæ conjungit gratiam cum gloria, non est speciale donum a gratia habituali distinctum.

Resp. *dist. ant.* Habet jus ad gloriam, mobile, *conc.* immobile, *nego ant.* Equidem justus habet jus ad gloriam, quamdiu gratia habituali illustratur; verum non habet jus, ut usque ad mortem in gratia perseveret, quippe, qui ratione liberi arbitrii ad bonum & malum, quamdiu vivit, deflectere possit, unde, quando quis a Deo ita protegitur, ut non amittat gratiam instante morte, maximum est & specialissimum misericordiæ divinæ beneficium, de quo D. August. *lib. de dono persever. cap.* 9. ait: „ Ex duobus justis, cur huic donetur perseverantia usque ad finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei ". Est enim beneficium, quod Deus, ex mero suo beneplacito, quibus voluerit, largitur.

*Inst.* 2. Gratia habitualis est excellens quædam divinæ naturæ participatio, quæ cum concursu Dei generali sufficiens est ad omnia præcepta adimplenda, omnia peccata vitanda, &c. Ergo cum gratia habituali, & generali Dei concursu gratiæ debito, potest quis perseverare absque speciali auxilio.

Resp. *dist. ant.* Gratia habitualis sufficiens est, absolute, & secundum propriam virtutem, *conc.* relative ad infirmitatem hominis lapsi, *nego ant.* Licet enim gratia habitualis ex se sufficientem virtutem habeat ad quodlibet peccatum vitandum, & ejus occasiones expellendas, tamen ad id, in homine lapso, non est sufficiens, nisi speciali auxilio fulciatur ac roboretur: etenim, etiamsi gratia sanet animam, diluendo culpam, non tamen eam sanat, auferendo infirmitatem, quæ ex parte concupiscentiæ suboritur.

*Inst.* 3. Concil. Milevitanum *Can.* 8. definit: „ Si quis dixerit gratiam, per quam justificamur per Christum, valere ad solam remissionem peccatorum quæ commissa sunt, & non in adjutorium, ne iterum committantur, anathema sit ". Ergo gratia habitualis sufficit, cum concursu Dei generali, ad vitanda omnia peccata.

Resp. *nego conseq.* Equidem gratia, qua justificamur, valet in adjutorium, ne peccata committantur, ubi graves non urgent tentationes & occasiones peccati; ubi vero urgent tales ad peccandum illecebræ, præter gratiam habitualem, necessaria sunt auxilia specialia, quibus anima in aversione mali & boni prosecutione roboretur, ac immobiliter ad finem usque perseveret.

*Inst.* 4. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Atqui si perseverantia finalis specialis est gratia, quam Deus cui voluerit concedat, vel deneget, justificatos, quibus gratia illa denegatur, Deus desereret priusquam ab eis desereretur; ergo perseverantia non est gratia specialis, sed communis est omnibus justis.

Resp. *nego min.* Etsi enim perseverantia sit gratia specialis, non sequitur quod Deus justum, cui non conceditur, primus deserat, cum omni justo conferat auxilium vere ac relative sufficiens, ut perseverantiæ donum, (quod ex August. *suppliciter emereri potest*) impetrare possit; quod si non impetret, necesse est præcesserit aliqua ex parte justi culpa, sive sit negligentia & tepor in oratione, sive sit præsumptio quædam, ac occulta superbia, propter quam perseverantia a Deo denegatur; ex quo sequitur Deum prius a justo deseri, quam justus a Deo, judicio occulto, sed justo, deseratur, juxta illud D. Aug. lib. de corrept. & gratia, cap. 13. „ Gratiam Dei suscipiunt (qui non sunt perseveraturi) sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto ".

*Objicies* 2. Ut quis in accepta justitia usque in finem perseveret, sufficit ut ultimum impleat præceptum; atqui illud implere potest cum auxilio ordinario; ergo ad perseverantiam non requiritur donum speciale.

Resp. *dist. min.* Potest cum auxilio ordinario implere ultimum præceptum, quatenus præcise præceptum est, *conc.* quatenus est ultimum, *nego min.* Ultimum siquidem non est, nisi quatenus mors contingit post ejus fidelem adimpletionem, quod singulari Dei beneficio tribui necesse est, cum in statu gratiæ justificantis ex hac vita eripi speciale sit donum Dei.

Quæres 1. *In quo præcise situm sit magnum perseverantiæ donum?*

Resp. Situm est in duobus. 1. In interno gratiæ actualis auxilio, quo homo justus, vel a peccando retrahitur, vel a suis peccatis, propter quæ a Deo deseri merebatur, cito resipiscit, ac tandem in accepta justitia finaliter perseverat, ut docet Div. August. *lib. de corrept. & gratia cap.* 12. dicens justis, in præsenti statu naturæ lapsæ, dari tale auxilium: Non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, *ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* 2. Situm est in singulari Dei protectione externa, qua Deus ab homine justo, qui per preces & alia pietatis opera perseverantiam impetravit, graves tentationes, peccandi occasiones, & alia salutis obstacula, removet, ac tandem mortem ejus cum gratia sanctificante conjungit.

Quæ-

Quæres 2. *An, & qualiter donum perseverantiæ finalis distinguatur a confirmatione in gratia?*

Resp. Probabilius est utrumque illud donum non essentialiter differre, 1. *Quia* Scriptura sacra hoc utrumque donum pro uno eodemque dono indiscriminatim usurpat, Ps. 36. *Confirmat autem justos Dominus*, 2. ad Thess. 3. *fidelis autem Dominus est, qui confirmet & custodiat a malo*. Hoc autem Deus præstat iis, quibus donum perseverantiæ concessit. 2. *Quia* D. Aug. *l. de corrept. & gratia cap.* 12. utrumque donum pro uno eodemque usurpat, dum ait, Deum Apostolis dedisse *non solum justitiam, verum etiam in illa perseverantiam*, quos tamen certum est fuisse in gratia confirmatos.

Differunt tamen accidentaliter, 1. *Quia* confirmatio in gratia datur paucis, iisque singulariter privilegiatis; donum vero perseverantiæ datur omnibus qui cum gratia habituali ex hac vita rapiuntur, ex quo privilegium dici non potest. 2. *Quia* confirmatio in gratia supra perseverantiam addit majorem quamdam gratiæ habitualis intensionem, majoremque copiam auxiliorum actualium; ex quo fit, ut, etsi graviores occurrant tentationes, facilior tamen ac suavior sit victoria in confirmatis, quam in perseverantibus.

Quæres 3. *Utrum homo in statu innocentiæ indiguerit auxilio ad reipsa perseverandum usque in finem?*

Resp. Affirmativa est probabilior.

*Prob.* 1. *Ex SS. PP.* Div. Aug. *l. de corrept. & gratia cap.* 11. de primo homine dicit: „ Ut reciperet bonum, gratiæ non egebat, quia nondum perdiderat; ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ sine quo id omnino non posset: & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset, nam si habuisset, perseverasset “.

2. Divus Fulgentius, *l. 2. ad Trasimundum cap.* 2. ait: *Profecto cognoscitur uniformi cunctos* (Angelos) *opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet, a casu gravitatis virtus illa* (gratiæ) *defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non posset*. Ubi pensanda sunt hæc verba, *nisi quos vellet*, quæ peculiarem favorem indicant.

D. Anselmus *l. de casu diaboli cap.* 2. ait: „ Constat ergo, quod ille Angelus qui stetit in veritate, sicut ideo perseveravit, quia perseverantiam habuit, ita ideo perseverantiam habuit, quia accepit; & ideo accepit, quia Deus dedit. “

*Prob.* 2. Ratione Divi Thomæ, qui *lib. 3. contra gentes*, necessitatem auxilii ad perseverandum repetit a mobilitate voluntatis; atqui in statu innocentiæ voluntas fuisset mobilis ad bonum & malum; ergo licet homo in illo statu majorem ad perseverandum facilitatem habuerit, quam homo lapsus, tamen speciali divinæ Providentiæ cura indiguit, ut in bono immobiliter ad finem usque permaneret.

Dixi, *Probabilior*, quia negare non possumus oppositam sententiam probabilem esse, quæ si cui arrideat, illam amplecti poterit & tueri.

## QUÆSTIO III.

*Utrum gratia Christi interior sit necessaria ad boni moralis ordinis naturalis affectionem?*

*Nota*. In omni opere morali bono, duo sunt distinguenda, nempe objectum seu officium, & finis, qui duplex est, *proximus*, nimirum, qui primo & per se ab agente intenditur, estque actionis motivum; & *ultimus*, ad quem actu, vel virtute, omnia referuntur, ipse vero ad nihil prorsus ordinari potest, v. g. In eleemosyna, *objectum*, est ipsum opus eleemosynæ; *finis proximus*, est sublevatio pauperis, *finis ultimus*, est Deus, ad quem opus eleemosynæ refertur, *vel actualiter* & formaliter, cum quis expresse & reflexe statuit dare eleemosynam propter Deum; *vel virtualiter*, cum quis, licet actu de referenda sua actione ad Deum non cogitet, facit tamen actionem moralem rectam, tum ex objecto, tum ex fine proximo; illa enim actio, quando nullo alio particulari fine perverso ex parte operantis vitiatur, ex se, & innato quasi motu, ad finem ultimum, Deum scilicet, refertur, eamque agens, generali quadam ac implicita intentione, ad illum referre dicitur.

*Nota* 2. Hic controvertitur de opere morali bono, tum ex objecto, tum ex fine & aliis circumstantiis; nam ultro quilibet admiserit bonum opus ex objecto & officio, absque gratia elici posse.

*Nota* 3. Licet quæstio procedat tum de infideli, tum de fideli peccatore, tamen satis erit de infideli agere; eo enim ipso quo probabitur infidelem posse absque gratia aliquod opus morale bonum agere, multo clarius fidelem peccatorem hoc posse demonstrabitur. Itaque sit

## CONCLUSIO.

*Infidelis potest absque gratia aliquod bonum opus morale naturalis ordinis velle, ac facere*. Est certissima contra Bajum & Jansenium.

*Prob.* 1. Ex Script. *Rom.* 2. dicitur: „ Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. “ Ergo gentiles aliquod opus bonum naturalis ordinis possunt facere *naturaliter*, idest, sine gratia, sine fide, ut interpretantur Patres. Origenes in hunc locum: „ Gentilis, *inquit*, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & ratione naturali motus, vel justitiam teneat, vel castitatem, vel temperantiam, &c. custodiat: iste licet a vita alienus videatur æterna, quia non credit in Christo.... videtur quod per ea quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, & honorem & pacem perdere penitus non posset. “ Et Div. Hieronym. *in cap.* 29. *Ezech.* ait: „ Perspicuum est condemnari nos comparatione gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus, de quo plenissime Paulus ad Romanos disputat. “

*Frustra reponunt adversarii* 1. D. August. *lib. de spiritu & littera, cap.* 27. hunc Apostoli textum interpretari de gentibus ad fidem conversis; ergo male intelligitur de infidelibus.

Resp. *enim nego conseq.* Equidem D. Aug. ut refelleret hæreticam Pelagianorum interpretationem, qui Apostoli testimonio abutebantur, ut dicerent nonnullos gentiles, sine fide & gratia Christi, universam legem observasse, veramque justitiam adeptos esse, textum Apostoli interpretatus est de gentibus ad fidem conversis; sed nostram interpretationem non excludit, im-

mo eam approbat *ibidem*, dicens. " Si autem hi, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia . . . . quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus ". Et ne quis dicat D. Doctorem loqui de operibus bonis ex officio & objecto tantum, non autem ex fine, subdit: „ Quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitum, laudem, defensionemque, mereantur ". Quod autem, *vix*, invenitur, revera tamen invenitur. Postea rationem reddit, dicens: „ Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis vel sapere ". Et infra, post citatum textum Apostoli de infidelibus dicit: „ Illi potius, qui cum verum Deum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia ". Hæc de mente D. August. nullum relinquunt dubium.

*Frustra reponunt* 2. D. Fulgentium, *lib. de Incarn. & gratia cap.* 25. dicere, eos Dei gratiæ contradicere, qui præfatum Apostoli textum gentibus incredulis assignant; ergo Apostolus loquitur duntaxat de gentibus ad fidem conversis.

Resp. *dist. ant.* D. Fulgentius dicit, &c. juxta sensum Pelagianorum, hoc Apostoli textu abutentium, tum ut ostenderent gentes ex solis naturæ viribus posse totam legem implere, tum ut probarent gentes justificari posse sine Christi fide, *conc.* juxta sensum PP. eo loco utentium, ut probarent, posse in infidelibus aliqua opera moraliter bona absque gratia, *nego ant.* quod satis ostendit Div. Doctor. *cap. sequenti*, dicens: „ Hominibus illis, quorum mentio facta est ab Apostolo, aliqua quidem bona opera, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse posse: sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non posse ": ad salutem videlicet æternam.

Hinc SS. Pontifices damnarunt hanc Baji prop. 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom.* 2. gentes quæ legem non habent, &c. *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

*Prob.* 2. *ex SS. PP.* Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. qui hanc Baji prop. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, damnarunt, immo & alias plures quæ istius sunt principia; talis est 37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

Item ex Clem. XI. qui has Quesnelli propositiones similiter damnavit 39. „ Voluntas, quam gratia non prævenit . . . . . est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum; 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. "

*Prob.* 3. *ratione:* Quia, ut docet Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 1. per peccatum Adami, *liberum arbitrium minime extinctum est; viribus licet attenuatum & inclinatum.* Ergo potest homo, solis liberi arbitrii viribus, aliqua opera moraliter bona propter finem honestum elicere; v. g. potest gentilis naturalis pietate honorare parentes, naturali commiseratione sublevare proximi miseriam, quia id honestum est, & rationi naturali conforme; tales autem actiones sunt bonæ, tum ex objecto, tum ex fine & circumstantiis; ergo.

*Confirmatur*, quia sola actio bona honesta laudari potest & remunerari a Deo; atqui misericordia obstetricum Ægyptiarum infidelium erga masculos Hebræorum, quos contra edictum Pharaonis servaverunt, fuit a Deo laudata & remunerata. Exodi 1. „ Benefecit Deus obstetricibus, & quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos, *id est*, prolem copiosam eis concessit "; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Rom. 14. dicitur: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Atqui nulla opera infidelium sunt ex fide; ergo.

Resp. *dist. ant.* Juxta proprium Apostoli sensum, quod non est ex fide agendorum, id est, ex bona conscientia, peccatum est, *conc.* quod non est ex fide credendorum, *nego ant.* Itaque Apostolus ibi de iis agit, qui cibos quosdam manducabant, quos tamen sibi illicitos existimabant, docetque eos peccare, quia agebant contra bonam fidem, seu contra conscientiam, *quod autem non est ex fide*, id est, quod fit reclamante conscientia, *peccatum est.*

*Inst.* 1. D. August. *lib.* 4. *contra Jul. c.* 3. præfatum Apostoli textum interpretatur de fide credendi in Christum; ergo quod non est ex fide Theologica, peccatum est.

Resp. 1. Fateor D. Augustinum intellexisse præfatum textum de fide credendi, sed sine exclusione nostræ interpretationis; nam Juliano objicienti hunc textum accipiendum de bona conscientia, respondet: „ Sed ut hoc tibi de cibis tantum intelligendum esse concedam, quid de alio dicturus ex testimonio, quod ad Hebræos scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo? sed posito quod hic textus intelligatur de fide credendi. "

Resp. 2. *dist. conseq.* Quod non est ex fide contrarie, id est quod fit animo infidelitatis, ut eleemosyna data in honorem Jovis, est peccatum, *conc.* quod non est ex fide negative, id est, absente fide, peccatum est, *subdist.* si aliquo fine pravo vitietur, *conc.* per se & præcise quia fit a non habente fidem, *nego conseq.* sensum suum sic ibidem explicat D. Doctor: „ Quod si & ipsa per seipsam naturalis compassio opus est bonum; etiam isto bono male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit; qui autem male facit aliquid, profecto peccat ". Postea rationem reddens cur infideles bona opera male faciant, ait: *Quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate.*

*Inst.* 2. Atqui, ex Apostolo, quæ non sunt ex fide, nedum contrarie, sed etiam negative sunt peccata; ergo, &c.

*Prob. ant.* Hebr. 11. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad vitam æternam, *conc.* in ordine ad honestatem moralem ordinis naturalis, *subdist.* ratione operantis, *conc.* ratione operis, *nego ant.* Fateor equidem infidelem, quandiu in infidelitate

per-

permanet, non posse Deo placere ratione sui, etsi placeat interdum ratione operis moralis ab illo bene exerciti, non quidem complacentia, quæ proveniat ex justitia & sanctitate supernaturali, per quam Deo placuerunt in ordine ad vitam æternam sancti fide supernaturali imbuti, sed complacentia, quæ provenit ex virtute moraliter bona.

*Inst.* 3. Atqui etiam ratione operis omnia infidelium opera sunt peccata & Deo ingrata; ergo.

*Prob. ant.* Ex Apost. ad Tit. 1. „ Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum "; ergo infideles nihil mundum & rectum operantur.

Resp. *dist. ant.* Coinquinatis & infidelibus, qui per immunditiam cordis, aut per infidelitatem abutuntur Dei creaturis, vel, quasi forent impuræ, eis non utuntur, nihil est mundum, *conc.* infidelibus, præcise ratione eorum infidelitatis, *nego ant.* alias pariter concludendum esset, omnia opera mundorum esse munda, quod tamen absolute falsum est; alioquin nusquam quis peccare posset post adeptam justitiam: ita D. August. *lib. 6. contra Faustum*, explicat hunc textum, dicens: „Omnia, quippe, quæ naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt, & nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat ".

*Inst.* 1. Matth. 7. dicitur: *Non potest . . . arbor mala bonos fructus facere;* atqui infidelis est arbor mala; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Quando arbor agit ex sua malitia, non potest fructus bonos facere, *conc.* quando non agit ex sua malitia, *nego maj.* Porro infidelis non semper ex sua malitia & infidelitate agit, sed quandoque ex dictamine rectæ rationis; unde Div. Augustin. *lib. 4. contra Julian. capit.* 3. ipsum arguens quod dixerit voluntatem infidelis infideliter agentem esse bonam, ait: „ Non in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest. Vide itaque utrum infidelem voluntatem, id est, ex infidelitate agentem, *audeas bonam dicere voluntatem.* "

*Objicies* 2. Ex Conc. Arausicano, can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum;* ergo sine gratia nullum bonum opus morale fieri potest.

Resp. *dist. ant.* Nemo habet de suo, & hoc sensu quod quidquid habet homo, præter mendacium & peccatum, illud sit a Deo, vel ut auctore naturæ, vel ut auctore gratiæ, *conc.* ut auctore gratiæ semper, *nego ant.* Sensus ergo Canonis est, hominem sibi soli sufficere ad peccandum, eum vero, ad bonum operandum, indigere auxilio Dei naturali quidem ad bonum morale, & supernaturali ad bonum salutare, ut docet præfatus Canon, cum addit; „ Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte, quem debemus sitire in hac eremo " &c.

*Inst.* Idem Concilium, *can. 9.* ait: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ergo sine gratia supernaturali homo opus bonum non potest facere.

Resp. *dist. conseq.* Non potest opus bonum salutare facere, *conc.* bonum opus morale, *nego conseq.*

Ita declarat, can. 7. „ Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere asserit absque illuminatione Spiritus Sancti . . . . hæretico fallitur spiritu ".

*Objicies* 3. Div. August. *lib. de spiritu & littera, cap. 3.* ait: *Neque liberum arbitrium, quidquam, nisi ad peccandum, valet, si lateat veritatis via.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Id dicit eo sensu, quod parum valeat, eo modo quo dicimus ægrum de se tantum labi posse, quod per se vix stare possit, *conc.* eo sensu quod nihil omnino valeat, *nego ant.* Hanc Div. Doctor interpretationem nobis exhibet, *lib. de corrept. & gratia cap. 11.* dicens: *Arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

*Inst.* D. Aug. *l. 2. ad Bonifac. cap. 5.* ait: „ Liberum arbitrium ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta ". Ergo.

Resp. *dist. conseq.* Liberum arbitrium ad nullum opus bonum salutare valet, nisi gratia Dei fuerit liberatum & adjutum, *conc.* quod significat per ista verba: *ad pie vivendum*: ad nullum opus bonum morale, *nego conseq.* Etsi enim, per peccatum, liberum arbitrium infirmatum fuerit ac vulneratum, non tamen est penitus extinctum, & ideo potest aliquod bonum morale sectari.

*Objicies* 4. D. Aug. *l. de spiritu & litt. cap. 14.* ait: *Non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit;* atqui nullum opus hominis infidelis, de charitatis radice surgit; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non est fructus bonus sine charitate, qui sufficiens sit ad salutem consequendam, *conc.* qui sit moraliter bonus, *nego maj.* Itaque quoties Div. August. dicit charitatem desiderari ad actum bonum, toties loquitur de bono opere quod conducat ad vitam æternam, ut sese explicat lib. 4. contra Julian. cap. 5. *Scito*, inquit, *nos illud bonum hominum dicere* &c. *per quod solum potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Unde ejus testimonia nihil habent commune cum præsenti nostra quæstione.

*Inst.* 1. Ibi non potest esse ullum opus bonum, ubi vera virtus reperiri nequit; atqui ex S. August. in infidelibus nulla vera virtus reperitur, sic, *lib. de nuptiis & concup. cap. 3.* ait: *Vera pudicitia dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur;* ergo.

Resp. *dist. min.* Ex S. August. in infidelibus nulla vera virtus reperitur conducens ad vitam æternam, *conc.* conducens ad honestatem moralem, *nego min.* Itaque D. August. eam solam virtutem appellat veram, quæ hominem ordinat ad vitam æternam, ut constat *ex eodem cap.* 3. in quo ait: „ Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides vera, quæ in Christo est, promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes ".

*Inst.* 2. Si in infidelibus inessent aliquæ virtutes, moraliter duntaxat bonæ, dici possent steriles in ordine ad beatitudinem; atqui Div. August. aperte negat aliquas virtutes esse steriles: *Nullo modo igitur*, inquit lib. contra Jul. cap. 3. *homines sunt* ste-

*steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.*

Resp. *dist. min.* Negat aliquas virtutes esse steriles, respectu boni naturalis aut supernaturalis consequendi, *conc.* semper respectu boni supernaturalis, *nego min.* Itaque etiamsi virtutes steriles sint respectu felicitatis æternæ, possunt revera esse fœcundæ respectu boni temporalis, quod in mercedem Deus infidelibus retribuit, ut docet D. August. (*Lib. 5. de Civit. Dei cap. 15.*) de Romanis, quibus Deus terrenam excellentissimi Imperii gloriam concessit, *ut redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus.*

*Inst.* 3. Eodem loco Div. August. ait: *Voluntas sterilis, non est bona;* ergo opus sterile, non est bonum.

Resp. *dist. ant.* Non est bona, omnimode, *conc.* secundum quid, *nego ant.* Voluntas itaque sterilis non est bona in ordine ad salutem æternam consequendam, quæ est supremum hominis bonum; sed est bona in ordine ad honestatem moralem, & ad rectam hominis institutionem, quod est, esse bonum secundum quid.

*Objicies 5.* Nullum potest esse opus perfectum sine recta intentione; atqui in infidelibus nulla potest esse recta intentio, juxta illud D. Aug. super Psalm. 31. *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Ergo, &c.

Resp. *dist. min.* In infidelibus non potest esse recta intentio, directiva operis in finem ultimum supernaturalem, *conc.* in finem honestum naturalem, *nego min.* Sicut enim fides hominis intentionem dirigit in ordine ad vitam æternam, sic rationis lumen dirigere potest intentionem in ordine ad honestatem homini connaturalem.

*Inst.* 1. Quidquid non refertur ad Deum tamquam ad finem, non est bonum, sed verum peccatum; atqui infideles, in quibus non est vera Dei fides & cognitio, non possunt opera sua ad Deum, tamquam ad finem, referre; ergo.

Resp. *dist. maj.* Quod non refertur ad Deum vel explicite, vel implicite, peccatum est, *conc.* explicite semper, *nego maj.* Itaque ad hoc, ut opus sit bonum, necesse non est ut referatur ad Deum explicite, sed sufficit quod ad eum referatur implicite, quomodo ad Deum, quasi nativo pondere, refertur omne opus quod fit propter finem etiam naturaliter honestum; hoc autem modo actiones infidelium moraliter bonæ ad Deum referuntur, etiamsi infideles illi, inter operandum, de Deo nihil cogitent.

*Inst.* 2. Ergo licet agere propter honestatem virtutis; atqui falsum conseq. ex D. August. *lib. 19. de civit. Dei*, dicente: „ Licet enim a quibusdam tunc veræ & honestæ putentur virtutes, cum ad se ipsas referuntur, etiam tunc inflatæ, aut superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt ". Ergo.

Resp. *dist. min.* Non licet agere propter honestatem virtutis, tamquam propter finem ultimum, *conc.* tamquam propter finem proximum ad finem ultimum ordinabilem, vel per se, vel per intentionem agentis, *nego min.* Priori autem sensu Div. Doctor dicit virtutes, cum ad seipsas referuntur, esse inflatas & superbas, quales erant virtutes plurium gentilium, qui, propter vanam gloriam capessendam, varios actus virtutum moralium eliciebant. Unde Div. August. *lib. 1. operis imperfecti contra Julian.* ait: „ Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit ".

## QUÆSTIO IV.

### *Ad quodnam bonum morale naturale efficiendum gratia interior necessaria sit, vel non?*

*Nota. Pelagiani*, vires liberi arbitrii nimium extollentes, docuerunt hominem absque ullo gratiæ auxilio universam legem observare, Deum super omnia diligere, omnesque tentationes superare posse absque gratia; e contra *Bajus*, & omnes ejus discipuli, liberum arbitrium penitus jugulantes, docuerunt nullum legis naturalis præceptum observari, nullamque omnino tentationem vinci posse absque gratia. Videndum ergo est, utrum homo in præsenti statu possit absque gratia: 1. Universam legem naturalem observare; 2. Deum super omnia diligere; 3. Omnes superare tentationes? tribus articulis.

## ARTICULUS I.

### *Utrum homo, in præsenti statu, possit absque gratia universam legem naturalem observare?*

*Nota* 1. Præcepta legis naturalis dupliciter impleri possunt. 1. *Secundum substantiam*, si nempe actus præceptus suam habeat bonitatem moralem. 2. *Quoad modum*, si nimirum actus ex charitate fiat, & referatur ad finem supernaturalem. *Primo modo* lex non attenditur servari meritorie, sed præcise vitando peccatum quod est contra illam; *Secundo modo* attenditur servari meritorie, ita ut ad vitam perducat æternam: hanc distinctionem redarguit Bajus propositione 61. „ Celebris illa Doctorum distinctio divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est & explodenda ".

Constat, ex supra dictis, aliqua legis naturalis præcepta posse observari absque gratia; probavimus enim sine ea bonum aliquod opus morale naturalis ordinis elici posse; illud autem bonum, quodcumque sit, est præceptum legis naturalis; ergo, &c. Agitur itaque de observatione omnium; circa quod.

*Nota* 2. Potentia duplex est, physica nempe & moralis.

Potentia *physica* est vis activa, relative proportionata operi faciendo; hinc qui habet omnia principia necessario ad agendum requisita, habet potentiam agendi physicam.

Potentia *moralis* est vis activa, relative proportionata operi faciendo cum adjuncta facilitate. Hinc potentia, quæ nullo impedimento retardatur, non solum physica, sed moralis est potentia. His diligenter notatis.

CON-

## CONCLUSIO.

*Homo lapsus, absque gratiæ divinæ auxilio, non potest potentia morali, omnia legis naturalis præcepta etiam quoad substantiam operis, servare, ita ut omnia vitet peccata, quæ contra legem naturalem committi possunt.* Propositio est certissima.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Rom.* 7. *vers.* 23. Apostolus ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, (id est legi naturali) & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Hinc exclamat: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum.* Ergo natura humana ita per peccatum infirmata est, ut hoc præceptum, *Non concupisces*, non possit implere absque gratia Dei; unde Sapiens (8. *vers.* 21.) dicit: *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.*

*Prob.* 2. *Ex Conciliis*, tum Carthaginensi II. in Epistola Synodica ad Innocentium I. ubi PP. testantur damnatos ideo fuisse Pelagianos, quod assererent, Deum, talem hominis instituisse atque creavisse naturam, quæ per propriam voluntatem, legem Dei possit implere sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam: ubi per hæc verba: *Naturaliter in corde conscriptam:* significatur lex naturalis. Tum ex Concil. Carthaginensi III. *can.* 5. ubi definitur: „ Placuit, ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus, etiam sine illa divina implere mandata, anathema sit ". Ergo.

*Prob.* 3. *Ex PP.* D. August. *lib. de spiritu & littera*, qui totus scriptus est ad ostendendum quod lex absque gratia servari non possit, *cap.* 10. aperte profitetur, quod justus *credat nullo modo posse suæ infirmitati, ad implenda ea quæ lex jubet, nisi divina gratia, subveniri.*

D. Prosper *lib. contra collatorem cap.* 1. ait: „ Potest (lex) ne quid mali fiat jubere: a malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non præstat affectum, nisi quod est accidens per imperium litteræ, fiat vivificans per spiritum gratiæ ". Ex quo concludit D. Thom. 1. quæst. 109. art. 4. *In statu naturæ corruptæ, non potest homo implere mandata divina, sine gratia sanante.*

Ratio conclusionis est, quia natura per peccatum ita vulnerata fuit ac infirmata, ut vehementissime feratur in delectabilia legi divinæ repugnantia, & aversetur bona per legem præcepta; ergo non potest, potentia morali, omnia legis naturalis mandata observare nisi per gratiam, qua vulnus inflictum sanetur.

Dixi: *Potentia morali:* quia homo lapsus non habet impotentiam physicam, sed tantum moralem, ad observanda omnia legis naturalis præcepta. *Ratio est*, quia præcepta legis naturalis, etiam collective sumpta, secundum substantiam considerata, non superant vim humanæ voluntatis in præsenti statu, cum illa vis per peccatum non fuerit sublata, sed duntaxat labefactata: ergo ejus impotentia est tantum moralis, fundata 1. in rebellione appetitus; 2. in gravitate collectionis omnium præceptorum, supposita mobilitate & inconstantia voluntatis; ratione cujus totas vires ad agendum adhibitura non sit.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Rom. 2. dicitur: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter*, id est, naturæ viribus, *ea quæ legis sunt, faciunt.* Ergo homo lapsus, absque gratia potest observare omnia legis naturæ præcepta.

Resp. *nego conseq.* Textus enim non de omnibus præceptis est intelligendus, sed tantum de aliquibus, iisque facilioribus, quæ quandoque & aliquandiu a gentibus naturaliter possunt observari, quando nimirum graves non adsunt occasiones ab illa observatione removentes.

*Inst.* 1. Deuter. 30. dicitur: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.* Atqui hic locus intelligitur de præceptis collective; ergo omnium præceptorum observantia vires naturales non excedit.

Resp. *dist. min.* Intelligitur de omnibus collective præceptis, cum gratia implendis, *conc.* sine gratia implendis, *nego min.* citato enim capite dicitur: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Porro cordis circumcisio gratiæ collationem importat.

*Inst.* 2. Eccl. 15. dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ergo si volumus, possumus omnia mandata servare absque gratia.

Resp. *nego conseq.* Illo quidem textu demonstratur liberum arbitrium, per quod præcepta impleri possunt; at non excluditur gratia, sine qua impleri non possunt; ut docet D. August. *lib. de gratia & lib. arb. cap.* 16. dicens: „ Certum est nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus ".

*Objicies* 2. D. Chrysost. *homil.* 5. *in Epistola ad Rom.* de gentibus ait: *Admiratione digni sunt, quod nec lege illis opus fuit, & omnia quæ legis erant præstiterunt.* Ergo &c.

Resp. *dist. ant.* Gentes collective sumptæ omnia quæ legis erant præstiterunt, *transeat*, gentes distributive sumptæ, *nego ant.* Sensus ergo D. Chrysostomi est, varia præcepta legis naturalis a tota gentilium collectione observata fuisse, non quidem omnia a singulis, sed a singulis aliqua, cum nempe nulla, vel levis, erat difficultas, vel ex parte operis, vel ex parte tentationis, quare dixi; *transeat ant.*

*Inst.* Cyrus, a gratia fidei alienus, totam legem naturalem implevit: ei siquidem dixit Deus, Isaiæ 44. *Pastor meus es, & omnem voluntatem meam implebis.* Ergo universa lex potest impleri absque gratia.

Resp. *nego antec.* Neque enim Cyrus dicitur omnem voluntatem Dei implevisse, quod omnia legis naturæ præcepta impleverit, erat enim idololatra, & aliorum regnorum invasor; sed quod, populum Israeliticum, a captivitate solvendo, tem-

templumque ac civitatem Jerusalem ex integro restaurari curando, fecerit quidquid Deus per ipsum fieri erga populum suum, ab æterno decreverat; quo sensu dæmones, damnatorum hominum tortores, dici possunt voluntatem Dei implere.

*Objicies* 3. Nemo tenetur ad impossibile, nam, ut ait D. Aug. *Deus impossibilia non jubet*. Atqui homo quilibet, etiam gentilis, obligatur ad universam legem implendam; ergo eam servare potest.

Resp. *dist. maj.* Nemo tenetur ad impossibile, simpliciter & absolute, *conc.* ad impossibile secundum quid, *nego maj.* Itaque universa lex, spectatis solis naturæ viribus, est observatu impossibilis, sed fit possibilis per gratiam; sic Div. August. *lib. de perfectione justitiæ c.* 2. Cœlestio respondet: „ Respondemus, *inquit*, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Jesum Christum D. N. in tantum enim sana non est, in quantum, id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet ". Ex quo *lib. de nat. & grat. cap.* 43. ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*.

*Objicies* 4. Homo lapsus habet potentiam moralem ad omnia præcepta legis naturalis distributive; ergo ad omnia collective.

Resp. 1. *dist. maj.* Habet potentiam moralem ad omnia distributive præcepta, quæ sunt facilia, qualia sunt cultum parentibus exhibere, depositum reddere, jus litigantibus dicere, &c. *conc.* quæ sunt ardua, sive ex objecto, sive ex tentatione, & aliis circumstantiis, *nego maj.* Dicit enim D. Jacobus *c.* 3. de præcepto cohibendæ linguæ: *Linguam nullus hominum domare potest*. Et Sapiens de præcepto continentiæ: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*.

Resp. 2. *nego conseq.* Collectio enim difficultatem habet, quam non habent singula; cum enim dicitur, quod singula præcepta possunt servari distributive, non est sensus quod hæc & illa, & sic deinceps, possint impleri, sed sensus est tantum, quod hoc seorsim & illud seorsim possit impleri, ex quo non sequitur impleri posse collectionem, ut patet de eo qui movens lapides, potest nempe hunc seorsim lapidem, & illum etiam seorsim movere, non tamen omnes collective lapides potest movere.

## ARTICULUS II.

*Utrum homo, in præsenti statu absque gratia possit Deum, ut auctorem naturæ, diligere?*

*Nota*. Amor Dei duplex est, *Benevolentiæ*, nimirum, quo Deus diligitur, quia in se bonus est, & *amor concupiscentiæ*, quo Deus diligitur quia nobis bonus est; hoc est, quia est finis noster ultimus. Uterque ille amor, vel est perfectus, vel imperfectus.

*Amor Dei perfectus*, est ille, quo Deus sic diligitur, ut omnibus omnino rebus anteponatur, cum proposito placendi ei in omnibus, etiam cum omnium aliorum bonorum jactura, & dicitur, *Amor Dei super omnia*.

*Amor Dei imperfectus*, est ille, quo Deus sic diligitur, ut nondum rebus creatis anteponatur: vocatur, *Amor Dei cum omnibus*. His notatis:

## CONCLUSIO I.

*Homo in statu naturæ lapsæ, absque gratia, Deum ut auctorem naturæ potest amare, amore tum benevolentiæ, tum laudabilis concupiscentiæ imperfecto*. Est communis contra Bajum & Jansenium.

*Prob.* 1. Ex Apost. *Rom.* 1. asserente quod gentes *sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, &c.* Ergo Deum, qui ex Augustino epistola 120. *Non colitur, nisi amando*, amare potuerunt; alias gentiles immerito inexcusabiles dicerentur, quod veri Dei cultum deseruerint; atqui amor ille fuisset naturalis, utpote ex notione Dei naturali ortum habens; ergo, &c.

*Prob.* 2. Ex definitione Sanctorum Patrum, qui has Baji propositiones damnarunt: 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus diligitur ut auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia*. Et 37. *amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis auctoribus*. Ergo constat admittendum esse amorem Dei naturalem, & solis liberi arbitrii viribus conceptum.

*Prob.* 3. Auctoritate Conciliorum, quæ dum definiunt gratiam necessariam esse ad diligendum Deum, semper adjungunt has particulas, *Sicut oportet ad salutem*, aut, *ut justificationis gratia conferatur*; ergo supponunt possibilem esse Dei dilectionem, quæ non conferat ad salutem, quæque pure sit naturalis, & fiat absque ullo gratiæ auxilio.

*Prob.* 4. *Ratione Theologica*: illud voluntas amare potest naturaliter, quod intellectus naturaliter potest cognoscere, juxta illud D. Damasceni (*Lib. de duabus voluntatibus Christi*) *homo, qua rationis particeps est, rationem ducem in appetendo sequitur*. Atqui intellectus potest naturaliter cognoscere Deum esse, tum summum bonum propter se amabile, tum summum nostrum bonum; ergo voluntas potest solis naturæ viribus illum amare, tum amore benevolentiæ, tum amore castæ & laudabilis concupiscentiæ.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Conc. Arausicanum II. *Can.* 25. ait: *Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse ut diligeretur dedit qui nos dilexit*. Ergo Deus solis naturæ viribus diligi non potest.

Resp. *dist. conseq.* Amore supernaturali & ad salutem æternam conducente, *conc.* amore naturali & ad solam honestatem moralem conducente, *nego conseq.* Concilium autem loquitur de amore supernaturali & conducente ad salutem, quo Deus, ut auctor gratiæ & gloriæ, diligitur, ut constat ex his ejusdem Canonis verbis: *Prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea potuerit diligere Deum, sicut oportuit . . . . nisi gratia eum prævenerit*. Et Can. 7. loco harum particularum, *Sicut oportuit*, posuit: *Bonum quod ad salutem pertinet vitæ æternæ*.

Obji-

*Objicies* 2. D. Aug. *lib. de grat. & lib. arb. c.* 18. dicit: *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non est ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos;* ergo sine gratia Deus diligi non potest.

Resp. *nego conseq.* Diligi non potest, amore quo tenditur aut pervenitur ad Deum, *conc.* amore naturali, *nego conseq.* De priore solum amore loquitur Div. Doctor arguens Pelagianos, qui actus virtutum salutares & meritorios vitæ æternæ solis naturæ viribus tribuebant; ita enim se explicat, *lib.* 4. *contra Julianum c.* 3. dicens: *Amor, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Jesum Christum cum Spiritu Sancto.*

*Inst.* D. August. *lib. de natura & gratia, cap.* 2. De gentibus, quibus nondum annuntiatum est Evangelium, dicit, quod non possint, recte vivendo, Dei implere voluntatem; additque: *Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico quod de lege dixit Apostolus: ergo Christus gratis mortuus est.* Atqui qui amat Deum, recte vivendo, adimplet ejus voluntatem; ergo, &c.

Resp. *dist. min.* Qui amat Deum perfecto amore, recte vivendo adimplet ejus voluntatem, *conc.* amore imperfecto, *nego min.* D. enim Augustinus per eum qui, bene vivendo, Dei implet voluntatem, intelligit eum qui totam legem implet, quod fieri non posse sine gratia docet contra Pelagianum errorem; sed qui unum aut alterum amoris actum elicit, non continuo legem implet, aut justitiam perficit, ergo.

*Objicies* 3. Non datur duplex fides divina, naturalis una, altera supernaturalis; ergo nec duplex amor Dei.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod divina veracitas, quæ est motivum fidei, non potest per effectum naturalem conjungi cum intellectu creato; at per effectus naturales ascendimus ad cognoscendam Dei bonitatem, ex cujus cognitione voluntas naturaliter excitatur ad illius amorem.

*Inst.* Si daretur amor naturalis, posset reperiri in infideli & peccatore; atqui falsum conseq. Ergo.

*Prob. min.* Si in infideli & peccatore esset amor Dei benevolentiæ, etiam naturalis, hi essent amici Dei: nam amor benevolentiæ hominem reddit Deo amicum; atqui infidelis & peccator non possunt esse amici Dei, alias essent justi absque gratia; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Essent amici Dei imperfecte, & ratione operis, *conc.* perfecte, & ratione sui, *nego maj.* Equidem Deus amat bonum opus naturale ab infideli, vel peccatore elicitum, sed non amat ipsum infidelem, aut peccatorem, proindeque amor non est reciprocus, nec per hunc amorem justificatur homo, quia non quivis amor, sed amor supernaturalis benevolentiæ justificat hominem.

## CONCLUSIO II.

*Homo lapsus non potest absque gratia Deum, ut auctorem naturæ, amare amore perfecto & super omnia.*

*Prob.* 1. Ex D. Thom. (1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3.) dicente: „ Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturæ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc, auxilio gratiæ naturam sanantis ". Ergo.

*Prob.* 2. Quia amor Dei super omnia perfectus & efficax, omnium Dei præceptorum executionem importat, ita ut voluntas parata sit absolute & efficaciter, Deo in omnibus placere, omniaque ei displicentia vitare; atqui homo lapsus, ut supra probatum est, non potest sine gratia omnia Dei præcepta, etiam naturalia, exequi; tanta enim perfectio superat naturæ corruptæ fragilitatem & propensionem ad bona sensibilia, a quibus non potest, sine auxilio gratiæ, suum affectum removere; ergo.

*Objicies* 1. Div. Thom. cit. ad 1. ait: *Natura diligit Deum super omnia, prout est principium & finis naturalis boni; charitas autem secundum quod est objectum beatitudinis.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Natura sana diligit Deum super omnia, &c. *conc.* natura corrupta, *nego antec.* Hanc esse D. Thomæ mentem patet ex testu supra allato.

*Objicies* 2. Amor Dei super omnia perfectus, lege naturali præcipitur; ergo solis naturæ viribus potest elici.

Resp. *dist. conseq.* Naturæ viribus potest elici a natura sana, *conc.* a natura per peccatum vitiata, *nego conseq.* Licet enim præceptum naturale amoris Dei super omnia non superet vires naturæ integræ, superat tamen vires naturæ vitiatæ; ergo non potest impleri absque *auxilio gratiæ naturam sanantis*, ut ait D. Thom.

*Inst.* 1. Homo lapsus potest naturaliter cognoscere Deum, etiam ut auctorem naturæ, esse super omnia amabilem; ergo potest etiam naturaliter eum amare super omnia.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod, ut ait D. Thomas 3. *Natura humana magis est corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, eo quod peccatum voluntate commissum est, & ideo amori Dei perfecto, non cognitioni Dei super omnia amabilis, obstant infirmitas & corruptio naturæ.

*Inst.* 2. Homo lapsus habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum summe bonum amore super omnia & perfecto; ergo potest illam naturaliter explere.

Resp. *dist. ant.* Habet naturalem inclinationem, &c. impeditam per naturæ corruptionem & infirmitatem, *conc.* expeditam, *nego ant.* Naturæ ergo infirmitas impedit, quominus natura sic vitiata possit innatam suam inclinationem perfecte explere.

*Inst.* 3. Deus, ut auctor naturæ, super omnia diligendus, non est objectum supernaturale; ergo potest sic naturaliter diligi.

Resp. *dist. ant.* Non est objectum supernaturale, hoc sensu, quod sic non sit objectum hominis beatificativum per intuitivam ejus visionem, *conc.* hoc sensu, quod non superet vires naturæ per peccatum corruptæ, *nego ant.* Ergo est æquivocatio, in hac voce, *supernaturale*; si tollatur æquivocatio, evanescit objectio.

*Objicies* 2. Homo lapsus propriis naturæ viribus ita potest patriam, aut creaturam aliquam super omnia

omnia diligere, ut pro ipsis mortem subiret; ergo similiter potest Deum super omnia diligere sine auxilio gratiæ.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est 1. Quod homo lapsus facilius ac vehementius, ob corruptionem naturæ, ad sensibilia cupiditatum objecta, quam ad bona honesta & ad ipsum Deum afficiatur, quo sensu D. Joann. *Epist.* 1. *cap.* 4. dicit: *Qui non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* 2. Quod amor Dei, super omnia perfectus, debet includere fugam omnium peccatorum, & omnium virtutum prosecutionem; e contra amor patriæ & creaturarum super omnia, vel ex vana gloria, vel ex affectu sensibili inordinato, qui modum nescit, procedit, unde amor ille vitium est in eo quod natura corruptione sua provehitur.

## ARTICULUS III.

*Utrum homo lapsus possit absque gratia omnes vincere tentationes?*

*Nota* 1. Nomine *tentationis*, intelligitur provocatio ad peccatum, facta a carne, mundo, & dæmone; & duplex est, gravis nimirum, & levis.

*Tentatio gravis* ea est, quæ vehementer ad peccatum impellit, sive ratione sui, sive ratione durationis per comparationem ad eum qui tentatur.

*Tentatio levis* ea est, quæ leviter hominem ad peccatum allicit, spectata ratione illius qui tentatur: nam eadem res, quæ leviter allicit hominem avaritiæ minime deditum, ea graviter avarum provocat.

*Nota* 2. Tripliciter potest vinci tentatio. 1. *Peccaminose*, ex motivo malo, alteri nimirum succumbendo tentationi, ut si quis luxuriam vincat ex motivo avaritiæ. 2. *Meritorie ad salutem*, ut si vincat ex motivo charitatis. 3. *Steriliter ad salutem*, ut si tentationem vincat ex solo motivo naturalis honestatis.

*Certum est* 1. Gratiam non requiri ad vincendam tentationem *peccaminose*: Deus enim gratiam non dat ad peccandum.

*Certum est* 2. Gratiam necessario requiri ad vincendam vel levissimam tentationem *meritorie & utiliter ad salutem*; nullus enim actus salutaris potest fieri absque gratia.

Tota ergo difficultas est de victoria tentationum sterili ad salutem, quæ ut diluatur:

## CONCLUSIO I.

*Homo lapsus potest aliquando leves aliquas vincere tentationes absque gratiæ supernaturalis auxilio.* Est communis contra Bajum.

*Prob.* 1. *Ex SS.* Pi. Pio V. & Greg. XIII. qui hanc 30. Baji propos. damnarunt: „ Ii fures sunt & latrones, qui dicunt . . . . nulli tentationi, sine gratiæ illius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea non superetur ". Quæ propositio damnata est propter suam generalitatem, quatenus nimirum tam leves, quam graves complectitur tentationes.

*Prob.* 2. Ex Div. August. cujus patrocinio glorian-tur adversarii, *lib. de perfectione justitiæ*, ait: *In natura viliata parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium*, ubi particula, *parum*, indicat aliquid valere ad non peccandum; ergo & ad vincendam levem tentationem. Div. Augustino concinit Doctor Seraphicus, *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 2. *ad* 3. dicens: *Quod liberum arbitrium omni gratia destitutum, nec omni possit tentationi resistere, nec necesse habeat omni tentationi succumbere.*

*Prob.* 3. *ratione*: Quia quando facultas aliquid potest naturaliter, id etiam potest cum levibus impedimentis: alioquin illud impedimentum, quod supponitur leve, æstimandum esset grave; atqui, (ut supra probavimus) homo lapsus aliquod bonum ordinis naturalis potest peragere absque gratia; ergo tentatio levis obstare non potest, quin illud naturaliter faciat; ergo potest naturaliter vinci levis tentatio.

*Objicies*: Scriptura, Concilia, & Patres, indefinite docent victoriam tentationum esse a Deo; ergo leves tentationes non possunt vinci, nisi per gratiam Dei.

Resp. *nego conseq.* Non enim ideo Scriptura & Patres soli Deo adscribunt victoriam tentationum indefinite, quod nulla levis tentatio possit vinci absque gratia: sed 1. *Quia* Scriptura semper, & SS. Patres plurimum, loquuntur de victoria meritoria, quæ absque gratiæ auxilio haberi non potest. 2. *Quia* SS. PP. loquuntur de universo tentationum agmine, quod non potest vinci absque speciali Dei auxilio, sicut neque ullæ graves. 3. *Quia* PP. Pelagianos impugnabant, qui, cum indistincte victoriam tentationum naturæ viribus tribuerent, efficacius refelli non potuerunt, quam si illarum indistincte victoriam ad gratiam Dei referrent.

*Inst.* Ex Div. Augustino Epistola 95. *Oratio clarissima est gratiæ testificatio*. Atqui victoriam omnium, etiam levium tentationum, a Deo petimus, *ne nos inducas in tentationem*; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Oratio est gratiæ testificatio, non semper necessariæ, conc. semper necessariæ, *nego maj.* Petimus enim a Deo ea etiam quæ naturaliter evenire possunt, v. gr. pacem, pluviam, serenitatem temporis, &c. Ut ergo postulemus a Deo tentationum, etiam levium, victoriam, satis est: 1. *Quod* levioribus etiam tentationibus non possimus diu, absque ejus auxilio, resistere. 2. *Quod* possint incurrere graviores, ubi leves accidunt, nec sciamus utrum leves sint futuræ. 3. *Quod* victoria tentationum, absque gratia, nihil quidquam ad salutem valeat, hæcque sola meritoria victoria postulatur a Deo.

## CONCLUSIO II.

*Homo lapsus nullam gravem tentationem potest absque gratiæ auxilio vincere, etiam victoria sterili.* Est contra Pelagianos.

*Prob.* Ex Scriptura aperte significante, opus esse gratiæ divinæ auxilio ad superandas tentationes, Psalm. 17. *In te eripiar a tentatione*. Psalm. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Matth. 26. *Vigilate & orate*, ut non

*non intretis in tentationem*. Quæ loca SS. Patres interpretantur generatim de tentationibus, & saltem de gravibus quibuslibet intelligenda innuunt.

*Prob.* 2. *ex trad. PP.* D. Hieron. *lib.* 2. *contra Pelagianos*, quibus cum opposuisset ista Christi verba: „ Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, *subjungit* · Debuisset dicere juxta vos, surgite, resistite, liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio ".

D. Aug. *lib. de perfectione justitiæ*, *cap. ult.* ut necessitatem gratiæ contra Pelagianos evincat, ait: „ Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium: sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito ".

*Prob.* 5. *ex Conciliis*: Diospolitano, cap. 11. ubi damnatur hic Pelagii articulus: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Et Arausicano II. can. 9. *Divini muneris est cum recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus.*

*Prob.* 4. Ex definitione SS. Pontificum. Pro omnibus sic Innoc. I. qui, *Epist. ad Concilium Carthaginense*, ait: „ Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium . . . . necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur ".

*Prob.* 5. *ratione*: Quia gravibus in tentationibus occurrunt impedimenta, quibus positis, voluntas nequit, saltem secundum moralem potentiam, illis resistere, nisi gratia Dei adjuvetur: ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Genes. 4. dicitur: *Sub te erit appetitus ejus* (peccati), *& tu dominaberis illius*. Ergo homo potest solis naturæ viribus vincere graves tentationes.

Resp. *nego conseq.* Quia appetitus peccati sub nobis non est, nisi supposita gratia, quæ si non supponitur non est sub nobis secundum moralem potentiam, si gravis sit tentatio, licet sit sub nobis secundum potentiam physicam.

*Inst.* 1. Div. Thom. *in* 2. *dist.* 28. *qu.* 1. *art.* 2. docet hominem sine gratia vitare posse omnia peccata mortalia, licet difficile; ergo non habet moralem impotentiam ad omnes vincendas tentationes.

Resp. *nego conseq.* D. enim Thomas hanc, quam junior tenuerat, sententiam, tacite retractavit in sua Summa, nempe *prima secundæ*, tum *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 2. ubi dicit: *Sunt quædam peccata mortalia, quæ homo sine gratia nullo modo potest vitare*. Tum *quæst.* 109. *art.* 8. in conclus. *in statu naturæ corruptæ, mortalia & singula & omnia, venialia autem singula sed non omnia* (homo) *vitare potest, si est natura per gratiam infusam reparata; alias enim ne mortalia quidem omnia*, (*præsertim tempore longo*) *vitare potest*.

*Inst.* 2. Si homo ex propriis suis viribus non posset graves tentationes vincere, non peccaret eis succumbendo; falsum conseq. Ergo.

*Prob. maj.* Non peccatur per hoc, quod non est in potestate agentis; atqui si homo, ex propriis viribus, non posset vincere graves tentationes, non esset in ejus potestate non succumbere; ergo succumbendo non peccaret.

Resp. *dist. min.* Non succumbere non esset in potestate hominis, sine gratia, *conc.* cum gratia, *nego min. & conseq.* Porro nunquam deest divinæ gratiæ auxilium ad tentationes superandas, vel proxime, vel remote sufficiens, gratia nimirum orationis, quam homo proxime sufficientem potest petere & obtinere; unde concludit D. Thom. (*Quæst.* 109. *art.* 8. *ad* 1.). „ Quia ex ejus defectu est, quod homo se ad gratiam habendam non præparet, propter hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest ".

*Objicies* 2. Nulla est gravior tentatio, quam metus mortis; atqui potest homo lapsus, naturæ viribus, vincere tentationem mortis ex motivo pravo, v. g. ex vana gloria, ex pertinacia, &c. ergo & ex motivo naturali honesto.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod homo lapsus ab objectis delectabilibus & pravis multum afficiatur, & ideo vincit unam tentationem per aliam fortiorem, qualis est pertinacia, & inanis gloriæ cupiditas; e contra motivo virtutis & honestatis parum admodum afficitur, & sic illud motivum totam relinquit difficultatem, non tollit, neque minuit.

Quæres 1. *Utrum ad observanda omnia legis naturalis præcepta, & vincendas graves tentationes, sufficiat exterior Dei protectio?*

Resp. *negative*. Nam requiritur ex parte intellectus illuminatio, quæ objectum amplectendum aut fugiendum repræsentet; ex parte autem voluntatis pia quædam motio, qua fiat suave quæ est amplectendum, & fiat suavis resistentia, sicque voluntas a malo deterreatur; ergo requiritur gratia interior. Unde Aug. Epistola 95. dicit illud auxilium conferri, *subministratione spiritus, & occulta misericordia*.

Quæres 2. *Quænam gratia interior requiratur ad observanda omnia legis naturalis præcepta, & graves tentationes superandas?*

Resp. 1. *Requiritur gratia habitualis, non quidem absolute & ex rei natura, sed ex ordinatione Dei, & de lege communi*.

*Prob. prima pars*: Quia sola ignorantia in intellectu, & difficultas in voluntate, sunt impedimenta ex parte hominis ad observantiam mandatorum, & victoriam tentationum; atqui illa duo impedimenta removeri possunt per gratiam actualem, qua illustratur intellectus, & pie movetur voluntas; ergo ex natura rei non requiritur gratia habitualis.

*Prob. secunda pars*: Quia natura humana, nondum per gratiam habitualem sanata, est in bono inconstans & ad malum proclivis, juxta illud Thren. 1. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*. Ergo, ex ordinatione Dei, ac de lege communi, *In statu naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam*, ad

*ad hoc, quod omnino a peccato abstineat*, ait Divus Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8.

Resp. 2. *Ad observanda omnia legis naturalis præcepta, gravesque tentationes superandas, præter gratiam habitualem, requiritur gratia actualis interior.*

*Pr. b.* Ex Cœlestino S. Pontif. in *Epistola* ad Episcopos Galliæ, cap. 3. dicente: „ Nemo etiam per baptismatis gratiam renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis accipiat ".

*Ratio est*. Quia licet gratia habitualis interius sanet animam, tamen nec intellectus ignorantiam, nec voluntatis malitiam, nec appetitus sensitivi rebellionem tollit; ergo ne, inter tot, tantasque peccandi occasiones, labatur humana fragilitas, necesse est, ut gratia actuali, quæ teporem ejus excitet, & ad bonum alliciat, roboretur.

Quæres 3. *An gratia actualis, quæ requiritur ad observantiam præceptorum naturalium quoad substantiam tantum, & propter solam honestatem moralem, debeat esse supernaturalis?*

Resp. Debet esse supernaturalis ratione principii, non vero ratione objecti. *Ratio est*, quia illa gratia est supernaturalis ratione principii, non vero ratione objecti, quæ est quidem indebita, sed hominem non dirigit ad finem supernaturalem, atqui gratia, quæ requiritur ad observanda præcepta naturalia quantum ad substantiam duntaxat, indebita quidem est homini, seu eum non dirigit ad finem supernaturalem, sed ad finem naturalem tantum, nimirum ad morum honestatem; ergo.

## CAPUT II.

### *De natura & divisione gratiæ actualis.*

*Nota* 1. Gratia actualis interior dividitur in gratiam excitantem, & adjuvantem.

*Gratia excitans*, est supernaturalis & indeliberatus intellectus & voluntatis motus, quod Deus nos, veluti torpentes & somno sopitos ad bonum supernaturale movet & excitat, & a malo retrahit. Hæc gratia vocatur etiam operans, & præveniens. *Operans*, quia Deus pium illum motum operatur in nobis sine nobis, non quidem sine nobis physice ac vitaliter agentibus, cum enim illustratio intellectus & pia motiva voluntatis sint actus vitales, non possunt, nisi a potentia vitali & physica procedere; sed sine nobis libere consentientibus. Dicitur *præveniens*, quia prævenit ac præparat voluntatem, causando in ea boni motus initium.

*Gratia adjuvans* est concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum, per gratiam excitantem illustratis ac motis, concurrit ad omnes & singulos actus supernaturales & liberos. Hæc gratia vocatur etiam cooperans, & subsequens. Vocatur *cooperans*, quia bonam actionem nobiscum cooperatur. Vocatur *subsequens*, quia subsequitur, & executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam excitantem inchoatum, juxta illud D. August. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. ubi ait: *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia; sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia*. Male ergo & erronee gratia *subsequens* a Semipelagianis dicitur ea, quæ prævium ac liberum voluntatis motum subsequitur, cum ideo tantum dicatur *subsequens*, quod bonum pietatis motum, gratiæ prævenientis beneficio productum, perficiat.

De utraque illa gratia D. August. *lib. de gratia & lib. arb. cap.* 17. sic loquitur: *Præparat voluntatem (Deus) & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. Propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi: *Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

*Nota* 2. Gratia excitans subdividitur in *sufficientem* & *efficacem*, quæ cum sint celeberrimæ, gravissimisque intrincatæ difficultatibus, non hic strictim sunt definiendæ, sed de eis fusius disputandum, duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De Gratia sufficiente.*

*Nota* 1. Ut omnis tollatur æquivocatio, gratiam sufficientem sumi posse dupliciter, nimirum generice & specifice.

Gratia sufficiens *generice* sumpta, ea est, quæ voluntati subministrat vires pares & proportionatas effectui bono, ad quem proxime movet, & quem Deus ultimate intendit, producendo, quo sensu gratia efficax dicitur etiam sufficiens ab Apostolo 2. ad Corinth. 12. *sufficit tibi* (Paule) *gratia mea*. Quidquid enim est efficax, est etiam sufficiens, non enim potest causa efficienter operari, nisi sit sufficiens ad operandum, eo modo, quo causa est.

Gratia sufficiens *specifice* sumpta, ea dicitur, quæ, licet vires pares & proportionatas subministret ad ponendum effectum ad quem datur, & quem Deus ultimate intendit, illum tamen non sortitur ex sola culpa voluntatis nolentis gratiæ consentire. Quo sensu opponitur gratiæ efficaci, diciturque *mere sufficiens*, de qua sola hic agimus.

*Nota* 2. Gratia sufficiens, alia est proxime, alia remote sufficiens.

Gratia *proxime* sufficiens, ea est, quæ dat immediatam potentiam ad executionem operis a Deo ultimate intenti, v. gr. ad executionem talis præcepti. Hæc vocatur, *gratia actionis*.

Gratia *remote* sufficiens, ea est, quæ non dat quidem immediatam potentiam exequendi operis a Deo ultimate intenti, sed dat immediatam potentiam ad implorandum per orationem uberius Dei auxilium, non conferendum a Deo, nisi prius oraverit homo, & certo conferendum, si reipsa oraverit, gratiæ primæ obsequens. Hæc vocatur *gratia orationis*, quam expri-

exprimit D. August. *lib. de natura & gratia cap.* 44. dicens: „ Non igitur impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis & adjuvat ut possis “.

*Nota* 3. Circa gratiam sufficientem gravissime erraverunt Calvinus, Lutherus, Bajus, Jansenius, Quesnellus, qui nullam aliam in statu naturæ lapsæ gratiam quam sufficientem penitus rejiciunt; sed cum aliis vocibus utatur Calvinus in exponenda sua necessitate gratiæ, aliis Jansenius, uterque modus ejusdem erroris tuendi, est hic exponendus.

Gratia necessitans, juxta Calvinum, ea est, quæ sic determinat voluntatem ad actum, ut nullum libertati locum relinquat. „ Deus voluntatem movet, *inquit lib.* 2. *instit. cap.* 13. non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, *ut* nostræ postea *sit* electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari “.

Gratia necessitans, juxta Jansenium, ea est, quæ voluntatem humanam invicte ac insuperabiliter ita determinat ad unum, ut semper consensum voluntatis exprimat. *Ratio est*, quia modum operandi gratiæ constituit in quadam delectatione cœlesti, quæ si sit gradibus superior opposita concupiscentiæ delectatione, gratia est semper *victrix*, plenumque & perfectum obtinet effectum; quod si gradibus inferior sit, semper est victa propter defectum virium: „ Delectatio victrix, *inquit Jansen. lib.* 8. *de gratia cap.* 2. quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est; tunc enim est victrix, quando alteram superat; quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus “.

Hinc Janseniani duplicem admiserunt gratiam: *Primam*, quæ plenum atque perfectum effectum assequitur, & ad id a Deo datur; hancque vocant gratiam efficacem & victricem relative: *Secundum*, quæ efficit quamdam velleitatem & complacentiam boni operis inefficacem, & ad id duntaxat a Deo datur, hancque sufficientem appellare non recusant hodierni Janseniani, asseruntque eam conferre completam, perfectam & expeditam ad præceptum observandum potentiam. Verum (quod maxime notandum est) nomine *potentia*, intelligunt potentiam absolutam duntaxat, & abstractam a præsentibus subjecti circumstantiis & dispositionibus, non vero relativam, & ad illas circumstantias comparatam. Deus enim, inquiunt, voluntate antecedente, & a præsentibus subjecti circumstantiis abstrahente, vult per hanc parvam gratiam opus perfectum impleri; verum, consideratis illis circumstantiis, non vult voluntate absoluta & consequente, opus perfectum per illam impleri, sed aliquod duntaxat imperfectum ac inchoatum boni operis desiderium. Ex quo

*Sequitur* 1. Gratiam parvam Jansenianam esse efficacem, quia, juxta illos, omnem obtinet effectum, propter quem in talibus circumstantiis a Deo datur.

*Sequitur* 2. Illam gratiam esse insufficientem, quia propter defectum virium est impar & improportionata ad oppositam concupiscentiæ delectationem superandam, ut ipsemet asserit Jansenius, *lib.* 2. *de gratia cap.* 17. dicens: *Eam nullo modo sufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, &c. Licet aliquid faciat, nempe velleitates quasdam excitet*. Ut hic error penitus profligetur, videndum est. 1. Quænam sit natura gratiæ sufficientis? 2. Utrum existat in præsenti statu? Ideo sit

## CONCLUSIO II.

*Nomine gratiæ sufficientis, ea intelligitur a Catholicis, quæ voluntati ad opus bonum exequendum confert potentiam completam, expeditam, & relativam ad præsentes subjecti circumstantias.*

*Prob.* 1. Ex Scriptur. *Isaiæ* 5. ubi Deus, incredulitatem & contumaciam Judæorum increpans, ait: *Judicate inter me, & vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ibi Deus queritur se fecisse quod debuit, & nihil ex parte ejus bonitatis & misericordiæ defuisse, quominus populus Judaicus bene ageret & converteretur, qui tamen egit pessime. *Atqui* nihil defuisse Judæis ex parte Dei, est ipsos habuisse potentiam completam, & expeditam relative ad præsentes eorum circumstantias; *Ergo &c.* Alias falso diceret Deus, nihil defuisse ex sua parte, si eis defuisset potentia illa relative completa, frustra bonos fructus pœnitentiæ expectasset, nisi vires ad illos producendos pares gratia ipsis suppeditasset.

*Prob.* 2. Ex D. Greg. *l.* 9. *Mor. c.* 46. ubi dicit: *Si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.* Atqui si gratia non daret potentiam completam & expeditam relative ad subjecti circumstantias, non præberet mensuram tentationibus; ergo ultra vires onera imponeret, quod repugnat Apostolo, 1. *Cor.* 10. dicenti: *Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

*Prob.* 3. Ex D. Aug. qui *lib.* 3. *de lib. arb. c.* 16. ait: *Ex eo quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit & voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem.* Ex quo sic arguo: quilibet tenetur præceptis divinis parere, & ea transgrediendo reus est; atqui ex D. August. nullus tenetur implere præcepta, nullus reus est non implendo præcepta, nisi qui accepit *& voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem*; ergo accepit sufficientissimam facultatem ad præceptum hic & nunc implendum.

*Prob.* 4. Ex damnatione primæ propositionis Jansenii: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.* Hæc prop. damnata est ut hæretica; ergo hæc ejus contradictoria est de fide: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt possibilia*; ergo ad præcepta implenda habent potentiam completam, non solum absolutam, sed relativam ad *præsentes quas habent vires*.

*Objicies*: D. Aug. *lib. de grat. & lib. arbitr.* ait: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habens voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam ha-*

*habuerit & vetustam*. Ergo supponit D. Doctor hominem cum parva gratia non posse semper observare mandata, non defectu potentiæ absolutæ; ergo defectu potentiæ relativæ.

Resp. *dist. conseq.* Supponit hominem cum parva gratia non posse semper observare mandata, defectu potentiæ relativæ proxime sufficientis, *conc.* remote sufficientis, *nego conseq.* Semper enim (saltem justi) possunt orare, & per gratiam orationis uberius auxilium impetrare, ut docet Div. Aug. *ibid.*, *cap.* 16. dicens: „ Ideo jubet (*Deus*) aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus; ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat ". Et lib. de natura & gratia, cap. 44. *Non igitur impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere quod non possis*. Ergo supponit D. Doctor semper esse præsentem oranti gratiam, neque enim potest quis sine gratia orare ut oportet.

*Inst.* 1. D. Aug. *lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. ait: „ Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis advertamus, quia si hoc vel dolemus, jam oramus ". Ergo gratia illa orationis infirma, vires non confert pares ad orandum.

Resp. *nego conseq.* Agnoscit quidem D. August. aliquando orationem ita esse tepidam, ut non oremus; at non dicit orationem ex præsenti gratia non posse ardentiorem fieri, quod tamen requireretur, ut gratia orationis diceretur viribus paribus ad orandum destituta; immo Div. August. *eodem lib.* 1. *c.* 1. de iis, quos non trahit Pater, loquens, ait: *Semel accipe & intellige: non traheris, ora ut traharis*. Ergo supponit eum, qui non trahitur, habere vires pares ad orandum, ut trahatur.

*Inst.* 2. Si gratia orationis pares conferret voluntati vires ad orandum actu, non requireretur ad id novum Dei auxilium, falsum conseq. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Non requireretur ad actu orandum novum Dei auxilium excitans, *conc.* adjuvans, *nego ant.* Licet ergo gratia excitans pares & proportionatas conferat voluntati vires ad actu agendum, requiritur tamen auxilium gratiæ adjuvantis, ut opus perficiatur: nam, ut ait D. August. „ Sine illo (*Deo*) vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus ".

Cæteræ objectiones solventur conclusione sequenti, præsentis conclusionis confirmativa.

## CONCLUSIO II.

***Datur in statu naturæ lapsæ gratia vere & relative sufficiens, cui tamen, dissensu libero, resistat humana voluntas***. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Prov. 1. „ Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis ". Ubi vocatio, extensio manuum, consilium Dei, etiam intus pulsantis, gratiam vere ac relative sufficientem indicant, alias non esset justa Dei increpatio & objurgatio; atqui ei consensu libero restitit voluntas humana, *& renuistis: despexistis, &c.* Ergo.

Matth. 11. v. 20. „ Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam: Væ tibi, Corozain, & tibi, Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent ". Ibi Christus exprobrat Corozaitis, quod non egissent pœnitentiam ad aspectum tot miraculorum; ergo revera cum gratia ipsis collata pœnitentiam agere, non tantum remote & absolute, sed proxime & relative potuerunt; ergo datur gratia vere & relative sufficiens, cui resistitur.

Jansenius illud testimonium explicat: 1. De gratia externa: 2. De gratia imperfecta & parva, sed

*Contra est*, 1. Quia pœnitentia, quam Corozaitæ potuerunt agere, & non egerunt, est opus salutare; atqui gratia exterior non sufficit ad agendum opus salutare, ut contra Pelagium definivit Ecclesia; ergo.

*Contra est* 2. Quia gratia parva Janseniana, licet sit relative sufficiens ad velleitates, est tamen relative insufficiens ad bonam voluntatem & actum salutarem; atqui Christus loquitur de gratia vere & relative sufficienti ad actum pœnitentiæ salutarem; ergo, si sibi constare voluerit Jansenius, non debet textum illatum explicare de sua parva gratia. *Confirm. min.* Quia ut exprobratio Christi valida sit & justa, necesse est, ut quemadmodum Tyrii & Sydonii, visis Christi miraculis, vere, proxime, & relative doluissent; ita Corozaitæ, eadem sibi affulgente gratia, pœnitentiam vere, proxime, & relative agere potuerint; alias nulla vis in Christi paritate, nullumque robur extitisset.

*Prob.* 2. *ex Conciliis*. Ex Conc. Arelatensi III. in quo approbatur sententia Fausti anathematizantis sententiam Lucidi Presbyteri, dicentis illos qui perierant, non accepisse, ut salvi esse possent, his verbis: *Anathema illi qui dixerit illum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse posset*. Lucidus vero inter suas assertiones retractatorias, ait: *Assero . . . . . & periclitari eum, qui salvus est, & eum, qui periit, potuisse salvari*.

Ex Concil. Senonensi parte prima in decretis fidei, c. 15. dicitur: „ Non tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt. *Matth.* 23. Frustra certe Stephanus, *Act.* 9. Judæos duræ cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui Spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus inevitabiliter raperentur ". Nihil hic effugii relinquitur Jansenianis: nam Concilium loquitur de gratia interiori data ad actum perfectum, dicens: „ Eo extendimus (*liberum arbitrium*) ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris afflatu contacta, sese convertat ad Deum ". Postea asserit illam *Dei trahentis* gratiam non esse talem, *cui resisti non possit*. Tandem ex variis Scripturæ locis illi sæpe restitum fuisse, probat.

*Prob.* 3. Ex damnatione 2. propos. Jansenii: *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resi-*

*resistitur*. Quæ propos. damnata est ut *hæretica*; ergo de fide est interiori gratiæ resisti posse; atqui Ecclesia per interiorem gratiam, intelligit gratiam vere & relative sufficientem, ut probavimus in propos. superiori; ergo.

*Prob.* 4. *Ex SS. PP.* Inter quos unum refero Augustinum, quem patronum prætendunt Janseniani, quibus quatuor Augustini testimonia opponimus.

*Primum*, Ex l. 1. ad Simplic. q. 2. „ Nemo credit, non vocatus, sed non omnis credit vocatus: noluit Esau & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, nisi vocatione contempta reprobus fieret “. Ergo gratiæ vocationis internæ relative sufficienti obstitit; nam ejus resistentiæ unice adscribitur quod non pervenit; vires ergo pares habuit ut perveniret.

*Secundum*, lib. de natura & gratia, cap. 67. ait: „ Cum vero ubique sit præsens (*Deus*) qui multis modis, per creaturam sibi Domino servientem, aversam vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis “. Nihil certe evidentius probat gratiam vere sufficientem ad actum perfectum credendi, sperandi, &c. cui tamen resistit humana libertas.

*Tertium*, lib. 83. quæstionum qu. 68. „ Neque illi debent sibi tribuere qui venerunt; neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quia ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate; non quidem sibi relicta, sed vocata per gratiam: addit enim: *Etsi quisquam sibi tribuit quod vocatus venit, non potest tribuere quod vocatus est*. Ergo gratiæ vocationis, quæ sufficit, ut vocatus veniat, resistitur.

*Quartum*, lib. de peccat. merit. & remissione, de adulto ait: „ Habet (*concupiscentiam*) cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit “. Certe adjutorium, cujus ope superetur concupiscentia, nisi homo illud in vacuum suscipiat, & velit esse reprobus, est gratia interior vere & relative sufficiens, cui humana voluntate resistitur; atqui tale admisit D. August. in allatis testimoniis, & infinitis aliis; ergo.

*Prob.* 3. *ratione:* Multi sunt, etiam justi, qui non implent divina mandata; atqui tamen habent gratiam vere & relative sufficientem, qua illa observare possent, ut docet Concil. Trid. sess. 6. de justificatione: „ Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis “. Ergo gratiæ relative sufficienti resistunt.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura non aliam gratiam astruit, quam efficacem & victricem; ergo.

*Prob. ant.* Joann. 6. Christus ait: *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Ergo nullus veræ & internæ vocationi resistit.

Resp. *nego conseq.* Equidem citato loco Scriptura gratiam efficacem astruit, cum loquatur de iis, qui non solum audiunt, sed qui audientes, vocationi obediunt, ut verbo, *didicit*, designatur; sed non excludit gratiam sufficientem, cui resistatur.

*Inst.* 1. D. August. *lib. de prædest. SS. c.* 8. ait: *Si omnis qui audivit a Patre & didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit*. Ergo ex D. Augustino Scriptura astruit gratiam efficacem per exclusionem gratiæ mere sufficientis.

Resp. *dist. ant.* Qui non venit, non audivit a Patre efficaciter, *conc.* sufficienter, *nego ant.* Ideo enim non venit, quia vocationi resistit, cum qua venire potuit, ut ait D. Aug. lib. de gratia Christi, c. 13. *Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque egerit*.

*Inst.* 1. D. August. *lib. de grat. Christi*, *c.* 13 dicit: „ Qui non novit quod fieri debeat, & non facit, nondum didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secundum literam “. Ergo gratia sufficiens, cum qua opus bonum non fit, vel nulla est, vel duntaxat externa.

Resp. *dist. ant.* Nondum a Deo didicit secundum gratiam, in hypothesi Pelagianorum qui gratiam internam voluntatis & operationis rejiciebant, *conc.* in mente D. August. *subdist.* secundum gratiam efficacem, *conc.* secundum nullam omnino gratiam interiorem, *nego ant.* Hic itaque D. Doctor impugnans Pelagianos vult duntaxat probare, præter gratiam legis & doctrinæ, qua mens illustratur, adhuc necessariam esse gratiam voluntatis & actionis, qua id fiat, quod faciendum per legem cognoscitur; quod quidem probat, quia qui per legem cognovit quid faciendum est, si interna non moveatur gratia, omnino bonum opus agere nequit.

*Objicies* 2. Apostolus Roman. 9. ait: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Atqui si esset in potestate vocati, vocationi obtemperare, vel non obtemperare, esset volentis atque currentis; ergo.

Resp. *dist. maj.* Non est volentis, neque currentis, per solas naturæ vires, *conc.* per gratiam divinam, *subdist.* non est volentis primario & principaliter, *conc.* neque primario, neque secundario, quasi homo nihil divinæ gratiæ cooperaretur, *nego maj.* Hoc unum vult Apostolus, bonum opus magis esse a Deo per gratiam, quam ab homine, qui absque gratia nec conari, nec consentire potest. Se se explicat D. Doctor, *lib. de gratia & lib. arbitr. cap.* 5. dicens: *Ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo cum dixisset:* gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi: *subjunxit, atque ait:* non ego, *autem*, sed gratia Dei mecum. *Id est, non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo*. Quibus verbis significat conversionem esse partim humanæ, partim divinæ voluntati tribuendam, licet primario & principaliter divinæ misericordiæ sit opus.

*Inst.* 1. Nemo potest se discernere in negotio salutis, juxta illud 1. ad Cor. 4. *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Atqui si

duobus

duobus hominibus detur gratia sufficiens, cui unus obtemperet, alter reluctetur, qui obtemperaverit, se discernit ab eo qui obluctatur; ergo non datur talis gratia.

Resp. *dist. maj.* Nemo potest se discernere, per vires proprias, *conc.* quatenus per gratiam motus & adjutus, *nego maj.* Neque enim qui sic per gratiam, qua excitatur, & juvatur, se discernit, contradicit Apostolo prohibenti solum ne homo glorietur de bono opere, quasi principium illius efficiens non acceperit a Deo; quam interpretationem probat August. *lib. de spiritu & litt. cap.* 33. dicens: „ Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine . . . consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, proprie voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat quod dictum est: *quid habes quod non accepisti?* verum etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem & habere utique accipientis & habentis est “.

*Inst.* 2. Gratia communis non est idoneum discretionis principium, ex D. August. lib. de prædest. SS. cap. 5. *Numquid per hæc dona*, inquit, *quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* qui te discernit? *gratia quæ discernit bonos a malis, non gratia quæ communis est bonis & malis*. Atqui gratia sufficiens communis est bonis & malis; ergo.

Resp. *dist. maj.* Gratia communis, ad sensum Pelagianorum, qui nomine *gratiæ communis*, intelligebant naturam & liberum arbitrium, *conc.* gratia communis ad sensum catholicorum, qui nomine *gratiæ communis*, intelligunt gratiam vere & relative sufficientem, quæ communiter datur hominibus cum urget præceptum, *nego maj.* Sese explicat Augustin. verbis immediate præcedentibus: „ In hac Apostoli evidentissima intentione, *inquit*, qua contra humanam superbiam loquitur, dona Dei naturalia suspicari . . . . nimis quantum existimo absurdum est “. At vero gratia vere & relative sufficiens, non est donum Dei naturale, sed est naturæ gratis superadditum ad supernaturale salutis meritum obtinendum.

*Inst.* 3. Gratia datur a Deo ex voluntate hominem salvandi; atqui voluntati salvandi hominem nunquam resistit ex Aug. (*Lib. de corrept. & grat. cap.* 14.) *volenti salvum facere nullum resistit hominum arbitrium;* ergo gratia ex tali voluntate collata nunquam effectu suo fraudatur.

Resp. *dist. min.* Voluntati Dei absolutæ, nunquam resistitur, *conc.* voluntati conditionatæ, *nego min.* conditionata autem est in Deo voluntas hominem salvandi, nimirum ex hypothesi quod gratiæ suæ prævenientibus auxiliis cooperaturus sit: quæ voluntas duo includit. *Primum*, largitionem mediorum ad salutem idoneorum. *Secundum*, intentionem conferendi salutem ipsam, si media collata non contemnantur; voluntas ergo illa, quæ est conditionalis respectu salutis, est absoluta respectu collationis mediorum ad salutem consequendam necessariorum. De hac conditionata voluntate August. lib. de catechizandis rudibus num. 52. ait: „ A quo interitu, *hoc est, ab inferno*, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ salvatoris sui “ *&c.*

*Objicies* 3. Discrimen fuit inter gratiam status innocentiæ, & gratiam medicinalem status naturæ lapsæ, ex Aug. *lib. de corrept. & gratia cap.* 11. dicente: *Quid ergo Adam non habuit gratiam? immo habuit magnam, sed disparem;* atqui in hoc stat discrimen, quod gratia sanitatis fuerit tantum sufficiens, libero voluntatis arbitrio, quantum ad usum vel non usum, relicta gratia vero medicinalis sit tantum efficax; ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Discrimen enim utriusque gratiæ, sanitatis & medicinalis, non in eo reponit D. Augustin. quod gratia medicinalis sit tantum efficax, sed 1. in eo quod homo innocens sola indiguerit gratia sufficiente, cum e contra homo lapsus, præter gratiam sufficientem, prout ab efficaci distinguitur, indigeat etiam efficaci. 2. Quod gratia sufficiens sanitatis solam includat mentis illustrationem, non vero præviam, ut gratia medicinalis, voluntatis motionem, quia cum integra esset viribus, talis non indigebat prævia motione, qua nunc omnino indiget natura corrupta; unde Aug. c. 48. asserit quod gratia naturæ inculpatæ, *Esset adjutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se præbere volentibus.*

*Inst.* Div. August. ibidem cap. 12. ait: „ Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit . . . primo itaque homini . . . datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur “. Ex quo textu sic argumentor: adjutorium, *quo*, est gratia efficax; adjutorium vero, *sine quo non*, est gratia sufficiens; atqui ex D. Augustino in præsenti statu naturæ lapsæ datur duntaxat adjutorium, *quo*; ergo.

Resp. 1. *nego maj.* Nam per adjutorium, *quo*, D. Doctor non intelligit gratiam actualem efficacem, sed donum ipsum perseverantiæ, quo homo formaliter fit perseverans; siquidem initio cap. 10. ait: „ Hinc oritur alia quæstio non sane contemnenda . . . . quæritur enim a nobis, quantum ad hoc donum Dei quod est perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus “; idque manifeste probat exemplum beatitudinis quo utitur; ut exponat, quid per adjutorium, *quo*, intelligat. „ Adjutorium enim est, *inquit*, non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit: quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit “. Ergo sicut adjutorium, *quo*, beatitudinis, est ipsa formalis beatitudo, ita auxilium, *quo*, perseverantiæ, est ipsa formalis perseverantia, ut ipsemet D. Doctor mentem suam exponit, lib. de dono perseverantiæ c. 6. „ Perseverantiam usque in finem *inquit*, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem, multi possunt eam habere, nullus amittere “.

Ita-

Itaque D. August. docet Adamum accepisse duntaxat adjutorium, *sine quo non*, quia non ipsam perseverantiam accepit, sed tantum gratiam intellectus sine qua perseverare non poterat, & quacum, si voluisset, perseverare potuisset, absque ulla præveniente gratia voluntatis, quæ cum esset sana & integra, sufficientes habebat vires ad perseverandum, *cujus* proinde, *meritum fuisset, si permanere voluisset*, ait August. Nunc autem propter naturæ nostræ sauciatæ infirmitatem ac perpetuo rebellantem concupiscentiam, opus etiam habemus gratia voluntatis, non solum ut perseveremus, sed etiam ut possimus perseverare, quare vocatur ab Augustino *adjutorium quo;* porro eo non indigebat integra primi hominis voluntas, cujus arbitrio relictum fuerat, ut cum gratia sufficiente intellectus perseveraret, si vellet.

Resp. 2. Dato etiam, & non concesso, quod Div. August. per, *adjutorium quo*, gratiam efficacem intellexerit; *nego min. argumenti*, nam tunc quidem ostenderet esse in statu naturæ lapsæ gratiam efficacem, sed absque exclusione gratiæ sufficientis; quid inde contra nos?

*Objic.* 4. Cum Jansenio, *l.* 3. *de gratia c.* 2. gratia cui humana voluntas resistat, *est inutilis*; ergo.

Resp. *dist. ant.* Est inutilis, vitio voluntatis libertate sua abutentis, *conc.* defectu virtutis intrinsecæ & relativæ in gratia, *nego ant.* gratia enim dat potentiam relativam & expeditam ad bonum, ad quod natura sua tendit; non igitur ratione sui est inutilis, sed voluntas creata, dissensu libero, eam reddit inutilem.

*Inst.* 1. Gratia sufficiens *est perniciosa, qua nemo unquam, fatentibus etiam scholasticis, nisi majorem damnationem, assecutus est*, ait Jansen. ibidem cap. 3. ergo, &c.

Resp. *nego ant.* Quia non ipsa gratia, sed resistentia libera, per quam voluntas abjicit gratiam, homini perniciosa est; ipsa enim, & non gratia multiplicat peccata, unde Alex. VIII. damnavit hanc Synnichii propos. „ Gratia sufficiens, non tam utilis, quam perniciosa est, ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos, Domine ". Et vero quis perniciosa dicat sacramenta, eo quod multi iis in sui perniciem abutantur?

*Inst.* 2. Jansenius lib. 3. cap. 3. „ Illud a recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est, aut fiet unquam . . . . . videtur monstrum quoddam singulare "; atqui gratia nostra sufficiens est talis; ergo.

Resp. *dist. maj.* Monstrum est singulare, si gratia illa defectu virtutis intrinsecæ & relativæ non sortiatur effectum, *conc.* si unico voluntatis liberæ, & idoneis viribus instructæ, vitio, *nego maj.* Quod enim gratia sufficiens, prout gratiæ efficaci opposita, nequaquam sortiatur effectum, nihil est mirandum; gratia enim illa non appellatur, *mere sufficiens*, nisi consequenter, ad liberam voluntatis resistentiam a Deo prævisam. Quod si talis gratia monstruosa dicatur, monstruosior certe gratia Jansenii *parva*, quæ ab initio lapsus hominis usque ad diem judicii, est insufficiens ad oppositam sibi concupiscentiam debellandam, & cum qua voluntas necessario *hærebit in solis inefficacibus desideriis;* an magis indecorum est gratiæ Christi quod ipsi voluntas libere resistat, quam quod necessario superetur a prædominante concupiscentia? valet ergo argumentum Jansenii contra parvam, quam propugnat, gratiam; at sponte ruit in systemate Augustini & Catholicorum.

*Inst.* 3. Si daretur gratia mere sufficiens, posset peti a Deo; absurdum conseq. Ergo.

Resp. *dist. maj.* Posset peti a Deo, qua *vere* sufficiens, *conc.* qua *mere* sufficiens, *nego maj.* Quod gratia sit *vere* sufficiens, habet ab intrinseco, nimirum a propria virtute; quod vero sit *mere* sufficiens, habet ab extrinseco, nimirum a libero voluntatis dissensu præviso, & sic involvit resistentiam voluntatis; sane cum postulamus gratiam, non petimus dissensum & resistentiam gratiæ, sed gratiam generatim, ut est *vere* sufficiens.

*Inst.* 4. Gratia *mere* sufficiens, justitiæ severitatem potius arguit, quam misericordiæ indulgentiam commendat; ergo est Deo dante indigna.

Resp. *nego ant.* Quia gratia per se & ex primaria Dei intentione ad divinæ misericordiæ ostensionem tendit, licet per accidens & ex secundaria Dei intentione ad justitiæ divinæ ostensionem & gloriam pertineat, nempe ex hypothesi quod Deum sanare volentem contemnamus: „ Infideles, *inquit August. lib. de spiritu & littera cap.* 23. contra voluntatem Dei faciunt cum ejus Evangelio non credunt, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt ".

*Objicies* 5. Gratia sufficiens, cui voluntas resistat, est gratia possibilitatis Pelagiana, quam confutavit August. & damnavit Ecclesia; ergo admittenda est.

Resp. *nego ant.* Nam adjutorium possibilitatis, quod impugnabat Aug. contra Pelagium, erat adjutorium non conferens, sed supponens possibilitatem qualis esset lex, atque doctrina; docebat enim liberum arbitrium per se solum valere ad quodlibet opus salutare, adeoque non indigere gratia ad posse simpliciter, sed tantum ad facilius posse, & hanc gratiam dicebat esse legem, doctrinam & exempla Christi, unde adjutorium possibilitatis reponebat in natura. E contra gratia sufficiens, quam admittimus, consistit non solum in supernaturali illustratione intellectus, sed etiam in pia motione voluntatis indeliberata, quæ dat posse simpliciter velle, & agere bonum salutare, voluntatem immediate excitando & adjuvando ad illud volendum & agendum.

*Inst.* 1. Pelagius admittebat posse bene agere esse a Deo; ergo.

Resp. *dist. ant.* Pelagius admittebat, posse bene agere, esse a Deo, ut auctore naturæ, *conc.* ut interiorem agendi virtutem subministrante per gratiam Christi actualem, naturæ superadditam, *nego ant.* Pelagius naturam & liberum arbitrium vocabat gratiam possibilitatis, legem vero & doctrinam vocabat adjutorium possibilitatis naturalis. Audiatur D. Aug. lib. de gratia Christi cap. 3. „ Gratiam Dei, *inquit*, & adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina . . . . possibilitatem datam confitetur a Creatore naturæ,

nunquam ei resistitur; ergo illa propositio ex systemate delectationis relative superiori, profluit.

III. Prop. damnata ut hæretica: „ Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ". Ratio est, quia voluntas agens per delectationem superiorem & relative victricem, licet non sit coacta, tamen necessitate antecedente determinatur ad unum; ergo cum mereatur per illum actum necessario positum, necesse est ut ad merendum sufficiat libertas a coactione; deinde patet connexio istius propositionis cum delectatione relative superiori.

IV. Propos. „ Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare ". Damnata est, ut *falsa*, nimirum quoad primam partem, & *hæretica* quoad secundam, quæ manifeste sequitur ex systemate delectationis relative superioris ac victricis; si enim impossibile sit, ut minor delectatio superiorem vincat, sequitur impossibile esse ut voluntas resistat superiori delectationi, qua insuperabiliter ad unum determinatur.

V. Propos. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Damnata est, ut *falsa*, *temeraria*, *scandalosa*, & eo sensu intellecta, quod Christus pro salute tantum prædestinatorum mortuus sit, tanquam *impia*, *blasphema*, *contumeliosa*, *divinæ pietati derogans*, & *hæretica*. Ratio hujus Jansenii doctrinæ est, quia Christus non est mortuus nisi pro iis, quibus Deus gratias vere sufficientes ad salutem præparavit: atqui in systemate Janseniano, præter delectationem gratiæ relative superiorem ac victricem, non dantur gratiæ vere sufficientes ad actum salutarem perfectum, & quibus dantur, insuperabiliter obtinent effectum; ergo Christus non est mortuus pro iis qui non salvantur; illud autem argumentum eruitur ex systemate delectationis relative superioris; ergo.

*Confirmatur* Propos. quia ex D. August., *lib. de gratia Christi*, *cap.* 47. valde difficile est liberum arbitrium concordare cum gratia efficaci; atqui si gratia efficax necessitet voluntatem, & necessitas cohæreat cum libero arbitrio, non erit difficile conciliare liberum arbitrium cum gratia efficaci: non enim alia in utroque conciliando difficultas est, quam ut per gratiam non necessitetur liberum arbitrium; ergo gratiæ efficacia non debet repeti ex systemate liberum arbitrium perimente.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* I. Systema delectationis prævenientis relative superioris, & per gradus victricis, est ipsissimum D. Augustini systema; ergo.

*Prob. ant.* Div. August. *in Epist. ad Galat.* ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Ergo.

Resp. *dist. ant.* Quod amplius nos delectat, delectatione deliberata, & electiva, *conc.* delectatione indeliberata, & consensum voluntatis præveniente, *nego ant.* Delectatio itaque duplex est: alia *indeliberata*, quæ est suavis quædam propensio versus bonum honestum, vel sensibile excitata in nobis sine nobis. Alia *deliberata*, quæ rationis advertentiam & voluntatis consensum sequitur, & est nisus voluntatis versus bonum, sive honestum, sive delectabile. Porro D. August. non loquitur hic de delectatione indeliberata; ipse siquidem fatetur se non semper fecisse quod incomparabili affectu indeliberato magis placebat: *Et non faciebam*, inquit, lib. 8. Confess. cap. 8. *id quod & incomparabili affectu mihi magis placebat*. Et Tract. 26. in Joann. docet delectationem indeliberatam non necessitare: *Videte quommodo trahit Pater*, inquit, *docendo delectat, non necessitatem imponendo*. Ergo illa verba, *quod amplius delectat*, intelligit de delectatione deliberata, subsequente liberam voluntatis electionem & determinationem; similiter per ista verba, *secundum id operemur necesse est*, intelligit necessitatem consequentem, non antecedentem, ita ut illius effati hic sit sensus: si aliquid absolute & efficaciter amplius diligamus, necessario operamur secundum illud. Neque enim dicit: *Secundum hoc velimus necesse est*, sed, *secundum hoc operemur necesse est*. Per quod indicat se loqui de externa operatione imperata, quam vult nos operari, secundum quod magis volumus, sive secundum quod nobis facere placet.

*Inst.* 1. Ergo per hæc verba, *quod amplius nos delectat*, Div. August. intellexit amorem deliberatum; falsum conseq. Ergo.

Resp. *dist. min.* Cujus falsitas patet ex hoc quod addit Div. Doctor: „ Manifestum est certe secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus, sectabitur autem quod dilexerimus; itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, id sectabitur quod amplius dilexerimus, *ubi hæc verba*: id sectabitur quod amplius dilexerimus, *relativa sunt ad illa priora*: quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est "; ergo idem significant, nempe amorem liberum & efficacem, quo unum præ alio eligimus, quo sensu dici solet, *hoc amplius me delectat*.

*Inst.* 2. Amor deliberatus, non est delectatio, sed fructus delectationis præviæ; ergo per has voces: *Quod amplius delectat*, &c. D. August. non intellexit amorem deliberatum, sed indeliberatam delectationem.

Resp. *nego primam partem anteced.* Amor enim deliberatus simul est fructus delectationis, & delectatio, ac D. August. hic per to, *delectare*, intellexit amorem deliberatum, ad quem significandum, illo verbo multoties usus est: sic *serm.* 5. *de verbis Apostol.* ait: *Concupiscentia mihi narrat delectationes, sed condelector legi Dei*, id est, magis amo. Et tract. 26. in Joann. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Per illud, *delectare*, significat amorem Dei meritorium; & per istud, *dabit tibi*, significat mercedem amoris; ergo delectationis liberæ.

*Inst.* 3. D. August. *lib. de spiritu & littera c.* 9. ait: „ Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit ".

Ergo

Ergo ut præceptum Dei impleatur, necesse est ut præveniat nos indeliberata delectatio gratiæ, major, quam sit delectatio terrena impediens.

Resp. *nego conseq.* Nam hoc unum vult Div. August. implorandam esse gratiam ulteriorem, ut libere exequamur præceptum, & per delectationem deliberatam, justitiam præferamus concupiscentiæ hactenus dominanti. Et vero in principiis Jansenii frustra hortaretur Div. August. ut confugeremus ad misericordiam & gratiam implorandam: si enim illecebra concupiscentiæ magis delectat, quam motio cœlestis ad orationem excitans, oratio erit impossibilis; si minus delectat, oratio necessario sequetur.

*Inst.* 4. D. August. *l. 2. de peccatorum meritis cap.* 17. ait: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Unde sic arguo: delectatio indeliberata, est mensura volitionis deliberatæ; ita ut volitio eo sit vehementior, quo ardentior est delectatio præveniens & indeliberata; ergo volitio deliberata necessario sequitur majorem delectationem indeliberatam.

Resp. *nego ant.* Nam D. Aug. per to *delectamur ardentius*, intelligit delectationem deliberatam, & per to *vehementius volumus*, intelligit actionem externam, unde sensus D. August. est, nos eo vehementius opus bonum prosequi & agere, quo illud per electionem voluntatis ardentius amamus: quare inferius addit: *Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum & incommutabile bonum.* Delectatio autem quæ concipitur propter amorem Dei, est indeliberata, supponitque exercitium libertatis.

*Inst.* 5. In illo cap. 17. D. August. loquitur de delectatione gratiæ prævenientis: *Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* Atqui delectatio gratiæ prævenientis est indeliberata, lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.* Ergo loquitur de delectatione indeliberata.

Resp. *dist. maj.* Loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, & simul de delectatione, quam voluntas concipit, libere sequendo motum gratiæ prævenientis, *conc.* loquitur de sola delectatione gratiæ prævenientis, *nego maj.* Diligenter ergo perpendi debent verba D. August. ut cognoscatur quando de indeliberata gratiæ delectatione loquitur, & quando de ea, quam, per motionem gratiæ, libere concipit.

*Inst.* 6. In conflictu duplicis delectationis præviæ & indeliberatæ, minor non potest superare majorem; ergo.

Resp. *nego ant.* Cum Div. Thom. 3. part. qu. 70. artic. 4. dicente: *Quod minima gratia possit resistere cuilibet concupiscentiæ, ac vitare omne peccatum mortale.*

*Objicies* 2. D. Aug. gratiæ efficaciam repetit ex omnipotentissima Dei potestate. *Sine dubio,* inquit lib. de corrept. & gratia c. 14. *habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Atqui Dei omnipotentiæ nemo potest resistere; ergo gratia necessitat ad consensum.

Resp. *dist. maj.* Gratiæ efficaciam repetit ab omnipotentissima potestate, simul & scientia, quatenus nimirum Deus tot habet modos voluntatem humanam movendi, ut videat aliquem, quo reipsa flectenda sit, *conc.* gratiam repetit ab omnipotentissima potestate, quæ imprimat motionem irrepudiabilem, *nego maj.* Itaque inter gratias innumeras, quarum aliæ præsciuntur sortituræ, aliæ non sortituræ effectum, in his, vel illis circumstantiis, potest Deus pro bona voluntate illas dare, quas prævidit suum effectum sortituras, sicque voluntatem humanam, quo voluerit, infallibiliter flectere; unde D. Aug. *lib. de spiritu & littera c.* 3. sic se explicat: „ Deus habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes, justissime judicentur ".

*Inst.* 1. D. Aug. *lib. de corrept. & gratia c.* 12. de gratia huic statui necessaria loquens, ait: „ Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur ". Ergo nec voluntas non potest gratiæ resistere.

Resp. *nego conseq.* Nam verbum, *ageretur*, sumitur pro, *corroboraretur*, unde voces, *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, non cadunt in ipsam voluntatem, quasi a gratia ita moveretur, ut ei resistere non posset, sed cadunt in ipsam concupiscentiam, & adversitates hujus vitæ, a quibus voluntas, gratia divina corroborata, superari non potest, si gratiæ firmiter obtemperare voluerit; quare D. August. addit: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.*

*Inst.* 2. D. Aug. *lib. de peccat. & meritis c.* 19. gratiam vocat, *Victricem delectationem;* atqui non est victrix, nisi quia oppositam concupiscentiam gradibus superat; ergo.

Resp. *nego min.* Gratia enim dicitur *victrix*, quia facit ut voluntas, ipsi libere cooperans, vincat oppositam concupiscentiam; non autem ideo *victrix* dicitur, quod, propter sui intensionem, vincat voluntatem, eamque resistere impotentem faciat, nam *lib. de spiritu & litter. cap.* 33. ait: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

*Instabis* 3. Necessitas mutabilis & relativa non officit libertati; atqui talis est necessitas per delectationem relative superiorem inducta; ergo.

Resp. *nego maj.* Necessitas enim agendi, eo ipso quod oriatur ab aliquo antecedente liberum voluntatis exercitium, eodem prorsus modo se habet respectu actus voluntatis hic & nunc eliciendi, ac si necessitas absoluta esset & immutabilis; ergo hic & nunc tollit actus libertatem.

*Inst.* 4. In systemate delectationis victricis & relativæ necessitatis, voluntas retinet potentiam ad oppositum; ergo & libertatem.

Resp. *dist. ant.* Retinet potentiam absolutam, *conc.* relativam & expeditam, *nego ant.* Porro, ut jam dictum est, ad veram libertatem requiritur ut voluntas hic & nunc, & comparate ad præsentes sui circumstantias, possit agere vel non agere; ergo ut sit & dicatur libera, debet habere potentiam relativam & expeditam ad hic & nunc agendum.

## ARTICULUS II.

*Systema Scholasticorum circa gratiæ efficaciam.*

### *I. Systema.*

*Est Thomistarum*, docentium gratiæ efficaciam consistere in prædeterminatione physica, quæ, juxta illos, est prævia quædam qualitas transiens, seu motio quædam virtuosa & activa causæ secundæ, a Deo solo impressa antecedenter ad voluntatis actum, ad quem illam physice ita prædeterminat, ut repugnet omissio actus ad quem prædeterminatio datur, sicut repugnat actum illum, sive bonum, sive malum, poni absque illa prædeterminatione, quæ consequenter est per se & essentialiter connexa cum effectu ad quem datur, illumque infallibiliter & ex natura sua infert.

Dicitur 1. *prædeterminatio*, quia antecedit consensum voluntatis, *Non prioritate durationis, seu temporis*, inquit Gonet dispur. 6. de concord. libertat. cum præd. *sed duntaxat naturæ, seu causalitatis & dependentiæ.*

Dicitur 2. *Physica*, addit Gonet: *Non quod forma naturalis sit, sed quia ex propria essentia & ab intrinseco est efficax independenter a quocumque creato consensu, quod est esse physicum Theologice, non Philosophice*, quod ut clarius intelligas.

*Nota*, Thomistas duplicem agnoscere gratiam;

*Prima* est sufficiens, seu excitans, in actibus supernaturalibus indeliberatis intellectus & voluntatis consistens, quæ præcise, & qua talis, dat tantum posse agere, ita ut voluntas nunquam sit consensum datura, nisi illi gratiæ Deus addat gratiam physice prædeterminantem.

*Secunda* gratia, est efficax, seu physice prædeterminans, quæ natura antecedit consensum, atque ita voluntatem ad illum determinat, ut posita illa prædeterminatione, non possit voluntas in sensu composito dissentire, seu non possit cum tali gratia conjungere dissensum; ex quo concludunt necessariam & essentialem esse connexionem inter prædeterminationem, & actum, ad quem prædeterminatio datur. Cum ergo voluntas libere consentit, tria occurrunt.

1. Gratia sufficiens, quæ dat posse velle, & agere.

2. Gratia efficax, quæ voluntatem ad consensum physice prædeterminat, datque velle & agere, cum sit motio applicans ad actum, ad quem gratia sufficiens excitabat.

3. Ipse consensus & gratia concomitans, sicque gratiam efficacem constituunt mediam inter gratiam sufficientem & effectum liberum, asseruntque eam afficere actum secundum, quatenus est reductio potentiæ voluntatis ab actu primo ad actum secundum, quæ proinde ab actu, quem vi sua efficit, sejungi non possit. His diligenter notatis sit:

## CONCLUSIO.

*Gratiæ efficacitas non potest repeti ex prædeterminatione physica.*

*Prob.* 1. In systemate prædeterminationis physicæ, gratia ex natura sua infallibilem & essentialem habet cum consensu voluntatis creatæ connexionem; atqui gratia efficax, qualis secundum fidei doctrinam admittenda est, non habet ex natura sua infallibilem & essentialem cum consensu voluntatis connexionem; ergo efficacia gratiæ non est repetenda ex prædeterminatione physica. *Prob. min.* Gratia, cui potest humana voluntas dissentire, non habet ex natura sua infallibilem & essentialem cum consensu voluntatis connexionem; atqui gratiæ efficaci, qualis secundum fidei doctrinam admittenda est, humana voluntas potest dissentire; ut constat tum ex Scriptura Prov. 1. *vocavi & renuisti;* tum ex Conc. Triden. *sess. 6. can.* 4. definiente: „ Si quis dixerit liberum arbitrium hominis a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti . . . . neque posse dissentire si velit . . . . anathema sit ". Ergo, &c. minor est de fide; itaque.

*Prob. maj.* Posse gratiæ dissentire, est posse cum gratia conjungere negationem actus ad quem datur; atqui cum gratia, quæ ex natura sua infallibilem & essentialem habet cum consensu voluntatis connexionem, non potest conjungi negatio actus ad quem datur; ergo.

Resp. Thomistæ voluntatem illi gratiæ dissentire posse, non quidem in sensu composito, sed in sensu diviso. Quod ut intelligas,

*Nota*: Cum Alvarez, lib. 2. responsionum cap. 1. num. 34. sensum compositum non sic intelligi debere: „ Quod videlicet quando gratia efficax est in voluntate, non possit voluntas non agere actum illum ad quem determinatur, ablata vero motione possit non agere. Hic enim sensus confictus fuit a Calvino, (& *Jansenio*) . . . . sensus igitur legitimus illius propositionis: *homo præmotus, non potest dissentire:* In sensu composito accepta, est: hæc duo simul esse incompossibilia, quod nimirum auxilium efficax ad consentiendum, sit in homine, & homo dissentiat. *Rem sic explicat Gonet:* Efficaci Dei motione posita in voluntate, inquit, liberum arbitrium potest dissentire in sensu diviso, quia etiam, prout stat sub tali motione, semper retinet potentiam proximam & expeditam ad dissentiendum. Non potest tamen dissentire in sensu composito, quia cum talis motio inferat infallibiliter consensum, & ille sit in eodem instanti temporis cum illa, nunquam potest componi cum actuali dissensu ". Sed

*Contra est* 1. Quia hæc implicata & obscura explicatio sensus compositi & divisi, non videtur cohærere cum Canone Trident. Hic enim clare innuit hominem, etiam in sensu composito gratiæ Dei moventis & excitantis, id est eo ipso momento, quo Deus voluntatem incipit movere, posse dissentire si velit; ergo.

*Contra est* 2. Quia distinctio illa, qualem eam explicant Thomistæ, involvit contradictoria; nam, juxta ipsos, 1. Impossibile est componi dissensum actualem cum gratia prædeterminante, ideoque non potest voluntas dissentire *in sensu composito*. 2. Potentiam dissentiendi proxima & expedita cohæret cum gratia prædeterminante voluntatis consensum, adeoque voluntas potest dissentire *in sensu diviso*. Atqui duæ illæ propositiones sibi invicem contradicunt, dum secunda asserit dari potentiam proximam & expeditam ad dissensum, qui in prima asseritur impossibilis; ergo.

*Prob.* 2.

*Prob.* 2. Gratia physice prædeterminans videtur tollere libertatem; ergo, &c. *Prob. ant.* Quod inducit necessitatem antecedentem & ineluctabilem, tollit libertatem; atqui talis videtur esse gratia physice prædeterminans; ergo, &c. 1. *Videtur inducere necessitatem antecedentem:* nam quod est independens ab exercitio libertatis, & ex virtute sibi intrinseca infallibiliter est connexum cum voluntatis operatione, inducit necessitatem, quæ non provenit ex libertatis exercitio; atqui prædeterminatio physica, est independens ab exercitio libertatis, & ex virtute sibi intrinseca infallibiliter est connexa cum voluntatis operatione; ergo inducit necessitatem antecedentem. 2. *Videtur inducere necessitatem ineluctabilem*, ineluctabilis enim est necessitas, quæ tollit indifferentiam ad actum oppositum; atqui prædeterminatio physica tollit indifferentiam ad actum oppositum: nam physica prædeterminatio & indifferentia sunt duo contraria, quæ non possunt esse simul; ergo.

*Prob.* 3. Gratia efficax talis esse debet, ut cum ea salvetur dogma gratiæ vere sufficientis; atqui in systemate gratiæ physice prædeterminantis, non videtur salvari dogma gratiæ vere sufficientis; ergo.

*Prob. min.* Gratia vere sufficiens, secundum omnes Catholicos, potentiam confert ad agendum proximam, relativam, atque omnino expeditam; atqui in systemate Thomistico, non videtur dari talis gratia; ergo.

*Prob. min.* Gratia, quæ prærequirit aliud superveniens auxilium, sine quo impossibile est ut actum exerat, proximam atque expeditam non confert potentiam ad agendum; atqui in systemate Thomistico, gratia sufficiens prærequirit aliud superveniens auxilium, nempe præmotionem physicam, sine qua impossibile est ut actum exerat; ergo.

*Respondent Thomistæ ad major.* Gratiam sufficientem nihil prærequirere ex parte potentiæ, seu ex parte principii, cum conferat homini quidquid necessarium est ut possit agere, licet indigeat gratia prædeterminante ut actu agat. Præmotio enim, juxta illos, non afficit potentiam seu actum primum, sed actum secundum: *Sicut enim*, inquit Alvarez disp. 79. n. 5. *Potentia visiva est sufficiens principium ad videndum, etiamsi actualis visio nunquam fiat nisi accedente lumine, & causa universali eam movente; ita similiter auxilium sufficiens ad credendum v. g. est vere sufficiens in suo genere: quamvis, ultra illud, sit simpliciter necessarium aliud auxilium efficax, quo Deus efficit ut homo credat.* Sed

*Contra est* 1. Quia gratia, ut sit vere sufficiens, non debet tantum dare potentiam expeditam ad *posse* agere, sed etiam ad *agere:* nam datur ut homo id faciat quod Deus præcipit; atqui Deus non præcipit homini ut possit observare mandata, sed ut illa de facto observet; ergo, &c. *Nec valet* adducta oculi & luminis comparatio; alias sicut oculus, etiam perfecte sanus, non potest videre sine lumine, ita pariter homo non potest agere sine gratia efficaci; ergo, illa absente, nulla est in homine ad bonum salutare expedita facultas; ergo impossibilia ipsi sunt Dei mandata; ergo non est reus violati præcepti; ergo nec juste ob eorum transgressionem reprehendi, multo minus damnari potest; quæ omnia sicut falsa, ita & absurda.

*Contra est* 2. Quomodo gratia illa potest dici vere sufficiens, quæ, destituta auxilio efficaci, nunquam effectum assequitur, ac in tanta hominum, qui hactenus vixerunt, ac deinceps victuri sunt, multitudine, nunquam est assecuta, defectu auxilii prædeterminantis, quod homo non habet in sua potestate, *neque immediate*, cum a solo Deo imprimatur in nobis sine nobis libere cooperantibus, *neque mediate*, impetrando nempe auxilium uberius: nam illa impetratio esset pietatis actus: atqui, juxta doctrinam Thomistarum, ad omnem pietatis actum requiritur gratia physice prædeterminans, qua privatur qui gratiam tantum sufficientem habet; ergo non potest illud auxilium impetrare; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Nota:* Argumenta, quæ prædeterminantes ex auctoritate Scripturæ & Sancti Augustini desumunt, hic referre inutile duxi, tum quod facile solvi possint ex dictis; tum quod ex illis nihil concludi possit in favorem gratiæ physice prædeterminantis; Scriptura enim, & Div. August. contra Pelagianos, astruentes absolutam gratiæ necessitatem, ut voluntas possit operari bonum, & operetur, de modo illius efficaciæ altum servant silentium. Hic ergo restant solvenda quæ nobis ex Div. Thoma & rationibus theologicis, objiciuntur. Itaque

*Objicies* 1. D. Thom. admisit prædeterminationem physicam, qualem Thomistæ propugnant; ergo.

Resp. *nego ant.* Immo prædeterminatio physica repugnat doctrinæ D. Thom. qui, t. 2. *quæst.* 9. *art.* 6. *ad* 3. ait: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum . . . . sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.* Et lib. 1. contra gentes c. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem ad unum.* Immo, in 2. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. dicit: *Liberum arbitrium non invenitur in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus.* Atqui doctrina asserens voluntatem seipsam determinare ad volendum hoc vel illud, ex dominio, quod habet in suos actus, excludere determinationem ad unum, nec determinari ab aliqua causa priori, manifeste repugnat gratiæ physice prædeterminanti; ergo.

*Inst.* 1. D. Thom. quæst. 3. de potentia, art. 7. ait: *Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni.* Ergo Deus applicat voluntates nostras ad actionem; atqui hoc est prædeterminare physice; ergo.

Resp. *dist.* 1. *cons.* Deus applicat voluntates nostras ad actionem, per suum concursum cum voluntate nostra, *conc.* per motionem virtuosam nobis impressam, quam repugnat non esse con-

conjunctam cum effectu, *nego conseq.* Deus itaque applicat voluntates nostras ad actum per concursum, cujus sint duo velut officia. 1. Movere virtutem causæ secundæ; 2. Cum causa secunda concurrere ad effectum, ad quod necesse non est ut recipiatur in causa secunda entitas aliqua ab ipso concursu distincta, ut constat de anima, quæ potest applicare aliquam suarum facultatum ad actionem, absque alia entitate distincta ab actu, ad quem eliciendum cum facultate concurrit.

*Inst.* 2. Idem, *quæst.* 24. *de veritate art.* 8. ait: *Gratia ad rationem suæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum conjungens Deo.* Atqui gratia, quæ ad rationem suæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, est ex natura sua efficax; ergo est prædeterminatio physica.

Resp. *dist. maj.* Gratia patriæ ad rationem suæ immutabilitatis, &c. *conc.* gratia viæ, *nego maj.* Ibi enim D. Thomas non loquitur de gratia viæ, sed de gratia patriæ, vi cujus beati confirmantur in bono, ac immutabiliter & necessario adhærent Deo.

*Inst.* 3. Idem, 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 3. ait: *Quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur.* Ergo gratia ex natura sua est motio infallibiliter conjuncta cum effectu.

Resp. *dist. antec.* Impossibile est, impossibilitate consequente præscientiam divinam, *conc.* antecedente, & quæ oriatur ex natura motionis, *nego ant.* Ibi itaque Div. Doctor probare intendit voluntatem non necessitari a Deo: non necessitatur autem, quia, inquit in corp. „ Omnia movet *Deus*, secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis, per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes; quia ergo voluntas est principium activum non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur “. Ergo D. Thom. nihil aliud vult probare quam quod voluntas a Deo non necessitetur.

*Inst.* 4. D. Thom. passim asserit causas secundas, etiam liberas, esse instrumenta Dei; ergo necesse est ut a Deo physice prædeterminentur & applicentur ad actus suos, sicut instrumenta determinantur & applicantur ab artifice.

Resp. *dist. ant.* Asserit esse instrumenta Dei, activa, *conc.* mere passiva, *nego ant.* Sunt quidem creaturæ instrumenta Dei, quatenus illis uti potest ad exequenda sua consilia; at non sunt instrumenta mere passiva, quæ egeant determinari & applicari ad singulares actus suos, sicut penicillus determinatur & applicatur a pictore. Comparatio itaque D. Thomæ analoga est, non univoca. Et vero si D. Thomas censuisset voluntates humanas ad actus suos liberos per Deum physice prædeterminari, simul Deum censuisset futura libera infallibiliter cognoscere in causis liberis sic prædeterminandis; atqui hoc negat 1. *pars*, *qu.* 14. *art.* 13. dicens: *Potest considerari contingens ut est in sua causa, & sic consideratur, ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.* Unde concludit futura contingentia a Deo infallibiliter cognosci *non solum in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso . . . . unde infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem.* Infallibilitas ergo illius cognitionis desumitur ex divina præscientia, quod D. Thomæ ratiocinium manifeste contradicit prædeterminantium systemati.

*Objicies* 2. Gratia efficax, est motio prævia, ex sese essentialem habens cum effectu suo connexionem; ergo physice prædeterminat voluntatem ad actum.

Resp. *nego ant.* Quia talis gratia foret necessitans, ut probatum est.

*Inst.* 1. Effectus formalis gratiæ efficacis, est determinare voluntatem ad actum; ergo habet ex natura sua infallibilem connexionem cum actu, ad quem datur.

Resp. *dist. ant.* Est determinare moraliter, inclinando scilicet & excitando ad actum per motionem, physicam quidem, sed repudiabilem, & cum actuali dissensu conjungibilem, *conc.* determinare voluntatem ad actum, physice applicando per motionem irrepudiabilem, & cum actuali dissensu incompossibilem, *nego ant.* Itaque gratia est motio prævia & physica, physice excitans & inclinans voluntatem ad actum, dando illi vires physicas & pares actui salutari, non tamen eam determinat ad actum; ipsa enim, ultra naturalem sui conditionem erecta per gratiam, actum suum liberum physice determinat.

*Inst.* 2. Si gratia efficax non prædeterminat physice voluntatem, voluntas libertate sua naturali determinat physice gratiam: falsum conseq. ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Quæ supponit voluntatem & gratiam in actum influere tanquam duas causas, quarum altera determinare debeat ad actualem influxum, quod est falsum; nam voluntas ut affecta & mota a gratia est causa totalis actus salutaris, ad quem non prædeterminatur physice per gratiam, neque ipsa gratiam determinat; sed ad quem se ipsa determinat per vires supernaturales a gratia acceptas, & consequenter non per libertatem naturalem tantum, sed per libertatem supernaturalem & divinitus factam per gratiam, cujus motionem & impulsum sequitur.

*Inst.* 3. Nisi Deus voluntatem physice prædeterminet per gratiam, sequitur Deum expectare consensum hominis, non facere; at consequens est hæreticum ex Conc. Arausicano II. Can. 4. *Si quis dixerit Deum expectare voluntatem nostram, ut purgemur a peccato, non autem facere ut velimus convertí, resistit Spiritui Sancto dicenti: Præparatur voluntas a Domino, & operatur in nobis velle & perficere;* ergo.

Resp. *dist. seq. maj.* Sequitur Deum expectare consensum hominis per vires a gratia præveniente acceptas, eliciendum, ita ut præcipuæ partes in toto hoc, negotio gratiæ divinæ semper adscribantur,

tur, *conc.* per solas naturæ vires, ut volebant Semipelagiani, quos damnat Concil. Arausicanum, *nego ant.* Gratia ergo semper præit voluntati quam excitat; at vero posita illa prima gratia, Deus aliquo modo expectat consensum hominis per vires a gratia acceptas dandum, ut homo simul concurrat cum gratia adjuvante, juxta illud: *Ego sto & pulso, si quis aperiet, intrabo.* Ita respondet Gamachæus Doctor Sorbonicus, in 1. 2. quæst. 111.

*Objicies* 3. Quod est indifferens ad agendum, debet determinari ab alio; atqui voluntas hominis est indifferens ad agendum; ergo debet determinari a Deo.

Resp. *dist. maj.* Si non habeat in se vim seipsum determinandi, *conc.* si vim illam habeat, *nego maj.* Porro voluntas hominis a Deo per gratiam completa & corroborata, habet vim seipsam ad agendum determinandi, nam habet liberum arbitrium a gratia Dei elevatum ad opus salutare perficiendum.

*Objicies* 4. Causa prima & primum movens præmovet physice; atqui Deus est causa prima & primum movens; ergo Deus præmovet physice.

Resp. *dist. maj.* Causa prima & primum movens præmovet physice, hoc sensu quod det, conservet, & compleat virtutem agendi causæ secundæ, *conc.* hoc sensu quod prædeterminet physice causam secundam liberam ad agendum, *nego maj.* Deus ergo in actibus salutaribus est causa prima ac primum movens, quatenus voluntatem, prius saltem natura quam agat, excitat, elevat, corroborat, & physice complet ad agendum; non quatenus physice prædeterminat voluntatem ad unum, cum illa prædeterminatio non videatur locum relinquere libertati, ut dictum est.

*Inst.* Si gratia physice prædeterminans locum non relinquat libertati, Thomistæ erunt hæretici; atqui falsum, & prohibitum asserere consequens; ergo.

Resp. *nego seq. maj.* Nam ut Thomistæ essent hæretici, necesse esset ut cognoscerent suum systema esse libertatis eversivum, vel ut Ecclesia id definiisset; atqui neutrum dici potest; nam, 1. Thomistæ negant ex suo systemate sequi ullam libertatis imminutionem, in quo catholice sentiunt, licet perperam ratiocinari videantur. 2. Non definivit Ecclesia libertatem everti per prædeterminationem physicam, immo post ejus & oppositi systematis discussionem in Congregationibus *de auxiliis* coram SS. PP. Clemente VIII. & Paulo V. habitis. Paulus V. decretum edidit, quo sancivit, donec aliud decerneretur, utrique parti liberum esse opinionem suam tueri sine censura opinionis oppositæ.

### II. *Systema.*

Est eorum, qui se Augustinianos dicunt, gratiæ efficaciam repetentium ex cœlesti quadam delectatione victrici, voluntatem ad consensum ita necessitante, ut ei moraliter sit impossibile tali gratiæ dissentire; ex qua morali impossibilitate dissentiendi, sequitur infallibiliter & necessario consensus, nec tamen per illam tollitur libertas, quia, inquiunt, cum sit in genere morum, voluntatem relinquit flexibilem ad utramque partem, quamvis totam ejus lubentiam & inclinationem certissime & infallibiliter ad unam partem determinet ac necessitet, sive per superioritatem delectationis, ut volunt *Lovanienses*, sive per vehementiam motionis, ut volunt Jueninus, Habertus, &c. Contra hoc systema:

### CONCLUSIO.

*Gratiæ efficacia non debet repeti ex delectatione victrici voluntatem moraliter necessitante.*

*Prob.* 1. Illud systema pugnat in terminis; ergo.

*Prob. ant.* Juxta illud systema, gratia efficax voluntatem ad consensum necessitat moraliter tantum, & tamen infallibiliter; atqui pugnat in terminis quod gratia voluntatem ad assensum necessitet moraliter tantum, & tamen infallibiliter; ergo.

*Prob. min.* Necessitas moralis est ea, quæ licet difficile, immo difficillime, tamen quandoque superari potest, ita ut citra contradictionem supponi possit illam interdum superari: contra, necessitas infallibilis ea est, quæ nunquam superari potest, ita ut citra contradictionem supponi non possit illam aliquando superari; atqui aliquando posse superari, & nunquam posse superari, pugnat in terminis; ergo pugnat in terminis, quod gratia voluntatem ad assensum necessitet moraliter tantum, & tamen infallibiliter.

*Prob.* 2. Illud systema male consulit, vel actus salutaris infallibilitati, vel actus ejusdem libertati; ergo.

*Prob. ant.* Ut consulatur actus salutaris infallibilitati, gratia efficax debet certo certitudine metaphysica inferre futurum voluntatis consensum; e contra, ut consulatur actus ejusdem libertati, gratia efficax debet esse talis, cui voluntas dissentire possit, si velit; atqui illud systema illa duo conciliare non potest; ergo.

*Prob. min.* Ut gratia efficax certo, certitudine metaphysica, inferat futurum voluntatis consensum, in systemate non supponente usum scientiæ conditionatorum, debet ejus efficacia necessario & essentialiter esse connexa cum futuro voluntatis consensu; contra, ut voluntas possit gratiæ efficaci dissentire, debet esse cum eodem consensu connexa tantum contingenter, ita ut sine illo esse possit; atqui impossibile est, ut gratia sit essentialiter simul & contingenter connexa cum voluntatis consensu; ergo illud systema hæc duo non potest conciliare. 1. Quod gratia efficax certo certitudine metaphysica inferat futurum voluntatis consensum. 2. Quod talis sit, ut ei voluntas dissentire possit, si velit; ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Divus Paulus habuit gratiam conversionis necessitantem, juxta illud Div. August. lib. de gratia & lib. arb. cap. 5. *Ut de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala.* Ergo gratiæ efficacia repetitur ex motione victrici voluntatem ac consensum necessitante.

Resp.

Resp. *nego conseq.* Neque enim valet consequentia a particulari ad universale. Certum autem est apud omnes, Deum habere in thesauris omnipotentiæ suæ gratias, quæ, si darentur, prædeterminarent ac necessitarent moraliter; non ergo hic quæritur utrum Deus possit aliquam dare gratiam ita intensam ut moraliter necessitet, sed quæritur, utrum essentia gratiæ efficacis consistat in eo quod voluntatem moraliter necessitet, quod negamus: alioqui omnis gratia efficax moraliter necessitaret, & quæ non necessitaret, non esset efficax, quod & Scripturæ & experientiæ repugnat. Non est ergo de essentia gratiæ efficacis, ut necessitet moraliter, neque ut non necessitet moraliter.

*Objicies* 2. Est voluntatis per peccatum infirmatæ conditio, ut semper morali necessitate id velit, quod eam magis delectat indeliberate; ergo.

Resp. *nego ant.* Quod repugnat, tum experientiæ; habemus enim ex intimo conscientiæ testimonio, nos inspirationibus divinis quandoque multa cum difficultate obsequi, & virtutis actum ibi elicere, ubi vitium magna cum facilitate committi posset; ergo tunc agimus citra moralem impotentiam aliter agendi; ergo citra ullam necessitatem agendi bonum, quod agimus. Tum Scripturæ, Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ergo homo sibi vim facere debet ad opus salutare agendum cum gratia efficaci; atqui si gratia efficax semper imponeret necessitatem moralem agendi, homo non deberet vim sibi facere ad consentiendum gratiæ, & agendum opus salutare: immo deberet potius sibi vim facere ad dissentiendum gratiæ, & non agendum opus salutare: ergo.

*Objicies* 3. Necessitas moralis nihil officit libertati; ergo gratiæ efficacia recte repeti potest ex delectatione, seu motione moraliter necessitante.

Resp. *dist. ant.* Necessitas moralis superabilis nihil officit libertati, *conc.* necessitas moralis insuperabilis, *nego ant.* Porro qui gratiæ efficaciam repetunt ex necessitate morali, per necessitatem moralem, eam intelligunt, vi cujus actus semper fit, actusque contrarius, qui est moraliter impossibilis, nunquam fit: *Quæ sunt moraliter impossibilia*, inquit Habert, *numquam existunt.* Talis ergo necessitas est insuperabilis; ergo licet ab eis vocetur moralis, in rei veritate est physica, & consequenter libertatis eversiva.

*Inst.* 1. Causa, quæ agit delectando, & lubentiam voluntatis determinando, non inducit necessitatem physicam: atqui sic agit gratia moraliter necessitans; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam visio Dei intuitiva delectando agit in beatis, atque lubentiam eorum voluntatis determinat: tamen beatis imponit necessitatem diligendi Deum physicam & simplicem, dum necessario, antecedenter, & irrepudiabiliter eorum voluntatem rapit delectatio orta ex bonitate Dei clare & intuitive visa.

*Inst.* 2. Viro sapienti & sui compoti nudo corpore per urbis plateas luce meridiana currere moraliter ita est impossibile, ut nunquam id fiat; atqui tamen in hoc omittendo vere est liber; ergo libertas stat cum impossibilitate morali, vi cujus res nunquam fit.

Resp. *nego maj.* Quæ falso supponit impossibilitatem illam esse tantum moralem, cum vere & realiter sit impossibilitas physica; illa enim impossibilitas est physica, quæ procedit ex defectu unius ex physice prærequisitis ad agendum: atqui impossibilitas, qua vir sapiens & sui compos, nudo corpore per urbis plateas luce meridiana currere non potest, procedit ex defectu rationalis motivi, quod est unum ex physice prærequisitis ad agendum; ergo est impossibilitas physica qualem habet homo ad amandum malum, quatenus malum; ergo in hoc nullo modo est liber.

### *III. Systema.*

Est *Molinæ*, & rigidiorum Molinistarum, gratiæ efficaciam repetentium a solo consensu voluntatis. Juxta hos gratia efficax ante consensum nullatenus differt a sufficiente, sed differt duntaxat penes consensum subsequentem: ita *ut illud auxilium*, inquit Molina, qu. 14. concordiæ, art. 13. disp. 40. *sive majus, sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur, cum tamen, nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti; illud vero inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti.* Unde in hac opinione gratia efficax a sufficiente distinguitur per solum voluntatis consensum. Contra hoc systema

### CONCLUSIO.

*Gratiæ efficacia non est repetenda ex solo voluntatis consensu.*

*Prob.* 1. *Ex Scriptura*, homo non potest semetipsum discernere in negotio salutis, ex 1. Cor. 4. *quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* atqui si gratiæ efficacia repeteretur ex solo hominis consensu, homo consentiens a non consentiente seipsum discerneret; ergo.

*Prob.* 2. Ex Div. August. lib. de Spiritu & littera cap. 34. dicente: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur: illi autem non ita? duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat*, o altitudo divitiarum, &c, nunquid iniquitas apud Deum? Hic Div. Doctor vult, ut qui ita suadentur vi internæ suasionis, ut etiam persuadeantur, majus beneficium accipiant, quam illi qui simpliciter suadentur; atqui hoc verum non esset, si efficacia gratiæ repetenda esset a solo voluntatis consensu; ergo.

*Prob.* 3. *ratione.* Gratia efficax *in actu primo*, de qua sola hic quæstionem movemus, debet esse prior consensu; ergo illius efficacia non est repetenda a consensu. *Conseq.* est certa, prius enim in suo esse constitui nequit per posterius.

*Prob. ant.* Licet gratia efficax in *actu secundo* includat essentialiter ipsum hominis consensum, tamen eadem *in actu primo* considerata, solum ordinem dicit ad consensum ad quem efficienter concurrit; atqui quod dicit ordinem ad aliquid, ad quod efficienter concurrit, est illo prius, neque enim effectus sua causa prior est; ergo.

Di-

*Dices:* D. Aug. lib. 12. de civ. Dei c. 6. ait: *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite fruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret; quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala?* respondet: *Quid aliud apparet nisi unum voluisse, alium noluisse a castitate deficere?* Ergo ratio cur gratia sit efficax, a consensu repetitur.

Resp. *dist. conseq.* A consensu repetitur tanquam a causa proxima, *conc.* tanquam a causa prima, *nego conseq.* Per causam proximam efficacitatis gratiæ, intelligitur cooperatio ipsimet gratiæ, seu consensus a voluntate per vires a gratia acceptas datus. Et per causam primam intelligitur virtus ipsa gratiæ ut certo & infallibiliter illatura effectum, seu consensum voluntatis, hæc est a solo Deo, qui absoluta voluntate eam gratiam statuit conferre, cui voluntas certo consensura prævidetur, ut infra exponemus. Hanc responsionem nobis subministrat D. Thom. *in c. 25. Matth.* dicens: *Si quæris quare unus habeat magis de gratia quam alter? dico quod ejus rei est causa proxima & causa prima: proxima est major conatus istius, quam illius: causa prima est divina electio.*

### *IV. Systema.*

Est eorum, qui putantes gratiæ efficaciam vel humanitus esse inexplicabilem, vel explicandam esse ope scientiæ conditionatorum, eam repetunt, *vel ex motione duntaxat morali*, quæ voluntatem suadendo, inclinando & suaviter alliciendo, in bonum salutis inclinat, & infallibiliter adducit, sub lumine conditionatorum scientiæ; *vel ex congruitate*, seu attemperatione auxiliorum gratiæ ad hominis indolem & ingenium, aut ad varias temporis & personæ circumstantias: non quidem ex congruitate quæ antecedenter ad prævisum voluntatis consensum certo & infallibiliter effectum suum esset habitura; nam sic esset ex sese efficax, iisdemque difficultatibus subjecta, quibus prædeterminatio moralis per se infallibilis; sed ex congruitate, in eo posita quod Deus gratiam opportune conferat, eo tempore, quo prævidit voluntatem esse consensuram, si daretur: magis enim homini congruum est, ut vocetur per gratiam, cui prævidit Deus eum consensurum, si daretur, quam per gratiam, cui homo prævisus est dissensurus.

Hi ergo efficaciam gratiæ repetunt a duobus, 1. Ab ipsa virtute gratiæ, tanquam a principio activo. 2. A scientia Dei, tanquam a principio directivo, ne scilicet Deus in concedenda gratia efficaci dicatur agere temere; nam temere non agit, non solum qui utitur modo *per se* infallibili ad obtinendum effectum; sed etiam ille, qui, quantumcumque medium *per se* fallibile sit, tamen videt illud in hac aut illa occasione suum effectum obtenturum.

Circa hanc intricatissimam difficultatem aliquid positive asserere, non est mens mihi, immo eam omnino prætermisissem, nisi scholæ exercitium ejus tractationem a me expostulasset. Quare systema, quod probabilius mihi visum est, hic breviter exponam; itaque sit.

### CONCLUSIO.

*Probabilius est eorum systema, qui efficaciam gratiæ repetunt ex ipsa virtute gratiæ, tamquam a causa a qua effectus contingenter & libere egreditur in aliqua temporis differentia, sub directione scientiæ Dei mediæ.*

*Prob.* Ab eo repetenda est gratiæ efficacia, quo posito, rectissime conciliantur fidei nostræ circa libertatem hominis, & gratiæ divinæ operationem, dogmata: *atqui* posito systemate, quo gratiæ efficacia repetitur ab ipsa virtute gratiæ, tamquam a causa, a qua effectus contingenter & libere egreditur in aliqua temporis differentia, sub directione scientiæ Dei mediæ, rectissime conciliantur fidei nostræ dogmata, tum circa libertatem hominis, tum circa gratiæ divinæ operationem; ergo.

*Prob. min.* Fidei dogmata spectantia operationem gratiæ efficacis & libertatem hominis sunt quinque.

1. Quod prædestinatio ad gratiam sit mere gratuita.
2. Quod gratia efficax per aliquid distinguatur a gratia mere sufficienti.
3. Quod libertatem nullatenus labefactet.
4. Quod sit speciale Dei beneficium.
5. Quod sit in manu Dei medium certissimum & infallibile ad voluntates nostras quocumque voluerit flectendas; *atqui* ista omnia rectissime conciliat supra dictum systema; ergo.

*Prob. min.* 1. Juxta hoc systema, Deus præsciens quibus gratiis voluntas esset consensura, & quibus esset dissensura, si darentur, has, vel illas dandas decernit ex mero suo beneplacito; ergo prædestinatio ad gratiam est mere gratuita; atque homini consentienti dici potest cum Apost. 1. ad Cor. 4. *Quis te discernit?* nam ad hoc sufficit ut homo gratiam accipiat a Deo cum illa speciali misericordia, ut effectum suum consecuturam prævideat, cum alia gratia concedi posset aliunde sufficiens, quæ eundem effectum non obtineret; sed hoc fit a Deo in præsenti systemate; ergo.

2. Gratia efficax distinguitur a gratia mere sufficienti, quia est id a quo, tamquam a causa, operatio nostra libere & contingenter egreditur in aliqua temporis differentia, quatenus in iis circumstantiis confertur, in quibus Deus prævidet suum habituram effectum, quod de gratia mere sufficienti dici non potest, cum ex ea operatio libera egressura non sit.

3. Gratia efficax sic exposita libertatem nullatenus labefactat; quia licet ex suppositione præscientiæ divinæ necesse sit necessitate absoluta gratiam quam Deus decernit, cum prævisione boni exitus, esse illaturam effectum, hæc necessitas est tantum consequens, orta nimirum ex præscientia infallibili, quæ liberam voluntatis determinationem supponit; atqui necessitas consequens est amica libertatis; ergo libertas nullatenus labefactatur sub potenti motione gratiæ efficacis.

4. Gratia efficax est speciale Dei beneficium, quia eam Deus misericorditer & ex mero beneplacito largitur talem, & tunc, quando videt effectum suum certissime consecuturam. Et licet entitative sit minor illa quæ alteri, vel eidem alio tem-

tempore datur, attamen moraliter & ratione doni, est quid majus, quia utilior futura est, & ex præscientia majoris utilitatis, & ea intentione ex parte dantis confertur; unde quando Deus eam confert, dicitur magis misereri, immo quandoque simpliciter misereri, ut docet Div. August. *lib.* 1. *ad Simplicianum q.* 2. dicens: *quod si vellet etiam ipsorum* (*qui vocati non veniunt*) *misereri* (*efficaciter*) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.*

5. Gratia efficax est in manu Dei medium certissimum & infallibile ad voluntates nostras quocumque voluerit flectendas, quia a scientia Dei infallibili habet infallibilitatem absolutam & metaphysicam; nam ex hypothesi quod Deus præviderit talem gratiam voluntatis consensum expressuram, absolute repugnat eam non exprimere talem consensum, quia absolute repugnat scientiam Dei falli; atqui gratia quam absolute repugnat non exprimere voluntatis consensum, illum infert infallibilitate absoluta & metaphysica; ergo gratia efficax est in manu Dei medium certissimum & infallibile ad voluntates nostras quocumque voluerit flectendas.

Hinc si Deus velit vel infidelem ad fidem, vel peccatorem ad pœnitentiam, vel justum ad perseverantiam completam perducere, hoc favorabile decretum potest certissime exequi, gratias illas decernendo, quas videt conjungendas cum effectu, si darentur; hoc enim supposito necesse est necessitate metaphysica gratias illas intentum a Deo habituras effectum.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Gratiæ efficaciam repetere ab ejus virtute, tamquam a causa, a qua effectus contingenter & libere egreditur, est eam repetere a consensu; atqui ex dictis gratiæ efficacitas non repetitur a consensu; ergo.

Resp. *nego maj.* Nam gratiæ efficaciam repetere ab ejus virtute, tanquam a causa a qua effectus libere egreditur, est eam repetere ab eo quod consensu prius est, cum gratia respectu consensus rationem causæ efficientis obtineat; ergo non est efficaciam gratiæ repetere a consensu: nam causa efficiens definitur, *id unde est actus*, seu consensus; porro consensus non potest dici id unde est consensus, effectus enim est posterior sua causa, a qua necessario distinguitur.

*Inst.* Efficaciam gratiæ repetere ab ejus virtute, tanquam a causa a qua effectus libere egreditur, est gratiam efficacem explicare per efficacitatem, ut est in actu secundo; ergo per consensum.

Resp. *dist. ant.* Est gratiam efficacem explicare per efficacitatem ut est in actu secundo, ad quem in aliqua temporis differentia exprimendum tendit, *conc.* ut est in actu secundo quem formaliter includit, *nego ant.* Unde quia consideramus gratiam, ut est efficax in actu primo, sic non includit formaliter actum secundum, seu consensum, ad quem exprimendum ordinatur duntaxat; ergo illius efficacitas non repetitur a consensu quem præcedit.

*Objicies* 2. Gratiæ efficacitas ex directione scientiæ mediæ data, destruit gratiæ gratuitatem; ergo.

*Prob. ant.* Gratia ex directione scientiæ mediæ data, decerneretur propter consensum prævisum conditionate futurum; ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Gratia decerneretur propter consensum, &c. particula, *propter*, significante causam finalem, *conc.* significante causam meritoriam, *nego ant.* Hæc responsio est Div. Thomæ, 1. *p. quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 1. dicentis: *Usus gratiæ præscitus, non est ratio collationis gratiæ nisi secundum rationem causæ finalis.* Itaque falsum est, quod consensus prævisus conditionate futurus, sit Deo motivum & regula concedendi gratiam iis quos prævidet ea bene usuros; gratia enim ex mera Dei misericordia pro ipsius beneplacito confertur homini, non quia consensurus est, sed ut consentiat. Et vero multi prævidentur gratiæ consensuri, si darentur, quibus tamen non datur, ut patet exemplo Tyriorum & Sydoniorum, de quibus Christus, *Matth.* 11. asserit: *Si in Tyro & Sydone facta essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*

*Inst.* 1. Efficacitas gratiæ ex directione scientiæ mediæ data, pendebit a scientia Dei; atqui falsum consequens; ergo.

Resp. *dist. maj.* Pendebit a scientia Dei, improprie & directive, *conc.* proprie & efficienter, *nego maj.* Porro nullum est absurdum, quod gratiæ efficacitas pendeat a scientia Dei directive, id nimirum indicat Div. Aug. lib. 1. ad Simplic. *q.* 2. *Nullius frustra Deus miseretur*, inquit, *cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Quibus verbis ostendit a scientia Dei pendere, quod talis gratia concedatur, quæ consensum sit impetratura, quod est efficaciam gratiæ directive a scientia Dei pendere.

*Inst.* 2. Efficacitas gratiæ directive petita a scientia media, perfectissimum & absolutissimum Dei dominium in voluntates nostras destruit; ergo.

Resp. *nego ant.* Immo efficacitas gratiæ, petita directive a scientia media, probat absolutissimum Dei dominium in voluntates nostras, quas infalliibiliter inclinare potest quocumque voluerit, & de illis facere quidquid efficaciter voluerit, quando ex infinitis, quæ in sua potestate habet, gratiæ auxiliis, ea seligit ac largitur, quibus prævidet emolliendam esse, penitusque frangendam humanæ voluntatis contumaciam, quod certe arguit perfectissimum Dei dominium in nostras voluntates.

*Prob. ant.* Fieri potest in systemate scientiæ mediæ, ut Deus nullum habeat medium efficax ad hominem convertendum; ergo.

*Prob. ant.* Fieri potest tantam esse humanæ voluntatis contumaciam, ut Deus videat eam restituram omnibus & singulis gratiis, quas ipsi posset decernere ad conversionem; ergo.

Resp. 1. Permissa, non concessa hypothesi, *nego conseq.* quia si hominem ita contumacem vellet absolute salvare, posset illud suum decretum exequi per gratiam aut necessitantem, aut physice prædeterminantem, quarum possibilitatem non rejicimus, sed negamus illas dari ad actus salutares & liberos.

Resp. 2.

Resp. 2. *nego hypothesim:* Tum quia repugnat finitæ creaturarum malitiæ; tum quia supponit voluntatis uniformitatem & constantiam in malo proposito, quæ pugnat cum ejus mutabilitate & flexibilitate in bonum, cujus operandi facilitas suavissima adducitur per gratiam, & amotionem impedimentorum, quæ rebelles hominum voluntates in malo detinere solent.

*Objicies* 3. In præsenti systemate potest fieri ut homo se discernat in negotio salutis; atqui homo non potest se discernere in negotio salutis; juxta illud Corinth. 4. *Quis te discernit?* Ergo.

Resp. *nego ant.* Nam se discernere in negotio salutis, est esse ex proprio quasi fundo auctorem sui meriti salutaris; at vero homo bonum salutare agens, non agit ex seipso, sive ex viribus naturæ solis relictis, sed ex viribus per gratiam acceptis; ergo seipsum non discernit: hinc D. August. *lib. de gratia & lib. arbitr. cap. 6.* ait: „ Si merita nostra sic intelligerent (Pelagiani), ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? "

*Inst.* 1. In præsenti systemate fieri potest, ut æquali gratiæ duobus hominibus concessæ, unus consentiat, alter dissentiat; atqui in hac hypothesi, qui consentit, se discernit ab eo qui dissentit; ergo.

Resp. *permissa, non concessa majore, nego min.* Quia in tali hypothesi discretio in eum refundi debet, cujus præcipuæ sunt & nobiliores in opere salutari partes; atqui gratia præcipuas & nobiliores partes habet in opere salutari, quandoquidem sine ea homo nihil boni supernaturalis cogitare, velle, aut operari potest; ergo in eam refundi debet discretio. *Non ego,* ait Apost. *sed gratia Dei mecum.*

Dixi: *permissa, non concessa majore:* quia insidiose fit hypothesis gratiæ æqualis datæ ei qui consentit, & ei qui dissentit; nam qui consentit, recipit gratiam efficacem; qui vero dissentit, recipit gratiam dumtaxat sufficientem; porro gratia efficax ratione beneficii est major, quam gratia mere sufficiens.

*Inst.* 2. In allata hypothesi, qui consentit, nihil accipit a Deo, quod non accipiat qui dissentit; ergo æqualem gratiam uterque recipit.

Resp. *dist. ant.* Qui consentit, nihil accipit a Deo secundum entitatem & in ratione auxilii, quod non accipiat qui dissentit, *conc.* secundum moralem æstimationem, & in ratione beneficii, *nego ant.* Gratia ergo, quæ datur illi qui consentit, licet non sit major secundum suam entitatem physicam, ea quæ datur ei qui dissentit, quia tamen datur in iis circumstantiis, in quibus prævidetur habitura effectum, & ex efficaci intentione ut effectum habeat, longe majus est beneficium secundum æstimationem moralem, quam gratia data in iis circumstantiis, in quibus prævidetur non habitura effectum. Deus enim erga consentientem habet specialem benevolentiæ affectum, quem non habet erga dissentientem.

*Inst.* 3. Consensus prævisus conditionate futurus, est causa cur ille qui consentit, majus a Deo recipiat beneficium; ergo semper recurrit hominem consentientem esse causam suæ discretionis.

Resp. *nego ant.* Causa enim cur quis consentit, majusque accipit beneficium, est solus Deus, qui gratuito ei donat gratiam, quam prævidit expressuram consensum salutarem, quem homo per solas naturæ vires non potest producere; ergo qui consentit, non est causa suæ discretionis; sed Deus, qui *dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat cui jubet*, ait D. Aug. lib. de gratia & l. arb. c. 15.

*Inst.* 4. In præsenti systemate, homo consentiens, gloriari potest quod præ alio consenserit: atqui hoc repugnat Apostolo, 1. *Cor.* 4. dicenti: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo.

Resp. *nego maj.* Quia licet ejus, qui non consentit, culpa sit, quod non consentiat; tamen is, qui consentit, consensurus non esset, nisi Deus eum sic, & tunc vocasset, cum eum consensurum prævideret; ergo non potest gloriari quod præ alio consenserit; quia, ut ait D. Aug. lib. 1. ad Simplic. qu. 2. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei, qui hoc modo vocavit, quo aptum erat iis, qui secuti sunt vocationem.*

*Inst.* 5. Ille qui consentit gratiæ, potest gloriari quod consenserit simpliciter; ergo & quod consenserit præ alio.

Resp. *dist. min.* Potest gloriari quod consenserit simpliciter, per gratiam, *conc.* quod consenserit per naturæ vires, *nego ant.* Itaque Apostolus per hæc verba: *quid gloriaris?* non excludit omnem gloriationem, sed eam tantum, qua homo de suo consensu gloriaretur, quasi eum non accepisset a gratia; in omni ergo sententia, quæ salvam relinquit libertatem, homo potest gloriari de bono opere, sed non nisi a gratia & per gratiam elicito, quod permittit August. 106. qui ad hæc verba: *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ait: *Hoc utique totum ideo, non ut homo non glorietur; sed ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

*Inst.* 6. In præsenti systemate, consensus illius, qui consentit, non est ipsi a Deo datus; ergo homo consentiens potest gloriari de aliqua re quasi non acceperit?

Resp. *nego ant.* Nam Deus dando homini gratiam, quam prævidit expressuram consensum, si detur, eamque dando ex speciali benevolentiæ affectu, & ex voluntate efficaci ut talis consensus eliciatur, merito dicitur dare illum consensum, cujus est causa primaria & principalis. Hinc homo gratiæ consentiens, non potest gloriari de suo merito, quasi ipse sibi illud fecerit, quia, ut ait August. epist. 106. *Et ipsum hominis meritum, donum est gratuitum.*

*Inst.* 7. In præsenti systemate, consensus salutaris est a voluntate seipsam determinante; ergo non est donum Dei gratuitum.

Resp. *dist. ant.* Consensus salutaris est a voluntate seipsam determinante, simul & a gratia tamquam a causa principali voluntatem excitante, ac elevante ad consensum, in quem prius saltem natura influit, *conc.* hoc constat ex Apost. dicente: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Est a voluntate seipsam determinante sola, *nego ant.* Itaque consensus salutaris, est simul & indivisibiliter a gra-

tia & a voluntate seipsam per gratiæ vires determinante; ita tamen ut sit a gratia tamquam a causa superiori & principali, quæ natura prius influat, tum in ipsam voluntatem quam complet ad consentiendum, tum in consensum, cui tribuit quidquid habet valoris & entitatis supernaturalis: a voluntate vero, tanquam a causa inferiori, subordinata, & dependente a gratia, a qua totam vim agendi supernaturaliter accipit. Quare consensus salutaris primario, & principaliter gratiæ attribui debet.

*Inst.* 8. Si consensus salutaris, sit a voluntate seipsam determinante, etiam ut a causa inferiori & subordinata, gratia erit versatilis, pedissequa voluntatis, & subjecta libero arbitrio; atqui Semipelagianum consequens; ergo.

Resp. *nego sequel. maj. quoad omnes partes.*

1. *Enim gratia non est versatilis;* id enim dicitur versatile, quod indifferens ad hoc vel illud, in partes oppositas flecti potest; atqui gratia non potest flecti in partes oppositas, v. gr. in bonum vel malum: est enim de se determinata ad bonum, ad quod movet quamvis impedibiliter, neque illa quis uti potest ad malum; ergo.

2. *Non est pedissequa voluntatis humanæ*, quia non supponit aliquem conatum ex solis naturæ viribus productum, cujus intuitu detur, ut volebant Semipelagiani; sed contra voluntas est pedissequa gratiæ, quæ in omni opere salutari voluntatem prævenire necessario debet, ita ut sine gratia præveniente nullum omnino possit actum salutarem efficere.

3. *Gratia non est subjecta libero arbitrio.* Neque enim pendet a libero arbitrio ut habeatur, & talis, vel talis sit virtutis; ergo non est subject. libero arbitrio, immo liberum arbitrium sibi subjicit, illud siquidem non agit, nisi in virtute gratiæ, cui subordinatur tanquam causa inferior causæ superiori, per quam agitur quomodo illi aptum est ut & moveatur, & sequatur, ut ait D. Aug. *ad Simplic. q.* 2. qui *epist.* 107. loquens de gratiæ virtute, ait: *Vocatio illa alta atque secreta sic agit sensum, ut accommodet assensum.*

*Inst.* 9. Juxta præsens systema, voluntas prævie gratiam applicabit ad actum; ergo gratia subjicitur liberæ voluntatis determinationi.

Resp. *nego ant.* Immo ipsa voluntas per motionem gratiæ, qua afficitur, applicatur ad actum, sed impedibiliter, cum illa gratiæ motio relinquat voluntati facultatem expeditam dissentiendi.

*Inst.* 10. Juxta præsens systema, prius erit voluntatem sese determinare ad actum, quam gratiam inferre ipsum actum; ergo voluntas gratiam prævie applicabit ad actum.

Resp. *nego ant.* Quia voluntatem sese determinare ad actum, nihil aliud est, quam voluntatem actum inferre & elicere; voluntas autem non infert actum, nisi quatenus est affecta per gratiam prævie moventem; ergo non prius voluntas sese determinat ad actum, quam gratia eundem actum inferat; sic dum ferrum acuminatum pungit, non prius ferrum, non prius acuminitas pungit, sed ferrum quatenus acuminatum; ita pariter voluntas actum infert quatenus affecta per gratiam, a qua virtutem sese salutariter movendi accipit.

*Inst.* 11. In præsenti systemate, Deus expectabit voluntatem nostram, ut bonum velimus & agimus; atqui hoc est damnatum in Concil. Arausicano II. his verbis: *Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit . . . . . resistit Spiritui Sancto dicenti: Præparatur voluntas a Domino*; ergo, &c.

Resp. *nego maj.* Intellectam in sensu Concilii Arausicani; nam juxta præsens systema, necesse est sic Deus voluntatem nostram præveniat, præparet, ac compleat, ut ipsa velit bonum salutare; ergo voluntatem non expectat. Porro Conc. Arausicanum damnat errorem Semipelagianorum docentium hominem ex solis naturæ viribus posse initium fidei & bonæ voluntatis concipere, Deumque expectare bonum illud desiderium naturale, ut gratiam det; quod ut hæreticum rejiciunt omnes Catholici cum D. Aug. epist. 106. dicente: *Cùm fides impetrat justificationem, non gratia Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non prævia voluntate, quæ per* gratiam prævenientem *præparatur a Domino.*

## CAPUT III.

### *De dispensatione & distributione gratiæ sufficientis.*

*Nota* 1. Hic non esse quæstionem, 1. utrum omni tempore & momento singulis hominibus detur gratia sufficiens? *Certum est* enim, gratiam sufficientem, quæ est inspiratio transiens, non perpetuo & indesinenter, sed certis tantum vicibus & temporibus dari, juxta illud Ps. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*, id est, pro loco & tempore opportuno; quod sufficit, ut homo dicatur habere gratiam sufficientem ad salutem consequendam.

2. *Non est quæstio*, utrum singulis hominibus ea semper detur gratia sufficiens, per quam proxime & sine ulteriori auxilio possint bonum salutare operari, tentationes superare, &c. *Certum est* enim, quandoque dari gratias remote tantum sufficientes, quibus si bene uterentur homines, proxime sufficientem obtinerent, ut docet D. Augustinus *lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 22. dicens: *Dum quis ignorat quid sibi agendum, ex eo est, quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si quod accepit bene usus fuerit, accepit autem ut pie & diligenter quæreret*; nimirum per gratiam orationis.

*Nota* 2. Cum adulti & infantes partiantur genus humanum, ut plene dignoscatur gratiam sufficientem omnibus dari, videndum est, 1. An detur omnibus adultis? 2. Utrum detur infantibus?

## QUÆSTIO I.

### *Utrum gratia sufficiens detur omnibus adultis.*

*Nota.* Adulti vel sunt fideles, vel infideles; fideles, vel sunt justi, vel peccatores; quæritur ergo utrum detur gratia sufficiens, 1. Justis ad implenda præcepta; 2. Fidelibus peccatoribus ut a peccato resipiscant; 3. Infidelibus ut ad fidem adduci possint? Tribus articulis.

AR-

## ARTICULUS I.

*Utrum omnibus justis detur gratia sufficiens ad præcepta implenda?*

*Nota.* Jansenius Yprensis docet: *Aliqua præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, esse impossibilia, deesse quoque illis gratiam qua possibilia fiant.* Contra hanc nefandam doctrinam:

## CONCLUSIO.

*Justis omnibus, urgente præcepto, datur a Deo gratia vere & relative sufficiens ad servanda omnia præcepta;* est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scripr. 1. *Cor.* 10. ubi de omnibus justis dicitur: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum,* id est auxilium, *ut possitis sustinere:* ad quæ verba D. August. *lib. de Pastoribus cap.* 5. ait: *Ne timeas, non deerit in tentationibus ille in quem credidisti.* Atqui si Deus non conferret justo gratiam vere & relative sufficientem ad implendum præceptum, dum urget, pateretur illum tentari supra id quod potest, nec faceret cum tentatione proventum, id est, facultatem sustinendi, sed deesset in tentationibus; ergo.

Matth. 11. *Jugum meum suave est.* Et Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Atqui jugum Christi non esset suave ejusque mandata essent gravissima, si justis non daretur gratia vere & relative sufficiens ad illa mandata observanda; ergo.

*Prob.* 2. *Ex Conciliis;* Arausicano II. can. 25. *hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ergo omnes baptizati, & a fortiori omnes justi, habent gratiam vere & relative sufficientem, sine qua præcepta non possunt salutariter impleri.

Conc. Trident. sess. 6. can. 18. definit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Cujus definitionis rationem reddit *cap.* 11. his Div. Augustini verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quibus verbis aperte significatur hominem habere gratiam vel proxime, vel remote sufficientem ad præcepta implenda.

*Prob.* 3. Ex Div. August. lib. de natura & gratia cap. 26. *Cum Deus,* inquit, *impium ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur.* Atqui si Deus justis, urgente præcepto, non concederet gratiam vere & relative sufficientem, qua possent illud implere, vel saltem uberius implorare auxilium ut impleatur, certe prius justum desereret, quam ab eo desereretur, ergo, &c. Et cap. 69. ait: *Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Hinc jure merito Innoc. X. Alexandr. VII. ut hæreticam damnarunt primam prop. Jansenianam, jam a Pio V. & Gregorio XIII. damnatam in hac prop. Bajana: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.*

*Nota:* Argumenta quæ Janseniani opponunt: 1. Ex gratia efficaci, sine qua asserunt justum nihil posse: 2. Ex impotentia relativa nonnullorum justorum ad aliqua præcepta hic & nunc observanda, non referemus; ea enim jam solvimus, ubi gratiam dari vere & relative sufficientem, probavimus, Itaque:

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Exemplum Sancti Petri, qui justus erat tunc cum negavit Christum; atqui tunc ipsi defuit gratia relative sufficiens, ut posset Christum non negare; ergo.

Resp. *permissa maj. dist. min.* D. Petro fuit gratia relative sufficiens, qua posset proxime resistere tentationi & Christum non negare, *conc.* qua posset remote Christum non negare, *nego maj.* Itaque D. Petrus, quando negavit Christum, habebat gratiam orationis & humilitatis, qua si bene usus fuisset, obtinuisset gratiam proxime sufficientem, per quam tentationi restitisset, nec Christum negasset; hoc satis aperte tradit D. August. *lib. de corr. & gr. c.* 9. dicens: *Dixerat & ipse* (Petrus) *in abundantia sua:* animam meam pro te ponam: *sibi festinandò tribuens, quod ei fuerat postea a Domino largiendum.*

Dixi: *permissa maj.* quia D. Petrus quando Christum exterius negavit, jam interno præsumptionis peccato exciderat, ut docent D. Chrysost. homil. 12. in Joann. *Cum* (Petrus) *in arrogantiam prolaberetur, & Christo contradiceret, suæ admonetur fragilitatis.* Et D. Aug. serm. 285. *Interrogatus* (Petrus) in corde suo præsumpserat se pro eo *etiam moriturum viribus suis hoc triluerat.* Ergo jam interno præsumptionis peccato exciderat a sua justitia, quando Christum negavit, ac proinde nihil facit ejus exemplum ad præsentem difficultatem, in qua de justis disputamus.

*Inst.* 1. D. Chrysost. de D. Petro dicit hom. 83. in Matth. *Etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio, stare non potuit;* ergo nullam habuit gratiam vere sufficientem, ut Christum non negaret.

Resp. *dist. ant.* Subtracto auxilio proxime sufficienti, *conc.* remote sufficienti, *nego ant.* Addit enim ibidem D. Doctor: *Totum sibi attribuebat, dicens:* etsi omnes scandalizati fuerint, &c. *Cum dicere debuisset, juva tirocinio tuo juvabis.* Ergo habebat sufficiens auxilium ad orandum, & uberius auxilium impetrandum, quo adjutus Christum non negasset.

*Inst.* 2. Div. August. *tract.* 92. *in Joann.* de charitate loquens, ait: *Quæ utique Petro defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere.* Ergo Petro defuit gratia, qua relative ad præsentem concupiscentiam potuerit testimonium Christo perhibere.

Resp.

Resp. *dist. conseq.* Defuit gratia, qua proxime potuerit, &c. *conc.* qua remote potuerit, &c. *nego conseq.* Suam mentem declarat D. Doctor *lib. de unit. Ecclesiæ cap. 9.* dicens: *Quis enim dubitaverit quod . . . . Petrus si voluisset, ter dominum non negasset?*

*Inst.* 3. D. Hilarius (*Cap. 32. in Matth.*) de Sancto Petro ait: *Amarissime flevit, recolens trepidationis culpam, se nec admonitum potuisse vitare.* Ergo D. Petrus nullam habuit gratiam, qua potuerit abnegationem Christi vitare.

Resp. *nego conseq.* Hæc enim verba: *Non potuisse:* ibi non significant impotentiam faciendi, sed defectum affectionis faciendi, quo sensu Christus *Matth. 26.* dixit Apostolis: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* Sic enim communiter dicimur nos aliquando non posse, quia sic affecti sumus, ut nolimus, vel certe ut acturi non simus.

*Objicies* 2. D. August. *lib. de natura & gratia, c. 53.* ait: *Fideles orantes dicunt; & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Si adest possibilitas, ut quid orant?* ergo.

Resp. *dist. ant.* Si adest possibilitas, per solas liberi arbitrii vires, non est necessaria oratio, *conc.* si adest possibilitas per gratiam, *nego ant.* Hic Div. Doctor redarguit Pelagium, quod diceret, hominem absque adjutorio gratiæ Dei posse esse sine peccato: *Quare*, inquit, *sine adjutorio gratiæ Dei dicitis hominem posse esse sine peccato?* quem ut refellat dicit: *Fideles orantes dicunt: & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo,* &c. ex qua oratione concludit hominem indigere gratia Dei ut liberetur, nec posse a tentatione eripi per solas naturæ vires: *Unde*, inquit, *non liberatur homo sine gratia Salvatoris.*

*Inst.* 1. D. Aug. ibidem c. 66. ait: *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo.* Sed qui habet necessitatem peccandi, non habet gratiam vere & relative sufficientem ad præcepta implenda; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est quædam necessitas peccandi, simpliciter & physice inevitabilis, *nego maj.* secundum quid & moraliter inevitabilis, *subdist.* sine gratia, *conc.* cum gratia, *nego maj.* Unde D. August immediate addit: *Atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere*, de necessitatibus meis educ me . . . *ac per hoc opitulante* gratia per Jesum Christum, *& mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.*

*Inst.* 2. Si omnibus justis, urgente præcepto, detur gratia vere & relative sufficiens ad implendum præceptum, justis reprobis dabitur gratia vere & relative sufficiens ad perseverandum in statû justitiæ; falsum conseq. ergo.

Resp. *dist. min.* De omnibus enim justis loquens Conc. Trid. ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Ergo justi omnes perseverare possunt in accepta justitia, si non desint gratiæ Dei, & consequenter habent gratiam vere & relative sufficientem ad perseverandum.

*Prob. min.* D. Augustinus, lib. de dono persever. cap. 22. ait: *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, substrahentur obediendi vires ut obedire cessetis.* Ergo justis reprobis non datur gratia vere sufficiens ad perseverandum.

Resp. *nego ant.* Hæc enim D. Doctor non profert a se, sed ex sententia Semipelagianorum, quos impugnat, referens enim hanc sententiam cap. 15. ait: *Sed ajunt, ut scribitis . . . . si qui obeditis,* &c. ad quæ verba D. Prosper lib. 3. ad excerpta Genuensium, dubio 9. ait: *Ex hoc ergo potuistis advertere non ipsum* (Augustinum) *hæc dicere, sed eos de quibus dixit:* sed ajunt, ut scribitis. *Inferius autem* (nempe cap. 22.) *ubi plenius ad ista respondet, multo manifestius patet, quam hæc ab ipso nunquam realiter dicta sint, & quantum ei hujusmodi prædicationis forma displiceat:* nam de illa ait: *Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quam male dicere, aut mala quodammodo prophetare?*

*Inst.* 3. D. August. in hoc uno duntaxat vult supra relatam sententiam emendari, quod secunda in tertiam mutetur personam, & dicatur: *Si qui obediunt,* &c. Ergo D. Augustinus non rejicit illam sententiam quoad substantiam.

Resp. *nego ant.* Nam juxta D. Prosperum, illam sententiam correxit, *Quæ vera sunt temperans,* nimirum mutando secundam personam in tertiam, ut tolerabilior sit audientibus, *Et quæ falsa sunt resecans,* nimirum resecando substractionem virium obediendi, cujus nullam facit mentionem in hac propositione, quam in locum prioris substituit: *Si qui obediunt, sed in regnum ejus, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt;* quod est verissimum.

## ARTICULUS II.

*Utrum fidelibus peccatoribus detur gratia sufficiens, ut a peccato resipiscant, & convertantur?*

*Nota.* Peccatores, alii nondum sunt excæcati & obdurati; alii sunt mente excæcati & corde indurati, juxta illud Joann. 12. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Quod Deus præstat, non positive, ut vult Calvinus *lib. 1. instit. cap. 18.* sed negative, ut docet D. Aug. *ep. 105.* dicens: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* De utrisque hic procedit quæstio. Igitur

## CONCLUSIO I.

*Omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis datur, pro loco & tempore, gratia vere sufficiens, qua possint & peccata cavere, & a peccatis resipiscere.* Ita omnes catholici.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat.* Ex quo sic argumentor: Deus vult vere & sincere ut peccatores, saltem non obdurati, non pereant, sed convertantur; atqui non possunt converti absque gratia sufficienti; ergo eis dat gratiam sufficientem, ut peccata cavere possint, & a peccatis convertantur.

*Prob.* 2. Ex D. Augustino, *lib. 1. retract. c. 22.* di-

dicente: „ Nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum Dominus alio loco docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus; in potestate quippe hominis est mutare voluntatem in melius; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur ". Ergo si converti sit in potestate peccatoris, & non possit sine gratia Dei, habet gratiam ad hoc sufficientem.

*Confirmabitur* propos. sequenti, si enim detur induratis gratia sufficiens ad conversionem, a fortiori datur nondum induratis.

CONCLUSIO II.

*Etiam peccatoribus induratis datur, pro loco & tempore, gratia vere sufficiens, qua possint & peccata cavere, & a peccatis resipiscere.* Est communior contra paucos.

*Inst.* 1. Ex Scriptura, *Act.* 7. ubi S. Stephanus Judæos obduratos objurgat quod Spiritui Sancto, eos ad conversionem moventi, semper resisterent: *Dura cervice*, inquit, *& incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ergo.

Rom. cap. 2. „ An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei ". Ibi Apostolus commendat bonitatem, patientiam, & longanimitatem Dei, quod peccatores induratos ad pœnitentiam adducat & excitet, utique per gratiam interiorem, sine qua non potest esse vera pœnitentia; ergo.

*Prob.* 2. *Ex PP.* D. August. supra hæc *Psalmi 6.* verba: „ Dedit eos in reprobum sensum; *ait:* ea est cæcitas mentis, in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est . . . . . penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate "? Ergo homo quandiu est in hac vita, non est obcæcatus & induratus, cæcitate & obduratione absoluta, quæ sit cujuscumque gratiæ subductio.

D. Prosper resp. 15. ad object. Vincentianas, ait: ***nemini Deus correctionis viam adimit, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*** Atqui Deus correctionis viam obduratis adimeret, eosque possibilitate boni salutaris dispoliaret, si omnem penitus gratiam sufficientem substraheret; ergo, &c. Hinc lib. 3. de vocatione gentium cap. ult. dicit: *dum in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio.*

D. Thom. 3. p. quæst. 86. art. 1. „ dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est. 1. Quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. 2. Quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitentiam ".

*Prob.* 3. *ratione:* Indurati peccant imputabiliter, ut docet D. August. *lib.* 5. *contra Julian. c.* 3. de Judæis obcæcatis dicens: *Ista cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati ut occiderent Christum.* Unde serm. 88. de tempore acerrime eos carpit; qui „ dicebant inter se: cur enim iniquitas illa Pharaonis imputatur, cum Dominus cor illius obdurasse referatur "? Ergo habent gratiam, saltem remote sufficientem, ad non peccandum. *Conseq.* patet ex sensu adversariorum, qui sine gratia negant vitari posse peccatum; atqui in eo non peccatur, quod vitari non potest, ex Augustino, *lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 18. ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* Eccl. 7. dicitur: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem Deus despexerit.* Ergo obduratis, a Deo despectis, non datur gratia sufficiens ad conversionem.

Resp. *nego conseq.* Ibi quidem probatur necessitas gratiæ ad emendationem vitæ pravæ, sed non astruitur adæquata desertio per Deum facta; neque enim Deus absolute despicit, sed comparate; quod scilicet tantas, tamque congruas, neque etiam proxime sufficientes ad conversionem, gratias conferat; sed tunc saltem interdum habent gratiam remote sufficientem, nempe gratiam orationis, per quam obtinere possunt gratiam immediate sufficientem ad conversionem.

*Inst.* 1. Indurati etiam orando, impetrare non possunt gratiam proxime sufficientem ad conversionem; ergo gratia illa induratis concessa, non potest dici sufficiens. Resp. *nego ant.*

*Prob. ant.* Ex 2. Machab. cap. 9. ubi de Antiocho dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo.

Resp. *nego conseq.* Antiochus enim ideo dicitur frustra orasse, quia oravit, de culpa admissa dolens, non propter Dei offensam, sed propter infirmitatem temporalem, quam patiebatur; non ergo oravit ex recto motivo, nempe ex amore Dei offensi, sed ex solo recuperandæ sanitatis desiderio; unde non fuit exauditus.

*Inst.* 2. Joann. 12. de induratis Judæis dicitur: „ Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & intelligant corde, & sanem eos ". Ergo indurati non habent gratiam sufficientem ad credendum.

Resp. *dist. ant.* Non poterant credere impotentia consequente & voluntaria, *conc.* antecedente & involuntaria, orta ex substractione omnis omnino gratiæ, *nego ant.* Ita D. August. tract. 53. in Joann. „ Non poterant credere, inquit, quia hoc Isaias prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit; quare autem non poterant, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ". Ergo illa Judæorum impotentia erat consequens liberam eorum determinationem ad nolendum credere.

*Inst.* 3. Ibidem dicitur, Deum excæcasse & obdurasse Judæos; atqui implicat Deum velle dare gratiam, ut resipiscant illi, quos vult indurare; ergo, &c.

Resp. *dist. maj.* Deus dicitur excæcasse & obdurasse Judæos, positive, infundendo pravam inspirationem, *nego maj.* negative, non impertiendo gra-

gratiam, *subdist.* gratiam uberiorem & proxime sufficientem, *conc.* omnimodam, etiam remote sufficientem, *nego maj.* Equidem Deus induratis gratiam specialem & proxime sufficientem, qua *cujus miseretur, sic eum vocat, quemadmodum scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, non concedit, quod non impedit, quominus ipsis quandoque gratias communes eroget, ut saltem orandi auxilia, quibus ad gratias validiores venire possint, & tandem ad conversionem.

*Inst.* 4. D. August. *lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. dicit: *obduratio Dei, est nolle misereri*; atqui illi, cujus non vult misereri Deus, non confert gratiam; ergo.

Resp. *dist. min.* Non confert gratiam specialem, qua, ut ait ibidem, *cujus miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, *conc.* nullam confert gratiam, *nego min.* Nam D. Doctor *in Psalm.* 6. neminem in hac vita penitus ab interiori Dei luce vult excludi.

*Inst.* 5. D. August. *epist.* 107. *ad Vitalem*, ait: *scimus gratiam non omnibus hominibus dari*; ergo D. August. agnovit gratiam sufficientem non concedi omnibus.

Resp. *nego conseq.* Neque enim ibi D. Doctor agit de gratia sufficiente, sed de gratia justificationis per Baptismum accepta; dicit enim homines „ secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari a supplicio mortis æternæ . . . nisi per gratiam renascantur in Christo. Scimus gratiam Dei nec parvulis, nec majoribus, secundum merita nostra dari. Scimus non omnibus hominibus dari “. Ex quibus constat D. Doctorem loqui de gratia regenerationis, non de gratia actuali.

*Inst.* 6. Div. August. *in expositione quarumdam prop. ex Epist. ad Rom.* de Pharaone ait: „ Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate “. Ergo D. Doctor agnovit in Pharaone omnimodam impotentiam obtemperandi Deo præcipienti; & consequenter omnimodam privationem gratiæ sufficientis.

Resp. *dist. conseq.* D. August. in Pharaone omnimodam impotentiam obtemperandi agnoscit, propter persuasionem, in qua tunc erat, Deum non dare gratiam recte operandi, nisi prius volenti & credenti solis naturæ viribus *conc.* propter persuasionem, quod Pharaoni denegaretur gratia etiam remote sufficiens in pœnam spretarum gratiarum antecedentium, *nego ant.* Equidem eo loci agnoscit Divus Augustinus in Pharaone obtemperandi impotentiam, putatque nullam omnino affuisse gratiam, qua præceptum redderetur possibile; sed quia Semipelagianorum placitis imbutus, tunc arbitrabatur hominis esse inchoare fidei meritum, quod si non inchoaret, non adduceret gratiam, quæ tollit impotentiam bene operandi. Non ergo ex hoc loco mens & doctrina Div. Augustini est repetenda; sed ex aliis locis, in quibus docet, obdurationem & esse peccatum, & pœnam peccati, & causam peccati, sic lib. 5. contra Julian. cap. 3. „ Cæcitas cordis, inquit quam solus removet Deus illuminator, & peccatum est quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. “ Et lib. 1. operis imperfecti, cap. 47. „ Cæcitas cordis, si peccatum non esset, injuste argueretur, arguitur autem juste, ubi dicitur: Pharisæe cæce. “ Ergo peccatum est. Ergo datur gratia, qua saltem remote depelli possit. „ Quis enim peccat, *inquit August. l.* 3. *de l. arb. c.* 18. in eo quod nullo modo caveri potest? peccatur autem; caveri igitur potest “.

## ARTICULUS III.

*Utrum infidelibus detur gratia sufficiens, ut ad fidem adduci possint?*

*Nota.* Duplex est infidelium genus, alii *positivi*, qui Evangelium audire recusarunt, vel sibi annuntiatum contempserunt. Alii *negativi*, qui nec Evangelii prædicationem audierunt, nec audire recusarunt: utrosque spectat quæstio præsens. Itaque

## CONCLUSIO.

*Infidelibus omnibus dantur, pro loco & tempore, gratiæ interiores vere sufficientes, quibus remote saltem & mediate ad fidem, atque adeo paulatim & certis gradibus ad salutem pervenire possint.*

*Prob. prima pars*, quæ est de infidelibus positivis, 1. Ex Script. *Matth.* 10. ubi Christus Apostolis dicit: „ Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros . . . . amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati “. Quare *tolerabilius*; si respuenti Evangelium omnis interior gratia, sine qua homo nihil potest in ordine supernaturali, defuerit? Ergo concludi debet, eos, qui respuerunt Evangelium, habuisse gratias vere sufficientes, ad illud amplectendum.

*Joann.* 16. Christus ait: „ Cum venerit ille, (*Spiritus Sanctus*) arguet mundum de peccato, &c. de peccato quidem, quia non crediderunt in me “. Atqui frustra arguerentur qui Evangelium respuerunt, si ipsis defuisset omnis gratia interior, sine qua non potuerunt credere: nam, ut ait D. August. (*L.* 15. *de Civ. Dei c.* 6.) „ Nisi Deus interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis “.

*Prob.* 2. *Ex SS. PP.* Pro omnibus sit D. Chrysostomus, qui, *Homil.* 14. *in cap.* 3. *Matth.* de infidelibus saltem positivis ait: „ Quomodo Deum culpemus, qui a fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam ejus? & illæ quidem paleæ per naturam habent, ut sint paleæ, & triticum esse non possunt: infideles autem non per naturam habent, ut sint infideles, sed fiunt paleæ propria voluntate, expellentes a se medullam justitiæ. Si ergo illæ paleæ, quæ non possunt esse triticum, comburuntur in igne, quanto magis infideles digniur comburentur, qui potuerunt esse triticum, nisi a se medullam justitiæ projecissent “? Ergo.

*Prob. secunda pars*, quæ est de infidelibus negativis.

*Prob.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, *Sap.* 12. dicitur: O quam bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus: ideoque eos qui exerrant, *id est*, *Ethnicos*, partim corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine". Atqui Deus Ethnicos non admonet peccatorum, nec eos alloquitur, nisi per gratiam interiorem; ergo.

*Prob.* 2. *Ex PP.* Div. Ambrosius in hæc *Psal.* 108. verba: „ Misericordia Domini plena est terra: *ait*: Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est; ideo autem passus est ut tolleret peccatum mundi; si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit ".

D. August. tract. 35. in Joann. ait: „ Testimonium sibi perhibet lux, aperit oculos sanos, & sibi ipsa testis est ut cognoscatur lux; sed quid agimus de infidelibus? nunquid illis non est præsens? est præsens & illis: sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. Audi de illis ex Evangelio ipso sententiam prolatam: Et lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt."

D. Chrysostomus, *Homil.* 7. *in Joann.* quærit, si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: " quonam pacto tot homines sine lumine permanent? ( neque enim omnes Christum cognoscunt) quomodo ergo illuminat omnem hominem? *respondet*: Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura, in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam, *inquit*, gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, *&c.* effugit, aut dedignatur, omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent. Cum enim omnibus aditus pateat, & a nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines, propria duntaxat malitia ingredi recusant ".

D. Prosper *lib.* 14. *de voc. gent.* ait: „ Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ a conversatione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt; quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate fluxit. Semper enim est adhibita universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus indicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium ".

Paulus Orosius, S. Augustini discipulus, *in Apologetico de arbitrii libertate*, sic loquitur: „ Mea semper hæc est fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia, ob credentium fidem, dona suæ gratiæ largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem suam, æternamque clementiam subministrare. *Et*, *interjecta una paginæ columna*, *addit*: Evidentissime declaratum est nemini hominum deesse Dei auxilium, præsertim cum & seductor insistat, & insit infirmitas ".

Ratio a priori est, quod Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, velit, voluntate vera & sincera, ex qua defluuntur in omnes gratiæ ad salutem sufficientes, quod Christus mortuus sit pro omnibus omnino hominibus qui in Adam peccaverunt; quod si salvator omnium, verum illud argumentum fuit propositum & demonstratum *in tract. de Deo uno*.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Apostol. Act. 14. de infidelibus negativis ait: Deus, *qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*. Ergo gentibus ante Christum non est data gratia sufficiens.

Resp. *nego conseq.* Nam Apostolus loquitur tantum comparate ad tempus gratiæ, quod gentibus non sit data gratia nisi generalis & modica, cum specialis & magna legis gratiæ reservaretur, ut tradit Div. Prosper l. 2. de vocat. gentium, cap. 4. „ Sed ne in præteritis quidem sæculis, *inquit*, hæc eadem gratia ( quæ post Domini Nostri J. C. resurrectionem ubique diffusa est ) defuit mundo. Quamvis enim speciali cura, atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes *suas vias ingredi*, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret ... qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati ".

*Objicies* 2. Fides est prima gratia, atqui infideles non habent fidem; ergo.

Resp. *nego maj.* Intellectam de fide perfecta & christiana, multi enim ex Apostolo & August. vocati sunt ad fidem, qui tamen non crediderunt, unde Clem. XI. has proposit. Quesnellianas damnavit: 26. *Nullæ dantur gratiæ*, *nisi per fidem*; 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Porro per *fidem*, Quesnellus intellexit fidem perfectam & christianam, ut constat ex hac altera prop. damnata 29. *Extra Ecclesiam nulla datur gratia*.

*Inst.* 1. Ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*. Ergo est prima gratia.

Resp. *nego conseq.* Fides quidem est humanæ salutis initium, non quod sit prima gratia infideli concessa, sed quod sit proxima & immediata ad justificationem dispositio, *Sine qua*, addit Concil. Trident. *impossibile est placere Deo*, *& ad filiorum ejus consortium pervenire*; verum Deus infideles ordinarie vocat ad fidem per gratias remotas, quibus si bene uterentur, fidei donum acciperent, ut contigit Cornelio, cujus acceptæ fuerunt eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum; e contra *Agrippa* habuit gratiam remotam ad fidem, quando *Act.* 26. dixit ad Paulum

Patrum: *In modico suades me Christianum fieri*. Cui cum restiterit, donum fidei non accepit.

*Inst.* 2. Ex D. August. lib. de prædest. SS. c. 7. de fide ait: *Ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur in quibus juste vivitur*: ergo fides est prima gratia.

Resp. *dist. conseq.* Est prima gratia, quæ proxime disponit ad justificationem, *conc.* est prima gratia simpliciter & absolute, *nego conseq.* Loquitur ergo D. August. de fide quatenus immediate disponit ad justificationem, ut constat ex his verbis: *In quibus juste vivitur*. Sed non excludit alias antecedentes gratias, quibus remote saltem & mediate disponimur ad fidem perfectam & gratiam justificantem, immo eas clare admittit, cum ibidem de Cornelio dicit: *Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cum credidisset bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur*.

*Inst.* 3. D. Augustin. *lib. de gratia & lib. arbitr. c.* 13. ait: *Gratia per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides*. Ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam ibi D. Doctor non loquitur de gratia actuali, sed de gratia sanctificante, contra Pelagianos qui docebant naturam & legem sufficere ad justificationem & salutem, contra quos docet fidem christianam primam esse dispositionem qua proxime & immediate acquirit homo gratiam justificantem.

*Inst.* 4. D. August. in tract. Joann. ait: *Quam gratiam primo accepimus? fidem*. Ergo fides est prima gratia.

Resp. *dist. conseq.* Fides est prima gratia, comparate ad gloriam, *conc.* absolute, *nego conseq.* Itaque D. Aug. ibi comparat fidem cum gloria; & docet fidem, qua promerita est vita æterna, esse ipsa vita æterna priorem; nam, inquit: „ Cum promerueris Deum videndo ex fide, accipis præmium, immortalitatem & vitam æternam, *quæ est gratia pro gratia*; *nam* quia ipsa fides gratia est, & vita æterna gratia est pro gratia ".

*Inst.* 5. D. Aug. *lib. de gestis Pelagii, cap.* 14. ait: *Fides initium est, unde bona opera incipiunt*. Ergo fides est prima omnino gratia.

Resp. *dist. conseq.* Fides imperfecta & inchoata *conc.* fides perfecta & Christiana, *nego conseq.* Duplicem ergo fidem distinguit D. August. unam perfectam, qua creditur explicite in Christum, hæc est fides Christianorum. Alteram imperfectam, qua creditur in Deum quomodocumque, non tamen sine aliquo supernaturali lumine, qualis fuit fides in Cornelio, antequam, Sacramentorum participatione, incorporaretur Ecclesiæ. Fidem perfectam D. Augustin. comparat cum Nativitate; imperfectam cum Conceptione, " Fiunt ergo, *inquit, lib.* 1. *ad Simplic. q.* 2. inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes, non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. " Prior non est in infidelibus, ut per se constat; posterior vero in ipsis est, ut August. ibidem asserit: " Non enim Cathecumeni non credunt, *inquit*, aut vere Cornelius non credebat Deo cum eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui Angelus mitteretur: sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset: nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in Cathecumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est gratia fidei, ut jam corpori Christi & sancto Dei templo deputemur ". Ex quo patet, fidem perfectam & explicitam in Christo non esse primam gratiam. Videatur Paul. a Lugd. lib. cui titulus. *Anti-hexaples*, pag. 227.

*Inst.* 6. D. August. *lib. de prædest. SS. cap.* 8. ait: „ Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare ". Ergo infideles non habent omnes gratiam imperfectam & inchoatam.

Resp. *nego conseq.* Infideles non habent omnes fidem inchoatam incipientem per Evangelii prædicationem, *conc.* incipientem per inspirationem Dei, qua nempe Deo interius & exterius monenti quis parere potest, *nego conseq.* Hæc est vera mens D. Augustini, qui ibi refert & approbat quæ scripserat contra Porphyrium, ubi resolvens hanc quæstionem, cur jamdiu Deus distulerit adventum Christi? respondet repetendum *ab altitudine sapientiæ & scientiæ Dei*, quod fides inchoata uno, non alio tempore detur per prædicationem Evangelii.

*Inst.* 7. Eis Deus denegat auxilium fidei, sive inchoatæ, sive perfectæ, quibus prohibet prædicari Evangelium; atqui aliquibus nationibus Deus prohibuit prædicari Evangelium; sic, *Actor.* 16. Paulus & Timotheus *vocati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*. Ergo.

Resp. *nego maj.* Quoad fidem inchoatam, quæ certe potest haberi ante prædicationem Evangelii, ut constat exemplo Cornelii, cujus orationes & eleemosynæ meritum habuere, antequam ipsi Evangelium annuntiasset D. Petrus; ergo jam in ipso erat inspiratio & inchoatio fidei, ut docet D. August. dicens: *Nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat*. Ex textu ergo sequitur duntaxat, quod Asiatici tunc privati fuerint gratia proxime sufficienti ad amplectendam fidem christianam; at nihilominus habuerunt pro loco & tempore gratiam remotam sufficientem, qua si bene usi fuissent, gratiam proxime sufficientem recepissent.

*Objicies* 3. Si infidelibus, qui nihil unquam audierunt de Christo, dentur gratiæ sufficientes, quibus ad fidem adduci possint, si illis bene uti voluerint, nulla erit ignorantia mysteriorum fidei invincibilis & inculpabilis; atqui consequens est falsum & damnatum in Bajo; ergo.

*Prob. seq. maj.* Illud est culpabile, quod est voluntarium in sua causa; atqui ignorantia illa mysteriorum fidei est voluntaria in causa, nempe in transgressione voluntaria legis naturalis, ex qua sequitur: ergo.

Resp. *nego min.* Nam ut aliquid sit voluntarium in causa, non sufficit ut sequatur ex illa causa, sed insuper requiritur, ut cognoscatur, aut cognosci possit, sequi ex illa causa; nam quod nec cognoscitur, nec cognosci potest, nullatenus est voluntarium; atqui infideles negativi nec cognoscunt, nec possunt co-

cognoscere ex transgressione legis naturalis sequi infidelitatem, cum inter utrumque non sit necessaria connexio; ergo illa infidelitas & ignorantia legis Evangelicæ nullatenus illis est voluntaria. Hinc si moriantur in infidelitate negativa: 1. Excluduntur a beatitudine, tum propter peccatum originale, tum etiam propter peccata actualia. 2. Suppliciis positivis cruciantur propter peccata actualia, & liberam gratiis divinis resistentiam, non autem propter infidelitatem negativam.

*Objicies* 4. Infideles negativos non habere gratiam sufficientem ad credendum, satis aperte declarat Scriptura, Roman. 10. „ Quomodo enim credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt nisi mittantur "? ergo, &c.

Resp. *dist. ant.* Scriptura declarat infideles negativos non habere gratiam proxime sufficientem ad credendum, *conc.* remote sufficientem, *nego ant.* Habent enim supernaturalia quædam auxilia, quibus illustrantur, excitantur, & adjuvantur ad servandam legem naturalem, quam si servarent, Deus ipsis provideret de gratia proxime sufficienti, ut docet Div. Tom. lect. 3. in cap. 10. ad *Rom. Si qui tamen eorum*, inquit, *fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei; sicut Petrum Cornelio*, Act. 10. *& Paulum Macedonibus*, Act. 16. *sed tamen hoc quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum.* Ubi agnoscit in infidelibus potestatem divina mandata observandi, ac proinde gratiam interiorem; necessaria enim est ut illa potestas sit initium consequendæ salutis, per quod ad gratias ulteriores perveniri possit.

## QUÆSTIO II.

### *Utrum omnibus infantibus detur gratia sufficiens ad salutem?*

*Nota.* Gratia sufficiens non fundatur hic *proprie*, pro illuminatione intellectus & motione voluntatis, evidens est enim infantes hujusmodi gratiæ non esse capaces; sed sumitur *late* pro quocumque medio sufficiente ad salutem; expendimus ergo, utrum omnibus infantibus, sine baptismo decedentibus, Deus providerit de medio sufficienti ad salutem? Circa quod

*Certum est* 1. Deum sufficienter providisse infantibus, qui in lucem editi, sine baptismo decedunt culpa, vel negligentia parentum: nam baptismus pro eorum salute institutus est, nec per Deum stat quominus ipsis applicetur, id enim provenit duntaxat ex parte parentum, sive fidelium qui negligentes sunt, sive infidelium qui converti nolunt; quia sicut sufficienter provisum est parentibus, ita & eorum infantibus.

*Certum est* 2. Sufficienter a Deo de remedio salutis provisum fuisse iis qui in utero materno negligentia aut culpa parentum, vel aliorum, extinguuntur; siquidem quod eis baptismus non applicetur, per accidens est respectu Dei, qui negligentiam, vel culpam parentum, aut aliorum, impedire non tenetur.

Controversia ergo tota est de iis, quibus in lucem editis, sive in utero materno absque ulla parentum, aut aliorum culpa morientibus, nulla humana industria & diligentia baptismus applicari potest, utrum scilicet Deus illis sufficienter providerit? Circa quod sit

## CONCLUSIO.

*Iis etiam infantibus, quibus, sive in lucem editis, sive in utero materno absque ulla parentum, aut aliorum culpa decedentibus, nulla humana industria baptismus applicari potest, Deus de remedio salutis sufficienter, quantum est ex se, providit.*

*Prob.* 1. Illis Deus, non solum præparavit media salutis necessaria, sed etiam de illis applicandis sufficienter quantum est ex se, providit, quos sincere vult salvos fieri, & pro quibus mortuus est; atqui Deus 1. illos infantes vult sincere salvos fieri, ut docet D. Augustinus, qui *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 8. hanc Apostoli sententiam, *omnes homines vult salvos fieri*, expendens, ait: *Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, omnes homines?* 2. Pro illis Christus mortuus est, cum in Adam mortui sint, & Christus mortuus sit pro omnibus qui in Adam mortui sunt: ergo.

*Prob.* 2. Deus baptismum instituit ad illorum infantium salutem, & iis *per se* facile applicari potest, licet propter impedimentum aliquod interveniens, illis applicari non possit, ergo illis Deus sufficienter, quantum est ex se, de remedii ad salutem necessarii applicatione providit.

*Prob. conseq.* Ideo Deus illis infantibus non censeretur sufficienter, quantum est ex se, providisse de applicatione remedii ad salutem necessarii, quia occurrunt impedimenta, quæ tolli humana industria non possunt; atqui hæc ratio non impedit: ergo, &c.

*Prob. min.* duplici exemplo.

1. Medicus, qui hominis ægroti famulo tradidisset medicamentum, quod per se facile applicari potest, censeretur sufficienter, quantum est ex se, de illius medicamenti applicatione providisse, quamvis interea contingeret famulum in via occidi, vel detineri.

2. Qui mitteret hominem cum summa pecuniaria ad captivos redimendos, sufficienter, quantum est ex se, providisse censeretur de illius pretii applicatione, quamvis homo missus in piratas incideret; ergo, a pari, &c.

*Objicies* D. August. *lib. de dono persev. c.* 12. de parvulis sine baptismo decedentibus ait: *Plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur.* Ex quo sic arguo: qui aliquibus parvulis non vult applicari remedium salutis, non sufficienter illis providit, quantum est ex se, de applicatione remedii salutis; atqui ex D. August. Deus, aliquibus parvulis, non vult applicari remedium salutis.

Resp. *dist. maj.* Qui non vult voluntate negativa, quæ solam permissionem significat, *nego maj.*

 qui

qui non vult voluntate positiva, *subdist.* antecedenter ad prævisionem impedimentorum occurrentium non auferendorum, ob quæ parvulus sine baptismo moriturus est, *conc.* consequenter ad illorum impedimentorum prævisionem *nego maj.* Atqui Deus aliquibus parvulis non vult applicari remedium salutis, voluntate conditionata *conc.* voluntate absoluta, *subdist.* consequenter ad prævisionem obstaculorum non tollendorum, *conc.* antecedenter ad obstaculorum prævisionem, *nego min.* Itaque Deus, voluntate antecedente & generali, vult sincere omnibus applicari remedium salutis, quod si prævideat aliqua impedimenta occurrentia, ob quæ puer sine baptismo moriturus est, tunc vult, voluntate permissiva & consequente, illum privari remedio salutis: quia, cum sit provisor generalis omnium causarum, permittit illas cursum suum naturalem servare, nec, ut subveniatur tali puero, tenetur per miraculum, aut turbare naturalem rerum ordinem, aut puerum in vita conservare plusquam exigit ordo naturalis. Hicque est verus sensus D. Augustini, qui, postquam dixit: „ Deo tamen nolente, non datur, *addit:* qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur ".

*Inst.* 1. Provisor non censetur sufficienter, quantum est ex se, iis, quorum curam gerit, providere, qui ab eis malum imminens non propellit, cum potest; atqui Deus omnia impedimenta, ob quæ parvulus sine baptismo moriturus est, propellere potest, nec tamen propellit; ergo.

Resp. *dist. maj.* Si sit tantum provisor particularis, *conc.* si sit provisor generalis, *nego maj.* Porro Deus est provisor generalis; ergo singulis rebus ita debet providere, ut nulli benefaciat dispendio & damno alterius, ac proinde non potest prohibere causas, quæ parvulo mortem procurant priusquam baptizetur, quin vim faciat naturæ causarum illarum, quod non tenetur facere. „ Provisor universalis, *ait D. Thom.* 1. *p. quæst.* 22. *artic.* 2. *ad* 2. permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cadit in bonum alterius, vel etiam totius universi. "

*Inst.* 2. D. Aug. *ibidem*, revocat ad inscrutabilia Dei judicia, quod Deus uni puero procuret baptismum applicari, non vero alteri: „ Quare, *inquit*, illos potius, quam illos liberat? *respondet:* O homo! quis es qui respondeas Deo? inscrutabilia sunt judicia ejus ", &c. atqui non esset locus recurrendi ad inscrutabilia Dei judicia, si Deus illis pueris sincere providisset de applicatione baptismatis, obstaretque duntaxat vel parentum aut aliorum negligentia aut culpa, vel cursus naturalis rerum.

Resp. *dist. min.* Non esset locus recurrendi ad inscrutabilia Dei judicia, cur uni puero non subveniatur, *conc.* cur uni subveniatur præ alio, *nego min.* In una ergo comparatione unius cum alio, ( v. g. *Cur providentia Dei non consulit omnibus parvulis filiorum suorum & nonnullis consulit etiam impiorum?* epistola 105. ) censet D. Doctor recurrendum ad inscrutabilia Dei judicia, atque docet exclamandum cum Apostolo, *O altitudo!* Neque enim hujus discriminis potest dari ratio: unde hanc rationem propius inquirenti, respondendum cum Spiritu Sancto Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris*, &c.

## DISSERTATIO II.

### *De gratia habituali.*

*Nota.* Gratia habitualis est *qualitas homini permanenter inhærens, quæ ipsum reddit Deo formaliter gratum, sanctum, Dei amicum & hæredem vitæ æternæ.* Hujus naturam & effectus expendemus, duobus capitibus.

## CAPUT I.

### *De natura gratiæ habitualis.*

*Nota* 1. Calvinus, *lib.* 3. *instit. cap.* 11. & cum eo omnes ejus sectatores, & quidam Lutherani, negant in homine justo omnem interiorem justitiam; docentque hominem esse quidem justum, per extrinsecam duntaxat imputationem justitiæ Christi, qua nostra obteguntur peccata, ita ut gratia justificans sit ipsamet Christi justitia per fidem apprehensa & nobis imputata.

*Nota* 2. Theologi Catholici concorditer docent gratiam habitualem esse donum internum animæ nostræ inhærens: verum in assignando illo dono non conveniunt. *Thomistæ* volunt esse qualitatem distinctam a charitate habituali; contra, *Scotistæ* docent illud donum ipsam esse charitatem. His notatis

## CONCLUSIO.

*Gratia habitualis est donum internum animæ nostræ inhærens, atque permanenter in nobis perseverans.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, 1. Corinth. 3. „ Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, 1. *Joann.* 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet ". Ex quibus sic arguo: gratiam sanctificantem habitare in nobis, manere in nobis, et hominem sanctum fieri per donum internum & permanenter in ejus anima perseverans; atqui gratia sanctificans habitat & manet in nobis, juxta omnes interpretes, qui per *Spiritum Dei*, & *semen Dei*, intelligunt gratiam sanctificantem; ergo.

*Prob.* 2. *Ex PP.* S. Basil. *lib. de Spiritu Sancto*, *cap.* 17. ait: *Sicut potentia videndi in oculo sano, ita & efficacia spiritus in anima purgata;* atqui potentia videndi est intrinsece in oculo sano, in eoque perseverans; ergo.

S. Cyrill. *lib.* 4. *in Isaiam*, dicit: *Formatur in nobis Christus, sancto nobis Spiritu divinam quandam formam, per justificationem & justitiam inducente.*

*Prob.* 3. Ex Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 7. ubi exponens causam justificationis, ait: „ Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam ". Atqui ne-

nemo potest renovari, & vere justus fieri, sine justitia intrinseca & permanenter inhærente; ergo.

Unde, *Can.* 11. definit: „ Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit ".

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus, ex Apostol. 1. Cor. 1. *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*; ergo non per justitiam nobis internam & inhærentem, sed per justitiam Christi nobis imputatam justi efficimur.

Resp. *dist. ant.* Christus factus est nobis justitia & sanctificatio, efficienter & meritorie, *conc.* formaliter, *nego ant.* Hic enim per metonomyam sumitur effectus pro causa; unde sensus est, Christus factus est a Deo causa efficiens & meritoria nostræ formalis justitiæ.

*Inst.* 1. Apostol. 2. *Cor.* 5. dicit: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (Christum) *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ergo, inquit Calvin. non in nobis, sed in Christo est justitia nostra.

Resp. *nego conseq.* Nam istæ particulæ, *in ipso*, significant, propter merita ejus; unde sensus est, Christum a Deo Patre factum fuisse pro peccatis nostris hostiam, ut propter ejus merita efficeremur justi justitia Dei, id est, justitia nobis a Deo data.

*Inst.* 2. Illa justitia, qua justi efficimur, vocatur justitia Dei; ergo non est justitia nobis inhærens.

Resp. *nego conseq.* Vocatur enim justitia Dei, non quod nobis non inhæreat, sed quod nobis detur a Deo, ut docet D. Augustinus, *tractat.* 26. *in Joann.* his verbis: *Justitia Dei hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum*; id est per gratiam Dei, & *non ex sua virtute*, addit D. August.

*Objicies* 2. Qua ratione Adam nos peccatores constituit, eadem Christus nos justos constituit, juxta illud, Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Atqui peccatum Adæ est forma, extrinsece tantum ejus posteros denominans & constituens peccatores; ergo & justitia Christi extrinsece tantum denominat justos.

Resp. *dist. min.* Peccatum Adæ est forma, ejus posteros extrinsece denominans peccatores, & simul inferens intrinsecam peccati rationem, *conc.* non inferens intrinsecam peccati rationem, *nego min.* Equidem peccatum Adæ fuit ejus posteris extrinsecum, sed peccatum originale, inde derivatum, unicuique proprium est, neque consistit in mera imputatione peccati ab Adamo commissi. Valet ergo paritas adducta in majore, sed ex ea nihil concludi potest pro mera imputatione meritorum Christi: sicut enim Adæ peccatum est causa peccati nostri originalis: ita & merita Christi sunt causa justificationis; & sicut peccatum originale est nobis intrinsecum, & permanens, ita justitia nostra est nobis intrinseca & in nobis permanens.

*Inst.* Ephes. 4. Apostolus jubet ut *induamus novum hominem*, id est, gratiam, qua efficimur justi; atqui indumentum est extrinsecum; ergo.

Resp. *dist. min.* Indumentum materiale, est extrinsecum, *conc.* indumentum spirituale, *nego min.* Itaque, qui justificatur, dicitur induere novum hominem, quia, ut ait Conc. Trid. *justificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*, quibus justificati fiunt Christo similes per intrinsecam & inhærentem sanctitatem.

*Objicies* 3. Formaliter justi constituimur per actus salutares elicitos per gratiam actualem; ergo frustranea & inutilis est gratia nobis infusa & permanenter inhærens.

Resp. *nego ant.* Nam gratia sanctificans etiam infantibus per Baptismum confertur; atqui non sunt capaces actuum salutarium eliciendorum; ergo non sanctificantur per actus salutares virtute gratiæ actualis elicitos; ergo per gratiam permanenter infusam justificantur formaliter.

*Inst.* 1. Homo denominatur justus ex actibus justitiæ quos exercet, 1. Joann. 3. *Qui facit justitiam, justus est.* Ergo justus formaliter constituitur per actus ipsos justitiæ.

Resp. *dist. ant.* Homo ex actibus justitiæ denominatur justus, justitia dispositive sumpta, *conc.* justitia formaliter sumpta, *nego ant.* Equidem actus justitiæ a gratia actuali eliciti disponunt ad justitiam formalem; sed non sunt ipsa formalis justitia, ut clare inquit Concilium Tridentinum, *sess.* 6. *Can.* 3. his verbis: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ergo gratia justificans diversa est ab actibus justitiæ, qui ad illam disponunt.

*Inst.* 2. Homo denominatur & formaliter constituitur peccator per peccatum actuale moraliter perseverans; ergo a pari denominatur, & formaliter constituitur justus per actus salutares moraliter perseverantes.

Resp. *dist. ant.* Homo denominatur & formaliter constituitur peccator per peccatum actuale moraliter perseverans, & simul propter privationem gratiæ sanctificantis, *conc.* propter solum peccatum actuale moraliter perseverans, *nego ant.* Ergo similiter homo non tantum denominatur justus propter actus bonos moraliter perseverantes, sed etiam propter infusionem gratiæ sanctificantis, per quam *homo*, ait Tridentin. sess. 6. cap. 7. *ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.*

CONCLUSIO II.

*Gratia habitualis non distinguitur realiter a charitate, sed tantum virtualiter.* Est Scotistarum contra Thomistas.

*Prob. prima pars.* 1. Illi habitus non distinguuntur realiter, quibus tribuuntur iidem effectus: diver-

diversitas enim habituum colligitur duntaxat ex diversitate actuum, ad quos ordinantur; atqui gratiæ habituali & charitati iidem prorsus effectus tribuuntur a Scriptura; ergo.

*Prob. min.* 1. Effectus gratiæ sanctificantis est, quod hominem Filium Dei adoptivum constituat; atqui charitas eundem effectum præstat, 1. Joann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.*

*Secundus effectus* gratiæ sanctificantis est, quod hominem Deo gratum & dilectum efficiat; atqui hoc etiam competit charitati, Jo: 15. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*

*Tertius effectus* gratiæ est, quod vitam spiritualem conferat; atqui hoc etiam charitati tribuitur, 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte . . . scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

*Quartus effectus* gratiæ est, quod sit fons & origo omnium virtutum, nec non omnium bonorum operum radix; atqui talis est charitas, 1. Cor. 13. *Charitas benigna est, patiens,* &c. unde, Roman. 13. dicitur: *Plenitudo legis est dilectio.*

*Quintus effectus* gratiæ est, quod nos Deo intime conjungat; atqui charitas nos Deo intime conjungit, 1. Joann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

*Sextus effectus* gratiæ est, quod sit semen vitæ æternæ; atqui eadem est charitatis prærogativa, Jacobi 1. *Coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se.*

*Prob.* 2. Ex D. August. qui, *lib. de nat. & grat. c.* 42. de charitate ait: *Ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.* Et tract. 9. Epist. Joann. dicit: *Charitas est animæ pulchritudo.* Gratia autem sanctificans est vera animæ pulchritudo; ergo.

*Prob.* 3. Ex Concil. Trid. *sess. cap.* 7. ubi explicans quænam sit unica causa formalis justificationis, ait: *Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis D. N. J. C. communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem SS. passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsi inhæret.* Ubi nomine, *charitatis*, gratiam sanctificantem intelligi, constat 1. Quia omnes Catholici ex verbis, *inhæret* & *diffunditur*, quibus utitur Concilium, colligunt gratiam sanctificantem esse formam intrinsecam ac permanentem. 2. Quia ibi Concilium agit de causa formali justificationis, quæ est gratia sanctificans, quamque dicit esse charitatem, quæ diffunditur in cordibus justificatorum, atque ipsis inhæret.

*Prob. secunda pars:* Ea distinguuntur virtualiter, quæ licet sint unum & idem realiter, diversa habent munia, diversisque funguntur officiis; atqui gratia sanctificans & charitas diversa habent munia, diversisque funguntur officiis; ergo.

*Prob. prima pars min.* Reddere hominem Deo gratum, & reddere hominem Dei dilectorem, sunt diversa munia; atqui charitas, quatenus est gratia, reddit hominem Deo gratum; quatenus vero est charitas, reddit hominem Dei dilectorem; ergo.

*Prob. secunda pars minor.* Esse principium essendi, & esse principium operandi, sunt duo officia diversa; atqui charitas, considerata ut gratia, est principium essendi supernaturaliter, & eadem, considerata ut est charitas, est principium operandi supernaturaliter; ergo.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Causa & effectus distinguuntur realiter: atqui Scriptura distinguit gratiam & charitatem, tamquam causam ab effectu; ergo.

*Prob. min.* Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ubi per to, *Spiritum Sanctum*, intelligitur gratia sanctificans; ergo gratia & charitas distinguuntur tamquam causa ab effectu.

Resp. *nego ant.* Nam nomine Spiritus Sancti, qui datus est nobis, non intelligitur gratia sanctificans, sed ipsa Spiritus Sancti persona, quæ in justificatione invisibiliter mittitur ad justificatos, cuique per appropriationem tribuitur creatæ charitatis diffusio in cordibus nostris, eo quod sit charitas increata, seu amor substantialis Patris & Filii, cui proinde opera bonitatis appropriantur, sicuti Patri opera potentiæ, & Filio opera sapientiæ.

*Inst.* 1. Scriptura, de gratia & charitate loquens, 2. *Corinth.* 13. ait: *Gratia Domini Nostri Jesu Christi & charitas Dei;* atqui particula, &, est signum distinctionis gratiæ & charitatis, quas conjungit; ergo.

Resp. *nego min.* Particula enim, &, non est semper signum conjunctionis distinctorum, sed conjunctionis nominum synonimorum ad eandem rem expressius significandam, ut patet ex ipso textu objecto, qui sic est, *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti*, ubi certo certius communicatio Spiritus Sancti, est charitas Dei.

*Inst.* 2. Conc. Trid. *sess.* 11. *can.* 11. ait: *Si quis dixerit homines justificari . . . sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate . . . anathema sit.* Atqui in illa loquendi forma, particula, &, est distinctorum conjunctiva; ergo.

Resp. 1. *nego min.* Satis enim exprimit Concilium, se non loqui de distinctione reali, cum post ista verba *Exclusa gratia & charitate*, addit: *Quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.* Si enim de duobus realiter distinctis locutum fuisset, dixisset, *Diffundantur, inhæreant.*

Resp. 2. *dist. min.* In illa loquendi formula est virtualiter distinctorum unio, *conc.* realiter distinctorum unio, *nego min.* Itaque ea, quæ virtualiter distinguuntur, per particulam, &, conjunguntur, sic dicitur: *Animalitas, & rationalitas*, licet sint unum & idem a parte rei; ergo particula conjunctiva, &, non est semper signum distinctionis realis; alias juxta Concil. Trid. gratia distingueretur realiter a gratia, nam *cap.* 7. dicitur justificationem fieri *per susceptionem gratiæ & donorum;* atqui gratia est donum; ergo.

*Instab.* 3. Concil. Viennense (*Clement. unica, de summa Trinit.*) docet in baptismo *infundi gratiam & virtutes;* atqui per, *virtutes*, intelligit fidem, spem & charitatem; ergo sicut gratia distinguitur a fide & spe, a quibus separatur in peccatore fideli non desperante; ergo & charitas.

Resp.

Resp. *nego min.* Concilium enim per to, *Virtutes*, intelligit fidem, spem & alios habitus infusos, non vero charitatem, quæ est ipsa realiter gratia: unde sensus Concilii est, hominem renovari per susceptionem gratiæ sanctificantis, quæ est ipsa realiter charitas habitualis, quam semper comitantur alii habitus infusi, & omnia dona Spiritus Sancti. Responsio constat ex ipsomet Concilio dicente: *In baptismo virtutes & informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum.* Ubi Concilium videtur actum proprium assignare gratiæ, sicut aliarum virtutum proprius est actus; atqui non erit actus gratiæ proprius, si distinguatur a charitate; quis enim actus ipsi assignari potest, nisi dilectio?

*Objicies* 2. D. August. distinguit gratiam sanctificantem a charitate, in hoc quod gratia sanctificans sit causa charitatis; ergo.

*Prob. ant.* Lib. de gratia Christi, c. 30. ait: *Istam gratiam qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, & Cœlestii scriptis nunquam, &c.* ergo.

Resp. *nego conseq.* Nam D. Aug. per *gratiam*, non intelligit hic gratiam sanctificantem, sed gratiam actualem, quæ est causa justificationis efficiens & dispositiva, de qua loquens lib. de dono perseverantiæ, ait: *Gratia prævenit charitatem.*

*Inst.* D. August. *lib. de spiritu & litt. c. 32.* ait: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Ex quo sic arguo: D. August. per charitatem Dei *qua nos diligit*, intelligit gratiam sanctificantem; & per charitatem: *Qua nos facit dilectores suos*, intelligit charitatem habitualem; atqui unam ab alia distinguit realiter; ergo.

Resp. *nego min.* Nam ibi equidem D. Doctor diversos charitatis effectus assignat, non vero diversam entitatem; porro quod sint diversi charitatis effectus, diversaque munia, probatum est parte secunda hujus conclusionis.

*Objicies* 3. Charitas supponit in anima gratiam habitualem; ergo ab illa realiter distinguitur.

*Prob. antec.* Virtus operandi supernaturaliter supponit in subjecto esse supernaturale; atqui gratia dat esse supernaturale, charitas dat posse operari supernaturaliter; ergo charitas supponit in anima gratiam habitualem.

Resp. *nego maj.* Quæ si esset vera, sequeretur nec fidem, nec spem esse veras virtutes in peccatore fideli; quæ quidem in illo non supponunt gratiam sanctificantem, quæ sola dat esse supernaturale.

*Inst.* 1. Virtus supernaturalis non dat simul esse & posse; atqui prius est *esse* quam *posse:* ergo posse operari supernaturaliter, supponit esse supernaturale.

Resp. *nego maj.* Quia in supernaturalibus *esse*, est accidentale, sicut & ipsum *posse;* quod autem est accidentale, potest dare *esse*, simul & *posse;* sic gratia sanctificans quatenus respicit animam, quam Deo reddit formosam & amabilem, dat *esse;* quatenus vero respicit operationem dilectionis Dei, ad quam per gratiam sanctificantem redditur habilis, dat *posse;* sub primo respectu gratia, sub secundo charitas denominatur.

*Inst.* 2. Virtus acquisita non dat *esse* naturale, sed illud supponit; ergo virtus infusa non dat *esse* supernaturale, sed illud supponit.

Resp. *nego conseq.* Nam virtus acquisita non dat, sed supponit *posse* operari naturaliter; ergo a fortiori non dat, sed supponit *esse* naturale; at virtus infusa, qualis est charitas, dat ipsum *posse* operari supernaturaliter, & dando *posse*, dat & ipsum *esse* supernaturale.

## CAPUT II.

### *De effectibus gratiæ habitualis.*

*Nota.* Duo sunt gratiæ habitualis effectus, *justificatio* nimirum & *meritum*, de quibus agemus duabus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *De justificatione.*

*Nota.* Justificatio sumi solet quatuor modis. Nempe 1. Pro lege, quæ justitiam docet, Ps. 118. *Doce me justificationes tuas.*

2. Pro declaratione justitiæ, per quam reus ad judicem delatus, declaratur innocens, Prov. 17. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.*

3. Pro acquisitione justitiæ, Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

4. Pro augmento justitiæ, Apocal. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

*Nota* 2. Calvinistæ sumunt nomen justificationis secundo modo, docentes, 1. in justificatione impii peccata non deleri, nec auferri, sed tantum tegi & occultari justitia Christi, propter quam peccatori non imputentur, licet in ea revera remaneant. 2. Naturam justificationis formaliter consistere in hac peccati non imputatione, non vero præterea in ulla interiori renovatione, per gratiam habitualem animæ inhærentem.

E contra, Catholici omnes nomen justificationis sumunt tertio modo, nimirum pro acquisitione justitiæ, per quam 1. Peccatum vere & realiter deletur; 2. Anima interius sanctificatur per formam seu qualitatem intrinsece ipsi inhærentem; unde justificatio a Concilio Trid. definitur: *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ*, id est a statu peccati, *in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum.*

*Nota* 3. Justificationis sic sumptæ exponendum habemus: 1. Naturam. 2. Dispositiones ad illam acquirendam. 3. Proprietates.

## ARTICULUS I.

### *De natura & essentia justificationis.*

Natura cujuscumque rei, ex ipsius definitione repeti debet; hinc cum justificatio sit translatio a statu peccati ad statum justitiæ, videndum est 1. Utrum in justificatione vere deleantur peccata? 2. Utrum in justificatione fiat interior hominis renovatio per gratiam animæ ejus inhærentem?

CON-

## CONCLUSIO I.

*In justificatione impii peccata vere remittuntur & eradicantur*. Est de fide contra Calvin. definita in Concil. Trid. *sess.* 5. *can.* 5. his verbis: *Si quis per Domini nostri Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit*.

*Prob.* 1. *Ex Scriptura*, quæ aperte pronuntiat Deum peccata vere delere & auferre: Isaiæ. 43. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me*. Mich. 7. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?* Jo: 11. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ergo &c.

*Prob.* 2. *Ex PP.* D. Chrysost. *lib.* 2. *de compunctione cordis*, ait: *Cordis compunctio, sicut ignis, omne animæ vitium purit, & adimit, & quantacumque in ea repererit mala, abstergit universa, & penitus delet*. Atqui peccatum illud vere deletur, quod peruritur, adimitur, abstergitur, & penitus deletur; ergo.

D. August. *lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum*, *cap.* 13. qui ut retunderet calumniam Pelagianorum asserentium Catholicos docere: *Baptisma non dare indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur*, ait: *Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata*.

*Prob.* 3. *ratione Theologica*. Si peccata in justificatis penitus non delerentur, sed in eis revera subsisterent, sequeretur justificatum nec a peccato vere resurgere, nec perfecte lavari & mundari; atqui falsum consequens ex Scriptura dicente: 1. Joann. 5. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*. Ps. 50. *Lavabis me, & super nivem dealbabor*. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Ergo.

### *Solvuntur Objectiones*.

*Objicies* 1. Peccata in justificatione solummodo teguntur; ergo penitus non delentur.

*Prob. ant.* Psalm. 31. dicitur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Ergo &c.

Resp. *nego conseq.* Duplex enim est peccatorum tectio. *Prima*, qua duntaxat occultantur ne appareant; *secunda*, qua curantur ne remaneant. De secunda intelligendus est præsens textus, ut tradit D. August. *enarratione secunda in hunc Psalm.* dicens: *Deus tegat vulnera, non tu; nam si tegere volueris erubescens, medicus non curabit.... sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus*.

*Inst.* 1. D. August. loco cit. ait: *Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire: noluit agnoscere: maluit ignoscere*. Ergo peccata sunt duntaxat tecta ne appareant.

Resp. *nego conseq.* Peccata enim ita teguntur, ut simul deleantur, juxta illud Psalm. 50. *Dele iniquitatem meam*; unde D. August. postquam dixit: *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt*; addit: *Nec sic intelligatis quod dixi: cooperta sunt, quasi illa sint & vivant*.

*Inst.* 2. In eodem Ps. legitur: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Atqui peccati non imputatio, est simplex illius occultatio; ergo.

Resp. *nego min.* Nam, *non imputare*, idem significat, ac *non punire*: porro duplex est non imputatio, una qua non punitur id quod est, altera qua non punitur id quod non est; textus autem debet intelligi de secunda non imputatione, ut insinuat secunda pars illius versus, *Nec est in spiritu ejus dolus*, id est peccatum: si non est, quomodo remanet?

*Inst.* Illud peccatum simpliciter occultatur, quod duntaxat dissimulatur; atqui peccatum duntaxat dissimulatur, juxta illud Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. ergo.

Resp. *nego min.* In textu enim, *dissimulare* sumitur pro *delere, auferre*; unde Syriaca versio habet: *Misereris omnium, quia omnibus benefacis: & aufers iniquitates hominum quam pœnituerit eos*. Qui textus potest insuper intelligi de peccatis nondum remissis, ut sensus sit, Deum ita esse misericordem, ut nolit statim exterminare peccatores, sed expectet, & concedat tempus ad agendam pœnitentiam, juxta illud D. Petri, Epist. 2. cap. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*.

*Objicies* 2. Psalm. 144. dicitur: *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Ergo peccata vere non delentur.

Resp. *dist. ant.* Non justificabitur, &c. propriis meritis, *conc.* per gratiam justificantem, *subdist.* comparate ad Dei justitiam, *conc.* absolute, *nego anteced.* Itaque non negat Psalmista hominem vere justificari, cum dicat Psalm. 7. *Judica me, Deus, secundum justitiam meam*. Sed negat hominem posse justificari comparate ad Deum, quo sensu Job, *c.* 9. dicit: *scio quia non justificabitur homo compositus Deo*, id est comparate ad Deum; justitia quippe nostra quotidianis defectibus obumbrata, pro nihilo reputatur in comparatione justitiæ Dei.

*Inst.* 1. Atqui homo non potest justificari absolute; ergo.

*Prob. ant.* Nemo justificatur, nisi perfecte impleat præceptum charitatis, nam 1. Jo. 3. *qui non diligit, manet in morte*; atqui ex Divo Aug. *lib. de perfect. justitiæ c.* 8. Præceptum charitatis perfecte non implebitur nisi in futura gloria; ergo.

Resp. *dist. minor.* Non implebitur perfecte quoad intensionem, *conc.* quoad appretiationem, *nego minor.* Equidem non possumus in hac vita diligere Deum secundum omnimodam intensionem, qua dilectio illa potest a creaturis exerceri pro quovis statu; sed possumus eum diligere secundum appretiationem, illum omnibus omnino rebus anteponen-

ponendo, quod sufficit & requiritur ad justificationem.

*Inst.* 2. Nullus est qui non debeat orare, & dicere *dimitte nobis debita nostra;* ergo nullus est qui non coinquinetur peccatis.

Resp. *dist. conseq.* Nullus est qui non coinquinetur peccatis venialibus, *conc.* mortalibus, *nego conseq.* Porro peccatum veniale non dissolvit amicitiam cum Deo, neque privat ipsius gratia & habitibus virtutum infusis, quibus homo formaliter constituitur justus, & habitualiter instructus ad bene operandum supernaturaliter in omni genere virtutum.

*Inst.* 3. D. Paulus erat justificatus; atqui tamen illius peccata non erant vere remissa; nam de seipso, Roman. 7. ait: *Jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum;* ergo.

Resp. *nego min.* Nam D. Paulus per *peccatum*, intelligit concupiscentiam, quæ vocatur peccatum materialiter, non formaliter, *non quod vere & proprie in renatis peccatum sit*, ait Concilium Tridentinum *sess. 5. Can. 5. sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Hæc consequenter non impedit, quin homo sit justus.

### CONCLUSIO II.

*In justificatione impii, fit inferior hominis renovatio, per gratiam animæ ejus inhærentem.* Est de fide contra Calvinistas.

*Nota.* Hæc conclusio coincidit cum ea, qua superius probavimus gratiam habitualem esse donum internum animæ nostræ permanenter inhærens; unde paucis eam probabimus. Itaque

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Ez. 38. „ Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris . . . & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. *Et Eph.* 4. Renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis ". Ergo in justificatione impii, præter peccati remissionem, includitur formaliter & essentialiter interior hominis renovatio.

*Prob.* 2. Ex Concil. Trid. *Sess. 6. c. 7.* dicente: „ Justificatio . . . non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ". Et ex Concil. Mogunt. ult. cap. 7. in quo dicitur: „ Justificatio cum peccatorum remissione, etiam san- „ ctificationem, & interni hominis renovationem confert ".

*Prob.* 3. *ratione:* Nemo potest novam formam intrinsecam positivam recipere absque vera sui mutatione; atqui homo in justificatione recipit novam formam intrinsecam positivam, nempe gratiam sanctificantem, qua ex injusto fit justus, ex inimico Dei, amicus, & hæres vitæ æternæ; ergo vere mutatur per interiorem sui renovationem.

*Objicies.* Apost. Rom. 4. dicit: *Christus dicitur traditus propter delicta nostra*, id est, propter remissionem peccatorum; ergo justificatio nostra consistit tantum in remissione peccatorum.

Resp. *dist. ant.* Propter remissionem peccatorum, prout includit & peccati deletionem, & interiorem animæ sanctificationem, *conc.* prout præscindit ab interiori animæ sanctificatione, *nego ant.* nam idem Apostolus, *cap.* 5. comparat Christum nos justificantem cum Adamo nos inficiente peccato originali: „ Sicut enim, *inquit*, per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi ". Atqui peccatum originale, fatentibus Calvinistis, importat interiorem deformitatem; ergo & justificatio importat interiorem renovationem & sanctificationem.

*Inst.* 1. Dicitur, 1. Joann. 5. „ In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli ". Atqui operum diaboli dissolutio non alia est, quam peccati remissio; ergo.

Resp. *dist. maj.* Ut dissolveret opera diaboli, per deletionem peccati, & novæ vitæ supernaturalis largitionem, *conc.* per solam exclusionem peccati, *nego maj.* nam *Joann.* 10. dicit Christus: „ Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant ". Ex quo patet falsitas minoris argumenti.

*Inst.* 2. Apost. 2. *Cor.* 5. ait: „ Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum ". Ergo justificatio consistit in sola peccatorum remissione.

Resp. *nego conseq.* Equidem Apostolus ibi de una tantum justificationis parte, quæ in peccatorum remissione posita est, expresse loquitur, sed non excludit aliam, consistentem in infusione justitiæ inhærentis, quam exprimit alibi: immo, *Coloss.* 2. de utraque expresse loquitur, dicens: „ Et vos cum mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo (Christo) donans vobis omnia delicta ".

## ARTICULUS II.

### *De dispositionibus ad justificationem.*

*Nota* 1. Non agimus hic de parvulorum justificatione, quæ fit in Baptismate; cum enim non sint rationis & libertatis compotes, aperte constat ipsos nullius esse dispositionis capaces; de sola ergo adultorum justificatione est sermo, de qua duo quæruntur: 1. Utrum aliquæ dispositiones requirantur ad justificationem? 2. Quot & quænam illæ sint?

### §. I. *Utrum aliquæ dispositiones requirantur ad justificationem?*

*Nota.* De fide est hominem per solas naturæ vires non posse sese ad justificationem præparare, ut aperte tradit Scriptura, Ps. 20. „ Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. *Jo.* 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. *Et definivit Conc. Trid. sess. 6. Can.* 3. Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti illuminatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit ". Unde solum hic resolvendum est, utrum in homine prærequirantur aliquæ dispositiones physicæ & morales quibus, cum divinæ gratiæ auxilio, sese possit ad gratiam justificationis præparare? Circa quod

### CONCLUSIO.

*In adultis prærequiruntur dispositiones ad justificationem.* Est de fide, definita in Concil. Trid. sess. 6.

sess. 6. Can. 9. „ Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit ".

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Isaiæ 45. *Convertimini ad me, & salvi eritis*. Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Atqui illa conversio ad Deum fieri nequit absque motu liberi arbitrii; ergo ille motus est requisitus: hinc, *Prov.* 16. dicitur: *Hominis est animam præparare*, nimirum *cum adjutorio Dei tangentis cor hominis per auxilium gratiæ*: ait Div. August. lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9.

*Prob.* 2. Ex D. August. tractat. 72. in Joann. *Salutem in impio, sed non sine impio, Christus operatur*. Et Serm. 15. de verbis Apostol.: *Qui fecit te sine te*, inquit, *non te justificat sine te . . . fecit nescientem, justificat scientem*.

*Ratio a priori*, est voluntas Dei; *ratio a posteriori*, est, quia sicut homo libere se avertit a Deo per peccatum, congruum est, ut cum Deo non reconcilietur, nisi prius ad eum libere sese converterit.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Non requiritur actus liberi arbitrii ad hoc ut adultus justificetur.

*Prob. ant.* Ex D. August. qui *lib.* 4. *Confess. c.* 4. refert quemdam ex suis amicis morbo lethali laborantem, baptizatum fuisse nescientem, & renatum fuisse; ergo non requiritur actus liberi arbitrii ad hoc, ut adultus justificetur.

Resp. *dist. conseq.* Non requiritur actus liberi arbitrii ad hoc, ut adultus mentis compos justificetur, *nego*; mentis impos, *subdisting.* si nunquam rationis usum habuit, *conc.* si aliquando usum rationis habuit, *iterum dist.* non semper requiritur actus liberi arbitrii præsens cum baptizatur, aut absolvitur, *conc.* non requiritur actus liberi arbitrii antecedens Baptismum, aut absolutionem, *nego conseq.* Ad hoc enim, ut aliquis adultus, qui fuit rationis compos, baptizetur, vel absolvatur, necesse est, ut, antequam in lethalem morbum, qui rationis usum extinguit, incidat, prius Baptismum, aut absolutionem sacramentalem fuerit deprecatus, ut explicabitur *in Dissertatione de Baptismo*.

*Inst.* 1. Si ad justificationem requireretur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem nostram; atqui ex Conc. Arausicano II. *Ut a peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat*; ergo.

Resp. *dist. maj.* Deus expectaret voluntatem nostram, quæ cum gratia adjuvante ad gratiam justificationis sese præparet, *conc.* quæ præveniat gratiam excitantem, & adjuvantem, *nego maj.* Hoc ultimo sensu Concilium Arausicanum definivit Deum non expectare voluntatem nostram, ut a peccato purgemur.

*Inst.* 2. Si homo posset per proprios liberi arbitrii actus sese disponere ad justificationem, hæc propositio, *Homo se justificat propriis actibus*, esset vera; atqui illam, ut falsam, rejiciunt plurimi Theologi; ergo.

Resp. *dist. maj.* Illa propositio esset vera, intellecta de justificatione positiva per actus proprios gratiæ prævenientis & adjuvantis auxilio elicitos, *conc.* intellecta de justificatione formali, aut de actibus per solas naturæ vires elicitis, *nego maj.* Hoc autem ultimo tantum sensu Theologi illam propositionem supra dictam damnant, cum certum sit neminem, illam, in priori sensu intellectam, posse falsitatis insimulare: similes namque propositiones in Scriptura leguntur; sic, Jerem. 4. *Lava a malitia cor tuum*. 2. Corinth. 7. „ Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 1. *Joann.* 3. Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se ".

*Objicies* 2. Gratia justificationis conservatur sine motu liberi arbitrii; ergo & sine eo infunditur.

Resp. *nego conseq.* Disparitas est, quod in infusione gratiæ sit quædam transmutatio animæ, & ideo requiritur motus proprius animæ, ut moveatur secundum motum suum; at conservatio gratiæ est absque animæ transmutatione, unde non requiritur aliquis motus ex parte animæ, sed sola continuatio influxus divini.

### §. II. *Quot & quænam dispositiones requirantur ad justificationem.*

*Nota* 1. Fide constat necessario requiri fidem ad nostram justificationem, ut aperte testatur Scriptura, Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Et Joann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Hinc Conc. Trid. sess. 6. cap. 8. ait: „ Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem & gratis: ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire ".

*Nota* 2. Hæretici hujus temporis, duce Calvino, *lib. instit. c.* 2. triplicem distinguunt fidem, historicam, nempe, miraculorum, & promissionum.

Fides *historica*, seu dogmatica, ea est, qua credimus vera esse quæ a Deo revelata sunt.

Fides *miraculorum*, quam Calvinus, loco mox citato definit: *Edendorum miraculorum facultas*, verius definiri potest, fides historica, annexam habens facultatem edendorum miraculorum.

Fides *promissionum*, est certa fiducia qua credimus veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per Christi merita: & hanc iterum duplicem esse dicunt, nempe *generalem*, qua credimus omnibus, qui in Christum credunt, promissam esse peccatorum remissionem. *Et particularem*; qua unusquisque sibi divinam promissionem applicans, credit, seu potius confidit, sibi omnia sua peccata esse dimissa per Christum. His positis:

*Nota* 3. Hæretici docent: 1. Fidem, quæ disponit ad justificationem, esse fidem promissionum, eamque specialem: 2. Solam fidem promissionum ad justificationem disponere. Contra quos

CON-

## CONCLUSIO I.

*Fides necessaria ad justificationem, est fides dogmatica, seu historica, non vero fides promissionum.* Est de fide in Concil. Trid. *sess. 6. Can.* 12. definita his verbis: „ Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum . . . . anathema sit ".

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ actum fidei ad justificationem disponentis describens, illum explicat per assensum datum divinæ revelationi; sic Marci ult. „ Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, (omnia in eo contenta) salvus erit. *Joann.* 10. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; & ut credentes, vitam habeatis. *Rom.* 10. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ". Ex quibus sic argumentor: fides, quæ his testibus exprimitur, est fides dogmatica, ut per se patet; atqui illa est, quæ ad justificationem disponit, nam disponit ad vitam æternam; ergo.

*Prob.* 2. *Ex PP.* Pro omnibus sit D. Leo, qui serm. 4. de Epiphania ait: „ Hoc est quod justificat impios . . . . si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, & vera deitas, & vera credatur humanitas ". Atqui fides, qua Christi divinitas & humanitas creduntur, est fides dogmatica; ergo.

*Prob.* 3. *ratione:* Fides justificans debet præcedere justificationem, cum sit dispositio ad illam; atqui fides specialis promissionum justificationem non præcedit; ergo.

*Prob. min.* Fides illa specialis promissionum, quam fingunt hæretici, est ea qua homo credit sibi esse remissa peccata propter Christi merita; erga ea fides non præcedit, sed sequitur justificationem.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Matth. 9. Christus dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua;* ergo fides prærequisita ad justificationem, est fides promissionum specialis, qua quilibet sibi confidit remissa esse peccata per Christum.

Resp. *nego conseq.* Equidem ad remissionem peccatorum requiritur fiducia, quæ sit actus spei, qua peccator sperat sibi remittenda peccata per Christum, sed nec sola requiritur, cum præsupponat actum fidei, quo peccatores *libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*, ut docet Concil. Trid. *sess. 6. c. 6.* nec est illa hæreticorum fides, qua unusquisque credit sibi remissa esse peccata, sed est vera spes Theologica, ut constat ex ipso textu.

*Inst.* 1. Apost. Rom. 4. ait: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini.* Ergo fides est certa expectatio promissæ misericordiæ Dei ad remissionem peccatorum.

Resp. *nego conseq.* Neque enim Apostoli textus intelligitur de promissione justificationis facta huic, aut illi in singulari, quam hæretici volunt includi in certa fiducia, quæ sit fides promissionum, ut loquuntur: sed loquitur Apostolus de promisssione vocationis gentium ad fidem, facta Abrahæ, quam firmam & stabilem asserit, ex ea fide dogmatica, qua *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam;* ergo si, per fidem dogmaticam, Abraham coram Deo justificatus est, eadem fides dogmatica est prima dispositio ad justificationem acquirendam.

*Inst.* 2. Joann. 5. dicitur: *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ergo fides justificans ea est, qua quisque credit, seu confidit, sibi peccata esse remissa, seque vitam æternam habiturum.

Resp. *nego conseq.* Sensus D. Joannis est, quod qui credunt in Filium Dei, sicut oportet, habent vitam æternam in spe, eandem habituri in re, si non excidant a justitia, quam per illam fidem adepti sunt; nihil ergo præfatus textus patrocinatur Novatorum confidentiæ.

*Objicies* 2. Ex Apostolo Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum;* ergo fides justificans nihil aliud est, quam fiducia, qua quisque confidit sibi remissa esse peccata.

Resp. *nego conseq.* Nam fiducia hæreticorum pertinet ad voluntatem, fides autem, quam describit Apostolus, pertinet ad intellectum; dicit enim quod sit *argumentum non apparentium.* Id est demonstratio & convictio, non quidem per ipsas res facta, sed per Dei revelantis veracitatem habita; demonstratio autem & convictio pertinent ad intellectum.

## CONCLUSIO II.

*Sola fides ad justificationem non sufficit.* Est de fide definita in Conc. Trid. sess. *6.* Canon. *9.* „ Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur . . . . anathema sit ".

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Jacobi 2. vers. 14. „ Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? *& vers.* 24. Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. *Et vers.* 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est ". Hæc verba ita clare probant nostram propositionem, ut Lutherus coactus fuerit Epistolam Jacobi, velut apocrypham, rejicere; hanc tamen admittit Calvinus cum sequacibus.

*Prob.* 2. Ex iis Scripturæ locis, ubi præter fidem, alii actus supernaturales exiguntur ad justificationem, qui quatuor enumerantur a Conc. Trid. sess. *6.* c. *6.*

1. Exigitur timor, Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari.*

2. Exigitur actus spei, Prov. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Et Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.*

3. Requiritur actus dilectionis Dei, 1. Joann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quænam autem dilectio requiratur, ad gratiam justificationis obtinendam, tam in Sacramento, quam extra Sacramentum, dicetur in dissertatione de pœnitentia.

4. Exigitur pœnitentia, Actor. 2. „ Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in no-

mine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. *Lucæ* 13. Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis ". Ergo falsum est, quod obtrudunt Novatores, Scripturam solius fidei mentionem facere, ubi sermo est de justificatione & remissione peccatorum.

*Prob.* 2. *ex PP.* Pro omnibus sint D. Chrysost. *Hom.* 7. *in Matth.* ubi ait: „ Ne fideles sola fide se salvari posse confidant ". Et D. August. *serm.* 6. *cap.* 6. de verbis Apostoli: „ A fide incipit homo, inquit, sed quia dæmones credunt & contremiscunt, necesse est addere spem & charitatem "; ergo.

*Prob.* 3. *ratione Theologica:* Qui solam fidem habent, possunt esse fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces; atqui ex Apost. 1. ad Cor. 6. „ Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt "; ergo fides non est sola dispositio requisita ad justificationem.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura sacra solam fidem requirit ad justificationem, Lucæ 8. *Crede tantum, & salva erit;* ergo cæteræ dispositiones superfluæ sunt.

Resp. *nego ant.* Neque enim in textu sermo est de justificatione, sed de suscitatione mortuæ puellæ, quam Christus reddidit patri propter fiduciam, quam habebat in ejus bonitate, & potentia suscitandæ puellæ.

*Inst.* 1. Atqui Scriptura testatur justificari hominem per solam fidem; ergo.

*Prob. antec.* Rom. 4. dicitur: *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Ergo sola fides disponit ad justificationem.

Resp. *nego conseq.* In textu enim, licet solius fidei mentio fiat, tamen alii actus concurrentes ad justificationem non excluduntur; sicut cum dilectioni tribuitur justificatio. Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* non excluditur fides, nec alii actus ad justificationem disponentes.

*Inst.* 2. Apost. *Rom.* 3. a dispositionibus justificationis excludit opera: *Arbitramur,* inquit, *hominem justificari sine operibus legis.* Ergo sola fides sufficit.

Resp. *dist. ant.* Excludit opera fidem præcedentia, & a fide non profecta, *conc.* excludit opera bona ex fide & gratia Christi facta, *nego ant.* Alias sibi esset contrarius Apostolus, qui eadem epist. cap. 2. ait: *Reddet unicuique secundum opera ejus . . . . . factores legis justificabuntur.* Expresse tamen solius fidei meminit: *Quia*, ut ait Conc. Trid., *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Et ideo est prima dispositio, a qua aliæ pendent, & quæ ad alias prærequiritur.

*Inst.* 3. Idem Apost. cap. 4. dicit: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ergo Apostolus a justificationis dispositionibus excludit omnia opera.

Resp. *dist. conseq.* Excludit omnia opera externa sine fide facta, *conc.* opera per fidem facta, *nego conseq.* Sensus enim Apostoli hic est: si enim ex operibus externis justificatus esset Abraham, haberet quidem unde gloriaretur apud homines, qui vident externa; sed non haberet unde gloriaretur apud Deum, qui cor & animum hominis in primis intuetur; sicque politice tantum, sed non vere, interne & coram Deo justificatus est.

*Inst.* 4. Ephes. 2. dicit idem Apost. *Gratia enim estis salvati per fidem . . . . non ex operibus.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Non ex operibus sine fide & gratia factis, *conc.* cum gratia factis, *nego ant.* Rejicit itaque Apostolus opera ante fidem facta, quæ non sunt salutaria, quia cum fides sit omnis meriti fons & prima origo, nullum est ante ipsam opus meritorium; verum non rejicit opera facta per fidem & gratiam, unde Div. August. *lib. de gratia & liber. arbitr. cap.* 7. ait: *Homines non intelligentes quod ait Apostolus . . . . putaverunt eum dicere homini sufficere fidem . . . . etiamsi opera bona non habeat, quod absit.* Nam Apostolus non loquitur de fide nuda, sed de fide vestita operibus spei, charitatis, pœnitentiæ, de qua loquens ad Galat. 5. ait: *In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

*Objicies* 2. D. Hilarius, *cap.* 8. *in Matth.* ait: *Fides enim sola justificat.* Ergo.

Resp. *dist. ant.* Fides sola justificat per exclusionem cæremoniarum legalium, *conc.* per exclusionem operum ex gratia factorum, *nego ant.* D. enim Hilarius manifeste declarat se excludere cæremonias legales a dispositionibus justificationis: loquitur enim ibi de paralitico, cui Christus remiserat peccata, & ait: *Movet Scribas remissum ab homine peccatum . . . quod lex laxare non poterat; fides enim sola justificat.* Eodem modo respondendum est aliis Patribus, qui cum videntur dicere solam fidem justificare, loquuntur de fide formata, *quæ per dilectionem operatur.* De qua loquens August. lib. de fide & operibus, c. 14. ait: *Qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus, & qui propterea facit, quia præcepit Deus, necesse est ut credat Deo.*

## ARTICULUS III.

*De proprietatibus justificationis.*

*Nota.* Circa proprietates justificationis graviter erraverunt Hæretici.

1. *Jovinianus* docuit, æqualem in omnibus esse justificationem, homines non posse in accepta Dei gratia crescere, nec unum altero sanctiorem esse posse; hunc secuti sunt Lutherus, qui serm. de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis blasphemavit, dicens: *Omnes Christiani æque magni sumus, sicut Mater Dei, & æque sancti sicut ipsa,* & Calvinus, cujus error refertur in Theologia Calviniatica Windelini, lib. 1. cap. 24. dicentis: „ Æqualitas justificationis est, qua Christi justitia per fidem apprehensa, omnibus a Deo æqualiter imputatur, etiamsi aliorum fides robustior, aliorum imbecillior est ".

2. *Calvinus*, lib. 3. instit. cap. 2. & ejus sequaces docent, eum qui semel justificationis gratiam

ale-

adeptus est, eam per nullum subsequens peccatum posse unquam amittere.

3. *Lutherus*, in suis Thesibus publicis, docuit quemlibet fidelem posse esse certum, certitudine fidei, se esse justificatum, idque teneri credere fide divina, cum in dubium revocare non possit, quominus Christi justitia sibi imputata, a Deo Patre acceptetur. Hunc errorem amplectuntur Calvinus *lib. 3. instit. cap. 2. num.* 7. & omnes ejus sequaces. Contra hos errores sit

## CONCLUSIO I.

*Justitia non est æqualis in omnibus, sed unus altero est sanctior & justior*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Matth. 11. dicitur: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*. Ergo teste ipsomet Christo unus altero est sanctior; ergo &c.

*Prob.* 2. Justitia potest augeri, Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, id est, crescere in justitia. 2. Petri 3. *Crescite in justitia*. Apoc. ultimo: *Qui justus est, justificetur adhuc*. Ergo justitia non est æqualis in omnibus.

*Prob.* 3. *ex PP.* D. August. epist. 57. ad Dardanum: *In sanctis alii aliis feliciores abundantius habentes habitatorem Deum*. Idem habet D. Hieron. in cap. 4. ad Ephesios.

*Prob.* 4. Ex Concilio Trident. *sess.* 6. Can. 24. definiente: „ Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causa, anathema sit. "

*Prob.* 5. *ratione*. Dabitur in cœlo inæqualitas gloriæ, juxta illud Joann. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; ergo datur inæqualitas gratiæ in terris, quia gloria succedit gratiæ, & gratia est semen gloriæ.

*Objicies:* D. August. *Enchiridii c.* 121. ait: *Hic veniri potest ad tantam magnitudinem charitatis, qua major esse non possit*. Ergo censet D. Doctor charitatem in terris habere posse ultimum accretionis terminum.

Resp. *nego conseq.* Ibi enim D. August. agit de charitate, non secundum intensionem habitus, sed secundum exhibitionem operis ex genere suo maximi, quale est martyrium pro Christo perpessum, juxta illud Joann. 19. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Quod opus præstantissimum potest quis in hac vita exercere, ut fecerunt omnes Martyres.

*Instabis:* Si potest augeri gratia sanctificans, id fieret per bona opera a gratia elicita: atqui per bona opera a gratia elicita, non potest augeri gratia sanctificans; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Augmentum gratiæ est vera gratia; atqui gratia non datur propter bona opera; *nam si ex meritis, jam non est gratia*, ait Apostolus; ergo gratia sanctificans non potest augeri per bona opera, etiam a gratia elicita.

Resp. *dist. maj.* Augmentum gratiæ, est vera gratia, ratione sui principii, *conc.* ratione sui, *nego maj.* Atqui gratia ratione principii, non datur propter bona opera, *conc.* ratione sui, *nego min.* Itaque augmentum gratiæ, est vera gratia ratione principii, quia conceditur solum ratione operis meritorii, quod per gratiam actualem & habitualem simpliciter gratis concessam, fuit elicitum; sed ratione sui, est quid homini bonum ex gratia operanti debitum.

## CONCLUSIO II.

*Justificatio est amissibilis, & revera amittitur per subsequens peccatum mortale*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Ezech. 18. *Cum averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur*; ergo justus justitiam suam amittere potest. Hinc Apostol. Philipp. 2. hortatur, ut *cum metu & tremore salutem nostram operemur*.

*Prob.* 2. *ex SS. PP.* Div. Hieron. lib. 2. adversus Jovinianum, inter illius hæretici errores computat: *quod gratiam sanctificantem in justis inamissibilem assereret*. Et D. Aug. lib. de dono persev. c. 13. ait: *Quosdam lapsos quousque redeant, non exire de hac vita, qui utique perirent, si antequam redirent, exirent*. Ergo censet justos posse a gratia sanctificante excidere.

*Prob.* 3. Ex Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 23. definiente: „ Si quis hominem semel justificatum dixit amplius peccare non posse; neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere justificatum fuisse, anathema sit ".

*Prob.* 4. Ex horrendis illius nefariæ doctrinæ consequentiis, quas expendit Grotius in discutione apologiæ Andreæ Riveti pag. 217. ubi sic ait: „ Christiani pectoris est, horrescere ea dogmata quæ pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum: *Pecca fortiter, sed crede fortius, & nihil nocebunt tibi centum homicidia & mille stupra:* hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quemque debere justitiam Christi sibi habitari, quasi ipse eam præstitisset: certo se perseveraturum: certo & absolute salutem sibi destinatam: peccata fidelium, ut magna & gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Jesum Christum: posse eos cadere in rebellionem, homicidium, adulterium, &c. nihilominus tamen eos pro certo firmoque habere se nunquam aut totaliter, aut finaliter excidere, neque excidere posse ex paterna Dei charitate & gratia erga se. "

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Dicitur 1. Joann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quia ex Deo natus est*. Ergo justus a sua justitia excidere non potest.

Resp. *nego conseq.* Textus enim debet intelligi *in sensu composito*, ut intelligatur incompossibilitas peccati cum gratia & filiatione divina, quia justus non peccat, nec potest peccare secundum quod natus est ex Deo, & semen illius in eo manet, juxta illud D. August. lib. de gratia Christi c. 21. „ Charitas, secundum quam ex Deo natus

est,

est, non agit perperam; nec cogitat malum: cum ergo peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo ".

*Inst.* 1. Apostolus 1. *Cor.* 13. ait: *Charitas nunquam excidit*. Ergo justus non potest deficere a charitate.

Resp. *nego conseq.* Sensus Apostoli est, quod charitas perseverat etiam in patria, ubi alii habitus fidei, spei, & alia dona, v. g. linguarum, prophetiæ, &c. cessabunt: non vero sensus est, quod charitas, qua quis semel est justus, non amittatur: contrarium enim docetur, *Apoc.* 2. ubi Deus Episcopo Ephesino sic exprobrat: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti: memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

*Instab.* 2. Cant. 8. de charitate viæ dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Ergo charitas viæ non extinguitur.

Resp. *dist. conseq.* Non extinguitur in eis, in quibus est constans & fervens, qualis fuit in Apostolis & Martyribus, *conc.* iis *qui*, ut dicitur Lucæ 8. *ad tempus credunt, & in die tentationis recedunt*, quod exprobratur Episcopo Ephesino, *nego conseq.* Per se ergo charitas est amissibilis, per accidens autem & ratione illius fervoris fit ut non amittatur.

*Inst.* 3. Dicitur 1. Joann. 3. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. Ergo qui habent veram justitiam, non possunt ab ea excidere.

Resp. *nego conseq.* Dicitur enim, *non erant ex nobis*, non quod non fuerint fideles, & vera Ecclesiæ membra sicut cæteri, sed quod non fuerint, ut cæteri, constantes & generosi Christiani, sed inconstantes & leves, sicut Judas, qui vere fuit Apostolus, & a Christo vere electus, de quo Christus, *Joann.* 6. dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* & tamen a fide & justitia excidit.

*Objicies* 2. D. August. Epist. ad Julianum, ait: *Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit*. Ergo ubi vera charitas habetur, nunquam deperditur.

Resp. *nego ant.* Nam hæc verba non reperiuntur in Epistola ad Julianum, licet Gratianus per errorem ita illa citet & referat; reperiuntur quidem in *lib. de salutaribus documentis*, qui non est D. Augustini, licet inter ejus opera referatur.

*Inst.* 2. *nego conseq.* Auctor enim illius libri per *charitatem*, non intelligit *justitiam*, sed amicitiam, docetque amicitiam, quæ ita ex amici præsentia pendet, ut non perseveret eo absente, non esse veram amicitiam; hæc sunt ejus verba: *Licet enim me mutationis locus longe tulisset a vobis corpore, sed nullatenus charitate. quia charitas quæ deseri potest, nunquam fuit vera*. Quo sensu D. Hieron. Epist. 41. ad Rufinum, dixit: *Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit.*

*Inst.* D. Petrus trina sua negatione peccavit mortaliter, ut tradunt Patres; atqui tamen non amisit justificationem; ergo.

Resp. *nego min.* Quæ destruit majorem, nam si D. Petrus non fuit aversus a charitate, non peccavit; peccatum enim est aversio a Deo.

*Prob. min.* S. Leo de Petro dicit: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam esse turbatam*; ergo D. Petrus per suum peccatum non amisit justificationem.

Resp. *nego conseq.* Hoc enim unum intendit Div. Leo, quod Petrus non peccavit directe contra fidem & charitatem in Christum, sed indirecte tantum, & nimio nempe timore hominum, & pœnarum, quas videbat pati Magistrum.

## CONCLUSIO III.

*Nemo citra specialem Dei revelationem, potest de sua justificatione esse certus certitudine fidei*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura: Eccles. 9. dicitur: *Sunt justi atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo utrum amore aut odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*. Quem locum exponens D. Hieron. ait: *inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen utrum amentur a Deo, aut non, tunc eos scire non posse, & ambigue fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium*: ergo.

Proverb. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Hinc est quod Apostolus 1. ad Corinth. 4. de seipso dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui enim me judicat, Dominus est*. Si enim Deus *in Angelis suis reperit pravitatem*, ex Job 4. quomodo homo, qui suos omnes affectus internos non videt, potest certo scire, atque fide divina credere se esse justum coram Deo, qui solus de homine potest certum ferre judicium?

*Prob.* 2. *ex PP.* D. August. lib. de perfectione justitiæ, cap. ait. *Quantalibet justitia sit prædi-s homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum*. D. Gregor. *lib. 6. epist. 22.* interrogatus a Gregoria Augustæ cubicularia, utrum sibi remissa essent peccata? respondit: *Rem mihi difficilem & tibi inutilem postulasti: difficilem, quia indignus sum cui revelatio immittatur a Deo: tibi inutilem, quia securitas negligentiam parit.*

*Prob.* 3. Ex Concilio Trident. sess. 6. c. 9. dicente. *Cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consecutum*. Et Can. 15. definit: *Si quis dixerit hominem renatum & justificatum teneri ex fide credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.*

*Prob.* 4. *rat.* Justificatio non solum pendet ex promissione divina, sed ex nostra conversione & præparatione; atqui 1. Non est revelatum homini justificato quod sit justus. 2. Homo justificatus non potest esse certus infallibiliter, quod sit vere conversus ad Deum, quia nescit utrum ista conversio sit ex gratia, an ex concupiscentia: *Mens enim humana sibi sæpe mentitur*, ait D. Greg. 1. p. sui Pastoralis, c. 29. *& fingit de bono amare, quod non amat*. Ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Apost. Rom. 8. ait: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus . . . neque creatura alia poterit nos separa-*

*parare a charitate Dei*. Ergo homo potest esse certus, & credere debet, se esse justum.

Resp. *nego conseq.* Ex hoc textu sequitur quidem, quod nulla creatura possit justum invitum a sua justitia dimovere, sed non sequitur, quod justus possit scire, absque speciali revelatione, quod sit justus.

*Inst.* 1. Ille certus est de sua justificatione, qui certo cognoscit se esse in Christo, & habere Christum in se: atqui justus certo cognoscit se esse in Christo, & habere Christum in se, juxta illud Joann. 12. *In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*; ergo.

Resp. *nego min.* Textus enim non loquitur de tempore hujus vitæ, sed de tempore vitæ beatæ, in qua Deum videbimus sicuti est, ut interpretatur D. Aug. tract. 75. in Joann. dicens: „ In quo die? nisi de quo ait: *& vos vivetis*: tunc enim erit, ut possimus videre quod credimus . . . in illo ergo die, quando vivemus ea vita, qua mors absorbebitur, cognoscemus quia ipse in Patre, & nos in ipso, & ipse in nobis ".

*Inst.* 2. Atqui etiam in hac vita debemus esse certi, & fide divina credere nos esse justos; ergo.

*Prob. subs.* Tenemur fide divina assentiri testimonio Spiritus Sancti; atqui, Rom. 8. *Ipse Spiritus* (Sanctus) *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; Ergo.

Resp. *dist. maj.* Ita ut to, *sumus*, intelligatur de tota Ecclesia, *conc.* ita ut intelligatur de unoquoque particulari, *nego min.* Illa autem verba intelligenda esse de tota Ecclesia, cui Spiritus Sanctus testatur, quod habeat spiritum adoptionis, constat ex versu præcedenti, in quo confert Ecclesiam cum Synagoga, & docet Ecclesiam habere spiritum adoptionis, Synagogam vero habuisse spiritum timoris: *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba* (*Pater*).

*Inst.* 3. Dicitur, 1. Joann. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ergo quilibet justus potest esse certus de sua justificatione.

Resp. *nego conseq.* Textus enim intelligitur de toto fidelium cœtu, quem fide divina certum est, de morte ad vitam translatum esse, non de ullo particulari adulto, cujus justificatio est incerta, nec de ea potest, nisi moralem & conjecturalem habere certitudinem: quis enim absque speciali revelatione nosse potest se diligere fratres, sicut oportet ad salutem?

*Inst.* 4. Apocal. 2. dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* Atqui per, *manna absconditum*, intelligitur gratia justificationis; ergo qui illam recipit, de ea infallibiliter certus est.

Resp. *nego min.* Nam per, *manna absconditum*, intelligitur gloria æterna, ut constat ex cap. 3. vers. 21. ubi dicitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

*Objicies* 2. Potest quis certo cognoscere, se non peccasse mortaliter; ergo potest certo scire se esse in gratia.

Resp. *dist. min.* Potest quis certo cognoscere, certitudine conjecturali & morali, *conc.* certitudine physica & fidei, *nego ant.* Hoc evidenter declarat Apostolus, cum dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quantumcumque ergo adhibeamus examen, non possumus de nostra justificatione habere, nisi moralem certitudinem.

*Inst.* 1. Quilibet homo potest sic ratiocinari, & quidem demonstrative: „ Omnis rite baptizatus, habet gratiam justificantem, donec peccaverit mortaliter; atqui ego sum certo physice me esse rite baptizatum, & ex eo tempore non peccasse mortaliter; ergo & certus sum physice, me habere gratiam baptismalem "; ergo.

Resp. *nego min. argumenti expositorii.* Nec enim quis potest certitudine physica scire se esse rite baptizatum; *tum* quia non potest esse physice certus quod cum debitis dispositionibus receperit Baptismum; *tum* quia nulla certitudine physice scire potest baptizantem adhibuisse omnia necessaria ad Sacramentum, & maxime debitam intentionem; talis ergo non habet de sua justificatione, nisi moralem certitudinem.

*Inst.* 2. Potest quis certo scire se habere perfectam contritionem; sed hæc contritio certissime justificat; ergo.

Resp. *dist. maj.* Potest scire certo moraliter, *conc.* physice, *nego maj.* Nescit enim homo certitudine physica, vel fidei divinæ, absque speciali revelatione, *an odio, vel amore dignus sit.*

*Inst.* 3. Nisi justus sit certus fidei certitudine de sua justitia, semper erit anxius, nec pace fruetur, quam Christus Apostolis & omnibus fidelibus dedit *Joann.* 14. dicens: *Pacem meam do vobis.* Atqui falsum consequens ex Apost. *Rom.* 5. dicente: *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*; ergo.

Resp. *nego maj.* Ad hoc enim ut pace Christiana justus perfruatur, sufficit quod habeat certitudinem moralem de sua justificatione; licet enim talis certitudo non auferat omnem formidinem, & ideo *cum metu & tremore* nostram salutem operemur oporteat, omnem tamen aufert anxietatem, qua sola conscientiæ pax interturbari potest.

## QUÆSTIO II.

### *De merito bonorum operum.*

*Nota* 1. Meriti nomine intelligitur *opus retributione dignum*, & sic malis operibus, non secus ac bonis, tribuitur nomen meriti, nam sicut opus bonum est dignum præmio, ita opus malum est dignum supplicio; usus tamen invaluit ut bonum opus vocetur *meritum*, opus vero malum dicatur *demeritum*. Nomen meriti in bonam partem tantum hic sumitur.

*Nota* 2. Duplex distinguitur meritum, *de condigno* nempe, & *de congruo*.

Meritum *de condigno* est opus bonum, cui præmium debetur ex aliqua justitia.

Meritum *de congruo* est opus bonum, cui præmium debetur ex aliqua duntaxat decentia & congruitate; quod si habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo infallibili*, tale est meritum contritionis perfectæ in peccatore respectu justificationis; si vero non habeat promissionem adjunctam,

ctam, dicitur meritum *de congruo fallibili*, tale est omne meritum de congruo in homine justo.

Omnia, quæ meritum spectant, tribus complectemur articulis, quorum 1. erit de existentia meriti. 2. De conditionibus ad meritum requisitis. 3. De objecto meriti. Itaque

## ARTICULUS I.

### *De existentia meriti.*

*Nota*. Nomen meriti Novatoribus Lutheranis & Calvinistis ita est exosum, ut illud penitus rejiciant tamquam fastuosum ac superbiam redolens, doceantque hominem nihil vere mereri apud Deum: *Quia*, inquit Calvin. lib. 3. instit. c. 15. *nihil ab homine exit quantumcumque perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum*. Contra quos

## CONCLUSIO.

*Bona justorum opera apud Deum sunt vere & proprie meritoria*. Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scripturæ locis, in quibus Deus dicitur bonis justorum operibus retribuere mercedem. Gen. 15. „ Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. *Eccles.* 13. Ne verearis usque ad mortem justificari, quia apud Dominum est merces bonorum operum. 1. *Corinth.* 15. Unusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem ". Atqui merces refertur ad meritum; ergo opera justorum sunt vere meritoria.

*Prob.* 2. Ex iis Scripturæ locis, in quibus expresse habetur, quod Deus reddet mercedem operibus meritoriis. Eccles. 15. „ Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis suæ ": id est, secundum mensuram operum, quæ egit ut peregrinus in terra. Rom. 4. „ Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum ". Atqui merces reddita secundum debitum, arguit verum & proprium meritum; ergo.

*Prob.* 3. ex *PP.* D. Cyprian. *lib. de unit. Ecclesiæ*, ait: *Accipiunt merita nostra mercedem*.

Div. Ambros. *Serm. 7. in Psalm.* 118. de justo ait: *Scit sibi coronam bonorum repositam esse meritorum*.

Div. August. epist. 105. „ Nullane igitur sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt. *Et infra*: Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium vita æterna. *Et serm.* 18. *de verbis Apost. ait*: Cum Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua ".

*Prob.* 4. Ex Concil. Arausicano II. Can. 18. „ Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant. *Et Trid. sess. 6. can.* 32. Si quis dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita . . . . anathema sit ".

*Prob.* 5. *ratione Theologica*: Christus ex Symbolis nostræ fidei venturus est judicare vivos & mortuos; atqui, si non sint merita, non potest judicare vivos & mortuos juxta illud D. August. epist. 46. *Alioqui si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?* ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. *cum Calvino*. Omnia opera nostra sunt immunda; ergo tantum abest, ut aliquid mercedis mereantur apud Deum, quin potius Dei indignationem provocent.

*Prob. ant.* Ex Isaiæ 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos: & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*. Ergo omnia opera nostra sunt immunda.

Resp. *dist. conseq.* In textu enim non est sermo de bonis justorum operibus, sed de fictis justitiis perfidorum Judæorum, nempe de sacrificiis expiatoriis, lotionibus manuum, & calicum, &c. cum intus pleni erant rapina & iniquitate, ut ait Christus, Lucæ 11. vers. 39.

*Inst.* 1. Lucæ 17. dicitur: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus*; ergo per opera nostra nihil meremur.

Resp. *nego conseq.* Non enim debemus dicere nos servos inutiles esse, quod non mereamur, sed propter triplicem causam: 1. Quia si aliquid, quod ad vitam æternam utile sit, facimus; id per gratiam & adoptionem divinam facimus, unde si quam Deus mercedem pro opere bono nobis rependat. *Nihil*, ait D. August. epist. 105. *aliud coronat, quam munera sua*. 2. Quia nostro obsequio nihil utilitatis Deo contulimus; unde per observationem mandatorum, sumus utiles respectu nostri, inutiles vero respectu Dei, cui, cum Psalmista, Psal. 15. dicere debemus: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. 3. Quia si tantum facimus id quod præceptum est, nihil singulare & ultra mercedem promissam consequemur, quod ultimum videtur spectare Christus, cum dicit: *Quod debuimus facere, fecimus*.

*Inst.* 2. Ad meritum de condigno requiritur condignitas operis cum mercede; atqui ex Apost. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; ergo.

Resp. *dist. min.* Non sunt condignæ, si spectentur in se, *conc.* si spectentur prout sunt gratia informatæ, *nego min.* Sic enim sunt opera amicorum Dei: *Vos autem dixi amicos*, ait Christus Joann. 15.

*Inst.* 3. Apostol. Roman. 6. dicit: *Gratia autem Dei vita æterna*; ergo vita æterna non datur ut merces.

Resp. *nego conseq.* Vita æterna dicitur, & gratia & merces; gratia, quia principium meriti habemus ex gratia gratuito data; merces vero, quia retribuitur bene operantibus per vires a gratia acceptas, ut tradit Conc. Arausicanum: *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*.

*Inst.* 4. Gloria est nostra hæreditas, Apostol. Rom. 8. dicente: *Si filii & hæredes, hæredes quidem Dei*. Atqui hæreditas confertur filiis absque ullo labore & merito; ergo.

Resp. *dist. maj.* Est hæreditas jure adoptionis incunda, *conc.* jure nativitatis, *nego maj.* Porro conditiones adoptionis divinæ sunt observatio mandato-

datorum. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ergo filius adoptivus non potest vitam ingredi, nisi observatis Dei mandatis.

*Objicies* 2. Merita nostra, si darentur, derogarent meritis Christi: ergo non sunt admittenda.

*Prob. ant.* Si merita nostra essent necessaria, merita Christi essent insufficientia; atqui hoc derogat meritis Christi, ipsique injuriosum est; ergo.

*Resp. nego maj.* Merita enim nostra non sunt necessaria ut compleant aliquam meritorum Christi insufficientiam, quod dicere injuriosum est Christo qui superabundanter pro nobis meruit, & satisfecit; sed ideo necessaria sunt, ut nobis applicentur merita Christi, quæ sunt verum & unicum meritorum nostrorum fundamentum, quod Christo valde gloriosum est.

*Objicies* 3. Si homo de condigno mereretur gloriam, justo deberetur ex justitia; atqui gloria non debetur justo ex justitia; ergo.

*Prob. min.* Inter Deum & hominem nulla intercedit justitia; ergo gloria justo non debetur ex justitia.

*Resp. dist. ant.* Inter Deum & hominem nulla intercedit justitia stricte dicta, *conc.* late dicta, *nego ant.* Justitia late dicta, est fidelitas in promissis, porro ex illa fidelitate Deus obligatur præmium bonis operibus promissum persolvere; unde Div. Bernard. *lib. de grat. & lib. arbitr.* præmium vitæ æternæ dicit esse, *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum*. Nempe ex justitia late dicta, non vero ex justitia stricte dicta & commutativa, quæ non potest esse inter Deum & hominem: 1. Quia meritum hominis fundatur in gratia Dei: 2. Quia omnia bona nostra Dei sunt, qui sibi ea omnia vindicare potest.

*Inst.* Repugnat Deum obligari erga hominem ex justitia etiam late dicta, & ex fidelitate; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam obligari ex fidelitate in promissis, non est proprie Deum obligari alteri, sed potius est Deum obligari sibi ipsi: " Quia actio „ nostra, *inquit D. Thom.* 1. 2. *q.* 114. *art.* 1. non „ habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione „ divinæ ordinationis, non sequitur quod Deus „ efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, „ in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur „.

## ARTICULUS II.

*De conditionibus ad meritum requisitis.*

*Nota*. Cum in merito adæquate sumpto, tria spectentur, nempe persona merens, opus meritorium, & persona præmians, videndum est quænam conditiones ad meritum requirantur ex triplici illo capite: ideo

### CONCLUSIO I.

*Ad meritum* de condigno, *duæ essentialiter requiruntur conditiones ex parte hominis merentis:* prima, *quod sit justus;* secunda, *quod sit viator.*

*Prob. prima pars* 1. Ex Scriptura *Jo.* 15. ubi Christus dicit: " Sicut palmes non potest ferre fructum „ ex semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, „ nisi in me (per gratiam sanctificantem) manseritis „. Ergo.

Hinc Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 16. Inter conditiones ad merendum requisitas, hanc ponit, ut qui merentur sint justificati & Christo tamquam viva membra inserti. " Cum enim, *inquit*, ille ipse Christus Je„ sus tamquam caput in membra, & tamquam vi„ tis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtu„ tem influat: quæ virtus bona eorum opera sem„ per antecedit, & comitatur, & subsequitur, & „ sine qua nullo pacto grata, & meritoria esse pos„ sent „ &c.

*Prob.* 2. *ex PP.* D. Aug. lib. de spiritu & litt. *Opus enim*, inquit, *quod qui fecerit vivet in eo*, id est, meritorium de condigno, *non fit, nisi a justificato*. Et Div. Prosper ad capitula Gallorum cap. 6. ait: " Justificatus homo, id est, ex impio „ pius factus, nullo præcedente bono merito, acci„ pit donum quo medio acquirat & meritum „. Ergo ut homo mereri possit de condigno, debet informari dono gratiæ sanctificantis.

*Prob.* 3. *ratione*. Homo extra gratiam sanctificantem, est Dei inimicus; atqui inimicus Dei non potest mereri vitam æternam, cum sit dignus morte æterna, quæ est incompossibilis cum vita æterna; ergo.

*Prob. secunda pars* 1. Ex Scriptura, Joann. 9. dicit Christus: *Venit nox, quando nemo potest operari*. Ubi per, *Noctem*, intelligit mortem; hinc Apostolus monet Galatas, ut operentur bonum, quamdiu sunt in hac vita: *Cum tempus habemus, operemur bonum*, ad Galat. 6.

*Prob.* 2. *ex PP.* D. Cyprian. ad Demetrium, circa finem, ait: " Quando isthinc excessum fuerit, „ nullus jam pœnitentiæ locus est, hic vita aut „ amittitur, aut tenetur „.

D. Hieron. exposit. Epist. ad Galatas 6. ait: *Cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur.*

D. Augustin. in Enchiridio cap. 11. " Nemo, *in*„ *quit*, speret, quod hic neglexit, cum obierit „ apud Deum promereri „.

Ratio a priori, est voluntas Dei, qui hanc mortalem vitam constituit ad vitam æternam promerendam.

*Objicies contra primam partem*. Ad vitam æternam merendam sufficit mandatorum observatio, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Atqui potest quis extra statum justitiæ servare mandata; ergo.

*Resp. nego min.* Nam primum mandatum est de amore charitatis, vi cujus homo justus fit, si nondum sit justus; est enim ultima ad justitiam formalem dispositio; ergo nemo injustus potest omnia servare mandata.

*Objicies* 2. Homo potest mereri apud hominem, etiamsi sit ejus inimicus; ergo & apud Deum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod homo solum opus exhibitum considerat, quod potest ipsi esse gratum, licet operans sit ipsi inimicus; at vero Deus non opus solum, sed & operantem respicit, a quo non potest elici opus Deo gratum, nisi & ipse sit Deo gratus & amicus; etenim, Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.*

### CONCLUSIO II.

*Ad meritum*, de condigno, *tres necessariæ requiruntur conditiones ex parte actus:* prima, *quod sit liber a necessitate;* secunda, *quod sit bonus & ho-*

*nestus; tertia, quod sit supernaturalis, & quoad entitatem & quoad modum.*

*Prima pars*, fuse probabitur in tractatu de Actibus humanis, tomo 2.

*Prob. secunda pars.* Nempe, quod actus, ut sit meritorius, debeat esse bonus & honestus; *Prob.* inquam, ex Scriptura quæ non aliis operibus, quam bonis & honestis tribuit rationem meriti apud Deum 2. Petri 1. " Satagite ut per vestra bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. " *Et* 1. *Jo.* 5. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii ". Hinc Augustinus lib. de gratia & lib. arbit. cap. 6. ait: *Quæ mala sunt, non coronat Deus.*

*Ratio est*, quia actus meritorius debet esse præmio, hoc est, laude & gloria dignus, atqui tale est solum opus bonum; ergo.

*Prob. tertia pars.* Nimirum, quod actus meritorius debeat esse supernaturalis in entitate: *Prob.* inquam: actus supernaturalis *in entitate*, est is, qui elicitur ex actualis gratiæ auxilio; atqui ut actus sit meritorius, debet elici ex actualis gratiæ auxilio, ut fuse probavimus contra Pelagianos, *pag.* 379. & seq. Ergo.

*Ratio est*, quia actus meritorius debet esse ejusdem ordinis cum præmio, siquidem debet habere aliquam æqualitatem proportionis cum illo: atqui præmium est supernaturale, nimirum perfecta Dei possessio per visionem intuitivam & amorem sensitivum; ergo.

*Prob. quarta pars.* Nimirum, quod actus meritorius debeat esse supernaturalis quoad modum, *Prob.* inquam; actus supernaturalis quoad modum, est is qui elicitur ex imperio charitatis; atqui ut actus sit meritorius, debet elici ex imperio charitatis; ergo, &c.

*Prob. min.* Ex Scriptura, 1. *Corinth.* 10. ubi Apostolus nos hortatur: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*; ergo necessarium est ad merendum, ut actus imperetur a charitate. Unde D. August. *lib.* 4. *contra Julianum*, *c.* 3. de charitate loquens, ait: *Hoc amore opus est, ut bonum beatificum sit*, id est, meritorium beatitudinis.

*Prob. min.* 2. Ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 4. ubi dicit: " Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur. *Et ad* 3. *ait*: fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur ".

*Prob. min.* 3. Quia communis ratio meriti postulat, ut opus fiat in obsequium præmiantis, nisi fiat, aut saltem imperetur a charitate; ergo.

*Objicies contra quartam partem.* In variis Scripturæ locis, actibus virtutum a charitate distinctarum beatitudo æterna promittitur, nulla facta mentione illorum relationis ad Deum, ergo ut illi actus meritorii sint, non requiritur ut imperentur a charitate.

*Resp. nego conseq.* Licet enim Scriptura non faciat mentionem expressam relationis actuum illorum ad Deum, illam tamen sufficienter supponit, ex hoc quod in aliis locis eam exigat ut conditionem necessariam ad merendam beatitudinem, sicut supponit statum gratiæ necessarium esse, licet illius mentionem expressam tunc non faciat.

*Inst.* 1. Ad meritum condignum sufficit, quod opus ex se, & ex circumstantiis bonum, elicitum sit ab homine justo; ergo non requiritur ut sit imperatum a charitate.

*Resp. nego antec.* Quia actus quantumvis ex se, & ex circumstantiis bonus, & ab homine justo elicitus, est informis absque hac virtuali ad Deum ordinatione per charitatem facta; ergo est insufficiens ad meritum beatitudinis. " Actum patientiæ & fortitudinis, *ait D. Thom. cit.* non est meritorius nisi aliquis ex charitate hæc operetur ".

*Inst.* 2. Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 16. ad meritum requirit tantum, ut opera sint bona, & fiant a justo per auxilium gratiæ; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam insuper requirit Concilium ut opera *in Deo sint facta*; atqui non sunt proprie in Deo facta, nisi ad Deum tamquam finem supernaturalem actualiter, aut virtualiter referantur per affectum dilectionis; ergo, &c. Unde Concilium addit: " Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius ".

*Objicies* 2. D. Thomas, in 2. *dist.* 40. *qu.* 1. *art.* 5. ait: " Non potest esse aliquis actus de deliberata voluntate procedens, in habente gratiam, qui non sit meritorius " Ergo, &c.

*Resp.* Fateor, sed hanc sententiam, quam tenuit cum scriberet in sententias, mutavit in sua Summa, ex qua genuina mens D. Thomæ colligenda est, cum sit ultimum opus ab eo conscriptum.

## CONCLUSIO III.

*Ad meritum* de condigno, *requiritur ex parte Dei repromissio mercedis.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, Jac. 1. dicitur: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Unde Apostolus vitam æternam vocat promissionem. Hebr. 6. *Fide & patientia hæreditabunt promissiones.* Et cap. 10. *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

*Prob.* 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 16. " Bene operantibus usque in finem, *inquit*, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda ".

*Prob.* 3. *ratione.* Meritum de condigno non solum dicit condignitatem operis, sed etiam obligationem in Deo remunerandi; atqui Deus, qui est supremus omnium Dominus, non potest nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio quædam, & pactum ex parte ipsius, quo se obliget ad nobis reddendum præmium pro hoc vel illo opere bono; ergo, &c. Hinc D. August. in Psal. 83. ait: *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur; redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ut homo mereatur apud hominem non

non est necessaria promissio; ergo nec ut mereatur apud Deum.

*Resp. nego ant.* Nam, etiam inter homines, non potest esse meritum ex justitia sine aliquo pacto vel expresso, vel tacito.

*Prob. ant.* Qui alterius videntis, aut volentis, vineam colit, mercedem ex justitia meretur apud dominum, qui in judicio compellitur ad debitum pretium solvendum, quamvis pactio de tali mercede non intercesserit: ergo.

*Resp. dist. ant.* Quamvis pactio expressa de tali mercede non intercesserit, *conc.* pactio tacita, *nego ant.* Qui enim videt aliquem, alias non obligatum, laborare in suam utilitatem sub spe lucri consequendi, tacite consentit se obligare ad tale pretium solvendum, & ad id compellitur in judicio.

*Inst.* Ut peccatum mereatur pœnam æternam non necesse est interveniat aliqua pactio; ergo ut bonum aliquod opus mereatur vitam æternam, non necesse est ut interveniat Dei promissio.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod homo per peccatum seipsum debitorem pœnæ apud Deum constituat, ad quod non requiritur pactio; e contra homo per meritum de condigno Deum sibi debitorem facit; Deus autem non potest fieri debitor respectu creaturæ absque libera & gratuita sua promissione, ut probatum est.

*Objicies 2.* Ex nostra doctrina sequitur plures justos non potuisse mereri vitam æternam; falsum conseq. ergo.

*Prob. seq. maj.* Promissio non obligat, nisi fuerit acceptata; atqui a pluribus justis non potuit acceptari; ergo.

*Prob. min.* Ut acceptetur promissio, debet esse cognita ei qui operatur; atqui plurimis justis incognita fuit promissio Dei de mercede reddenda; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Ut acceptetur promissio, debet esse cognita confuse, *conc.* distincte, *nego maj.* Porro nullus est justus sine fide in Deum remuneratorem, juxta illud Apostoli, Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Sed qui credit in Deum remuneratorem, habet confusam saltem cognitionem vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se; ergo talem promissionem acceptat saltem virtualiter & interpretative; quia unusquisque censetur velle operibus suis acquirere, quidquid potest illis acquiri.

Quæres. *Quænam conditiones requiruntur ad meritum de congruo?*

*Resp.* Requiritur *ex parte merentis*, ut sit viator, non vero requiritur ut sit justus, ut per se & ex dictis patet.

*Ex parte actus*, requiritur, 1. Ut sit liber. 2. Ut sit bonus. 3. Ut sit supernaturalis quoad entitatem, id est, ut eliciatur per vires a gratia actuali acceptas; nihil enim possumus operari in ordine ad salutem per solas naturæ vires, ut definitum est in Conc. Arausicano II. & Tridentino.

*Ex parte Dei*, non requiritur Dei promissio de danda mercede; nam tale pactum non est necessarium ad hoc, ut bonum opus habeat aliquam congruitatem cum præmio; hinc plura sunt quæ homo meretur de congruo, puta donum perseverantiæ, quæ tamen Deus non promisit dare merentibus.

## ARTICULUS III.

*De objecto meriti.*

*Nota*. Duo sunt quæ cadunt sub meritum, gratia nimirum & gloria.

Quod spectat ad gloriam, *certum est*, ex dictis Articulo 1. hominem justum posse per bona opera mereri de condigno gloriam æternam & gloriæ æternæ augmentum, ut definivit Conc. Trid. sess. 6. can. 32. his verbis: " Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit ".

Quod spectat ad gratiam:

*Certum est* 1. hominem nullatenus, nequidem de congruo, posse mereri primam gratiam actualem, ut fide constat, tum ex dictis contra Pelagianos, tum ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. ubi *declarat ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*, &c. ratio est, quia omne meritum supponit ipsum gratiæ actualis auxilium, ex pura misericordia nobis a Deo concessum; hinc illud axioma Theologicum: *Principium meriti non cadit sub meritum.*

*Certum est* 2. hominem adultum, qui justificatur, non mereri *de condigno* primam gratiam sanctificantem: alias homo non justificaretur gratis, cum mereretur causam formalem suæ justificationis, quod repugnat Apostolo, *Rom.* 3. dicenti: *justificati gratis per gratiam ipsius.* Et Concil. Trid. *sess. 6. c.* 8. quod explicans laudata Apostoli verba, sic ait: " Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur "; merito nempe de condigno.

*Certum est* 3. hominem adultum mereri *de condigno* augmentum gratiæ sanctificantis, prout definivit Concil. Trid. *sess. 6. can.* 32. supra laudato; ratio est, quia ibi nullæ conditiones ad meritum de condigno desiderantur, est enim promissio divina, Prov. 4. *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.*

*Certum est* 4. hominem mereri posse *de congruo* primam gratiam sanctificantem, & quidem infallibiliter per contritionem perfectam, ut tradit Div. Aug. epist. 105. dicens: " Sed nec ipsa remissio peccatorum, quæ scilicet cum prima gratia conjuncta est, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, neque enim nullum meritum est fidei ".

Ratio est, quia ad meritum *de congruo* sufficit ut actus sit liber, bonus, supernaturalis, ab homine viatore elicitus; atqui talis est contritio perfecta, & dilectio Dei super omnia, quæ est ultima ad justificationem dispositio.

Tria igitur restant hic resolvenda: 1. Utrum justus possit mereri reparationem post lapsum. 2. Utrum pos-

possit mereri gratiam perseverantiæ finalis 3. Utrum possit mereri gratiam alteri; pro quibus solvendis:

## CONCLUSIO I.

*Justus non potest mereri de condigno reparationem suam post lapsum futurum, sed tantum de congruo fallibili.*

*Prob. prima pars:* Ex Ezech. 18. " Si justus averterit se a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ, quas fecerat, non recordabuntur ". Atqui maxime recordarentur, si Deus intuitu illorum operum conferret ex justitia homini reparationem post lapsum; ergo.

*Prob. 2. ratione:* Quia ad meritum condignum requiritur Dei promissio; atqui nullibi Deus promisit justo reparationem post lapsum; ergo

*Prob. secunda pars:* Justi petunt reparationem suam, si contingat eos a gratia excidere, Ps. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Atqui frustra id peterent, nisi posset mereri de congruo, & impetrari; ergo.

*Dices contra primam partem:* Regi Josaphat dictum est, 2. Paralip. cap. 19. " Impio prebes auxilium... & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te ". Ergo Josaphat meruit reparationem suam post lapsum.

*Resp. nego conseq.* Tum quia non est sermo de merito reparationis post lapsum, sed de evasione pœnarum temporalium, quas Deus non infligit propter bona opera præcedentia; tum quia Josaphat jam justificatus erat per seriam pænitentiam; unde cum dixisset Propheta: " Sed bona opera inventa sunt in te; *addit*, eo quod præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum ". De eo quippe refertur cap. præcedenti, quod, cum esset in conflictu, *Clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei.*

*Inst.* Hebr. 6. dicitur: " Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis & ministratis ". Ergo Deus promisit justis reparationem post lapsum.

*Resp. nego conseq.* Non enim ibi loquitur Apostolus de operibus per peccatum mortificatis, sed de operibus vivis, quæ justi faciebant ad solatium fidelium in persecutione, ut constat ex illis verbis, *Et ministratis.* Vel loquitur de operibus alias quidem mortificatis, sed jam vivificatis mediante pœnitentia sufficienti ad remissionem peccatorum, & reparationem gratiæ sanctificantis.

*Dices contra secundam partem.* D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 7. ait: " Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui "; ergo nequidem de congruo potest mereri reparationem post lapsum.

*Resp. nego conseq.* Nullus potest mereri reparationem post lapsum, de congruo infallibili, *conc.* de congruo fallibili, *nego conseq.* Ad meritum congruum infallibile requiritur promissio divina, ut dictum est, quæ cum hic non reperiatur, ideo non potest justus reparationem post lapsum mereri de congruo infallibili, de quo intelligendus est D. Thomas, qui, 2. 2. *q.* 186. *art.* 10. docet, Religiosum, qui peccat non ex contemptu, sed vel infirmitate, vel ignorantia, facilius a peccato resurgere, scilicet ob bona opera, quæ justus fecit.

## CONCLUSIO II.

*Justus secundum viam ordinariam, non potest de condigno mereri gratiam perseverantiæ finalis; potest tamen de congruo fallibili.*

*Prob. prima pars:* Ad meritum de condigno requiritur promissio aliquid justorum operibus retribuendi tanquam mercedem; atqui nulla in Scripturis reperitur Dei promissio retribuendi justorum operibus perseverantiam finalem tanquam mercedem; immo monentur justi, ut cum timore & tremore suam salutem operentur: 1. Corint. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Rom. 11. *Tu autem fide sta: noli altum sapere, sed time.* Ergo est incerta perseverantia; ergo nulla est Dei promissio illam justorum operibus retribuendi per modum mercedis.

Hinc Concil. Trident. sess. *6.* Can. *16.* definit: " Si quis magnum illud perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit ". Præterea *Can. 32.* referens omnia, quæ, *Vere*, id est, de condigno meremur, non meminit perseverantiæ; ergo.

*Prob. secunda pars:* Ex D. August. *lib. de dono perseverantiæ cap. 6.* dicente: *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest.* Atqui suppliciter emereri, est mereri de congruo; ergo, &c. Unde cap. 17. ait: " Restat in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie a Deo poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationem exaudit, operatur ".

Ratio est, quia valde congruum est, ut amicus concedat amico suo conservationem amicitiæ suæ, quando illam ferventer petit; ergo valde congruum est, ut Deus justo ferventer & perseveranter roganti, concedat perseverantiæ donum: *Quod a se posci imperavit, quando imperavit, ut ei Sancti ejus dicant orantes*, ne inferas nos in tentationem. Ita D. Aug. cap. *6.*

*Objicies contra primam partem:* Christus promisit Patrem daturum orantibus quidquid petierint in nomine suo, Joann. *16. Amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Atqui justi petunt perseverantiam in nomine Christi, id est, per merita Christi; ergo.

*Resp. dist. maj.* Christus promisit Patrem orantibus daturum per modum doni gratuiti, quidquid petierint in nomine suo, *conc.* per modum mercedis, *nego maj.* quidquid precibus conceditur, habet rationem gratiæ, non mercedis; ergo non meretur de condigno, sed orando impetratur & suppliciter emeretur.

*Inst.* Qui meretur majus, mereri potest minus; atqui justus de condigno meretur gloriam, quæ est quid majus perseverantia; ergo.

*Resp. dist. maj.* Si cætera sint paria, *conc.* si non sint paria, *nego maj.* Porro in facta hypothesi cætera sunt paria; nam Deus promisit perseverantibus gloriam per modum mercedis. Matth. 10. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non sic autem promisit perseverantiam orantibus.

*Inst.*

*Inst.* 2. Concil. Trident. *sess.* 6. *Can.* 33. definit: „ Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. " Atqui hoc esset falsum, nisi justificatus posset donum perseverantiæ mereri de condigno; ergo Concilium supponit, hoc donum cadere sub merito condignum.

*Prob. min.* Si justus non posset donum perseverantiæ mereri de condigno, illud non esset in ejus potestate, etiam cum auxilio qualicumque; ergo.

Resp. *nego antec.* Nam ut donum perseverantiæ sit in justi potestate, sufficit quod possit illud mereri de congruo. Fatemur ergo justum per concursum gratiæ adjuvantis posse crescere in gratia, & merito, & novas semper vires contra peccatum acquirere, & Deum movere per suam fidelem cooperationem ad novas semper gratias ei largiendas, & specialem protectionem, ne ab accepta justitia decidat, vel si deciderit, ut resurgat citius, & tandem perseveret finaliter, & in gratia moriatur; sed hæc protectio est specialis Dei favor, qui non cadit sub meritum de condigno; ita ut Deus ex justitia non teneatur hanc illi præstare, sed tantum ex congruitate, decentia, & pietate sua.

## CONCLUSIO III.

*Justus non potest alteri mereri primam gratiam de condigno, sed de congruo fallibili tantum.*

*Prob. prima pars:* 1. Ex Scriptura, quæ promittit Deum nobis daturum quidquid in nomine Christi petierimus: *Amen, amen, dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non autem sic promisit dare aliis, si quid in eorum favorem petierimus: unde D. August. *Tract.* 102. *in Joann.* explicans verba laudata: „ Ita sane intelligendum est quod ait: *dabit vobis:* Ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt, proprie pertinent: exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, *dabit:* sed, *dabit vobis.* "

*Prob.* 2. Ex D. Chrysost. *Hom.* 12. *ad populum*, ubi docet neminem proprie mereri alteri, sed sibi. „ Utinam, inquit, possibile esset, me pro vobis laborantem omnibus recte agere, sed non licet hoc... ex propriis operibus punimur & salvamur. "

Ratio est, quia nullibi Deus promisit justum pro altero gratiam meriturum; hæc tamen promissio necessaria est ad meritum de condigno; ergo.

*Prob. secunda pars:* Ex Scriptura, quæ nos hortatur, ut oremus pro invicem ut salvemur, Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Hinc Deus iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipsis oret, & impetret veniam peccati eorum, Job 42. „ Ite ad servum meum Job, *inquit Deus*, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. *Et D. August. Serm.* 1. *de Sanctis ait:* Sic ergo exauditus est S. Stephanus, ut ejus orationibus deleretur peccatum quod commiserat Saulus. Et Serm. 2. Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet. "

Ratio est, quia congruum videtur, ut amicus ab amico gratiam alteri enixe & perseveranter postulans, illam obtineat.

Porro gratia sanctificans, quam justus alteri meretur, non ei confertur immediate vi talis meriti, sed per media ordinaria; v. gr. per actum contritionis perfectæ, quem alter elicuerit, per Sacramenta quæ susceperit, &c.

Hæc itaque per Dei gratiam, de gratia ipsa scripta, Sanctæ Romanæ Sedis judicio subjecta volo; instrui paratus, si qua in re sum falsus; corrigi, si qua lapsus: reduci, si qua devius; sic me Deus adjuvet, ac gratiæ suæ donis cumulet in terris, ut cum ipso regnare merear in cœlis.

# FINIS TOMI PRIMI.

# INDEX TITULORUM TOMI PRIMI.

## TRACTATUS DE PROLEGOMENIS THEOLOGIÆ.

### DISSERTATIO PRIMA.



### DISSERTATIO II.



### DISSERTATIO III.



### DISSERTATIO IV.



### DISSERTATIO V.

APPENDIX.



DISSERTATIO VI.



DISSERTATIO VII.



TRA-

# TRACTATUS
## *DE DEO*,
## ET ATTRIBUTIS.

### DISSERTATIO I.



### DISSERTATIO II.



### DISSERTATIO III.



### DISSERTATIO IV.



§. I.

## TRACTATUS

### *DE DEO TRINO.*

### DISSERTATIO I.



### DISSERTATIO II.



### DISSERTATIO III.



## TRACTATUS

### *DE DEO CREATORE.*

### DISSERTATIO PRIMA.



*Cap.*

DISSERTATIO II.



TRACTATUS

*DE DEO INCARNATO.*

DISSERTATIO PRIMA.



DISSERTATIO II.



DISSERTATIO III.



DISSERTATIO IV.



DISSERTATIO V.



DISSERTATIO VI.



DISSERTATIO VII.

# TRACTATUS

## *DE GRATIA CHRISTI.*



## DISSERTATIO I.



DIS-

## DISSERTATIO II.



FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

# THEOLOGIA
## UNIVERSA
*AD USUM*
## SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM
*AUCTORE*

## R. P. THOMA
## EX CHARMES

*Provinciæ Lotharingiæ Capuccinorum Definitore, Custode Generali, necnon antiquo Sacræ Theologiæ Professore.*


## TOMUS SECUNDUS

CONTINENS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS, DE LEGIBUS, ET OBLIGATIONIBUS VARIORUM STATUUM, DE PECCATIS, ET VIRTUTIBUS, NECNON DE SACRAMENTIS.

EDITIO OCTAVA VENETA;

Omnibus, quæ ab ipso Auctore vel addita, vel emendata sunt, locupletata.




VENETIIS,

APUD HÆREDES BALLEONIOS TYPOGRAPHOS AC EDITORES

MDCCCXXIV.

# PRÆFATIO

## AD SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATOS.

In hac Theologia conscribenda, nunquam mihi ex animo excidistis, *dilectissimi Candidati*, vestri profectus studio indesinenter accensus, utilitatem vestram (quæ summa votorum est) unice quæsivi, non nova tradendo, sed jam a doctissimis viris tradita, ad faciliorem, ac, semota omni caligine, ad nitidiorem scholæ methodum deducendo, ut inde mens sublevetur, et veritates Theologicæ in memoria altius infigantur.

Prolixitatem et nimiam concisionem sedulo declinavi; in scholis enim non semel expertus sum, nimiam prolixitatem veritates implicare potius et obscurare, quam elucidare, atque Theologiæ Candidatis, etiam oculatioribus, creare fastidium, eosque a studio avocare; nimiam vero concisionem tam modicum lumen afferre, ut tyrones, post emensum cursus Theologici stadium, in densissima quandoque versentur inscitia. Quare

1. Varias quæstiunculas mere philosophicas, vanas et inanes tricas, ad mores informandos omnino inutiles, scientiamque supernaturalem deturpantes potius, quam ornantes, omisi.

2. Unam aut alteram ex firmioribus ac validioribus tum sacræ Scripturæ, tum traditionis Patrum, tum etiam rationis probationibus, selegi; cæteras prætermisi, ut operi ex una parte nihil desit necessarii, nihil ex altera redundet; quo tyrones ab incœpto opere deterreantur.

3. Citationes obvias ac magis necessarias in operis corpore inserui, ut sub oculos lector habeat, quibus fundamentis solidissimis doctrina, quam trado, innitatur.

4. A methodo plurium Theologorum, qui circa quæstiones practicas, aliorum opiniones coacervare contenti, vix suam mentem aperiunt, me continui; harum enim multiplex enumeratio sine difficultatis resolutione, animos recens Confessariorum ita tenet suspensos et ancipites, ut qua via incedere debeant, vix possint judicare; cui incommodo occurrens, post accuratam meditationem opinionum a melioris notæ Theologis traditarum, eas, quas reperi probabiliores, tenui ac statui, et sic quæstiones de moribus experimento simul et doctorum Magistrorum meorum laboribus edoctus, resolvi.

Porro, cum tam meus, quam vester progressus, *dilectissimi Candidati*, laborum meorum sit terminus, eximiorum Theologorum opiniones, sive contractas, sive etiam uberius explicatas, usurpare, religioni non duxi; plene persuasus, quod qui materias egregie tractatas aliter vellet pertractare, pene inevitabili illas perperam tractandi periculo sese committeret; omnium ergo laboribus gratanter et reverenter usus sum; omnibus me debitorem agnosco, etiam adversantibus; in illis tamen citandis parcus fui, ne Lectori fierem importunus.

Hoc ergo qualecumque munusculum, quod ad vos suapte natura non tam currit quam volat, *dilectissimi Candidati*, indulgentes accipite, et si quid minus politum, minusve solidum occurrerit, meæ tenuitati imputantes, ignoscite, et orate pro me, ut delicta mea et ignorantias meas non meminerit Dominus; si quid vero gratum arriserit, Deo adscribite, a quo bona cuncta procedunt, cui sit sempiterna laus et gloria.

# TOTIUS
# THEOLOGIÆ
# MORALIS
## LUCULENTA AC DILUCIDA ELUCUBRATIO.

# TRACTATUS PRIMUS.
## DE ACTIBUS HUMANIS.

Hunc Tractatum in duas partimur Dissertationes, quarum prima erit de ACTIBUS HUMANIS secundum se; secunda de conscientia, quæ est regula interna Actuum humanorum.

### DISSERTATIO PRIMA.

*De Actibus Humanis secundum se.*

*Nota* 1. Cum omnes nostræ actiones fiant propter finem, agemus hic primo de fine; secundo de natura; tertio de moralitate Actuum Humanorum.

### CAPUT PRIMUM.

*De fine Actuum Humanorum.*

*Nota* 1. Finis definitur: *id cujus gratia aliquid fit.*

Dicitur 1. *id:* id est, bonum aliquod, sive verum sive apparens, cum voluntas non possit amare malum qua malum.

Dicitur 2. *cujus gratia:* idest, cujus & amore & fruendi desiderio agens operatur.

Dicitur 3. *aliquid fit:* id est, assumitur medium quod ad finis assecutionem inservire posse judicatur: ex quo patet finem esse primam omnium causarum.

1. Dividitur in finem *qui*, *cui*, & *quo.*

Finis *qui* est objectum quod per media consequi intendimus; unde dicitur etiam finis objectivus.

Finis *cui* est suppositum, cui appetitur finis, *qui*, sic proximo appetitur sanitas, beatitudo.

Finis *quo* est actio qua finis *qui* seu *objectivus* possidetur; sic Deus est finis objectivus hominis, visio beatifica est finis *quo* seu formalis.

2. Dividitur in finem *operis* & finem *operantis.*

Finis *operis* est res illa ad quam opus ex se ordinatur, sic sublevatio pauperis est finis eleemosynæ; vocatur etiam finis *intrinsecus*, quia est idem cum ipso objecto.

Finis *operantis* est ille quem sibi proponit operans: sic finis dantis eleemosynam est aliquando vanitas, aliquando aliquid aliud, vocatur etiam finis *extrinsecus.*

3. Dividitur in finem *ultimum*, & *non ultimum.*

Finis *ultimus* est is qui ita intenditur, ut in eo sistatur.

Finis *non ultimus* est is qui ita intenditur, ut ad ulteriorem finem referatur, sic pharmacum intenditur propter sanitatem; vocatur etiam *finis intermedius.*

4. Finis ultimus dividitur in respective ultimum, & absolute ultimum, seu ultimatum.

Finis *respective ultimus* est is qui ita intenditur, ut in certo rerum ordine ulterius non referatur.

Finis *ultimatus* est is ad quem omnia referuntur, ipse vero ad aliud referri nequit; talis est solus Deus.

*Nota* 2. Multa de fine in communi quæ in Philosophia pertractari solent, hic prætermittimus, ut ad ulteriora progrediamur & paucas difficultates resolvamus; 1. de fine ultimo in communi, 2. de beatitudine quæ est verus & ultimus finis hominis; ideo

## QUÆSTIO I.

*De fine ultimo hominis in communi.*

Hic tria quæruntur tribus articulis. 1. An & quot sint effectus finis. 2. An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum. 3. An homo possit agere propter plures fines ultimos.

### ARTICULUS I.

*De effectibus finis.*

*Nota:* Effectus finis, dicuntur actus quibus voluntas tendit in finem; unde

Quæres 1. *Quot & quinam sint effectus finis?*

*Resp.* Sunt octo, quorum tres, nempe *volitio*, *intentio*, *& fruitio* versantur circa finem; & quinque, nempe *consilium*, *consensus*, *electio*, *imperium & usus* versantur circa media conducentia ad finem.

*Dices.* Imperium non est actus voluntatis, sed intellectus; ergo non est actus finis.

*Resp. nego ant.* Nam triplex est tantum actus intellectus, apprehensio scilicet, judicium & discursus; atqui imperium non est apprehensio ut patet; nec est judicium aut discursus, nam judicium aut discursus sic exprimuntur: *hoc vel illud est faciendum*, imperium autem sic; *fac hoc:* ergo non est actus intellectus. Restat ergo ut sit actus voluntatis præsupponens actum intellectus proponentis quid agendum vel omittendum sit; unde D. Thomas (1. 2. *q.* 9. *art.* 1. *in corp.*) ait: *voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus, utimur autem aliis potentiis cum volumus.*

*Inst.* 1. Illud est imperare, cujus est leges condere, easque subditis intimare; sed leges condere easque subditis intimare pertinet ad intellectum; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Illius est imperare præsuppositive & secundum quid, cujus est leges condere *conc. maj.* Illius est imperare efficienter & absolute, *nego maj.* & similiter ad conseq.

*Itaque* recta ratio imperat *præsuppositive*, quatenus est lumen quod proponit voluntati quid agendum vel omittendum sit; & *secundum quid*, quatenus voluntatem movet, eamque ordinat tamquam regula cui debet conformari; sed voluntas efficienter movet intellectum, eique absolute imperat opus, v. g. meditationem; hinc intellectus habet rationem suadentis, & voluntas habet rationem imperantis, ut agatur.

*Inst.* 2. Saltem consilium est actus intellectus; sed actus intellectus non est effectus finis; ergo consilium non est effectus finis. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Actus illius potentiæ quæ non movetur a fine, non est effectus finis; atqui intellectus non movetur a fine; ergo actus intellectus non est effectus finis. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Quod non habet pro objecto bonum, non movetur a fine; finis enim non movet nisi per bonitatem; atqui intellectus non habet pro objecto bonum, ergo.

*Resp. dist. maj.* Non movetur a fine immediate, *conc. maj.* mediate, id est, mediate imperio voluntatis, *nego maj.* Voluntas itaque bonitate finis delinita imperat intellectui ut media quibus finem assequi possit, inquirat, ipsumque applicat ad ponderanda quæ ex præcogitatis sint ad finem assequendum aptiora, ipsumque acuit ad confutanda quæ a proposito eam avocare possent.

Quæres 2. *Quem ordinem inter se servent hi omnes actus?*

*Resp.* Servant sequentem;

1. Objecti bonitate voluntati proposita statim exurgit *volitio*, seu amor simplex & complacentia, quæ est *actus elicitus voluntatis respiciens bonum ut in se amabile*, abstrahendo ab ejus possibilitate vel impossibilitate, unde nullum dicit ordinem ad media. Hic actus se solo non sufficit ut agens sibi aliquod bonum actu proponat tamquam finem, quia bonum quod placet, potest considerari ut impossibile, v. g. regia dignitas respectu plebeii; bonum autem apprehensum ut impossibile non habet rationem finis quantumcumque placeat, cum nihil illius obtinendi causa fiat; unde præter volitionem requiritur

2. *Intentio*, estque *actus elicitus voluntatis efficaciter & absolute tendentis in bonum per media consentanea.* Porro qui efficaciter finem intendit, is statim sollicite inquirit media quibus obtineri possit; quare

3. *Consilium*, seu *deliberatio* sequitur, estque *actus mentis inquirentis media & ponderantis eorum cum fine proportionem.* Hic actus est quidem elicitus ab intellectu, sed ab intentione efficaci voluntatis imperatus ut supra dictum est, & ideo est effectus finis.

Porro monet Habert, consilium hoc non esse quærendum a peccatoribus, quia cum *unusquisque judicet prout affectus est*, juxta effatum, & peccatores circa finem ultimum pessime sint affecti, non aliter quam secundum perversum suum sensum possunt consulere, hinc Eccli. 8. dicitur: *cum fatuis consilium non habeas, non enim potuerunt diligere nisi quæ eis placent.*

4. *Consensus* subsequitur, qui est *actus elicitus voluntatis efficaciter approbantis & acceptantis media ab intellectu ad finem consequendum proposita.*

5. *Electio* succedit, estque *actus elicitus voluntatis, quo ex pluribus mediis per consensum approbatis unum præ alio libere ad finis consecutionem amplectitur.*

6. *Imperium* advenit, estque *actus elicitus voluntatis imperantis usum mediorum quæ post debitam deliberationem electa sunt*, tamquam ad finem magis idonea.

7. *Usus* procedit qui active sumptus definitur; *actus elicitus voluntatis applicantis seipsam vel alias potentias ad medii electi executionem*; sumptus vero passive est ipsa medii electi executio, estque actus imperans.

8. Demum exurgit *fruitio*, quæ est *actus elicitus voluntatis suaviter quiescentis in boni amati possessione.*

Dixi, *actus voluntatis:* quia illa quies licet sit cessatio motus quo tenditur in finem, non est tamen cessatio ab omni operatione: est enim vitalis actus voluntatis in possessione boni amati & obtenti suaviter conquiescentis.

De his sat conveniunt Theologi, sed aliquæ disputationes de electione & fruitione moventur, quæ ut solvantur, sit

§. I.

### § I. *De Electione.*

Quæres 1. *An possit voluntas e duobus mediis eligere minus idoneum, relicto magis idoneo?*

*Resp. affirm.* Quia in tali casu neutrum medium proponitur ut necessarium, cum utrumque ad finem deducere possit: ergo voluntas quæ est de se libera, potest relicto magis idoneo, minus idoneum eligere; patet experientia, qua videmus infirmos quibus ad sanitatem recuperandam proponuntur duo pharmaca, unum præ alio salubrius, sed acerbius, quotidie eligere minus acerbum, salubriori relicto.

*Objicies* 1. Voluntas non agit libere nisi ut est rationalis; sed si eligeret medium minus idoneum relicto magis idoneo, non ageret ut est rationalis; ergo voluntas non potest e duobus mediis eligere minus idoneum.

*Resp. dist. maj.* Voluntas non agit libere nisi ut est rationalis, id est, nisi præeunte rationis advertentia & motivo, *conc. maj.* id est, nisi secundum rectam rationem operando, *nego maj.* & sic distincta minore, *nego conseq.*

*Inst.* Atqui medium minus bonum in concursu medii melioris, non potest movere voluntatem; ergo voluntas eligens medium minus bonum agit absque motivo.

*Prob. ant.* Malum qua malum non potest movere voluntatem ad assecutionem; atqui medium minus bonum meliori collatum, est malum; ergo &c.

*Resp. nego min.* Bonitas enim non consistit in indivisibili, unde major bonitas alicujus medii non tollit bonitatem alterius minorem.

*Objicies* 2. Voluntas non potest eligere medium minus bonum, nisi repudiet medium melius, cognitum ut tale: atqui voluntas non potest repudiare medium melius cognitum ut tale, nam voluntas non repudiat nisi malum; atqui medium melius cognitum ut tale, nec est, nec judicatur malum; ergo.

*Resp. dist. min.* Voluntas medium melius cognitum ut tale, non potest repudiare, positive per odium nempe & detestationem, *conc. min.* negative, id est, non amplecti, *nego min.* Voluntas enim quibuslibet positis mediis remanet libera & indifferens; ergo potest omittere id omne quod sibi proponitur ut bonum privatum, quia nullum bonum privatum ex se voluntatem necessario determinare potest, quod solius boni increati est proprium.

Quæres 2. *Quid requiritur ut electio sit recta & honesta?*

*Resp.* Requiritur ut medium quod eligitur, sit efficacius & magis idoneum ad finis consecutionem; nam ut electio sit honesta, debet prudenter fieri, cum prudentia sit recta ratio agibilium; atqui ut electio prudenter fiat, debet eligi medium magis idoneum: ergo ut sit honesta, debet eligi medium magis idoneum; quod est verum præsertim in moralibus.

*Dices.* Consilia Evangelica sunt media magis idonea ad salutem: atqui non peccat contra prudentiam qui ea non eligit; ergo prudentia non præcipit ut medium magis idoneum eligatur.

*Resp. dist. maj.* Sunt media magis idonea in se & absolute, *conc. maj.* relative ad singulos homines, *nego maj.* ait enim Apostolus (2. *Corinth.* 7.) *melius est nubere quam uri.* Dist. etiam minorem, non peccat contra prudentiam qui consilia Evangelica non eligit, cum ad eorum observantiam non est a Deo vocatus, *conc. min.* cum est vocatus, *nego min.*

Itaque quisque attendere debet id ad quod vocatur a Deo, illudque eligere; alias peccat contra prudentiam, si vocationi suæ non respondeat.

Quæres 3. *Utrum posita efficaci & absoluta finis intentione, electio sit libera, cum unicum occurrit medium ad finem obtinendum?*

*Resp.* Non est libera in se, sed tantum in causa; ratio est quia homo non potest voluntate efficaci velle impossibilia: atqui si posita intentione finis efficaci nollet eligere medium quod est unicum, & sine quo finis obtineri non potest, vellet voluntate efficaci aliquid impossibile; ergo non potest homo, supposita intentione efficaci finis, rejicere medium unicum, sed ad illud necessitatur.

*Dices.* Voluntas ad exercitium necessitari non potest nisi a bono increato; ergo est libera in electione unici medii ad finem.

*Resp. dist. ant.* Voluntas ad exercitium non potest necessitari, in sensu diviso intentionis efficacis, *conc. ant.* in sensu composito ejusdem, *nego ant.*

*Inst.* 1. Talis necessitas non potest peti nec a fine, nec a medio, cum utrumque sit finitum; ergo est fictitia.

*Resp. nego conseq.* Equidem talis necessitas non petitur a fine vel medio solitarie spectatis, sed petitur ex necessaria connexione medii illius cum fine efficaciter intento, quia ita non potest intendi absque efficaci volitione medii absolute necessarii.

*Inst.* 2. Ergo reus non peccat, qui vitæ conservationem efficaciter intendens, nec valens illam aliter conservare quam perjurio, pejerat: falsum consequens.

*Resp. nego sequelam maj.* Quia perjurium est liberum in causa, nempe in intentione conservationis vitæ quam potuit omittere; libertas autem in causa sufficit ad meritum vel demeritum.

### § II. *De Fruitione.*

Quæres 1. *In quo actu consistat fruitio proprie dicta?*

*Nota.* Ad fruendum aliqua re hæc tria esse necessaria, amare, possidere, & gaudere seu delectari: nam si quis amat & nullo modo possidet, desiderat, sed non fruitur re quam diligit; similiter qui amat & possidet aliquid, & de ejus possessione non delectatur, illo non fruitur; quæritur ergo in quonam ex his tribus formaliter & essentialiter consistat fruitio, pro cujus solutione

*Resp.* Fruitio proprie nec est amor, nec possessio, sed est delectatio ex amore & præsentia rei amatæ causata. Ratio est, quia ut ait D. Thom. (1. 2. q. 11. *art.* 1. *in corp.*) *fruitio & fructus ad idem pertinere videntur, & unum ex altero derivari*; ergo, sicut fructus est id quod ab arbore ultimo expectatur & cum quadam dulcedine percipitur;

pitur; ita fruitio est quid ultimum quod in re expectamus, & quod cum quadam suavitate percipimus; atqui delectatio est ultimum quod in re expectamus; prius siquidem est quod rem amemus, postea quod illam consequamur, & tandem in ejus possessione quiescamus & delectemur; ergo fruitio consistit essentialiter in delectatione.

*Dices* 1. D. Aug. (*Lib.* 1. *de doctrina Christiana*) ait: *frui, est amore inhærere alicui rei propter se ipsam.* Ergo fruitio consistit in amore.

*Resp. dist. conseq.* Consistit in amore causaliter, *conc.* formaliter, *nego conseq.* Aug. enim loquitur in sensu causali, non formali; amor autem est causa delectationis in qua fruitio consistit; unde idem Aug. (*Lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11.) ait: *frui est cum gaudio uti.*

Quæres 2. *An fruitio sit semper circa finem?*

*Resp. affirm.* Nam fruitio est semper circa illud quod per se est appetibile: atqui solus finis est per se appetibilis; ergo.

*Dices.* Fruitio est æque circa media ac circa finem: quod sic probo: actus virtutum sunt media ad ultimum finem; atqui justus prudenter fruitur & conquiescit in actibus virtutum; ergo fruitio est æque circa media ac circa finem.

*Resp. nego ant.* Ad prob. *dist. maj.* Actus virtutum sunt media non pura, *conc. maj.* sunt media pura, *nego maj.* sunt enim media simul & fines, quibus licitum est frui.

Itaque duplex est medium, purum scilicet & non purum.

*Medium purum*, est res quæ per se nullatenus appetibilis est: talia sunt omnia quæ naturam rationalem nec perficere, nec meliorem reddere possunt, ut sunt omnia temporalia, nempe fama, honor, divitiæ, quibus duntaxat uti licet, nullatenus frui.

*Medium non purum*, est res quæ licet ad finem ulteriorem conducat (sub quo respectu habet rationem medii) per se tamen appetibilis est; & sub hoc respectu habet rationem finis intermedii.

Porro actus virtutum sunt media non pura, quibus uti licet tamquam mediis juxta illud (*Matth.* 19.) *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et frui seu delectari tamquam fine ut docet Regius Psaltes (*Psalm.* 18.) his verbis: *Judicia Domini vera .... desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.*

## ARTICULUS II.

### *An quidquid deliberate vult homo, illud velit propter finem ultimum?*

*Nota* 1. Ultimum finem dupliciter considerari posse:

1. *Confuse* & sub ratione communi, quomodo spectatur ab iis qui hoc unum sciunt quod felices esse velint, nec satis sciunt, an in divitiis, honoribus, &c. felicitatem reperturi sint.

2. *Distincte & determinate*, ut si quis rem determinatam, v. g. Deum, vel divitias sibi proponat tamquam summum bonum, & ad illud assequendum tendat.

*Nota* 2. Humanam voluntatem dupliciter ferri in finem ultimum.

1. *Explicite*, dum quis v. g. eleemosynam dat expresso retributionis æternæ intuitu.

2. *Implicite & virtualiter*, dum quis operatur, nihil de beatitudine, sed de sola appetitus sui expletione cogitans. His præmissis,

Dico. *Quidquid homo deliberate vult, illud vult implicite saltem & virtualiter, propter ultimum finem confuse & in communi spectatum, non autem spectatum in particulari & determinate.*

*Prob.* 1. *pars.* Ille in omnibus actibus deliberatis agit propter finem ultimum, seu beatitudinem, qui semper operatur ut bene sibi sit; atqui homo semper operatur ut bene sibi sit; ergo &c.

*Prob. min.* Ille semper operatur ut bene sibi sit, qui nihil vult nisi quatenus bonum sibi; atqui homo nihil vult nisi quatenus bonum sibi: alioquin posset velle malum qua malum sibi, quod est impossibile, cum malum qua malum nihil habeat quod voluntatem illicere possit; ergo homo semper operatur ut bene sibi sit.

Hinc D. Aug. (*Lib.* 13. *de Trinit. cap.* 5.) ait: *Verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetant.*

*Prob* 2. *pars*: Finis ultimus determinate sumptus est ipse Deus, in quo solo sita est beatitudo nostra: atqui quidquid deliberate vult homo, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus se avertit a Deo, & convertit ad creaturam; ergo quidquid deliberate vult homo, illud non semper vult propter finem ultimum in particulari & determinate spectatum.

*Objicies* 1. Nihil volitum quin præcognitum; atqui homo inter agendum plerumque de fine ultimo non cogitat; ergo plerumque ipsum non appetit.

*Resp. dist. maj.* Nihil volitum expresse quin præcognitum, *conc. maj.* nihil volitum confuse & sub ratione communi, quia præcognitum, *nego maj.* & concessa minor. *dist. conseq.* Ergo homo plerumque non appetit finem ultimum, expresse & in particulari, *conc.* confuse & sub ratione communi, *nego conseq.* ad hoc autem sufficit quod homo in omnibus actibus suis deliberatis quodammodo sibi satisfacere quærat, quod est quidpiam ad beatitudinem spectans, & quasi ejus effluvium.

*Inst.* Si omnis actio humana tendat in beatitudinem in communi, nulla dabitur actio humana otiosa, falsum conseq. *Resp. nego sequel. major.*

*Prob. sequel. maj.* Actio otiosa illa dicitur quæ ad nullum finem ordinatur: at si omnis actio humana respiciat beatitudinem in communi, nulla erit quæ ad aliquem finem non ordinetur; ergo nulla erit otiosa.

*Resp. dist. maj.* Actio otiosa illa dicitur quæ ad nullum finem in particulari ordinatur, *conc. maj.* quæ ad nullum finem spectatum in communi, *nego maj.* & sic distincta min. *nego conseq.* Itaque ideo actio dicitur otiosa quod careat fine aliquo particulari & intermedio ab operante intento.

*Objicies* 2. Justus vult aliquando peccatum veniale; atqui non vult illud propter ultimum finem; non enim illud vult propter Deum ad quem ordinari non potest, nec propter creaturam; alias peccaret mortaliter ponendo finem ultimum in creatura; ergo id omne quod vult homo, non illud vult propter finem ultimum.

Resp.

*Resp. dist. min.* Non illud vult propter finem ultimum determinate & in particulari sumptum, *conc. min.* confuse & in communi sumptum, *nego min.* Itaque appetere finem ultimum in communi nihil aliud est quam velle esse beatum, porro ex D. August. (*in Psalm.* 118.) *beatum esse, tam magnum est bonum, ut hoc & boni velint & mali.* Dum enim peccant, id unum quærunt ut fiant beati; ergo quilibet homo hoc sensu appetit finem ultimum confuse & indistincte.

*Objicies* 3. Voluntas hominis est libera; ergo potest quædam velle, & eadem nolle propter finem ultimum.

*Resp. dist. ant.* Voluntas est libera quoad exercitium, *conc. ant.* quoad specificationem, *subdisting.* respectu finium particularium, verbi gratia, Dei vel creaturæ, in quibus ultimum finem constituere potest, *conc.* respectu finis ultimi generaliter apprehensi, *nego ant.* Unde nihil potest velle, nisi referatur saltem implicite ad beatitudinem in communi.

## ARTICULUS III.

*Utrum homo possit simul intendere plures fines ultimos?*

*Nota.* Finis ultimus alius est adæquatus, alius inadæquatus.

*Finis adæquatus* est is, qui totus & seorsim ab alio, sufficienter movet ad agendum, ut divitiæ respectu avari tantum.

*Finis inadæquatus* est ille, qui simul cum alio fine voluntatem movet ad agendum: sic respectu avari simul & ambitiosi, divitiæ & honores sunt duo fines ultimi inadæquati; his notatis

*Dico, homo non potest agere simul & semel propter plures fines ultimos adæquatos & totales.*

*Probat.* 1. ratione D. Thomæ (1. 2. *qu.* 1. *art.* 5. *in arg. sed contra est.*) ultimus finis adæquatus & totalis debet totaliter dominari voluntati: sed implicat duos esse fines qui totaliter voluntati dominentur, juxta illud Christi (Matth. 7.) *nemo potest duobus dominis servire*; ergo repugnat dari plures ultimos fines totales & adæquatos.

*Prob.* 2. De ratione finis simpliciter ultimi totalis & adæquati est, quod omnia ad ipsum, ipse vero ad aliud non referatur; atqui repugnat simul dari duo ultima hujusmodi: nam vel unum ordinaretur ad aliud, vel non; si ordinaretur, jam esset bonum subordinatum, non ultimus finis; si non ordinaretur ad aliud, istud jam non esset finis ultimus, utpote non subjiciens omnia suæ ordinationi: ergo repugnat duplex ultimus finis simpliciter & adæquatus.

*Dices* 1. Gentiles sibi proponebant plures Deos; ergo & plures fines ultimos.

*Resp. dist. conseq.* Ergo sibi proponebant plures fines ultimos partiales & inadæquatos, *conc.* totales & adæquatos, *nego conseq.*

Itaque Gentiles rationem ultimi finis inter suos deos confictos dividebant, & unum pro uno bono largiendo, alium pro alio colebant, v. g. Martem pro re militari, Apollinem pro scientia, Venerem pro fœcunditate, &c. & ideo omnes dii distributive sumpti, erant eorum finis inadæquatus, & collectio deorum erat finis adæquatus & totalis.

*Dices* 2. Idem homo potest intendere simul diversa peccata mortalia inter se disparata, v. g. furtum, fornicationem, superbiam &c. in quibus finem suum ultimum, saltem interpretative constituat; ergo plures fines simpliciter ultimos saltem interpretative potest habere.

*Resp. nego conseq.* Finis enim ultimus peccantis mortaliter est propria sua delectatio, quæ in omnibus peccatis etiam disparatis una semper & eadem est; ergo semper unum & eundem finem ultimum intendit. Illa vero creatura, propter quam peccat mortaliter, est duntaxat finis proximus ad quem tendit, & a quo ejus actus specificatur, unde licet illa possit esse multiplex, non tamen propterea potest habere plures fines ultimos simpliciter adæquatos. Solutio est Div. Thomæ (*in* 4. *dist.* 42. *qu.* 2. *art.* 1.)

*Inst.* Voluntas ex hoc quod constituit suum ultimum finem in aliquo, non amittit suam libertatem: ergo postquam constituit aliquis suum finem in aliquo, puta voluptate, potest simul constituere suum finem in alio, puta divitiis.

*Resp. nego conseq.* Cum D. Thoma (1. 2. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 3.) dicente: *quod potestas voluntatis non habet ut faciat opposita esse simul, quod contingeret, si tenderet in plura disparata, sicut in ultimos fines.*

# QUÆSTIO II.

*De vera hominis beatitudine.*

*Nota* 1. Beatitudo alia est viæ, alia patriæ.

Beatitudo viæ est *Status bonorum aggregatione dotatus, sed non plene perfectus.*

Beatitudo patriæ definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Dicitur 1. *Status*, id est vitæ conditio stabilis: beatitudo enim inamissibilis est æterna; juxta illud, *Justi in perpetuum vivent* (*Sap.* 5. *vers.* 19.).

Dicitur 2. *Omnium bonorum &c.* id est, summi boni quod dicitur *omne bonum*, *Exodi* 33.

*Nota* 2. Beatitudo alia est objectiva, alia formalis.

Beatitudo *objectiva* est objectum, cujus possessione satiatur appetitus hominis.

Beatitudo *formalis* est actio, qua cum summo voluptatis sensu possidetur objectum beatitudinis: his præmissis agemus

1. De beatitudine objectiva; 2. De beatitudine formali; 3. De dotibus animæ beatæ; 4. De dotibus corporis beati.

## ARTICULUS I.

*De beatitudine hominis objectiva.*

*Dico: beatitudo objectiva hominis sive in via, sive in patria est solus Deus.*

*Prob.* 1. *ex scrip.* dicente (*Joann.* 17.) *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: unde D. August. (*lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 26.) asserit: *ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis Deus est.*

*Prob.*

*Prob.* 2. *ratione*: In eo solo posita est beatitudo hominis, quod solum potest hominis animam ita satiare, ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit; atqui solus Deus est talis, juxta illud D. Aug. (*lib* 1. *Confess. cap.* 1.) *Fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Ergo in solo Deo posita est hominis beatitudo objectiva.

*Prob. min.* Anima hominis non potest satiari, quin perfecte satietur utraque ejus potentia, intellectus scilicet & voluntas; atqui solus Deus potest intellectum hominis satiare, quantum ad cognitionem veri; & voluntatem ejus, quantum ad fruitionem boni; ergo solus Deus potest animam hominis ita satiare, ut nihil ipsi desiderandum supersit.

*Prob. min.* Nam objectum intellectus est universale verum, & objectum voluntatis est universale bonum; atqui verum & bonum universale in solo Deo reperitur, non vero in aliqua creatura quæ solum habet veritatem & bonitatem participatam & ordinatam ad ipsum Deum; ergo solus Deus potest appetitum hominis satiare, quantum ad cognitionem veri & fruitionem boni; ergo solus Deus est beatitudo hominis objectiva.

Hinc sequitur res terrenas, nimirum divitias, honores, voluptates, scientias &c. animam occupare posse, nullatenus satiare.

*Objicies* 1. Bona creata appetitum hominis satiare possunt; ergo possunt esse beatitudo hominis objective: ergo non solus Deus. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Appetitus finitus potest satiari per finiti boni possessionem; atqui appetitus hominis est finitus: ergo.

*Resp. dist. maj.* Appetitus finitus tam intrinsece quam extrinsece potest &c. *conc. maj.* Appetitus finitus intrinsece & finitus extrinsece & objectivæ, *nego maj.* atqui hominis appetitus est finitus intrinsece & quoad entitatem, *conced. minor.* extrinsece & objective, *nego minor.* versatur enim circa omnem veritatem & omnem bonum, sive circa verum & bonum infinitum, unde *nego consequentiam.*

*Inst.* 1. Atqui appetitus hominis non est infinitus objective. ergo.

*Prob. sub.* Ille appetitus qui non potest versari circa objectum infinitum, non est infinitus objective; atqui appetitus hominis non potest versari circa objectum infinitum; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. minor.* Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum; ergo non potest circa illud versari.

*Resp. dist. ant.* Appetitus hominis non potest possidere objectum infinitum possessione civili, *conc. ant.* possessione naturali & physica, *nego ant.*

*Possessio civilis* est detentio rei quoad dominium directum.

*Possessio naturalis* est gratissima creatæ mentis cum summo suo bono conjunctio, atqui mens humana sic cum Deo potest conjungi: ergo.

*Inst.* 2. Ut possimus Deum possidere possessione naturali, & physica, deberet esse quædam proportio inter facultatem quæ possidet, & objectum quod possidetur: atqui Deum inter & facultatem creatam hominis nulla est proportio; ergo.

*Resp. dist. minor.* Nulla est proportio entitatis, *conc. min.* habitudinis, *nego min.*

*Proportio entitatis* est similitudo in natura, qualis est inter duos oculos.

*Proportio habitudinis* est relatio essentialis unius ad aliud, qualis est inter oculum & colores; atqui inter Deum & mentem humanam est relatio essentialis, cum mens humana cognoscere possit & amare; Deus vero cognosci et amari; ergo inter utrumque est proportio habitudinis.

*Inst.* 3. Mens humana non potest attingere objectum infinitum; ergo inter Deum & mentem humanam nulla est proportio habitudinis.

*Resp. dist. ant.* Non potest attingere objectum infinitum, infinito modo, *conc. anteced.* finito modo, *nego anteced.* finita enim actione mens humana versatur circa Deum, alias solus Deus seipsum cognosceret.

*Instab.* 4. Atqui mens humana non potest attingere objectum infinitum, vel si illud attingat, attingit modo finito; ergo nulla solutio. *Resp. nego anteced.*

*Prob. ant.* Facultas quæ objectum infinitum exigit, non exigit illud nisi ut plene satietur: atqui plene satiari non potest, nisi objectum infinitum attingat modo infinito; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Ideo ex nobis facultas, seu appetitus satiari non potest per bona creata, quia post cujuslibet boni creati adeptionem semper superest aliquid quod voluntas appetere possit, nempe bonum infinitum; atqui si voluntas exigat objectum infinitum, & illud non nisi modo finito attingat, supererit etiam aliquid quod voluntas appetere possit, nempe idem objectum perfectiori modo cognoscibile; ergo non satiabitur voluntas, nisi &c.

*Resp. nego minor.* Quia etsi appetitus finitus exigat objectum infinitum, non tamen exigit eidem uniri, nisi quantum potest; atqui non potest ei uniri nisi finito modo; ergo nihil amplius exigit, & consequente perfecte satiatur.

*Objicies* 2. Deus naturali instinctu non expetitur; ergo non est summum hominis bonum. *Respond. nego ant.*

*Prob. ant.* Quod viribus naturæ non possumus obtinere, naturali desiderio non expetimus; atqui naturæ viribus Deum obtinere non possumus; ergo.

*Resp. nego major.* Ut enim aliquid naturali instinctu appetamus, satis est quod sit summum nostrum bonum, & voluntatem nostram ad se rapiat, quocumque modo illud assequi valeamus.

*Inst.* Appetitus naturalis non est homini concessus ad rem impossibilem; ergo naturali desiderio non expetimus id quod naturæ viribus consequi non possumus.

*Resp. dist ant.* Non est concessus ad rem omnimode impossibilem, *conc. ant.* ad rem impossibilem tantummodo naturæ viribus, *nego ant.* Quamvis ergo naturæ viribus æternam felicitatem assequi non valeamus, non tamen dici potest absolute impossibilis, siquidem ejus per gratiam adipiscendæ sumus naturaliter capaces.

*Resolves*, hominem teneri singula sua opera ad Deum tamquam ad suum ultimum finem, & objectum suæ beatitudinis determinatum referre, non quidem actuali intentione, cujus non est capax, sed virtuali: docente Apostolo (*ad Colos.* 3): *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite.*

## ARTICULUS II.

### *De Beatitudine formali hominis.*

Quæstio procedit de beatitudine formali tum viæ, tum patriæ.

### §. I. *De beatitudine formali viæ.*

Quæres 1. *Utrum in præsenti vita sit aliqua beatitudo?*

*Resp.* 1. Non datur perfecta; nam is non potest esse perfecte beatus, qui repletus est miseriis; atqui ex Job. 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; ergo &c.

*Resp.* 2. Datur in præsenti statu aliena beatitudo inchoata & imperfecta. Nam qui summum bonum imperfecte possidet, ille est imperfecte beatus; atqui homo in præsenti vitæ statu summum bonum imperfecte possidere potest, nam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ait D. Joann. (1. *Joann.* 4.); ergo potest esse imperfecte beatus, unde scriptura dicit, *beati immaculati in via* (*Psal.* 118.), & *beatus vir qui timet Dominum* (*Psalm.* 111.).

Quæres 2. *In quo consistit præsentis vitæ beatitudo formalis?*

*Resp.* Consistit in Dei amore; nam in eo consistit hujus vitæ beatitudo, per quod Deo unimur, ipsumque possidemus; atqui unimur Deo, ipsumque possidemus per solum amorem, juxta illud, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* (1. *Joan.* 4.). Ergo præsentis vitæ beatitudo consistit in amore.

*Dices* 1. Fides Deum immediatius attingit quam charitas; ergo in fide sita est hujus vitæ beatitudo.

*Resp. nego ant.* Nam fides versatur quidem circa Deum bonum summum, sed quatenus est absens, charitas vero circa Deum præsentem versatur, *qui* enim *manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo immediatius & perfectius Deum attingit quam fides quæ destituta charitate, est plane informis, reperiturque in peccatoribus, quos nemo dixerit beatos.

*Inst.* Fides prior est charitate, ergo immediatius Deum attingit, quam charitas.

*Resp. nego conseq.* Non enim a prioritate operationis, sed ab ejus dignitate & perfectione desumitur possessio Dei, actus autem charitatis actu fidei perfectior est dicente Apost. (1. *Cor.* 13.) *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.*

*Dices* 2. Ex sanctis Patribus beatitudo hujus vitæ consistit in contemplatione: ergo non in amore.

*Resp. dist. antec.* Consistit in contemplatione speculativa & informi, *nego ant.* affectiva & formata charitate, *conc. ant. Hæc est ultima perfectio activæ vitæ*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 180. *art.* 7. *ad* 1.) *ut scilicet non solum divina veritas videatur, sed etiam ut ametur.*

### §. II. *De Beatitudine formali patriæ.*

*Nota:* Circa essentiam beatitudinis formalis multiplex est sententia.

Prima est Hugonis Victorini qui docuit hominem beatificari per visionem Dei increatam ipsi unitam; quæ sententia est falsa; nam beatitudo formalis est operatio vitalis qua beatus in actu 2. vivit, juxta illud (*Joann.* 17.): *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, &c.* Atqui visio Dei increata non est operatio vitalis hominis beati, cum sit ipsi extrinseca, & omnis operatio hominis sit creata & finita. Ergo, &c.

Secunda est Henrici Gandavensis, qui docuit beatitudinem consistere in illapsu speciali Dei in essentiam animæ, quo anima substantialiter deificetur, & quodammodo in Deum transformetur sicut ferrum candens in ignem; verum hæc opinio rejicitur ab omnibus aliis; nam operatio illa in qua beatitudo formalis consistit, est actus vitalis, procedens a principio intrinseco & virtuali; atqui illapsus Dei in substantiam animæ non est actus vitalis hominis, cum sit actus solius Dei; ergo &c.

*Nec dicas* de ratione præmii esse, quod procedat a solo præmiante; hoc enim verum est de præmio objectivo, id est de re quæ datur in præmium; falsum autem de præmio formali, id est de possessione præmii; hæc enim cum sit actio nostra, debet effective a nobis procedere.

Tertia sententia est cæterorum Theologorum, qui beatitudinem formalem reponunt in operatione animæ; verum cum triplex sit talis operatio, inter se, quoque hi dividuntur.

Thomistæ enim eam reponunt in visione Dei intuitiva, quæ est *cognitio qua Deus videtur facie ad faciem ut in se est.*

Scotistæ eam reponunt in solo amore fruitivo, qui est; *Ille quo summo bono tanquam præsenti & possesso adhæremus.*

Bonaventuristæ eam reponunt in visione simul & amore.

Plurimi tandem in gaudio beatifico, quod est *intimus ac suavissimus creatæ mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia est se bene esse, ut nihil ultra expetat.* Cum quibus

*Dico: beatitudo formalis essentialiter consistit in summo gaudio, quo beati de Deo viso & amato perfunduntur.*

*Prob.* 1. ex Script. & Patribus, ex quibus licet nihil colligi possit quo præsens controversia dirimatur, ut ipse fatetur Gonet Thomista, tamen in nostram propendunt sententiam; dicitur enim Matt. 25. *intra in gaudium domini tui.* Et Psalm. 35. *Torrente voluptatis potabis eos.* Unde D. August. (*L.* 10. *Confess. cap.* 2.) ait: *Beata vita est gaudium de veritate.*

Nec dicas cum adversariis, gaudium esse beatitudinem integralem, non vero formalem, nam D. Doctor asserit beatitudinem esse solum gaudium. *Domine*, inquit (*L.* 10. *Confess. cap.* 23.), *Ipsa est vita beata gaudere de te, ad te, propter te: ipsa est, non altera.*

*Prob.* 2. Beatitudo formalis est status beati quo in summo bono clare viso & amato tamquam in suo fine ultimo omnimode satiatus, suavissime conquiescit; atqui talis status formaliter habetur per gaudium, cum gaudium nihil aliud sit quam suavissimus ille sensus, quo posito mens ita contenta est ut nihil amplius appetat, sed in ipso conquiescat; ergo

ergo in summo illo gaudio formaliter consistit beatitudo.

*Objicies* 1. In eo quod solum est proprietas beatitudinis, non consistit formaliter beatitudo; atqui gaudium est solum proprietas beatitudinis; ergo &c. *Resp. nego min.* Quod ex visione & amore fluit, est tantum proprietas beatitudinis; atqui gaudium ex visione & amore fluit ergo.

*Resp. nego min.* Equidem visio & amor sunt veluti conditio sine qua beati non gauderent; sed non sunt principium essentiale a quo fluat gaudium, cum illa ex natura sua non producant gaudium, sed ex eo solum producitur quod beatus conscientiam habeat, se nihil amplius habere expetendum.

*Prob. min.* Illud fluit ab amore vel visione, quod positis amore & visione, supponit beatitudinem essentialiter completam; atqui gaudium, positis visione & amore, supponit beatitudinem essentialiter completam, ergo &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Illud supponit beatitudinem essentialiter completam, quod supponit possessionem Dei adæquatam, atqui gaudium, positis visione & amore, supponit possessionem Dei adæquatam: ergo.

*Resp. nego maj.* Nam possessio Dei est quasi materia beatitudinis, gaudium vero quod ex illa possessione percipitur, est quasi ejus forma; atqui res non potest in suo esse formali constitui nisi per ejus formam; sic v. g. Avarus quantumvis ingentes divitias possideat, non intelligetur beatus nisi intelligatur degustare pecuniæ suæ voluptatem; ergo beatitudo formalis non potest concipi in possessione Dei nisi ei addatur intimus ille & suavissimus voluptatis lætitiæ sensus.

*Inst.* 1. Miseria damnatorum formaliter consistit in privatione Dei ab ipsis nec visi nec amati; ergo a pari beatitudo formaliter consistit in possessione Dei.

*Resp. nego ant.* Nam miseria damnatorum non consistit præcise in tali privatione Dei, sed insuper requiritur tristitia ex illa privatione orta: sic Martyres qui non erant tristes, imo qui superabundabant gaudio, non erant miseri: ergo a contrario formaliter beati non sunt qui de bono possesso non gaudent.

*Inst.* 2. Amor est forma beatitudinis, ergo non gaudium. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Amor est summi boni fruitio; atqui fruitio est beatitudinis forma; ergo.

*Resp. nego maj.* Amor enim est solum actus quo amatur summum bonum; fruitio vero est ipsum gaudium, seu suavis animæ voluptas resultans ex summi boni possessione per visionem & amorem, fruitio enim est actus voluntatis suaviter in boni amati possessione quiescentis.

*Inst.* 3. Ergo amor fruitivus est forma beatitudinis.

*Resp. dist. Natum*: Amor fruitivus præcise quatenus est amor, est forma beatitudinis, *nego*; quatenus est fruitio, *conc.* fruitio enim idem est ac ipsum gaudium.

*Objicies* 2. Cum Thomistis: beatitudo formalis consistit in visione intuitiva; ergo non in gaudio.

*Prob. ant.* Beatitudo formalis consistit in eo quod satiat appetitum hominis: atqui talis est visio, dicente scriptura (*Psalm.* 16.) *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Beatitudo consistit in eo quod satiat appetitum hominis formaliter, *conc. maj.* præsuppositive, *neg. maj.* atqui visio satiat appetitum hominis præsuppositive, *conc. min.* formaliter, *nego min.* Itaque beatitudo formalis præsupponit visionem eo fere modo quo species præsupponit genus quod contrahit & determinat; sed quemadmodum genus non constituit rem formaliter, ita nec visio constituit beatitudinem formaliter.

*Inst.* 1. Beatitudo formalis in eo consistit quod constituit vitam æternam: atqui visio constituit vitam æternam: dicente Christo (*Joann.* 17.) *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum &c.* ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Quod constituit vitam æternam formaliter, *conc. maj.* præsuppositive, & causaliter, *nego maj.* & sic ad minorem. Nec aliter intelligi debet textus citatus.

*Inst.* 2. Beatitudo sita est in operatione hominis præstantisssima; atqui cognitio est operatio hominis præstantissima; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Beatitudo sita est in operatione hominis præstantissima in genere plenæ appetitus satietatis, *con. maj.* in genere entis, *nego maj.* atqui cognitio est operatio præstantissima in genere entis, *conc. min.* in genere appetitus satietatis, *nego min.* talis est sola voluptas quam mens percipit ex Dei possessione.

*Inst.* 3. Illa operatio est præstantissima, quæ est quid primum in re: atqui visio est quid primum in beatitudine, est enim prior tum amore, tum gaudio; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Essentia enim beatitudinis (sicut præstantia operationis beatificæ) non desumitur ab illa naturæ prioritate, sed a perfecta appetitus quietatione quæ habetur formaliter per solum intimum sensum, quo beatus ita sibi conscius est se esse bene, ut nihil amplius appetendum habeat.

*Inst.* 4. Sublata visione tollitur beatitudo; ergo essentia beatitudinis consistit in visione.

*Resp. Retorqueo*: Sublata animalitate tollitur homo, ergo essentia hominis consistit in animalitate. Ratio est quia sublata parte, tollitur totum; inde itaque sequitur tantum visionem præsupponi ad beatitudinem formalem; verum inde non sequitur ipsam esse beatitudinem formalem.

## ARTICULUS III.

### *De Dotibus animæ beatæ.*

*Nota.* Dotes animæ beatæ sunt tres, nempe inamissibilitas gloriæ, impeccabilitas; & modus quo Deum diligit, circa quos

Quæres 1. *An beatitudo sit inamissibilis?*

*Resp. affirm.* Nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui si non esset perpetua & inamissibilis, non esset talis status, quia cum timore possideretur: ergo &c. hinc scriptum est: (*Sap.* 5.) *Justi in perpetuum vivent*, & (*Matth.* 25.) *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Quæ-

Quæres 2. *An beati sint impeccabiles?*

*Resp.* Sunt impeccabiles, & quidem ab intrinseco.

*Prob.* 1. *pars.* Summa miseria non est compatibilis cum summa & æterna gloria; atqui peccatum est summa miseria; beatitudo est summa & æterna gloria; ergo simul non possunt esse in eodem subjecto; ergo beati sunt impeccabiles.

*Prob.* 2. *pars.* Beatitudo necessario includit amorem beatificum; atqui peccatum cum amore beatifico compati non potest ex ipsa natura status gloriosi beatorum; nam peccatum est aversio a Deo, amor vero beatificus est intima unio cum Deo; atqui repugnat aliquem esse simul aversum a Deo, & cum Deo intime unitum; ergo beati sunt impeccabiles ab intrinseco.

*Dices.* Peccatum veniale non est aversio a Deo: ergo cum amore beatifico potest conjungi.

*Resp. nego conseq.* Etsi enim peccatum veniale non *avertat* a Deo ut ultimo fine, *divertit* tamen ab ipso; sed cum amore beatifico est incompossibilis nedum aversio a Deo, sed etiam diversio; cum enim amor beatificus sit continuus & nunquam interruptus, omnia quæ beatus diligit, refert & ordinat in divinam bonitatem in ultimum finem; ergo cum illo nedum aversio, sed nec etiam diversio a Deo, compossibilis est.

Quæres 5. *An beati libere ament Deum?*

*Resp. negat.* Sed illum amant necessario tum necessitate specificationis, ita ut non possint ipsum odisse; tum necessitate exercitii, ita ut non possint ab ejus amore cessare.

Prima pars a nemine negatur: cum enim in Deo clare viso nulla apparere possit ratio mali, nullo pacto voluntas quæ est appetitus boni, ipsum odio potest habere; ideo

*Prob. secunda pars.* Contra Scotistas; voluntas cum sit appetitus rationalis, non potest cessare ab aliquo actu, nisi in illo intellectus concipiat aliquam rationem mali, vel in ejus cessatione aliquam rationem majoris boni: atqui neutrum horum potest judicare beatus de amore Dei; *non primum*, si enim posset beatus concipere rationem mali in exercitio amoris Dei, vel esset defatigatio, vel fastidium: atqui nulla est defatigatio in exercitio amoris Dei, cum non dependeat ab organo corporeo; nullum etiam fastidium, cum talis actus infinitæ sit suavitatis & dulcedinis; ergo &c. *non etiam secundum*: nullum enim est majus bonum intima cum Deo conjunctione; atqui beatus concipit se per exercitium amoris intime conjungi cum Deo; ergo &c.

*Dices.* Charitas viæ & charitas patriæ sunt ejusdem speciei; atqui tamen charitas viæ non est necessaria quoad exercitium; ergo nec charitas patriæ.

*Resp. dist. maj.* Sunt ejusdem speciei & habent diversum modum operandi, *conc. maj.* & habent eundem modum operandi, *nego maj.* Modus itaque operandi charitatis sequitur principium quo regulatur: atqui charitas patriæ regulatur per lumen gloriæ & claram visionem, quæ Deum ut summum bonum necessario proponunt; ergo ut necessario diligendum: econtra charitas viæ regulatur per fidem & cognitionem obscuram, quæ non repræsentat Deum clare ut est in se; ergo non ut necessario diligendum.

*Inst.* Omnis actus potentiæ liberæ, est liber: sed voluntas est potentia libera: ergo amor beatus est liber, saltem quoad exercitium.

*Resp. dist. maj.* Est liber quoad bonum commutabile, *conc. maj.* quoad bonum incommutabile & infinitum, *subdist.* per speciem visum, ut videtur per fidem in via, *conc.* visum clare ut est in se, *nego maj.* Circa illud enim sic clare visum voluntas non gaudet nisi libertate coactionis, quia in suis actibus vim pati non potest.

## ARTICULUS IV.

### *De Dotibus corporis beati.*

*Nota.* Cum dotes corporis beati supponant resurrectionem, ideo agemus 1. contra Saducæos, (*Matth.* 12.) de resurrectione corporum; 2. de dotibus corporum beatorum.

*Dico* 1. *Futura est omnium hominum resurrectio.*

*Prob.* 1. ex Script. Job 19. *Scio quod redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea &c.* & ex Apost. dicente: (1. *Cor.* 15.) *canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

*Prob.* 2. Ex fidei nostræ symbolis Apostolico & Constantinopolitano expresse confitentibus corporum resurrectionem, *Credo carnis resurrectionem*; *expecto resurrectionem mortuorum &c.*

*Objicies* 1. Eccl. 3. dicitur: *unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio*; atqui jumenta non resurgunt; ergo nec homo.

*Resp. dist. textum.* Est æqua utriusque conditio ex parte miseriarum hujus vitæ, potissimumque mortis, quæ cumulus est miseriarum, *conc.* ex omni parte, *nego.* Hic est verus Eccl. sensus.

*Instab.* 1. Job 14. dicitur: *Homo cum dormierit, non resurget donec atteratur cælum*: sed cælum numquam atteretur; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Numquam cælum atteretur, quoad substantiam, *conc.* quantum ad effectus virtutis per quam movet ad generationem & corruptionem inferiorum, *nego.* Hoc enim sensu Apost. (1. *Cor.* 7.) ait: *præterit figura hujus mundi.*

*Inst.* 2. Psalm. 1. dicitur, *non resurgent impii in judicio*: ergo saltem resurrectio non erit omnium.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim textus est impios non ad judicium, sed ad pœnam resurrecturos; vel *dicendum* cum D. Thom. (*in supp. quæst.* 75. *art.* 2. *ad* 1.) *quod* Psalmista *loquitur de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in judicio discussionis conscientiæ*, quo boni seipsos dijudicant, ut non judicentur.

*Instab.* 4. Per resurrectionem homines conformantur Christo resurgenti, juxta Apostolum dicentem; *quod si Christus resurrexit, & nos resurgemus.* Atqui peccatores non possunt conformari Christo resurgenti; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Illi possunt conformari Christo resurgenti, qui portaverunt imaginem Christi; atqui impii non portaverunt imaginem Christi; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Non portaverunt imaginem Christi, in his quæ pertinent ad gratiam, *conc.* in his quæ ad naturam speciei pertinent, *nego min.* &

ideo

*ideo omnes Christo conformabuntur in reparatione vitæ naturalis, non autem in similitudinem gloriæ*, sed soli boni, ait D. Thomas citatus.

*Objicies* 2. Juxta fidem resurrectionis anima debet idem numero corpus resumere quod habuit in terris; atqui plerumque hoc est impossibile, ergo &c.

*Resp. nego min.*

*Prob. min.* Suppono Petrum esse filium alicujus antropofagi, qui non nisi carnibus humanis nutritus sit, adeo ut ipsum semen unde Petrus genitus est, ex aliorum hominum carnibus prodierit; suppono pariter Petrum non nisi aliorum hominum carnibus vesci: hac facta hypothesi, sic argumentor.

Impossibile est ut Petrus in illa hypothesi resurgat in eadem carne quam in terris habuit, cum illa caro pertineat ad alios homines qui cum ea resurgere debent; ergo plerumque impossibilis est resurrectio.

*Resp.* Etiam in hac hypothesi *nego ant.* nam ad resurrectionem sufficit ut identitas materiæ aliquo modo servetur; & ideo tam Petrus quam alii homines, ex quorum carnibus formatum esset ejus corpus (cum servent eandem aliquo modo materiam) resurgerent, Deo aliunde supplente id quod deesset, quemadmodum supplebitur eis qui statim ut nati sunt moriuntur, & qui tamen resurgent in ætate perfecta, nempe triginta aut triginta trium annorum, juxta illud Apostoli (*Ephes.* 4.) *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

*Dico* 2. *Quatuor erunt dotes corporis beati*, scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas & claritas.

*Prob. ex Apost.* has dotes significante (1. Cor. 15.) his verbis: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

Impassibilitas est *qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, ab eo excludens omnen passionem corrruptivam*; non vero perfectivam, nam sensus corporis beati exquisitissimis delectationibus afficientur.

Subtilitas est *qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum quod reddit alterius corporis penetrativum;* sic corpus Christi resurrexit clauso sepulcro.

Agilitas est *qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum illud reddens imperceptibiliter & celerrime mobile*, sine lassitudine & labore.

Claritas est *qualitas supernaturalis dimanans ab anima beata in corpus gloriosum, qua redditur luminosum ac simile crystallo.*

Quæres *Quid & quotuplex sit aureola?*

*Resp. ad primum*: Aureola corona, est animæ beatæ gaudium accidentale de excellenti victoria sua, in corpus speciali fulgore redundans.

*Resp. ad secundum*: Tres sunt aureolæ; nam tot sunt aureolæ quot sunt insignes victoriæ adversus salutis nostræ hostes; mundum scilicet, carnem et diabolum reportatæ; atqui tres sunt insignes illæ victoriæ: prima est martyrum qui de mundo; secunda est virginum qui de carne, tertia doctorum qui de diabolo triumpharunt; ergo, &c.

## CAPUT II.

### *De natura Actuum Humanorum.*

*Nota* 1. Actus qui ab homine procedunt, sunt actus hominis, & actus humanus.

Actus *hominis*, est ille qui naturaliter procedit ab homine absque rationis advertentia & libertate; tales sunt motus *primo primi.* Unde spectatur secundum suum *esse naturale.*

Actus *humanus*, est ille qui procedit ab homine cum rationis advertentia, & libertate; unde spectatur secundum suum *esse morale.* Porro

Actus humanus duplex est, *elicitus* nimirum & *imperatus.*

*Actus voluntatis elicitus*, est is qui immediate a voluntate procedit absque imperio voluntatis: talis est amor, odium.

*Actus voluntatis imperatus*, est is qui immediate producitur a potentia ad agendum mota ex imperio voluntatis.

Dicitur *a potentia*: nempe vel ipsa voluntate sibimet imperante, & tunc est actus imperatus & elicitus, ut actus contritionis; vel alia potentia, & tunc est actus voluntatis imperatus tantum, elicitus autem ab alia potentia, ut meditatio, deambulatio, &c.

*Nota* 2. Cum prima conditio actuum humanorum sit ut a voluntate procedant libere, agemus hic 1. de voluntario; 2. de voluntario libero, seu de libertate; 3. de involuntario & ejus causis.

## QUÆSTIO I.

### *De voluntario.*

Quæres 1. *Quid est voluntarium?*

Resp. Voluntarium est *id quod est a principio intrinseco cum cognitione singulorum in quibus est actio.*

Dicitur 1. *id*: hoc est actio, vel passio, vel omissio.

Dicitur 2. *quod est a principio intrinseco*: nempe a voluntate, ut distinguatur a violento, quod a principio extrinseco prodit.

Dicitur 3. *cum cognitione*: ut distinguatur a motu naturali, cujus principium est quidem internum, sed a nulla prælucente cognitione dirigitur.

Dicitur 4. *singulorum in quibus est actio*: id est finis & circumstantiarum quæ ad actionem pertinent; quia quidquid est vere voluntarium, debet qua tale esse præcognitum. Hinc si una circumstantia agentem lateat, actio quoad illam, non erit voluntaria; unde qui percutit Clericum nesciens esse Clericum, *injustitiæ, non autem sacrilegii peccatum admittit.*

Quæres 2. *Quotuplex sit voluntarium?*

*Resp.* Voluntarium dividitur multipliciter.

1. In voluntarium necessarium, & liberum.

*Voluntarium necessarium* est illud quod ita procedit a voluntate, ut positis omnibus ad procedendum prærequisitis, non possit non procedere; talis est amor beatificus, ad quem voluntas est determinata.

*Voluntarium liberum* est illud quod ita procedit a voluntate, ut positis omnibus prærequisitis, adhuc possit non procedere: quia est indifferentia ad opposita; tales sunt omnes actiones nostræ deliberatæ.

2. *Dividitur* in voluntarium perfectum & imperfectum.

*Voluntarium perfectum* est quod procedit a voluntate ex perfecta cognitione singulorum in quibus est actio.

*Voluntarium imperfectum* est quod procedit a voluntate ex imperfecta cognitione finis, & mediorum ad finem.

3. *Dividitur* in positivum & negativum.

*Voluntarium positivum* est illud, quod procedit a voluntate per actum ejus positivum.

*Voluntarium negativum* est illud, quod procedit per meram voluntatis omissionem absque actu positivo; de hoc commodius agemus in tractatu de peccato omissionis.

3. *Dividitur* in expressum & tacitum.

*Voluntarium expressum* est illud quod distincte verbo aut alio signo declaratur.

*Voluntarium tacitum* est illud, quod distincte non declaratur, sed ex quodam facto, aut facti omissione colligitur, juxta hanc regulam juris: *qui tacet, consentire videtur:* Circa quod

Quæres 1. *Quandonam taciturnitas consensui æquivalere censeatur?*

*Resp.* Id dignosci ex duplici tantum capite.

1. Dum aliquid favorabile proponitur, non vero dum quod proponitur est odiosum; ratio est: quia nemo censendus est recusare quod commodum, bene autem quod onerosum.

*Hinc* si quis pro te præsente nec contradicente, fidejubeat, censeris ratum habere, quia beneficium tibi contulit.

2. Dum qui tacet, loqui tenetur, non vero cum loqui non tenetur.

*Hinc* 1. Pater, Dominus, Superior qui subditos quos vident delinquere, non corripiunt cum facile possunt, eorum vitia approbare censentur; non autem si taceant, quia prudenter timent ne ex sua correptione graviora exurgant mala aut scandala, quia in primo casu loqui tenentur, non in secundo.

*Hinc* 2. Reus qui a legitimo judice interrogatus, tacet, fateri censetur: quia legitime interrogatus, respondere tenetur.

5. *Dividitur* in directum seu in se, & indirectum seu in alio.

*Voluntarium directum* est illud, quod est in se ipso volitum, ut si quis inimicum suum pugione mactet.

*Voluntarium indirectum* est illud, quod non quidem in seipso, sed tantum in sua causa est volitum: id est in aliquo actu, vel actus omissione ex quibus sequitur aliud. Eo sensu volita est occisio illius qui libere se inebriat, prævidens se, cum ebrius erit, homicidii capacem fore.

Circa voluntarium directum & indirectum.

Quæres 1. *Quotuplex est voluntarium directum?*

*Resp. triplex*, nempe actuale, virtuale & habituale.

*Voluntarium directum actuale* est ipsumet actuale exercitium voluntatis, quod fieri potest dupliciter, 1. *per actum signatum*, dum quis per reflexionem signat actum quem exerciturus est dicens: *volo hoc facere:* v. g. consecrare. 2. *Per actum exercitum*, cum quis sine tali reflexione super suum actum, attente agit. Sic Sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super suum actum, attente & cum plena sui cognitione profert verba consecrationis, vult consecrare *in actu exercito.*

*Voluntarium directum virtuale* est voluntarium actuale quod præcessit, ac moraliter perseverat in agente, quandiu non fuit revocatum per contrariam volitionem; talis est intentio in Sacerdote qui ex voluntate actuali consecrandi, Missam inchoat, sed paulo post ita distrahitur, ut amplius non advertat ad id quod facit; nihilominus consecrat virtute intentionis quam habuit & quæ moraliter perseverat.

*Voluntarium habituale* est illud quod fuit actu elicitum, nec fuit revocatum, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interruptum, ita ut non influat in actum humanum nec per se, nec per virtutem a se relictam. Sed de his plura dum agemus de intentione Ministri sacramentorum, ubi mentem nostram commodius explicabimus.

Quæres 2. *Circa voluntarium indirectum, quot requirantur ut effectus, qui ex aliqua causa sequitur, sit voluntarius & moralis*, id est ut ad meritum vel demeritum imputetur?

*Resp.* Tria requiruntur, quorum

Primum ut operans prævideat ut prævidere possit & debeat, effectum hunc ex causa secuturum esse, quia quod nullatenus potest esse cognitum, nullatenus potest esse voluntarium; econtra quod potuit esse cognitum, est penitus voluntarium, juxta commune effatum, *scire & debere scire sunt paria.*

Hinc qui sæpius expertus est rixas, blasphemias, pollutiones ex ebrietate sua ortas fuisse, licet de his dum vino indulgebat, non expresse cogitaverit, ipsi censentur voluntariæ, quia facile potuit & debuit advertere.

Secundum, ut operans effectum hunc impedire possit, ejus causam auferendo; quia ut docet D. Aug. (*l.* 3. *de lib. arb. cap.* 18.) *nemo peccat in eo quod vitare non potest: peccatur autem; vitari igitur potest.*

Hinc graviter peccat mulier quæ etiam sine prava intentione, & ut morem sequatur, aperto sinu incedens, aliis est occasio ruinæ spiritualis, quia hanc peccati occasionem auferre potest.

Tertium, ut operans hanc causam auferre teneatur, aut saltem nullum jus habeat eam ponendi, quia nempe nulla subest eam ponendi necessitas aut utilitas.

Hinc mulier eleganti formæ, sed modestæ quæ incedens aliis est occasio ruinæ spiritualis, non peccat, quia non tenetur auferre hanc causam domi manendo; nam incedendo utitur jure suo circa rem de se licitam & honestam.

Hinc Chirurgus licite mulierem in necessitate curat in secretioribus, licet ex eorum necessario aspectu, & tactu prævideat, se turpes carnis motus passurum: modo absit periculum consensus. Ratio est, quia non tenetur actionem illam non ponere, aut positam omittere, cum eam ponendi justam habeat causam.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

*De voluntario libero, seu de libertate.*

*Nota* 1. Libertas secundum vim nominis, idem est ac immunitas a servitute, & ideo totuplex est libertas, quotuplex est servitus; atqui quadruplex est servitus, peccati scilicet, miseriæ, coactionis & necessitatis simplicis: ergo &c.

Libertas a peccato habetur per gratiam, redditque hominem sanctum .... libertas a miseria habetur per gloriam, redditque hominem beatum .... libertas a coactione habetur per spontaneitatem, redditque hominem sponte volentem .... libertas a necessitate simplici habetur per indifferentiam voluntatis, redditque hominem perfecte liberum; de duobus ultimis hic agimus; ideo sit

*Libertas a coactione*, seu *spontaneitatis*, est immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem ab extrinseco illata. Hæc dicitur *essentialis*, quia est inseparabilis ab homine, cujus voluntas non potest cogi quoad actus suos internos, & convenit omni qui non coacte, sed sponte agit, etiamsi necessario agat; hoc sensu pater in divinis libere generat filium.

*Libertas a necessitate simplici*, quæ etiam *electionis*, *indifferentiæ & arbitrii* dicitur, eo quod per illam unum præ alio eligi possit, & *accidentalis*, eo quod in homine esse & abesse possit, vulgo definitur: *potentia activa quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest ex se agere, vel non agere, aut hoc agere vel ejus contrarium*; explico.

Dicitur 1. *potentia activa*: voluntas nempe, quæ *a Deo mota & excitata cooperatur assentiendo Deo vocanti & excitanti*, ut definivit Concilium Tridentinum (*Sess.* 6. *can.* 4.)

Dicitur 2. *quæ positis omnibus*, &c. si enim unum ex prærequisitis ad agendum desit, profecto in actum potentia prorumpere nequit.

Dicitur 3. *potest ex se*: id est non ab alio determinante, sed ex sua propria determinatione, cum voluntas sit potentia suorum actuum domina & arbitra.

Dicitur 4. *potest agere vel non agere*; v. g. amare vel non amare, & est libertas *contradictionis & exercitii*.

Dicitur 5. *aut hoc agere vel ejus contrarium*, v. g. eligere bonum vel malum, virtutem vel vitium, & est libertas *contrarietatis* seu *specificationis*.

*Nota* 2. Libertati opponitur necessitas quæ est determinatio ad unum, & multipliciter dividitur:

1. In necessitatem antecedentem seu absolutam, quæ etiam *consequentis* dicitur; & in necessitatem consequentem seu conditionatam, quæ etiam *consequentiæ* dicitur.

*Necessitas antecedens* est ea quæ vel rationis & voluntatis usum antecedit, ut fit in motibus primo primis, & dicitur involuntaria seu indeliberata; vel quæ licet fiat ex plena rationis advertentia, sic tamen voluntatis consensum indeclinabiliter antecedit, ut eum invincibiliter & insuperabiliter exprimat, sive *immutabiliter*, qualis est necessitas amandi Deum intuitive visum; sive *mutabiliter & transitorie*, qualis in sententia Jansenii inducitur ex delectatione relative superiori sive ad malum, cui voluntas nec unquam vult, vel velle potest resistere relative, id est in his quibus versatur circumstantiis.

*Necessitas consequens* est ea quæ liberam voluntatis determinationem sequitur; tali necessitate necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim.

2. Dividitur in necessitatem specificationis, & exercitii.

*Necessitas specificationis* est determinatio facultatis ad objectum, ita ut in oppositum ferri non possit, sic Christus ita ad bonum erat determinatus ut non potuerit peccare.

Hæc necessitas *specificationis* ad unum non impedit libertatem *exercitii*, circa idem; sic Christus qui ratione suæ impeccabilitatis determinatus erat ad bonum, liber tamen fuit quoad exercitium in hoc vel illo bono prosequendo.

*Necessitas exercitii* est determinatio facultatis actum, ita ut ab isto actu non possit abstinere: sic Deus ab amore sui non potest abstinere.

Hæc necessitas exercitii circa unum, non impedit libertatem circa aliud: sic Deus libere amat creaturas.

3. Dividitur in necessitatem physicam & moralem.

*Necessitas physica* est antecedens & naturalis ad unum determinatio, qua voluntas ita vult unum ut aliud hic & nunc velle non possit.

*Necessitas moralis* est summa difficultas vel operandi bonum, vel abstinendi a malo, quæ tamen actu & de facto vinci potest, qualis ex inveteratis habitibus contrahitur.

*Nota* 3. Totam & integram servari libertatem arbitrii cum sola indifferentia contradictionis, dempta indifferentia contrarietatis ad malum quæ ad naturam & perfectionem libertatis non pertinet, imo potius ad ejus defectum & imperfectionem, juxta illud D. Thom. (1. *p. q.* 62. *art.* 8. *ad* 3.) *quod liberum arbitrium eligat divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Nam Deus est liber erga creaturas, quamquam malum agere non possit. Unde cum apud scripturam & Patres liberum arbitrium describitur per indifferentiam ad bonum & malum, tunc non describitur per id quod est essentiale illi generatim sumptæ prout Deo, Angelis & hominibus convenit, sed per merum statum illi accidentalem, quem scilicet habet in omnibus viatoribus, quorum voluntas ad bonum & malum est flexibilis.

*Nota* 4. Subjectum libertatis aliud esse *mediatum*, seu denominationis, & est omnis & sola natura intellectualis, cum liberum arbitrium supponat eminentem quemdam cognoscendi modum, qui non reperitur nisi in naturis intellectualibus. Aliud *immediatum*, & est sola voluntas; nam liberum arbitrium ad illam solam facultatem pertinet cujus est eligere, cum actus proprius liberi arbitrii sit electio; atqui sollus voluntatis est eligere, cum eligere nihil aliud sit quam unum velle præ alio, vel unum velle potius quam nolle; ergo.

Potest

Potest tamen dici quod libertas arbitrii sit in intellectu, non quidem *formaliter*, cum intellectus non sit facultas electiva & actuum suorum domina, sed *radicaliter*, quatenus ad actum liberum requiritur indifferentia judicii, hoc est tale rationis judicium quo voluntati objectum proponitur ut non necessario, sed libere & indifferenter amandum, nempe propter varias boni & mali species, quæ nobis in propositis objectis permixtæ in hac vita repræsentantur, juxta D. Thom. (*L. 4. de statu nat. lapsæ cap. 24.*) dicentem: *ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.* Sed

Quærunt hic Theologi: *Utrum voluntas a judicio intellectus practico determinetur?* ad quod

*Resp. nego.* Nam ideo voluntas est libera, quia positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere vel non agere, sed unum ex prærequisitis ad agendum, ipsum est judicium practice practicum; nam absque prævia objecti cognitione non solum voluntas non operatur, sed nec operari potest, ergo vel voluntas non est libera, vel posito judicio practice practico dictante conveniens esse hic & nunc objectum amare, vel suspendere actum amoris, potest amare, vel non amare.

*Nec dicas.* Voluntas nunquam agit contra judicium intellectus practice practicum; ergo ab illo determinatur.

*Resp. nego ant.* Posito enim quocumque antecedente judicio, voluntas semper manet libera in eligendo.

*Inst.* Si voluntas posset quidquam eligere contra judicium intellectus practice practicum, peccatum esset in voluntate sine errore in intellectu; atqui falsum consequens ex isto Proverb. *Errant qui operantur malum*; & ex isto effato, *Omnis peccans est ignorans.* Ergo.

*Resp. nego min.* Ad Textus *dist.* qui operantur malum, errant male judicando, *nego*, male eligendo, *conc.* textum, qui aperte loquitur de errore *malæ electionis*, ut ait D. Thom. (1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. in *corp.*)

*Nota* 5. Multi circa humanam libertatem erraverunt, nam

1. Ex Veteribus, Stoici qui ex fato, astrologi qui ex syderum influxu, Manichæi, qui ex concreata animæ duplici bonitate vel malitia, omnia fieri docuerunt, hominibus liberum arbitrium ademerunt.

2. Ex Novatoribus, humanæ libertati bellum præcipue indixerunt Lutherus, Calvinus, Bajus & Jansenius, qui omnes in eo consentiunt, quod rejiciant libertatem indifferentiæ, & solam agnoscant libertatem a coactione, quam libertatem sufficere ad liberum arbitrium contendit Jansenius dicens (*L. 4. de statu nat. laps. cap. 24.*) *Satis est quod plena voluntate feratur in malum, sive ab ista diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit*; & sic liberum arbitrium voce tenus retinet, rem vero ipsam & dogma catholicum rejicit; qui errores ut statim configantur, quærendum nobis est

1. Utrum ad liberum arbitrium sufficiat libertas a coactione?

2. Utrum ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiratur libertas a necessitate etiam simplici, seu invincibili ad unum determinante?

3. Utrum homo lapsus habeat libertatem a necessitate, & indifferentiam ad utrumlibet? His positis

*Dico* 1. *Ad liberum arbitrium non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a simplici necessitate.* Est contra Jansenium (*L. 6. de grat. Christi per totum*).

*Prob.* 1. Auctoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. a quibus damnatæ sunt hæ propositiones Baji. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ergo liberum arbitrium non consistit in solo voluntario, seu quod idem est, ad libertatem arbitrii ad merendum vel demerendum necessariam, non sufficit sola libertas a coactione.

*Prob.* 2. Quia ea sola potentia est libera libertate arbitrii, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere; ergo ea potentia libera non est libertate arbitrii, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis non potest actum suum suspendere, sed invincibili necessitate ad unum determinatur; nec refert quod illa necessitas sit fluxa & transiens, quia perinde reddit suspensionem actus impossibilem, ac si esset perpetua & immutabilis.

*Prob.* 3. Liberum arbitrium ex D. Thom. (1. *p. q.* 61. *art.* 8.) est *vis electiva mediorum*; sed vis electiva non potest subsistere cum antecedenti necessitate, & intrinseca ad unum determinatione, ex eodem D. Thom. dicente (1. 2. *q.* 13. *art.* 2.), *cum electio sit præacceptio unius respectu plurium quæ eligi possunt, & ideo in his quæ sunt determinata ad unum, electio locum non habet*; ergo liberum arbitrium non potest subsistere cum necessitate antecedente, etiam simplici & voluntaria.

*Prob.* 4. Ad libertatem arbitrii essentialiter requiritur ut agens sit Dominus suorum actuum, juxta illud Apostoli (1. *Cor.* 7.) *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*; atqui per solam libertatem a coactione voluntas non est domina suorum actuum, cum sit ad unum determinata: nam ex D. Thom. (*l.* 1. *contra gent. cap.* 68.) *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem voluntatis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis.* Et ex D. Aug. (*l. de Spiritu & Littera cap.* 31.) *Hoc quisque habere in potestate dicitur quod si vult facit, si non vult non facit.*

*Objicies* 1. Cum Jansenio, liberi arbitrii ratio in eo consistit quod actus nostros habeamus in nostra potestate; atqui actus pure spontanei, seu a sola coactione immunes, sunt in nostra potestate, ergo sunt liberi; ergo liberum arbitrium salvatur in sola spontaneitate.

*Resp. nego min. Prob.* ex Aug. (*lib. de lib. arbitr. cap.* 3.) *dicente; Illud nos habere in potestate dicimur, quod cum volumus facimus*; sed actus pure spontaneos & necessarios facimus cum volumus; ergo sunt in nostra potestate.

*Resp. dist. maj.* Illud habemus in potestate quod cum volumus facimus, ita ut possit non fieri, *conc. maj.* ita ut non possit non fieri, *nego maj.* atqui actus necessarios facimus cum volumus, ita ut non possimus ipsos non facere, *conc.* ita ut possimus ipsos non facere, *nego min.* Itaque ad liberam volitionem non satis est quod fiat cum volumus, sed requiritur ut possit non fieri, seu potestas ad oppositum patet ex ipso August. (*l. de Spiritu & Lit. cap.* 31.) dicente: *hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Favet etiam communis & usitatus loquendi modus, secundum quem cum dicimur facere aliquid *cum volumus* aut *si volumus*, subintelligi solet, *& non facere cum volumus*, aut *si volumus*, ita ut sit in nostra potestate facere prout libet; hinc apprime dicimus Deum posse creare alterum mundum *cum volet* aut *si volet*; sed male prorsus diceremus Deum patrem posse generare filium *si vult*, aut *cum vult*, quia nempe iste modus loquendi significat potestatem ad oppositum quæ in prædicto exemplo deest, nam ut ait D. Th. (1. 2. *q.* 21. *art.* 2. *ad* 2.) *Actus naturales non sunt in potestate naturalis agentis, cum natura sit determinata ad unum.*

*Observa.* Ad solutionem objectionum multos Patres ac etiam Theologos qui ante exortos Baji & Jansenii errores scripsere, has voces: *necessitas & coactio; voluntarium spontaneum & liberum; cogi & necessitari*; sæpius confundere & pro eodem sumere; sed tunc per *coactionem* intelligunt *necessitatem* etiam simplicem nec violentam; per tò *cogi*, intelligunt *necessitari* aliquando violente per coactionem, aliquando non violente per necessitatem simplicem. Per tò *voluntarium & spontaneum*, intelligunt *liberum*; imo quandoque sumunt *liberum*, pro voluntario necessario; quare voces illæ pro subjecta materia ad illorum mentem sunt exponendæ.

*Inst.* 1. *D. Aug.* (*Ibidem*) asserit: *Nihil tamen in nostra potestate quam ipsam voluntatem*; ergo actus est in nostra potestate eo ipso quo est actus voluntatis; sed actus necessarius est actus voluntatis; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Nihil tam est in nostra potestate quam ipsa voluntas sumpta formaliter ut est voluntas, *conc. ant.* sumpta ut est natura, *nego ant.* & sic ad consequens.

Itaque voluntas formaliter sumpta ut est voluntas, est potentia sui ipsius determinativa per electionem; voluntas ut est natura, est eadem potentia quatenus est appetitus ad unum determinatus; utrumque distinguit Div. Aug. agens cum Felice Manichæo: *cum Dominus dicit*, inquit, *aut facite hoc, aut illud, potestatem* (id est voluntatem) *monstrat, non naturam*: & D. Thom. (1. *p.* *q.* 41. *art.* 2.) *eorum voluntas est principium quæ possunt sic vel aliter esse; eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, natura est principium.*

*Inst.* 3. Voluntas nunquam agit per modum naturæ; ergo libera est in omnibus actibus suis etiam necessariis.

*Resp. nego ant. Prob.* Voluntas differt a natura & contra illam distinguitur a SS. Patribus. Ergo.

*Resp. dist. ant.* cum D. Thom. (*q.* 22. *de verit. art.* 5. *ad* 6.) voluntas reduplicative sumpta differt a natura, & contra illam distinguitur formaliter, sicut animalitas hominis distinguitur a rationalitate ejusdem, *conc. ant.* voluntas realiter sumpta differt natura, & contra illam distinguitur realiter, *nego ant. & conseq.*

*Itaque* voluntas & appetitus naturalis sunt una & eadem realiter potentia volendi, quæ ratione distinguitur propter duplicem operandi modum naturæ ad unum determinatæ, alterum per modum facultatis activæ indifferentis ad opposita, quæ voluntas proprie & stricte dicitur, ac proinde falsum est quod voluntas late dicta, seu potentia volendi nunquam agat per modum naturæ.

*Objicies* 2. Sancti Patres asserunt solam coactionem officere libertati; ergo &c.

*Prob. ant.* 1. ex Div. Augustin. (*l. de duab. animab. cap.* 10.) definiente libertatem, *motum animi cogente nullo.* 2. Ex D. Bernardo (*l. de grat. & lib. arb.*) qui rationem reddens cur consensus voluntatis sit liber libertate arbitrii, *quia*, ait, *non cogitur, non extorquetur.* 3. Ex D. Thom. (*in* 2. *dist.* 25. *q. unica art.* 4.) dicente: *liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Ergo ex Patribus sola coactio officit libertati arbitrii.

*Resp. nego conseq.* Quia Sancti Patres has voces, *cogi & coactio*, non sumunt stricte pro violentia proprie dicta quæ repugnat actibus a voluntate elicitis, sed late pro quacumque necessitate antecedente ad unum insuperabiliter determinante; quod vero hæc interpretatio sit legitima

Constat 1. ex D. August. qui disput. 1. contra Fortunatum Manichæum ait: *quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus? qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat; ubi* tò *cogitur* ex ejus interpretatione, pro tò *cogitur necessitate*, seu necessitatur, sumitur.

Constat 2. ex textu citato D. Bernardi; ait enim: *aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus, hunc communem habemus cum bestiis: consensus voluntarius nos discernit, est enim habitus liber sui secundum quod non cogitur, non extorquetur:* atqui si per consensum voluntarium qui *non cogitur, non extorquetur*, intelligeret solam libertatem a coactione, nos non discerneret a bestiis; ergo per consensum voluntarium intelligit libertatem a simplici necessitate. Constat 3. ex D. Th. (*in* 2. *dist.* 25. *art.* 2.) qui verbum *cogitur* evidenter sumit pro *necessitatur* dicens: *intellectus demonstrationis vi cogitur*, id est necessitatur ad assentiendum.

*Inst.* D. Thom. (1. 2. *p. q.* 82. *art.* 1. *ad* 1.) ait: *Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Ergo non censet necessitatem repugnare libertati arbitrii, sed duntaxat coactionem.

*Resp. dist. ant.* Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis ut est natura, *conc. ant.*, ut est facultas sui ipsius determinativa per electionem, *nego ant.* Loquitur itaque D. Thom. de libertate spontaneitatis, cui utique sola coactio & violentia opponitur; nam huic objectioni ex D. August. (*L.* 5 *de Civit. Dei*) desumptæ: *quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium*, respondet: *Dicendum quod verbum Augustini est in-*

*intelligendum de necessario necessitate coactionis, necessitas enim naturalis non aufert libertatem voluntatis.*

*Objicies* 3. Omnis actus perfecte voluntarius, tametsi necessarius, est liber libertate arbitrii; ergo sola coactio repugnat libero arbitrio.

*Resp. nego ant.... Prob.* Actus perfecte voluntarius fit a voluntate ex plena rationis advertentia & perfecta intellectus cognitione; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Hoc enim non sufficit ut actus voluntatis sit liber libertate arbitrii, sed requiritur ut fiat a voluntate active indifferente, & consequenter ut dirigatur judicio rationis indifferenter proponentis objectum, hoc est neque ut necessario prosequendum, neque ut necessario fugiendum, sed tale ut voluntas pro sua indifferentia activa possit illud vel prosequi, vel non prosequi.

*Inst.* 1. Voluntas in actibus perfecte voluntariis se ipsam movet; ergo actus illi sunt liberi libertate arbitrii.

*Resp. nego ant.* Nam ex D. Thom. voluntas stricte loquendo non movet seipsam nisi cum est domina sui actus: atqui voluntas non est domina sui actus, nisi cum potest illum pro arbitrio exercere; ergo non movet se ipsam proprie, nisi cum agit sine ulla necessitate antecedente.

*Inst.* 2. Actus perfecte voluntarius etiam necessarius, est actus humanus; ergo est liber.

*Resp. dist. ant.* Est actus humanus late dictus, *conc. ant.* stricte & proprie dictus, *nego ant.* nam ut docet D. Thom. (1. 2. *q.* 20, *art.* 10. *in corp.*) illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est dominus, & quæ ex voluntate deliberata procedunt; atqui homo non est dominus eorum actuum quos producit ex necessitate & sine prævia deliberatione; ergo.

*Inst.* 3. Actus voluntatis necessarii, sunt in nostra potestate; ergo sumus eorum domini.

*Resp. nego ant.* Illi enim soli actus sunt in nostra potestate quos possumus pro arbitrio ponere vel non ponere: atqui non possumus pro arbitrio ponere vel non ponere eos actus, quos ex antecedenti & ineluctabili necessitate intrinseca producimus; ergo &c.

*Inst.* 4. Amor beatificus quo beatus necessario diligit Deum, est in potestate beati: ergo & actus nostri necessarii.

*Resp. nego ant. ... Prob.* Voluntas beati potest suspendere amorem beatificum; ergo amor beatificus est in potestate beati.

*Resp. nego ant. ... Prob.* Si beatus non vellet amare Deum, non amaret; ergo potest suspendere amorem beatificum.

*Resp. nego ant.* Beatus enim non potest non velle amare Deum, cum a diligendo Deo temperare se, felici necessitate non possit; illudit ergo Jansenius cum (*L.* 6. *de grat. Christi cap.* 35.) dicit: *quod possint illi* (beati) *volitionem suam mutare si vellent.*

*Objicies* 4. Si libertas arbitrii posita esset in indifferentia agendi vel non agendi, habitus boni vel mali tollerent libertatem arbitrii; nam tollerent indifferentiam & inclinarent in unam partem contradictionis aut contrarietatis; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego sequelam maj.* Quia habitus boni vel mali non tollunt nisi indifferentiam propensionis; liberum autem arbitrium non consistit in indifferentia propensionis qua fit ut facultas sit in quodam æquilibrio, nec magis propendeat in unam partem quam in aliam; sed consistit in indifferentia activa ad agendum vel non agendum, qnam facultatem non tollunt, nec minuunt habitus; quia sic inflectunt in unam partem, ut non determinent ad unum; ergo non tollunt, nec minuunt libertatem arbitrii.

*Dico* 2. *Ad merendum vel demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ requiritur libertas indifferentiæ, seu a simplici necessitate, nec sufficit libertas a coactione.*

Est de fide contra Jansenium; cujus hæc propositio: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: damnata est ab Innocentio X. ut hæretica; ergo nostra propositio huic contradictoria est de fide. Præiverant summi Pontifices Pius V., Gregorius XIII. & Urbanus VIII. qui damnarunt hanc Baji prop. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

*Prob.* 1. Ex Script. Eccl. 31. *Beatus . . . . qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Hic exprimit script. libertatem requisitam ad laudabilitatem & rationem meriti, & illam constituit in eo quod quis non transgrediatur mandata, cum posset transgredi, nec mala faciat, cum posset facere: hoc est in eo quod sine antecedenti necessitate mandata servandi, & mala vitandi, mandata servet & mala vitet: ergo ad merendum requiritur libertas indifferentiæ.

*Prob.* 2. Ex Patribus, maxime ex D. Aug. quem unum pro cæteris omnibus habent Jansenius & Discipuli. Prob. inquam sic:

D. Aug. excludit ab homine lapso omnem necessitatem ad bonum vel ad malum determinantem; ergo.

*Prob. ant.* 1. D. Aug. (*l. de nat. & grat. cap.* 65.) hæc verba D. Hier. (*l.* 2. *contra Jovin.*) referens: *liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Illa approbat dicens: *quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis.*

2. D. Aug. contra Faustum (*l.* 2. *cap.* 5.) ait: *Liberum arbitrium quo vel bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicamus.*

3. Lib. de gratia & lib. arb. cap. 4. ait: *si dixerit* (homo) *volo servare præcepta, sed vincor a concupiscentia mea: respondet scriptura libero ejus arbitrio, noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

4. Lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quæcumque*, inquit, *ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccat ei* (causæ) *ceditur: si autem potest* (resisti), *non ei cedatur & non peccabitur: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? peccatur autem: caveri igitur potest.*



Porro

Porro in citatis testimoniis D. August. a libertate arbitrii excludit omnem prorsus necessitatem, ac proinde illam simplicem quam Jansenius ex motione indeliberata vel dominantis gratiæ, vel dominantis cupiditatis oriri arbitratur.

*Prob.* 3. Ex D. Thom., quem ideo addo Augustino, quia Janseniani eum perpetuo adjungunt ipsi Augustino. Itaque

Quæst. 6. De malo art. unico ait: *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cujus principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit; est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed, ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium.*

Integrum hunc textum ideo retulit, quia decretorium prorsus est adversus errorem Jansenii; manifeste enim distinguit sanctus Doctor simplicem necessitatem a coactione, contenditque esse hæresim admittere in voluntate talem necessitatem, qua fiat ut homo vitare aliquid non possit: sic enim omnis meriti vel demeriti ratio tollitur.

*Prob.* 4. *ratione.* Quia ut quis mereatur vel demereatur, debet habere dominium suæ actionis, & de ea disponere prout vult; atqui agens ex necessitate etiam simplici, non habet dominium suæ actionis, nec de ea potest disponere prout vult tamquam dominus, ergo agens ex necessitate etiam simplici non potest mereri nec demereri.

*Objicies* 1. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas indifferentiæ, sed libertas a simplici necessitate, &c.

*Prob. ant.* D. Aug. agnoscit in homine lapso peccandi necessitatem; ergo ad merendum, &c.

*Resp. nego ant. Prob.* L. 1. operis imperfecti contra Julianum, cap. 105. ait: *cogitare te existimo quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore dicatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia, patiuntur peccandi necessitatem;* ergo D. Aug. agnoscit, &c.

*Resp. dist. conseq.* Agnoscit necessitatem peccandi consequentem. *conc.* antecedentem, *nego*: nam loquitur D. Doctor de peccatis quæ fiunt ex ignorantia culpabili, quæ per diligentiam potuit vinci, nec tamen victa est, & ex qua qui peccat necessitate peccat, non quidem antecedente, sed consequente liberam positionem causæ peccati, nempe ignorantiæ; atqui necessitas consequens non officit libertati, cum supponat liberam ipsius determinationem, & ex ea oriatur.

*Inst.* 1. D. August. ibi agit de ignorantia invincibili, ergo agnoscit in homine lapso peccandi necessitatem antecedentem.

*Resp. nego ant. ... Prob.* D. August. ibi agit de ignorantia quæ est pœna peccati; atqui talis ignorantia est invincibilis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quæ est pœna peccati simul & peccatum, *conc. maj.* quæ est pœna peccati tantum, *nego maj.* atqui ignorantia quæ est pœna peccati, est invincibilis, si sit pœna tantum, *conc. min.*, si sit pœna simul & peccatum; *nego min. & conseq.* Loquitur itaque D. August. de ignorantia sicut (*L.* 1. *retract. cap.* 15.) loquitur de cupiditate, quæ *jam ita est peccatum, ut sit etiam pœna peccati.*

*Inst.* 2. August. l. de natura & gratia cap. 17. ait: *aliud est non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle & non posse; & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit;* ergo ex Aug. homo peccat non solum per ignorantiam vincibilem, sed etiam per invincibilem.

*Resp. dist. conseq.* Homo peccat per ignorantiam invincibilem peccato materialiter sumpto, *conc.* peccato proprie & formaliter dicto, *nego conseq.* nam ex D. Aug. (*L.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 19.) *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras*; ergo ut ignorantia imputetur ad culpam, debet esse cum negligentiæ labe conjuncta.

*Inst.* 3. L. 1. operis imperfecti cap. 106. ait: *Non est igitur immunitatis securitas in necessitate peccandi*; ergo ad demeritum non est necessaria libertas a necessitate.

*Resp. dist. conseq.* Non requiritur libertas a necessitate morali, *conc.* a necessitate antecedenti physica, *nego conseq.* Nam D. August. loquitur de necessitate morali quæ vinci potest per gratiam Christi: addit enim: *sed non ut obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur: de necessitatibus meis erue me.*

*Objicies* 2. D. Thomas ait (*in* 3. *dist.* 18. *q.* 1. 2.) *liberum arbitrium Christi etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Ergo ex D. Thoma ad meritum sufficit libertas a coactione.

*Resp. nego conseq.* Nam D. Thomas per tò: *Non coacte sed sponte*: intelligit immunitatem a quacumque necessitate antecedenti, etiam ea quæ simplex dicitur, & hoc aperte colligitur ex his ejus verbis: *& ita est sui actus dominus*; certum est autem dominium in actum stare non posse cum simplici necessitate, cum D. Thomas dicat: *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere . . . unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.*

*Inst.* 1. Quærendo quo sensu D. Thomas dicat voluntatem Christi, licet fuerit antecedenter determinata ad amandum Deum, tamen ex hoc non amisisse libertatem, neque rationem laudis & meriti circa actum diligendi Deum?

*Resp.* Quia Christus ex actus diligendi Deum imperio potuit ad placendum Deo hos vel illos actus exercere pro arbitrio, & absque antecedenti ad unum potius quam ad alium determinatione, & ita non *coacte sed sponte*: id est non ex necessitate, sed ex electione tendebat in Deum quem

non

non poterat non amare; & sic voluntas Christi cum amore necessario quo diligebat Deum, retinebat libertatem arbitrii, & rationem laudis & meriti. Hæc responsio est Div. Thomæ dicentis (*q.* 29. *de veritate*, *art.* 6. *ad* 1.) *Licet anima Christi esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter; poterat enim hoc vel illud facere & non facere, et ideo libertas in illo remanebat quæ requiritur ad merendum.*

*Inst.* 2. D. Thomæ (1. 2. *q.* 6. *art.* 2. *ad* 3.) sic ait: *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis*; ergo ad laudem & vituperium sufficit libertas a coactione.

*Resp. nego conseq.* Quia per *voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem*, intelligit illud quod fit ex prævia deliberatione; sic enim mentem suam explicat in corpore ejusdem articuli: *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest delib rans de fine, & de his quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri:* Quod autem fit ex deliberatione, fit sine antecedenti determinatione ad unum, ut docet ibidem ad secundum. *Ex hoc quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.*

*Objicies* 3. Saltem in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas quæ reperitur in causa, nimirum in peccato originali, & voluntate Adami peccantis; ergo licet homo lapsus a sua concupiscentia necessitetur ad peccandum, vere imputabiliter peccat ac demeretur.

*Resp. nego ant.* Quia peccata personalia debent procedere a voluntate & libertate quæ sit physice nostra, non autem a voluntate & libertate quæ sit tantum nostra moraliter; nam cum omne peccatum sit essentialiter liberum, peccatum personale debet esse liberum libertate personali & physice propria peccantis. Hinc Alex. VIII. (*Decreto dato* 7. *Septembr. ann.* 1690.) damnavit hanc prop. *in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium fuit in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis.*

*Objicies* 4. Christus circa mortem subeundam non fuit liber a necessitate, cum non potuerit transgredi præceptum a patre acceptum de morte subeunda; atqui tamen Christus per mortem meruit sibi quidem *nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* 2.), nobis vero gratiam & gloriam; ergo.

*Resp. nego maj.* Et dico Christum in morte subeunda fuisse liberum (*Joann.* 10.) *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso*; nec tamen potuisse transgredi mandatum patris. Ut enim vere fuerit liber absque eo quod præceptum transgredi posset, satis est quod mandati hujus dispensationem petere potuerit: atqui dispensationem hanc petere potuit Christus juxta illud (*Matt.* 26. *v.* 53.) *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?*

*Dico* 3. *Homo lapsus est liber ad bonum & malum, non solum libertate a coactione, sed etiam necessitate simplici, antecedente.*

Est contra Jansenium, qui docet in præsenti statu naturæ lapsæ hominem nunquam bonum aut malum operari ex propria determinatione, sed solum sponte & non coacte prout a delectatione cælesti ad bene, vel a delectatione terrena ad male agendum prædeterminatur. Idem prius docuerant Lutherus & Calvinus; itaque

*Prob.* 1. Ex Script. Genes. 4. ubi Deus sic Cain alloquitur: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies?* (mercedem boni operis) *sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus*, scilicet peccati, *& tu dominaberis illius*; certe appetitus. Quid clarius pro arbitrii libertate dici potuit? unde textum Jerosolymitanum ita vertit: *in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominaberis ei, sive ad bonum, sive ad malum.*

Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te .... apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam, Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eo loci vera exprimitur libertas a necessitate, etiam simplici & voluntaria; atqui hic locus non debet restringi ad Adam ante lapsum, ut restringitur a Calvino; nam Ecclesiasticus Judæos tunc viventes increpat quod dicerent, per Deum stare quominus ipsi bene ac sapienter vitam instituerent; *non dixeris*, inquit, *per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris.* Unde S. Aug. (*l. de grat. & lib. arb. cap.* 2.) post relata Ecclesiastici verba statim addit: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

Deuter. 30. Moyses Israelitas sic alloquitur. *Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum.* Ex quo sic argumentor: homo lapsus potest eligere vitam vel mortem; ergo est liber ab omni necessitate antecedente, etiam simplici & voluntaria. Dicat enim Jansenius, quomodo potest vitam vel mortem eligere qui alterutrum necessitate ex delectatione superiori eaque indeliberata profluente, determinatur?

*Prob.* 2. Ex August. (*l.* 2. *de actis cum Felice Manich. c.* 3.) dicente: *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit .... audi Dominum dicentem:* aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam & fructum ejus malum; *cum ergo dicit, aut hoc facite aut illud facite, potestatem* (id est libertatem) *indicat, non naturam .... habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt & esse arbor mala.* Quid clarius?

*Prob.* 3. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 5. definiente: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit .... anathema sit*; quo Can. percellitur sententia Lutheri & Calvini; atqui Lutherus & Calvinus asse-



rebant

rebant amissam esse libertatem a necessitate simplici, nec unquam negarunt inesse homini lapso libertatem a coactione, ut constat ex Luthero (*l. de servo arb. fol.* 434.) dicente: *mera lubentia, pronitate, ac sponte sua vult & facit* voluntas nostra; & Calvino (*lib.* 2. *contra Pighium.*) *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero; si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, & violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Ergo liberum arbitrium quod Concilium definit non esse amissum, est libertas ab omni necessitate simplici antecedente intrinseca, etiam voluntaria, non autem libertas a coactione.

Confirmatur ex præcedenti conclusione; si enim ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessaria est libertas indifferentiæ, cum aliunde certum sit fide divina quod homo in statu præsenti possit mereri & demereri; & reipsa mereatur & demereatur, ut fatentur adversarii; sequitur quoque esse certum fide divina quod homo in præsenti statu habeat libertatem indifferentiæ.

*Objicies* 1. Ille non est liber libertate indifferentiæ, qui non habet in potestate vias suas; atqui homo lapsus non habet in potestate vias suas, juxta illud Jerem. 10. *Scio Domine quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos*; ergo.

*Resp. dist. min.* Homo lapsus non habet in potestate vias suas, quoad executionem & successum suarum actionum, *conc. min.* quoad productionem operum salutarium, *subdist.* non habet, &c. solus & sine Dei auxilio, *conc. min.* cum auxilio & gratia Dei, *nego min. & conseq.* ratio est, quia homo ad opera gratiæ debet excitari præveniente gratia Dei.

*Inst.* 1. Ille nullo sensu vias suas habet in potestate qui captivatur sub lege peccati: atqui homo captivatur sub lege peccati juxta illud (*Rom.* 7. *v.* 23.) *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* Ergo.

*Resp. dist. min.* Homo captivatur sub lege peccati seu concupiscentiæ, quoad sensum; *conc. min.* quoad consensum, *nego min.* Loquitur itaque Apostolus de motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos necessario quidem experimur, & sic sub eis captivamur; sed eis non necessario obsequimur, & sic non necessario peccamus.

*Inst.* 2. Ille captivatur etiam quoad consensum qui non facit quod vult, facit vero quod non vult: atqui homo lapsus non facit quod vult, juxta illud Apost. (*ibid.*) *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.* Ergo.

*Resp. dist. min.* Homo non facit quod vult quoad sensum, *conc.* sentit enim motus concupiscentiæ quos sentire nollet; non facit quod vult quoad consensum, id est consentit necessario, *nego min.* addit enim Apostolus: *si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud.* Unde patet motus illos non imputari ad peccatum.

*Inst.* 3. Ille non facit quod vult etiam quoad consensum, cujus non est velle nec currere; atqui ex Apost. (*Rom.* 11.) *Non est volentis, neque currentis*; ergo.

*Resp. dist. min.* Non est volentis, neque currentis solius, *conc. min.* non est volentis cum gratia Dei, *nego min.* equidem homo aget gratia Dei ad bonum supernaturale, at huic gratiæ potest consentire vel dissentire si velit, ut definivit Conc. Trid. (*sess.* 6. *can.* 4.)

*Objicies* 2. D. Aug. multis locis docet arbitrium voluntatis post peccatum, ex libero factum esse concupiscentiæ prædominantis servum, *quomodo libera est voluntas*, ait (*Epist.* 98. *ad Hilarium, nunc* 157.) *cui dominatur iniquitas?* Ergo homo lapsus non est liber.

*Resp. dist. conseq.* Non est liber libertate a servitute peccati, *conc.* non est liber libertate arbitrii opposita necessitati, *nego conseq.* Fatemur ultro ab ista libertate nos excidisse, qui servi sumus peccati, neque posse nos ab ea servitute liberari nisi per gratiam medicinalem redemptoris, qua præsente ac monente stat libertas arbitrii ad faciendum bonum vel malum. Itaque his locis D. Aug. gratiæ necessitatem recte demonstrat adversus Pelagianos, sed indifferentiam arbitrii sub gratia minime lædit.

*Inst.* 1. D. Aug. Enchiridii cap. 30. ait: *libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* Et in Epist. ad Vitalem, *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Ergo ex D. Aug. per peccatum primi parentis amissum est liberum arbitrium.

*Resp. dist. conseq.* Per peccatum amissum est liberum arbitrium, sumptum pro libertate a peccato & miseria, *conc.* sumptum pro libertate indifferentiæ, *subdist.* amissum est quoad modum illum perfectionis quem habebat in statu integritatis & innocentiæ, *conc.* quoad substantiam, seu facultatem agendi vel non agendi, *nego conseq.*

Itaque quando D. Aug. dicit liberum arbitrium primi parentis peccato periisse, non intelligit libertatem arbitrii quoad substantiam; sed intelligit

1. Libertatem a servitute peccati, a miseria, aliisque infirmitatibus hujus status, quibus caruit status innocentiæ; nam ex August. eodem modo homo perdidit liberum arbitrium quo seipsum perdidit; atqui non perdidit seipsum quoad substantiam, ita ut desierit esse homo; sed tantum quoad plenam cum immortalitate justitiam quam habuit in illo statu felicitatis, & quæ consistebat in dono integritatis, in immunitate a morte, a concupiscentia inordinata, & ab ignorantia; ergo &c. Ita seipsum exponit D. Augustinus (*Lib.* 1. *ad Bonifacium cap.* 2.) dicens: *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia*; ut libertas aliquid boni supernaturalis elicere possit.

2. Per liberum arbitrium quod primi parentis peccato fuit amissum, intelligit D. Aug. libertatem sanam ac robustam, qua summa cum facilitate poterat homo innocens bonum operari, quod liberum arbitrium dicit amissum quoad illam facilitatem; ideo *nunc* addit D. Doctor (*L. de correp. et grat. c.* 12.) *postea quam illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.*

*Inst.* 2.

*Inst.* 2. Atqui homo per peccatum amisit libertatem quoad substantiam, ergo.

*Prob. subs.* Libertas quoad substantiam importat indifferentiam ad bonum & malum in homine lapso; atqui homo per peccatum hanc amisit indifferentiam ex Augustino; ergo.

*Resp. nego min .... Prob.* Ille ad bonum & malum non est indifferens, qui per peccatum duram contraxit necessitatem peccandi; atqui ex Aug. (*lib. de perfect. justitiæ cap.* 5.) *Homo quia peccavit, secuta est peccantem peccandi dura necessitas*; ergo.

*Resp. dist. minor.* Homo ex Aug. per peccatum contraxit duram necessitatem peccandi peccato materialiter dicto, *conc.* peccato formaliter dicto, *iterum dist.* vago & indeterminato, *conc.* hoc vel illo singulari peccato, *subdist.* contraxit necessitatem peccandi ante gratiam, *conc.* cum gratia, *iterum subd.* peccandi necessitatem moralem, *conc.* necessitatem physicam & absolutam, *nego min. & conseq.*

Ut hæc distinctio recte concipiatur, pensanda est controversia quam D. Aug. habuit cum Pelagianis.

1. Pelagiani docebant hominem nascendo non contrahere peccatum originale, quos ut refelleret D. Aug. contrahi peccatum originale probat ex effectibus, ignorantia nempe & concupiscentia, quibus necessario subjicimur, & quas peccata vocat; 1. quia sunt pœnæ peccati originalis quod supponunt, & hoc sensu vocantur ab Aug. peccata necessaria, quia eis carere nobis non est liberum in hac vita; *multum erras*, ait D. Aug. alloquens Julianum (*Lib.* 1. *operis imperf. cap.* 105.), *qui vel necessitatem nullam putas peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est; si enim nulla necessitas peccandi est ... quid patiebatur quæso* (Apostolus) *ut diceret: non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago?* 2. Quia sunt causæ peccatorum, & quatenus tales, dicuntur ab Aug. inducere quamdam necessitatem peccandi, non quidem physicam, sed moralem, hoc est summam difficultatem quam homo lapsus inter tot & tantas tentationes patitur ut a peccato abstineat, qua difficultate caruit homo innocens. Ita se explicat Aug. (*Aug. lib. de nat. & grat. cap.* 67.) dicens: *Potest ei causæ, quæcumque illa sit, resisti? potest plane. Nam ad hoc, adjutorium postulamus dicentes, & ne nos inducas in tentationem, quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus.*

Item quatenus ignorantia & concupiscentia sunt causæ peccatorum, dicuntur ab Augustino inducere quamdam necessitatem peccandi vagam & indeterminatam, quia fieri moraliter non potest, ut, habita ratione infirmitatis humanæ, inter tot & tantas tentationes homo non peccet, licet nullum sit in particulari peccatum quod vitare libere non possit, quæ peccata merito pronuntiat August. (*lib.* 1. *oper. imperf. cap.* 105.) a Deo imputari, quia nempe singula caveri possunt, & omnino libere committuntur. Ita nodum solvit D. Thom. (*Q.* 24. *de verit. art.* 12. *ad* 7.) qui cum sibi objecisset quædam peccata esse necessaria juxta illud Psalm. *De necessitatibus meis erue me Domine*; sic respondet: *Dicendum quod peccata dicuntur necessaria, in quantum non possunt vitari omnia, quamvis possint vitari singula.*

2. Pelagiani rejecta necessitate gratiæ docebant hominem lapsum tam liberum esse ad omnia vitanda peccata quam fuerat Adamus innocens; contra probat S. Aug. ex peccato primi parentis inductam esse quamdam peccandi necessitatem, quæ non nisi per gratiam mediatoris reparari potest. *Non est igitur*, ait D. Doctor (*lib.* 1. *oper. imperf. cap.* 106.), *impunitatis securitas in necessitate peccandi: sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur: de necessitatibus meis erue me.*

## QUÆSTIO III.

### *De involuntario & ejus causis.*

*Nota.* Cum ex dictis ad voluntarium duo requirantur, scilicet principium intrinsecum, nempe voluntas ex inclinatione operans, & cognitio dirigens operationem; oportet quod oppositum ejus, nempe involuntarium, proveniat vel a principio extrinseco, ut contingit in his quæ ex violentia vel metu fiunt; vel ab intrinseco quidem, sed sine cognitione, cum nempe tollitur aut turbatur cognitio, prout contingit in his quæ fiunt per passionem aut ignorantiam.

Involuntarium duplex est, scilicet involuntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid.

*Involuntarium simpliciter*, est id quod fit totum a principio extrinseco, vel sine cognitione, & cui voluntas nullatenus consentit. Talis est motus concupiscentiæ qui voluntate toto affectu renitente, insurgit.

*Involuntarium secundum quid*, est illud quod voluntas repudiat in se consideratum, acceptat vero circumstantiis vestitum. Ejusmodi est projectio mercium facta a mercatore metu naufragii, quæ est secundum quid involuntaria: nam secundum se displicet; sed spectata ut necessaria ad vitam conservandam, magis & efficaciter placet; unde voluntarium secundun quid vocatur proprie voluntarium mixtum involuntario, quia voluntas illud efficaciter vult, sed cum displicentia.

Nunc sigillatim prosequendæ sunt involuntarii causæ, quæ quatuor recensentur, nimirum violentia, metus, passio seu concupiscentia, & ignorantia.

## ARTICULUS I.

### *An & quomodo violentia causet involuntarium?*

*Nota.* Violentum ut sumitur indiscriminatim pro coacto, definitur: *id quod est a principio extrinseco, in contrarium resistente passo.* Quod si passum extrinseco agenti totis viribus resistat, prout hic & nunc potest & debet, dicitur *pati violentiam absolutam*; si vero resistat aliquo modo sed non omnino quantum potest & debet, dicitur *pati violentiam secundum quid.*

Dixi; *ut sumitur indiscriminatim pro coacto*; quia licet violentum & coactum confundi soleant, tamen in hoc distinguuntur quod coactum dicitur de solis agentibus animatis cognitione præditis, & oppo-

opponitur spontaneo; violentum vero dicitur etiam de inanimatis, sic motus lapidis sursum projecti dicitur violentus, non vero coactus.

Dicitur 1. *Id quod est a principio extrinseco*: nemo enim sibimet ipsi vim infert proprie dictam, alioquin simul vellet & nollet, quo est impossibile.

Dicitur 2. *In contrarium renitente passo*: quia non sufficit ad violentum ut quis se mere negative habeat, alioquin justificatio parvulorum foret violenta, sed requiritur ut actualiter aut virtualiter reluctetur. Hinc si mulier oppressa mere passive se gerat, nec probando nec reprobando stuprum illatum, non dicitur vim pati, & peccati rea tenebitur. Itaque

*Dico 1. Violentia absoluta voluntarium omnino tollit; violentia vero secundum quid, minuit duntaxat.*

*Prob.* 1. *pars.* Quia actio quæ fit a principio extrinseco contra omnem voluntatis resistentiam, est penitus involuntaria; atqui actio quæ fit per violentiam absolutam, fit a principio extrinseco contra omnem voluntatis resistentiam; ergo est penitus involuntaria.

*Prob.* 2. *pars.* Quia cum voluntas non omnimode resistit, remanet in ea aliqua ratio voluntarii; atqui cum violentia non nisi secundum quid infertur, voluntas non resistit omnimode; ergo.

*Hinc*, Si mulier interius exteriusque pro viribus resistens stupretur, non peccat: si vero interius resistat, actum nempe reprobando, sed non resistat exterius quantum potest & debet, nempe fugendo, repugnando, clamando, peccandi rea efficitur; sed

*Dico 2. Voluntas cogi non potest quoad actus elicitos, bene vero quoad actus imperatos.*

*Prob.* 1. *pars.* Actus elicitus voluntatis, est essentialiter voluntarius; ergo non potest esse coactus. *Prob. conseq.* Voluntarium & coactum ex natura rei opponitur; ergo actus voluntarius non potest esse coactus. *Prob. ant.* Id quod est a principio intrinseco, juxta inclinationem patientis, ex natura rei opponitur ei quod est a principio extrinseco contra inclinationem patientis: atqui voluntarium est a principio intrinseco, juxta inclinationem voluntatis, coactum vero est a principio extrinseco contra inclinationem voluntatis: ergo voluntarium & coactum ex natura rei opponuntur; ergo actus essentialiter voluntarius non potest esse coactus.

*Prob.* 2. *pars.* Experientia, qua constat aliarum potentiarum actus posse vel exerceri, vel impediri contra inclinationem voluntatis; *v. g.* homini nolenti videre, possunt oculi per vim aperiri, in quo casu visio illa esset violenta respectu voluntatis quæ illi reniteretur.

*Dices* 1. Deus in voluntate Petri omnino inclinata in odium inimici, potest producere ejusdem inimici amorem; atqui in hac hypothesi voluntas Petri cogitur ad amorem inimici; ergo.

*Resp. nego min.* ... *Probat.* ille cogitur ad amorem inimici, qui inimicum amat contra inclinationem suam: atqui Petrus amat inimicum contra inclinationem suam; ergo.

*Resp. dist. maj.* ille cogitur ad amorem, qui amat inimicum contra inclinationem suam præsentem; *conc. maj.* præteritam; *nego maj.* & sic distincta min. *nego conseq.*

*Cum igitur Deus voluntatem immutat*, ait D. Thomas (*q.* 22. *de verit. art.* 8.) *facit ut præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ita ut prima auferatur, et secunda maneat, unde illud ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi quæ prius inerat; unde non est violentia, nec coactio.*

*Dices* 2. Actus peccati est violentus homini; ergo homo patitur violentiam in aliquo actu elicito.

*Resp. nego ant.* ... *Prob.* Quod est contra naturalem hominis inclinationem, est violentum homini; atqui actus peccati est contra naturalem hominis inclinationem; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod est contra naturalem hominis inclinationem adæquatam, est violentum homini; *conc. maj.* inadæquatam & partialem; *nego maj.* atqui actus peccati est contra hominis inclinationem partialem, *conc.* adæquatam, *nego min.*

Itaque voluntatis inclinatio partialis est ea quam ut rationalis est habet ad bonum honestum & rationi consonum: inclinatio vero adæquata est ea quam habet voluntas ad bonum in communi, prout abstrahit a bono vero vel apparenti; equidem voluntas potest aliquid velle contra inclinationem suam partialem, & sic vult peccatum, sed non ideo vim patitur, quia tunc vult peccatum sub ratione boni apparentis, quod est intra ejus objectum totale & adæquatum, & ideo non repugnat ejus inclinationi.

## ARTICULUS II.

*An et quomodo metus causet involuntarium?*

*Nota* 1. Definitio & divisio metus tradentur utilius in Tractatu de contractibus ubi quærendæ sunt.

*Nota* 2. Hæc duo distingui: *Fieri ex metu*, & *fieri cum metu*. Fieri *ex metu*, est metum causam esse aliquid faciendi: talis est metus mortis, ad quam vitandam viator dat latroni pecuniam suam. Fieri *cum metu*, est metum non causare, sed tantum comitari actionem: talis est metus suspendii in latrone, quo non obstante furatur.

*Nota* 3. Nulli dubium est quin ea quæ sunt cum metu, vel ex metu tam absolute quam relative levi, sint plene voluntaria; & ideo quæstio debet intelligi de iis quæ fiunt ex metu gravi, saltem relative; hinc

*Dico. Quæ fiunt ex metu, sunt per se loquendo simpliciter et absolute voluntaria, et involuntaria secundum quid, si fiant ex metu naturali.*

*Prob.* Quod est volitum efficaciter & absolute, nolitum vero inefficaciter & conditionate solum, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid; atqui opus factum ex metu est volitum efficaciter & absolute, et nolitum inefficaciter et conditionate solum, ut patet in prædicto exemplo projectionis mercium; ergo est voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid.

Dixi 1. *Per se loquendo*; quia aliquando raro tamen evenit ut actio ex metu facta, sit penitus

invo-

involuntaria, cum nempe malum imminens ita hominem perturbat ut tollat cognitionem ex parte mentis, & electionem ex parte voluntatis, quod ex circumstantiis dijudicandum est.

Dixi 2. Quæ fiunt ex metu, esse involuntaria secundum quid, *si fiant ex metu naturali*; quia qui ex supernaturali metu gehennæ vult abstinere ab omni peccato, vult etiam, si metus sit efficax, abstinere ab omni affectu ad peccatum, & sic vitatio peccati ex metu supernaturali gehennæ est ita voluntaria, ut nullo modo sit involuntaria propter affectum inefficacem ad oppositum.

*Nec dicas*, Metus naufragii quamvis efficax, non excludit affectum inefficacem retinendi merces, ad quarum projectionem determinat; ergo similiter metus gehennæ non excludit affectum inefficacem non abstinendi a peccatis, quamvis efficaciter determinet ad illorum detestationem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod naufragium vitari possit retento affectu inefficaci non projiciendi merces, cum depositio talis affectus non sit medium necessarium ad obtinendum finem. Econtra malum gehennæ vitari non possit retento affectu ad peccatum, quia ejusmodi affectus est peccatum, & ideo metus gehennæ non potest efficaciter determinare ad evitandam gehennam, quin determinet etiam efficaciter ad deponendum omnem affectum ad peccatum: non enim potest esse voluntas efficax circa finem, nisi sit etiam efficax circa media ad finem obtinendum necessaria.

*Objicies* 1. Matrimonium & votum solemne ex metu gravi celebrata, sunt invalida; ergo quæ sunt ex metu, non sunt voluntaria simpliciter.

*Resp. dist. ant.* Sunt invalida jure ecclesiastico: *conc. ant.*; jure naturali, *nego ant. & conseq.* nam non ideo sunt invalida quod sint involuntaria, sed quia lex ecclesiastica ea irritat.

*Objicies* 2. Quod excusat a culpa, tollit voluntarium; atqui metus gravis excusat a culpa eum qui legem Dei vel Ecclesiæ transgreditur; ergo.

*Resp. dist. min.* Metus gravis excusat a tanta culpa, *conc. min.* a tota culpa, *nego min. & conseq.* Itaque metus gravis non excusat a tota culpa cum id quod ex eo fit, sit voluntarium simpliciter, sed excusat a tanta culpa, quia quod fit ex metu, fit cum minori voluntatis propensione; gravitas autem ut levitas peccati a majori vel minori voluntatis propensione ortum habet.

*Inst.* Qui metu præsentis mortis, sabbati legem non observat, immunis est a peccato: ergo metus gravis excusat a toto peccato.

*Resp.* 1. *retorq.* Qui metu præsentis mortis mentitur, fornicatur, &c. non est immunis a peccato; ergo metus gravis non excusat a toto peccato: ideo.

*Resp.* 2. *dist. ant.* Qui metu præsentis mortis sabbati legem non observat, immunis est a peccato, ex eo quod metus tollat voluntarium & sufficientem consensum, *nego*: ex eo quod præcepta affirmativa non obligent cum adest metus gravis, *conc. ant.* & *nego conseq.* neque enim fuit mens Dei & hominum cum tanto incommodo obligare ad observationem præceptorum affirmativorum.

## ARTICULUS III.

### *An & quomodo concupiscentia causet involuntarium?*

*Nota.* Concupiscentia hic non sumitur pro peccati fomite qui demeritorie ortus, est ex peccato originali, sed sumitur pro qualibet passione, quales sunt desiderium, spes, dolor, amor, odium, ira, &c. & definitur *Motus appetitus sensitivi bonum sensibile prosequens, vel malum sensibile fugiens.* Concupiscentia sic desumpta est vel antecedens, vel consequens.

Concupiscentia *antecedens* est ea quæ præcedit voluntatis consensum quem allicit.

Concupiscentia *consequens* est ea quæ excitatur seu imperatur a voluntate.

*Dico* 1. *Concupiscentia antecedens ex una parte auget, & ex altera minuit voluntarium.*

*Prob.* Ad voluntarium perfectum duo requiruntur, nimirum propensio voluntatis objectum, & cognitio singulorum in quibus est actio; id est cognitio finis ad quem actus tendit, & circumstantiarum quæ illum comitantur. Atqui concupiscentia antecedens auget propensionem voluntatis in objectum, ut videre est in homine qui mulierem insequitur; minuit vero cognitionem eorum in quibus est actio: impedit enim ne mens ab objecto in quod tendit, rapta & illecta consideret turpitudinem & injustitiam actus, &c. Ergo concupiscentia antecedens ex una parte auget, & ex alrera minuit voluntarium.

*Dices* 1. Quod ex omni parte & simpliciter minuit liberum, ex omni parte & simpliciter minuit voluntarium; atqui concupiscentia antecedens ex omni parte & simpliciter minuit liberum, ut dicetur infra; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Nam ratio voluntarii sita est in propensione voluntatis, ratio vero liberi sita est in indifferentia voluntatis, etsi non minuatur ejusdem propensio in objectum; ergo.

*Probat. major.* Quod minuit speciem, minuit & genus, atqui concupiscentia minuit simpliciter liberum, quod est species voluntarii; ergo minuit simpliciter voluntarium.

*Resp. nego maj.* Nam cum species constet genere & differentia, potest minui secundum rationem differentialem; absque eo quod minuatur secundum rationem genericam; sicut igitur paries albus, qui est species colorati, potest minui secundum rationem colorati; ita etiam liberum, quod est species voluntarii contracti per indifferentiam, potest minui ex parte indifferentiæ, nec tamen minui ex parte voluntarii.

*Objicies* 2. Communis est sententia Theologorum, concupiscentiam antecedentem simpliciter & absolute augere voluntarium; ergo ex nulla parte illud minuit.

*Resp. nego conseq.* Theologi enim illi considerant voluntarium tantum secundum propensionem voluntatis in objectum delectabile cognitum ut tale, quæ propensio augetur per concupiscentiam; non vero illud considerant secundum cognitionem eorum in quibus est actio, quæ cognitio cum minuatur per concupiscentiam, ita & volunta-

tarium. Porro cum propensio voluntatis in objectum sensibile sit id quod principem locum tenet in voluntate, ideo recte asserunt concupiscentiam ex hac parte simpliciter & absolute augere voluntarium.

*Dices* 2. *Concupiscentia antecedens semper minuit et aliquando tollit liberum et peccatum.*

*Inst.* 1. *pars*: Quod minuit indifferentiam fortiusque determinat ad unam partem contradictionis, minuit liberum; atqui passio antecedens semper minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis; ergo .... *Prob. min.* Quod minuit cognitionem requisitam ad libertatem, minuit indifferentiam, fortiusque determinat ad unam partem contradictionis; atqui concupiscentia antecedens minuit cognitionem requisitam ad libertatem, nempe considerationem finis & circumstantiarum; ergo. Hinc.

*Resolves*, Peccata quæ fiunt ex iis motibus qui *secundo primi* dicuntur, quia ad eos advertit ratio, & iis consentit voluntas, leviora esse iis quæ fiunt ex malitia, cum minus habeant liberi: *peccatum* enim, ait D. Thom. (1. 2. *q.* 77. *art.* 6. *in corp.*) *essentialiter consistit in actu liberi arbitrii;* ordinarie tamen adhuc superest ad peccatum mortale sufficiens libertas; juxta illud Apostoli (*Ad Rom.* 7.) *cum essemus in carne, passiones peccatorum*, id est incitantes ad peccata, *operabantur in membris nostris ut fructificarent morti;* id est fructus peccatorum parerent qui nos ducerent ad mortem æternam; atqui solum peccatum mortale fructificat morti æternæ; ergo.

Dixi *ordinarie.* Quandoque enim contingere potest ut erga concitatos concupiscentiæ motus *secundo-primos* perfecta non subsit advertentia, plenusque consensus, quo casu peccatum erit tantum veniale, vel minus grave in genere peccati mortalis.

*Prob.* 2. *pars*: Quod totaliter aufert usum rationis totaliter tollit liberum & peccatum: atqui concupiscentia antecedens quandoque ita est vehemens, ut totaliter auferat usum rationis, *ut patet in his qui propter amorem, vel iram insaniunt*, ut ait D. Thomas (1. 2. *q.* 77. *art.* 7. *in corp.*) ergo concupiscentia antecedens quandoque totaliter tollit liberum, *& per consequens totaliter a peccato excusat*, addit D. Thom. cit. Hinc

*Resolves*, Motus eos qui *prime primi* dicuntur, quia sine rationis advertentia & voluntatis consensu exurgunt, non esse peccata: unde merito damnata est propos. 75. *Baji damnata a Pio V. Gregor. XIII. & Urbano VIII. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto*, non concupisces: *unde homo eos sentiens & non consentiens, transgreditur præceptum* non concupisces, *quamvis transgressio in peccatum non imputetur.*

*Dico* 3. *Concupiscentia consequens auget voluntarium & liberum, saltem moraliter, et consequenter aggravat peccatum.*

*Prob.* Concupiscentia quam voluntas de industria & ex electione vult & imperat, ut majori nisu, pravo quod sibi proponit objecto fruatur, auget voluntarium & liberum; atqui concupiscentia consequens est ea quam voluntas vult & imperat, ut majori nisu, pravo quod sibi proponit objecto fruatur, sive velit concupiscentiam in se, eam nimirum impellendo in pravum objectum, sive eam velit in causa, fovendo eos pravos habitus quibus impellatur in pravum objectum, ergo concupiscentia consequens auget voluntarium & liberum. Unde D. Thomas (1. 2. *q.* 77. *art.* 6. *in corp.*) ait: *Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati; et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.*

*Dices.* Passio etiam quæ a voluntate imperatur, actus indifferentiam aliqualiter minuit; ergo minuit liberum & peccatum.

*Resp. dist. ant.* Indifferentiam actus minuit physice, *conc. ant.* nam fortius determinat ad unam partem; moraliter seu secundum morale judicium, *nego ant.* quia effectus voluntatis quæ in semetipsa sponte, libere, ac prævidens aut prævidere debens, ardorem mali inflammavit.

*Resolves.* Peccatum ex pravo habitu perpetratum, esse gravius eo quod semel tantum perpetratum fuit, ex quo sequitur peccatorem teneri pravum habitum confiteri, unde proscripta est a Clero Gallicano (*Anno* 1700.) hæc propos. *non tenemur Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.*

## ARTICULUS IV.

*De involuntario per ignorantiam.*

*Nota* 1. Ignorantia stricte est *carentia cognitionis debitæ.*

Dixi, *debitæ*: quia carentia cognitionis eorum quæ quis non tenetur scire, non est ignorantia stricte, sed late, & dicitur *nescientia seu ignorantia negativa*; talis est ignorantia Theologiæ in rustico. Ignorantia multipliciter dividitur.

1. *Ratione rei quæ ignoratur*, dividitur in ignorantiam juris & facti.

*Ignorantia juris* est ea, qua lex seu præceptum ignoratur: v. g. si quis nesciat affinitatem dirimere matrimonium. Hæc pro legum diversitate, diversa est; unde alia est juris naturalis, alia juris positivi tum divini, tum humani.

*Ignorantia facti* est ea, qua ignoratur aliquod factum particulare esse legi contrarium; v. g. si quis sciens affinitatem matrimonium dirimere, ignoret eam cui nubit, sibi esse affinem.

2. *Ratione subjecti in qua est*, dividitur in vincibilem & invincibilem.

*Ignorantia vincibilis* est ea, quæ potuit ac debuit vinci.

*Ignorantia invincibilis* est ea, quæ adhibita sufficienti diligentia non potuit vinci.

3. *Ratione actionis quæ fit ex ignorantia*, dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem.

*Ignorantia antecedens*, quæ eadem est cum invincibili, est ea quæ omnino antecedit consensum voluntatis, ita ut nullo modo sit volita, & tamen sit causa volendi id quod alioquin ignorans non vellet; talis fuit ignorantia Jacob, cum accessit ad Liam sibi obtrusam, quam putabat Rachelem, non facturus si scivisset esse Liam.

Igno-

*Ignorantia concomitans* est ea quæ licet comitetur actionem, non est tamen causa illius, quia adhuc fieret, si abesset ignorantia; talis est ignorantia illius qui hostem occidit putans esse feram, ita dispositus ut quamvis scivisset esse hostem, nihilominus occidisset.

*Ignorantia consequens*, quæ eadem est cum vincibili, est ea quæ voluntate *directe vel indirecte* est volita.

Dixi 1. *Directe est volita*: quando scilicet voluntas expresse vult aliquid ignorare ut liberius peccet, juxta illud (*Psal.* 35.) *Noluit intelligere ut bene ageret.* Et hæc ignorantia dicitur *affectata.*

Dixi 2. *Indirecte volita*: quando nimirum voluntas expresse quidem non vult ignorare, non tamen curat ea addiscere quæ potest & tenetur scire; & hæc ignorantia vocatur *crassa seu supina.*

*Nota* 2. Antequam esponamus, utrum ignorantia causet involuntarium, exponendum est circa quæ detur ignorantia invincibilis; duplici Paragrapho.

### §. I. *Circa quæ detur ignorantia invincibilis.*

*Certum est* 1. dari posse ignorantiam facti invincibilem & inculpabilem; siquidem nec scriptura nec Patres damnant Jacob qui ad Liam, loco Rachelis obtrusam, accessit.

*Certum est* 2. dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem juris positivi etiam divini; id patet ex Joann. 15. ubi Christus ait: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*; quem locum esponens D. August. (*Tract.* 89. *in Joann.*) ait: *illos ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de illo quo in Christum non crediderunt.* Unde Pius V. hanc propos. damnavit: *infedelitas pure negativa in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Itaque de sola ignorantia legis naturalis potest esse difficultas, quæ ut solvatur,

*Nota.* Præcepta legis naturalis ad tria genera posse revocari.

1. Est eorum quæ sunt legis naturalis prima & universalissima principia, cujusmodi sunt ista: *bonum est amandum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Deus est colendus, &c.*

2. *Genus* est eorum quæ ex primis principiis per facilem discursum deducuntur, cujusmodi sunt ista: *non furaberis, non occides*; & alia Decalogi præcepta.

3. *Genus* est eorum quæ ex primis principiis nonnisi longo & difficili discursu deducuntur, qualia sunt præcepta quæ prohibent aliquos contractus qui revera usurarii sunt, at tales evidenter non apparent, sed de iis controversia est inter Doctores. His positis

*Dico* 1. *Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis circa prima principia, nec circa proximas eorum conclusiones.*

*Prob. tota proposit.* Illud invincibiliter non ignoratur, cujus cognitio tam evidens est, ut sine difficultate haberi possit; atqui talis est cognitio primorum juris naturalis principiorum, & proximarum eorum conclusionum, ergo. Nullus enim est qui non videat veritatem hujus principii: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ex quo facili negotio concludit, *ergo non est furandum, occidendum &c.* Unde Apostolus (*Rom.* 1.) dicit, Gentiles, qui contra ista peccant, esse *dignos morte*; cujus rationem reddens (*Rom.* 2.) ait: *cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.*

*Objicies* 1. Potest dari ignorantia invincibilis juris positivi excusans à peccato, ergo & juris naturalis quoad conclusiones proxime ex principiis deductas.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod illæ conclusiones continentur in principiis primariis, in cordibus nostris a natura inscriptis, a quibus facili negotio deducuntur; at vero præcepta juris positivi cum pendeant a sola voluntate Legislatoris humani vel divini, nullam habent cum principiis lumine naturali notis connexionem, & ideo de illis possumus habere ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

*Prob. conseq.* Ex Apost. (*Rom.* 7. *vers.* 7.) dicente: *peccatum non cognovi nisi per legem*, nempe scriptam continentem præcepta Decalogi; atqui lex scripta potest ignorari: ergo & lex naturalis quoad proximas conclusiones.

*Resp. dist. minor.* Lex scripta continens præcepta Decalogi potest ignorari quoad peccata interna, *conc. min.* quoad peccata externa, *nego min. & conseq.* Itaque homines ante legem scriptam ex hoc legis naturæ principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* concludebant actus externos, quibus solis alteri nocetur, esse peccata, sed non concludebant actus internos voluntatis & desiderii quibus non infertur nocumentum proximo, & qui consequenter remote tantum deducuntur ex primis naturalis legis principiis, esse peccata, quos ut corrigat Deus, præceptis, *non mœchaberis, non furtum facies*, addit præceptum, *non concupisces.* Hanc esse mentem Apostoli patet ex contextu, ait enim; *peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.*

*Objicies* 2. Licet non possit dari ignorantia invincibilis circa præcepta naturalia secundi generis secundum se absolute spectata; saltem potest dari, si considerentur ut vestita finis apparenter boni circumstantia: v. g. *mentiri ad vitam conservandam. Seipsum occidere ad tuendam castitatem*; ergo saltem in aliquo casu potest dari, &c.

*Resp. nego ant.* Ignorantia enim in prædictis etiam casibus potest facile expelli per istud principium lumine naturali notum: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

*Inst.* Plures mulieres ad tuendam castitatem innoxiæ in flammas se præcipites dederunt, ut legitur de sancta Apollonia; atqui in hoc non fuerunt innoxiæ nisi quia invincibiliter ignorabant suicidium in hoc casu esse prohibitum; ergo.

*Resp. nego min.* Sed ideo innoxiæ fuerunt quia non sibi intulerunt mortem nisi ex speciali instinctu Spiritus sancti. *Hoc fecerunt*, ait D. Aug. (*Lib.* 1. *de civit. Dei*, *cap.* 26.) *non humanitus*

*deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes sed obedientes; sicut de Sansone nobis fas non est aliud credere*, cum eum Apostolus (*Hebr.* 11.) Sanctis annumeret.

*Resolves.* A mortali non excusandos parvulos qui in seipsos, vel socios, turpitudines exercent, nec conjugatos qui jure matrimonii turpiter abutuntur; multo minus eos qui pollutionem sibi promovent, quantumvis protestentur se penitus ignorasse hæc et similia esse illicita; nam ad peccatum mortale non requiritur explicita mali cognitio, ut definivit Clerus Gallicanus anno 1700. in damnatione prop. contrariæ; sed sufficit ut gravis quædam turpitudo in tali actione confuse apprehendatur, quam adolescentulos apprehendere constat ex eo quod in actionibus inhonestis exercendis, studiosissime sese occultet.

*Dico* 2. *Datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad conclusiones a principiis magis remotas.*

*Prob. Experientia*, qua constat Theologos etiam doctissimos ac sanctissimos, veritati ac orationi addictissimos inter se circa res ad jus naturale pertinentes, dissidere. Sic D. Thomas docet judicem posse ad mortem damnare eum quem innocentem novit, quod S. Bonaventura negat; ergo alteruter cum ordinariis naturæ et gratiæ auxiliis erravit in materia legis naturalis; ergo datur ignorantia &c.

*Confirmat* hanc propositionem S. Antonin. 1. p. tit. 5. cap. 10. §. 10. dicens: *quod sint contrariæ opiniones inter Doctores sanctitate & scientia maximos, in materia morali aliquando etiam ad salutem necessaria patet per exempla. Nam B. Thomas in quartum tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur dist.* 17. *& cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore & B. Bonaventura sunt in hoc contrariæ opinionis, &c. neutra opinio illorum reprobatur, etsi B. Thomæ opinios communius teneatur, quæ tamen minus tuta videtur ... Raymundus decretista & Sanctus in summa tenet, quod participare cum excommunicatis excommunicatione majori in loquela, in cibo & hujusmodi, in casu non concesso, sit mortale universaliter, sed B. Thomas in quartum, & Joan. Andreas Archidiaconus tenent contrarium; & sic exempla innumera possunt poni.* Qui porro asseruerit, Doctores ita præstantes, & sanctos post adhibitam sedulam industriam, postque oblatas Deo preces pro assequenda Veritate, culpam perpetrasse, quod eam non invenerint? aut quis negaverit, licitum esse sequi sententiam, quam Doctores summa in Ecclesia auctoritate præditi docent?

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura sacra perspicue docet nullam omnino dari ignorantiam invincibilem in his quæ sunt de jure naturali; ergo &c.

*Prob. ant.* Sapient. 6. vers. 13. *dicitur*: *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ad his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Et Jacobi 1. vers. 5. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, et dabitur ei: postulet autem in fide, nihil hæsitans etc.* Ergo nulla omnino datur ignorantia invincibilis in his, quæ sunt de jure naturali.

*Resp. nego conseq.* Nulla datur ignorantia invincibilis circa prima legis principia, nec circa proximas eorum conclusiones, *conc.* circa conclusiones a principio magis remotas, *nego conseq.* Porro auctoritates S. Scripturæ intelligendæ sunt de primis legis naturæ præceptis, deque illis, quæ facili ratiocinio ex iisdem deducuntur, non vero de conclusionibus remotis, abstrusis, cognituque difficillimis etiam ab ipsis Doctis.

*Inst.* Div. Augustin. lib. *de quantitate animæ* c. 14. ait, *magna, crede mihi, magna, sed sine ulla mole de animo cogitanda sunt ... fieri autem non potest quadam divina Providentia, ut religiosis animis, se ipsos, et Deum, suam*, id est, *Veritatem pie, juste, et diligenter quærentibus inveniendi facultates desint*; ergo nulli pie, ac diligenter quærenti facultates desunt, quamcumque juris naturalis, etiam remotioris a primis principiis, veritatem inveniendi.

*Resp. nego conseq.* Tum quia D. August. ibi loquitur de cognitione existentiæ Dei, quæ est summa Veritas in omnium hominum cordibus inscripta, & est primarium legis naturalis principium; tum si quid argumentum evinceret, æque concluderet, vincibilem esse omnem juris positivi, & facti ignorantiam, ac illam, quæ est juris naturæ, quod nullus unquam asserere ausus est.

*Objicies* 2. Homo omnem ignorantiam cujuscumque juris naturalis vinceret, si vellet; ergo nulla est invincibilis. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Ex isto Theologico effato: *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*; ergo si homo ista gratia uti vellet, orando, psallendo, &c. quamcumque ignorantiam juris naturalis vinceret.

*Resp. dist. Axioma*: Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam ordinariam, *conc.* extraordinariam, *nego Axioma.* Itaque in hac tenebrarum valle gratia ordinaria, quæ facienti, quod est in se ex viribus gratiæ, non denegatur & sufficit ad cognoscenda præcepta legis naturæ intimata, & promulgata: sed non sufficit ad omnes difficultates, quæ oriri possunt ex legibus & præceptis naturalibus, cognoscendas; ad harum difficultatum notitiam comparandam necessaria sæpe foret gratia extraordinaria, & miraculosa, quam Deus juxta ordinem providentiæ suæ conferre non decrevit etiam justis in Oratione perseverantibus, ut patet de SS. Thoma & Bonaventura, quorum alter aliquid ad jus naturæ spectans ignoravit, licet orationem assiduam non prætermiserit.

*Inst.* 1. Ignorantia invincibilis aliquarum difficultatum legis naturæ abstrusarum consequitur ignorantiam invincibilem ipsarum legum & præceptorum naturalium; atqui absurdum est dicere, aliqua præcepta legis naturæ intimata & promulgata posse invincibiliter ignorari; ergo.

*Resp. nego maj.* Cujus falsitas manibus contrectatur in legibus humanis, quæ, quando sufficienter promulgatæ sunt, omnibus innotescunt, aut inno-

innotescere debent, licet difficultates, quæ super iisdem a peritioribus moventur, plures lateant; similiter Deus leges & præcepta omnibus intimavit; verum difficultates, & conclusiones eorum abstrusas, & remotiores non omnibus denuntiavit ob fines sibi notos; quod sic explicat D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 1. dicens: *quædam sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter, non est cujuslibet, sed sapientum: sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos.* Et paulo infra subdit: *quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat, esse facienda, vel non facienda, sicut honorare Patrem tuum & Matrem: &, non occides, non furtum facies: & hujusmodi sunt absolute de jure naturæ. Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda: & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur.*

*Inst.* 2. Deus facienti, quod est in se ex viribus gratiæ, non denegat gratiam ad vitandum peccatum; atqui quælibet actio contra difficultates legis naturæ magis abstrusas, & conclusiones a principiis magis remotas, peccatum est; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Non denegat gratiam ad vitandum peccatum formaliter sumptum, *conc.* ad vitandum peccatum materialiter sumptum, *nego maj.* & sic *distincta minore*, *nego conseq.* Itaque ad illius effati Theologici verificationem non est necesse, ut Deus det gratiam ad removendos salutis obices; peccatum autem materiale, quod ex ignorantia prorsus invincibili committitur, non est obex salutis.

*Inst.* 3. Ergo mandata Dei plerumque sunt impossibilia; adimplere quippe non possumus, quod invincibiliter ignoramus; falsum consequens; ergo &c.

*Resp. nego illatum.* Debet enim distingui præceptum a consectariis, quæ ad hoc præceptum revocari possunt. Deus quidem legem suam, & omnia præcepta clare, & sigillatim promulgavit, explicuit, lumen, quo illa dignoscantur, infudit, & principia incidit, quibus facile ea cognosci valeant. Verum hinc non sequitur Deum debere communicare notitiam omnium conclusionum, & difficultatum, quæ ex tali lege, & præcepto oriri possunt; alias ordinem providentiæ ordinariæ transilire deberet, & non raro miracula patrare. Quando autem dicitur, Deum impossibilia non jubere, intelligitur respectu illorum præceptorum, quæ secundum legem ordinariam & citra miraculum cognosci possunt.

*Objicies.* Homo omnem ignorantiam cujuscumque juris naturalis vinceret si vellet; ergo nulla est invincibilis.

*Resp. nego ant.* .... *Prob.* Ex isto Theologico effato: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam;* ergo si homo illa gratia vellet uti, orando, pulsando, &c. quamcumque vinceret ignorantiam juris naturalis.

*Resp. dist. effatum.* Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, qua vitet peccatum formaliter *conc.*; qua vitet peccatum materialiter, *nego.* Porro ad illius effati verificationem, non necesse est ut Deus det gratiam ad quodlibet, sed sufficit quod det gratiam ad removendos saluti obices: peccatum vero materiale, quod ex ignorantia prorsus invincibili committitur, non est obex salutis.

### §. II. *An & quomodo ignorantia causet involuntarium?*

*Nota.* Lutherus (*in cap.* 12. *Genes.*) negavit ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis excusare a peccato: *Scholastici dicunt*, inquit, *ignorantiam invincibilem reddere excusabiles; tanta est cæcitas in Papæ scholis & Ecclesiis.*

Jansenius (*Lib.* 2. *de statu naturæ lapsæ cap.* 2. *& seq.*) docet ignorantiam invincibilem juris positivi, non vero ignorantiam juris naturalis invincibilem excusare a peccato. Ratio discriminis juxta eum hæc est, quod ignorantia Juris naturalis, non vero ignorantia juris positivi, a peccato originali fluxerit, & in Adamo nobis voluntaria fuerit, quod ad peccatum actuale sufficere existimat. Idem docet Nicolius (*sub ementito nomine Wendrochi Salisburgensis in dissert. de probabil. quam ad finem* 5. *Montaltii Epist.* adjecit). His positis

*Dico* 1. *Ignorantia antecedens & invincibilis etiam juris naturalis, causat involuntarium simpliciter, & ab omni culpa eximit.*

*Prob.* 1. *pars.* Quod fit absque cognitione singulorum in quibus est actio, & contra voluntatis propensionem, est involuntarium simpliciter: sed quod fit ex ignorantia antecedente, fit absque cognitione singulorum, &c. alias non esset invincibilis; fit etiam contra voluntatis propensionem, cum operans censeatur ita dispositus, saltem habitualiter, ut si ignorantia abesset, opus non præstaret, ut patet exemplo Jacob supra adducto dicentis Laban (*Genes.* 29. *vers.* 25): *Quid est quod facere voluisti? quare imposuisti mihi?* Ergo.

*Prob.* 2. *pars.* Nullum est peccatum nisi sit voluntarium, juxta illud D. Aug. (*lib. de vera relig. cap.* 4.) *Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc ita manifestum est, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et illud D. Thom. (1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *in fine corp. art.*) *Nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Quæ particula, *nulla*, omnem prorsus cujuscumque juris ignorantiam invincibilem, a ratione peccati excludit. Atqui quod fit ex ignorantia invincibili, est prorsus involuntarium; ergo non est peccatum.

Unde Alex. VIII. damnavit hanc propos. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.*

*Confirmatur*: Erroneum est, & a Conc. Trid. damnatum, quod Deus hominibus impossibilia præcipiat; atqui si ignorantia invincibilis non excusaret a peccato, Deus hominibus impossibilia præciperet, nam cum voluntas nostra sit potentia cæca, non potest in objectum ferri nisi illud ipsi ab intellectu exhibeatur; ergo ignorantia invincibilis excusat a peccato.

*Obji-*

*Objiciet* 1. Jansenius. Ignorantia invincibilis juris naturæ est voluntaria in sua causa, nempe in peccato originali & voluntate Adami totius naturæ humanæ capitis: at hoc sufficit ut illa sit mala & culpabilis; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Ad peccatum originale sufficit quod sit voluntarium in capite, scilicet in Adamo; ergo & ad peccatum actuale, seu personale.

*Resp. nego conseq.* cum D. Thom. (*in* 2. *dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 2.) dicente: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali; ad culpam vero naturæ* (id est, ad originalem peccatum) *non requiritur nisi voluntas in illa natura*, hoc est in capite illius naturæ. Ergo ad rationem peccati personalis requiritur actus a propria voluntate peccantis elicitus; alias motus indeliberati concupiscentiæ, & quidquid fit in phrenesi & amentia, essent peccata, cum illa omnia ex peccato originali proveniant.

*Hinc* Alex. VIII. hanc prop. damnavit: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas; qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

*Objiciet* 2. Jansenius. Nonnulla facta ex ignorantia invincibili, in scriptura appellantur peccata; ergo ignorantia invincibilis non excusat.

*Resp. nego ant. Prob.* Nam Genes. 20. actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam invincibiliter ignorabat esse conjugem Abrahæ, dicitur *grande peccatum*. Item Lucæ 12. dicitur quod *servus qui non cognovit* voluntatem Domini sui, & *fecit digna plagis, vapulabit paucis*; &c. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Quoad primum actio Abimelech vocatur grande peccatum materialiter, quia erat illicita ex natura rei, *conc.* formaliter, *nego ant.* nam ob defectum cognitionis & scientiæ, non erat culpabilis; præterea ignorantia Abimelech erat facti.

*Resp. dist. ant.* Quoad secundum, servus qui non cognovit voluntatem Domini vincibiliter, vapulabit paucis, *conc. ant.* invincibiliter, *neg. anteced.* cum Div. Thom. (*in catena in Luc. c.* 12.) qui hæc verba Teophilacti refert: *Cur punitur ignorans voluntatem Domini? quia cum scire potuisset, noluit. Sed negligentiæ ipse fuit ignorantiæ suæ causa.*

*Inst.* 1. Concil. Diospolitanum teste Aug. (*lib. de gest. Pelag. cap.* 35) damnavit hanc Pelagii sententiam: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Ergo ignorantia est peccatum etiam quando evenit secundum necessitatem, & est invincibilis.

*Resp.* 1. Sic concludendo; ergo ignorantia juris positivi etiam quando evenit secundum necessitatem & est invincibilis, est peccatum, quod tamen negant Jansenius & Nicolius.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Patres enim illius Concilii loquuntur de ignorantia vincibili si non viribus naturæ, saltem viribus gratiæ, contra Pelagium qui contendebat eam solam ignorantiam culpæ imputari quæ solis naturæ viribus expelli potest; aliam vero quæ nonnisi beneficio gratiæ, (cujus necessitatem negabat) expelli potest, contendebat esse invincibilem.

*Resp.* 3. *dist. conseq.* Ignorantia invincibilis est peccatum sumptum pro pœna, & effectu peccati, *conc.* sumptum pro offensa Dei, *nego conseq.* Quæ responsio ut clare constet, notandum est, errorem capitalem Pelagianorum fuisse, negare peccatum originale, quem errorem necessario consequebatur alter, nullam scilicet ignorantiam subjacere peccato, id est, esse fœtum originalis peccati. Contendebant ergo, ita necessario ignorantiam consequi conditionem naturæ humanæ, ut, etiam Adamo non peccante, homines ignorantiæ tenebris obvoluti forent. Patres autem Diospolitani, ut ab imis radicibus hunc Pelagianorum evellerent errorem, docuere, ignorantiam quamque etiam invincibilem subjacere peccato, id est, esse pœnam, & effectum peccati originalis. Et ne gratis hanc Responsionem dare videar, affero textum Div. Aug. qui lib. 3. de libero arb. c. 19. hæc scribit: *nam illud, quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem, illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Et infra: *non solum peccatur, libera enim voluntate, & a sciente committitur*, sed etiam illud, quod jam de illius supplicio consequatur, necesse est. Sed etiam ipsam naturam aliter dicimus (cum proprie loquimur) naturam hominis, in qua primus in suo genere inculpabilis factus est; aliter istam, in qua ex illius damnati pœna & mortales & ignari & carni subditi nascimur.

*Instab.* 2. Ex reg. juris: *Ignorantia facti, non juris excusat.* Ergo non omnis ignorantia excusat a peccato.

*Resp.* 1. Retorqueri posse argumentum de juris positivi ignorantia.

*Resp.* 2. *dist. Reg.* Ignorantia facti, non juris excusat, in foro externo, *conc.* Sic enim excusatur qui hominem occidit, putans esse feram; in foro interno, *nego.* Ratio est, quod in foro externo quis non præsumitur ignorasse inculpabiliter quod debuit scire.

*Inst.* 3. Div. Aug. (*L. de gr. & l. arb. c.* 3.). *Illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet, sed fortassis ut minus ardeat; non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Atqui ignorantia eorum qui simpliciter nesciunt, est ignorantia omnis juris invincibilis; ergo ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat a peccato; ergo &c.

*Resp. nego min.* Divus enim Aug. eo loco adversus Pelagianos loquitur de ignorantia vincibili legis Evangelicæ, quam docet non excusare a toto peccato infidelitatis. Immediate enim ante laudatum a Jansenio textum, ait: *aliud est enim nescire, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur: noluit intelligere, ut bene ageret, sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt &c.* ut supra. Distinguit ergo duplicem ignorantiam vincibilem, aliam affectatam, & hæc illorum est, qui lumen positive respuunt, de quibus dicitur: *noluit intelligere, ut bene ageret.* Alteram *simplicem*, eorumque est,

qui

qui desidia omittunt addiscere præcepta alioquin sibi obvia: & propter hanc asserit Div. Aug. damnandos esse, qui legem Evangelicam ignorat: quia id nesciunt negligentia, quod adhibita diligentia scire potuissent. Ita hunc locum interpretatur Magister sententiarum in 2. dist. 22. quam interpretationem confirmant tum exemplum servi nescientis voluntatem Domini, quod Div. Aug. ante verba relata adducit: tum particula, *tamquam simpliciter*, quæ satis indicat, sermonem non esse de ignorantia prorsus invincibili: tum quod c. 11. *ejusdem Libri* dicit: *ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perveniret; sicut Dominus dicit de Judæis, si non venissem, &c.* ergo excusationem habuissent, si promulgata non fuissent præcepta. Quapropter inexcusabilis asseritur eorum ignorantia, quod promulgatam Legem addiscere per superbiam neglexerint, ut immediate *ibidem* addit: *quomodo dicit* (Apostolus) *inexcusabilis, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: si scivissem, fecissem, ideo non facio quia nescivi, aut si scirem, facerem; ideo non facio, quia nescio. Hæc eis excusatio tollitur quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur.*

*Inst.* 4. D. Aug. ibi loquitur de ignorantia in genere: ergo tam comprehendit ignorantiam invincibilem, quam vincibilem.

*Resp. nego ant.* D. enim Augustinus agit de sola ignorantia vincibili, nam disputat contra Pelagianos, qui contendebant, nulla esse ignorantiæ peccata ob defectum libertatis: *quæ enim ignorantur*, inquiebant, *libere non eliguntur.* Quos arguit D. August. docens, ignorantias esse peccata, eo quod voluntarie, & libere scientia legis respuitur; ait enim c. 11. ibidem. *Si volueris, conservabis mandata .... apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam .... ecce apertissime videtur expressum liberum humanæ libertatis arbitrium.* Si disputatio cum Pelagianis de invincibili, & antecedenti ignorantia fuisset, vana, ac futilis esset argumentatio Divi Augustini; nam planum est, ipso fatente Jansenio, ignorantiam invincibilem esse peccatum. Perspicue ergo D. Aug. in hoc libro evincit, nullum esse peccatum actuale absque libertate propria personæ peccantis, quæ libertas non reperitur in eo, qui agit ex ignorantia invincibili.

*Instab.* 5. Atqui Div. August. pluribus locis ignorantiam etiam invincibilem vocat peccatum: ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Vocat peccatum improprie, quatenus est pœna, & effectus peccati originalis, *conc.* proprie, quatenus est culpa imputabilis, *nego ant. & consequ.* Sese explicat D. August. *lib.* 3. *de lib. arb.* c. 19. ubi hæc scribit: *nam illud quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem: illud enim præcedens meruit ista sequentia .... non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & a sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Docebat ergo D. Augustinus cum aliis Patribus, ignorantiam quamcumque, etiam invincibilem, esse peccatum, id est, pœnam, & effectum peccati, ut inde funditus evelleret errorem Pelagianorum, qui, ut facilius negarent peccatum originale, contendebant, ignorantiam ita necessario consequi ipsius naturæ conditionem, ut etiam Adamo non peccante, homines ignorantiæ tenebris circumfusi forent.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim loquitur Div. Doctor de ignorantia vincibili legis Evangelicæ, quam docet non excusare a toto peccato infidelitatis: ita hunc locum interpretatur Magister Sentent. (*in* 2. *dist.* 22.) quam interpretationem confirmat, tum exemplo servi nescientis voluntatem Domini quod Augustinus ante verba relata adducit; tum particula, *tamquam simpliciter*, quæ satis indicat sermonem non esse de ignorantia prorsus invincibili.

*Inst.* 6. D. Thom. (*quodlib.* 3. *q.* 4. *art.* 2.) ait: *In iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri;* ergo ignorantia invincibilis non excusat.

*Resp. nego conseq.* Loquitur enim D. Thomas de eo qui sequitur opiniones manifeste repugnantes Scripturæ, aut Ecclesiæ auctoritati; addit enim, *qui assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Talis autem erronea opinio est evidenter vincibilis & culpabilis.

*Dico* 2. *Ignorantia consequens affectata voluntarium et peccatum auget; ignorantia vero non affectata facit opus simpliciter voluntarium, et involuntarium secundum quid, unde minuit, peccatum.*

*Prob.* 1. *pars:* Illud auget voluntarium & peccatum quod procedit ex majori quadam deliberatione & affectu liberius peccandi; atqui ignorantia consequens procedit ex majori deliberatione & affectu liberius peccandi; cum sit peccatorum cum contemptu formali Deo dicentium: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job.* 21.). Ergo auget voluntarium & peccatum quod ideo est peccatum ex malitia.

*Prob.* 2. *pars:* Qui vult causam alicujus effectus, vult in illa causa eumdem effectum; sed qui agit ex ignorantia consequente non affectata, vult ipsam ignorantiam quæ est causa peccati, ergo vult peccatum.

*Prob.* 3. *pars:* Quod fit contra aliquam voluntatis inclinationem, est involuntarium secundum quid; sed effectus proveniens ex ignorantia pure consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem; ergo est involuntarius secundum quid.

*Prob. min.* Qui operatur ex ignorantia pure consequente, ita affectus esse censetur, ut si adesset scientia non poneret effectum, unde adveniente scientia post illum effectum positum, tristatur: ut patet in eo qui non facta sufficienti diligentia putans occidere feram occidit amicum; ergo effectus proveniens ex ignorantia pure consequente, fit contra aliquam voluntatis inclinationem.

*Dices contra secundam partem:* Malitia effectus ex ignorantia pure consequente positi, non fuit cognita; ergo non fuit volita.

*Resp. dist. conseq.* Non fuit volita, directe & in se,

se, *conc.* non fuit volita indirecte in negligentia addiscendi, *nego conseq.* Talis enim negligentia potuit ac debuit vitari, unde merito imputatur voluntati quod illam non vitaverit adhibendo diligentiam debitam & possibilem ad discendum ea quæ homo scire tenetur: hinc

*Resolves*, Ignorantem quæ ad judicis munus recte obeundum necessaria sunt, peccare graviter non solum cum suscipit munus judicis, sed toties quoties propter ignorantiam legum particularium sui officii, fert sententiam injustam, quamvis putet esse justam; nam suæ sententiæ injustitiam potuit & debuit cognoscere, & sic ea ipsi merito imputatur; idem dicendum de Advocato, Medico, Confessario, opifice, &c.

*Dico 3. Ignorantia concomitans nec voluntarium, nec involuntarium facit, ideoque nec accusat, nec excusat.*

*Prob.* Quia nihil potest dici voluntarium, quod non est cognitum; nec involuntarium quod non fit contra voluntatis inclinationem; atqui quod fit cum ignorantia concomitante, non est cognitum, alias esset ignorantia consequens; nec fit contra voluntatis inclinationem; imo potius fit cum magna saltem habituali voluntatis propensione, ut patet in eo qui credens se feram occidere, hostem suum occidit, quemque occidisse gaudet, ut rescivit; ergo.

*Hinc*, Qui cum ignorantia concomitante occidit inimicum, non est reus homicidii, nec subjacet pœnis contra homicidas latis; licet propter affectum inordinatum reus existat.

*Dices*: Ignorantia concomitans non causat voluntarium; ergo causat involuntarium; nam inter duo contradictoria non datur medium; atqui voluntarium & involuntarium sunt duo contradictoria; ergo.

*Resp. nego conseq.* Et minorem probationis; nam inter voluntarium & involuntarium positive, datur *involuntarium negative*, seu, ut ait D. Thom. *non voluntarium.*

Cæterum quod de ignorantia dictum est, idem dicendum 1. de *inadvertentia*, quæ est privatio attentionis actualis. 2. de *inconsideratione*, quæ est privatio debitæ inspectionis; 3. de *oblivione*, quæ est privatio recordationis rei alias notæ. Quare inadvertentia (idem dic de aliis) excusat a toto peccato si sit invincibilis; excusat vero a tanto, sed non a toto, si sit vincibilis.

Porro inadvertentia est *invincibilis*, quando non potuit nec debuit vitari: talis est inadvertentia illius qui habens cognitionem habitualem est distractus, nec ullam suæ distractioni dedit causam.

Est *vincibilis* 1. *in seipsa*, cum agens advertit opus quod aggreditur plus mereri considerationis, nec tamen vult majorem adhibere. 2. *In alio*, cum agens vult aliud quod cum seria rei faciendæ consideratione cohærere non potest, v. g. sequi passionem; vel cum non exuit se defectu quodam qui advertentiam tollit, v. g. præcipitatione in agendo, negligentia in attendendo, &c.

## CAPUT III.

*De moralitate actuum Humanorum.*

*Nota* 1. Actus humanus potest spectari secundum duplex esse, scilicet *esse physicum*, & *esse morale.*

Actus humanus secundum suum *esse physicum*, est actus a voluntate hominis deliberate procedens; de actibus humanis sub eo respectu hucusque egimus.

Actus humanus secundum *esse morale*, est ejusdem actus ad regulas morum relatio, vel conformitatis, vel difformitatis, vel indifferentiæ objectivæ; unde

Actus moralis recte definiri potest, *Actus humanus conformis, vel difformis regulis morum, aut ab eis permissus.* Ex qua definitione

*Sequitur*, moralitatem non consistere in sola libertate, cum actus concipiatur liber antequam sit moralis; est enim liber prout deliberate a voluntate procedit; moralis vero prout elicitur consentanee vel dissentanee ad regulas morum.

*Nec dicas.* In eo sita est moralitas, quo posito ponitur, & quo sublato, tollitur: atqui posita libertate ponitur moralitas, & ea sublata tollitur: v. g. posita libertate actus imputatur in malum, qui, eadem sublata, desinit imputari; ergo.

*Resp. dist. maj.* In eo sita est moralitas, quo posito tamquam rei essentia, ponitur, *conc.*; quo posito tamquam prærequisito, *nego maj.* Itaque ad morale prærequiritur liberum, unde sublato libero, tollitur morale: sicut sublato voluntario tollitur liberum, quia ad liberum prærequiritur voluntarium; non magis tamen morale in solo libero consistit, quam liberum in solo voluntario; quia sicut voluntarium & liberum diversis conceptibus objectivis concipiuntur, sic liberum & morale diversis repræsentantur ideis; unde remanente eadem libertate, potest variari moralitas; v. g. si actus qui in primo instanti erat bonus, quia permissus, in secundo fiat malus, quia adveniente lege, est prohibitus.

*Nota* 2. De moralitate sic explicata quæri potest,

1. Quot & quænam sint species moralitatis.
2. Quot & quænam sint moralitatis principia.
3. Quænam sint ejusdem affectiones.
4. Quænam sit moralitatis primaria regula.

## QUÆSTIO I.

*Quot & quænam sint species moralitatis.*

*Nota.* Tres vulgo distinguuntur moralitatis species, scilicet *indifferentia* quam lex permittit; *bonitas* quam imperat; & *malitia* quam prohibet: circa indifferentiam quæritur, an reperiatur in actibus humanis; circa bonitatem & malitiam simul, an augeantur per actum externum. Itaque sit

### ARTICULUS I.

*Utrum detur actus humanus indifferens, id est, qui nec bonus, nec malus sit moraliter?*

*Nota.* Actus deliberatus, de quo solo hic agitur, potest considerari vel *in specie*, vel *in individuo.*

Actus humanus *in specie*, est actus spectatus in ordine ad solum objectum, ad quod se extendit.

Actus humanus *in individuo*, est actus spectatus non solum in ordine ad objectum, sed etiam in ordine ad circumstantias & ad finem operantis.

*Dico 1. Dantur actus humani indifferentes in specie.*

Prob.

*Prob.* Tales sunt actus in specie spectati, quale est objectum ad quod tendunt; siquidem actus speciem suam ab objecto sumit; atqui varia sunt objecta quæ ex se intrinsece nec bona sunt, nec mala, sed plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut sunt *ambulare*, *levare festucam*, *&c.* Ergo actus humani spectati in ordine ad objecta illa sola, sunt indifferentes in specie.

*Dices* 1. Inter privative opposita non datur medium; sed actus bonus & actus malus ex objecto, sunt privative opposita; ergo.

*Resp. nego minor.* Nam privatio est absentia formæ in subjecto capace illius formæ, sic homo dicitur cæcus, non vero lapis, qui dicitur simpliciter *non videns*; atqui objectum indifferens ex se non est capax bonitatis vel malitiæ; ergo non dicitur illis privari, sed simpliciter dicitur esse *non bonum*, *non malum*.

*Dices* 2. Si datur actus indifferens in specie, nunquam poterit esse bonus vel malus; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego sequelam* .... *Prob.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale; quia essentiæ rerum sunt immutabiles; atqui quod est indifferens secundum suam speciem, est essentialiter indifferens; ergo quod est indifferens secundum suam speciem, non potest non esse indifferens, & consequenter numquam poterit esse bonus vel malus.

*Resp. dist. maj.* Quod est essentialiter tale, non potest non esse tale, secundum illud per quod est essentialiter tale, *conc.*; secundum illud quod potest illi advenire, *nego maj.* & concessa minore *dist. conseq.* quod est indifferens secundum speciem, non potest non esse indifferens secundum speciem, *conc.* secundum aliquam circumstantiam ei advenientem, *nego conseq.*

Itaque actus indifferens ex objecto, non potest non esse ex objecto indifferens; sed actus ex objecto indifferens potest esse bonus vel malus ex aliqua nova superveniente circumstantia bona vel mala.

*Dico 2. Nulli dantur actus indifferentes in individuo.* (*Ita D. Thom. & Thomistæ; Suarez, Bellarmin. Valentia, Tournely, Paulus a Lugd. contra Scotum. D. Bonaven. Vasq. &c.*)

*Prob.* 1. Actio indifferens est ea quæ nec bona est, nec mala moraliter; atqui nulla hujusmodi actio debet admitti in individuo, imo ex Augustin. (*epist.* 82.) *Cavendum est ne, sicut Philosophi, facta quædam hominum media dicamus inter recte factum & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerantur.* Ergo.

*Prob. min.* Actus humanus sumptus in individuo, includit non tantum objectum ad quod proxime tendit, sed etiam finem quem operans sibi proponit; atqui nullus actus spectatus secundum finem quem operans sibi proponit, est indifferens; ergo actus humanus sumptus in individuo non est indifferens.

*Prob. min.* Finis cujuslibet actus deliberati est bonum, vel jucundum, vel honestum, nam bonum utile cum propter se non appetatur, non habet rationem finis; atqui si finis actus sit bonum honestum, actus est bonus; si finis sit bonum jucundum, actus est malus: neque enim licitum est homini in suis actibus deliberatis propter solam delectationem operari, ut definivit Innoc. XI. in damnatione hujus propos. (*Prop.* 8. *inter* 65. *damnatas*) *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Id est, conquiescere in actibus suis, non referendo illos ad finem honestum: ergo quilibet actus consideratus secundum finem est bonus, vel malus; ac proinde nullus est indifferens.

*Prob.* 2. Ratione D. Thom. (1. 2. *qu.* 18 *art.* 9. *in arg. sed contra est*) quæ sic proponi potest: omnis actio otiosa est moraliter mala: siquidem de verbo otioso *reddent homines rationem in die judicii*, ait Christus (*Matt.* 12.); atqui hominis actio quæ ad debitum finem non ordinatur, est otiosa; ergo est mala.

*Prob. min.* Quia actio non dicitur otiosa eo quod malum finem habeat; ergo ideo solum otiosa dicitur eo quod careat debito fine; nam ut ait D. Bernardus (*lib. de triplici custodia*), *otiosum verbum est, quod nullam rationalem causam habet.* Ergo pariter actio otiosa est ea quæ debito fine caret.

*Objicies* 1. D. Hieronym. (*epist.* 89. *ad August. quæ est* 11. *inter epistol. Augustini*) ait: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens est ambulare*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Ambulare consideratum *in specie* est indifferens, *conc.*; consideratum in individuo, *nego ant.* Div. enim Hieron. sumit tò *ambulare*, prout abstrahit tum a fine, tum a circumstantiis.

*Inst.* Div. Hieronym. addit: *Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Ergo loquitur de ambulatione sumpta *in individuo*.

*Resp. dist. ant.* Sive feceris, sive non feceris, nec justitiam nec injustitiam habebis ex tali actione spectata ratione objecti, *conc.* ratione finis, *nego.* Hanc esse mentem Divi Hieronymi patet ex ejus epistol. ad Ctesiph. ubi his Pelagii verbis: *Audite quæso, audite sacrilegium: si voluero curare digitum, stare, ambulare .... semper auxilium Dei mihi necessarium erit.* Sic respondet: *audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo vult sanctus Doctor, ut omnia opera ad Dei gloriam referantur.

*Objicies* 2. Datur actus indifferens in specie; ergo & in individuo.

*Resp. nego conseq.* ..... *Prob.* Nulla datur species sine individuo rationem speciei participante; ergo si dantur actus indifferentes in specie, dantur etiam in individuo.

*Resp. nego conseq.* Quia non datur species actuum indifferentium; aliud enim est dari speciem actuum indifferentium, aliud dari actus indifferentes in specie; nam

Dari speciem actuum indifferentium, est dari naturam communem actuum liberorum, qui neque boni, neque mali sunt moraliter sub ullo respectu, qualis nulla esse potest.

Dari vero actus indifferentes in specie est dari actus qui neque boni neque mali sunt præcise ratione objecti, licet boni vel mali sint ratione finis & circumstantiarum.

*Inst.* 1. Actus qui fiunt præcise ad sublevandam

levem naturæ indigentiam, ut ambulare ad juvandam digestionem, alvum purgare, spuere, ad ignem frigoris abigendi causa accedere, &c. nullam neque ex objecto, neque ex fine contrahunt bonitatem, vel malitiam; ergo sunt indifferentes in individuo.

*Resp. nego antec.* Vel enim illi actus, qui sunt media, fiunt propter solam voluptatem, & tunc sunt venialiter mali, quia homo utpote rationalis, operari tenetur propter finem excellentiorem quam bruta; vel fiunt ad sanitatis conservationem, debitam sustentationem, & rectam corporis consistentiam, & tunc sunt moraliter boni; quod enim est conforme naturæ rationali, qua rationali est honestum; atqui debite conservare ac sustentare corpus, est conforme naturæ rationali qua tali, cum sit actus charitatis nobis a Deo ipso commissus; ergo.

*Inst.* 2. Delectatio moderata corporis vel animi non est mala moraliter; ergo potest esse finis licitus.

*Resp. nego conseq.* Delectatio moderata non est quidem malum objectum, cum licite percipi possit; sed est malus finis quatenus agens rationale non potest licite delectationem appetere propter se, sed tantum propter finem honestum, v. g. ut corpus functionibus suis magis habile fiat, & ideo mens promptius ea quæ officii sui sunt, peragat, & tunc sortitur bonitatem a fine quem operans ultimate intendit.

*Inst.* 3. Sunt aliquæ operationes per se tantum ordinatæ ad oblectandum, v. g. visio pulchri ad oculos oblectandos, olfactio odoris ad oblectandas nares, &c. Ergo saltem istæ poterunt propter solam delectationem licite exerceri.

*Resp. nego ant.* Nulla enim operatio ad solam delectationem ut ad ultimum finem ordinatur; sed ultra semper tendit ad finem ulteriorem, nimirum ad operationes humanas exercendas; sic olfactio odoris ordinatur finaliter ad cerebrum confortandum; visio pulchri ad excitandos spiritus, qui deserviunt ad operationem humanam rite exercendam, &c.

*Instab.* 4. Nemo tenetur ad impossibile; atqui in nostro statu naturæ corruptæ impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum tamquam ad ultimum finem referre: ergo.

*Resp. dist. min.* In statu naturæ lapsæ impossibile est omnes actus nostros deliberatos ad Deum referre actualiter, *conc. min.* virtualiter, *nego min.* Neque enim opus est ut finem honestum actu intendamus in singulis actibus, sed sufficit ut illum intendamus virtualiter, qualiter censetur intendere ut plurimum qui ordinate & christiane vivit. *Hoc ipsum*, ait Div. Thom. (1. 2. *q.* 18. *art.* 9. *ad* 3.) *quod aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur, in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis, & idem patet in aliis.*

*Inst.* 5. Si prædicti actus possent esse boni, possent voveri, item si possent esse mali, posset Sacerdos illis impendere absolutionem qui tantum se accusant, quod prædictos actus in finem honestum non retulerint, absurdum utrumque consequens; ergo & antec.

*Resp.* 1. *nego conseq.* Quia non omne bonum voveri potest, sed id tantum quod est melius; porro licet bona sit ambulatio, v. g. ad sublevandam levem naturæ indigentiam, tamen ejus omissio non est melior; ergo non potest voveri.

*Resp.* 2. *dist.* 2. *partem min.* Absurdum est Sacerdotem absolutionem impendere illis qui solum se accusant quod prædictos actus deliberatos in finem honestum non retulerint, quando non constat quod non retulerint, *conc.* quando certo constat, *nego.* Ita respondet Gonet his verbis: *Quia similes actus ut plurimum sine deliberatione ex sola imaginatione fiunt, & si fiant cum deliberatione rationis, ad sanitatem vel honestam recreationem, vel naturæ quietem & solatium, virtualiter referuntur, regulariter sunt materia dubia, & ideo prudens Sacerdos raro debet his solum absolutionem impendere, sed monere pœnitentem ut de aliis, licet jam confessis, quæ certo sunt peccata, se accuset.*

*Objicies* 3. Nullum est præceptum obligans hominem ad referendum omnes suas actiones deliberatas in finem honestum; ergo non extat talis obligatio.

*Resp. nego ant. . . . Prob.* Si datur tale præceptum, vel est naturale, vel positivum; neutrum dici potest; ergo.

*Resp. nego min.* Et dico illud præceptum esse naturale, nam lumen naturale dictat ut agens rationale in omnibus suis actibus deliberatis tendat ad bonum consonum naturæ rationali qua rationali, quod est bonum honestum.

*Inst.* Præceptum naturale est notum omnibus saltem eruditis; atqui præceptum referendi omnes suas actiones deliberatas in finem honestum non est notum omnibus, etiam piis & eruditis, cum D. Bonav. Scotus &c. illud negent; ergo.

*Resp. dist. maj.* Præceptum naturale quod habet rationem primi principii, vel conclusionis immediate ex principio deductæ, est notum omnibus, *conc.* præceptum naturale, quod est conclusio a primo principio remota, *nego maj.* Porro tale est præceptum, de quo hic.

*Inst.* 2. Præcepta naturalia in Decalogo continentur; atqui illud præceptum referendi, &c. non continetur in Decalogo; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Præcepta naturalia quæ a principiis immediate deducuntur, continentur Decalogo, *conc.* quæ remote deducuntur, *nego maj.* Itaque præceptum referendi, &c. remote deducitur ex præcepto dilectionis Dei super omnia, vi cujus tenemur habere Deum pro fine ultimo, et consequenter referre in ipsum omnes nostras actiones, saltem mediate, quod fit ordinando eas ad aliquem finem honestum.

*Inst.* 3. Præceptum illud, si extet, est affirmativum; ergo non obligat pro semper.

*Resp. dist. ant.* Est affirmativum pure, *nego ant.* est affirmativum non pure, *conc. ant.* Continet enim implicite præceptum negativum, quo scilicet prohibemur ne creaturis fruamur. Unde in hoc Decalogi præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* istud negativum implicite continetur: *Non sistes ultimate in creatura; cumque si diligas, amorem illius in Dei dilectionem saltem mediate referas.*

*Objicies* 4. Concilium Constantiense damnavit hanc

pre-

propos. Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum quod sint vel virtuosa, vel vitiosa.* Atqui si non darentur actus indifferentes in individuo, illa propos. immerito damnata fuisset; ergo dantur.

*Resp. nego min.* .... *Prob.* Si non sint aliqui actus indifferentes in individuo, quælibet humana opera erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo; ergo.

*Resp. dist. ant.* Quælibet opera humana erunt vel virtuosa, vel vitiosa in individuo, in sensu Joannis Hus, *conc. ant.* in sensu Catholicorum & Patrum Concilii; *nego ant.*

Itaque hæc prop. non fuit in se & absolute damnata, sed tantum relative ad sensum Joannis Hus qui contendebat omnia quæ fiunt ab homine in statu peccati mortalis existente, esse peccata; quæ vero a justo, esse virtutis actus, ut patet ex verbis propositionem immediate sequentibus: *Quia*, inquiebat Joann. Hus: *si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiose: et si est virtuosus, et agat quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi*, quod est falsum; certum est quippe justos non amissa justitia peccare venialiter, et impios in statu peccati remanentes, actus informes fidei & spei posse elicere.

## ARTICULUS II.

*Utrum actus externus, interni bonitatem vel malitiam augeat; ita ut melior sit actio illius qui eleemosynam dat de facto, quam ejus qui eam dare vult, et non potest defectu facultatis vel occasionis.*

Dico: *actus externus per se non auget bonitatem aut malitiam actus interni efficacis; sed auget per accidens* (*Ita Thomistæ contra Scotistas*).

*Prob.* 1. *pars*: Argumento deducto ex script. & Patribus: si actus exterior *per se* augeret bonitatem vel malitiam moralem, voluntas efficax bene vel male agendi nunquam reputaretur pro facto; atqui apud Deum voluntas pro facto reputatur; ergo.

*Prob. min.* Abrahamo mactare filium parato, licet sacrificium opere non compleverit, dixit Deus (*Gen.* 22.): *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Et Matth. 5. dixit Christus: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ verba expendens D. Bernardus ait (*epist.* 77.): *Quid planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas?* Ergo.

*Prob.* 2. Ratione Theologica: illud *per se* non auget bonitatem aut malitiam actus interni, quod *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam; atqui actus externus *per se* nullam habet bonitatem, nullam malitiam; ergo &c.

*Prob. min.* Ratio bonitatis vel malitiæ moralis sumitur a libertate; atqui actus externus, *per se* ut distinctus ab actu interno, nullam habet libertatem, alias & dormiens per actus suos mereretur vel demereretur; ergo actus externus nullam *per se* habet bonitatem vel malitiam, sed totam moralitatem habet ab actu interno efficaci.

*Prob.* 2. *pars*: Illud *per accidens* auget malitiam actus interni; quod nonnumquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem; atqui actus externus experientia operis nonnunquam actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem; sic v. g. actualis voluptas quæ ex fornicatione misere percipitur, fornicationis affectum intensiorem efficere solet; ergo &c.

Præterea ex actu exteriori malo multoties generatur scandalum, incurritur excommunicatio, vel irregularitas, aut obligatio ad restitutionem, quæ per solum actum interiorem non inducuntur; ergo actus externus *per accidens*, ratione scilicet illorum malorum quæ ex eo nonnumquam sequuntur, auget malitiam actus interni.

*Objicies contra primam partem*: 1. Illud August. dicentis: *mala voluntate vel sola quisque miser efficitur; sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Atqui non ob aliud fit miserior per actum externum, quam quod actus externus augeat malitiam actus interni; ergo.

*Resp. nego min.* Ideo fit miserior quia actus externus hominem ad malum propensiorem facit, generat scandala, ingenii acumen obtundit, & mentem magis ineptam reddit ad operum spiritualium saporem; quod non præstat actus interior.

*Objicies* 2. Actus internus & actus externus mali diversis præceptis prohibentur, nempe *non mœchaberis. Non concupisces.* Ergo actus externus diversam habet malitiam a malitia actus interni.

*Resp. nego conseq.* Non enim ideo ponuntur diversa præcepta de actibus interioribus & exterioribus, quod in exterioribus sit diversa malitia, cum propter idem motivum prohibeantur; sed ideo ponuntur quia periculum erat, ne homines carnales legem observasse sibi viderentur, si a solis actibus externis abstinerent, quamvis interioribus præberent consensum; sicut quidam ex Judæis asseruerunt, quos redarguit Christus his verbis: *Audistis quia dictum est, non mœchaberis: ego autem dico vobis: omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.*

*Inst.* 1. Qui martyrium reipsa subit, qui sacramenta realiter suscipit, majorem recipit gratiam, & consequenter magis meretur, quam qui efficaciter ista desiderat; ergo actus externus auget bonitatem & meritum actus interni.

*Resp. disting. major.* Majorem gratiam recipit *ex opere operato*, conc. *ex opere operantis*, nego ant. Hic autem loquimur de merito producto ex opere operantis, quod tantum potest esse in eo qui martyrium vel sacramenta efficaciter desiderat, quantum in eo qui actu martyrium subit, vel sacramenta re suscipit: imo potest esse majus, si ex majori charitatis affectu desideret.

*Inst.* 2. Si opus externum novam malitiam non adderet, sequeretur 1. frustranea esse opera externa; 2. nos non teneri actus externos confiteri, quia declarato actu interiori, tota actus malitia sufficienter declararetur; atqui absurdum & falsum conseq. Ergo

*Respond. nego utramque antecedentis sequelam*, 1. Enim opera externa non sunt frustranea, tum quia si non fiant dum adest facultas, tunc actus in-

 terni

terni non sunt efficaces; tum quia opus externum plerumque est præceptum; tum quia opus externum est satisfactorium, non vero opus internum quod non est pœnale.

2. Tenemur confiteri actus externos, tum quia ex ipsis colligitur voluntatis efficacia; tum quia sæpe augent internos per accidens; tum quia actus exterior facit unum per se peccatum cum interno.

## QUÆSTIO II.

*Quot & quænam sint moralitatis principia.*

*Nota*: Nomine principiorum moralitatis ea omnia intelliguntur, per quæ actus humanus habet ut sit bonus, vel malus, vel indifferens, & tria sunt, scilicet objectum, finis & circumstantiæ, de quibus agemus distinctis articulis.

### ARTICULUS I.

*An & quomodo actus humanus moralitatem desumat ex objecto?*

*Nota* 1. Objectum hic non sumitur pro eo omni quod voluntati objicitur, sic enim comprehenderet etiam finem & circumstantias; sed sumitur stricte pro omni re aut persona quæ primo & per se attingitur ab actu; hoc sensu res aliena est objectum furti; proximus homicidii.

*Nota* 2. Objectum potest dupliciter concipi, nempe vel secundum *esse physicum*, vel secundum *esse morale*.

Objectum secundum *esse physicum*, est objectum secundum se materialiter spectatum.

Objectum secundum *esse morale*, est objectum prout ab agente attingitur modo rectæ rationi consentaneo vel dissentaneo. Porro manifestum est, objectum a quo actus moralitatem suam desumit, non accipi secundum *esse physicum*, sed secundum *esse morale*. Sic v. g. objectum a quo adulterium suam malitiam sumit, non est femina præcise ut femina, cum ut sic possit esse objectum adulterii & actus conjugalis; sed est femina prout cognoscitur contra prohibitionem rectæ rationis.

*Nota* 3. Per objectum a quo quærimus utrum actus humanus desumat moralitatem, intelligimus objectum quod de se bonum est vel malum; nam si objectum sit indifferens, non potest conferre bonitatem aut malitiam, cum neutram habeat; sed repetenda est vel a fine, vel a circumstantiis quæ objectum formaliter determinant ad rationem boni vel mali objectivam. His positis,

*Dico: specifica actuum humanorum moralitas, & quidem primaria, desumitur ab objecto secundum esse morale spectato.*

*Prob.* 1. *pars*: Ab eo sumitur specifica moralitas actuum humanorum, ratione cujus quædam virtutes, & quædam vitia a se invicem specie differunt; atqui quædam virtutes, quædam vitia a se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur; sic virtutes Theologicæ, specie differunt a moralibus, quod Theologicæ habeant Deum pro objecto, non autem morales; sic etiam homicidium & adulterium specie differunt, eo quod eorum objecta specie differunt; ergo specifica actuum humanorum moralitas desumitur ex objecto. Hinc dicit Oseas (*Cap.* 9.) *facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

*Prob.* 2. *pars* Illa est primaria actus humani moralitas, sine qua actus humanus non potest concipi; atqui actus humanus non potest concipi sine moralitate ab objecto sumpta, licet possit concipi sine aliis; sic v. g. furtum quod quis in loco sacro committit ad se inebriandum, licet possit concipi sine malitia sacrilegii & intemperantiæ, non potest tamen concipi sine malitia injustitiæ: ergo primaria actus humani moralitas desumitur ab objecto.

*Dices.* Actus humanus primam suæ moralitatis speciem desumit ab eo quod primo respicit: sed finis est id quod primo respicit, cum objectum non sit volitum nisi propter finem; ergo actus humanus primam suæ moralitatis speciem non ab objecto, sed a fine desumit.

*Resp. dist. maj.* Actus humanus primam moralitatis speciem desumit ab eo quod primo respicit intrinsece & essentialiter, *conc.* extrinsece & accidentaliter, *nego.* Itaque actus humanus intrinsece & essentialiter respicit finem operis qui dicitur *intrinsecus*, quia coincidit cum objecto; sed extrinsece tantum & accidentaliter respicit finem operantis qui dicitur *extrinsecus*, quia tendentia ad hunc vel illum finem operantis accidit actui humano, puta quod eleemosyna v. g. fiat propter vanam gloriam, vel ad satisfaciendum pro peccatis.

*Inst.* Odium Dei est actus pessimus; atqui habet objectum optimum, nempe Deum; ergo actus odii Dei non desumit moralitatem ab objecto.

*Resp. dist. min.* Odium Dei habet objectum optimum si spectetur secundum esse physicum, *conc.* si spectetur secundum esse morale, *nego min.* Sic enim spectatum, est Deus prout attingitur per odium, qui modus tendendi in Deum est rectæ rationi quam maxime dissonum.

### ARTICULUS II.

*An & quomodo actus humanus moralitatem desumat a fine operantis?*

*Nota.* Duplex est finis, intrinsecus scilicet seu operis, & extrinsecus seu operantis.

*Finis intrinsecus* est is, in quem tendit opus ex natura sua; sic finis intrinsecus eleemosynæ est sublevatio pauperis.

*Finis extrinsecus* est is, in quem tendit agens, seu est id propter quod aliquid fit ... dicitur *extrinsecus*, quia sublato tali fine actio adhuc manet integra. Itaque

*Dico: moralitas actuum humanorum desumitur etiam a fine extrinseco operantis.*

*Prob.* Ab eo desumitur moralitas actus, quod actum facit ex indifferente bonum vel malum; ex malo pejorem; ex bono meliorem, vel malum; atqui finis facit actum, 1. ex indifferente bonum vel malum, sic studium ad vanam gloriam est malum, & studium ob lucrum animarum est bonum; 2. facit actum ex malo pejorem, ut si quis furetur ad mœchandum; 3. facit actum ex bono ma-

malum, ut si quis dat eleemosynam ob vanam gloriam; 4. facit actum ex bono meliorem, ut si quis det eleemosynam ad redimenda peccata; ergo moralitas actus desumitur etiam a fine extrinseco operantis; hoc certum est apud omnes, sed

*Quæres utrum actus ad finem extrinsecum ordinatus desumat moralitatem specificam & essentialem a fine extrinseco?* pro cujus resolutione

*Nota:* Actus ad finem extrinsecum ordinatus potest spectari dupliciter, 1. ut est imperatus a fine extrinseco, proceditque ab intentione efficaci finis; 2. ut est elicitus a voluntate; v. g. volitio dandi eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis est actus imperatus a pœnitentia, & actus elicitus misericordiæ. Hoc prænotato,

*Resp. Actus a fine extrinseco imperatus, spectatus reduplicative ut imperatus, essentialem & specificam moralitatem desumit a fine operantis, spectatus vero ut elicitus eandem desumit ab objecto.*

*Prob.* Actus essentialem & specificam moralitatem desumit ab eo quod præcipue & essentialiter respicit; *atqui* actus spectatus prout est imperatus, præcipue & essentialiter respicit finem operantis: siquidem voluntas ex efficaci finis intentione movetur ad objectum; spectatus vero ut elicitus, præcipue & essentialiter respicit solum objectum: illi enim in esse specifico jam constituto advenit finis extrinsecus operantis; *ergo* actus spectatus reduplicative ut imperatus essentialem & specificam moralitatem desumit a fine operantis; spectatus vero ut elicitus essentialem & specificam moralitatem ab objecto desumit.

*Dices.* Plures actus habent speciem essentialem a solo fine extrinseco; ergo eam non habent ab objecto quatenus sunt eliciti, & a fine extrinseco quatenus imperati.

*Resp. nego ant.* .... *Prob.* Actus quo amatur Deus propter se & actus quo amatur proximus propter Deum, sunt actus ejusdem speciei, nempe charitatis; atqui non sunt ejusdem speciei, nisi quia specificantur a solo fine extrinseco; ergo.

*Resp. nego min.* In qua assignatur pro fine extrinseco operantis, illud quod est revera finis intrinsecus & operis: cum enim objectum & finis intrinsecus charitatis sit amare Deum propter se, & proximum propter Deum, manifestum est intentionem operantis pertinere ad objectum charitatis.

*Resolves* 1. Unicum actum posse pertinere ad virtutes specie diversas; potest enim ab una elici, & imperari ab altera; ut patet in exemplo adducto eleemosynæ datæ ad satisfaciendum pro peccatis, quæ elicitur a misericordia, & imperatur a pœnitentia.

*Resolves* 2. Posse in uno eodemque actu reperiri duplicem moralitatem ejusdem speciei, unam quidem ex parte operis, seu objecti; alteram autem ex parte operantis; moralitas ex parte objecti magis est præcipua, si actus prout est externus consideretur; moralitas vero ex parte operantis principem locum tenet, si actus prout est internis perpendatur: quo sensu dixit Aristoteles (5. *Ethicorum*, *cap.* 2.) *qui furatur ad mœchandum, est magis mœchus, quam fur.*



## ARTICULUS III.

*An & quomodo actus humanus moralitatem desumat ex circumstantiis?*

*Nota* 1. Circumstantia actus definitur, *Accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico, tum morali.*

Dicitur 1. *accidens*, quia est quid extrinsecum entitati actus, quæ sine tali accidente concipi & subsistere potest: talis est circumstantia loci sacri in furto.

Dicitur 2. *moraliter afficiens*; id est modificans actum in conformitate, vel difformitate ad rectam rationem; & ideo conferens ipsi aliquid bonitatis, vel malitiæ accidentalis; alioquin poterit quidem esse circumstantia actus humani qua physicus est, sed non qua moralis; sic v. g. eleemosynam dare inimico est circumstantia moralis, quæ actionem facit magis Deo acceptam; sed dare eleemosynam manu dextra vel sinistra est circumstantia actus qua physicus est, quæ nihil ad mores confert.

Dicitur 3. *Actum humanum jam constitutum in suo esse morali*: quia objectum actus dat ipsi primam moralitatem, & idcirco circumstantia *qua talis* non nisi secundam & accidentalem dare potest.

Dixi: *Circumstantia qua talis:* quia aliquando circumstantia transit in ipsum objectum, seu est præcipuum operantis objectum, quando nimirum primario & per se intenditur ab operante, & tunc dat actui primam & essentialem moralitatem; id patet in eo qui determinatus ad sacrilegium, in loco sacro furatur ut impium consilium executioni mandet; eo enim in casu malitia quæ ex loci sacri circumstantia oritur, est actui essentialis; tuncque furtum est circumstantia medii, seu *quibus auxiliis.*

*Nota* 2. Circumstantia alia est formalis, alia objectiva.

Circumstantia *formalis* est ea, quæ se tenet ex parte actus: tales sunt *intentio*, *duratio*, *libertas*, *&c.*

Circumstantia *objectiva* est ea, quæ se tenet ex parte objecti: tales sunt circumstantiæ loci, temporis, personæ, majoris vel minoris quantitatis &c. De his solis hic agitur, cum certum sit actum a circumstantiis formalibus aliquam moralitatem bonitatis vel malitiæ sumere. Itaque

*Dico. Moralitas actuum humanorum desumitur etiam a circumstantiis.*

*Prob.* Circumstantiæ subjacent regulis morum: vel enim ab eis præcipiuntur, vel prohibentur; atqui quæ subjacent regulis morum, actibus humanis moralitatem conferunt; ergo circumstantiæ actibus humanis moralitatem bonitatis vel malitiæ conferunt. Circa quod

Quæres 1. *Quamnam moralitatem actibus humanis circumstantiæ conferant?* Ante responsionem

*Nota*: Alias esse circumstantias quæ speciem mutant, alias quæ aggravant vel minuunt.

Circumstantia *mutans speciem* est ea quæ actum humanum trahit in speciem diversam ab ea quam obje-

objecto suo immediate desumit; sic furtum in loco sacro, circumstantia loci mutat speciem.

Circumstantia *aggravans vel minuens speciem*, est ea quæ minuit vel auget bonitatem aut malitiam actus intra eandem speciem; ut incestus in 1. vel 4. gradu, furtum majoris vel minoris quantitatis; ubi tamen diligenter adverte quod circumstantia quæ transfert peccatum de veniali in mortale, licet non mutet speciem moralem, mutat tamen speciem Theologicam & demeritoriam; sic furtum grave non mutat quidem speciem moralem furti levis, cum eidem virtuti justitiæ opponatur, sed mutat speciem Theologicam & demeritoriam, quatenus furtum grave meretur gratiæ & gloriæ privationem, non autem furtum leve. Hoc prænotato.

*Resp. Circumstantia mutans speciem, non vero circumstantia solum aggravans speciem, confert actui humano moralitatem specie diversam a moralitate quæ provenit ex objecto.*

*Prob.* Circumstantia quæ importat ordinem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rectam rationem, diversum ab eo quem importat objectum, confert actui humano moralitatem specie diversam ab ea quæ provenit ex objecto; *atqui* circumstantia mutans, non vero aggravans tantum speciem, hoc præstat: non enim solum est disconveniens rectæ rationi furari, sed etiam furari in loco sacro; *ergo* circumstantia mutans speciem, non vero aggravans confert actui humano moralitatem specie diversam ab ea quæ provenit ex objecto.

*Dices* 1. Circumstantia moraliter afficiens objectum transit in rationem objecti; ergo nulla circumstantia qua talis dat bonitatem vel malitiam actui.

*Resp. nego antec.* .... *Prob.* Quod est volitum, habet rationem objecti; atqui nulla circumstantia dat moralitatem actui nisi sit volita; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod est volitum per se, immediate, & primario, habet rationem objecti; *conced.* quod est volitum secundario tantum & per modum accessorii, *nego maj.* Circumstantiæ autem morales non sunt volitæ nisi secundario & per modum accessorii supervenientis; unde sunt tantum quid circumstans objectum, seu objectum secundarium; & sic intelligendus est D. Thom. (1. 2. q. 19. *art.* 2. *in argum. sed contra est*) dicens: *bonitas & malitia voluntatis non dependent ex circumstantiis, sed ex solo objecto.*

*Dices* 2. Circumstantiæ ut plurimum sunt extrinsecæ actui humano, ut locus & tempus; ergo non possunt illi dare moralitatem intrinsecam.

*Resp. nego conseq.* Nam objectum dat actui moralitatem intrinsecam, & tamen est actui extrinsecum; ergo quemadmodum actus humani desumunt ab objecto bonitatem vel malitiam intrinsecam, quia ordo quem ad illud dicunt, est intrinsecus, ita similiter desumunt bonitatem vel malitiam intrinsecam a circumstantiis propter ordinem intrinsecum quem habent ad circumstantias.

Quæres 2. *Quandonam circumstantia speciem mutet?*

*Resp.* Ut id perfecte cognoscatur, traduntur duæ regulæ.

1. *Regula*: Quando circumstantia efficit ut actus opponatur alicui virtuti, cui alioquin non opponeretur, aut efficit ut ei sit conformis, mutat speciem actus humani, ut patet in furto quod quis in loco sacro perpetravit. Ratio est, quia ubi est conformitas aut difformitas ad plures virtutes, ibi sunt plures conformitates vel difformitates cum recta ratione.

*Resolves*, Qui sacrum omittit die Dominica in qua incidit festum, unum tantum peccatum committit, quia una est tantum oppositio ad virtutem religionis propter quam Missa est audienda; econtra qui sacrum omittit die Dominica in qua auditio Missæ a Confessario fuit imposita, duo peccata committit, quia est oppositio ad virtutem religionis & pœnitentiæ.

2. *Regula*: Quando circumstantia efficit ut actus diverso modo eidem virtuti sit conformis vel difformis, mutat speciem actus humani; quia ubi est diversus modus conformitatis vel oppositionis cum eadem virtute, tunc sane diversa est conformitas vel disconvenientia cum recta ratione.

*Resolves*: Qui jejunium perfringit per duplicem cœnam, & per carnium comestionem, duplex peccatum committit; quia licet hic actus uni temperantiæ virtuti opponatur, diverso tamen modo opponitur; ergo duplex est peccatum.

Quæres 3. *Utrum circumstantiæ debeant esse cognitæ & volitæ, ut ad peccatum imputentur?*

*Resp.* Circumstantiæ quæ se tenent *ex parte objecti*, ut res sacra in furto, debent esse cognitæ & volitæ saltem interpretative, ut ad peccatum imputentur; hoc est quod agens illas cognoscere debuerit ac potuerit; ratio est, quia alias actus non esset deliberatus quoad circumstantiam incognitam.

Dixi: *Circumstantiæ quæ se tenent ex parte objecti*: quia eæ se tenent *ex parte actus*, ut intentio, duratio, libertas, &c. vel *ex parte qualitatis agentis*, per ipsummet actum deliberate elicitum satis superque cognitæ sunt & volitæ, proindeque peccaminosæ.

Quæres 4. *Quot sint circumstantiæ actuum humanorum in particulari, & quomodo ab ipsis suam moralitatem desumant?*

*Resp.* Sunt septem hoc versu contentæ:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

*Quis*: denotat qualitatem & conditionem accidentalem personæ operantis, v. g. quod operans sit Sacerdos, conjugatus, voto obstrictus, ad aliquid ex officio vel justitia obligatus, &c.

Hæc circumstantia mutat speciem quoties efficit ut actus impugnet diversas virtutes: sic luxuria ultra propriam malitiam impugnat in religioso Religionem unde est sacrilegium, in conjugato impugnat justitiam, unde est adulterium.

Aggravat vero speciem quoties auget majorem ad eandem virtutem oppositionem; sic gravior est incestus in secundo, quam in tertio gradu.

*Quid*: denotat qualitatem aut quantitatem objecti: v. gr. an persona quæ fuit objectum luxuriæ, sit consanguinea, vel voto castitatis obstricta.

Hæc circumstantia mutat speciem quoties efficit ut objectum ratione specifice diversa, sit prohibitum; hinc diversum a fornicatione crimen committit qui cum conjugata, religiosa, consanguinea fornicatur.

Ag-

Aggravat vero quoties causat majorem oppositionem ad eamdem virtutem; sic gravius peccat qui tres aureos furatur, quam qui unum.

*Ubi:* denotat qualitatem loci: v. g. si locus sit publicus, vel sacer.

Hæc circumstantia mutat speciem, 1. cum peccatum commissum est in loco publico, habet enim rationem scandali. 2. Cum peccatum in loco sacro commissum, ipsum polluit, nam actus ultra propriam malitiam, habet malitiam sacrilegii. Polluitur autem locus sacer per voluntariam sanguinis & seminis effusionem, etiam occultam.

Aggravat vero quodcumque aliud peccatum sive externum, sive internum in loco sacro commissum, quia qui Deum in loco ejus nomini dicato offendit, majorem ipsi injuriam infert.

*Quibus auxiliis:* denotat media & instrumenta, quibus operans usus est ad operandum.

Hæc circumstantia mutat speciem quando media specialem habent cum aliqua virtute repugnantiam; v. g. si quis ope dæmonis expresse vel tacite invocati, aliquid consequi voluerit.

Aggravat vero duntaxat, si media sint ejusdem speciei cum fine intento; ut si quis scalam unius furetur, ut alterius pecuniam furetur.

*Cur:* denotat finem extrinsecum operantis, de quo sufficienter egimus articulo præcedenti.

*Quomodo:* denotat accidentalem modum quo fit actio.

Hæc circumstantia mutat speciem quando modus est specie diversus ab actione; sic furtum cum violentia factum habet rationem rapinæ.

Aggravat vero duntaxat, quando modus est ejusdem rationis cum actione: ut actus intensio, duratio, consuetudo, &c.

*Quando:* denotat durationem & qualitatem temporis accidentariam.

1. Duratio temporis non mutat speciem, sed potest esse tanta, ut eam notabiliter aggravet: v. g. si distractio voluntaria per totum officium duret:

2. Qualitas temporis aggravat speciem; ut cum quis die communionis ebrietatibus, vel fornicationibus vacat: sed an mutet speciem? est quæstio controversa, quæ commodius expendetur in dissertatione de præceptis Ecclesiæ.

## QUÆSTIO III.

*Quænam sint affectiones moralitatis.*

*Nota:* Præcipua moralitatis affectio, est ejus multiplicatio in eodem actu, de qua variæ instituuntur quæstiones paucis solvendæ; itaque

Quæres 1. *An actus ex objecto malus in finem bonum relatus, desinat esse malus?* v. g. an peccet qui mentitur ad vitam innocentis conservandam.

*Resp.* 1. *Hunc actum esse simpliciter malum;* ratio est quia ad malitiam moralem satis est ut desit vel unicum eorum quæ debentur actui, secundum istud Theologiæ effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu;* ergo ubi medium est malum, actus simpliciter malus est. Unde Apost. (*Rom.* 3. *v.* 8.) docet: *non esse facienda mala, ut veniant bona.*

*Dices.* Matth. 6. dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit;* ubi per oculum intelligitur intentio, per corpus vero actio; ergo si finis sit bonus, tota actio erit bona.

*Resp. dist. conseq.* Erit bona si objectum sit bonum, vel saltem indifferens, *conc.* si objectum sit malum, *nego.* Alias Christus (*Joann.* 16.) eos non damnasset qui Apostolos persequebantur, existimantes *obsequium se præstare Deo.*

*Resp.* 2. *ad quæst. Malitia actus ex objecto mali minuitur per se, cum ad finem bonum ordinatur.* Ratio est, quia gravitas peccati desumitur ex affectu ad peccatum; atqui qui actum ex objecto malum ordinat in finem bonum, minorem ad peccatum habet affectum; ergo minus peccat. Unde D. Thom. (2. 2. *q.* 110. *art.* 2.) ait: *quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii.*

Dixi *per se*: Quia per accidens potest fieri ut qui furatur v. g. ad dandam eleemosynam, novum peccatum actui adjiciat: tum quia periculo numquam restituendi se committit: tum quia in peccatum inducit eum cui bona furatus est. Hoc sensu dixit Aug. (*hom.* 7. *inter* 50.) *etiamsi fur totum pauperibus tribuat, quod abstulerit, addit potius peccatum quam minuit.*

Quæres 2. *An unus idemque actus*, v. g. eleemosyna propter vanam gloriam, *possit esse bonus ex objecto bono, & malus ex fine malo?*

*Resp. negative.* Sed est simpliciter malus.

*Prob.* 1. Ex Script. Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram*, id est opera vestra bona, *faciatis coram hominibus ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Atqui si illa opera remanerent bona, non forent absque mercede; ergo.

*Prob.* 2. Si actio illius qui ob vanam gloriam dat eleemosynam pauperi, esset bona, utique ratione objecti; atqui hæc actio nequidem ratione objecti est bona; ergo.

*Prob. min.* Illa actio non est bona ratione objecti, cujus objectum est malum; atqui objectum eleemosynæ ob vanam gloriam erogatæ est malum; ergo.

*Prob. min.* Quod consideratur reduplicative ut ordinatum ad malum, est malum; atqui objectum eleemosynæ ob vanam gloriam erogatæ, non est eleemosyna simpliciter, sed eleemosyna prout ad malum finem ordinata; ergo &c. Unde D. Thom. (*in* 2. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4.) ait: *Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam; hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus est malus, licet non ab eo omni quod in eo est malitiam habeat.*

*Objicies* 1. Qui dat eleemosynam indigenti ob vanam gloriam, implet præceptum charitatis; atqui implere præceptum est bonum opus; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Implet præceptum charitatis materialiter, *conc. maj.* formaliter & in ratione objecti specificantis, *nego maj.* Atqui implere præceptum formaliter & in ratione objecti specificantis, est bonum opus, *conc. min.* materialiter & in esse entis, *nego min. & conseq.*

Itaque qui ex malo fine dat eleemosynam indigenti, non facit satis præcepto formaliter, quia non facit actum justitiæ, sed satisfacit præcepto

 mate-

materialiter; quia subtrahitur præcepti materia ex qua nascebatur ejus obligatio, & ideo manet liber ab obligatione præcepti.

*Inst.* 1. Qui dat eleemosynam ex malo fine, melius facit quam qui nihil dat; atqui si eleemosyna ejus ex malo fine vitiaretur, non melius ageret quam alter; ergo.

*Resp. dist. maj.* Melius facit comparative, id est minus peccat, *transeat*; melius facit absolute, quasi faceret bonum formaliter, *nego maj.*

Dixi *transeat*: quia cum neuter faciat bonum formaliter, comparativum *melius* est de non supponente.

*Inst.* 2. Malitia finis non destruit objecti bonitatem; ergo non impedit quominus actio sit bona quoad objectum.

*Resp. nego ant. Prob.* Quod est extrinsecum objecto, non destruit objecti bonitatem; atqui finis est quid extrinsecum objecto; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Finis est quid extrinsecum objecto in genere entis, *conc.* in genere moris, *nego minor.* Quod enim transit in rationem objecti specificantis, non est extrinsecum objecto; atqui finis transit in rationem objecti specificantis, nam objectum intenditur ut medium, adeoque ut habens ordinem ad malum finem.

*Objicies* 2. Ex opinione nostra sequitur hominem justum qui martyrium ex vanæ gloriæ motu subiret, omni cariturum esse merito, imo peccaturum; absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego min.* Talis enim non est vere martyr, juxta illud D. Hieron. (*in cap.* 1. *epist. ad Galat.*) *Martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi, & laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est.* Ratio est quia verum martyrium est effusio sanguinis propter Christum fideive aut alterius virtutis defensionem.

Quæres 3. *An circumstantia venialiter mala actui bono adveniens totam ejus bonitatem auferat, & meritum?*

Dixi *Actui bono adveniens*: cum nempe circumstantia non est finis & intentio agentis, sed irrepit duntaxat in decursu operis de se boni, & in bonum finem directi: v. g. si quis inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel aliquo veniali tædio, impatientia &c. afficiatur. Itaque

*Resp. negative.* Ratio est, quia circumstantia de qua loquimur, nullo modo influit in actum bonum, neque ut causa efficiens, neque ut causa finalis, sed eum tantummodo extrinsece comitatur; atqui quod nullo modo influit in actum bonum, illum vitiare non potest; ergo circumstantia actui adveniens totam ejus bonitatem non potest auferre.

*Dices*: Idem actus non potest esse meritorius simul & demeritorius; atqui si circumstantia adveniens actui bono, totam illius bonitatem non auferret, idem actus esset meritorius & simul demeritorius; ergo circumstantia adveniens actui bono, totam illius aufert bonitatem.

*Resp. nego min.* Quia hic sunt duo actus, circumstantia enim de qua loquimur, non tam est circumstantia, quam actus plane diversus, qui secundum se malus est, dum alter secundum se bonus est, licet hocce consortio minuatur ejus bonitas, meritum autem stare potest cum veniali.

## QÆSTIO IV.

*Quænam sit moralitatis prima regula.*

*Nota* 1. Duæ sunt regulæ bonitatis & malitiæ actuum humanorum, scilicet primaria seu remota, & secundaria seu proxima, quæ vel est interna, & est conscientia; vel externa, & est lex; de conscientia & legibus agemus infra.

*Nota* 2. Cum actus humanus ut sit bonus, debeat esse conformis, tum naturæ rationali prout rationalis est, id est prout est intellectiva & volitiva cum libertate; tum lumini rationis ab æterna ratione nobis cælitus derivato ad justum ab injusto secernendum; tum voluntati divinæ & legi æternæ, quæ est ratio Dei dirigens omnes creaturas in suum finem; curiosius inquirunt Theologi quodnam ex his assignari debeat pro regula primaria & remota actuum nostrorum; verum cum hæc quæstio sit pure speculativa, in ipsa discutienda non immorabimur, ut ad utiliora & practica progrediamur, & resolvamus utrum & quomodo homo teneatur voluntatem suam conformare voluntati divinæ, pro cujus solutione

*Nota* 3. Duplex est in Deo volitum, materiale scilicet & formale.

Volitum *materiale*, est objectum quod Deus vult.

Volitum *formale*, est motivum quo Deus vult objectum materiale.

Porro voluntas creata potest conformari voluntati divinæ.

1. *In volito materiali tantum*: sic Deus & Judæi mortem Christi intendebant; sed Deus ex charitate, Judæi ex odio.

2. *In volito formali tantum*: sic parens vult vivere infantem suum ut salvetur, quem Deus vult mori ob idem motivum, nempe *ne malitia mutet intellectum ejus.*

3. *In volito materiali & formali simul*: sic Deus voluit pati Christum ad redimendum genus humanum, & Christus voluit pati ob eandem rationem.

*Nota* 4. Voluntatem nostram posse voluntati divinæ conformari dupliciter; 1. *positive*, per actum expressum; 2. *negative*, per non repugnantiam, seu per approbationem. His notatis,

*Dico* 1. *Tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ, tam in volito materiali quam in formali, conformare positive dum agitur de præcepto, negative vero dum agitur de consilio.*

*Prob. simplici expositione*: Tenemur positive diligere proximum, quod est materiale volitum; & diligere proximum propter Deum, quod est formale; sed non tenemur velle positive, seu amplecti virginitatem quam Deus nobis tantum consulit: bene quidem tenemur eam velle negative, id est, tenemur eam approbare, esseque dispositi illam amplecti, si Deus vellet, & sub eodem quo vellet motivo; ergo &c.

*Dico* 2. *Semper & in omnibus tenemur negative voluntatem nostram voluntati divinæ conformare in volito formali; non tamen semper in volito materiali.*

*Prob.* 1. *pars*: Homo non potest non approbare motivum agendi æquissimum; atqui motivum agendi

di in Deo est æquissimum; nempe manifestatio suæ gloriæ, justitiæ, & aliorum attributorum; ergo homo non potest non approbare tale motivum; quod est negative se conformare Deo in volito formali.

*Prob.* 2. *pars:* Voluntati divinæ non tenemur conformari contra voluntatem divinam; atqui plura vult Deus quæ non vult nos velle, saltem voluntate conditionata, nempe: *si Deus voluerit:* v. g. Deus ut causa prima & universalis vult bella, pestes, mortem parentum, damnationem peccatorum &c. quæ tamen non vult nos velle, & quæ sunt mala respective ad nos, ad quos non pertinet communis ordo universi, aut divinæ justitiæ manifestatio; ergo non tenemur nos conformare Deo in volito materiali. Unde Div. Aug. (*in Enchirid. cap.* 101.) ait: *aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.*

*Dices:* Dicimus in oratione dominica: *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra;* atqui in cælo beati conformantur voluntati divinæ, non solum in volito formali, sed etiam in materiali; ergo & in terra viatores id debent præstare.

*Resp dist. ant.* Petimus ut fiat voluntas Dei *sicut in cœlo, & in terra,* quoad præcepta, *conc.* quoad omnia a Deo volita, *nego.* Itaque per eam orationem petimus a Deo ut in omnibus in terra divinis obtemperemus præceptis, sicut beati in cælo semper obediunt Deo in omnibus; ita ex Aug. exponit D. Thom. (*in catena super hæc verba:* & 22. *q.* 83. *art.* 9. *ad* 1.)

## DISSERTATIO II.

### *De Conscientia.*

*Nota* 1. Licet aliqui conscientiam cum synderesi confundant, differunt tamen tamquam actus ac habitu: synderesis enim est habitualis cognitio & conservatio primorum principiorum moralium; conscientia vero est eorumdem actualis applicatio alicui materiæ particulari; unde:

Conscientia definitur: *Actus intellectus practici dictantis quid in particulari sit faciendum, vel omittendum.*

Dicitur 1. *Actus:* non vero potentia, nec habitus; non potentia, quia est invariabilis; conscientia vero sæpe mutatur de bona in malam; non habitus, quia habitui non conveniunt conscientiæ proprietates, nimirum *testificari, accusare, remordere, dirigere, &c.* restat ergo ut sit actus applicans syndereseos ad actionem particularem.

*Nec dicas,* In dormientibus non remanet actus, & tamen remanet conscientia; ergo non est actus.

*Resp. dist.* 2. *part. antec.* In dormientibus remanet conscientia radicaliter in suo principio, nempe synderesi, & virtualiter, nimirum virtute præcedentis actus per actum contrarium non revocati, *conc.* formaliter & actu, *nego.*

Dicitur 2. *Actus intellectus;* quia conscientia ad eam facultatem pertinet, cujus est de agendis, vel non agendis judicare: atqui solius est intellectus de agendis judicare; ergo, &c.

*Dices* cum Durando, conscientia dicitur bona vel mala; ergo pertinet ad voluntatem.

*Resp. dist. ant.* Dicitur bona vel mala directive & regulative, *conc. ant.* formaliter, *nego ant.* Habere autem bonitatem vel malitiam directive ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, quæ utpote potentia cæca debet dirigi, nec dirigere potest.

Dicitur 3. *Intellectus practici:* quia conscientia non versatur circa actiones humanas, ut eas cognoscat, sed ut eas dirigat, non solum in genere ut facit prudentia generalis, sed in particulari, ideo vocatur judicium *practice practicum,* ut distinguatur a prudentia generali, cujus judicium vocatur *speculative practicum.*

Dicitur 4. *Dictantis quid in particulari, &c.* per quod iterum differt tum a synderesi, quæ versatur circa prima morum principia; tum a prudentia generali, quæ ex primis principiis deducit conclusiones generales, abstrahentes scilicet a circumstantiis; conscientia vero prima principia applicat ad hoc aut illud in particulari, hoc est cum omnibus suis circumstantiis consideratum, v. gr. synderesis dictat: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* ex quo prudentia generalis concludit generaliter; *ergo non est retinendum id quod est alterius;* idemque lex docet: unde conscientia subsumit: *atqui hæc pecunia quam casu inveni, est aliena; ergo eam retinere non debeo.* Inde conscientia vocatur a D. Antonino *concludens scientia.*

*Nota* 2. Conscientia dividitur 1. in veram & erroneam; 2. in certam & dubiam; 3. in scrupulosam & latam; 4. in probabilem & improbabilem, de quibus agemus totidem capitibus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Conscientia vera & erronea.*

*Nota* 1. Conscientia *vera* seu recta, *est eaquæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera licitum est vel illicitum;* quia est legi conforme vel difforme.

Conscientia *erronea* seu falsa, *est ea quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera non est tale;* & duplex est, scilicet invincibiliter & vincibiliter erronea.

Conscientia invincibiliter erronea, *est ea quæ est ex errore qui depelli nen potuit, aut non debuit.*

Conscientia vincibiliter erronea, *est ea quæ est ex errore qui depelli potuit & debuit;* & hæc vel est affectata, vel crassa pro ratione scilicet ignorantiæ quam importat & ex qua nascitur.

*Nota* 2. Nemini dubium esse potest quin conscientia vera sit certissima morum regula, cum sit recta tum synderesis, tum legis sive naturalis, sive positivæ, applicatio ad actum particularem hic & nunc agendum; & consequenter quemcumque qui contra illam operatur, peccare, est absque ullo dubio. Sed

Dubium est utrum conscientia erronea sit morum regula, & peccet qui contra eam operatur; quod ut solvatur:

*Dico* 1. *Conscientia erronea non est per se morum*

*rum regula; tamen per accidens, si sit invincibiliter erronea.*

*Prob.* 1. *pars:* Morum regula *per se*, est debita synderesis & legis applicatio ad actum particularem; atqui conscientia erronea non est *per se* debita legis & synderesis applicatio ad actum particularem; imo falsa est omnino; ergo.

*Prob.* 2 *pars:* Regula morum *per accidens*, est id quod inculpate & firmiter, hoc est, sine formidine partis oppositæ, existimatur verum; atqui talis est conscientia invincibiliter erronea; ergo, &c.

Dixi: *Si sit invincibiliter erronea:*

Quia conscientia vincibiliter erronea, est peccaminosa, cum possit & debeat deponi, & consequenter non potest esse morum regula, nequidem per accidens; econtra conscientia invincibiliter erronea, cum non possit, atque adeo nec debeat deponi, est inculpata, & consequenter regula morum per accidens.

*Dices:* Conscientia vincibiliter erronea est sequenda juxta illud D. Thomæ, q. 17. de veritate, art. 4. *quamvis ergo talis conscientia, quæ est erronea, deponi possit; nihilominus tamen, dum manet, obligatoria est: quia transgressor illius de necessitate peccatum incurrit;* ergo est regula morum per accidens.

*Resp. nego conseq.* Quia, ut dictum est, debet, & potest deponi. Unde D. Doctor *ibidem* addit: *Conscientia erronea non ligat nisi secundum quid, & sub hac conditione, si talis conscientia duret.*

*Inst.* Debitum deponendi concientiam vincibiliter erroneam & debitum eam, si persistat, sequendi, sunt duo pugnantia; ergo si sit debitum eam persistentem sequendi, non est debitum eam deponendi; & consequenter non minus est morum regula per accidens, quam conscientia invincibiliter erronea.

*Resp. nego ant.* Hæc duo enim ex diversis oriuntur principiis; debitum enim deponendi conscientiam vincibiliter erroneam oritur ex præcepto naturali adhibendi necessariam diligentiam ad abigendum errorem, & veritatem inveniendam. Debitum vero sequendi conscientiam vincibiliter erroneam, proficiscitur ex ipsius dictamine proponente legem exequendam, unde D. Thomas quæst. 17. *de veritate* concludit: *Si contrarium, tali conscientia manente, agere disponat* (homo) *ex hoc ipso habet voluntatem, legem Dei non observandi: unde mortaliter peccat.*

Dico 2. *Qui agit contra conscientiam erroneam dictantem, aliquid hic & nunc esse præceptum, vel prohibitum, peccat, sive error sit vincibilis, sive invincibilis.*

*Prob.* 1. Ex Apost. Rom. 14. qui loquens de iis qui ex errore conscientiæ putabant, non licere sibi vesci cibis lege vetitis, ait: *beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat* (id est, ait D. Thom. hic Lect. 5 cujus conscientia eum non reprehendit, vel condemnat) *qui autem discernit cibum* quasi illicitum a licito, *si manducaverit*, id quod discernit quasi illicitum, *damnatus est, quia non ex fide*, manducat; *omne autem quod non est ex fide*, id est ex dictamine conscientiæ, & persuasione, quod liceat, *peccatum est.* Ergo omnis actio vel omissio, quæ est contra conscientiam erroneam, est peccatum. Hinc cap. litteras de restitutione spoliatorum, dicitur: *quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam;* ratio Divi Thomæ 1. 2. qu. 19. art. 5. ad 2. est, quia, *quando ratio errans proponit aliquid, ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

*Prob.* 2. *Ratione:* Velle peccatum, est semper peccatum; sed qui agit contra conscientiam etiam erroneam, vult peccatum, cum id facit quod judicat esse peccatum: objectum enim voluntatis est bonum vel malum non quomodocumque, sed prout ab intellectu proponitur: ergo qui agit contra conscientiam etiam erroneam, peccat.

*Objicies* 1. Actio operantis contra conscientiam erroneam dictantem aliquid esse malum, quod tamen est bonum, est conformis legi æternæ; ergo non est peccatum.

*Resp. nego ant.* Hæc enim actio est difformis dictamini rationis, quod est legis naturalis expressio, & intimatio. Ut docet D. Thomas in dist. 39. q. 3. art. 3. ad 3. *jus naturale continetur primo in lege æterna; secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ.*

*Prob. ant.* Lex æterna dictat prædictam actionem esse bonam & licitam; ergo illa actio est conformis legi æternæ.

*Resp. dist. ant.* Lex æterna dictat actionem istam esse bonam & licitam, si secundum se consideretur, *conc. ant.* si consideretur ut est actio operantis contra conscientiam erroneam, *nego ant.* Lex enim æterna dictat omnem actionem quæ non fit ex persuasione quod sit bona & licita, malam esse & illicitam.

*Inst.* 1. Actio specificatur ab objecto; ergo si objectum agentis contra conscientiam erroneam sit intrinsece bonum, quantumvis judicetur malum, actio erit bona.

*Resp. dist. ant.* Actio specificatur ab objecto, prout ab intellectu proponitur, *conc.* prout est in se, *nego ant.* Ideo cum ille qui agit contra conscientiam erroneam non depositam, feratur in objectum quod ab intellectu proponitur tamquam malum, sequitur quod actio ejus sit mala.

*Inst.* 2. Licet agere contra conscientiam quæ nec est vera, nec recta; atqui conscientia erronea nec est vera, nec recta; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Licet agere contra conscientiam quæ nec vera, nec recta est tam practice, quam speculative, *conc.* quæ nec vera, nec recta est speculative, est tamen recta & vera practice, *nego maj.* atqui conscientia erronea nec est vera, nec recta speculative, *conc.* practice, *nego min.* & *conseq.* Porro ut conscientia sit vera & recta practice, sufficit ut ejus objectum inculpate ac firmiter existimetur verum, ut advenit in eo qui conscientia laborat erronea: sic qui invincibiliter putans diem jejunii non esse diem jejunii, manducat carnes, habet conscientiam veram practice quia bene concludit, se hic & nunc posse manducare carnem, ex suppositione speculative falsa, non esse diem jejunii.

*Resp. dist. ant.* Deus non potest esse auctor conscientiæ erroneæ, quatenus dicat, prohiberi a Deo, quod ab eo non est prohibitum, *conc.* quatenus dictat parendum esse legi sive veræ, sive falso ap-

pre-

prehensæ ut veræ & a Deo latæ, *nego ant.* Itaque duo cum Salmanticensibus tract. 17. de fide disp. 11. num. 48. distinguenda sunt judicia in conscientia erronea: unum quo judicatur, a Deo prohiberi quod ab eo non est prohibitum: alterum quo judicatur obtemperandum esse legi sive veræ, sive falso apprehensæ ut veræ, & a Deo latæ. Primum judicium falsum est, & consequenter in Deum, qui est summa veritas, referri non potest. Secundum judicium verum est, & in Deum refertur ut præcipientem obedientiam suæ legi tamquam propositæ per intellectum practicum, qui est veluti præco intimans, ac promulgans legem quamlibet. Quo sensu D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 5. ad 2. dicit: *Si aliquis cognosceret, quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris; contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris.*

Quæres 1. *In qua specie erit peccatum agentis contra conscientiam erroneam?*

*Resp.* Erit in ea specie, & contra illam virtutem, ex cujus motivo actio putatur præcepta vel prohibita; sic qui falso existimans tali die esse obligationem jejunii, non jejunat, peccat mortaliter contra temperantiam: & ratio est quia vult interpretative malitiam formalem oppositam temperantiæ.

Quæres 2. *Si conscientia ex errore dictet aliquid esse præceptum vel prohibitum sub aliqua censura, an operans contra ejusmodi conscientiam incurrit censuram?*

*Resp. nego:* Quia pœnæ humanæ non imponuntur nisi ob trangressionem legis de facto existentis; sic qui percutit Laicum, putans esse Clericum, non incurrit excommunicationem.

*Dico 3. Qui operatur secundum conscientiam erroneam, qua judicat aliquid hic & nunc licitum esse, quod revera illicitum est, non peccat si error sit invincibilis; peccat vero, si sit vincibilis.*

*Prob. 1. pars:* Quia conscientia invincibiliter erronea sicut ignorantia invincibilis quam importat, excusat operantem ex ea; ergo non peccat qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam; hoc certum est, sed:

Quæres *an teneamur sequi conscientiam invincibiliter erroneam?*

*Resp.* Tenemur eam sequi in iis quæ dictat esse præcepta vel prohibita; ratio est quia cum deponi nequeat, ageremus contra illam, quod non licere supra probavimus. Hinc qui per errorem judicat diem Jovis, jam esse diem Veneris in qua est obligatio jejunii, non minus tenetur jejunare, quam si revera esset dies Veneris.

*Resp. 2. pars:* Quia error vincibilis excusare non potest operantem ex eo, sicut nec ignorantia vincibilis ex qua nascitur, cum utrumque sit saltem indirecte & in causa, nempe in negligentia inquirendi veritatem, voluntarium.

Hinc cum quis peccet sequendo conscientiam vincibiliter errantem, peccet etiam contra eam agendo, sequitur quod deponi debeat.

*Dices:* Si laborans conscientia vincibiliter erronea peccet eam sequendo, peccet etiam non sequendo, & necessario peccabit; absurdum consequens; ergo.

*Respond. disting. sequelam major.* Necessario peccabit necessitate hypothetica, si nimirum conscientiam erroneam non deponat, quam debet & potest deponere, utpote vincibilem, *conc.* necessitate simplici & absoluta, *nego.* Tota ergo quæ huic homini incumbere videtur peccandi necessitas, plane est voluntaria, quia sedulius perpendere, doctiores consulere, ut errorem vinceret, minime dignatus est.

Quod si præceptum urgeat, & non suppetat satis temporis ad consulendum & inquirendum, tunc eliciendus est actus contritionis de priori ignorantiæ peccato, eaque pars eligenda in qua minus apparet esse mali, & sic culpa ulterior non imputabitur; quia errore vincibili fiet invincibilis, cum causa ejus retractata fuerit, & quantum fieri potest, a peccato discedatur.

*Inst.* Qui ita perplexus est, ut utrumque oppositorum putet esse peccatum, seque ex tali errore expedire nequeat, judicat eligendo se peccare; ergo peccat.

*Resp. nego conseq.* Nam peccatum non consequitur ad judicium intellectus tantum, sed ad actum liberæ voluntatis, perplexus autem hujusmodi non est liber.

*Urgebis*, Talis perplexus unum libere eligit; ergo est liber.

*Resp. dist. conseq.* Est liber libertate physica, ratione actus, *conc.* est liber libertate morali, ratione peccati, *nego conseq.* Licet enim iste homo cognoscat objectum ut malum, non peccat, quia non cognoscit ut vitabile. Porro licet ad libertatem physicam satis sit, quod homo valeat illud objectum exequi, vel omittere; tamen ad libertatem moralem necesse est, ut voluntas possit in hoc genere moris vitare objectum, quia ad peccatum, cum sit in genere moris, requiritur libertas in eodem genere moris: talis autem libertas non reperitur, ubi est ignorantia omnino invincibilis in hoc genere moris, ut fit in casu proposito.

Hinc qui graviter ægroto assistens putat se mortaliter peccare contra charitatem, si infirmum deserat ut Missam audiat die festo; putat simul se mortaliter etiam peccare contra præceptum Ecclesiæ, si Missam non audiat, neque ullum habet quem consulat, non peccat quidquid agat; ex quo plures similes casus solvi possunt.

Quæres: *Utrum gravius sit agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quam eam sequi?*

*Resp.* Gravius est absolute, & cæteris paribus agere contra, quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam. Ratio est, quia, qui contra conscientiam agit, scienter operatur: qui eam sequitur, peccat ex ignorantia; ignorantia vero minuit peccatum, inquit Div. Thom. 1. 2. q. 19. art. 8.

*Resolutio aliquarum difficultatum circa conscientiam erroneam.*

Quæres 1. *Quale sit peccatum contra conscientiam agere, an mortale, an veniale?*

*Resp.* Tale esse quale a conscientia existimatur; ratio est quia hujusmodi peccata specificantur non ab objecto ut est in se, sed ab objecto ut apprehenditur; ergo si voluntas feratur in actum quem intellectus proponit tamquam mortalem, erit peccatum mortale; si proponat ut actum venialem, erit peccatum;

tum veniale; si proponat ut peccatum mortale dubium, erit etiam peccatum mortale, quia qui voluntarie se committit periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat; atqui, &c.

Quæres 2. *Quale sit peccatum agere contra conscientiam erroneam, quæ dictat quidem aliquid esse malum, sed non determinat sitne mortaliter malum, an venialiter duntaxat?*

*Resp. cum dist.* Is qui contra talem conscientiam agit, vel est ita dispositus, ut absolute vellet agere, sive de re gravi agatur, sive non; vel est sic dispositus ut nollet agere, si dubium occurreret quod actio possit esse mortalis.

*Si primum*, peccat mortaliter; quia habet affectum ad mortale; sed qui habet affectum ad mortale, peccat mortaliter; ergo.

*Si secundum*, peccat tantum venialiter, quia non censetur habere affectum ad mortale; unde a mortali excusantur simplices & idiotæ, qui nonnulla peragunt opera quæ sub ratione generali mali apprehendunt, nec discernunt an mortalia sint vel venialia.

Quær. 3. *Utrum pœnitens teneatur obedire Confessario, Parocho, Superiori, cum præcipiunt ut conscientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur?*

*Resp.* Ordinarie teneri; ii enim sunt lumen a Deo concessum, quod deficiente rationis nostræ lumine, sequi debemus, juxta illud *Vos estis lux mundi* (*Matth.* 5. *v.* 14.)

Dixi *ordinarie*; quia si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, & aliunde noverit se scientiam habere, scientiæ Confessarii, Superioris, &c. parem aut superiorem, non tenetur, nec debet sententiam illico mutare, sed debet actionem suspendere donec studio, oratione, & plurimorum consilio rem diligentius indagaverit.

Quæres 4. *An Confessarius monere teneatur pœnitentem, qui conscientia laborat vincibiliter erronea?*

*Resp. semper tenetur.* Ratio est quia erga pœnitentem duplex munus peragit, Doctoris nimirum & Medici; quatenus Doctor, ipsum erudire tenetur; quatenus Medicus, morbos ejus præsentes curare, & futuros quantum potest, præcavere debet; atqui nisi Confessarius moneat pœnitentem, neutrum præstabit; nam si pœnitens non moneatur, semper peccabit ex ignorantia vincibili, quæ a peccato non excusat; ergo. Et hoc verum est etiamsi Confessarius prævideat monitionem suam pœnitenti profuturam non esse, quia eadem etiam urget ratio, quod non monitus semper peccabit ex ignorantia vincibili.

Hinc debet moneri pœnitens 1. cum interrogat Confessarium an talis actio sit peccatum, necne: quia qui Confessarium interrogat, aliquod habet de licitate actionis dubium, ac proinde laborat ignorantia tantummodo vincibili.

2. Debet moneri si error versetur circa prima juris naturalis principia, vel circa eorum proximas conclusiones, quia circa ea ignorantia est tantum vincibilis, ut supra probatum est.

Quæres 5. *Utrum Confessarius teneatur monere pœnitentem qui conscientia invincibiliter erronea laborat?*

*Respond.* Aliquando debet eum monere, aliquando non debet.

1. Debet eum monere, si error invincibilis in boni communis dispendium vergat, quidquid sit de monitionis successu; ratio est quia bonum publicum particulari præferendum est.

2. Debet eum monere, si error sit de necessariis ad salutem necessitate medii, v. g. si quis erronee judicet solam confessionem sine dolore sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum; ratio est quia sine horum observatione pœnitens non potest salvari.

3. Debet eum monere, si spes emendationis affulgeat; quia Confessarius tamquam Doctor pœnitentem debet, quantum potest, ab erroris via ad semitam veritatis revocare; & tamquam Medicus debet eum a peccatis etiam materialibus retrahere.

4. Debet eum monere, si error sit in præjudicium tertii particularis, v. g. si per ignorantiam retineat pecuniam alienam, quia nocenti stricta obligatio incumbit innocentem reddere indemnem. Præterea vix potest quis invincibiliter ignorare, se contractus injustos, vel usuras &c. exercuisse.

Non debet vero eum monere, si monitio nociva magis quam utilis futura esse prævideatur; quia nempe periculum est ne pœnitens quihactenus materialiter tantum peccavit, formaliter postea sit peccaturus, monitionem Confessarii spernendo. Hinc

*Resolves*, Non esse monendum pœnitentem de nullitate matrimonii, 1 Si subsit legitimus timor, ne ea cognita dispensationem non petat, sed pergat maritaliter habitare cum ea quam uxorem suam non esse cognoscit. 2. Si sit fundamentum præsumendi eum non sine prolis periculo, & proximi offensione, ab uxore sibi invisa, discessurum esse (*Vide collat. Andegav. de matrimon. Tom.* 2. *pag.* 168. *edit. nova.*

*Nota.* Circa opinionem non monendi pœnitentem de Matrimonii nullitate, quod si necessitas non urgeat suscipiendi Sacramentum, tunc potest pœnitens, non revelato impedimento, remitti, donec, impetrata dispensatione, Matrimonium perficiatur juxta modum, quem cum omnibus Theologis tradidi in fine tractatus de Matrimonio. Hæcque praxis, quæ est magis tuta, & facilis (cum gratis hæc dispensatio obtineatur a sacra pœnitentiaria) pluries mihi prospere successit in sacro tribunali.

Dixi; *Si necessitas suscipiendi Sacramentum non urgeat.* Quia, cum urget, confessarius his pressus angustiis, potest requisitum a pœnitente propositum universale observandi omnia mandata, poterit eum absolvere, si aliunde sit dispositus.

Quæres 6. *Ex quibus signis colligere potest Confessarius, conscientiam pœnitentis erroneam esse invincibiliter, aut vincibiliter?*

*Resp.* Conscientiam esse erroneam invincibiliter, potest Confessarius colligere ex quinque signis.

1. Si pœnitens sit vir probus, ac timoratæ conscientiæ.

2. Si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, dolet atque tristatur.

3. Si nunquam scrupulus, aut dubium aliquod præcessit.

4. Si res ignorata sit juris humani, vel positivi.

5. Si res ignorata sit quidem juris naturalis, sed difficillima vel inter ipsos Doctores. Tales sunt

con-

conclusiones, quæ remote ex primis principiis naturalibus deducuntur. Econtra si homo sit latæ conscientiæ, ac criminibus deditus, si scrupulus, aut dubium aliquod præcessit: si res ignorata sit primorum principiorum naturalium, aut conclusionum immediate ex eis deductarum; tunc prudenter judicare poterit Confessarius, conscientiam fuisse vincibiliter erroneam.

## CAPUT II.

*De conscientia scrupolosa & lata.*

*Nota* 1. Conscientia scrupolosa dicitur a *scrupulo*, quia sicut scrupulus est lapillus asper itinerantis pedem lædens, & obsistens progredienti, ita conscientia scrupulosa anxietatem animi sine fundamento parit, & animi paci reluctatur; unde

Conscientia scrupulosa *est ea, qua mens levibus nixa fundamentis cum anxietate judicat aliquid subesse mali; vel timet ne aliquid mali subsit in actione bona vel indifferenti.*

Conscientia lata *est ea, qua mens ex levissimis, & quidem cupiditati faventibus rationibus, licitum esse putat quod malum esse facile deprehendi potest, ut cum pro levi peccato babet quod grave communiter reputatur*: hæc utraque conscientiæ species ad erroneam pertinet.

*Nota.* 2. Nomine scrupolosi illum a nobis non intelligi qui salutis suæ sollicitus & timore filiali ductus cum Job 9. *veretur omnia opera sua*, ne forte in aliquo Deum offendat, vel offenderit; ille enim non scrupulosus, sed timoratus dicendus est; sed is solum scrupulosus judicandus est qui ex motivo parvi vel nullius momenti judicat aliquid prohibitum esse vel præceptum, quod tale non est, adeoque qui *illic* trepidavit *timore ubi non erat timor*, Psal. 13. His positis,

Quæres 1. *An conscientia scrupulosa & lata sint morum regula?*

*Resp. negative.* Nam conscientia improbabilis non est morum regula; atqui conscientia scrupulosa & lata, sunt conscientiæ improbabiles, cum vanis & futilibus nitantur rationibus; ergo non sunt regula morum.

Hinc scrupulosus debet conscientiam scrupulosam deponere, non quidem disputando, aut rationes intrinsecas opponendo, sic enim nunquam finire posset, sed utendo rationibus extrinsecis, quæ scilicet auctoritate Confessarii, Pastoris, Doctoris, &c. desumuntur, atque id eo verius est, quod supradictorum error, (si quis hic irreperet) non imputaretur scrupuloso qui obediendo facit quod in se est, quodque Deus ab eo exigit, ut definivit Innocentius III. *cap. inquisitioni, de sent. excomm.* Sed

Quæres 2. *An scrupulosus possit ac debeat contra scrupulos agere?*

*Resp. cum dist.* Vel per scrupulum intelligitur verum judicium de malitia operis, tametsi futilibus innixum rationibus, vel intelligitur timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum judicio absoluto & practico de licitate actionis.

*Si primum*, Non potest scrupulosus contra scrupulum non depositum agere; quia non licet agere contra conscientiam practice erroneam actu retentam; atqui scrupulus sic sumptus est conscientia practice erronea; ergo non licet contra eum non depositum agere; ergo debet deponi.

*Si secundum*, Potest scrupulosus & debet contra scrupulos operari, ipsos contemnendo ac negligendo; quia potest & debet scrupulosus operari contra timorem vanum & improbabilem de illicitate actionis, ut obtemperet judicio vero & certo de licitate ejusdem; atqui timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum judicio practico de licitate actionis, est improbabilis & vanus; ergo potest & debet contra scrupulos sic intellectos, etiam non depositos, operari.

*Dices:* Scrupulosi rationes suas magni faciunt; ergo non possunt contra agere.

*Resp. dist. conseq.* Non possunt contra agere, si scrupulus sit tantum timor de illicitate actionis, junctus cum judicio practico de licitate ejusdem, *nego*; si sit verum judicium de illicitate actionis, *subdist.* quandiu non est depositum, *conc.* quando est depositum, *nego*. Porro scrupulosi tenentur hoc judicium deponere ex judicio Confessarii, vel alterius prudentis; & tunc licet agant contra judicium speculativum, non tamen agunt contra judicium practicum; quia judicant se posse contra suum judicium sequi judicium alterius.

Quæres 3. *Quænam sunt causæ scrupulorum?*

*Resp.* Aliæ sunt ab intrinseco, aliæ ab extrinseco.

Causæ *ab intrinseco* sunt:

Ignorantia & defectus judicii tentationem a consensu, veniale a mortali, non secernentis.

2. Frigida & melancholica, ideoque formidolosa complexio.

3. Cerebri infirmitas vel naturalis, vel ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis & vigiliis contracta.

4. Est superbia occulta, & obstinatio mentis quæ abjectis saniorum consiliis non putat posse esse directorem sui magis idoneum, quam seipsum, cum tamen sanctus Bernardus (*Epist.* 85. *ad Ogerium*) dicat: *qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

Causæ scrupulorum *ab extrinseco* sunt

1. *Conversatio* cum scrupulosis.

2. *Lectio librorum* aliquid terribile continentium.

3. *Astutia dæmonis* qui jugum Dei suave, aggravare studet, ut illud penitus excutere scrupulosis persuadeat, illosque conjiciat in amentiam, & desperationem.

4. *Permissio Dei*, qui peccata hominis præterita plectere, futura augere præmia, superbiam ex talentis nascituram moderari, curat.

Quæres 4. *Quænam sunt scrupulorum remedia?*

*Resp.* Multa assignari:

*Primum est se scrupulosum agnoscere*; quod inde cognoscet si contra commune timoratorum judicium, vel etiam ipsius Confessarii, inquietus sit; si sapientum consilio non nisi cum timore & anxietate acquiescat; si in confessionibus sincere factis semper aliquid defuisse credat; si variis inquietetur cogitationibus circa fidem, castitatem, religionem, & alias virtutes, contra quas data occasione peccata nollet.

*Secundum est cavere otium*, & labori sedulo incumbere; labor enim a similibus inutilibus speculationibus distrahit.

*Ter-*

*Tertium est directoris pii ac periti consilium sequi sine examine*; item eum non mutare facile; neque alios interrogare an bene, an male casum solverit.

*Quartum est resistere scrupulis*, non quidem positive contra eos disputando; sed negative, eos nempe contemnendo; & contra illos utpote contemptibili motivo nixos, efformando prudens ac rectum judicium de licitate actionis oppositæ.

*Quintum est sentire de Deo in bonitate*; quia licet sit justus, non est tamen crudelis exactor, sed misericors et benignus Dominus.

*Sextum scrupulorum causas evertere*, ita ut ignarus instruatur; melancholicus Medicorum arte atram bilem expellat; superbus prudentiæ suæ non innitatur &c.

Quæres 5. *Quomodo Confessarius cum scrupuloso se gerere debeat?*

*Resp.* 1. Debet scrupulorum causas explorare, & remedia ex allatis magis utilia adhibere.

2. Non debet pati ut scrupulosus sæpius ad se recurrat, eumque etiam non auditum dimittere; quia frequens illi recursus & colloquia, nova sunt scrupulorum propago.

3. Debet inculcare scrupuloso necessitatem obedientiæ cæcæ, quæ præcipuum est tanti mali remedium. Porro ad persuadendam scrupuloso necessitatem istius obedientiæ, confessarius ipsi proponat sequentia motiva. 1. Quod scrupulosus in tali statu idoneus non sit, qui se ipsum dirigat, cum oculos mentis obnubilatos habeat, levique de causa frequenter perturbatos. 2. Quod judicium suum Directoris judicio præferre, animi sit superbi judicium proprium (tametsi stultum) velut idolum adorantis. 3. Quod propter mentis obnubilationem, & cerebri læsionem sibi præ cæteris dicat Spiritus Sanctus, Tobiæ 4. *ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud temetipsum.* 4. Quod per obedientiam cæcam quidam discipulus S. Bernardi curatus fuerit. Cum enim ob scrupulos non auderet celebrare, & a S. Bernardo audivisset: vade, frater, & in fide mea celebres, acquievissetque isti jussioni, a scrupulis continuo liberatus fuit.

4. Moneat scrupulosum quod ei sufficiat examen valde mediocre, si tanta sit anxietas ut timeatur periculum lædendi cerebrum, vel ad desperationem aut insaniam redigendi quamvis aliqua hinc omitti contingeret, nam ad materialem confessionis integritatem non tenetur cum tanto incommodo.

5. Non permittat scrupuloso timorato confessiones præteritas, circa quas veretur ne aliquid omiserit, aut circumstantias debite expresserit, repetere; nisi post mediocre examen defectum certo deprehenderit.

6. Cum scrupuloso benigne agat ne afflicto addatur afflictio nova; quandoque tamen austeritatem addat, qua ejus animi frangatur pertinacia.

7. Non permittat eum abstinere a frequentandis, ut decet, sacramentis, ne privetur gratia sacramentali, quæ pacandis conscientiis plurimum inservit.

8. Caveat ne pœnitens transeat ab uno extremo ad aliud, conscientiamque latam sibi efformet.

## CAPUT III.

### *De Conscientia certa et dubia.*

*Nota* 1. Conscientia *certa* est *judicium firmum & sine formidine saltem rationali de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi:* sic Jacob accedens ad Liam quam prudenter judicabat esse suam uxorem, habuit conscientiam certam de bonitate actus conjugalis cum Lia habendi.

Conscientia *dubia* est *suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi*; vel quia pro neutra parte rationes occurrunt suadentes; dum quis v. g. caret rationibus quibus judicet contractum aliquem non esse usurarium; diciturque *dubia negative*, vel potius *mera nescientia:* vel quia occurrunt pro utraque parte rationes æque ponderantes, diciturque *dubia positive*, & est conscientia probabilis in concursu æque probabilis.

*Nota* 2. Dubium aliud est juris, aliud facti.

Dubium *juris*, est illud quo dubitatur an aliquid sit præceptum, nec ne; v. g. an lex extet quæ jejunium tali die præcipiat.

Dubium *facti*, est illud quo quis de lege certus, dubitat an eam impleverit, v. g. cum quis certus de voto, dubitat an adimpleverit, & an rursus adimplere teneatur.

*Nota* 3. Dubium pertinens ad mores, aliud est *speculative practicum*, & aliud *practice practicum.*

Dubium *speculative practicum* est illud, quo quis dubitat an aliqua actio vel omissio in genere sit licita vel non, v. g. an in die festo liceat pingere vel non.

Dubium *practice practicum* est illud, quo dubitatur an actio aliqua hic & nunc cum omnibus suis circumstantiis sit licita, v. g. utrum hoc die festo ad exornandam Ecclesiam mihi liceat pingere.

Porro conscientia potest esse *practice certa & speculative incerta*, cum nempe stante dubio speculative practico advenit aliqua circumstantia particularis ob quam agens, de actionis vel omissionis licitate est certus: sic in exemplo allato potest quis dubitare utrum pingere sit opus servile, cui diebus festis vacare non licet, qui tamen certus est hic & nunc sibi licitum esse pingere, quia nempe gravis urget necessitas exornandæ Ecclesiæ; econtra nullus dubitare potest practice de re hic & nunc facienda; quin de ea speculative dubitet, cum dubium practicum ex speculativo oriatur; sic v. g. nemo dubitat utrum hic & nunc pingere sibi liceat, nisi quia dubitat utrum pingere sit opus servile.

De conscientia dubia sic exposita quæritur.

1. An sit regula morum.
2. Quo principio deponi possit.
3. Nonnullos casus circa dubia resolvemus.

### ARTICULUS I.

#### *An Conscientia dubia sit regula morum.*

*Dico: conscientia practice dubia, sive dubio negative, sive positive, non est regula morum, &*

*salvo*

*ideo qui ea prudenter non deposita operatur, peccat.*

*Prob.* 1. *pars :* Regula morum debet determinare ad assensum; atqui conscientia dubia non determinat ad assensum, est enim suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi; ergo non est regula morum.

*Prob.* 2. *pars :* Quia qui operatur cum conscientia dubia non deposita, non agit *ex fide*, seu ex certa persuasione quod actio sua sit licita; *atqui quod non est ex fide, peccatum est*; ergo qui operatur cum conscientia dubia non deposita, peccat.

*Confirmatur*, Quia qui se exponit periculo peccandi, peccat peccato ejusdem speciei & gravitatis cui se exponit; atqui qui exercet opus de quo spectatis omnibus practice incertus est utrum sit peccatum necne, se exponit periculo peccandi; ergo peccat.

*Dices*, impossibile est in moralibus habere certitudinem, unde Job cap. 9. dicit: *verebar omnia opera mea &c.* Ergo ad non peccandum non requiritur conscientia certa.

*Resp. dist. ant.* Impossibile est in moralibus habere certitudinem metaphysicam aut physicam, *conc.* ac proinde frustra scrupulosi eam quærunt certitudinem moralem, *nego ant.* Talis sufficit in moralibus & requiritur, alias homo sine illa operans se exponeret periculo peccandi, faciendo id quod malum esse posse cognosceret; talem habuit Job de objecto suarum actionum, sed verebatur, ne qua par est intentione illas non perficeret.

*Inst.* Pastor in dubio potest & debet infirmo in extremis posito sacramenta ministrare; ergo non requiritur certitudo moralis.

*Resp. dist. ant.* In dubio de effectu Sacramenti, *conc. ant.* In dubio de licitate suæ actionis, *nego ant.* Pastor enim in casu posito, certus est media salutis dubia adhiberi posse ubi certa non suppetunt, cum iis neglectis salus desperata videatur, & iis adhibitis spes aliqua salutis affulgeat.

## ARTICULUS II.

*Quo principio conscientia dubia possit deponi, & fieri moraliter certa.*

*Nota* 1. Qui conscientiam habet negative dubiam an actio hic & nunc licita sit, si omnibus, ut decet, ponderatis, nullam probabilem detegat auctoritatem qua actionem hanc illicitam esse constet, potest dubium suum tamquam male fundatum deponere, & actionem hanc operari; quia nullas habet rationes non agendi, aut saltem tam leves habet, ut eas tamquam inanes scrupulos abjicere debeat.

*Nota* 2. Circa dubium positivum, tria esse principia juris de quibus dubitatur, utrum requirantur vel sufficiant ad conscientiam dubiam deponendam & certam efformandam:

1. *In dubio melior est conditio possidentis.*

2. *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio.* Porro præsumptio habetur ab eo quod ut plurimum accidit, juxta hanc regulam juris (*Reg.* 45. *juris in* 6.) *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

3. *In dubiis pars tutior est eligenda.*

*Nota* 3. Certum & ab omnibus receptum hanc regulam *in dubiis melior est conditio possidentis :* valere in materia justitiæ, quia hoc statutum a jure (*Reg.* 65. *juris in* 6.) habetur. Ratio hujus dispositionis est quia merito præsumitur meum esse quod apud me est, etsi enim contrarium evenire possit, tamen communius evenit quod unusquisque non apud alios, sed apud se, rem suam conservet; sed utrum hoc principium locum habeat in aliis materiis, gravis est controversia mox dirimenda.

*Nota* 4. Auctores qui contendunt principium istud *melior est conditio possidentis*, in omnibus extra justitiam materiis locum habere, duplicem distinguunt possessorem, legem scilicet, & hominis libertatem. Possessio, inquiunt, stat pro lege contra libertatem, dum constat de lege, & dubium est utrum lex fuerit impleta; contra possessio stat pro libertate contra legem dum constat de libertate & dubium est de lege. Hinc juxta illos qui dubitant utrum votum emiserit, illud implere non tenetur, quia possessio stat pro libertate; econtra qui dubitat utrum votum certo emissum adimpleverit, ipsum implere tenetur, quia possessio stat pro lege: His positis

*Dico*, *Regula juris*, in dubio melior, &c. *nullius est utilitatis ad deponendam conscientiam positive dubiam, & certam efformandam in aliis præter justitiam materiis; unde ad istam*, pro eo standum est &c. *recurrendum est; & si pro neutra parte præsumptio staret, clare videatur, tunc* pars tutior est eligenda.

*Prob.* 1. *pars :* Ratione fundamentali: in dubio de lege extra materiam justitiæ, possessio nunquam stat pro libertate; ergo hæc regula, *in dubiis melior est &c.* nullius est utilitatis ad dubium deponendum.

*Prob. ant.* Possessio libertatis, est jus quod habet homo faciendi quidquid e duobus libuerit; atqui in dubio de lege homo numquam habet jus faciendi quidquid e duobus libuerit; ergo in dubio de lege possessio nunquam stat pro libertate.

*Prob. min.* Qui dubitat de lege, de ipso dubitat an sit obligatus ad id quod lex præcipit; obligatio enim est proprietas essentialis legis: sed qui dubitat an sit obligatus ad id quod lex præcipit, non habet jus faciendi quidquid libuerit; alioquin se exponeret periculo non faciendi id ad quod est obligatus; ergo qui dubitat de lege, non habet jus faciendi quidquid e duobus libuerit; ergo non est vere possessor libertatis; ergo axioma quod possessori attribuit meliorem conditionem, vanum est ad deponendam conscientiam dubiam, & certam efformandam.

*Confirmatur :* qui cum fundamento dubitat utrum castitatem voverit, dubitat profecto utrum sibi licitum sit matrimonium contrahere, vel non; sed qui dubitat utrum sibi licitum sit matrimonium contrahere, non possidet libertatem matrimonium pro libitu contrahendi; ergo qui dubitat de lege, dubitat etiam de libertate; ergo libertatem non possidet.

*Objicies* 1. Hæc regula: *in dubiis melior est &c.* valet in materia justitiæ; ergo & in aliis materiis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod in materia justitiæ hæc regula: *in dubiis melior est etc.* con-

concurrit cum hac alia, *pro eo standum est &c.* quia legitime præsumitur possessorem alicujus rei quam apud se habet, esse verum illius dominum, quatenus communius evenit, ut qui possidet, rem suam jusque suum possideat, licet aliter aliquando evenire possit. Econtra in aliis materiis quæcumque fingatur possessio, nullam præsumptionem libertati faventem facere potest; sic v. g. qui dubitat an voverit virginitatem, & ex consequenti an sibi licitum sit matrimonium contrahere, vel non; quantumvis fingatur suæ libertatis possessor, nullam tamen inde habet præsumptionem, ex qua inferre possit se non vovisse.

*Disparitas* est 2. Quod in materia justitiæ hæc regula: *in dubio melior est conditio possidentis*, conciliari possit cum altera regula: *in dubio tutior pars est eligenda.* v. g. Petrus bona fide agrum possidet, postea titulus possessionis in dubium venit, nec post serium examen jus aliquod occurrit, quod uni parti præ altera faveat: tunc illa pars, quæ, ultra æqualitatem juris cum altera parte, fruitur possessione, evadit tutior; & sic melior est conditio possidentis, quæ, cum æqualitatem juris tollat, agrum asserit possessori.

*Objicies* 2. Qui post contractum matrimonium dubitat de ejus valore, debet comparti petenti debitum reddere, ut definivit Lucius III. (*Cap. Dominus de secundis nuptiis*); atqui hoc ideo solum potest, quia est in possessione libertatis; ergo ad deponendum dubium valet hæc regula; *in dubiis melior est etc.*

*Resp. nego min.* Alias non solum posset debitum reddere, sed & exigere, quod tamen Lucius III. prohibet (*Ibidem*); vera ergo ratio Ecclesiæ resolutionis est, quia conjux dubitans debitum reddendo minus malum eligit; nam debitum reddendo se tantum exponit periculo lædendi castitatem; denegando vero, se committit periculo violandi justitiam; quod est majus malum; atqui qui minus malum eligit, partem tutiorem eligit; ergo conjux dubitans non petendo debitum, sed petenti reddendo, partem tutiorem eligit.

*Prob.* 2. *pars*: Qui prudenter agit, licite agit; sed qui in dubiis pro ea parte stat pro qua stat præsumptio, prudenter agit: nam agit ex prudenti judicio quod hic & nunc operando non peccet; ergo qui in dubiis pro ea parte stat pro qua stat præsumptio, licite agit; ergo hoc principio, *pro eo standum est etc.* uti possumus ad deponendum dubium.

*Prob.* 3. *pars*: Ex script. dicente: *quasi a facie colubri fuge peccata* (*Eccl.* 21. *v.* 5.) & *qui amat periculum, in illo peribit* (*Eccl.* 3. *v.* 27.) sed qui in dubio, in quo pro nulla parte stat præsumptio, non eligit partem tutiorem, non fugit peccatum tamquam a facie colubri, item se exponit periculo peccandi, ergo peccat; ergo in dubiis tutior pars est eligenda.

*Confirm.* Ex summis Pontificibus qui principium istud: *in dubiis tutior pars est eligenda*: naturali ratione cognitum, sua divinitus accepta auctoritate confirmarunt, illudque tamquam principium suarum definitionum sæpius tradiderunt, ut constat ex variis capitulis juris (*Cap. ad audientiam de homicidio. Cap. significasti* 2. *eodem Tit. Cap. illud de Clerico excommunic. Cap. Juvenis, de sponsalibus*).

*Objicies* 1. Hanc regulam Juris (*Reg.* 11. *juris in* 6.) *cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*; ubi nomine *actoris* intelligitur ille qui agit ut obligatio alteri imponatur; nomine *rei* intelligitur ille, cui obligatio imponitur; ergo in dubio de lege, judicandum est in favorem libertatis.

*Resp. nego conseq.* Prædicta enim regula de solis pœnis intelligi debet; hocque unum præscribit, ut Judex absolvat reum, si dubium sit eum esse obnoxium; cum, ut ait Justinianus (*Lege absentem ff. de pœnis lib.* 48. *tit.* 19.) *satius sit impunitum relinqui facinus, quam innocentem damnare.* Quod est longe tutius juxta hanc regulam (*Reg.* 104. *Juris civilis*) *in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justum est, quam tutum.*

*Objicies* 2. Regulam 15. ejusdem juris: *odia restringi, favores convenit ampliari*; ergo in dubio de lege homo non manet obligatus.

*Resp. dist. Reg.* Odia convenit restringi, quando non agitur de licito, vel illicito *conc.* quando de licito vel illicito agitur, *nego.* Porro glossa hic intelligit regulam de privilegiis odiosis quæ non debent ampliari & de decimis in feudum concessis Laico, cui non debent accrescere decimæ novalium, quia quod decimæ possideantur a Laico, est odiosum.

*Objicies* 3. Reg. 30. Juris: *in obscuris minimum est sequendum.* Ergo non est sequendum tutius.

*Resp. nego conseq.* Hic enim tò *minimum* & tò *tutius* sunt unum & idem; nam per tò *minimum*, intelligitur id quod minimum habet periculi; quod autem est *tutius*, minimum habet periculi, cum a violandæ legis periculo avertat; ergo &c.

*Objicies* 4. Canones qui dicunt in dubiis partem tutiorem esse amplectendam, sunt tantum consilii, non præcepti; ergo ex iis non potest colligi hominem dubitantem teneri partem eligere tutiorem.

*Resp. nego ant.* 1. Quia Canones illi his constant terminis: *via tutior est eligenda: Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius existimamus, tenere debemus*: atqui verba hæc, si quæ unquam, sunt præceptiva; ergo &c.

2. Quia illi Canones gravi feriunt pœna eos qui in dubio partem tutiorem non elegerint; *sic. cap. illud de Clerico excomm.* deponitur Episcopus qui in dubio an esset excommunicatus, sacris operam dederat; atqui tanta pœna non decernitur pro sola consilii transgressione; ergo illi Canones non sunt tantum consilii, sed præcepti naturalis, quo quilibet tenetur vitare periculum peccati. Unde Clerus Gallic. (*In comitiis generalibus ann.* 1700.) hanc interpretationem damnat his verbis: *neque id consilii, sed præcepti loco habemus dicente Scriptura*: qui amat periculum, in illo peribit.

*Inst.* Illi Canones intelligendi sunt de dubiis facti, non juris; ergo in omni dubio tutior pars est eligenda.

*Resp. nego ant.* 1. Quia illi canones præcipiunt ut pars tutior eligatur, eo quod *in altero nullum, in reliquo vero magnum* (peccandi) *periculum timeatur* (*Cap.* 18. *de Homicidio*): atqui periculum peccandi tam timendum est in dubio juris, quam in dubio facti; ergo &c.

1. Quia

2. Quia Innoc. III. (*Cap. illud de Clerico &c.*) hac regula utitur in hac quæst. *An sententia a delegato non præmissa monitione & ante intimationem liget, necne*; atqui hæc quæstio est juris: ergo.

*Objicies* 5. Lex dubia non potest certam parere obligationem; atqui si in dubio de licitate actionis, ab ea esset abstinendum, lex dubia certam pareret obligationem; ergo.

*Resp. dist. maj.* Lex dubia non potest certam parere obligationem, petitam ex parte ipsius legis de qua dubitatur, *conc.* petitam ex parte legis naturalis quæ vetat ne quis se exponat periculo peccandi, *nego.* Unde cum dubito de aliqua lege, teneor ab actione ipsi contraria abstinere, non quidem vi illius legis quæ est dubia, sed vi legis naturæ, quæ præcipit non solum ut obediam superioribus, sed etiam ut me non exponam evidenti periculo eorum leges transgrediendi.

## ARTICULUS III.

*Nonnulli casus circa dubia resolvuntur ex supra dictis principiis.*

*Nota.* Facillime resolvi possunt omnia dubia circa materiam justitiæ ex isto principio, *in dubio melior est conditio possidentis*; sed diligenter advertendum est quis possideat? id patebit duplici exemplo.

1. Qui dubitat utrum res quæpiam, v. g. hortus quem hactenus bona fide tamquam suum possedit, sua sit vel aliena; si post sufficientem diligentiam ad cognoscendum verum ejus dominum adhibitam, remanet in eodem dubio, licite potest rem illam retinere donec verus dominus comparuerit; quia cum sit in ejus possessione, melior est ejus conditio.

2. Debitor dubitans utrum æs alienum a se contractum solverit, tenetur totum solvere, licet pecuniam solvendam possideat; ratio est quia dubium non versatur circa ipsam pecuniam cujus sit, sed circa jus exigendi debitum an adhuc sit; cum autem jus illud certo extiterit, nec constat de ejus extinctione, creditor possidet durationem illius juris, unde melior est ejus conditio, nisi similiter dubitet de solutione, tunc enim debitor non ad integram, sed ad partem solutionis pro dubii qualitate, tenetur.

Quæres 1. Quænam dubia resolvi possint ex isto principio: *pro eo standum est, pro quo stat præsumptio?*

*Resp.* Possunt resolvi sequentia.

1. Si quis dubitat an delectationi mortiferæ consenserit, judicare debet consensisse, si non sit timoratæ conscientiæ, soleatque his tentationibus consentire; quia pro consensu stat præsumptio; econtra si sit timoratæ conscientiæ, soleatque his tentationibus resistere, judicare debet non consensisse, quia pro resistentia stat præsumptio.

2. Si quis dubitet, utrum præceptum superioris sit de re licita, vel an excedat præcipientis potestatem: tenetur obedire, quia præsumptio stat pro superioris auctoritate, ad cujus mandatum dubium est deponendum.

3. Si quis dubitet, utrum intentionem habuerit consecrandi, baptizandi, &c. præsumendum est habuisse; quia rarissime contingit eos qui serio conficiunt Sacramenta, intentionem non habere. Idem dicendum de eo qui dubitat utrum formam consecrationis debite pronunciaverit.

4. Qui certus est causam damni alicujus dedisse, vel commodatum, vel depositum amisisse, sed dubitat an id culpa sua contigerit, tenetur proximi damnum resarcire; quia præsumitur hæc & similia non amitti, nisi culpa custodientis, cum id sæpius, imo ordinarie contingat.

Ad instar horum casuum cætera possunt solvi.

Quæres 2. Quænam dubia possunt solvi ex isto principio: *in dubiis tutior pars est eligenda*, ubi nulla contraria exurgit prudens præsumptio?

*Resp.* Innumera possunt resolvi:

1. Quod qui dubitat an lex existat, vel an sit usui recepta, vel an sit abrogata, vel an ab illa lege eximatur, tenetur ad illam implendam.

2. Qui dubitat an comederit aut biberit post mediam noctem, non potest sacram synaxim percipere.

3. Qui dubitat an annum 21. expleverit, tenetur ad jejunium.

4. Qui dubitat an annum 22. inchoaverit, non potest sacros ordines suscipere.

5. Qui dubitat an voverit, tenetur adimplere votum; an voverit sex vel octo jejunia, tenetur ad octo.

6. Qui dubitat an incurrerit censuras, debet abstinere ab iis a quibus abstinere debent ii qui eandem censuram incurrerunt.

7. Qui dubitat an peccatum mortale perpetraverit, vel an confessio peccati mortalis fuerit irrita, tenetur illud confiteri, vel iterare confessionem.

8. Qui dubitat de validitate matrimonii contracti, non potest debitum petere, potest tamen reddere, ut statuit jus (*Cap. Dominus de secundis nuptiis, & cap. inquisitioni de Sentent. excomm.*) quod si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere.

## CAPUT IV.

*De Conscientia, seu opinione probabili, & improbabili.*

*Nota* 1. Conscientia probabilis est *actus, quo intellectus ob motivum grave, quamvis absolute fallibile, judicat actionem hic & nunc exercendam esse licitam vel illicitam.* Unde probabilitas est *verisimilitudo.*

Dicitur 1. *Actus quo intellectus judicat:* opinio enim verum mentis judicium importat, nisi suspendatur per majorem, aut saltem æqualem ex altera parte verisimilitudinem.

Dicitur 2. *Ob motivum grave*: id est, ob motivum quod licet non sit convincens & infallibile, est tamen ita verisimile ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit merito ac prudenter approbari ut verum.

Dicitur 3. *Quamvis absolute fallibile*: quia licet relative ad operantem sit, verum potest tamen absolute & in se esse falsum, per quod differt tum a scientia, tum a fide divina.

Porro ut opinio sit vere probabilis, requiritur, ut nec rationi evidenti, nec scripturæ, nec traditioni, nec communi Patrum sensui, nec Ecclesiæ definitionibus, nec communi doctorum sententiæ, adversetur.

Conscientia improbabilis est *Actus quo intellectus ob motivum nullius vel levis momenti, judicat actionem hic & nunc exercendam esse licitam vel illicitam.*

*Nota* 2. Opinio alia est probabilis *intrinsece*; alia est probabilis *extrinsece.*

Opinio probabilis *intrinsece* est ea, cujus probabilitas seu verisimilitudo desumitur ex momentis ab ipsa ratione a præsumptione & præjudiciis libera, deductis.

Opinio probabilis *extrinsece*, est ea cujus probabilitas ex Doctorum majoris pietatis ac doctrinæ testimonio & auctoritate desumitur.

*Nota* 3. Opinio ad opinionem comparata, alia est probabilior, alia est minus probabilis, alia æque probabilis. Item alia est tuta, alia tutior, alia minus tuta.

*Opinio probabilior altera*, est ea cujus rationes & auctoritates præponderant rationibus & auctoritatibus partis oppositæ. *Opinio minus probabilis*, est ea cujus rationes & auctoritates minus præponderant. *Opinio æque probabilis*, est ea cujus rationes & auctoritates sunt ejusdem ponderis cum rationibus & auctoritatibus ejus contradictoriæ.

*Opinio tuta*, est ea quæ removet a periculo peccandi. *Tutior* quæ magis removet. *Minus tuta*, quæ minus removet a tali periculo. Unde opinio *tutior* favet legi quatenus eam hic & nunc obligare declarat: *minus tuta* favet libertati, quatenus negat hominem ulla hic & nunc lege constringi, imo asserit eum pro arbitrio eligere posse quod voluerit.

*Nota.* 4. Cum opinionis securitas desumatur ex ejus a peccato distantia, probabilitas vero ex majori veritatis apparentia, fieri potest ut opinio tutior sit minus probabilis, & ut opinio probabilior sit minus tuta: sic v. g. opinio quæ docet sub nullo titulo licitum esse aliquid supra sortem accipere, est tutior: quia magis removet a periculo peccandi; est tamen minus probabilis, quia est minus verisimilis. E contra opinio quæ docet licitum esse aliquid accipere supra sortem sub legitimo titulo, est minus tuta quia minus removet a periculo peccandi, est tamen probabilior, quia est verisimilior.

*Nota* 5. In hac materia quæ est totius Theologiæ moralis cardo, cavenda sunt duo extrema opposita: 1. *Laxiorum* qui omnem probabilitatem amplectentes ut securam morum regulam, deducunt animas per spatiosam ac latam viam quæ ducit in æternam perditionem; 2. *Rigidiorum*, qui omnem probabilitatem abjicientes, viam salutis arctiorem quam Christus hominibus aperuerat, præcludunt, salvandos damnant, & conscios propriæ infirmitatis in desperationem conjiciunt; quæ duo extrema ut caute vitemus, quæremus,

1. Contra laxiores, utrum liceat sequi opinionem probabilem hominis libertati faventem, in concursu probabilioris, vel saltem æque probabilis quæ favet legi.

2. Utrum liceat sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concursu minus probabilis quæ favet legi.

Sed antequam hæ duæ quæstiones resolvantur, operæ pretium duxi referre varias propositiones circa hanc materiam a variis summis Pontificibus & a Clero Gallicano damnatas.

I. Propositiones damnatæ ab Alexand. VII. ann. 1665.

1. Quæ inter damnatas est 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

2. Quæ est 27. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

II. Propositiones damnatæ ab Innocentio XI. anno 1679.

1. Inter damnatas. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti: relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum, non est utendum in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.*

2. *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

3. *Generatim dum de probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

III. Propositio damnata ab Alexandro VIII. ann. 1690.

*Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam.*

IV. Propositiones censura notatæ a Clero Gallicano in Comitiis generalibus celebratis anno 1700. in Palatio Regio San-Germano.

Propositio 117. inter damnatas.

*Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in materia, & præcipue in morali, libentius juniores quam antiquiores lego & sequor .... doctrina fidei a veteribus: doctrina morum magis a junioribus petenda.*

*Censura.*

Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, Sanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa: spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas Christo [illegible] stabiliendas.

Pro-

Propositio 118.

*Ex auctoritate unius tantum, potest quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet.*

Propositio 119.

*Hæc propositio, sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor; si sufficiunt quatuor, sufficit unus ... ad probabilitatem sufficiunt quatuor, sed quatuor imo viginti & supra testantur unum sufficere; ergo sufficit unus.*

*Censura.*

Hæ Propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, spreta veritate quæstionem morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.

Propositio 120.

*Si liber sit alicujus junioris et moderni; debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Est vigesima septima damnata ab Alexandro VII.

Propositio 121.

*Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit.*

*Censura.*

Hæ propositiones quatenus silentium & tolerantiam pro Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ approbatione statuunt; falsæ sunt; scandalosæ, saluti animarum noxiæ, patrocinantur pessimis opinionibus quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parant.

Postea idem Clerus Gallicanus in iisdem Comitiis generalibus anni 1700. hanc regulam dat de probabilium usu, his verbis:

*Absit vero ut probemus eorum errorem, qui negant*, licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; *sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas a jure præscriptas agnoscimus.*

*Prima, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est eo in casu unice tutum: neque id consilii, sed præcepti loco habeamus; dicente Scriptura*; qui amat periculum, in illo peribit: *Hæc prima regula.*

*Altera, ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias, sequamur id quod Viennense œcumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptismo virtutes decrevit his verbis:* Nos hanc opinionem ... tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas ac salus pendet.*

*Ex hac igitur regula fit consequens; primum ut in rebus Theologicis ad fidei et morum dogmata spectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas sanctis Patribus tradant sententias. Deinde ut si ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.* Hac doctrina Cleri Gallicani præmissa, sit

QUÆSTIO I.

*Utrum liceat sequi opinionem probabilem, hominis libertati faventem, in concursu probabilioris, vel saltem æquæ probabilis quæ favet Legi.*

*Nota.* Hæc quæstio claritatis causa resolvetur duabus conclusionibus, ideo:

*Dico 1. Non licet sequi opinionem probabilem quæ hominis libertati favet, in concursu probabilioris quæ favet legi.*

*Probatur ex Scriptura.*

1. Ex Apost. (1. *Thessal.* 5. *v.* 21.) dicente: *omnia probate*, (supple incerta quæ Apostolus dijudicari vult an conformia sint sacræ Scripturæ & doctrinæ Ecclesiæ) *Quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos:* sed qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, seu cupiditati in concursu probabilioris faventis Legi, 1. *Non omnia probat;* nam non omnia probat qui non se determinat prudenter; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, non se determinat prudenter, ut patet & infra probabitur; ergo. *Non tenet quod bonum est;* nam ille non tenet quod bonum est qui amplectitur quod ei malum apparet potius quam bonum; atqui &c. 3. *Non abstinet ab omni specie mala:* nam ille non abstinet ab omni specie mali, qui amplectitur quod prudentius & probabilius malum esse judicat; atqui, &c.

2. Ex eodem Apost. (*Rom.* 14. *v.* 23.) dicente: *Quod non est ex fide*, hoc est ex prudenti persuasione actionem hic & nunc exercendam esse licitam, *peccatum est*; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, &c. non agit ex prudenti persuasione suam actionem esse licitam; ergo peccat.

*Prob. min.* Ille non agit ex prudenti persuasione actionem esse licitam, qui omnibus rite perpensis eam judicat illicitam potius quam licitam; atqui qui sequitur opinionem minus probabilem, &c. judicat actionem illicitam magis quam licitam; ergo.

*Probat. ex sanctis Patribus, & Scholæ doctoribus.*

1. Ex August. (*lib. de Civit. Dei, cap.* 23.) asserente: *Vigiliis continuis excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat . . . . ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur, &c.* atqui frustra vigiliis continuis excubandum esset *ne opinio verisimilis fallat*, si liceret sequi opinionem minus probabilem, cum ex probabilistis auctoritas unius ad probabilitatem in praxi tutam sufficiat; ergo &c. Hinc D. Doctor (*Lib.* 3. *contra Academicos, cap.* 16.) expresse impugnans istud Academicorum principium: *cum agit quisque quod ei probabile videtur, nec pec-*

 *cat,*

*cat*, *nec errat*; illud dicit, *nefarium*, *formidolosum*, *&* *optimo cuique metuendum*; utpote quod scelerum omnium atque flagitiorum excusationem prætexere possit.

2. Ex D. Chrysost. (*Hom.* 44. *Matth.*) dicente: *Si vestimenta empturus unum giras negotiatorem & alterum*, *ut ubi meliores vestes inveneris & pretio viliori*, *ab illo compares*; *quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores*, *& inquirere ubi sincera Christi veritas venundatur*, *& ubi corrupta*; *& veriorem eligere plusquam vestimentum?* Ergo in concursu plurium opinionum probabilium, *veriorem* probabiliorem tenemur *eligere plusquam vestimentum*.

3. Ex D. Thom. qui (*quodlib.* 9. *art.* 19.) expendens an licitum sit plures præbendas habere, ait: *Id periculose determinari .... quia Theologi Theologis*, *& Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire.* Atqui si liceret opinionem minus probabilem in concursu probabilioris eligere, nullum esset in decisione hujus quæstionis periculum propter diversas Doctorum opiniones: posset enim quisque eam quam mallet tenere absque periculo peccati, quia juxta Caramuel, *si jam sunt probabiles*, opiniones *quæ antea non erant*, *jam non peccant homines*, *cum antea peccarent*, *cum probabile omne a peccato excuset.*

*Prob. Ex damnatione propositionum ad probabilitatem spectantium*: inter quas unicam hic expendo ab Innocentio XI. & Clero Gallicano damnatam. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui*, *modo a probabilitatis finibus non exeatur*, *confisi aliquid agimus*, *semper prudenter agimus*: Unde sic:

Justa censuram pontificiam, qui *ex tenui probabilitate* tametsi vera, operatur, non agit prudenter; atqui qui sequitur in praxi opinionem minus probabilem, non agit nisi ex tenui probabilitate; quælibet enim gravis probabilitas longe graviori collata, eo ipso levis ac tenuis evadit, uti ipsimet fatentur adversarii; ergo qui sequitur opinionem minus probabilem, &c. non agit prudenter; ergo peccat.

*Probatur duplici ratione ex innumeris quas urgent anti-probabilistæ.*

1. Petitur ex novitate doctrinæ, ex qua sic arguo: novitas doctrinæ in iis quæ ad fidem & mores pertinent, falsitatis notam per se fert manifestam, cum Concilium Tridentin. (*sess.* 15. *in salvo conductu Lutheranis concesso*) statuat: *quod causæ controversæ secundum sacram Scripturam & Apostolorum traditiones*, *probata Concilia*, *Ecclesiæ Catholicæ consensum*, *& sanctorum Patrum auctoritates .... tractentur.* Atqui sententia quæ docet licitum esse sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu &c. est nova; ergo notam falsitatis præsefert manifestam.

*Prob. min.* 1. Quia Antonius Corduba, qui scribebat anno 1571. non solum asserit (*Corduba in suo quæstionario Theologico*) *partem tutiorem esse tenendam quando oppositæ sententiæ sunt*, *aut creduntur æque probabiles*, *& quando una est probabilior altera*: sed addit: *& in hoc omnes Theologi conveniunt.*

2. Quia Clerus Gallicanus anno 1700 dicit: *Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam*, *quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus*, *hoc novum*, *hoc inauditum*, *hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum*, *& ab iisdem pro morum regula positum*, *repugnat huic effato a Patribus celebrato*: quod ubique, quod semper, quod ab omnibus: *nec habere potest Christianæ regulæ securitatem.*

3. Quia id ipsum agnoverunt probabilistæ, nam Franciscus amicus acerrimus probabilitatis defensor ingenue fatetur: *Omnes fere antiquos Theologos negare licitum esse operari secundum sententiam minus tutam & simul minus probabilem*, *semperque ad licite operandum ex sententia minus tuta exigere ut illa sit probabilior.*

*Secunda ratio* petitur ex eversione præcipui adversariorum fundamenti, & sic breviter proponi potest: Ille non agit licite qui non agit prudenter; sed qui eligit sententiam minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris quæ stat pro lege, non agit prudenter; ergo non agit licite, sed peccat.

*Prob. min.* Prudentia, cum sit virtus mentis practica, requirit certitudinem saltem moralem de honestate sui objecti, sed qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis præcepto, non habet certitudinem moralem de honestate suæ actionis; ergo non agit prudenter.

*Prob. min.* Ille non habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis, qui de sua actione hoc judicium habet; *probabilius & verisimilius est hanc actionem esse malam et illicitam*; atqui tale judicium necessario habet qui operatur ex opinione minus probabili quæ favet libertati in concursu, &c. Ergo non habet certitudinem moralem de bonitate morali suæ actionis.

*Confirmatur* auctoritate Benedicti XIV. doctissimi Pontificis, vere magni, qui in Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos directa, circa præparationem ad annum Jubilæi 1750. varia tradens documenta, pro Confessariorum instructione ait: „ Secundum pro Confessariis monitum hoc est, ut, si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo ministerio aliquid a pœnitente „ audire, quod examine opus habeat; caveat, ne „ divinando definiat: sed antequam responsum præbeat, tempore congruo & consilio rem expendat. Optanda in quolibet Confessario esset scientia eminens, sed mediocris & sufficiens omnino necessaria est. Nec ultra sperare licet, cum „ morum Theologia tot, tantasque complectatur „ quæstiones, quæ a canonum, & apostolicarum „ constitutionum notitia pendent: adeo, ut vix „ fieri possit, ut homo præsentia omnia habeat, „ valeatque, ut dicitur, stans pede in uno, ad „ quodlibet respondere; quemadmodum præstare „ solent eminenti scientia præditi. Opus iste minime habeat, ad librorum lectionem confugere, „ quod facere consuescunt ii, qui sufficienti duntaxat scientia pollent. Ut animadvertit prædecessor noster Innocentius IV. in commentariis „ ad cap. *cum in cunctis*, num. 2. tit. *de electione*, *et electi potestate*, ubi ita scribit: *Scientiam autem reputamus eminentem*, *quæ subtiles quæstiones discutere*, *et definire novit*, *et* [illegible] „ [illegible]

„ *ptu responsiones habet*; *ille habet mediocrem*, „ *qui scit aliquo modo examinare negotia*, *quamvis ad omnia nesciat respondere*, & *qui in libris veritatem eorum*, *quæ scire tenetur*, *scit quærere*, *etsi in promptu omnia non habet*. Cum „ igitur Confessarius in dubiis quæstionibus, aut „ in iis, quarum notitia caret, evolvere libros „ coactus sit, non sine delectu id præstet. Nihil „ quippe novi pronunciabimus, si dixerimus, in „ tanta Scriptorum multitudine reperiri illos, qui „ opinantur, scribuntque juxta modum ab evangelica simplicitate, & Patrum doctrina prorsus „ alienum. *Cum plures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas*, & *animarum perniciem inferentes*, *partim antiquas iterum suscitari*, *partim noviter prodire*, & *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere*, *per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate*, *Sanctorumque Patrum doctrina*: & *quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur*, *ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*. Verba sunt prædecessoris nostri Alexandri VII. in decreto suo „ diei 7. Septemb. 1665. Verum præmissis implicatissimis quæstionibus, quæ excitari de scriptorum auctoritate, eorumque doctrinis possent, „ sat nobis erit, Confessarium monere ne in dubiis controversiis propriæ adhærescat opinioni, „ sed antequam deliberet, evolvat non unum, sed „ plures libros; inter istos consulat præstantiores, „ postea illam amplectatur sententiam, *cui magis suffragari rationem*, & *auctoritatem favere cognoverit*. Ita docuimus in nostra Epistola Encyclica de usuris, quæ est 143. in Tom. 1. nostri Bullarii §. 8. *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant*; *sed priusquam responsum reddant*, *plures Scriptores examinent*, *qui magis inter cæteros prædicantur*; *deinde eas partes suscipiant*, *quas tum ratione*, *tum auctoritate plane confirmatas intelligent*. Idipsum nunc in „ memoriam revocamus; nostra quippe sententia „ coerceri inter fœnoris confinia non debet, sed „ ad ea omnia extendi, quæ ad forum sacramentale, & conscientiarum regimen attinent". Hac constanti, & luculenta sedis Apostolicæ doctrina probabilismus plene profligatur. Nihilominus hic addemus, quæ idem Pontifex, dum adhuc esset Cardinalis, scripsit in confirmationem nostræ Doctrinæ. T. 5. notif. 18. ait: *Actiones nostras moderari opinionibus non dubiis*, *sed tutis*, & *sententiis sacrarum Congregationum urbis*, *quæ auctorum privatorum opinationibus prævalent*. *Hi quippe ex ingenio scribunt*, *quæ magis illis arrident*, *quin præ oculis habeant disciplinam ecclesiasticam*, *cujus moderatrix est debetque esse Romana sedes*.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Dixit Christus (*Matth.* 11. *v.* 30.) *Jugum meum suave est* & *onus meum leve*. Atqui jugum Christi non esset leve, si in agendo non liceret sequi opinionem etiam minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris; ergo.

*Resp. nego min.* Non enim ideo jugum Christi dicitur suave, quod liceat ejus præcepta transgredi quando verisimilius est ea existere, sed dicitur suave, 1. quia paucioribus constat præceptis quam Lex Mosaica; nam in Evangelio non sunt, nisi præcepta necessaria ad salutem; in lege autem Moysis infinita erat multitudo præceptorum, non ideo datorum, quia erant necessaria ad salutem, sed ut populum duræ cervicis severiore exercerent disciplina. 2. Quia Lex Evangelica est Lex amoris & charitatis: atqui ex August. *Quidquid durum est in præceptis*, *ut sit leve charitas facit*. Et ex D. Thom. in 3. dist. 40. art. 4. *Lex Evangelica ad mandata inducit ex amore*, *qui omnia levia facit*, etiam, quæ ex se aspera & gravia sunt. 3. Quia præcepta Evangelica suavia fiunt ex gratiæ divinæ auxilio. *Equidem durum videtur*, *quod Dominus imperavit*. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: *sed non est durum*, & *grave*, *quod ille imperat*, *qui adjuvat*, *ut fiat*, *quod imperat*, ait D. Aug. serm. 47. de diversis, c. 1.

*Objicies* 2. Summi Pontifices in suis dispensationibus & decisionibus secuti sunt opiniones minus probabiles libertati faventes; ergo licitum est &c.

*Resp. nego ant.* Nam summi illi Patres secuti sunt illas opiniones, quæ post accuratam veritatis inquisitionem illis visæ sunt probabiliores, ut perfecte cognosceremus, si motiva quibus nixæ fuerunt eorum resolutiones, nobis essent cognita.

*Prob. ant.* Ex Alex. III. (*Cap. Si vir de cognat. spirituali*) a quo cum quæsitum fuerit, *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit*, *an propter hoc separari debeant*? sic respondet, *consultationi tuæ taliter respondemus*, *quod quamvis generaliter sit institutum*, *ut debeant separari*: *quidam tamen humanius sentientes*, *aliter statuerunt*; *ideoque nobis videtur*, *quod sive ex ignorantia*, *sive ex malitia id fecerint*, *non sunt ab invicem separandi*: *nec alter alteri debet debitum subtrahere*.

Ex quo responso sic argumentor: Alexander III. casum propositum decidit juxta opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris faventis legi, ut patet ex his verbis: *quidam humanius sentientes*: ergo in concursu duarum opinionum probabilium licitum est sequi opinionem minus probabilem faventem libertati.

*Resp. nego ant.* Nam 1. Alexand. III. secutus est sententiam quæ sibi visa est probabilior, ut patet ex ratione quam subjungit: *Quia*, inquit, *si ex ignorantia id factum est*, *eos ignorantia excusare videtur*: *si ex malitia*, *eis sua fraus non debet patrocinari*, *vel dolus*. Unde Ostiensis multique alii insignes Canonistæ per tò *humanius*, intelligunt *æquius*, *rationabilius*, & glossa hic intelligit *melius*.

2. Alexander III. non est secutus opinionem faventem libertati, econtra secutus est legem faventem matrimonio; per quam conjuges habent jus mutuum exigendi debitum, quo jure una pars non debet privari propter malitiam vel ignorantiam compartis, ut patet ex ratione quam subjungit: *quia si ex ignorantia* &c.

*Objicies* 3. Qui prudenter agit, recte agit; sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, prudenter agit; ergo recte agit.

*Resp. nego minor. Prob.* Qui agit prout dictat recta ractio, prudenter agit; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, non agit prout dictat recta ratio; ergo.

*Resp. nego min.* Nam recta ratio dictat illud in concursu amplectendum, quod magis ad veritatem accedit.

*Prob. min.* Qui agit ductus argumentis quæ viros pios, & doctos ad assensum determinare possunt, agit prout dictat recta ratio; atqui sequitur opinionem minus probabilem, agit ductus argumentis quæ viros pios & doctos ad assensum determinare possunt; ergo.

*Resp. nego min.* Nam adveniente luce probabilioris sententiæ, lux sententiæ minus probabilis statim evanescit; ergo non potest viros doctos determinare ad assensum; alias prudenter ageret qui escam sumeret quam probabilius putaret veneno esse infectam; item dux exercitus qui eo tempore prælium committeret, quo probabilius putaret se victum iri, quam victurum esse &c.

*Inst.* 1. Atqui opinio probabilis in concursu probabilioris remanet vere probabilis; ergo nulla solutio.

*Resp. nego ant.* Nam ut fatetur Esparza insignis Probabilista, 1. 2. qu. 23. art. 102. *Apud Auctores latinos tam veteres quam recentes probabile sumitur pro eo, quod approbare, & cui adhærere, ac assentiri intellectus merito potest cum formidine partis oppositæ;* atqui intellectus merito, ut veram approbare non potest opinionem de licito, dum ipsi apparet probabilius falsa, quam vera, nec ei merito adhærere potest, & assentiri, sed debet ipsam reprobare ut falsam; ergo opinio probabilis in concursu probabilioris non remanet absolute probabilis ei, cui fundamentum falsitatis ipsius apparet manifeste majus. Hinc Cardinalis Lauræa in 3. Sent. disp. 11. art. §. 181. ait: *Probabile idem importat, ac dignum ut approbetur; non est autem digna approbatione sententia, quæ repræsentatur ut minus verisimilis.*

*Prob. ant.* Homo doctus non desinit esse doctus in concursu alterius doctioris: ergo a pari opinio probabilis non desinit esse probabilis in concursu probabilioris.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod positio majoris scientiæ in uno homine non importat negationem scientiæ in quocumque alio; e contra positio majoris probabilitatis sententiæ importat negationem probabilitatis in sententia opposita, nam ex eo quod sententia sit longe verisimilior, sequitur oppositam magis judicari falsam quam veram, ac proinde non posse amplecti; quia *quod non est ex fide, peccatum est.*

*Inst.* 2. Nullum comparativum destruit positivum; ergo major probabilitas non destruit minorem.

*Resp. dist. ant.* Nullum comparativum *comparative* sumptum destruit positivum, *conc.* comparativum *adversative* quomodo hic sumitur tò *probabilius*, *nego ant.* Sic Apostolus (1. *Cor.* 7. *v.* 9.) sumit tò *melius* in hoc textu; *melius est nubere, quam uri*; non quod bonum sit uri, sed quod ex his duobus inter se comparatis unum bonum sit, alterum malum.

*Objicies* 4. Licitum est operari juxta opinionem motivo gravi fundatam: atqui opinio minus probabilis fundatur motivo gravi; alias non esset probabilis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Licitum est operari juxta opinionem motivo gravi fundatam, si illud motivum non vincatur graviori motivo, *conc.* si vincatur, *nego maj.* & sic ad minorem.

Itaque motivum non dicitur grave hoc sensu quod mereatur assensum pro omni omnino casu, sed tantum pro omni casu in quo non adæquatur per motivum æque grave, aut superatur per motivum gravius in oppositum; tunc enim vel eliditur a motivo æque gravi, vel superatur a motivo graviori.

*Inst.* 1. Motivum grave eo ipso quo grave est, facit magnam spem assequendæ veritatis; ergo eo ipso quo grave est, meretur assensum.

*Resp. dist. ant.* Facit magnam spem assequendæ veritatis, si non concurrat cum alio graviori quod faciat timorem majorem non assequendæ veritatis, *conc.* si concurrat cum alio motivo ejusmodi, *nego ant.* Tunc enim solum motivum gravius meretur assensum; alioquin agens eliceret actionem, de qua hoc judicium haberet, *probabilius & verisimilius est hanc actionem esse malam & illicitam.*

*Inst.* 2. Licet qui operatur ex opinione minus probabili, hoc judicium directum *speculative* incertum, *probabilius & verisimilius est hanc actionem esse illicitam*, habeat; habet simul hoc judicium reflexum *practice* certum, *qui probabiliter agit, prudenter & secure agit.* Ergo habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis.

*Resp. nego ant.* Nam impossibile est quod judicium directum *speculative* incertum, evadat certum *practice*, nisi aliquid novi accedat unde recipiat hanc certitudinem; cum ergo operans non possit judicare opinionem minus probabilem esse veram, quando major est probabilitas in oppositum, non potest certo judicare operationem hic & nunc exercendam juxta opinionem minus probabilem non esse lege prohibitam.

*Inst.* 3. Licet intellectus ex se non possit assentiri opinioni minus probabili, potest tamen ex imperio voluntatis; ergo.

*Resp. dist. ant.* Potest imprudenter, *conc.* prudenter, *nego ant.* Neque enim potest intellectus prudenter assentiri opinioni quæ magis apparet falsa, quam vera.

*Inst.* 4. Voluntas prudenter potest appetere minus bonum, relicto meliori bono; ergo intellectus saltem ex imperio voluntatis potest assentiri opinioni minus probabili.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Disparitas est quod bonum non consistat in indivisibili, unde minus bonum est semper verum & certum bonum; at verum consistit in indivisibili, & ideo minus probabiliter verum in conflictu probabilioris veri, est probabiliter falsum.

Dixi *transeat*; quia nullus prudenter potest eligere minus bonum nisi sit magis idoneum ad consecutionem finis, ut diximus supra (*Cap.* 1. *q.* 1. §. 1. *de actib. human.*). Et tunc est majus bonum relative.

*Objicies* 5. Licitum est sequi opinionem probabiliorem: atqui sententia quæ docet sufficere minus probabilem, est probabilior; ergo.

*Resp.*

*Resp. nego min.* Cujus falsitas evidens est ex nostris probationibus. Porro auctoribus quos citant Probabilistæ, oppono omnes sanctos Patres, summos Pontifices, Clerum Gallicanum, omnes Doctores qui ante annum 1571. floruerunt, & innumeros recentiores ex omni natione & ordine quos fuse enumerat R. P. Thyrsus Gonzales Societatis Jesu præpositus Generalis.

*Objicies* 6. Licitum est sequi opinionem minus tutam in concursu tutioris; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod major securitas non est regula morum, sed prudentia; unde sufficit quod sequamur id quod veritati & prudentiæ magis est consonum, quale sæpe est opinio minus tuta in concursu tutioris.

*Objicies* 7. Si non liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris præcise ob peccandi periculum; ergo nec licebit sequi opinionem probabiliorem, imo nec probabilissimam ob idem periculum.

*Resp. nego conseq. Prob.* Opinio quæ non excludit omnem incertitudinem, habet secum periculum peccati: atqui talis est opinio probabilior & probabilissima; ergo.

*Resp. dist. maj.* Opinio quæ non excludit incertitudinem moralem, *conc.* objectivam & mathematicam, *nego major.* atqui opinio probabilior non excludit incertitudinem objectivam & metaphysicam, *conc.* moralem, *nego min.* Porro qui habet certitudinem moralem de bonitate suæ actionis non peccat, quia facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, unde si forte illa non attingat, excusatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis; econtra qui opinionem minus probabilem, spreta probabiliori, sequitur, nedum nihil facit ut veritatem agnoscat, sed & ipsammet spernere convincitur, unde peccat formaliter.

*Inst.* Ergo peccaverunt quotquot auctores pietate & doctrina insignes præterito sæculo probabilismum tenuerunt; absurdum cons. ergo.

*Resp. dist. maj.* Peccaverunt si sententia, quam tenuerunt, ipsis visa sit minus probabilis, *conc.* si ipsi visa sit probabilior, *nego maj.* Tunc enim propter ignorantiam invincibilem fuerunt a peccato formali immunes; nemo tamen qui post definitiones Alexandri VII. probabilismum propugnaret, esset a tali peccato immunis.

*Dico* 2. *Non licet sequi opinionem seu conscientiam probabilem quæ favet hominis libertati in concursu alterius æque probabilis quæ favet legi; sed tunc ea opinio est tuenda quæ est tutior.*

*Nota.* Omnes rationes & auctoritates quibus præcedentem conclusionem probavimus, præsentem directe probant, ideo

*Prob.* Unico argumento deducto ex jure sæpius clamante quod *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*; sed qui versatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, versatur in vero ac proprie dicto dubio; ergo qui versatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, tenetur securiorem partem eligere.

*Prob. min.* Tunc est dubium proprie dictum, cum non est potior ratio cur intellectus judicet unam opinionem esse veram, quam alteram; cum intellectus in suspenso remanet inter veritatem & falsitatem; atqui in concursu duarum contrariarum opinionum probabilium, non est potior ratio cur intellectus judicet unam opinionem esse veram potius quam alteram, hæreret in suspenso inter veritatem & falsitatem; ergo in concursu duarum propositionum æque probabilium, est dubium proprie dictum. Unde si quis ab homine in eo opinionum conflictu constituto quærat quænam ex illit duabus opinionibus sit vera? Respondebit, si ingenuus sit, *nescio*, *dubito.*

*Confirmatur* ex sancto Antonino (1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *Reg.* 6.) dicente: *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, sumendo proprie & stricte dubitationem, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam.* Ergo tam dubius est qui graves pro utraque parte rationes æquales habet, quam qui nullas; ergo si agat in sensu composito dubitationis, *id de quo dubitat esse mortale, mortaliter peccat.*

*Objicies* 1. In veris tantummodo dubiis tutior pars est eligenda; sed qui habet opiniones utrinque probabiles, non est in dubio vero & proprie dicto: ergo non tenetur partem tutiorem sequi.

*Resp. nego min. Prob.* In vero ac proprie dicto dubio nullæ ex utraque parte rationes suadentes occurrunt, econtra in conflictu duarum propositionum contrariarum æque probabilium graves occurrunt rationes suadentes; ergo qui habet opiniones utrinque æqualiter probabiles, non est in dubio vero ac proprie dicto.

*Resp. nego ant.* Cum D. Antonino supra citato; ratio est quia intellectus æque a parte rei remanet suspensus veritatem inter & falsitatem, dum illic occurrunt æquales pro veritate aut falsitate rationes, ac dum ei nulla ratio pro una aut pro altera parte exhibetur; quemadmodum lances non minus in æquilibrio manent, dum æquale pondus utrique lanci, quam dum nullum neutri appenditur.

*Inst.* 1. In veris dubiis intellectus neutri parti adhæret, in opinione econtra uni realiter adhæret, licet cum formidine partis oppositæ; ergo qui habet opiniones utrinque æqualiter probabiles, non est in vero ac proprie dicto dubio.

*Resp. dist. secundam partem ant.* In opinione quæ non occurrit cum contraria æqualiter probabili, intellectus uni parti realiter adhæret, licet cum formidine partis oppositæ, *conc.* in opinione quæ concurrit cum contraria æque probabili, *nego ant.*

Itaque opinio probabilis, cum impugnatur alia non minus probabili, non remanet vere ac solide probabilis, cum non possit magis judicari vera ob motivum quo nititur, quam falsa ob motivum opinionis oppositæ; ergo necesse est ut intellectus inter utrumque anceps & suspensus maneat; ergo in hoc dubii statu nihil melius fieri potest, quam si pars tutior teneatur, ut vitetur periculum peccati.

*Inst.* 2. Opinio probabilis non amittit gravitatem sui motivi ex eo quod concurrat cum opinione opposita æque probabili; ergo sufficit ut intellectus illi adhæreat.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Nam ut intellectus uni parti contrarietatis adhæreat potius quam alteri, debet probabilitas unius partis prævalere probabilitati alterius; atqui probabilitas unius opinio-

nionis prævalere non potest probabilitati æquali; ergo.

Dixi *transeat*, quia gravitas unius opinionis eliditur per gravitatem opinionis contrariæ æque probabilis, sicut vincitur per gravitatem opinionis contrariæ probabilioris, & sic neutra pars apparet magis vera quam falsa; ac proinde intellectus neutri parti saltem prudenter assentire vel dissentire potest, sed debet suspendere assensum ac dissensum, & sic manere dubius.

*Inst.* 3. Opinio probabilis favens libertati in concursu propositionis æque probabilis faventis legi, proponit objectum ut honestum, & conforme legi æternæ imprudenter, & temerarie, *conc.* prudenter, & mature, *nego maj.* Itaque ut opinio proponat prudenter objectum ut honestum, & conforme legi æternæ, necesse est ut præcedat diligentia seria, & gravis, plus, minusve juxta gravitatem materiæ: quando autem opiniones sunt æque probabiles, nullum adest fundamentum asserendi, unam præ altera aut veram aut falsam esse: sed qua ratione utraque æque probabilis est eadem ratione quoad nos, falsitati subjecta est; ergo electio unius præ altera est temeraria, & fortuita respectu veritatis, aut falsitatis.

*Inst.* 4. Apostolus *Rom.* 14. ait: qui non judicat semetipsum in eo, quod probat, beatus est; atqui probabilista non judicat semeptisum in eo quod probat; ergo beatus est, id est honeste agit.

*Resp. Dist. textum.* Qui non judicat semetipsum in eo, quod probat post diligentem veritatis inquisitionem, *conc.* ante talem veritatis inquisitionem, *nego maj.* atqui probabilista non judicat semetipsum in eo, quod probat, ante diligentem veritatis inquisitionem *conc.* post hanc inquisitionem adhibitam, *nego min. & conseq.* Responsio est D. Thomæ in commentariis ad Rom. 4. lect. 3. *Beatus qui non judicat &c. Hoc est intelligendum, si recta fide approbet esse aliquid faciendum. Si autem falsa opinione approbat, aliquid esse faciendum ... non excusatur ex eo, quod circa hoc non judicat semetipsum: imo beatior esset, si circa hoc eum conscientia reprehenderet, in quantum per hoc a peccato magis prohiberetur. Sed in his, quæ sunt licita, est intelligendum, quod hic dicit Apostolus.* Porro probabilitas falsa opinione approbat, aliquid esse faciendum, nec applicat, quod dicit Apostolus in his, quæ sunt licita.

*Inst.* 5. Ergo nec licitum est sequi sententiam probabiliorem, imo nec probabilissimam; consequens est damnatum ab Alexandro VIII. Ergo &c.

*Resp. nego illatum.*

*Prob. illatum.* Propositio probabilissima potest esse falsa atque adeo proponere objectum ut conforme legi æternæ, quod tamen reipsa ipsi sit difforme, & vetitum; ergo non licitum est eam sequi.

*Resp. nego conseq.* Quia ad licite operandum non requiritur omnimoda certitudo, quæ omnem vel levem formidinem excludat: hæc enim fugit communem, & sinceram inveniendæ veritatis intelligentiam, ut contra rigoristas mox demonstrabimus, sed sufficit certitudo probabilis, seu moralis, quæ excludat omnem gravem incertitudinem, hæcque sola moraliter possibilis est humanæ infirmitati. Porro opinio probabilior, aut etiam probabilissima, cum gravi sit nixa fundamento, & exurgat ex diligenti investigatione ejus cum lege æterna conformitatis, gravem excludit formidinem; atque, si post hanc diligentem investigationem contingat, opus esse reipsa difforme ab æterna lege, tunc peccatum erit materiale, nec imputabile.

*Objicies* 2. In dubio tantummodo practico tutior pars est eligenda; atqui intellectus inter duas æquales probabilitates constitutus, licet dubius *speculative*, non est tamen dubius *practice*; ergo.

*Resp. nego min.* Nam intellectus *speculative* dubius, est necessario dubius *practice*, cum in praxi nulla occurrit circumstantia quæ dubium speculativum tollat; atqui hic nulla est circumstantia quæ minuat pondus rationum, propter quas intellectus est *speculative* dubius; ergo, &c.

*Inst.* Intellectus dubitans *speculative*, utrum v. g. contractus mohatra sit licitus vel illicitus, potest se determinare per hunc actum reflexum: *licitum est sequi opinionem certo probabilem*; ergo potest omni se dubio in praxi liberare, certoque judicare, contractum illum quamvis speculative dubium, in praxi tamen esse licitum.

*Resp. nego ant.* 1. Quia supponit falsum, nempe opinionem probabilem in concursu alterius æque probabilis retinere suam probabilitatem, quod falsum esse supra ostendimus.

2. Quia si operans qui versatur inter duas opiniones æqualiter probabiles, certus fiat de licitate sui actus per hunc actum reflexum: *licitum est sequi opinionem certo probabilem*, in nullo unquam casu ad praxim erit redigenda hæc regula *in dubiis tutius est eligendum*: nam quotiescumque propter æqualis ponderis contradictorias rationes dubium erit an aliquis actus sit licitus, necne, voluntas tuto poterit illum eundem actum eligere jubendo intellectui ut hunc actum reflexum eliciat; *licitum est sequi opinionem certo probabilem.*

*Objicies* 3. Ex D. Leone (*Magnus Ep.* 2. *ad Rusticum*) *In iis quæ vel dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum videtur adversum*; atqui sic se habet opinio vere probabilis; ergo.

*Resp. nego min.* Intellectam de opinione probabili in concursu oppositæ opinionis æque probabilis: talis enim opinio & Evangelio & sanctis Patribus manifeste repugnat, qui unanimiter docent in dubio de malitia actionis ab ea declinandum esse, eligendamque esse semitam tutiorem.

## QUÆSTIO II.

*Utrum liceat sequi opinionem probabiliorem quæ favet libertati, in concursu minus probabilis quæ favet legi?*

*Nota.* Quæstionem procedere *de licito* actuum humanorum nam conveniunt omnes partem tutiorem necessario esse amplectendam in iis quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad validam administrationem & susceptionem Sacramentorum; quia in his ignorantia invincibilis aut major probabilitas nihil juvat ad obtinendum finem quem procurare [illegible] mur, cum non possit salus obtineri, nec [illegible]

S-

Sacramenti haberi, nisi reipsa ponantur ea quæ Deus ad hunc finem exigit:

*Dico: e duabus opinionibus licitum est eam sequi quæ libertati favet, modo sit notabiliter probabilior opposita*; est contra quosdam rigidiores (*Fagnan. in cap. ne initiatis de constitut. Sinnichius in lib. qui inscribitur Saulex. Rex Wendrochius in notis ad 5. epist. Montalti.*) qui ad licitam actionis certitudinem metaphysicam evidentiam requirunt.

Dixi, *Notabiliter probabilior*: quia in moralibus *parum pro nihilo reputatur*, & ideo si excessus probabilitatis quo opinio favens libertati superat eam quæ favet legi, sit levis ac tenuis, utraque opinio erit æqualis, nec tollet formidinem rationabilem erroris & periculum probabile peccati, sed generabit dubium; atqui *in dubio tutior pars est eligenda*, ut probatum est; ergo.

*Prob.* 1. Ex D. Thom. (2. 2. qu. 70. *art.* 2. in *corp.*) dicente: *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia & variabilia: & ideo sufficit probabilis certitudo quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.* Atqui si non liceret sequi opinionem minus tutam quæ sit tutiore notabiliter probabilior, non sufficeret *probabilis certitudo*, sed requireretur *certitudo demonstrativa* quæ *non potest* haberi; ergo. Alias ab omni actione esset abstinendum.

*Prob.* 2. Ratione Cajetani (*In sua summa verbo* opinio) dicentis: *Non exigit Deus ab homine plusquam conditio hominis habet, quia divina sapientia disponit omnia suaviter.* Atqui hominis conditio habet ut in rebus moralibus non possit habere mathematicam omnium agibilium certitudinem juxta illud Divi Antonini (1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.) *certitudo quæ reperitur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ .... non enim contingit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus.* Ergo Deus non exigit ab homine ut semper cum evidentia & certitudine mathematica de bonitate suæ actionis operetur; ergo potest sequi opinionem minus tutam, seu libertati faventem, dum est multo probabilior altera.

*Confirmatur*, quia in casu proposito opinio probabilior est verior, cum traditioni, quæ est morum regula, sit conformior.

Hinc jure merito Alexander VIII. & post ipsum Clerus Gallic. hanc damnavit prop. *non licet sequi opinionem probabilem*, (id est quæ nullam habet probabiliorem, vel æque probabilem oppositam) *vel inter probabiles probabilissimam*.

*Objicies* 1. Qui se exponit periculo peccandi, non agit prudenter; sed qui sequitur opinionem tutam licet probabiliorem, se exponit periculo peccandi; ergo non agit prudenter.

*Resp. nego min. Prob.* Ille se exponit periculo peccandi qui agit cum dubitatione de malitia operis; sed qui sequitur partem minus tutam etsi probabiliorem, agit cum dubitatione de malitia operis; ergo.

*Resp. nego min.* Qui enim sequitur opinionem probabiliorem licet minus tutam, sibi conscientiam practice certam efformat per hoc judicium reflexum; *qui facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem, si forte illam non attingat, excusatur a peccato ratione ignorantiæ invincibilis*, quod principium est omnino certum.

*Prob. min.* Qui non est certus de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione de malitia operis; sed qui sequitur opinionem minus tutam etsi probabiliorem, non est certus de licitate suæ actionis; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Qui non est certus *moraliter* de bonitate suæ actionis, agit cum dubitatione, &c. *conc.* qui non est certus *metaphysice*, *neg. maj.* atqui qui sequitur, &c. non est certus de bonitate suæ actionis, metaphysice, *conc.* moraliter, *nego minor.* Porro certitudo moralis, quæ sola in rebus moralibus possibilis est, sufficit ut homo tute operetur, juxta illud Gersonis (*l.* 4. *de cons. Theologica*) *certitudo moralis admittit formidinem de opposito, & scrupulos, non tamen advertendos, sed contemnendos.*

*Inst.* Ille non est moraliter certus de bonitate suæ actionis, qui judicando suam actionem esse licitam, simul judicat forte esse illicitam; sed qui judicat actionem minus tutam esse honestam, simul judicat eam forte esse illicitam; ergo non est certus moraliter.

*Resp. dist. min.* Qui judicat actionem minus tutam esse licitam, simul judicat eam forte esse illicitam illicitate materiali invincibili, *conc. min.* formali, vel materiali vincibili, *nego minor.* Itaque opinio probabilior certitudinem moralem intellectui ingerit, quod sufficit ad prudenter & sine periculo peccati imputabili, agendum; alias nunquam quis posset celebrare, nunquam absolutionem petere a Confessario, quia nemo potest unquam esse metaphysice certus se habere dispositiones ad utrumque necessarias, nec repugnat metaphysice ut decipiatur, cum opinatur se illas habere.

*Objicies* 2. Capit. *Si quis autem* de pœnit. dist. 8. dicitur: *Tene certum, dimitte incertum*; atqui omnis opinio, etiam evidenter probabilior pro libertate, habet incertitudinem, maxime in concursu tutioris pro lege; ergo.

*Resp. dist. min.* Habet incertitudinem metaphysicam, *conc.* moralem, *nego min. & conseq.* Porro ad recte operandum sufficit opinio gravi nixa fundamento, quæ certitudinem affert moralem excludentem omnem gravem incertitudinem. Quare canon allatus præscribit certitudinem moralem, quæ sola moraliter possibilis est humanæ imbecillitati.

*Objicies* 3. D. Thom. quodlib. 8. artic. 13. ait: *Si operans in quamdam dubitationem inducitur, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat*; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Neque enim D. Thomas agit ibi de eo, qui operatur juxta opinionem, quæ post severum, graveque examen, apparet probabilior, sed de eo, qui cum conscientia dubia non deposita operatur, quem certo peccare supra probavimus.

*Inst.* D. Thomas ibidem ait: *Illud quod agitur con-*

*contra legem, semper est malum: nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam:* ergo non excusatur a peccato, qui sequitur opinionem minus tutam, licet evidenter probabiliorem.

*Resp. nego conseq. Prob.* Nam ibi D. Thomas loquitur de eo, qui operatur secundum conscientiam vincibiliter erroneam, quæ non excusat a peccato operantem ex illa.

# TRACTATUS SECUNDUS.
## DE LEGIBUS.

*Nota.* Hunc Tractatum in duas Dissertationes distribuemus, quarum prima erit de Legibus in communi; secunda de Legibus in particulari.

### DISSERTATIO I.

*De Legibus in communi.*

*Nota.* Lex quæ juxta D. Thom. (1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. *in corp.*) *a ligando dicitur, quia obligat* subditos *ad agendum*, sumitur improprie & proprie.

Lex *improprie* sumpta, est quædam *mensura seu regula, secundum quam res quælibet inducitur ad operandum, & ab operando retrahitur.* Juxta hanc Legis acceptionem omnia sive rationalia, sive irrationalia & inanimata; artes quoque etiam illicitæ suas Leges habere dicuntur; hoc sensu dicimus Leges *Grammatices*, *Militiæ*, *Mundi &c.*

Lex *proprie* sumpta est *regula externa morum*, ac proinde solis agentibus ratione præditis competit, & de hac quæritur 1. quid sit; 2. an promulgatio sit de ejus essentia; 3. an Lex prout a Legislatore fertur, in actu intellectus, vel voluntatis, formaliter consistat.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Lex.*

*Nota:* Essentiam Legis ab ejus definitione repetendam esse; ideo

*Dico*, Lex proprie sumpta definitur: *rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi subditos.* Explicatur.

Dicitur 1. *Ordinatio*, id est præceptum regulans mores; quod tenet locum generis, omnis Lex est præceptum, sed non omne præceptum est Lex; nam præceptum dividitur in commune & particulare; commune subdividitur in perpetuum, quod solum est Lex proprie, & in non perpetuum, quod non est Lex proprie, & retinet tamen præcepti, non secus ac præceptum particulare.

Dicitur 2. *Ordinatio rationis:* id est rationi consertanea & justa, secundum illud D. Aug. (*lib.* 1. *de lib. arbit. cap.* 5.) *mihi Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.*

Quæres, *Ex quibus capitibus desumi debet justitia legis?*

*Resp.* Ex tribus: 1. *ex parte objecti* Legis, quod debet esse 1. honestum vel in se, vel saltem ratione boni communis ad quod licito modo ordinatur, ut si Legislator aliquid indifferens præcipiat propter bonum commune, in quo casu quod antecedenter ad Legem erat indifferens, desumit honestatem a fine, quod sufficit ad justitiam Legis per ordinem ad objectum. 2. Debet esse moraliter possibile, præsertim in Lege humana, juxta hanc regulam Juris, *Nemo ad impossibile obligatur:* quæ regula intelligitur tum de impossibilitate physica, tum de impossibilitate morali, nisi forte in aliquo casu gravis & urgentis necessitatis, in quo propter reipublicæ conservationem, aut non mediocrem utilitatem possent juste imperari valde difficilia, sic miles obligatur ad servandam suam stationem cum periculo vitæ.

2. *Ex parte Legislatoris*, qui non debet excedere suam potestatem, quam excedit cum Leges fert pro non subditis, vel cum pro subditis plus statuit quam statuere possit.

3. *Ex parte subditorum*, inter quos debet servari proportionis æqualitas in onerum distributione, quæ debet fieri pro cujuscumque virium & facultatum proportione. Si tamen Lex de se utilis sit, & pauci plus æquo vexentur, non ideo Lex erit cassa, sed erit valida erga eos a quibus servari poterit; qui vero injuste gravabuntur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens ratione scandali & perturbationis, quæ etiam cum proprii boni dispendio vitari debent. Addo tamen caute incedendum cum agitur de arguenda Legis iniquitate, quia quæ privatis aliquibus duriora videntur, non raro gravissimis de causis statuuntur a Principibus.

*Objicies* 1. Hæc definitionis particula inducit ad seditionem; solent enim populi de Legum iniquitate conqueri; ergo ex definitione Legis est delenda tamquam publicæ tranquillitatis perturbativa.

*Resp. nego ant.* Namque 1. non ex vulgi opinione, sed ex sapientum judicio æquitas Legum pensanda est. 2. In dubio sitne Lex justa an injusta, servanda est Lex; præsumptio enim est pro legislatore, cujus, utpote possidentis jus regendi subditos, melior est conditio, nec per inferioris dubium tolli potest; alias subditis daretur nimia licentia sese a legibus eximendi, cum periculo scandali & perturbationis reipublicæ.

Obj.

*Objicies* 2. Nonnullæ Leges humanæ permittunt malum; ergo non est essentiale Legi, ut honesta præcipiat.

*Resp. dist. ant.* Permittunt malum ut malum, *nego ant.* malum ut majoris mali impeditivum, *conc. ant.* Est autem aliquando bonum & secundum rectam rationem e duobus malis indeclinabilibus illud vitare quod majus est, minus tolerando & non puniendo.

*Objicies* 3. *Cum Machiavello & aliis pseudopoliticis*: publica tranquillitas & temporalis felicitas est finis politici regiminis; atqui honestatis regulæ & religionis præcepta plerumque adversantur publicæ tranquillitati & temporali felicitati; ergo Princeps politicus hujusmodi regulis & præceptis non adstringitur.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Publica tranquillitas & temporalis felicitas est finis proximus politici regiminis, *conc. maj.* est finis ultimus, *nego maj.* Nullum enim est regimen quod ad Dei gloriam & felicitatem æternam referri non debeat, juxta illud Div. Aug. (*Lib.* 5. *de Civ. Dei cap.* 24.) *felices Imperatores eos dicimus, si justa imperant, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestatis ejus famulam faciunt.*

*Resp.* 2. *nego min.* Quis enim, nisi sit Atheus, dixerit veræ religionis præcepta, & honestatis regulas publicæ tranquillitati obesse, cum potius ad eam valde conferant, dirigendo ac coercendo improbas hominum passiones quæ eorum tranquillitatem & felicitatem temporalem funditus subvertunt?

*Inst.* Si finis politici regiminis sit cultus Dei & felicitas æterna, ipsum ab Ecclesiæ regimine non differt; falsum conseq. Ergo.

*Resp. nego sequelam maj.* Licet enim utrumque regimen ecclesiasticum & politicum habeat pro fine cultum Dei & felicitatem æternam, in hoc tamen differunt quod cultus Dei & felicitas æterna sint finis proximus ecclesiastici regiminis, cum sint tantum finis remotus & ultimus politici regiminis.

*Inst.* 1. Ecclesia, & Regnum sunt duæ respublicæ adæquate distinctæ; ergo & fines utriusque sunt adæquate distincti.

*Resp. dist. ant.* Sunt duæ respublicæ distinctæ quoad finem proximum, & immediatum, propriamque cujusque materiam, *conc.* quoad omnia, *nego.* Itaque Ecclesia, & respublica sunt solum distinctæ quoad finem proximum & immediatum, & propriam cujusque materiam, seu leges, quas respublica directe fert in materia temporali, Ecclesia in spirituali. Sed hoc non impedit, ne in eundem finem spiritualem utraque conspiret, qui quidem sit finis proximus Ecclesiasticæ potestatis, ac legis civilis. Unde licet potestas civilis, in quantum directe præceptiva, restricta sit ad propriam materiam, in propria tamen materia subditos regit in ordine ad salutem æternam, tamquam finem suum remotum.

Dicitur 3. *Ordinatur stabilis*, id est non ad tempus, sed in perpetuum duratura (*Cap. ult. de officio Legati*) donec abrogetur, vel mutatis circumstantiis noxia aut inutilis fiat; per hoc Lex differt a præcepto quod ad certum tantum tempus personæ privatæ, aut familiæ particulari imponitur, & expirat morte præcipientis *re integra*, id est nondum incepta; Lex vero etiam Legislatore mortuo perseverat, nisi a successore vel consuetudine abrogetur; hinc statuta Episcopi post mortem ejus obligare pergunt, nisi ab ejus successore revocentur.

*Objicies* 1. Lex vetus fuit vera Lex, & tamen a multis sæculis desiit; ergo Lex non est essentialiter perpetua.

*Resp. nego conseq.* Hoc enim sensu dicimus Legem debere esse perpetuam, quod obliget quamdiu est utilis, & non abrogatur; Lex autem vetus desiit esse utilis post adventum Christi, & per Legem evangelicam abrogata est.

*Objicies* 2. Accidentale est Legi quod magis minusve duret; ergo perpetuitas non est essentialis Legi.

*Resp. nego ant. Prob.* Duratio non mutat speciem; ergo.

*Resp. dist. ant.* In physicis, *conc. ant.* in moralibus, *nego ant.* Nam major duratio notabilem inducit diversitatem in moralibus, & habet effectus longe diversos, sic Censuræ, v. g. per modum statuti latæ ligant omnes in territorio existentes, etsi non sint subditi, econtra Censuræ latæ per modum præcepti ligant tantum subditos.

Dicitur 4. *Ad bonum publicum*: id est non in privatum Legislatoris, sed in totius communitatis commodum, quod est essentialiter finis Legis; nam idem debet esse finis Legis ac potestatis legislativæ; atqui potestas legislativa sive sit a Deo, sive a communitate, habet pro fine bonum commune; ergo, &c. Hinc D. Basil. (*in Proverb. Homil.* 12.) dicit, in hoc differre tyrannum a Rege, quod ille propriam, hic communem utilitatem in suo regimine quærit; per hanc particulam Lex iterum differt a præcepto, quod commodum personæ privatæ respicere potest.

*Objicies* 1. Samuel (1. *Reg.* 8.) jura Regum recensens plura enumerat quæ cedunt in commodum solius Regis, non in bonum commune; ergo non est de essentia Legis ut ad bonum commune referatur.

*Resp. nego conseq.* Nam ea quæ ibi recenset Samuel, non sunt Leges & jura legitima, sed usurpata, quæ Reges sibi arrogaturos esse populo prædicebat, ut eum a Rege poscendo deterreret.

*Objicies* 2. Si de essentia Legis sit ut feratur propter bonum publicum, sequitur non esse obtemperandum Legibus quamdiu non constiterit legislatorem commune bonum intendisse; falsum & seditiosum consequens; ergo.

*Resp. nego sequelam.* Nam *operantis* intentio non pertinet ad substantiam Legis, sed sufficit intentio *operis*, hoc est ut opus a Lege præceptum ex se ipso conducat ad bonum commune.

*Inst.* 1. Atqui sunt plurimæ Leges quæ ex se ipsis non tendunt ad bonum commune, tales sunt Leges tributorum; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam Leges tributorum tendunt ad bonum commune saltem *mediate*, cum de ratione boni communis sit ut Rex ex tributis thesauros comparet, quibus Respublica tueatur in bello, & ornetur ac conservetur in pace.

*Inst.* 2. Lex naturalis de tuenda propria vita; item Leges in gratiam minorum, clericorum, militum, &c. non tendunt ad bonum commune; ergo.

*Resp. dist. ant.* Hæ Leges non tendunt in bonum commune si spectentur ex objecto circa quod versantur, *conc. ant.* si spectentur ex motivo formali, propter quod versantur circa tale objectum, *nego antec.* Igitur objectum ejusmodi Legum est quidem bonum particularium personarum; sed motivum earum formale, est bonum commune quod per se intendunt: nam Reipublicæ plurimum interest 1. ut quilibet tueatur propriam vitam, cum ipsa non possit subsistere nisi in individuis; 2. ut pupilli, qui ob ætatis suæ infirmitatem sibi satis providere non possunt, ab injuriis quibus obnoxii forent, vendicentur; 3. ut clericis, militibus, & cæteris de Republica bene meritis, privilegia concedantur ut ad perseverandum stimulentur, & alii ad promovendum bonum commune accendantur.

*Inst.* 3. Cessante bono communi, non cessat Lex; v. g. cessantibus fraudibus quas Ecclesia clandestina matrimonia irritans, præcavere voluit; item cessante scandalo ob quod cavendum, statutum est ne Clerici in tabernis comedant extra casum peregrinationis, non desinit hujusce Legis obligatio; ergo non est de essentia Legis ut sit propter bonum commune.

*Resp. dist. ant.* Cessante bono communi respectu quorumdam non cessat Lex, *conc. ant.* cessante universaliter & respectu totius communitatis, *nego ant.* Porro licet finis Legis, nempe vitatio fraudum, scandali &c. cesset respectu quorundam particularium, nihilominus subsistit Lex respectu illorum particularium, quia rectus ordo postulat ut pars toti cohæreat, & ut privati a communi disciplina non recedant.

Dicitur 5. ***Promulgata***: id est intimata ac denunciata subditis, qui aliter non possent Legem observare.

Dicitur 6. *Ab eo qui curam communitatis habet*: id est ab eo qui in communitatem perfectam jurisdictione, & auctoritate coactiva pollet; ratio est quia Lex est essentialiter propter bonum commune; ergo non potest ferri nisi ab eo qui præest communitati perfectæ, habetque jus illam regendi, refractarios coercendi, transgressores puniendi &c. per quod iterum Lex differt a præcepto, quod a quocumque superiore particulari imponi potest.

Porro communitas duplex est, perfecta & imperfecta.

Communitas *perfecta* est ea quæ sibi sufficit ad conciliandam & conservandam pacem ac tranquillitatem publicam, ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui juris &c.

Communitas *imperfecta* est ea quæ sibi non sufficit ad prædictum finem assequendum, ut familia, parochia &c.

Dicitur 7. *Cum intentione obligandi subditos*: id est per modum præcepti, per quod Lex distinguitur a consilio, quod etsi recta sit morum regula, per se tamen non obligat.

*Re cives*: Omnes Legis proprietates essentiales contineri prædicta definitione; verum circa promulgationem controvertitur inter auctores, an scilicet sit de essentia Legis, ut eis satisfiat.

## CAPUT II.

### *An promulgatio sit de essentia Legis.*

*Nota* 1. Promulgatio est *authentica Legis notificatio eis facta, a quibus Legislator vult eam impleri.*

*Nota.* Quæstionem hic moveri de Legibus positivis; Lex enim naturalis vel promulgatione non eget, vel per ipsam sui impressionem singulis hominum mentibus per modum habitus factam, satis promulgata esse intelligitur.

*Nota* 3. Quæstionem non esse de Lege *in actu* 1. prout aptitudinem habet ad obligandum, sed de Lege *in actu* 2. prout reipsa & de facto obligat.

*Nota* 4. In qualibet scholæ opinione promulgatio necessaria est ad hoc ut Lex obliget; nam Legislator nec potest, nec vult obligare nisi post debitam voluntatis suæ manifestationem; sed controversia est de modo quo promulgatio est necessaria ad Legem, an per modum partis essentialis, an per modum conditionis, sine qua Lex non obligaret. His notatis

*Dico, Promulgatio est complementum essentiale Legis, prout actu & de facto obligantis.*

*Prob.* Voluntas Legislatoris non habet completam rationem Legis nisi accedente promulgatione; ergo promulgatio est complementum essentiale legis.

*Prob. ant.* Tum quia voluntas illa nullam habet efficaciam donec accedat promulgatio; tum quia per promulgationem constituitur formaliter in esse regulæ, cui subditus se conformare debet, juxta illud Div. August. (*apud Gratianum distinct.* 4. *cap.* 3.) *Leges instituuntur cum promulgantur.*

*Objicies* 1. Quod supponit Legem jam in suo esse formali constitutam, non est de essentia Legis; atqui promulgatio supponit Legem jam in suo esse constitutam.

*Resp. nego min. Prob.* Lex est regula, promulgatio vero est regulæ applicatio; atqui applicatio regulæ non est de essentia regulæ; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Promulgatio est applicatio regulæ sumptæ incomplete, *conc. major.* sumptæ complete, *nego maj.* Atqui applicatio regulæ non est de essentia regulæ sumptæ incomplete, *conc. min.* sumptæ complete, *nego min.* Itaque Lex & regula incomplete sumpta est voluntas interna Legislatoris. Lex vero complete sumpta est eadem voluntas rite significata & applicata per promulgationem, & ideo promulgatio est complementum essentiale legis complete sumptæ.

*Inst.* Promulgatio est tantum signum legis; ergo non est pars essentialis Legis.

*Resp. dist. ant.* Est signum Legis sumptæ incomplete, *conc. ant.* sumptæ complete, *nego ant. & conseq.* Responsio patet ex superiori argumento.

*Objicies* 2. Lex obligat non solum eos quibus jam innotuit, sed & eos quibus est incognita; (ut patet in Legibus irritantibus contractus, quæ producunt effectum in iis qui nullam Legis notitiam habuerunt;) ergo promulgatio non est necessaria ut Lex obliget.

*Resp. nego conseq.* Aliud est enim Legis divulgatio

gatio, aliud promulgatio, ut notant Salmaticenses (*cap.* 1. *num.* 74.): ad divulgationem requiritur ut Lex cuilibet subdito in particulari innotescat; ad promulgationem vero satis est, si Lex communiter promulgata fuerit, ita ut cuilibet particulari facile innotescere possit. Porro ad valorem Legis non requiritur divulgatio, sed sufficit promulgatio, qua posita omnes Lege constringuntur sive qui eam norunt, sive qui eam ignorant invincibiliter, licet contra eam agentes non peccent formaliter propter ignorantiam invincibilem qua supponuntur laborare, & quæ eos excusat a peccato, sed non eos reddit habiles ad actus, ad quos per Legem sunt inhabiles facti.

Quæres 1. *An Lex prioris Legis revocatoria debeat promulgari?*

*Nota.* Lex alia est favorabilis, alia odiosa.

Lex *favorabilis* est ea quæ est præter jus commune, & nulli affert præjudicium, v. g. privilegium audiendi Missam tempore interdicti.

Lex *odiosa* est ea quæ juri communi adversatur, aut alteri nocet, tale est privilegium habendi plura beneficia. Itaque

*Resp.* Lex revocatoria prioris Legis debet promulgari, nisi Lex prior fuerit odiosa. Ratio est quia Lex revocatoria est vera Lex habens vim regulandi & obligandi subditos; atqui vera Lex debet promulgari; ergo.

Dixi: *Nisi Lex prior fuerit odiosa*: quia Lex revocatoria Legis odiosæ, est favorabilis; atqui ex Juris axiomate: *in favorabilibus necessaria non est promulgatio*: ergo.

*Resolves* 1. Promulgationem non requiri in privilegii odiosi revocatione, cum talis revocatio sit favorabilis; bene vero in revocatione privilegii favorabilis, cum talis revocatio sit odiosa; odiosum enim videtur alicui subtrahere beneficium quod nulli nocet.

*Resolves* 2. Plurimas facultates quæ in Concilio Tridentino Episcopis largiuntur, esse ubique terrarum validas, licet in singulis provinciis Concilium non sit promulgatum; quia subtractio harum facultatum quæ jure communi Episcopis competunt, ipsis erat oneri.

Quæres 2. *Quomodo Leges promulgentur?*

*Resp.* Leges diversimode promulgari juxta Legum diversitatem, namque

1. Lex divina promulgatur totidem modis, quot Deus voluntatem suam nobis potest manifestare, quod fit tripliciter: 1. *per internam revelationem*; sic Spiritus Jesu segregari jussit Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumpserat eos. 2. *Per externam locutionem absque solemnitate*: sic Christus mandata sua tradidit Apostolis. 3. *Per externam locutionem cum solemnitate*; sic Lex mosaica in monte Sinai. (*Exod.* 18. *v.* 20.), & Lex evangelica in die Pentecostes (*Act.* 2. *v.* 2. & 5.) nobis promulgata est.

2. Lex humana debet solemniter promulgari, ut vim obligandi obtineat. Unde licet omnes subditi certo scirent Legem esse conditam, imo & sigillo publico munitam, ad eam tamen non tenerentur, donec ritu solemni, juxta morem patriæ, promulgaretur.

Quæres *cur Lex humana solemnitatem promulgationis requirat, non vero divina?*

*Resp.* Ratio est quia Legislator humanus duplicem sustinet personam; unam privatam, qua par est aliis hominibus; aliam publicam, qua superior est aliis, & secundum quam solam Leges condendi auctoritate pollet; ut ergo constet certo quod ex publica potestate velit obligare subditos, debet id per aliquam publicam cæremoniam testari; econtra Deus cum summam atque independentem in nos potestatem habeat, sufficit quod de ejus voluntate constet, ut ad eam implendam districte adstringamur.

## CAPUT III.

*An Lex prout in Legislatore spectatur, in actu intellectus vel voluntatis formaliter consistat.*

*Nota.* In superiore legem ferente duo sunt actus:

1. Est actus intellectus, seu judicium dictans Legislatori, conducere ad bonum commune, ut hoc vel illud præcipiat, aut vetet subditis. 2. Est actus voluntatis quo Legislator pro jure suo vult, statuit, ac præcipit aliquid fieri vel omitti a subditis. Circa quod quæritur, in quo actu proprie sita sit Legis essentia.

*Dico*, *Lex præsuppositive consistit in actu intellectus*, & *farmaliter in actu voluntatis.*

*Prob.* 1. *pars.* In illo actu Lex præsuppositive consistit, qui prævie requiritur ex parte Legislatoris; atqui actus intellectus prævie requiritur ex parte Legislatoris: debet enim Legislator varia media & eorum cum fine proportionem cognoscere; ergo in actu intellectus Lex præsuppositive consistit.

*Prob.* 2. *pars.* 1. Ex Scriptura, ubi Lex divina sæpe dicitur voluntas Dei: sic Ps. 39. *In capite Libri scriptum est*, *ut facerem voluntatem tuam:* id est Legem, ut ex his verbis immediate sequentibus manifestum est: *Deus meus volui*, & *legem tuam in medio cordis mei.* Et Ps. 102. *Notas fecit vias suas Moysi*, & *filiis Israel voluntates suas:* id est Leges & Præcepta.

*Prob.* 2. Lex consistit essentialiter in eo actu, per quem Legislator subditos ad agendum vel omittendum aliquid, obligat; atqui per solum actum voluntatis obligat subditos; ergo, &c. *Prob. min.* Eatenus Legislator subditos obligat, quatenus imperat, præcipit, & vult aliquid fieri vel vitari, non quatenus judicat melius esse ad commune bonum ut hoc fiat, quam istud, alias Lex non differret a consilio; atqui imperium, præceptum, volitio, actum voluntatis evidenter arguunt: ergo Legislator per solum actum voluntatis obligat subditos: unde Princeps dum Leges fert, his utitur verbis: *sic volo*, *sic jubeo*, &c.

*Objicies* 1. Lex in Scriptura sæpe vocatur, *Lumen*, *Lux*, *Lucerna illuminans oculos:* atqui hæc soli intellectui conveniunt. Ergo.

*Resp. dist. maj.* Lex est *Lux*, *Lucerna* &c. si consideretur relative ad hominem cui imponitur, *conc. maj.* per legem enim quisque intelligit quid faciendum sit, aut omittendum: si consideretur prout est actus Legislatoris eam sancientis, *subdist.* est lumen præsuppositive, *conc. maj.* est lumen

lumen formaliter, *nego maj.* & sic distincto consequente, *nego conseq.*

*Inst.* 1. Atqui Lex prout est actus Legislatoris, est actus formaliter; ergo.

*Prob. subsumpt.* Lex definitur, *ordinatio rationis*; atqui ordinatio rationis, est, actus intellectus, non voluntatis; ergo Lex est formaliter actus intellectus.

*Resp. nego min.* Nam illa definitionis particula, *ordinatio rationis*, importat actum voluntatis formaliter, & actum intellectus præsuppositive, ita ut tò *ordinatio* significet formaliter actum voluntatis statuentis & imperantis, & ideo ponitur *in recto*: & tò *rationis* significet actum intellectus prærequisitum ad hoc ut voluntas recte ordinet & imperet, & ideo ponitur *in obliquo*, habetque rationem connotati. Unde apparet Legem ne partialiter quidem consistere in actu intellectus.

*Inst.* 2. Lex est essentialiter regula agendorum & vitandorum; sed regula est actus solus intellectus: ergo.

*Resp. nego min.* Regula enim non minus est actus voluntatis quam intellectus, nam subditus in tantum regulatur & dirigitur, in quantum vult & facit quod superior vult fieri; sicut ergo voluntas divina est regula voluntatis creaturarum, ut docet D. Thom. (1. 2. *q.* 19. *art.* 9. *in fine corp.*) dicens: *ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinæ.* Ita voluntas recta aliorum Legislatorum est regula secunda participata a prima, cui proinde subditi tenentur se conformare.

*Inst.* 3. Lex est idea, cui actus nostri conformes esse debent; sed idea est actus intellectus, non voluntatis: ergo.

*Resp. dist. maj.* Lex in mente subditorum est idea, *conc. maj.* Lex ex parte Legislatoris, *subdist.* est idea præsuppositive quatenus in Legislatore præsupponitur mentis actus quo concipit aliquid bono communitatis congruere, *conc.* formaliter, quatenus id quod conveniens esse concepit, observari mandat, *nego maj.* Sic enim est imperium, sed voluntatis est imperare.

*Objicies* 2. Lex naturalis non est actus voluntatis; ergo.

*Resp.* 1. *transeat ant. nego conseq.* Neque enim hic agimus de regulis internis actuum humanorum, prout est Lex naturalis; sed de externis, Lege scilicet positiva divina, & humana.

*Resp.* 2. *dist. ant.* Lex naturalis non est actus voluntatis prout est in homine, *conc. ant.* sic enim potius est natura ipsa rationalis quam actus voluntatis aut intellectus; Lex naturalis prout est in Deo Legislatore, qui mandat ut huic Legi menti nostræ inditæ nos conformemus, *nego ant.* Unde dici *transeat.*

## DISSERTATIO II.

### *De legibus in particulari.*

*Nota.* Cum Lex communiter dividatur in Legem æternam, naturalem, positivam divinam, & positivam humanam, hanc dissertationem in totidem capita distribuemus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Lege æterna.*

*Nota.* De Lege æterna multa hic congerunt Theologi non minus obscura quam ad praxim inutilia, unde pauca de ipsa variis quæstiunculis elucidabimus. Itaque

Quæres 1. *Quid sit Lex æterna?*

*Resp.* Recte definitur a Divo August. (*Lib.* 22. *contra Faust. cap.* 27.) *Ratio divina, vel voluntas ordinem naturalem servari jubens, & perturbari vetans.*

Dicitur 1. *Ratio divina*: id est in mente divina existens, per quod differt a Lege naturali quæ menti humanæ est insita, quæ consequenter Legi æternæ superaddit promulgationem per lumen naturale factam.

Dicitur 2. *Vel voluntas*: per quod differt ab ideis divinis, quæ ad intellectum pertinent: Lex æterna vero pertinet formaliter ad voluntatem; ratio diversitatis est quod ideæ versantur circa res repræsentandas: Lex vero æterna circa easdem ut gubernandas.

Dicitur 3. *Ordinem naturalem servari jubens &c.* id est ordinem generalem ad quem res sunt institutæ, v. g. quod ignis sursum, lapis deorsum inclinetur, unde versatur circa bonum universi, per quod differt a providentia quæ versatur circa bonum singulare uniuscujusque creaturæ, quam ad finem sibi proprium ordinat juxta dictamen Legis æternæ; proindeque Lex æterna est veluti regula providentiæ.

Quæres 2. *An omnia subjiciantur Legi æternæ?*

*Resp.* Omnes motus & operationes creaturarum sive rationalium, sive irrationalium subjiciuntur Legi æternæ, sed diverso modo.

*Prob. de actibus & motibus irrationalium.* Illa Legi æternæ subjiciuntur, quæ fiunt ex instinctu & naturali inclinatione a Deo creaturis irrationalibus impressæ, & ad fines sibi convenientes feruntur; atqui taliter fiunt actus & motiones creaturarum irrationalium; ergo. Unde Psalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus*, id est voluntatem.

*Prob. De actionibus creaturarum rationalium*: actiones rationalium vel sunt bonæ vel malæ; si sint bonæ, fiunt ex Dei directione & motu; si sint malæ, ab æterna Lege prohibentur, permittuntur tamen, ut in pœnis quibus postea patiendæ sunt, justum Dei judicium elucescat, ait D. Aug. (*Lib.* 3. *Confess. cap.* 2.); ergo subjiciuntur Legi æternæ.

Dixi 1. *Creaturarum*: quia nec natura, nec voluntas divina Legi æternæ subjiciuntur, nam inter eas & Legem æternam est perfecta identitas, nihil autem sibi ipsi potest subjici; ergo.

Dixi 2. *Licet diverso modo*: quia creaturæ rationales subjiciuntur Legi æternæ, ut præcipienti & obliganti, irrationales vero illi subjiciuntur tantum ut ordinanti & moventi illas ad fines suos, non vero ut præcipienti, quia non sunt capaces præcepti & obedientiæ, ex quo constat Legem æter-

æternam non habere rationem Legis proprie dictæ respectu creaturarum irrationalium; sed

Quæres 3. *An Lex æterna sit Lex proprie dicta respectu creaturarum rationalium?*

*Resp.* Etiam respectu earum non fuit Lex proprie & complete donec transiit in Legem naturalem; ratio est quia ipsi deerat promulgatio, quam ostendimus esse complementum essentiale Legis.

Quæres 4. *An omnes Leges a Lege æterna deriventur?*

*Resp. affirm. & Prob.* Ex Prov. 8. ubi de Lege æterna dicitur: *Per me Reges regnant*: id est accipiunt potestatem Leges condendi; *& Legum conditores justa decernunt*; id est in tantum justa præcipiunt, in quantum Legi meæ sese conformant.

Ratio est, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus secunda moventis derivatur a primo; atqui Lex æterna ratio gubernationis in supremo gubernante: ergo necesse est quod omnes rationes gubernationis quæ sunt inferioribus gubernantibus, a Lege æterna deriventur.

Quæres 1. *Quomodo Leges ab æterna derivantur?*

*Resp.* Derivantur diversimode, nam Lex divina ab æterna immediate profluit; Lex naturalis mediante lumine rationis; Lex humana vero mediante potestate Principibus communicata vel ab ipso Deo immediate, vel mediante Reipublicæ consensu.

*Dices* 1. Lex æterna non est causa exemplaris aliarum Legum; ergo aliæ Leges non derivantur ab illa.

*Resp. nego ant. Prob.* Legislatores inferiores non possunt Legem æternam intueri; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam intuentur Legem æternam nisi lumine naturali; Deus enim impressit hominum mentibus non obscura Legis æternæ vestigia; sic per lumen naturale cognoscimus Legem æternam statuentem v. g. *Deum esse colendum*, *nemini faciendam esse injuriam.*

*Dices.* 2. Lex humana non derivatur a Lege æterna; ergo non omnis Lex derivatur ab æterna.

*Resp. nego ant. Prob.* Si Lex humana derivaretur ab æterna, obligaret jure divino; atqui falsum consequens.

*Resp. nego sequel. maj.* Eæ enim solum Leges jure divino obligant, quas Deus per se & immediate tulit; eæ vero, quas homines per potestatem a Deo acceptam ferunt, obligant solum jure humano, licet *mediate* obligent ex parte Dei propter potestatem ab ipso Legislatoribus inferioribus traditam.

*Inst.* Leges humanæ sunt mutabiles, ergo non derivantur a Lege immutabili.

*Resp. nego conseq.* Imo Lex æterna præcipit ut Leges humanæ sint mutabiles pro variis temporum, locorum & personarum circumstantiis.

*Nota.* Ex D. Aug. (*Lib. de vera relig. cap.* 13.) nomine Legis æternæ intelligi veritatem incommutabilem, quare hæc vox, *æterna*, non tam durationem Legis quam ejus necessitatem & immobilitatem ex usu significat; & ideo quamvis divinæ voluntatis decretum, in quo Lex divina positiva consistit, extiterit ab æterno, non propterea Lex illa dicitur *æterna.*

## CAPUT II.

### *De Lege naturali.*

*Nota.* Dari aliquam Legem naturalem constat ex Apost. (*Roman.* 2.) dicente: *Gentes quæ Legem*, scriptam, *non habent*, *naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt*, id est ea quæ Lex Scripta præscribit.

De hac Lege quærimus 1. Quid sit; 2. Quodnam sit ejus objectum; 3. An possit pati mutationem aut interpretationem; 4. An possit admittere dispensationem.

## QUÆSTIO I.

### *Quid sit Lex naturalis?*

Quæres 1. *Quid sit Lex naturalis?*

*Resp.* Definitur a D. Thoma 1. 2. q. 91. art. 2. *Participatio legis æternæ in rationali creatura dictans & præscribens*, *illud esse agendum*, *quod est intrinsece bonum*, *& per se necessarium ad finem naturæ rationali*, *& illud fugiendum*, *quod est intrinsece malum.*

Dicitur 1. *Participatio legis æternæ*: quia illius est fulgor, & radius, per quod convenit omnibus legibus positivis: omnes enim, si justæ sint, ab æterna derivantur

Dicitur 2. *In rationali creatura*: quia ipsi ab Auctore naturæ imprimitur; per quod differt a legibus positivis, quarum nullum vestigium in cordibus nostris reperitur, sed sunt prorsus extrinsecæ, ut Lex Missam audiendi.

Dicitur 3. *Dictans*, per lumen naturale, a quo promulgatur.

Dicitur 4. *Et præscribens*, *illud esse agendum quod est intrinsece bonum &c.* Quia, quæ per legem naturalem præcipiuntur, vel prohibentur, non sunt bona quia præcepta, & mala quia prohibita: sed econtra sunt præcepta, quia bona: & prohibita, quia mala sunt, & naturæ rationali indecentia. Hinc lex naturalis supponit in objecto honestatem, quam præcipit: & malitiam, quam prohibet, ad differentiam legis positivæ, quæ necessario non supponit, sed inducit in objectum bonitatem, aut malitiam.

Dicitur 5. *Et per se necessarium ad finem naturæ rationalis.* Quia licet id omne, quod præcipit Lex naturalis, sit honestum, tamen non præcipit id omne, quod est honestum, sed illud solum, cujus omissio dedecet naturam rationalem; & idcirco necessarium est, ut hominis vita naturæ rationali conformetur: sunt enim quædam honesta, quæ sine vitio & naturæ rationalis dedecore possunt omitti, qualia sunt ea, quæ sunt consilii, non præcepti.

Quæres 2. *Utrum sit aliquod discrimen inter legem naturalem*, *synderesim*, *& conscientiam?*

*Resp. affirmative:* Nam *lex naturalis* est ipsa ordinatio divinæ voluntatis nobis impressa: Synderesis vero est habitualis cognitio, & conservatio illius ordinationis: & *Conscientia* ejusdem ordinationis applicatio actualis alicui particulari hic & nunc agibili. Porro cum hæc discrimina sint satis

satis metaphysica, non impediunt, quominus lex naturæ, synderesis, & conscientia sæpe confundantur a Theologis.

Quæres 3. *In quo lex naturalis differt a jure gentium?*

*Resp.* In hoc differt, quod *lex naturalis* sit omnibus hominibus innata: *jus vero gentium sit communi gentium consensu, & usu introductum.* Ex quo apparet, jus gentium ad jus positivum esse reducendum, non vero ad jus naturale; licet etiam ad illud natura vehementer inclinet, est tamen præter jus naturale, v. g. secundum jus naturale possunt dividi agri, quos natura exposuit in communi; econtra jus gentium statuit, ut de facto dividantur ad vitandam negligentiam in colendis agris, ac reipublicæ perturbationem. Item jus naturale permittit, ut inter homines sint libera commercia: jus gentium vero id statuit, ita ut illorum impeditio sit violatio juris gentium, & signum inimicitiæ.

## QUÆSTIO II.

*Quodnam sit objectum Juris naturalis?*

Quæres 1. *Quænam pertineant ad Legem naturæ?*

*Resp.* Ad Legem naturæ pertinent omnia præcepta ad quæ ex natura rei obligamur, & independenter a quacumque lege positiva, talia sunt:

1. Universalissima principia practica cuilibet naturaliter nota, qualia sunt ista: *bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quæ non tam dicenda sunt præcepta, quam præceptorum omnium principia.

2. Ea præcepta, quæ ex primis principiis per facilem & evidentem discursum deducuntur; sic ex hoc principio, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: ista concluduntur, *ergo non est occidendum, non est furandum*, & cætera præcepta decalogi, excepto 3. de Sabbati sanctificatione, quod licet sit Legis naturalis quatenus cultum Dei præcipit, est tamen Legis divinæ positivæ, quatenus ad talem cultum determinat certum diem potius quam alterum.

3. Ea præcepta ex primis principiis non nisi difficili, nec statim obvio discursu deducuntur, quemadmodo ex hoc principio, *quod tibi fieri non vis &c.* concluditur; *ergo ne divitibus quidem danda est pecunia ad usuram.*

*Dices*: Conclusiones remotæ a primis principiis non pertinent ad Legem naturæ; ergo.

*Resp. nego ant. Prob.* Quod non est omnibus notum, non pertinet ad Legem naturæ; atqui conclusiones a primis principiis remotæ non sunt omnibus notæ; ergo.

*Resp. nego maj.* Neque enim necesse est præcepta Legis naturæ esse omnibus nota, sed sufficit ut tam necessaria habeant cum primis principiis connexionem, ut independenter ab omni Lege positiva, & ex natura rei vera sint, sive interim eorum veritas facile aut difficile cognoscatur.

*Prob. maj.* Quod non est ingenitum, non pertinet ad Legem naturæ; sed quod non est omnibus notum, non est ingenitum: ergo quod non est omnibus notum, non pertinet ad Legem naturæ.

*Resp. dist. maj.* Quod nullo modo est ingenitum, *conced. maj.* quod non est ingenitum formaliter & in se, sed est ingenitum radicaliter, *nego maj.* Atqui quod non est omnibus notum, non est ingenitum, formaliter & in se, *conc. min.* radicaliter, *nego min.* Porro cognitio præceptorum naturalium est ingenita in primis principiis, quatenus per vim quamdam nobis a natura inditam a primorum principiorum cognitione, ad conclusionum ex iis dimanantium notitiam, assurgimus. Ex qua responsione

*Colliges*, Legem naturalem esse in se simpliciter unam; quia licet præcepta Legis naturæ sint plura, omnia tamen radicaliter continentur in primo illo & universalissimo principio, *bonum est faciendum, & malum fugiendum*; quod est unum; unde ab unitate radicis ac primi principii Lex ipsa naturalis simpliciter dicitur una.

Quæres 2. *An Actus virtutum moralium pertineant ad Legem naturæ?*

*Resp. affirm.* Si spectentur secundum rationem genericam qua sunt virtuosi; *negative* vero, si spectentur secundum proprias suas species. Ita Div. Thomas (2. 2. *q.* 94. *art.* 3.).

*Prob. & declaratur* responsio hoc exemplo: actus temperantiæ v. g. secundum suam rationem genericam, talis est ut ad eum natura inclinet, sicque ad Legem naturæ dicitur pertinere; quod autem per abstinentiam a carnibus, & per jejunium quadragesimale debeat exerceri, hoc non est a lege naturali sed positiva, pendet enim ex voluntate & præcepto Ecclesiæ; ergo.

*Dices*: Omnia peccata non sunt contra naturam; ergo nec omnes actus virtutum moralium ad Legem naturæ pertinent.

*Resp. dist. ant.* Non sunt contra naturam animalem, seu omnibus animalibus communem, *conc.* contra naturam rationalem, seu contra rationem quæ est natura hominis, *nego ant.* Porro licet nefanda carnis peccata, ut sodomia, bestialitas, mollities, dicantur per antonomasiam, peccata contra naturam, quia contra inclinationem naturalem omnibus animalibus insitam, pugnant; tamen omnia peccata sunt contra naturam hominis, quia omnia contrariantur rationi, quæ est natura hominis.

Quæres 3. *An pertineat ad Legem naturalem ut actus virtutis fiat ex motivo honesto & virtuoso?*

*Resp. affirm.* Cum D. Thom. (2. 2. *q.* 94. *art.* 3.). Ratio est quia Lex naturalis præcipit ut hominis actus sint semper rectæ rationi consentanei; atqui actus virtutum facti ex motivo pravo non sunt rectæ rationi consentanei, cum recta ratio dictet eum solum actum esse bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas; ergo pertinet ad Legem naturæ ut actus virtutum fiant ex fine honesto.

*Dices*: Potest quis restituere debitum ex malo fine, facere eleemosynam ob vanam gloriam, &c. & tamen servavit reipsa præceptum restitutionis, & eleemosynæ: ergo Lex naturalis non obligat ut restitutio & eleemosyna fiant ex motivo honesto.

*Resp. dist. conseq.* Lex naturalis particularis de restitutione & eleemosyna, non obligat, etc. *conc.* intendit enim duntaxat honestatem propriam sui motivi formalis, sic præceptum de eleemosyna intendit

tendit sublevationem pauperis. Lex naturalis generalis obligat ad semper agendum conformiter rectæ rationi, id est ad facienda bona bene; *nego conseq.*

## QUÆSTIO III.

*An lex naturalis possit pati mutationem aut interpretationem?*

*Dico* 1. Lex *naturalis non potest mutari proprie, sed solum improprie.*

*Prob.* 1. *pars:* Legem mutari proprie, est Legem desinere vel *per se ipsam*, vel per *abrogationem, derogationem & irritationem:* atqui Lex naturalis neutro modo potest desinere; ergo. Nam

1. Non potest desinere per se ipsam. Lex enim desinit per se ipsam 1. cum lata est pro certo tantum tempore; 2. cum de justa fit injusta; atqui Lex naturalis nec est lata pro certo tantum tempore, sed in perpetuum; nec potest de justa fieri injusta, cum nihil præcipiat quod non sit intrinsece & ex natura rei bonum, nihilque prohibeat quod non sit intrinsece malum; ergo non potest desinere per se ipsam.

2. Non potest desinere *per abrogationem, &c.* nam Deus non potest abrogare, irritare Legem æternam, cum sit indefectibilis, & tam necessaria quam ipse Deus cui identificatur; ergo nec potest abrogare Legem naturalem, quæ nil est aliud quam Legis æternæ fulgor & radius, eadem præscribens & vetans, quæ Lege æterna vetantur & præcipiuntur.

*Prob.* 2. *pars.* Mutatio improprie dicta fit 1. *per additionem*, cum nempe Legi nova Lex superadditur; 2. *per substractionem materiæ*; cum nempe id quod erat materia Legis naturæ, desinit esse ejusdem Legis materia ob quamdam circumstantiam advenientem; atqui Lex naturalis potest mutari 1. *per additionem*, quia de facto multa præcepta illi addita sunt per Leges positivas divinam & humanam: 2. *per materiæ substractionem*, quia materia Legis naturalis interdum mutari potest maxime in iis quæ pendent a supremo Dei dominio, & a libera hominum voluntate: sic v. g. alienum retinere invito domino, est materia Legis naturalis prohibentis, per legitimam præscriptionem desinit esse materia illius Legis, quia desinit esse alienum, proindeque potest invito domino retineri.

*Dices contra primam partem*: Lex naturalis in multis fuit mutata; ergo.

*Resp. nego ant. Prob.* Jure naturali homo erat liber, omnia erant communia, & tamen jure gentium est producta bonorum divisio, & servitus; item jure naturæ valebat matrimonium solo consensu contrahentium, ac testamentum sola donatione testatoris sine solemnitatibus, & tamen Lex humana ista irritat; ergo Lex naturalis in multis fuit mutata.

*Resp. dist. ant.* Prædicta sunt de jure naturali permissivo, *conc. antec.* præceptivo, *nego ant.* Id est jus naturale permittit quidem ut homo sit liber, ut bona sint communia, ut matrimonium clandestinum & testamentum sine solemnitatibus, valeant; non tamen præcipit ut hæc ita se habeant, adeoque non prohibet quin oppositum possit statui ubi id exigit bonum commune, cumque statuitur, Lex naturalis non mutatur proprie, sed tantum improprie *per additionem.*

*Dico* 2. *Simplex interpretatio locum habet in Lege naturali, non vero epikeja, idem dic de Lege divina positiva.*

*Prob.* 1. *pars.* Interpretatio simplex, est simplex Legis terminorum expositio: atqui Legis naturalis termini quandoque exponi debent: sic hoc præceptum, *non occides*, exponi debet de occisione facta *auctoritate privata*, vel *extra casum justæ defensionis*, cum hi casus in universalitate Legis naturalis non comprehendantur; ergo.

*Prob.* 2. *pars.* Epikeja est benigna & rationabilis declaratio qua decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi Lege quamvis per verba generalia lata; ergo epikeja locum non habet in Lege, quæ non fertur per verba generalia, sed excipit omnes casus excipiendos; atqui Lex naturalis non est lata per verba generalia, & excipit omnes casus excipiendos; est enim ordinatio divina quæ præcipit omnia & singula quæ sunt rectæ rationi consentanea, & prohibet quæ ipsi sunt dissentanea; ergo epikeja locum non habet in Lege naturali.

## QUÆSTIO VI.

*An lex naturalis possit admittere dispensationem?*

*Nota* 1. Hic non quæritur, utrum homo a præceptis Legis naturalis dispensare possit: certum est enim, inferiorem non posse dispensare in Lege superioris.

2. Non quæritur utrum Deus possit improprie dispensare ab iis Legis naturæ præceptis, quorum materia pendet ab ejus dominio: certum est enim quod possit materiæ Legis apponere vel tollere circumstantias quasdam, quibus positis aut sublatis actiones jam non sunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ, sed

Quæstio est utrum Deus pro suo absoluto in omnia dominio possit aliquem ab obligatione Legis naturalis eximere in casu in quo manentibus iisdem circumstantiis, & eadem materia, Lex alioqui vigeret, & de facto eos omnes obligat qui in iisdem sunt circumstantiis; circa quod

*Dico: Deus in nullo Legis naturalis præcepto potest proprie et directe dispensare.*

*Prob.* Dispensare proprie in Lege naturæ, est facere ut persona aliqua non teneatur servare Legem naturalem, in iisdem circumstantiis, in quibus eam servandi obligatio incumbebat; atqui Deus eo modo nequit Legis naturalis obligationem tollere, ita ut v. g. alicui licitum sit propria auctoritate hostem occidere, bona aliena quandiu sunt aliena, invito rationabiliter domino, surripere & retinere; ergo.

*Prob. min.* Deus non potest facere, ut quod est intrinsece contra rectam rationem, sit honestum & licitum; atqui propria auctoritate hominem occidere, bona aliena furari &c. est intrinsece contra rectam rationem; ergo Deus non potest facere ut sit honestum & licitum, cum non possit mutare naturas rerum; ergo non potest illud permittere.

*Objicies* 1. Lex naturalis vetat innocentis occisionem, furtum, fornicationem, poligamiam, dissolutionem matrimonii, usuram, mendacium, matrimonium fratris cum sorore; atqui in his omnibus Deus dispensavit; nam

1. Dispensavit cum Abrahamo, ut ei liceret filium occidere.
2. Cum Israelitis, ut Ægyptiorum vasa aurea furarentur.
3. Cum Osea, ut fornicarie ad meretricem accederet.
4. Cum veteribus Patriarchis, ut plures haberent uxores.
5. Cum Judæis, ut secundas inirent nuptias.
6. Cum iisdem, ut ab alienis sumerent usuras.
7. Cum obstetricibus Ægyptiacis, ut mentirentur.
8. Cum primis hominibus, ut proprias sorores in uxores ducerent. Ergo.

*Resp. dist. min.* Dispensavit improprie substracta Legis materia, *conc. min.* proprie manente Legis materia, *nego min.* & distincto consequente, *nego conseq.* Ad facta allata respondeo.

*Ad* 1. Deum ut supremum vitæ & necis Dominum, prius dedisse Abrahamo jus in vitam filii, quam illi præceptum de interimendo filio imponeret, & sic substracta est materia Legis naturalis, qua ea solum vetatur homicidii species quæ fit auctoritate privata.

*Ad* 2. *dico*, Deum ut supremum rerum omnium Dominum, transtulisse in Israelitas dominium eorum quæ abstulerunt ab Ægypto, unde quod rapuerunt, non erat alienum, sed suum, sive titulo *donationis divinæ*, sive titulo *mercedis*, continuis quibus oppressi fuerant laboribus, *debitæ*, nec hactenus redditæ ab Ægyptiis.

*Ad* 3. *dico*, Deum non concessisse Oseæ ut accederet ad mulierem ante matrimonium initum, sed præcepisse ut eam quæ prius fornicaria fuerat, uxorem duceret, & ad eam affectu maritali accederet, in quo nihil est alienum a jure naturali.

*Nec obstat*, Quod Deus dixerit Oseæ, *fac tibi filios fornicationum*; est enim Hebraismus, quo designantur filii progeniti ex matre, quæ antea tota fuerat fornicationibus dedita, quomodo Exodi 7. virga Moysis in serpentem conversa, nihilominus vocatur virga.

*Ad* 4. *dico*, Deum permisisse veteribus Patriarchis plures habere uxores in quantum dominium corporis ab una uxore in plures divisit, & sic fuit tantum mutatio materiæ, non autem proprie dicta dispensatio a Lege naturali, quæ non prohibet matrimonium unius cum pluribus, quando Deus disponit de iure matrimonii in bonum universi, & impedit incommoda quæ ex uxorum pluralitate sequi possent.

*Ad* 5. Deum non permisisse Judæis ut secundas inirent nuptias, nisi post irritum vinculum prioris matrimonii, quod non est amplius contrarium juri naturali.

*Ad* 6. *dico*, Non concessisse Judæis ut ab omnibus alienis acciperent usuras, sed ab illis quibuscum justum bellum gerebant, quibus non fortunas modo, sed & vitam eripere potuissent; unde quod exigebant, erat suum jure belli, non alienum.

*Ad* 7. *dico*, Deum cum obstetricibus non dispensasse in mendacio, easque vere peccasse mentiendo; neque Deum eas remunerasse propter mendacium, sed propter bonam intentionem qua volebant prodesse Hæbreis mulieribus, licet medium esset vitiosum.

*Ad* 8. *dico*, Matrimonium fratrum cum sorore inter filios Adami non fuisse prohibitum iure naturæ *compellente necessitate* (*ut ait D. Aug. l.* 15. *de Civit. cap.* 16.) propagandi genus humanum; cum enim unicus mas & femina unica a Deo conditi fuissent, necesse fuit, ut sorores fratribus commiscerentur.

*Inst.* Quando proprie dispensatur a Lege aliqua, fit necessario mutatio materiæ; ergo ex eo quod materia mutetur, non sequitur quod dispensatio sit impropria.

*Resp. nego ant.* Nam in Lege positiva dispensatio fit sine mutatione materiæ; sed manente eadem materia, Legislator pure & simpliciter restringit Legem eadem potestate qua eam tulit, & unice personam subditi subducit obligationi Legis, ita ut Legislator utendo potestate sua, rebus iisdem manentibus faciat id licere quod antea non licebat; Deus autem in allatis casibus non usus est potestate Legislatoris, sed supremi Domini qui potest dominia mutare & transferre; unde fit ut quando materia præcepti talis est ut ejus honestas vel turpitudo non pendeat a supremo Dei dominio, non possit Deus nequidem improprie dispensare, ut patet in odio Dei, idololatria & mendacio.

*Objicies* 2. Votum & juramentum sunt juris naturalis; atqui Deus per summum Pontificem in iis dispensat proprie; ergo.

*Resp. nego min.* Dispensat enim tantum improprie votum & juramentum relaxando & tollendo, qua relaxatione facta tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promisso.

*Nota.* An dari possit ignorantia juris naturalis, diximus in Tractatu de Actibus humanis.

## CAPUT III.

### *De Lege positiva divina.*

*Nota.* Lex divina dividitur in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam, de quibus sit.

## QUÆSTIO I.

### *De Legi veteri, seu Mosaica.*

*Nota.* Per Legem veterem stricte intelligimus, eam quæ populo Israelitico data est & per Moysen in Pentateucho promulgata; late vero intelligimus totam scripturam veteris Testamenti. De hac Lege multa compendiose a nobis sunt expedienda; unde

Quær. 1. *An Lex vetus fuerit bona & a Deo data?*

*Nota.* Utrumque negarunt Simon Magus & Marcionitæ, Manichæi & Priscillianistæ, docentes duo esse prima rerum principia; alterum malum, quod fuit auctor Legis veteris, quæ proinde fuit mala; alterum bonum, quod fuit auctor Legis Evangelicæ, quæ proinde est bona: hos ferit hic Concilii

cilii Toletani Canon: *Si quis dixerit esse alterum auctorem priscæ Legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*; & contra quos

*Resp. affirmative*, Quoad utramque partem.

*Prob.* 1. *pars*: Ex Apost. (*Rom.* 7. *v.* 12.) dicente: *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum.* Ratio est, quia illa Lex fuit regula morum, quam Christus executioni mandavit; atqui Lex vetus fuit regula morum, omne bonum præcipiens, & omne malum prohibens, ipsam executioni mandavit Christus qui de seipso dicit (*Matth.* 5. *v.* 17.): *non veni solvere Legem, sed adimplere*; ergo.

*Prob.* 2. *pars*: Ex Matth. 15. ubi Christus Scribis & Pharisæis dicit: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit: honora patrem & matrem &c.* Ergo.

*Objicies contra* 1. *part.* 1. Illa Lex erat mala cujus præcepta non erant bona; atqui præcepta Legis veteris non erant bona, juxta illud (*Ezech.* 20. *v.* 15.) *dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*; ergo.

*Resp. nego min.* Ad Textum dico illam non debere intelligi de Lege veteri, alias non diceretur ibidem v. 11. *Dedi eis præcepta mea quæ faciens homo vivet in eis*: sed debet intelligi de tyrannicis gentilium præceptis colendi Moloch per mactationem primogenitorum, quibus subdi Israelitas permisit Deus in pœnam suæ idololatriæ; unde addit Propheta, v. 26. *Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam*: id est permisi eos pollui in oblationibus quas per combustionem primogenitorum suorum offerebant in sacrificium Moloch, de quo sacrificio Psalmista (*Psalm.* 101. *v.* 37.) ait: *immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis*: puta Moloch. Porro præcepta illa non erant bona, sed pessima & difficillima *in quibus non vivebant* Israelitæ, quia per ea eorum posteritas, eorumque nomen succidebatur.

*Objicies* 2. Ex Apost. (*Hebr.* 8. *v.* 7.) Rex *culpa* non vacavit; ergo.

*Resp. dist. ant.* Lex non vacavit culpa sumpta pro infirmitate & imperfectione, *conc. ant.* sumpta pro peccato quasi aliquid mali contineret, *nego ant.* Alias non vocaretur *Lex sancta* ab eodem Apost. (*Rom.* 6. *v.* 12.) Porro Lex vetus in hoc erat infirma quod per se homines justificare & salvare non poterat.

*Inst.* 1. Secundæ Cor. 3. Lex dicitur, *ministratio mortis, & ministratio damnationis*: ergo non vacavit peccato.

*Resp. dist. ant.* Lex est ministratio mortis occasionaliter, *conc. ant.* per se, *nego ant.* Itaque Lex vetus per accidens fuit occasio mortis, non quidem data ex fine Legis aut Legislatoris, quasi cupiditati fomenta præberet, sed sumpta ex parte hominis nitentis in vetitum.

*Inst.* 2. Atqui Lex vetus per se & ex fine suo erat ministratio mortis; nam ex eodem Ap. Rom. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Particula enim *ut*, non significat causam, sed consequentiam & occasionem, ita ut sensus sit, *Lex subintravit; unde factum est*, propter depravationem naturæ nitentis in vetitum, *ut abundaret delictum*: sic interpretatur Corn. a Lapide juxta illud Apostoli cap. 7. *occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Id est homo in statu peccati, peccatum ipsum occasione Legis auxit.

*Objicies* 3. Lex vetus multa præcipiebat, aut permittebat rectæ rationi contraria. Ergo.

*Prob. ant.* Lex vetus 1. permittebat odium inimicorum: *odio habebis inimicum tuum* (*Matth. vers.* 43.) 2. Permittebat Legem talionis (*Ibidem vers.* 38.) Ergo.

*Resp. ad* 1. *nego ant.* Nullibi enim in Lege permittitur odium inimicorum; econtra Levit. 19. dicitur: *non oderis fratrem tuum in corde tuo*, unde hæc verba: *odio habebis inimicum tuum*, dicta sunt a Scribis Legem interpretantibus, & ex hoc textu Lev. 19. *diliges proximum tuum*, concludentibus; ergo *odio habebis inimicum tuum*, in quo redarguuntur a Christo. (*Matth.* 5. *v.* 39.).

*Resp. ad* 2. Nego Legem talionis esse rectæ rationi contrariam; illud enim non est contrarium rectæ rationi, quod non est fomes, sed limes vindictæ; atqui ex D. Aug. (*l.* 12. *contra Faust. cap.* 25.) Lex talionis *vindictæ & furoris non fomes, sed limes est justus*; prohibebat enim ne qui ab alio læsus fuerit, asperiori uteretur vindicta; sicque per eam rudi populo constitutus est primus lenitatis gradus, nobis vero sancita est perfectio, ut nullo modo vindicemus.

*Objicies* 4. Cum Jansenio (*c.* 3. *l.* 1. *c.* 8. & 11.) & Quesnello (*prop.* 6. & 7.); illa Lex non est bona quæ caret gratia ad illius observationem necessaria; atqui talis erat Lex vetus; ergo.

*Resp. nego min.* Hominibus enim sub Lege veteri constitutis non deerat gratia, quæ licet per Legem non daretur, una tamen cum Lege conferebatur, ut docet D. Thom. (2. *q.* 98. *art.* 2. *ad* 4.) hia verbis: *dicendum quod quamvis Lex vetus non sufficeret ad salvandum hominem, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum Lege datum per quod salvari poterant; scilicet fides mediatoris, per quem justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia.*

*Inst.* D. Aug. distinguit, esse sub Lege, & esse sub gratia; ergo Lex excludit gratiam.

*Resp. nego conseq.* Nam esse sub Lege, est habere quidem gratiam ad Legem implendam; sed hanc non habere ex vi ipsius Legis, & esse sub gratia, est habere gratiam & quidem uberiorem, idque vi ipsius Legis gratiæ, seu Legis Christi.

*Objicies contra secundam partem.* Lex vetus est a Moyse, ergo non est a Deo.

*Resp. dist. ant.* Ut Legis promulgatore, *conc. ant.* ut auctore, *nego ant.* colligitur *ex Malachiæ* 19. ubi Deus ait: *mementote Legis Moysi, servi mei, quam mandavi ei in Oreb.*

Quæres 2. *An Lex vetus fuerit imperfecta?*

*Resp. Fuit imperfecta negative.* Illud enim est imperfectum negative; quod est alio minus perfectum; atqui Lex vetus fuit Lege nova minus perfecta; nam Lex nova per se hominem justificare potest; vetus vero non potuit hominem justificare nisi per fidem & merita Christi venturi; ergo. Unde *Hebr.* 7. Lex vetus dicitur reprobata *propter infirmitatem ejus & inutilitatem.*

Quæres 3. *Quot genera præceptorum complectebatur Lex vetus?*

*Resp. tria.* Nimirum moralia, cæremonialia & judicialia, juxta illud (*Deut. 5. v. 31.*) *loquar tibi mandata mea, & cæremonias & judicia.*

*Præcepta moralia*, sunt ea quæ ordinantur ad mores juxta rectæ rationis normam componendos, continenturque in duabus Decalogi tabulis; in prima tabula scripta sunt præcepta quæ Deum respiciunt; in secunda quæ proximum spectant; quæ omnia licet sint juris naturalis (excepta determinatione diei Sabbati), Legi tamen veteri tribuuntur, eo quod in ea renovata fuerint & exterius promulgata.

*Præcepta cæremonialia*, sunt ea quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati præscribuntur; tales sunt Sacrificiorum, Sacramentorum, & Festivitatum, leges.

*Præcepta judicialia*, sunt ea quibus præscribitur modus justitiæ & æquitatis inter Judæos servandæ.

Quæres 4. *An Lex vetus directe præceperit actus internos?*

*Resp. affirm.* Nam amor Dei ex toto corde, ex tota anima, pœnitentia interna, rerum alienarum concupiscentia, sunt actus interni; atqui Lex vetus præcipit amorem Dei *ex toto corde* (*Deut. 6. vers. 5.*) pœnitentiam internam juxta illud (*Levit. 16. vers. 28.*) *affligetis animam vestram*; prohibet ne quis concupiscat ea quæ sunt alterius; ergo.

*Dices*, Lex vetus *Rom. 3.* dicitur Lex *factorum*; atqui non est Lex factorum; nisi quia præcipit actiones tantummodo externas; ergo.

*Resp. nego min.* Ibi enim Apostolus opponit Legem veterem Legi novæ, non in quantum nova internos, vetus vero externos tantum actus prohibet; sed in quantum Lex vetus continet præcepta, Lex autem nova auxilium & vires ad implenda præcepta; Lex vetus dat lucem ut sciamus, Lex nova dat virtutem ut faciamus.

*Inst.* Si Lex vetus actus internos fidei, spei & charitatis præcepisset, ex operibus Legis homines potuissent justificari; falsum conseq. ex Apost. (*Rom. 3. vers. 20.*) dicente: *ex operibus Legis non justificabitur omnis caro*: ergo.

*Resp. nego maj.* Nam licet Lex vetus imperaret actus internos, non tamen dabat vires ad illos eliciendos; gratiæ enim quæ dabantur in illa Lege, non dabantur vi illius Legis, sed ex fide in Christum venturum.

Quæres 5. *Quosnam obligaverit Lex vetus?*

*Resp.* Solos Judæos; nam illos solos obligabat Lex vetus, quibus data est; atqui solis Judæis data est, juxta illud (*Deut. 4. v. 8.*) *quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias & justa judicia?* & (*Ps. 147. vers. 8.*) *non fecit taliter omni nationi.* Potuerunt tamen Gentiles illam Legem amplecti & adjungere se populo Judaico per susceptionem Circumcisionis, ut expresse concedebatur in Script. (*Exodi 12. vers. 48.*) quamvis sine ea absolute potuisset salvari.

*Nota.* Tamen Gentiles præceptis moralibus fuisse subditos, non tamen vi Legis scriptæ, sed vi solius Legis naturalis, & ideo non subjiciebantur pœnis temporalibus a Lege scripta latis contra prævaricatores, puta idololatras, blasphemos, adulteros &c.

*Objicies*: Si lex vetus solos obligaverit Judæos, pejor eorum fuit conditio, quam Gentilium, qui sine intolerabili Legis jugo salvari poterant; falsum conseq. Ergo.

*Resp. nego sequel. maj.* Pejor enim conditio non est repetenda a præceptorum multitudine, sed ab impedimentis salutis quæ longe majora fuere in Gentilibus, quam in Judæis, quos Lex arctius conjungebat Deo, & ad Christum uti pædagogus conducebat.

Quæres 6. *Quis fuerit finis Legis veteris?*

*Resp.* 1. Finis proximus Legis veteris fuit institutio populi Israelitici circa seipsum per præcepta moralia; circa Deum, per præcepta cæremonialia; circa proximum, per præcepta judicialia.

*Resp.* 2. Finis Legis remotus & a Deo principaliter intentus, fuit spiritualis & supernaturalis felicitas populi Israelitici, tum in hac vita per morum sanctitatem, tum in altera per beatitudinem æternam, est contra Jansenium (*L. 1. de Grat. cap. 8. & l. 3. cap. 5.*).

*Prob.* Ex script. Psalm. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas*, & infra de mandatis dicitur, *in custodiendis illis retributio multa*; eaque non temporalis tantum, sed æterna, juxta illud Christi (*Matth. 19. v. 17.*) *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ergo.

Quæres 7. *An lex vetus abrogata sit?*

*Resp.* Legem veterem esse abrogatam quoad omnia præcepta, tum cæremonialia, tum judicialia, tum moralia. Est 1. contra Cerinthum & Ebionem, qui Legem Mosaicam perpetuo duraturam docuerunt: 2. contra quosdam scholasticos, qui docent ipsam non abrogatam quoad præcepta moralia.

*Prob.* nostram responsionem Apostolus (*Hebr. 8. v. 8.*) hoc textu Jerem. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum .... dicendo autem novum*, addit Apostolus, *veteravit prius; quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Atqui pactum quod Deus pepigerat cum Patribus Judæorum, præcepta moralia maxime complectitur; dicit enim: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: non habebis Deos alienos &c.*

*Confirmatur* ex eodem Apost. (*Hebr. 7. v. 12.*) dicente: *translato Sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat.* Atqui Sacerdotium Aaronicum penitus & absolute translatum fuit & abrogatum; ergo & Lex Mosaica. Unde Apostolus (*ad Rom. 6. v. 14.*) Romanis dicit absolute & sine ulla exceptione: *non enim sub Lege estis, sed sub gratia.*

*Dices* 1. Lex vetus fuit in æternum duratura; ergo.

*Resp. nego ant. Prob.* Baruch. 4. *hic liber mandatorum Dei, & Lex quæ est in æternum.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam ex Apost. (*ad Gal. 3. v. 19.*) Lex Mosaica lata erat tantum *donec veniret semen*, id est Christus. Unde eodem sensu Lex vocatur æterna, quo omnes Leges dicuntur perpetuæ, quia sunt latæ 1. ad longum tempus;

2. fine

2. sine certo termino in ipsa Legis promulgatione definito.

*Inst.* Christus *Matth.* 5. dicit: *Non veni solvere Legem, sed adimplere*; ergo Legem Mosaicam non abrogavit.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim textus hic est, *non veni solvere*: id est violare *Legem*, quam tamen abrogavit suam Legem ei substituendo.

*Dices* 2. Præcepta judicialia non præfigurabant Christum; ergo per adventum Christi non sunt abrogata.

*Resp. nego conseq.* Nam ex Apost. (*ad Galat.* 5. *v.* 13.) obligatio Legis oritur ex Circumcisione; ergo obligatione circumcisionis cessante, cessat obligatio totius Legis. Non nego tamen multa potuisse ab Ecclesia sumi ex præceptis judicialibus quæ imposuit Christianis, & quæ nunc obligant, sed vi Legis Ecclesiasticæ, non Mosaicæ.

*Dices* 3. Tenemur adhuc observare præcepta Decalogi; ergo Lex vetus non fuit abrogata quoad præcepta moralia.

*Resp. dist. ant.* Tenemur vi Legis naturalis & Evangelicæ, *conc. ant.* vi Legis Mosaicæ, *nego ant.* Sicut ergo Judæi qui violabant præcepta Decalogi, prævaricatores erant in Legem naturalem & Mosaicam, ita Christiani qui ea transgrediuntur, prævaricatores sunt in Legem naturalem & Evangelicam.

Quæres 8. *Utrum Lex vetus abrogata ac mortua fuerit ante mortem Christi?*

*Resp. negative*: Nam illa Lex non fuit abrogata ante mortem Christi, quam Christus servavit, & servari usque ad mortem præcepit; atqui Christus 1. legem servavit, circumcisus est, Pascha comedit, & omnia Judæorum festa celebravit; 2. Legem servari præcepit, nam Matth. 8. Leproso sanato præcepit adire Sacerdotem, & munus Lege Moysis præscriptum offerre; & Matth. 23. dixit: *super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Ergo.

*Dices* 1. Matthæi 11. dicitur: *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Ergo Lex vetus cessavit, quando Joannes Baptista prædicare cœpit.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim textus est, vel quod Lex & Prophetæ usque ad Joannem prædixerint Christum esse venturum; Joannes vero ipsum præsentem ostenderit, dicens: *Ecce agnus Dei, &c.* vel quod Lex usque ad Joannem fuerit sana; ex quo autem venit Joannes, ægrotare cœperit paulo post moritura.

*Dices* 2. Ex Apost. (*Rom.* 3. *vers.* 20.) *Lex posita est donec veniret semen*: id est Christus; ergo desiit in adventu Christi.

*Resp. dist. conseq.* Desiit esse sana in adventu Christi, *conc.* desiit esse vivens & obligatoria, *nego conseq.* Porro Lex usque ad Christi adventum in robore fuit, Christo adveniente ægrotavit, non tamen ante Christi mortem mortua fuit.

*Inst.* Atqui adveniente Christo Lex mortua fuit: ergo.

*Prob. subsumpt.* Lex cujus præcepta sunt falsa & superstitiosa, est mortua, & abrogata; atqui Legis Mosaicæ præcepta post adventum Christi erant falsa ac superstitiosa; ergo.

*Resp. nego min.* Alias non tantum mortua, sed mortifera fuisset.

*Prob. min.* Præcepta Legis significabant Christum venturum; ergo statim atque Christus venit, præcepta Legis cœperunt esse falsa & superstitiosa.

*Resp. dist. ant.* Significabant Christum absolute venturum, *nego ant.* Significabant Christum redemptorem venturum, *conc. ant.* quapropter non simul atque Christus advenit, abolita fuerunt, sed simulatque Christus per mortem complevit redemptoris officium.

*Dices* 3. Baptismus fuit præceptus ante mortem Christi; ergo inutilis tunc fuit Circumcisio; & consequenter Lex ipsa quæ non potuit legitime observari, nisi a circumcisis.

*Resp. nego ant. Prob.* Baptismus fuit ante mortem Christi institutus; ergo præceptus.

*Resp. nego conseq.* cum Div. Thom. (3. *part. quæst.* 66. *art.* 2.) dicente, *necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit homini post passionem & resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta quibus succedit Baptismus, & alia Sacramenta novæ Legis; tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novæ justitiæ vitam; & ideo oportuit Christum prius pati & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni Christi.* Hinc licet post institutum Baptismum Circumcisio non fuerit amplius necessaria necessitate medii ad salutem; erat tamen necessaria necessitate præcepti, & utilis ad consignandum populum Dei, quæ consignatio erat proprius Circumcisionis effectus, ut dicetur infra (*De Sacram. cap.* 6. *art.* 1. *sect.* 4.).

Quæres 9. *Quandonam ergo Lex vetus fuerit abrogata?*

*Nota*: D. Thom. Vasquez, Gonet, Paulus a Lugduno censent Legem veterem fuisse abolitam in ipsa Christi morte; econtra Scotus, Gabriel, Suarez &c. docent ipsam non fuisse abrogatam ante festum Pentecostes, in quo Lex evangelica solemniter promulgata est; quam utramque sententiam ut conciliemus,

*Resp.* Lex vetus abrogata est secundum se in ipsa Christi morte; at non fuit abrogata quoad vim obligandi nisi in festo Pentecostes, in quo Lex Evangelica sufficienter fuit promulgata.

*Prob.* 1. *pars*: Tunc Lex fuit abrogata cum Sacerdotium Aaronicum translatum fuit, & novum conditum, juxta illud Apost. (*Hebr.* 7. *v.* 12.) *translato Sacerdotio, necesse est ut & Legis translatio fiat*; atqui Sacerdotium Aaronicum fuit translatum & novum conditum, cum Christus novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech seipsum Patri in cruce obtulit, juxta illud Hebr. 10. *aufert primum*, (Sacerdotium seu Sacrificium) *ut sequens statuat.* Ergo.

*Confirmatur*: Ex Sanctis Patribus qui hanc vocem Christi mox spiritum emissuri: *consummatum est*; de Legis veteris abrogatione interpretantur; *Dominus dixit, consummatum est*, ait Div. Thom. (*quæst.* 103. *art.* 3. *ad* 2.) *& ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritatem eorum consummata, in cujus signum in passione Christi, zelum templi legitur esse scissum* (*Matth.* 27. *v.* 51.) ut

ut docet D. Aug. ( *serm.* 124. *de temp.* ) his verbis: *velum templi scinditur, quia synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.*

*Prob.* 2. *pars*: Lex vetus non prius desiit obligare, quam Lex nova cœperit obligare, juxta illud Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis* ( Evangelicis ) *evacuans*; atqui Lex nova non cœpit obligare nisi in die Pentecostes; ergo.

*Prob. min.* Lex nova non prius cœpit obligare, quam fuerit sufficienter promulgata, promulgatio enim est de essentia Legis; atqui Lex nova non fuit sufficienter promulgata nisi in die Pentecostes, quando *Petrus stans cum undecim levavit vocem suam & locutus est eis; viri Judæi & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea .... pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti ...... & qui receperunt ejus sermones, baptizati sunt*; ergo Lex nova non cœpit obligare, nisi in die Pentecostes.

*Dices*, Lex quæ abrogata est, non obligat: ergo si Lex vetus in ipsa Christi morte abrogata sit, non potuit deinceps obligare.

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas patet ex civilibus, nam licet Lex in consilio Principis sit secundum se seu radicaliter abrogata, servat tamen vim obligandi & eosdem parit effectus donec abrogatio promulgata; ac proinde viguit remedium contra peccatum originale quamdiu novum Testamentum promulgatum non est; Testamentum enim prius per promulgationem aperiri debet, quam operetur.

*Inst.* Cum Gonet. ( *cap.* 9. §. 3. *de Lege divina veteri* ) communis est Sanctorum Patrum, & præcipue DD. Hieronymi & Augustini ( *in suis de legibus Epist.* ) Legem veterem in ipsa Christi morte, mortuam esse: atqui si non desiisset obligare, non posset dici mortua; ergo in ipsa Christi morte Lex desiit obligare.

*Resp. dist. min.* Non posset dici mortua quoad obligationem & effectum, *conc. min.* non posset dici mortua secundum se, *nego min.* Et certe illa Lex penitus mortua dici nequit, per cujus operationem justificabantur infantes: atqui ex ipso Goneto *quamdiu permansit bonitas Legis veteris, & non fuit mortifera, pueri Judæorum recipientes circumcisionem a peccato originali justificabantur; itaque qui bona fide Legem illam observabant, salvabantur*; ergo nec ipse Gonetus stricte & ad litteram urgere debet Patres, sed tantum ad sensum nostræ responsionis, alioqui & ipsi nocerent.

Quæres 10. *An Lex vetus statim atque inutilis ac mortua evasit evaserit etiam mortifera?*

*Nota* 1. Aliud est Legem esse mortuam, aliud esse mortiferam; dicitur *mortua* eo ipso præcise quod tollitur ejus vis & obligatio, ita ut licitum sit eam non observare. Dicitur vero *mortifera* eo quod non possit amplius absque peccato observari; circa quod:

*Certum est* 1. Præcepta moralia non esse mortua nec mortifera, cum teneamur ea observare, non quidem vi Legis Mosaicæ quæ cessavit obligare, sed vi Legis naturalis quæ semper durat.

*Certum est* 2. Præcepta judicialia veteris Legis esse quidem mortua, non tamen mortifera; unde *si quis Princeps*, ait D. Thom. ( 1. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. *in corp.* ) *ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret.* Ratio est quia præcepta judicialia non ordinantur nisi ad politicam utilitatem; ergo ad eumdem usum acceptari possunt ab iis qui potestatem habent condendarum Legum.

Quæstio ergo unice movetur de præceptis cæremonialibus, quæ ut solvatur

*Nota* 2. Acrem fuisse S. Hieronymum inter & S. Augustinum circa legalia contentionem, in eo quod S. Hieronymus contenderet legalia fuisse mortifera statim atque fuere mortua, ac proinde nemini licuisse serio ac sincere, hoc est ad Dei cultum & honorem, Legis cæremonialia observare; ex quo

*Inferebat* 1. Apostolos cæremonias Legis ficte tantum & simulatorie usurpasse, ut per talem simulationem Judæos facilius ad Legem Evangelicam adducerent.

*Inferebat* 2. Nec Petrum peccasse simulando Judaismum, nec a Paulo sincere, sed simulatorie tantum fuisse reprehensum, utrumque autem per suam simulationem voluisse aliis prodesse: Petrum quidem Judæis, quorum cæremonias usurpabat: Paulum vero Gentilibus, ne putarent cæremonias Legis ad salutem esse necessarias ( *Ita D. Hieron. Epist.* 11. *inter Augustinian.* )

S. Augustinus econtra legalia post passionem Christi mortua quidem fatebatur; sed negabat mortifera fuisse. Unde

*Inferebat* 1. Apostolos ex animo pio ac sincero post mortem Christi legalibus cæremoniis usos fuisse.

*Inferebat* 2. Petrum vere & sincere a Paulo fuisse reprehensum, quia vere reprehensibilis erat; imo asserit Petrum vere peccasse, non quidem mortaliter, cum esset confirmatus in gratia, sed venialiter ex defectu attentionis debitæ ad scandalum quod prævidere debuit oriturum esse ex suo legalium usu, & ex sua præpostera in Judæos conversos œconomia ( *Vide Epist. August.* 15. *ad Hieron.* ). His expositis

*Resp. Lex vetus ante fuit mortua quam mortifera, unde licitum fuit aliquandiu post ejus abrogationem, eam observare, quamvis non fuerit necessarium.*

*Prob.* Efficaciter ex facto Apostolorum qui cæremonialia usurparunt iis in locis ubi jam Lex Mosaica desierat obligare, facta jam sufficienti Legis Evangelicæ promulgatione; sic D. Petrus ( *Act.* 10. *v.* 14. ) testatur se *nunquam manducasse omne commune & immundum*, ergo hactenus abstinuerat a cibis per Legem vetitis; sic D. Paulus ( *Act.* 16. *v.* 3. ) Timotheum ex matre Judæa & patre Gentili *circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis*. item ( *Act.* 18. *v.* 18. ) observavit cæremonias Nazaræorum ex voto; & ( *Act.* 21. *v.* 26. ) de consilio Jacobi Apostoli & seniorum sese purificavit cum Judæis, & cum iis in templum ingressus est juxta Legis præscriptum, ut eos sibi conciliaret. Tandem ( *Act.* 15. *v.* 29. ) in Concilio Jerosolymitano Apostoli congregati statuerunt ut Christiani abstinerent a san-

guine

guine & suffocato, quæ abstinentia erat una e cæremoniis legalibus; ergo Apostoli non judicarunt mortiferam tunc fuisse observantiam Legis antiquæ statim ac mortua fuit.

*Dices* cum D. Hieronymo. Apostoli ficte tantum & simulatorie usurparunt legalia; ergo ex eorum agendi ratione non potest colligi ea non fuisse mortifera.

*Resp. nego ant.* 1. Quia nunquam licet mentiri etiam ad honestum finem; atqui illa simulatio fuisset verum mendacium; ergo &c. 2. Quia numquam licet superstitioso cultu etiam simulatorie uti, sic non licet coram idolo thus incendere etiam sine animo colendi idolum; atqui illa simulatio fuisset superstitiosus cultus, nec minus peccassent Apostoli cultum Judæorum adhibendo, quam si ritus Gentilium simulatorie observassent, ut eos facilius lucrarentur. 3. Quia per se malum est alios suo exemplo inducere ad peccandum; atqui si Apostoli simulatorie legalia, alioquin in se mortifera servassent, alios suo exemplo ad peccandum induxissent, quod de iis in gratia confirmatis dicere nefas est.

*Inst.* 1. D. Petrus simulatorie tantum a Gentilium mensa recessit. Ergo.

*Resp. nego ant. Prob.* Ex S. Paulo qui factum Petri vocat simulationem: *& simulationi ejus*, inquit, *consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Vocat simulationem formalem, quasi Petrus observaverit legalia animo simulandi, *nego ant.* vocat simulationem materialem, hoc sensu quod Petri ratio agendi minus cauta Gentilibus suspicionem injiceret legalia esse ad salutem necessaria, *conc. ant.* & *nego conseq.* Solutio est D. Thomæ (1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *ad* 2.)

*Inst.* 2. Apostoli non potuerunt observare serio ritus falsos; atqui post promulgatum Evangelium legalia erant falsa; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Ritus qui significabant Christum venturum, fuerunt falsi post promulgatum Evangelium; atqui legalia significabant Christum venturum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Fuerunt falsi, si eo fine ut Christum præfigurarent, usurpati fuerint, *conc. maj.* si alio fine legitimo, *nego maj.* atqui legalia significabant Christum venturum, & ad hunc finem usurparunt Apostoli, *nego min.* ad alium finem legitimum, *conc. min.*

*Porro* finis Apostolorum erat ut Synagoga cum honore sepeliretur, & ne si subito reprobarentur Legis cæremoniæ, viderentur damnari ut malæ, & quasi ejusdem generis cum superstitionibus Gentilium.

*Inst.* 3. Ergo si olim legalia bona fide post Christi mortem observari potuerunt, nunc quoque possunt observari; falsum consequens.

*Resp. nego sequelam*: Nunc enim Synagoga, dilatato Evangelio, cum honore sepulta est, & nulla necessitas exigit, ut ritus ejus observentur; ergo nunc sunt mortiferi.

*Dices* 2. Quod tollit fructum passionis Christi, est mortiferum; atqui legalium observatio tollit fructum passionis Christi juxta illud Apostoli (*ad Galat.* 5. *v.* 2.) *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; ergo.

*Resp. dist. min.* Legalium observatio quæ adhibetur tamquam necessaria ad salutem, *conc. min.* quæ adhibetur tamquam licita, *nego min.* & sic ad consequens. Itaque Apostolus hic insurgit adversus Galatas, qui a Judaizantibus seducti existimabant circumcisionem & alia legalia non tantum esse licita, sed & necessaria ad salutem, ita ut Lex Evangelica sine illis non sufficeret ad justificationem, quod est hæreticum.

*Resp.* 2. *dist. min.* Legalium observatio tollit fructum passionis Christi, si a gentilibus ad fidem conversis usurpetur, *conc.* a Judæis, *nego.* Itaque observatio legalium per aliquod tempus post Christi passionem solis Judæis, vel Judæorum filiis ad fidem Christianam conversis, non autem gentilibus, qui fidem amplexi fuerant, indulta est. Quare Apostolus ipse, qui Act. 16. ut vitaret scandalum Judæorum circumcidit Timotheum, qui erat filius mulieris Judææ, non circumcidit Titum, qui erat filius patris, & matris gentilium.

Quæres II. *Quo ergo præcise tempore Lex vetus evaserit mortifera?*

*Resp.* Evasit mortifera quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuit a Tito & Vespasiano Imperatoribus Romanis, Templum Jerosolymitanum.

Ratio est 1. quia jam sufficienter Evangelium toto orbe erat promulgatum, ut docet Apost. (*Coloss.* 1. *v.* 6.) *pervenit ad vos*, Evangelium, *sicut & in universo mundo est.*

2. Quia tunc non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ penitus sepultæ & extinctæ, aut uti diuturniori œconomia cum Judæis tamdiu divinæ vocationi rebellibus.

*Dices:* Diutissime post templi Jerosolymitani eversionem abstinentia *ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato*, observata fuit; ergo.

*Resp. dist. ant.* Fuit observata vi Legis Mosaicæ, *nego ant.* vi Apostolicæ seu Ecclesiasticæ constitutionis, *conc. ant.* Non potuit quidem Ecclesia eas cæremonias servare, quibus servatis ipsam Moysis religionem servari necesse erat, ut sunt Sacrificia, Sacramenta, &c. sed potuit quosdam leviores ritus Legis propter graves rationes adoptare in Lege nova, vique Legis novæ servandos, *v. g.* vestes, vasa, abstinentiam ab idolothitis & suffocato, &c.

## QUÆSTIO II.

### *De Lege Evangelica.*

*Nota.* 1. Lex nova describi potest: *Lex per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis promulgata, & ad finem mundi duratura.*

Dicitur 1. *Lex*, quia est ordinatio facta a Deo summa ratione ad finem ultimum supernaturalem, cum intentione obligandi, ita ut quisquis ab ipsa deficit, prævaricationis reus constituatur.

Dicitur 2. *Per se justificativa:* tum formaliter per gratiam sanctificantem, tum causaliter dispositive per gratias actuales prævenientes & adjuvantes, quibus possibilia & suavia redduntur ea quæ de se dura & supra naturæ vires essent.

Dicitur 3. *A Christo condita*: ut designetur causa efficiens juxta illud (*Joann.* 1. *v.* 17.) *Lex vetus per Moysen data est, gratia & veritas*, Evangelii, *per Jesum Christum facta est*; non uno & eodem tempore, sed successive; nam baptismus institutus est initio prædicationis Christi; Eucharistia pridie quam pateretur; pœnitentia & plura alia post resurrectionem, unde non fuit integre condita nisi circa Christi ascensionem.

Dicitur 4. *Ab Apostolis promulgata*: scilicet in die Pentecostes, a quo cœpit obligare, non quidem omnes simul, sed 1. eos qui audierunt ejus authenticam promulgationem, & deinde successive alios ad quos pervenit per prædicationem Apostolorum, ita ut communiter loquendo Judæos prius, deinde Gentiles obligaverit, juxta illud Pauli ad Judæos Synagogæ Antiochenæ (*Actor.* 13. *v.* 46.): *vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, &c.*

Dicitur 5. *Ad finem mundi duratura*: juxta illud Matth. 24. *prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio*, nempe sæculi.

*Nota* 2. De Lege Evangelica sic exposita quæritur 1. an sit vera Lex, 2. in quo conveniat & differat a Lege veteri.

## ARTICULUS I.

### *An Lex Evangelica sit vera Lex?*

Negat Lutherus (*Lib. de Liber. Christiana*), dicens: *nullo opere, nulla Lege homini christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.* Negat Calvinus (*in cap.* 2. *Ep. ad Galat.*), sic exclamans. *O miserabilem insciciam! O perniciosum errorem prædicantium Christum tamquam novum Legislatorem! quasi veterem Judæorum legem abrogaverit ut novam Christianis hominibus imponeret.* Contra quos

*Dico*, *Lex Evangelica est vera Lex.*

*Prob.* Illa Lex est vera, quæ continet præcepta ad bonum communitatis ordinata, & in perpetuum servanda; atqui Lex Evangelica est talis, dicente Christo Joann. 14. *qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Et Matth. 28. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos .... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ergo, &c. Unde Christus (*Isaiæ* 33. *v.* 11.) promittitur ut *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.*

Hinc jure merito errorem Novatorum proscripsit Concilium Tridentinum, Sess. 6. tribus sequentibus Canonibus.

Canon. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.*

Canon. 20. *Si quis hominem justificatum & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum &c. anathema sit.*

Canon. 21. *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant; non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.*

*Objicies* 1. Illud Joann. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*; ergo Lex non est data per Christum.

*Resp. nego conseq.* Non enim ideo gratia dicitur per Christum facta, Lex vero per Moysem data, quod Christus nullam Legem tulerit; sed quia Moyses dedit Judæis nudam Legem sine gratia, id est Legem præcipientem, sed non juvantem: Christus vero dedit nobis Legem cum gratia; id est Legem præcipientem & adjuvantem, quam ob rem vocatur ab Apostolo *Lex fidei* (*Rom.* 3. *v.* 27.), *Lex Spiritus* (*Rom.* 8. *v.* 2.) & a Christo *jugum suave & onus leve* (*Matt.* 11. *vers.* 30).

*Inst.* Rom. 6. dicitur: *non estis sub Lege, sed sub gratia*; ergo Lex non est data per Christum.

*Resp. dist. ant.* Non estis sub Lege Mosaica, quæ præcipiebat *non concupisces*, & non juvabat ad vincendam concupiscentiam, *conc. ant.* sub Lege Christi, quæ cum sit gratia ipsa, juvat interius & corroborat ad præstandum id quod Lex jubet, *nego ant.* Hinc Apostolus concludit peccatum nobis non dominaturum, quia nempe non sumus *sub Lege, sed sub gratia.*

*Objicies* 2. Ex Apost. (2. *Corinth.* 3. *vers.* 17.) *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*; ergo Lex Evangelica est Lex libertatis a Lege.

*Resp. dist. ant.* Ibi libertas a timore servili & a jugo Legis veteris, *conc. ant.* ab omni præcepto, *nego ant.* Hic enim Apostolus libertatem & spiritum amoris Christianorum opponit servituti & timori servili Judæorum.

*Inst.* 1. Atqui ubi spiritus Domini, ibi libertas a Lege. Ergo.

*Prob. subsumpt.* Ex eodem Apost. (*ad Galat.* 5. *vers.* 18.) *Si spiritu ducimini, non estis sub Lege.* Ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Non estis sub Lege cogente & terrente, *conc. ant.* sub Lege obligante & suaviter movente ad implenda ea quæ Lex jubet, *nego ant.* nam *non sumus sub Lege quidem jubente, non tamen duce: sed sumus sub gratia quæ id quod Lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare.* Ait August. Lib. de continentia, cap. 3.

*Inst.* 2. Prime ad Timoth. 1. dicitur: *Lex justo non est posita, sed injustis.* Ergo saltem justi sunt immunes ab omni Lege.

*Resp. nego conseq.* Alias idem Apost. non hortaretur fideles ad obedientiam his verbis; *admone illos Principibus & Potestatibus subesse* (*Ad Tit. vers.* 1.) & *obedite præpositis vestris & subjacete eis*: (*Hebr.* 13. *vers.* 17.) Sensus ergo est: Lege minaci & pœnas intentante non opus est justo, qui sponte facit bonum & honestum quod Lex imperat.

*Colliges*; Ergo libertatem Evangelicam consistere in immunitate tum a peccato per spiritum gratiæ; tum ab erroribus & ignorantiæ tenebris; tum ab onerosa servitute legalium cæremoniarum & jugo Legis Mosaicæ; nullatenus vero consistit in immunitate a Lege, quam utique commendat.

Q. 1. *Quotuplicis generis sunt præcepta novæ Legis?*

*Resp. triplicis*: Moralia scilicet, Sacramentalia & Fidei, inter quæ illud est discrimen:

1. Quod

1. Quod præcepta moralia cum sint de Lege naturæ, non sunt a Christo instituta, sed tantum confirmata, explicata, & ab erroribus, quibus ex malitia hominum obvoluta fuerant, vindicata.

2. Quod præcepta fidei non sunt etiam de novo instituta, cum antiqui non salvarentur, nisi per fidem in Christum venturum; sed tantum clarius explicata; ita ut explicite teneamur credere fidei mysteria, quæ in Lege veteri, solum implicite credebantur.

3. Quod præcepta Sacramentalia sunt a Christo de novo instituta, ut sint loco veterum quæ sunt ab ipso abrogata; unde ab iis solis potest dispensare Christus.

*Dices.* Lex novo debet etiam continere præcepta judicialia; ergo allata divisio non est adæquata.

*Resp. nego ant.* Christus nec voluit temporalem exercere jurisdictionem, cum dicat (*Joann.* 18. *vers.* 36.) *regnum meum non est de hoc mundo;* nec civilem rempublicam condidit, sed spiritualem, cujus regimen spirituale est, & ad finem spiritualem & supernaturalem conducit.

*Inst.* Ecclesia cum sit visibilis, indiget regimine politico visibili; ergo & præceptis judicialibus.

*Resp. dist. conseq.* Indiget præceptis judicialibus, quæ Christus ipse per se immediate statueret, *nego conseq.* quæ vicariis suis Episcopis statuenda permitteret, *conc. conseq.* Ratio est quia cum Ecclesia constet ex omni natione quæ sub cælo est, & fuerit diversa diversis temporibus illius conditio, debuit quoque pro diversitate nationum & temporum diversas Lege politicas singulis imponere; quod facilius & connaturalius fieri poterat ab Episcopis, illuminante ac dirigente interius Spiritus Sancti gratia; & ideo illis Christus pro sua infinita sapientia hanc curam commisit.

## ARTICULUS II.

*In quo Lex Evangelica conveniat & differat a Lege veteri.*

Quæres 1. *In quo Lex vetus & nova conveniant?*

*Resp.* Conveniunt 1. in eo quod utraque fuerit promulgata in die Pentecostes, Mosaica quidem in monte Sina, Evangelica vero in monte Sion, juxta illud (*Isaiæ* 2. *v.* 3.) *de Sion exibit Lex, &c.*

2. In eo quod in neutra possit fieri dispensatio nisi per auctoritatem a Deo acceptam, quam potestatem nemini mortalium contulit, ut constat ex alto scripturæ & traditionis circa hanc potestatem silentio.

Quæres 2. *In quo Lex vetus & nova differant?*

*Resp.* In hoc differunt 1. quod Lex Mosaica fuerit scripta in tabulis lapideis; Evangelica vero non fuerit *per se* scripta, sed viva voce denunciata exterius, & interius per abundantem Spiritus sancti gratiam alte insculpta cordibus audientium, ut testatur Apost. (2. *Cor.* 3. *v.* 3.) dicens: *Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivo: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Juxta hanc Jeremiæ prophetiam (*Jerem.* 31. *v.* 33.): *dabo Legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.*

Dixi: *Non est scripta per se*, id est, causa promulgationis, quia quoad unam sui partem, nempe quoad præcepta, fuit scripta *per accidens*, nimirum ex occasione vel describendi Christi vitam & acta Apostolorum, vel instruendi fideles per Epistolas, vel errores Hæreticorum refellendi.

2. Quod Lex Mosaica fuerit Lex timoris & servorum; Evangelica vero sit Lex amoris & filiorum, ut ait D. August. (*lib. adversus Adamant. cap.* 7.) *hæc est apertissima differentia duorum testamentorum, timor et amor.*

3. Quod Lex vetus fuerit umbra Legis novæ; nova autem veteris perfectio & complementum.

4. Quod Lex nova habeat vim justificandi, non vero Lex vetus, quæ non justificabat nisi per fidem Christi qui est auctor novi testamenti, juxta illud Apost. (1. *ad Cor* 10. *v.* 4.) *bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Unde D. Thom. (1. 2. *q.* 107. *art.* 1. *ad* 2.) asserit illos *qui in veteri testamento habuerunt gratiam Spiritui sancti et charitatem, secundum hoc pertinuisse ad Legem novam.*

## CAPUT IV.

*De Lege humana.*

*Nota* 1. Lex humana est, *rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum condita & promulgata ab homine qui curam communitatis politicæ vel Ecclesiasticæ habet cum intentione obligandi subditos.* Hujus definitionis explicatio repetenda est ex dictis supra (*Dissert.* 1. *cap.* 1.) ubi definitionem Legis in communi exposuimus.

*Nota* 2. Hic agendum habemus 1. de natura; 2. de variis speciebus; 3. de cessatione Legum humanarum triplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*De natura Legum humanarum.*

In hac quæstione expendemus 1. An & quibus hominibus competat potestas condendi Leges; 2. Quæ sit materia Legum humanarum; 3. Qualis esse debeat illarum promulgatio; 4. An ad illarum valorem requiratur acceptatio; 5. Quinam humanis Legibus teneantur; 6. Quæ sit formalis Legum humanarum obligatio.

## ARTICULUS I.

*An & quibus hominibus competat potestas ferendi Leges?*

*Nota.* Homines potestatem legislativam habere negavit olim Wiclefus, & post ipsum Lutherus (*lib. de captivitate Babylon.*) contra quos

*Dico* 1. *Principes sæculares, sive boni, sive mali, habent potestatem condendi Leges civiles.* Est de fide definitum in Concilio Constantiensi (*sess.* 8. *et* 15. *contra Wiclef.*).

*Prob.* 1. Ex Christo qui Legem de tributis ab Eth-

Ethnico principe latam servari mandat, dicens Lucæ 20. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

*Prob.* 2. Ex 1. Petri 2. *Subditi estote sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.* Et ne quis dicat Apostolum loqui de bonis Regibus tantum, subdit; *servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Et Paulus Rom. 13. indefinite dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo.*

*Prob.* 3. *ratione.* Rectores communitatis perfectæ gaudent potestate legislativa omnino necessaria ad ea permanenter statuenda quæ bonum commune promovere possunt, & ad omnes in officio continendos juxta illud (*Proverb.* 11. *v.* 14.) *ubi non est gubernator, corruet populus.* Atqui Principes sæculares sunt rectores communitatis perfectæ; ergo.

*Objicies* 1. Illud Jacobi 4. *Unus est Legislator & Judex,* nempe Deus; ergo.

*Resp. dist. ant.* Deus unus est Legislator primarius & per propriam auctoritatem, *conc. ant.* secundarius & per auctoritatem a Deo participatam, *nego antec.* Ait enim Sapiens (*Prov.* 8. *vers.* 15.): *per me reges regnant & Legum conditores justa decernunt.*

*Objicies* 2. Potestas legislativa non potest esse in Principibus sæcularibus nisi ex speciali concessione Dei; atqui non est in illis ex speciali Dei concessione, nam de eo nullam habemus revelationem; ergo.

*Resp. nego maj.* Sufficit enim, ut illam habeant ex concessione communitatis perfectæ, quæ cum habeat jus sibi providendi de mediis necessariis ad societatem civilem ad quam alligatur a natura; aliquam regiminis formam constituit diversam prout illi commodius visum est; unde existunt variæ politici regiminis formæ, monarchica, scilicet, aristocratica, democratica, & ex his mixta, quarum optima est monarchica, cum nempe summum imperium uni est translatum, vel per electionem solum, vel per electionem cum jure successionis.

*Inst.* Ex Apost. (*Roman.* 13. *vers.* 1.) *Non est potestas nisi a Deo; & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* ergo potestas legislativa est a Deo specialiter illam concedente.

*Resp. nego conseq.* Ex hoc testu enim & similibus sequitur tantum, quod potestas legislativa sit a Deo virtualiter & implicite, sive a Deo, ut auctore naturæ in quantum Deus creavit homines idoneos ad civilem societatem, quæ ex natura rei exigit talem potestatem; cum itaque Deus permittat usum illius potestatis, non mirum est eum qui ei resistit, Dei ordinationi resistere, quippe qui obedire illi potestati præcipitur.

Quæres. *Quis Leges civiles ferre possit?*

*Resp.* Id possunt Imperatores, Reges, Principes supremi, qui superiorem non agnoscunt, quocumque jure vel hæreditario, vel electivo, Regnum aut imperium obtineant. Idem dicendum de Regina quæ jure hæreditario talis est, de comitiis generalibus cujuslibet regionis, vel civitatis quæ est sui juris, ratio est quia omnes supradicti habent curam communitatis perfectæ.

*Dico* 2. *Prælati Ecclesiæ habent potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas.* Est de fide definitum in Concilio Tridentino contra Lutherum (*Sess.* 7. *can.* 8. *de Baptismo*).

*Prob.* Ex Script. Illi habent potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas, qui a Deo acceperunt potestatem regendi Fideles ad finem supernaturalem; atqui Prælati Ecclesiæ acceperunt a Deo potestatem regendi Fideles, de Petro enim dicitur (*Matth.* 16. *vers.* 19.): *tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis etc.*, & de omnibus Apostolis eorumque successoribus Episcopis dicitur (*Act.* 20. *vers.* 28.): *Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei;* & (*Matth.* 18. *vers.* 18.) *quæcumque alligaveritis super terram etc.* Ergo.

*Confirmatur.* Ex traditione & praxi Ecclesiæ quæ ab Apostolorum tempore ad nos usque tali potestate semper usa est; sic in Concilio Jerosolmitano (*Act.* 12. *vers.* 29.) edita est Lex qua Gentes ad fidem conversæ, jussæ sunt abstinere a suffocato, & idolothitis: sic 1. *ad Tim.* 3. Apostolus Legem condidit qua vetitum est ne Bigami & Neophiti ad Episcopatum assumerentur. Sic in omnibus Conciliis generalibus & provincialibus constitutæ sunt Leges ad componendos fidelium mores ad fidem & Ecclesiasticam disciplinam conservandam.

*Dices*, Deuteron. 12. dicitur: *quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam aut minuas.* Ergo non licet aliqua addere præcepta præceptis divinis.

*Resp. dist. conseq.* Non licet præceptis divinis alia præcepta præceptis divinis contraria, addere, *conc. conseq.* alia præcepta divinis præceptis non contraria, *nego conseq.* Alias Christus, Prophetæ, Judæi qui quasdam Leges divinæ Legi addiderunt, peccassent, quod nemo dicet.

*Inst.* 1. Lex Evangelica sufficit ad salutem, ergo potestas legislativa frustra Ecclesiæ esset concessa.

*Resp. nego conseq.* Quia Lex Evangelica includit in suo objecto Leges Ecclesiasticas & civiles, quatenus ex auctoritate sua firmat, & præcipit eis subesse.

*Inst.* 2. Christus Marci 7. damnat Leges humanas dicens: *in vanum me colunt docentes præcepta hominum.* Ergo.

*Resp. nego ant.* Evidens est enim Christum eo loci reprobare traditiones Pharisæorum, quibus irritum faciebant mandatum Dei; addit enim: *relinquentes mandatum Dei tenetis traditionem hominum.*

Quæres 1. *Quinam possint ferre Leges Ecclesiasticas?*

*Resp.* Multi Leges Ecclesiasticas ferre possunt, & quidem:

1. S. Pontifex, qui immediate a Christo potestatem ferendi Leges Ecclesiasticas pro universa Ecclesia accepit, juxta illud Joann. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas:* quibus verbis Petro subjiciuntur omnes Fideles etiam Apostoli & Episcopi per *id oves* designati.

2. Concilium generale a summo Pontifice approbatum eadem gaudet potestate, cum universam exhibeat Dei Ecclesiam.

3. Cardinalium Collegium, Sede Apostolica vacante, potest condere Leges tantummodo provi-

sionaliter, dum nempe disciplinam ecclesiasticam tuendi gravis urget necessitas; sic post mortem Fabiani Papæ Clerus Romanus provisionaliter statuit, ut lapsi in mortis periculo Eucharistia donarentur, etsi needum totum pœnitentiæ suæ cursum explevissent.

4. Concilia nationalia pro tota natione, provincialia pro tota provincia.

5. Episcopus pro sua Diœcesi, licet nondum consecratus, modo sit confirmatus; insuper requiritur in Gallia ut Episcopatus sui possessionem sive per se, sive per procuratorem inierit, alioquin perseverat jurisdictio Capituli in Sede adhuc vacante.

6. Legati summis Pontificis in territorio suæ legationis; Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum; Generales, Provinciales Ordinum, & Abbates pro suis subditis; ratio est quia gaudent jurisdictione quasi Episcopali, cui annexa est potestas condendi Leges. Hæc certa sunt; verum

Quæres 2. *An Episcopi habeant immediate a Christo potestatem condendi Leges Ecclesiasticas?*

*Resp. affirm.* Quia Episcopi supposita electione legitima & confirmatione summi Pontificis, habent vi promissionis Christi potestatem gubernandi Diœceses suas; ergo potestatem ferendi Leges habent immediate a Christo.

*Prob. ant.* Ex Script. *Joann.* 20. ubi Christus dixit Apostolis & eorum successoribus: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et Matth. 18. *quæcunque alligaveritis, &c.* Hinc cum Apostolus *majores natu Ecclesiæ* vocasset (*Act. vers.* 18.), sic ipsos monuit: *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (*ibidem vers.* 28.).

*Dices.* Potestas legislativa Episcoporum derivatur immediate a summo Pontifice, ergo non a Christo.

*Resp. nego ant. Prob.* Summus Pontifex Diœceses distribuit, conjungit, dividit; item Episcoporum potestatem extendit, limitat, causas graviores sibi reservat & subtrahit Episcoporum jurisdictioni, ut constat ex usu & praxi Ecclesiæ; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ex antecedente enim sequitur tantum, quod Episcopi suam jurisdictionem in foro exteriori accipiant cum dependentia & subordinatione ad summum Pontificem, cui soli Christus contulit jurisdictionem in universa Ecclesia, cum ipsi dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pasce oves meas.*

*Inst.* 1. Nullum extat exemplum talis dependentiæ in aliis rebus a Christo immediate institutis, ut eos inferior mutare possit aut impedire quoad valorem & efficaciam, ut patet in potestate baptizandi, confirmandi, ordinandi, &c. Ergo.

*Resp. esto ant. nego conseq.* Neque enim opus est exemplo ubi habetur aliunde sufficiens probatio, qualis hic habetur ex Scriptura & praxi Ecclesiæ.

Dixi: *esto ant.* Quia hujus subordinationis exemplum habemus in Apostolis, qui acceperant immediate a Christo jurisdictionem, & quidem universalem in tota Ecclesia, & tamen acceperant cum subordinatione ad Petrum.

*Inst.* 2. Decet ea omnia quæ sunt a Christo immediate instituta, manere immutabilia; ergo si potestas Episcopalis esset a Christo immediate, esset immutabilis.

*Resp. dist. antec.* Manere immutabilia, si non sint mutationi subjecta, *conc. ant.* si sint subjecta mutationi, *nego ant.* Porro jurisdictio Episcopalis per suam institutionem est subjecta mutationi non directe, sed indirecte, quatenus posita vel sublata designatione personæ, ponitur vel tollitur jurisdictio, aucta vel imminuta designatione territorii augetur vel imminuitur jurisdictio. Et in hoc præstat Episcoporum jurisdictio jurisdictioni quasi Episcopali etiam ordinariæ quorumdam Abbatum, quod hæc sit immediate a summo Pontifice, a quo proinde directe & pro arbitrio tolli potest aut mutari; illa vero sit a Christo, nec tolli possit aut mutari nisi indirecte & ex gravi causa.

*Inst.* 3. Ex hac opinione sequitur regimen Ecclesiæ non esse perfecte monarchicum; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego major. Prob.* Regimen monarchicum postulat ut omnis jurisdictio, quæ est in inferioribus, derivetur ab uno supremo Principe; ergo.

*Resp. dist. ant.* Ut derivetur vel directe, vel indirecte, *conc. ant.* directe semper, *nego ant.* Porro perfectio monarchici regiminis in hoc consistit quod sit efficacius aliis regiminum formis ad bonum commune procurandum; at sive potestas omnis inferiorum sit directe ab uno supremo Principe, sive indirecte, regimen perinde efficax est ad finem illum obtinendum; ergo utroque modo perfectum est.

*Inst.* 4. Innocentius I. in Epist. ad Concil. Carthag. dicit: *a Petro ipsum Episcopatum et totam auctoritatem hujus hominis emersisse*; ergo jurisdictio Episcopalis a summo Pontifice directe confertur.

*Resp. nego conseq.* Et dico illam & similes auctoritates intelligendas esse de collatione & derivatione indirecta, quatenus nemo habet jurisdictionem Episcopalem a Christo, nisi prius a summo Pontifice, aut ex ejus consensu tacito vel expresso, facta designatione & electione ejus personæ. Quod sufficit ut Episcopi in suis diplomatibus profiteantur se *Dei gratia et sanctæ sedis apostolicæ auctoritate*, Episcopos esse talis vel talis loci.

## ARTICULUS II.

*Quænam sit materia Legum humanarum.*

*Nota.* *Certum est* 1. materiam Legum humanarum debere esse quid honestum, vel saltem quid indifferens referibile ad bonum commune, ut delatio vel depositio armorum.

*Certum est* 2. Propriam Legum civilium materiam esse bonum communitatis temporale: propriam vero Legis canonicæ materiam esse bonum communitatis spirituale; quia nec Principibus laicis concessa est potestas Ecclesiam regendi, licet eam omni ope tueri & protegere debeant; nec Ecclesiæ Pastoribus præcise sumptis datum est a Christo regna moderari.

His tamquam certis præsuppositis, duo hic disputari solent. 1. An Lex humana possit præcipere actus internos. 2. An modus finis Legis cadat sub præcepto.

§. I.

*§ I. An lex humana possit præcipere actus internos?*

*Nota* 1. Actus internus potest spectari ut pure internus, talis est oratio pure mentalis; vel ut conjunctus cum actu externo.

Porro actus internus potest esse conjunctus cum actu externo duobus modis: 1. *per se & intrinsece*, cum nempe necessarius est ut actus externus vel sit humanus, id est ut fiat voluntarie & deliberate; vel ut sit moralis, id est, bonus vel malus; 2. *per accidens & extrinsece*, cum nempe actus externus ab interno separatus, non desinit esse humanus vel moralis; sic in oratione facta ad obtinendam peccatorum remissionem, intentio remissionis peccatorum est accidentaliter conjuncta cum oratione.

*Nota* 2. Præcipere actum internum *directe*, est illum præcipere ratione sui; præcipere actum internum *indirecte*, est illum præcipere ratione actus externi cui conjungitur. His positis:

*Dico* 1. *Lex humana civilis potest indirecte præcipere actus internos per se conjunctos cum actibus externis; non potest vero præcipere actus mere internos, nec eos qui per accidens tantum sunt conjuncti cum actibus externis.*

*Prob.* 1. *pars*: Qui habet potestatem præcipiendi directe aliquid, habet etiam potestatem indirecte præcipiendi illud, sine quo non potest subsistere; atqui Lex civilis habet potestatem directe præcipiendi actum externum, qui absque actu interno subsistere non potest; ergo &c.

*Prob. min.* Princeps civilis potest directe præcipere juramenti præstationem, bonorum venditionem; atqui juramentum & venditio non possunt subsistere absque interno voluntatis consentientis & intendentis actu; ergo Princeps civilis habet potestatem præcipiendi actum externum, qui absque interno actu subsistere non potest.

*Prob.* 2. *pars*: Nulla potestas præcipere potest, nisi ea quæ necessaria sunt ad finem, ad quem instituta est, assequendum; atqui finis potestatis civilis est conservatio pacis & tranquillitatis Reipublicæ; ergo potestas civilis non potest præcipere nisi ea quæ necessaria sunt ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ conservandam; atqui actus mere interni, aut illi qui accidentaliter tantum cum exterioribus sunt connexi, non sunt necessarii ad pacem aut tranquillitatem Reipublicæ conservandam; ergo.

*Dico* 2. *Lex Ecclesiastica potest præcipere* 1. *actus internos* per se *conjunctos cum exterioribus*; 2. *actus internos* per accidens *cum exterioribus conjunctos*; imo 3. *probabilius potest præcipere actus mere internos.*

1. *Pars* probata manet ex superiori propositione, & ex damnatione harum proposit. 1. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* 2. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Dominici corporis manducationem*: 1. damnata est ab Alex. VII. 2. ab Innoc. XI. Ergo vere ab Ecclesia præcipi possunt actus interni, nimirum attentio, contritio, &c. sine quibus actus externi non possunt esse moraliter boni.

*Prob.* 2. *pars*: Ecclesia præcipere potest & de facto sæpius præcipit, ut Fideles Deum exorent ad pacem inter Christianos Principes obtinendam; atqui hæc intentio est actus internus accidentaliter conjunctus cum actu externo: ergo, &c.

*Prob.* 3. *pars*: Quæ debet intelligi de Lege Ecclesiastica prout directiva, non autem prout coactiva. *Probatur* inquam, omnis Lex præcipere potest quidquid conducit ad finem ad quem instituta est; atqui actus mere interni maxime conducunt ad salutem æternam, quæ est finis proprius Legis Ecclesiasticæ; ergo eos præcipere potest.

Hinc 1. Concilium Trid. (*in Proemio sess.* 6.) exponit doctrinam de justificatione, *districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsenti decreto statuitur ac declaratur.*

Hinc 2. Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini sabaoth*, ubique accepta, definiit quemlibet districte teneri damnatum in quinque propositionibus Jansenianis sensum, non ore duntaxat, sed & corde ac interius rejiciere, nec aliter posse satisfieri Apostolicis contra Jansenium constitutionibus; ergo, &c.

Respondent adversarii Ecclesiam prohibere *aliter sentire* aut *credere*, quia id jam a Lege divina vetitum est; unde non suo, sed Christi nomine, cujus est vicaria, prohibet; sed

*Contra est*: 1. Quia eadem auctoritate prohibet Ecclesia aliter *sentire* aut *credere*, qua prohibet aliter *docere & prædicare*; atqui propria auctoritate a Deo accepta prohibet aliter docere & prædicare, licet id a Lege divina sit jam vetitum; ergo, &c. Debent ergo adversarii fateri eandem rem duplici Lege posse imperari aut prohiberi.

*Contra est*: 2. Quia (*ut docet Tourn. y post Sylvium, de Leg. human. part.* 211.) *posset Ecclesia tacito & muto de eadem bene merito, beneficium conferre, injungendo ut in compensationem horarum, preces quasdam mentales effunderet*; ergo potest præcipere actum internum quem Lex divina non præcipit.

*Objicies.* De iis Ecclesia non potest ferre Leges, de quibus non potest judicare; atqui non potest judicare de actibus mere internis; ergo.

*Resp. nego maj.* Ecclesia enim in foro contentioso non potest judicare de actibus externis omnino occultis, juxta hanc Innocentii III. (*Cap.* 33. *de Simonia*) definitionem, Ecclesia *non judicat de occultis.* Et (*Cap.* 34. *eodem Tit.*) *nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Et tamen ab illa vere prohibentur. Ergo ad præcipiendum & obligandum in conscientia non necesse est ut Legislator possit cognoscere transgressionem factam, sed sufficit ut revera velit præcipere seu obligare: nam hoc ipso culpæ & pœnæ reatus contrahitur *apud districtum judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum*, addit Innocentius III. Hæc autem obligatio satis urget impletionem præcepti, alias Lex naturalis non esset vera Lex.

*Instab.* 1. Vis directiva Legis non potest separari ab ejus vi coactiva: ergo Ecclesia de iis non potest ferre Legem, de quibus non potest judicare in foro contentioso.

*Resp. nego ant. Prob.* Lex inutilis non est vera Lex, atqui Lex, cujus vis directiva separaretur a coactiva, esset inutilis; ergo &c.

*Resp.*

*Resp. nego min.* Alias Lex esset inutilis respectu actuum externorum occultorum; ut ergo Lex sit utilis, sufficit ut homines ad id quod justum est possit dirigere, obligando eos sub culpa a Deo punienda.

*Inst.* 2. Ecclesia non habet jurisdictionem in actus internos; ergo non potest eos præcipere.

*Resp. dist. ant.* Non habet jurisdictionem in actus internos immediate, *conc. ant.* mediante persona, *nego antec.* Ergo eo ipso quo persona sensibilis est, actus etiam insensibiles eidem præcipi possunt.

*Objicies* 2. D. Th. 1. 2. q. 19. *art.* 4. docet: *de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui patent:* ergo juxta doctrinam angelicam homo non potest præcipere actus mere internos.

*Resp. nego conseq.* Ibi D. Thomas nihil aliud intendit, nisi quod ad sufficienter ordinandos, cohibendosque actus interiores propter humanam legem, necessaria sit lex divina. Id patet tum ex Titulo articuli, qui sic est: *utrum fuerit necessarium, esse aliquam legem divinam:* tum ex contextu qui post verba objecta habet; *& ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniret lex divina.* Quia scilicet actus pure interni humana lege solum prohiberi, vel præcipi possunt sub culpa coram Deo incurrenda; quam si quis interius non curaverit, nec fateri voluerit, humana potestate convinci nequit, nec puniri, sed quoad hoc dimitti debet judicio Dei. Ex hoc autem non magis consequens est, Ecclesiam ad actus internos obligare non posse, quam ipsam obligare non posse sub reatu æternæ damnationis ex eo, quod eam per se infligere non possit, sed duntaxat per adjutorium Dei cujus vices gerit.

*Inst.* Div. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 5. ait: *in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in iis, quæ exterius per corpus suum sunt agenda:* ergo.

*Resp. dist. textum.* In iis, quæ &c. homo non tenetur homini obedire quoad vim coactivam in foro contentioso, *conc.* quoad vim præceptivam vel coercitivam in foro pure interno, *nego ant.* Quod hic sensus sit Divi Thomæ proprius, patet, tum quia ibidem ad 3. dicit, *Quod Religiosi obedientiam profitentur, quantum ad Regularem conversationem, secundum quam suis Prælatis subduntur.* Regularis autem conversatio plurium regularium est conversatio interna cum Deo, seu vita contemplativa, ut constat ex Regula R.R. P.P. Benedictinorum, Chartusianorum, Carmelitarum, &c. ergo votum obedientiæ in illis extenditur ad interiores actus contemplationis. Tum quia doctrina D. Thomæ non est contraria doctrinæ Ecclesiæ; atqui doctrina est Ecclesiæ, quod subditus subjiciatur Superiori quoad internos actus, ut constat ex his prop. Michaelis Molinos damnatis ab Inn. XI. 64. *præpositis obediendum est in exteriore & latitudo voti obedientiæ religiosum tantummodo exterius pertingit, in interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus & Director intrant.* Item 66. *risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo ....... quia Ecclesia non judicat de occultis.*

### § II. *Utrum modus finisque Legis cadant sub præcepte.*

*Nota* 1. *Per modum Legis*, intelligimus ea quæ actui sunt necessaria ut per eum vere Lex adimpleatur, v. g. ut actus fiat 1. scienter & voluntarie; 2. ut fiat ex intentione Legis implendæ; 3. ut fiat propter finem honestum.

*Nota* 2. Per *finem Legis*, intelligimus finem extrinsecum, seu finem a Legislatore intentum; nulli enim dubium est quin finis intrinsecus, cum sit ipsa res præcepta, cadat sub præcepto & debeat intendi. Unde

Quæres 1. *An modus Legis ut quis agat scienter & voluntarie, cadat sub præcepto?*

*Resp. affirm.* Nam quod per Legem præcipitur, non potest impleri nisi per actum humanum; atqui actus non est humanus nisi fiat scienter & deliberate; ergo. Hinc

*Resolves:* Præcepto audiendi sacri non satisfacit qui ebrius aut dormiens sacro interest; sicut nec qui ipsi interest omnino invitus, ita ut nolit attendere & reipsa non attendat ad sacrum.

Quæres 2. *An modus Legis, ut quis agat cum intentione implendæ Legis, cadat sub præcepto?*

*Resp.* Vel Lex est negativa, vel affirmativa; si sit negativa, talis modus non cadit sub præcepto; cadit vero si sit affirmativa.

*Prob.* 1. *pars:* Per Legem negativam prohibetur unice ne quis sciens aut volens faciat id quod est prohibitum, v. g. ne quis furetur; atqui sine intentione Legis implendæ potest quis non facere sciens & volens, id quod per Legem prohibetur; ergo &c.

*Resolves:* Qui non furatur quia non cogitat de furto, tam implet præceptum non furandi, quam qui non furatur quia cogitat furtum esse prohibitum.

*Prob.* 2. *pars:* Ex communi axiomate: *actus hominis ultra intentionem ejus non operantur;* ergo ut quis Legi satisfaciat, necesse est ut agat ex intentione Legis implendæ.

*Resolves* 1. Qui audit Missam, nolens positive satisfacere præcepto, illi non satisfacit. 2. Qui audit Missam eo die quem festivum novit, sed non vult præcepto satisfacere, quia vult eidem satisfacere per alterius Missæ, puta solemnis, auditionem, non satisfacit præcepto; sed

*Petes: Quænam intentio satisfaciendi præcepto requiritur ut ei satisfiat?*

*Resp.* Requiritur & sufficit intentio interpretativa. Ratio est quia Lex non præcipit ut eliciatur actus tamquam præceptus: sed solum ut eliciatur voluntarie; ergo ut satisfiat Legi, sufficit intentio interpretativa ei satisfaciendi; hæc autem intentio continetur in voluntate actum præceptum exequendi, quæ non excludat intentionem implendi Legem.

*Resolves:* Qui ignorans, vel non advertens ad diem Festum, Missam audit devote, satisfacit præ-

præcepto, nec aliam tenetur audire postquam resciverit esse diem festum.

Quæres 3. *An modus Legis ut quis agat ex fine honesto, cadat sub præcepto?*

*Resp.* Cadit sub præcepto Legis Ecclesiasticæ, non vero Legis civilis.

*Prob.* 1. *pars:* Quia Ecclesia præcipit actus ad salutem æternam conducentes; sed actus hominis ad hunc finem conducere nequeunt, nisi fiant propter finem honestum & virtuosum; ergo.

*Resolves*: Clericum qui divinum celebrat Officium principaliter propter retributionem temporalem, præcepto non satisfacere, imo mortaliter peccare, ut docet D. Thomas (*quodl. art.* 11.) Dixi tamen, *principaliter:* quia si talis pravus finis se tantum concomitanter habeat ad celebrationem Officii, præcepto Ecclesiæ satisfacit. Hinc qui devote recitat Officium ex motivo religionis, licet ad id moveatur ex appetitu retributionis temporalis, præcepto Ecclesiæ satisfacit.

*Prob.* 2. *pars:* Quia potestas civilis præcipit tantum actus ad externum regimen politicum conducentes; atqui actus ad hunc finem conducere possunt, etiamsi non fiant propter finem honestum & virtuosum; ergo.

*Resolves:* Militem fortiter pugnantem ex vana gloria, implere præceptum ducis, licet peccet contra Legem naturalem, quæ præcipit ut bonum bene fiat.

Quæres 4. *Utrum finis Legis extrinsecus, seu a Legislatore intentus, cadat sub præcepto?*

*Resp.* Vel finis Legis extrinsecus præcipitur a Legislatore, vel non præcipitur: *si primum*, tunc cadit sub præcepto, ut patet ex terminis, unde qui hunc finem non intenderet, non satisfaceret præcepto, licet rem præceptam exerceret ex alio motivo honesto. *Si secundum*, non cadit sub præcepto, quia tunc solum præcipitur voluntaria operis executio.

Hinc qui jejunat, satisfacit præcepto jejunii, licet non intendat macerationem corporis, quia hæc intentio non præcipitur ab Ecclesia.

## ARTICULUS III.

*Qualis esse debeat promulgatio Legum humanarum?*

*Nota.* *Certum est* 1. Leges Imperiales non prius obligare quam in singulis provinciis fuerint promulgatæ; imo non obligare in provinciis ubi promulgatæ sunt, nisi post elapsum bimestre a die promulgationis; id enim sancitum est authentica tit. Justiniani, *ut factæ novæ constitutiones*, quæ Juris dispositio valet pro Principibus Imperatori subditis, cum teneantur servare Jus commune Imperii, hac enim conditione principatum acceperunt.

*Certum est* 2. Reges & Principes Imperatori non subditos, non teneri authentica citatæ se conformare; quare sufficit ut eorum Leges promulgentur in uno loco, ex quo ad alia loca possint commode divulgari, nisi aliud ipsi statuerint, vel nisi consuetudo legitime præscripta obstet; ratio est quia talis promulgatio ex natura rei sufficit ad obligandum subditos.

*Porro* in omnibus fere regnis usus invaluit, ut novæ Leges in omnibus provinciis promulgentur, nec aliter singulas provincias obligent; sic in Gallia Leges Regiæ non prius obligant quam relatæ fuerint in actis supremarum curiarum, ait Ferriere (*Introduction à la pratique v. Ordonnances*) ex quo notat Paulus a Lug. (*qu. 4. art.* 1. *de Leg. in com.*) nonnullas Leges Gallicanas defectu illius specialis promulgationis robur obtinere in una provincia, quod non habent in altera.

Superest ergo inquirendum, an pontificiæ Leges non prius in singulis Regnis ac Provinciis obligent quam in illis promulgatæ fuerint; negant Itali docentes sufficere promulgationem factam in Curia. Econtra *omnes fere Galli, Germani, & Hispani qui quæstionem illam attigerunt, necessariam esse per singulas Provincias Legis Ecclesiasticæ promulgationem contendunt*, ait Illustr. de Marca (*L.* 2. *de concordia Sacerdotii & imperii, c.* 15.) cum quibus

*Dico. Leges pontificiæ non ante obligant quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint.*

*Prob.* Leges civiles non ante obligant, quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint, ut statuit Justinian. ergo nec Leges pontificiæ. *Prob. conseq.* Dum in Jure Canonico nihil circa quidpiam statutum est, servandum est Jus civile ut definit Lucius III. (*Cap.* 1. *de novi operis nuntiatione*) his verbis: *sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Atqui circa Legum Canonicarum promulgationem in singulis provinciis faciendam nihil statutum est in Jure Canonico; ergo circa eandem standum est Juri civili.

*Confirmatur* 1. Ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper suarum Legum promulgationem summa sollicitudine ac diligentia fieri curavit. Sic Apostoli decretum in Conc. Jerosolymitano (*Actor.* 15. *v.* 23.) editum miserunt his qui erant *Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ*, per *Judam & Silam viros primos in fratribus*.

Sic Concilium Lateran. IV. (*sub Innoc. III.*) statuit ut constitutio quam ediderat contra medicos qui non monent infirmos ut quam primum ad medicos animarum recurrant, robur habeat *postquam per prælatos locorum fuerit publicata.*

Sic Concilium Tridentinum (*sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 1.) *Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum potuerint, curent hoc decretum*, quo matrimonia clandestina irritantur, *populo publicari, & explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus Ecclesiis .... decrevit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos.*

*Confirmatur* 2. Quia etiam Romæ pro validis habentur matrimonia clandestina, quæ in iis locis contracta sunt ubi Concilium Tridentinum nondum fuit promulgatum.

*Objicies* 1. Canones fidei & morum in Conciliis conditi obligant etiam in iis provinciis in quibus non fuerunt promulgati; ergo Leges canonicæ non indigent promulgatione in singulis provinciis facta.

*Resp.*

*Resp. dist. conseq.* Leges Canonicæ spectantes fidem & mores, *conc. cons.* spectantes disciplinam, *nego conseq.* Ratio disparitatis est quod definitiones fidei & morum nihil novi contineant, sed sint meræ juris naturalis & divini jam sufficienter promulgati declarationes, unde eis adhærendum est statim ac certo cognoscuntur, sive promulgationis via, sive alia quacumque ratione cognoscantur; econtra Leges ad disciplinam spectantes aliquid novi continent, quod non eodem modo omnibus locis convenit, & ideo pro locis omnibus non feruntur necessario; ergo tandiu incertum est an pro hac vel illa provincia ferantur, donec in ea promulgatæ sint.

*Inst.* Atqui Leges Canonicæ disciplinam spectantes non indigent promulgatione in singulis provinciis; ergo.

*Prob. subsump.* Multi Canones Juris canonici habent vim Legis in Gallia: atqui tamen ibi non fuerunt promulgati; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Non fuerunt promulgati formaliter, *conc. min.*, virtualiter, *nego min.* Porro duobus modis Leges Canonicæ virtualiter promulgantur in Gallia; 1. Quando in regiis latæ sunt edictis; 2. Quando longo usu & judiciorum consuetudine sunt probatæ; atque inde est quod Galli Judices alias e decretalibus sequantur, alias rejiciant, eas maxime quæ consuetudinibus in regno constanter observatis adversantur.

*Objicies* 2. In Curia Romana provinciarum causæ & lites definiuntur juxta Leges Romæ tantum promulgatas; ergo pro certo habent Romani præsules promulgationem Romæ factam sufficere.

*Resp. nego ant.* 1. Quia, ut dictum est, Romani Judices etiam Romæ judicant valida esse matrimonia clandestina ibi contracta, ubi Lex ea irritans nondum fuit promulgata. 2. Quia plures causæ Romam evocatæ, Romæ non judicantur, sed ad Episcopos, vel alios remittuntur, ut dirimantur secundum Leges quæ in iis regionibus fuerunt promulgatæ. 3. Quia Romani Judices supponunt Leges, juxta quas dissitarum provinciarum Lites dirimunt, in illis provinciis fuisse promulgatas, ibique vigere; *siquidem*, ait Paul. a Lug. (*De Leg. in communi quæst.* 4. *art.* 1.) *moraliter impossibile est, ut omnium regionum atque provinciarum usus particulares perfecte calleant.*

## ARTICULUS IV.

### *An ut Lex humana obliget, requiratur consensus sive acceptatio populi?*

*Nota.* Hæc quæstio procedit de Legislatore absoluto, hoc est qui vel a Deo ut Papa & Episcopus, vel a communitate ut purus monarcha, potestatem accepit absolutam & sine dependentia a populi acceptatione. Potest enim communitas cum aliquem suo regimini præficit, potestatem legislativam ei conferre cum hac limitatione, ut Leges ferre non possit, vel sine consensu majoris partis optimatum, ut in regimine *aristocratico*; vel majoris partis populi, ut in regimine *democratico*: de quo intelligi debet istud Justiniani (C. 3. *ff. de Leg.*), *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.* Hoc notato:

*Dico, ut Lex obliget, non requiritur consensus, sive acceptatio majoris partis communitatis.*

*Prob.* Ea Lex non pendet ab acceptatione majoris partis communitatis, quæ ad sui acceptationem obligat; atqui Lex humana a Legislatore absoluto absolute lata ad sui acceptationem obligat juxta illud Apost. (*Rom.* 13. *vers.* 2.) *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ergo non pendet ex acceptatione. Ergo sicut præceptum legitimi Superioris obligat subditum independenter ab acceptatione subditi, ita Lex, quæ est commune præceptum, obligat communitatem independenter ab acceptatione communitatis.

Unde hæc prop. (*Prop.* 28.) *populus non peccat, etiamsi absque nulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam*: damnata est ab Alex. VII. & Clero Gallicano (*ann.* 1700.)

*Objicies* 1. Illud Gratiani (*Cap. in istis dist.* 4.) *Leges instituuntur quando promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam Leges per usum firmantur non hoc sensu quod per usum accipiant vim obligandi; Leges enim habent vim obligandi cum instituuntur; atqui ex prima parte Canonis, *instituuntur cum promulgantur*; ergo. Sed eo sensu quod per usum eximantur a periculo abrogationis; Leges enim quarum observatio negligitur, tandem abeunt in desuetudinem, vel a Principe, nimiæ populi resistentiæ cedente, relaxantur.

*Objicies* 2. Legislator civilis accipit potestatem legislativam a communitate; ergo ejus Leges non obligant nisi dependenter a consensu communitatis.

*Resp. nego conseq.* Quia semel a populo in Principem simpliciter, & absolute translata potestate legislativa, populus eidem obsequi tenetur, eodem modo quo famulus tenetur obtemperare præceptis heri sui, licet sponte se illius obsequio addixerit.

*Inst.* Potestas legislativa absolute & sine limitatione concessa, non est bene instituta; ergo nemini est concessa.

*Resp. nego ant.* Imo potestas legislativa esset pessime concessa, si non includeret vim compellendi subditos ad ea observanda quæ bono regimini Reipublicæ necessaria vel utilia sunt, & hoc eo verius est quod pars major soleat esse deterior; quæ si cogi non posset, & valor Legis ab ejus nutu penderet, optimæ Leges fere semper rejicerentur.

*Objicies* 3. Consuetudo potest abrogare legem jam obligantem; ergo multo magis prævenire potest ne obliget.

*Resp. dist. ant.* Consuetudo legitime præscripta, *conc. ant.* consuetudo non legitime præscripta, *nego ant.* Porro ideo consuetudo legitime præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consentit tacite ut Lex sua in desuetudinem abeat: non mirum est autem, si Lex quam Princeps tacite revocat, non amplius obliget.

*Objicies* 4. Lex a majori parte communitatis non recepta, est inutilis ac nociva; ergo non est vera Lex.

*Resp. dist. ant.* Est nociva ex malitia populi, qui ideo peccat eam non recipiendo, *conc. ant.* ex seipsa, *nego ant.* nam fertur propter bonum commune.

*Inst.*

*Inst.* Illa Lex non est vera, quæ non potest cogere subditos ad sui observantiam; atqui Lex quæ non observatur a majori parte communitatis, non potest cogere ad sui observantiam; nam adversus majorem partem communitatis non suppetit vis coactiva; ergo.

*Resp. nego min.* Nam licet non possint omnes delinquentes puniri, at possunt ex multis aliqui ad pœnam deligi, *ut & ceteri timorem habeant* (1. *ad Tim.* 5. *vers.* 20.) Cavere tamen debet Legislator, ne urgendo executionem Legis contra majorem partem communitatis, plus mali vel perturbationis afferat quam utilitatis; talis enim Lex non expedit bono communi.

*Objicies* 5. Quando Leges aliquæ non servantur a majori parte licet deteriori, non tenetur pars minor eas servare; ergo valor Legis pendet a consensu majoris partis.

*Resp. nego ant.* Quod si verum esset, plurimæ Leges non obligarent bonos & timoratos, quia a majori & deteriori parte non servantur, quod est falsum si excipiantur duo casus. 1. Quando Legislator tacite consentit ut Leges non serventur a minori parte, ob resistentiam, vel non usum majoris partis. 2. Cum non possunt servari Leges a minori parte sine suo gravi incommodo (vide Pontas. V. Dimanche cap. 7.) Ex quibus apparet sæpius evenire, ut qui Legem primi transgrediuntur, graviter peccent, immunes vero sint ab omni culpa qui eam postea negligunt.

## ARTICULUS V.

### *Quinam Legibus humanis teneantur?*

*Nota.* *Certum est* omnes & solos subditos, rationis usum habentes, subdi Legibus humanis.

Dixi 1. *Omnes & solos subditos*: quia potestas Legislativa subjectionem in aliis essentialiter connotat; ergo non potest exerceri nisi in subditos, ut definit Clemens Tertius (*Cap. a nobis. De Sent. excomm.*). Unde

*Resolves* 1. Infideles non baptizatos teneri Lege baptismi & aliis præceptis Evangelicis, quia subditi sunt Deo, qui omnibus Legem Evangelicam imposuit; non tamen tenentur Legibus mere Ecclesiasticis, quia non sunt Ecclesiæ subjecti, juxta illud Apostoli: *quid ad nos de his qui foris sunt judicare?* Hinc secluso scandalo & contemptu Legis Ecclesiæ non peccant qui carnes eis ministrant die vetito, quia nullius peccati, ne quidem materialis, sunt causa.

*Resolves* 2. Hæreticos teneri Legibus Ecclesiasticis, quia per baptismum sunt subditi Ecclesiæ, quamvis rebelles.

Dixi 2. *Rationis usum habentes*: quia Lex non imponitur nisi subditis obedientiæ & directionis capacibus; atqui qui non habent usum rationis, non sunt obedientiæ & directionis capaces; ergo.

*Resolves*: Perpetuo amentes ac pueros ante usum rationis qui carnes manducant diebus prohibitis, non peccare, sicut nec ii qui illis carnes administrant; contra peccarent qui ebriis & ad tempus delirantibus carnes darent comedendas die vetito, quia sunt in statu habituali usus rationis licet per accidens pro aliquo tempore impediti: nam non licet peccato alieno materiali cooperari.

*Dices.* Infantes tempore interdicti privantur Ecclesiastica sepultura. Item obligantur ad baptismum, ergo Legibus adstringuntur.

*Resp. nego conseq.* Ad hæc enim tenentur, non quia subjacent præceptis Ecclesiæ; sed 1. Quia privantur sepultura in interdicto generali in pœnam aliorum, & in interdicto locali ob incapacitatem loci, in quo nemo sepeliri debet. 2. Quia baptismus est medium sine quo salus obtineri non potest. His tamquam certis positis,

*Restat resolvendum*: 1. Utrum Legislator ipse; 2. Clerici; 3. Peregrini, advenæ & vagi teneantur Legibus humanis.

### §. I. *Utrum Legislator suis Legibus obligetur?*

*Nota.* 1. Hic agitur de Legislatore habente potestatem legislativam absolutam & independentem a communitate; certum est enim Duces rerum publicarum teneri Legibus quas cum Republica tulerunt; & Generales Ordinum Legibus in Capitulo generali latis, quia sunt inferiores communitati a qua Leges feruntur.

*Nota* 2. Item agitur de Legibus quarum materia convenit Principi & subditis; tales sunt Leges quæ præcipiunt communionem paschalem, taxant pretia rerum, &c. Legislator enim non teneretur Lege prohibente armorum gestationem. Itaque

*Dico. Legislator non tenetur proprie suis Legibus neque quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam: sed ad eas servandas tenetur vi Legis naturæ dictantis ut Superior suis subditis præeat exemplo.*

*Prob.* 1. *pars*: Quia qui non est subditus, non tenetur Legibus; atqui Legislator non est sibi nec prædecessoribus suis subditus. Ergo &c.

*Prob.* 1. *pars*: Quia æquitas & ratio naturalis dictat Principem debere vita & moribus concordare cum subditis in iis quæ ipsi æque ac subditis conveniunt, si enim ut ait August. (*lib.* 3. *Confession. cap.* 2.) *Turpis est omnis pars suo universo non congruens*; quanto magis caput non congruens? Hinc illa utriusque Juris axiomata: *Justum est Principem Legibus obtemperare suis* (*Cap. Justum dist.* 9.) *Et Digna vox est majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri.* (*Lib.* 4. *cod. de Legib.*)

*Objicies contra primam partem.* 1. Axiomata Juris citata videntur significare Principem adstringi Legibus suis; ergo.

*Resp. nego antec.* Significant enim præcise Principem teneri Leges suas observare, sed non explicant unde oriatur talis obligatio; dico autem illam oriri non ex Legibus Principis, sed ex Jure naturali; Lex ergo a Principe lata, est tantum occasio, seu conditio obligationis, quæ ex æquitate naturali oritur.

*Inst.* 1. Licet Princeps non teneatur vi coactiva Legis suæ, tenetur saltem vi directiva. Ergo tenetur proprie Lege sua.

*Resp. nego ant. Prob.* Vis directiva non videtur re-

necessario requirere superioritatem in eum quem obligat; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam sicut vis coactiva Legis non agit nisi in subditum, ita nec vis directiva, ac proinde utraque supponit superioritatem ex parte Legislatoris; alioquin Lex non dirigeret nisi per modum regulæ consulentis, non obligantis.

*Inst.* 2. Princeps transgrediendo Legem committit idem specie peccatum cum subditis eam transgredientibus, v. g. peccatum injustitiæ si vendat triticum ultra pretium a se taxatum Lege communi. Ergo tenetur sua Lege quoad vim directivam.

*Resp. nego conseq.* Nam ex antecedente sequitur tantum quod Jus naturale Principem obliget ad servandam Legem suam ex affectu virtutis quam præcipit.

*Inst.* 3. Cum Suarez, Deus dedit potestatem legislativam hominibus ea tantum conditione ut Leges si sint universales, comprehendant ipsum legislatorem: ergo proprie illum obligant.

*Resp. nego ant.* Deus enim potest dare potestatem legislativam sub tali conditione, quia non potest facere ut idem sit sibi Superior & subditus juridice, ergo nec facere ut Legislator se Lege sua comprehendat, sed solum potest velle, & de facto vult & per lumen naturale præcipit, ut Princeps servet Leges suas quando materia est ipsi cum subditis communis; sed aliud est Deum velle ut Princeps servet Leges suas, & aliud velle ut teneatur ex vi suarum Legum; illud verum est, & inde nascitur obligatio Principis; hoc impossibile defectu jurisdictionis in se ipsum.

*Objicies contra secundam partem.* Non videtur Lex naturalis Principem ad servandas Leges suas obligare posse nisi ratione scandali; sed hæc obligatio non sufficit; alioquin remoto scandali periculo posset Princeps non servare Leges suas, quod falsum; ergo.

*Resp. nego maj.* Et dico legem naturalem Principi hanc obligationem imponere, non tantum ratione scandali, sed etiam ratione boni communis, rectæ gubernationis, & necessariæ conformitatis cum subditis, & sic obligatur Princeps etiam extra scandali periculum.

*Inst.* Bonum commune rectaque gubernatio non exigit necessario ut omnia membra communitatis vivant conformiter in iis quæ omnibus accommodata sunt. Ergo Princeps non tenetur necessario conformari cum subditis.

*Resp. nego ant. Prob.* Si hoc esset, Princeps non posset dispensare, aut privilegia concedere; falsum conseq. ergo.

*Resp. dist. sequelam.* Non posset dispensare aut privilegia concedere sine justa causa; *conc. seq.* cum justa causa, *nego seq. maj.* Itaque Princeps, si justa causa subsit, potest dispensare a sua Lege subditos quidem proprie, seipsum vero improprie quatenus interpretatur Legem naturalem ipsum non obligare ad Legem suam servandam, quando habet rationabilem causam, ob quam ipse subditum merito ab ejus obligatione liberaret, cum non sit deterioris conditionis quam subditi.

### §. II. *An Clerici Legibus civilibus obligentur.*

Dico: *Clerici obligantur Legibus civilibus, salva tamen eorum immunitate.*

*Prob.* Omnes partes communitatis politicæ obligantur Legibus politicis; atqui Clerici sunt partes communitatis politicæ, de quibus sicut & de aliis dicit Apost. (*Rom.* 13. *v.* 1.) *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quem locum interpretans Theodoretus ait: *& Sacerdos, & Antistes, & Monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt Principibus.*

*Resolves*, Ecclesiasticos teneri vendere pretio per leges taxato, observare formalitates contractuum, non extrahere merces extra territorium, &c.

Dixi: *salva tamen eorum immunitate*: quæ, ut ait Trid. (*Sess.* 25. *de ref. cap.* 20.) *Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constituta est.* Et quæ præcipue consistit in immunitate a vectigalibus & tributis, ut declaratur in utroque Jure Canonico (*Cap. Clericis de immunitate Ecclesiarum*), & Civili (*L. casta*, *&* 1. *Sancimus cod. de sacrosanctis Ecclesiis*).

*Dices*: Principes sæculares etiam pietate præstantes a Clero plerumque pecuniarum subsidium exigunt; ergo non sunt exempti a Lege tributorum.

*Resp. nego conseq.* Quia illud subsidium non auctoritate absolute, sed gratiose postulant, & a Clero gratis & libere conceditur; unde vocatur *donum gratuitum.*

*Nota* tamen duos esse casus, in quibus Clerici Principibus sæcularibus tributa solvere tenentur.

1. Si bona quædam titulo laico possideant, quia illa bona onus suum non omittunt ex eo quod ab Ecclesiasticis possideantur.

2. Si necessitas ob quam tributa exiguntur a Laicis, non minus ipsos quam Laicos concernant; ut si infideles regnum devastarent, si pestis grassaretur, inundatio immineret, &c.

### §. III. *An peregrini, advenæ & vagi teneantur Legibus?*

*Nota* 1. Peregrini, advenæ & vagi inter se differunt.

*Peregrinus* est is qui e loco domicilii sui egrediens, transit per aliquem locum, vel ibi moratur ad tempus, cum animo ad sua revertendi.

*Advena* est is, qui extra patriam suam domicilium fixit.

*Vagus* est qui nullibi domicilium fixum habet, ut milites.

*Nota* 2. Certum est præcepta personalia, quæ nimirum non afficiunt immediate territorium, sed personas, illas obligare ubicumque fuerint, quia ipsas semper afficiunt.

Hinc Sacerdos in sua diœcesi a muneribus sacerdotalibus suspensus, non potest in aliena diœcesi celebrare. His positis

*Dico* 1. *Peregrini & advenæ non tenentur Legibus localibus suæ patriæ: unde non peccant eas non servando, nisi absint in fraudem, vel fictione juris censeantur ipsas in propria patria transgredi.*

*Prob.* Quia Legislatoris jurisdictio est ita affixa proprio territorio, ut extra illud non extendatur: ergo non potest obligare eos qui extra territorium existunt; unde Bonifacius VIII. (*Cap.* 1. *de Constitut. in* 6.) definit: pœnam latam per statutum Episcopi, non incurri ab eo qui extra illius territorium non servat tale statutum, cujus definitionis rationem reddens, ait: *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Quæ ratio desumitur ex Jure Civili. (*Lege ult. ff. de jurisdict. omnium Judicum.*) Hinc

*Resolves* 1. Eum qui bona fide e propria diœcesi ubi diebus sequentibus erit jejunium & dies festa, transit in alienam diœcesim ubi neutrum est præceptum, nec jejunii, nec missæ audiendæ Legibus teneri, etiamsi sit Lex Ecclesiæ universalis, quæ ex privilegio aut consuetudine legitima non servatur in loco ubi bona fide se transtulit, quia consuetudo localis spectat omnes qui sunt in loco.

*Resolves* 2. Eum qui peccatum in sua diœcesi reservatum commisit, sive illud in sua sive in aliena diœcesi commiserit, posse in aliena diœcesi ubi non est reservatum, absolvi a communi Confessario.

Dixi 1. *Nisi abeint in fraudem*: quia Lex est generalis ubique recepta & obligans, *nemini fraus sua patrocinari debet* (*Cap. si vir de cogn. spir.*) & vero qua ratione servari posset ordo, si cuique liceret Ecclesiæ Leges fugiendo eludere? hinc

*Resolves* 1. Eum qui e territorio suo ubi jejunatur, aut agitur festa dies, in aliud ubi neutrum viget, eo fine se transfert ut carnibus vesci, aut servile opus exercere possit, peccare mortaliter, & pœnis contra transgressores latis subjacere.

*Resolves* 2. Eum qui e propria diœcesi ubi peccatum reservatum commisit, discederet ea mente ut in aliena ubi non est reservatum, facilius absolutionem impetraret, sacrilegium perpetrare, nec vere absolvi, ut declaravit Clemens X. Bulla *superna.*

*Dices* 1. Qui ex propria diœcesi egreditur ut eximatur a Lege, utitur jure suo: ergo non agit in fraudem Legis.

*Resp. nego ant.* Nullus enim habet jus obligationis quæ ad sui utilitatem condita est, absque causa eludendi, & intentionem Legislatoris fraudandi.

*Dices* 2. Quilibet jus habet mutandi domicilium, ut se a durioribus patriæ suæ Legibus eximat; ergo a pari potest ad tempus abesse, ut se ab iisdem liberet.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod unicuique sit liberum hoc vel illud domicilium eligere, adeoque his vel illis Legibus se subjicere; sed non est liberum quamdiu est membrum communitatis, Leges in ea vigentes eludere contra earumdem & Legislatoris intentionem, id enim necessarium est ad efficaciam Legum.

*Dix.* 2. *Vel nisi fictione juris censeantur, eas Leges in propria patria transgredi.* Tales sunt Leges versantes circa res in proprio territorio sitas; vel circa actiones aut omissiones quæ consummantur in territorio, licet persona sit extra illud.

*Ex* 1. *sequitur*, Leges concernentes agros, ædificia, ut tributorum realium solutionem, omnes ubique subditos ligare.

*Ex* 2. *sequitur*, Leges præcipientes beneficiatis residentiam, Synodorum aut Capitulorum convocationem; item prohibentes mercium, frumentorum, armorum, & monetarum transmissionem, locorum peste infestorum frequentationem, omnes ubique subditos obligare; unde ubicumque existant, incurrant pœnas contra transgressores latas: sic Leo III. (*Cap.* 2. *de Clericis non resid.*) deposuit Cardinalem Anastasium, quia per annos quinque *contra Canonum statuta* in Ecclesia sui tituli non residebat.

Quæres *an qui e domicilio suo ubi Lex v. g. festi, jejunii, &c. obligat, transit in locum ubi non obligat, teneatur illam implere antequam exeat?*

*Resp.* Tenetur seclusa gravi necessitate, si prævideat Legem impleri non posse in alio loco. Ratio est quia præceptum quod actu obligat, actu impleri debet si postea impleri non possit; atqui præceptum v. g. audiendi missam actu obligat in loco ubi festa dies agitur, si non possit impleri in alio loco etiam non festivo; ergo actu impleri debet: sicut ad primam missam tenetur qui prævidet se postea ab auditione secundæ missæ impediendum fore.

Hinc qui egreditur e loco jejunii, paulo post adventurus in locum non jejunii, non potest ante discessum vesci carnibus, nec mane jentare; potest tamen circa meridiem prandere more eorum qui inibi jejunant.

Dico 2. *Vagi, peregrini, & advenæ Legibus locorum in quibus existunt, & per quæ transeunt, adstringuntur.*

*Prob. de Vagis*, quia exlex non potest esse homo: Reipublicæ enim interest ut quilibet aliquibus Legibus ac alicujus Superioris gubernationi subsit; atqui si vagi non subjicerentur Legibus locorum per quæ transeunt, essent exleges; ergo.

*Prob. de Peregrinis & Advenis.* Ex dictis præcedenti conclusione, sufficit brevis absentia ad eximendum peregrinos & advenas ab obligatione Legum proprii territorii a quo discedunt; ergo debet quoque sufficere brevis præsentia ad subjiciendum Legibus alieni territorii, in quo existunt, vel per quod transeunt, nam *qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtra*, (*Reg.* 55. *Juris in* 6.) Unde D. Ambrosius a D. August. consultus utrum liceret civi Romano Mediolani existenti non jejunare Sabbato, respondit: (*Refertur c. illa dist.* 12.) *cum Romam venio, jejuno Sabbato, cum hic* (Mediolani) *sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, morem ejus serva.* Ex qua responsione prodiere hi versus:

*Cum fueris Romæ, Romano vivito more.*
*Dum fueris alibi, vivito sicut ibi.*

*Dices* 1. Peregrini non sunt subditi Principis alterius territorii; ergo non adstringuntur Legibus alieni territorii.

*Resp. dist. ant.* Non sunt subditi permanentes & ha-

& habitu, *conc. antec.* transeunter & actu, *neg. antec.* Porro ad transitoriam subjectionem sufficit transitoria præsentia in loco, sicut ad transitoriam exemptionem a jurisdictione & Legibus sui territorii sufficit brevis absentia.

*Dices*: Sacerdotes Græci apud Latinos versantes non tenentur latinorum ritu celebrare; ergo non adstringuntur legibus alieni territorii.

*Resp. nego conseq.* Equidem Græci non tenentur, immo non possunt licite consecrare in azymo, quia in Concil. Florent. sancitum est ut unusquisque ubicumque degeret, Ecclesiæ suæ ritum sequeretur, ut pax & unio Ecclesiæ latinæ & Græcæ servaretur; porro exceptio firmat regulam, & ostendit in aliis casibus peregrinos, locorum per quæ transeunt, Legibus obligari.

*Resolves* 1. Peregrinus veniens e loco non jejunii & accedens sub vesperam in locum jejunii, non potest cœnare, sed tantum collatiunculam sumere, ut inibi faciunt jejunantes; sicut si e loco jejunii se conferret in locum non jejunii, posset cœnare & carnibus vesci, licet in loco jejunii pransisset: par enim est, ut *qui sentit commodum, sentiat & onus.* Unde in omnibus se debet aliis conformare.

*Resolves* 2. Peregrinus transiens per aliquem locum & ibi pernoctans tenetur omnibus præceptis negativis, quibus v. g. prohibentur usus carnium, opus servile, &c. sed ut teneatur præceptis positivis quibus v. g. præcipitur auditio missæ, requiritur ut per aliquod tempus, v. g. matutinis horis moretur in oppido in quo est dies festa; ratio disparitatis est quia præcepta negativa in transitu servari possunt nec iter retardant; econtra præcepta affirmativa iter retardant; nec peregrinus ut illa exequatur, tenetur iter retardare.

*Nec dicas*: ex supra dictis incola transiens e loco sui territorii festivo in alienum territorium non festivum, tenetur audire missam antequam discedat, si prævideat se alibi non auditurum: ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas desumitur ex communi hominum sensu, secundum quem ad plus tenetur incola quam viator: quia incola territorii sui legibus permanenter adstringitur, viator vero non nisi transitorie.

## ARTICULUS VI.

### *Quæ sit formalis Legum humanarum obligatio?*

*Nota.* Ut in hoc articulo sub quo multa comprehenduntur, ordine procedamus, resolvemus 1. utrum Leges humanæ obligent in conscientia & sub peccato; 2. proponemus & solvemus nonnullas quæstiones circa obligationem formalem Legum humanarum.

### §. I. *An Leges humanæ obligent in conscientia?*

Negant pseudo-reformati, negare etiam videtur Gerson (*L. de vita spiritual. Lect.* 4.) qui docuit solum Deum posse dare præcepta obligantia sub pœna mortis æternæ; ideoque addit quoties peccari videtur contra Legem humanam, non incurri culpam ex transgressione Legis humanæ, nisi quatenus est determinatio Juris naturalis vel divini; contra quos

*Dico*: *Lex humana tam civilis, quam ecclesiastica obligat in conscientia, & sub peccato, quandoque etiam sub mortali.*

*Prob. de Lege ecclesiastica*: Matth. 18. *quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, id est ab Ecclesia præcisus & excommunicatus, & *Publicanus*, id est publicus peccator habendus est. Ergo.

Hinc Alexand. VII. (22. *inter Prop. damnat. Decreto dato* 24. *Sept. an.* 1665.) damnavit sequentem Prop. *frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter.* Et Innoc. XI. hanc: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* (*Prop.* 55.)

*Prob. de Lege civili*, ex Apost. Roman. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo . . . . itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem*, nempe æternam, ut interpretantur Patres (*S. Chrysost. Theophil. Œcumenius, &c.*) *acquirunt.* Et subdit, *ideo necessitate subditi estote*, id est necesse est ut subditi sitis, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, hoc est non tantum ob pœnam ab humano judice infligendam, sed etiam ob culpam quam incurretis, si non obediatis.

*Confirm.* Quia Lex humana est verum præceptum; atqui verum præceptum obligat in conscientia, juxta illud D. Aug. (*L. de Sancta Virginit. cap.* 15.) *illud est præceptum cui non obedire peccatum: consilium, quo si tu nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrans*: ergo &c.

*Objicies* 1. Ecclesia aliquid de fide credendum definire non potest quod in verbo Dei non contineatur; ergo nec potest aliquid præcipere sub pœna peccati quod in Lege naturali vel divina non contineatur.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Ecclesia nihil de fide credendum definire potest quin sit a Deo revelatum; omne autem revelatum in verbo Dei est contentum; econtra multa sunt pro loco & tempore utilia quæ Deus non præcepit, sed ab hominibus præcipit permissa; ergo potest aliquid præcipere in conscientia, quod a Deo non fuerit præceptum.

*Inst.* 1. Inferior non potest ligare in foro superioris, sicut nec solvere; ergo Legislator humanus non potest obligare in conscientia, quæ est forum Dei.

*Resp. dist. ant.* Non potest potestate propria, *conc. ant.* potestate sibi tradita a Superiore, *nego ant.* Porro Legislator humanus accipit a Deo potestatem ligandi in ejus foro, ut fuse probatum est.

*Inst.* 2. Saltem Legislator civilis non potest ligare in foro conscientiæ; ergo. Nam ille non potest ligare in foro conscientiæ, qui in eodem non potest solvere; atqui, &c.

*Respond. nego maj.* Homo enim potest suam ligare conscientiam per peccatum, per vota, &c. nec tamen potest se solvere. Potest ergo Legislator civilis ligare indirecte conscientiam, quatenus

sua Lege objectum aliquod de se indifferens reddit malum, illud prohibendo; sed non potest peccatum semel commissum relaxare, quia potestatem remittendi peccata, solis Ecclesiæ ministris Deus concessit.

*Inst.* 3. Potestas civilis est mere temporalis, ergo non obligat in foro conscientiæ.

*Resp. dist. ant.* Est mere temporalis ratione objecti, nempe versatur circa res fluxæ & labentis naturæ, *conc.* ratione debiti, quod imponit, *nego ant.* est enim potestas, quæ emanat a Dei potestate, juxta illud Apostoli: *non est potestas nisi a Deo.*

*Objicies* 2. Ad vitandam damnationem sufficit servare Dei mandata; ergo mandata hominum non obligant sub peccato.

*Resp. nego conseq.* Nam est mandatum Dei, ut serventur mandata hominum.

*Inst.* Ex hac responsione sequitur mandata hominum esse juris divini; falsum ex nobis consequens; ergo &c.

*Resp. nego seq. maj.* Illud solum dicitur esse juris divini, quod Deus dictat per se, non quod homo dictat per potestatem a Deo acceptam: neque enim est juris divini quod matrimonium contrahatur coram Parocho & duobus testibus, quod Clerici a venatione abstineant, licet a Superioribus humanis illa præcipiantur per potestatem a Deo acceptam.

Quæres 1. *Quot requirantur ut Lex humana obliget sub mortali?*

*Resp.* Duo requiruntur, 1. Ut materia sit gravis; 2. Ut intentio Legislatoris sit graviter obligandi.

*Prob.* 1. *pars*: Quia Legislator non habet potestatem condendi Leges iniquas & injustas. Lex enim debet esse *rationi consentanea*: atqui Lex quæ obligaret graviter & sub mortali in re non gravi, esset iniqua & injusta; ergo, &c. *Prob. minor.* Illa Lex humana est injusta quæ non conformatur Legi divinæ; atqui Lex quæ præciperet graviter & sub mortali rem levem, non conformaretur Legi divinæ; Lex enim divina non præcipit rem levem nisi sub veniali, ut patet in mendacio jocoso, in furto unius assis, &c. Ergo.

*Dices*: Legislator humanus potest Deo se conformari; atqui Deus esum pomi, rem sane levissimam, sub mortali prohibuit; ergo.

*Resp. dist. minor.* Esus pomi fuit res levissima in se, *conc. min.* relative ad finem a Deo intentum, *nego min.* Porro finis a Deo intentus erat ut homo suam subjectionem & dependentiam a Deo profiteretur; qui finis fuit gravis. Sic ingressus Clericorum in tabernas, armorum delatio, habitus talaris gestatio, quamvis de se sint levia, si tamen pensentur ex eorum fine, qui est decus ordinis Ecclesiastici, sunt valde gravia; sic egressus momentaneus e castris est valde gravis mortique puniendus in milite, quia disciplinam militarem multum labefactat.

*Prob.* 2. *pars.* Lex cujus obligatio tota pendet a Legislatoris voluntate, non obligat nisi prout vult Legislator; actus enim agentium libere, non operatur ultra intentionem eorum; atqui Legis humanæ obligatio, tota pendet a libera Legislatoris voluntate; ergo potest obligare tantum leviter in re gravi, vel omnino non obligare & tantum consulere si existimet hoc esse utile ad suaviorem gubernationem: ergo ut Lex humana obliget sub mortali, requiritur ut intentio Legislatoris sit graviter obligandi.

*Objicies* 1. Legislator humanus non potest graviter obligare in re levi; ergo nec leviter in re gravi.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod materia levis non fit capax gravis obligationis; unde si Legislator rem levem sub gravi peccato præciperet, excederet potestatem suam ferendo præceptum imprudens & injustum; econtra materia gravis sicut capax est majoris obligationis, est etiam capax minoris, unde Legislator potest justis de causis esse benignior in obligando, & nolle uti tota sua potestate, & in hoc maxima est prudentia.

*Inst.* 1. Obligatio sub veniali, vel sub mortali a sola materia pendet, non a voluntate superioris; ergo non pendet ab ejus intentione, ut obligatio sit levis vel gravis.

*Resp. nego ant.* Quamvis enim posita gravitate materiæ, & obligatione gravi, non pendeat a voluntate extrinseca Legislatoris ut peccatum sit grave vel leve; tamen absolute loquendo pendet a voluntate Legislatoris ut obligatio sit gravis vel levis, sicut pendet ut sit, vel non sit obligatio; & consequenter pendet ab ejus voluntate ut peccatum sit grave vel leve, in materia gravi, sicut pendet ut sit peccatum vel non sit; potest enim uti jure suo ut libuerit, juste tamen & prudenter.

*Inst.* 2. Posita Lege oritur obligatio ex jure naturali pro quantitate materiæ, proindeque gravis in materia gravi independenter ab intentione Legislatoris; ergo.

*Resp. dist. ant.* Oritur obligatio ex jure naturali proportionata intentioni Legislatoris, scilicet gravis ex gravi præcepto, levis ex levi, *conc. ant.* secus, *nego ant. & conseq.* Porro jus naturale & divinum dictant tantum obediendum esse superiori quatenus & quantum præcipit; ergo si non nisi leviter suos subditos obligari velit, jus naturale & divinum non strictius eos obligari dictabunt.

*Inst.* 3. Communi omnium consensu receptum est, ut Leges modo materiæ gravitati proportionato obligent; ergo obligatio levis vel gravis non pendet ab intentione Legislatoris.

*Respond. dist. ant.* Leges modo materiæ gravitati proportionato obligant, quando Legislator earum obligationem expresse non limitat, *conc.* quando expresse limitat, *nego ant.* Equidem cum Legislator sine limitatione præcipit, tunc Lex ejus secundum totam materiæ capacitatem obligat: sed potest illam obligationem limitare exprimendo se nolle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, ut fit in multis religiosorum constitutionibus (*Ita declaratur in Constitut. Capuccinorum. Cap.* 8. *de consuetud.*) quæ sunt veræ Leges a summis Pontificibus approbatæ.

*Inst.* 4. Votum de materia gravi obligat graviter; nec potest vovens hanc obligationem temperare; ergo a pari, &c.

*Resp. nego ant.* Nam potest vovens se obligare voto tantum sub veniali, sicut potest non omnino vovere, quia actus agentium ex intentione, non operantur ultra intentionem eorum, cum ab ea omnes vim suam sumant.

Ob-

*Objicies* 2. Cum Legislator vere obligat subditos in re gravi, tunc transgressio Legis notabiliter obest bono communi; atqui non est in potestate Legislatoris ut transgressio, quæ notabiliter obest bono communi, sit tantum levis; ergo nec est in ejus potestate ut cum obligat subditos in re gravi, obliget eos sub veniali tantum.

*Resp. nego min.* Intellectam de transgressione rei gravis, quæ nec jure naturali, nec divino est prohibita, sed quæ utroque illo jure est indifferens; potest enim Legislator facere ut transgressio Legis suæ sit tantum levis, leviter præcipiendo aut prohibendo; tunc enim Legis transgressio notabiliter obest bono communi solum privative, quatenus ponitur vel omittitur aliquid, quod omitti vel poni multum expedit bono communi.

Quæres 2. *Quomodo dignosci potest Legislatorem velle obligare sub mortali?*

*Resp.* Hoc dignosci ex quadruplici capite:

1. *Ex materia gravi absolute præcepta*, id est cum Legislator rem ex se vel ex circumstantiis gravem præcipit aut vetat, nec expresse significat se velle solum obligare sub veniali; quia tunc Superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundum materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare.

2. *Ex gravitate verborum quibus utitur:* v. g. cum præcipit aut prohibet, *sub indignatione Dei: sub interminatione divini judicii: in virtute sanctæ obedientiæ: ex tota potestate*, &c.

3. *Ex gravitate pœnæ* transgressoribus impositæ, qualis est pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, depositionis, &c. item pœna mortis, exilii, carceris perpetui, infamiæ, bonorum confiscationis.

4. Ex communi prudentum judicio, & bene fundata consuetudine, quæ *est optima Legum interpres* (*Cap.* 8. *de consuetud.*).

§ II. *Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones circa obligationem formalem Legum humanarum.*

Quæres 1. *An Lex fundata in præsumptione obliget in conscientia?*

*Nota.* Duplex est præsumptio, altera periculi, altera facti.

*Præsumptio periculi* est ea, qua Legislator præsumit in tali actu posse esse aliquid repugnans substantiæ ejusdem actus, v. g. dolum, defectum consensus, judicii &c.

*Præsumptio facti* est ea, qua actus præsumitur tali modo factus. Porro non videtur ulla Lex fundari in præsumptione facti, bene vero præceptum particulare; quare:

*Resp.* 1. Lex fundata in præsumptione periculi semper obligat in conscientia, licet præsumptio in quibusdam casibus particularibus falsa reperiatur. Ratio est quia hujusmodi Leges semper nituntur veritate & judicio certo periculi ut sæpe aut aliquando contingentis; atqui hoc judicium semper verum est.

*Resolves.* Lex irritans matrimonia clandestina fundata in periculo fraudis, scelerum & incommodorum quæ illis facile oriri possunt, obligat etiam in casu in quo ista certo non evenirent.

*Resp.* 2. Præceptum fundatum in præsumptione actus tali modo facti, quo reipsa factus non est, non obligat in conscientia; ratio est quia præceptum non obligat, cum Superior obligare non intendit; obligatio enim præcepti ex intentione Superioris desumitur; atqui Superior obligare non intendit, dum factum, propter quod præceptum posuit, non est verum; ergo.

*Hinc*, si aliquis ex falso allegatis & probatis ad restituendum obligatus sit per sententiam Superioris, non tenetur ad restituendum, secluso scandalo (*Vide cap.* 44. *de Sentent. excommunic.*).

Quæres 2. *An Lex humana possit obligare cum gravi periculo etiam mortis?*

*Resp. Ordinarie non obligare.* Quia nemo tenetur ad id quod est moraliter impossibile; atqui observatio Legis cum gravi periculo vitæ, sanitatis, famæ, amissionis bonorum &c. est moraliter impossibilis; ergo. Hinc cap. 4. de reg. Juris dicitur, *quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine sua culpa in Sabbato pugnabant: sic & hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Dixi *ordinarie:* quia nonnulli sunt casus, in quibus Lex obligat etiam cum periculo vitæ.

1. *Et per se*, cum id exigit Reipublicæ sive civilis, sive ecclesiasticæ conservatio, quia æquum est pro totius salute partem sese periculo objicere; sic Dux potest obligare milites ad servandam suam stationem, vel irruendum in hostes cum certo vitæ periculo; sic Episcopus potest præcipere, ut Vicarius mortuo Parocho, non deserat populum peste infectum &c.

2. *Et per accidens*, dum violatio Legis cederet in contemptum fidei, aut legitimæ auctoritatis; nam si quis ex contemptu fidei, aut Ecclesiæ, fidelem compelleret ad violationem jejunii, teneretur ille potius mori quam jejunium frangere; ratio est quia contemptus fidei & Ecclesiæ est intrinsece malus, præponderatque bono vitæ privati.

3. *Item per accidens*, dum Lex humana non potest violari sine gravi scandalo, quia scandalum est intrinsece malum; ergo numquam potest fieri licitum. Unde Eleazarus (2. *de Machab.* 6. *v.* 18.) elegit potius mori quam simulare carnem porcinam manducasse in contemptum Legis, & cum gravi adolescentium scandalo.

*Dices contra Resp.* Lex humana obligat sub peccato; ergo obligat sub periculo vitæ; potius enim moriendum est, quam peccandum venialiter.

*Resp. dist. ant.* Extra casum gravis damni, *conc.* in casu gravis damni, *subdist.* aliquando ut constat ex dictis, *conc.* semper, *nego ant.* etenim improbabile est quod omnia præcepta humana magis obligent quam aliqua præcepta Legis naturalis & divinæ; atqui sunt quædam præcepta Legis naturalis & divinæ per se obligantia ad mortale, quæ tamen non obligant cum periculo vitæ, qualia sunt præcepta solvendi debitum, confitendi integre, etc. Ergo.

*Inst.* Carthusianus qui ex medicorum judicio novit se moriturum nisi carnem comedat, non potest tamen carnibus uti, propter consuetudinem apud Carthusianos vim Legis habentem, non uten-

di carnibus, etiam in extrema necessitate; ergo Lex humana obligat cum vitæ periculo.

*Resp. conc. ant.* Pro casu in quo Carthusianus alios haberet cibos, *dist. conseq.* Lex humana obligat aliquando; cum nempe pluris interest eam servari, quam servari vitam alicujus privati, *conc. conseq.* semper, *nego conseq.* Porro pluris interest Legem Carthusianorum servari, quam vitam alicujus privati, quia si semel in ea dispensaretur, facile tepesceret sanctissimi illius instituti disciplina, & brevi tandem funditus evanesceret sine ulla spe remedii, quia ut bene docet Gerson (*Tract. de non esu carnium Chartusiens. Tom.* 2. *pag.* 726.) *semel lapsa religio, ut experti scripserunt, nunquam aut vix reparari potest; nova facilius a fundamentis conderetur.*

Quæres 3. *An peccat contra Legem qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni Legis?*

*Resp.* Peccat contra Legem qui eo tempore quo urget præceptum, vel paulo ante, ejus executioni ponit, vel non tollit impedimentum; nisi illud sit vel necessarium, vel tam utile, ut melius sit illud non tolli, quam Legem servari.

*Prob.* Quia qui præcipit finem, simul præcipit media necessaria ad assecutionem illius finis, saltem si non sint nimis difficilia; atqui tollere, aut non ponere impedimentum, est medium necessarium ad Legis executionem; ergo &c.

*Resolves* 1. Peccat contra Legem audiendæ Missæ qui lectum, studium, & quamvis aliam actionem non necessariam, non omittunt dum urget præceptum audiendæ Missæ, quia non tollunt impedimentum non necessarium; item qui paulo ante quam urgeat præceptum, se inebriat prævidens inde futurum ut Missam audire nequeat, peccat non solum contra temperantiam, sed etiam contra præceptum audiendæ Missæ.

*Resolves* 2. Peccat contra præceptum jejunii, 1. qui venationi aut ludo pilæ absque causa necessaria vacat, prævidens ita se defatigatum iri, ut inhabilis fiat ad jejunium ... 2. qui simul jejunare & iter pedibus facere non valens, peregrinationem in aliud tempus non differt, *si tamen*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3.) *commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status* ..... 3. operarii non jejunantes, *si jejunando possunt competenter victum pro sua persona habere, & pro familia, sive quia aliàs divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit, qui secum jejunium compatitur, lucrari sufficientia possunt.* Ita Div. Thom. (*in* 4. *Sent. dist.* 15. *q.* 3.) .... 4. peccant etiam ex Div. Thom. (*ibidem*) *qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant, nisi forte sit causa necessaria quæ festinationem operis exposcat.* Quod intelligendum est juxta limitationem casus præcedentis.

Dixi: *Nisi illud impedimentum sit necessarium, vel saltem tam utile &c.* quia certum est Legem humanam non adeo stricte obligare, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta necessaria, aut maxime utilia; ita communiter Theologi post Div. Thom. (2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3.) docentem quod, *necessitas statim peregrinandi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem*, a jejunio dispensat: *quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias causas.*

*Resolves* 1. Cum tempore sacri urget necessitas opitulandi infirmo, Missa omitti debet ut ei opituletur.

*Resolves* 2. Qui jejunium non potest servare concionando, aut confessiones excipiendo, non tenetur opera illa pietatis quæ per se jejunio meliora sunt, omittere ut jejunet, nisi per regulam, aut constitutiones alicujus religionis aliter sit statutum. (*Vide Const. Capucin. c.* 9.)

Quæres 4. *An qui non potest totum opus præceptum implere, teneatur ad partem quam potest?*

*Resp. affirm.* Si præceptum sit de re divisibili; ratio est quia præceptum de re divisibili obligat ad omnes & singulas partes, etiam seorsim sumptas; unde Innoc. XI. damnavit hanc Dianæ prop. *qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

*Resolves* 1. Qui tempore præfationis, aut communionis ad Missam accedit, nec alterius copiam habet, residuam illius Missæ partem tenetur audire. (*Ita Sanch., Tourn., Paul. a Lugd. & alii.*)

*Resolves* 2. Qui die jejunii non potest a carnibus abstinere, potest tamen a duabus refectionibus, violat jejunium, duas integras refectiones sumendo.

Quæres 5. *An eodem tempore duobus præceptis satisfieri potest per plures actus?*

*Resp. affirm.* Modo unus actus non impediat alium, nec aliter mentem suam expresserit Legislator. Ita omnes fere Doctores quos citat & sequitur Bonacina. (*de Leg. disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 9.) Ratio est quia ille præcepto satisfacit, qui facit id quod Lege præscribitur, sed possumus eodem tempore facere quod Lege præscribitur, cum in Lege non præscribatur diversitas temporum; ergo &c.

*Resolves* 1. Qui tempore Missæ recitat Horas Canonicas, aut pœnitentiam a Confessario injunctam, satisfacit præcepto Missæ, & præcepto divini Officii, aut pœnitentiæ injunctæ; quia recitatio Horarum aut pœnitentiæ non impedit attentionem & devotionem quæ debetur sacrificio Missæ.

*Resolves* 2. Qui tempore Missæ peccata sua confitetur, aut facit examen conscientiæ, non facit satis præcepto Missæ, quia utrumque impedit attentionem quæ sacrificio Missæ debetur, nam Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orantis; qui autem confitetur, aut facit examen conscientiæ tempore Missæ, non assistit per modum orantis; ergo.

Quæres 6. *An per unum eundemque actum possint impleri plura præcepta?*

*Resp.* Possunt quoties Superior prudenter existimat concedere ut per eundem actum pluribus præceptis satisfiat; ratio est quia obligatio Legis pendet a mente Legislatoris, ipsiusque voluntatem non excedit; ergo.

*Dices.* Non possumus una solutione satisfacere pluribus debitis justitiæ commutativæ; ergo neque pos-

possumus unico actu satisfacere pluribus præceptis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod justitia commutativa respiciat æqualitatem rei ad rem; æqualitas autem rei ad rem non salvatur unica solutione in pluribus debitis; econtra in præceptis attenditur intentio Legislatoris, quæ ferri potest in unum, idemque opus. Intentio autem Legislatoris cognosci potest vel ex natura operis præscripti, vel ex communi usu & interpretatione. Hinc

*Resolves* 1. Qui tenetur Horas Canonicas recitare ratione ordinis & beneficii, unica recitatione utrique obligationi satisfacit; ut constat ex communi usu.

*Resolves* 2. Si cui a Confessario injunctum sit onus audiendi Missam singulis diebus, satisfacit præcepto Ecclesiæ & Confessarii unicam Missam audiendo diebus festis, hæc enim præsumitur intentio Confessarii. Econtra si cui operatio injungatur a Confessario ut sacrum omnibus diebus festis audiat per annum v. g. non satisfacit unicam Missam audiendo, sed tenetur duas audire; quia talis esse præsumitur mens Confessarii quæ colligitur ex natura satisfactionis quæ solet esse opus alias non debitum.

Quæres 7. *Quænam sit differentia inter obligationem Legis affirmativæ & negativæ?*

*Resp.* In hoc differunt quod Lex affirmativa obliget semper, sed non pro semper; hoc est quod vim obligandi semper habeat, non tamen pro omni tempore actu obliget, sed pro eo duntaxat quo actio præcepta executioni est mandanda. Lex vero negativa semper obligat & pro semper, ac proinde omni tempore actu obligat, sic omni tempore teneor non furari, quia præceptum *non furaberis*, est negativum.

Porro ex ipsa præcise Legis verborum forma non potest dignosci utrum præceptum sit affirmativum vel negativum; cum idem præceptum v. g. jejunii affirmative proponi possit sic: *jejuna:* vel negative, *ne comedas.* Ut ergo rite dignoscatur, videndum est utrum actio positiva præcipiatur, vel prohibeatur; hinc præceptum jejunii est negativum, præceptum vero eleemosynæ est affirmativum quibuscumque verbis proponantur; quia illud positivum actum prohibet; istud vero actum positivum præcipit.

Quod si eodem præcepto simul actio positiva præcipiatur, & alia quædam prohibeatur, dicendum est illud præceptum affirmativum esse simul & negativum; tale est præceptum de cultu parentum, quo præcipitur ut honor parentibus exhibeatur, & simul prohibetur ne injuria illis infesatur.

## QUÆSTIO II.

*De variis speciebus Legum humanarum.*

*Nota.* Lex humana dividitur in scriptam, & non scriptam seu consuetudinariam, & utraque vel est mere præceptiva aut prohibitiva, vel pœnalis, vel favorabilis, vel irritans.

De mere præceptiva & prohibitiva huc usque diximus, restat de aliis hic breviter disserendum.

## ARTICULUS I.

*De Lege scripta.*

Lex scripta, alia est civilis, quæ Jus Civile, alia Ecclesiastica, quæ Jus Canonicum appellatur.

### §. I. *De Jure Civili.*

Quæres 1. *Quid sit Jus Romanum?*

*Resp.* Est corpus Juris quod dividitur in quinque partes, nimirum

1. In *Institutiones*, quæ quatuor libris constant, & quæ continent totius Juris elementa seu principia in gratiam jurisprudentiæ studiosorum.

2. In *Digestum* seu *Pandectas*, a verbo græco, *totum capio:* continet quinquaginta libros, quibus cunctæ pene veterum Leges meliori ordine digestæ complectuntur.

3. In *Codicem* qui vocatur *Codex Justiniani*, & constat duodecim libris.

4. In *Novellas* seu *authenticas*, quarum extat unicus liber continens 168. novas constitutiones, quas Justinianus imperii sui tempore promulgavit.

5. In *Unicum librum feudorum*, quo jura *feudalia* exponuntur.

Quæres 2. *Quomodo citetur Jus civile?*

*Resp.* 1. Institutiones hoc modo citantur. *Inst. Just. ff. de rer. divis. §. item ea.* Id est in institutionibus Justiniani titulo *de rerum divisione* paragrapho qui incipit, *item ea.*

2. Digesti Leges sic citantur, *L. creditor*, vel L. 23. *D.* vel *ff. pignorib.* id est Lege *creditor*, vel Lege 23. digestis, seu titulo, *de pignoribus.*

3. Codex sic citatur. L. *novum*, vel, L. 2. *c. de appel.* id est, Lege quæ incipit, *novum* vel L. 2. codice, *de appellationibus.*

4. Novellæ seu authenticæ sic citantur: *authent.* vel *novell. ut factæ novæ const.* vel *authent.* 66. *cap.* 1. *§. igitur etiam*, id est authentica, cujus titulus est *ut factæ novæ constitutiones*, quæ est 60. cap. 1. §. qui incipit, *igitur etiam.*

5. Liber feudorum sic allegatur: *feud. ff. de probib. feud. alien. c.* vel L. *quoniam.* Id est in libro feudorum, titulo *de prohibita feudi alienatione*, in Capite vel Lege quæ incipit, *quoniam.*

Quæres 3. *Quid sit Jus Gallicum?*

*Resp.* Jus Gallicum non est idem in toto Regno: nam aliæ provinciæ, (ut Occitania, Provincia, Delphinatus, Vasconia, tractus Lugdunensis) utuntur Jure *Romano*, & ideo dicuntur *Provinciæ Juris scripti.* Aliæ utuntur consuetudinibus, quæ licet primam originem non a scriptura, sed ex solo populorum consensu desumpserint, hodie tamen ut habeant auctoritatem, debent esse scriptæ & a Rege approbatæ, ut sanxit Carol. VII. (*Ann.* 1553.) & ideo vocantur, *Provinciæ consuetudinariæ.* Circa hoc

*Nota* 1. Quod etsi jus Romanum vim Legis non habeat in provinciis consuetudinariis, ad illud tamen confugiunt, ubi deficit consuetudo, ut notat *Mornac.* (*In L.* 9. *ff. de Just. & Jure*).

L 2 Nota

*Nota* 2. In singulis regni provinciis sive *juris scripti*, sive *consuetudinariis*, Regum edicta & constitutiones facere jus, unde derogant juri Romano & consuetudinibus provinciarum. Ex dictis

*Sequitur* maxime optandum esse, ut Confessarii habeant aliqualem saltem consuetudinis locorum & edictorum regalium cognitionem, ut obvios conscientiæ casus possint rite resolvere.

§. II. *De Jure Ecclesiastico*, *seu Canonico.*

Quæres 1. *Quid sit Jus Canonicum?*

*Resp.* Definitur a Lancelotto. (*Instit. Juris Canon. tit.* 1.) *Jus quod civium* Christianorum scilicet, *actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit*; constatque Scriptura sacra, Apostolorum traditionibus, decretis Conciliorum sive generalium, sive particularium, & decretalibus summorum Pontificum epistolis.

Quæres 2. *Quibus partibus constat Jus Canonicum?*

*Resp.* Constat sex partibus, 1. ex decreto Gratiani, 2. ex decretalibus, 3. ex sexto decretalium, 4. ex Clementinis, 5. ex extravagantibus Joann. XXII., 6. ex extravagantibus communibus.

1. *De Decreto Gratiani.*

Decretum fuit collectum circa annum 1150. a Gratiano Religioso Ordinis S. Benedicti, ex sacræ Scripturæ sententiis, Conciliorum, & sanctorum Pontificum decretis & responsis, Imperatorum Legibus, sanctorum Patrum & Ecclesiasticorum Historicorum dictis, ipsiusque Gratiani ac ejus discipuli Paleæ commentis, illudque divisit in tres partes.

1. *Pars* agit de personis Ecclesiasticis, habetque unam super centum distinctiones in canones seu capita divisas.

Sic citatur *can.* vel *cap. illiteratos dist.* 36. vel brevius *can.* vel *cap.* 1. *dist.* 36.

2. *Pars* continet 36. causas, in quibus agitur de materia & forma judiciorum. Quæstio autem tertia causæ trigesimæ tertiæ septem habet distinctiones *de Pœnitentia.*

Quia vero causæ in quæstiones, quæstiones in capita seu canones dividuntur, ideo sic citantur: *can.* vel *cap. si quis* vel canone tertio, tertia, quarta: id est, canone tertio, causa tertia, quæstione quarta.

Tractatus de Pœnitentia sic citatur, *can.* 16. vel *can. vulgaris*, *distinctione prima de Pœnitentia.*

3. *Pars* ait de rebus sacris. Habet quinque distinctiones quæ sic citantur: *canon. basilicas*, vel *can.* 6. *dist.* 1. *de Consecrat.* id est, *de Consecratione.*

2. *De Decretalibus Gregorii IX.*

Decretales (*Lib. Decretal. prodiit ann.* 1230.) jussu Gregorii IX. fuerunt compilatæ a sancto Raymundo de Pennafort, & in quinque libros divisæ, quorum

Primus agit de Judicibus seu Prælatis Ecclesiæ.

Secundus de Judiciis Civilibus.

Tertius de Rebus Clericorum.

Quartus de Sacramento Matrimonii.

Quintus de Judiciis criminalibus. Quæ omnia hoc versu continentur.

*Judex*, *judicium*, *clerus*, *sponsalia*, *crimen.*

Decretales sic citantur: *cap.* 12. vel *cap. innotuit. De arbitris.* Olim addebatur *extra* sic: *cap.*12. *extra de arbitris.*

*De sesto Decretalium.*

Liber sextus Decretalium, (sic dictus quia quinque libros Decretalium Greg. IX. sequitur) a Bonifacio VIII. (*Ann.* 1298.) ex diversorum Pontificum responsis fuit compilatus.

In quinque libros dividitur, in quibus servatur idem ordo materiarum ac titulorum, qui in decretalibus Gregorii IX. servatus est: unde citatur eodem modo, excepto quod addatur *in* 6. v. g. *cap. nemo*, vel *c.* 11. *de electione in* 6.

4. *De Clementinis.*

Clementinæ sic dicuntur, quia quinque libris complectuntur constitutiones tum Clementis V. tum Concilii Viennensis (*Cui Clem. V. præfuit*, *ann.* 1311.) quas Jo. XXII. (*Ann.* 1317.) promulgavit.

Clementinæ sic citantur: Clem. *cum secundum. De Pœnitentiis*; vel sic, *cap. cum secundum*, vel c. 1. *de Pœnitentiis in Clementinis.*

5. *Extravagantes Joannis XXII.*

Extravagantes Joann. XXII. sunt viginti decretales, quas Joann. XXII. prioribus Pontificatus sui annis emisit, eæque *extravagantes* dicuntur; quia vagabantur extra corpus juris hactenus editum.

Citantur hoc modo: *cap.* 1. vel *cap. ad onus. De electione. In Extravag. Joann.* 22. vel brevius *Extra ad onus*, *de electione.*

6. *Extravagantes communes.*

Extravagantes communes, sunt decretales tum Joann. XXII. tum aliorum ante ipsum Pontificum, quæ prioribus collectionibus insertæ non fuerant.

Citantur hoc modo: Extravag. *injuncta de electione*, *cap.* 3. vel *cap. sancta int. comm.* id est, inter communes.

*Nota.* Ad Extravagantes revocari debent decreta Conciliorum approbatorum, Pontificum Bullæ, & aliæ constitutiones quæ nondum in corpus juris sunt insertæ, & quæ postquam sufficienter promulgatæ sunt, in singulis provinciis irrefragabilem habent auctoritatem.

Quæ-

Quæres 3. *Qua auctoritate corpus juris vigeat in Ecclesia?*

*Resp.* 1. Decretum Gratiani, licet correctum auctoritate Gregorii XIII. (*Anno* 1582.) tamen cum a nullo hactenus Pontifice solemniter & authentice sit confirmatum, ejus canones nullam aliam auctoritatem obtinent, quam eorum a quibus deprompti sunt; quod est maxime observandum.

*Resp.* 2. Aliæ quinque partes Juris Canonici ubique vim Legis irrefragabilem obtinent, nisi per novam constitutionem, vel justam consuetudinem, canones in illis contenti, sint aboliti.

Dixi: *Nisi per justam consuetudinem* &c. quia in Gallia licet magni sint ponderis, tamen in ea vim juris non habent, nisi in his quibus cum antiquis regni usibus concordant, de quo vide *de Hericourt* (*in Præf. Tractatus de legibus Eccl. pag.* 14.).

Quæres 4. *Quid Galli intelligant per libertates Ecclesiæ Gallicanæ?*

*Resp.* Intelligunt *jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ canones, & antiquos regni usus, quidquid de novo in contrarium decernatur.*

Dicitur 1. *Jus sequendi receptos Ecclesiæ canones*: quibus vocibus significant se libertates suas non reponere vel in potestate faciendi quod libuerit; vel in summa a Romano Pontifice independentia, cum antiqui canones quos sequuntur, exigant ut Papa ab omnibus habeatur ut Pastorum omnium primus, omnium Ecclesiarum caput, habens jurisdictionem non solum in omnes Ecclesias, sed & in omnes earundem Pastores &c. unde Liber cui titulus: *Des Droits & des Libertés de l'Eglise Gallicane*, fuit suppressus (*Arresto Regii Conc. die* 20. *Decembr. ann.* 1638.) & damnatus (*A Cardinalibus, Archiepiscopis & Episc.* 22.) eo quod ausu temerario contrarium asseruerit.

Dicitur 2. *Et antiquos regni usus*: qui cum gentis genio & moribus congruant, sine magna publicæ tranquillitatis perturbatione mutari non possent, nec eos mutare intendit Ecclesia, inquiunt, juxta illud Zozimi Papæ *contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, ne hujus quidem Sedis Apostolicæ potest auctoritas.*

Dicitur 3. *Quidquid de novo in contrarium decernatur.* Unde Galli profitentur se ea decreta libenter amplecti, quæ nec legitime receptis usibus, nec antiquæ disciplinæ adversantur. Idque patet ex comitiis Blesensibus, in quibus eadem observantur circa disciplinam, quæ a Concilio Tridentino sancita fuere, paucis exceptis quæ libertatibus Gallicanis adversari videbantur.

## ARTICULUS II.

### *De Lege consuetudinaria.*

*Nota.* Duplex est consuetudo, alia *facti*, alia *juris*. Et utraque vel est *secundum Legem*, vel *præter Legem*, vel *contra Legem.* Ideo

Quæres 1. *Quid sit consuetudo facti?*

*Resp.* Est continuata & publica frequentatio actuum humanorum ejusdem rationis, a majori & saniori parte communitatis exercitorum, cum animo se obligandi.

Dicitur 1. *Frequentatio continuata*: quia non per unum actum bis aut ter repetitum, sed per actus frequenter repetitos; consensus populi necessarius ad consuetudinem inducendam, potest sufficienter exprimi.

Dicitur 2. *Publica*: quia illa frequentatio actuum debet tenere locum promulgationis, & indicare populi consensum; ergo requiritur ut actus illi sint publici & notorii, nec ad id sufficiunt actus clam exerciti.

Dicitur 3. *Actuum humanorum*: id est, qui fiant voluntarie & libere. Hinc si populus per vim, metum aut errorem, aliquid repetitis actibus faciat, nulla inde nascitur consuetudo vim Legis habens.

Dicitur 4. *A majori parte*: quia mos aliquorum privatorum non potest facere nisi consuetudinem privatam; agitur autem hic de consuetudine communi, quæ post certum tempus vim tandem Legis sortiatur.

Dicitur 5. *Saniori parte communitatis*: quia si consuetudo a sapientibus & timoratis rejiceretur ut mala, vera consuetudo non esset, sed abusus & corruptela, utpote quæ non posset esse morum regula.

Dicitur 6. *Cum animo se obligandi*: ratio est quia consuetudo accipitur pro Lege; sed ad Legem requiritur voluntas obligandi; ergo.

Hinc consuetudo salutandi B. M. V. ad pulsum campanæ, sumendi aquam lustralem in Ecclesiæ ingressu, vim Legis obligatoriæ non sortiuntur; quia illi actus ex mera devotione fuerunt frequentati.

Porro cognoscitur consuetudinem inductam esse animo se obligandi 1. Cum Superiores puniunt & redarguunt transgressores consuetudinis, non enim præsumuntur velle pœnam imponere pro transgressione actus alias non debiti. 2. Cum inde populus scandalizatur; nullus enim scandali occasionem censetur accipere ex eo quod alicui liberum est præstare. 3. Cum materia consuetudinis bono communi plurimum utilis est: talis enim consuetudo præsumitur inducta ad præstandum id quod præstare tenemur; atqui tenemur bono communi consulere; ergo.

Quæres 2. *Quid sit consuetudo juris?*

*Resp.* Definitur ab Isidoro (*Refertur can.* 5. *dist.* 1.) *Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur cum deficit Lex.*

Dicitur 1. *Jus*: per quod convenit cum Lege scripta; utraque enim & jus, & consuetudo legitima vim Legis habet.

Dicitur 2. *Moribus institutum*: id est, per consuetudinem *facti*, quæ potius est causa consuetudinis *Juris*, quam vera consuetudo.

Dicitur 3. *Quod pro Lege suscipitur*: ut dicitur L. 32. ff. de Legibus, *inveterata consuetudo pro Lege non immerito custoditur; & hoc est Jus quod dicitur moribus institutum.*

Dicitur 4. *Cum deficit Lex*: id est cum circa aliquid Lex non est lata, vel cum est inutilis, vel cum est dubia vel obscura. Unde

Quæres 3. *Quid sit consuetudo* secundum Legem, præter Legem, & contra Legem?

*Resp.*

*Resp.* 1. Consuetudo *secundum Legem*, est ea quæ conformis est Legi præexistenti: talis est consuetudo quæ interpretatur Legem, vel quæ est Legis existentis executio.

2. Consuetudo *præter Legem*, est ea quæ nec Lege præcipitur, nec Legi adversatur; talis est consuetudo Missam quotidie audiendi.

3. Consuetudo *contra Legem*, est ea quæ Legi adversatur; talis est quæ viget in quibusdam Diœcesibus, vescendi carnibus singulis Sabbatis a Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusive. Ideo

Quæres 4. *Quot sint effectus legitimæ consuetudinis?*

*Resp.* Sunt tres:

*Primus effectus* est Legem dubiam interpretari, cum sit *optima Legum interpres.* (*Canon.* 8. *de consuetudine.*)

*Secundus effectus* est novam Legem inducere; nam ex August. (*Refertur Can.* 7. *dist.* 11.) *in his rebus de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum, pro Lege tenenda sunt.*

*Tertius effectus* est veterem Legem abrogare; nam consuetudo habet vim Legis; atqui Lex nova potest veterem abrogare; ergo & consuetudo. Unde Gregor. IV. (*Canon. ult. de consuet.*) definit, quod consuetudo longæva *non debeat juri positivo præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis & legitime sit præscripta.*

Quæres 5. *Quot requirantur conditiones, ut consuetudo vim Legis habeat, aut Legem abroget?*

*Resp.* Requiruntur tres: 1. ut sit *rationabilis*, id est honesta, bono communi utilis, nec juri naturali, divino, aut religioni contraria, alias esset corruptela.

2. Ut adsit *consensus Legislatoris* vel personalis, vel legalis: quia non minorem potestatem requirit consuetudo ut vim Legis habeat, quam Lex; sed Lex requirit consensum Principis; ergo.

Porro *consensus personalis* est is quo Princeps per se immediate approbat consuetudinem, vel expresse dando licentiam ut inducatur, vel tacite cum conscius consuetudinis quæ introducitur, non resistit, cum facile resistere posset, imo deberet, cum peccata multiplicarentur, nisi tacite consentiret, teneretur autem impedire peccatum.

*Consensus legalis* est is quo Princeps nescius consuetudinis quæ grassatur, Legem tulit, vel ejus prædecessores, qua approbantur consuetudines rationales & præscriptæ.

3. Ut sit *legitime præscripta*: id est continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente Superiore. Sed:

Quæres 6. *Quantum requiratur temporis ut consuetudo contra Legem præscribat; seu quod idem est ut Legem abroget?*

*Resp.* 1. Si adsit consensus Principis *personalis* expressus aut tacitus, consuetudo *contra* a fortiori *præter Legem* præscribit, ubi primum constat de consensu Principis, nec requiritur tempus ad præscriptionem requisitum; quia tunc jus novum non inducitur vi præscriptionis, sed vi consensus Principis qui potest Legem introducere & abrogare.

*Resp.* 2. Si adsit consensus *legalis* tantum, requiritur juxta communiorem sententiam, (*Quæ est S. Antonin. Navarr. Azor. Fagn. Suarez, Reginal. Bonac. Panormit. & aliorum*) spatium 10. annorum ad Leges civiles, & 40. annorum ad Leges Ecclesiasticas præscribendas; ratio est quia Leges sunt jura; atqui ad præscribenda jura civilia requiruntur 10. anni, & ad præscribenda jura Ecclesiastica requiruntur 40. anni &c. ergo.

*Dices*: Præscriptio *contra Legem*, ubi non intervenit consensus personalis Principis, non est rationabilis; ergo non est legitima.

*Resp. nego ant. Prob.* Consuetudo inducta per actus malos & peccaminosos non est rationabilis; atqui consuetudo inducta *contra Legem*, est talis; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Non est rationabilis ex parte causæ efficientis, *conc. maj.* ex parte objecti, *nego maj.* & sic *distincta min. nego conseq.*

Itaque quando Leges exigunt ut consuetudo sit rationalis, unice attendunt ad illius objectum quod debet esse bonum utile Reipublicæ, nec contrarium Legibus divinis & naturalibus, nec libertati Ecclesiasticæ; non vero attendunt ad actiones illorum qui inchoant consuetudinem, quique peccaminosi sunt, donec elapsum sit tempus requisitum ad præscribendam consuetudinem, cum sint contra Legem adhuc vigentem & obligantem; a quo peccato excusantur qui bona fide putant Legem jam non vigere.

*Inst.* Præscriptio nulla est nisi procedat ex bona fide; atqui consuetudo quæ per actus peccaminosos inchoatur, non procedit ex bona fide; ergo.

*Resp. dist. maj.* Præscriptio *bonorum* nulla est nisi, &c. *conc. maj.* præscriptio *Legis*, *nego maj.* Ratio est quia jura ad præscriptionem Legis nihil aliud requirunt, nisi quod sit *rationabilis*, nimirum ex parte objecti, & *præscripta*: nam si requirerent ut ex bona fide procederet, nullam admitterent consuetudinem Legis abrogativam, cum non possit fieri, moraliter loquendo, quin inchoetur per actus peccaminosos, & consequenter mala fide.

Quæres ultimo. *An sicut consuetudo potest abrogare Legem, sic Lex possit abrogare consuetudinem?*

*Resp. affirm.* Ut expresse definivit Bonif. VIII. (*Cap.* 1. *de Constit. in* 6.) Ratio est quia consuetudo non habet vim Legis nisi auctoritate Principis approbantis; atqui per quascumque causas res nascantur, per easdem dissolvuntur; ergo &c. Hic tamen

*Nota*: Consuetudinem non abrogari per Legem subsequentem, nisi juste præsumatur Princeps illam consuetudinem non ignorasse; ex quo

*Sequitur* 1. Consuetudines particulares unius provinciæ, aut loci, non abrogari per Legem generalem totius Regni, vel Ecclesiæ, nisi in Lege fiat specialis illarum mentio, ut definivit Bonifac. VIII. (*Loco citato*) vel nisi addatur hæc clausula: *non obstante quacumque consuetudine contraria etiam immemorabili.* Ratio est *quia possunt probabiliter ignorari a Legislatore*, ait dictus Bonifacius VIII.

Sequitur 2. consuetudines universales abrogari per Legem universalem contrariam, *quamvis de*

ipsis

*ipsis mentionem non faciat* (*ibidem*), nec addat clausulam derogatoriam: ratio est quia præsumuntur non esse ignotæ Principi.

## ARTICULUS III.

### *De Lege favorabili, seu de Privilegiis.*

Quæres 1. *Quid sit privilegium?*

*Resp.* Definitur ab Innoc. III. (*Dissert. I. de Legib. in comm. c.* 1.) *Lex privata aliquid speciale indulgens.*

Dicitur 1. *Lex*, non quidem imposita privilegiato cujus respectu est gratia, sed communitati quæ tenetur non impedire usum privilegii. Ex eo autem quod privilegium sit Lex,

Sequitur 1. ab illo solo posse concedi, a quo Lex potest ferri.

Sequitur 2. quod differat a dispensatione, in quantum dispensatio sit gratia transiens ad unicum actum; privilegium vero sit gratia permanens, quæ dat jus *ex se* stabile; nam cum limitatur ad tempus, hoc fit præter naturam privilegii, quod exigit semper durare, donec revocatum fuerit.

Dicitur 2. *Privata*: quia licet motivum formale privilegii sit bonum commune, quatenus Reipublicæ plurimum interest ut privilegia dignis, aut indigentibus concedantur, ut alibi dictum est (*Diss.* 1. *de Legib. in comm. cap.* 1.) tamen objectum ejus materiale indifferenter respicit vel bonum alicujus, aut aliquorum particularium, vel bonum alicujus communitatis, ut privilegium canonis & fori quod est concessum statui clericali; per quod privilegium differt a Lege quæ necessaria est immediate propter bonum commune.

Dicitur 3. *Aliquid speciale indulgens*: id est, aliquid præter vel contra jus commune; cum privilegium addit aliquid juri communi, est præter jus commune: talis est facultas dispensandi, absolvendi, alicui concessa; cum dispensat a jure communi, est contra jus commune, talis est exemptio Religiosorum ab Ordinariorum jurisdictione.

Quæres 2. *Quomodo dividatur privilegium?*

*Resp. Dividitur* 1. in reale & personale (*Cap. mandata de præsump. & Leg. privilegio ff. de regul. jur.*)

*Reale*, Est quod directe & immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati, muneri, & hoc transit ad hæredes, & successores.

*Personale*, est quod conceditur immediate personæ ratione sui, nempe propter sanctitatem, excellentiam, doctrinam &c. hoc *extinguitur cum persona.* (*Regul.* 7. *juris in* 6.) Unde dicitur etiam *vitale.*

Porro privilegium censetur personale quoties exprimitur nomen personæ cui conceditur, v. g. *committimus Francisco Episcopo Tullensi.* Si vero sola exprimatur dignitas, est reale, v. g. *committimus Episcopo Tullensi.* In dubio est personale si sit odiosum; reale vero, si sit favorabile, quia odia sunt restringenda, favores vero sunt ampliandi.

*Dividitur* 2. In gratiosum & remunerativum.

*Gratiosum* est illud quod datur gratis, nulla habita ratione meritorum privilegiati vel aliorum; hoc sine causa licite potest revocari.

*Remuneratorium* est quod conceditur alicui ratione meritorum ipsius vel alterius. Tale non potest licite revocari, nisi ex gravi causa & cum privilegii ablati compensatione.

*Dividitur* 3. In favorabile & odiosum.

*Favorabile* est illud quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum; tale est privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimæ; est amplæ interpretationis; quia *beneficium Principis late explicandum est.* (*Cap. olim de verbor. signif. & Leg. de ult. constitut. Principum.*)

*Odiosum* est illud quod uni confert commodum, & alteri præjudicium, talis est exemptio a tributis quæ alios onerat. Est strictæ interpretationis, quia *odia sunt restringenda.*

*Dividitur* 4. In privilegium datum *motu proprio & ex certa scientia*, & privilegium datum *ad instantiam partis.*

Porro privilegium semper censetur concessum *ad instantiam*, nisi in litteris concessionis exprimatur datum fuisse *motu proprio.* Inter utrumque autem discrimen est, quod privilegium *motu proprio* concessum, etsi sit alteri nocivum, semper tamen reputatur favorabile, juxta reg. Juris ult. ff. de constit. *beneficium Imperatoris quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.*

Quæres 3. *An privilegiatus teneatur uti privilegio?*

*Resp.* Per se loquendo non teneri, quia (*Cap.* 6. *de Privileg.*) liberum est unicuique juri suo renuntiare.

Dixi *per se loquendo*, quia excipiuntur duo casus;

1. Cum privilegium datur ad aliquid alias præceptum, v. g. ad audiendam missam tempore interdicti.

2. Cum privilegium proxime respicit bonum communitatis, tale est privilegium canonis & fori, quod concessum est statui clericali, cui proinde non potest cedere Clericus, cum ex omissione ejus usus sequatur aliorum præjudicium.

Quæres 4. *An quis privilegio contra Legem concesso uti possit extra territorium concedentis?*

*Resp.* Non posse, si privilegium sit locale; posse vero si sit personale, modo non sit contra particulares alterius territorii Leges. Ratio est, quia privilegium locale afficit territorium concedentis, ipsique annexum est; personale vero afficit personam, eamque sequitur quocumque pergat; ergo, &c.

*Resol.* Si cui concessum sit privilegium vescendi carnibus tempore Quadragesimæ propter penuriam piscium, eo privilegio non potest uti extra territorium concedentis, quia est locale; si vero concessum sit propter necessitatem ipsius privilegiati, potest ubique tali privilegio uti, quia est personale. Talisque est praxis timoratorum, qui, accepta a Parocho suo licentia comedendi carnes, iisdem in alia Parochia absque nova Parochi illius loci permissione, non vescuntur.

Dixi: *Modo non sit contra particulares alterius territorii Leges*: quia ex dictis, viator tenetur Legibus particularibus alieni territorii per quod transit, vel in quo ad aliquod tempus moratur.

Hinc

Hinc qui a suo Episcopo facultatem obtinuit legendi libros prohibitos, potest illos in aliena Diœcesi legere, modo non sint prohibiti per statutum Episcopi illius loci.

Quæres 5. *Quot modis privilegium amittitur?*

*Resp.* Sex modis amittitur:

1. *Lapsu temporis* præscripti, aut *cessatione causæ* propter quam concessum fuerat (*Leg. quoties de precibus Imperatori offerendis*); ratio est quia privilegium non durat ultra intentionem concedentis; atqui concedens noluit privilegium concedere nisi ad tale tempus, vel sub tali causa: ergo.

2. Amittitur per voluntariam & liberam renuntiationem factam a privilegiato & acceptam a privilegiante: ratio est quia *liberum est unicuique juri suo renuntiare* (*Cap. 6. de Privilegiis*).

3. Amittitur per non usum spatio ad præscriptionem sufficiente, si gravet alios; quia non usus privilegii per tantum tempus est tacita illius renuntiatio, ut definit Innocentius III. (*Cap. 15. de Privilegiis*). Quod si non gravet alios, non amittitur per præscriptionem, cum nemo sit qui habeat jus de eo conquerendi.

4. Amittitur per usum privilegio formaliter contrarium, si gravet alios: ratio est quia privilegiatus præsumitur renuntiare privilegio (*ibidem*). Quod si non gravet alios, non amittitur propter contrariam rationem.

Hinc qui habens privilegium non solvendi decimas, eas volens & sciens solvit, amittit privilegium; econtra qui habens privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ, jejunat, non amittit privilegium; quia præsumitur jejunare solum ex devotione, non ut renuntiet privilegio.

5. Amittitur per abusum, *quia privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.* Requiritur tamen sententia declaratoria judicis, nisi privilegium concessum sit sub conditione illud amittendi *ipso facto* per abusum.

6. Amittitur per revocationem concedentis aut successoris privilegiato significatam, sive sit *expressa* per hanc specificam formulam, *non obstante tali privilegio*, vel per hanc genericam, *non obstantibus quibuscumque privilegiis.* Sive sit *tacita*, nimirum per collationem posterioris privilegii priori privilegio contrarii.

## ARTICULUS IV.

### *De Lege pœnali.*

*Nota.* Lex alia est præceptiva, alia pœnalis.

*Lex præceptiva* est ea quæ sancit aliquid faciendum vel omittendum, nulla pœna transgressoribus constituta.

*Lex pœnalis* est ea quæ pœnam transgressoribus expresse constituit. Alia est pure pœnalis, alia mixta.

*Lex pure pœnalis* est ea quæ præcipit tantum disjunctive vel ut fiat aliquid, vel ut certa pœna subeatur; unde unicum præceptum continet disjunctivum, ut patet.

*Lex pœnalis mixta* est ea quæ præcipit aliquid faciendum vel omittendum, & simul pœnam transgressoribus imponit; unde duo præcepta continet, alterum absolutum faciendi vel omittendi quod præcipitur aut prohibetur; alterum subeundæ pœnæ, si non fiat aut omittatur quod præcipitur aut prohibetur. His expositis,

Quæritur 1. an dentur Leges pure pœnales aut mixtæ; 2. an Leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam Judicis.

### §. I. *An dentur Leges pure pœnales, aut mixtæ?*

Dico 1. *Possunt dari Leges pure pœnales.*

*Prob.* Quia Lex vim habet ex voluntate Legislatoris; ergo si Legislator nolit obligare subditos nisi ad pœnam, subditi inobedientes non incurrent nisi reatum pœnæ; atqui Legislator potest nolle obligare subditos nisi ad pœnam: eo modo quo quis potest vovere se nunquam lusurum, vel si luserit, se talem pauperibus eleemosynam erogaturum, unde fit ut non peccet, si post ludum pactam eleemosynam largiatur; ergo, &c.

*Objicies* 1. Nulla pœna potest imponi sine culpa, ergo non datur Lex pure pœnalis.

*Resp. nego ant.* Nam juxta Reg. 23. Juris in 6. *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Ergo datur pœna, quæ aliquando ob causam a culpa diversam infligitur.

*Inst.* 1. Ex D. Aug. (*Lib.* 1. *retract. cap.* 9.) *omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*; ergo nulla pœna potest juste imponi sine culpa.

*Resp. dist. ant.* Omnis pœna proprie dicta, *conc. ant.* Omnis pœna improprie dicta, peccati pœna est, *nego antec.* Pœna *proprie* dicta est malum propter culpam inflictum; pœna *improprie* dicta est malum alia de causa impositum, puta ut illius metu impellamur ad faciendum aliquid, vel ut fiamus in posterum cautiores ad vitandos communes defectus; talis est pœna quæ per Leges pure pœnales imponitur, quæ quidem supponit culpam Juridicam quæ coram Deo reatum non inducit, sed non supponit culpam Theologicam quæ sola est peccatum.

*Inst.* 2. Omne præceptum legitimum obligat sub culpa Theologica; atqui omnis Lex est præceptum legitimum; ergo.

*Resp. dist. min.* Omnis Lex est præceptum absolutum, *nego min.* est præceptum disjunctivum, *conc. min.* Ergo obligat sub culpa Theologica disjunctive ad actum vel ad pœnam, *conc. conseq.* absolute ad actum, *nego conseq.* Pendet autem a Legislatore ut velit aliquando absolute obligare ad actum, aliquando disjunctive ad actum vel ad pœnam, & tunc obligat in conscientia ad alterutrum tantum.

*Inst.* 3. Lex est directiva actus moralis; ergo obligat absolute ad actum moralem.

*Resp. dist. ant.* Lex est directiva absolute vel disjunctive *conc. ant.* absolute semper, *nego ant.* Si autem directiva sit tantum disjunctive, non obligat nisi disjunctive ad actum præscriptum, vel ad pœnam subeundam, quia alterutrum tantum præcipitur; unde tunc subditus non deficit a rectitudine necessaria vi Legis, cum alteram partem disjunctionis implet, quia non tenetur obedire Superiori, nisi eo modo & quatenus præcipit.

*Objicies* 2. Leges mere pœnales, non sunt vere ac proprie dictæ Leges, sed simplices directiones & consilia; ergo.

*Resp.*

*Resp. nego ant.* Nam ad rationem Legis proprie dictæ sufficit quod habeat vim obligandi in conscientia; atqui Lex pure pœnalis obligat in conscientia ad pœnam; ergo, &c. Unde qui Legem hujusmodi transgreditur, peccat, nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam.

Quæres *quomodo cognosci possit voluntatem Legislatoris esse obligare tantum ad pœnam?*

*Resp.* Tribus modis: 1. ex communi sapientum interpretatione.

2. Ex verbis Legislatoris quibus declarat se nolle obligare ad culpam, quod satis communiter declarant in suis constitutionibus Superiores regulares, ut constat ex constitutionibus Fratrum Prædicatorum & Capuccinorum.

3. Ex ipsa Legis forma, cum nempe non fertur per modum præcepti aut prohibitionis sic: *Qui frumentum e regno transtulerit, solvet centum libras*: vel cum fertur disjunctive hoc modo: *Nemo frumentum e regno transferat, vel centum libras solvat.* Tunc enim alterutrum e duobus sufficit ad Legem implendam & vitandum peccatum, quia Legislator nil aliud intendit, contentus illo modo coactionis.

*Dico* 1. *Dantur Leges pœnales mixtæ obligantes in conscientia ad actum præceptum.* Est contra Navarrum (*in Manuali c.* 23. *n.* 55.).

*Probat.* Lex quæ continet præceptum absolutum aliquid faciendi vel omittendi, obligat in conscientia, atqui Lex pœnalis mixta continet præceptum absolutum, & simul pœnam transgressoribus imponit. Ergo.

*Prob. maj.* Quæ sola patitur difficultatem: Lex humana præceptiva, seu quæ continet præceptum absolutum absque impositione pœnæ, obligat in conscientia, ut fatetur Navarrus; ergo & Lex præceptiva cum impositione transgressoribus pœnæ; nam impositio pœnæ non tollit obligationem ad culpam, sed potius indicat & confirmat illam.

*Objicies* cum Navarro. Lex pœnalis utpote odiosa benigne interpretanda est; atqui benigna interpretatio est, si dicatur omnem Legem pœnalem obligare sub pœna tantum; ergo nulla est lex pœnalis mixta.

*Resp. dist. maj.* Lex pœnalis &c. benigne interpretanda est, cum sensus ejus est dubius, *conc.* cum sensus ejus non est dubius, *nego maj.* At sensus Legis quæ in verbis & modo quo fertur continet præceptum actus quem exigit, non est dubius; & ideo qui talem asserit in conscientia non obligare, non benigne interpretatur Legem, sed manifeste corrumpit.

*Inst.* 1. Injustum est reatum duplicis pœnæ imponere propter eandem transgressionem; ergo dum Legislator humanus imponit pœnam temporalem, non potest imponere pœnam æternam; ergo nec obligare in conscientia.

*Resp. nego ant.* Nam 1. Deus cum præceptum Adamo imposuit, illum obligavit in conscientia sub pœna gravissima ac reatu pœnæ æternæ, & tamen adjecit pœnam mortis temporalis. 2. Multæ Leges civiles pœnas temporales statuunt propter crimina contra Legem naturalem aut divinam, quamvis hæ Leges æternæ pœnæ reatum inducant: nec id injuste, quia peccatum utraque pœna dignum est; & utramque imponi, sæpe utile, imo necessarium est ad obtinendum effectum Legis.

*Inst.* 2. Qui unum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere quod tacet (*Cap.* 5. *de præsumpt.*) ergo Legislator apponens pœnam temporalem, censetur excludere æternam.

*Resp. dist. ant.* Censetur excludere quod tacet, si illa duo sint incompatibilia, vel si necessario facienda sit utriusque mentio expressa, nec sufficiat implicita, *conc. antec.*, secus *nego antec.* & *conseq.* Porro nec obligatio in conscientia incompossibilis est cum obligatione ad pœnam temporalem, sed utraque potest utiliter conjungi; nec est necessaria mentio expressa obligationis in conscientia, sed sufficit implicita contenta in præcepto quo Legislator sufficienter declarat se obligare in conscientia, graviter vel leviter pro qualitate materiæ quæ præcipitur.

*Resolv.* 1. Qui extra vel intra Regnum aut Civitatem nonnullas merces evehunt contra Leges pœnales mixtas, hanc evectionem sub gravi pœna incarcerationis, exilii, &c. prohibentes, peccant licet paratos se dicant ad multam impositam subeundam; peccant, inquam, non solum contra charitatem sibi debitam tanto periculo se committentes; sed præcise quia transgressio Legis pœnalis mixtæ est peccaminosa.

*Resolv.* 2. Eos graviter peccare & ad restitutionem teneri, qui tributa & vectigalia defraudant; tum quia præcipiuntur Legibus pœnalibus mixtis; tum quia sunt justa stipendia Principi pro Republica laboranti debita, juxta illud Apost. (*Rom.* 13. *vers.* 6.) *Ideo enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes ... cui vectigal, vectigal.* Et illud Christi (*Matt.* 22. *vers.* 22.) *Reddite ergo quæ sunt Cesaris, Cæsari*, &c. Ergo solvi debent ex justitia etiamsi non petantur, ubi consuetudine receptum est ut solvantur antequam petantur; quod si consuetudine receptum sit ut non solvantur nisi ab exactoribus petantur, *non necessario solvenda sunt nisi petantur*, ait Sylvius (*Sylv. conclus.* 7. *in S. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 8.), *modo nihil fraude agatur, ut abscondendo merces, divertendo a viis publicis ne exactori occurratur fugiendo; vel aliter decipiendo exactori. Sed*

Quæres *Cuinam facienda sit talis restitutio?*

*Resp.* Facienda est Principi, non vero exactoribus. Ratio est quia Princeps qui propter subditorum fraudes jus exigendi tributa viliori pretio vendidit, inde passus est injuriam: exactores vero & Publicani, qui propter tales fraudes jus Principis viliori pretio emerunt, nullam patiuntur injuriam.

### §. II. *An Leges pœnales obligent ad subeundam pœnam ante sententiam Judicis declaratoriam?*

*Nota* 1. Pœnæ aliæ sunt *latæ*, aliæ *ferendæ* sententiæ.

Pœna *latæ sententiæ*, est ea quæ ipso facto, id est, sola criminis admissione infligitur per legem.

Pœna *ferendæ sententiæ* est ea quæ statuitur infligenda per sententiam Judicis. De hac pœna non

non agitur in hac quæstione, cum constet per pœnam ferendæ sententiæ non esse condemnatum, sed tantum condemnandum.

*Nota* 2. Sententia judicis duplex est; nempe *condemnatoria*, per quam reus a Judice ad certam pœnam condemnatur; & *declaratoria*, per quam judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna *ipso facto* incurritur.

*Nota* 3. Triplex est genus pœnarum. Primum est earum quæ possunt executioni mandari sine actione rei tales sunt pœnæ mere *passivæ*, v. g. censuræ, irregularitas, privatio vocis activæ & passivæ, &c.

Secundum genus est earum, quæ non possunt executioni mandari absque actione rei, vel levi nec valde difficili; ut sunt pœnitentiæ quas præscribunt Religiosorum Constitutiones; vel gravi, & valde difficili, ut sunt aliquæ pœnæ 1. *positivæ*, v. g. exilium, mutilatio, incarceratio, &c. 2. *Privativæ*, v. g. privatio Beneficii juste possessi, bonorum omnium confiscatio, &c.

Tertium genus est earum qui irritant actum Lege prohibitum, v. g. matrimonium clandestinum; vel reum reddunt inhabilem ad aliquid, v. g. beneficiatum ad percipiendos beneficii fructus, si Horas non recitet; vel quæ non tam sunt pœnæ, quam conditiones ad aliquid acquirendum necessariæ; v. g. pœna privationis Beneficii statuta contra Clericum qui sua culpa intra annum ad Sacerdotium non promoveretur. His positis:

*Dico* 1. *Pœnæ quæ executioni possunt mandari sine actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam Judicis declaratoriam, secluso mortis aut infamiæ periculo.*

*Prob.* Quia nulla potest sufficiens ratio afferri, cur hujusmodi pœnæ *ipso facto* non incurrantur, si Legislator velit eas ipso facto incurri; & est communis usus Ecclesiæ, ut censuræ, irregularitates & aliæ pœnæ mere passivæ incurrantur absque sententia declaratoria.

Dixi: *Secluso mortis aut infamiæ periculo*: quia jus naturale ad propriam vitam & famam præponderat juri humano contra reos statuenti pœnas excommunicationis, privationis vocis activæ & passivæ, &c.

*Dico* 2. *Pœnæ quæ executioni mandari non possunt absque actione rei, effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam, si actio quæ requiritur ad earum executionem, non sit valde difficilis; illum vero non sortiuntur si sit valde difficilis, nisi hæc clausula*: nulla declaratione præmissa *vel* absque ulla declaratione, *apponatur*; *vel nisi in aliquo casu usus contrarius invaluerit.*

*Prob.* Quia Lex debet præcipere actus moraliter possibiles; atqui executio pœnarum quæ requirit actionem rei non valde difficilem, est moraliter possibilis, econtra executio pœnarum quæ requirit actionem rei valde difficilem, est moraliter impossibilis, ergo, &c. Et hic est communis sensus & usus Ecclesiæ.

Dixi 1. *Nisi hæc clausula* absque ulla declaratione *apponatur*; quia Legislator id potest, quod Judex: ergo si reus pœnam subire tenetur post declarationem Judicis, a fortiori, & post declarationem Legislatori.

Dixi 2. *Vel nisi usus contrarius invaluerit* quomodo invaluit ut conjux incestuosus privetur jure petendi debitum ante ullam Judicis declarationem.

*Dices*, Si delinquens patrato delicto propter quod pœna *ipso facto* est imposita, non teneretur statim persolvere pœnam, sequeretur frustra in Lege apponi illas clausulas, *ipso facto*, *ipso jure*; & nullam esse differentiam inter pœnam *latæ & ferendæ* sententiæ: falsum & absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Disparitas est quia pœna *ipso facto* imposita retrotrahitur ad diem commissi criminis, unde 1. donationes & aliæ dispositiones quæ crimen subsecutæ sunt, irritæ evadunt statim atque intervenit sententia declaratoria; 2. ab illo die exurgit obligatio realis quæ transit ad hæredes, restituendi fructus perceptos; secus si pœna esset tantum *ferendæ*, quia reus nondum esset condemnatus; unde non privaretur fructibus perceptis, nec irritæ essent donationes, aut aliæ circa beneficium dispositiones, nisi post sententiam Judicis *condemnatoriam*, quæ non potest ferri post delinquentis mortem, *cum morte* (delinquentis), *ejus crimen cum pœna sit extinctum* (*Lib.* 3. *Cod. si reus vel accusator mortuus fuerit.*)

*Resol.* Parochum qui admisit crimen, propter quod *ipso facto* privatur Beneficio, non teneri ante sententiam declaratoriam, se a sui Beneficii possessione amovere; ideoque posse valide absolvere pœnitentes, & fructus facere suos, modo beneficii munera exequatur.

*Dico* 3. *Pœnæ quæ irritant actum Lege prohibitum, sortiuntur suum effectum ante sententiam Judicis declaratoriam.*

*Prob.* Quia actus facti contra Leges irritantes, vel inhabilitantes, vel conditionem, quæ non impletur, apponentes, sunt invalidi, ut per se patet; ergo ante Judicis declarationem suum sortiuntur effectum.

Quæres *An ignorantia pœnæ, reum excuset a pœna?*

*Resp.* 1. Ignorantia invincibilis pœnarum quæ possunt executioni mandari sine actione rei (quales sunt censuræ, irregularitates ex delicto, privatio vocis activæ & passivæ) excusat a pœna incurrenda: ratio est, quia illæ pœnæ non incurruntur nisi propter contumaciam, unde ordinarie sub hac forma feruntur: *qui scienter*, vel *qui temerarie hoc fecerit*, vel *facere præsumpserit*; atqui ille solus est contumax, qui ex certa scientia, vel ex ignorantia affectata quæ æquiparatur scientiæ, agit contra Legem; ergo qui agit contra Legem ex ignorantia invincibili pœnæ, non incurrit pœnam.

*Resp.* 2. Ignorantia invincibilis pœnarum quæ executioni non possunt mandari absque actione rei, excusat a debito pœnæ; ratio est quia illæ pœnæ non infliguntur, nisi propter culpam; ergo quidquid excusat a culpa, excusat a debito pœnæ; atqui ignorantia invincibilis excusat a culpa; ergo & a debito pœnæ.

Hinc si quis ex ignorantia invincibili fecerit contra has Leges, & nihilominus a Judice damnetur, quia ignorantiam suam probare non potest, potest se subtrahere pœnæ, modo id fiat sine publica resistentia & scandalo.

*Resp.* 3. Difficultatem circa pœnas quæ irritant

tant actum Lege prohibitum, commodius resolvemus articulo sequenti; ideo sit

## ARTICULUS V.

*De Lege irritante.*

Quæres 1. *Quid sit Lex irritans?*

*Resp.* Est ea quæ actum aliquem, cui certæ desunt conditiones, nullum & invalidum facit sive explicite, v. g. si Lex his verbis feratur: *si actus realiter fiat, careat omni robore.* Sive implicite v. g. si Lex formam substantialem alicujus actus præscribat, quæ non servetur.

Dicitur *nullum & invalidum:* per quod distinguitur

1. A Lege simpliciter prohibente quæ reddit actum illicitum, sed non invalidum, quia (*Cap.* 16. *de Regularibus*) *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*; ut patet in matrimonio contracto post emissum simplex castitatis votum.

2. A Lege quæ non irritat *ipso facto* actum, sed solum præcipit ejus irritationem per Judicem faciendam, & quæ consequenter omni usu ac utilitate morali non privat ante sententiam irritatoriam judicis.

Quæres 2. *Quotuplex sit irritatio?*

*Resp. duplex.* Pœnalis scilicet & Legalis.

*Irritatio pœnalis* est ea qua actus aliquis irritatur in pœnam peccati; talis est irritatio acquisitionis fructuum ab eo qui Horas Canonicas omittit.

*Irritatio legalis* est ea qua aliquis actus irritatur propter bonum commune; talis est irritatio matrimonii inter consanguineos & affines ob decentiam, testamentorum minus solemnium, matrimoniorum clandestinorum, donationum pupillorum &c. propter periculum fraudis & aliorum incommodorum inde sequendorum.

Quæres 3. *An ignorantia invincibilis Legis irritantis, impediat irritationem?*

*Resp.* Ignorantia invincibilis & quælibet alia causa quæ excusat a culpa, impedit irritationem pœnalem, non vero legalem.

*Ratio primi est*, quia pœna proprie dicta statuta est ob culpam, & hanc necessario supponit: ergo quod tollit culpam, tollit reatum pœnæ proprie dictæ; ex quo

*Resolves.* Si quis ex oblivione mere naturali omittat Horas, facit fructus suos, licet extet Lex qua irritatur acquisitio fructuum ab iis facta qui officium omittunt.

*Ratio secundi est*, quia irritatio legalis non supponit culpam, sed fundatur in præsumptione periculi fraudis & aliorum incommodorum; atqui in actu contra Legem irritantem legalem celebrato semper existit periculum fraudis, &c. Ergo Lex semper vigere debet; hoc enim absolute intendit & intendere debet Legislator; unde

*Resolves:* Si quis ex ignorantia invincibili matrimonium clandestine contrahat, ut cum consanguineo vel affini, nihilominus invalidum est tale matrimonium; quia irritatio facta contra has Leges non est pœnalis, sed legalis.

## QUÆSTIO III.

*De cessatione Legum humanarum.*

*Nota.* Lex cessare potest tum ab intrinseco, tum ab extrinseco.

1. *Lex humana cessat ab intrinseco*, 1. quando propter mutationem materiæ aut circumstantiarum fit inutilis bono communi; est enim essentiale Legi, ut sit propter bonum commune. 2. Quando cessat respectu totius communitatis causa adæquata, propter quam Lex fuit lata; nam Lex non obligat nisi juxta voluntatem Legislatoris; atqui cessante respectu totius communitatis tota & integra causa propter quam Legem tulit, non perseverat moraliter voluntas obligandi; ergo cessante tota & integra illa ratione Lex amplius non obligat.

Hinc si præcipiatur jejunium ad obtinendam Principis sanitatem, mortuo Principe, aut ad sanitatem restituto, cessat obligatio jejunii.

Dixi 1. *Cessante causa adæquata:* quia si Lex fuerit lata ob plures causas, cessante una, si non cessent aliæ, non cessat obligatio Legis; sic si Episcopus præcipiat jejunium ad pacem & sanitatem Principis obtinendam, non cessat Lex perseverante bello, licet obtenta Principis sanitate.

Dixi 2. *Respectu totius communitatis:* quia si finis ratioque Legis pro quibusdam tantummodo particularibus cessaret, vigeret semper pro omnibus & singulis ejus obligatio, quia Legislator vult ut omnes Lege teneantur, quandiu Lex illa utilis est bono communi; atqui tandiu Lex est utilis bono communi, quandiu finis adæquatus Legis non cessat respectu totius communitatis; ergo. Hinc licet per accidens nullum alicui sit in librorum prohibitorum lectione subversionis periculum, ab eorum tamen Lectione tenetur abstinere.

2. *Lex humana cessat ab extrinseco*, 1. Per interpretationem; 2. Per dispensationem; 3. Per derogationem, & abrogationem & irritationem; de quibus sequentibus articulis.

## ARTICULUS I.

*De interpretatione Legum humanarum.*

*Nota.* Duplex est Legis interpretatio, 1. dicitur *simplex*, 2. dicitur *per epikejam* seu æquitatem.

*Interpretatio simplex*, est terminorum Legis quæ obscuritatem, aut ambiguitatem quamdam patiuntur, simplex expositio.

*Interpretatio per epikejam*, est benigna & rationabilis declaratio qua decernitur casum aliquem particularem ob suas circumstantias, non comprehendi Lege, quamvis per verba generalia lata.

*Nota* 2. Interpretatio simplex, triplex est, nimirum authentica, usualis & doctrinalis.

*Interpretatio authentica*, seu cum auctoritate prolata, est ea quæ fit ab ipso Legislatore, vel ejus Superiore aut successore, habetque vim Legis, si debite promulgetur.

*Interpretatio usualis*, est ea quæ petitur ex con-

consuetudine, quæ *est optima Legum interpres* (*cap.* 8. *de Consuetudine*).

*Interpretatio doctrinalis* est ea quæ fit per explicationem Doctorum ac Jusperitorum; hæc non habet vim Legis, cum non procedat ab habente jurisdictionem, tamen imprudenter & contra rectam rationem rejiceretur, si in eam omnes doctores consentiant; quod si inter se dissentiant, tenemur sequi opinionem probabiliorem.

*Nota* 3. Certum est nullam esse Legem, in quam non cadat simplex interpretatio, quia nulla est Lex cujus termini aliquando non sint ambigui, & cujus sensus expositione non indigeat, ut diximus supra (*de Lege natur. cap.* 2. *quæst.* 3. *conclus.* 2.). Sed

Quæres 2. *Quænam sunt regulæ aptæ ad faciendam interpretationem doctrinalem?*

*Resp.* Sunt quinque.

1. In Legis interpretatione sequenda est naturalis verborum proprietas, nisi sic accepta sensus fiat absurdus, aut Lex inutilis reddatur; ratio est quia cum Lex clara esse debeat, præsumendum est Legislatorem eo loqui sensu, quo verba communiter accipiuntur.

2. Lex generaliter & indefinite loquens, omnia significata propria comprehendit, quia *ubi Lex non distinguit, neque nos distinguemus* (*Lege* 8. *de publicana in rem actione*) id est distinguere debemus.

3. Si verba Legis sint æquivoca, eorum significatio spectanda est ex antecedentibus & consequentibus, sed præsertim ex fine Legis; ut dicitur *cap.* 6. *de verbor. signif.*

4. Lex positiva ob paritatem rationis non debet extendi ad casus in ea non comprehensos, nisi in correlativis, æquiparatis, connexis, & judiciis; quia ubi de Lege positiva agitur, non ratio Legislatoris, sed ejus voluntas intimata subditis obligat & habet rationem Legis; potest autem Legislator de uno disponere, non de alio.

Dixi 1. *Nisi in correlativis:* quia jure sancitur, ut *dispositum in uno correlativo censeatur esse dispositum in alio* (*l. ult. Cod. de indicta viduit.*); sic Lex quæ eximit virum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, censetur eximere uxorem ab obligatione illud reddendi viro adultero; quia vir & uxor sunt correlativa.

Dixi 2. *Nisi in æquiparatis;* unde quia electio, postulatio, præsentatio æquiparantur in jure, Lex quæ aliquid circa unam statuit, censetur idem statuere circa aliam, in his in quibus æquiparantur.

Dixi 3. *Nisi in connexis;* unde illi quibus Lex permittit testamentum facere, iisdem permittit ut codicillum faciant.

Dixi 4. *Nisi in judiciis*, quia prudentia dictat, ut cum pro aliquo casu decidendo Lex non est certa, decisio illius petatur a similis casus decisione, ut expresse statuitur *L.* 12. *ff. de Legibus*.

5. In Legis interpretatione attendendum est hoc juris axioma: *odia restringi, favores convenit ampliari.* Unde in odiosis verba Legis restringuntur ad eos qui exprimuntur, non ad alios; hinc si exprimatur filius, filia non comprehenditur; econtra in favorabilibus verba Legis extenduntur ad omnem suam proprietatem, non solum naturalem, sed etiam civilem seu juridicam; sic cum loquitur in favorem filiorum, adoptivi, & filiæ etiam venire solent; & Lex favens legitimis, legitimatos etiam comprehendit, nisi aliquid obstet.

Porro in Jure Beneficium est favorabile, cum ita uni prodest, ut alteri non noceat; odiosum vero, cum uni non prodest, nisi alios gravando.

Quæres 3. *An licitum sit uti epikeja?*

*Resp.* Licitum est uti epikeja in Lege positiva: ratio est quia Lex non obligat ultra voluntatem Legislatoris; atqui Legislator non censetur habere voluntatem obligandi in casibus qui juxta regulas æquitatis & prudentiæ non comprehenduntur in Lege: ergo.

Porro casus, in quibus licitum est uti epikeja, sunt

1. Cum observatio Legis sit peccaminosa; sic sine peccato non potest reddi gladius furioso.

2. Cum observatio Legis cedit in damnum Reipublicæ; sic cives arma sumere possunt adversus hostes civitatem invadentes, licet sit Lex generatim vetans armorum gestationem.

3. Quando observatio Legis adversatur Legi superiori, vel est nimis onerosa; sic licitum est non audire Sacrum, ad inserviendum ægroto graviter decumbenti, vel ad cavendam honoris, aut rei familiaris jacturam.

Quæres 3. *Quando dubium est an Lex casum aliquem comprehendat, quid faciendum?*

*Resp.* cum D. Thom. (1. 2. *qu.* 96. *art.* 6. *ad* 2.), debet consuli Superior; quod si consuli non possit, non licet uti epikeja, sed Lex est servanda; *si enim dubium sit*, ait D. Doctor, *debet vel secundum verba Legis agere, vel Superiorem consulere.* Ratio est, quia tunc non potest absque determinatione Superioris formari judicium prudens & moraliter certum Legem non obligare; ergo tutior pars est eligenda, & Lex servanda.

## ARTICULUS II.

### *De dispensatione a Legibus humanis.*

Quæres 1. *Quid sit Dispensatio?*

*Resp.* Est relaxatio Legis legitima auctoritate ad tempus facta in aliquo casu, in quo alioquin Lex obligaret.

Dicitur 1. *Relaxatio Legis*; id est, exemptio a Legis obligatione, per quod convenit cum abrogatione & privilegio.

Dicitur 2. *Legitima auctoritate:* quia dispensatio est actus jurisdictionis: & per hoc differt ab *epikeja*, quæ est actus prudentiæ & scientiæ, non vero jurisdictionis.

Dicitur 3. *Ad tempus facta:* per quod differt ab abrogatione & privilegio, quæ conceduntur in perpetuum.

Dicitur 4. *In aliquo casu, in quo &c.* per quod rursus differt tum ab epikeja, tum a tolerantia, tum a licentia seu permissione, quæ non sunt relaxatio Legis; nam *epikeja* in iis solum casibus locum habet ubi Lex rationabiliter judicatur non obligare; *tolerantia* est solum infractionis Legis adhuc vigentis impunitas, tum ut vitetur majus malum, tum ne perturbetur Reipublicæ pax & tranquillitas; *permissio* vero est solum appositio con-

conditionis, sub qua Lex non obligat; sic Superior Religionis permittens subdito ut aliquid donet, facit ut subditus pro illo casu non obligetur voto paupertatis.

Quæres 2. *Quinam habeant potestatem dispensandi a lege?*

*Resp.* Potest cum subdito dispensare omnis legitimus Superior, qui est vel ipse Legislator, vel ipsius Superior, vel Successor in Jurisdictione. Ratio est quia obligatio Legis humanæ inducitur per voluntatem legitimi Superioris præcipientis; ergo etiam per ipsius voluntatem potest auferri juxta illud effatum: *res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, nisi aliud obstet.* Ex quo,

*Sequitur* 1. Summum Pontificem posse dispensare in omnibus quæ Juris sunt mere canonici, in Legibus suorum prædecessorum, in decretis Conciliorum etiam generalium, imo etiam in Legibus ab Apostolis auctoritate humana latis, quia parem habet auctoritatem cum Apostolis & Petro cui successit.

*Sequitur* 2. Episcopum posse dispensare a statutis suæ Diœcesis etiamsi sint synodalia, quia jurisdictio Synodi non est alia a jurisdictione Episcopi, cum alii Sacerdotes qui ad Synodum conveniunt, non habeant suffragium definitivum, sed duntaxat consultativum.

Quæres 3. *An inferior possit dispensare a Legibus sui Superioris?*

*Resp. non posse*, nisi ex Superioris consensu expresso, vel tacito. Ratio est quia Dispensatio est actus jurisdictionis, atqui inferior non habet jurisdictionem in Leges Superioris; ergo. Hinc Clemens V. ait (*Clement.* 2. *de electione*): *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Ex quo,

Sequitur 1. Nullum hominem posse dispensare in Legibus divinis, etiam mere positivis. 2. Episcopum non posse dispensare in Legibus Pontificiis; nec Parochum in Legibus Episcopi, nec Provincialem aut Generalem in Legibus Capituli generalis aut provincialis respective; ratio est quia eorum respectu sunt inferiores.

Dixi 1. *Nisi ex consensu superioris expresso:* quia Superior potest alteri suam potestatem delegare, nam *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum* (*Reg.* 68. *Jur. in* 6.).

Dixi 2. *Vel ex consensu tacito:* qui adesse censetur

1. Dum consuetudo obtinuit ut inferiores Prælati dispensent in Legibus Superiorum, scientibus & permittentibus iisdem Superioribus. (*Cap.* 13. *de foro compet.*)

2. Dum necessitas dispensandi sæpe occurrit, ut in festis & jejuniis: nam nimis difficile foret, in similibus semper recurrere ad Superiorem.

3. Cum urget dispensandi necessitas, difficilisque est ad Superiorem recursus, & est periculum in mora, sive infamiæ, sive scandali, sive gravis alterius mali.

4. Cum casus est dubius, quia Pontifex præsumitur non nisi casus certos sibi reservasse.

Quæres 4. *An Legislator possit secum in sua Lege dispensare?*

*Resp.* Non potest *proprie*, quia ut dictum est supra (*Cap.* 3. *q.* 1. *art.* 6. §. 1. *de Legib.*) non tenetur suis Legibus; sed potest *improprie & interpretative*, explicando nempe casus in quibus non tenetur vi Legis naturalis conformare se membris communitatis in servanda Lege quam tulit.

Quæres 5. *Utrum dispensatio sine causa concessa, sit licita?*

*Resp.* Esse illicitam, patet ex Concilio Tridentino. (*Sess.* 25. *cap.* 18. *de ref.*) Ratio est quia potestas non est data Superiori *in destructionem, sed in ædificationem* (2. *Corint.* 13. *vers.* 10.) atqui dispensatio absque justa causa est in destructionem; pacem enim turbat, transgressionibus viam aperit, Superiorum auctoritatem despectui exponit, estque vitium acceptionis personarum; ergo. Quare tam petens, quam concedens hujusmodi dispensationem committunt peccatum mortale, si materia sit gravis, veniale vero si levis, ut docet Suarez (*Lib.* 6. *cap.* 18. *Cajetan. Sylvius Valentia, Tournely etc.*) & alii.

Porro multæ sunt causæ dispensandi, quæ ad tres revocari possunt; 1. est pietas, 2. est necessitas communis vel etiam privata, 3. est utilitas communis vel privata.

*Ratione pietatis* dispensatur ab irregularitate, cui Ecclesiæ Officium præstare potest.

*Ratione necessitatis* dispensatur a jejunio, qui sine gravi incommodo jejunare non potest.

*Ratione utilitatis* dispensatur a voto castitatis, qui versatur in periculo incontinentiæ.

*Dices.* In Curia Romana conceduntur Dispensationes quæ dicuntur *sine causa;* ergo licita est dispensatio sine causa.

*Resp. dist. ant.* Conceduntur Dispensationes quæ dicuntur *sine causa*, eo quod causa non exprimatur, *conc. ant.* eo quod nulla sit causa, *nego ant.* Nam in harum dispensationum formula dicitur: *ex certis rationalibus causis animum nostrum moventibus.*

*Resp.* 2. *iterum dist.* Conceduntur Dispensationes *sine causa* intrinseca, *conc. ant.* sine causa extrinseca, *nego ant.* Porro causæ extrinsecæ dispensandi sunt pax quæ ex matrimonio inter Principes celebrato exurgit; defensio Ecclesiæ quam libentius assumunt Principes clementi Ecclesiæ benignitate moti; summa pecuniaria ad sumptus Ecclesiæ publicos impendenda &c.

Quæres 6. *Utrum valida sit dispensatio sine causa concessa?*

*Resp.* Valida est, si concedatur a supremo Legislatore; invalida vero, si concedatur ab inferiori & delegato.

*Ratio primi* est quia sicut Lex pendet a Legislatore in fieri, ita etiam in conservari; ergo sicut potuit Legem non ferre, potest ipsam abolere, vel respectu omnium Legem abrogando, vel respectu aliquorum particularium, eos ab obligatione Legis per dispensationem eximendo.

*Ratio* 2. *partis* est, quia superior non præsumitur suam delegasse potestatem peccando; atqui non potest concedere potestatem dispensandi sine causa, quin peccet; ergo.

Hinc Episcopus, a fortiori Parochus, deficiente justa causa, invalide dispensant in Legibus Canonicis jejunii, abstinentiæ &c. (*Ita Navar. Sylvest. Tourn. Paulus a Lug. et alii*).

*Dices* 1 Lex injusta non est valida; ergo nec dispensatio injusta.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Lex sit essentialiter *ordinatio rationis*, seu præceptum justum; at dispensatio nihil aliud est quam relaxatio obligationis Legis, quæ sive justa, sive injusta sit, est vera relaxatio.

*Inst.* Dispensatio a voto sine causa legitima est invalida; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod obligatio voti sit Juris divini, unde a votis non dispensat homo nisi ut delegatus a Deo, qui non vult votum remitti absque justa causa; at obligatio Legis humanæ tota pendet a libera voluntate Legislatoris, unde non mirum, si possit illam etiam sine justa causa relaxare.

*Dices* 2. Si valida est dispensatio sine causa, non erit illicitus ejus usus; falsum cons. ergo

*Resp. nego maj. Prob.* Qui dispensatione sine causa concessa utitur, nullam Legem infringit; ergo.

*Resp. dist. ant.* Nullam legem humanam infringit, *conc. ant.* Legem naturalem, *nego ant.* Ratio est quia Lex naturalis vetat, ne pars absque causa legitima a suo toto discrepet, nec aliis præbeatur scandalum; enimvero Legislator ipse peccat, si sine justa causa Legem suam non servat; ergo & ipse subditus sine justa causa dispensatus.

Quæres 7. *An cessante dispensationis causa, cesset dispensatio?* antequam respondeam,

*Nota*: Causam finalem dispensationis cessare posse:

1. Tempore quo Litteræ dispensatoriæ expediuntur.

2. Post earum expeditionem, sed ante executionem seu fulminationem.

3. Post earumdem executionem, sed antequam sortitæ sint suum effectum.

4. Postquam Litteræ dispensatoriæ sortitæ sunt suum effectum. His notatis:

*Resp.* 1. Si cesset causa finalis dispensationis tempore quo Litteræ dispensatoriæ expediuntur, cessat dispensatio; id enim definivit Bonif. VIII. (*Cap.* 9. *de rescriptis.*) Ratio est quia Superior dispensaret sine causa & consequenter peccando; atqui Superior non præsumitur sic dispensare; ergo. Unde in Litteris dispensatoriis hæc inferuntur verba: *si ita est*, vel *quatenus si ita est*; vel *si preces veritate nitantur*.

*Resp.* 2. Si cesset causa finalis post Litterarum dispensatoriarum expeditionem, sed ante earum executionem, seu fulminationem a Commissario factam, cessat dispensatio, quia Commissarius non potest dispensare nisi sub hac conditione apposita, *si preces veritate nitantur*: atqui hæc clausula exigit ut causa finalis persistat tempore quo datur dispensatio a mandatario, ut definitur expresse *cap.* 30. *de præbendis in* 6.

Hinc si ad legitimandam prolem ex consanguinea susceptam petatur dispensatio ab impedimento; sed ante dispensationem datam a commissario proles moriatur, mandatum non potest executioni mandari.

*Resp.* 3. Si causa finalis dispensationis cesset post earum executionem a mandatario, sed antequam dispensatio suum sortita sit effectum, non cessat dispensatio in iis omnibus quæ non habent tractum successivum, ratio est tum quia impedimentum semel absolute sublatum per dispensationem, non reviviscit; tum quia (*Reg.* 73. *juris in* 6.) *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari* (*Ita censent Sylvest. Covarruv. Sylvius, Ducasse, Eticha amoris, Habert, Suarez, Auctor collat. Paris. t.* 3. *l.* 5. *Suarez, Tournely &c. contra Bonacinam & plures alios quos citat.*).

Hinc si ad legitimandam prolem ex consanguinea susceptam petatur dispensatio, & post dispensationem a commissario datam, sed ante contractum matrimonium proles moriatur, non cessat dispensatio.

Dixi: *In omnibus quæ non habent tractum successivum*; quia ea quæ habent tractum successivum, ut est jejunium quadragesimale, carnium comestio, in quibus dispensatio quæ datur, est virtualiter multiplex, sive tot sunt virtualiter dispensationes quot sunt dies, haud dubie dispensatio non valeret pro eo tempore quo tolleretur ipsius causa; ratio Haberti est, quia *ex communi omnium sensu intelligitur talem fuisse mentem Superioris*; & est praxis communis timoratorum.

*Resp.* 4. Si causa dispensationis cesset, postquam sortita est suum effectum, non cessat dispensatio. Ratio est quia effectus licite, valide & absolute consumptus fuit virtute dispensationis præteritæ; ergo non potest cessare ob cessationem causæ.

Hinc non cessat dispensatio in irregularitate respectu illius qui ratione paupertatis parentum dispensationem ad ordines obtinuit, si ordinibus jam susceptis cessat paupertas quæ fuit causa finalis dispensationis.

Quæres 8. *An dispensatio cesset per mortem dispensatoris?*

*Resp.* Non cessat extra materiam justitiæ, etiamsi res sit adhuc integra, id est cum delegatus necdum uti cœpit jurisdictione; ratio est quia dispensatio est gratia; atqui gratia concessa, non cessat morte concedentis; nam ex *c.* 36. de præbendis in 6. *concessio* (*quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram,*) *non expirat etiam re integra per obitum concedentis.*

Dixi; *extra materiam justitiæ*, quia in materia justitiæ, *mandatum re integra, domini morte finitur.* (*Lege* 15. *cod. mandati.*) Ratio est quia rescriptum justitiæ non est gratia, sed mandatum de justitia facienda.

*Objicies* cum Bonacina (*de privileg. disputatio* 1. *quæst.* 3. *puncto* 8. §. 1. *prop.* 2.) & Habert (*de Lege cap.* 12.) gratia *facta*, id est quæ alicui data est propter ipsum, non expirat morte concedentis re adhuc integra; sed gratia *facienda*, id est quæ alicui datur propter alium, expirat; ergo generalior est nostra responsio.

*Resp. nego ant.* Distinctio enim inter gratiam *factam* & *faciendam* videtur fictitia, cum nullibi legatur in toto corpore Juris.

*Inst.* Cap. 36. de præbendis supra cit. dicitur: *si super provisione certæ personæ facienda data sit potestas alicui, non ob suam, sed ejus cui provideri mandatur, gratiam concessam: illa utique expirat omnino, si concedens re integra moriatur.* Ergo gratia *facienda* expirat morte concedentis.

*Resp.*

*Resp. nego cons.* Non enim expirat quia est gratia *facienda*, sed quia ea gratia est *odiosa* quæ præcipit ut beneficium cum vacabit, non nisi certæ personæ conferri possit; tum quia sic alii sæpe magis idonei excluduntur; tum quia Concilium Later. (*Cap. 2. de concessione præbendæ*) vetuit ne beneficia *promittantur antequam vacent*; atqui privilegia quæ sunt odiosa, expirant per mortem concedentis re adhuc integra; ergo &c.

Quæres 9. *An dispensatio subreptitia vel obreptitia sit valida?* Antequam respondeam,

*Nota*: dispensatio *subreptitia* est ea quæ obtinetur per subticentiam veritatis alicujus, quæ per se & intrinsece ad rem pertinet, vel quæ exponi debet juxta regulas & stylum Cancellariæ Romanæ.

Dispensatio *obreptitia* est quæ obtinetur per narrationem falsi, quæ sit causa motiva dispensationis, ita ut ea sublata, vel nullo modo, vel non nisi cum quibusdam conditionibus aut limitationibus concederetur.

*Resp.* Quoties aliquid habens prudentem connexionem cum dispensatione, tacetur, aut falso narratur in supplicatione, quo cognito Superior non dispensasset, invalida est dispensatio. Ratio est quia dispensatio non est valida nisi quatenus Superior intendit dispensare; atqui Superior in hoc casu non intendit dispensare, vel saltem censetur solum dispensare sub conditione, *si res ita est*; ergo.

Secus dicendum est quando aliquid tacetur, vel falso narratur, quo cognito Superior nihilominus dispensasset, licet difficilius, quia tunc Superior absolute vult dispensare; modo reticentia veri, vel narratio falsi fuerit facta ex ignorantia & simplicitate. Nam Innocentius III. (*Cap. super litt. de scriptis*) statuit ut in omni malitiosa subreptione vel obreptione rescripta & dispensationes prorsus sint invalidæ.

Quæres 10. *Quinam sit modus recurrendi ad sacram Pœnitentiariam pro dispensatione?*

*Resp.* Traditur in Opere cui titulus est: *Instructio Parochorum & confessariorum pro casibus quorum absolutio seu dispensatio a sacra Pœnitentiaria Apostolica imploratur, edita Romæ ann.* 1685. Quod Opus sic habet:

*Confessores cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum: nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad sacram Pœnitentiariam.*

*Et sic præfati Confessores, seu Pœnitentes poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis & causis exponere, sive Latino, sive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nam sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione Pœnitentiarios subordinatos habet: & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen & cognomen cui sit a sacra Penitentiaria rescribendum, etiamsi ipsum nomen et cognomen sit fictitium. Itemque modum per quem responsio secure dirigi possit, significando scilicet, vulgari nomine oppidum, seu civitatem, et regionem, cum data mensis et anni in hunc modum.*

*Intus incipiant Epistolam seu Supplicationem sic:*

Eminentissime & Reverendissime Domine.

*N. mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Terminent Epistolam seu Supplicationem sic:

*Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen & cognomen cui est rescribendum. Ad civitatem N. exprimendo nomen civitatis: per oppidum N. exprimendo vulgare nomen oppidi. Et dirigere breve, seu gratiam simplici Confessario, Magistro seu Confessario in Theologia, sive decretorum doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim feminæ cogantur circumire pro executione gratiæ sacræ Pœnitentiariæ.*

*Dirigant Epistolam, seu Supplicationem scribendo extra, seu foris in hunc modum:*

Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali, majori Pœnitentiario.

ROMAM.

*Et si retardaverit Responsio, Confessarii rescribant, ne forte sit perdita, & numquam desperent Pœnitentes.*

## ARTICULUS III.

### *De derogatione, abrogatione, & irritatione Legis.*

*Nota.* Hæc tria inter se differunt: nam, *Irritatio* Legis, est Legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo cujus est illam habere ratam; sic Papa quando non approbat Concilia, irritat.

*Abrogatio* est Legis totius perfecte obligantis abolitio; quæ fieri potest 1. per Superioris revocationem; 2. per contrariæ consuetudinis præscriptionem; 3. per Legem posteriorem universalem priori Legi, item universali repugnantem, ut dictum est supra de Consuetudine quæsito ultimo.

*Derogatio* est Legis adhuc vigentis secundum aliquam sui partem imminutio, v. g. cum in die festo aufertur cessatio operum servilium, manente obligatione Missæ audiendæ.

Quæres 1. *An Lex possit valide & licite per Legislatoris revocationem abrogare?*

*Resp.* Legislator supremus potest valide etiam absque justa causa abrogare suam aut prædecessoris Legem; non potest tamen licite, nisi adsit justa causa bonum commune respiciens.

*Ratio primæ partis* est, quia per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur; atqui Lex voluntate Legislatoris nascitur; ergo, &c.

*Ratio secundæ partis* est, quia potestas non est data Superiori in destructionem, sed in ædificationem; atqui abrogatio Legis absque justa causa est in maximam destructionem; nam Republicam

cam Legibus antiquis assuetam perturbat, Leges & Legislatores despectui exponit; ergo.

Non peccant tamen subditi Legem sic abrogatam non servando, quia ejus obligatio sublata est respectu omnium, cum valide sit abrogata.

Dixi *Legislator supremus*, qualis est qui Legem tulit, vel ejus successor, vel ejus Superior, quia, ut definivit Clemens V. (2. *de electione*) *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*, nec valide, nec licite; nam abrogatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in Legem Superioris, ut per se patet; ergo. Sed

Quæres 2. *An Legislator possit Legem propriam abrogare, si a Superiore confirmata fuerit?*

*Resp. non potest*, si Lex sit confirmata in favorem communitatis, quia Superior sic eam confirmando, fecit ipsam quasi suam, inferior autem non habet jurisditionem in Legem Superioris; ergo, &c. Potest vero, si Lex sit confirmata in favorem inferioris Legislatoris, nempe ut ejus Legi quidam splendor & honos accederet, quia Superior sic eam confirmando, non eam fecit suam; ergo Legislatoris inferioris auctoritate obligat.

## APPENDIX.

*De præcipuis ac communioribus Ecclesiæ præceptis.*

*Nota* 1. Præcepta Ecclesiæ communiora quæ ligant omnes cujuscumque conditionis fideles, sex vulgo numerantur in catechismo rudiori exponi solita his verbis;

1. *Sacrum Missæ Officium diebus Dominicis, Festisque præceptis reverenter audito.*
2. *Peccata tua singulis saltem annis confitere.*
3. *Sacram Eucharistiam ad minimum semel in anno, id est, circa Festum Paschæ, sumito.*
4. *Statutos ab Ecclesia festivos dies celebrato.*
5. *Quatuor Temporum, Vigiliarum, & Quadragesimæ indicta jejunia observato.*
6. *Feria sexta & Sabbato ab esu carnium abstineto.*

*Nota* 2. De præceptis annuæ Confessionis, & Communionis Paschalis opportunius agemus in dissertationibus de Eucharistia & Pœnitentia, unde restat hic breviter agendum 1. De auditione Missæ: 2. De sanctificatione diei Festi; 3. De Jejunio & abstinentia. Itaque sit

## ARTICULUS I.

*De primo Ecclesiæ præcepto, seu de auditione Missæ.*

Quæres 1. *An extet præceptum Ecclesiasticum audiendæ Missæ?*

*Resp.* Extat præceptum Ecclesiasticum obligans sub mortali audiendæ Missæ diebus Dominicis & Festivis, ut constat ex Concilio Agathensi, can. 47. (*Refertur cap. Missas dist. 1. de consecr.*) *Missas die Dominico a sæcularibus audiri speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præsumat, qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* Gravis autem pœna supponit gravem culpam, a qua excusare potest levitas materiæ.

*Resp.* Qui Missam, vel ejus partem notabilem diebus festis non audit, mortaliter peccat ex genere suo; ratio est quia omissio Sacri vel ejus notabilis partis, est res gravis ex genere suo: atqui transgressio præcepti in re gravi, est grave peccatum; ergo, &c.

Dixi: *Ex genere suo*, quia inadvertentia aut inculpabilis ignorantia a peccato excusat, sicut a mortali excusat parvitas materiæ, quæ communiter esse censetur ab initio Missæ usque ad Evangelium exclusive, & a Communione exclusive usque ad finem.

Quæres 2. *An præcepto Ecclesiastico audiendi Missam satisfaciat qui partem mediam ab uno Sacerdote, & alteram ab alio audiat?*

*Resp. nego.* Quia Ecclesia præcipit auditionem Sacri per modum totius successivi, quod in prædicto audiendæ Missæ modo non contingit. Unde Innoc. XI. (*An.* 1679. *prop.* 53.) & post ipsum Clerus Gallic. (*An.* 1700.) damnarunt hanc prop. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Quæ propositio, ait censura Cleri Gallic. *absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.*

Quæres 3. *Quænam dispositiones requirantur ad Miss. debite audiendam?*

*Resp.* 1. Ex parte corporis requiritur modesta conformatio in vultu & habitu, ait Conc. Trid. (*Sess.* 22. *de observandis & evitandis in celebr. Miss. cap. unic.*)

*Resp.* 2. Ex parte animæ tres requiruntur:

1. Est *moralis & humana præsentia*, ita ut saltem aliquo sensu percipi possit quod Missa celebretur, sive immediate, sive mediate tantum, prout faciunt qui in magnis Ecclesiis, & magno populorum concursu post columnam aut extra Ecclesiam possiti, ex aliorum assistentium gestibus percipiunt quid a Celebrante peragatur.

Dicitur *moralis præsentia*, non enim semper requiritur præsentia *physica*; hinc juxta omnes præcepto satisfaciunt qui Missæ inservientes ab Ecclesia recedunt, ad Missam celebrandam necessaria allaturi, modo non longius recedant, quia cum hæc ad Sacrificium ordinentur, censentur moraliter præsentes.

2. *Est intentio* saltem interpretativa implendi præcepti, hoc est quæ contineatur in voluntate Missam audiendi, quæ non excludat intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, ut supra probatum est. (*De Legib. cap.* 4. *q.* 1. *art.* 2. §. 2.)

3. *Est pia ad Deum, divinaque Mysteria attentio & affectio*; nam præcipitur auditio Missæ religiosa qua Deus colatur; at Deus non colitur vere sine attentione ad divina, & pia aliqua affectione, *in spiritu* enim & *veritate* Deum *oportet adorare.* (*Joann.* 4. *v.* 24.) Ergo &c.

Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, profana legit, vel voluntarie distrahitur, peccant mortaliter; unde Clerus Gallic. ann. 1700. damnavit hanc prop. *Ecclesiæ præcepto* (audiendi Missam) *satisfit per reverentiam exteriorem, animo licet voluntarie in aliena, imo in prava cogitatione defixo.*

Quæres 4. *Unde pia illa affectio debeat profluere?*

*Resp.* Sufficit ut profluat ex motivo cujuslibet vir-

virtutis Christianæ, nec requiritur ut oriatur ex charitate perfecta sive habituali sive actuali; alias soli justi ad audiendam Missam admittendi essent, & excludendi peccatores, quod est falsum, tum quia Ecclesia omnibus & singulis indiscriminatim fidelibus districte præcipit, ut statutis diebus Missæ intersint: tum quia damnata est hæc prop. Quesnelli (*Const. Unigenit. prop.* 89.) *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum jam sit reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Missæ.*

Quæres 5. *Quænam sint causæ excusantes ab auditione Sacri?*

*Resp.* Generatim revocantur ad impotentiam physicam & moralem, quia nemo Legem humanam physice vel moraliter impossibilem observare tenetur.

Hinc 1. Propter impotentiam physicam excusantur ægroti, incarcerati & similes.

Hinc 2. Propter impotentiam moralem excusantur omnes qui non possunt audire Missam sine gravi incommodo sui vel proximi, sive corporis, sive animæ, sive honoris, sive etiam boni temporalis, quæ omnia sufficienter constant ex communi consuetudine: Sed

Quæres 6. *Utrum qui Missam audire nequit, teneatur per aliud opus bonum, vel per preces illam supplere, & aliquem cultum positivum Deo exhibere?*

*Resp.* Cum Scoto (*in* 3. *dist.* 9. *quæst. unica* §. *de secundo*) contra Navarrum (*in Manuali cap.* 21. *num.* 7.) certum esse ad id teneri diebus saltem Dominicis; ratio est quia Juris naturalis & divini est præceptum, aliquem diem hebdomadæ cultui divino consecrare; ergo si quis non possit illum consecrare per auditionem Missæ, ut determinavit Ecclesia, debet per aliud opus bonum id præstare; impedimentum enim audiendi sacri jus illud naturale non potest immutare.

Dixi, *Saltem diebus Dominicis:* quia multi docent diebus festis non esse talem obligationem; quia inquiunt, cum festorum institutio sit ex Jure mere humano, ea obligatione per impedimentum legitimum cessante, nulla remanet alia obligatio: ita P. Gervasius.

Verum magis arridet opinio Pauli a Lugd. docentis etiam diebus festis esse obligationem supplendi auditionem Missæ per aliquod opus bonum, tum propter ejus rationem, quia inquit, *cum districte ab Ecclesia præcipiatur, ut statutus ab ipsa dies festus aliquo modo, quantum moraliter fieri potest, sanctificetur, non secus ac jure naturali divino jubemur aliquam hebdomadæ diem cultui divino dedicare: ergo si dies festus per indictam Missæ auditionem nequeat sanctificari, per aliam piam actionem fieri debet, si absque gravi incommodo fieri possit.* Tum quia hæc est praxis fidelium timoratorum, & confessariorum qui hanc praxim tamquam obligatoriam inculcant pœnitentibus. Tum quia Alex. III. (*cap. licet de feriis*) cum indulget *ut diebus Dominicis & aliis festis*, *alecia* possint *ingruente necessitate* piscari, hoc pium opus injungit, *quod post factam capturam, Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus, congruam faciant portionem.*

Quæres 7. *Utrum fideles diebus Dominicis & majoribus festis teneantur audire Missam Parochialem?*

*Resp.* De jure communi tenentur, ubi id commode fieri potest: id enim statuitur a jure tum veteri, tum novo. Nam

1. Concilium Eliber. anno 305. can. 21. ait: *Si quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

2. Concilium Sardicense anno 347. can. 14. *Memini*, inquit Osius, *in superiori Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea in qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, idest, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa Laicos constituta sunt, multo magis Episcopo nec licet, nec decet, ut amplius a suprascripto tempore absens sit ab Ecclesia sua.*

3. Sixtus IV. cap. *Vices illius*, tit. *de tregua, & pace*, Extravag. Com. lib. 1. ait: *Fratres mendicantes non prædicent, populos Christianos non teneri Missam in parochiis diebus festis, & Dominicis audire; cum jure cautum sit, illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.* Ubi summus Pontifex non novum jus condit, sed antiquum confirmat his verbis; *Cum jure cautum sit*, &c.

4. Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. *de Reform.* ait: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri, unumquemque Parochiæ subinteresse, ubi id fieri commode potest, ad audiendum Verbum Dei.*

*Dices:* Conc. Trid. ibi non loquitur de obligatione Missæ audiendæ, sed de obligatione audiendi Verbi Dei; ergo ex illo cap. non potest colligi obligatio audiendæ Missæ parochialis.

*Resp. dist. conseq.* Non potest colligi obligatio audiendæ Missæ explicite, *conc.* implicite, *nego.* Itaque Concilium non potest declarare, populum teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei, quin virtualiter, & implicite declaret, eundem populum teneri sistere se præsentem Missæ parochiali, inter cujus solemnia vult, Verbum divinum explanari. Nam *c.* 7. *ejusd. sess.* præcipit, *ut inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem Sacra eloquia & salutis monita, vernacula lingua, singulis diebus festis, vel solemnibus explanent.* Idem jam statuerat sess. 22. *de Sacrificio Missæ cap.* 8. his verbis. *Mandat S. Synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex eis, quæ in Missa loquuntur, aliquid exponat.* Ergo juxta mentem Concilii fideles teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei, idem est, ac teneri Missæ parochiali interesse, cum præcipiat, ut *inter Missarum solemnia* Verbum Dei annuntietur.

*Confirmatur* ex D. Carolo in Concil. Mediolanensi VI. tit. de Missa parochiali: *nuper*, inquit, *S. Trid. Synodus, ab Episcopis fideles non solum hæc moneri voluit, ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias, saltem diebus Dominicis, festisque majoribus accedant, sed etiam, diligenter ostendit unumquemque teneri ubi id commode fieri*

*ri potest, Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei, ac proinde id præterea statuit, a Parochis, animarumque curatoribus, inter Missarum solemnia, aliquid ex iis, quæ in Missa loquuntur, exponi, & SS. illius Sacrificii Mysterium aliquod explanari, tum in unaquaque Ecclesia Parochiali pueros Fidei rudimentis instrui.* Ergo juxta S. Carolum Missa Parochialis est aliquod totum constans duabus partibus, sacrificio nimirum, & instructionibus: ex quo sequitur, verbum, teneri, non solum cadere supra auditionem Verbi Dei, sed etiam supra auditionem Sacrificii Missæ.

5. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus annorum 1625. 1635. 1645. declaravit, fideles una saltem ex tribus Dominicis Missæ Parochiali adesse teneri, & a Prælatis Ecclesiasticis, ut id officium impleant, cogi posse. Quam Doctrinam confirmans in Comitiis anni 1655. ait: *Fideles festis diebus, ac Dominicis, aut saltem ex tribus Dominicis altera, jure tenentur sistere se præsentes Parochiali Missæ .... Nusquam Tridentina Synodus populum fidelem coercuit a frequentando Parochiæ debito, sive ut adsit Parochiali Missæ, sive ut in ea Verbum Dei audiat: sed potius Episcopos adhortata est, ut creditos sibi populos debitum illud doceant, ac moneant.*

6. Pleraque Concilia Provincialia Gallicana, & omnes fere libri rituales eandem obligationem urgent, decernuntque pœnam excommunicationis in Parochianos, qui tribus diebus Dominicis continuis, absque legitima, & honesta causa, a Missa Parochiali absfuerint, quæ pœna, utpote gravissima supponit gravem culpam.

7. Alex. VII. hanc propositionem: *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, divinam Legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, & docentur:* damnavit sub hac censura: *Propositio* quoad primam, & secundam partem simpliciter accepta, est erronea, & temeraria: *scandalosa jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria*, &c. Ex his omnibus

*Resolves*: Eum, qui degens in Provincia, aut Regione, in qua Canones, qui Parochialem Missam præcipiunt, vigent, nec abrogati sunt per consuetudinem iis suffultam conditionibus, quæ secundum jus Canonicum rescindendæ humanæ Legi sufficiant, raro adest Missæ Parochiali, peccare mortaliter, nisi ipsi legitima, & honesta causa suppetat. Canones autem illi vigent in Galliis, *ubi nec est, nec esse potest consuetudo contraria*, ait Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus habitis anno 1655.

## ARTICULUS II.

*De quarto præcepto, seu de sanctificatione Festorum.*

*Nota* 1. Præceptum de sanctificatione diei Dominicæ & Festorum per se omnes obligat sub peccato mortali, ut constat tum ex omnium fidelium sensu & praxi, tum ex damnatione hujus prop. ab Innoc. XI. *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

*Nota* 2. Per sanctificationem diei intelligitur *religiosa cujusdam diei determinatæ ad colendum Deum observatio.*

*Nota* 3. Deus coli potest quorumdam operum exercitio, & quorumdam omissione, unde præceptum est, partim affirmativum, partim negativum; ideo

### §. I. *De operibus diebus Festis exercendis.*

Quæres 1. *Quænam sunt opera diebus Festis exercenda?*

*Resp.* 1. *speciatim*, omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut articulo præcedenti probavimus.

*Resp.* 2. *generatim*, Opera religionis & charitatis exercenda sunt, juxta illud Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum: *idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, assurgere ad imitationem eorum, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.*

Hinc Concilium Aquense (*celebrat. ann.* 1585. *tit. de Festorum cultu*) ait: *doceantur populi .... præsertim ut præter Missam, quæ sine gravissimi peccati pœna prætermitti non potest: præter vesperas item, quibus fidelem quemque, nisi impeditum, interesse maxime convenit, in doctrinæ christianæ rudimentis omnes tam viri quam feminæ, versentur.*

*Resolves*: Præceptum de sanctificatione festorum male impleri ab iis qui sola Missa quam breviorem invenire queant, contenti, reliquam diem in otio, nugis, ludis, colloquiis inutilibus, aut cursibus transigunt; cum hæc ab Ecclesiæ & religionis spiritu maxime abhorreant, quæ non solum culpat omissionem sacri, sed & ea culpat, & prohibet, quæ diebus Festis a Dei cultu, & veneratione distrahunt, opera servilia, mercatus, saltationes, de quibus posterioribus D. August. in Psalm. 91. *Diebus festivis melius est orare, quam saltare.* Nec pro ratione prohibitionis allegat, quod Missæ auditionem impediant, sed quod a divino cultu mentem retrahant. Enimvero si solum prohiberentur, quatenus impediunt Missæ auditionem, nec prohiberentur tota die, nec post auditionem Missæ, sed vel ante illam, vel tempore illius duntaxat. Nec Concilium Turonense sub Carolo Magno cap. 40. statueret; *Oportet omnes Christianos in his diebus a servili opere cessare, & in laude Dei ad Vesperam usque perseverare.*

Quæres 2. *Quale peccatum committat, qui Vesperis non interest cum potest?*

*Resp.* Committit peccatum veniale, ut asserit D. Antonin. (*par.* 2. *tit.* 9. *cap.* 7. §. 4.) nisi suppleat per alia pietatis opera. Ratio est quia hæc assistentia licet sæpius ab Ecclesia commendata tamquam medium cultui divino magis proportionatum, nullibi tamen videtur districte præcepta; utrumque patet ex communi sensu fidelium

tim-

timoratorum qui levem quidem in hoc, non vero gravem obligationem apprehendere consueverunt.

Quare Rituale Tullense monet fideles, non posse sine legitima excusatione abesse a Vesperis.

### §. II. *De operibus vetitis die festiva.*

*Nota* 1. Licet dies Dominica sit loco Sabbati substituta in honorem resurrectionis Christi Domini, tamen non id omne Christianis prohibetur die Dominica, quod Judæis Sabbato vetitum erat; licet enim Christianis cibos parare & coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, v. gr. pullos, columbas, &c. occidere, & plura alia quæ Judæis erant prohibita.

*Nota* 2. Duplicis generis opera distingui debent, nempe servilia & liberalia.

Opera servilia sunt ea quæ a servis & infima plebe, seu mercenariis exercentur, qualia sunt omnia opera artium mechanicarum, & ruralia: v. gr. *arare*, *fodere*, *seminare*, *suere*, *nere*, *conflare*, *imprimere*, *& Typographorum caracteres ordinare*, *sculpere & pingere*, *barbas*, *& crines tundere*, *vecturas laboriosas exercere*, *fructus*, *ligna*, *&c. colligere*, *piscari*, *venarique*, & alia id genus, quæ quia in actione corporis præcipue consistunt, *corporalia* nuncupantur; eaque vel sunt vere servilia etiamsi fiant tantum causa recreationis, non vero intuitu mercedis, aut ad sustentationem vitæ, quia intentio operantis non mutat intentionem operis. Vel servilibus æquiparantur a Jure a quo prohibentur, prout Concilium Meldense prohibuit (*celebratum ann.* 845.) venationem & piscationem.

Opera liberalia sunt ea quæ ad animum excolendum spectant, ideoque sunt digna homine libero; qualia sunt *canere*, *docere*, *concionari*, *legere*, *studere*, *scribere*, *dare consilia*, *& responsa*, *lineare domus*, *munimenti*, *picturæ*, *vel operis textorii adumbrationem ducere.* Ita collat. Andegav. tom. 2. in Decalog. pag. 181. His positis

*Dico*, *Diebus Dominicis Festisque exercere opera servilia*, *& alia a jure prohibita est peccatum mortale ex genere suo.*

*Prob.* 1. *pars*: Ex Divo August. (*Epist.* 46. *alias* 86.) dicente: *vacatio a servilibus operibus imperatur*, *unde illud est*, *quod lapidare Deus hominem jussit*, *qui ligna collegerat*, accedit communis Ecclesiæ usus & Doctorum consensus.

*Prob.* 2. *pars*: Quia modus quo sanctificandi sunt dies festi, ex ordinatione Ecclesiæ est repetendus: ergo sub gravi peccato tenemur abstinere ab eis quæ exercere prohibet iis diebus, quia materia est gravis cum pertineat ad cultum Dei, a quo plurimum avocant actus ab Ecclesia prohibiti.

Dixi, *est peccatum mortale ex genere suo*: quia levitas materiæ excusat a mortali in operibus servilibus; imo excusat a toto peccato aliis operibus quæ non sunt ita servilia quin conveniant servis perinde ac nobilibus, ut sunt piscatio, venatio.

*Resolves*: Non videtur illicitum piscari arundine, leporem insequi cum uno aut altero cane, aucupari retibus exiguis: modo prædictis laboribus ita inserviant, ut nihil eorum prætermittant, quæ ad piam festorum celebrationem necessaria sunt: ex quo sic concludit eruditus continuator Tournely: (*Tom.* 5. *moral. pag.* 582.) *unde vir nobilis qui audita Missa*, *majori diei parte venationi indulget*, *videtur reus dubii saltem peccati mortalis*; *imo hic lethale peccatum arguerem*, *si vir ille a venatione reversus nihil amplius in gratiam Dei faceret*; *& ita sentit Henno p.* 234. *a fortiori igitur sacrorum dierum violatores censeri debent*, *qui magnam eorum partem in popinis transigunt*, *aut vinum transigentibus præbent contra Ecclesiæ*, *& Principis Leges.*

Quæres 1. *Quænam opera non servilia prohibentur a Jure?*

*Resp. Cap.* 1. *& finali de feriis*, prohibentur opera quæ *forensia* nuncupantur, & sunt;

1. *Placitum*, id est omnis actus judicialis qui fit cum strepitu; nempe opera Judicum, Notariorum, reorum, actorum, testium, Procuratorum, & Advocatorum ad hoc concurrentium: imo ex dicto *cap. finali*, quidquid fit tunc temporis judicialiter, ipso facto est irritum; *nec processus habitus teneat*, *nec sententia quam contingit diebus hujusmodi promulgari.*

2. *Juramentum* etiam extrajudiciale, (*puta in instrumento contractus*, ait Glossa) (*in cap. finali de feriis*) *nec Sacramenta* (*nisi pro pace*, vel alia necessitate) præstentur (*Cap.* 1. *de feriis*).

3. *Mercatus*, id est nundinæ sive annuæ & solemnes, sive hebdomadariæ in quibus concurrunt rustici, grana, olera, butyrum & similia vendituri; & actus mercandi, ut sunt *emptio venditio*, *locatio*, *conductio*, *&c.* quæ fiunt maxime cum instrumento publico.

4. Convivia publica, choreæ, ludi scenici, & theatrales, &c. Id constat ex Concilio Turon. ann. 1583. *diebus Dominicis præsertim*, *& aliis festis*, *comessationes*, *convivia publica*, *tripudia*, *saltationes*, *strepitus & choreas agi*, *venatu & aucupatu tempus terere . . . . . sub anathematis pœna prohibet hæc sancta Synodus.* Ratio prohibitionis est, quia illa omnia retrahunt a cultu divino, cui dies festi specialiter sunt destinati.

*Resolves*, Graviter peccare 1. Dominos qui mercatus aut nundinas, choreas, &c. festis diebus haberi permittunt; cum & ecclesiasticam & regiam Legem violent, ut fuse probat *Pontas* (*V. Dimanches cas.* 5.)

2. Patres familias qui non obstant ne filii sui serviliter laborent (*Pontas ibid. cas.* 13.)

3. Dominos qui domesticis suis equos, vel boves pascendos committunt, quo tempore sacrum peragitur, ita ut Missam quandoque non audiant (*Idem ibidem cas.* 14.)

Quæres 2. *Quænam sit materia gravis ad mortale sufficiens in opere diebus festis prohibito?*

*Resp.* 1. In placito & mercatu materiæ gravitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur, ut fert communis sententia (*Ita P. Anton. Paul. a Lugd. & alii*).

Hinc, inquit P. Antoine, brevis agitatio litis in re magni momenti, & probatio sententiæ est gravis culpa.

*Resp.* 2. In assignanda temporis quantitate ut materia sit gravis in operibus servilibus tot tam-

que variæ sunt auctorum opiniones, ut quid vix certi responderi possit.

Pater *Henno* assignat duas horas si opus sit multum servile; tres vero in aliis operibus. *Marchantius* assignat tres horas, *Filiutius*, *noster Carolus a Cremona*, *P. Antoine*, assignat duas, *Azorius*, *Reginaldus*, *Bonacina*, *Grandin*, *Paulus a Lug.*, *Natal. Alexander*, *Tournely* assignant unicam horam, maxime si labor sit valde servilis graviterque corpus defatiget. *Suarez* (*tom.* 1. *de religione c.* 31. *n.* 2.) cui libenter subscribo, docet hoc esse dijudicandum judicio prudentis viri, cum ex duobus hominibus eidem labori per tempus unius horæ vacantibus, unus magis quam alter divertatur a cultu divino, & aliis pietatis operibus.

Porro gravitas materiæ ex unione & integritate morali desumi potest; sic herus tres habens servos, qui semi-horæ laborem singulis assignaret, graviter peccaret, quia hæ tres semi-horæ integrant materiam gravem respectu heri mandantis, cui merito talis transgressio imputatur.

Quæres 3. *Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opera diebus festis prohibita?*

*Resp.* Quinque vulgo numerantur.

1. Est *consuetudo legitime introducta*, id est videntibus & tacite annuentibus Prælatis. Sic permittuntur emptiones rerum parvi momenti, præsertim earum quæ in familia usu quotidiano consumuntur; & earumdem rerum venditiones clausa officina.

2. *Est pietas erga Deum*, per quam licent opera ad Dei cultum proxime pertinentia; ut pulsare campanas, altaria instruere, templa ornare, &c.

Dixi, *proxime*, neque enim licent ea quæ ad Dei cultum remote spectant; ut conficere ornamenta etiam gratis, construere templum, &c.

3. *Est charitas erga proximum*; sic licet medicamenta parare infirmis tunc egentibus: item licet exercere actus judiciales in favorem pauperum & orphanorum, &c.

4. *Est utilitas publica*; sic operari licet ad communem lætitiam vel splendorem; ut in ortu, vel adventu Principis theatra perficere, ignes artificiosos extruere, aulæa ordinare, &c.

5. *Est necessitas* propria vel aliena, spiritualis vel corporalis, quæ præveniri non potuit, dum scilicet sine gravi damno opus aliquod omitti aut differri nequit. *Sabbatum* enim *propter hominem factum est*, *non homo propter Sabbatum*, ait Christus. (*Marci* 2. *vers.* 27.) Sic excusantur:

1. *Pauperes* qui clam & sine scandalo laborant audito divino Officio, quando aliter se, & suos alere non possunt.

2. *Servi* & ancillæ qui una aut altera vice, justo metu ad hoc a dominis incusso, laborare coguntur; quod si tamen sæpius contingat, dominos deserere debent. Licitum est etiam iisdem suas vestes reficere, cum id aliis diebus non permittitur ab heris.

3. *Instauratores* pontium, fontium, viarum publicarum & similium quæ moram non patiuntur, nec differri possunt absque damno boni communis.

4. *Piscatores halecum* aut thunnorum, qui certis tantum temporibus capi possunt. (*Cap. licet de feriis.*)

5. *Maulitores & naucleri*, pendentes a ventis.

6. *Lanones & pistores*, qui carnes aut panes alio tempore præparare aut coquere non possunt, in concursu magno populorum & festorum.

7. *Sartores*, qui vestes quas aliis diebus perficere non potuerunt, perficiunt diebus festis, quando urget earum usus ob solemnitatem nuptiarum aut exequiarum; qui tamen peccant, si in eam necessitatem sua culpa se conjecerint, quod non raro accidit.

8. *Barbitonsores*, qui aliunde suæ familiæ subvenire non possunt, si tondeant rusticos aut opifices qui perpetuo depressi labore, ipsos profestis adire nequeunt.

9. *Urbium mercatores*, qui rusticis vestimenta, calceos, & citra scandalum vendunt, cum ii alia die ad urbem accedere non valeant. (*Ita Juenin*, *Pontas*, *etc.*)

10. *Vitriarii*, *coctores* laterum, *vectores* onerum, &c. persistentes in opere inchoato, quod absque notabili damno interrumpere non possunt.

11. *Rustici*, qui ob æris intemperiem, hostiles incursus, &c. messem, vindemiam & fœna colligunt, necesse tamen est ut antea obtineant Pastoris consensum, nisi periculum sit in mora; tunc enim laborare possent ex præsumpto ejus consensu, qui non debet nisi cum magna cautione præsumi, ut monet *Catechismus Montispessulanus*.

Quæres 4. *An per quodvis peccatum mortale, graviter violetur præceptum de sanctificatione festorum, ita ut circumstantia festi non solum augeat peccatum, quod omnes Theologi fatentur, sed insuper addat novam speciem malitiæ mortalis contra religionem, in Confessione exprimendam?*

*Resp.* Circa hanc quæst. duplex est sententia.

1. Quæ est recentiorum, negat 1. Quia nullum est speciale præceptum non peccandi diebus festis. 2. Quia hoc repugnat praxi fidelium qui hanc circumstantiam confiteri non solent, & Confessariorum qui de ea pœnitentes interrogare nequidem cogitant.

2. Est eorum qui cum venerabili antiquitate affirmant & probant 1. ex D. August. (*tract. in* 3. *in Joan. Idem habet serm.* 22.) dicente: *Spiritualiter observat Sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? A peccato: et unde probamus? Dominum interroga: omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ergo est speciale præceptum non peccandi diebus festis; ergo ruit prima probatio prioris sententiæ.

2. Ex D. Thoma (2. 2. *qu.* 122. *art.* 4. *ad* 3.) qui distinguit triplicem servitutem, *una quidem qua homo servit peccato; alia qua homo servit homini per opera corporalia. Tertia autem est servitus Dei*; postea addit: *Opera quæ dicuntur servilia primo vel secundo modo, contrariantur observantiæ Sabbati, in quantum impediunt applicationem ad divina; et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus* (per se) *licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.*

3. Ex D. Bonaventura qui (*Opusculo cui titulus*, *Confessionale*, *cap.* 2. *partic.* 22.) ait: *Interrogandus*

*est pœnitens de tempore quo peccatum perpetravit: utrum videlicet in tempore festivo, vel non festivo*; quia nempe circumstantia temporis trahit peccatum ad aliam speciem, nempe ad sacrilegium juxta illud D. Antonini (2. *part. tit.* 9. *cap.* 7. §. 2.) *peccatum mortale commissum die festo est multo gravius quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua festum violatur; unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra, non solum agit contra unum præceptum: scilicet*, non mœchaberis; *aut illud*, non furtum facies; *sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.*

Rationem dat Abulensis in cap. 20. Exod. Qu. 11. in fine, & 12. *Magis servile est opus peccati*, inquit, *quam opus humani negotii: magis celebritatem festi infringimus in peccando & occidendo, quam alios labores agriculturæ nostris manibus exercendo. Ideo licet ab utroque abstinendum sit, magis tamen ab iniquis operibus, quam a corporalibus. Ex hoc sequitur, quod qui die Dominico adulteratur, aut occidit, aut inebriatur, magis peccat, quam qui aliis diebus idem ageret: quia sic transgressor est duplicis præcepti, scilicet, non occides ... & quia non observat diem Dominicum.*

Ex his omnibus manifestum est, nostram sententiam longe graviori auctoritate fulciri, quam oppositam, quæ nullam venerabilis antiquitatis proferre pro se potest auctoritatem, nec ullam aliam rationem, præter illas duas, quas supra retulimus, quarum prima funditus evertitur per auctoritates Patrum, quos citavimus. Secunda ergo restat solvenda.

*Dicunt* itaque, quod pœnitentes, etiam timorati, non soleant hanc circumstantiam confiteri, nec Confessarii de ea interrogare; ergo &c.

*Resp.* 1. Manifestum esse ex nostris probationibus, quo tempore majorum nostrorum illa circumstantia non fuerit omissa, ut expresse docet Div. Bonaventura, & Div. Thomas, qui 1. 2. q. 7. art. 1. ad 1. dicit: *primo accusabilis redditur aliquis ex hoc, quod homicidium fecit; secundario vero ex hoc, quod dolo fecit, vel propter lucrum, vel in tempore, vel in loco sacro. Nihil certe dilucidius.*

*Resp.* 2. *Nego conseq.* Si enim pœnitentes hodie sese no n accusent de circumstantia Festi, id omittunt defectu instructionis. Quare enim sese accusant de peccatis mortalibus in loco sacro commissis? quia a pastoribus, & concionatoribus docentur, illa peccata specialem malitiam contrahere ex circumstantia loci sacri; ergo si docerentur, peccata mortalia tempore sacro perpetrata specialem malitiam ex illa temporis circumstantia contrahere, de illa certe sese accusarent.

Quoad Confessarios, qui de circumstantia temporis pœnitentes suos non interrogant, hæc omissio ex hoc provenit, quod sectentur novam opinionem, cujus Auctores non satis considerarunt, quid hac de re sancti Patres, quid scholæ principes, quid veteres, gravioresque Doctores sentirent, & quam gravi ratione ad sic sentiendum moverentur, scilicet quia diebus Dominicis, & Festis omne opus servile prohibetur: *Omne opus servile non facietis in eo*, scilicet Sabbato: atqui nullum opus magis servile, quam opus peccati, ut docent omnes Patres; ergo &c.

Porro ut mentem meam circa hanc doctrinam aperiam, humiliter fateor me diu primam opinionem in praxi tenuisse, quam tamen auctoritate Patrum & melioris notæ Theologorum motus feliciter mutavi, summoque solatio expertus sum novam meam praxim multos a peccatis quibus vix aliis quam festis diebus servire possunt, revocasse; hortandum inde duxi recentiores Confessarios ut hanc Patrum doctrinam vivide amplectantur, interrogentque pœnitentes de tempore quo in peccata mortalia lapsi sunt, maxime si talis sint naturæ ut sanctificationi festorum impedimentum afferant, ut ebrietas, seditio, &c.

## ARTICULUS III.

*De quinto & sexto Ecclesiæ præcepto; nimirùm de jejunio & abstinentia.*

*Nota.* Triplex distinguitur jejunium, spirituale scilicet, naturale & ecclesiasticum.

Jejunium *spirituale* est abstinentia a peccatis, quod vocatur a Div. August. (*tract.* 17. *in Joann.*) *jejunium magnum & generale.*

Jejunium *naturale* est omnimoda abstinentia cibi & potus a media nocte præcedente; hoc jejunium requiritur ad Eucharistiæ sumptionem.

Jejunium *Ecclesiasticum*, de quo hic, est *abstinentia a quibusdam cibis, cum unica in die refectione, hora competenti sumenda.* Hinc ad essentiam jejunii tria requiruntur.

1. Requiritur *abstinentia a quibusdam cibis:* nempe 1. *a carnibus* animalium quæ a piscibus vere distinguuntur, & ab eis quæ ad veram carnem reducuntur, vel ut partes, talia sunt animalium intestina, sagimen & adeps, vel ut substantiam carnis continens, quale est jusculum e carnibus expressum. 2. *Ab aliis cibis* Ecclesiarum particularium consuetudine prohibitis, ut sunt ova & lacticinia, quibus si quis vesceretur contra Ecclesiæ suæ consuetudinem, peccaret mortaliter, nisi excusaret materiæ parvitas, prout definivit Alexander VII. in damnatione hujus propos. *non est evidens quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

*Dixi, a carnibus animalium, quæ vere a piscibus distinguuntur*, & ab iis animalibus quæ ad pisces reducuntur, ut sunt ranæ, lutræ, gallinæ aquaticæ, quibus vesci licet diebus jejunii, vel quia frigidum habent sanguinem, vel quia timoratorum etiam Religiosorum usu & consuetudine, quæ *est optima Legum interpres*, receptum est.

2. Requiritur ut intra spatium diei naturalis nonnisi una fiat refectio. *Ecclesiæ moderamine statutum est*, ait D. Thomas (1. 2. *qu.* 146. *art.* 6.) *ut semel in die a jejunantibus comedatur.* Huic tamen refectioni ex consuetudine nunc temporis ubique recepta additur vespertina collatiuncula.

*Resolves* 1. Qui duplicem in die jejunii sumit refectionem, jejunium violat, & peccat mortaliter, ut definiit Alexander VII. in damnat. hujus prop. *frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobe-*

*inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

*Resolves* 2. Qui postquam duas sumpsit refectiones, tertiam aut quartam sumit, peccat, quia licet non possit servare jejunium ex toto, illud tamen servare potest ex parte: tum quia licet præceptum jejunii, quoad formam verborum, esse videatur affirmativum, in se tamen triplex continet negativum, scilicet: non commedes carnes, plures refectiones non sumes, non sumes refectionem ante horam præscriptam. Quemadmodum ergo alia præcepta negativa non solum violantur per primum, vel secundum actum eis oppositum, sed & per sequentes quoscumque; ita pariter per secundam, & quascumque sequentes refectiones violatur jejunii præceptum.

*Resolves* 3. Qui sæpius quid parvum comedit extra refectionem, peccat mortaliter cum ad notabilem quantitatem devenerit, juxta hujus prop. damnat. (*ab Alexand. VII.*) *Qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

*Resolves* 4. Refectio debet esse ita continua ut non sit moraliter interrupta, alias non una, sed multiplex esset refectio; quotum autem temporis intervallum requiratur ut interruptio sit moralis, id prudentum judicio est dijudicandum, habita ratione, tum negotii propter quod interrumpitur refectio, tum temporis, loci, & intentionis illius qui interrumpit.

3. Requiritur certum tempus refectionis, quod ex usu ab Ecclesia recepto videtur esse circa meridiem; ita ut non liceat sine justa causa hanc horam notabiliter (spatio scilicet duarum horarum) anticipare; ratio est quia refectionis dilatio plurimum confert ad corporis mortificationem ab Ecclesia intentam.

Quæres 1. *An sumptio potus extra tempus refectionis noceat jejunio?*

*Resp.* Sumptio potus de se nutritivi nocet jejunio, unde falsum est hoc hominum ventri indulgentium axioma, *liquidum non frangit jejunium.* Sumptio vero potus qui non sumitur ad nutritionem, sed ad alterationem corporis & digestionem ciborum assumptorum, non nocet jejunio; ut resolvit D. Th. (2. 2. *qu.* 147. *art.* 6. *ad* 2.) dicens: *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus qui magis sumitur ad alterationem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries jejunantibus bibere.* Et infra (*Ibid. ad* 3.) *electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.*

*Resolves* 1. Eos a Divi Thomæ scopo aberrare qui censent hominem qui ad ebrietatem usque potaret, peccaturum quidem contra temperantiæ, non vero contra jejunii Leges.

*Resolves* 2. Lege jejunii prohiberi thœum, caffetum, & maxime chocolatum; censet tamen Paul... a Lug. *Ab unius thæi aut caffei poculo non violari jejunium, cum levitas materiæ a mortali excuset, imo et a veniali si adsit legitima causa,* nimirum si sumantur medicinaliter & ad curandam realem infirmitatem; *secus tamen dicendum videri de chocolato, quod sæpius magis nutritivum est et substantiosum quam ipsummet jusculum carnium,* ut testatur Strabba medicus Anglus; apud Tournely. (*de virtutib. cardinalib. p.* 82.)

*Quæres* 2. An collatiuncula sit licita?

*Resp. affirm.* Ut constat ex consuetudine a multis jam sæculis ubique recepta, cui, cum sit optima Legum interpres, absque scrupulo standum est.

Quæres 3. *Quibus cibis licitum est uti in collatiuncula?*

*Resp.* Cum collatiuncula consuetudine & usu sit inducta, in ea iis solum cibis uti licitum est, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales in his regionibus sunt cibi leviores & parum nutritivi, *cujusmodi sunt*, ait Sylvius, *uvæ, nuces, poma, vel alia saccaro condita, imo & aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit, pisces autem pro collatione comedere . . . non credimus esse licitum, tum quia magis esset sumere cœnam quam cœnulam; tum quod non viget consuetudo talia sumendi*; prout non viget apud timoratos.

Quæres 4. *Quænam potest esse quantitas cibi in collatiuncula sumendi?*

*Resp.* Cum Silvio, *quæ quantitas in collatione sumi possit, non videtur aliqua regula posse definiri: sed attendenda est cujusque loci ad quem venitur consuetudo inter bonos communiter observata; & ita modice aliquid sumendum est ut cœnula non vertatur in cœnam, imo nec æquivaleat ei quod pro jentaculo accipi solet.* Quæ quantitas debet esse diversa pro diversitate complexionum, laborum, & regionum, quarum aliæ aliis frigidiores sunt, unde fit ut alii aliis minore cibo indigeant.

Quæres 5. *Qua hora sumenda sit collatiuncula?*

*Resp.* Ex consuetudine Ecclesiæ non debet sumi nisi ad vesperam, ita ut non liceat eam sumere circa meridiem, dilata ad vesperam cœna, nisi propter justam causam, v. g. itineris, hospitum expectatorum, negotiorum per diem gerendorum, &c. *quæ tamen justa causa si absit, juxta multos erit tantum veniale: quia non violatur jejunium quoad substantiam, sed solum variatur ejus circumstantia non substantialis*, ait P. Antoine.

Quæres 6. *Quot sint causæ a jejunio excusantes?*

*Resp.* Snnt duæ, impotentia scilicet, & labor.

*Ratione impotentiæ.*

Excusantur 1. adolescentes qui 21. ætatis annum nondum expleverunt; ratio D. Thomæ (2. 2. *q.* 147. *art.* 4.) est, quia *sunt in statu augmenti*, qui ibidem docet *esse conveniens ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus, secundum modum suæ ætatis.*

2. Senes, *non ratione senectutis tantum*, ait Prosper Fagnan. (*in cap. cum sis de convers. conjugatorum*) *sed ratione magnæ debilitatis*; quippe vidi apud nos septuagenarios, imo octogenarios qui tam commode jejunabant, quam quinquagenarii.

3. Infirmi omnes, sicut & convalescentes quos infirmitas extenuavit; quod & Doctores extendunt

ad

ad eos qui febri tertiana, vel quartana diuturna laborant; circa quod consulendus est prudens & timoratus medicus.

4. Prægnantes & nutrices, nam egent cibo pro se & pro fœtu, vel prole, quibus jejunium valde noceret.

5. Pauperes qui simul habere nequeunt quod eis ad unam refectionem sufficiat; *non excusantur* ergo, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 4.) *propter paupertatem a jejuniis Ecclesiæ; a quibus tamen excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, quia non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

6. Non excusantur illi qui magna noctis parte dormire nequeunt, nisi sumpta cœna, cum salvo jejunio, isti incommodo occurrere valeant, collatiunculam meridie sumendo, plenamque refectionem in vesperam differendo.

*Ratione laboris.*

Excusantur juxta D. Thom. (2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 3.) illi soli qui opus vel iter pedibus conficiunt, quo adeo defatigantur, ut simul cum jejunio laborare vel itinerari non possint, & quod pro tunc sit ita necessarium, ut *absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris status, vel spiritualis vitæ non possit differri.*

Ratio ejusdem D. Thomæ est, *quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas.* Hinc

1. Excusantur a jejunio Fabri ferrarii, & lignarii, Agricolæ, Fossores, Vinitores, Aurigæ, Bajuli, Cursores, iis quidem diebus quibus laborant, vel quibus ex præcedenti labore sunt plurimum defatigati.

2. Excusantur Confessarii & Concionatores qui adeo laborant, ut viribus inde exhaustis, jejunium ferre nequeant: nam D. Thom. cit. eos eximit a jejunio qui *multum laborant, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem.*

3. Non excusantur omnes quorum labor non est gravis, quales sunt Pictores, Barbitonsores, Sartores, Typographi qui torcular non tractant, sed characteres duntaxat componunt; Sutores qui non suunt, sed solum materiam præparant; Notarii, Scribæ &c. Hinc Alex. VII. hanc prop. damnavit: *Omnes Officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.*

4. Non excusantur qui equo vel curru iter agunt, nisi forte ob extraordinarium cursum ac defatigationem, non possint sine gravi incommodo jejunare. Hinc Alexand. VII. damnavit istam prop. *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

5. Quoad eos qui pedibus iter conficiunt, non potest determinari numerus leucarum qui sufficiat ad excusandum a jejunio; nam alii plus, alii minus fatigantur ex itinere, & viæ aliæ alii sunt difficiliores; hanc ergo determinationem remittimus conscientiæ iter agentis & judicio prudentis Confessarii.

*Resolves:* Non excusari a jejunio conjugatum quando jejunando nequit reddere debitum comparti, prout intollerabiliter docuerunt aliqui laxioris æthices casuistæ; ratio est, quia conjux ad illud justitiæ opus non tenetur, nisi quantum Dei & Ecclesiæ mandata simul servare potest, & sub hac tacita conditione matrimonium inivit; & ideo nullam tunc comparti facit injuriam.

# TRACTATUS TERTIUS.

## DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

*Nota.* Cum quilibet teneatur sub peccato mortali apprime ea quæ pertinent ad statum proprium dignoscere, operæ necessarium duximus de variis humanæ vitæ statibus peculiarem Tractatum instituere, in quo agemus 1. De obligationibus Clericorum. 2. De obligationibus Religiosorum. 3. De obligationibus parentum erga liberos, et inferiorum erga Superiores, et vicissim. 4. De obligationibus personarum judicialium et forensium. 5. De obligationibus Ducum et Militum. 6. De obligationibus Medicornm, Chirurgorum, Pharmacopolarum. 7. De obligationibus rusticorum, artificum, aliorumque operariorum.

### DISSERTATIO I.

*De obligationibus Clericorum.*

*Nota* 1. Clerici sunt ii qui aliquo ordine, vel prima saltem Tonsura sunt initiati.

*Nota* 2. Inter Clericos, alii sunt sine beneficio ecclesiastico, alii beneficio ecclesiastico donantur; unde agendum est 1. De obligationibus generalibus Clericorum, sive sint beneficio ecclesiastico addicti, sive non. 2. De obligationibus beneficiatorum duplici capite.

CA-

## CAPUT PRIMUM.

*De obligationibus generalibus Clericorum.*

*Nota.* Obligationes generales Clericorum in quibusdam, ipsis præceptis, & prohibitis, reperiuntur. Unde

Quæres 1. *Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?*

*Resp.* Tenentur;

1. Non amplecti statum Clericalem, sacros Ordines, vel beneficium ecclesiasticum suscipere nisi per vocationem Dei, quam omnino necessariam declarat script. Hebr. 5. *nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron &c.*

*Hinc* graviter peccat tum qui motu proprio sese ad statum Clericalem ingerit; tum Episcopus qui confert Tonsuram & Ordines *illis in quibus divinæ ad statutum Ecclesiasticum vocationis signa aliqua probabilia non deprehendit.* ( *Acta Ecclesiæ Mediolan. p. 3.* )

2. Sacros Ordines non suscipere, aut beneficium Ecclesiasticum non ambire principaliter rerum temporalium appetitu; *quærere* enim *& appetere hujusmodi curata, principaliter propter honorem & divitias videtur esse mortale:* ait D. Antonin. ( *p. 3. c. 5. §. 4.* ) imo Conc. Bituric. *denuntiat omnibus cujuscumque gradus et conditionis, qui beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* ( *Conc. Bitur. an.* 1584. *tit. de Benefi. §. 1.* )

Dixi *principaliter:* quia posita principali intentione salutis propriæ vel alienæ, gloriæ Dei & Ecclesiæ utilitatis, non videtur illicitum beneficium Ecclesiasticum, ad honestam sustentationem necessarium expetere, non attendendo an pingue sit vel exiguum; ratio est quia in hac secundaria intentione non apparet inordinatio & perversitas.

3. Tenetur sub mortali, studio eam operam conferre, qua scientiam functionibus suis competentem comparare & conservare possint. Ex Gelas. Papa dicente *nemo illiteratus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens non potest aptus esse officiis* ( *Distinct.* 36. *cap.* 1.), & Conc. Toletanum addit: *aliter Ordinariis et ordinandis imminet Dei et Ecclesiæ ejus vindicta.* ( 8. *cap.* 8. )

*Resolves:* In malo statu versantur, & absolutionis videntur incapaces Ecclesiastici, maxime animarum regimini dediti, qui nunquam vel perraro sacræ doctrinæ studio vacant: tum quia nullus absque præsumptione gloriari potest, scientiam ad tam arduum ministerium necessariam, se perfecte jam comparasse; tum quia jam comparata scientia facile amittitur, si studium intermittatur.

4. Clerici in Sacris constituti & curam animarum habentes, tenentur ad perfectionis studium; nam qui solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi, ad præstantioris sanctitatis professionem & studium strictissime tenentur, juxta illud Levitic. 24. *sancti erunt Deo suo & non polluent nomen ejus:* atqui omnes Clerici solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi; ergo. Hinc Apostol. ait: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, &c.* ( *Apost.* 1. *ad Tim.* 3. *vers.* 2. ) idem dicit infra de Diaconis, & de aliis Clericis cum proportione dicendum docent Sancti Patres. ( *S. Isid. lib.* 1. *Epist.* 105. *Petrus Bles. Serm.* 59. ).

*Resolv.* Clerici qui orationi, lectioni spirituali, aliisque pietatis exercitiis ad sanctitatem conducentibus, nunquam aut perraro vacare student, ob hanc solummodo voluntariam & habitualem negligentiam, in malo statu versantur, & absolutionis sacramentalis sunt incapaces, donec pœniteant, & propositum mutent.

5. Ratione sui status & promissionis solemniter in Ordinatione factæ tenentur præstare obedientiam Episcopo in iis quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum, ad divinum cultum, Officium &c. ( *Cap. quia fratr.* 7. *q.* 1. *& ex Pontific. in ord. Presbyteri.* )

6. Tenentur sectari paupertatem spiritus, quæ in rerum omnium temporalium contemptu sita est, juxta Apostolum ( *Ep. ad Tit. cap.* 1. *v.* 7. *&* 1. *ad Tim.* 3. *v.* 2. ) præcipientem, ne Episcopi, Diaconi, cæterique Ecclesiæ Ministri sint *cupidi*, & *turpe lucrum* sectentur.

7. Sacris initiati tenentur servare castitatem perpetuam ex Ecclesiæ ordinatione, quæ ob reverentiam sacri ministerii ipsam annexuit Ordini sacro, ita ut qui sacris initiantur, hujuscemodi votum emittere censeantur, etiamsi nihil voti meminerint, nec illud observare intenderint, constat ex variis juribus. ( *Cap. quod votum de voto in* 6. *Conc. Lat. II. c.* 7. *Conc. Trid. Sess.* 23. *c.* 13. )

8. Clerici præsertim sacro Ordine initiati vel Beneficiati nigram & talarem vestem sub gravi peccato deferre tenentur, nisi aliquando causa itinerationis excusentur; ita statuit Conc. Trid. ( *Sess.* 14. *c.* 16. *de reform.* ) sub gravissimis pœnis suspensionis *ab Ordinibus, ac Officio et beneficio, ac fructibus et redditibus ipsorum Beneficiorum:* atqui tantæ pœnæ non nisi propter grave peccatum imponuntur. Ergo.

9. Clerici præsertim Sacris initiati aut Beneficiati clericalem Tonsuram suo Ordini congruentem sub gravi peccato deferre tenentur; patet ex Greg. IX. ( *Cap. si quis de vita et honest. Cler.* ) *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit:* atqui *anathema* cum sit *æternæ mortis damnatio, non nisi pro mortali debet imponi crimine.* ( *Conc. Meldense ann.* 845. ) Ergo.

*Hinc* peccat mortaliter Clericus qui notabili tempore non gestat tonsuram, vel habitum clericalem, cum sit res gravis pertinens ad decentiam status & decus Ecclesiæ. ( *Ita Navar. Sanchez, Pontas, Antoine, Paul. a Lugd. etc.* )

1. Clericus recipiens beneficium, etiam simplex, cui nullus Ordo Sacer annexus est, debet habere intentionem perseverandi in Statu Ecclesiastico; nam accipiens ejusmodi beneficium solum, ut se sustentet, aut ditet, donec ducat uxorem, ex communi mortaliter peccat, & beneficium resignare tenetur, quia directe facit contra intentionem Ecclesiæ, & fundatorum. 2. Qui vero recipit beneficium Parochiale sine animo intra

annum

annum suscipiendi Sacerdotium, ultra mortale peccatum incurrit obligationem restituendi fructus, *Cap. omissa elect. in* 6. illos tamen retinere poterit, si, mutata voluntate, fiat intra annum Sacerdos.

Quær. 2. *Quænam sint specialiter prohibita Clericis?*

*Resp.* Sequentia sunt graviter ipsis prohibita.

1. Quælibet negotiatio, *ex cap.* 6. *ne Clerici vel Monachi*, ubi Alex. III. ait: *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Idem statuitur infinitis Canonibus et Conciliis. (*Cap. consequens distinct.* 88. *Clement.* 1. *de vita & honest. Cleric. Conc. Gener. Later. IV. Conc. Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*)

*Ratio* cur Ecclesia id tam severe prohibuerit, est triplex juxta D. Thomam (2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 3.): *Quia est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores.* 2. Quia negotiatio exponit periculo peccati, nempe injustitiæ, mendacii, &c. 3. Quia *nimis implicat animum sæcularibus curis, & per consequens a spiritualibus retrahit, unde Apostolus dicit:* Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

*Nota* tamen eum non esse negotiatorem qui proprios agros colit ut fructus vendat, vel animalia in suis prædiis alit; ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiat, aut animalia saginata vendat; agros tamen vel prædia aliena in istum finem conducere omnino eis prohibetur. (*Concil. Chalced. can.* 3.), licet id non sit negotiari.

2. Strictissime prohibetur Clericis negotiorum alienorum administratio a Concil. Chalc. citat. his verbis: *Decrevit itaque sanctum hoc, magnumque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere.* Idem habent plurima alia Concilia (*toto Tit. ne Clerici vel Monachi sæcularibus negot. se immisceant Can. Episcopus dist.* 88. *Conc. Forojul. can.* 5.), quorum Statuta ab ipsismet Legibus civilibus sunt firmata (*Novella* 123. *cap.* 6. *Lege generaliter cod. de Episc. & Cler.*): unde Concil. Parisiense VI. tales vocat: *Desertores sui Ordinis.*

*Resolv.* Peccare graviter & absolutionis esse incapaces donec emendati fuerint, Clericos, qui administrationem temporalium bonorum in domibus nobilium exercent, qui agunt officium advocati, procuratoris, tabellionis, &c. in placitis sæcularibus, *nisi in propria causa, vel Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt.* (*Cap.* 1. *de postul. Conc. Later. III. generale can.* 12.) Ratio est quia ista mere occupant animum & a spiritualibus avocant.

*Nota.* In Gallia usus invaluit ob bonum Ecclesiæ, ut Clerici fungantur officio Judicis & Consiliarii in causis civilibus.

3. Venatio clamorosa (id est quæ fit clamore & armis, cum canibus aut avibus) interdicitur graviter Clericis, ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur; ex Concil. Later. IV. *venationem aut aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes nec aves habere præsumant.* Idem habetur variis juribus. (*Cap.* 1. *de Clerico venatore. Conc. Mariscon. anno* 581. *Conc. Pictavic. anno* 1078. *can.* 10.)

*Ratio* est quia mentem a Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum clericalem.

Dixi *clamorosa:* Quia juxta S. Raymund. & alios licita est Clericis venatio *quieta*, quæ fit laqueo, vel retibus causa necessitatis vel recreationis moderatæ.

4. Armorum gestatio, ex Conc. Aquens. (*Conc. d' Aix la Chapelle tenu en* 1551.) *nec ensem, nec pugionem, nec aliud, armorum genus gestent, nisi propter itineris necessitatem.* Unde cap. 2. de vita & honestate Cleric. dicitur: *Clerici arma portantes & usurarii excommunicentur.* Ratio est *quia non possunt Deo simul & sæculo militare.* (*Conc. Meldense anno* 945. *can.* 37.)

5. Choreæ, comœdiæ, publicæ saltationes strictissime Clericis interdicuntur (*Conc. Lat. sub Innoc. I. c.* 16. *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*) propter gravissimum scandalum, & status Clericalis dedecus quod inde oritur, ut ipsa dictat ratio.

6. Ludus alearum, ut cartarum, tesserarum & quilibet alius qui sola fortuna regitur, sub peccato mortali Clericis interdicitur a variis Conciliis & Canonibus. (*Cap.* 1. *distinct.* 15. *Cap.* 11. *de excess. Prælatorum. Conc.* 6. *general. Conc. Later. cap. Clerici, de vita & honest. Cleric. Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 1. *de reform.*) Ratio est, quia talis ludus multis malis & peccatis est obnoxius. Sic Conc. Later. IV. c. 16. *de vita, & honestate Clericorum* statuit: *Clerici ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Ubi glossa ait: *hic prohibetur Clericis non tantum ludere, sed ne intersint ludo.* Item authent. de SS. Episcopis, & Clericis dicitur: *interdicimus SS. Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, et Subdiaconis, Lectoribus etc. Schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inspectores fieri; aut ad aliquod ejusmodi spectaculorum spectandi gratia venire.*

*Nec dices*, istos Canones in desuetudinem abiisse, nec amplius vigere; Concilium enim Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* sacros illos Canones innovans, illorum observantiam imperavit his verbis. *Quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus .... nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum sub iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur*, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.

Dixi *qui sola fortuna regitur:* non enim Clericis interdicitur ludus in quo intercedit industria, v. g. piquetum; ombra, ludus gallice vocatus *trictrac* &c.

7. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere sub gravi peccato prohibetur Clericis ex infinitis Conciliis (*Conc. Laod. can.* 24. *Conc. Carthag.* 3. *can.* 27. *Conc. Francofurt. can.* 19. *Conc. Herbip. can.* 2. *Conc. Rhem. tit. de Clericis in genere. Conc. Aquensi, anno* 1585. *tit. de vita et honestate Clericorum*) Unicum refero quartum Generale Later. can. 16. *tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.*

8. Cle-

8. Clericis in sacris constitutis graviter prohibetur chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio infertur; cap. 9. ne Clerici vel Monachi.

*Quoad medicinam* hæc quidem Clericis non prohibetur, si tamen defectu sufficientis in hac arte peritiæ, vel diligentiæ mortem ægroti promoveant, mortale peccatum & irregularitatem incurrunt.

## CAPUT II.

*De obligationibus Beneficiatorum.*

Hic nobis agendum incumbit 1. de Horis Canonicis; 2. de Beneficiis, inde enim maxime pendent Beneficiatorum obligationes.

### QUÆSTIO I.

*De Horis Canonicis.*

Quæres 1. *Quid sint Horæ Canonicæ?*

*Resp.* Sunt preces vocales ab Ecclesia institutæ, ejus nomine quotidie statutis horis Deo persolvendæ a personis ad id specialiter deputatis.

Dicuntur *Canonicæ*: quia per sacros Canones & Leges Ecclesiasticas sunt præscriptæ ad laudandum Deum.

Quæres 2. *Quot sunt Horæ Canonicæ?*

*Resp.* Sunt septem, nimirum, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium, juxta illud Psalmistæ ( *Ps.* 118. *v.* 164.) *Septies in die laudem dixi tibi.*

Quæres 3. Ad quid septem Horæ sunt institutæ?

*Resp.* Sunt institutæ ad repræsentanda septem Mysteria Dominicæ Passionis, hisce verbis comprehensa apud Glossam, Cap. 20. *de celebratione Missarum.*

*Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis.*
***Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:***
*Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis:*
*Sexta Cruci nectit; latus ejus Nona bipertit:*
*Vespera deponit: tumulo Completa reponit.*

Quæres 4. *Quandonam Horæ fuerunt institutæ?*

*Resp.* Si spectentur quoad substantiam & quantum important Officium divinum, ab ipsis Apostolorum temporibus originem duxerant; sic enim dicitur Actor. 3. *Petrus & Joannes ascendebant in Templum ad Horam Orationis nonam*, si vero considerentur quoad formam & numerum horarum, non constat quandonam fuerunt institutæ; certum est tamen eas esse antiquissimas. Ex variis juribus. ( *Cap. Presbyter de celebratione Missarum* ).

Quæres 5. *Quinam ad Horas Canonicas teneantur?*

*Resp.* 1. Clerici sacris Ordinibus initiati, ex variis juribus ( *Cap. Presbyter & cap. dolentes de celebr. Missarum* ) & præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, tenentur sub mortali quotidie recitare Breviarium, etiam post degradationem, excommunicationem, suspensionem, & ad triremes damnationem, cum jura universim obligent Clericos Sacris initiatos ad onus Horarum, ne ex pœna sua commodum ex delicto reportent...

*Nota* tamen Clericum degradatum, vel excommunicatum non posse dicere *Dominus vobiscum*: quia hæc est quædam communicatio & functio ordinis.

*Resp.* 2. Omnes Religiosi & Moniales professi & ad chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti & ad triremes damnati; et constat ex communi usu & consensu totius Ecclesiæ.

Dixi, *Professi ad chorum destinati*, nam non obligantur Novitii, neque etiam illi qui non ad chorum, sed ad militiam vel functiones Laïcorum destinantur, ut sunt *milites* variorum Ordinum, & *conversi* aliarum religionum.

*Resp.* Omnes Clerici ( sive Sacris sint initiati, sive non ) Beneficium Ecclesiasticum possidentes, sive tenue sit, sive pingue, regulariter ad Horas persolvendas sub mortali, & restitutionis obligatione ante omnem sententiam strictissime tenentur.

*Probat. Resp.* Ex Concilio Lateranensi V. Sess. 9. §. *Statuimus*; ubi privantur fructibus omnes Beneficiarii qui Officium divinum non dixerint. Quod decretum confirmat Pius V. constit. *ex proximo* ( quæ viget in Gallia ) ut constat ex Conc. Gallicanis ( *Conc. Burdigalense ann.* 1583. *Turon. eodem ann. tit.* 14. *quod appellat dictam const. Narbon. ann.* 1609. *cap.* 41. ) *Statuimus*, inquit, *ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat: tametsi aliquis Choro addictus, non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones sibi aliter assignatas, sola præsentia juxta statuta, consuetudinem, fundationem, aut alias sibi lucrifecisse prætendat, etiam sustineat fructuum & distributionum amissionem. Item is qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse; & quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit; ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

Juxta hanc Bullam, decretum Lateranense, & alia jura nostram explicamus responsionem.

Dixi 1. *Clerici possidentes*: nam ante adeptam possessionem nulla est obligatio recitandi, quia ante illam provisus non potest fructus beneficii percipere, nec ejus munia exercere.

Hinc si beneficiatus nullos absque sua culpa fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi, ut cum fundus beneficii ab Hæreticis occupatur), non obligatur ad Horas ratione hujus beneficii. quod si sit spes postea fructus beneficii percipiendi, tenetur, quia non privatur simpliciter fructibus beneficii, cum spes illa sit pretio æstimabilis.

Dixi 2. *Beneficium Ecclesiasticum*: sive possideatur in titulum, sive in commendam, quia commendis perpetuis, a Conc. Trid. ( *sess.* 24. *cap.* 17. ) vocantur *Beneficia commendata*, unde dant jus percipiendi fructus.

*Resolv.* 1. Qui possidet Capellaniam collativam, (id est, quæ auctoritate Episcopi instituta & erecta est) obligatur ad Horas, quia est vere Beneficiatus; propter rationem contrariam non tenetur ad Horas qui possidet Capellaniam non collativam, etiamsi ab Episcopo conferatur; ita omnes.

*Resolv.* 2. Pensionarius non tenetur ad Horas, quia pensio non est beneficium, tenetur tamen *ad Officium parvum Beatissimæ Mariæ Virginis* sub eadem pœna sub qua beneficiati tenentur ad recitationem Horarum Canonicarum; quia *ut Clericus*, pensionem percipit (*Bulla Pii V.*).

*Resol.* 3. Coadjutor non tenetur ad Horas præcise ratione coadjutoriæ licet instituatur, quia nondum est beneficiatus.

Dixi 3. *Sive tenue sit, sive pingue;* quia tenuitas non excusat ab obligatione recitationis Horarum, ut patet ex his verbis Conc. Later. *quilibet habens Beneficium*, & ex his Bullæ Pii V. *quaslacumque beneficia possidentes:* quæ omnes beneficiatos sine exceptione comprehendunt.

*Ratio* est quia qui acceptat tenue Beneficium, sponte etiam acceptat onus illi annexum, non secus ac qui suscipit sacros Ordines, etiam accipit onera sacris Ordinibus adnexa, etiamsi nullum ex Ordinatione speret emolumentum.

Dixi 4. *Regulariter:* quia nonnulla extant Beneficia quæ ex sua institutione non obligant ad Horas, sed alias preces, ut sunt quædam simplices præposituræ, vel personatus, vel prioratus, qui ad recitationem Officii Beatæ Virginis, vel alicujus Psalmi solum obligant; quia Beneficiatus tenetur tantum ad id propter quod datur Beneficium: atqui &c.

Dixi 5. *sub mortali:* quia est gravis obligatio ad virtutem religionis & justitiæ pertinens, materia autem gravis censetur ut parva Hora, v. g. Prima, Tertia.

Dixi 6. *Et restitutionis obligatione*, quia sub hoc onere ab Ecclesia Beneficium eis collatum est, & ab eis acceptatum, ut definivit supradictus Pius V.... Igitur qui post sex primos menses per unam diem Officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illus diei: qui Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem; qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam; qui harum singulas (v. g. Primam, vel Tertiam, &c.) sextam partem, comprehensis etiam distributionibus quas non lucratur, etiamsi alias Choro intersit, ut expresse habet Bulla.

*Nota* tamen eos qui ratione Beneficii ad alia Officia præstanda, præter Horas Canonicas, tenentur, ut Episcopi, & Parochi, non teneri omnes fructus restituere, sed partem duntaxat Horis Canonicis correspondentem.

Dixi 7. *Ante omnem sententiam:* prout definivit Alexander VII. in damnatione hujus propositionis: *restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis eo quod sit pœna.*

Quæres 5. *Ad quid insuper tenentur Canonici?*

*Resp.* Tenentur in Choro, singulis Horis, interesse, cum aliis canere & alta voce recitare Officium per se, & non per substitutos, secundum Ecclesiæ suæ usum, juxta hanc Trid. definitionem: *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare* (*Conc. Trid. sess.* 24.).

*Ratio* est, quia datur Beneficium propter Officium; atqui ad Officium Canonici, non solum privata, verum etiam publica in Choro Horarum decantatio spectat, ergo.

*Resolv.* Canonici qui *sine legitima causa* a Choro absunt ultra tres menses sibi a jure concessos, vel ultra tempus brevius juxta suæ Ecclesiæ constitutiones (*Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 12.), peccant mortaliter & ad restitutionem tenentur, non solum distributionum quas non lucrantur, sed etiam fructuum Beneficii correspondentium psalmodiæ & cantui.

Dixi *Sine legitima causa:* tunc Canonici abesse a Choro, & percipere fructus Beneficiorum possunt, non tamen distributiones,

1. Cum studio Theologiæ per quinquennium vacant, vel cum docent Theologiam, toto tempore quo docent. (*Cap. ult. de Magist.*).

2. Cum duo Canonici sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem (*Cap.* 15. *de Clericis non resid.*).

3. Canonici qui sunt in obsequio Papæ ad eundem finem. (*Cap.* 14. *eod. tit.*).

Quer. 6. *Quibus debentur distributiones quotidianæ, & distributiones pro Defunctorum anniversariis?*

*Nota:* Distributiones sunt *ea portio proventuum Beneficii quæ confertur iis qui divinis Officiis intersunt, & juxta Beneficii conditionem & qualitatem inserviunt.*

*Resp.* Debentur iis solis qui Choro intersunt, ut statuitur variis juribus (*Cap. licet de præbendis. Clement. ut ii qui de ætate & qualitate*) & a Trident. Sess. 24. Cap. 12. dicente: *Distributiones qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit*, consuetudinem. In quo Bonifacii decreto additur: *De distributionibus etiam pro Defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum.* (*Cap. consuetudine de Clerico non resid. in* 6.).

Quæres 7. *Quænam præsentia requiritur ad lucrandas distributiones?*

*Resp.* Præsentia formalis & ad orandum ordinata; ratio Juris est quia *non censetur præsens qui non attendit.* (*Lege coram Titio, ff. de verb. signifi.*).

*Hinc* qui tempore Divini officii confabulatur, voluntarie obdormit, vel quid simile attentionem impediens facit, non lucratur distributiones, quas si recipiat, tenetur restituere.

Quæres 8. *In quibus casibus absens distributiones lucrari possit?*

*Resp.* In tribus casibus, gravis infirmitatis, rationalis corporis necessitatis, & utilitatis suæ Ecclesiæ; juxta hanc in decreto Bonifacii VIII. exceptionem: *exceptis illis quos infirmitas, seu justa aut rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Ratio est quia hi fictione Juris censentur præsentes.

*Sequitur ex* 1. Casu, eum qui gravi laborat infirmitate, vel levi quidem, sed quæ accessu ad Chorum efficeretur gravis, lucrari distributiones.

*Sequi-*

*Sequitur ex* 2. Illi deberi distributiones, qui de consilio medici domo non egreditur ob valetudinis periculum. Item qui domi sese continet sumendæ medicinæ causa. Item qui convalescens urbe egreditur, ut salubriori cælo perfruatur & roboretur. Item qui ita senio confectus est, ut divinis officiis, (quibus alias interesse consueverat) commode interesse non possit. Item qui privata vi detinetur, aut ab hostibus capitur, & sic impeditur quominus ad ecclesiam se conferat, item qui in carcerem injuste conjicitur & detinetur . . . hi enim omnes dicuntur abesse propter rationabilem & justam corporis necessitatem.

*Sequitur ex* 3. Canonicos qui tempore divinorum Officiorum ex mandato Capituli detinentur in iis quæ ad Capitulum faciunt, v. gr. in subeundis rationibus, aut in assignandis cuique suis reditibus, participes esse distributionum; idem dicendum de eo qui a suo Capitulo ad jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam, exercendam, vel ad summum Pontificem, aliumve Principem Legationis titulo, mittitur; hi enim absunt in utilitatem suæ Ecclesiæ.

*Dices cap.* 7. *de Clericis non resident.*, dicitur, eum qui est in servitio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, percipere fructus beneficii tamquam residens, *nisi forte sint victualia*, id est distributiones, *quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Ergo absenti propter Ecclesiæ utilitatem non debentur distributiones.

*Resp. dist. cons.* Absenti propter utilitatem Ecclesiæ alienæ, *conc.* Ecclesiæ Capituli, *nego.* Itaque textus loquitur de duobus Canonicis qui sunt in servitio Episcopi ad utilitatem Ecclesiarum alienarum, licet in Diœcesi existentium.

Quæres 9. *Quomodo Horæ sunt recitandæ?*

*Resp.* Hunc modum dat Caput *dolentes* his verbis: *districte præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum ei dederit Deus, studiose celebretur pariter & devote.* (*Cap. dolentes de celebr. Missar.*)

Quæres 10. *Quænam requirantur ut Horæ recitentur studiose?*

*Resp.* Quinque: 1. ut debito utatur Breviario; 2. ut omnia distincte proferantur: 3. ut recitentur debito tempore: 4. ut recitentur ordine præscripto; 5. ut recitentur sine interruptione.

Quæres 11. *Quo obligati ad Horas uti debent Breviario?*

*Resp.* Tenentur uti Breviario Romano jussu Pii V. edito, ut patet ex Constitutionibus Pii V. & Clem. VIII. quæ initio Breviarii reperiuntur.

*Excipiuntur* tamen Diœceses, Capitula & Ordines quorum Officia approbata sunt a summo Pontifice, aut qui a 200. & eo amplius annis ante hanc Bullam habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Episcopi, aut Capituli consensu assumere Romanum. Hic

*Nota.* Qui utuntur Breviario Romano, non obligantur extra Chorum ad Officium B. M. Virginis, vel Defunctorum, vel Psalmos Pœnitentiales aut Graduales diebus in Rubricis præscriptis. (*Ita habet Bulla Pii V.*) Tenentur tamen ad Litanias diebus Sancti Marci & Rogationum & ad Officium Defunctorum die 2. Novembris, quia sunt pars Officii iis diebus recitandi, ut patet ex communi Ecclesiæ praxi.

*Resolves:* Mortaliter peccare qui *scienter* Officium proprium diei mutat in aliud æque longum, imo longius, quia Ecclesia non præcipit Officium in genere, sed hoc Officium in individuo; unde beneficiatus qui hunc ritum mutat, tenetur ad restitutionem, quia non satisfacit præcepto, juxta definitionem Alexandri VII. in damnatione hujus prop. *in die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

*Objicies:* Legere unam Missam pro alia, non est peccatum; ergo nec legere unum Officium pro alio.

*Resp. nego conseq.* Quia non eadem est obligatio legendi Missam, ac legendi Horas: Ecclesia enim, sicut liberum relinquit legere, vel non legere Missam; ita hanc, vel illam Missam pro devotione legere, quæ non est pro officio, uti docet piorum consuetudo.

*Inst.* Qualitas vel quantitas Officii non magis est de substantia Officii, quam qualitas, vel quantitas Missæ; atqui in die Palmarum audiens Missam *de requiem*, vel de resurrectione, æque satisfacit præcepto de audienda Missa, quam audiens Missam de illa Dominica; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Quia Ecclesia præcipit audire Missam præcise, econtra præcipit recitare Officium illud quoad qualitatem, & quantitatem, quantum, & quale pro quolibet die præscribitur in Breviario. Unde *in die Palmarum recitans Officium Paschale non satisfacit* præcepto, prout definivit Alexand. VII. in damnatione propositionis contradictoriæ.

Dixi *scienter:* Quia qui ex inadvertentia inculpabili mutavit Officium, non tenetur ad alterius Officii recitationem; sed tenetur id quod tali festo peculiare fuit, repetere; v. g. Lectiones, Responsoria, Orationes, Capitula, &c. modo errorem advertat ante lapsum diei, quia obligatio Horarum est affixa diei.

Quod si errorem detegat elapso die, non tenetur Officium omissum substituere in locum Officii jam recitati, sive in Choro, sive privatim recitet, ait Tournely (*de Officio divino part. 2. tom. 2. p.* 111.) sed tenetur repetere Officium quod jam persolvit; tum quia obligatio recitandi Officii omissi transiit cum die; tum quia primus error non dat Jus invertendi ordinem Officiorum Breviarii.

Quæres 12. *Quid requiritur ut Horæ distincte proferantur?*

*Resp.* Requiritur 1. ut verba non omittantur, nec syllabæ abscindantur, sed *recitentur sine syncopa*, ait glossa (*in cap. dolentes de celebr. Missar.*) ita ut si quis verba omittat in notabili quantitate, peccet mortaliter cum violet præceptum in re gravi, & teneatur ad restitutionem, si sit beneficiatus.

*Hinc* obligationi suæ non satisfaciunt, qui ita cum sociis festinanter recitant, ut nondum expletis versiculis a sociis, versiculos recitare incipiunt; quia pars quæ anticipate dicitur, non communicatur cum sociis, qui eam audire nequeunt.

*Requiritur* 2. Ut Officium recitetur voce per se audibili, ita ut secluso impedimento, vel læsione sensus, recitans possit seipsum audire; hoc enim neces-

necessarium est ad orationem vocalem: Horæ autem sunt orationes vocales.

Quæres 13. *Quo tempore debent Horæ recitari?*

*Resp.* 1. Ad vitandum peccatum mortale, tempus recitandi Horas incipit a media nocte usque ad alteram mediam noctem, excepto Matutino ut dicemus infra.

*Resp.* 2. Ad vitandum peccatum veniale servari debet consuetudo legitime introducta; sicut enim consuetudo vim habet inducendæ Legis, ita etiam illius mitigandæ.

*Quoad Matutinum*, potest cum, vel sine Laudibus recitari pridie, ab eo circiter tempore quo Sol est propior ad occasum quam ad meridiem, juxta tabulam sequentem de tempore inchoandi Matutinum pro die sequenti Romæ editam Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ nostris horologiis accommodatam:

20. Januarii, hora 2. cum quadrante.
15. Februarii, hora sesquisecunda.
1. Martii, hora secunda cum tribus quadrantibus.
18. Martii, hora tertia.
4. Aprilis, hora tertia cum quadrante.
20. Aprilis, hora sesquitertia.
10. Maji, hora tertia cum tribus quadrantibus.
8. Junii, hora quarta.
30. Julii, hora tertia cum tribus quadrantibus.
28. Augusti, hora sesquitertia.
7. Septembris, hora tertia cum quadrante.
24. Septembris, hora tertia.
13. Octobris, hora secunda cum tribus quadrantibus.
20. Octobris, hora sesquisecunda.
18. Novembris, hora secunda cum quadrante.
15. Decembris, hora secunda.

Quæres 14. *Quo ordine Horæ sunt recitandæ?*

*Resp.* Ordo ab Ecclesia præceptus, hic est: ut recitetur Matutinum ante Laudes, Laudes ante Primam, &c. quem ordinem absque justa causa invertere peccatum est solum veniale, modo absit contemptus; *ratio* est quia præceptum observatur quoad substantiam, omnes Horas dicendo intra diem naturalem.

*Imo* nullum est peccatum, nec est obligatio repetendi, si talis inversio fuit per oblivionem, inadvertentiam, vel ex justa causa, ut si quis ab ægro invitetur ad recitandas secum Vesperas, cum necdum Nonam persolverit; nam cum hic ordo non pertineat ad substantiam Officii, sed tantum ad modum, censetur Ecclesia permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

*Utrum* autem sit mortale dicere Missam ante Matutinum & Laudes. . . . *Resp. negative*; ratio est quia recitans Primam ante Matutinum non peccat mortaliter; ergo nec celebrans Missam ante Matutinum, cum majorem habeat connexionem Prima cum Matutino, quam Matutinum cum Missa; est ergo solum veniale, imo nullum est peccatum, si fiat ex justa causa, ait Lessius (*l.* 2. *cap.* 37. *num.* 81.), quia quod fit ex justa causa, fit prudenter; ergo fit sine peccato.

*Nec obstat* Rubrica Missalis; quia non est præceptiva, sed tantum directiva, nec est recepta sub mortali, ut ait Bonac. Hic

*Nota* ad vitandos scrupulos Julium III. concessisse Patribus Societatis Jesu privilegium (cui communicant omnes mendicantes) postponendi Matutinum celebrationi Missæ *ex legitimis & justis causis* (*Jul.* 3. *Bull. Sacræ*).

Quæres 15. *An est mortale Divinum Officium interrumpere?*

*Resp.* Interruptio Officii facta sine causa quantacumque sit, est solum venialis; quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario, cum omnes Psalmi, Lectiones, &c. per se suam habeant completam significationem.

Quod si subsit justa causa, v. g. si Superioris præceptum, vel charitas urgeat ad aliquid faciendum quod commode differri nequeat, tunc nullum peccatum erit, nullaque obligatio repetendi.

Quæres 16. *Quid requiratur ut Horæ devote recitentur?*

*Resp.* Requiruntur duo. 1. *Intentio* recitandi Horas, & Deum orandi, non quidem actualis & explicita, sed virtualis & interpretativa, qualem habet qui ut suæ obligationi satisfaciat, assumit Breviarium, vel debito tempore ad Chorum convenit ad recitandum Officium.

*Ratio est*, quia recitatio externa Officii est indifferens ut sit oratio, vel studium; ergo ab intentione orandi debet determinari ut sit oratio qualis præcipitur.

2. *Et attentio interna*, sive illa sit ad verba quatenus continent laudes Dei, sive ad sensum verborum, sive ad Deum.

Ratio est quia Ecclesia præcipit recitationem Officii tamquam actum orationis Deo gratum; atqui oratio non est Deo grata absque attentione interna, ut patet ex illa Christi reprehensione: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (*Matt.* 25. *vers.* 8.) Unde Clerus Gallicanus, *ut absonam & verbo Dei contrariam* damnavit hanc prop. *Præcepto satisfacit qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat.*

*Dices* 1. D. Antonin. 3. *parte* tit. 13. quæst. 7. ista explicans verba, cap. *dolentes*, de celebr. Missæ *quantum eis Deus dederit*, *studiose celebrent*, *pariter & devote*: dicit: *Ecclesiam ibi apponere consilium fragilitati humanæ*, quasi dicat: *præcipimus*, *quod unusquisque de die*, *ac nocte dicat Horas suas*: *attentionem vero*, *et devotionem in præcepto non ponimus*, *sed gratiæ Dei*, *secundum quod dare voluerit*, *duximus relinquendum.* Ergo ad Horas recitandas non requiritur attentio interna.

*Resp. dist. conseq.* Non requiritur attentio interna actualis, *conc.* Virtualis, *nego conseq.* D. itaque Antonin. agit loco objecto contra nimis rigide tenentes, Ecclesiam absolute præcipere internam devotionem actualem, contra quos docet, quod, cum tanta sit humanæ mentis infirmitas, ut non possit per totum Officium actualem continuare devotionem, Ecclesia non præcipiat devotionem actualem, nisi cum hoc addito: *Quantum Deus dederit*, vetans, ne quis gratiæ divinæ ponat obicem per voluntarias mentis distractiones. Unde D. Antonin. *in Confessionali* 3. part. *interrogatorii*, cap. 11. *de Clericis in communi* ait: *Si dicendo Horas . . . mente circa alia vagatur voluntarie*, *non curans*, & sic per totum Officium, videtur mortale: secus, si proponit, velle atten-

dere, & distrahitur, & cum advertit, displicet ei.

*Dices* 2. Attentio interna non est de substantia orationis vocalis; atqui Ecclesia solum præcipit orationem vocalem; ergo, &c.

*Respond. nego maj.* Intellectam saltem de oratione vocali devota.

*Prob. maj.* Ad substantiam orationis vocalis sufficit pronuntiatio verborum procedens ex formali, aut virtuali intentione laudandi Deum; atqui illa intentio potest esse absque interna attentione; ergo &c.

*Resp. nego conseq. Prob. min.* Intentio, & attentio sunt actus diversarum potentiarum, nimirum intentio est actus voluntatis sibi finem præfigentis: attentio vero est actus intellectus, quo quis advertit ad id, quod agitur; ergo intentio potest esse absque interna attentione.

*Resp. nego maj.* Quemadmodum enim D. Thom. *q.* 82. ad 2. id negat de devotione interna, & externa dicens: *devotio non prædicatur de interna & externa, sicut genus de speciebus, sed devotio interna ad externam se habet, sicut motio moventis ad motum mobilis*; ita negandum de oratione vocali & mentali: quia vocalis absque mentali nullam habet bonitatem moralem: & mentalis se habet ad vocalem, sicut anima ad corpus: sicut enim corpus additione animæ fit vivens, ita oratio vocalis additione mentali fit moraliter bona, & meritoria.

*Petes. Quænam attentio requiritur?*

*Nota.* Triplex est attentio, nimirum *actualis*, *virtualis & habitualis.*

*Attentio actualis*, est ea qua quis actu attendit ad sensum verborum, vel ad Deum.

*Attentio virtualis*, est actualis initio orationis concepta, quæ virtualiter permanet quandiu expresse vel tacite non revocatur . . . Expresse revocatur dum recitans expresse vult non attendere: . . . tacite revocatur dum recitans se distractum advertit, & nihilominus non repellit distractionem, nec revocat mentem ad attentionem.

*Attentio habitualis*, vel est facilitas attendendi repetitis actibus comparata, vel est animi dispositio qua quis attenderet, si adverteret. His positis,

*Resp.* 1. Attentio habitualis non sufficit, quia non est vera attentio, & cum ea sola non subsistit oratio.

2. Attentio actualis non est necessaria, quia sæpius non est in nostra potestate.

3. Attentio virtualis requiritur & sufficit, quia cum ea subsistit oratio & actus humanus.

*Resolv.* 1. Peccat mortaliter, nec præcepto satisfacit, & consequenter tenetur repetere, qui per notabilem Officii partem voluntarie distrahitur; item qui licet inadvertenter distractus sit, distractioni voluntariam causam dedit; & si sit Beneficiatus, tenetur restitutionem fructuum perinde ac si Officium non persolvisset.

*Resolv.* 2. Qui initio orationis attentionem habuit, satisfacit præcepto, nec tenetur repetere & restituere, si involuntarie distractus prosecutus est orationem, quia virtualiter attendit.

*Quæres* 1°. [illegible]

*Resp.* Sunt quatuor. 1. Est legitima Papæ dispensatio, qui dispensare potest, cum Officium jure Ecclesiastico institutum sit.

2. Est gravis infirmitas (*Cap. Clericus dist.* 91.) qualem habere censetur qui sine notabili nocumento, vel incremento morbi, Officium legere non potest . . . in dubio stare potest consilio prudentis & periti medici . . . si medicus dubitet, petenda est dispensatio Superioris qui ex usu ubique recepto dispensare potest cum suis subditis in dubio de morali impotentia recitandi; quod videtur necessarium ad tollendas perplexitates . . . qui autem per se non potest satisfacere, non tenetur per alium, hoc enim non præcipitur ab Ecclesia . . . qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tenetur; nam qui obligatur ad finem, obligatur etiam in usum mediorum facile comparabilium.

*Hinc* febris tertiana, vel quartana non excusat, nisi tota die, aut potissima diei parte, duret; ratio est quia censetur levis causa (*Est communis*).

3. Est gravis occupatio honesta & necessaria, quæ absque gravi sui vel proximi detrimento, tum spirituali, tum corporali differri non potest, sitque majus bonum, quam Officii recitatio.

*Sic:* Si Confessarius tota die deberet audire Confessiones quæ differri non possent, vel moribundo necessario assistere, ex benigna intentione Ecclesiæ posset a recitatione Horarum excusari; si tamen hoc impedimentum posset prævenire, teneretur anticipate Officium recitare; ita omnes.

4. Causa est impotentia, tum physica qualis est cæcitas, vel carentia Breviarii; tum moralis, qualis est justus timor gravis damni, v. g. proditionis inter Hæreticos.

Qui tamen propter prædictam impotentiam non potest integrum Officium recitare, tenetur ad partem quam potest; unde Innocent. XI. damnavit hanc prop. *Qui non potest Matutinum & Laudes recitare, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.*

## QUÆSTIO II.

### *De Beneficiis.*

Totam materiam de Beneficiis septem comprehendemus articulis.

1. Erit de natura & divisione Beneficiorum.
2. De variis modis, quibus acquiri potest Beneficium.
3. De his, quibus *Beneficia* debent conferri.
4. De dominio & usu bonorum ecclesiasticorum.
5. De pluralitate Beneficiorum.
6. De obligatione residentiæ in loco Beneficii.
7. De simonia in acquirendis Beneficiis.

## ARTICULUS I.

### *De natura & divisione Beneficiorum.*

Quæres 1. *Quid est Beneficium?*

*Resp.* Est jus perpetuum competens Clerico, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.

I. Divi-

Explicatur definitio: dicitur 1. *jus perpetuum*, quia ex natura sua est tale ut perpetuo duret, & dum uni aufertur, alteri tribuatur; hinc Vicaria & Commenda temporalis, item pensio perpetua, non sunt Beneficia.

Dicitur 2. *Clerico competens:* Tonsura Clericali insignito; & per hoc excluduntur a ratione Beneficii bona quæ Laici propter operam Ecclesiæ præstitam, v. gr. ad pulsandas campanas, tribuuntur; sunt enim merum stipendium.

Dicitur 3. *Propter Officium spirituale:* nam propter ejusmodi Officium datur Beneficium: unde bursæ collegiales, quæ non dantur propter Officium spirituale, sed tamquam eleemosyna aut subsidium, non sunt Beneficia.

Dicitur 4. *Auctoritate Ecclesiæ constitutum:* hoc est Papæ, vel Episcopi; nam ad illos solos pertinet Officia spiritualia instituere, eisque proventus adnectere . . . hinc Capellaniæ *non collativæ*, sed a privatis licet in perpetuum dotatæ pro Missarum celebratione, non sunt Beneficia, nec conferuntur canonica institutione (gallice *provision*) quæ necessaria est ad conferendas *Capellanias collativas*, per consequens non obligant ad Horarum recitationem. Tamen Capellani eis in perpetuum provisi, earum titulo tamquam titulo Patrimonii, aut quasi Patrimonii possunt ordinari, ut docet Garcia de Benefic. part. 1. cap. 2.

Quæres 2. *Quotuplex sit Beneficium?*

*Resp.* Beneficium dividitur 1. in *sæculare*, quod pro Clericis sæcularibus; & *regulare*, quod pro Regularibus est institutum, nec sæcularibus dari potest nisi in Commendam.

*Nota.* Omne Beneficium est sæculare, nisi aliud probetur ex institutione, vel per possessionem pacificam quadraginta annorum, quæ legitimam statuit præscriptionem. (*Cap. cum de Benef. de præbend. in* 6.)

2. Dividitur in *simplex* seu *non curatum*, & *duplex* seu *curatum.*

Beneficium *simplex*, est illud quod obligationi divini Officii, non habet annexam curam animarum, nec præeminentiam aut jurisdictionem; talis est Capellania, Canonicatus simplex, &c.

Beneficium *duplex* est illud quod obligationi divini Officii, habet annexam animarum curam, vel præeminentiam. Tales sunt Episcopatus, Parochiatus, Abbatia, Cantoria, &c.

3. Dividitur Beneficium duplex, in Dignitatem, Personatum, & Officium.

*Dignitas* est Beneficium habens annexam præeminentiam, jurisdictionemque Ecclesiasticam in foro externo; tales sunt Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus conventualis, Guardianatus, &c.

*Personatus* est Beneficium habens annexam præeminentiam ecclesiasticam absque jurisdictione v. g. Primiceriatus, Lectoratus.

*Officium*, est Beneficium habens administrationem rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut Thesauraria, Cantoria.

4. Dividitur in *titulare & commendatum.*

*Titulare* est illud quod cum plenitudine juris confertur juxta ejus fundationem.

*Commendatum* est illud quod solius administrationis aut custodiæ gratia traditur. Si tradatur ad vitam, æquivalet Beneficio in titulum dato.

## ARTICULUS II.

### *De variis modis seu titulis Beneficium acquirendi.*

Quæres 1. *An necessario requiratur titulus ad acquirendum Beneficium?*

*Resp.* Ita necessario requiritur titulus, ut qui *mala fide*, absque titulo invadit Beneficium, non solum illud amittit, sed insuper fit inhabilis ad illud postea obtinendum, prout definivit Alexander III. (*Cap. ad aures de excessibus Prælatorum*)

Dixi, *mala fide*: si enim bona fide absque titulo legitimo Beneficium obtinuit, potest illud retinere in utroque foro (*Clement. de sequest.*) modo fuerit obtentum.

1. *Absque simoniaco ingressu.*

2. Cum titulo colorato, ex *ordinaria collatione aut electione.*

3. Quod Beneficiarius *per triennium pacifice possederit.*

4. Quod aliunde ad illud ipso jure non fuerit inhabilis, v. g. propter censuram aliquam, quam ante Beneficii adoptionem incurrerit. *Ita statuitur regula Cancellariæ de triennali possessione.*

Quæres 2. *Quot sunt tituli, quibus Beneficia acquiruntur?*

*Resp.* Sunt septem: nimirum 1. Collatio libera, 2. Præsentatio & subsequa institutio, 3. Electio & subsequa confirmatio, 4. Postulatio & subsequa admissio, 5. Resignatio acceptata in favorem, 6. Permutatio approbata, 7. Subrogatio, de quibus multa quæruntur distinctis paragraphis, quibus addemus Appendicem de Pensionibus.

### §. I. *De Collatione libera.*

Quæres 1. *Quid sit Collatio libera?*

*Resp.* Est *attributio Beneficii facta a Prælato jure pleno atque independenti a Jure patronatus, Graduatorum etc.*

Dicitur 1. *Attributio*, id est concessio Juris in re.

Dicitur 2. *Libera:* ut distinguatur ab institutione & confirmatione, quæ sunt quidem Collationes, sed non liberæ, cum Prælatus debeat conferre Beneficium præsentato, & electo.

Quæres 2. *Quibus competit Jus collationis Beneficiorum?*

*Resp.* 1. Competit cuilibet Episcopo in sua Diœcesi, nisi ex fundatione Beneficii, aut legitima præscriptione hoc Jus competat alteri Ecclesiastico.

*Resp.* 2. Papæ etiam competit per se tamquam supremo & universali omnium Beneficiorum non patronatorum collatori.

Quæres 3. *Quot modis Papa confert Beneficia?*

*Resp.* Quatuor modis.

1. *Jure præventionis;* quando scilicet alicui confert gratiam expectativam ad primum Beneficium non patronatum vacaturum. (*Cap. dudum de præbend. in* 6.)

2. *Jure reservationis:* quando scilicet aliqua Beneficia reservat in favorem aliquorum; talia sunt Beneficia reservata in favorem Graduatorum; qui in

in Gallia, vi concordati inter Leonem X. & Franciscum I. habent jus obtinendi quælibet Beneficia non patronata vacantia quatuor anni mensibus; nempe *Januario*, *Aprili*, *Julio*, & *Octobri.*

3. *Jure concursus:* quatenus scilicet Papa cum quolibet alio Collatore concurrere potest, si velit; necesse tamen est ut in hoc casu conferat Beneficium ante Ordinarium; alioquin collatio Ordinarii erit valida. (*Argumento capitis si eo tempore de elect. in 6.*). Ubi nota, quod Papa nunquam vel raro utatur jure præventionis, & concursus, ut vitentur confusiones, & lites, quæ inde oriri possunt. Verum sibi in multis Ecclesiis certos reservat in anno menses, reliquis Episcopo, vel Patrono relictis.

4. *Jure devoluti:* quando scilicet quis a summo Pontifice impetrat sibi Beneficium transferri ob possidentis Canonicam inhabilitatem; v. g. quando ob simoniam confidentiæ, vel negligentiam Collatoris, jus devolvitur ad Papam, idem jus devolvitur ad Episcopum quando inferiores Collatores sunt negligentes.

§. II. *De Præsentatione & subsequa institutione.*

Quæres 1. *Quid est præsentatio?*

*Resp.* Est *exhibitio personæ idoneæ a patrono facta Prælato, ut ipsi Beneficium vacans conferat per institutionem* . . . Patronus enim præsentato tantum Jus ad rem confert. Jus autem in re, & ipsa collatio Beneficii per institutionem dantur.

Quæres 2. *Quid est Jus patronatus & quotuplex?*

*Resp.* 1. Est potestas præsentandi Clericum ad Beneficium vacans, sive per mortem, sive per resignationem.

*Resp.* 2. Duplex est; nempe Jus patronatus ecclesiastici, & Jus patronatus laici.

Jus patronatus ecclesiastici, est illud *quod a persona ecclesiastica de bonis Ecclesiæ fundatum est.* Unde solis ecclesiasticis competit.

Jus patronatus laici est illud *quod a Laico, vel Clerico de bonis patrimonialibus est fundatum.* Unde Laico vel Clerico competit.

Quæres 3. *Quid habent commune Beneficia tum Ecclesiastici tum Laici patronatus?*

*Resp. sequentia:* 1. Quod nullus Patronus seipsum præsentare possit (*Cap. per nostras de Jure patron.*) potest tamen filium si idoneus sit; Episcopus tamen posset ipsi motu proprio conferre Beneficium, modo ipse consentiat (*ibidem*) .... 2. Quod si duo ejusdem Beneficii Patroni, de præsentatione inter se non conveniant, Episcopus cuilibet voluerit e duobus nominatis illud conferre possit. (*Ita Layman, Lessius & alii commun.*)

Quæres 4. *Quid habent singulare Beneficia Patronatus utriusque?*

*Resp. sequentia:* 1. Quod Patrono laico ad præsentationem concedantur tantum quatuor menses a die vacationis Beneficii: sex vero Patrono Ecclesiastico; si intra id tempus Patronus non præsentaverit, Episcopus pleno jure cuilibet illud conferre potest (*Cap. 3. de Jure patronatus*).

2. Si Patronus laicus duos successive præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere, si Patronus sit ecclesiasticus, tunc prior tempore, potior est jure. (*Cap. cum autem de Jure patron.*)

3. Patronus ecclesiasticus variare non potest, unde si indignum nominavit, jure suo pro hac vice excidit, & Collator Beneficium pleno jure conferre potest cuilibet digno; e contra Patronus laicus variare potest, unde si præsentaverit indignum, potest & jubetur alterum dignum præsentare. (*Glossa in cap. cum vos; de Officio Ordin. citans caput cum in cunctis de elect.*)

4. Beneficium patronatus laici, resignari, aut permutari non potest, nec pensione gravari absque Patroni consensu; bene quidem Beneficium Patronatus Ecclesiastici. (*Ita Glos. in Clement. unicam de rerum permut.*)

5. Quod Beneficium laici Patronatus non sit obnoxium præventioni Papæ, nec juri indultariorum, aut Graduatorum, aut gratiarum expectativarum; bene quidem Beneficium Patronatus ecclesiastici.

*Nota.* Ad præsentationem accedit nominatio, qua Principes, ex indulto Summi Pontificis, nominant promovendos ad Prælaturas, vel dignitates ecclesiasticas in terris sibi subjectis. Item & universitates ad quædam beneficia vacantia, vel vacatura, de quibus vide Garciam, Rebuffum &c.

§. III. *De Electione & subsequa Confirmatione.*

Quæres 1. *Quid est Electio?*

*Resp.* Est *personæ eligibilis præ aliis assumptio ad Beneficium vacans. Per eam acquiritur* jus ad Beneficium: nam jus in Beneficio obtinetur sola confirmatione, quam electus, secluso impedimento intra tres menses a notitia electionis acceptatæ, petere tenetur, alias electio est irrita. (*Cap. 6. de elect.* in 6.) Est autem

Confirmatio, *concessio juris in Beneficio facta a Superiore ei qui electus est.*

Quæres 2. *Quotuplici modo fieri potest Electio?*

*Resp. Triplici.* 1. Per scrutinium, cum quilibet eligentium suffragium suum secreto tradit. 2. Per compromissum, cum eligendi potestas in unum, vel plures, communi electorum consensu transfertur. 3. Per inspirationem, cum electores subito quodam motu in unum communiter consentiunt. (*Ita Conc. Lat. 4. c. 24.*)

Quæres 3. *Quot requiruntur ad validam electionem?*

*Resp. Quatuor.* 1. Ut omnes, qui jus eligendi habent, rite vocentur; non obstant tamen si aliquis vocatus noluerit, vel non potuerit venire (*Cap. 28. de electione*).

2. Ut intra trimestre a die vacationis Beneficii fiat electio, nisi adsit legitimum impedimentum (*Cap. 1. de electione*).

3. Ut electores sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum, nisi speciali privilegio aliud concessum sit. (*Conc. Trid. sess. 22. c. 4.*).

4. Ut electorum pars major consentiat. (*Con. Lat. 4. c. 24.*)

§. IV. *De Postulatione & subsequa Admissione.*

Quæres. *Quid est Postulatio?*

*Resp.* Est *obsecratio ab Electoribus facta Superiori,*

*riori, ut ad Beneficium vacans admittere, velit aliquem qui alias eligi non poterat ob impedimentum Canonicum.* Sic illegitimus, bigamus, junior &c. postulari quidem potest, sed non eligi (*Cap. cum cunctis de electione*).

*Nota.* Nullum jus dat Postulatio ante dimissionem & Confirmationem.

### §. V. *De resignatione.*

Quæres 1. *Quid sit resignatio?*

*Resp.* Est *spontanea sui Beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*

Dicitur 1. *Spontanea*: hoc est, nec metu injusto, nec vi, nec dolo extorta, alioqui est nulla, vel certe annullanda (*Cap. ult. de renunt. & Clem. 1. de pœnis*).

Dicitur 2. *Coram legitimo Superiore*: scilicet Papa, vel altero Collatore ordinario.

Dicitur 3. *Eam acceptante*: si enim non admittatur a Superiore, resignans non perdit jus suum (*Cap. ultim. de renuntiatione*).

Quæres 2. *Quotuplex sit Resignatio?*

*Resp.* Duplex, nempe simplex et conditionata.

*Simplex est ea quæ fit sine conditione & pacto* (*Cap. tua nos, de Simonia*) Conditionata est *ea quæ fit cum pensionis reservatione, vel ea conditione ut personæ designatæ conferatur Beneficium*, et dicitur Resignatio in *favorem.*

Quæres 3. *Quodnam discrimen est inter simplicem & conditionatam Resignationem?*

*Resp.* Discrimem est 1. Quod simplex ab Ordinario Collatore admitti possit; conditionata vero a solo Papa, cum in ea versetur simonia quam Ordinarius purgare non potest (*Cap. ex parte, de Officio delegat*).

2. Quod in resignatione simplici Ordinarius possit conferre Beneficium cui libuerit, potest tamen sic Resignans, sine simoniæ labe, rogare Ordinarium ut conferat tali (*Cap. tua nos, de Simonia*) verum nec tenetur Ordinarius ei conferre, pro quo rogatum est (*Cap. eodem*).

Econtra in Resignatione conditionata, Papa debet conferre Beneficium illi, in cujus favorem facta est, alioqui provisio erit nulla (*Cap. de rerum permut.*) quia fieret sine Beneficii vacatione.

3. Quod simpliciter Resignans omni jure Beneficii spolietur; contra resignans condionate possessionem retinet donec impleta sit conditio, ratione illius clausulæ *non aliter nec alias*: unde si Resignatarius non acceptet, Resignans remanebit in suo Beneficio.

Præterea ut Resignatio in favorem sit valida, requiritur.

1. Ut Resignans *in infirmitate* supervivat viginti dies post Resignationem; alioquin censetur Beneficium vacare per obitum, non per Resignationem, et proinde omnis collatio ex vi talis Resignationis facta est irrita. (*Ita expresse habet reg. Cancellariæ de infirmis*).

2. Ut Resignatio intra sex menses, a die supplicationis datæ, et non a die præstiti consensus (*Ut declaravit Paul. III. anno* 1540.) computandos, publicetur in loco Beneficii; si resignatio fiat in Curia Romana; inter mensem vero, si fiat extra curiam: alioquin si contingat resignantem mori antequam resignatarius cœperit possessionem, Beneficium censebitur vacare per obitum et collatio facta resolvetur; ita habet regula Cancellariæ quam Rebuffus (*§. Reg. de publicandis*) explicat, et asserit hanc regulam esse receptam et publicatam tamquam Legem Regni Franciæ (*Fuit recepta & in Curia Parlamenti registrata ann.* 1493 *die* 27. *Augusti.*).

3. Requiritur consensus Patroni, si Beneficium sit Patronatus laici.

### §. VI. *De Permutatione.*

Quæres 1. *Quid sit permutatio?*

*Resp.* Est *Beneficii ad aliud Beneficium facta mutua præstatio*, ab Ordinario admissa.

Quæres 2. *Quænam requirantur ad validitatem permutationis?*

*Resp.* 1. Eadem quæ requiruntur ad resignationem *in favorem.*

*Resp.* 2. Sequentia insuper requiruntur. 1. Si compermutanda Beneficia in diversis Diœcesibus sita sint, requiritur auctoritas utriusque Episcopi.

2. Requiritur ut spiritualia cum spiritualibus permutentur, et jus in re cum jure in re nec enim valet permutatio nominationis ad Beneficium, cum Beneficio. (*Cap. final. de rerum permut.*)

3. Non potest fieri permutatio cum jure spirituali alterius generis: unde non possunt permutari decimæ, vel jus patronatus cum Beneficio (*Ita Rebuff. in cap. fin. supra*).

Queres 3. *Quid sit regressus?*

*Resp.* Est jus resumendi Beneficium resignatum aut permutatum, etiam post admissam a Prælato resignationem aut permutationem.

Quæres 4. *An regsessus sit licitus?*

*Resp.* Licet jus regressus sacris Canonibus (*Alex. III. cap. ex transmissa de renuntiatione. Clem. III. cap. super, & cap. in præsentia eod. tit.*) a Concil. Trident. (*Sess.* 25. *cap.* 7. *de reform.*) confirmatis, sit contrarium, vim tamen et robur habet in Gallia in sequentibus casibus.

1. Si quis in gravi infirmitate constitutus resignavit, datur ei regressus post recuperatam valetudinem sine nova collatione. (*Ita Bonif. VIII. in cap. si Beneficia de præb. in* 6. *Ita statuitur edicto ann.* 1658. *art.* 20.) Multa arresta huic juri conformia refert. D. Brillon. (*V. regres n.* 24. 26. *&c.*)

2. Si mutua permutatione facta, Beneficium deprehendatur litigiosum, qui illud resignavit, debet litem prosequi, et si evictum fuerit, alter redibit ad suum, sine nova provisione (*Bonif. VIII. c. si Benefic. de præb. in* 6.) non tamen citra Judicis Regii (ut in aliis casibus) declarationem.

3. Si propter criminis capitalis accusationem cujus successus erat incertus, resignavit Beneficium, illud repetendi jus habet, postquam evasit condemnationis sententiam. (*Pont. V. regrès.*)

4. Conceditur regressus, si contingat unum ex permutatis Beneficiis, vel nova pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modo permutans quando permutavit, id ignoraverit (*Ita judicavit Senatus Paris. arresto ann.* 1565. *die* 7. *Dec. relato a Charondas*).

5. Si resignatarius conventam & a Papa approbatam

batam pensionem non solvat; ut probat Pontas. (*V. Regrès*, *citans Mendosium*, *Azorium*, *Cabassut.*)

6. Datur regressus, si in permutatione, aut resignatione intercessit vis, metus, fraus, dolus &c. quia *fraus & dolus nulli patrocinari debent*, ut ait Alexander III.

### §. VII. *De subrogatione.*

Quæres 1. *Quid sit subrogatio?*

*Resp.* Est *unius vocatio in jus et locum alterius* ...... solummodo locum habet inter duos de Beneficio litigantes, quorum si unus lite pendente e vivis excedat, superstes in jus & locum ipsius sufficitur. Quod ideo statutum est, ut lites inter Clericos tandem finiantur.

Quæres 2. *Quomodo obtinetur subrogatio?*

*Resp.* Juxta jus novum a Ludovico XIV. institutum obtinetur per solam simplicem petitionem factam judici, cum attestatione exhibita de obitu collitigantis.

Quæres 3. *Quale est jus acquisitum per subrogationem?*

*Resp.* Est ita firmum, ut licet mortuus collitigans jus suum tertio concessisset, & post mortem ejus, iste tertius Beneficium impetrasset, provisio istius tertii ipso jure irrita foret.

## APPENDIX.

### *De Pensionibus.*

Quæres 1. *Quid sit pensio clericalis?*

*Resp.* Est *jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio.* Quo jure, utpote jure communi contrario, nullus uti potest absque Papæ auctoritate & institutione. (*Ita definivit Conc. Rothom. tit. de Episc. Officio*, *n.* 20.)

Quæres 2. *In quibus casibus creari possunt pensiones?*

*Resp.* In tribus: 1. Ut tollatur Beneficiorum magna inæqualitas in permutatione facienda.

2. Ut lis inter duos de Beneficio collitigantes componatur.

3. Ut indigenti Sacerdoti qui Beneficio inservivit, subveniatur; ita fuit statutum in Comitiis generalibus Cleri Gallicani (*anno* 1598.) & edictis Ludovici XIII. (*anno* 1629.) & Ludovici XIV. (*anno* 1671.)

Quæres 3. *Quot requirantur conditiones ut pensio licite obtineatur?*

*Resp. Quatuor.* 1. Ut Pensionarius egeat, nec aliunde ad suam honestam sustentationem necessaria habere possit. (*Pontas docet Pension. cap.* 4.)

2. Quod si agatur de Beneficio quod residentiam postulat, Pensionarius per undecim annos ipsi inservierit, ipsique propter gravem infirmitatem amplius inservire non possit. Ita habet edictum Ludovici XIV. supra citatum; nisi aliud [illegible] postulet.

3. Quod pensio tertiam partem fructuum non excedat (*Ita docet* [illegible], *Benefic.* [illegible] *Tolet. instruct. Sacerd. l.* 5. *c.* 85. *Soto*, [illegible] *de Jure & Justit.* [illegible] *art.* [illegible] unde Papa admittens resignationem [illegible], semper apponit hanc conditionem: *modo tertiam partem fructuum non excedat*; *alias præsens gratia nulla sit eo ipso.* Quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

4. Quod Titulario supersint ad victum & vestitum moderatum sufficientia. (*Cap. de Monachis*, *& cap. cum causam de Præbendis.*)

## ARTICULUS III.

### *De his quibus Beneficia debent conferri.*

Quæres 1. *Quinam sunt incapaces Beneficii possidendi?*

*Resp.* Sequentes ita sunt incapaces, ut eorum electio, nominatio, collatio, sint ipso jure nulla & irrita.

1. *Illegitimi*, ob irregularitatem a qua solus Papa dispensare potest ad Ordines majores; Beneficia cum cura, & alia quæ requirunt ordinem sacrum, (qualia sunt Canonicatus post Trident.) Episcopus vero non nisi ad Tonsuram, minores Ordines & Beneficium simplex. (*Ita statuitur c.* 1. *de filiis Presbyt.*)

2. Qui non receperunt primam Tonsuram. (C. 6. *de transact.*)

3. Qui non habet Ordinem sacrum, quod Beneficium ex sua institutione requirit (*Cap.* 22. *de elect. in* 6.); ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is ordo, sed non debet ultra differri (*Ex Clement.* 2. *de ætate et Trid. sess.* 22. *cap.* 4.) quod si ultra differat nominatus, nisi justo impedimento detentus fuerit, Beneficio illo privatur ipso facto. (*Cap.* 35. *de elect. in* 6.)

Qui vero acceptat Parochiam sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum, peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus, etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud recipiat (*Ibidem.*)

4. Qui non habet ætatem idoneam (*Cap.* 7. *de elect.*) Hæc autem varia est pro varietate Beneficiorum. Nam

Ad Episcopatum requiruntur 30. anni. (*Cap. cit.*) In Gallia sufficit annus 27. inchoatus. (*Concord. inter Leonem X. et Franc. I.*)

Ad Abbatias, dignitates cum cura, & Parochias annus 25. inchoatus. (*Cap.* 7. *de elect. et Trid. sess.* 24. *cap.* 12.)

Ad dignitates sine cura sufficit annus vigesimus secundus completus. (*Trident. ibidem.*)

Ad Beneficia simplicia, ut sunt Capellaniæ, annus 14. inchoatus. (*Trident. sess.* 23. *cap.* 6.)

Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo Trid. requiritur annus vigesimus primus, quia annexum habet Subdiaconatum, ex consuetudine tamen datur habenti tantum annos 14.

5. Qui est conjugatus (*Cap.* 1. [illegible] 3. de *Cleric. conjug.*); si Clericus minorum Ordinum habens Beneficium, contrahat matrimonium, ipso jure illud amittit, (*Cap.* 2. *eodem tit.*) [illegible] suscipit statum incompatibilem. Si vero Clericus Sacrorum Ordinum, non amittit ipso facto Beneficium (*Cap.* 1. *eodem tit.*) quia matrimonium est irritum, sed eo est privandus. (*Ibidem et* [illegible] *ter recepta*).

[illegible]

6. Qui est aliqua censura, vel irregularitate irretitus, (*Cap.* 7. *de Clerico excommun. Cap.* 8. *de ætate. Cap.* 18. *de sent. excommun. in* 6.)

Quæres 2. *Quodnam est peccatum conferre Beneficium indigno?*

*Nota:* Indignus est *is qui ad Officium debite præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus Officio.*

*Respond.* Est mortale quodvis Beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eumve præsentare, aut eligere.

*Ratio* est, quia *Beneficium datur propter Officium:* ergo qui ineptus est ad Officium præstandum, arcendus est a Beneficio. Unde Conc. generale IV. *præcipit* (Collatoribus & Patronis sub pœna suspensionis a conferendis Beneficiis) *ut prætermissis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum.* (*Refertur cap. grave de præb.*)

Quæres 3. *Utrum ad quodlibet Beneficium, simplex aut duplex, curatum, vel non curatum, digniores sub mortali sint promovendi, prætermissis minus dignis?*

*Resp. affirm.* Et prob. quoad Beneficia curata.

1. Ex Concil. Trident. (*Sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.*) hortante omnes Collatores, Patronos, Electores, *ut in primis meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.*

Nec refert quod Conc. ibi loquatur tantum de Episcopatibus; idem quippe statuit cap. 18. de Parochiis, præcipiens ut Parochiæ dentur dignioribus, & dicit Patronum teneri digniorem ad eas præsentare.

Nec Comparativum *digniores* quo utitur Trid. *pro positivo* sumitur, cum hæc insulsa interpretatio rejecta sit ab Innoc. XI. (*in damnat. prop.* 47.)

*Prob.* 2. In re gravi fidem debitam violare & accipere personas (*Jacobi* 2. *V.* 9.) est peccatum mortale: atqui qui eligunt minus dignos, relictis dignioribus, fidem quam Ecclesiæ debent, violant; & accipiunt personas in re gravi: ergo.

*Prob. quoad Beneficia non curata.*

1. Ex sancto Thoma & sancto Antonino, a quorum doctrina recedere in moralibus omnino periculosum est.

Sanctus Thomas de omnibus Beneficiis sermonem faciens, ait: *Quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* (2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3.)

Divus Antoninus disserens de puero cui simplex Beneficium fuit collatum, ait: *Iure divino illicitum est dare talia Beneficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur, quia contra justitiam distributivam est, si detur minus digno . . . unde contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri est grave peccatum.* (*Div. Antonin.* 3. *p. tit.* 15. *cap.* 1. §. 3.)

*Prob.* 2. *ratione:* Tum quia agere contra mentem Fundatorum est peccatum mortale; atqui qui eligit minus dignum relicto digniore, agit contra mentem Fundatorum, cum eorum intentio sit ut Beneficia dignioribus conferantur; ergo. Tum quia committitur acceptio personarum in Beneficiis, si non dentur dignioribus, ut supra dictum est.

Quæres 4. *Utrum prætermissis dignioribus liceat interdum conferre Beneficium simplex dignis?*

*Resp.* In quibusdam eventibus licitum esse, juxta mentem interpretativam Fundatorum.

1. Cum id postulat charitas, ut si Clericus non possit inopia levari, nisi per Beneficium simplex.

2. Cum id postulat majus bonum Ecclesiæ, v. g. ut digniores reserventur pro Beneficiis curatis; velut Pastor minus idoneus a cura animarum amoveatur.

3. Cum Patronus præsentat dignum, huic debet conferri, etsi sint alii magis idonei. (*Causa* 16. *quæst.* 7. *cap. Monasterium*).

## ARTICULUS IV.

### *De Bonorum Ecclesiasticorum usu & dominio.*

*Nota.* Beneficiarios sæculares tria genera bonorum habere posse, nimirum *patrimonialia, quasi patrimonialia,* & *mere ecclesiastica.*

*Patrimonialia:* Sunt ea quæ Clericis obveniunt ex donatione, patris successione, propria industria, vel quovis alio titulo civili.

*Quasi patrimonialia:* Sunt ea quæ Clericis obveniunt, non tamquam fructus Beneficiorum, sed ut stipendia quædam pro functionibus ecclesiasticis, v. g. pro cantu, & celebratione Missarum, &c.

*Mere ecclesiastica:* Sunt ea quæ Clericis obveniunt ex puro titulo Beneficii.

*Certum est* 1. Ecclesiasticos posse pro libitu disponere de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus; cum *patrimonialia* Ecclesiam non respiciant: *quasi patrimonialia* autem sint stipendia pro labore, ac proinde eorum habeant plenum ac perfectum dominium non secus ac sæculares.

*Certum est* 2. Beneficiarios ex patrimonio divites, de Beneficiorum suorum fructibus licite vivere posse, quod probatur auctoritate & ratione Apostoli dicentis. (1. *Cor.* 9. *vers.* 7.) *Quis militat suis stipendiis unquam? . . . quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? . . . nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

*Certum est* 3. Ex unanimi consensu Patrum, ac Theologorum tum veterum, tum recentiorum, fructus Beneficiorum post honestam sustentationem superfluos, in pios usus expendendos esse, gravissimeque peccare eos qui bona ecclesiastica in usus profanos dilapidant, aut parentibus suis & amicis affectu carnali distribuunt. Sed quænam sit tam stricta obligatio, *an charitatis?* an etiam *justitiæ?* ita ut Beneficiarii bonorum ecclesiasticorum non sint domini, sed simpliciter œconomi & administratores, controversia est inter recentiores Theologos, quæ ut solvatur:

*Dico cum venerabili antiquitate, Beneficiarii non sunt domini suorum Beneficiorum redituum, sed simplices Administratores, tenenturque ad restitutionem si eos ad usus superfluos, et profanos impenderint.*

*Nota.* Hanc prop. quam fuse probant Theologi, breviori calamo expendemus, cum *parum referat,* ut

ut ait Bellarminus (*admonitione ad nepotem controvers. vit.*), *utrum* Beneficiarii qui in usus profanos consumunt fructus Beneficiorum suorum, *damnentur ad inferos quia peccaverunt contra justitiam, an quia contra charitatem*; constat enim, ait Habert (*de jure & justit. part.* 1. *c.* 21.): Eos in Deum esse sacrileges, obnoxiosque damnationis æternæ, nisi pœnitentiam egerint, & Deo satisfecerint; *quam vero satisfactionem exhibere possunt? nisi tantundem ex patrimonialibus in pios usus impendant, quantum ex Ecclesiasticis in profanos abusi sunt.* Itaque

*Prob. unico syllogismo.* Illa doctrina verissima, & admodum certa censeri debet, quam tradunt Canones Ecclesiæ & sancti Patres, quamque docent communiter Theologi: atqui doctrinam hanc tradunt Canones Ecclesiæ & sancti Patres, eamque docent communiter Theologi, exceptis quibusdam inter recentiores; ergo.

*Prob.* 1. *pars min.* 1. Ex Alexandro III. definiente (*Cap. Fraternitatem de donationibus.*), *Episcopus & quilibet Prælatus rerum ecclesiasticarum procurator est, non dominus.*

2. Ex Conc. Aquens. (*ann.* 1585. *tit. de Monast.*) *Commendatarii non existiment sibi mandatum Monasterii regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem.* (*Similia habent Conc. Nicæn. II. Can.* 12. *Rhedon. ann.* 1273. *Can.* 1. *Rothomag. Burdig. Concil. generale* 8. *c.* 15. *&c.*)

*Prob.* 2. *pars min. ex Patribus.*

1. Ex D. Bernardo (*epist.* 50. *ad Bonifacium*) dicente: *Si privatim quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

2. Ex D. Thoma, quem ad se trahere nituntur adversarii (*quodl.* 6. *art.* 12. *in corp.*): *Bonorum vero ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores.*

3. Sanctus Raymundus dicit (*l.* 2. *tit.* 5. *de rapt. & præd.* §. 6): *Tales Clericos qui consanguineis conferunt bona ecclesiastica pauperibus debita, esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium* (*Similiter loquuntur omnes alii Patres*).

*Prob.* 3. *pars min. de Theologis*: Ex testimonio Joannis majoris (*in* 4. *dist.* 22. *q.* 6.), qui asserit nullam se scire qui ante ipsius ætatem contrarium docuerit.

Adversarii duo respondent. 1. Sacros Canones & Patres locutos fuisse de bonis Ecclesiæ immobilibus: 2. Cum loquuntur de bonis Ecclesiæ mobilibus, intelligendos esse de bonis ecclesiasticis ante erectionem Beneficiorum quæ accidit octavo vel nono sæculo; tunc enim, ajunt, erat obligatio justitiæ impendendi superflua in usus pios; sed postea Ecclesia instituendo Beneficia dominium bonorum ecclesiasticorum absolutum & liberum transtulit in beneficiarios, cum sola obligatione charitatis, vel religionis impendenda superflua in usus pios.

*Resp. ad* 1. *neg.* Nam aperte loquuntur de bonis quæ ad sustentandos Ministros Ecclesiæ, & alendos pauperes impendi debent; constat autem nunquam Ministris licuisse bona immobilia consumere in suos, vel pauperum usus.

*Resp. ad secundum* 1. Non constat hanc divisionem, etsi fuerit præcepta, factam fuisse; imo hoc suadet non esse factam, quod nihil pauperibus concessum videamus: quod si hospitalia alicubi erecta fuerint, non ex reditibus ecclesiasticis fuerunt dotata, sed ex liberalitate fidelium, ut patet ex eorum fundatione.

*Resp. ad secundum.* Et si facta fuerit ista divisio, bona Ecclesiæ non amiserunt per illam, naturam boni ecclesiastici; ergo semper remanet obligatio justitiæ partem superfluam impendendi in pios usus.

*Objicies* 1. Conc. Trid. (*Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.*) statuit Beneficiarios munus suum non implentes, *fructus suos* non facere; ergo dum ipsum rite obeunt, *fructus suos* faciunt, & horum acquirunt dominium.

*Resp. dist. conseq.* Acquirunt dominium absolutum & liberum, *nego conseq.* dominium restrictum & gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus, *conc. conseq.*

*Itaque* Beneficiarii possunt dici habere dominium fructuum Beneficii, sed gravatum onere justitiæ supradicto; sicut hæres habet dominium hæreditatis, sed vinculatum onere solvendi debita defuncti.

*Inst.* 1. Clerici habent dominium absolutum partis Bonorum, quæ necessaria est ad suam sustentationem, ergo & Bonorum superfluorum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Bona ad congruam Clerici sustentationem necessaria, ei data sint absolute, cum solo onere recte fungendi Officio spirituali, quo si non fungantur, nec illam partem facit suam; ut bona superflua data sunt non absolute, sed cum onere justitiæ, & pacto saltem implicito, ut ea in pios usus impenderentur.

*Inst.* 2. Ecclesiastici de bonis suis omnibus testantur non contradicente Ecclesia, & dum ab intestato moriuntur, parentes eorum in omnibus eorum bonis etiam ab Ecclesia perceptis, legitime succedunt; ergo sunt veri domini istorum bonorum.

*Resp. nego conseq.* Ecclesia enim non permittit hunc abusum, cum illum damnet, *cap. relatum de testamentis*; sed illud tolerat ad vitandas perturbationes & multas lites quæ ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis, necessario orirentur.

*Resolves* 1. Ex dictis, Laicos qui sive *ex testamento*, sive *ab intestato*, succedunt bonis provenientibus ex Beneficiis, vel qui alias dono acceperunt, nisi sint pauperes, teneri in conscientia ad illa restituenda pauperibus vel aliis piis causis, nam *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* (*Reg.* 79. *juris in* 6.)

*Resolves* 2. Qui alea lucrati sunt aliquid notabile ex bonis illis superfluis, tenentur *rem per ludum male partam restituere*, statuit Conc. Tolet[illegible] (*ann.* 1565.)

Quæres: *Quid intelligitur per congruam sustentationem?*

*Resp.* Per congruam sustentiationem intelligitur, quidquid necessarium est ad victum, vestitum, & famulatum beneficiarii; ad hospitalitatem exercendam; ad remunerandam fidelitatem suorum domesticorum; ad fovendam per modesta convivia, & munuscula, amicitiam amicorum, vicinorum & benefactorum; quæ omnia æstimari debent judicio prudenti, secundum cujusque statum, officium, dignitatem, & qualitatem Beneficii.

## ARTICULUS V.

*De beneficiorum pluralitate.*

*Nota.* Beneficia alia dicuntur *compatibilia*, alia *incompatibilia.*

Beneficia *compatibilia* sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem Officium eodem tempore persolvendum.

Incompatibilia sunt duplicis generis.

Incompatibilia *primi generis* sunt ea *quorum unum ipso facto, absque ulteriori sententia excludit alterum*; ut sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus, duo officia (*Extrav. execrabilis de præbendis*) item præbendæ uniformes sub eodem tecto; v. g. duo Canonicatus, duæ Capellaniæ concurrentes ad eandem functionem in eadem Ecclesia. (*Cap. Litteras de concessione præbend.*)

Incompatibilia *secundi generis* sunt ea *quæ simul retineri non possunt absque dispensatione: non tamen ita pugnant, ut primum vacet ipso facto, obtento secundo.* Ejusmodi sunt duo Beneficia absque animarum cura, postulantia residentiam, v. g. duo Canonicatus in diversis Ecclesiis.

*Dico: seclusa justa causa, omnino illicitum & juri naturali morali contrarium est, plura simul possidere beneficia etiam compatibilia & simplicia.*

*Nota*: Hæc propositio hominibus qui, ut ait Trid. *improbæ cupiditatis affectu, plura simul beneficia obtinere non erubescunt*, tam nauseosa, infinitis propemodum Conciliorum decretis & Pontificum ac Patrum oraculis est definita, quæ referre sigillatim cum non ferat brevitas proposita, hic eorum rationes unico argumento perstringemus; itaque

*Prob. prop.* Juri ac æquitati naturali repugnat 1. Quod Ecclesiasticus Ordo pervertatur; 2. Quod minuatur cultus divinus; 3. Quod animæ certo periculo exponantur: 4. Quod justitia distributiva lædatur; 5. Quod fraudetur voluntas fundatorum; 6. Quod defuncti injuste precibus atque suffragiis sibi debitis, priventur &c.

Atqui per pluralitatem Beneficiorum; 1. *Ecclesiasticus Ordo pervertitur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum*; (*Concil. Trid. sess.* 24. c. 17.) 2. *Minuitur cultus divinus* (*Extrav. execrabilis de præbend.*) Deus enim magis per plures ministros, quam per unum colitur; 3. *Animæ certo periculo exponuntur* (*Conc. Later.* 3. *c.* 24.) cum inde profluant scandalorum occasiones & suppeditetur avaritiæ, luxus, & ambitionis materiæ; 4. *Justitia distributiva læditur* (*Extrav. execrab. de præbend. & D. Thom. quodl.* 5. *art.* 15.) dum multi digni esuriunt, alii vero ebrii sunt; 5. *Fraudatur pia voluntas Fundatorum* (*D. Thom. cit.*) quorum intentio fuit sua fundatione promovere cultum Dei, qui pluralitate Beneficiorum minuitur; 6. Defuncti injuste suffragiis sibi debitis privantur, dum unus pluribus obligationibus, nequit illis animabus satisfacere. Ergo &c.

*Dixi* in prop. *seclusa justa causa*; nam, ut ait Toletus (*instruct. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 8.) *plura Beneficia habere est de eorum numero quæ mala sunt, tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur*; ut occisio quæ adveniente Lege justitiæ redditur licita & honesta.

Quæres 1. *Quænam sit justa causa possidendi, aut conferendi plura Beneficia, sine Pontificis dispensatione?*

*Resp.* Unicam assignat Concil. Trid. (*sess.* 24. *cap.* 17.) tenuitatem nimirum Beneficii; conceditque, ut si Beneficium *ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat aliud simplex sufficiens, dummodo utramque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

Quæres 2. *An per dispensationem Pontificis licitum sit habere plura Beneficia requirentia residentiam?*

*Resp.* Id licitum esse, si adsit justa causa dispensandi.

Dixi, si *adsit juxta causa*; sine qua non est tutus in conscientia, qui per dispensationem Pontificiam obtinuit plura beneficia; sed uno retento tenetur cætera resignare; ratio Cajetani (*in summa v. Beneficium*) est, quia est contra jus naturale divinum ut unus habeat plura Beneficia: atqui Pontifex non potest dispensare in iis quæ sunt juris divini naturalis, nisi interveniat justa causa quæ turpitudinem tollat; ergo.

Quæres 3. *Quænam sunt justæ causæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum?*

*Resp. sunt tres.* 1. Est tenuitas Beneficii, ut supra dictum est.

2. Est necessitas Ecclesiæ, v. g. si desint alii, vel idonei, *quod hodie moraliter est impossibile*, ait Paulus a Lugduno. (*de Benef. art.* 5.)

3. Est Ecclesiæ utilitas; sic filiis Principum & eximie doctis, dantur interdum Episcopatus, ut Ecclesiæ adversus Hæreticos defendantur; ut posse fieri definit Conc. Later. IV. (*Relat. c. de multa de Præb.*)

Verum, ait Dominicus Soto (*de jure & just. l.* 3. *q.* 4.) *ratio illa dispensandi solum habebat locum, quando Ecclesia vagiebat in cunis, & potentia sæculari opprimebatur: jam vero hoc ætatis, si fas est dicere verum, nescio an eadem dispensationis causa, tam legitima existat.*

Attendant ergo qui coacervatis pinguescunt beneficiis, ista D. Bernardi verba: *qui non unus est, sed plures in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.*

## ARTICULUS VI.

*De Beneficiorum residentia.*

Quæres 1. *Quid sit residentia?*

*Resp.* Est in loco Beneficii commoratio, personalisque muniorum Ecclesiasticorum functio.

*Prob.* Ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de refor. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus*

*bus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur ut divinorum præceptorum memores factique gregis forma in judicio & veritate pascant & regant .... declarat omnes .... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis infrascriptis &c.*

Ex hoc decreto patet ipso jure divino naturali Beneficiatos curatos non solum ad residentiam teneri, sed & per seipsos personaliter munia sua explere; cum residentia ipsis non præcipiatur, nisi propter officium ab ipsis personaliter debitum, juxta illud effatum: *propter quod unumquodque tale & illum magis tale.*

*Dico* 2. *Canonici, aliique Clerici præbendas, vel dignitates in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis possidentes, similiter tenentur ad residentiam.*

*Prob.* Ex eodem Trident. sess. 24. cap. 12. & iisdem rationibus; cum cæteris paribus eadem sit erga ipsos & æque gravis obligatio.

Quæres 2. *Quibus pœnis afficiantur Beneficiarii non residentes?*

*Resp.* Privantur *ipso facto* Beneficiorum suorum fructibus *pro rata temporis absentiæ*, eosque restituere tenentur *fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus, alia etiam declaratione* judicis *non secuta.* (*Con. Trid. sess.* 23. *de ref. c.* 1.) Deinde ad residentiam possunt cogi *per censuras Ecclesiasticas, & substractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad* (Beneficiorum suorum) *privationem.* (*ibidem.*)

Quæres 3. *Quænam sint justæ causæ a residentia excusantes?*

*Resp.* Quatuor assignat Conc. Trid. ibidem, modo *ita provideant ovibus, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant.*

1. Est *Christiana charitas*; ut si aliqua Ecclesia in hæresis periculo versaretur, & Episcopi, aut Parochi, aut Canonici prædicatione juvari posset.

2. Est *urgens necessitas*: cum nempe Beneficiarius residendo incurreret *periculum vitæ, vel propter morbum* sibi particularem (non communem, ut pestis); *vel propter persecutionem*, sibi personaliter factam; *vel propter aeris intemperiem.* (*Barbosa in Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de ref. n.* 8.)

3. *Debita obedientia:* Si nempe Beneficiarii ad aliquod aliud ecclesiasticum negotium applicentur a Superioribus suis.

4. Est *evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*: sic excusantur 1. Qui in Officiis publicis a Rege destinantur; 2. Qui deputantur ad docendam Theologiam, si nullus reperiatur idoneus; 3. Canonici studio Theologiæ ad quinquennium addicti &c. (*Honorius III. in c. super, specul. de magist.*)

Nota 2. *Extra has causas* Episcopi possunt quotannis sive continue, sive interrupte a suis Ecclesiis *ex justa causa* ad summum tribus mensibus abesse. (*Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de ref.*)

2. Canonici possunt duobus vel tribus mensibus sive continuate sive interrupte abesse: *Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* (*Trid. sess.* 24. *c.* 12.)

3. Extra quatuor causas supra enumeratas nullum tempus absentiæ a Conc. Trid. Parochis conceditur; quod si habeat justam discedendi causam, debet esse *ab Episcopo cognita & probata, qui discedendi licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa*, concedere non debet; quod si licentia discedendi concedatur, debent *Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione* relinquere. (*Trid. sess.* 23.)

## ARTICULUS VII.

### *De Simonia.*

Tria de Simonia occurrunt perpendenda sequentibus sectionibus. 1. Natura, malitia, & divisio. 2. Modi, quibus committi potest. 3. Pœnæ, quibus afficiatur.

### SECTIO I.

*De natura, malitia, & divisione Simoniæ.*

Quæres 1. *Quid sit Simonia?*

*Resp.* Est *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* (*D. Th.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1.)

Dicitur 2. *Studiosa:* id est deliberata, ut excludantur motus voluntatis non plene deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata.

Dicitur 2. *Voluntas:* ut includatur Simonia mentalis.

Dicitur 3. *Emendi vel vendendi*: sub quibus terminis comprehenduntur omnes contractus onerosi, sive temporale detur ut pretium rei spiritualis, sive ut *motivum* ad acquirendum spirituale, sive tamquam rei spiritualis *gratuita compensatio*, prout definivit facultas Lovaniensis. (*Facul. Lovan. ann.* 1657.), & post ipsam Innocentius XI. (*Inn. XI. in damn. prop.* 45. & 46.)

Dicitur 4. *Aliquid spirituale*: id est res, vel actio sacra ad salutem animæ, specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritus sancti, oratio, Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum: item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus, ut omnis actus ordinis & jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Dicitur 5. *Spirituali annexum*: id est, quod licet de se temporale sit, atque naturale, aliquam tamen spiritualitatem, & supernaturalitatem induit, propter connexionem quam habet cum rebus spiritualibus & supernaturalibus, quæ connexio potest fieri tripliciter.

1. *Antecedenter:* Præcedendo spirituale tamquam quid ordinatum ad illud; tale est jus Patronatus quod præcedit præsentationem ad Beneficium, talia

lia sunt vasa, vestimentaque sacra; altaria, quæ referuntur ad sacrificium Missæ.

2. *Concomitanter*: Cum rei spirituali necessario est annexum & veluti intrinsecum, ut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum, celebratione Missæ, &c.

3. *Consequenter*: Cum rem sacram a qua dependet, subsequitur, ut jus percipiendi Beneficiorum proventus, quod supponit Officium spirituale, propter quod confertur.

*Dices*. Manca est ista definitio, deest enim hæc particula *pro re temporali*; ergo.

*Resp. nego ant.* Illæ enim voces de industria omissæ sunt ut nostra definitio conveniret omni Simoniæ, etiam illi quæ repetitur in permutationibus factis sine auctoritate Superioris, in qua non reperitur temporale pretium.

Quæres 3. *Quotuplex est Simoniæ pretium?*

*Resp. Triplex*, scilicet munus a manu, a lingua, ab obsequio.

*Munus a manu*, est pecunia, vel aliud pecunia æstimabile, v. gr. remissio debiti, solutionis dilatio, mutui traditio, pensionis solutio, &c.

*Munus a lingua*, est favor, patrocinium, intercessio, laus, commendatio apud alium, &c.

*Munus ab obsequio*, est quodvis obsequium alteri præstitum, vel præstandum ad rem spiritualem ab ipso comparandam.

Quæres 2. *Quale sit peccatum Simoniæ?*

*Respond.* Est gravissimum peccatum contra religionem & justitiam, nec potest fieri veniale ex levitate materiæ.

Dixi 1. *Contra Religionem*: quia est species quædam sacrilegii, quatenus per ipsam res sacra turpiter & indigne tractatur, cum terrestri & profanæ adæquetur.

Dixi 2. *Contra justitiam*: quia per Simoniam aliquis usurpat dominium rerum quod non habet, unde omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem.

Dixi 3. *Nec potest fieri veniale ex levitate materiæ*; tum rei spiritualis, cum nulla sit vel minima, quæ pretio æstimari possit, absque gravi tum ipsiusmet doni, tum Donatoris, nempe Dei irreverentia & contemptu. Tum rei temporalis pro spirituali datæ, nam quo vilior est res illa temporalis, eo majus est rei spiritualis vilipendium.

Quæres 4. *Quotuplex sit Simonia?*

*Respond. Simonia dividitur* 1. in eam quæ est juris divini, et in eam quæ est juris humani ecclesiastici.

Simonia juris divini, est *rei temporalis commutatio pro re spirituali qua talis*; unde est prohibita quia est intrinsece mala.

Simonia juris humani, *est pactio quælibet aut conventio, quæ ab Ecclesia sub pœnis simoniæ inhibetur quatenus labem redolens simoniacam.* Lex enim facit ut obiectum suum sit materia virtutis illius, ex cujus motivo fertur: sic Communio a non jejunio est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante Communionem.

*Dividitur* 2. In realem, mentalem, & conventionalem.

Simonia *realis*, *est Pactio simoniaca, ex utraque parte completa saltem incohate.*

Dicitur 1. *Pactio*; scilicet expressa vel implicita.

Dicitur 2. *Saltem incohate*: quia ad Simoniam realem sufficit solutio partis pretii, aut traditio instrumenti pro debito, cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia *mentalis*, est *datio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis, pro spirituali, nullo pacto etiam tacito interveniente*: ut si quis serviat Episcopo ea intentione ut pro temporali obsequio ei procuret Beneficium, nulla tamen verbis, vel nutibus facta conventione. Hæc est vera Simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum Simonia reali (*Cap. 34. de Simon.*); vocaturque *peccatum Simoniæ mentalis*, ut distinguatur ab interna voluntate committendæ Simoniæ absque externa executione, quæ vocatur *peccatum mentale Simoniæ.*

Simonia *conventionalis*, est *pactio exterius ex una vel utraque parte facta, dandi vel accipiendi rem temporalem pro spirituali*; & est triplex, scilicet pure conventionalis, mixta, & confidentiæ.

Conventionalis pure, est *ea in qua neutra parte pactum executioni est mandatum.*

Conventionalis mixta, est *ea in qua pactum ex una parte executioni est mandatum.* Est mixta conventionali & reali.

Conventionalis confidentiæ, est *ea qua quis alteri confert, aut procurat Beneficium, cum pacto expresso tacito, ut is cui procuratur, illud aliquando sibi, vel alteri resignet, vel pensionem absque Superioris auctoritate ex eo solvat.*

Unde est species Simoniæ conventionalis mixtæ cum ex una parte sit completa.

Quæres 5. *Quot modis committitur confidentia?*

*Resp.* Committitur quatuor modis.

1. Per *accessum*, ut cum Prælatus volens alicui per ætatem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri, eo pacto ut quamprimum incapax factus fuerit capax, illud accipiat.

2. *Per ingressum*, ut cum quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat, eo pacto ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel Beneficium dimittat.

3. *Per regressum*, ut cum quis Beneficium a se possessum, alteri resignat, eo pacto ut iste sibi, vel alteri, idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4. *Per stipulationem Pensionis*, sibi vel alteri ex fructibus Beneficii dandæ.

Porro ad hanc Simoniam requiritur ut accessus, ingressus, regressus sint in idem Beneficium; alias non erit Simonia confidentialis, sed conventionalis mixta, vel realis si utrinque sit completa.

Quæres 6. *In quibus Contractibus committatur Simonia juris humani?*

*Resp. Committitur* 1. Datione etiam spontanea, & acceptione munerum ex occasione examinis ad Beneficia. (*Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reform.*) Item ex occasione collationis Ordinum, Tonsuræ, Litterarum dimmissoriarum, vel testimonialium. (*Trident. sess. 21. cap. 1. de reform.*)

Dixi *ex occasione*: Nam si darentur pro collatione Ordinum, pro Litteris dimissoriis, &c. esset Simonia Juris divini, cum isti actus sint spirituales, ut pote procedentes a potestate spirituali Ordinis, aut Juridisctionis.

Com-

*Committitur* 2. In venditione Officiorum quorumdam temporalium, quæ regimen Ecclesiæ temporale spectant, ut sunt Officia Œconomi, Sacristæ, Advocati, Defensoris Ecclesiæ, &c. (*Cap. si quis Episcop.* 1. *quæst.* 1. & *cap. salv. cap.* 1. *quæst.* 3.) in his enim Officiis est quædam dignitas propter quamdam conjunctionem quam habent cum supellectili sacra, rebus & Ministris Ecclesiæ.

*Committitur* 3. venditione Chrismatis etiam secundum materiam. (*Cap. si quis Episc.* 1. *quæst.*) Idem venditione Ecclesiæ, (*Cap.* 15. *de Simon.*) vel Cœmeteri. (*Cap.* 13. *de Sepulturis.*)

*Committitur* 4. In permutatione Beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo interveniente pretio: *item* in Resignatione in favorem sine auctoritate Papæ. *Item* in resignationibus confidentiariis. (*Cap. quæsitum*, & *permut. Cap. ult. de pactis.*)

## SECTIO II.

*De modis, quibus Simonia committi potest.*

*Nota.* Innumeris modis committi potest Simonia, quos claritatis causa, sub diversis paragraphis exponemus.

### §. I. *De Simonia in vendendis temporalibus spirituali annexis.*

1. Est Simonia carius vendere rem temporalem annexam antecedenter spirituali, propter spiritualitatem cui annexa est.

*Dixi* carius, quia licite emi & vendi potest nisi prohibeatur, quia res illa retinet suum valorem intrinsecum, nec ita dependet a re spirituali, ut ea vendita, hæc censeatur vendi.

Hinc vendi possunt, fundus cui annexum est jus Patronatus, vasa sacra, ornamenta sacra, &c.

2. Est Simonia vendere rem *concomitanter* annexam spirituali; ut labor necessarius ad exercendam sacram functionem, verb. grat. Missam celebrandam. *Ratio* est quia hæc actio ita intrinseca est actioni spirituali, ut vendi non possit, quin actio spiritualis vendatur.

3. Est Simonia vendere rem consequenter annexam spirituali; ut jus percipiendi ecclesiasticos reditus. *Ratio* est, quia hæc res non potest acquiri nisi ratione Officii spiritualis; ergo nec vendi, nisi vendatur spirituale ei præsuppositum.

### §. II. *De Simonia circa Missarum celebrationem, Sacramentorum administrationem.*

1. Mortalis est Simonia & moralis, Missam celebrare, Horis canonicis interesse, Sacramenta administrare, &c. *principaliter* mercedis temporalis intuitu.

Dixi *Principaliter*, ita ut quis nec Missam celebraret, nec Sacramenta administraret, nisi hanc mercedem temporalem speraret: quia hoc est sanctitatem pretio æstimare.

2. Non est Simonia ex functionibus ecclesiasticis temporalia suscipere, imo & exigere per modum iusti stipendii ad sustentationem, *secundum* [illegible], ut

ait D. Thom. (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *corp.*) *modo tamen*, ut addit D. Doct. (*D. Thom. art.* 3. *in corp.*), *ab invitis non exigatur per spiritualium abstractionem; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem.*

Ratio resolutionis est, quia *dignus est operarius cibo suo.* (*Matth.* 10.) Unde Conc. Constantiense damnavit hunc Vicleñ articulum: *Omnes sunt simoniaci qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

3. Nec est Simonia, in urgente necessitate, Ministro nolenti Sacramenta conferre, aliquid retribuere, non tamquam rei sacræ pretium, sed ad injustam vexationem redimendam, id est, ut ait Lessius (*l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 7. *num.* 45.) *ad alliciendum animum ut pravam voluntatem non dandi deponat & in bonum commutet, quod sane licitum est.*

4. Non est Simonia aliquid accipere pro docenda Theologia, quia licet versetur circa objectum supernaturale, tamen actio eam docendi per se primo non ordinatur ad animæ salutem, neque immediate dirigitur ad movendam voluntatem, sed exercitandum intellectum audientis .... Aliud est de catechesi vel concione, pro qua præcise aliquid accipere est simoniacum, cum pro fine habeant instructionem ad salutem animæ immediate ordinatam.

5. Simonia est, juri divino opposita dare vel exigere quidpiam in pretium dispensationis voti, juramenti, matrimonii &c. quia dispensare est usus potestatis spiritualis .... potest tamen Prælatus, his cum quibus dispensat, imponere per modum mulctæ, onus eleemosynam erogandi pauperibus, vel Ecclesiæ; modo ex hac mulcta nullum emolumentum ipsemet suscipiat: hoc enim prohibetur a Concilio Tridentino. (*sess.* 25. *c.* 18. *de reform.*)

### §. III. *De Simonia circa Religionis ingressum.*

1. Dare vel accipere aliquid pro ipso ingressu Religionis, vel professione tamquam pretium aut motivum ingrediendi, vel profitendi, est Simonia, quia Religio est status spiritualis perfectionis, cum per eum homo se Deo totaliter devoveat. (2. 1. *q.* 100. *art.* 3. *ad.*)

2. Si tamen Monasterium sit egenum, nec absque gravamine novos candidatos suscipere possit, licitum est pro eorum victu, et sustentatione, necessaria pacisci & accipere; modo candidati vere gratuito ad Religionem admittantur, nec eorum pecunia principaliter intendatur; ratio est quia temporale, nempe dos, non datur pro spirituali, sed pro temporali, nempe pro sustentatione quam Communitas egena non debet.

3. Etiamsi dives sit Monasterium, potest, juxta Trident. (*sess.* 25. *cap.* 16. *de regular.*) aliquid recipere pro victu & vestitu Novitii durante noviciatu. ratio est quia Novitii non habent jus ut alantur ex communibus Monasterii bonis, nisi fiant Communitatis membra; porro non fiunt membra Communitatis, nisi cum eidem se per professionem solemnem alligant.

§. IV.

§ IV. *De Simonia circa varios modos ambiendi, et conferendi Beneficia.*

1. Est Simonia dare vel promittere alteri aliquod munus sive a lingua, sive ab obsequio *ea principali intentione*, ut ab eo Beneficium obtineat, vel ut ille alter curet ut sibi vel alteri detur Beneficium. (*Cap.* 1. *can.* 1. *quæst.* 3.) Ratio est quia munere temporali intenditur obtentio Beneficii, eoque medio comparatur.

Dixi *principali intentione:* quia si principaliter intendat omnia munia sua ad gloriam Dei obire, a Simonia excusatur, licet secundaria intentione de obtinendo Beneficio cogitaret.

2. Collator aut Patronus qui Beneficium confert aut procurat Clerico propter obsequia sibi personaliter exhibita, maxime in rebus suis domesticis, Simoniam committit, juxta definitionem Alex. III. (*Cap. cum essent*, *de Simonia.*)

3. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus, &c. ad obtinendum Beneficium. (*Cap. ex multis* 1. *q.* 3.)

4. Qui ad preces amici Clerico Beneficium confert, si per hoc intendat oratorem sibi obligare, committit Simoniam muneris a lingua. (*D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3.) Si tamen Clericus est dignus, excusatur a Simonia, *quia subest justa causa*, ut addit D. Thomas.

5. Vera non est Simonia, sed *illicita & carnalis collatio*, ait D. Thomas (*ibidem*) gratis conferre Beneficium amico vel consanguineo principaliter propter amicitiam qua eum prosequitur. At Simonia est, si conferas aut procures Beneficium principaliter cujuslibet temporalis emolumenti intuitu, v. g. *ut inde honoratior vel opulentior fiat tua familia*; &c. (*D. Thomas in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 7.)

§. V. *De Simonia circa resignationes et permutationes.*

*Nota.* Juxta definitionem Canonum (*Cap.* 34. *de Simon. et cap.* 5. *de rer. permut.*) & Concilii Rothomagensis, *c. de Episcopis et Conf. nu.* 20. *omnes pactiones super Beneficiis in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio*, *illicitæ sunt atque Simoniacæ*

Ratio Legis est, quia in pactione & commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum annectitur, periculum est ne id fiat intuitu rei temporalis; resignatio vero in favorem prohibita est ad tollendam omnem speciem hæreditatis in Beneficiis.

Ex hac Lege multa ad praxim necessaria deducuntur.

1. Simoniaca est omnis resignatio in favorem alterius, vel cum reservatione pensionis, facta sine auctoritate Papæ. (*Ex tit. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*)

2. Simoniaca est resignatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas a resignante ut Beneficium obtineret, vel ut Beneficii ædificia resarciret, aut augeret.

3. Simoniaca est permutatio, si permutantes compensent auctoritate propria inæqualitatem fructuum pecunia, vel pensione; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus quod sit præter naturam permutationis, v. g. omnes sumptus solvendi.

4. Nulla est nec canonica permutatio, nisi Beneficiorum ad quæ compermutantes vere, legitime & actualiter sunt promoti, *item* illicita est Beneficii actualiter possessi permutatio cum altero in futurum etiam certissime obtinendo, prout statuit Innocentius III. (*Cap. cum univers. de rer. permut.*)

5. Simoniaca est electio eorum qui inter se paciscuntur mutuo sibi conferre ad dignitates suffragia.

6. Simoniacum est & sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ prohibitum (*Extravag. detestabile*) suffragia in electionibus quovis commodo terreno emere; & qui sic fuit electus, dignitatem tenetur dimittere, cum electio ejus *ipso jure* nulla sit atque irrita.

§. VI. *De Simonia in transactionibus et compositionibus.*

1. Simoniaca & nulla est omnis transactio, vel cessio juris etiam dubii circa Beneficium non gratuita, propria auctoritate facta (*Cap.* 7. *de transact.*) etiamsi detur spirituale pro spirituali.

2. Simoniaca est transactio ad impediendam, vel dirimendam litem super Beneficio, hoc pacto ut unus litigantium cedat juri suo pro pecunia, & alteri Beneficium pacificum relinquat; vel hoc pacto ut unus desistat, modo alter solvat impensas factas (*Cap.* 4. *de pactis*) si fiat propria auctoritate.

Item hoc pacto, ut unus beneficium, alter pensionem super beneficio habeat, quia hujusmodi pensiones Ecclesia solum tolerat, quando constituuntur, *non ex pactione partium*, *sed ex jussione judicum*, *pro bono pacis et utilitatis* Ecclesiæ utique, non privatorum, illisque beneficium non oneratur, sed beneficiarii persona duntaxat, ita ut ipso defuncto ejus successor ad pensionis solutionem non teneatur, nec judices quicumque, sed arbitri duntaxat, in quos compromissum est, id decernere possunt: quod dum faciunt, Sedes Apostolica id non tam probat, quam tolerat, ait Innoc. III. cap. *nisi essent*, *de præbendis.*

*Dixi* in utroque casu: *si fiat auctoritate propria*: quia auctoritate Superioris factæ illæ compositiones & transactiones ob bonum temporalis pacis approbantur a jure. (*Cap.* 2. *de arbit.*)

3. Semper simoniacum est dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, sive ad obtinendum Beneficium, sive post obtentum Beneficium; quia tunc spirituale datur in compensationem mali temporalis vitandi; quæ compensatio ex se est pretio æstimabilis.

4. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum & possessum Beneficium; nam eo ipso quod justa est vexatio, sequitur quod jus in Beneficio non sit omnino firmum, vel auferri possit, v. g. propter crimen; unde tunc daretur pretium ad confirmationem, vel conservationem Beneficii quod est quid spirituale.

5. Simonia est, quodlibet munus offerre ad redimen-

dimandam vexationem injustam. 1. Qua quis impeditur ne ius acquirat ad Beneficium; 2. Qua quis jam habens jus inchoatum per præsentationem, impeditur ne jus plenum obtineat per collationem, confirmationem &c. (*Cap. 25. de Simon.*) *Ratio est* quia jus sive inchoatum per præsentationem, sive plenum per collationem aut confirmationem, est quid spirituale, quod pretio temporali acquirere velle simoniacum est.

6. Immunis est a Simonia, qui pretio temporali injustam vexationem redimit, qua impeditur a possessione pacifica Beneficii, ad quod jus plenum & perfectum habet; ut dennitur a jure. (*Cap. 28. de Simon.*) *Ratio est*, quia tunc non datur pretium pro re spirituali, cum hæc vere sit acquisita, sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale, & nihil acquiritur de novo; ita D. Thom. (2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5.) qui docet *quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, seu Canonicam institutionem, vel confirmationem, simoniacum esset, adversantium obstacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

7. Simoniam committit, qui ad injustam vexationem redimendam dat aliquid spirituale, vel quasi spirituale, v. g. beneficium, pensionem ecclesiasticam, vel officium ecclesiasticum: quia talis redemptio est temporalis pretioque æstimabilis: atqui Simoniacum est, dare spirituale pro temporali; ergo &c.

## SECTIO III.

### *De pœnis Simoniæ.*

*Nota* 1. Licet qualibet Simonia etiam mentalis, sit grave crimen, tamen nullæ pœnæ canonicæ incurruntur 1. Ob Simoniam pure mentalem, sed sufficit *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait Gregor. IX. (*cap.* 46. *de Simon.*) 2. Ob Simoniam pure conventionalem & conventionalem mixtam, excepta confidentiali, quia iura has pœnas statuentia *realem rei spiritualis receptionem requirunt.* (*Extravag.* 1. & 2. *de Simon.*)

Dixi, *Realem rei spiritualis receptionem*; quia multi asserunt pœnas Canonicas incurri ob Simoniam conventionalem mixtam dum res spiritualis est tradita, licet nondum sit solutum pretium promissum; ratio eorum est quia tunc Simonia videtur completa exterius, sicut Contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita & pretium promissum, etsi nondum solutum .... Alii tamen communius docent solam Simoniam realem in qua intervenit manus a manu, inducere pœnas juris: tum quia hæc est praxis Curiæ Romanæ, tum quia pœnæ juris impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu exterius ex omni parte consummato, nisi Lex aliud clare exprimat, cum ex reg. juris, *odia sint restringenda.* Huic sententiæ adhæreo.

Igitur duæ dumtaxat Simoniæ species pœnis Canonicis sunt obnoxiæ. 1. Est Simonia realis & hæc a manu. 2. Est confidentialis.

*Nota.* 2. Nullam pœnam a jure latam esse nisi pro Simonia commissa in ingressu Religionis, vel in Ordinatione, vel in Beneficio; nomine autem Beneficii comprehenduntur etiam Officia jurisdictionem spiritualem habentia; ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, &c. Colligitur *ex extrag. detestabile de Simon.* De his triplici paragrapho.

### §. I. *De pœnis Simoniæ in ingressu Religionis perpetratæ.*

Quæres. *Quot sunt pœnæ Simoniæ pro ingressu Religionis?*

*Resp. sunt tres.* 1. Est excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt omnes & singuli sive dantes, sive recipientes. (*Extrav. sane de Simon.*)

2. Suspensio ab Officiis Capitularibus Papæ reservata, lata in Conventum si consenserit. (*Ibidem.*)

3. Simoniacus scienter admissus, si per sententiam fuerit convictus, in arctius Monasterium debet detrudi, nec absque dispensatione Papæ in eodem Monasterio manere potest. (*Cap.* 25. *de Simon.*)

### §. II. *De pœnis Simoniæ in Ordinatione perpetratæ.*

Quæres. *Quot sunt pœnæ Simoniæ in Ordinatione commissæ?*

*Resp. Sunt tres.* 1. Est Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, tum Ordinans, tum ordinatus, tum Ordinationis Mediatores. (*Extravag. cum detestabile de Simon.*)

2. Sic Ordinatus ignoranter suspensus est ipso jure ab Ordine simoniace suscepto; scienter vero simoniace Ordinatus suspensus est ab omnibus simpliciter Ordinibus. (*Ibidem.*)

3. Simoniace Ordinans suspensus est per triennium a collatione omnium Ordinum. (*Cap.* 45. *de Simon.*) Et ubi recepta est Bulla Sixti V. *Sacrum* (*Non est recepta in Gallia*) suspensus est a collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium; & interdictus est ab ingressu Ecclesiæ.

### §. III. *De pœnis Simoniæ in Beneficiis commissæ.*

Quæres 1. *Quot sunt pœnæ Simoniæ in Beneficiis commissæ?*

*Resp. tres.* 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt qui Beneficium simoniace susceperunt, contulerunt, aut quovis modo procuraverunt (*Extravag. cum detestabile.*)

2. Irrita est ac nulla, simoniaca Electio, Præsentatio, Resignatio, Collatio, nullumque jus tribuit; ita ut simoniace provisus etiam occultus teneatur ante omnem sententiam Beneficium dimittere, & omnes fructus restituere Ecclesiæ ejusdem Beneficii, cum nullum jus in Beneficium acquirat. (*Ibidem.*)

3. Qui

3. Qui Simoniace electus vel provisus fuit, est ipso facto inhabilis ad idem Beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere. (*Cap.* 27. *Simon. et cap. penult. de elect.*)

Quær. 2. *Quot sunt pœnæ Simoniæ confidentialis?*

*Resp.* Hæ pœnæ ex Bulla 85. Pii IV. et Bulla 65. Pii V. sunt.

1. Excommunicatio Papæ reservata contra sutrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam Episcopi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiæ.

2. Privatio Beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam, cum ejus collatio nulla sit.

3. Inhabilitas ad idem Beneficium, & ad alia acquirenda.

4. Privatio Beneficiorum antea legitime possessorum, & pensionum prius obtentarum; non tamen ante sententiam Judicis declaratoriam, cum justo titulo possideantur; unde usu ita est recepta Bulla.

5. Beneficia per confidentiam collata et accepta, reservata sunt Papæ, nec possunt ab Ordinariis conferri.

6. In prædictis Bullis fructus Beneficiorum per confidentiam acquisitorum, & pensionum sic constitutarum reservantur Cameræ Apostolicæ; sed hæc reservatio in Gallia non observatur.

Quæres 3. *Utrum simoniace prometus pœnis Canonicis sit obnoxius, dum ipso ignorante, ab alio perpetrata est Simonia, v. g. a patre aut amico, qui per Simoniam ipsi procuravit Beneficium?*

*Resp.* Licet sic promotus non incurrerit pœnam excommunicationis, cum sit a culpa immunis; attamen invalida est ejus provisio, & ad Beneficium obtinendum fit inhabilis (*Cap.* 26. *de Simon.*).

*Hinc* tenetur ante omnem sententiam, Beneficium dimittere, & omnes fructus perceptos extantes restituere, non tamen eos quos bona fide consumpsit, cum eos bona fide possederit (*Ita D. Thom. quæst.* 100. *art.* 6. *ad* 5.). *Ratio* est, quia irritatio directe fertur a jure (*Cap.* 3. *de Simon.*) in omnem acquisitionem quæ fit per simoniacam labem, nec ad hanc requiritur culpa, vel scientia acquirentis aut conferentis.

*Excipiuntur* duo casus, in quibus a jure declaratur valida collatio, ignorante proviso, simoniace facta.

1. Est, si provisi inimicus, ipso ignorante pretium obtulerit, ut eum ad illud Beneficium obtinendum, inhabilem redderet. (*Cap.* 27. *de Simon.*)

2. Est, si provisus hanc resciens simoniam expresse contradixerit: modo postea non acceptaverit, vel pretium ab illo promissum non solverit. (*Cap.* 33. *de Simon.*)

*Porro*, Juxta plures ignoranti Simoniam, non favet regula Cancellariæ de triennali possessione ad præscriptionem, quia expresse exigit, ut possessio sit *absque simoniaco ingressu*: sed multi alii docent eum, qui mediante tertii Simonia, Beneficium accepit, posse illud retinere, si integro triennio hanc Simoniam ignoraverit: quia illa verba: *absque simoniaco ingressu*: videntur in rigore, requirere ut Simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium. (*Ita tenent Cabass. Lessius, Layman, Delugo, Gomez, Rebuff. Antoine, &c.*)

Quæres 4. *An pretium per Simoniam acceptum restitui debeat; & cui?*

*Resp. Quoad primum affirm.* Quia est injuste comparatum; *gratis accepistis, gratis date*: ergo nullo titulo retineri potest. *Nec dicas*, pretium pro re spirituali ut temporaliter fructifera acceptum, stante æqualitate inter pretium & valorem fructuum, non esse acceptum contra justitiam naturalem, sed solum contra religionem, et reverentiam rei sacræ; ergo jure naturali non est restituendum.

*Resp. nego ant.* Injustitia enim hic non petitur ex inæqualitate inter pretium, & valorem fructuum, sed ab venditione rei invendibilis; atqui fructus illi, seu jus ad illos est invendibile, sicut & ipse titulus spiritualis, sine quo non provenit, & sine quo proinde vendi, æstimarique non potest, uti declaratur can. *Si quis*, quæst. 3. *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt*, penitus decipere probatur. Nam, cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquid tale sine rebus corporalibus in nullo proficiat, nec anima sine corpore vivat, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Vide propositionem 22. damnatam ab Alexand. VII.

*Resp. ad* 2. Pretium acceptum per Simoniam in Beneficio, sive realem, sive conventionalem mixtam, restitui debet Ecclesiæ ejusdem Beneficii, prout definitur, *cap.* 11. *de Simonia.*

Acceptum vero pretium pro ingressu Religionis restitui debet ei qui illud dedit, ut definitur *c.* 19. *de Simonia.* Similiter dicendum de pretio accepto pro Ordinatione, cum nulla Lex in pœnam ei reddi vetet; jure autem naturali res reddi debet ei qui ejus habet dominium.

Quæres 5. *Quis a pœnis in Simoniam latis absolvere & dispensare potest?*

*Resp.* Nullus nisi solus Papa, ab inhabilitate ad Beneficium possidendum dispensare potest, sive conscio proviso, sive eo ignorante commissa sit Simonia (*Cap.* 27. *de Simonia, & cap. penultimo de electione*). Quod-si vero provisus *ignoranter recipit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleratur.* (*Eodem cap. penult. de elect.*)

*Resp.* 2. A suspensione, quam Clericus simoniace ordinatus incurrit, solus Papa dispensare potest, indulgetur tamen ut Episcopus possit dispensare cum eo qui inscius sic fuit ordinatus. (*Extravag. cum detestabile de Simon.*)

De excommunicatione supra dictum est, sicut de suspensione quæ incurritur pro Simonia in ingressu Religionis commissa.

## DISSERTATIO II.

### *De obligationibus Religiosorum.*

*Nota.* Cum omnis Religiosus suam Regulam, Constitutiones, Statuta, expositionemque Regulæ præ manibus habeat; hic solummodo perpendemus quæ communia sunt omnibus Religionibus sequentibus capitibus, quorum

1. Erit de natura et essentia Religiosi status.

2. De

2. De ingressu Religionis & Novitiatu.
3. De Professione religiosa.
4. De Professorum obligationibus.
5. De Religionis egressu.
6. De Prælaturis religiosis.
7. De variis quæstionibus Regularium.

## CAPUT PRIMUM.

### *De natura & essentia status Religiosi.*

Quæres 1. *Quid est status Religiosus?*

*Resp. Est stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem per tria vota paupertatis, obedientiæ, & castitatis.*

Dicitur 1. *Stabile institutum*: quia per vota homo se in perpetuum Dei obsequium tradit irrevocabiliter.

Dicitur 2. *Vitæ*, sive *contemplativæ*, nempe eorum qui sunt instituti ad opera vitæ solitariæ & contemplativæ, & vocantur Monachi: tales sunt Benedictini, Carthusiani, Bernardini, &c. *sive activæ*, eorum scilicet qui sunt instituti ad opera vitæ activæ, ut Ordines militares & Hospitalarii; *sive mixtæ*, eorum nempe qui instituti sunt ad vitam actione & contemplatione mixtam, ut sunt Mendicantes, Canonici Regulares, PP. Societatis. Inde colliges tria esse genera Religiosorum.

Dicitur 3. *Ab Ecclesia approbatum*: quia sine hac approbatione non potest esse status spiritualis supra communem statum Christianorum, sed omnes sunt mere Laici, & nisi sint Clerici, sunt omnes subjecti Potestati sæculari.

Dicitur 4. *Tendens ad perfectionem*; ad quam tendere tenentur Religiosi, non quidem per omnia superogationis opera, sed per ea solummodo quæ in sua Regula, Constitutionibus, Statuti & Observantiis regularibus, sunt præscripta; non enim tenentur vitam regularem agere nisi juxta suum institutum ab Ecclesia approbatum.

Hinc Religiosus qui suam Regulam, Constitutiones, & Statuta Ordinis contemnit, mortaliter peccat; quia ipsammet perfectionem contemnit, si media sine quibus comparari nequit, despiciat. (*Contemnere autem censetur qui ea observare minime est sollicitus, vel qui ea omittit ex intentione ordinationibus Superiorum se non subjiciendi.* Ait D. Thom. (*qu.* 186. *art.* 1. *ad* 2.)

Dicitur 5. *Per tria vota*; sive solemnia sint, sive simplicia in Societate Jesu emissa juxta jus novum Greg. XIII. statuentis in Bulla *Ascendente Domino*, vota illa simplicia, Religiosum constituere; ratio est quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis, ut fit in Societate Jesu.

Porro in tribus illis votis consistit essentia status religiosi: nam per illa homo se, suaque omnia Deo consecrat, voluntatem suam Superiori subjiciens propter Deum. Per votum castitatis Deo consecrat corpus, ut abstractus a carnalibus desideriis Deo melius servire possit. Per votum paupertatis Deo bona sua temporalia consecrat, iis se privans propter Deum, ut Deus sit ipsi omne bonum, nec aliud possideat, nisi ipsum, secundum [illegible] (Concilio Trident. sess. 25. cap.

3. Mendicantibus concessis, quibus renuntiarunt Fratres S. Francisci Capuccini, & ii, qui Minores de observantia vocantur.

Quæres 2. *Quodnam genus religiosorum sit perfectius?*

*Resp.* Religio contemplativa est perfectior Religione activa; Religio autem mixta cuilibet præstantior est.

*Prob.* Perfectio Religionis primario spectatur ex fine; atqui finis Religionis contemplativæ, cum immediate ordinetur ad ipsum Deum, præstantior est fine Religionis activæ, juxta illud Christi: (*Luc.* 10. *vers.* 41. *Martha, sollicita es & turbaris erga plurima, Maria autem optimam partem elegit.* Religionis autem mixtæ finis, qui est non soli contemplationi vacare, sed etiam contemplata in alios transfundere, perfectior est fine Religionis tantum activæ, ac tantum contemplativæ; ergo.

## CAPUT II.

### *De Religionis ingressu & Novitiatu.*

Quæres 1. *Quinam invalide recipiuntur in Religione?*

*Resp.* Invalide recipiuntur qui non sunt sui juris: tales sunt 1. Episcopi, hi enim jurejurando sunt adstricti obedire Romano Pontifici, unde sine illius consensu non possunt recipi, ita definitur in jure (*Cap.* 10. *de renuntiat.*). 2. Servi mancipia dicti, quia sunt possessio dominorum, (*Cap. si quis* 17. *q.* 2.) 3. Pueri ante annos pubertatis, quia subsunt tutoribus, vel parentibus quoad vitæ dispositionem; facti vero puberes Religionem ingredi possunt etiam invitis parentibus, quia efficiuntur sui juris in iis quæ ad statum vitæ pertinent, (*D. Thom. q.* 191. *art.* 4.) 4. Conjugati post Matrimonium consummatum, nisi accedat compartis consensus (*Cap.* 4. 8. 13. *de convers. conjug.*) aut nisi sit adultera, & alter innocens, (*Cap.* 15. 16. 17. *eod. tit.*) 5. Professi qui ex uno ordine ad alium laxiorem transvolant. (*Cap. Trid. sess.* 24.)

*Resp.* 2. Qui excluduntur a Religionibus ratione propriarum Constitutionum, quæ debet consuli.

Quæres 2. *Quinam illicite recipiuntur?*

*Resp.* Illicite recipiuntur. 1. Debitis gravati, ut declaravit Clem. VIII. (*Const. ann.* 1602.) 2. Filii parentes suos in gravi necessitate relinquentes: *ratio* D. Thom. (*q.* 101. art. 4.) est quia jure naturæ tenentur parentes alere. 3. Qui sub spe Matrimonii virginem deceperunt, quia per ingressum ei injuriam inferrent. 4. Rationibus reddendis obnoxii, ut sunt Tutores, Thesaurarii, nisi prius redditis rationibus, quia illorum persona est ad illam functionem obstricta.

Quæres 3. *An liceat quempiam ad Religionem impellere?*

*Resp.* Quempiam impellere ad Religionem vi, metu, fraude, est gravissimum peccatum contra Religionem & justitiam, unde Conc. Trid. (*Sess.* 25. *de Regular. cap.* 18.) anathemati subjicit qui puellam, aut viduam sic impellunt, quæ excommunicatio non est reservata.

Quæres 4. *An liceat [illegible] a Religione [illegible]?*

*Resp.*

*Resp.* Non licet *absque justa causa:* nam in *Conc. Trid.* (*Ibid.*) anathemati subjiciuntur omnes, qui mulieres volentes ingredi Religionem, impediunt; quod certe peccatum mortale supponit; etiam erga masculos.

Dixi *absque justa causa:* quales sunt subjecti ad Religionem inidoneitas, & irregularitas Religionis.

Quæres 5. *Quisnam ingredi Religionem teneatur?*

*Resp.* Is solum qui vovit Religionem, tenetur ingredi, juxta sequentes regulas.

1. Qui vovit Religionis ingressum, nullo tempore determinato, tenetur diligenter ac serio curare, ut quamprimum moraliter fieri potest, recipiatur, & postea profiteri, si judicet Religionem illam sibi convenire; nam ista omnia virtualiter & implicite vovit. Quare si sine justa causa egrediatur, vel si sua culpa efficit ut ejiceretur, tenetur postea serio curare ut iterum admittatur: *ratio* est quia votum obligat ad non apponendum sponte sua impedimentum executioni ejus, alioqui esset illusorium.

2. Qui vovit ingressum Religionis determinatæ, si in ea non sit admissus, liber est a voto: nam non intendit se ulterius obligare. Si vero Religionis ingressum in genere voverit, non admissus in una, alteri se præsentare tenetur. *Ratio* est quia tale votum est votum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideoque est de omnibus sub disjunctione.

3. Qui laxiorem Religionem vovit, licite ingreditur strictiorem, non vice versa. *Ratio* est, quia talis mutatio est de meliori bono. (*Cap.* 10. *de Regular.*)

Quæres 6. *Qualiter peccent Capitulares suffragium Novitio denegantes?*

*Resp.* Si sine causa legitima suffragium denegent, peccant graviter contra justitiam. *Ratio* est, quia Novitius per ardua exercitia Novitiatus, jus ad profitendum comparavit . . . Quod si adsit justa causa, tenentur sub mortali suffragium denegare, ob damnum Religioni emergens, quod utique damno & incommodo particulari longissime prævalet.

## CAPUT III.

### *De Professione Religiosa.*

Quæres 1. *Quænam ad Professionis validitatem requirantur?*

*Resp.* Sequentia: 1. Ætas sufficiens, quæ ex Trident. (*sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.*) est annus decimus sextus completus.

2. Integer nec interpolatus annus probationis post susceptum habitum. (*Ibidem.*) Qui annus debet computari a momento suscepti habitus in momentum professionis: unde non est annus solaris continens 365 dies, cum sex horis; sed est annus civilis continens 365 dies & in anno bissextili 366.

3. Prælati acceptatio tacita vel expressa, cum consensu majoris partis Capituli. (*Cap.* 13. *de Regular.*)

4. Consensus plenus atque perfectus voventis, liber a metu gravi etiam reverentiali, de quo egimus, *part.* 1. §. 1. *punct.* 1. *et* 2. *de Contractibus.*

5. Carentia impedimenti in illo Ordine essentialis; alias esset inhabilis ad profitendum, nec ejus traditio vere acceptaretur.

Quæres 2. *An qui emisit professionem nullam, possit reclamare?*

*Resp.* Potest ex *Conc. Trid.* (*sess.* 25. *de Regular. cap.* 19.), quod tria requirit ut reclamans possit audiri.

1. Ut reclamet intra quinquennium, *a die Professionis* computandum. *Excipe* 1. Si metu gravi, aliave justa causa fuisset a reclamatione impeditus. (*Cap.* 1. *de iis quæ vis metusve, &c.*) 2. Si toto quinquennio ignorasset suæ Professionis nullitatem; quia ignorantia non minus reddit impotentem ad reclamandum, quam metus.

2. Ut *causas* nullitatis *quas prætendit, coram Superiore suo & Ordinario deducat.*

3. Ut dimiserit habitum ante hanc deductionem, si tamen bona fide dimiserit & postea resumpserit, est audiendus, ut probat Navarr. (*comment.* 4. *de Regular. in fine*)

Quær. 3. *Quid requiratur ad ratificandam invalidam Professionem?*

*Resp.* 1. Requiritur notitia invaliditatis: alioquin ratificatio non erit libera, utpote ex errore emissa. *Excipe* tamen, si Professionem renovando, expresse velit ipsam esse ratam, etiamsi ab initio fuisset invalida.

2. Requiritur novus consensus expressus & liber: est enim novum votum: nec sufficit quod plures annos manserit in Religione, cum ex regula juris *non firmetur tractu temporis quod ab initio non subsistit.* (*Regul.* 18. *in jur. in* 6.)

Quær. 4. *Quam vim habeat Professio Religiosa?*

*Resp.* 1. Extinguit omnia vota simplicia ante ipsam emissa (*Cap.* 4. *de voto*), saltem si Profitens intendat commutare.

2. Tollit irregularitatem ex defectu natalium ex parte, nimirum ut possit ordinari, & Beneficium simplex obtinere. (*Cap.* 1. *de filiis Presbyter.*)

3. Remittit pœnam peccatis debitam, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis opus præstantissimum, ita probat Div. Thom. (2. 2. *quæst.* 189. *art.* 3. *ad* 3.)

Quæres 5. *Utrum Religiosus, qui Ordinem amplexus est, in quo præcepta, & alia fundamentalia regulæ puncta rite non observantur, teneatur vivere secundum regulam, quamvis non intenderit, nisi vivere, sicut vivunt, qui regulam quoad puncta illa, & præcepta transgrediuntur?*

*Resp. Affirm. & Prob.* Ex Conc. Trid. *sess.* 25. de regularibus, *cap.* 1. ubi absque ulla exceptione præcepit, *ut omnes Regulares tam viri quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, et componant: atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, aut obedientiæ, paupertatis et castitatis, ac si quæ aliæ sunt alicujus regulæ, et Ordinis peculiaria vota, et præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem victum, et vestitum, conservanda, pertinentia fideliter observent ... Cum compertum sit, a Superiore non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt, et fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est.*

*Ratio est*, quia votum solemne non a sola voluntate voventis pendet, sed ab intentione Ecclesiæ, quæ approbavit regulam, ad quam se adstrinxit: ergo non est in dispositione voventis, Religionem solemniter profiteri hac conditione, quod regulam nolit observare secundum præcepta, & puncta fundamentalia, sed secundum relaxationes, quæ circa ea, dissimulatione Superiorum, irrepserunt, quasque Ecclesia nunquam permisit, & in quibus Superiores dispensare non possunt.

*Dices*. D. Thom. in 4. dist. 38. art. 3. qu. 1. ad 5. ait: *Qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur, sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, (qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur) non videtur obligari*. Ergo non tenetur ad præcepta, & alia puncta regulæ fundamentalia, quæ ab aliis Religiosis non fideliter observantur.

*Resp. neg. conseq.* Quia D. Doctor loquitur tantum de observantiis regularibus, in quibus Prælati regulares dispensare possunt, ut constat ex his verbis: *dum* (Prælati) *videntes non corrigunt, indulgere videntur*. Tales sunt observantiæ illæ, quas 2. 2. q. 186. art. 9. ad 2. non tradi videtur in regula *per modum præcepti, sed proponi per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad certam pœnam*. Ergo si quædam tradantur per modum præcepti, ad eorum observationem Religiosus tenetur in omni casu; tum quia in eis Prælati regulares non possunt dispensare; tum quia, postquam D. Thomas hic in corp. dixit: *Transgressio horum trium* (Votorum) *obligat ad mortale*, addit: *Aliorum transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ, quia hoc directe contrariaretur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam*: Cujus contemptus reus est, qui puncta regulæ fundamentalia transgreditur: *Vel propter præceptum sive oretenus a Prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum*.

*Inst.* Ille religiosus non intendit intrare religionem nisi ut viveret, sicut alii vivunt; ergo ad nihil ulterius tenetur.

*Resp. nego conseq.* Quia ut supra dictum est, votum solemne non pendet a sola voluntate voventis, sed ab intentione Ecclesiæ religionem approbantis; atqui est intentio Ecclesiæ, ut præcepta & puncta fundamentalia regulæ fideliter observentur, ut constat ex Gregorio XIII. cui cum Patres Concilii Rothomagensis anno 1581. celebrati sequens dubium proposuissent: *Circa decretum de Clausura Monialium sunt, quæ ex fundatione dicunt, liberum sibi relinqui exitum, & introitum Monasterii: aliæ prætexunt, se non emisisse votum clausuræ, nec unquam ingressuram Monasterium, si audivissent, illam fuisse clausuræ obligationem: & per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint, egressum probibere. In bis perplexitatibus supplicatur, quid agendum, maxime cum timeatur, ne per clausuram aliquid deterius contingat*. Respondit Pontifex: *Executioni demandentur Decreta Concilii Tridentini, & Bullæ summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes*.

*Resolves* 1. Qui professus est regulam S. Francisci, tenetur sub mortali jejunare a festo omnium Sanctorum ad festum Nativitatis Domini; etiamsi, dum religionem ingressus est, Religiosi illius instituti fideliter non observarent illud jejunium; quia est præceptum æquivalens regulæ per hæc verba imperativi modi intimatum: *jejunent*, fratres, *a festo omnium Sanctorum ad Nativitatem Domini*: cap. 3. regulæ. Idem dicendum de singulis feriis sextis totius anni propter hæc regulæ verba: *Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, jejunare*.

Hinc Minorita frangens illud jejunium peccat mortaliter, sicut & illi, qui illo tempore ei carnes apponunt, aut qui ei bene pranso cœnam ministrant, quia peccato cooperantur alieno.

*Resolves* 2. Minoritam non posse neque per se, neque per personam interpositam recipere pecuniam, nec acceptam impendere quocumque modo, licet circa hoc punctum fuerit prævaricatio in ordine, dum Religionem professus est; quia pecuniæ usus est formaliter prohibitus in 4. cap. regulæ his verbis: *Præcipio firmiter fratribus universis, ne ullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam &c.*

## CAPUT IV.

### *De Professorum obligationibus.*

*Nota*. Præter obligationes *generales* Clericorum, de quibus egimus initio hujus Tractatus, & quibus strictiori modo subjiciuntur Religiosi; sunt aliæ ipsis *speciales*, quæ ortum ducunt ex tribus votis solemnibus, de quibus agemus tribus Quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *De Obedientia Religiosa.*

Quæres 1. *Quid sit Obedientia Religiosa?*

*Resp.* Est *virtus moralis virum Religiosum inclinans ad executionem præcepti Superioris, in omnibus quæ cadunt sub virtute obedientiæ*. Duplex est, nempe:

Obedientia materialis est *virtus inclinans ad executionem operis præcepti, non qua præcepti*, sed propter aliud motivum honestum, v. g. propter intrinsecam operis præcepti honestatem &c. Hæc est sufficiens obedientia.

Obedientia formalis est *virtus inclinans ad executionem operis præcepti, qua præcepti*.

Inobedientia materialis est *violatio præcepti, sine expressa intentione violandi*. Hæc reperitur in omni peccato.

Inobedientia formalis est *violatio præcepti cum expressa intentione violandi præceptum, vel præcipientem contemnendi*.

Quæres 2. *Ad quid teneatur Religiosus ex vi voti obedientiæ?*

*Resp.* 1. Tenetur ad servandam Regulam secundum vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam.

*Resp.* 2. Tenetur obtemperare Superiori in omnibus quæ præcipit consentanee ad Regulam, Constitutiones, & Regularem observantiam, & quidem si præcipiat *in virtute sanctæ Obedientiæ*,

tene-

tenetur obedire sub peccato mortali; tunc enim Superior intendit illum obligare quantum potest, atque sub peccato mortali; si autem hac forma præcipiendi non utatur, non videtur velle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, nisi transgressio aliunde fiat mortalis, v. g. propter contemptum.

*Resol.* 1. Religiosum teneri servare nova Capitulorum statuta, quia spectant ad regularem observantiam.

*Resolv.* 2. Religiosum in Religione relaxata teneri obedire Prælatis eam reformare studentibus *in his quæ necessaria sunt ad observationem Regulæ*, sive relaxatio fuerit introducta ante, sive post ejus professionem: *ratio* est quia hæc ad statum Religiosum, quem amplexus est, sunt essentialia.

Dixi, *in his quæ necessaria sunt ad observationem Regulæ:* quia quoad alias observantias Regulares quæ sunt observationi Regulæ accidentales, reformationem quidem acceptare tenetur, si relaxatio post ejus professionem fuerit introducta, non autem si ante ejus professionem: *ratio* est quia suum institutum observare tenetur, prout professus est, non aliter.

*Resol.* 3. Religiosum teneri Prælato obtemperare etiam cum periculo vitæ, si bonum Religionis id postulet, verb. grat. Fratribus peste infectis inservire. Item tempore pestis Religiosus mendicans, cujus institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenetur obedire Superiori præcipienti ut sæcularibus peste infectis Sacramenta ministret, si deficiat Parochus, vel alius Sacerdos ad id destinatus: quia hoc est secundum ejus Regulam, cum Mendicantes vi sui status Episcoporum sint coadjutores, ut colligitur ex Jure. (*Cap. dudum de Sepulturis*).

*Resolv.* 4. Superiores Regularium posse præceptis suos subditos ubicumque terrarum existentes, obligare, fugitivos propria auctoritate capere: quia potestas in suos illis competit non ratione territorii, sed ratione personalis obligationis ex voto obedientiæ.

*Resp.* 3. Religiosus tenetur obedire Papæ in omnibus quibus tenetur suis Prælatis regularibus obtemperare; nam votum obedientiæ per se primo, ac principaliter fit summo Pontifici, tamquam supremo omnium Religionum Præposito Generalissimo.

Quæres 3. *Quandonam est mortalis inobedientia?*

*Resp.* 1. Inobedientia formalis semper est mortalis, etiamsi præceptum sit de re levi, juxta illud Apostoli (*Rom.* 13. *vers.* 2.): *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:* & illud Christi: *Qui vos spernit, me spernit.* (*Luc.* 10. *v.* 16.) Contemnere autem Deum in levi est grave peccatum.

*Resp.* 2. Inobedientia materialis est mortalis, si materia præcepta sit gravis venialis vero, si materia precepta sit levis. Ita communiter Doctores.

## QUÆSTIO II.

*De Castitate religiosa.*

Quæres 1. *Quid sit Castitas Religiosa?*

*Resp. Est votum solemne, quo Religiosus promittit abstinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, et alias licitis.*

Dicitur 1. *a voluptatibus carnalibus illicitis:* tum internis v. g. a turpi cogitatione, desiderio &c. tum externis, v. g. aspectu, tactu &c. unde quidquid in sæculari extra conjugium, est peccatum contra castitatem, est insuper in religioso sacrilegium contra votum, ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen ut malitia sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis vero, in quibus illa est venialis.

Dicitur 2. *Et alias licitis;* quia Religiosus nec licite, nec valide potest contrahere matrimonium.

## QUÆSTIO III.

*De paupertate religiosa.*

Quæres 1. *Quid sit paupertas religiosa?*

*Resp. Est votum solemne, quo Religiosus promittit abdicationem omnis dominii, proprietatis, ususque independentis a voluntate Superioris.*

Dicitur 1. *Quo religiosus:* non autem Monasterium, nam ex Trident. (*sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.*) *exceptis domibus fratrum S. Francisci Capucinorum, et eorum qui Minorum de observantia vocantur.* Cæteri absque religiosæ paupertatis læsione, aliquid possidere possunt in communi.

Dicitur 2. *Promittit abdicationem:* in perpetuum per renuntiationem possessorum, & in posterum possidendorum.

Dicitur 3. *Dominii, proprietatis:* per quod aufertur Religioso jus disponendi de re pretio æstimabili, tamquam sua; eam scilicet independenter a Superiore, recipiendo, retinendo, emendo, commodando &c.

Dicitur 4. *Ususque independentis:* quia usus independens proprietatem arguit; *unde* jure merito a Trid. (*sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.*) damnantur tamquam veri proprietarii, qui sine Superioris licentia non solum de rebus mobilibus disponunt, sed & qui iisdem utuntur.

*Colliges* eos læsæ paupertatis esse reos, qui de rebus communitatis, vel ad usum sibi concessis, pro libitu tamquam de suis disponere præsumunt. Tales sunt qui independenter a Superiore

1. Aliquid, etiam pro communitate recipiunt vel retinent. (*Cap.* 6. *de statu Monachorum.*)

2. Qui aliquid dant vel expendunt sine licentia Superioris. (*ibidem*) Hinc si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet, accipiens tenetur illud restituere Religioni, cum donatio sit irrita.

3. Qui aliquid commodant, permutant &c. quia sunt actus proprietatis.

4. Qui rem cum licentia acceptam abscondit, ne Superior eam auferat, vel licentiam datam revocet; *item* qui murmure Superiorem impedit ne rem concessam repetat; vel conqueritur tamquam de injuria, dum Superior aliqua ei aufert. *Ratio* est, quia ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem, cujus est incapax per votum paupertatis, ut constat ex jure. (*Cap.* 4. *te* 7. *de statu Monachorum.*)

5. Qui rem sibi concessam non dimittit statim atque Superior licentiam datam revocat; quia jam eam haberet sine licentia. (*Cap.* 6. *supra*).

6. Qui res Monasterii, aut sibi concessas, ut vestis, oleum &c. dilapidant, prodigaliter consumunt, negligenter tractant; quia res illæ tribuuntur tantum ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem negligentia acceleratam, & Monasterio damnosam.

7. Qui in rerum usu, aut dispensatione, limites honestatis, aut paupertatis religiosæ notabiliter excedunt, sive sint inferiores, sive Superiores: tales sunt qui habent superflua, qui pecuniam & similia in usus suos concessa, in res turpes, vanas & inutiles expendunt; idque verum est etiamsi Superior consentiat, nam Superior tales usus nec licite, nec valide concedere potest, cum repugnent statui pauperis, & a Canonibus prohibeantur. (*Clement.* 1. *de statu Monachor. et Trid. sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.*) Hinc qui rem notabilem ludo exponit, etiam cum Superioris licentia, gravi proprietatis crimine reus constituitur.

8. Qui a sæculari invitatus, manducat aut bibit sine licentia Superioris, quia religioso non licet uti ulla re temporali pretio æstimabili sine licentia Superioris: comestio autem & potatio, est res temporalis pretio æstimabilis.

Quæres 2. *Quænam licentia Superioris requiritur ut Religiosus possit uti rebus temporalibus?*

*Nota. Quadruplex* est Superioris licentia, nempe.

*Expressa*, quæ verbo, scripto, aliove signo aperte conceditur.

*Virtualis*, quæ expressæ æquivalet; sic cui committitur Officium, permittuntur & actiones ad ejus executionem requisitæ.

*Tacita*, quæ ex circumstantiis verisimiliter creditur adesse; ut cum Prælatus sciens subditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet cum facile possit, nam tunc tacite consentire censetur, secus si difficile impedire posset, eo quod v. g. timeret ne domus turbaretur Religiosi querelis; tunc enim mere tolerat, non concedit, unde non excusatur Religiosus.

*Notat* hinc Lessius (*lib.* 2. *c.* 41. *dubitat.* 9.) quod *in Monasteriis bene ordinatis non conceditur* facultas tacita vel generalis, nisi in rebus minoris momenti & crebro occurrentibus.

*Præsumpta* seu *interpretativa*, est ea qua justa causa occurrente, concluditur, quod Superior vellet, si statum rei sciret. His notatis,

*Resp.* 1. Sufficit ut licentia Superioris sit expressa, vel virtualis, aut tacita; requiritur tamen expressa, 1. Dum agitur de re gravi, nec urget necessitas; 2. Dum facilis ad Superiorem patet recursus. *Ratio* est, quia illæ tres licentiæ sufficiunt ut actus religiosi sint dependentes.

*Resp.* 2. Licentia præsumpta non sufficit, nisi cum causa urget & Superior non potest tunc adiri; ita ut censeatur concedere licentiam, licet non petatur. *Ratio* est, quia Superior approbare non debet inferiores licentiam suam sic facile interpretari; quia admissa universaliter hac præsumptione, inferiores fere semper pro libitu de rebus tamquam suis disponerent cum gravi damno religiosæ disciplinæ, quod ex Officio tenetur impedire Superior.

*Porro* qui aliquid ex licentia Superioris præsumpta recepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam ut illud retinere possit; quia licentia non minus ad retinendum, quam ad recipiendum requiritur.

*Resp.* 3. Licentia debet esse omnino voluntaria & libera; hinc si sit per vim, metum, fraudem obtenta, vel si procedat ex errore, est nulla, & qui ea utitur, est proprietarius.

Quæres 3. *An peculium seu pensio annua Religiosis sit licita?*

*Resp.* Censent communiter Doctores peculium Religiosorum esse licitum sub his conditionibus.

1. Quod constituatur ex licentia Superioris expressa, & ad nutum ejus sit revocabile, & applicabile ad usus Monasterii si indigeat.

2. Quod sit incorporatum quoad dominium & proprietatem cum communibus bonis Monasterii.

3. Quod in dispositione ac potestate Religiosi non maneat, sed apud Superiorem aut Procuratorem.

4. Quod in usus pios, & licitos, juxta paupertatis Religiosæ limites expendantur cum licentia Superioris.

5. Quod ex justa causa permittatur: quæ causa petitur, tum ex parte Religiosi qui propter infirmitatem, senium, &c. particularibus indiget; tum ex parte Monasterii ita indigentis, ut omnia subditis suis necessaria, & honestas commoditates, suppeditare non possit.

*Ratio* cur peculium cum his conditionibus sit licitum, est, quod proprietas non sit penes Religiosum, sed simplex usus licitus dependens a voluntate Superioris.

*Dices*, peculium Religiosorum est illicitum ex Trident. (*Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.*) prohibente: *ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum & usum.* Ergo.

*Resp. nego ant.* Ad Trid. *resp.* quod prohibeat tantum illud peculium quod extra manus Superioris aut Monasterii possidetur, quod proprietatem sonat; unde addit: *Nemini liceat bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur* (*Trid. Ibidem*).

Quæres 4. *Quæ summa requiratur, ut Religiosus peccet mortaliter peccato proprietatis, accipiendo, aut expendendo sine licentia Prælati?*

*Resp.* Requiri eandem quantitatem quæ sufficeret ut aliquod furtum Laici sit mortale, cum appropriatio facta a Religioso sit furtum, quia contractat rem alienam invito vel inscio Superiore, quod est injustum & sacrilegum.

*Porro* spectandæ sunt Leges cujuscumque Instituti, quia fieri potest, ut quod forte non est grave contra paupertatem religiosam spectatam in genere, sit grave contra paupertatem, ut est propria talis vel talis Religionis. Sic in nostro Capucinorum Ordine per decretum factum in Capitulo generali habito Romæ anno 1662. consentientibus omnibus Patribus ibi congregatis, statutum fuit summam quindecim assium esse sufficientem materiam peccati mortalis furti, & proprietatis.

Quæres 5. *Quænam sint pœnæ proprietariorum?*

*Resp.*

*Resp.* Præter peccatum mortale reservatum quod incurrit Proprietarius, sunt tres.

1. Ut recludatur ad agendum pœnitentiam. (*Cap.* 6. *de statu Monachor.*)

2. Ut privetur voce activa & passiva ad biennium, atque etiam juxta suæ Regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur. (*Conc. Trid. sess.* 25. *c.* 2. *de Regular.*)

3. Ut ecclesiastica sepultura privetur (*Cap.* 4. & 6. *de statu Monach.*), quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ.

## CAPUT V.

### *De Religionis egressu.*

Quæres 1. *An summus Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?*

*Resp.* Potest ex gravi causa; constatque ex Constitutionibus Bonifacii VIII. (*Cap. unico de voto in* 6.) & Greg. XIII. (*Bulla ascendente Domino.*) ubi sic loquuntur: *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*: atqui Papa in jure ecclesiastico potest dispensare; ergo.

*Dices*, juxta Innocentium III. (*Cap.* 6. *de statu Monachor.*) *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*; ergo non potest dispensare.

*Resp. dist. conseq.* Non potest dispensare in votis solemnibus cum Religioso, manente in statu Religiosi professi, *conc.* Cum Religioso extracto e statu Religiosi professi, *nego.* Papa enim de plenitudine potestatis potest aliquem extrahere ex statu Religiosi ad contrahendum Matrimonium ob gravem causam, verbi gratia, ut pax & Religio in regno firmentur.

*Hinc* solemnitas votorum in eo consistit ex institutione Ecclesiæ, ut vota emittantur sub certa Regula a Sede Apostolica approbata, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & via ordinaria indissolubilibus.

Quæres 2. *An liceat ex una ad aliam Religionem transire?*

*Resp.* Omnibus Regularibus jure concessum est ut possint ad Religionem arctiorem transire, ut statuitur, *Cap. licet de Regular.* Hic tamen transitus non est laudabilis; cum moneat Apostolus ut *quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat* (1. *Cor.* 7. *vers.* 20.). Unde Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 11. *de ref.*) statuit ut translatus ad aliam Religionem etiam arctiorem, sit incapax Beneficiorum sæcularium, etiam curatorum, & perpetuo maneat in claustro sub obedientia Superioris.

*Nota.* Ut sit validus hic transitus, duo requiruntur a jure.

1. Ut petatur licentia transeundi a Prælato qui tenetur eam concedere; quod si eam recuset, hoc ipso jus concedit. (*Cap. licet de Regular.*)

2. Ut expleat annum probationis completum, quia Trid. generatim hunc annum requirit (*Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.*), quo expleto debet profiteri. (*Trid. sess.* 14. *c.* 11.)

Quæres 3. *An Religiosus factus Episcopus eo ipso a tribus votis ceterisque regularibus observantiis sit liber?*

*Resp. negat. quoad tria vota*: Nam ex jure (*Cap.* 6. *de statu Monachor.*) obligatio votorum est de intrinseca ratione Religionis; sed Religiosus per Episcopatum non desinit esse Religiosus; ergo his votis non liberatur.

*Hinc* Religiosus factus Episcopus tenetur vi voti obedientiæ, præstare eandem obedientiam, non quidem Prælatis regularibus cum desierit esse eorum subditus, ut ait D. Thom. (*qu.* 185. *art.* 8. *ad* 3.) sed summo Pontifici omnium Religionum supremo Superiori. *Item* tenetur eandem servare castitatem simul & paupertatem, secundum quam nullius rei verum dominium sibi comparare potest, sed Ecclesiæ cui præest. (*Ita Lessius, Pontas, Paul. a Lug.*)

*Resp.* 2. *Quoad observantias regulares*: ad ipsas non tenetur; *ratio* est quia ut teneatur ad observantias regulares, debet esse subjectus Regulæ & Prælatis regularibus; atqui Religiosus factus Episcopus non est subditus Regulæ & Prælatis regularibus, ut constat ex jure (*Cap. statutum* 18. *qu.* 1.). Ergo.

Quæres 4. *An aliquis possit e Religione ejici, & quas ob causas?*

*Resp. ad* 1. Affirmative, hoc enim statuitur a jure (*Cap.* 6. *de statu Monachorum*); & *ratio* est quia melius est ut pereat unus, quam communitas.

*Resp. ad* 2. Sunt tres causæ, propter quas Religiosus potest ejici. 1. Est *incorrigibilitas*: cum nempe ter juridice convictus de eodem crimine gravi, non se emendavit. Hæc sola, jure communi, est expressa. (*Cap.* 6. *de statu Monachorum, & cap. resecandæ* 24. *quæst.* 5.)

2. Est perpetratio criminis, propter quod in illa Religione constituta est ejectio.

3. Est occultasse impedimentum quod in illa Religione censetur essentiale: *ratio* est quia dolus dedit causam admissioni, ac proinde Monasterium non tenetur retinere.

*Dices.* Duæ causæ ultimæ non sunt in jure expressæ; ergo.

*Resp. nego conseq.* Sufficit enim quod approbatæ sint a Sede Apostolica juris auctore, & fuerint intimatæ cuilibet ante professionem; constitutiones autem Religionum has causas ejectionis decernentes sunt approbatæ a summo Pontifice.

Quæres 5. *An superiores teneantur fugitivos & apostatas requirere & recipere?*

*Nota. Fugitivus* est is, qui sine Prælati sui licentia sponte a Monasterio discedit, animo aliquando ad illud revertendi.

*Apostata* est is, qui sponte a Religione discedit, animo nunquam ad eam redeundi.

*Resp.* Superiores ad hoc strictissime & sub gravi peccato tenentur, prout statuitur in jure (*Cap. ut de regular. & cap. a nobis extra de Apostat.*); *ratio* est quia tenetur in quantum possibile est, subditorum suorum curare salutem, & ipsos ex statu perditionis eripere.

Si tamen essent scandalosi, & aliis Fratribus periculosi, non tenerentur eos requirere; si tamen sponte redirent, & esset spes emendationis, tenerentur eos recipere propter rationem supra dictam.

Quæres 6. *An Religiosus e Religione egredi tenea-*

*neatur ut parentibus in gravi necessitate constitutis subveniat?*

Dixi *in gravi necessitate*; quia si esset extrema parentum necessitas, teneretur quocumque modo etiam per Religionis egressum eis subvenire.

*Resp. cum dist.* Vel filius parentibus in gravi necessitate constitutis, professus est; vel parentes ex improviso inciderunt in egestatem post filii professionem.

*Si primum*, filius tenetur egredi, si aliter eis subvenire non potest; *ratio* est quia ingredi non poterat, obligatione subveniendi jam contracta.

*Si secundum*, filius non tenetur egredi, nec potest repugnante Prælato, ut docet D. Thom. (*quæst.* 101. *art.* 4. *ad* 4.) *Ratio* est quia jam mutavit statum; ergo illi obligationi supervenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest salvo statu, sicut si esset matrimonio conjunctus, non teneretur deserere uxorem ad subveniendum parentibus.

## CAPUT VI.

### *De Prælaturis Religiosis.*

Quæres 1. *An sit obligatio sub mortali eligendi digniorem in Superiorem Regularium.*

*Resp. affirm.* Eadem est enim ratio de Superiore Religioso ac de Episcopo & Parocho, cum sit animarum pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imo & ad perfectionem promovere teneatur ex munere suo: ergo.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes Superioris Religiosorum?*

*Resp.* Tres assignamus præcipuas. 1. Tenentur exemplo cæteris prælucere, communem in omnibus vitam agendo, observantiasque regulares adamussim observando.

2. Tenentur instruere & exhortari subditos in doctrina sana, eosque promovere ad perfectionem propriam sui Instituti per observationem Regulæ, Constitutionum, cæterarumque observantiarum regularium, quia ad hoc constituti sunt Superiores.

3. Tenentur delinquentes prudenter corripere, ne ignave omnia dissimulantes, penitus ruat, aut labefactetur regularis observantia.

## CAPUT VII.

### *De variis quæstionibus Regularium.*

Quæres 1. *An liceat feminis ingredi domos Religiosorum.*

*Resp.* Certum est non licere feminis ingredi, nec Superiori eas admittere; nam id semper generatim, saltem ex consuetudine vim Legis habente, prohibitum fuit: *hinc* graviter peccant mulieres in claustra virorum temere ingredientes, nisi excuset mentis levitas, bona fides, & ignorantia.

Quæres 2. *Quas pœnas incurrant mulieres ingredientes claustra virorum, & Religiosi eas in claustra introducentes?*

*Resp.* In locis in quibus fuerunt receptæ Bullæ Pii V. & Gregorii XIII. incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reservatam; Religiosi vero ipsas introducentes incurrunt ipso facto pœnam suspensionis a divinis, privationis Officiorum, & inhabilitatis ad alia Officia obtinenda.

Dixi *in quibus fuerunt receptæ*: qualiter non fuerunt in Gallia, ut docent communiter doctores cum Pontas (*V. Monaster. Cas.* 4.), in aliis locis nullæ pœnæ incurruntur a mulieribus ingredientibus: quia nullæ contra eas decretæ reperiuntur in universo corpore juris.

*Nota* tamen, regulares Ordinum in quorum Capitulis supradictæ Bullæ promulgatæ fuerunt, & usu receptæ (prout sunt apud nos) mulieres in claustra sua introducentes, pœnis ac censuris in iisdem Bullis latis vere subjacere, cum apud eos plenam rationem Legis obtinuerint.

Quæres 3. *An liceat ingredi domos Monialium?*

*Resp.* Omnibus tam viris, quam feminis cujuscumque conditionis, vel ætatis fuerint Conc. Trid. prohibuit sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ingredi Monialium Monasteria sine licentia Episcopi, vel Superioris in casibus necessariis (*Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 5. *de regularib.*). Hæc censura non est reservata.

Quæres 4. *Quibus in casibus Regulares exempti, Episcoporum jurisdictioni subjaceant?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda.

1. Regulares extra claustra degentes, quales sunt fugitivi, apostatæ, si deliquerint, puniri possunt ab Episcopo tamquam Apostolicæ Sedis delegato. (*Trid. Sess.* 6. *cap.* 14. *de Regular.*)

2. Regularis notorie scandalosus populo si instante Episcopo, a suo Superiore non puniatur intra tempus ab ipsomet Episcopo præfixum, ab ipso Episcopo puniri potest. (*Con. Trid. Sess.* 25. *cap.* 14. *de Regul.*)

3. Regulares non possunt indulgentias populo promulgare citra Ordinarii licentiam & approbationem. (*Trid. sess.* 21. *cap.* 9. *de ref.*)

4. Non possunt in propriis Ecclesiis exponere Sanctissimum Sacramentum absque consensu tacito Episcopi. (*Declaratio Cardin. Conc. Trid. interp.*)

5. Ab Episcopo compelli possunt, ut ad publicas processiones indictas accedant; & si aliqua de præcedentia suboriatur controversia, brevi manu ab ipso est componenda. (*Trident. sess.* 25. *cap.* 13. *de reg.*)

6. Tenentur censuras & interdicta ab Episcopo promulgata in suis Ecclesiis publicare, ac servare: item servare dies festos, quos Episcopus in sua Diœcesi servandos præceperit. (*Trident. sess.* 25. *cap.* 12. *de reg.*)

7. Regulares, quibus cura animarum personarum secularium imminet sive in alienis sive in suis Ecclesiis, subsunt Episcopo in iis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent. (*Ibidem c.* 11.)

8. Regulares qui in alienis Ecclesiis, absque Episcopi licentia, concionari præsumunt, vel qui in suis Ecclesiis ipso contradicente conciones agunt, vel qui inter concionandum errores & scandala in populum disseminant, ab eodem Episcopo puniri possunt (*Trid. sess.* 5. *c.* 2. *de ref.*).

9. Episcopi in his quæ pertinent ad clausuram Monialium conservandam aut restituendam, in Monaste-

nasteriis etiam exemptis, plenam auctoritatem habent, tamquam Sedis Apostolicæ delegati (*Trid. sess.* 25. *c.* 5. *de reg.*).

Quæres 5. *Quid sit dicendum de privilegiis Regularium?*

*Resp.* Privilegia Regularium sunt concessa vel scripto, nempe in Bullis summorum Pontificum, vel oretenus, & vivæ vocis oraculo. Circa ea, sequentia sunt notanda.

1. Omnia regularium privilegia vivæ vocis oraculo concessa a Greg. XV. & Urbano VIII. fuere revocata.

2. Privilegia scripta continentur in digesto quod *mare magnum* nuncupatur: quilibet enim Ordo habet suum mare magnum. Continentur etiam in Bullis post *maris magni* collectionem.

3. Privilegia omnia expresse contraria Concilii Trid. decretis, penitus sunt revocata: quibus decretis sunt contraria quando ipsis superadditur hæc clausula: *non obstantibus quibuscumque privilegiis.*

4. Privilegia quæ non sunt expresse revocata per Conc. Trid. suum primitivum robur obtinent, definiente Trid. *in cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca & jura concernunt, firma sint & illæsa.* (*Trid. sess.* 25. *cap.* 20. *de reg.*)

5. Privilegiis uni Ordini concessis, cæteri Ordines communicant, ut expresse definierunt Leo X. & Julius II.

Hæc de Regularium privilegiis sufficiant, cum sit Prælatorum regularium, ea diligenter inquirere, & subditis exponere, ne hi falsum pro vero adoptantes, conscientiam suam erroris laqueo implicent, a quo vix sese extricare possent.

Quæres 6. *Quænam sit Prælatorum regularium potestas circa subditorum suorum absolutionem?*

*Resp.* Talis est, ut subditos suos a quibusvis peccatis, censuris ac sententiis tum notoriis, tum occultis a jure vel ab homine quomodolibet latis & promulgatis absolvere possint vi privilegiorum a variis summis Pontificibus (*Clem. IV. Eugen. IV. Six. IV. Alexand. VI. Paul. III. Paul. V. Greg. XIII. Clem. VIII.*), concessorum ... item vi privilegiorum a Clemente IV. Sixto IV. Julio II. Pio V. Gregorio XIV. concessorum possunt cum subditis suis dispensare in omni irregularitate, excepta ea quæ provenit ex bigamia, membrorum mutilatione, & homicidio voluntario .. hanc autem potestatem dispensandi & absolvendi aliis delegare possunt, cum censeatur quasi ordinaria & officio suo annexa.

Quæres 7. *Utrum Regulares aliis quam Confessariis sui Ordinis valeant confiteri?*

*Resp.* Cum existunt in loco ubi nullus Conventus, nullusque Confessarius Ordinis reperitur, possunt libere ac licite quemlibet Presbyterum sæcularem ab Ordinario loci, vel Regularem a suo Superiore regulari ad sacramentales Confessiones recipiendas approbatum, adire, atque ab illo absolvi. Ita pro Patribus Capucinis statuit Benedict. XIV. Bulla *quod communi* (*Data ann.* 1742. *die* 30. *Martii*).

## DISSERTATIO III.

*De obligationibus parentum erga liberos, & inferiorum erga Superiores & vicissim.*

*Nota.* Agemus hic de mutuis obligationibus 1. Parentum & liberorum. 2. Tutorum & Minorum. 3. Dominorum & famulorum. 4. Magistrorum & discipulorum.

## CAPUT PRIMUM.

*De obligationibus parentum erga liberos, & vicissim.*

Quæres 1. *Quænam sunt obligationes parentum erga liberos?*

*Resp. Quatuor.* Parentes ex justitia debent filiis suis, scilicet amorem, instructionem Christianam, exemplum, & correptionem.

*Contra amorem filiis debitum peccant,*

1. Qui abortus periculo sese exponunt (*L.* 4. *ff. de agnosc. & alend. liberis*).

2. Qui pueros non curant alere, & convenienter sustentare (*Ibidem*).

3. Qui eos absque argenti necessitate in xenodochiis collocandos exponunt (*Ibidem*).

4. Qui quibusdam ex filiis omnino dediti, alios negligunt & acerbe tractant.

5. Qui filios suos ad aliquem statum invitos cogunt (*Trid. sess.* 25. *c.* 18. *de regular.*); vel ab aliquo amplectendo invitos retrahunt. (*Cap. Puella* 20. *q.* 2.)

*Contra instructionis debitum graviter peccant,*

1. Qui diligenter non curant, filios suos per se, vel alios rudimenta fidei edocere.

2. Qui de rebus divinis nunquam aut raro cum ipsis sermonem habent.

3. Qui permittunt eos liberius vivere, ludo & delectationibus immodicis assuescere, in peccandi occasione versari, &c.

4. Qui non invigilant ut mane & vespere Deum orent, cæteraque vitæ Chistianæ munera rite obeant.

*Contra bonum exemplum filiis debitum gravissime peccant.*

1. Qui coram filiis verba impudica, & blasphemias proferunt.

2. Qui coram eis ebrietatem sectantur, ludos frequentant, &c.

3. Qui filios aut filias secum dormire sinunt, vel in eodem cubiculo, in quo ipsi mariti cum uxoribus dormiunt. (*In* 2. *part. act. Conc. Mediol. tit. de cautione & custod.*)

*Contra correptionis debitum graviter peccant parentes,*

1. Qui filios delinquentes non objurgant, & cum oportet moderate non puniunt: *qui enim parcit virgæ, odit filium suum* (*Prov.* 13. *v.* 24.), *qui autem diligit, instanter erudit.*

2. Qui filiis suis libertatem relinquunt quævis frequentandi consortia; cum tamen maximum ipsius periculum immineat a consortio malorum. Quare Prov. 1. dicitur: *fili mi! si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Probibe pedem tuum a se-*

*a semitis eorum: pedes enim eorum ad malum currunt.*

3. Qui filiis, & filiabus suis permittunt consortia diversi sexus, quia in illis castitatem, etiam puerorum, periclitari norunt, qui eorum Confessionibus audiendis versati sunt. Quare D. Hieron. epist. ad Gaudentium ait: *nesciat puella, imo timeat cum pueris ludere.*

4. Qui filiis, & filiabus permittunt lectionem romanensium fabularum, vel frequentationem spectaculorum minus honestorum, in quibus mundi spiritus imbibitur, amor obscœnus sensim sine sensu inspiratur, devotionis Spiritus extinguitur.

5. Qui erga ipsos nimium severi, ipsos ad iracundiam provocant.

6. Qui magis ira quam charitate, magis phantasia quam ratione in ipsos sæviunt.

Quæres 2. *Ad quid obligentur liberi erga parentes?*

*Resp.* Debent parentibus amorem, reverentiam, & obedientiam; nam hæc tria juxta omnes continet præceptum naturale *honora patrem tuum & matrem tuam &c.* (*Deut.* 5. & *Matth.* 19. *v.* 9.)

*Contra amorem parentibus debitum graviter peccant filii*, & quidem peccato distincto ab eo quod aliunde committunt.

1. Qui parentibus signa odii ostendunt, vel signa amoris nunquam aut raro dant.

2. Qui ipsos dure tractant, de ipsis erubescunt; aliquid agunt, vel omittunt, ex quo prævident parentes contristandos, vel in gravem iram excitandos esse, licet illud de se non sit peccatum.

3. Qui ipsis non subveniunt in necessitate spirituali vel corporali, v. g. qui ipsos non visitant, si sint infirmi, non provident de necessariis, si sint egeni &c.

*Contra reverentiam debitam graviter peccant.*

1. Qui parentes spernunt, irrident, contumeliis afficiunt, trovis oculis aspiciunt &c.

2. Qui eos percutiunt etiam leviter, imo qui ipsis minantur, aut contra ipsos manum elevant, etsi sine animo percutiendi; in his enim est gravis in parentes irreverentia & injuria.

*Contra obedientiam filii graviter peccant*,

1. Qui parentibus obedire nolunt in iis quæ spectant ad domesticam administrationem, vel bonos mores; in his enim subditi sunt parentibus.

2. Qui in contrahendo matrimonio parentum consensum non postulant, aut illud contrahunt ipsis rationabiliter invitis; si tamen injuste consensum denegent, licite filii contrahere possunt.

## CAPUT II.

### *De obligationibus Tutorum, Curatorum, Minorum &c.*

*Notæ.* Tutor est is, cui commissa est cura pupilli & bonorum ejus.

*Curator* est is, qui assignatur Minori præcipue in curam bonorum ejus.

Inter Tutores igitur & Curatores illud tantum discriminis intercedit, quod Tutor detur principaliter in curam personæ & secundario in curam bonorum impuberis; Curator vero detur principaliter in curam bonorum & secundarie in curam personæ puberis.

Quæres 1. *Quænam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?*

*Resp.* 1. *Tutor* cum erga pupillum vices patris gerat, tenetur:

1. Curam gerere pupilli, ejus personam tueri, christiane educare per se, vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem addiscat.

2. Tenetur pupilli bona curare, & fideliter ac diligenter administrare si opus fuerit.

*Resp.* 2. *Curator* tenetur fideliter ac diligenter bona Minoris administrare, & insuper ejus personæ & educationi invigilare cum opus fuerit.

Hinc si Tutor vel Curator in administratione suæ tutelæ sint graviter negligentes, peccant mortaliter, & tenentur ad compensationem damni, quia peccant contra proprium officium, proindeque contra justitiam.

Quæres 2. *Quænam sunt obligationes Pupilli & Minoris?*

*Resp.* Tenetur Tutoribus ac Curatoribus suis exhibere amorem, reverentiam & obedientiam in iis quæ ad eorum tutelam spectant, velut parentibus, quorum locum illi tenent.

## CAPUT III.

### *De obligationibus Dominorum & famulorum erga se invicem.*

Quæres 1. *Quænam sint obligationes Dominorum erga famulos?*

*Resp.* Domini famulis sicut patres filiis debent cum proportione amorem, instructionem, exemplum, correctionem, & insuper justum stipendium, juxta illud Apostoli: (*Coloss.* 4. *v.* 1.) *Domini quod justum est & æquum, servis præstate.*

In quibus peccant contra amorem, instructionem &c. facile colligitur ex dictis de peccatis patrum circa easdem obligationes erga filios, restat ut dicamus ipsos peccare contra debitum solvendi justi pretii.

1. Cum famulos infra infimum pretium conducunt.

2. Cum mercedem juste conventam eis non suppeditant, aut solvere differunt.

3. Qui damna absque eorum culpa contingentia eos solvere cogunt.

4. Qui famulum conductum ante terminum constitutum dimittunt, prout dictum est in contractu locationis. (§. 7. *de Contract. in particulari.*)

Quæres 2. *Quænam sint obligationes famulorum erga Dominos?*

*Resp.* Debent dominis amorem, reverentiam, obedientiam in his quæ spectant famulatum, & insuper fidelitatem tum in remanendo apud Dominum usque ad tempus condictum, tum in recte gerendo negotia Dominorum.

*Contra fidelitatem peccant famuli*,

1. Qui dominis rationabile obsequium non, vel negligenter reddunt, & tenentur restituere partem stipendii pro rata laboris omissi.

2. Qui secreta familiæ aliis revelant.

3. Qui grave damnum Dominis inferri permittunt

tunt cum impedire possint; item qui Dominos de damnis ipsis ab aliis sive extraneis, sive conservis suis illatis, monere negligunt, in quibus casibus tenentur ad restitutionem, ut alibi dictum est.

## CAPUT IV.

*De obligationibus Magistrorum & discipulorum.*

Quæres 1. *Quænam sint obligationes Magistrorum erga discipulos?*

*Resp.* Magistri discipulis sicut patres filiis debent amorem, correctionem, exemplum, & specialiter doctrinam.

*Contra debitum discipulos doctrina instruendi* peccant Magistri

1. Qui discipulorum progressum in litteris non sedulo promovent.
2. Qui non satis student ut recte officio fungantur.
3. Qui sine causa scholam omittunt.
4. Qui scientiam aut artem quam profitentur, eos diligenter edocere negligunt; ad quam edocendam si stipendium suscipiant, ad restitutionem tenentur.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes discipulorum?*

*Resp.* Debent Magistris amorem, reverentiam, & obedientiam in his, quæ ad bonos mores & studia spectant; contra quam peccant.

1. Si a schola absint sine justa causa.
2. Si tempore studiis destinato, lusui vacent vel otio, & quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligant.

## DISSERTATIO IV.

*De obligationibus personarum Judicialium & Forensium.*

*Nota.* Ad Judicium concurrunt Judex, Actor, Testes, Reus, Advocatus, Referens, Procurator, Notarius, Scriba, & Apparitor; de quorum obligationibus sub diversis titulis agemus.

## CAPUT. I.

*De Judice.*

Quæres 1. *Quis sit Judex?*

*Resp.* Est persona publica habens legitimam potestatem juris dicendi.

Quæres 2. *Quot sunt obligationes præcipuæ Judicis?*

*Resp. Sunt quinque.* 1. *Oblig.* est ut habeat jurisdictionem in personas judicandas, & in causam, alioquin est reus usurpatione judicii, peccatque contra justitiam, & ejus sententia est irrita. (*Cap. 4. de Jud. cap. 4. de Pæn.*)

2. *Oblig.* est ut habeat scientiam sufficientem ad munus suum recte obeundum, juxta illud Psalmistæ: *erudimini qui judicatis terram.* (*Psalm. 2. vers. 10.*)

*Resolves* 1. Nullus officium Judicis suscipere debet nisi scientia competenti sit præditus; vel nisi brevi eam acquirere possit & conetur, & interea a judicio ferendo abstineat: alias se exponeret periculo nocendi partibus.

*Resolves* 2. Judex ex imperitia injuste judicans, tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis.

3. *Oblig.* est ut habeat constantiam & virtutem ad munus Judicis exercendum, juxta illud Eccl. 7. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in iniquitate tua.*

4. *Oblig.* est ut justitiam & integritatem in omnibus conservet.

*Contra justitiam peccat judex.* 1. Qui sententiam protrahit; præcipit enim jus (*Cap. 2. de sentent. & re judicata*) ut celeriter feratur.

2. Qui sententiam fert ambiguam, unde ad novas interpretationes cum dispendio partium devenire necesse est.

3. Qui in re evidenter justa unum litigantium ad compositionem accedere, fraudulenter sub prætextu dubii eventus, inducit.

4. Qui munera suscipit pro ferenda sententia sive injusta, ut patet, sive etiam justa; ratio est quia ex officio tenetur ferre sententiam justam, unde si aliquid pro ea ferenda recipiat, vendit quod suum non est.

*Contra integritatem peccat Judex*, qui recipit munera etiam liberaliter & sine ullo opere a partibus oblata: quia *dona excæcant oculos judicum.* Eccl. 20. Unde Judicibus recipere munera prohibet utrumque jus Canonicum & Civile. (*Cap. 10. de vita & honest. Cler. c. 11. de rescript. in 6. L. 18. ff. de Officio Præsid. Auth. ut Judices sine quoquo suffragio.*

5. *Oblig.* est ut judicet secundum Leges, tum quoad modum procedendi, ordinem & formam judicii, tum quoad sententiam ferendam & exequendam. (*Cap. 1. de Constit.*) *Ratio* est quia ad hoc constitutus est a Republica vel Principe.

*Hinc* 1. Judex non potest quemquam condemnare inauditum & sine testibus. (*Clem. 2. de sent. & de re judicata.*)

2. Non potest uti scientia injuste contra Juris ordinem acquisita v. g. si crimen detexit interrogatione facta ubi nulla præcesserat infamia, vel semiprobatio, aut indicia sufficientia; *item* si dolo (promissione, v. g. impunitatis) reum induxerit ad confitendum crimen; *ratio* est quia reo facta injuria continuatur & augetur usu cognitionis taliter acquisitæ.

3. Non potest absque legitima causa pœnam a Legibus statutam notabiliter minuere, vel augere.

4. Non potest absque præcedente infamia, vel semiprobatione instituere specialem de persona inquistionem (*Cap. 21. & 23. de accusat.*) *Ratio* prohibitionis est quia per illam inquisitionem quis suspectus & infamis redderetur.

Dixi: *Inquisitionem specialem de persona:* quia cum crimen certe est commissum, de eo potest & debet inquiri specialiter, & de persona generatim.

5. Non potest absque gravibus indiciis reum torturæ subjicere, alias *confessio habita est nulla, etiamsi sequatur ratificatio.* (*L. penult. ff. de quæst. a parit. rationis.*)

6. Non

6. Non potest subjicere torturæ eos qui jure torqueri prohibentur; tales sunt impuberes, senes, prægnantes, viri illustres eorumque filii, doctor, ejusque liberi, miles, qui nisi in criminibus exceptis, hæresi scilicet & læsæ Majestatis, non possunt torqueri. (*L. non est dubium cod. de Legibus*)

Possunt tamen terreri verbis, & torturæ comminari, & si fateantur crimen, valet confessio tamquam spontanea. (*L.* 15. §. 41. *ff. de injuriis*)

Quæres 3. *Utrum Judex possit capite damnare eum quem certo cognoscit innocentem, si per testes legitime probetur reus?* Affirmat D. Thomas, negat D. Bonaventura.

Dixi *capite damnare:* quia in causis civilibus, & in iis quibus agitur tantum de pœnis pecuniariis, Judex potest judicare secundum allegata & probata; *ratio* est quia Respublica habet dominium altum in bonis privatorum, vi cujus potest de illis disponere quando bonum commune id requirit; atqui bonum commune id requirit in præsenti casu, ne scilicet forma publicorum judiciorum cum populi scandalo pervertatur; ergo.

*Resp. itaque negative.* Quia intrinsece malum est aliquem occidere sine auctoritate; atqui Judex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis; hanc enim auctoritatem ei non potuit communicare Respublica, cum nec ipsa talem habeat, sed solus Deus; ergo, &c.

*Confirmatur*: Quia quando dicit Scriptura: *Non mœchaberis:* vetat accessum ad non suam, etiamsi in judicio probetur sua per testes: nec Judex privata scientia certus, Annam non esse uxorem Petri, potest ferre sententiam, qua Petrus ad ipsam accedere teneatur, licet in judicio Anna probata fuerit uxor Petri; ergo a pari, quando Scriptura dicit: *insontem & justum non occides, quia aversor impium:* vetat occisionem innocentis, etiam in judicio probati nocentis, nec Judex privata scientia certo sciens innocentiam ipsius, sententiam ferre potest, ut occidatur.

*Prob. paritas:* Ideo Judex non potest ferre sententiam, qua Petrus teneatur accedere ad Annam in casu proposito, quia hoc est intrinsece malum; atqui insontem occidere, pariter est intrinsece malum; ergo &c.

*Dices* 1. Judex non judicat ut persona privata, sed ut publica nomine Reipublicæ; ergo in judicando non potest sequi privatam scientiam: sed publicam.

*Resp. dist. ant.* Judicat ut persona publica, in his in quibus a Republica potestatem habet, *conc.* in quibus non habet, *nego.* Respublica autem nec potuit, nec voluit Judici conferre potestatem occidendi innocentem, cum hoc sit intrinsece malum juxta illud Exodi 23. *insontem & justum non occides, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.*

*Dices* 2. Ex D. Ambrosio (*Serm.* 20. *in Ps.* 118), *bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta Leges & Jura pronuntiat*, ergo.

*Resp. dist.* Juxta Leges & Jura pronuntiat, cum de facto pronuntiat, *conc.* cum non pronuntiat, *nego.* In præsenti enim casu nullatenus debet pronuntiare, sed (quod notandum pro praxi) tenetur omnes inire vias quibus possit innocentem liberare, v. gr. impediendo accusationem; vel testes per varia intervalla examinando & minis terrendo, vel judicium protrahendo; & si his omnibus viis non possit eum liberare, debet causam ad Superiorem judicem remittere, & apud eum assumere Officium testis ut possit liberationem innocentis urgere.

*Inst.* 1. D. Thom. quæst. 67. art. 2. dicit: Judicare pertinet ad Judicem, secundum quod fungitur publica potestate ... & ideo informari debet in judicando, non secundum quod ipse novit tamquam persona privata, sed secundum quod sibi innotescit tamquam personæ publicæ .... per instrumenta & testes .... quæ debet in judicando sequi magis quam quod ipse novit tamquam persona privata; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Debet Judex judicare secundum quod ipsi innotescit tamquam personæ publicæ, quando judicat, *conc.* quando non judicat, *nego ant.* Non ergo amplius dicit ibi Div. Thomas, nec ipsi contradicimus dicendo; quod ubi agitur de occisione, vel mutilatione innocentis, nec inductas probationes jure potest repellere, potius abstinere debet a judicio, quam innocentem contra prohibitionem divinam damnare.

*Inst.* 2. Atqui Judex in casu proposito tenetur judicare; ergo nulla solutio.

*Prob. ant.* Ex cap. *Pastoralis*, de Officio, & auctoritate judicis delegati, ubi dicitur, quod judex delegatus exequi debeat sententiam, quam ipse notavit injustam; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Quia ibi sermo non est de occasione, vel mutilatione, sed de causa mere Ecclesiastica: immo nec de Judice, sed de mero executore.

*Inst.* 3. Sacerdos dare debet Eucharistiam peccatori occulto eam publice petenti; ergo Judex debet ad mortem damnare innocentem occultum, publice probatum nocentem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod ministratio Eucharistiæ non sit intrinsece mala, prout est occisio innocentis. Imo esse licitam in casu proposito probat exemplum Christi, qui ultima cœnæ Eucharistiam Judæ indigne suscipienti ministravit: & sicut non concurrit ad irreverentiam Judæ, ad quam se permissive tantum habuit; ita nec Sacerdos in pari casu. Cum econtra Judex innocentem damnando ad mortem, ad eam certissime concurrit, seque habet active mandando, non permissive duntaxat.

*Inst.* 4. Deus jubet, ut ad mortem damnetur qui per testes in judicio probatus fuerit nocens, juxta illud Deut. 17. *in ore duorum, vel trium pereat, qui interficietur*; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Sensus enim textus est, quod nullus ad mortem possit damnari, nisi reus probetur per testimonium duorum, vel trium, nec ad hoc sufficiat unius solius testimonium: unde immediate additur: *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.*

## CAPUT II.

### *De Accusatore, Denunciatore & Testibus.*

*Nota.* *Accusator* est is qui crimen defert Judici ad vindictam cum obligatione crimen probandi

De-

*Denuntiator* est is qui crimen defert Judici ad rei emendationem, sine obligatione illud probandi.

*Testis* est is qui asseveratione sua, rei fidem facit.

*Testis idoneus* est is cui nihil opponi potest, quominus fides ei adhibeatur. Vocatur testis *omni exceptione major.*

*Testis minus idoneus* est is, cui aliquid opponi potest, quominus fides ei adhibeatur.

Quæres 1. *Quænam sunt dotes accusatoris?*

*Resp. Sunt duæ.* Est *veritas*, qua deterreatur ab accusatione & probationibus falsis vel dubiis.

2. *Est justitia:* qua ab injustis deterreatur molitionibus; v. gr. testes falsos adhibendo, judices corrumpendo, aut de eorum justa sententia injuste appellando; quæ omnia sunt peccata mortalia ad restitutionem obligantia.

Quæres 2. *An quis, & quo titulo teneatur accusare, vel denuntiare?*

*Resp.* 1. Officiales justitiæ tenentur ex justitia denuntiare delinquentes; quia tenentur ex Officio: tales sunt Fiscalis, custodes agrorum, nemorum, &c.

*Resp.* 2. Privati tenentur ex charitate denuntiare, 1. Quando crimen in malum Reipublicæ vergit. Talia sunt hæresis, proditio, crimen læsæ Majestatis, veneficium, &c. 2. Dum id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis, quamvis inde grave malum impendeat reo; quia innocens præferri debet reo voluntarie nocenti.

Quæres 3. *Quot sunt obligationes Testium?*

*Resp. Sunt duæ.* Testificari dum a legitimo Judice legitime sunt interrogati, exceptis quibusdam casibus....

Dixi *Legitime interrogati:* id est dum de auctore delicti præcessit infamia; *vel* dum sunt sufficientia indicia, aut semi-probatio; vel dum grave malum impendet Reip. aut alicui privato, quod alia ratione quam per judicem averti nequit.

Dixi 2. *Exceptis quibusdam casibus:* non enim tenentur testificari 1. Qui delictum norunt ex confessione Sacramentali.

2. Qui delictum norunt sub secreto naturali consilii vel auxilii petendi gratia, *ut Advocatus, Medicus, Obstetrix:* modo tamen sit præteritum, non autem futurum, dum nempe avertendum est grave damnum imminens communitati, vel privato innocenti.

3. Qui crimen per injuriam illatam cognoverunt, v. gr. Litteras aperiendo; alias continuaretur, imo augeretur injuria.

4. Qui delictum acceperunt a viris non fide dignis, nam testificatio esset inutilis.

5. Qui est consanguineus vel affinis delinquenti usque ad quartum gradum (*Cap. si testes* 4. *quæ si, referente Legem* 4. *ff. de testibus*). Tum quia bonum commune requirit ut vitentur dissensiones in familiis; tum quia ordinarie id fieri nequit sine gravi damno revelantis ob conjunctionem, cui damno non tenetur se exponere ut testificet.

2. *Obligatio* est, ut verum absque fuco testetur, *Testis* enim *mendax peribit* (*Prov.* 21. *vers.* 28.): nam præter perjurium peccat contra justitiam, & tenteur resarcire omnia damna inde secuta; imo tenetur revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura, quia per injuriam est causa damni & periculi alterius; & *in pari causa melior est conditio innocentis.*

Quæres 4. *Quinam Testes jure non sunt idonei?*

*Resp.* Non sunt idonei, 1. Mulier in criminalibus Jure Canonico (*Cap.* 10. *de verbor. sign.*), sed in Jure Civili in omni causa admittitur (*L.* 18. *de testib.*). 2. Minor viginti annis (*L.* 20. *ff. de test.*). 3. Inimicus rei (*L.* 3. *eod. tit.*). 4. Domestici accusatoris (*L.* 24. *eod. tit.*). 5. Infames (*L.* 21. *eod. tit.*). 6. Perjuri (*L.* 3. *Ibid.*). 7. Persona vilis & inops, de qua suspicio est facile posse corrumpi, secus si honesta sit. (*Ibid.*)

## CAPUT III.

### *De Reo.*

*Nota.* Reus est is qui criminis causa convenitur.

Quæres 1. *An Reus a Judice interrogatus teneatur crimen suum fateri?*

*Resp. juxta D. Thom.* (2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2.) *& probabiliorem sententiam* reum a legitimo judice *juridice* interrogatum, teneri sub mortali veritatem & crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit.

*Prob.* Quia Judex habet jus interrogandi & exigendi veritatem ob bonum publicum, ut fatentur oppositæ sententiæ patroni, ergo fateri coguntur reum teneri Judici veritatem fateri, nisi sibi ipsis contradicere velint.

*Prob. conseq.* Jus in Judice ad interrogandum reum exigendamque ab eo veritatem, & obligatio in reo ad illam clare detegendam sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit; ergo, &c.

*Dices* 1. Lex humana non obligat cum periculo vitæ; ergo longe minus præceptum Judicis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Legislator humanus nec potest, nec vult Legem suam obligare cum periculo vitæ; econtra Judex vere potest, & de facto vult præcipere reo semiplene convicto ut veritatem cum periculo vitæ fateatur. *Ratio* est quia bonum commune exigit, ut crimina puniantur, & reus juridice interrogatus verum fateatur: alioqui multa crimina manerent impunita, unde facile pullularent cum magno Republicæ damno.

*Dices* 2. Testes etiam cum juramento & juridice interrogati, veritatem dicere non tenentur, si inde sibi aut suis grave damnum timeant: ergo multo minus reus contra seipsum in mortis periculo.

*Resp. nego. conseq.* Disparitas est quod Testes sint innocentes, non autem reus, ob crimen jam semiplene probatum.

*Dices* 3. Nemo tenetur arma contra seipsum præbere; ut colligitur Lege *grave nimis* (*L.* 7. *eod. de testibus.*); ergo.

*Resp. dist. ant.* Non tenetur dum injuste impugnatur, *conc.* dum juste, *nego.* Reus autem a legitimo judice legitime interrogatus, juste impugnatur, nec

nec per injustam inobedientiam, perjurium, & mendacium seipsum defendere potest.

Cap. *Grave nimis* dicit tantum, reum non teneri adhibere Testes contra se, ut habet glossa ibidem.

Quæres 2. *An reus de complicibus interrogatus, teneatur ipsos detegere?*

*Resp.* Tenetur ipsos detegere, si de ipsis legitime interrogetur, propter rationem supra allatam; si autem non interrogetur legitime, non tenetur eos patefacere, quia tunc Judex non habet jus interrogandi.

Legitime interrogatur de complicibus 1. Cum de illis præcessit infamia, vel indicia sufficientia, vel semi-probatio. 2. Dum crimen ejus, necessario complicem requirit. 3. Dum crimen quod est Reipublicæ valde noxium, vel etiam alicui innocenti, aliter impediri non potest; hæc omnia colliguntur ex Jure. (*Cod. de accusat.*)

Quæres 3. *An reus teneatur justæ sententiæ parere?*

*Resp. affirm.* Quia Judex habet jus puniendi reum: ergo reus tenetur obtemperare ejus sententiæ: sunt enim duo correlativa, quæ semel esse necesse est.

*Hinc* 1. Legitime ad mortem damnatus non potest se defendere contra Judicem & executores sententiæ, quia resisteret potestati, *qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* (*Rom.* 13. *v.* 2.)

2. Reus tam in causis civilibus quam in criminalibus graviter peccat, si causa repellendæ, vel differendæ justæ sententiæ ad superiorem Judicem appellet; tunc enim Judici recte judicanti, & actori injuriam infert.

3. Tenetur pœnam justa Judicis sententia decretam, in seipso exequi *dum nimis gravis non est*, talis est pœna carceris, vel exilii ad tempus, item pœna pecuniaria.

Dixi: *dum nimis gravis non est*: siquidem pœnam gravem, v. g. perpetui carceris, mutilationis, aut mortis, nullus in seipsum exequi tenetur; ratio est quia hæ pœnæ crudelitatem habent ex hoc præcise quod a reo executioni mandentur; unde egent executione alterius. Sed

Quæres 4. *An licitum est reo fugere ad vitandam mortem, vel mutilationem?*

*Resp. affirm.* Quia non conjicitur in carcerem ut ibi sponte maneat, sed ut ibi detineatur .... nec refert quod ex fuga illa custos carceris grave damnum passurus sit; quia utenti jure suo nihil imputatur ad culpam.

*Re vives.* Qui ad mortem, vel mutilationem juste etiam damnatus est, potest (secluso scandalo & juramento) vincula rumpere & carcerem effringere: quia cui licitus est finis, licita sunt media: ergo cum licita est fuga, licitum est etiam impedimenta ad fugam removere.

## CAPUT IV.

### *De Advocato, Referente, Procuratore, Notario, & Apparitore.*

*Dico.* Hi omnes tenentur ex justitia, 1. habere competentem scientiam, qua unusquisque suum munus valeat debite exercere; . . . hinc si defectu peritiæ debitæ sint causa damni, tenentur illud resarcire, cum erga illos, *imperitiæ culpa adnumerentur.* (*L.* 174. *ff. de regul. jur.*)

2. Tenentur justitiam in omnibus sectari: sunt enim instituti justitiæ ministri, ut in omnibus justitiam partibus administrent.

Quæres. *In quibus hi omnes peccant contra justitiam & ad restitutionem tenentur?*

*Resp.* 1. *Advocatus & Procurator* peccant contra justitiam,

1. Quando causam quam noverunt injustam, defendunt, & de ejusdem injustitia clientes non monet.

2. Quando periculum litis amittendæ non indicant clienti, qui eo cognito non fuisset litigaturus.

3. Quando in processu caussæ iniquitatem deprehendentes, non monent clientem ut desistat, nec ipsi eam deserunt, licet prius justitiam putaverint; nam alias scienter injustitiam tuerentur.

4. Quando causæ expeditionem cum damno clientis differunt.

5. Quando secreta causæ, adversæ parti detegunt, item qui utrique parti serviunt.

6. Quando in causa manifeste justa clientem ad justam compositionem inducunt, ut adversæ parti faveant.

7. Quando Clienti juste damnato suadent, ut de sententia lata appellet.

8. Quando accipiunt pretium justo majus.

*Resp.* 2. *Referens* peccat & tenetur restituere,

1. Dum defectu studii, & diligentiæ pro qualitate causæ requisitæ, male refert, aut aliquid substantiale omittit.

2. Dum conatur jus unius, magis quam alterius exponere.

3. Dum secretum uni manifestat in præjudicium alterius.

*Resp.* 3. *Notarii* peccant & tenentur restituere,

1. Dum sine causa instrumenta conficere respuunt; vel non exhibent juste petentibus, ex quo damnum percipiunt.

2. Dum sincere omnia prout se habent, non scribunt; v. gr. cum aliquid addunt, vel detrahunt.

3. Dum in scriptis suis clausulas ambiguas, quæ litis materiam subministrent, inserunt.

4. Dum acta & instrumenta negligenter custodiunt, cum periculo damni partium.

5. Dum conficiunt instrumenta falsa, usuraria & injusta.

6. Dum testamentum, vel alium contractum hominis usu rationis destituiti, suscipiunt.

7. Dum testes falsos admittunt.

8. Dum solemnitates in contractibus necessario requisitas ex ignorantia, vel negligentia aut malitia prætermittunt.

*Resp.* 4. *Scriba* peccat contra justitiam,

1. Dum juramentum, aut secretum violat.

2. Dum processus, aut sententias diligenter non custodit.

3. Dum testimonia non fideliter transcribit,

*Resp.* 5. *Apparitores* peccant,

1. Dum

1. Dum juramentum, aut secretum violant in præjudicium partis.
2. Dum aliquem deprehendere jussi, vel ejus bona, cum spe muneris, vel alio motivo, monent, ut sibi caveat.
3. Cum plura negotia expedientes in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigunt, quantum pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus.
4. Dum falsum in actis suis enuntiant.
5. Dum præscripto tempore acta juridica sibi commissa non conficiunt, ex quo damnum partibus emergit.
6. Dum tempus necessarium ad facienda acta juridica non concedunt.
7. Dum commissionum suarum occasione, pauperes vexant, & in eos violentias exercent.

## DISSERTATIO V.

*De obligationibus Regum et Magistratuum, Ducum et Militum.*

Quæres 1. *Quænam sunt obligationes Regum, et Magistratuum?*
*Resp.* Tres assignantur præcipuæ.
1. *Obligatio* est ut divinas Leges & Religionem auctoritate sua tueantur; quia ad hoc præcipue sunt a Deo constituti.
*Hinc* peccant qui diebus Dominicis & festivis officinas aperiri, choreas publicas agi, nundinas haberi, vinum divinorum Officiorum tempore a cauponibus ministrari, permittunt.
2. *Obligatio* est ut populi sibi commissi incolumitati diligenter invigilent.
*Hinc* peccant qui populum tributis gravioribus onerant; qui res ad victum & vestitum necessarias nimio pretio vendi permittunt.
3. *Obligatio* est ut justitiam, tum vindicativam in criminibus puniendis, tum distributivam in oneribus & officiis distribuendis inviolabiliter servent.
Quæres 2. *Quænam sunt obligationes Ducum belli, et militum?*
*Resp. Sunt tres*: 1. Est fidelitas & obedientia erga Principem & militiæ Præfectos.
*Hinc* 1. *Duces belli* peccant contra justitiam,
1. Qui militiæ secreta revelant.
2. Qui suorum militum numerum non complent dum possunt & debent.
3. Qui in recensione copiarum extraneos non milites, (*Gallice Passe-volans*) supponunt.
4. Qui militibus debitum stipendium retinent, aut annonam jam corruptam ministrant.
*Hinc* 2. *Milites* peccant 1. Qui stationem suam non servant, quam sub vitæ periculo tenentur servare.
2. Qui ad partes inimicorum transeunt.
2. *Obligatio* est charitas & mansuetudo erga populos, pro quibus militant.
Hinc peccant contra justitiam milites qui ab hospitibus suis quidquam auferunt vel extorquent; & Duces qui similia permittunt, nec restituere cogunt.
3. *Obligatio* est ut fidem & justitiam erga hostes servent.

Hinc peccant Duces & milites,
1. Qui fidem datam non servant, aut fraudulenter interpretantur.
2. Qui non imperati damna hostibus inferunt.
3. Qui directe occidunt innocentes, v. g. pueros, mulieres, &c.
4. Qui contributiones exigunt ab urbibus hostilibus, quæ summa pecuniaria Principi vel Duci soluta redemerunt omnem exactionem.

## DISSERTATIO VI.

*De obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum et Chirurgorum.*

*Dico.* Horum omnium tres sunt obligationes.
1. *Obligatio* est ut habeant scientiam & peritiam sufficientem.
*Hinc* Medici & alii qui hanc artem imperiti exercent, peccant mortaliter, tenenturque damna ex sua imperitia orta resarcire.
2. *Obligatio* est ut fideliter artem suam exerceant.
*Hinc* contra fidelitatem peccant
1. Qui debitam curam & operam pro gravitate morbi non impendunt.
2. Qui medicamenta dubia, relictis certioribus adhibent.
3. Qui ad ditandos pharmacopolas remedia inutilia præscribunt.
4. Qui curationem protrahunt majoris lucri causa.
5. Qui occultos morbos pudendos eorum quos curant, divulgant.
8. Qui stipendium injustum extorquent.
3. *Obligatio* est, ut artem suam cum pietate, religione & charitate exerceant.
*Hinc* graviter peccant contra has virtutes
1. Qui mediis illicitis utuntur ad procurandam sanitatem, v. g. ebrietate, pollutione, &c.
2. Qui sine justa causa a jejunio & abstinentia ægros solvunt.
3. Qui ægros non monent de periculo mortis, ut suæ saluti æternæ mature providere possint; hoc districte præcipitur *in Conc. Later. 4. cap. cum infirmitas de Pœnitent.*
4. Qui medicamenta ad procurandum abortum mulieri gravidæ præbent, ne ipsa pereat.
5. Qui pauperibus graviter ægrotantibus gratis opitulari recusant.
6. Qui ut peritiam suam extollant collegis suis detrahunt; in hoc casu peccant contra justitiam.
*Nota*: *Mercatorum*, *rusticorum*, *artificum aliorumque operariorum obligationes*, *ac peccata satis patent ex dictis de Contractibus*, *de justitia et alibi.*

## APPENDIX.

*Circa receptionem Concilii Tridentini.*

Cum in hoc Tractatu de Obligationibus, homines seipsos magis quam veritatem amantes, auctoritatem Concilii Tridentini eliminent sub falso prætextu illud in Gallia non fuisse receptum, operæ

re pretium duximus ejus authenticam receptionem hic recensere, prout reperitur in Actis Cleri Gallicani prælo mandatis a Vitrè anno 1675.

*Après une mure et longue déliberation*, ajunt Prælati congregati, *du commun et unanime consentiment de l'Assemblée, la resolution suivante y a été faite*:

„ Les Cardinaux, Archevêques, Evêques, Prélats & autres Ecclésiastiques soussignés représentans le Clergé général de France, assemblés par la permission du Roi au Couvent des Augustins à Paris, après avoir murement delibéré sur la publication du Concile de Trente, ont unanimement reconnu & déclaré, reconnoissent & déclarent qu'ils sont obligés par leur devoir & conscience à recevoir, comme de fait ils ont reçu & reçoivent le dit Concile, & promettent de l'observer autant qu'ils peuvent par leur fonction & autorité spirituelle & Pastorale. Et pour en faire une plus ample, plus solemnelle & plus particulière réception, sont d'avis que tous les Conciles Provinciaux de tous les Provinces métropolitanes de ce Royaume doivent être convoqués & assemblés en chacune Province dans six mois au plus tard; & que Messieurs les Archevêques & Evêques absens en doivent être suppliés par les Lettres de la présente Assemblée, conjointes aux copies du present Article; pour en ceux Conciles Provinciaux être le dit Concile de Trente reçu, avec injonction de le recevoir par après aux Synodes de tous les Diocèses particuliers, suivant la déliberation générale des Etats de ce Royaume, dont l'Article est inséré au pied de ce présent Acte: & qu'en cas que quelque empêchement retardât l'Assemblée des dits Conciles Provinciaux dans le temps sus dit; le dit Concile sera neanmoins reçu aux sus dits Synodes Diocésains premiers suivans, & observé par les dits Diocéses. Ce que les dits Prélats & autres Ecclésiastiques ont promis & juré de procurer & faire effectuer.

„ Fait en l'Assemblée générale du dit Clergé, tenu aux Augustinus, à Paris le septieme jour de Juillet mil six cens quinze ".

*Cette Déliberation fut signée par les Cardinaux de Gondy, du Perron & de la Rochefoucaut.*

*Par sept Archevêques, celui de Rheims, de Vienne, d'Aix, d'Auch, de Bourges, d'Ambrun, et d'Augustopolis Coadjuteur de Rouen.*

*Par* 41. *Evêques.*

*Par les deux anciens Agens généraux du Clergé, et par vingt huit autres Ecclesiastiques députés de la dite Assemblée.*

# TRACTATUS QUARTUS.

## DE PECCATIS.

Hunc Tractatum in duas Dissertationes distribuemus, quarum prima erit de Peccatis in communi; secunda de peccatis in particulari.

### DISSERTATIO I.

*De Peccatis in communi.*

In hac dissertatione agemus 1. De essentia Peccati; 2. De mutua Peccatorum ab invicem distinctione; 3. De illorum connexione & inæqualitate; 4. De illorum effectibus.

### CAPUT PRIMUM.

*De Essentia Peccati.*

*Nota.* Licet vitium & peccatum sæpe confundantur, tamen si stricte sumantur, in hoc different quod vitium sit habitus inclinans ad actum moraliter malum, unde contrariæ opponitur habitui virtutis; econtra peccatum sit actus moraliter malus atque opponatur contrariæ actui virtuti, ex quo sequitur actum contritionis expellere quidem peccatum a suo subjecto, non vero vitium quod cum charitate consistere potest; hic de solo peccato loquimur; unde

Quæres 1. *Quid sit peccatum?*

*Resp.* Cum D. August. *l.* 22. *contra Faustum cap.* 27.) est *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem æternam.* Quod hæc definitio sit legitima,

*Prob.* Illa definitio est legitima quæ datur per genus & differentiam; atqui prædicta definitio datur per genus & differentiam; ergo. Hæ enim voces, *dictum*, *factum*, *concupitum*, tenent locum generis, cum pertineant ad actus bonos & malos, qui vel ore, vel mente vel opere perficiuntur. Istæ vero *contra Legem æternam*, tenent locum differentiæ, & peccatum a quocumque actu humano non peccaminoso, distinguunt; ergo.

*Objicies* 1. Ista definitio non convenit omni peccato, ergo non est legitima .... *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Ista definitio non convenit peccato omissionis, quod non est *dictum*; sed omissio dicti, &c. Ergo.

*Resp. nego ant.* Nam in moralibus affirmatio & negatio ad idem genus reducuntur; ac proinde cum omissio sit negatio, seu potius privatio actus debiti, qui est quædam affirmatio, comprehenditur sub hac definitione peccati.

*Inst.* Prædicta definitio non convenit peccato originali; nam peccatum originale non est dictum vel factum.

Resp.

*Resp. nego ant.* Ad prob. *dist.* Peccatum originale non est dictum vel factum, voluntate propria, cujus non sunt capaces infantes, *conc. antec.* voluntate aliena, nimirum Adami, *nego antec.* Voluntas enim Adami non erat solum voluntas privatæ personæ, sed erat voluntas communis omnium hominum, quorum Adam erat caput, unde Aug. (*L.* 1. *retract. cap.* 13.) ait: *peccatum originale voluntarium dici poterit in parvulis, quia ex primi parentis voluntate contractum est, factumque quodammodo hæreditarium.*

*Objicies* 2. Non est de ratione peccati in genere ut sit contra Legem æternam; ergo ..... *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Potest dari peccatum mere philosophicum, quod scilicet rectæ rationi præcise adversetur, non vero Legi divinæ; ergo non est de ratione peccati in genere, ut sit contra legem æternam.

*Resp. nego ant.* Nam ex Apost. (*Rom.* 4. *v.* 15.) *Lex iram operatur; ubi enim non est Lex, nec prævaricatio;* ergo quidquid est peccatum, est contra Legem æternam; ratio est quia advertit se contra rectam rationem peccare, simul & indivisibiliter advertit se peccare contra Legem æternam saltem implicite & virtualiter, cum dictamen rectæ rationis sit intimatio ipsius Legis æternæ, quod sufficit ad peccandum formaliter & theologice.

Hinc Alex. VIII. (*Die* 24. *August. ann.* 1690.) ut *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam*, damnat hanc prop. *peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale, est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensio Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

*Inst.* 1. D. Thom. agnoscit peccatum mere philosophicum; ergo datur.

*Prob. antec.* D.Thom. (1. 2. *q.* 71. *art.* 5. *ad* 6.) ait: *a Theologis consideratur peccatum præcipue, secundum quod est offensio contra Deum, a Philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi*; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Ex textu enim sequitur peccatum considerari posse sub duplici formalitate, nempe ut est offensa Dei, & ut est contrarium rationi; sed non sequitur aliquod esse peccatum contrarium recte rationi, quod non sit contra Legem æternam, & vera offensa Dei.

*Inst.* 1. Ad peccandum formaliter requiritur advertentia ad malitiam peccati; atqui potest quis agendo contra rectam rationem, non advertere ad malitiam peccati; ergo potest quis peccare philosophice, quin peccet theologice.

*Resp. dist. maj.* Requiritur advertentia actualis, *nego maj.* virtualis & interpretativa, *conc. maj.* atqui potest quis agendo contra rectam rationem non advertere ad malitiam peccati actualiter, *conced. min.* virtualiter & interpretative, *nego min.* Porro illa virtualis & interpretativa advertentia ad peccatum, sufficit ad peccandum theologice, tum quia *scire & debere scire* de facto æquiparantur apud jurisperitos, tum quia juxta D. Thom. (1. 2. *q.* 74. *art.* 7. *ad* 2.) *ratio superior dicitur consentire sive cogitet de Lege æterna, sive non. Cum cogitat de Lege Dei, actu eam contemnit: cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam.*

*Objicies* 3. Peccatum veniale non est contra, sed præter Legem Dei, ut docet D. Thom. (1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 1.) ergo definitio allata non convenit omni peccato.

*Resp. dist. ant.* Peccatum veniale non est contra Legem secundum se spectatam, *nego ant.* nam mendacium leve prohibetur, Eccl. 7. *noli velle mentiri mendacium;* ita furtum leve prohibetur hoc præcepto, *non furaberis:* non est contra Legem spectatam secundum finem Legis qui est charitas, *conc. ant.* Ratio est quia non evertit charitatem, quæ est finis Legis, ut seipsum exponit D. Thom. (*q.* 7. *de malo art.* 1. *ad* 1.)

*Objicies* 4. Peccatum actuale non tantum committitur contra Legem æternam, sed etiam contra Leges humanas; ergo omne peccatum non est contra Legem æternam.

*Resp. nego conseq.* Quia in definitione Lex ipsa æterna sumitur quatenus est radix & origo omnium Legum, cujus Leges humanæ sunt quædam participationes: unde qui peccat contra Legem humanam, hoc ipso peccat contra Legem æternam quam participant, & quæ præscribit obediendum omni Superiori legitime præcipienti.

*Objicies* 5. Apostolus, *Rom.* 2. ait: *Qui sine Lege peccaverunt, sine lege peribunt*: ergo peccari potest sine Lege; ergo non omne peccatum est contra Legem.

*Resp. dist. conseq.* Peccari potest sine Lege scripta, *conced.* sine Lege æterna, *nego conseq.* De sola Lege scripta ibi loquitur Apostolus, qui, *Rom.* 4. dicit: *ubi non est Lex, nec prævaricatio.*

*Inst.* 1. Axioma theologicum. *Non omne peccatum ideo est malum, quia est prohibitum;* ergo non omne peccatum est contra Legem æternam.

*Resp. dist. ant.* Non enim peccatum ideo est malum, quia est prohibitum, Lege positiva, *conc.* Lege æterna & naturali, *nego ant.* cum D. Thoma, qui 1. 2. quæst. 72. art. 6. ad 4. ait: *Cum dicitur quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in Lege æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum.*

*Inst.* 2. Clemens XI. damnavit hanc prop. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum esse videatur; ergo*, &c.

*Resp. nego conseq.* Eatenus quippe propositio illa damnata est, quatenus significat, fornicationem non esse malam, quia prohibita est jure naturali, immutabili & æterno, sed tamen jure positivo, arbitrario & mutabili; quod est aperte falsum & erroneum.

Quæres 2. *An omne peccatum sit contra naturam hominis?*

*Resp.* Omne peccatum est contra naturam ratio-

tionalem hominis; nam omne peccatum est contra legem æternam; ergo est contra naturam hominis rationalem, per quam promulgatur nobis Lex æterna, cujus est participatio.

*Dices*: Sunt quædam peccata quæ peculiari ratione dicuntur esse contra naturam, ut Sodomia; ergo reliqua non sunt contra naturam.

*Resp. dist. conseq.* Non sunt contra naturam hominis sensitivam, id est contra naturalem ordinem quem natura servat in generatione, *conc. conseq.* non sunt contra naturam rationalem, id est contra dictamen recte rationis, *neg. conseq.* Omnia enim peccata contrariantur rectæ rationi dictanti omnia peccata esse vitanda.

Quæres 3. *Utrum formale peccati consistat in aliquo positivo, vel in sola privatione?*

*Nota*: In peccato duo spectari solent, materiale scilicet & formale. *Materiale peccati* est quilibet actus humanus, ex quo peccatum physice constat. *Formale peccati* est repugnantia actus humani cum Lege æterna. Porro hic quæritur, utrum talis repugnantia sit quid positivum, vel mera privatio?

*Resp. Formalis ratio peccati non consistit in aliquo positivo, sed in sola privatione conformitatis cum lege æterna, quæ conformitas est rectitudo actui debita.*

Nostra responsio est D. Thomæ qui (1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6.) sic loquitur: *peccatum nihil est aliud quam actus humanus malus; quod sit humanus, habet ex hoc quod sit voluntarius; quod sit malus, ex hoc quod caret debita commensuratione.*

*Prob.* 1. Ratio formalis peccati convenit univoce peccato omissionis & commissionis; quia peccatum recte in illa dividitur tamquam in sua inferiora: sed formalis ratio peccati omissionis est mera quædam privatio rectitudinis actui debitæ, seu conformitatis cum Lege ut omnes fatentur; ergo & formalis ratio peccati commissionis; ea enim ex dialecticis dicuntur univoca, quorum nomen & ratio est communis & eadem.

*Prob.* 2. Deus est causa omnis entis positivi, ut definivit Innoc. III. (*Cap. firmiter de summa Trinit. contra Manichæos*); sed Deus non est causa peccati secundum malitiam moralem, ut definivit Conc. Trid. (*Sess.* 6. *can.* 3.); ergo formale constitutivum peccati non est aliquid reale positivum. Hinc D. Aug. (*Tract.* 2. *in Joann.*) ait: *peccatum nihil est, & nihil faciunt homines cum peccant.* Ut probet contra Manichæos Deum non esse auctorem mali, eo quod malum nihil sit physicum & positivum.

*Prob.* 3. Eodem modo se habent malum morale & malum artificiale, quia bonum utrique malo oppositum consistit in conformitate ad suam regulam; atqui malum artificiale consistit in privatione conformitatis ad regulas artis; ergo & malum morale consistit in privatione conformitatis ad Legem ut suam regulam.

*Objicies* 1. Formalitas peccati non consistit in privatione rectitudini actui debitæ; ergo .... *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Dantur aliqui actus peccaminosi, quibus nulla debetur moralis rectitudo & bonitas, ergo ... *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Actibus odii Dei, mendacii, etc. nulla debetur moralis rectitudo & bonitas, cum omnis rectitudinis sint incapaces; ergo.

*Resp. dist. ant.* Actus odii Dei, mendacii, &c. sunt rectitudinis incapaces, si spectentur *reduplicative* prout sunt actus odii Dei, mendacii, &c. *conc. ant.* sic enim sunt charitati & veritati essentialiter difformes; si spectentur *generice* prout sunt actus humanus simpliciter tendens in hoc vel illud objectum, *nego ant.* Porro ut actus humanus sit capax rectitudinis, satis est ut *generice* sumptus possit eam habere, nec requiritur ut sumptus secundum speciem actus humani, illam recipere valeat.

*Objicies* 2. Si ratio formalis peccati posita esset in sola privatione rectitudinis, 1. Unum peccatum non esset gravius altero, cum privationes magis aut minus non suscipiant. 2. Peccata extreme opposita v. g. avaritia & prodigalitas specie non differrent, cum non includant privationes specie diversas, sed unicam & eandem, nempe privationem rectitudinis quæ ex liberalitate oritur; falsum conseq. ergo.

*Resp. ad.* 1. *nego seq. ant.* Ad prob. *dist.* privationes magis aut minus non suscipiunt ratione sui, *conc.* ratione perfectionis qua privant, *nego ant.* Hæc enim non consistit in indivisibili, ut patet in tenebris, quæ licet dicantur privatio lucis, aliæ tamen aliis sunt majores & densiores.

*Resp. ad* 2. *nego seq. ant.* Nam ad distinctionem specificam peccatorum extreme oppositorum, non requiritur ut sint plures privationes specie diversæ, sed sufficit ut voluntas diverso specie modo privet actum humanum debita rectitudine; unde cum avaritia & prodigalitas diverso specie modo privent actum liberalitatis debita rectitudine, non desinunt servare inter se distinctionem specificam.

*Inst.* Voluntas non privat actum humanum debita rectitudine, nisi quia prave attingit objectum; atqui illa objecti attingentia est quid positivi; ergo.

*Resp. dist. min.* Est quid positivi fundamentaliter & materialiter, *conc. min.* formaliter, *nego min.* Prodigalitas enim formaliter nihil aliud est, quam privatio justæ pecuniarum conservationis; & avaritia, quam privatio prudentis pecuniarum effusionis.

*Objicies.* Peccatum est aversio a Deo & conversio ad creaturam; atqui talis conversio est quid positivum; ergo.

*Resp. dist. min.* Est quid positivum fundamentaliter, *conc. min.* sic enim est actus humanus; est quid positivum formaliter, *nego min.* Sic enim est privatio rectitudinis.

## CAPUT II.

### *De mutua peccatorum ab invicem distinctione.*

*Nota.* Peccata ab invicem distingui possunt specie vel numero.

Distinguuntur *specie*, cum eorum malitia, & oppositio cum Lege est diversæ naturæ; sic furtum differt specie ab adulterio.

Distinguuntur *numero*, cum plurium numero actuum malitia moralis, est ejusdem naturæ; sic furtum differt ab alio furto tantum numerice.

Hinc

Hinc quæritur unde desumenda sit peccatorum distinctio tum specifica, tum numerica.

## QUÆSTIO I.

*Unde peccatorum distinctio specifica desumenda sit?*

*Dico* 1. *Distinctio peccatorum specifica non est repetenda ex diversis specie præceptis præcipientibus aut prohibentibus eandem rem sub eodem motivo; repetenda vero est ex diverso motivo quo eadem res præcipitur aut prohibetur.*

*Prob.* 1. Ex D. Thom. qui 1. 2. qu. 76. art. 5. ad 3. dicit: *Secundum diversa præcepta legis, non diversificantur peccata secundum speciem.*

*Prob.* 2. Quia actus morales specificantur a suis objectis formaliter consideratis; atqui cum diversa specie præcepta præcipiunt, aut prohibent eandem rem sub eodem motivo, est unicum objectum formale, nempe unica res præcepta vel prohibita; econtra cum præcipiunt aut prohibent eandem rem sub diverso motivo, est diversum objectum formale; ergo in primo casu est idem specie peccatum; in secundo multiplex.

*Resolves* 1. Is qui Sacrum omittit die Dominica in qua incidit Festum alicujus Sancti, nonnisi unum specie & numero peccatum admittit, quia licet duplex sit præceptum materialiter; tamen unicum est formaliter & specie morali, cum ab utroque auditio Missæ sub uno eodemque motivo religionis præcipitur. *Item* qui furatur, unicum specie peccatum committit, licet furtum legibus specie diversis, nempe naturali, divina positiva & humana prohibeatur; quia ab omnibus illis legibus sub uno eodemque justitiæ motivo prohibetur.

*Resolves* 2. Is qui non jejunat eo die quo jejunium ipsi a Confessario injunctum est, & ab Ecclesia præceptum, duplex specie peccatum committit, propter diversa motiva pœnitentiæ ac religionis, propter quæ jejunium præcipitur.

## CONCLUSIO I.

*Distinctio specifica peccatorum repetenda est ab objecto formali, fine & circumstantiis, habentibus malitiam, id est disconvenientiam cum Lege æterna, specie diversam.*

*Prob.* Actus moralis sumit malitiam moralem in aliqua specie ab objecto, fine, & circumstantiis moralibus; ergo si ista habeant malitiam specie diversam, actus moralis habebit quoque malitiam specie diversam. Sed

Quæres: *Quandonam actus moralis, ex objecto, fine, & circumstantiis contrahit malitiam specie diversam?*

*Resp.* Hoc cognoscitur ex quadruplici regula.

1. *Regula.* Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando diversis virtutibus est oppositus; sic eadem percussio Clerici est duplex specie peccatum, quia est opposita virtutibus justitiæ & religionis; & sic est peccatum injustitiæ & sacrilegii.

2. *Regula.* Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando diversis ejusdem virtutis officiis est oppositus: sic odium Dei & omissio charitatis sunt duo peccata specie morali distincta quia diversis charitatis officiis opponuntur; charitas enim non solum prohibet ne Deum odio habeamus, sed etiam ut aliquando positivos actus amoris erga Deum eliciamus.

3. *Regula.* Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando eidem virtuti opponitur modo contrario; sic prodigalitas & avaritia specie inter se differunt, quia licet uni solum liberalitatis virtuti opponantur, ab ea tamen duobus modis contrariis ac proinde specie diversis deflectunt, per excessum scilicet & defectum.

4. *Regula.* Actus moralis contrahit malitiam specie diversam quando eidem virtuti opponitur modo diverso, licet non contrario; sic furtum, rapina, detractio, homicidium specie differunt, quia diverso modo virtuti justitiæ opponuntur; alia enim est ratio justitiam violandi nocendo bonis, famæ, aut vitæ ob speciales quæ circa hoc occurrunt difficultates.

*Dices:* Non omnis distinctio specifica peccatorum illis quatuor regulis comprehenditur; ergo illæ regulæ non sufficiunt ... *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Furtum unius assis differt specie a furto unius nummi; atqui illa distinctio specifica non comprehenditur illis quatuor regulis; nam utrumque eidem virtuti justitiæ est oppositum & eodem modo; ergo.

*Resp. dist. ant.* Furtum unius assis & furtum unius nummi differunt specie morali demeritoria: *conc. ant.* Ratio est quia unum est veniale, aliud mortale; differunt specie morali absoluta, *nego ant.* Porro hic præsertim inquirimus unde petenda sit distinctio peccatorum specifica absoluta, qua peccatum ad malitiam alterius rationis transferatur. Quod ut bene dignoscatur,

*Notandum* est, speciem moralem demeritoriam desumi ex parte aversionis a Deo: speciem vero moralem absolutam desumi ex parte conversionis ad creaturam: unde furtum unius nummi in tantum habet malitiam specie diversam a furto unius assis, in quantum in furto unius nummi reperitur contemptus, saltem interpretativus, divinæ amicitiæ, voluntatisque aversio a Deo, ultimo fine, quæ non reperiuntur in furto unius assis; sed neutrum furtum differt specie ex parte conversionis, utrumque enim habet idem objectum, a quo specificantur moraliter absolute, juxta illud D. Thom. quæst. 2. de malo, art. 8. peccatum mortale & veniale, *Non sunt ejusdem speciei ex parte aversionis, sunt autem ex parte conversionis, per quam respicitur objectum, unde speciem habet.* Ex quo sequitur, quod major vel minor quantitas objecti, ad quod se convertit peccator, non inducat specificam peccati diversitatem inter peccatum mortale & veniale; sed quod unum sit diversum specie ab altero, quia mortale avertit a Deo, non vero veniale.

## QUÆSTIO II.

*Unde repetenda sit distinctio peccatorum numerica.*

*Nota* 1. Quæstio procedit de peccatis ejusdem speciei; certum quippe est in iis quæ essentialiter

ter differunt, unum non esse aliud; atqui ubi unum non est aliud, ibi multiplicatur numerus; ergo distinctio specifica distinctionem numericam necessario importat.

*Nota* 2. Hic quæruntur duo: 1. Quandonam actus physice unus plura numero complectatur peccata. 2. Quandonam actus physice plures unum, vel plura numero peccata efficiant; unde

## CONCLUSIO I.

*Actus physice unus plura numero peccata complectitur, quoties versatur circa plura objecta materialia quæ se non habent per modum unius, sed per modum plurium.*

*Prob.* Quia sicut unus actus est multiplex specie peccatum, dum habet multiplicem specie malitiam, est multiplex numero peccatum cum habet multiplicem numero malitiam; atqui actus physice unus qui versatur circa plura objecta materialia quæ se habent per modum plurium, habet multiplicem numero malitiam; ergo est multiplex numero peccatum.

*Resolv.* 1. Qui uno actu duos homines odit, de duobus detrahit, duos occidit, duo peccata committit; quia illa objecta materialia se habent per modum plurium; cum actus qui circa illa versatur, plurium jus lædat.

*Resolv.* 2. Conjugatus qui copulam habet cum alterius conjuge, duplex numero adulterium committit: quia duorum jus infringit, uxoris suæ scilicet & mariti conjugatæ quam cognoscit.

*Resolv.* 3. Sacerdos qui unica administratione sex baptizat, vel absolvit, vel administrat aliud Sacramentum in malo statu, sex committit peccata numero distincta; quia administratio uni facta est actio integra & ab alia omnino independens. Hinc in Confessione debet exprimere numerum personarum quibus Sacramentum administravit; vel si numeri non meminit, debet saltem exprimere tempus per quod administravit.

*Resolv.* 4. Qui uni familiæ decem personis constanti, unica detractione detrahit, decem numero peccata committit; nam jus quod quælibet persona illius familiæ habet ad famam, violatur; atqui jus unius a jure alterius diversum est & independens.

*Nec dicas* cum Navarro, Bonacina, Paulo a Lug. una familia, una reputatur persona; ergo qui uni familiæ decem personis constanti detrahit, unicum numero peccatum committit.

*Resp. dist. antec.* Una familia reputatur una persona, fictione juris, *conc. ant.* in esse moris, *nego ant.* nam juxta adversarios non minus decem homicidia commisisse censetur qui decem personas ejusdem familiæ occidit, quam qui decem occidit diversæ, quia jus in vitam cujuslibet particularis violatur; quare ergo decem numero detractiones non committeret qui decem ejusdem familiæ personis detraheret, cum pariter jus quod quilibet particularis habet in famam, violatur?

*Inst.* 1. Qui unico voluntatis actu furatur omnes libros bibliothecæ, omnes oves gregis, unicum numero peccatum committit; ergo & qui detrahit omnibus unam familiam componentibus, unicum peccatum committit.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod per furtum unius integræ bibliothecæ, integri gregis, lædatur jus proprietarii, quod est unicum; ergo est unicum peccatum, econtra qui detrahit decem personis unius familiæ, lædit decem jura adæquate distincta. Per hoc enim quod illæ personæ ad eandem pertineant familiam, non magis desinunt esse revera personæ numero plures in esse moris dum prima istius familiæ persona, est pater delinquentis, secunda uxor, tertia clericus: atqui tunc non desinunt esse plures specie in esse moris; cum qui unico voluntatis actu omnes occideret, plura peccata specie distincta committeret, nimirum, parricidium, uxoricidium, clericidium, &c. Ergo non desinunt esse plures numero completæ in esse moris, quarum singulæ jus in propriam vitam & famam habent completum & complete distinctum a jure alterius.

*Inst.* 2. Omnes qui sunt de familia, eo modo componunt unam familiam, quo omnes libri bibliothecæ, unam bibliothecam, in his ovibus, quæ unum gregem componunt, non sunt jura distincta, sicut sunt in personis unam familiam componentibus.

*Inst.* 3. Saltem Confessarius non tot numero peccata committit, quot unica administratione homines absolvit in malo statu; ergo.

*Prob. ant.* Non obstante multiplicitate absolutionum, ille Confessarius censetur unum moraliter judicium exercere; ergo censetur unum moraliter numero peccatum committere.

*Resp. nego ant.* Nam ubi sunt diversæ personæ quæ judicantur, diversæque judiciales causæ ac sententiæ, diversa sunt judicia moraliter diversa. Nec est cur in eo casu sit potius unum tantum numero judicium & peccatum, quam una numero fornicatio, unumque peccatum dum quis integra nocte cum pluribus meretricibus uno voluntatis actu miscetur; nec disparitatem satisfacientem possunt dare adversarii; nam tria Sacramenta administrata, æque sunt tres actus moraliter completi, ac tres fornicationes, tria homicidia, &c.

*Instant contrariæ sententiæ patroni*, major est unitas moralis in plurium Confessionum auditione, quam in pluribus illis fornicationibus successivis. Quippe nova fornicatio requirit in fornicante novam præparationem, novamque naturæ excitationem, quæ non requiritur in plurium Confessionum auditione; ergo est magna disparitas.

*Resp. dist. conseq.* Est magna disparitas physica, *conc.* moralis, *nego conseq.* Porro disparitas illa physica nihil facit ad esse moris; nam, ea non obstante, fornicationes in esse moris æque facile uniuntur, id est, æque facile uno actu voluntatis intenduntur, quam illæ auditiones.

## CONCLUSIO II.

*Actus physice plures circa idem objectum, sunt plura numero peccata, 1. Si sint in se completi, nec ordinentur ad actum principalem tamquam illius dispositiones, media, & inchoationes: 2. Si sint moraliter interrupti. E contra sunt tantum unum numero peccatum, gravius tamen, 1. Si non sint in se completi, sed ordinentur ad actum principalem. 2. Si non sint moraliter interrupti.*

Prob.

*Prob.* Quia tunc multiplicantur numerice peccata cum multiplicantur moraliter actus humani mali, non multiplicantur vero peccata, cum non multiplicantur actus humani mali: atqui actus humani circa idem objectum mali multiplicantur moraliter. 1. Cum sunt in se completi. 2. Cum sunt moraliter interrupti; tunc enim actus illi non censentur una moralis actio. Econtra plures actus humani circa idem objectum mali non multiplicantur moraliter, 1. Si non sint in se completi, 2. Si non sint moraliter interrupti: tunc enim censentur una moralis actio; ergo, &c.

*Resolv.* 1. Qui omnino successive bis aut ter se polluit, aut fornicatur, totidem committit peccata numero distincta: quia qualibet pollutio aut fornicatio est opus integrum atque consummatum ab alia pollutione, aut fornicatione distinctum.

*Resolv.* 2. Qui ex intentione fornicandi, puellam sollicitat, impudice respicit, osculatur, tangit, & tandem fornicatur, unum numero peccatum committit; quia omnes illi actus physice distincti ad actum principalem fornicationis tamquam ejus dispositiones, media, & inchoationes ordinantur; ergo unum numero cum fornicatione peccatum, moraliter constituunt, *quod tanto gravius est*, ait S. Anton. (2. *part. tit.* 5. *cap.* 1. §. 10.) *quanto plura concurrunt.* Unde saltem generatim debent declarari in Confessione.

Qui vero immediate post habitam cum puella copulam, eam impudice respicit, osculatur, tangit, delectatur de copula habita, tot numero peccata committit, quot elicit actus moraliter malos; quia actus subsequentes copulam neque sunt partes copulæ utpote penitus consummatæ, neque sunt ejus complementum, cum copula sit ex se completa.

Porro ut accuratius resolvamus casus, in quibus peccata multiplicantur numerice ex interruptione morali,

Quæres. *Quandonam accidat illa moralis interruptio?*

*Resp. Accidit* 1. Cum prioris actus voluntas revocatur per contrariam voluntatem, aut pœnitentiam; quia hæc retractatio efficit ut posterior actus non possit cum priori in unum moraliter actum coalescere. Ex quo,

*Resolv.* Si quis furari statuat, & postea peccati pœnitens voluntatem hanc abjiciat, atque eam brevissimo licet interposito tempore resumat, duo numero peccata committit; unde patet brevissimo tempore multa peccata committi posse.

2. *Accidit* cum voluntas deliberate convertitur ad aliquid incompossibile cum priore actu intento; quia tunc censetur non amplius velle quod prius volebat; unde est retractatio interpretativa; hinc

*Resolv.* Si quis visa puella, eam impudice concupiscat, & postea a tali concupiscentia voluntarie se divertat ut alia cogitet, statimque ad priorem delectationem revertatur, duo peccata committit.

3. *Accidit*, cum prioris actus voluntas neque actu, neque virtute perseverat, quod fit cum ab actu involuntarie & quasi naturaliter cesset, v. g. per somnum, aut per applicationem ad alium actum satis longam ut prudentum judicio unus actus cum alio actu non colligetur. Ex quo

*Resolv.* Qui actum odii in proximum elicuit, & post somnum, aut aliquam distractionem eum iterum renovat, duo peccata committit; quia prior actus odii non perseverat, neque actu cum jam desierit; neque virtualiter quia actus mere interni repetiti nihil habent in quo uniantur & continuentur ad constituendum unum peccatum . . . . Econtra qui ex voluntate occidendi inimicum, mane surgit, gladio se accingit, proficiscitur, quærit, & post plures horas repertum aggreditur, pluries vulnerat, & tandem occidit, etsi de aliis rebus cogitet in itinere, confabuletur, sæpiusque voluntatem occidendi renovet, unum moraliter peccatum committit; (eo tamen gravius, quo pluries occidendi voluntatem renovavit). *Ratio* est quia prior voluntas occidendi in actione itineris & aliis actibus externis ex intentione occidendi inimicum susceptis, virtualiter perseverat & continuatur, quasi in vinculo quo plures actus interni ad eundem finem repetiti conjunguntur. Ex qua resolutione

*Sequitur*, peccata mere interna longe facilius & frequentius multiplicari, quam externa; actus enim mere interni cum nihil habeant vi cujus moraliter perseverent, longe brevius interrumpuntur; econtra cum actus interni cum externis conjuncti, in ipsis actibus externis virtualiter perseverent, donec per totius actus tum interni, tum externi cessationem retractentur, non adeo facile interrumpuntur & multiplicantur.

## CAPUT III.

### *De Peccatorum connexione & inæqualitate.*

Quæres 1. *An omnia peccata sint inter se connexa?*

*Resp. negat.* cum D. Thom. (*L.* 2. *qu.* 7. *art.* 3.) nam peccata specificantur a privatione honestatis, quæ est in virtutibus quibus opponuntur; atqui privatio honestatis unius virtutis, v. g. misericordiæ, non est connexa cum privatione honestatis alterius virtutis, v. g. justitiæ; alioquin qui violaret misericordiam, violaret justitiam, quod est absurdum; imo avarus esset prodigus, quod est absurdum; ergo.

*Dices.* Qui unum admittit peccatum, fit omnium aliorum reus juxta illud Jacobi 2. *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ergo omnia peccata sunt inter se connexa.

*Resp. dist. ant. & textum*: Qui offendit in uno factus est omnium reus, hoc sensu quod facia contra charitatem, a qua tota Lex pendet juxta illud Ap. (*l.* 2. *q.* 7.) *omnis Lex in uno sermone impletur: diliges proximum* &c. *conc. ant.* hoc sensu quod committat omnia peccata, *nego ant.* Addit enim D. Jacobus *quod si non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis*; ergo supponit tamquam certum, posse unum peccatum committi sine alio. Est expositio D. Augustini (*ad Galat.* 5. *v.* 14.). Cum tamen multa peccata inter se sint connexa, plurimumque expediat Confessarios istam connexionem cognoscere, tum ut pœnitentes congrue examinent, tum ut ipsos instruant, ipsisque congruentia remedia præscribant, ideo

Quæres 2. *Quænam peccata cum aliis sint connexa?*

*Resp.* Id sequentibus exemplis declarabitur.

1. *Peccatum superbiæ*, per quod appetimus supra alios in aliqua qualitate excellere, connexum esse solet cum peccato invidiæ, per quam tristamur de eo quod aliquis nos in ea qualitate superet, vel æquet quatenus nostram excellentiam putamus inde imminui. Hinc detractiones, vituperationes &c. quibus hominis invisi æstimationem imminuere conamur. Hinc desideria, quibus ipsi malum optamus, & quandoque etiam procuramus; gaudia de malis, quæ ipsi adveniunt; aversio ab ipso &c.

2. *Peccatum fornicationis*, connexum esse solet cum peccatis contra naturam, quibus generatio procuratur, vel nativitas impeditur, nempe pollutio & abortus. Idem peccatum ut plurimum connexam habet seductionem ac perditionem innocentis animæ, quam seductor tenetur exemplo, oratione, & quibus potest modis, ad emendationem, gratiæque amissæ reparationem, reducere.

3. *Peccatum furti*, sæpe connexum est cum iteratis interruptim desideriis, ac propositis nova furta committendi; item connexum est cum injuriosis suspicionibus, quibus persona innocens, propter istud furtum, impetitur, affligitur & quandoque infamatur.

4. *Peccatum ebrietatis*, in frequentata popina commissum, sæpe connexum est cum provocatione aliorum ad ebrietatem, cum turpiloquiis, blasphemiis, pejerationibus, bonorum familiæ dissipationibus, Festorum profanationibus, magnis in familia jurgiis & discordiis, neglectu officii specialis, sicut & generalis hominis Christiani.

5. *Peccatum iræ* sæpe connexum est cum improperiis, contumeliis, imprecationibus, scandalo præsentium, voluntate ulciscendi aut nocendi; & quandoque cum illatione nocumenti, ex quibus frequenter sequitur diuturna aversio animi, denegatio communium dilectionis signorum, vel etiam specialium, quæ inferior Superiori, vel conjux debet conjugi, v. g. denegatio debiti conjugalis.

6. *Peccatum avaritiæ*, in personis divitibus, ut plurimum connexum est cum gravi transgressione præcepti eleemosynæ, cum illicitis acquirendi bona modis. In Ecclesiasticis vero, præter frequentem transgressionem præcepti eleemosynæ, connecti solet cum simoniaco affectu, quo sacras functiones peragunt; cum earundem functionum neglectu, cumque Laicorum scandalo &c.

Ex his satis patet, Confessarium non posse rite fungi munere suo, nisi reflectat ad has, & similes peccatorum inter se connexiones.

Quæres 3. *An omnia peccata sint inter se æqualia?*

*Resp. negat.* Est de fide contra Stoicos. Ratio est tum quia Christus Joann. 19. asserit peccatum Judæ proditoris esse gravius peccato Pilati condemnantis Christum, *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Tum quia peccatum est privatio rectitudinis debitæ actui, ergo majus vel minus est pro majori vel minori rectitudine qua privat, sic cum rectitudo quæ relucet in conservatione vitæ alterius, sit perfectior rectitudine quæ relucet in conservatione bonorum ipsius, homicidium est gravius furto.

Quæres 4. *Unde petatur peccatorum inæqualitas?*

*Nota:* duplex est peccatorum inæqualitas; 1. Est essentialis, quam peccatum habet ex sua specie; 2. Est accidentalis, quæ peccato in suo esse constituto advenit.

*Resp.* Inæqualitas essentialis peccati petitur ex objecto ad quod actus peccati ex se tendit; accidentalis vero petitur ex circumstantiis malitiam actus intra eandem speciem aggravantibus vel minuentibus.

*Prob. 1. pars:* Ab eodem principio sumitur peccati inæqualitas, a quo sumitur essentialis differentia & species peccati; atqui essentialis differentia & species peccati sumitur ex objecto; ergo & inæqualitas peccati. Unde D. Thom. qu. 2. *de malo* art. 10. ait: *Actus*, id est, peccatum, *speciem habet ex objecto. Gravitas ergo peccati, quam habet ex specie sua, attenditur ex parte objecti. Secundum hanc considerationem gravius peccatum dicitur ex genere suo, quod majori bono virtutis opponitur, unde cum bonum virtutis consistat in ordine amoris, ut August.* (*Epist. 29. ad S. Hieron.*) *dicit, Deum autem super omnia diligere debeamus, peccata quæ sunt in Deum, sicut blasphemia, & hujusmodi, secundum suum genus reputanda sunt gravissima. Inter peccata vero in proximum, tanto aliqua sunt aliis graviora, quanto majori bono proximi opponuntur.*

*Resolves.* Peccata contra Deum secundum suam speciem esse graviora peccatis quæ sunt contra proximum, quia Deus est bonum longe excellentius homine. Item homicidium est gravius furto, quia vita hominis est bonum longe dignius bonis hominis externis. *Item*, peccatum contra personam publicam est gravius peccato contra personam privatam commisso, quia persona publica cum præstantiorem locum teneat in Republica temporali, peccatum contra ipsam cedit in majus damnum Reipublicæ.

*Neque his obstat.* 1. Quod homicidium sit gravius blasphemia; *Respondeo* enim blasphemiam esse gravius peccatum ratione objecti; homicidium vero esse gravius ratione circumstantiarum quæ illud comitantur, & effectuum qui ex illo consequuntur.

*Neque obstat* 2. Quod S. Jacobus cap. 2. reprehendat eos qui magis honorant divites quam pauperes; nam hic loquimur de honore qui debetur alicui ratione status & conditionis quam tenet in Republica; sanctus vero Jacobus loquitur de honore divitis supra pauperem in Christianis actionibus, ut est Sacramentorum administratio, in quibus non est habenda ratio divitiarum.

*Prob. 2. pars.* Quia circumstantiæ intra eamdem speciem conferunt ad gravitatem vel levitatem actus; atqui non conferunt ad essentialem, cum sint actui extrinsecæ; ergo conferunt ad solam accidentalem.

Quæres 1. *An ex quibusdam circumstantiis gravitas accidentalis peccati augeatur juxta eandem speciem?*

*Resp.* 1. Augetur ex circumstantia ipsius actus peccaminosi; peccatum enim tanto gravius est,

quan-

quanto fit cum majori deliberatione ex parte intellectus, & majori intentione ex parte voluntatis. Unde minus peccat, qui ex ignorantia, infirmitate, metu, gravi tentatione peccat, quam qui peccat ex malitia, vel habitu, quem corrigere non curat; nam *talis consuetudo*, inquit D. Antonin. 2. part. tit. 3. cap. 3. §. 15. *non excusat vel minuit peccatum, sed potius aggravat.* Sed de his plura dissert. 2. c. 2.

2. Augetur ex circumstantia personæ, quæ peccat, juxta illud D. Isidori, lib. 2. de summo bono c. 10. *Tanto majus peccatum cognoscitur esse, quanto major qui peccat habetur.* Quod tamen Div. Thom. 1. 2. q. 78. art. 10. vult intelligi *de peccatis ex deliberatione, non ex subreptione.* De quibus ait: *Ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto major est.* Additque quod *hoc potest esse propter quatuor.* 1. *Quia facilius possunt resistere peccato majores, qui excedunt in scientia & virtute* .... 2. *Propter ingratitudinem, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando* . . . . 3. *Propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos* ... 4. *Propter exemplum sive scandalum* ... *ad plurium enim notitiam perveniunt peccata magnorum, & magis homines ea indigne ferunt.*

3. Augetur ex circumstantia personæ, in quam peccatur: quia, ait D. Thom. art. 9. *Persona in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati. Dictum est autem supra, quod prima gravitas peccati attenditur ex parte objecti.* Verum hæc non est accidentalis, sed essentialis.

4. Gravitas peccati augetur ex circumstantia nocumenti, quod affert, vel afferre potest ..... quod si nocumentum prævisum fuerit, & intentum, tunc directe malitiam auget, utpote directe volitum .... quod si vere prævisum fuerit, sed non intentum, adhuc malitiam auget, sed indirecte tantum, quia volitum fuit indirecte tantum & in causa .... quod si vero nec intentum, nec præcogitatum fuerit, *Distinguendum est*, ait D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5. *quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus secundum hoc eventus sequens addit ad malitiam actus, licet non sit præcogitatus.* Nec imprævisio excusat, utpote proveniens ex culpabili negligentia prævidendi.

Quæres. 2. *Quodnam ex duobus peccatis inæqualibus eidem virtuti extreme oppositis sit gravius?*

*Resp.* Illud peccatum quod opponitur virtuti per defectum, gravius est cæteris paribus, eo quod eidem opponitur per excessum; ratio est quia peccatum illud est gravius quod contrariatur ei ad quod virtus primario inclinat: atqui peccatum per defectum contrariatur ei, ad quod virtus primario inclinat; ergo &c.

*Resolves.* Desperatio est peccatum gravius quam præsumptio; superbia quam nimia sui abjectio; avaritia quam prodigalitas &c.

## CAPUT IV.

### *De Effectibus Peccatorum.*

*Nota.* Præcipui effectus peccati personalis, (infra enim agemus de effectibus peccati originalis) sunt duo, nempe reatus culpæ, & pœnæ. *Reatus culpæ* nihil aliud est, quam macula, qua anima peccans inficitur, quæ macula vocatur etiam *peccatum habituale*, non quod sit habitus vitiosus quo ad actus similes inclinemur, sed per analogiam ad habitum, 1. Quia sicut habitus producitur per actum, ita peccatum habituale producitur per peccatum actuale. 2. Quia sicut habitus in subjecto permanet etiam transacto actu, ita peccatum habituale permanet in peccatore, peccato actuali transacto.

*Reatus pœnæ*, Nihil est aliud quam obligatio ad pœnam seu jus quod habet Deus ad sumendam de peccatore vindictam.

*Certum est* de fide 1. Reatum pœnæ per peccatum contrahi, dicente Christo Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* 2. Maculam in anima post peccatum remanere, juxta illud Jerem. 2. *maculata es in iniquitate tua coram me*; & Josue 22. *Peccatis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.*

Verum in quo consistat hæc macula peccati, controversia est inter Theologos, quæ ut solvatur, sit

### CONCLUSIO.

*Macula peccati, seu peccatum habituale consistit in privatione rectitudinis seu conformitatis ad Legem quam peccator est transgressus per peccatum actuale, habitualiter perseverans, quamdiu peccatum non retractatur, nec remittitur.*

*Prob.* 1. Ex Div. Thom. (*L.* 2. *qu.* 85. *art.* 1. & 2.) dicente: *maculam importare defectum nitori propter recessum a lumine rationis, vel divinæ Legis, & ideo quando homo maneat extra ejusmodi lumen, manere etiam in macula peccati.* Ubi nomine recessus a lumine Legis divinæ, intelligit privationem conformitatis ad Legem.

*Prob.* 2. Peccatum omne habet suam essentiam positam in oppositione ad aliquam Legem, est enim essentialiter *contra Legem*; atqui macula peccati, seu peccatum habituale, est vere & proprie peccatum; ergo debet habere suam essentiam positam in oppositione ad aliquam Legem; atqui talis oppositio non potest esse aliud quam privatio conformitatis ad Legem quam peccator actuali peccato transgressus est, & quæ habitualiter perseverat quandiu peccatum non est retractatum, nec remissum; ergo peccatum habituale consistit in privatione conformitatis ad Legem.

Atque juxta hanc nostram sententiam facile potest intelligi quomodo pro distinctione peccatorum, alia atque alia macula contrahatur, & pro inæqualitate peccatorum, inæqualis etiam sit macula, quod non nisi difficillime potest intelligi in aliis opinionibus.

*Objicies* 1. Macula peccati, seu peccatum habituale est quid intrinsecum peccatori; atqui habitualis privatio conformitatis ad Legem, non est intrinseca peccatori; ergo.

*Prob. min.* Habitualis privatio conformitatis ad Legem nihil aliud est quam actualis privatio conformitatis quæ licet physice præterierit, moraliter perseverat; atqui quod physice præteriit, non est intrinsecum peccatori; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod physice præteriit, non est peccatori intrinsecum physice, *conc. min.* non est intrinsecum moraliter, *nego min.* & sic distincto consequente, *nego conseq.*

Ita actualis privatio conformitatis ad Legem quam peccator transgressus est, quandiu peccata non remittuntur, remanet in peccatore moraliter, in ordine ad illum reddendum obnoxium odio Dei & pœnæ æternæ; quod sufficit ut hominem habitualiter & intrinsece injustum & peccatorem constituat.

*Objicies* 2. Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ sanctificantis; ergo, &c.

*Resp. neg. ant.* 1. Quia peccatum veniale est verum peccatum habituale, & tamen non consistit in privatione gratiæ sanctificantis; 2. Quia in statu naturæ puræ fuissent profecto peccata habitualia, non tamen fuisset privatio gratiæ; 3. Quia diversæ sunt maculæ pro peccatorum diversitate; est tamen in omnibus peccatoribus una & eadem privatio gratiæ; ergo si in illa privatione consisteret peccatum habituale, in quolibet peccatore unicum esset, quia gratia semel amissa, amplius per novum peccatum mortale amitti non potest. 4. Tandem quia privatio gratiæ est a Deo, cum sit pœna a Deo juste inflicta; sed peccatum habituale non est a Deo.

*Inst.* 1. Privatio gratiæ sanctificantis maculat animam; ergo in illa consistit peccatum habituale.

*Resp. dist. ant.* Maculat animam per se & primario, *nego ant.* secundario & ratione alterius, nempe ratione privationis conformitatis ad Legem cujus est effectus, *conc. ant.* Porro in illo peccatum habituale consistit formaliter quod primario & per se maculat animam, non vero in illo quod maculat animam secundario tantum, & ratione peccati cujus est effectus.

*Inst.* 2. Illud maculat animam primario & per se, propter quod anima est Deo odiosa; atqui propter privationem gratiæ sanctificantis anima peccatoris Deo est odiosa; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Propter quod anima Deo est odiosa primario & ratione sui, *conc. maj.* secundario & ratione alterius, *nego maj.* & sic ad minorem.

Itaque anima Deo est odiosa ratione privationis gratiæ non primario nec ratione sui, sed tantum ratione peccati quod præcessit, nam si Deus per absolutam suam potentiam tolleret ab aliquo gratiam sanctificantem, absque ullo ejus peccato præcedenti, tunc iste non diceretur esse in peccato *formaliter*, quia in tali hypothesi nullum actuale peccatum præcedens supponitur, a quo privatio gratiæ sit causata demeritorie; ergo privatio gratiæ non potest habere rationem culpæ, seu peccati.

*Inst.* 3. Equidem privatio gratiæ secundum se sumpta non habet rationem culpæ habitualis, sed hanc habet per respectum ad actuale peccatum a quo causatur et relinquitur in subjecto; ergo nulla solutio.

*Resp. nego ant.* Quia privatio gratiæ ut sic considerata, est tantum relatio effectus moralis ad suam causam moralem demeritoriam; atqui relatio hujusmodi non est proprie culpa, quia culpa *formaliter* sumpta non est per respectum ad causam, sed per tendentiam in objectum ut Legi dissonum.

## CAPUT V.

### *De Peccati divisione.*

Quæres 1. *Quotuplex sit peccatum?*

*Resp.* Duplex, originale scilicet & personale.

*Peccatum originale* est illud quod aliena voluntate, Adami scilicet, commissum, per viam generationis traducitur.

*Peccatum personale* est illud quod propria peccantis voluntate committitur; et duplex est, nempe actuale, & habituale.

*Peccatum actuale* est actus, vel omissio, difformis regulis morum.

*Peccatum habituale* est macula ex peccato actuali in anima remanens; qualiter supra exposuimus.

Quæres 2. *Quotupliciter dividatur peccatum actuale?*

*Resp. Dividitur* 1. *ratione præcepti*, in peccatum commissionis & omissionis.

Peccatum *commissionis* est illud, quo præceptum negativum transgreditur: tale est furtum.

Peccatum *omissionis* est illud, quo præceptum affirmativum transgreditur, verb. grat. omissio Sacri die festo.

2. *Dividitur ratione causæ*, in peccatum ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ.

Peccatum *ignorantiæ* est illud, quod ab ignorantia culpabili antecedente voluntarium minuente tamquam a causa per accidens procedit; quale est peccatum illius qui negligit scire, quod scire tenetur.

Peccatum *infirmitatis* est illud quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente.

Peccatum *malitiæ* est illud quod ex plena voluntate ac libertate, absque ignorantia vel passione sensitiva, antecedenter incitante, committitur; ad quod proinde voluntas nullius impulsu, sed ex seipsa movetur.

Dixi: *Absque passione vel ignorantia antecedente incitante:* quia quando intervenit passio voluntarie excitata, vel ignorantia affectata, censetur peccari ex malitia, seu, quasi ex industria, juxta illud Job. 34. *Quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo) *& omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

3. *Dividitur ratione modi*, in peccatum cordis, oris, & operis.

Peccatum *cordis* est illud, quod ex natura sua in corde consummatur, ut hæresis, odium, &c. Per peccatum cordis potest etiam intelligi peccati delectatio morosa.

Peccatum *oris* est illud, quod solo ore, ut plurimum perpetratur: ut perjurium, mendacium.

Peccatum *operis* est illud, quod opere externo perficitur, ut furtum, adulterium.

4. *Dividitur ratione objecti*, in peccatum contra Deum, contra proximum, & contra seipsum.

Peccatum *contra Deum* est illud quod specialiter opponitur reverentiæ Deo debitæ; talia sunt peccata contra virtutes theologicas, quæ habent

Deum

Deum pro objecto, & religionem quæ versatur circa cultum Deo debitum.

Peccatum *contra proximum*, est illud quod proximo nocumentum infert, ut homicidium, furtum, calumnia, &c.

Peccatum *contra seipsum*, est illud quo violatur ordo rationis quem homo servare debet erga seipsum pro recta sui ipsius gubernatione, ut ebrietas, fornicatio.

5. *Dividitur ratione effectus* in mortale, & veniale.

Peccatum *mortale* est illud, quod graviter Deum offendit, & mortem animæ infert.

Peccatum *veniale* est illud, quod leviter Deum offendit, quodque cum animæ vita & gratia sanctificante consistere potest.

6. *Dividitur* in capitale & non capitale.

Peccatum *capitale* est illud, quod non solum est peccatum per se, sed & aliorum peccatorum radix & causa impulsiva. Ex peccatis capitalibus duo, nempe *gula* et *luxuria*, sunt *carnalia*, sic dicta quia carnali voluptate consummantur.

Peccatum *non capitale* est illud quod ita est per se peccatum, ut non sit radix aliorum peccatorum.

## DISSERTATIO II.

*De peccatis in particulari.*

*Nota.* Cum jam multa de peccatis dixerimus agendo de voluntario & involuntario, restat hic agendum 1. De peccato commissionis & omissionis. 2. De peccatis ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ. 3. De peccatis cordis, oris & operis. 4. De peccato mortali & veniali. 5. De peccatis capitalibus. 6. Tandem de peccato originali. Sit itaque.

### CAPUT PRIMUM

*De peccato commissionis & omissionis.*

*Nota* 1. Hic controvertitur, utrum possit dari omissio culpabilis sine præcedente voluntatis actu, qui sit causa vel occasio ejus.

Dixi, *Sine voluntatis actu*: quia omissio non potest esse libera sine actu intellectus proponentis obligationem præcepti, cum nihil sit volitum quin præcognitum.

*Nota* 2. Duplex est actus quo voluntas ordinarie vult omissionem. *Primus* est *directus*, cum voluntas per actum expresse ad omissionem ordinatum vult non implere præceptum, v. gr. *volo non audire Sacrum. Secundus indirectus*, cum aliquid incompossibile cum impletione præcepti vult tempore quo urget præceptum, v. gr. venari, studere tempore Missæ; vel cum antecedenter ponit causam ex qua prævidet mortaliter eventurum ut non possit adimplere præceptum, v. gr. qui se inebriando prævidet futurum, ut non possit audire Sacrum.

*Nota* 3. Hic quæritur utrum aliquando evenire possit ut voluntas proposito per intellectum præcepto & obligatione ejus, ita circa præceptum se mere negative habere possit, ut suspendendo omnem actum, voluntarie & culpabiliter illud omittat; circa quod

### CONCLUSIO.

*Omissio potest esse voluntaria & peccaminosa absque omni voluntatis actu.*

*Prob.* Voluntas est ita libera & indifferens, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit adhuc non agere, seu possit actionem suam suspendere; sed unum ex prærequisitis in voluntate ad agendum est ipsa propositio objecti facta per intellectum, quia voluntas non fertur in incognitum; ergo hac posita objecti propositione voluntas potest non agere seu suspendere omnem actum; atqui talis suspensio actus, seu omissio, est libera & peccaminosa; ergo potest dari omissio libera & peccaminosa absque omni voluntatis actu.

*Probatur secunda minor.* Quia omnis omissio actus liberi & præcepti, id est, actus qui potest & debet poni, est libera omissio actus præcepti, atqui omissio actus licet pura, est omissio actus liberi, & præcepti; ergo omissio actus libera & peccaminosa.

*Minor* constat, *major* certa est: nam sicut actus libere ponitur hoc ipso quod ponitur cum potestate illum non ponendi; ita libere non ponitur hoc ipso quod non ponitur cum potestate illum ponendi.

*Objicies* 1. Peccatum non potest esse sine aliquo exercitio libertatis; sed in omissione pura nullum est exercitium libertatis: econtra omne libertatis exercitium suspenditur; ergo in omissione pura nullum est peccatum.

*Resp. dist. maj.* Peccatum non potest esse sine libertatis exercitio positivo vel negativo; *conc. major.* semper positivo, *nego maj.* Atqui in omissione pura nullum est libertatis exercitium positivum, *conc. min.* negativum & interpretativum, *nego min.* Adest enim hoc ipso quod suspenditur omne exercitium libertatis pro eo tempore, pro quo reipsa libertas positive exerceri potest & debet.

*Inst.* Voluntas non potest ex non omittente fieri libere omittens, sine aliqua mutatione de novo adveniente; atqui illa mutatio est actus; ergo voluntas non potest omittere libere sine actu.

*Resp. dist. maj.* Sine mutatione physica vel morali, *conc. maj.* semper physica, *nego maj.* atqui mutatio physica est actus, quo voluntas se ad aliquid determinat, *conc. min.* mutatio moralis, *nego min.* Est enim suspensio actus liberi & præcepti; eo enim ipso quo voluntas illustrata per intellectum, non agit nec se determinat, peccat.

*Objicies* 2. Omissio actus externi, puta Sacrum audiendi, non potest esse sine aliquo actu externo incompossibili, v. g. sessione, ambulatione, &c. ergo saltem omissio exterior non potest esse sine aliquo actu interno, quo voluntas velit actum cum externo incompossibilem.

*Resp. nego conseq.* Quia actus externus incompossibilis cum actu externo præcepto non requiritur per modum actus qui sit volitus ut causa, vel occasio omittendi, sed solum ex necessitate naturæ quæ non potest existere sine aliqua ubicatione vel occupatione.

*Objicies* 3. Si omissio pure possit esse demeritoria, potest etiam esse meritoria; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego sequel.* Disparitas est quod ad merendum requiratur actio ex affectu supernaturali alicujus virtutis, qui affectus non reperitur in omissione pura.

Quæres 1. *Utrum actus bonus, vel indifferens qui cum omissione culpabili est conjunctus et incompossibilis cum observantia præcepti, sit peccatum?*

*Resp.* Est peccatum, si sit omissionis causa, vel occasio, secus si tantum concomitanter se habeat ad omissionem.

*Nota.* Actus est causa vel occasio omissionis cum influit in omissionem, v. g. cum quis ut ludat vel studeat, aut ne has actiones interrumpat, non audit Sacrum; actus vero se tantum concomitanter habet ad omissionem cum non influit in omissionem, v. gr. cum quis statuit omittere Sacrum propter pluviam, ludit vel studet dum instat tempus audiendi Sacri, ut otium vitet. His positis.

*Probatur 1. pars*: Actus qui contrahit malitiam omissionis, est peccatum; atqui actus qui est causa, vel occasio omissionis, contrahit malitiam ejusdem; quo enim præcepto peccatum prohibetur, illius quoque causa & occasio vetantur; ergo est peccatum.

*Resolv.* Actus qui est causa vel occasio omissionis, *si non sit aliunde malus*, habet unam & eandem malitiam cum omissione culpabili, cum solum habeat malitiam ab illa omissione, & eidem præcepto adversetur.

Dixi: *Si non sit aliunde malus*: quia tunc haberet duplicem malitiam specie distinctam, v. gr. Si quis omittat Sacrum ut furetur.

*Probatur secunda pars*: Quia quod tantum concomitanter se habet ad omissionem, non influit in ipsam, cum materialiter tantum & per accidens se habeat ad omissionem; ergo non est peccatum.

*Dices*: Sacerdos qui post firmum propositum Horas Canonicas non persolvendi toto tempore longæ navigationis, Breviarium projicit in mare, peccat lethaliter non solum cum illam omissionem statuit, verum etiam cum actu projicit Breviarium; atqui talis Breviarii projectio se tantum concomitanter habet ad omissionem Horarum; ergo.

*Resp. dist. min.* Projectio Breviarii se habet tantum concomitanter ad omissionem Horarum inchoatam, *conc. min.* nam respectu continuatæ omissionis se habet ut causa, quia ille Sacerdos sibi adimit facultatem recitandi Horas, licet mutaret malum omittendi propositum; unde talis omissio est quasi medium interpretative electum ad exequendam omissionem, medium autem contrahit malitiam finis.

Quæres 2. *An qui scienter vel ex ignorantia culpabili, ponit causam omissionis, vel se ipsum morali periculo exponit, eo ipso ejusdem omissionis malitiam contrahat?*

*Resp. affirm.* Nam qui ponit causam omissionis, vel ipsius morali periculo se exponit, vult indirecte saltem & interpretative ipsam omissionem; qui enim vult causam, censetur velle effectum qui ex illa sequitur; ergo.

*Resolv.* Qui die festo mane se somno tradit prævidens se somno impeditum iri ab auditione ultimi Sacri, tunc peccat contra religionem, etiam si per accidens excitetur, & postea Sacrum audiat. Non tamen contrahit censuram, si aliqua sit lata contra non audentes Sacrum, quia censura soli actui externo annexa est.

Quod si per accidens excitatus possit audire Sacrum & non audiat, denuo peccat peccato omissionis, & tunc omissio ejus est in se libera eo modo quo actus externus libero esse potest, quia tunc denuo vult saltem indirecte ipsam omissionem actualem; sed

Quæres 3. *An omissio quæ in causa culpabilis est, sit etiam culpabilis in se eo tempore quo omittitur præceptum, etiamsi contingat hominem præ somno aut ebrietate non esse compotem rationis?*

*Resp. affirm.* Ratio est quia ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit, ut indirecte & in sua causa, liberum sit & voluntarium; sed omissio Sacri, v. g. contingens in somno, indirecte & in sua causa voluntaria est; cum supponamus omittentem quando se somno dedit, illam prævidisse; ergo omissio illa in se formaliter peccatum est; ergo omittens non solum peccat quando apponit causam, sed etiam quando de facto omittit, etsi tunc sui compos non sit. Min. certa est.

*Prob. maj.* Pollutio in somno contingens licet non sit in se formaliter libera & voluntaria, quia tamen est libera & voluntaria in causa, puta in turpi cogitatione vel tactu impudico, &c. peccatum est, ut docent omnes cum Div. Thom. (3. *p.* q. 80. *art.* 7.); ergo ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit quod indirecte & in sua causa sit voluntarium.

*Objicies* 1. Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis; atqui omissio in somno eveniens non est actualiter libera; ergo &c.

*Respond. dist. maj.* Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis vel in se, vel in causa, *conc. major.* in se necessario, *nego major.* Atqui omissio in somno eveniens non est actualiter libera in se, *conc. min.* in causa, *nego minor.* Responsio patet ex nostra probatione.

*Instab.* 1. Illud est actualiter liberum quod est actu in hominis potestate quoad esse & non esse; atqui omissio in somno non est talis; ergo non est actualiter libera.

*Resp. dist. maj.* Illud est actualiter liberum in se, quod est actu in hominis potestate quoad esse & non esse, *con. maj.* Illud est actualiter liberum *in causa* quod, &c. *nego maj.* & sic distincto consequente, *nego conseq.* Porro ad liberum in causa sufficit quod fuerit in hominis potestate ponere & non ponere causam, etsi causa semel posita, non sit amplius in ejus potestate quoad esse & non esse.

*Inst.* 2. Ex hac responsione sequitur omissionem contingentem in somno esse solum peccaminosam in causa, non vero in se ipsa, ergo revera sentimus cum adversariis.

*Resp. dist. ant. quoad 2. partem*: Sequitur omissionem non esse peccaminosam in se ipsa ratione sui ipsius, *conc. ant.* ratione causæ, in qua libera & voluntaria est, *nego ant.* Hoc vero non dicunt adversarii, qui volunt denominationem peccati

cati sistere in causa, nec transire a causa ad omissionem in se, quod nos impugnamus.

*Objicies* 2. Si ebrius aut dormiens ratione actus præcedentis possit in somno vel ebrietate peccare, poterit etiam Sacerdos ebrius aut dormiens valide conficere Sacramentum, si ante somnum aut ebrietatem habuerit intentionem consecrandi & faciendi quod facit Ecclesia. *Falsum conseq.* Ergo. *Prob. seq.* Non minor requiritur libertas ad peccandum, quam ad conficiendum Sacramentum; ergo si libertas in causa sufficiat ad peccandum, sufficiet etiam ad valide consecrandum.

*Resp.* 1. *nego sequel.* Disparitas non sumitur a libertate actus, sed ex voluntate Christi, qui licet prolationem verborum voluntariam solum in causa ad dignitatem Sacramenti elevare potuerit, id tamen noluit; tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum quia oportuit Sacramenta confici a ministro cum morali certitudine de præsentia materiæ cui applicatur forma; in somno autem aut ebrietate talis certitudo esse nequit; cum tempore somni materia apposita possit ab aliquo mutari. In Gonet & Juenin.

*Resp.* 2. *nego seq. maj.* Quia ut docent Salmanticenses (*Disp.* 5. *dubio* 6. §. 5.), confectio Sacramenti non consistit solum in actu, sed etiam in prolatione verborum quæ formaliter sint verba humana; verba autem quæ dormiens aut ebrius profert, non sunt verba humana formaliter defectu actualis significationis, sed dumtaxat materialiter sicut verba prolata a pica, psittaco; & ideo quamvis sint voluntaria in causa, non possunt Sacramentum conficere.

*Resolves* 1. Pœnitentem teneri aperire in Confessione non tantum omissionis causam, sed etiam ipsam actualem omissionem, quia cum posita fuit causa omissionis culpabilis, fuit peccatum omissionis *quoad causam*; cum vero instante obligatione præcepti omissus fuit effectus debitus, fuit peccatum omissionis *quoad effectum*.

*Resolves* 2. Omnes omissiones sequentes ex infirmitate & impossibilitate voluntarie contractis sunt imputabiles ei qui has prævidit vel prævidere debuit; quia tunc sunt virtualiter & interpretative in causa volitæ.

*Hinc* qui Baccho & Veneri nimium indulgens, ita fit infirmus ut posthac jejunare non possit, peccat non jejunando, donec eum facti sincere coram Deo pœniteat.

## CAPUT II.

### *De Peccatis ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ.*

*Nota* 1. Quod licet omnia peccata SS. Trinitati adversentur, tamen peccatum *infirmitatis* dicitur contra Patrem, cui specialiter attribuitur potentia; peccatum *ignorantiæ* contra Filium, cui sapientia; & peccatum *malitiæ* contra Spiritum Sanctum, cui bonitas attribuitur.

*Certum est* 1. Dari peccata infirmitatis; nam peccatum infirmitatis est illud quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente; atqui dantur talia peccata, juxta illud Ap. Rom. 7. *cum essemus in carne, passiones peccatorum*, id est, incitantes ad peccata, *operabantur in membris nostris ut fructificarent morti*; id est, ut fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam; ergo, &c. Videri possunt quæ diximus *in Tract. de act. humanis*, dum egimus de involuntario per concupiscentiam.

*Certum est* 2. Dari peccata malitiæ: nam peccatum malitiæ, illud est quod quis nulla passione, aut tentatione allectus, scienter & libere committit; atqui dantur talia peccata, juxta illud Job. 34. *Quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo) *& omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Ergo &c.

Restat ergo resolvendum 1. Utrum peccatum ex habitu, sit peccatum malitiæ. 2. Utrum dentur peccata ignorantiæ: duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *Utrum peccatum ex habitu sit peccatum malitiæ?*

Peccatum ex habitu, quem peccans emendare non curat, est peccatum malitiæ.

*Prob.* 1. Ex D. Thom. 1. 2. q. 78. art. 2. dicente: *Quandocumque aliquis utitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet: quia unicuique, habenti habitum, est per se diligibile id, quod est ei conveniens secundum proprium habitum, quia sic fit ei quodammodo connaturale secundum quod consuetudo & habitus vertitur in naturam . . . & hoc est ex certa malitia peccare. Unde manifestum est, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

*Prob.* 2. *ratione:* Quia qui peccat ex electione, ita ut electio in ipso sit primum principium peccati, peccat ex malitia; sed qui peccat ex habitu, peccat ex electione, ita ut electio in ipso sit primum principium peccati, cum, ait D. Th. art. 3. *Ipsius voluntas ex seipsa movetur ad malum eligendum*; ergo &c.

*Objicies.* 1. Omne peccatum est ex electione, alias non esset liberum, nec consequenter peccatum; ergo ex hoc quod peccatum ex habitu sit ex electione, non sequitur quod sit peccatum ex malitia.

*Resp. nego antec.* Cum D. Thom. qui ibidem ait: *Ille, qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, sed non ex electione: quia electio in eo non est primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id, quod, extra passionem existens, non eligeret: sed ille, qui peccat ex certa malitia, secundum se eligit malum.* Ergo ut quis eligens peccet, sufficit, ut voluntas ex quodam intrinseco, v. g. passione, impellatur ad peccandum; sed ut dicatur peccare ex electione, requiritur, ut voluntas ex seipsa moveatur ad malum, ut addit D. Thom. ad 4.

*Objicies* 2. Peccatum ex habitu, levius est, quam quod committitur absque habitu; ergo peccatum ex habitu non est peccatum malitiæ.

*Resp. nego ant.* Quia ut ait D. Thom. 2. 2. q. 156. art. 3. *Ubi est major inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi est gravius peccatum.* Atqui in eo qui peccat ex habitu, major est inclinatio voluntatis ad peccandum; ergo &c.

*Prob. ant.* Quod minuit voluntarium & liberum, mi-

minuit peccatum; atqui habitus pravus minuit voluntarium & liberum; ergo &c.

*Resp.* 1. *nego maj.* Ex qua sequeretur quod quis eo excusabilior esset, quo pejor fieret; & eo minus arguibilis de peccato, quo magis per habitum radicatus ac firmatus esset in malo, utpote eo minus liber. Similiter quanto magis qui in virtute proficeret, tanto minus meritum acquireret, quod est aperte falsum.

*Resp.* 2. *nego min.* Imo habitus potius auget voluntarium & liberum, quam illud minuat; licet enim cum ad perfectionem venerit, necessitatem quamdam inducat ad id, ad quod inclinat, non tamen necessitatem inducit antecedentem & involuntariam, sed necessitatem consequentem, quæ voluntatem, libertatemque firmat & perficit.

Quæres 1. *Quænam peccata reducantur ad peccata malitiæ?*

*Resp.* Peccata in cœlum clamantia; & peccata quæ specialiter dicuntur in Spiritum Sanctum.

Quæres 2. *Quot sint peccata in cœlum clamantia?*

*Resp.* Sunt quatuor, quæ malitiam adeo manifestam præ se ferunt, ut divinam vindictam vehementius quam cætera peccata provocent.

1. Est homicidium voluntarium, Genes. 3. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

2. Est peccatum Sodomiæ, Genes. 28. *Dixit Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est.*

3. Est oppressio pauperum, Exodi 22. *Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam.*

4. Est defraudatio mercedis operariorum, Jacobi 5. *Ecce merces operariorum, quæ defraudata est a vobis, clamat.*

Quæres 3. *Quæ & quot sunt peccata, quæ specialiter dicuntur in Spiritum sanctum?*

*Resp.* Sunt ea quibus abjicitur id quo Spiritus sanctus hominem solet a peccato revocare; & sunt quinque.

1. *Est præsumptio de misericordia Dei*, qua inaniter freti peccatores ad peccandum fiunt audaciores.

2. *Est desperatio de divina misericordia*, qua spes omnis tum impetrandæ veniæ, tum salutis consequendæ abjicitur.

3. *Est impugnatio agnitæ veritatis*, qua fidei catholicæ veritas ex malitia oppugnatur.

4. *Est obstinatio* eorum qui nolunt intelligere ut bene agant.

5. *Est impœnitentia finalis*, eorum nempe qui proposuerunt numquam agere pœnitentiam.

## QUÆSTIO II.

*Utrum dentur peccata ignorantiæ?*

*Nota* 1. Nulla dari peccata ignorantiæ, omnium primus docuit Pelagius, cujus sequens propositio fuit damnata in Conc. Diospolitano: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt.* Pelagii errorem, quem strenue & acriter impugnarunt DD. Augustinus, & Hieronymus, ex orco suscitavit Abaelardus, quem invictis argumentis refutavit D. Bernardus, Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore.

*Nota* 2. Vasquez, anno 1581. primus docuit, quod ad peccandum formaliter necessaria sit actualis reflexio, seu advertentia ad malitiam actionis, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus de illa malitia. Unde nullam admisit ignorantiam vincibilem, seu criminosam, nisi adsit actualis reflexio, vel advertentia super malitia operationis. Hanc novam doctrinam, quam multi postea secuti sunt, impugnavit Thyrsus Gonzales Societatis Jesu Generalis, ut ipse refert lib. de licito usu opinionum probabilium, disser. 9. his verbis: *Multi probabilistæ, ad peccandum contra Legem, requirunt advertentiam actualem ad malitiam, vel periculum malitiæ; ac proinde existimant neminem posse peccare agendo contra Legem, quin cognoscat se peccare. Quos late impugnavi, tom. 4. disp. 6. ostendens, posse aliquem per errorem culpabilem, ortum ex sua culpa veniali, peccare mortaliter contra Legem, etsi in eo instanti nullo modo cognoscat se peccare, imo quamvis certo existimet se bene egere.*

Hujus sententiæ Patroni argumentis contrariæ opinionis victi, concesserunt homines qui peccant absque actuali cognitione malitiæ actionis, vel suspicione de illa, peccare formaliter, non quidem dum actu flagitia exercent, sed tantum ob neglectum in cognoscenda vel advertenda illa malitia: unde, juxta illos peccata ex ignorantia vel inadvertentia culpabili commissa, non sunt per se & ratione sui imputabilia, sed solum ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ, vel inadvertentiæ. Ut ne quis præfata credat per exagerationem esse dicta, illorum probabilistarum verba in medium affero .... Claudius la Croix *lib.* 5. *num.* 21. sic ait: *Si supponas deesse absolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo cogitetur de malitia hujus objecti, quamvis ignorantia, vel incogitantia sit culpabilis, opus ex ea sequens non habet malitiam specialem, nisi præcise illius negligentiæ, vel neglectus sciendi, & advertendi; nec erit imputabile ratione sui, v. g. si quis hic & nunc mentiatur, attamen vincibiliter ignorat malitiam mendacii, peccat quidem mentiendo, non tamen contrahit malitiam specialem mendacii, sed tantum negligentiæ, et neglectus in cognoscenda, vel advertenda illa malitia. Ignorantia absoluta, sive sit vincibilis sive invincibilis, facit æqualiter non cognosci malitiam; ergo etiam non contrahi, cum non sit volibilis, ideoque nec contrahibilis per voluntatem, nisi sit cognita per intellectum.* Idem iisdem fere verbis docet Terillus in regulis morum qu. 63. n. 5. & num. 60.

Has itaque perniciosas opiniones tribus conclusionibus debellandas suscipimus: sit itaque

## CONCLUSIO I.

*Dantur peccata ignorantiæ.* Est de fide.

*Prob. prop.* Unico D. Bernardi testimonio, in quo referuntur principaliora Scripturarum testimonia, quæ ignorantiæ peccata nobis manifestant.

*I [illegible] an*, inquit, [illegible] *non posse [illegible] ri per ignorantiam; numquam pro illis ignorantiis* [illegible]

*deprecatur, sed potius prophetam irridet deprecantem & dicentem*: delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: *Forsitan reprehendit Deum, satisfactionem pro peccatis ignorantiæ exigentem, loquitur enim in Levitico, c. 5. ad Moysem*, dicens: anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati. *Et rursum*, qui, *Sacerdos*, orabit pro eo, quia nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum. *Si ignorantia numquam peccatum est, cur dictum est in Epist. ad Hebræos c. 9. quia* in secundo (tabernaculo) semel in anno solus Pontifex intraret, non sine sanguine, quem offeret pro sua & populi ignorantia?

*Si peccatum ignorantiæ nullum est, cur ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans fecit, manens in incredulitate? Bene itaque faciebat quod erat* blasphemus & persecutor & contumeliosus, *quod erat* spirans minarum & cædis in discipulos Domini. *In hoc ipso, quippe* abundanter æmulator existens paternarum traditionum, *non debuit dicere*: misericordiam consecutus sum.

*Si, inquam, ignorantia numquam peccatur: quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quandoquidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque, id faciendo, arbitrati sunt obsequium se præstare Deo?* Joann. 16. *Sed & frustrant in Cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus: neque enim fas est ullatenus suspicari mentitum esse Dominum Jesum aperte perbibentem eos ignorare quid facerent . . . . . ubi ait*: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Nunquid ex his*, concludit D. Bernardus, *satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari posse per ignorantiam?*

*Dices*: Ille non peccat, qui non agit contra conscientiam, sed qui agit contra legem, ignorans actionem suam esse contra Legem, non agit contra conscientiam: ergo &c.

*Resp. nego maj.* Ut enim is, qui agit contra legem, immunis sit a peccato; non sufficit quod non agat contra conscientiam, sed insuper requiritur, ut invincibiliter ignoret, actionem suam esse contra legem: alias error erit vincibilis, & consequenter culpabilis. Ita D. Thom. quodlib. 8. art 13. ubi ait. *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam*, nimirum, vincibiliter erroneam.

## CONCLUSIO II.

*Ad peccandum formaliter, necessaria non est actualis cogitatio malitiæ actionis, vel actuale de ea dubium.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura: Christus, *Joann.* 16. Discipulos alloquens, ait: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Atqui hic non modo non elucet malitiæ cognitio, seu illius advertentia actualis, neque etiam actuale de illa dubium; sed econtra prævalet opposita honestatis persuasio; & tamen certum est ipsos peccasse; ergo &c.

*Prob.* 2. Ex Patribus. Div. Chrysost. *Hom.* 6. *in cap.* 11. *Matth.* sic loquitur: *Nec de his tantum puniendi sumus, quæ scimus, verum etiam quæ nescimus.* Nihil, *inquit Apostolus*, mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: *Quia & pro his quæ per ignorantiam & scientiam admittimus, puniendi sumus.* Div. Basilius, *in reg. Brevioribus reg.* 58. ait: *Sane judicium Domini in his, qui ex ignorantia peccant, prespicuum est illis verbis*: qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Atqui per se notum est ignoranti deesse actualem malitiæ actionis suæ cognitionem, atque actuale de ea dubium; ergo &c. D. Greg. Mag. *lib.* 5. *moral. c.* 6. hæc habet: *Sæpe unde placari judex creditur, inde ad irascendum instigatur, Salomone testante, qui ait*: est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem; *Unde sancti viri, cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne, cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur.* Sed qui placare judicem credit, qui agit quod sibi videtur rectum, qui formidat, ne cum bona agere appetit, de actionis imagine, id est, bonitate apparenti fallatur, non habet actualem malitiæ suæ actionis cognitionem, nec de ipsa dubium actuale; ergo, &c. D. Aug. *Lib. de spiritu & littera, cap.* 36. dicit: *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus; & postea per scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cum didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut agnoscat.* Atqui nemo Deo placere, vel non displicere putat illud, quod malum esse actu cognoscit; ergo, &c.

*Prob.* 3. Variis argumentis a ratione petitis:

1. *Argumentum*: De fide est dari peccata ignorantiæ; atqui si ad peccandum formaliter, necessaria foret actualis cognitio malitiæ, actuale dubium de illa, nulla dabuntur peccata malitiæ; ergo &c.

*Prob. min.* 1. Quia qui advertit se peccare, non ignoranter, sed scienter peccat. 2. Quia tunc solum ex ignorantia peccatur, dum ignorantia est causa peccati; atqui nunquam ignorantia est causa peccandi, dum adest actualis cognitio peccati: ergo, &c. . . . .

*Prob. min.* Ignorantia non est causa peccati, nisi per modum removentis prohibens, id est, nisi quatenus removet cognitionem, qua habita peccatum non committeretur; atqui ubi est ad actuale cognitio, ignorantia non removet cognitionem; hoc enim pugnat in terminis; ergo &c.

2. *Argumentum*: Certum est homines peccare agendo secundum conscientiam vincibiliter erroneam; atqui essentialis notio conscientiæ vincibiliter erroneæ pugnat cum cognitione malitiæ, vel dubio de illa, cum dictet non esse malum, quod revera malum est: ergo certum est homines peccare, non solum absque coscientia peccati, sed etiam

etiam cum conscientia non peccati: quamobrem dicebat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Respondet Vasquez, ibi Apostolum non loqui de peccatis ignoranter commissis, sed de peccatis præteritis scienter commissis, quorum Apostolus oblitus fuerat. Sed

*Contra est* 1. Quia hæc interpretatio opposita est expositioni omnium Patrum, cum Div. Basil. *Constit. Monast. cap.* 2. dicentium: *Cum multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offensorum partem ne intelligimus quidem; idcirco Apostolus dicebat:* Nihil mihi conscius sum &c. *quod est idem ac si diceret: multa delicta committo, quæ committere me non intelligo.* Unde Cornelius a Lapide, exponens hunc textum, ait; *Putamus sæpe nos bene agere, cum male agimus: nos ex gratia & amore Dei facere, quod amore nostræ gloriæ vel cupiditatis facimus.*

3. *Argumentum:* Si ad peccandum formaliter, necessaria foret advertentia malitiæ vel dubium sed illa, ideo esset, quia alias peccatum, qua tale, non foret voluntarium; atqui falsum consequens; ergo &c. ... *Prob. min.* Ad peccandum formaliter, sufficit voluntarium indirectum & interpretativum; atqui ad voluntarium indirectum non requiritur actualis præcogitatio malitiæ, sed sufficit virtualis, qua nempe malitia potuit ac debuit præcogitari; ergo &c. . . .

*Prob. min.* Ex D. Thom. 1. 2. *q.* 6. art. 3. dicente: *Eodem modo, ad voluntarium indirectum requiritur actus cognitionis, sicut & voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere;* ergo sicut ad voluntarium indirectum non requiritur volitio actualis, sed sufficit virtualis consistens in hoc quod homo possit & debeat cognoscere, seu considerare. Unde addit Div. Thom. *Sicut tunc non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita & non considerare.* Hujus rationem reddit, art. 7. ad 3. *Quia tunc*, inquit, *non totaliter tollitur cognitio, quia non totaliter tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari operabili; & tamen hoc ipso est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur id quod est in potestate voluntatis, ut agere & non velle, similiter & non considerare.* Non considerare igitur voluntarium est, cum tempus urget considerationis. Unde art. 8. ait: *Dicitur voluntaria ignorantia ejus, quod quis potest scire, & debet.*

4. *Argumentum:* Si advertentia actualis requisita foret ad peccandum formaliter, sequeretur Atheos, Nerones, Caligulas, Heliogabalos, & alia hominum impiorum monstra, qui, abjecto omni divino & humano timore, abominanda scelera absque ullo conscientiæ scrupulo, adeoque absque ulla actuali ad malitiam reflexione, in istis formaliter & imputabiliter non peccasse; atqui hæc doctrina & dictu & auditu horribilis est; ergo &c.

5. *Argumentum* ex eo repetitur, quod ex opinione illa prodierit dogma damnatum de peccato philosophico, nam posito quod nunquam peccetur, nisi adsit cognitio malitiæ, quod nunquam Deus offendatur, quando abest actualis advertentia offensæ Dei, necessario sequitur peccatum philosophicum, quod sic probatur: actus qui non est formaliter malus, non est offensa Dei; atqui, juxta adversarios, nullus actus est formaliter malus, nisi adsit actualis advertentia illius malitiæ, aut dubium de illa; ergo juxta adversarios, nulla datur offensa Dei absque actuali cogitatione de Deo; ergo peccatum, quantumvis grave, in eo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non est offensa Dei, nec proinde peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum; hoc autem purum est ac putidum peccatum philosophicum; ergo adversarii debent aut rejicere suam de necessitate actualis advertentiæ ad peccandum opinionem, aut errorem de peccato philosophico deglutire coguntur; sic Pater *Munier* ex hac opinione suum de peccato philosophico dogma intulit in suis dictatis, hoc modo: *Sicut actus humanus numquam est malus, sublata cognitione malitiæ, sic numquam est offensa Dei, si non agnoscatur esse offensa Dei.*

Porro quam horrendum sit dogma de peccato philosophico, ex hoc patet, quod omnia crimina a mortali theologico, seu ab offensa Dei, excuset in his qui vel ignorant Deum, vel de Deo actu non cogitant. Hinc sodomitas, parricidas, adulteros &c. qui, post exutam longa peccandi consuetudine conscientiam, illa crimina absque ullo vix stimulo perpetrant, excusabit defectus actualis advertentiæ ad legem Dei ista prohibentem. Hoc enim ex philosophistrarum principiis manifeste sequitur. Audiatur Duffius philosophista in Thesi defensa Lovanii 29. Junii 1679. *Nulla furta*, inquit, *adulteria, homicidia, aliave scelera, quantumvis enormia, habent rationem peccati formalis, aut divinæ offensæ in invincibiliter ignorante omnem Dei legem, prohibitionem, & existentiam.*

6. *Argumentum* petitur ex horrendis absurdis quæ ex opinione ad formale peccatum requirente actualem malitiæ advertentiam, sequuntur.

*Sequitur enim* 1. Non minus quam in opinione Philosophistarum, sodomias, bestialitates, maledicta, in Deum, &c. non esse peccata formalia, quando committuntur ab eo qui actu non reflectit super malitia suæ actionis.

*Sequitur* 2. Hæreticum quemque, vel infidelem in sua secta salvari posse: tantum enim abest, ut existimet se veram Dei Religionem contemnere, & conculcare, ut potius sacrificiis Deum colere, propria expiare delicta, divinamque justitiam placare credat.

*Sequitur* 3. A peccatis formalibus excusari eos omnes, qui, ex inveterata assiduæ peccandi consuetudine, ad crimen sibi conscientiam fecerunt intrepidam, quia eorum synderesis pravis habitibus undique sic est circumsepta, ut hic & nunc in particulari operatione, vox & murmur ipsius non attendatur, nec consideretur, sed id solum, ad quod appetitus corruptus inclinatur. Tales proinde non peccabant formaliter per brutalitates suas, defectu reflexionis actualis ad illarum malitiam, imo eo erunt innocentiores & feliciores, quo per effrenatas passiones suas, pravosque habitus & consuetudines erunt obstinatiores, & excæcatiores, utpote per iterata sua flagitia, facti formaliter ac imputabiliter impeccabiles.

Ut autem non videar loqui per exaggerationem,

re-

referam aliquas propositiones quas ignorantismi patroni publicæ luci exponere non horruerunt.

1. *Ut actio voluntaria sit, oportet ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit quid boni malive in ea sit, & antequam intellectus id animadverterit, actio neque bona est, neque mala.* Baunius in summa de peccatis, cap. 39. Hanc propositionem Facultas Lovaniensis 4. Maji 1645. proscripsit his verbis: *Est contra communia Christianæ Religionis principia et innumera, etiam immanissima, peccata excusat, cum pernicie animarum.*

2. *Nunquam peccatur*, inquit Baunius ibidem, *nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi studio extimuletur.* Hæc prop., *inquit Facultas Parisiensis.* 1. *Augusti* 1641. est falsa, & viam aperit ad excusandas excusationes in peccatis.

3. *Qui in die Dominica, quando Parochus admonet de Festis et jejuniis hebdomadæ, omittit ire ad audiendum Sacrum culpabiliter, ut scilicet ludo vel somno indulgeat, et quia ad Ecclesiam non ivit, non habet notitiam jejunii in ea hebdomada occurrentis, et propter hanc ignorantiam vescitur carnibus in eo die, quibus cum scientia jejunii non vesceretur, habet ignorantiam hujus jejunii peccato inductam, et tamen vescendo carnibus in eo die non peccat. Petrus Oxea*, Tract. morali, de fide, disp. 1. sect. 1.

4. *Qui ex inveterata consuetudine, velut quodam necessario impetu, rem malam agit, v. g. materiales blasphemias profert, vel perjuria effundit, tunc non peccat.* Layman, l. 1. tract. 2. cap. 5.

5. *Si nullus unquam scrupulus animum alicujus pupugerit de malitia pollutionis, ignorantia illius dici potest invincibilis, nec opus a taliter ignorante perpetratum, ad culpam imputari potest.* Terillus, in reg. mor. qu. 63. n. 17.

6. *Probabilius est, perjurium, ob consuetudinem pejerandi, non esse peccatum mortale speciale, quando est cum inadvertentia naturali .... etiamsi operans sit cum habituali affectu ad peccatum .... nec refert quod inadvertentia oriatur ex prava consuetudine, aut passione; quia tam passio, quam consuetudo, tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccatum mortale.* Filliutius.

7. *Si perditi et consummati peccatores careant omni lumine, et conscientiæ remorsu, dum blasphemant, vel suis se nequitiis immergunt, si nullam habeant mali notitiam, contendo cum Theologis omnibus, eos non peccare actionibus istis .... sine libertate enim nullum est peccatum: ut autem adsit libertas vitandi peccatum, oportet adesse notitiam bonitatis vel malitiæ, quæ in objecto proposito continetur.* Ex his propositionibus, evidenter consequentibus ex opinione, quam impugnamus, patet in quæ præcipitia conducat opinio ista.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Joann. 9. dixit Christus: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet*: ergo qui non habent cognitionem malitiæ, non peccant.

*Resp. nego conseq.* Illius enim textus hic est sensus, juxta expositionem D. Augustini, tract. 44. in Joann. *Quare*, inquit, *dixit eis Jesus*, si cæci essetis, non haberetis peccatum, *cum sit cæcitas ipsa peccatum?* Postea tradit genuinum sensum: Si cæci essetis, *id est*, inquit, *si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, et ad medicum curreretis .... non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum.* Nunc vero dicitis, quia videmus: *et ideo*, peccatum vestrum manet: *quare? quia dicendo*, videmus, *medicum non quæritis, in cæcitate vestra manetis*; quæ cæcitas est peccatum; ex quo nihil concludere possunt adversarii pro sua opinione.

*Objicies* 2. Christus Joann. 15. dicit: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent*; utique infidelitatis, quo in Christum non crediderunt. Ex quo sic arguitur; infidelis excusatur a peccato infidelitatis ex defectu auditus; ergo similiter peccator a quocumque peccato excusatur ex defectu advertentiæ.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod infidelitas illius qui non credit in Christum, quia de eo nihil unquam audivit, est omnino involuntaria, & sic nullo modo imputabilis; sed omissio advertentiæ illius qui potuit & debuit advertere, est omnino voluntaria; ergo quod fit ex illa contra legem, est peccatum formale.

*Objicies* 3. Div. August. *lib.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 19. dicit: *Peccatum, quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate a sciente committitur;* ergo non datur peccatum *proprie* dictum absque cognitione & advertentia malitiæ actionis.

*Resp. dist. textum*: Peccatum a scientie singula in quibus est actio, committitur, *conc.* a sciente malitiam actionis, *subdist.* actualiter, aut saltem virtualiter, & interpretative, *conc.* semper actualiter, *nego ant. et conseq.* Itaque ut aliqua actio prava sit peccatum formale, sufficit cognitio & advertentia malitiæ virtualis & interpretativa, nec requiritur ut sit actualis; ratio est quia scire, & debere scire æquiparantur in jure. Estque hic verus sensus D. Augustini, qui in Confessionibus suis de seipso dicit. *Et insanabilius peccabam, quo me peccare nesciebam.*

*Objicies* 4. D. Chrysostom. *Hom.* 13. *in c.* 7 *ad Rom.* ait: *Nemo enim præ ignorantia peccavit*: ergo universaliter requirit advertentiam malitiæ actualem ad rationem peccati.

*Resp. dist. textum:* Nemo peccavit præ ignorantia invincibili, *conc.* vincibili, *nego ant.* Div. Chrysostomus ibi explanat hæc verba Apostoli; *Quod ergo operor, non intelligo: non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio:* quæ verba procedunt de concupiscentiæ motibus rationem omnino prævenientibus, in quibus certum est neminem peccare, sicuti nec per ignorantiam omnino invincibilem; & ita intelligendus est S. Chrysost. qui Serm. 106. dicit; *Si ignoras quæ sciri nequeunt, aut cognosci, malitia vacabis.*

*Objicies* 5. D. Thom. quodlib. 3. artic. 8. dicit. *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem*, sed non voluntarie facit peccatum; ergo, &c.

*Resp. dist. textum:* Non voluntarie facit peccatum, voluntario formali & directo, *conc.* non voluntarie voluntario virtuali, interpretativo, & indirecto, *nego ant. et conseq.* Itaque dum quis igno-

ignorat fornicationem esse peccatum, alia voluntate facit fornicationem, alia peccatum; voluntate formali & expressa facit fornicationem, voluntate tantum virtuali, interpretativa, & indirecta, seu in causa facit peccatum. Hunc esse D. Thomæ sensum, evincunt innumera alia ejusdem testimonia, quibus asserit nullam ignorantiam excusare a culpa fornicationis.

Sic, quodlib. 8. qu. 6. artic. 15. dicit: *Quandoque error conscientiæ non habet vim excusandi, quando scilicet ipse error .... procedit ex ignorantia juris, quod quis scire tenetur, & potest, sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale. Et tunc, quamvis crederet se peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter* 3. p. qu. 80. art. 4. ad 5. *Hoc quod habet aliquis conscientiam sui peccati*, inquit, *potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum, puta si quis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.* Unde quando qu. 17. de veritate, dixit contigisse quidem, *Quod fornicatio apud gentiles non reputabatur illicita, sicut latrocinia, nec peccata contra naturam;* addit: *sed hoc contigisse propter corruptionem naturalis rationis*, ergo non inculpabiliter.

*Inst.* Div. Thom. 2. 2. quæst. 98. artic. 3. ad 2. hæc habet. *Ille qui ex lapsu linguæ falsum jurat, siquidem advertat se jurare, et falsum esse quod jurat, non excusatur a peccato mortali; si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi: et ideo a crimine perjurii excusatur.* Ergo actus absque advertentia malitiæ, non est peccatum formale.

*Resp. neg. conseq.* Div. namque Thom. non dicit talem esse immunem a peccato irreverentiæ erga sanctum Dei nomen, sed esse immunem a perjurio, quia qui non habet intentionem jurandi, non obligatur ex vi juramenti, quia revera non jurat. Præterea non negamus, imo asserimus, quod ad peccatum formale requiritur & mentis advertentia & libera voluntatis electio, quæ advertentia debet communiter esse actualis, sed quandoque sufficit virtualis, ut ipse D. Thomas asserit, in locis in quibus ex professo versatur controversia de peccatis ignorantiæ, ut supra vidimus.

*Objic.* 6. Nil volitum, quin præcognitum; atqui nullum, est peccatum, quin volitum; ergo nullum est peccatum sine cognitione illius malitiæ.

*Resp. dist. maj.* Nil volitum, quin præcognitum, cognitione aut actuali, aut virtuali & interpretativa *conc.* cognitione semper actuali, *nego maj.* & sic ad *conseq.* licet enim homo nonnisi volens peccet, non necesse est, ut malum velit actualiter & formaliter, sed sufficit, quod illud velit virtualiter & interpretative; ad quod non requiritur formalis & actualis consideratio malitiæ, sed sufficit virtualis, & interpretativa, in hoc consistens, quod peccator possit & debeat considerare, sitque ipsis voluntarius defectus actualis considerationis; quia, *scire et debere scire æquiparantur*, leg. quo se mihi ff. de reb. cred.

*Inst.* 1. Nullum est peccatum nisi vel in se, vel in sua causa sit voluntarium; atqui sine cognitione actuali, vel sine dubio de malitia actus, peccatum nec in se, nec in sua causa, voluntarium esse potest; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Peccatum enim est voluntarium in causa, nempe in negligentia advertendi.

*Prob. min.* Illud peccatum non est voluntarium in causa, quod qui committit, non consentit objecto malo; sed qui nec cognitionem actualem, nec dubium habet de malitia actus, non consentit objecto malo; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Non consentit objecto malo, formaliter, & actu, *conced.* interpretative, *nego minor.* ille enim objecto malo interpretative consentit, qui id facit, quod facere non debet, quodque a se fieri non debere, culpabiliter non advertit; nam, ut ait D. Thom. lect. 7. in c. 1. Epist. ad Rom. *Si ignorantia causetur ex culpa, non excusat culpam subsequentem.*

*Inst.* 2. Ut inadvertentia sit voluntaria in causa, in eo debet esse prævisa, in specie, vel in genere, distincte vel confuse: de ratione enim voluntarii est, quod procedat ab intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio; atqui multæ inadvertentiæ non sunt sic prævisæ; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* In ea debet esse prævisa, formaliter, vel virtualiter & interpretative, *conc.* semper, formaliter & actu, *nego maj.* inadvertentia autem virtualiter & interpretative prævideri censetur, dum prævideri potest & debet, estque culpa delinquentis quod formaliter & actu non prævideatur.

*Inst.* 3. Sicut peccatum minuitur, quando minuitur advertentia; ita simpliciter tollitur quando tollitur advertentia simpliciter; atqui per inadvertentiam actualem, advertentia simpliciter tollitur; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Neque enim totaliter tollitur advertentia, dum advertendi debitum manet & potentia; estque culpa hominis, quod actu non advertat, ut docet D. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 7. ad 3. *In his quæ per concupiscentiam aguntur*, inquit, *non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari agibili, et tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur quod est in potestate voluntatis, ut non agere et non velle, similiter autem et non considerare, potest enim voluntas passioni resistere.*

*Inst.* 4. Inadvertentia ad actum, facit actum simpliciter involuntarium, & inimputabilem; ergo inadvertentia ad malitiam actus, facit malitiam simpliciter involuntariam, & inimputabilem.

*Resp. dist. ant.* Inadvertentia ad actum, quæ nec directe nec indirecte sit voluntaria, facit actum simpliciter involuntarium, *conc.* si directe, vel indirecte sit voluntaria, *nego ant.* perspicuum enim est, voluntarium esse & imputabile homicidium ab eo patratum, qui, absque debita cautione, inadvertenter occidit hominem, putans occidere feram.

*Objicies* 7. Ad peccandum formaliter, requiritur libertas a necessitate: atqui homo non est liber a necessitate, absque cognitione actuali legis & malitiæ; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Requiritur libertas a necessitate absoluta, & antecedente, *conc.* a necessitate ex suppositione, & consequente, *nego maj.* atqui homo

homo non est liber a necessitate consequente absque cognitione vel actuali, vel saltem interpretativa, *conc. min.* absque cognitione semper actuali *nego min. & conseq.* igitur defectus cognitionis actualis proveniens ex culpa, & voluntate propria non præjudicat libertati ad peccandum necessariæ cum inducat necessitatem peccandi consequentem, non antecedentem, quæ sola officit libertati.

*Inst.* 1. Nemo peccat formaliter in eo quod vitare ipsi est impossibile, ut definivit Ecclesia contra Jansenium; atqui impossibile est homini vitare id quod non prænoscit; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Nemo peccat in eo quod ipsi vitare est impossibile, impossibilitate absoluta antecedente, & involuntaria, *conc.* impossibilitate ex suppositione consequente, & voluntaria, *nego major.* Porro ut possibilitas sit consequens, sufficit præcognitio in causa, atque adeo præcognitio virtualis malitiæ, nec requiritur actualis.

*Inst.* 2. Impossibile est homini, impossibilitate antecedente, considerare malitiam, cujus considerandæ nulla menti occurrit cogitatio, nec dubium, nec scrupulus. Ergo illi impossibile est, impossibilitate antecedente, illam vitare.

*Resp. nego ant.* Quia in hominis potestate est tollere voluntarium impedimentum, ex quo provenit, quod nulla menti occurrat cogitatio malitiæ v. g. passionem, pravum habitum, &c. unde quamvis excæcati consummatæque malitiæ peccatores subinde non possint actualem considerationem habere in *particulari agibili*, ut ait D. Thom. impotentia illa provenit ex voluntaria ipsorum culpa, proindeque non est antecedens & involuntaria, sed consequens & voluntaria, quæ profecto a culpa non excusat.

*Inst.* 3. „ Secundum adversarios, ait *Pater la* „ *Croix*, ignorantia legis & malitiæ potest dici „ vincibilis, & esse culpabilis, quando nulla ad- „ fuit cognitio legis, vel malitiæ; sed quando nul- „ la adfuit cognitio legis, ignorantia est invinci- „ bilis; ergo juxta adversarios ignorantia invinci- „ bilis erit culpabilis".

*Resp. dist. maj.* Quando nulla adfuit cognitio legis, vel malitiæ, sed potuit & debuit adesse, *conc.* quando nulla adfuit cognitio, nec potuit nec debuit adesse, *nego maj.* sed quando nulla adfuit cognitio legis vel malitiæ, ignorantia est invincibilis, si nec potuit & debuit adesse, *conc.* si potuit & debuit adesse, *nego min. & conseq.* In hoc ergo errant adversarii nostri, quod omnem ignorantiam dicant invincibilem, quæ est absque actuali cognitione: quod si verum esset, nulla darentur peccata ignorantiæ, quæ tamen dari, de fide definitum est contra Pelagianos. Itaque ignorantia quælibet, sive vincibilis, sive invincibilis includit in suo essentiali conceptu privationem actualis cognitionis, quæ si sit omnino antecedens, & absque voluntaria hominis culpa, ignorantia erit invincibilis, proindeque a culpa excusans; si econtra privatio actualis cognitionis sit consequens, & volita in causa ob culpam ipsius hominis, ignorantia vincibilis est, nec a culpa excusat, imo ipsa peccatum est, & peccati causa.

*Objicies* 8. S. Thomas, S. Bonaventura aliique veteres passim docent, inordinatos concupiscentiæ motus ad peccatum non imputari, nisi ratio actu advertat ad malitiam; atqui idem de aliis peccatis est dicendum; ergo, &c.

*Resp. dist. major.* Veteres passim docent inordinatos concupiscentiæ motus ad peccatum non imputari, nisi ratio actu advertat ad malitiam, quando exurgunt absque causa eorum voluntarie & culpabiliter posita, cumque defectu advertentiæ culpabili in ejusmodi causa, *nego maj.* Ratio est, quia tunc non deest perfectus consensus, & advertentia interpretativa, quæ, secundum antiquos Doctores, sola sufficit ad peccandum. Nam D. Thom. quæst. 15. de veritate, art. 4. ad 10. dicit: *Antequam ratio delectationem perpendat, vel documentum ipsius* (id est, ipsam pertrahere in peccatum) *non habet interpretativum consensum*; ergo ex D. Thoma, ad hoc ut inordinatus concupiscentiæ motus sit peccatum, sufficit interpretativus, ad quem sufficit ut malitia delectationis, quæ est intrinsece annexa actui, & possit & debeat ab agente cognosci, hocque est quod D. Bonaventura, in 1. dist. 24. observat, dicens. *Qui in tali delectatione, adversus periculum, vel debens advertere, voluntarie versatur, exponit se discrimini, quando negligit repellere.*

## CONCLUSIO III.

*Peccata ex ignorantia, vel inadvertentia culpabili commissa, sunt per se, & ratione sui imputabilia, & non solum ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.*

*Prob.* 1. Ex D. Thom. qui 1. 2. quæst. 76. art. 4. ad 4. expresse docet, quod peccatum in ebrietate commissum novam & distinctam mereatur maledictionem. *Ebrius*, inquit, *meretur duplices maledictiones, propter duo peccata, quæ committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum quod ex ebrietate sequitur.* Ergo, &c.

*Prob.* 2. Illa opinio est rejicienda, quæ excusat peccata impiorum illorum, qui omni vitiorum generi laxant habenas, absque alia cogitatione, quam brutalibus suis passionibus satisfaciendi; atqui talis est opinio, quam impugnamus; ergo, &c. *Prob. min.* Juxta adversarios, qui se in eum statum conjecerunt, ut se male agere amplius non cogitent, dum abominanda quæque peccata perpetrant sine ulla alia cogitatione quam infamam captandi voluptatem, non peccant, peccato per se & ratione sui imputabili, sed solum imputabili in causa, ita ut, si in eo statu mille adulteriis, sodomiis, &c. insordescerent, nec ampliorem nec novam malitiam moralem contraherent quam si semel abominanda illa perpetrarent, nec majorem in altera vita pœnam mererentur. Imo non punirentur velut adulteri, sodomitæ, &c. sed tantum velut culpabiliter negligentes advertere ad malitiam illorum peccatorum, totamque pœnam, etiam in inferno paterentur, isti soli negligentiæ culpabili esse proportionatam; atqui illa opinio excusat peccata illorum qui omnibus immunditiis sese dant, absque ulla cognitione, quam brutalibus suis passionibus serviendi, ergo, &c. *Minor* est evidens: *Major* est adversariorum: ait enim Terillus in reg. mor. q. 65 n. 60. *Opus a tali ignorantia directum, ab una eademque negligentia vere esse & nominari peccatum, sed aliam peculiarem ma-*

*maculam, aut reatum pœnæ non afferre, quam quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur . . . . dum quis de præsenti non cogitat se peccare, licet ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, sed non nova malitia & imputabilitate, sed eadem malitia & imputabilitas culpæ prioris, applicatur huic operi.*

*Prob.* 3. Ex absurdis quæ ex doctrina, quam impugnamus, sequuntur: namque

*Sequitur* 1. Ethnicos & barbaros, qui per ignorantiam culpabilem, Deum, vel saltem Dei legem crimina prohibentem, ignorarunt, excusari a peccato per se imputabili, in omnibus quæ contra legem Dei perpetrarunt: neque enim peccata illa per se & ratione sui fuerunt liberæ ac voluntariæ transgressiones divinæ legis, de qua nullam cogitationem habuerunt: *Ubi nulla legis illius datur transgressio, seu peccatum theologicum.* Contra id quod dicit Apostol. Roman. 2. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

*Sequitur* 2. Deicidium a Judæis ex culpabili ignorantia, qua Dominum gloriæ non cognoverunt, non fuisse peccatum per se, & ratione sui imputabile, sed solum ratione ignorantiæ culpabiliter admissæ: dixit tamen Christus Lucæ 23. *Pater, dimitte illis*; certe Deicidium, *non enim sciunt quid faciunt.*

*Sequitur* 3. Eum qui ex culpabili ebrietate decem committit homicidia, gravius non peccare, nec gravius puniendum esse, quam si unum tantum homicidium committeret: quo nihil falsum magis & absurdum.

*Objicies* 1. D. August. in exposit. quarumdam propositionum in Epist. ad Roman. de Pharaone dicit: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate.* Ergo Pharao, post voluntariam obdurationem, non amplius peccavit, peccato per se imputabili, sed tantum ratione voluntariæ obdurationis.

*Resp. neg. conseq.* Jam enim diximus, *in Tract. de gratia*, mentem & doctrinam D. Augustini non esse repetendam ex illo libro, quem scripsit, cum adhuc esset presbyter, ut ipse testatur, *lib.* 1. *retract. c.* 23. quia enim Semipelagianorum placitis tunc erat imbutus, arbitrabatur hominis esse inchoare fidei meritum; quod si non inchoaret, non adduceret gratiam, quæ tollit impotentiam bene operandi. Ex aliis ergo locis mens D. Augustini est repetenda, in quibus docet, obdurationem & esse peccatum, & causam peccati. *Cæcitas cordis*, inquit lib. 5. contra Julian. cap. 3. *quam solus removet Deus illuminator, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Et lib. retract. c. 5. *Qui vero cogenti cupiditati, bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Hæc certe propositio retractat perfecte quod dixerat in expositione Epist. ad Rom.

*Objicies* 2. D. Thom. in supplem. quæst. 98. art. 6. ad 3. expresse dicit: *Necessitas peccandi, cujus causa sumus, excusat a culpa, in quantum est necessitas quædam, quia omne peccatum oportet esse voluntarium. Sed quod non excuset, hoc est in quantum a voluntate præcedente processit. Et sic totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere.* Ergo si totum demeritum culpæ sequentis necessitatem culpabilem peccandi pertineat ad primam culpam, non est per se & ratione sui imputabilis.

*Resp. nego conseq.* Ex textu enim sequitur solum, quod peccata commissa ex necessitate, per culpam nostram contracta, non sint voluntaria in se, sed solum in causa; eo autem ipso, quod sint voluntaria in causa, sunt vere peccata in seipsis, vereque ratione sui imputabilia. Unde Divus Thom. non dicit, quod nullum sit demeritum sequentis culpæ, nisi demeritum culpæ prioris; sed quod *totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere*, quantum ad primam radicem demeriti, quæ est ratio voluntarii & liberi, hocque constat ex ipso D. Thom. qui 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3. dicit: *Præcedens inchoatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur involuntaria.*

*Inst.* D. Thom. 2. 2. quæst. 150. art. 4. dixit ex August. *Quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* Ergo Loth non est culpandus de incestu, sed de ebrietate, quæ incestus fuit causa.

*Resp. nego conseq.* Hoc unum vult D. Thom. quod cum incestus Loth fuerit tantum voluntarius in causa, nempe in ebrietate, sit magis, vel minus culpandus pro majori, vel minori voluntarietate causæ, seu ebrietatis; ait enim ibidem: *Si subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, sicut forte accidit de Loth. Si autem actus sequens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium voluntate actus præcedentis, in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.* Verum non negat, quin peccatum ab ebrietate causatum, sit vere peccatum ratione sui imputabile, ut patet tum textu allato, tum ex eo quod *in Resp. ad* 1. dicat: *Philosophus non dicit quod mereatur graviorum maledictionem ebrius, sed quod mereatur duplicem maledictionem propter duplex peccatum.*

*Objicies* 3. Effectus ex causa libere posita sicuti eo tempore quo in potestate hominis non est eos impedire, non sunt vere & proprie liberi; ergo non vere & ratione sui imputabiles.

*Resp. nego ant.* Quia inimpedibilitas liberam voluntatis determinationem consequens, non tollit veram & propriam rationem libertatis: sed sola inimpedibilitas antecedens.

*Inst.* 1. Saltem effectus ex causa libere ante posita secuti tempore somni, ebrietatis, & amentiæ, quo homo non est compos & ratione utens, non sunt vere & proprie liberi; ergo non sunt per se & ratione sui imputabiles.

*Resp. dist. ant.* Non sunt vere & proprie liberi in se, *conc.* in sua causa, *nego ant.* Porro libertas in causa sufficit, ut sine nova libertate, effectus

illi

illi incipiant imputari ad culpam distinctam a malitia causæ juxta illud Div. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3. *Omissionis peccatum præceptis affirmativis opponitur, quæ non ad semper obligant, sed ad tempus determinatum. Et ideo pro illo tempore peccatum omissionis incipit. Potest tamen contingere, quod aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod debet; quod quidem si sit, præter ejus culpam non omittit quod debet; si vero sit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de sero se inebriavit, & non potest surgere ad matutinas, ut debet; dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est quod omissio incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua sequens omissio redditur voluntaria*, licet secuta sit tempore ebrietatis, & impotentiæ ad non omittendum: textus est prolixus, sed necessarius, cum nostram sententiam clarissime propugnet, & sententiam oppositam absolute rejiciat.

*Inst.* 2. Si ita est, peccata quæ amens committit in amentia, ex ipsius culpa præcedente causata, ei per se & ratione sui imputarentur; atqui hoc est absurdum; ergo &c.

*Resp. nego min.* Non magis enim absurdum est de peccatis secutis ex amentia culpabili, quam secutis ex culpabili ebrietate, de quibus Divus Thomas id aperte tradit loco citato.

*Inst.* 3. Libere posuisse causam, verb. grat. homicidii, non sufficit ad hoc, ut homo dicatur libere homicidium committere, si eo tempore committat, quo non est sui compos; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Non sufficit ut dicatur libere homicidium committere, libertate homicidii in se, *conc.* libertate homicidii in causa libere posita, dummodo causa illa moraliter adhuc perseveret in effectu suo, vi ipsius secuto, *nego ant. & conseq.*

*Inst.* 4. Homicidium illud non est liberum libertate homicidii in se; ergo non est imputabile in se, sed tantum in causa.

*Resp. nego conseq.* Ut enim peccatum sit in se & ratione sui imputabile; sufficit, quod sit liberum in se, vel in causa, ut probatum est.

## CAPUT III.

*De peccatis oris, cordis, & operis.*

*Nota.* Agemus 1. de mendacio, 2. de delectatione morosa, quæ est peccatum cordis.

## QUÆSTIO I.

*De Mendacio.*

Quæres 1. *Quid sit mendacium?*

*Resp.* Est locutio aut qualibet significatio contra mentem cum intentione fallendi.

Dicitur 1. *Locutio aut qualibet significatio*: quia potest quis mentiri non tantum verbis, sed etiam nutu, scripto, gestu, & facto; ut docet D. Aug. (*lib. de mendacio, cap.* 30.)

Dicitur 2. *Contra mentem*: quia ad mendacium requiritur ut homo id falsum esse putet, quod dicit, licet forsan sit verum; unde non mentitur qui falsum dicit, quod putat esse verum. *Ex animi enim sui sententia*, inquit D. Aug. lib. de mendacio, cap. 3. *non ex ipsarum rerum veritate & falsitate mentiens, aut non mentiens judicandus est.*

Dicitur 3. *Cum intentione fallendi.* Alias nugari potius esset quam mentiri, ut si quis existens Nanceii diceret: *Cras ero Jerosolymis.*

Quæres 2. *Quotuplex sit mendacium?*

*Resp.* Triplex, officiosum nempe, jocosum & perniciosum.

Mendacium *officiosum* est locutio contra mentem utilitatis alienæ causa.

Mendacium *jocosum* est locutio contra mentem voluptatis propriæ vel alienæ causa.

Mendacium *perniciosum* est locutio contra mentem, nocumentum proximo, vel religioni inferens.

Quæres 3. *Utrum omne mendacium sit peccatum?*

*Resp.* Omne mendacium est intrinsece malum & peccatum.

*Prob.* Ex 1. Joann. 2. *omne mendacium ex veritate non est*: sed quod non est ex veritate, est intrinsece malum & peccatum: illud enim est intrinsece malum quod est contra dictamen naturale & contra naturam vocum quæ a natura institutæ sunt ad significandos internos animi conceptus; atqui quod non est ex veritate, est contra dictamen naturale, & contra naturam vocum, &c.

*Hinc.* D. Aug. (*lib. contra mendacium cap.* 20. *num.* 40.), docet eum qui baptizari non posset nisi custodibus per mendacium deceptis, Baptismum potius sibi esse prætermittendum: ex quo concluditur nullam esse occasionem, in qua liceat mentiri.

*Objicies*: Quod est intrinsece malum, non potest mercedem mereri; atqui quandoque mendacium meruit mercedem; ergo &c.

*Prob. min.* Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, & bona illis Deus retribuit. Mentita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideo liberata est; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Peccaverunt enim mulieres illæ, nec ideo remunerationem a Deo acceperunt, quia mentitæ sunt, sed quia in servos Dei misericordes fuerunt. Unde *quando ista in Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda, vel dicenda credere debemus*, inquit D. Aug. lib. de mendacio, Cap. 5. *Ne violemus præcepta, dum passim sequimur exempla; constat quod non omnia; quæ a Sanctis vel justis Viris legimus facta, transferre debeamus in mores.*

Plura exempla objiciunt ex Scriptura sacra ut probetur mendacium non esse intrinsece malum, quæ solvimus in *Dissert. de Scriptura sacra.*

Quæres. 4. *An mendacium sit peccatum mortale?*

*Resp.* Mendacium perniciosum est mortale ex genere suo, jocosum autem & officiosum sunt tantum venialia.

*Prob.* 1. *pars.* Quidquid opponitur religioni, aut charitati & justitiæ erga proximum, est mortale

ex genere suo; atqui tale est mendacium perniciosum; ergo est mortale ex genere suo, unde Sapientiæ 1. dicitur: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et Ps. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Dixi: *ex genere suo:* quia fieri potest ut aliquando sit veniale ratione parvitatis materiæ aut indeliberationis.

*Resolv.* 1. Graviter peccant qui inter concionandum falsa miracula, falsas Indulgentias aut Reliquias annuntiant, qui alicujus Sancti vitam fingunt &c. quia talia mendacia sunt perniciosa religioni quam ludibrio exponunt; unde D. Aug. (*lib. de mendacio, cap.* 21. *num.* 42.) ait: *Non est mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est & primum genus detestabilis mendacii.*

*Resolv.* 2. Graviter peccant qui in Confessione vel falsum sibi crimen imponunt, vel verum sic imminuunt ut ex mortali faciant veniale, utpote qui Sacramento gravem inferunt injuriam; aliud esset, si mentirentur circa circumstantiam solum levem, & aliunde habeatur materia sufficiens Confessionis, ut docet hic Paulus a Lugd.

*Prob.* 1. *pars:* Quia mendacia jocosum & officiosum licet veritati repugnent, nonnisi tamen leviter adversantur charitati; atqui quod tantum leviter adversatur charitati, est tantum veniale; modo non addatur juramentum, tunc enim esset mortale perjurium.

Quæres 5. *An æquivocatio & restrictio mentalis sint vera mendacia?*

*Nota* 1. Æquivocatio seu amphibologia est *sermo ambiguus habens duplicem sensum quem proferens prævidet ab audiente accipiendum in alio sensu quam ipse intelligit.*

*Nota* 2. Restrictio mentalis est *externæ locutionis internæ limitatio subaudita.*

*Nota* 3. Æquivocatio sicut & restrictio mentalis duplex est, nempe pure mentalis & late mentalis.

Restrictio *pure mentalis* est ea, cujus sensus a loquente intentus neque ex modo loquendi, neque ex signis aut circumstantiis, neque ex usu communi potest deprehendi ab audiente, ut si quis interroganti utrum Missam celebraverit, respondeat *celebravi*, subintelligendo *heri.*

Restrictio *late mentalis* est ea, cujus sensus a loquente intellectus potest vel ex modo loquendi, vel ex signis & circumstantiis, vel ex usu communi, ab audiente deprehendi. His positis

*Resp. & dico.* 1. Æquivocatio & restrictio pure mentalis & insensibilis sunt vera mendacia.

*Prob.* Ex D. Aug. (*lib. de mendacio, cap.* 3.) dicente: *ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis.* Sed qui utitur æquivocationibus & restrictionibus pure mentalibus, *aliud habet in animo et aliud verbis* exprimit; ergo.

*Confirmatur*, quia æquivocatio & restrictio pure mentalis externum sermonem non corrigunt; nam neque me fallit qui dicit *non habeo pecuniam*, subintelligendo, *ad tibi dandam*, quam qui absolute dicit *non habeo pecuniam*. ergo efficere non possunt ut qui loquitur non sit mendax respectu illius qui audit.

Unde jure merito Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive sua sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

*Dices:* Viri sancti & ipsemet Christus usi sunt æquivocationibus & restrictionibus pure mentalibus; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam ut *scadalosa, contumeliosa et impia* damnata est a Clero Gallicano (*Ann.* 1700.) hæc propos. *Patriarchæ et Prophetæ, Angeli et ipse Christus amphibologiis et restrictionibus mentalibus usi sunt.*

*Prob. ant.* Jacob, Genes. 27. patri suo Isaac dixit, *Ego sum primogenitus tuus Esau*, subintelligendo, ratione juris acquisiti per emptionem primogenituræ Esau. Christus, Joann. 7. ait: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum:* Mente subintelligendo, vobiscum, vel manifeste, postea enim *et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.* Ergo tum Jacob, tum Christus usi sunt restrictione pure mentali.

*Resp. nego conseq.* Neque enim sine injuria, & impietate dici potest, quod Jacob & Christus restrictione pure mentali usi fuerint; & qui hoc auder asserere, inquit censura Cleri Gallicani, *mystice, prophetice, parabolice dicta, vel tacita, cum vulgaribus confundit.*

Itaque verba Jacob non sunt verba mentaliter sermonem restringentis, sed sunt verba a Deo elevata ad sensum mysticum, nimirum ad significandum quod natu major, populus nempe Judaicus, serviret minori, populo scilicet gentium; hocque cognovit Rebecca, quæ ex motione Spiritus Sancti illud negotium peragebat: cognovit & Isaac, qui se fuisse a Jacob deceptum minime conquestus est; imo, *Confestim revelato sibi intus in corde magno Sacramento*, inquit D. Aug. *lib.* 16. de Civ. Dei. cap. 37. *devitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis non hic maledictionem potius expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur?* Jacob ergo patrem mentali restrictione non decipit; Imo *iste dolus*, pergit D. Aug. *ne fraudulentus putaretur, & non magnæ rei mysterium quæreretur, superius prædixit Scriptura, Genes.* 25. *Et erat Esau sciens venari, agrestis: Jacob autem homo simplex, habitans domum.* Nihil ergo per duplicitatem fecit.

Christus, *Joann.* 7. rogabatur, ut manifeste ascenderet cum discipulis suis in Judæam, ut ibi se suaque opera manifestaret; dicebat enim: *Vade in Judæam ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis; nemo quippe in occulto quid facit & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Quibus respondit Jesus: *Vos ascendite ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.* Porro attentis omnibus illis circumstantiis externis, responsio Christi fuit congrua interrogationi; revera enim non ascendit *manifeste* ut rogabatur, *sed quasi in occulto*, nec ibi tunc miracula fecit, quia ea ibi faciendi tempus nondum advenerat.

Præterea, Jansenius Gandav. in sua concordia, cap. 73. notat textum Græcum habere, *nondum*

*ascen-*

*ascendo*, quod verissimum fuit: nondum enim ascendit cum discipuli ascenderunt; sed altera die postquam discipuli ascenderant; ita ut sensus horum verborum: *vos ascendite*, &c. sit hic: vos ascendite ad primum diem festi Scenopegiæ quod per septem dies durabat; ego autem non ascendo ad primum festum istum, cæteris celebriorem; quod verum fuit: non enim ascendit ad diem festum istum, sed ad alium diem ejusdem festivitatis.

*Objicies* 2. Nemo tenetur alteri totam mentem suam manifestare, sed partem aliquando potest celare; sic quando Abraham de Sara interrogatus respondit, *soror mea est*, sed celavit esse uxorem; sed qui utitur restrictione pure mentali, nihil aliud facit, quam partem mentis suæ celare, ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Licet aliquando partem mentis suæ celare, sine mendacio, *conc.* sic fecit Abraham, de quo D. Aug. lib. contra mendacium, cap. 10. *Aliquid veri tacuit*, *non falsi aliquid dixit*: cum mendacio *nego maj.* Porro per restrictionem pure mentalem verum profertur mendacium, ut supra probavimus.

*Inst.* 1. Ad mendacium requiritur voluntas loquendi falsum; sed qui utitur restrictione pure mentali, non habet voluntatem loquendi falsum; ergo non mentitur.

*Resp. dist. maj.* Ad mendacium requiritur voluntas interpretativa loquendi falsum, *conc.* voluntas formalis, *nego maj.* porro ille habet voluntatem interpretativam loquendi falsum, qui loquitur contra mentem; ergo, &c.

*Prob. min.* Ille loquitur contra mentem, qui per verba exteriora scienter aliud exprimit, quam quod habet in mente, juxta illud D. Aug. supra citati, *ille mentitur*, *qui aliud habet in animo*, & *aliud verbis*, *vel quibuslibet*, *significationibus enuntiat.* Sed qui utitur restrictione pure mentali, per verba exteriora scienter aliud exprimit, quam quod habet in mente; ergo, &c.

*Inst.* 2. Qui utitur restrictione pure mentali, licet exterius proferat sermonem falsum, interius tamen determinat ad sensum verum; ergo nullam, nequidem interpretativam, habet voluntatem loquendi falsum.

*Resp. dist. ant.* Quod est de falso supponente; nam verba habent ex communi hominum instituto suam significationem, quam quilibet particularis pro arbitrio mutare non potest; ergo quælibet supponatur restrictio pure mentalis, exterior dictio non corrigitur. Quare D. Thom. quæst. 3. art. 1. ait: *Ad virtutem veritatis pertinet*, *ut quis talem se exhibeat exterius per verba exteriora*, *qualis est; unde veritati opponitur*, *quod aliquis per verba exteriora aliud significet*, *quam quod habet apud se: quod ad mendacium pertinet.*

*Inst.* 3. Potest quis secum proferre sermonem, partim vocalem, partim mentalem, absque mendacio, etiamsi sermo vocalis, seorsim a mentali, foret falsus; ergo similiter potest alteri loqui.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod qui sibi loquitur, non indiget verbis exterioribus ad illud intelligendum quod mente gerit, nisi beneficio vocum: quæ, in ordine ad audientem, sunt signa necessaria conceptuum loquentis; sermo ergo mentalis non potest conjungi cum vocali, nisi per voces externas.

*Inst.* 4. Qui interroganti, num carnes comederit, respondet: *Non comedi*, interius addendo, *hodie*, non dicit falsum, antequam addiderit, hodie; ergo oratio exterior, mentaliter restricta, non est falsa.

*Prob. ant.* Oratio respondentis, *non comedi*, antequam addiderit, *hodie*, non est plena, sed est suspensa ab intentione aliquid ei addendi; ergo, &c.

*Resp. nego antec.* Quia in locutione hominis ad alterum, ex sermone vocali, & interna illa additione non fit unum totale signum, sicut fit ex pluribus vocibus externis, quia interna additio, utpote audienti ignota, non potest, respectu illius, esse signum sensus ab addente intenti: ideoque locutio externa non obstante interna illa additione, est omnino falsa, & rejicienda ut lingua dolosa: *Quid est*, enim, *lingua dolosa?* quærit D. Augustinus in Ps. 51. respondet: *Ministra fallaciæ* ..... *aliud in corde gestantium*, *aliud ore promentium.*

*Resp.* & *dico* 2. Restrictio late mentalis non est mendacium, sed prudens veritatis occultatio; & ideo ea licet uti ex gravi & justa causa.

*Prob.* Ille non mentitur qui nec contra mentem loquitur, nec proximum decipit; sed qui restrictionem late mentalem adhibet, contra mentem suam non loquitur, ut per se patet, nec proximum decipit; ergo.

*Prob.* 2. *pars min.* Ille non decipit proximum qui ipsi mentem suam ita aperit, licet subobscure ut proximus ex modo loquendi, vel ex circumstantiis vel ex materia aut ex communi usu eam percipere possit ac debeat; atqui taliter mentem suam aperit qui utitur restrictione late mentali; ergo, &c. unde August. (*in Psalm.* 5.) ait: *aliud est mentiri*, *aliud verum occultare.*

*Nec dicas*, Leges humanæ societatis exigunt ut homo homini aperte revelet quidquid cognoscit veri; ergo nunquam licet uti restrictione etiam late mentali.

*Resp. nego ant.* Nam sufficit ad societatem humanam ut loquamur eo sensu quem facile ex circumstantiis proximus colligere potest & debet, ut de facto potest ex restrictione late mentali.

Dixi licitum esse *ex gravi* & *justa causa* uti restrictione late mentali. Ratio est quia Leges societatis humanæ postulant ut quisque veritatem simpliciter, juste interroganti aperiat, nisi alioquin eam celandi obest gravis & rationabilis necessitas.

*Resolves* 1. Confessarius qui interrogatus de crimine quod in Confessione audivit, respondet: *nihil hac de re audivi:* non mentitur; quia interrogans ex materia subjecta facile potest cognoscere a Confessario subintelligi, *quoad possim revelare.*

*Resolves* 2. Famulus cujusdam viri nobilis qui a quodam Dominum invisente interrogatus, *an Dominus adsit?* respondet *abest* subintelligendo, *ut videatur*, non mentitur, quia ex usu communi & omnibus noto hæc verba solum significant Dominum videri non posse.

*Resolves* 3. Non licet uti restrictionibus late mentalibus quoties rectus ordo exigit ut veritas

clare manifestetur; exigit autem 1. Quoties interrogans habet jus inquirendi & cognoscendi veritatem, nec abutitur sua potestate, ut sunt Superior, Judex &c. 2. Cum bonum Reipublicæ aut Ecclesiæ exigit ut veritas palam asseratur, ut si alioqui immineat periculum hæresis, machinationis contra Rempublicam vel Principem &c.

## QUÆSTIO II.

### *De Delectatione morosa.*

*Nota* 1. Magnum esse discrimen inter desiderium & delectationem morosam.

Desiderium, est *actus voluntatis sibi complacentis in malo cum intentione illud exequendi si posset.*

Delectatio morosa, est *actus voluntatis sibi complacentis in malo*, (vel sibi displicenti in bono) *absque intentione mali exequendi.* Hinc consensus in desiderio est *efficax* respectu objecti, econtra in delectatione morosa est *inefficax.*

Porro dicitur *morosa*, non a mora temporis quo talis delectatio duravit in appetitu sensitivo, cum uno instanti peccatum mortale perfici possit; sed a mora voluntatis quæ post turpis delectationis advertentiam, eam non repellit ut potest & debet; tunc enim voluntas est in mora obligationis quæ ipsi incumbit delectationis hujus reprimendæ.

*Nota* 2. Claritatis causa agemus 1. De delectatione morosa per ordinem ad consensum, 2. De eadem per ordinem ad objectum.

## ARTICULUS I.

### *De delectatione morosa per ordinem ad consensum.*

*Nota* 1. Consensus in delectationem est triplex, scilicet positivus, negativus & virtualis.

*Consensus positivus*, qui etiam *expressus & formalis* dicitur, est ille quo voluntas per actum expressum approbat delectationem pravam ab intellectu propositam.

*Consensus negativus*, qui & *interpretativus* dicitur, est ille quo voluntas non quidem delectationem positive approbat, sed eam advertens non repellit, mereque negative circa illam se habet.

*Consensus virtualis*, est ille quo voluntas delectationem approbat, non quidem in se, sed virtute causæ voluntarie positæ, ex qua sequitur delectatio, v. g. cum quis non vult turpes corporis motus, sed vult lectionem librorum amatoriorum, ex quibus tales motus excitantur.

*Nota* 2. Certum est apud omnes consensum positivum &. virtualem in delectationem de aliqua re mortaliter mala, v. g. morte parentis, fornicationes advertentia, quia nihil potest desiderari ad peccatum mortale, quæ ibi non reperiatur.

Sola ergo difficultas est de consensu negativo, utrum sufficiat ad peccatum mortale, quæ ut solvatur, sit.

### CONCLUSIO.

*Consensus negativus quo quis post sufficientem advertentiam non reprimit delectationem circa illicita, sed mere negative se habet non consentiendo, aut dissentiendo, sufficit ad peccatum mortale non solum quando imminet periculum consensus positivi in delectationem, sed etiam secluso tali periculo, nisi justa causa excuset.*

*Prob.* 1. *pars*: Quia qui se exponit probabili periculo peccati mortalis, peccat mortaliter: sed qui non reprimit delectationem de re mortaliter mala, cum imminet periculum consensus positivi in illam, se exponit probabili periculo peccati mortalis; ergo &c.

*Prob.* 2. *pars*: Delectatio interpretative voluntaria de re mortaliter mala est mortalis: atqui delectatio quæ post sufficientem advertentiam non reprimitur, est interpretative voluntaria; ergo.

*Prob. min.* Illud est interpretative voluntarium quod potest & debet repelli, atqui delectatio de re mortaliter mala potest & debet repelli; ergo &c. 1. *potest repelli*, vel deferendo actionem unde nascitur, nisi justa causa obest; vel per actum formalem displicentiæ, vel per orationem, vel mentem alio avertendo &c. 2. *debet repelli*, ut docet D. Thom. (1. 2. *q.* 74. *art.* 6. *ad* 3.) *dicendum*, inquit, *quod delectatio dicitur morosa non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, ut Aug. dicit* 12. *de Trinit.*

Hinc Concil. Trident. (*Sess.* 5. *can.* 5.) definit, concupiscentiam non posse nocere *non consentientibus, viriliter per gratiam repugnantibus.*

Dixi *nisi justa causa excuset*: quia præceptum, *non concupisces*, licet sit negativum formaliter, est tamen affirmativum virtualiter; ut negativum prohibet, ne consentiamus concupiscentiis; ut affirmativum præcipit ut eis resistamus; ut negativum obligat semper & pro semper, sed ut affirmativum non obligat semper & pro semper: ergo potest dari aliqua justa & rationabilis causa, propter quam juxta prudentis hominis æstimationem, non sit peccatum voluntatem aliquando habere se *mere negative* ad ejusmodi delectationes.

Quæres: *Quæ & quot causæ censeantur rationabiles ut voluntas circa delectationes morosas se habeat tantum negative?*

*Resp.* Sunt duæ.

1. Est cum probabilis est timor, ne ex majori resistentia delectatio augeatur, aut ne ea depulsa gravior insurgat, quia tunc ille status voluntatis est remedium conveniens ad majorem concupiscentiæ violentiamr eprimendam.

2. Est cum ad motus pravos depellendos dimittenda esset actio honesta vel utilis, v. g. auditio Confessionum, studium casuum conscientiæ, utilis equitatio, necessitas medendi mulierem &c. Ratio est quia delectatio in illo casu nullo modo est voluntaria etiam interpretative, cum ad consensum interpretativum non sufficiat quod voluntas possit, sed insuper requiritur ut teneatur. Porro in præsenti casu homo non tenetur desistere

re ab honesta vel utili actione ut reprimat hujusmodi delectationem, modo tamen absit periculum consensus in delectationem, & adsit vera displicentia circa illam.

## ARTICULUS II.

### *De delectatione morosa per ordinem ad objectum.*

*Nota.* Duplex potest esse objectum delectationis morosæ.

*Primum* est cognitio vel artificium ipsius operis cogitati, v. g. si quis delectetur quod scientiam habeat, aut disputare possit de rebus venereis, magicis &c. vel si delectetur de modo ridiculo & mirabili quo aliquis cadens graviter læsus est, non vero de damno vulneris illati.

*Secundum* est ipsa res mala cogitata quæ parit sensibilem voluptatem, prout accidit quando quis cogitationem habens de copula, delectatur de ipsa.

## CONCLUSIO I.

*Delectatio de sola cognitione rei mortaliter illicitæ, vel de solo modo insolito & mirabili quo peracta est, non est per se peccatum.*

*Prob.* Delectatio specificatur a suo objecto immediato; atqui objectum delectationis de sola rei malæ cognitione & artificio, non est malum, ut per se patet; ergo &c.

Dixi: *Non est peccatum per se*: quia fieri potest *per accidens* ut sit peccatum; *mortale* quidem quando periculum est consensus in objectum illicitum: qui enim se exponit peccati mortalis periculo, peccat mortaliter; *veniale* vero quando talis cogitatio est vana & inutilis, puta si habeatur ex sola curiositate vel otiositate.

## CONCLUSIO II.

*Delectatio morosa quæ terminatur ad rem ipsam cogitatione perceptam est peccatum mortale, si res cogitata sit mortaliter mala; veniale vero, si sit venialiter mala, etiamsi nulla sit voluntas operis perficiendi.*

*Prob.* Ratione D. Thom. (1. 2. *qu.* 4. *art.* 8.) Affectus erga rem mortaliter malam est peccatum mortale, & circa rem venialiter malam est peccatum veniale; sed qui delectatur de re illicita, habet affectum erga illam, etiamsi proponat eam opere non complere; ergo &c. unde Sapientiæ 1. dicitur: *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Idem dicendum de eo qui de re bona habet displicentiam, v. g. qui tristatur de bono proximi, de virtutis exercitio &c.

Quæres 1. *Unde dignosci possit quod delectatio habeat pro objecto solam cognitionem vel artificium rei malæ, non autem rem ipsam cognitam?*

*Resp.* Facile dignosci potest ex duobus capitibus;

1. *Ex motivo:* si motivum delectationis sit lectio vana, inutilis &c. est signum quod habeat pro objecto rem ipsam malam; si vero motivum talis delectationis sit studium, concio facienda, corpus sanandum &c. signum est quod habeat pro objecto veritatem turpis objecti ut cognitam.

2. *Ex affectu erga objectum*: si quis majori afficiatur delectatione circa artificium in rebus obscænis relucens quam in rebus piis, signum est ipsum delectari de ipsa re turpi, non de cognitione tantum aut de modo.

Observandum est autem quod interdum delectatio in principio quidem sit tantum de cognitione aut artificio, sed paulatim crescens, tandem fiat de ipsa re; unde ubi necessitas aut utilitas non adest, a similibus semper abstinendum est.

Quæres 2. *An delectatio morosa speciem sumat ab objecto & circumstantiis?*

*Resp. affirm.* Cum Div. Antonin. (2. *p. tit.* 5. *c.* 1. §. 6.) quia delectatio morosa specificatur ab objecto prout ab intellectu ut præsens repræsentato; ergo si repræsentetur ut malis ac diversæ rationis circumstantiis vestitum; harum circumstantiarum malitiam necessario induet.

*Hinc* delectatio de copula cum conjugata habet rationem adulterii, cum consanguinea habet rationem incestus, hæ proinde circumstantiæ debent explicari in Confessione.

*Objicies:* Prava circumstantia non est motivum delectationis: ergo delectatio prava non specificatur ab illa.

*Resp. nego conseq.* Nam sufficit ut hæc circumstantia objecto sit annexa & ab intellectu repræsentata, ut patet in eo qui desiderat copulam cum moniali, qui certe reus est sacrilegii, licet illa circumstantia non sit motivum illius desiderii.

*Inst.* 1. Exemplum illius, qui desiderat copulam cum moniali, non est ad rem præsentem; ergo &c.

*Prob. antec.* Illud desiderium copulæ cum moniali est affectus efficax; econtra delectatio morosa de copula cum moniali, est affectus inefficax: sed affectus inefficax specificatur a solo objecto formali, seu motivo; ergo delectatio morosa non contrahit malitiam sacrilegii.

*Resp. nego min.* Tam enim affectus inefficax, quam efficax, specificatur ab objectis etiam materialibus secundum omnem specificam rationem, quæ illis cognoscitur inesse: specifica autem ratio, quæ cognoscitur esse in moniali, est femina voto castitatis obstricta: ergo circumstantia voti ingreditur objectum specificum delectationis morosæ. Alias omnes delectationes forent ejusdem speciei, non obstante quacumque diversitate objecti, sive utique delectatio foret de copula adulterina, incestuosa, sacrilega, &c. saltem quando delectationis motivum non forent objecta illa formaliter ut talia, sed qua carnalem delectationem excitantia præcise.

*Inst.* 2. D. Thom. q. 15. de veritate art. 4. ad 9. ait: *Nullus delectatur in aliquo nisi afficiatur ad illud.* Sed qui delectatur de copula cum moniali, non afficitur ad circumstantiam voti; ergo ejus delectatio morosa non specificatur ab illa circumstantia.

*Resp. nego min.* Nam talis afficitur ad objectum ut est in se; atqui objectum ut est in se, est vestitum circumstantia voti; ergo afficitur ad circumstantiam voti. Unde D. Thom. *ibidem art.* 6. dicit: *Delectatio alicujus operationis, & ipsa operatio, ad idem genus peccati reducuntur.* Operatio

tio autem, seu fornicatio cum moniali, est sacrilegium; ergo & delectatio illius operationis est sacrilegium.

*Inst.* 5. Qui delectatur de copula cum moniali, non vult sacrilegium committere; ergo illud non committit; nullum enim est peccatum nisi sit volitum.

*Resp. dist. ant.* Non vult sacrilegium committere directe, & formaliter, *conc.* indirecte, & interpretative, *nego ant.* cum D. Thom. *q.* 3. *de malo art.* 2. dicente: *Homo qui peccat, licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadit sub voluntate peccantis* indirecte scilicet & interpretative, *dum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu cessare.* Hinc qui morose delectatur de cogitata fornicatione cum femina sciens eam esse Deo sacram, licet per se & directe non velit deformitatem sacrilegii, vult tamen indirecte & interpretative, dum magis eligit delectari de cogitata fornicatione cum femina Deo sacra, cognita ut tali, quam ab ea delectatione cessare. Ex his

*Resolves:* Quod, cum delectatio morosa sortiatur malitiam ejusdem speciei cum opere externo, de quo delectatio capitur, opus vero externum, v. g. fornicatio, malitiam specie diversam sortiatur pro specifica diversitate, tam personæ quæ fornicatur, quam personæ cum qua fornicatur, qualitas utriusque personæ tam repræsentationis, quam repræsentatæ, est aperienda in confessione. Enimvero, cui ratione voti, v. gr. prohibitum est fornicari, prohibitum est de fornicatione delectari: & sic de aliis.

Quæres 3. *An liceat delectari de actu intrinsece malo, per accidens citra culpam commisso?* v. g. propter ignorantiam invincibilem, defectum rationis, qualis reperitur in nocturna pollutione, &c.

*Resp. negat.* Quia esset delectatio de objecto graviter *ex se* illicito: atqui nunquam licet delectari de objecto graviter ex se illicito; ergo, &c. Unde hæc prop. fuit damnata ab Innoc. XI. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

*Dices*: Talis est delectatio, quale est ejus objectum: atqui objectum illius delectationis non est malum; ergo.

*Resp. dist. min.* Non est malum per accidens, ratione scilicet involuntarietatis, *conc. min.* per se, *nego min.* Porro delectatio est voluntaria, & ideo non habet causam excusantem quam habet opus defectu libertatis perpetratum; ut patet ex superiori propos. damnata.

Quæres 4. *An delectatio morosa quam percipit viduus de copula præterita, sponsus de futura, conjugatus de præterita vel futura in absentia compartis, sit peccatum mortale?* Antequam respondeam,

*Nota;* Duplex est delectatio morosa, nempe spiritualis & venerea. *Spiritualis* est ea quæ in sola voluntate residet sine ulla motione sensibili in corpore. *Venerea* est ea quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum generationi inservientium. Unde

Resp. 1. *Delectatio venerea quæ percipitur a prædictis, est per se mortalis.*

*Prob.* 1. Quia delectatio venerea non est licita nisi in actuali usu matrimonii vel in ordine ad illum; atqui delectatio venerea percepta a viduis, sponsis, & conjugatis absente comparte non potest ordinari ad usum matrimonii, cum vidui & sponsi sint constituti extra matrimonium, conjugati vero absente comparte non possint actum matrimonialem executioni demandare; ergo delectatio venerea non est ipsis licita.

*Prob.* 2. Delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque juxta Medicos (*Galenum*, *Hypocrat.*), quædam illius inchoatio; ergo cum seminis effusio voluntaria extra actum conjugalem sit mortalis, omnis actus ad illam tendens & ordinatus est per se mortalis; quippe dispositio sumit suam speciem moralem a forma ad quam disponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, causa ab effectu.

Resp. 2. *Delectatio spiritualis quam percipit viduus de copula præterita, sponsus de copula futura, est per se mortalis, si talis delectatio sistat in copula carnali.*

*Prob.* Talis est delectatio, qualis est actus ex quo percipitur; atqui actus ex quo percipitur delectatio tam in viduo, quam in sponso nunc & in præsenti est malus mortaliter, quia ut sic sunt constituti extra matrimonium, in quo solo carnalis copula est licita: ergo.

Dixi: *Si talis delectatio sistat in copula carnali*: quia si sistat in bono ut causato per copulam matrimonialem, v. g. *Quod per illam evaserit aut evadat periculum peccati carnis vel aliquid aliud*, non est peccatum mortale, modo absit periculum pollutionis, aut consensus in aliquem actum impudicum. Ratio est, quia copula matrimonialis in tali casu habet rationem medii vel causæ, quo tale bonum fuit acquisitum: ergo sicut tale bonum est objectum honestæ delectationis, ita & copula prout est medium vel causa talis boni.

Resp. 3. *Delectatio spiritualis quam alter conjugum durante Matrimonio percipit ex copula matrimoniali cogitata ut præsenti in absentia alterius conjugis, non est per se peccatum mortale.*

*Prob.* Ex dictis talis est delectatio qualis est actus ex quo percipitur: sed copula matrimonialis, ad cujus cogitationem sequitur delectatio, est isti conjugi pro tali tempore licita, quia ratione matrimonii quod perseverat, habet jus & dominium in corpus alterius, ratione cujus potest sine peccato mortali velle copulam matrimonialem, quod jus non tollitur per absentiam compartis, quamvis *per accidens* non possit exerceri.

Dixi: *non est per se mortalis*: quia per *accidens* potest esse mortalis, si nimirum sit causa commotionis in corpore, aut pollutionis: alias secluso tali periculo erit tantum peccatum *veniale*, quia delectatio hæc est inutilis, otiosa, & homine Christiano indigna.

Quæres 5. *An liceat delectari de re mortaliter mala, sub hac conditione*; si non esset mala aut prohibita.

*Resp. cum dist.* Vel res prohibita est *per se & intrinsece* mala, ut adulterium quod tantum prohibetur quia malum; vel non est *per se & intrinsece* mala, ut esus carnium in die jejunii, qui est tantum malus quia est prohibitus.

Si

Si res sit *intrinsece* mala, delectatio de illa etiam sub conditione, *Si non esset mala & prohibita*, est mortalis in re gravi, & venialis in re levi .... Si vero res sit tantum mala quia est prohibita; delectatio de illa sub prædicta conditione non est *per se* peccaminosa.

*Ratio 1. partis* est, quia nulla conditio apposita omnem ab objecto *intrinsece* malo, etiam ut repræsentatur, malitiam tollit, ergo delectatio de illo sub conditione, *Si non esset malum*, est delectatio de objecto absolute considerato; atqui objectum malum absolute consideratum, est mortale in re gravi, & veniale in re levi: ergo delectatio de illo est mortalis in re gravi, &c.

*Resolves.* Is peccat mortaliter qui dicit: *vellem fornicari, furari, occidere inimicum, si non esset malum furari, fornicari, &c.* item qui dicit: *vellem ut non esset malum furari, ut possim furari*: quia talis ordinem naturalem vult invertere.

*Ratio 2. partis* est, quia conditio apposita tollit omnem ab objecto ut repræsentatur, malitiam; ergo delectatio de illo sic repræsentato non est culpabilis.

*Resolves:* Non peccat qui dicit: *vellem comedere carnes nisi esset quadragesima*: vel *nuberem si non essem voto obstrictus*: vel si essem Judex, homicidam *hunc ad mortem condemnarem*; quia homicidium auctoritate publica factum, non est contra jus naturale.

Monet tamen Habert quod *cum vanæ sint & inutiles hujusmodi delectationes, non sine peccato veniali admittuntur.*

Quæres 6. *An liceat delectari de bono effectu ex peccato secuto?*

*Resp. Licet*, modo nullum sit periculum de ipso peccato materiali gaudendi: ratio est quia objectum talis gaudii non est malum; ergo nec delectatio de illo; sic enim Ecclesia gaudet de redemptione per Christum ex peccato Adami secuta: *O felix culpa, quia talem & tantum meruit habere Redemptorem.*

## CAPUT IV.

### *De Peccato mortali & veniali.*

Agemus 1. de existentia & malitia peccati mortalis.

2. De requisitis ad peccatum mortale.
3. De pœnis peccati mortalis.
4. De existentia peccati venialis.
5. De habitudine peccati mortalis ad veniale.
6. De habitudine peccati venialis ad mortale.
7. De pœnis peccati venialis.

## QUÆSTIO I.

### *De existentia & malitia peccati mortalis.*

### CONCLUSIO I.

*Dantur peccata mortalia*; est de fide.

*Prob.* Peccatum mortale est illud quod animæ mortem affert & hominem pœnæ æternæ reum constituit; atqui dantur hujusmodi peccata; ergo &c.

*Prob. min.* 1. Enim constat dari peccatum quod mortem animæ affert, Rom. 1. *qui talia agunt, digni sunt morte.* Et cap. 8. *si secundum carnem vixeritis, moriemini*, morte scilicet animæ per privationem gratiæ sanctificantis. 2. Datu peccatum quod hominem constituit reum pœnæ æternæ, ad Gal. 5. *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*: & (*Matth.* 25. *v.* 41.) *ite, maledicti, in ignem æternum.*

### CONCLUSIO II.

*Malitia peccati mortalis prout est offensa Dei, est quidem objective & secundum quid infinita; sed est intrinsece & simpliciter finita.*

*Nota.* Offensa *simpliciter* infinita est ea quæ nullum habet terminum extrinsecum, nec unquam potest per aliam ejusdem ordinis superari. Offensa *secundum quid* infinita est ea quæ habet terminum extrinsecum ultra quem extendi, vel intendi potest.

*Prob. 1. pars.* Actus qui tendit in objectum infinitum, est infinitus extrinsece, secundum quid, & terminative, ut patet in visione beatifica; atqui peccatum mortale offendit Deum qui est dignitatis infinitæ; ergo continet malitiam secundum quid objective & extrinsece infinitam.

*Prob. 2. pars:* Illud non est infinitum intrinsece & simpliciter, quod habet terminum ultra quem potest extendi; atqui malitia peccati mortalis ut est offensa Dei, habet terminum ultra quem potest extendi; quia nulla est offensa quæ non possit esse major & major intra eandem speciem, tum ratione majoris & semper majoris deliberationis, tum ratione variarum circumstantiarum; ergo.

*Confirmatur*; Si malitia peccati mortalis ut est offensa Dei, esset infinita simpliciter, nullum peccatum esset gravius altero, cum infinito simpliciter nihil majus esse possit; atqui falsum consequens; nam homicidium est gravius adulterio, adulterium simplici fornicatione, &c. Ergo.

*Objicies* 1. Per peccatum mortale offenditur persona infinite digna; ergo ratio offensæ in peccato mortali habet malitiam simpliciter infinitam.

*Resp. neg. conseq. Prob.* Malitia offensæ crescit juxta dignitatem personæ offensæ, unde injuria irrogata militi minor est illa quæ irrogatur equiti. Ergo si persona offensa sit infinite digna, malitia offensæ est simpliciter infinita.

*Resp. dist. ant.* Crescit objective, terminative & extrinsece, *conc. ant.* intrinsece & formaliter, *nego ant.* Alias & ipsum peccatum veniale esset infinitum simpliciter & intrinsece, cum etiam per illud offendatur persona infinita.

Porro gravitas extrinseca & objectiva peccati non valet, nec valere potest nisi ad constituendam gravitatem offensæ in superiori quodam ordine, ad quem pertinere non possunt omnes offensæ irrogatæ creaturis.

*Objicies* 2. Pœna proportionatur culpæ; atqui pœna peccati est infinita; ergo malitia peccati mortalis est infinita.

*Resp. dist min.* Est infinita intrinsece quoad durationem, *conc. min.* intrinsece quoad intentionem, *nego min.* Porro pœna peccati est infinita quoad

quoad durationem, quia *in inferno nulla est redemptio*; sed ex pœna quoad durationem infinita colligi non potest culpam esse intrinsece infinitam, eo fere modo quo ex gloria in duratione infinita non potest inferri meritum hominis justi esse intrinsece infinitum.

*Inst.* Illud est intrinsece infinitum quod est Dei destructivum; atqui tale est peccatum mortale; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Peccator enim sese per peccatum avertendo a Deo, non destruit Deum quantum in se est, sed solum illum contemnit, & quidem per malitiam finitam; quomodo justus sese per actum charitatis convertendo ad Deum, ipsum glorificat per finitam bonitatem.

*Objicies* 3. Satisfactio ita crescit pro dignitate personæ satisfacientis, ut cum hæc infinita est, illa quoque infinita sit; ergo a pari gravitas offensæ ita crescit pro dignitate personæ læsæ, ut si hæc infinita sit, offensa sit quoque infinita.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod persona satisfaciens sit intrinsecum principium satisfactionis, & ideo satisfactio personæ infinitæ est infinita; at persona læsa est tantum terminus extrinsecus offensæ; ergo offensæ non communicat gravitatem nisi extrinsece & objective infinitam.

## QUÆSTIO II.

### *De requisitis ad peccatum mortale.*

*Nota* 1. *Peccatum* ex D. August. (*Lib. de vera religione cap.* 14.) usque adeo est *voluntarium*, *ut nullo modo sit peccatum*, *si non sit voluntarium.* Ad voluntarium autem requiritur advertentia ex parte rationis, & consensus liber ex parte voluntatis; verum ut cognoscamus quænam advertentia & quinam consensus requiratur ad peccatum mortale,

*Nota* 2. Advertentia dividitur

1. *Ratione modi* in formalem, virtualem & interpretativam.

Advertentia *formalis*, seu expressa, est ea qua quis eligit actionem quam hic & nunc cognoscit esse malam.

Advertentia *virtualis* est ea, qua quis elicit actionem cum dubio, vel scrupulo, vel suspicione peccati, aut periculi ejus; item cum prævisione saltem confusa peccati in sua causa.

Advertentia *interpretativa* est ea, qua quis elicit actionem, cujus malitiam potuit & debuit advertere, sed per negligentiam culpabilem non advertit.

2. *Dividitur ratione perfectionis*, in plenam & semiplenam.

Advertentia *plena* seu perfecta est ea, qua homo sibi præsens & sui compos malitiam actus advertit aut advertere potest.

*Semiplena* seu imperfecta est ea, qua homo propter somnum aut aliud impedimentum non est satis sibi præsens, aut sui compos, ut malitiam actus quantum sufficit, advertere possit.

*Nota* 3. Consensus eodem modo dividitur ac advertentia.

1. *Ratione modi*, in formalem, virtualem, & interpretativum, ut exposuimus, ubi de delectatione morosa.

2. *Ratione perfectionis*, in plenum & semiplenum.

Consensus *plenus* est actus, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum amplectitur.

Consensus *semiplenus* est actus, quo voluntas aliquid absque perfecta deliberatione, seu approbatione amplectitur, ut contingit in semi-dormiente, semiebrio, in infantibus perfectum usum rationis non habentibus; in iis qui ex inadvertentia, præcipitatione, turbatione agunt. His positis,

## CONCLUSIO I.

*Ad peccatum mortale tria requiruntur, scilicet plena advertentia, perfectus consensus, & materia gravis, in illis peccatis, quæ admittunt parvitatem materiæ.*

*Prob.* Peccatum mortale est quid in genere moris gravissimum, cum dissolvat amicitiam Dei cum homine, eumque æternis suppliciis obnoxium faciat; atqui ut actus sit in genere moris gravissimus, requiritur ut homo objectum graviter malum cum plena rationis advertentia, plenoque voluntatis consensu, amplectatur; ergo ad peccatum mortale &c.

Quæres: *Quibus indiciis in dubio de consensu ad mortale sufficienti cognosci possit eum fuisse datum, vel non?*

*Respond.* Ad hoc cognoscendum traduntur quatuor regulæ.

1. *Regula:* Si dubitans experientia noverit se reprimere pravos motus in appetitu suo insurgentes dum sui compos est ac præsens, signum est non dedisse sufficientem consensum; at si noverit se ordinarie pravis motibus consentire, signum est se dedisse sufficientem consensum; ratio est quia in dubio prudens præsumptio a consuetis & communiter contingentibus ac habituali dispositione sumitur.

2. *Regula*: Si dubitans sit vir probus, ac timoratæ conscientiæ, & ita habitualiter dispositus ut mori mallet quam fœdari, præsumendum est non adfuisse consensum perfectum, propter rationem primæ regulæ, propter quam aliter judicandum est de homine peccatis assueto.

3. *Regula:* Si dubitans oblata commoda occasione peccatum exterius exequendi, non solum illam non fuerit amplexus, sed fortiter eam abjecerit, signum est non consensisse perfecte; quia potentia executrix voluntati omnino obtemperat.

4. *Regula*: Si quis dubitet an vigilans aut dormiens, sui compos an impos quidquam fecerit, non leve indicium est, fecisse sine plena advertentia & consensu perfecto; ratio est, quia quæ cum plena advertentia fiunt, facillime cognoscuntur facta fuisse ratione plene advertente.

Ceterum cum hæ regulæ fundatæ sint in conjecturis plerumque defectibilibus, qui dubitat utrum perfecte consenserit, debet consensum illum dubium confiteri.

## CONCLUSIO II.

*Ad peccatum mortale sufficit advertentia interpre-*

*prelativa consistens in eo quod quis possit & debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat.* Idem dic de consensu.

*Prob.* 1. Ad peccandum formaliter non requiritur actualis advertentia malitiæ, vel suspicio, aut dubitatio actualis de illa, aut illius periculo, ut fuse probavimus, cap. 2. de peccatis ignorantiæ; ergo ad peccatum mortale sufficit advertentia interpretativa.

*Prob.* 2. Illa advertentia sufficit ad peccatum mortale, quæ sufficit ad voluntarium interpretativum, quod juxta omnes ad mortale sufficit; atqui advertentia interpretativa sufficit ad voluntarium interpretativum; ergo.

*Prob. min.* Voluntarium interpretativum est illud quod licet non sit positive volitum, tamen secundum prudentem æstimationem censetur volitum, eo quod voluntas fecerit aut omiserit quod debebat & poterat facere, aut non omittere; atqui advertentia interpretativa sufficit ut actus secundum prudentem æstimationem censeatur volitus, cum *scire & debere scire sint paria*; ergo advertentia interpretativa sufficit ad voluntarium interpretativum.

*Dices*: In conclusione superiori dictum est, ad peccatum mortale requiri plenam rationis advertentiam; atqui rationis advertentia non est plena, nisi sit actualis; ergo ad peccatum mortale requiritur advertentia actualis.

*Resp. nego min.* Cum enim scire & debere scire sint æqualia, defectus voluntatis plenæ advertentiæ actualis; æquivalet plenæ advertentiæ actuali. Quare D. Thom. 1. 2. quæst. 6. *art.* 3. dicit: *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere; & tunc, sicut non velle & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare.*

## QUÆSTIO III.

*De pœnis Peccati mortalis.*

*Nota.* Cum peccatum mortale sit aversio a Deo & conversio ad creaturam, duplici pœna præcipua mulctatur, scilicet pœna damni quæ correspondet aversioni a Deo, & quæ consistit in privatione beatitudinis; & pœna sensus quæ consistit in dolore quem afficit ignis infernalis juxta illud Matth. 26. *discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Sed, Quæritur utrum pœnæ illæ sint æternæ? Negavit Origenes, ut refert D. August. (*L. de hæresibus, hæresi* 43.) cujus hæresim sectantur Sociniani, contra quos:

## CONCLUSIO.

*Damnatorum pœnæ sunt æternæ*, est de fide.

*Prob. ex Script.* Isaiæ 66. *vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur.* Et Matth. 25. *discedite a me maledicti in ignem æternum . . . et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Atqui in his textibus *vita æterna* sumitur pro duratione finem nunquam habitura; ergo & *supplicium æternum*, ut constat ex perpetua traditione, & ex istis aliis Scripturæ textibus; *paleas comburet igni inextinguibili* (*Matth. vers.* 22.) *et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* (*Apocal.* 20. *vers.* 10.)

*Prob. ratione.* Quia peccato in æternum perseverante, remanet in æternum pœna ipsi debita; atqui in inferno peccatum semper durat, tum quia Deus illud condonare nec vult, nec tenetur; tum quia damnatus defectu gratiæ, quam voluntarie amisit, a peccato nunquam resipiscere vult, nec potest; ergo, &c.

*Objicies* 1. Deus punit citra condignum; atqui non puniret citra condignum, bene vero ultra condignum, si pœnam infligeret æternam pro peccato quod sæpe in instanti commissum est; ergo.

*Resp. dist. maj.* Punit citra condignum, hoc sensu quod pœna damnatorum sit minus acerba quam merentur, *conc. maj.* hoc sensu quod damnatos non puniat in æternum, *nego major.* Sic intelligi debet hic textus (*Jacob.* 2. *vers.* 13.), *superexaltat autem misericordia judicium.*

*Inst.* 1. Psalm. 102. dicitur, *non in perpetuum irascetur*; ergo Deus non puniet damnatos in æternum.

*Resp. nego conseq.* Nam hic textus spectat hanc vitam, in qua Deus misericordiam suam præcipue exercet, & peccatoribus pœnitentibus condonat peccata; non vero spectat alteram vitam in qua justitiam suam Deus maxime exercet sanctos remunerando, & impios puniendo in æternum.

*Inst.* 2. Isaiæ 24. dicitur: *congregabuntur in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.* Ergo damnatorum supplicia aliquando sunt desitura.

*Resp. nego conseq.* Nam, tò *visitare* in textu sumitur in malam partem pro *punire*, ut sæpe sumitur in Scripturis, v. gr. Isaiæ 26. *visitasti et contrivisti eos*, unde sensus est, *in æternum punientur.*

*Inst.* 3. Marci 12. de Scribis dicitur; *hi accipient prolixius judicium.* Ergo aliqui damnati longius punientur quam cæteri.

*Resp. dist. text.* Prolixius in acerbitate, *conc.* in duratione, *nego ant.* Pœnæ enim inferni sunt æquales in duratione, licet sint inæquales in acerbitate, unde *nego conseq.*

*Objicies* 2. Ecclesia in Missa *pro Defunctis* orat pro salute reproborum: *libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu*, &c.

*Resp. nego ant.* Nam vel illa Ecclesiæ oratio retrahitur ad ipsum agonis momentum, adeo ut Deus futura oratione tactus, rogatur ne sinat animam morientis cadere *in obscurum.* Vel illa oratio effunditur ad petendum a Deo ut animæ fidelium in gratia defunctorum a pœnis Purgatorii liberentur; non vero effunditur pro damnatis, cum in eadem Missa canat Ecclesia, *in inferno nulla est redempio.*

Quæres 1. *Utrum quis possit puniri pro peccato alterius?*

*Resp.* Non potest puniri pœna vindicativa, & proprie dicta, nisi etiam ipse reus sit culpæ cui pœna illa juste possit infligi.

*Prob. ex Script.* Ezechiel. 18. *filius non portabit iniquitatem patris*, & ad Gal. 6. *unusquisque onus suum portabit.* Unde Div. August. ait (*Lib. 1. retract. cap. 9.*): *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna, & supplicium nominatur.*

*Objicies*: Illud Exodi 20. *Ego sum Dominus ... visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Textus enim loquitur de filiis, qui peccata parentum suorum imitantur, ob quæ tamen Deus eos certis pœnis temporalibus non punivisset, nisi parentes eorum prius peccassent.

*Inst.* Quandoque filii & subditi ob peccata parentum, & Principum rapiuntur immatura morte, ut patet ex morte parvuli, qui Davidi ex adulterio natus erat 2. Reg. 12. a. Ex interitu multorum millium de plebe propter peccatum ejusdem Davidis 2. Reg. 24. ergo aliquis potest puniri propter peccatum alterius.

*Resp. dist. conseq.* Potest puniri pœna medicinali in temporalibus, *conc.* pœna pure vindicativa, *nego conseq.*

Itaque ejusmodi mors inflicta filiis & subditis propter peccata parentum & Principum est pœna proprie dicta & pure vindicativa respectu parentum & Principum, qui in illis tamquam in personis sibi pertinentibus puniuntur; sed est tantum pœna medicinalis respectu parvulorum quos Deus per immaturam mortem tentationibus & aliis vitæ periculis intendit subtrahere; & respectu subditorum adultorum est occasio ad augenda merita.

Quæres 2. *Utrum unum peccatum possit esse, & quandoque sit pœna præcedentis peccati?*

*Resp. affirm.* Ut constat ex Apost. Rom. 1. qui de gentibus, quæ relicto vero Deo, idola colebant, dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* quæ exponens August. (*Lib. 1. cont. Julian. cap. 3.*) ait: *Hic utique vides causam propter quam traditi sunt sine ulla ambiguitate monstratam ... proinde præcedentis est pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum.* Sed

Quæres 3. *Quomodo unum peccatum possit esse pœna alterius?*

*Resp.* Unum peccatum non est pœna alterius peccati hoc sensu, quod Deus propter præcedens peccatum, in aliud impellat vel incitet: alias Deus esset auctor peccati formalis, spectati nimirum secundum malitiam, & deordinationem contra legem; sed hoc sensu unum peccatum potest esse pœna alterius, quod Deus peccatorem, a quo desertus est, deserat per subtractionem specialium gratiæ auxiliorum, quibus antea adjuvabat hominem, & sic deserendo permittat in alia, & graviora peccata incidere, ex quibus consequuntur infamia, labor, anxietas animi, privatio gratiæ sanctificantis, vermis conscientiæ, & alia id genus.

## QUÆSTIO IV.

*De existentia peccati venialis.*

*Nota* 1. Peccatum veniale est ex triplici capite 1. Ex levitate materiæ, ut furtum unius assis; 2. Ex imperfecta deliberatione; 3. Ex natura sua, ut verbum otiosum; dicitur veniale *ex natura sua*; quia quantumcumque crescat circa propriam materiam & objectum, habere non potest ex illo unde fiat mortale; de veniali in hac tertia acceptione agitur & de eo quæritur, utrum detur?

*Nota* 2. Circa peccatum veniale ex natura sua erraverunt

1. Wiclefus & Calvinus qui docuerunt omnia peccata esse mortalia ex natura sua, illa vero electis non imputari ad mortem, sed solis reprobis.

2. Lutherus qui docuit omnia peccata esse mortalia ex natura sua, illa vero non imputari fidelibus ad mortem, sed solis infidelibus; putabat enim homines sola fide justificari posse.

3. Joann. Gerson. (*l. de vita spirit. lect. 1.*), Roffensis (*art. 32. contra Lutherum*), & Almainus (*Tract. 3. moral. cap. 20.*), qui docuerunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia, quædam tamen esse venialia ex pura misericordia Dei nolentis quælibet peccata privatione gratiæ & pœna æterna puniri.

Hinc quod peccata sint venialia, id repetunt Hæretici ex conditione peccantis; Gerson vero, Roffensis, & Almainus ex misericordia Dei: contra quos

## CONCLUSIO.

*Dantur peccata venialia ex natura sua.*

*Prob.* Peccatum veniale ex natura sua est illud quod *ex se* nec mortem animæ infert, nec pœnam æternam meretur; atqui dantur multa peccata quæ *ex se* & independenter a conditione peccantis, vel a misericordia Dei, nec mortem animæ inferunt, nec æternam pœnam merentur; ergo. Unde Pius V. & Greg. XIII. hanc Baji prop. damnarunt: *nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

*Confirmatur*, quia Adam, David, S. Petrus erant fideles & prædestinati: quis tamen audeat asserere ipsos peccasse tantum venialiter?

*Objiciunt* Hæretici, Scripturam docere omnia indiscriminatim peccata esse natura sua mortalia; ergo, &c.

*Prob. ant.* Variis Scripturæ locis.

1. Rom. 6. *Stipendia peccati mors.*

2. Ezechiel. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

3. Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, id est *nullus*, inquit Div. Thom. *quia non erit ibi.*

4. Jacob. 2. *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

5. Deuter. 27. *Maledictus qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis hujus.*

*Resp. ad* 1. Apostolum loqui, non de quibuslibet peccatis, sed de gravioribus, de quibus post conversionem suam erubescebant recens a fidem conversi, *quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Addit Apost. ibidem.

*Resp. ad.* 2. Ezechielem loqui de rapina, usura, homi-

homicidio, idololatria, &c. quæ ex natura sua sunt gravissima, unde ibidem ea appellat *detestanda.*

*Resp. ad* 3. Christum vocare præcepta illa minima, non re, sed æstimatione Pharisæorum, qui licet peccata externa homicidii, adulterii, &c. gravia reputarent, tamquam levia despiciebant peccata interna concupiscentiæ uxoris vel rei alienæ, odii inimicorum, &c. quæ tamen in se levia non sunt.

*Resp. ad* 4. D. Jacobum loqui de peccatis gravibus, ait enim: *Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

*Resp. ad* 5. Sermonem esse de iis qui violaverint mandata, quæ in illo capite traduntur, ut significat pronomen *hujus*; illa autem gravissima sunt mandata de vitandis idololatria, incestu, homicidio, &c.

*Objicies* 2. Ss. Patres docent nullum peccatum esse spernendum ut parvum; ergo nullum est parvum.

*Resp. dist. conseq.* Nullum est parvum ratione peccati mortalis, ad quod disponit juxta illud (*Eccl.* 19. *v.* 1.): *Qui spernit modica, paulatim decidet*, *conc. conseq.* Ratione sui, *nego conseq.*

*Objicies* 3. Quodlibet peccatum est offensa personæ infinitæ; ergo meretur pœnam in duratione infinitam.

*Resp. dist. ant.* Est offensa gravis vel levis personæ infinitæ, *conc. ant.* est semper gravis offensa, *nego ant.*

*Inst.* 1. Quidquid est contra Legem Dei, est offensa gravis; atqui quodlibet peccatum est contra Legem Dei; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quidquid est contra Legem Dei graviter præcipientem vel prohibentem, est gravis offensa, *conc. maj.* leviter prohibentem, *nego maj.* atqui quodlibet peccatum est contra Legem Dei graviter vel leviter præcipientem aut prohibentem, *conc. min.* semper graviter præcipientem aut prohibentem, *nego minor. & conseq.* porro transgressio Legis leviter præcipientis, est levis.

*Inst.* 2. Omne peccatum est transgressio hujus primi mandati: *Diliges Dominum ex toto corde tuo;* ergo est grave.

*Resp. nego ant.* Universaliter sumptum. Quia per illud mandatum obligamur tantum ad diligendum Deum super omnia, hoc sensu quod parati simus potius carere omni bono, & pati omne malum, quam Deum offendere graviter.

*Inst.* 3. Nullum peccatum potest esse licitum propter ullum bonum etiam infinitum; ergo est malitiæ infinitæ, & meretur pœnam æternam.

*Resp. nego conseq.* Nullum quidem peccatum potest unquam fieri licitum, non quod habeat malitiam infinitam, sed quia omne peccatum qua tale, est intrinsece & essentialiter illicitum: & ita tamen repugnat peccatum esse licitum, quam repugnat actum aliquem simul esse & non esse peccatum.

*Inst.* 4. Quodlibet peccatum est majus malum quam sit pœna æterna; ergo quodlibet per se meretur pœnam æternam.

*Resp. nego cons.* Equidem peccatum est majus malum quam pœna æterna, quæ cum sit malum inferioris ordinis, nunquam potest pertingere malum culpæ, quæ est superioris ordinis; sed non inde sequitur quod levissimæ culpæ debeatur pœna maxima, cum secundum justitiæ vindicativæ exigentiam pœna debeat correspondere culpæ, ideo culpæ levi non nisi levis pœna debetur.

*Inst.* 5. Bonum opus supernaturale, vel levissimum meretur vitam æternam; ergo & peccatum levissimum meretur mortem æternam.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod omne opus bonum ex charitate fiat, cui sane debetur vita æterna: at leve peccatum non procedit ex odio Dei, cum justus illud committens in Dei amicitia habitualiter perseveret.

Quæres: *Unde repetenda sit prima & præcipua peccati venialis a mortali differentia?*

*Resp.* 1. Non est repetenda ex eo quod mortale sit contra præceptum, veniale vero contra consilium, ut voluit Scotus (*in dist.* 21. *q.* 1.). Ratio est quia actus qui sunt tantum contra consilium, non sunt peccata; unde Apost. (1. *Cor.* 7. *v.* 28.) post propositum de virginitate consilium, ait: *Si nupserit virgo, non peccat.*

*Resp.* 2. Non est repetenda ex eo quod mortale sit *contra* Legem, veniale vero *præter* Legem. Ratio est quia furtum unius assis, mendacium jocosum &c. sunt *ex se* venialia, & tamen sunt contra Legem; cum ergo D. Thom. (1. 2. *quæst.* 88. *art.* 1.) dicit peccatum veniale esse *præter* Legem, per *τὸ Legem* intelligit charitatem, quæ non destruitur per peccatum veniale: ita se explicat Div. Thom. (*q.* 7. *de malo art.* 1. *ad* 1.) dicens: *Non enim corrumpit charitatem, quæ est plenitudo Legis.*

*Resp. itaque* 3. Præcipua differentia peccati venialis a mortali ex eo repeti debet, quod homo per peccatum mortale ita se avertat a Deo, ut saltem virtualiter & interpretative finem suum ultimum constituat in creatura quam Deo præfert, unde Apost. (*Ad Philipp.* 3. *vers.* 19.) de gulosis dicit: *Quorum Deus venter est:* econtra per peccatum veniale homo nequidem virtualiter & interpretative finem suum ultimum ponat in creatura quam Deo postponit, cum eam deserere habitualiter sit dispositus, si illius amore Deum graviter offendi & penitus amitti, intelligeret; unde plus semper appretiative Deum diligit, quam creaturam.

*Prob.* Ea est prima & præcipua peccati venialis a mortali differentia, ex quo oriuntur omnes aliæ differentiæ: atqui ex differentia nobis assignata oriuntur omnes aliæ differentiæ; nam ex eo quod mortale constituat finem ultimum in creatura, non vero veniale, sequitur:

1. Quod mortale sit gravis offensa Dei, & ejus contemptus saltem interpretativus; veniale vero sit levis offensa absque contemptu Dei interpretativo.

2. Quod mortale extinguat charitatem, non vero veniale, quod tantum minuit ejus fervorem.

3. Quod mortale tollat ordinem necessarium ad finem ultimum; veniale utile tantum & congruum.

4. Quod mortale mereatur privationem gratiæ sanctificantis, & amicitiæ Dei; non vero veniale.

5. Quod mortale vero reatum pœnæ æternæ, veniale vero reatum pœnæ temporalis tantum. Ex his

Infe-

*Inferes:* Peccatum mortale distingui essentialiter *in genere moris*, a veniali; quia in peccato mortali reperitur contemptus Dei sufficiens ad dissolvendam ejus amicitiam, non autem in veniali.

Dixi *in genere moris*, seu secundum malitiam, quia mortale & veniale quæ idem habent objectum materiale, & quæ distinguuntur tantum secundum majorem vel minorem quantitatem materiæ, non distinguuntur physice & *in genere entis*, quia major vel minor quantitas non mutat speciem physicam.

## QUÆSTIO V.

*De habitudine peccati mortalis ad veniale.*

Quæres 1. *An peccatum mortale ex genere suo possit fieri veniale?* Ante responsionem

*Nota* 1. Peccatum tum mortale, tum veniale, aliud est tale *ex genere suo*, aliud est tale *per accidens.*

Peccatum *mortale ex genere suo*, est illud cujus malitia ex objecto sumpta, est *per se* gravis; *veniale* vero *ex genere suo*, est illud cujus malitia ex objecto sumpta, est *per se* levis; sic furtum ex genere suo est mortale; mendacium jocosum est veniale.

Peccatum mortale *per accidens*, est illud cujus malitia licet ex objecto levis, tamen fit gravis ratione alicujus circumstantiæ sibi *per accidens* conjunctæ, v. g. mendacium jocosum fieri potest mortale ob grave scandalum ex ipso ortum.

Peccatum veniale *per accidens*, est illud cujus malitia licet ex objecto gravis esse possit, de facto tamen est levis, vel propter levitatem materiæ, vel propter defectum plenæ advertentiæ & pleni consensus.

*Nota* 2. Peccatum mortale aliud est tale *ex toto genere suo:* aliud *ex genere suo, sed non toto.*

Peccatum mortale *ex toto genere suo*, est illud quod non admittit parvitatem materiæ, cujus proinde transgressio in parte quamvis levissima magnam importat deordinationem. Talia sunt peccata 1. Quæ sunt immediate contra Deum & religionem, ut *infidelitas*, *desperatio*, *odium Dei*, *perjurium*, *simonia &c.* 2. Quæ sunt contra Sacramenta, ut *Sacramentorum iteratio*, *sigilli sacramentalis fractio*, *violatio jejunii naturalis pro sumenda Eucharistia*; &c. 3. Quæ gravem in peccatore important deformitatem, & corruptionem, ut *ebrietas*, *luxuria*, quia omnis actus libidinosus, inchoata est pollutio, &c.

Peccatum mortale *ex genere suo*, *sed non toto*, est illud cujus materia gravis non est nisi sit in certa quadam quantitate. His positis

*Resp.* 1. Omne omnino peccatum ex genere suo mortale potest fieri veniale ex defectu plenæ advertentiæ, vel pleni consensus; quia ad peccatum mortale essentialiter requiritur plena advertentia & plenus consensus: ergo uno ex illis duobus deficiente, deficit peccatum mortale. Ita docet D. Thom. 1. 2. quæst. 88. art. 6. his verbis: *Potest, quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis.*

*Resp.* 2. Peccatum mortale *ex toto suo genere*, non potest fieri veniale ex parvitate materiæ, quia parvitatem materiæ non admittit.

*Resp.* 3. Peccatum mortale *ex genere suo*, *sed non toto*, potest fieri veniale ob parvitatem materiæ, ut patet in furto unius assis.

Porro ut probe dignoscatur materiæ gravitas, non debet considerari *absolute*, sed *relative* ad finem a Legislatore intentum, qui si gravis sit, & materia peccati ad illum multum conducat, peccatum procul dubio erit mortale, sin vero veniale; sic Clericus supposito fine gravi a Legislatore intento peccat mortaliter ingrediendo tabernas, arma deferendo, &c.

Quæres 2. *Ex quibus capitibus colligendum sit peccatum esse mortale aut veniale ex genere suo?*

*Resp.* Ex quinque capitibus:

1. Ex Scriptura sacra & Traditione juxta illud D. Aug. (*Enchiridii cap.* 28.). *Quæ sint levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino pensanda sunt judicio*; hinc peccatum illud est mortale ex genere suo, de quo Scriptura dicit; *Væ*, *abominabile*, *morte dignum*, *excludere a gloria*; *gehennæ reum efficere*, &c.

2. Ex Ecclesiæ auctoritate, summorum Pontificum decretis, sanctorum Patrum sententiis, & communi fidelium timoratorum sensu.

3. Ex gravi damno, quod peccatum vel ipsi peccatori, vel proximo infert.

4. Ex gravitate pœnæ aliquibus transgressionibus impositæ a justis Legibus canonicis & civilibus.

5. Ex communi Theologorum consensu, a quo recedere maxime in morum regulis est summe periculosum & temerarium.

## QUÆSTIO IV.

*De habitudine peccati venialis ad mortale.*

*Nota.* Resolvendum hic est 1. An peccatum veniale disponat ad mortale. 2. Utrum possit fieri mortale. Seq. conclusionibus.

### CONCLUSIO I.

*Peccatum per accidens veniale disponit directe ad mortale ejusdem speciei.*

*Prob.* Disponere *directe* ad mortale est inclinare & movere ad mortale; atqui peccatum veniale per accidens inclinat & movet ad mortale ejusdem speciei; v. g. qui sæpe furatur parva, inclinatur ad furandum majora; & qui admittit in seipso delectationes turpes imperfecte deliberatas, inclinatur ad eas admittendas ex perfecta deliberatione; ergo.

### CONCLUSIO II.

*Peccatum veniale* ex genere suo *si negligatur & continuetur*, *sensim disponit* indirecte *ad mortale.*

*Prob.* Disponere *indirecte* ad mortale, est removere id quod peccatum mortale impediret; atqui peccatum veniale ex genere suo, si continuetur, removet id quod peccatum mortale impediret; nam ex parte peccatoris minuit fervorem charitatis, ac proinde auget cupiditatem, juxta illud Aug. *decrementum charitatis, est incrementum cupiditatis*. & ex parte Dei impedit providentiam illam specialem, qua tentationes & pericula remo-

ve-

vebat, & uberiores gratias largiebatur; ergo. Hinc Eccl. 19. dicitur: *qui spernit modica, decidet.*

## CONCLUSIO III.

*Peccatum veniale ex genere suo non potest fieri mortale propter solam actus multiplicationem; & consequenter venialia quantumvis multiplicata non possunt facere unum mortale.*

*Prob.* Peccatum veniale differt specie morali a peccato mortali; nam malitia utriusque est diversæ essentialiter rationis; atqui essentia rei propter solam actus multiplicationem non mutatur in aliam essentiam, v. gr. accidentia numquam possunt mutari in substantiam, corporalia in spiritualia; ergo, &c.

*Dices* 1. Peccata venialia propter sui multiplicationem possunt occidere animam; ergo possunt fieri mortalia.

*Prob. ant.* Ex August. (*Epist.* 308.), *timenda sunt parva peccata quæ collecta contra nos si fuerint, ita nos gravabunt & oppriment sicut unum aliquod grave peccatum.* Ergo.

*Resp. dist. ant. primi argum.* Possunt occidere dispositive, *conc.* effective, *nego ant.* Sic explicandum esse D. Augustinum asserit D. Thom. (1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4.), *loquitur in illo sensu*, ait, *quod multa venialia dispositive causent mortale.*

*Dices* 2. Famulus qui singulis unius alteriusve mensis diebus, assem furatur Domino, non nisi venialiter peccat singulis vicibus, & tamen contrahit peccatum mortale cum pervenit ad magnam quantitatem; ergo plura venialia constituunt unum mortale.

*Resp. nego conseq.* Equidem ille famulus contrahit mortale, non quia collectio venialium uni mortali æquivalet, sed quia minuta successive furando, tandem pervenit ad summam quæ ad peccatum mortale sufficit, & quam sub mortali tenetur restituere, non est singula parva furta, sed ob retentionem magnæ rei alienæ invito domino; neque enim absurdum est, ut qui furando tantum venialiter peccavit, obligetur sub mortali ad restitutionem; nam in *genere moris* pro uno & eodem reputantur, *scienter retinere alienum invito Domino, & illud furari.*

## CONCLUSIO IV.

*Peccatum ex genere suo veniale potest per accidens fieri mortale.*

*Prob.* Quia ut peccatum veniale fiat *per accidens* mortale, satis est ut illi addatur circumstantia mortaliter mala; atqui hoc fieri potest, & de facto contingit in sex casibus.

1. *Ratione pravæ dispositionis agentis*, quod fit 1. Quando agens constituit finem suum ultimum in peccato veniali, ut si paratus sit peccatum mortale potius committere, quam tale veniale vitare. 2. Quando ex conscientia erronea existimat peccatum esse mortale, quod reipsa duntaxat est veniale. 3. Quando actu ita est affectus, ut id quod facit adhuc, faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale. Ratio est, quia qui habet affectum ad mortale, peccat mortaliter, cum non amet Deum super omnia appretiative.

2. *Ratione finis mortaliter mali*, ad quem ordinatur; ut si quis verba jocosa proferat ut virginem ad fornicandum inducat: quia medium specificatur a fine.

3. *Ratione gravis scandali*, quod quis ex peccato levi secuturum prævidet, aut prævidere debet; ut si quis jocosa verba proferat prævidens alios inde ad verba turpia excitandos, quia causa prævisa effectus sui rationem induit.

4. *Ratione proximi periculi peccandi mortaliter*, quia qui vult causam, vult efficaciter effectum, quem prævidet aut prævidere potest & debet ex ea causa secuturum. Unde qui experientia didicit se ex aspectu mulieris, aut ex verbis otiosis cum ea habitis, inductum fuisse ad actum turpem, vel ad consensum in delectationem veneream, hoc ipso convincitur velle, ac proinde committere peccatum mortale.

In hoc periculo juxta Bonacinam versaretur qui proponeret omnia venialia committere, quia multa venialia disponunt ad mortale.

5. *Ratione contemptus formalis* præcepti, vel Superioris; ut si quis violet præceptum in re levi, quia præceptum est, vel quia renuit subjici præcepto, vel Superiori. Ratio est quia contemptus iste in ipsum Deum, cujus vices gerit Superior, refunditur, juxta illud Christi: (*Luc.* 10. *vers.* 16.) *Qui vos spernit, me spernit*, Deum autem contemnere, ipsique nolle subjici gravis est de se irreverentia, proindeque grave peccatum.

*Dices*: Ergo omne veniale erit *per accidens* mortale, quia in omni peccato veniali reperitur contemptus; *falsum conseq.*

*Resp. nego sequel.* Ad prob. *dist.* In omni veniali reperitur contemptus interpretativus, *conc.* formalis, *nego.*

Contemptus *formalis*, est voluntas Legem infringendi ex hac sola causa quod agens non vult subjici Legi, vel Superiori hoc vel illud præcipienti. Contemptus *interpretativus* est voluntas infringendi Legem ex alia quacumque causa, puta ex passione, ira, inertia &c. Porro contemptus interpretativus non est peccatum mortale nisi dum materia Legis de se, vel ex circumstantiis est gravis; econtra formalis contemptus, ex D. Bernardo (*Lib. de præcepto & dispensat. cap.* 11.) *convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis.*

6. *Ratione connexionis* & moralis materiæ unionis; dum nempe materiæ leves inter se moraliter adunantur, quod fit 1. Per intentionis affectum: 2. Per ordinem quem materiæ leves habent ad unam numero obligationem; 3. Per effectum totalem quem producunt, seu per summam integram quam constituunt.

*Ex primo capite*, qui apud se proponit singulis diebus per duos menses furari unum assem, toties quoties furatur assem, peccat mortaliter; quia ex intentione illius summæ totalis paucula illa furatur. Unde licet in singulis furtulis materia sit levis in re, est tamen gravis intentione, in qua jam existunt.

*Ex secundo capite*, peccat mortaliter qui sæpius in die jejunii pauca comedit; qui sæpe in die festo per modica temporis spatia laborat; quiplures in Horis ejusdem dieci versus omittit, ex qui-

quibus conjunctim sumptis oriatur notabilis quantitas, quia probabilius est singulas Horas per modum unius officii præcipi, non ut actiones a se invicem independentes.

Econtra venialiter solum peccat Clericus qui singulis diebus paucos ex Officio versus omittit; qui singulis diebus Dominicis per quadrantem serviliter laborat; qui quotidie in Quadragesima panis frustulum comedit; *ratio est*, quia illæ leves transgressiones non dicunt ordinem ad unam numero obligationem, cum præcepta recitandi Officium, non laborandi, jejunandi, singulas dies in particulari afficiant & una cum die expirent; unde fit ut qui hodie peccat, non transgrediatur idem præceptum quod heri transgressus est.

*Ex tertio capite*, qui etiam absque intentione plura furandi, quotidie unum assem furatur, peccat mortaliter cum pervenit ad quantitatem gravem; quia illa parva furta unam summam gravem totalem constituunt.

## QUÆSTIO VII.

*De pœnis peccati venialis.*

*Nota* 1. Pœnæ peccati venialis quatuor communiter assignantur.

1. Consistit in hujus vitæ adversis, doloribus, morbis, & morte temporali, ut constat exemplo Moysis (*Num.* 27. *vers.* 13.), uxoris Loth (*Genes.* 19. *vers.* 25.), Ozæ (2. *Paralip.* 13. *vers.* 10.).

2. Est gratiæ copiosioris, qua homo adjutus infallibiliter mortalia devitaret, subtractio.

3. Est diminutio fervoris, charitatis & familiaritatis cum Deo, qui peccato veniali coinquinatum incipit evomere de ore suo.

4. Est gravissimi ignis purgatorii perpessio temporanea saltem in his qui in Domino moriuntur.

Dixi: *Saltem in his qui in Domino moriuntur*: quia controvertitur inter Theologos, utrum peccatum veniale puniatur in damnatis pœna æterna, quod ut solvatur,

## CONCLUSIO.

*Peccatum veniale in hac vita quoad culpam non remissum, per accidens punitur in inferno pœna æterna: secus si quoad culpam fuerit remissum.*

*Prob.* 1. *pars*: Ex D. Thom. (*qu.* 5. *de malo*, *art.* 2. *ad* 8.), *peccatum veniale in eo qui decedit cum mortali, quia numquam remittitur, æterna pœna punitur propter gratiæ carentiam.*

*Prob.* 2. *ratione*: Tamdiu remanere debet pœna peccati, quamdiu remanet ejus culpa; atqui culpa peccati venialis in inferno remanebit in æternum; ergo. *Prob. min.* 1. Quia existenti in termino non datur remissio peccati quoad culpam; 2. Quia remissio peccati non fit sine aliqua applicatione meritorum Christi; atqui Christi merita non applicantur damnatis, cum nec sint membra Christi, nec pro ipsis in tali statu positis obtulerit suam passionem; ergo. 3. Quia culpa non dimittitur absque ejusdem detestatione & displicentia, cujus damnati, defectu gratiæ ipsis indebitæ, omnino sunt incapaces; ergo.

*Dices*: Animæ purgatorii sunt in termino, cum sint extra statum vitæ; atqui tamen ipsis remittuntur peccata venialia quoad culpam; ergo & damnatis.

*Resp. dist. ant.* Animæ purgatorii sunt in termino secundum quid, *conc. ant.* simpliciter, *nego ant.* Itaque animæ in purgatorio sunt *secundum quid* in via, cum non pervenerint *totaliter* ad ultimum terminum, & habeant fidem & spem, quæ sunt virtutes viatorum non remanentes in patria; damnati vero sunt *totaliter* & simpliciter in termino, cum fidem non habeant, nec spem.

*Prob.* 2. *pars.* Nulla est alia ratio, cur pœna peccati venialis in hac vita quoad culpam non remissi, non possit per satispassionem in inferno remitti, nisi quia peccati culpa in æternum est duratura; ergo si in hac vita peccatum veniale dimissum fuerit quoad culpam, non est cur per satispassionem condignam & æqualem, pœna temporalis ipsi debita solvi non possit in inferno ... Idem dicendum de peccatis mortalibus dimissis solum quoad culpam, quibus in inferno non nisi pœna temporalis debetur.

*Dices* 1. Pœna a damnatis perpessæ sunt omnino involuntariæ; ergo non valent ad remittendam pœnam peccatis jam quoad culpam dimissis debitam.

*Resp. dist. conseq.* Non valent ad remittendam pœnam per satisfactionem, *conc.* per satispassionem, *nego conseq.* ad illam enim sufficit æqualitas inter pœnam & culpam.

*Dices* 2. Si peccata venialia & mortalia dimissa in hac vita quoad culpam non punirentur in inferno pœna æterna, daretur in inferno quædam pœnarum redemptio & mitigatio; consequens est contra unanimem Ecclesiæ consensum; ergo.

*Resp.* Ad utrumque cum D. Thom. (*in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. ad 3.) *Pœna, cujus est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio: quia pœna solvitur, non redimitur: nec est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.* Pœna autem peccatis quoad culpam dimissis debita, est accidentalis.

## CAPUT V.

*De Peccatis capitalibus.*

*Nota.* Peccata capitalia sunt septem, scilicet *superbia*, *avaritia*, *invidia*, *ira*, *acedia*, *gula*, *luxuria.* De duobus ultimis tractaturi cum agemus de virtute temperantiæ, alia quinque nobis sunt elucidanda; de quibus singulis quæremus 1. Quid sit? 2. Quale peccatum? 3. Quot ejus filiæ? 4. Quot ejus remedia?

## QUÆSTIO I.

*De Superbia.*

Quæres 1. *Quid sit superbia?*

*Resp.* Est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.*

Dicitur 1. *appetitus*, id est, desiderium & amor.

Dicitur 2. *Inordinatus*: 1. Ex defectu humilita-

tis

tis, quo superbus iis quibus debet, subjici recusat; 2. Ex defectu magnanimitatis, quo superbus quæ sunt supra conditionem suam, præsumptuose & contra regulam a Deo statutam, appetit. Hinc si quis propriam excellentiam in Deo & propter Deum quærat, virtus erit magnanimitatis, non superbiæ vitium.

Dicitur 3. *Propriæ excellentiæ:* non alienæ, unde si mater nimium appetat excellentiam filiæ absque respectu ad seipsam, non est proprie superbia, sed quoddam aliud vitium superbiæ affine.

Quæres 2. *Quale sit peccatum superbiæ?* Ante responsionem

*Nota:* Superbia alia est perfecta, alia imperfecta.

Superbia *perfecta* est ea, qua quis bona quæ a solo Deo habet gratuito, æstimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse.

Superbia *imperfecta* est ea, qua quis agnoscens se omnia Deo debere, cæteris plus æquo se effert; item est ea, qua quis bona quæ vere non habet, arrogat sive in sua, sive in aliorum opinione. His positis

*Resp.* 1. Superbia perfecta est peccatum mortale *ex genere suo*, juxta illud (*Proverb.* 8. *vers.* 13.) *arrogantiam & superbiam detestor.* Ratio est, quia repugnat charitati Dei, qui per superbiam contemnitur; unde Apostolus de *superbis & elatis* ait: *qui talia agunt, digni sunt morte* (*Rom.* 1. *v.* 25): & Proverb. 16. *abominatio Domini est omnis arrogans.*

*Resp.* 2. Superbia imperfecta est solum veniale ex genere suo, quia charitati non graviter repugnat; fit tamen mortalis 1. Si adsit gravis Superiorum contemptus; 2. si adsit grave proximi detrimentum, v. g. si quis propriam excellentiam quærat per proximi detractionem aut calumniam.

Quæres 3. *An superbia sit omnium peccatorum gravissimum?*

*Resp.* Est gravissimum, si spectetur ratione aversionis a Deo.

*Prob.* 1. Quia aversio a Deo, quæ ad alia peccata spectat ex consequenti, per se ad superbiam spectat, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 6. dicens: *In aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem a Deo, ex hoc ipso quod non vult Deo, vel ejus regulæ subjici.* Ratio est, quia superbia perfecta in eo consistit. quod quis ita extollatur, ut Deo, Superioribus a Deo constitutis, eorumque Legibus nolit subjici,

*Prob.* 2. Quia superbia omnium peccatorum est initium, juxta illud Eccl. 10. *initium omnis peccati superbia.* Et illud D. August. sermone in Psal. 18. *Non est majus peccatum, quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis;* quare expositione in eundem Psalm., dicit: *Magnum hoc delictum est, & caput & causa omnium delictorum. Scriptum est enim: initium omnis peccati superbia.*

*Prob.* 3. Quia superbia est vitiorum omnium periculosissimum, unde a S. Isidoro *lib.* 11. *Sentent. cap.* 38. vocatur, *ruina omnium virtutum*, de qua Aug. *Epist.* 211. dicit, *Alia quæcumque iniquitas in malis operibus, exercetur ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.* Ideo justi perpetuo vigilare debent, ne in suis actibus obrepat superbia, quæ ex D. August. Epist. 118. *Etiam in recte factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur;* ergo quilibet debet orare, & cum Regio Psalte, Psal. 35. dicere: *non veniat mihi pes superbiæ.*

Quæres 4. *Quæ et quot sint filiæ superbiæ?*

*Resp.* Tres recensentur: scilicet præsumptio, ambitio, & vana gloria.

*Præsumptio* est *inordinatus appetitus aliquid quod vires proprias superat, aggrediendi.*

Est mortalis 1. cum ex ea imminet periculum Deo injuriam inferendi: sic peccavit mortaliter Lucifer cum dixit, *similis ero Altissimo.* 2. Cum ex ea imminet periculum sibi ipsi, aut proximo damnificandi: sic peccat mortaliter qui sine sufficienti scientia præsumit exercere, aut quærere officium Medici, Superioris, Judicis, Theologiæ professoris, &c. 3. Cum ex ea imminet grave periculum peccandi, v. gr. dum quis suam cognoscens ad venerea proclivitatem feminarum se conversationi, absque necessitate, ingerit, in quibus suam sæpe expertus est fragilitatem.

*Ambitio est inordinatus honorum et dignitatum appetitus;* est *per se* tantum venialis; fit tamen mortalis, 1. *Ratione affectus mortaliter illiciti*, ut si quis mallet peccare mortaliter, quam honorem aliquem non adipisci, vel amittere. 2. *Ratione medii graviter mali;* ut si quis quærat honorem per detractionem de competitore. 3. Ratione finis, ut si quis appetat honorem propter se, non propter Deum. 4. *Ratione damni proximo inferendi*, ut si quis appetat officium Judicis carens scientia competenti.

*Vana gloria* est *inordinatus laudis humanæ appetitus.*

Est mortalis 1. Si quis gloriam quærat ex re mortali, v. g. fornicatione, duello, &c. 2. Si in gloria humana ponatur finis ultimus; alias est solum venialis.

Porro licet vana gloria sit filia superbiæ, habet tamen & ipsa suas filias numero septem, scilicet inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, discordia, pertinacia, & novitatum inventio.

*Inobedientia* est *peccatum quo violatur præceptum Superioris ex contemptu*, sive quia præceptum est; est semper mortalis etiamsi levis sit materia, ut supra dictum est (*Quæst.* 6. *de habitudine Peccati venialis ad mortale*).

*Jactantia* est *inanis & stulta propriæ excellentiæ prædicatio.* Est per se venialis; mortalis vero, si charitati Dei & proximi sit contraria, qualis fuit jactantia Pharisæi dicentis: *non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, &c.* (*Luc.* 18. *vers.* 11.)

*Hypocrisis* est *fictio peccatoris se justum simulantis*, unde est mendacium facti. Quandove venialis quandove mortalis sit, id *discernendum est ex fine*, ait Div. Thom. (2. 2. *q.* 3. *art.* 4. *in corp.*) *quia si* (graviter) *repugnet charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum* (hypocrita) *simulat sanctitatem, vel ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur dignitatem Ecclesiasticam indignus, vel quæcumque alia bona*

tem-

*temporalia*, *in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet charitati*, *erit peccatum veniale*, *puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur.*

*Contentio* est *inordinata verborum contrarietas circa verum. Discordia* vero est *inordinata voluntatum contrarietas circa bonum*, in quo ex charitate Dei vel proximi convenire & consentire tenemur.

Utraque est peccatum mortale *ex genere suo*, sicut alia quæ sunt contra charitatem; unde ad Galat. 5. *contentiones & dissensiones* numerantur intra opera carnis a regno Dei excludentia.

*Pertinacia* est *perseverantia im propria sententia contra veritatem cognitam*, *vel sufficienter propositam.* Est solum venialis per se; fit tamen mortalis quando est contra honorem Dei, vel bonum grave proximi; nam tunc materia gravis est.

*Inventio novitatum*, est *propriæ excellentiæ manifestatio per aliquid novi*, *admirationem ingerentis.* Est per se venialis, fit tamen mortalis, 1. Si fidei, bonis moribus, vel pudicitiæ adversetur. 2. Si pariat scandalum vel grave damnum proximo.

Quæres 5. *Quænam sint superbiæ remedia?*

*Resp.* Inter innumera, hæc afferri solent.

1. Est notitia sui, vix enim possibile est ut sibi ipsi non vilescat, qui defectus suos tum physicos, tum morales sincere coram Deo pensabit.

2. Est diligens inspectio brevitatis eorum quibus mens superbire solet; nam quicunque sis, *terra es et in terra reverteris.* (*Genes.* 3. *vers.* 19.)

3. Est frequens meditatio pœnarum superbiæ, & humilitatis præmiorum, nam (*Matth.* 13. *vers.* 12.) *qui se exaltaverit humiliabitur*, *& qui se humiliaverit*, *exaltabitur.*

4. Est libens cum humilibus conversatio, atque Christi imitatio, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

5. Est susceptio ministeriorum vilium, v. g. hospitalia visitare, pauperibus & ægrotis ministrare, infimum locum eligere, &c.

## QUÆSTIO II.

### *De Ira.*

Quæres 1. *Quid sit Ira?*

*Resp.* Est *inordinatus appetitus vindictæ*, *aut quasi vindictæ.*

Dicitur 1. *Appetitus inordinatus:* quod ex duplici capite oriri potest. 1. *Ex parte objecti*, cum nempe quis optat vindictam ei qui non meruit; vel majorem quam meruit; vel inferendam sine justa auctoritate; vel tandem qui eam, etsi justa sit, non ut justam appetit, sed ut satiativam malevoli cordis. 2. *Ex parte modi*, ut *si quis nimis ardenter irascatur interius*, *vel si nimis exterius manifestet signa iræ*, ait D. Thomas (2. 2. *quæst.* 185. *art.* 3.).

Hinc dum ira nec modum excedit, nec in objecto deficit, sed ad finem honestum tendit, qui est, ait D. Thom. (*Ibidem art.* 2.) *conservatio*, *justitiæ & correctio culpæ*, vitium non est, sed virtus, juxta illud Psalmistæ, *irascimini & nolite peccare.*

Dicitur 2. *Vindictæ aut quasi vindictæ:* nec enim ad iram necesse est ut vindicta feratur in eum a quo quis se læsum putat; sed quilibet potest vere & inordinate irasci in res inanimas, ut scriptor in calamum, pictor in pennicillum, &c.

Quæres 2. *Quale sit peccatum Ira?*

*Resp.* Ira ex parte objecti inordinata, est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem & justitiam; unde *ira* numeratur inter *opera carnis*, *quæ qui agunt*, *regnum Dei non consequentur.*

*Resp.* 2. Ira ex parte modi tantum inordinata, *secundum se non habet ex genere suo rationem peccatis mortalis*, ait D. Thom. (*Ibidem art.* 3.), potest tamen esse mortalis per accidens, nempe ratione scandali, convicii, blasphemiæ, maledicti, &c. quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

Quæres 3. *Quæ & quot sint filiæ iræ?*

*Resp.* Sex vulgo numerantur, quæ omnes sunt peccata mortalia aut venialia prout magis vel minus graviter justitiam vel charitatem offendunt, & sunt:

*Indignatio*, quæ est vitium, quo quis ob injuriam sibi factam alteri recusat officia charitatis communia.

*Tumor mentis* est æstus quidam animi diversa vindictæ media omni conatu excogitantis.

*Clamor* est inordinata atque confusa locutio.

*Blasphemia* est injuriosa contra Deum vel Sanctos locutio.

*Contumelia* est sermo injuriosus contra proximum audientem.

*Rixa* est pugna manuum inter eos qui ex ira invicem se percutiunt auctoritate privata. *Rixa* in aggressore est semper mortalis ex genere suo, ut patet *ex Galat.* 5. in eo autem qui se defendit, non est peccatum, si non excedat debitum moderamen; quod si excedat, est peccatum veniale quidem, cum excessus est levis, mortale vero cum excessus est gravis; ita D. Thom. (*hic q.* 41. *art.* 1.)

Quæres 4. *Quænam sint remedia iræ?*

*Resp.* 4. Præcipua sunt,

1. Meditari mansuetudinem Christi, qui (1. *Petri* 2. *vers.* 23.) *cum malediceretur*, *non maledicebat: cum pateretur*, *non comminabatur.*

2. Considerare quantum ira sit injusta & perniciosa, quæ tot induxit clades, bella, duella, homicidia, &c.

3. Nihil facere in motu iræ; sed solum postquam sedatus erit.

4. Elicere actus charitatis, humilitatis, patientiæ, & mansuetudinis, qui iræ maxime adversantur.

## QUÆSTIO III.

### *De Avaritia.*

Quær. 1. *Quid sit avaritia?*

*Resp.* Est *inordinatus appetitus divitiarum.* Est autem *inordinatus* 1. *ratione objecti*, dum nempe aliena concupiscimus; 2. *ratione finis*, dum finem nostrum constituimus in divitiis. 3. *ratione excessus*, dum ita opes congerimus, ut nullum iis congerendis modum statuamus. Unde avarus non est, sed providus, qui divitias appetit quantum satis est

est ad vitam honeste transigendam, prolem educandam, familiam sustentandam, &c. quia in hoc nihil est inordinati.

Quæres 2. *Quale sit peccatum avaritia?*

*Resp.* 1. Dum avaritia charitati vel justitiæ adversatur, est mortalis ex genere suo; nam *neque fures, neque avari, regnum Dei possidebunt*, ait Apostol. (I. *Cor.* 6. *vers.* 10.). *Resp.* 2. cum D. Thom. (2. 2. *quæst.* 118. art. 4.) *si inordinatio amoris*, divitiarum, *intra hoc sistat, ut scilicet homo quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum & proximum, sic avaritia est peccatum veniale.* Ratio est quia tunc potius illiberalitas, quam proprie dicta avaritia, censetur:

Quæres 3. *Quot sint filiæ avaritiæ?*

*Resp.* Sunt septem.

1. Est *proditio*, quæ est *deceptio contra fidem datam vel debitam.*

2. Est *fraus*, quæ est *deceptio proximi per facta injusta:* v. g. cum venditur pixis ex aurichalco, pro pixide ex auro.

3. *Fallacia* seu *dolus*, est *deceptio proximi per verba dolosa*, æquivoca & mendacia.

4. *Perjurium*, est *deceptio proximi per falsum juramentum.*

5. *Inquietudo mentis*, qua ex nimio divitiarum amore a debitis retrahimur officiis.

6. *Violentia*, qua res aliena per vim injustam usurpatur.

7. *Obduratio cordis*, seu immisericordia, quæ est *tenax rebus terrenis adhæsio, quæ impedit ne cor miseriis pauperum emolliatur*, unde fit ut violetur præceptum eleemosynæ.

Quæres 4. *Quænam sint remedia avaritiæ?*

*Resp.* Præcipua sunt.

1. Attendere omnia prorsus in morte dimittenda & relinquenda hæredibus sæpe ingratis, dissipatoribus, imo sæpe inde damnationis occasionem sumpturis; *stulte*, ait Christus, *hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* (*Lucæ* 19. *vers.* 20.)

2. Animadvertere *quam difficile* sit *confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare; facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* (*Matth.* 10. *v.* 24.)

3. Meditari paupertatem Christi, qui (2. *Corinth.* 8. *vers.* 9.) *cum dives esset, propter nos egenus factus est.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Invidia.*

Quæres 1. *Quid sit invidia?*

*Resp.* Est *tristitia de bono proximi quatenus est propriæ excellentiæ imminutivum.* Unde si quis de bonis proximi tristetur ex alio motivo, non erit invidia.

Hinc 1. Si quis tristetur de bonis proximi, quia ipsi est inimicus, erit *odium*, non invidia.

2. Si tristetur de bonis prodigi ea dilapidantis, aut avari ea turpiter recondentis, erit *justa indignatio*, non invidia.

3. Si tristetur de bonis temporalibus peccatorum, quia illis sunt indigni, erit *zelus inordinatus;* cum omnia divinæ Providentiæ decretis, quæ adorare debemus, eveniant.

4. Si tristetur de bono alterius; v. g. de adepta potestate, non quia ipsi bonum, sed quia damnum sibi aut alteri inde imminet, est *justus timor.*

5. Si tristetur de bono alterius, non quia ille bonum possidet, sed quia sibi deest, ita tamen ut minime cupiat alterum illo privare, est *æmulatio*, non invidia.

Quæres 2. *Quale peccatum sit invidia?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo; quia opponitur charitati, cujus proprium est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere; hinc ad Galat. 5. *invidia* dicitur excludere *a regno Dei.*

Quæres 3. *Quot sunt filiæ invidiæ?*

*Resp.* Sunt sex, scilicet odium proximi, contumelia, detractio, & exultatio in adversis & afflictio in prosperis, susurratio, de quibus omnibus alibi agemus.

Quæres 4. *Quænam sunt invidiæ remedia?*

*Resp.* Sequentia numerantur:

1. Est attente meditari nullum esse vitium quod nos similiores reddat diabolo, juxta illud (*Sap.* 2. *v.* 24.) *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

2. Est honorem humanum contemnere, *non efficiamur*, ait Apost. (*ad Galat.* 5. *v.* 26.) *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

3. Est persuasum habere invidiam soli invidenti nocere qui ea immaniter ac inutiliter cruciatur; quæro enim an invisus per invidiam suis spolietur bonis? An invidens per invidiam ditetur bonis invisi, etiamsi ipsis spoliari contingat? Respondeat qui diabolico illo cruciatur vitio.

## QUÆSTIO V.

### *De Acedia seu Desidia.*

Quæres 1. *Quid sit acedia?*

*Resp.* Est *tristitia & tædium de bonis divinis ut ad nos pertinentibus;* ut si quis doleat quod Deus sit beatitudo nostra, eo quod hæc beatitudo sine voluptatis fuga, & difficili virtutum exercitio obtineri non possit.

Quæres 2. *Quale sit peccatum acedia?*

*Resp.* Est mortale ex genere suo, juxta illud Apostoli (2. *Corinth.* 7. *v.* 10.) *Tristitia sæculi mortem operatur.* Ratio est quia graviter charitati Dei repugnat, cum per eam parvipendatur amicitia Dei & æterna beatitudo; atque indigna reputentur quæ difficili virtutum exercitio comparentur.

Quæres 3. *Quot sint filiæ acediæ?*

*Resp.* Sunt sex. 1. Est *malitia*, qua quis odit bona spiritualia, & vellet ea non esse, v. g. non esse Sacramenta, religionem Christianam, non agnovisse Christum, &c. & hæc est mortalis *ex toto genere suo.* Unde sola indeliberatio excusare potest.

2. Est *desperatio*, qua quis assecutionem beatitudinis sibi impossibilem existimans, de ea obtinenda

nenda diffidit. Est peccatum de se gravissimum.

3. Est *pusillanimitas*, qua quis ex diffidentia de viribus suis, Dei consilia aut præcepta omittit.

4. Est *rancor*, quæ est quædam indignatio in eos qui ad spiritualia nos inducere volunt; est grave peccatum juxta illud: (*Prov.* 29. *v.* 1.) *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

5. Est *torpor*, qui est languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum.

6. Est *evagatio mentis*, in oratione aliisve exercitiis spiritualibus. De se quidem venialis est; sed mortalis si fiat eo tempore, quo ex præcepto requiritur mentis attentio.

Quæres 4. *Quot sunt remedia acediæ?*

*Resp.* Præcipua sunt: 1. Meditatio noctis illius æternæ *in qua nemo potest operari.* (*Joann.* 9. *v.* 4.) Et istius Christi comminationis: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* (*Matth.* 3. *v.* 10.).

2. Est reflexio ad labores quos filii hujus sæculi suscipiunt, ut ad corruptibilem coronam perveniant; unde concludemus totis viribus gloriæ æternæ adeptioni esse incumbendum.

3. Est meditatio laborum & passionum Christi & Sanctorum, brevitatis laborum & æternitatis præmiorum fervidæ charitatis, &c.

## QUÆSTIO VI.

### *De Gula.*

Quæres 1. *Quid sit gula?*

*Resp.* Est, *Inordinatus appetitus cibi & potus.*

*Dicitur* 1. *Appetitus*; quia non solum inordinate comestio, sed etiam desiderium inordinate comedendi, & bibendi, est vitiosum.

*Dicitur* 2. *Inordinatus*: Quia qui cibo & potu utitur, juxta Dei ordinationem, ad corporis sustentationem, non solum non peccat, sed & coram Deo meritum sibi comparare potest. Is ergo solus reus est peccati gulæ, qui ob solam voluptatem manducat & bibit, ut declaravit Ecclesia damnatione hujus prop. *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Quam etiam propositionem *temerariam, scandalosam, perniciosam, erroneam, & ad Epicuri scholam ablegandam*: declaravit Clerus Gallicanus, anno 1700.

*Dicitur* 3. *Cibi & potus*: per quod disignatur proprium gulæ objectum, quod est delectatio cibi & potus Inordinate concupita.

Quæres 2. *Quot modis gulæ peccatum committi possit?*

*Resp.* Quinque modis hoc versu contentis.

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

*Præpropere*, id est, si edas ante tempus, est enim signum quæsitæ potius voluptatis quam necessitatis, cum obsit, non prosit valetudini.

*Laute*, id est, si nimis exquisita, nempe pretiosiora, quam conveniat statui vel necessitati.

*Nimis*, id est, plusquam natura exigit.

*Ardenter*, id est, si nimia aviditate, aut voracitate; *Et licet quidam habeant a naturali conditione vel assuefactione*, ait D. Antonin. p. 2. tit. 6. cap. 1. §. 5. *tamen corpori nocet . . . . & cum procedit ex inordinato appetitu delectationis gulæ peccatum est.*

*Studiose*, id est, si nimis exquisite præparata, quod non fit, nisi propter voluptatem.

Quæres 3. *Quale sit peccatum gulæ?*

*Resp.* Cum D. Thom. 2. 2. q. 148. art. 2. distinguendo, *Si inordinatio concupiscentiæ*, id est appetitus cibi & potus, *accipiatur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tamquam fini, propter quem Deum contemnit paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.* Ratio est, quia hoc charitati Dei graviter contrariatur.

*Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale.*

Ratio est, quia tunc non contrariatur charitati Dei; potest tamen fieri mortale *ex circumstantiis.*

1. Dum homo, ob gulam, impotens fit ad munia sua obeunda, debita solvenda, familiam sustentandam, gravem necessitatem patienti opitulandam &c.

2. Dum ob eandem versatur in periculo sanitatem corporis & animæ amittendi.

3. Ratione scandali, vel periculi graviter peccandi; eadem, cum proportione sunt dicenda de potu nimio, independenter ab ebrietate consummata.

Quæres 4. *Quot sint species gulæ?*

*Resp.* Sunt duæ, *crapula*, scilicet, seu comessatio, & *ebrietas.*

*Crapula*, est *Excessus, quo quis omnino sanus, ita cibis sese ingurgitat, ut ad vomitum moveatur.*

*Ebrietas*, est *Excessus voluntarius in potu, usque ad violentam privationem usus rationis.*

*Dicitur* 1. *Excessus voluntarius*: sive sit expresse volitus, dum nempe quis directe sese inebriare intendit: vel interpretative tantum, dum quis vult bibere quantum potest, non curans de ebrietate secutura, vel dum advertens, vel advertere debens & potens proximam & imminentem ebrietatem, nihilominus bibere non desistit . . , per hanc conditionem excluditur ebrietas violenta per ignorantiam, vel inadvertentiam inculpabilem, vel etiam per coactionem.

*Dicitur* 2. *Usque ad violentam*, &c. ut ebrietas distinguatur a somno, phrenesi, aut hypocondria, quibus usus rationis naturaliter aufertur.

Quæres 5. *Quale sit peccatum crapulæ?*

*Resp.* Est per se peccatum mortale; quia ita sese cibis ingurgitare valde turpe est & abominabile, naturæ rationali maxime contrarium omnibus hominibus videtur, quod valde vituperat Isaias, *cap.* 28. dicens: *Omnes mensæ eorum, repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset*

*ultra*

*ultra locus.* Unde de iis merito Apostolus, *Rom.* 16. dicit: ***Hujusmodi*** enim *Christo non serviunt, sed suo ventri.* Qui & propterea ad Galatas 5. *Homicidia, ebrietates, comessationes* enumerat inter *opera carnis:* de quibus subjungit: *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Hinc D. Basilius *in asceticis, cap.* 1. dicit: *Ventrem plus æquo replere & cibis aggravare, maledictione dignum est, dicente Domino*: væ qui saturati estis, quia esurietis.

Merito ergo ab Academia Lovaniensi confixa fuit hæc nonnullorum Casuistarum propositio: *Non nisi veniale est, etiam absque utilitate, et cibo et potu usque ad vomitum se ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

Quæres 1. *Quale peccatum sit ebrietas?*

*Nota*: Ante responsionem, quod sint tres ebrietatis gradus. *Primus*, dum ipsa non pervenit, nisi ad quamdam rationis obnubilationem. *Secundus*, dum non pervenit, nisi ad organorum turbationem, & cordis aggravationem. *Tertius*, dum pervenit ad rationis subversionem. His notatis

*Resp.* Ebrietas, in *primo gradu*, de se est peccatum veniale tantum, nisi ex circumstantiis fiat mortale. *In secundo gradu*, longe gravior, & sæpe mortalis est, dum scilicet notabilis fit organorum disturbatio, & cordis aggravatio. *In tertio autem gradu*, mortalis est ex genere suo, quod

*Prob.* 1. Ex Scrip. *Isaiæ* 5. dicente: *Væ qui consurgis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam.* Illud autem *Væ*, indicat peccatum mortale, juxta illud Ven. Bedæ, in can. 23. Proverb. *Væ, æternum interitum nominat.* Et illud Hieronym. in cap. 5. Amos, *Væ pœnarum ultimum est.* Ergo &c. unde Apostolus, 1. Corinth. 6. ait: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri . . . . neque ebriosi . . . regnum Dei possidebunt.*

*Prob.* 2. Ex Div. August. *Serm.* 294. dicente: *Frequenter usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt . . . Pejores animantibus judicandi sunt. Cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint, illi & duplum, & triplum, quam eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerunt habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potius quam impendere. Atque utinam vel potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.*

*Prob.* 3. *ratione.* Ubi est gravis inordinatio, ibi est grave peccatum; atqui in ebrietate gravis est inordinatio, nempe privatio usus rationis, qui est præcipuum hominis bonum; ergo, &c.

*Porro*, Censent communiter DD. eum peccare mortaliter, qui attento usu communi, monstruose bibit, licet adhuc sit rationis compos; *ratio est*, quia, per hanc monstruosam potationem, temperantiam enormiter lædit. Unde dicit Isaias supra citatus; *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum.* Et Prov. 23. dicitur: *Noli esse in conviviis potatorum . . . quia vacantes potibus, et dantes symbola consummentur . . . . cui væ? . . . nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* atqui maledictio per tò *væ* annuntiata non incurritur nisi propter peccatum mortale; ergo &c. Hinc

*Resolves* 1. Eos graviter peccare, nec absolvendos esse nisi se emendent 1. Qui, more dæmonum, alios ad nimiam potationem provocant. Unde August. *serm.* 231. *de tempore* dicit: *Qui alterum cogit, ut se, plusquam opus est, bibendo inebriet? minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animum ejus per ebrietatem occideret.*

2. Qui non impediunt ne alius inebrietur cum impedire commode possunt; graviter enim peccant contra præceptum quo *unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Vi cujus sicut impedire tenentur ne proximus se occidat quoad corpus, dum sine magno suo periculo impedire possunt: ita & ne occidat se quod animam.

3. Qui, etiam salvo rationis usu, mero se ingurgitant, cum gravi proximorum scandalo v. gr. patres familias, toti familiæ suæ grave per hoc præbentes offendiculum: item Ecclesiastici, ex nimia compotatione, in publico titubantes, cum tanto graviori scandalo, quanto sanctius ministerium in Ecclesia Dei subeunt; nam, *Cum aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solum hoc non faciunt, sed etiam se, aliosque inebriare non erubescunt, tales si se noluerint emendare, et pro se et pro aliis, necesse erit eis æterna supplicia sustinere.*

4. Qui ebriosis, & ebrietati proximis, vinum subministrant, ut caupones, nisi tamen eos excuset gravioris incommodi imminens periculum. Quia ad peccatum alienum concurrunt subministratione inebriantis materiæ.

*Nec dices*: Proximus se jam spiritualiter occidit per voluntatem se inebriandi: ergo &c.

*Resp. neg. cons.* Nam adhuc impedire tenetur istius voluntatis executionem, quomodo impedire tenetur executionem voluntatis se corporaliter occidendi, cum ebrietas opere consumata malum sit gravius morte corporali. Ergo a fortiori tenentur caupones ad externam ebrietatem non concurrere.

*Resolv.* 2. Absolvendos non esse eos, qui popinis frequentandis sunt assueti, nisi contra istam pravam consuetudinem viriliter pugnando, se emendaverint. Quia ista consuetudo ut plurimum est occasio gravium peccatorum; nimirum

1. Notabilium in potu excessuum in se, & in aliis, qui ad similes excessus a combibitoribus provocantur.

2. Verborum & factorum turpium, vel propriorum, vel alienorum: quæ cooperanti, consulenti, vel alias consentienti imputantur ad culpam.

3. Rixarum, imprecationum, quæ tam illic quam domi committuntur.

4. Dilapidationis bonorum, quibus & familia sustentanda esset, vel filiis providendum, vel pauperibus succurrendum.

5. Graviter afflictæ atque per illam dilapidationem irritatæ conjugis, si conjugatus sit; vel si sit filius familias, parentum, qui mœrore & anxietate conficiuntur; dum merito timent, ne in periculosa illi consortia incidant, & in mala quæ ex popinarum frequentatione evenire non ignorant.

6. Malorum exemplorum, quæ non solum domesticis & filiis suis dant, sed & aliis, quos suo pariter exemplo & consortio ad popinarum frequentationem alliciunt.

7. Profanationis dierum festivorum, qui sanctificandi sunt non solum per abstinentiam ab operibus servilibus corporalibus, sed & maxime per abstinentiam ab operibus servilibus spiritualibus; id est, a peccatis, ut in variis definitum est Conciliis.

Ex his possunt concludere Confessarii quanto animi vigore, quantoque zelo debeant popinarum frequentationi adversari, quæ tantorum malorum est occasio proxima.

Quæres 7. *Utrum sese inebriare liceat ad mortem vitandam, aut alium inebriare, ut a majori peccato retrahatur.*

*Resp. negative* Cum D. Aug. *serm.* 232. *de tempore* dicente: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibes, aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

*Prob. ratione:* Quod est intrinsece malum, nullo casu potest esse licitum, cum ex Apost. *non sint facienda mala, ut eveniant bona;* atqui se aut alium privare usu rationis, quod est præcipuum hominis bonum, quo a brutis discernitur, est intrinsece malum; ergo, &c.

*Objicies:* Cum quis se aut alium inebriat ad vitandam mortem, non intendit privationem rationis, sed vitæ conservationem; ergo hoc est licitum.

*Resp. dist. ant.* Non intendit privationem rationis, in actu signato, *conced.* in actu exercito, *nego ant.* Cum enim quis intendit id a quo ex natura sua aliud sequitur, intendit illud ipsum in actu exercito; & ideo Ss. Patres excessum vini sine ulla exceptione semper damnarunt.

*Inst.* 1. D. Thom. *qu.* 150. *art.* 2. *ad* 3. dicit: *cum aliquis multum comedit, vel bibit secundum consilium medicinæ, ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel potus.* Ergo ex consilio Medici licitum est se inebriare ad recuperandam sanitatem.

*Resp. nego conseq.* Equidem ex consilio Medici licitum est largiore potu uti ad vomitum procurandum, sed salvo rationis usu, & ita ut non perveniatur ad ebrietatem. Unde D. Thom. addit: *Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, et ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.*

*Inst.* 2. D. August. *Serm. de Purgatorio* dicit, *ebrietatem esse peccatum mortale, si sit assidua.* Ergo ebrietas semel commissa non est mortalis.

*Resp. nego conseq.* D. enim August. hoc non ideo dicit, quod velit ebrietatem non esse peccatum mortale si semel dumtaxat aut iterum committatur: sed quia ebrietas semel commissa excusari potest a mortali, ob ignoratam vini fortitudinem, numquam autem sic excusari potest, si quis in eam frequenter inciderit; & ita exponit Augustinum D. Thomas citatus ad 1. *Assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quod homo inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.*

Quæres 8. *An mala in ebrietate culpabili commissa imputentur ad culpam?*

*Resp.* Vel prævisa sunt ut verisimiliter secutura, vel nullo modo prævideri potuerunt; *si primum*, imputantur ad culpam, quia sunt voluntaria saltem interpretative, qui enim vult causam, vult consequenter effectum, saltem interpretative, quod sufficit, ut fusius probavimus supra, ubi agebamus de peccatis ignorantiæ ... *si secundum*, non imputantur ad culpam, cum nullo modo sint voluntaria.

Quæres 9. *Quot sint filiæ gulæ?*

*Resp.* Sunt quinque mox enumerandæ ac definiendæ.

1. *Hebetudo mentis*, quæ est *stupiditas orta ex crapula* propter fumositates ciborum perturbantes caput. Est mortalis, si quis per ipsam fiat ineptus ad præstanda graviter obligantia.

2. *Inepta lætitia*, quæ movet ad cantilenas obscænas, motus lascivos, actus turpes, &c. est mortalis.

3. *Scurrilitas*, quæ est *immoderatio in jocis & facetiis*; est plerumque peccatum veniale, dum personarum quidem decentia non servatur in jocis, sed abest scandalum & prava intentio. Est tamen quandoque peccatum mortale ratione objecti, si nempe jocus sit obscœnus, vel scandalosus; aut si Deo, Sanctis vel proximo sit graviter injuriosus. Unde sacrilega scurrilitas, est Scripturæ sacræ verbis abuti ad *scurrilia, fabulosa, vana*, ut declarat Conc. Trid. sess. 4.

5. *Multiloquium*, quod ratione superfluitatis verborum est veniale peccatum, quod si tamen exeat in detractionem, aut turpitudinem, est peccatum mortale, sed tunc *pertinet ad scurrilitatem*, ait D. Th. q. 148. art. 6.

5. *Immunditia*, quæ fit per vomitum, vel pollutionem, semper est mortalis: unde Apostolus *Ephes.* 5. dicit: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis.*

## QUÆSTIO VII.

### *De Luxuria.*

Latissimam hanc materiam in tres articulos partiri necessarium duximus; 1. erit de luxuria in genere; 2. de variis luxuriæ speciebus; 3. de impudicitia.

## ARTICULUS I.

### *De Luxuria in genere.*

Quær. 1. *Quid sit luxuria, & quale peccatum?*

*Resp. ad.* 1. Luxuria est inordinatus voluptatis venereæ appetitus, vel usus.

*Resp. ad* 2. Luxuria est peccatum mortale ex genere suo, ut concedunt omnes; &c.

*Prob.* 1. Ex Apost. ad Galatas 5. *Opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria ... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam*

*niam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

*Prob.* 2. *ratione*: Inordinatio in materia gravi, est peccatum mortale ex genere suo; atqui luxuria est inordinatio in materia gravi; cum enim usus rei venereæ ex natura sua sit institutus ad conservationem & propagationem generis humani, est res maxime gravis; ergo, &c. Circa quod

*Nota:* Licet prima fronte solum adulterium videatur prohiberi hoc præcepto, *Non mœchaberis*, omnem tamen omnino mentis, oris, & corporis impudicitiam per illud vetari constat ex hoc Christi Domini oraculo: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Si enim Christus solum aspectum mulieris, ad ejus concupiscentiam ordinatum, damnat; quanto magis tactus, oscula, pollutionem, fornicationem, &c.

Ex hoc principio facile deducitur, nullam in re venerea dari materiæ parvitatem, omneque luxuriæ peccatum esse semper mortale: tamen ut hæc veritas magis elucescat,

*Quæres* 2. An delectatio venerea admittat parvitatem materiæ?

*Nota.* Triplicem in hac materia distingui delectationem, spiritualem nempe, mere sensibilem, & veneream.

*Delectatio spiritualis* est ea, quæ in sola voluntate residet, absque ullo motu sensibili in corpore: talis est delectatio, qua quis in proximi miseria exultat.

*Delectatio mere sensibilis*, seu organica, est ea, quæ oritur ex conformitate rei tactæ, aut visæ, cum organo tactus, aut visus, sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas, ita ut homo non delectetur, nisi de re blanda, leni, tenera, pulchra, &c. talis est delectatio, quæ percipitur ex gustu, musica, &c.

*Delectatio venerea*, seu *libidinosa*, est ea, quæ sentitur circa partes venereas, ex commotione carnis, spirituumque generationi inservientium.

*Certum est* 1. Dari parvitatem materiæ in delectatione spirituali: unde si sit de actu mortali, est mortalis; si sit de actu veniali, est venialis. Ratio est, quia specificatur ab illo actu, ut objecto.

*Certum est* 2. Dari levitatem materiæ ex delectatione mere sensibili, dum abest ulterioris turpis delectationis, aut consensus periculum, quod aliquando contingere potest; alias peccato mortali damnandæ forent matres ac nutrices, quæ cum suavitate & affectu teneram puerorum carnem osculantur. *Nec obstat* damnatio hujus prop. ab Alexand. VII. *Probabilis est opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

*Resp.* enim, quod S. P. hic loquatur de delectatione venerea & libidinosa, quæ satis exprimitur per hæc verba, *ob delectationem carnalem*: de sola ergo delectatione venerea potest esse difficultas, quæ ut solvatur, sit

## CONCLUSIO.

*Non datur levitas materiæ in delectatione venerea.* Est communis.

*Prob.* 1. Omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque inchoatio quædam illius; nam in omni delectatione venerea fit quædam resolutio seminis, ejusque deductio ad partes venereas, ut testantur Medici; ergo cum seminis effusio voluntaria, extra actum conjugalem, sit mortalis, omnis actus ad illam ex se tendens, est per se mortalis, nam dispositio specificam suam malitiam sumit a forma ad quam disponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, &c.

*Prob.* 2. Ex Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo;* sed qui vel minimam delectationem veneream quærit, vel deliberate admittit, moraliter & practice loquendo, se exponit periculo peccati mortalis: moraliter enim impossibile est in re tam lubrica sistere in certa delectationis parvitate; ergo delectatio venerea, vel minima, quæsita, aut admissa, est mortalis.

*Dices:* In furto, in excessu cibi & potus, datur parvitas materiæ; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* & paritatem: *Disparitas* est quod rei vilis ablatio, levis excessus in cibo & potu, per se non ordinatur ad actum mortalem, nec inducit periculum graviter peccandi; econtra delectatio venerea, vel minima, ex se ordinatur ad effusionem seminis mortaliter malam extra conjugium, & per se inducit periculum consentiendi majori delectationi.

Quæres 3. *Quid de motibus in parte inferiori exortis sit dicendum?*

*Resp.* Vel illis motibus data est occasio, vel insurgunt naturaliter sine data occasione. *Si primum*, voluntas debet ipsos per omnia media positiva reprimere, cum in sua causa sint voluntaria, & consequenter vera peccata. *Si secundum*, debet voluntas illos reprimere, saltem per actum displicentiæ positivæ. Quod

*Prob.* Ex Concil. Trid. sess. cap. 5. definiente, *Concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus.* Ergo, ut non noceat, non sufficit mera negatio consensus, sed requiritur repugnantia positiva.

Dixi: *Saltem per actum displicentiæ positivæ:* quia interdum non sufficit illa displicentia, sed illi motus prorsus expellendi sunt, præsertim deserendo actionem quæ eos excitat, nisi obstet justa causa, v. g. si ad illos motus expellendos, dimittenda foret actio honesta, necessaria, vel utilis, ut auditio confessionum, studium casuum conscientiæ: tunc enim sufficiet displicentia vera, modo tamen non sit periculum consensus, in quo casu quilibet teneretur adhuc ab illis actionibus abstinere ex charitate sibi debita.

Porro medium aptissimum motus illos compescendi, est mentem 'alio avertere, & si perseverent, orare, signo Crucis se munire, oculos ad imaginem Crucifixi convertere, cogitare de ejus passione, de morte, inferno &c. applicare se negotio quod mentem occupet, & a tali objecto avocet.

Quæres 4. *Quænam sint filiæ luxuriæ?*

*Resp.* Ex D. Thom. *qu.* 153 *art.* 5. sunt octo: nempe quatuor ex parte intellectus, & quatuor ex parte voluntatis, quorum præcipuæ operationes impediuntur ac deordinantur per luxuriam.

1. Filiæ luxuriæ ex parte intellectus sunt:

*Cæcitas mentis*, qua debiti finis, quem sibi quisque in agendo præfigere debet, consideratio impeditur.

*Præcipitatio*, qua impedimur consilium de mediis ad finem illum consequendum eligendis.

*Inconsideratio*, qua impeditur sanum de agendis judicium, quatenus luxuriosus nec modum, nec statum rerum considerat.

*Inconstantia*, qua impeditur imperium rationis circa executionem agendorum .... hæ quatuor filiæ luxuriæ sunt mortales, quando, propter illas, præceptum aliquod in re gravi violatur.

2. Filiæ luxuriæ ex parte voluntatis sunt:

*Amor sui inordinatus*, qua luxuriosus finem suum ultimum ponit in carne sua, obscœnis illius, ac præsentis sæculi voluptatibus, cogitationes suas ac curas ad illarum assecutionem referendo.

*Odium Dei*, luxuriam prohibentis ac punientis.

*Affectus præsentis sæculi*, quo voluptatibus corporeis inhæret, ut aliam beatitudinem non quæreret, si eis semper perfrui posset. Hic Sap. 2. refertur, dicens: *nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ*, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.

*Horror et Desperatio futuri sæculi*, eo quod *ex una parte*, nihil ibi luxuriosus expectet, nisi gehennam luxuriosis præparatam; *ex alia parte* obscœnas voluptates deserere, sibi quasi impossibile reputet .... hæ quatuor filiæ sunt semper mortales.

Quæres 5. *Quot sint remedia contra luxuriam?*

*Resp.* Sequentia vulgo assignantur.

1. Oratio fervens, ac frequens, ad implorandum divinum auxilium; *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, ait Sap. 8.

2. Custodia sensuum, tam internorum, quam externorum, quia Jeremiæ 9. *Mors intrat per fenestras*, præsertim per aures, quia *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1. Cor. 15. & per oculos, ut dicitur Eccl. 9. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius ..... propter speciem mulieris, multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Prout expertus est David oculos conjiciendo in Betsabee.

3. Fuga otii, ut nos semper diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate nostra aditum ad animas nostras valeat invenire.

4. Carnis maceratione & jejunia, dicente Christo, Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium.*

5. Assidua piorum librorum lectio, munimem Sanctorum cogitationum, meditatio novissimorum, scriptum est enim Eec. 6. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

6. Vitatio occasionum, quales sunt, frequentatio improborum, familiaritates inter personas diversi sexus, lectio librorum amatoriorum &c. nam D. Aug. ait: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.*

7. *Optimum et probatissimum remedium pro consuetudinariis in materia venerea* ait Doctor Dujardin, in lib. de officio Sacerdotis, pag. 216. *Est ut uno eodemque semper utantur Confessario, viro docto, pio, et prudenti, cujusque monitis fideliter et constanter obtemperent.* „ Hic enim re- „ media suggeret, quæ pœnitenti erunt utiliora, „ & huic tentationi superandæ aptiora, ait P. „ Antoine".

## ARTICULUS II.

### *De variis luxuriæ speciebus.*

*Nota.* Septem sunt luxuriæ species; nempe simplex fornicatio; stuprum; raptus; adulterium; incestus, sacrilegium; & peccatum contra naturam, de quibus totuplici paragrapho.

### §. I. *De fornicatione simplici.*

Quæres 1. *Quid sit fornicatio simplex?*

*Resp.* Est *copula carnalis soluti cum soluta corrupta.*

Dicitur 1. *Soluti cum soluta*, uterque enim debet esse solutus, tum a vinculo matrimonii, tum a vinculo voti, ordinis sacri, cognationis, & affinitatis; alias si alteruter esset innexus vinculo matrimonii, esset adulterium; si vinculo voti, vel ordinis sacri, esset sacrilegium; si cognationis aut affinitatis, esset incestus &c.

Dicitur 2. *Corrupta*, quia ex D. Thom. q. 154. art. 6. *Fornicatio est concubitus qui fit cum mulieribus jam corruptis.*

Quæres 2. *Quale sit peccatum fornicatio?*

*Resp.* Est peccatum mortale, jure naturali prohibitum.

*Prob.* 1. *pars:* Quod excludit a regno Dei, est peccatum mortale; atqui ex Apostolo Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Dei et Christi*; ergo &c.

*Prob.* 2. *pars:* Quod adversatur debitæ educationi ac instructioni prolis, est *intrinsece* malum: atqui fornicatio adversatur debitæ prolis educationi ac instructioni. Hæc enim requirit operam viri, & feminæ, qui sint inter se conjuncti lege matrimonii; alioquin ex natura rei esset incerta & periculo exposita prolis educatio; ergo &c.

*Objicies:* Fornicarii de prolis educatione convenire possunt, ita ut ipsi provideant; ergo in hoc casu fornicatio non est intrinsece mala.

*Resp. nego conseq.* Quia ut fornicatio sit intrinsece mala, sufficit ut proli *de se* sit nociva, licet quandoque per *accidens* ei non noceret, equidem in casu proposito non noceret, sed hoc esset per accidens; unde debuit ab auctore naturæ generaliter prohiberi pro omni casu, & de facto prohibita est, ut constat ex hac prop. ab Innocent. XI. damnata: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Quæres 3. *An fornicatio cum meretrice, sit gravior fornicatione cum alia femina soluta?*

*Resp. affirm.* Quia maris & feminæ commixtio ex naturali institutione, non solum ordinatur ad convenientem prolis educationem, sed imprimis ad ejus generationem; atqui generatio prolis impeditur per fornicationem cum meretrice; ergo &c.

Quæ-

Quæres 4. *Utrum fornicatio cum concubina sit gravior fornicatione cum meretrice?*

*Resp. affirm.* Quia in concubinatu homo non solum peccat, sed est in habitu peccandi, & in continuo proposito fornicandi permanet; atqui in tali fornicatione gravior est inordinatio, quam in accessu ex occasione ad meretricem; ergo &c. Hinc Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. matrim. c.* 8. statuit, ut concubinarius, si ter monitus ab Episcopo non resipiscat, excommunicetur, concubina vero e Diœcesi ejiciatur ..... quare concubinarius non debet absolvi, quin concubinam ejecerit; quod si mors ita immineat, ut non sit tempus eam abjiciendi, tunc sufficiet verum eam ejiciendi propositum.

Quæres 5. *Utrum fornicatio cum infideli sit gravior, quam cum infideli?*

*Resp.* Cum Delugo & pluribus aliis, quod non solum sit gravior, sed & mutet speciem, quia non solum est contra castitatem, sed etiam contra virtutem religionis; Ecclesia enim vetat matrimonium fidelis cum infideli propter honorem religionis catholicæ, atque propter periculum defectionis a vera fide; atqui contra illud utrumque pugnat similiter fornicatio fidelis cum infideli; ergo similiter vergit in dedecus religionis.

## §. II. *De Adulterio.*

Quæres 1. *Quid sit adulterium?*

*Resp.* Est *copula inter personas, quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia* ..... tribus ergo modis committitur. 1. Per accessum soluti ad conjugatam. 2. Per accessum conjugati ad solutam. 3. Per accessum conjugati ad conjugatam non suam. *In tertio hoc casu*, duplex violatur thorus, duplex proinde committitur adulterium propter duplicem injuriam in Confessione aperiendam; quarum una in proprium, vel propriam conjugem, altera in conjugem alterius committitur.

Quæres 2. *Quale sit peccatum adulterium?*

*Resp.* Est peccatum mortale gravissimum, a regno Dei excludens teste Apostol. 1. Cor. 6. *Neque adulteri, neque molles .... regnum Dei possidebunt.*

Ratio est, quia, ultra turpitudinem quæ reperitur in simplici fornicatione, gravem injuriam infert. 1. In compartem cujus thorus violatur, cum dicat Apostol. 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* 2. In matrimonii Sacramentum, cujus dignitas violatur, significataque per illud conjunctio Cristi cum Ecclesia, sponsa ejus unica, nam *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* 3. In pacem conjugalem, qua per adulterium perturbata impeditur bonum prolis ex isto conjugio procreatæ, vel procreandæ.

Quæres 3. *Quodnam inter adulterium soluti cum conjugata, vel conjugati cum soluta, sit gravius?*

*Resp.* Gravius est peccatum, si mulier sit conjugata, quam si solus vir, quia id naturæ magis contrarium est. Copula siquidem cum conjugata generationem quandoque impedit; aut si non impediat, prolem incertam reddit, supponit prolem alienam marito cum damno veri hæredis. Unde hæc circumstantia in Confessione declarari debet etiam ab adultero, quia ipse cooperatur feminæ ad illam gravitatem majorem, & ad damna inde secutura.

Quæres 4. *Si conjux adulterantis consentiat, an concubitus erit contra justitiam?*

*Resp. affirm.* Quia, sicut maritus cedere non potest juri quod habet in corpus suum, ita nec juri quod habet in corpus uxoris; alias vir & uxor sibi invicem valide remittere possent jus totum, quod in mutua habent corpora, seque matrimonium suum, licet consummatum, dissolvere, cum tamen Christus dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur cum cessio juris nulla sit, totum jus manet, quod violatur, ideoque semper verum est adulterium. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc prop. *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

## §. III. *De Stupro.*

Quæres 1. *Quid sit Stuprum?*

*Resp.* Est illicita virginis defloratio.

Dicitur 1. *Illicita defloratio:* id est facta per copulam carnalem extra matrimonium.

Dicitur 2. *Virginis*: quia concubitus cum corrupta, etiam violentus, licet contineat specialem malitiam injustitiæ, non est tamen proprie stuprum, cum non sit violata corporis integritas. *Porro*, nomine *virginis*, tam intelligitur masculus, quam femina; ideoque stupratrices sunt mulieres, quæ vi, metu, dolis ac importunis sollicitationibus, virginitatis florem adolescentibus excerpunt.

Quæres 2. *Quale sit peccatum stuprum?*

Ante responsionem, nota: stuprum posse committi tripliciter: 1. Cum virgine coacta, vel per dolum seu fraudem seducta. 2. Cum virgine ultro consentiente, sed invitis parentibus aut tutoribus, sub quorum est custodia. 3. Cum virgine ultro consentiente, consentientibusque parentibus ejus integritatis custodibus. His positis

*Resp.* 1. Si stuprum fiat cum virgine coacta, aut per dolum seducta, ultra malitiam fornicationis simplicis: *Habet duplicem malitiam annexam*, ait Div. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. ad 3. *Unam ex parte virginis, quam etsi non vi corrumpat, stuprator tamen eam seducit, & sic tenetur ei satisfacere*, nempe propter honorem virginitatis per vim aut per fraudem ademptum . . . . *Aliam vero injuriam facit patri puellæ*, sub cujus est custodia, *& ei secundum legem, Deuter.* 22. *tenetur ad pœnam.* Tum quia jus custodiæ integritatis suarum filiarum violatur; tum quia constituuntur in periculo augendi dotem, vel innuptas retinendi filias.

*Resp.* 2. Si stuprum fiat ultro consentiente virgine, sed invitis parentibus, vel tutoribus, tunc habet specialem malitiam injuriæ ex parte parentum vel tutorum, sub quorum est custodia. Parentes enim jure naturæli custodes sunt ac depositarii corporis filiarum suarum & illius integritatis usque ad matrimonium, ita ut, ipsis invitis, nequeant absque injuria ipsorum se violandas tradere

dere extra matrimonium, juxta communem Doctorum sententiam, quam insinuat Spiritus sanctus, *Eccl.* 7. dicens: *Filiæ tibi sunt? custodi corpus earum.* Et cap. 42. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat se in opprobrium venire inimicis.*

*Resp.* 3. Si stuprum fiat ultro consentientibus puella & parentibus, aut tutoribus, sub quorum est custodia, est adduc peccatum gravius simplici fornicatione & specie ab ea distinctum.

*Prob.* Ratione D. Thom. hic: *Ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis deformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii*; atqui in stupro, etiam cum consensu puellæ & parentum commisso, occurrit specialis deformitas ex parte puellæ, quæ per hoc, contra charitatem sibi debitam, perdit signaculum virginitatis, amittit pudorem, & inde exponitur periculo relabendi, seu, ut ait Div. Thom. *ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret.* Cui deformitati cum cooperetur stuprator, tam ille, quam stuprata, illam circumstantiam debent exprimere in Confessione.

## §. IV. *De Raptu.*

Quæres 1. *Quid sit raptus?*

*Resp.* Raptus est *violenta alicujus personæ abductio, libidinis explendæ causa.*

Dicitur 1. *Abductio:* Id est, translatio de loco in locum ab alio moraliter distantem; qui enim puellam ad aliquos tantum passus traheret, libidinis explendæ gratia, non esset raptor, sed stuprator.

Dicitur 2. *Violenta:* Sive persona rapta sit invita, sive, ipsa consentiente, inviti sint hi quorum curæ commissa est, nempe parentes, tutores, maritus, &c.

*Excipe* 1. Si Sponsus abducat sponsam consentientem, etiam repugnantibus parentibus, quia ratione sponsalium, quoddam jus habet in ipsam.

*Excipe* 2. Si puella sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, tunc enim est fuga, non raptus.

Dicitur 3. *Alicujus personæ*; sive sit mas, sive femina: sive nupta, aut innupta; sive virgo, aut corrupta. In quo raptus, qui est species luxuriæ, differt a raptu qui est impedimentum matrimonii, ad quem requiritur ut persona rapta sit femina, ut constat ex Trident. sess. 24 c. 6. de ref. matrim.

Dicitur 4. *Libidinis explendæ causa.* Quia si fieret ob alium quemvis finem, non esset verus raptus, sed plagiatus. 2. Quia ut verus sit raptus, qui sit species luxuriæ, requiritur actualis expletio libidinis; in quo iterum differt a raptu, qui est impedimentum matrimonii, ad quem non requiritur, ut libido actu expleatur; sed sufficit, ut mulier fuerit per viam abducta cum intentione explendæ cum ea libidinis.

Quæres 2. *Quale sit peccatum Raptus?*

*Resp.* Est peccatum ex genere suo mortale, ab aliis speciebus distinctum, cum duplicem contineat malitiam mortalem; unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam abductionis, propter quam gravissimæ in utroque jure statuuntur pœnæ.

## §. V. *De Incestu.*

Quæres 1. *Quid sit Incestus?*

*Resp.* Est *peccatum luxuriæ inter personas consanguineas, aut affines, intra gradus prohibitos.*

Dicitur 1. *Peccatum luxuriæ:* sive incompletum, qualia sunt desideria, tactus, oscula, &c. quæ rationem incestus participant, cum induant malitiam actus principalis ad quem ordinentur. Sive *completum*, copula nimirum sive naturalis, sive sodomitica, sodomiticus enim concubitus reverentiam parentibus debitam non minus offendit, quam naturalis.

Dicitur 2. *Intra gradus prohibitos.* Quales sunt omnes gradus consanguinitatis, sicut & affinitatis ex matrimonio contractæ, usque ad quartum gradum inclusive, intra quos etiam matrimonium inter se contrahere prohibentur cognati cognatione spirituali, & legalis incestuosa proinde est talium inter se carnalis copula.

*Objicies.* Definitio quam damus incestus, est manca; ergo, &c.

*Prob. ant.* Copula Confessarii cum pœnitente est incestus; atqui non comprehenditur in definitione a nobis data; ergo &c.

*Prob. maj.* Mulier pœnitens, est spiritualis filia Confessarii, juxta can. *Omnes* 30. q. 1. *Omnes quos in pœnitentia suscipimus*, ita nostri sunt spirituales filii, sicut illi quos in baptismo suscipimus. Ergo copula Confessarii cum ipsa, est incestus.

*Resp. nego conseq.* Nam pœnitentes eo tantum modo sunt filii nostri spirituales, quo filii nostri sunt ii, quos prædicatione a statu peccati ad statum gratiæ revocavimus; atqui illa filiatio non inducit cognationem spiritualem, cum Bonif. VIII. *cap. ult. de cognat. spirit.* declaret ex nullo alio Sacramento oriri cognationem spiritualem, quam ex Baptismo & Confirmatione; ergo talis copula non est incestus, sed sacrilegium gravius quocumque alio sacrilegio venereo.

Quæres 2. *Quale sit peccatum incestus?*

*Resp.* Est gravissimum peccatum, duplicem habens malitiam, unam contra castitatem, alteram contra pietatem; nam præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis vel affinibus debitæ ... eo gravius scelus est, quo gradus est propinquior; nam consanguineis & affinibus pro diversitate graduum, diversus honor & pietas debentur, qui per incestum violantur .... *item*, majus peccatum cum consanguinea, quam cum affine, quia vinculum illud est multo arctius; majus cum cognata vel affine, quam cum cognata spirituali: unde hæ omnes circumstantiæ sunt declarandæ in Confessione saltem tamquam notabiliter aggravantes.

Dixi: *Saltem tamquam notabiliter aggravantes*; quia juxta plures Theologos, incestum cum consanguinea specie differt ab incestu cum affine ob specialem reverentiam consanguineo præ affine debitam; nam, inquiunt, motivum reverentiæ affinibus debitæ, est copula vel matrimonium cum aliquo consanguineorum; ergo cum sit motivum reve-

reverentiæ specie diversum, est etiam incestus difformitas specie diversa. Verum D. Thom. 2. 2. q. 154. *art.* 9. *ad* 2. est contrariæ opinionis, dicens: *Persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam: et ideo quia unum est propter alterum, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas.*

§. VI. *De Sacrilegio venereo.*

Quæres 1. *Quid sit sacrilegium venereum?*
Resp. *Est rei sacræ violatio per actum venereum.*

Dicitur *Rei sacræ*; per quam intelligitur: 1. locus sacer: 2. tempus sacrum; 3. persona peculiari ritu Deo consecrata, sive per votum simplex, sive per votum solemne castitatis, sive per susceptionem Ordinis sacri.

*Hinc*, sacrilegium est 1. actus venereus externus sive aliunde licitus, sive illicitus in loco sacro exercitus. Tales sunt copula conjugalis, etiam occulta, fornicatio, pollutio, tactus impudici, &c. licet enim necessaria sit seminis effusio ad pollutionem loci sacri, talem, ut indigeat reconciliatione, non est tamen necessaria ad sacrilegium; unde tactus impudici in loco sacro exerciti, sunt sacrilegium, quia sunt contra reverentiam loci sacri.

2. Peccatum luxuriæ, sive consummatæ, sive non consummatæ, a persona sacra, sive opere, sive mente, admissum.

3. Peccatum a persona non sacra commissum cum sacra, vel circa personam sacram; v. gr. pollutio, oscula, delectatio morosa, &c... Quod si utraque persona sit sacra, vel si persona sacra eam turpitudinem exerceat cum non sacra in loco sacro, vel tempore sacro, erit duplex sacrilegium in Confessione aperiendum; nam violatur sanctitas loci, temporis, & personæ.

Quæres 2. *Quale sit peccatum sacrilegium venereum?*

*Resp.* Est peccatum gravissimum, duplicem continens malitiam, unam contra castitatem, & alteram contra Religionem, qua gravis Deo irrogatur injuria.

*Porro*, Sacrilegium tanto gravius est, quanto persona, quæ violatur, strictius Deo est conjuncta. Unde gravius sacrilegium committit Sacerdos, quam Clericus; gravius Religiosus, quam qui voto tantum simplici adstrictus est; gravius Sacerdos regularis, quia votum solemne castitatis strictius annexum est religiosæ professioni, quam ordini sacro. Quare omnes illæ circumstantiæ sunt declarandæ in Confessione.

§. VIII. *De peccato contra naturam.*

*Nota:* Peccatum contra naturam est *voluntaria seminis effusio contra ordinem naturalem venerei actus, qui convenit humanæ speciei.* Quadruplex est, scilicet, pollutio, seu mollities, sodomia, bestialitas, & inordinatus concubitus; quia inter se differunt specie, ut constat ex decreto Alexand. VII. quo sequentem damnavit prop. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere, se procurasse pollutionem.*

PUNCTUM I.

*De Mollitiæ, seu pollutione.*

Quæres 1. *Quid sit pollutio?*
*Resp.* Est *voluntaria seminis effusio extra copulam quamcumque.*

*Dicitur* 1. *Seminis effusio*; ut distinguatur ab illo humoris fluxu, qui a Doctoribus appellari solet, *distillatio*, qui non est pollutio; nam *ut dicunt Medici*, ait D. Thom. opusc. 64. *sine libidinosa delectatione & carnis rebellione, nullus potest pollui vigilando; secus distillationem pati.* Et ideo cum distillatio accidit sine delectatione, carnisque rebellione, timorata mens anxiari non debet, ut communiter observant Doctores. Dum vero accidit cum delectatione, & carnis rebellione, tunc non licet eam promovere, nec in annexa delectatione sibi complacere, utpote libidinosa, sive orta ex commotione spirituum generationi servientium.

*Dicitur* 2. *Voluntaria:* quia si non sit voluntaria nec in se, nec in causa (ut sæpe fit in somno, vel quando ex causis naturalibus oritur) non est peccatum, modo absit consensus & complacentia in illam.

Quæres 2. *Quale sit peccatum mollities?*

*Resp.* Est peccatum mortale per se, & quidem gravius fornicatione.

*Prob.* 1. *pars:* Quod excludit a regno cælorum, est peccatum mortale; atqui mollities excludit a regno cælorum: *Neque adulteri*, inquit Apost. 1. Cor. 6. *neque molles regnum Dei possidebunt;* ergo, &c.

*Prob.* 2. *pars:* Quod est intrinsece malum & jure naturali prohibitum, est *per se* peccatum; atqui mollities est intrinsece mala, & jure naturali prohibita, nam graviter repugnat generationi, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum; ergo, &c. Hinc jure merito Innoc. XI. damnavit hanc prop. *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona.*

*Prob.* 3. *pars:* Quod directe tollit generationem, est peccatum gravius ipsa fornicatione; atqui mollities directe tollit generationem; ergo, &c. Unde Scriptura, *Genes.* 38. de Onan fundente semen in terram ait; *Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Ex his

*Colliges* 1. Nullo unquam casu, etiam vitandæ mortis, licere in se, vel in alio, quovis modo, pollutionem procurare, admittere, vel intendere, imo nec aliquid sumere ea intentione ut in somno accidat: quia ipse actus pollutionis secundum se, independenter a delectatione, graviter repugnat generationi.

*Objicies.* Ad conservandam vitam, abscindere licet corporis partes; ergo licet effundere semen ad ejusdem vitæ conservationem.

*Resp. neg. conseq.* Disparitas est, quod partes corporis per se & primario ordinentur ad totum constituendum, quare de illis disponere licet ad totius conservationem; semen vero humanum solum constitutum est ad speciei propagationem, ideo-

ideoque eo uti non licet, nisi modo ad speciei conservationem idoneo, & intra matrimonium.

*Colliges* 2. Desiderare non licere, vel ob sanitatem recuperandam, vel ad tentationem vincendam, ut pollutio naturaliter eveniat: quia pollutio est mala ex objecto suo & natura; at non licet, ob quemvis finem desiderare id quod est malum ex natura sua; ergo, &c.

*Colliges* 3. Non licere de pollutione naturaliter habita gaudere, propter eandem rationem. Est tamen licitum gaudere de bono effectu ex illa secuto.

*Colliges* 4. Dum incipit naturaliter pollutio, tenemur eam cohibere, si possimus absque gravi nostro incommodo, & hoc non solum propter consensus periculum, sed præcise, quia pollutio secundum se graviter repugnat generationi, ad quam ex natura sua semen est ordinatum. Quod si non possimus eam cohibere, tunc talem effusionem possumus pati ex necessitate, modo tamen reprimamus delectationem per positivam displicentiam internam, nam non licet indifferenser se habere ad illam.

*Nota*: Sæpe pollutio, propter propriam malitiam, adjunctam habet aliam petitam ex qualitate personæ se polluentis, quæ si sit sacra, est sacrilegium; si conjugata, est inchoatum adulterium, cum ejus caro dividatur contra fidem datam, & exigentiam matrimonii: si habet affectum ad aliam, cum qua desiderat copulam habere, si illa sit soluta, fornicatio; si sacra, est sacrilegium; si ejusdem sexus, est sodomia, &c. Quod si duo se invicem polluant, est scandalum, se enim suo & alieno peccato contaminant, & ad illud se mutuo incitant. Propterea illæ circumstantiæ sunt declarandæ in Confessione.

## PUNCTUM II.

### *De Sodomia.*

Quæres 1. *Quid sit Sodomia?*

Resp. *Est coitus libidinosus personarum ejusdem sexus, vel diversi sexus in vase indebito: unde*

*Sodomia* duplex est, alia perfecta, alia imperfecta

*Perfecta*, Est congressus duorum ejusdem sexus.

*Imperfecta*, Est congressus maris cum femina, non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus. Vocatur *imperfecta*, quia non est affectus ad sexum indebitum, proindeque specie differt a perfecta, licet utraque sit gravissimum peccatum reservatum.

Quæres 2. *Quale sit peccatum Sodomia?*

*Resp.* Est peccatum ita grave, ut *nefandum* antonomastice dicatur, eo quod malitiam ipsius lingua exprimere non sufficiat. Apostolus illud vocat passionem ignominiæ, Rom. 1. loquens de idololatris superbis dicit: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.*

*Porro*, Sodomia, præter propriam malitiam, potest habere alias deformitates adjunctas, v. g. adulterii, si fiat a persona conjugata, vel cum illa; sacrilegii, si fiat a persona sacra, vel cum illa, &c. quæ omnia sunt in Confessione declaranda.

Quæres 3. *Quibus pœnis plectatur Sodomita?*

*Resp.* Jure civili punitur pœna ignis, juxta Codicem Theodosianum, l. 9. tit. 7.

Juxta Canones vero, si sit Laicus, excommunicandus est. *Cap.* Clerici, de *excess. Prælat.* si sit Clericus, eum e Clero dejici jubet Leo X. Bulla, *Superno.*

## PUNCTUM III.

### *De Bestialitate.*

Quæres 1. *Quid sit Bestialitas?*

Resp. *Est Coitus cum bestia.*

Quæres 2. *Quale sit peccatum bestialitas?*

*Resp.* Est peccatum horrendum, & ut ait D. Th. 2. 2 qu. 154. ad 4. *Inter vitia quæ sunt contra naturam, gravissimum, quia non servatur debita species. Unde super illud Genes. cap.* 37. Accusavit (Joseph) fratres suos apud Patrem de crimine pessimo, *dicit glosa, quod cum pecoribus miscebantur.* Ratio est quia nullum est peccatum, quod naturæ rationali magis contrarietur.

Ad bestialitatem reducitur concubitus cum dæmone, qui non tantum est peccatum luxuriæ contra naturam, sed etiam contra virtutem religionis propter commercium cum capitali hoste Dei, totiusque generis humani. De hoc horrido peccato, Lev. 20. sic statuitur: *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.*

## PUNCTUM IV.

### *De inordinato concubitu.*

Quær. 1. *Quid sit inordinatus concubitus?*

Resp. *Est is, in quo non servatur ordo naturalis concumbendi*; talis ordo non servatur, 1. Si a latere copula habetur; 2. Si stando, vel sedendo; 3. Si viro succumbente, vel averse accedente, more pecorum.

Quæres 2. *Quale sit peccatum inordinatus concubitus?*

*Resp. Cum distinctione:* Si in tali deordinatione sit periculum semen extra vas effundendi, impediendi generationem, aut prolem conceptam suffocandi, est peccatum mortale, quia semen frustratur fine ad quem ordinatum est. *Si hæc absint*, est grave peccatum veniale, nec contra, sed præter naturam; non vero est *de se* mortale.

Dixi: *De se*: Quia potest esse, & plerumque est signum concupiscentiæ mortalis, cum fiat ex sola libidine sine causa; sed nullum erit peccatum si hoc fiat ex necessitate, cum scilicet conjuges, ob indispositionem alterutrius corporis, non possint servare modum ordinarium, modo diligenter caveatur periculum effusionis extra vas.

AR-

## ARTICULUS III.

### *De Impudicitia.*

*Nota.* Impudicitia est peccatum luxuriæ, in qua non intervenit effusio seminis. Unde vocatur luxuria imperfecta, consistitque in osculis venereis, tactibus, aspectibus impudicis, scriptis & verbis turpibus, & repræsentationibus lascivis. Hæc omnia esse mortalia *ex se* constat tum ex Apostolo, *ad Galat.* 9. dicente: *Opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria . . . quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tum quia in peccato luxuriæ non datur parvitas materiæ. Tamen ad clariorem elucidationem

Quæres 1. *Quid de osculis sit dicendum?*

*Resp.* Oscula, amplexus, si juxta morem patriæ fiant, urbanitatis, pacis, aut benevolentiæ causa, non sunt peccata per se, quia ut ait D. Thom. q. 154. art. 4. *Possunt hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam.* Tamen per accidens possunt esse peccata, v. g. ob scandalum, vel periculum carnalis delectationis.

Si vero ista fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, juxta multos sunt solum venialia, modo absit affectus libidinosus tum in se, tum in alio... Quod si sine causa crebro fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia; quia excitant delectationem veneream; quæ enim crebro fiunt ex curiositate aut levitate, in materia tam lubrica, degenerant in libidinem. Quare admittens oscula crebra, peccat mortaliter, quia cooperatur affectui libidinoso alterius.

Quod si oscula, amplexus, &c. sint libidinosa, sunt mortalia, ut docet D. Thom. ibidem, dicens: *Consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, & non solum consensus in actum. Et ideo cum fornicatio sit peccatum mortale, consequens est quod consensus in delectationem talis peccati, fit peccatum mortale, & non solum consensus in actum. Et ideo cum oscula & amplexus hujusmodi, propter delectationem hujusmodi,* id est, fornicationis, *fiant, consequens est quod sint peccata mortalia; & sic solum dicuntur libidinosa.* Ex hoc textu

*Sequitur*, Quod osculum libidinosum, sit illud quod habetur ob delectationem concubitus cogitati cum persona quam deosculatur, etiamsi obsit periculum consensus ulterioris, vel pollutionis.

Quæres 2. *Quid de tactibus sit dicendum?*

*Resp.* Tactus ex joco, vel levitate partium honestarum, v. g. vultus, manuum, non sunt de se mortales; quia non fiunt propter delectationem veneream.

Dixi, *De se*, quia si subreperet delectationis venereæ periculum, esset mortale per accidens.

*Tactus* partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis alterius personæ, sive sit ejusdem, sive diversi sexus, si fiant absque necessitate medendi, etsi non ob delectationem veneream, sed ex sola curiositate, vel joco, sunt mortales; quia hi tactus valde excitant delectationem veneream; imo ex natura sua ad effusionem seminis referuntur; ergo simul cum illa graviter prohibentur, unde veniunt nomine *impudicitiæ*, quæ *ad Galat.* 5. dicitur *excludere a Regno Dei.*

*Tactus* vero propriorum pudendorum sine necessitate, est peccatum mortale, si delectatio venerea ex eo tactu oriatur & prævideatur; quia ex natura sua tendit ad pollutionem. Quod si fiant ex levitate, curiositate, absque delectationis venereæ periculo, tunc non sunt peccata, quia non fiunt animo libidinoso, nec in eis ea intervenit turpitudo, nec idem periculum, quod in tactu alieni corporis reperitur. Nihilominus pœnitentes tales tactus exercentes valde objurgandi sunt, ab eisque vivide deterrendi propter periculum futurum peccati; est enim a natura corrupta pondus quoddam latentis concupiscentiæ, cui si voluntas tantillum laxet habenas, magno impetu eam in præceps trahit.

Quæres 3. *Quid de aspectibus sit dicendum?*

*Resp.* Qui, absque justa causa medendi, personas diversi sexus in partibus secretioribus aut valde vicinis, aspiciunt; item qui viri ac mulieris coitum contemplantur, peccant mortaliter: quia ad veneream libidinem per hos aspectus multum excitantur.

Qui vero brutorum coitum, qui se ipsos, aut alios ejusdem sexus in partibus pudendis, & qui picturas aut statuas turpes ex sola curiositate vel levitate aspiciunt, peccant solum *venialiter*, modo absit affectus venereus, scandalum, & periculum delectationis venereæ; quia ista ad delectationem non adeo excitant. Possunt tamen peccare *mortaliter* ratione periculi, spectata aspicientis speciali fragilitate; quod non raro abest in juvenibus, quare ab his graviter deterrendi sunt.

Quæres 4. *Quid de turpiloquio sit dicendum?*

*Resp.* Turpia & obscœna loqui, canere, legere, vel audire, est mortale, si fiat extra conjugium cum delectatione venerea, vel cum probabili ejusdem periculo in se vel in aliis; quia delectatio venerea, extra conjugium, est ex objecto mortalis: ergo est mortale intendere, aut procurare illam, aut ejus periculum in se vel in aliis... escluso autem omni affectu venereo, & periculo delectationis venereæ, vel scandali, turpia loqui, vel canere solum ex levitate, vel legere aut audire ex mera curiositate, aut cum sola delectatione ad rerum aut verborum artificium, est saltem veniale, quia prohibentur Ephes. 4. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Et cap. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.*

Verum quia in praxi, raro abest desiderium turpis desiderii, aut complacentiæ, sive in proferente sive in audiente, sermones, cantilenæ, lectiones rerum turpium in juvenibus, vel coram illis, aut aliis infirmis, raro vacant a culpa mortali propter scandalum, nam *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* 1. Cor. 1. unde Clem. Alexandr. lib. 2. Pædadgi, cap. 6. ait: *A turpiloquio & nos omnino abstinere oportet, & eis qui illo utuntur, os obstruere, & aspectu severiore, & vultus aversione, & subsannatione, & sæpe etiam, asperiori oratione. Quæ enim ex ore exeunt, coinquinant hominem. Profanum, intemperantem, & petulantem eum ostendunt, non modestum, honestum, & temperantem.*

Nec

Nec a Confessariis audiendi sunt, qui dicunt se verba ejusmodi proferre absque ulla cogitatione mala. Nam saltem cogitant id quod dicunt; ergo aliquid malum, seu turpe cogitant. Deinde verba turpia non assumerent pro materia recreationis, si a rebus infamibus, per ea significatis, abhorrerent, ut abhorrere debent. Denique, eo ipso quod de illis rebus turpibus libenter loquantur & in recreationibus de illis jucundentur, signum est satis evidens quod de illis delectentur, etiamsi nullam habeant voluntatem aliquid ejusmodi exequendi; neque enim voluntas ista requiritur, ut anima coram Deo rea sit gravis peccati, ut constat ex dictis de gravitate peccati delectationis morosæ.

Idem dicendum de gestibus turpibus, comœdiis, ac lectione librorum amatoriorum, qui licet obscœna expresse non referant, nihilominus imaginationem feriunt, delectationemque carnalem ingerunt: unde qui eos retinent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant, vel saltem tradant Confessario comburendos.

## CAPUT VI.

### *De Peccato originali.*

Hoc Caput in quinque Quæstiones distribuemus, quarum prima erit de existentia peccati originalis; secunda de ejus natura; tertia de causa proxima ejus transfusionis; quarta de ejus subjecto; quinta de ejus pœnis.

## QUÆSTIO I.

### *De existentia peccati originalis.*

*Nota* 1. Per peccatum originale nihil aliud intelligimus, quam peccatum mortale ab Adamo ut morali totius generis humani capite commissum, & per generationem naturalem in omnes ab eo via naturali descendentes transfusum, secluso speciali privilegio.

*Nota* 2. Existentiam peccati originalis negarunt olim Pelagiani teste August. (*lib.* 1. *de peccator. meritis*) docueruntque 1. Adamum peccando sibi soli nocuisse, morbos, mortem, concupiscentiam non esse effectus peccati illius, sed naturales naturæ humanæ defectus. 2. Baptismum necessarium quidem esse parvulis ut consequantur regnum cælorum, sed non ut ab ullo peccato abluantur.

Errorem (*Aug. l. de peccato originali*) hunc renovarunt postea Albanenses (*lib. de hæres. hæresi* 88.), Albigenses (*Ann.* 769.), Anabaptistæ, (*Ann.* 1178.) & elapso proxime sæculo Sociniani, contra quos omnes sit

## CONCLUSIO.

*Datur peccatum originale.* Hoc est verum ac proprie dictum peccatum, quod secluso speciali privilegio in conceptione contrahimus, & in quo nascimur.

Propositio est de fide definita in pluribus Conciliis contra Pelagianos habitis (*Ann.* 1540); & tandem in Conc. Trid. *Sess.* 5. can. 2. contra Anabaptistas his verbis: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam eam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem, etc.*

### *Probatur propositio ex Scriptura.*

1. Ex Job. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Quem locum sic vertunt septuaginta Interpretes: *Nemo mundus a sorde, neque infans cujus vita est unius diei super terram.* Unde sic argumentor: Immunditia, de qua loquitur Job, non est corporea, ut volunt Sociniani, alias ab homine posset mundari, sed est immunditia peccati quæ a solo Deo potest mundari; atqui immunditia illa non est peccatum actuale, cujus infans unius diei non est capax; ergo est peccatum originale quod ab Adamo per originem contrahitur.

2. Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*: atqui ea iniquitas non est actualis: neque Davidis cujus in conceptione non erat capax; neque parentum ejus, cum ex legitimo matrimonio sit natus; ergo originis est iniquitas, quæ in Hebræo exprimitur in singulari, *in iniquitate, in peccato*, & quam Vulgata nostra plurali numero expressit, *in iniquitatibus*; 1. Quia est radix omnium malorum peccatorum; 2. Quia in Adæ peccato multiplex iniquitas concurrit, superbia scilicet, inobedientia, gula, & alia quæ refert D. August. (*Enchiridii cap.* 45.)

3. Ex Apost. Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde sic arguitur: datur peccatum quod per unum hominem in hunc mundum intravit, quod omnes in protoparente commiserunt; atqui illud peccatum non est aliud quam originale; ergo, &c.

*Resp.* Pelagiani, *nego min.* & dicendo illud peccatum esse ipsummet actuale peccatum Adami, quod intravit in mundum *non propagatione*, sed *imitatione*, quatenus suo pravo exemplo posteros ad peccandum induxit; sed

*Contra est* 1. Si Apostolus de peccato imitationis loqui voluisset, non dixisset *per unum hominem* peccatum intrasse, sed *per diabolum*, siquidem diabolus prior peccavit, & pravo suo exemplo homines ad peccandum induxit ab initio; ita Aug. (*L. de peccatorum meritis, cap.* 9.)

*Contra est* 2. Quia ex Apost. eodem modo peccatum intravit quo mors; sed mors intravit non tantum imitatione, sed realiter & propagatione; ergo.

*Contra est* 3. Quia peccatum, de quo loquitur Apostol. reperitur in omnibus qui morti sunt obnoxii; atqui infantes morti sunt obnoxii; ergo reperitur in infantibus; atqui infantes non sunt capaces peccati per imitationem; ergo Apostolus non loquitur de peccato per imitationem.

*Prob.*

*Prob. prop. ex traditione Patrum.*

1. Ex D. Cypriano, qui (*L.* 3. *Ep. ad Fidum*) ait: *infans recens natus contagia mortis antiquæ prima nativitate contraxit.*
2. Ex D. Ambrosio (*in Psalm.* 48.) dicente: *Adam dente serpentis vulneratus, obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.*
3. Ex D. Chrysost. (*ep. ad Olympiam*) dicente: *Quando Adam peccavit illud grande peccatum, omne genus hominum in communi damnavit:* atqui peccatum quod omnes in communi homines damnat, est originale; ergo, &c. Hos & alios Patres refert D. Aug. (*L.* 1. *contra Julian. a cap.* 3. *ad* 8.

*Prob. prop. rationibus Theologicis.*

1. Petitur a necessitate Baptismi sic: Baptismus necessarius est omnibus, non solum adultis, sed & infantibus juxta illud, *nisi quis renatus fuerit*, &c. atqui Baptismus est institutus in remedium peccati, Act. 2. *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* ergo infantes sunt peccato inquinati, non actuali, cujus sunt incapaces; ergo originali.
2. Petitur ex redemptione per Christum, sic: Christus mortuus est pro omnibus non solum adultis, sed etiam parvulis juxta illud Apostoli (2. *Cor.* 5. *vers.* 15.): *Pro omnibus mortuus est Christus.* Sed ex eodem Apostolo ibidem, Christus non est mortuus nisi pro mortuis morte animæ, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* ergo parvuli mortui sunt per peccatum; ergo cum non sint capaces peccati actualis, fatendum est eis inesse peccatum originale.

*Solvuntur Objectiones ex Scriptura.*

*Objicies* 1. Ezechiel 18. dicitur: *filius non portabit iniquitatem patris.* Atqui si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem patris; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Filius non portabit, &c. si peccati patris non sit particeps, *conc. maj.* si sit particeps, *nego maj.* Porro cum voluntas filiorum Adami contineatur in voluntate patris tamquam in capite morali totius posteritatis; sunt participes ejus peccati, quod unicuique ipsorum est proprium, non quidem *proprietate actionis*, ait D. Aug. (*L.* 6. *contra Julian. cap.* 12.) sed *contagione propagationis.* Præterea Propheta loquitur de pœna peccati personalis; quare addit *pater non portabit iniquitatem filii; justitia justi* (id est, merces justitiæ) *super eum erit; & impietas impii* (id est, pœna impietatis) *erit super eum.*

*Objicies* 2. Ex Rom. 4. *ubi non est Lex, nec prævaricatio.* Atqui infantes non sunt capaces Legis; ergo nec prævaricationis.

*Resp. dist. min.* Infantes secundum se considerati non sunt capaces Legis, *conc. min.* considerati prout erant in primo parente, *nego min.* Nam Lex quæ est data Adamo fuit etiam data omnibus ejus posteris in illo; quare infantes sunt rei prævaricationis a primo parente qui eorum personam gerebat, commissæ, qua prævaricatione constituuntur peccatores a primo instanti animationis.

*Objicies* 3. Rom. 5. *regnabit mors ab Adam ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Ergo sola mors, non vero peccatum ab Adamo contrahitur. *Ita Zuinglius.*

*Resp. neg. conseq.* Imo ex textu contrarium debet concludi: nam si mors regnavit ab Adam usque ad Moysen in eos qui non peccaverunt peccato personali sicut Adam, evidens est eos aliena voluntate peccasse, cum mors, utpote pœna justa, peccatum præsupponat, juxta illud Apostoli: *stipendia peccati mors.* (*Rom.* 6. *vers.* 23.).

*Inst.* 1. Ibidem subdit Apostol. *non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei .... in plures abundavit.* Unde sic: plures sunt qui in Christo justificantur, quam qui in Adamo peccaverunt; ergo non omnes peccaverunt in Adamo, sed solum ii qui ejus imitatione peccaverunt.

*Resp. nego ant.* Tum quia istæ voces, *multi, omnes, plures*, promiscue usurpantur ab Apostolo, dicit enim illo cap. *in quo* (in Adamo) *omnes peccaverunt*, & infra, *unius delicto multi mortui sunt;* unde *ipsi sunt multi qui & omnes*, ait August. (*l.* 6. *contra Julian. cap.* 24.) quia illi omnes revera sunt multi; tum quia in græco non legitur *in plures*, sed *in multos.*

*Inst.* 2. Vox illa, *multo magis*, in textu Apostoli significat plures gratia Christi fuisse ditatos, quam Adæ peccato infectos; ergo nulla solutio.

*Resp. nego subsumpt.* Nam vox, *multo magis* non refertur per comparationem ad personas, sed per comparationem ad *delictum* & *donum*, ita ut sensus sit; donum Christi redemptoris per se majus ac utilius beneficium esse, quam delictum Adami fuerit perniciosum.

*Objicies* 4. 1. Cor. 15. dicitur: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Atqui non omnes in Christo vivificabuntur; ergo neque omnes in Adamo moriuntur.

*Resp. nego conseq.* Nam in eo non stat comparatio Apostoli, sed in hoc uno quod sicut quotquot qui ex Adamo generantur, peccati & mortis reatum contrahunt; ita quotquot in Christo regenerantur, justitiam percipiunt, percepturi vitam æternam, si in bono perseverent.

*Objicies* 5. 2. Cor. 5. dicitur: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Atqui parvuli nihil mali in corpore gesserunt; ergo nullam pœnam referunt, & consequenter peccatum originale nullum est.

*Resp.* Apostolum loqui de solis adultis, qui soli capaces sunt boni vel mali actualis ut constat ex verbis immediate præcedentibus: *ideo contendimus sive absentes sive præsentes placere illi, omnes enim nos manifestari oportet*, &c. Unde objectio est extra rem.

*Solvuntur Objectiones ex Patribus.*

*Objiciunt* Pelagiani 1. Tertullianum (*L. de Bapt. cap.* 18. qui ut probet Baptismum differendum, donec

donec adoleverit, ait: *quid festinat ætas innocens ad remissionem peccatorum?*

2. Gregorium Nyssenum (*orat. de infantibus præmatura morte abreptis.*), *nec ab initio quidem* (parvulus) *prorsus in animam morbum admisit.*

3. D. Chrysost. (*homil. ad Neophytos*) *infantes baptizamus cum non sint coinquinati peccato, ut detur eis, vel addatur sanctitas.*

4. Theodoretum (*Lib. 5. hæreticarum fabularum cap.* 18.), *quorsum infantes baptizamus qui peccatum nondum gustarunt?* Ergo, inferunt Pelagiani, illi Patres peccatum originale non agnoverunt.

*Resp.* 1. Generaliter, *nego conseq.* illi enim Patres negaverunt tantum infantes admisisse peccatum actuale personale, ut docet Augustin. (*L.* 1. *contra Julian. cap.* 6.) respondens ad textum Divi Chrysostomi: *peccata dixit parvulos non habere;* inquit, *sed propria, unde illos innocentes merito nuncupamus secundum id quod ait Apost. nondum natos nihil egisse boni sive mali: non secundum id quod ait: per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

*Resp.* 2. Singulos illos Patres admisisse peccatum originale, & quidem

1. Tertullianus (*De testimonio animæ, cap.* 1.) de Adamo ait: *exinde totum genus humanum de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.*

2. Gregor. Nyssenus (*cap.* 16. *in Psalmos*) sic loquitur: *sordes hominis peccatum est, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea.*

3. D. Chrysostomi testimonium vide in probationibus.

4. Theodoretus ait (*in cap.* 5. *ad Epist. ad Rom.*) *ad omnes enim homines mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt, non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscepit;* quia ex Trid. peccatum originale dicitur, *unicuique proprium.*

*Objiciunt* 5. Clementem Alexand. qui (*L.* 3. *Stromatum contra Eucratitas & Basilidianos*) ait: *dicant ergo nobis ubi fornicator est infans natus? vel quando sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* ergo aperte negavit peccatum originale.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim Clemens Alex. negat solum infantes fuisse actuali peccato inquinatos, antequam eorum animæ corporibus unirentur; agit enim contra Basilidianos qui eodem modo ac Origines, animas ante corpora creatas fuisse asserebant, & in illa anteriori vita peccatum admisisse, in cujus pœnam animæ illæ corporeis vinculis alligarentur, idque aperte demostrant verba quibus urget Basilidianos; *dicant ergo nobis*, &c. præterea Clem. Alexandrin. agnoscit peccatum originale cum (*L.* 1. *Pædagogi cap.* 6.) ait: *multis autem modis vocatur hoc opus* (baptismus) *gratia, illuminatio & lavacrum: lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus*, &c. Ergo agnoscit infantes, pro quibus institutus & necessarius est Baptismus, peccato inquinari.

*Objiciunt* 6. Origenem qui (*l.* 5. *Comm. in Epist. ad Romanos.*) per *mundum*, in quem peccante Adamo, *peccatum intravit*, intelligit, *terrenos quosque & in terrena conversatione permanentes;* id est qui in similitudinem Adæ peccant; ergo negat originale peccatum.

*Resp. nego conseq.* Nam Origenes verba Apostoli in illo commentario allegorice pro more suo exponit; allegoria autem non destruit sensum litteralem, quem luculenter confirmavit homil. 12. in Leviticum: *Omnis*, inquit, *qui ingreditur in mundum, in quadam contaminatione effici dicitur: propter quod & scriptura dicit: nemo mundus a sorde nec si unius diei fuerit vita ejus; hoc ipso ergo quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & matre pollutus est, solus vero Dominus Jesus meus . . . . in matre non est pollutus.*

*Solvuntur Objectiones a ratione petitæ.*

*Objicies* 1. Cum Juliano (*apud August. L.* 3. *contra Julian. cap.* 25.) *non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille* (Deus) *qui condidit: per quas igitur rimas inter tot præsidia peccatum fingis ingressum?*

Respondet August. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? per unum hominem ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis ait Apost. quid quæris amplius? quid quæris apertius?* Unde non peccat qui nascitur cum nascitur, sed nascendo peccatum contrahit quod in Adamo commisit.

*Inst.* 2. Omne peccatum est voluntarium; atqui peccatum originale in infantibus non potest esse voluntarium, ergo nec peccatum.

*Resp. dist. maj.* Omne peccatum est voluntarium vel physice vel moraliter, *conc. maj.* physice tantum, *nego maj.* atqui peccatum non potest esse voluntarium in infantibus, physice, *conc. min.* moraliter, *nego min.*

Itaque discrimen est inter peccatum personale & originale, quod personale debeat esse voluntarium physice, id est voluntate propria peccantis admissum; econtra satis sit quod originale sit voluntarium moraliter, id est voluntate Adæ in quo tamquam in capite morali omnium posterorum voluntates includebantur. Justum est enim ut malum quod eligitur a capite, imputetur membris in eo moraliter inclusis, *sicut justum est*, ait August. (*L.* 4. *Operis Imperf. cap.* 90.) *ut pacta conventa inter Principem & Majores populi ab omnibus civibus serventur.*

*Inst.* 1. Voluntarium est illud quod fit a principio intrinseco cum cognitione; atqui peccatum originale non est in parvulis a principio intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet Adamo, nec cum cognitione, cum ejus sint incapaces; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Peccatum originale non est in parvulis a principio intrinseco physico cum cognitione physica, id est a personali voluntate & cognitione, *conc. min.* non est a principio intrinseco & cognitione moralibus, id est a voluntate & cognitione Adami quæ moraliter fuerunt nostræ, *nego min. & conseq.* eodem enim modo peccatum debet esse a principio intrinseco & cognitione, quo est voluntarium: atqui peccatum originale est voluntarium moraliter; ergo sufficit ut sit a principio

cipio intrinseco & cognitione moralibus; id est a cognitione & voluntate capitis naturæ humanæ.

*Objicies* 2. Si anima inficeretur peccato originali, Deus esset causa peccati; absurdum consequens; ergo, &c.

*Resp. nego sequel. maj. Prob.* Quidquid convenit rei origine, causæ efficienti tribuitur; atqui Deus est causa efficiens animæ, neque enim anima per traducem a parentibus sicut corpus, sed per creationem a Deo producitur; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Quidquid convenit rei ab origine, causæ efficienti tribuitur, si ei conveniat vi actionis, per quam producitur, *conc. maj.* secus, *nego major.* Porro peccatum originale non contrahitur ab anima vi actionis per quam a Deo creatur, sed quatenus corpus ab Adamo descendens informat, nam sic incipit esse pars filii Adæ, in quo tamquam in radice tota natura humana corrupta & maledicta fuit. Hoc explicant Patres similitudine aquæ, quæ licet ex purissimo fonte fluat, si tamen in vas coinquinatum recipiatur, ab eo contrahit immunditiam, ita anima ex sua cum carne vitiata conjunctione contrahit fœditatem. Ita August. (*L.* 5. *contra Julian. cap.* 3.)

*Instat Julian.* 1. In hominibus baptizatis peccatum originale deletum est, ergo illud in posteros transfundere nequeunt; nemo enim dat quod non habet.

*Resp. nego conseq.* Nam sicut triticum purgatum generat aliud triticum non purgatum, sed paleis involutum, quia eodem modo natum est triticum seminatum; ita quia parentes nati sunt ex Adam cum peccato originali, etsi ab illo per baptismum fuerint purgati, generant tamen postea filios infectos peccati originalis, in quo & ipsi nati sunt. Ita August. (*L.* 2. *contra Julian. in principio. Et L.* 3. *de peccator. meritis, cap.* 3.)

Ad probationem *dist.* nemo dat quod non habet, nec formaliter, nec virtualiter, *conced.* quod saltem habet virtualiter, *nego.* Habent ergo parentes peccatum originale virtualiter, virtute scilicet seminis corrupti quod est causa generationis, seu unionis animæ cum corpore, per quam peccatum originale contrahitur.

*Inst.* 2. Si peccatum originale per generationem traduceretur in posteros, usus matrimonii esset malus utpote causa peccati; falsum consequens.

*Resp. nego maj.* & ejus probationem, nam peccati originalis sola causa est voluntas Adami ut capitis moralis omnium ab eo per viam naturalem descendentium.

*Inst.* 3. Peccatum originale sequitur ex usu matrimonii; ergo talis usus est causa illius.

*Resp. dist. ant.* Sequitur per accidens, *conc. ant.* per se, *nego ant.* Nam in statu innocentiæ fuisset usus matrimonii, nec tamen fuisset peccatum originale. Porro homo non tenetur causam per accidens alicujus peccati omittere, cum habet justam causam prosequendi jus suum, etiam cum certitudine talis mali; atqui propagatio naturæ humanæ dat conjugatis justam causam prosequendi jus suum; ergo non peccant in usu conjugii, præsertim cum malum quod inde proli advenit, non ad ipsos proxime, sed ad Adamum pertineat.

## QUÆSTIO II.

*De natura peccati originalis.*

*Nota.* In peccato originali duo possunt considerari, nempe 1. Actus, quo Adamus transgressus est Legem Dei; 2. Macula, quæ hanc transgressionem subsecuta est, & quæ vocatur *peccatum habituale*: de hoc solo in præsentiarum inquirimus, cujus investigatio tam difficilis est, ut circa eam varias in partes abeant cum Hæretici, tum Catholici, quorum opiniones exponemus & refellemus, & tandem veriorem statuemus duplici articulo.

### ARTICULUS I.

*Exponuntur & solvuntur variæ opiniones cum Hæreticorum, tum Catholicorum circa naturam peccati originalis.*

### CONCLUSIO I.

*Peccatum originale formaliter non est substantia mala a dæmone creata, quæ sit ipsius dæmonis imago.* Est contra Mathiam Illiricum Lutheranum (*In libello de peccato origin.*)

*Prob.* Omnis substantia est a Deo, per quem *omnia facta sunt* (*Joann.* 1. *vers.* 3.). Atqui peccatum non est a Deo; ergo peccatum originale non est substantia.

*Confirm.* Quia ex Trid. (*Session.* 5. *canon.* 5. per Baptismum *tollitur totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*; atqui per baptismum nulla tollitur substantia; ergo.

*Dices:* Peccatum originale vocatur ab Apost. (*Roman.* 6. *vers.* 6.) *vetus homo*, *corpus peccati.* Sed homo & corpus sunt substantia; ergo.

*Resp. dist. maj.* Vocatur *vetus homo*, *corpus peccati*, metaphorice, *conc. maj.* proprie, *nego maj.* Nam Apostolus *per veterem hominem* significat vitam in peccatis peractam, sicut *per novum hominem* significat vitam in virtute & justitia transactam, & per *corpus peccati* significat totam congeriem peccatorum quæ commisimus.

### CONCLUSIO II.

*Peccatum originale formaliter non est ipsa concupiscentia seu fomes qua ad peccatum trahimur.* Est contra Lutheranos & Calvinistas.

*Prob.* Per Baptismum tollitur in renatis *totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, ut definitur in Conc. Trid. (*Sess.* 5. *can.* 5.) & constat ex his Apostoli verbis (*Rom.* 8. *v.* 1.) *nihil damnationis*, id est damnatione dignum, *est iis qui sunt in Christo Jesu;* atqui per Baptismum non tollitur concupiscentia, seu fomes, *quæ ad agonem relicta est*, ut docet ibidem Trid. & colligitur ex Apost. Rom. 7. *Video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ &c.* ergo peccatum originale formaliter non est concupiscentia seu fomes.

*Objiciunt* Novatores 1. Apostolus concupiscentiam vocat *peccatum* (*Rom.* 7. *v.* 17.); atqui non est peccatum actuale; ergo originale.

*Resp.*

*Resp. dist. maj.* Apostolus concupiscentiam vocat *peccatum* formaliter & proprie dictum, *nego major.* materialiter & improprie dictum, quatenus nimirum est effectus peccati originalis & causa peccati actualis, *con. maj.* ita docet Trident. (*Sess.* 6. *can.* 5.) declaratque concupiscentiam ab Apost. *peccatum appellari, non quod vere et proprie in renatis peccatum est, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.*

*Inst.* Concupiscentia prohibetur hac lege: *non concupisces;* ergo est proprie peccatum.

*Resp. nego ant.* Nam per hanc Legem non prohibetur propensio carnis ad rebellandum contra spiritum, cum hoc non sit in nostra potestate, sed unice prohibetur, ne motibus concupiscentiæ inordinatis libere consentiamus. *Frustra dictum est*, ait August. (*Lib.* 5. *contra Julian. cap.* 3.) *post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes, sentit eas.*

*Objicies* 2. D. Aug. (*Lib.* 1. *de nuptiis cap.* 32.) docet concupiscentiam esse peccatum non in renatis, *sic est Lex ista peccati* (in renatis) inquit, *ut etiam in peccatum imputetur.* Ergo est peccatum proprie & formaliter.

*Resp. dist. conseq.* Est peccatum proprie ratione sui præcise, *nego conseq.* ratione culpæ, seu reatus quo facta est, & quorum ante Baptismum conjuncta est *conc. cons.* Sic se hic explicat D. Aug. dicens: *Sic est Lex ista peccati ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus* (peccati) *cum illa sit qui eum teneat æterni supplicii debitorem.*

*Inst.* 1. D. Aug. (*Lib.* 1. *de nuptiis, cap.* 23.) ait: *Concupiscentia sola Sacramento regenerationis expiatur*: sed quod expiatur Sacramento, est peccatum proprie ratione sui, ergo &c.

*Resp. dist. min.* Quod expiatur ratione sui, est peccatum ratione sui, *conc. min.* quod expiatur ratione culpæ a qua est, & cum qua ante Baptismum conjunctum est, *nego min.* Hoc solo & vero sensu concupiscentia dicitur ab Aug. expiari per Baptismum, *unde Lib.* 1. *contra Julianum, c.* 8. *docet* concupiscentiam per Baptismum *transire reatu, & manere actu.*

*Inst.* 2. D. Aug. (*In Psalm.* 55.) dicit *Deum in renatis odisse* concupiscentiam; ergo est peccatum formaliter.

*Resp. nego conseq.* Quia Deus non tantum odit quidquid est peccatum formaliter, sed etiam quidquid est peccatum causaliter: talis est concupiscentia, quæ nos ad malum morale impellit.

*Inst.* 3. Concupiscentia opponitur Legi mentis nostræ (*Rom.* 7. *v.* 23.); ergo mala formaliter.

*Resp. dist. ant.* Opponitur Legi mentis nostræ causaliter, *conc. ant.* formaliter, *nego ant.* ex quo sequitur quod sit causaliter tantum peccatum.

## CONCLUSIO III.

*Peccatum originale formaliter, non est qualitas morbida quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam.* Est contra Henricum Gandav. (*Quodl.* 2. *q.* 11.) & Greg. Ariminensem. (*In* 2. *dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1.).

*Prob.* Quia vel fictitia est illa qualitas morbida, vel nihil aliud est quam concupiscentia seu fomes peccati: atqui natura peccati originalis non potest esse fictitia, alias & ipsum peccatum esset fictitium, nec est concupiscentia, alias peccatum originale remaneret post Baptismum, quod est Novatorum error; ergo peccatum originale non est illa qualitas morbida.

*Objicies:* D. Aug. (*Lib.* 1. *de nuptiis c.* 23.) de concupiscentia dicit: *est affectio quædam malæ qualitatis, sicut languor;* ergo peccatum originale est formaliter qualitas morbida.

*Resp. nego conseq.* Nam D. Aug. per affectionem malæ qualitatis intelligit tantum ipsum appetitum sensitivum, quatenus vitiatus est, non aliqua positiva tabe, sed carentia justitiæ originalis; ait enim: (*serm.* 6. *de verbis Apost.*) *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.*

## CONCLUSIO IV.

*Peccatum originale formaliter non est ipsum Adæ peccatum nobis extrinsece tantum imputatum.* Est contra Pighium (*In controversia de peccato origin. in Comitiis Ratisbonensibus*) & Ambrosium Catharinum. (*In Opusculo de peccato orig. disp.* 6.).

*Prob.* De fide est definitum in Trid. (*Sess.* 5. *Can.* 3.) peccatum originale *propagatione transfusum fuisse, omnibus inesse, & unicuique proprium esse;* atqui juxta sententiam Pighii peccatum non fuit in nos transfusum, cum nobis sit extrinsecum, nec est unicuique proprium, ut expresse fatetur Pighius his verbis: *Proprium peccatum nullum reperitur in parvulis: & in uno Adam fuit, non in nobis;* ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum nobis extrinsece tantum imputatum. Hinc sententia Pighii communiter rejicitur ut erronea, imo a Suarez habetur ut hæretica.

Objicit Pighius. Conc. Trid. (*Sess.* 5. *Can.* 3.) definit *peccatum Adæ origine unum esse;* ergo peccatum originale est unum & idem in omnibus, ita ut reipsa fuerit in Adamo, & in nobis sit per imputationem.

*Resp. nego. conseq.* Quia licet peccatum originale sit unum origine, est tamen multiplex *propagatione*, & quidem *unicuique* proprium, ut constat ex eodem Concilio.

## CONCLUSIUS V.

*Peccatum originale formaliter, non est reatus pœnæ.* Est contra Durandum (*In* 2. *dist.* 30. *q.* 3.) Major. (*Ibid. q.* 5. *sub. finem.*).

*Prob.* Quia reatus pœnæ supponit peccatum originale; ergo non potest esse constitutivum peccati originalis. *Prob. ant.* Reatus pœnæ est obligatio ad pœnam subeundam; atqui obligatio ad pœnam subeundam supponit culpam; ergo reatus pœnæ supponit culpam peccati originalis; ergo &c. Unde damnata a Pio V. ista Baji prop. *In peccato duo sunt actus & reatus, transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

CON-

### CONCLUSIO VI.

*Peccatum originale formaliter non est complexum ex concupiscentia tamquam parte materiali, & concupiscentiæ reatu tamquam parte formali.* Est contra Juen. (*Thom.* 7. *pag.* 681.) & alios.

*Prob.* 1. *pars.* Concupiscentia ex Trid. (*Sess.* 5. *Can.* 5.) manet in renatis; atqui ex eodem Concilio omne quod habet rationem peccati, tollitur per Baptismum; ergo concupiscentia non est pars essentialis materialis peccati originalis.

*Prob.* 2. *pars.* Quia per concupiscentiæ reatum intelligitur ipsa culpa originalis; atqui nugatorium est dicere peccatum originale constitui in ratione peccati per id quod in eo culpæ & peccati rationem habet; sicut nugatorium est dicere hominis essentiam consistere in humanitate; ergo &c.

*Dices:* D. Thom. (1. 2. *q.* 82. *art.* 3.) docet concupiscentiam se habere *in peccato originali sicut quiddam materiale:* ergo est pars materialis essentialis peccati originalis.

*Resp. nego conseq.* Nam constat ex voce *sicut*, qua utitur Div. Thom., concupiscentiam non esse materiam essentialem peccati originalis; unde dicitur ab illo quod sit sicut quiddam materiale in peccato originali, quia cum eo conjungitur tamquam effectus cum causa in non renatis, in quibus propter hanc conjunctionem vocatur a Sancto Augustino *peccatum*, quod post Baptismum *remanet actu*, *tollitur reatu.*

## ARTICULUS II.

*Statuitur verior sententia circa naturam peccati originalis.*

### CONCLUSIO.

*Peccatum originale formaliter est habitualis privatio conformitatis ad Legem quam Adam caput nostrum transgressus est, & quam nos ejus voluntate transgressi sumus.*

*Prob.* Illud est nobis nascentibus peccatum originale formaliter, quod Adamus in nos vere, proprie, & intrinsece transfudit; atqui Adamus transacto actu peccati in nos vere & intrinsece transfudit habitualem privationem conformitatis ad Legem, quam ut caput nostrum transgressus est; ergo &c.

*Prob. min.* Adamus in nos transfudit quod in eo post ejus actuale peccatum mansit, & a quo ipse & ejus posteri denominantur peccatores; atqui habitualis privatio conformitatis ad Legem quam per actum suum est transgressus, est id quod in eo remansit transacto actu peccati; ergo Adamus in nos transfudit habitualem privationem conformitatis ad Legem: ergo.

*Confirmatur*, quia in eo formaliter consistit peccatum originale, ex quo omnia quæ ad peccatum originale pertinent, tamquam a radice promanant; atqui ex habituali privatione conformitatis ad Legem quam Adamus transgressus est, omnia quæ ad peccatum originale pertinent, promanant; namque inde profluit quod peccatum sit unum origine, cum sit unum habituale peccatum Adæ; 2. Quod sit unicuique nostrum proprium, quia illud peccatum ita nobis vere & intime est communicatum, ut unumquemque perinde constituat peccatorem, Deo odibilem, & pœnis peccati dignum, ac si ab eo solo commissum fuisset; ergo.

*Objicies* 1. Habitualis privatio conformitatis ad Legem, quam Adam ut caput nostrum transgressus est, communis est omnibus Adæ posteris; ergo non est unicuique propria.

*Resp. dist. conseq.* Non est unicuique propria hoc sensu quod non ita conveniat uni quin aliis omnibus conveniat, *conc.* hoc sensu quod vere & proprie non conveniat cuilibet, quamvis eidem singulariter & privatim non conveniat, *nego conseq.* Porro peccatum originale commune est omnibus, quia ad omnes extenditur, & est unicuique proprium, quia nullus est cui tota ejus ratio non conveniat; unde tot remissionibus indiget, quot sunt homines ab Adamo via naturali descendentes.

*Inst.* Illud non est unicuique nostrum intrinsece proprium, quod in nos non nisi moraliter transmittitur; atqui habitualis privatio, &c. non nisi moraliter in nos transmittitur; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod in nos non nisi moraliter transmittitur quoad rem transmissam, *conc. maj.* quoad modum transmittendi, *nego maj.* atqui habitualis privatio conformitatis ad Legem, &c. in nos non nisi moraliter transmittitur quoad modum, *conced. min.* quoad rem transmissam, *nego min.* Itaque in nostra sententia peccatum originale intrinsece & realiter propagatur, licet aliunde non nisi moraliter communicetur, quatenus transfunditur ab eo in quo moraliter ut in capite continebamur.

*Objicies* 2. Cum Thomistis. Peccatum originale formaliter consistit in privatione justitiæ originalis, prout dicit gratiam sanctificantem: ergo.

*Resp. nego ant.* Nam privatio justitiæ originalis est pœna juxta illud D. Thom. (1. 2. *q.* 85. *art.* 5.) *Substractio originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam substractio gratiæ.* Atqui pœna peccati est posterior peccato; ergo peccatum non constituit, sed constitutum præsupponit.

*Inst.* 1. D. Thom. dicit: *Privatio justitiæ originalis per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali;* ergo peccatum originale consistit formaliter in privatione justitiæ originalis, prout dicit gratiam sanctificantem.

*Resp. nego conseq.* Quia D. Thom. non dicit simpliciter *privatio justitiæ originalis est formale in peccato;* sed addit: *per quam voluntas subdebatur Deo;* atqui illa subjectio ad Deum est conformitas ad Legem quam Deus dedit Adamo; ergo per *privationem justitiæ originalis per quam voluntas subdebatur Deo*, nihil aliud intellexit quam privationem conformitatis ad Legem, alias sibi contradiceret D. Doctor.

*Inst.* 2. Sancti Patres peccatum originale exprimunt per *justitiæ privationem*, *mortem animæ;* ergo consistit formaliter in privatione justitiæ originalis prout dicit gratiam sanctificantem.

*Resp. dist. ant.* Patres ita exprimunt peccatum originale, ut primarium ejus effectum assignent, *conc. ant.* ut assignent rationem formaliter constitutivam peccati originalis, *nego ant.* Neque enim Patres, sicut nec D. August. expenderunt meta-

metaphysice in quo sita esset peccati originalis natura eo modo quo expendunt scholastici; unde illud sæpius expresserunt per effectus cum eo connexos, utpote ipsa peccati natura notiores.

*Inst.* Cum Gonet. In illo consistit formaliter peccatum originale quod per Baptismum primario tollitur; atqui privatio justitiæ originalis ut dicit gratiam sanctificantem, primario per Baptismum tollitur; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Nam ut aliquid per Baptismum primario tollatur, non requiritur ut illud sit formale constitutivum peccati originalis, sed sufficit quod in peccato originali contineatur sicut effectus in sua causa; ergo, &c.

## QUÆSTIO III.

*De causa proxima transfusionis peccati originalis.*

*Nota.* Constat apud omnes peccatum Adami esse causam remotam transfusionis peccati originalis in ejus posteros, qui *omnes* in eo *peccaverunt.* Verum in assignanda illius transfusionis causa proxima gravis est controversia, circa quam duæ sunt præcipuæ opiniones.

1. Est Jansenii (*Jansen. L.* 1. *de statu nat. lapsæ*, *c.* 6. *& seq.*) qui post Lutherum & Calvinum docuit causam proximam transfusionis peccati originalis esse physicam & ex natura rei, eamque esse libidinem seu parentum concupiscentiam in usu conjugii. Huic sententiæ adhærent Juenin (*tomo* 7. *pag.* 685.), & Henricus a sancto Ignatio. (*L.* 10. *ethicæ part.* 3. *c.* 6.)

2. Est omnium aliorum qui assignant pro causa transfusionis proxima seminalem ab Adamo generationem, supposito tamen decreto Dei quo Adam fuit constitutus caput morale omnium posterorum in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu ligni vetiti. Ideo

### CONCLUSIO I.

*Causa proxima transfusionis peccati originalis in parvulis non est libido quacum a parentibus generantur.*

*Prob.* Illud nec est, nec esse potest causa physica & necessaria transfusionis peccati originalis, quo posito potest non esse, & quo sublato potest esse peccatum originale; atqui posito ardore libidinis in actu generationis potest non esse, & eo sublato potest esse peccatum originale; ergo.

*Prob. min.* Si duo conjuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, quia ex Trident. (*Sess.* 5. *can.* 3.), *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*; econtra si duo conjuges ex Adæ semine procreati ex speciali Dei beneficio generarent sine ardore libidinis; nihilominus eorum proles contraheret peccatum originale, quia semper descenderet ab Adamo, ac proinde in illo peccaret *in quo omnes peccaverunt.* Ergo posito ardore libidinis in actu generationis, potest non esse, & eo sublato potest esse peccatum originale.

*Objicies* cum Jansenio. D. Aug. pluribus locis (*D. Aug. L. contra Jul. cap.* 5. *Et L.* 1. *de nuptiis c.* 24. *Et L.* 1. *de peccator. meritis c.* 6.) docet, ipsam prolem contrahere peccatum originale, quia cum libidine & concupiscentia gignitur: ergo concupiscentia est causa proxima & physica transfusionis peccati originalis.

*Resp. dist. antec.* Docet prolem contrahere peccatum originale quia gignitur cum libidine quæ sit causa physica traducendi peccatum, *nego ant.* quæ sit signum evidens & infallibile quod natura humana quam ab Adamo haurimus, ab ipso fuerit vitiata, *conc. ant.* & *nego conseq.* Sensus itaque D. Augustini est quod libido quæ sentitur in actu conjugali, sit signum corruptionis naturæ in ipsis parentibus, ex quo a posteriori, seu ab affectu arguitur peccatum originale esse in prole hoc modo procreata.

### CONCLUSIO II.

*Causa proxima transfusionis peccati originalis in parvulis est seminalis generatio ab Adamo in quo tamquam in capite morali omnes ejus posteri continebantur, non jure naturæ, nec vi pacti cum Adamo initi, sed vi decreti quo Deus in voluntate Adami voluntates omnium qui ab eo per viam generationis naturalis descensuri erant, inclusit, in ordine ad observationem vel transgressionem præcepti de non comedendo fructu vetito.*

*Prob.* 1. *pars*: Quæ in Trident. (*Sess.* 5. *can.* 3.) expresse definitur his verbis: *nisi homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Hinc etiam dicimur ab Apostolo (*Ephes.* 2. *v.* 3.) *natura filii iræ*, id est generatione; ratio D. Thom. (1. 2. *quæst.* 82. *art.* 4.) est, quia *peccatum originale a primo parente traducitur in posteros in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale . . . . nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adam, unde non contraheret peccatum originale sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinsece movente.*

*Objicies*: Semen humanum utpote corporeum, animam spiritualem, quæ sola peccati subjectum est, nullatenus attingit, sed a Deo solo immediate creatur; ergo animam peccato non inficit.

*Resp. dist. conseq.* Humanum semen peccato non inficit animam formaliter, *conc. conseq.* virtualiter & instrumentaliter, *nego conseq.* inficit enim animam quatenus per dispositiones quas inducit in corpus, coniungit illam cum carne ex Adamo tracta, per quam conjunctionem anima efficitur pars constitutiva hominis, qui in Adamo peccavit.

*Prob.* 2. *pars*: Quæ asserit *Adam non fuisse morale caput jure naturæ*; quia nullum hujus rei fundamentum reperiri potest in ipsa natura; nam si eo ipso quo Adam est caput naturale hominum, habet ut etiam sit caput illorum *morale*, non erit potior ratio cur alia peccata ab illo commissa non censeantur etiam nostra, sicut unicum ejus inobedien-

bedientiæ peccatum, cum omnia procedant ab eo qui est caput totius naturæ humanæ; atqui ex Script. & Patribus hoc unicum inobedientiæ Adæ peccatum reputatur nostrum, cætera si quæ fuerint, reputantur illi propria; ergo Adam non fuit caput nostrum morale jure naturæ.

*Prob.* 3. *pars:* Quæ asserit *Adam fuisse constitutum caput morale non ex pacto Dei cum Adam inito, sed ex solo Dei decreto*, &c. quia Deus eo modo constituit Adamum caput morale posterorum, quo consuevit dare præcepta hominibus, quia tunc Adam constitutus est caput morale quando datum est illi præceptum de non comedendo fructu; atqui Deus quando præcepta dat hominibus, non solet expectare eorum consensum, quasi sublato illo nolit præceptum obligare; nam Lex Dei semel promulgata homines velint nolint obligat, cum sit supremus Dominus; ergo & in præcepto de non comedendo fructu, Deus non expectavit consensum Adami, quo se Deo obligaret tamquam caput naturæ humanæ; ergo divino tantum decreto & non ex pacto Dei cum Adam inito, hic constitutus est caput morale suorum posterorum.

*Objicies:* Adam fuit constitutus caput nostrum morale vi pacti cum Deo initi; ergo.

*Resp. neg. ant.* Nam Adam, seposito decreto divino, non habebat jure naturæ dominium in voluntates suorum posterorum quoad bona vel damna spiritualia; ergo nullo modo potuit seposito decreto Dei, obligare posteros, ut proprium suum peccatum reputetur peccatum posterorum.

*Inst.* 1. *Prob. ant.* ex August. qui (*L.* 16. *de civ. Dei c.* 19. *L.* 1. *de nuptiis c.* 11.), illud Genesis, *masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo suo, quia pactum meum irritum fecit;* intelligit *non de imperata circumcisione, sed de ligni prohibitione*, id est de peccato originali; ergo Adam fuit constitutus caput nostrum vi pacti a Deo cum ipso initi.

*Resp. dist. conseq.* Vi pacti *formalis* positi in expresso duorum vel plurium consensu, *nego conseq.* neque enim hoc pactum necessarium fuit Deo qui potest de omnium hominum voluntatibus, ut supremus arbiter, disponere. Vi pacti *virtualis* posito in decreto efficaci, quo Deus voluit absolute, non expectato Adam consensu, ut esset caput morale posterorum suorum, eosque repræsentaret in observatione & transgressione præcepti de non comedendo fructu ligni vetiti, *conc. conseq.* ex quo patet hoc pactum virtuale nihil esse quam decretum quo Deus voluntates posterorum Adami inclusit in voluntate ipsius Adami; unde D. Hier. (*in c.* 6. *Osee*) illud *pactum* vocat *Legem.*

*Instab.* 2. Si Deus per decretum absolutum constituisset Adamum caput morale suorum posterorum, debuisset illi manifestare; atqui nullibi reperitur illius decreti Dei manifestatio facta Adamo; ergo.

*Resp. nego min.* Hoc enim decretum Deus manifestavit Adamo, cum illum in Paradisum terrestrem introducens dixit: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis, morte morieris.* Quod licet sit dictum in singulari, ei tamen dictum est tanquam capiti, illudque debebat manifestare uxori suæ, & ita posteris, ut notat August. (*L.* 8. *de Gen. ad Litt. c.* 17.), & intellexit Eva cum dixit in plurali (*Gen.* 3. *v.* 3.); *de fructu ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illum, ne moriamur.*

*Inst.* 3. Deus non potuit sine injustitia in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad observationem & transgressionem præcepti; ergo illas non includit.

*Resp. nego ant.* Nam possunt Principes subditorum pupillorum voluntates includere in voluntate tutorum in ordine ad certos effectus morales; ergo a fortiori Deus qui habet supremum in creaturas suas dominium, potuit in voluntate Adami includere voluntates nostras in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu vetito.

## QUÆSTIO IV.

*De subjecto peccati originalis.*

*Nota.* Nomine *subjecti* hic eos intelligimus, ad quos peccatum originale transfunditur; circa quod pugnandum habemus 1. Cum Novatoribus contendentibus filios fidelium nascendo non contrahere peccatum originale, 2. Cum quibusdam Catholicis propugnantibus Beatam Virginem labe peccati originalis infectam fuisse; contra quos

## CONCLUSIO I.

*Filii fidelium non secus ac alii contrahunt peccatum originale.* Est definita in Trident. (*Sess.* 5. *can.* 3. & 4.)

*Prob.* Illi contrahunt peccatum originale qui peccaverunt in Adamo, nisi speciali privilegio a Lege communi eximantur; atqui omnes qui via generationis naturalis descendunt ab Adamo, peccaverunt in Adamo, ut probatum est supra; ergo omnes etiamsi sint a fidelibus progeniti, contrahunt peccatum originale, unde Apost. (*Ephes.* 2. *vers.* 3.) de se ipso & aliis fidelium parentum filiis, dicit: *eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.*

*Objicies:* Illud Apost. (1. *Corinth.* 7. *v.* 14.) *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Atqui si filii fidelium contraherent peccatum originale nascendo, non essent *sancti*, sed *immundi*; ergo.

*Resp. dist. textum. Nunc autem sancti sunt* id est legitimi, *conc.* id est immaculati, *nego:* Nam Apostolus hic hortatur conjuges fideles, ne deserant conjuges infideles, si velint pacifice cohabitare; & rationem hanc reddit, quia matrimonium non fit illegitimum per conversionem unius conjugis, alias, ait, filii talium parentum essent *immundi*, hoc est illegitimi, nunc autem *sancti sunt*, hoc est legitimi. Igitur hic locus non est ad rem accommodatus.

*Inst.* Idem Apost. (*Roman.* 11. *v.* 6.) ait: *si radix sancta, & rami;* ergo qui nascuntur ex parentibus sanctis, sunt sancti.

*Resp. dist. conseq.* Quia non loquitur Apostolus

de sanctitate formali, sed de sanctitate præparatoria & in spe; ita ut sensus sit juxta Theodoretum; si Patriarchæ sancti fuerunt, ita reliquum corpus Judæorum ad fidem & sanctitatem censetur deputatum & præparatum in sanctis parentibus, quorum pietate ac diligentia pie educari ac sanctificari possunt.

## CONCLUSIO II.

*Licet Beata Virgo debitum habuerit contrahendi peccatum originale, illud tamen non contraxisse pro certo tenendum est.*

*Prob.* 1. *pars:* Illa debuit contrahere peccatum originale quæ inclusa fuit in hac Lege generali, *in quacumque die comederis, morte morieris.* Atqui B. Virgo fuit inclusa in illa Lege generali; ergo debuit contrahere peccatum originale.

*Confirmatur;* Quia Beata Virgo fuit vere a Christo redempta; atqui Christus non redemit nisi qui aut actu per peccatum mortui sunt, aut secundum Legem ordinariam mori debuerunt, & revera mortui fuissent, nisi per speciale beneficium a peccati labe præservati fuissent; ergo Beata Virgo secundum Legem ordinariam debuit contrahere peccatum originale.

*Dices:* Gratia abunde præveniens, ipsum peccati debitum expungit; atqui B. Virgo statim gratia præventa est; ergo non habuit debitum contrahendi peccatum.

*Resp. nego major.* Gratia enim opponitur peccato actu contracto, non autem debito contrahendi, quia ut intelligatur debitum, satis est ut B. Virgo peccatum incurrisset nisi per prævenientem Spiritus Sancti gratiam fuisset preservata, quod verum est. Fatemur tamen post gratiæ collationem ne ipsum quidem remansisse debitum, quia debitum remissione extinguitur.

*Prob.* 2. *pars:* Quæ hodie est ita certa ut Gregorius XV. (*Bulla data ann.* 1622.) prohibuerit *ne quisquam etiam in scriptis & sermonibus privatis audeat asserere quod Beata Virgo in peccato concepta sit.* Propugnando nimirum contrariam opinionem, non autem adducendo ejus argumenta eaque solvendo: unde licet non sit de fide, quia nondum definita, est tamen fidei consonum, ut declaravit Concilium Basileense, *Sess.* 36.

*Prob. inquam* 1. *Ex Script.* Genes. 3. *inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum:* ubi per tò *mulierem* intelligitur B. Virgo, quam dæmonis potestati nunquam subjiciendam fore testatur Deus: atqui si B. Virgo non fuit a peccato originali præservata, fuit aliquando dæmonis serva, & potestati ejus subjecta; ergo, &c. Unde per tò *caput* in textu allato multi intelligunt peccatum originale, quod est caput & radix omnium peccatorum, quodque contrivit B. Virgo, quia illud nunquam contraxit.

2. Ex cap. 4. Cantic. ubi legitur: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Qui textus litteraliter intelligitur de B. Virgine, cum in eo fundetur definitio Tridentina de B. Virginis ab omni peccato actuali etiam veniali, immunitate, quam teste Trid. (*Sess.* 6. *can.* 23.) tota *tenet Ecclesia*; atqui ille textus a B. Virgine removet omnem prorsus maculam; ergo ut actualem, sic & originalem.

*Prob.* 2. *ex Patribus:* 1. Ex S. Andrea Apost., qui ut referunt Presbyteri Achajæ (*L. de passione Beati Andreæ*) dicebat: *sicut de terra immaculata factus fuerat primus homo, ita necesse erat ut de immaculata Virgine Christus nasceretur.*

2. Ex Idiota (*cap.* 6. *L. quem scripsit de B. Virgine contemplatio. Qui refertur tom.* 5. *Biblioth. Patrum. Vixit ann.* 350.) qui ait: *invenisti, Virgo Maria, gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originis labe præservatio, angelica salutatio &c.*

3. Ex D. Aug. qui (*L. de nat. & gra. c.* 23.) sic loquitur: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, dum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quæ verba diligenter sunt ponderanda;

1. Itaque dicit se nullam prorsus velle habere quæstionem de B. Virgine *cum de peccatis agitur:* quo tam generaliter loquendi modo significat se non solum de personalibus, sed etiam de originali loqui.

2. Hoc dicit *propter honorem Domini:* atqui si honor Domini postulavit ut ejus mater per totam vitam immunis esset a peccato actuali etiam veniali; quanto magis postulavit ut immunis esset ab originali labe mortali, propter quam fuisset Deo odibilis, serva diaboli, & rea damnationis æternæ?

3. Dicit B. Virgini collatam fuisse gratiam *ad vincendum omni ex parte peccatum*; at quomodo peccatum *omni ex parte* vicisset, si aliquando peccato originali infecta fuisset?

4. Dicit Mariam ideo accepisse gratiam ad peccatum omni ex parte vincendum, quia fuit mater illius, *quem constat nullum habuisse peccatum*; ergo accepit gratiam ut immunis esset ab omni peccato, quo caruit Christus; atqui Christus caruit peccato tum personali, tum originali; ergo & B. Virgo.

*Prob.* 3. *Ex Trident.* (*Sess.* 5. *in fine decreti*) declarante *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem, sed observandas esse constitutiones Sixti IV. Papæ sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Ergo ab hoc suo decreto eam tacite excipit, aut saltem merito excipiendam judicat.

*Prob.* 4. *Ex facto Ecclesiæ*, quæ non solum omnes fideles ad cultum Beatæ Virginis in sua Conceptione immaculatæ indulgentiis invitat (*Ut constat ex Decreto Sixti IV. quod confirmavit Synodus Trid.*) sed etiam cultum illum imperat, festo ad hunc finem instituto & præcepto, ut patet ex constitut. Alexandri VII. (*Edita ann.* 1682.) ergo cultus ille est cultus objecti veri, ideoque verum est Beatam Virginem a peccato originali præservatam fuisse. *Prob. conseq.* nam si cultus ille esset cultus objecti falsi, esset vanus et superstitiosus; atqui Ecclesia non potest consulere, multo minus præcipere sub mortali cultum vanum & superstitiosum, cum non magis possit errare in materia morum, quam in materia fidei; ergo.

Pro-

Propter hanc saltem rationem videtur pia hæc sententia esse definitioni proxima, & tantam habere certitudinem, quantam infra certitudinem fidei haberi potest.

*Prob.* 5. *Ex consensu* omnium fere Religiosorum Ordinum, qui festum immaculatæ Conceptionis celebrant & propugnant; *ex conspiratione* omnium orbis Cristiani Academiarum, quæ ad eam defendendam sese solemni voto obstrinxerunt, & in quarum pluribus gradus Theologici non conferuntur nisi prius juramentum de ea tuenda præstiterint; quod si quis contrariam sententiam *suscipere ausus fuerit*, ait Universitas Parisiensis (*Statuta ann.* 1496.) *hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum a nobis & consortio nostro, velut Ethnicum & Publicanum, procul abjiciendum decernimus.*

*Objicies* 1. Textus Sacræ Scripturæ, quibus astruitur existentia peccati originalis sunt, ita generales ut comprehendat omnes ab Adamo descendentes; ergo B. Virginem comprehendunt.

*Resp. dist. ant.* Comprehendunt omnes &c. quando nullum est privilegium eximens a Lege communi, *conc. ant.* quando adest tale privilegium, *nego ant.* Porro hoc privilegium habuit B. Virgo, quæ in locutionibus Scripturæ generalibus non comprehenditur, quales sunt istæ quibus astruitur generalitas peccati actualis: *non est homo qui non peccet. In multis offendimus omnes.* Ut juxta Trid. (*Sess.* 6. *can.* 23.) *tenet Ecclesia Catholica.*

*Inst.* Mors est pœna peccati originalis, nam *per peccatum intravit mors;* atqui B. Virgo mortem subiit. Ergo.

*Resp. dist. maj.* Mors est pœna peccati originalis vel actu, vel quoad debitum contracti, *conc. maj.* solum actu & de facto contracti, *nego maj.* Porro ex dictis B. Virgo contrahit debitum peccati originalis.

*Objicies* 2. De fide est Beatam Virginem a Christo fuisse redemptam; atqui si non contraxit peccatum originale, non fuit a Christo redempta; ergo.

*Resp. dist. min.* Si B. Virgo non contraxit peccatum originale neque quoad actum, neque quoad debitum, non fuit redempta, *conc. min.* Si non contraxit peccatum quoad actum, bene vero quoad debitum, *nego min.* Igitur Christus sua redemptione fecit ut B. Virgo non contraheret actu & in se peccatum originale, ad quod contrahendum erat obnoxia; & hic modus redimendi est nobilissimus.

*Inst.* Atqui ad veram redemptionem requiritur liberatio a captivate actuali; ergo nulla solutio.

*Resp. nego subs.* Tam enim redimitur qui præservatur a captivitate, in quam non poterat non incidere nisi Redemptoris gratia eum misericorditer præveniret, quam qui liberatur a captivitate in quam actu incidit.

*Objicies* 3. Sancti Patres cum loquuntur de peccato originali, solum Christum eximunt; ergo.

*Resp. dist. ant.* Solum Christum eximunt per exclusionem modi exemptionis, *conc. ant.* per exclusionem ipsius exemptionis, *nego ant.* Nam privilegium Christi in eo consistebat quod ex vi suæ Conceptionis, quæ fuit supernaturalis, conciperetur Sanctus; quod de B. Virgine dici non potest, quæ vi suæ Conceptionis, quæ fuit naturalis ex conjunctione viri cum femina, debuit contrahere peccatum originale, & de facto contraxisset, nisi ab eo per gratiam Christi præservata fuisset.

*Inst.* 1. D. Augustin. (*l.* 5. *contra Julian. cap.* 15.) ait: *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carnis peccati, quid restat ut intelligamus nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati?* ergo caro Beatæ Virginis fuit caro peccati.

*Resp. dist. conseq.* Fuit caro peccati, quia via naturali concepta contraxit peccati debitum, *conc. conseq.* quia ipsum peccatum contraxit, *nego conseq.* namque gratia præveniente fuit liberata.

*Inst.* 2. D. Bernardus (*epist.* 174.) reprehendit Canonicos Ludgunenses, quod festum conceptionis Beatæ Virginis in sua Ecclesia instituerint.

*Resp. nego ant.* Nam illos reprehendit tantum quod illud festum instituerint inconsulta Ecclesia Romana; *nam si sic videbatur*, inquit, *consulenda erat prius Apostolica Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ, cujus auctoritati atque examini, totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Ergo si D. Bernardus nunc viveret, devote celebraret festum immaculatæ Conceptionis, quam videret solemniter ab Ecclesia Romana celebrari, festo ad hunc cultum præcepto sub mortali.

*Inst.* 3. D. Thom. (3. *p. qu.* 27. *art.* 2. *ad* 2.) ait: *Christus nullo modo contraxit peccatum originale, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus juxta illud Joan.* Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei; *sed Beata Virgo contraxit quidem peccatum originale, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Equidem licet D. Thom. possit benigne interpretari, probabilius tamen est in ea fuisse sententia, quam si nunc viveret, certissime mutaret, ut constat ex argumento, quo ibidem (3. *part. qu.* 27. *art.* 1. *in argum. sed contra est*) probat Nativitatem Beatæ Virginis fuisse sanctam, *Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis*, inquit, *non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto; ergo Beata Virgo ipsa sua Nativitate sancta fuit.* Atqui Ecclesia celebrat festum Conceptionis Beatæ Virginis ad colendam *Beatam Virginem, præveniente Spiritus Sancti gratia, a peccato originali præservatam*, prout declaravit Alexander VII. instituens hoc festum (*Decreto ann.* 1662. *edito*) ergo &c.

## QUÆSTIO V.

*De pœnis peccati originalis.*

*Nota.* Pœnæ peccati originalis aliæ spectant hanc vitam, aliæ futuram.

### ARTICULUS I.

*De pœnis peccati originalis in hac vita.*

*Nota.* Pœnæ peccati originalis in hac vita aliæ sunt corporis, aliæ animæ.

Quæres 1. *Quænam sunt pœnæ corporis in hac vita?*

*Resp.* Duæ recensentur, quarum 1. est mors juxta illud (*Sapient.* 2. *vers.* 23.) *Deus creavit hominem inexterminabilem . . . . invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

2. Sunt omnes hujus vitæ miseriæ, scilicet *morbi*, *dolores*, *labores*, quibus addi possunt & alii defectus extra nos, ut sunt captivitas sub diabolo, sterilitas terræ, intemperies aeris, rebellio bestiarum, & alia mala quæ a cælo, terra, mari patimur; quæ omnia expressit Spiritus Sanctus his verbis (*Eccl.* 40. *vers.* 1.) *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.*

Quæres 2. *Quænam sunt pœnæ animæ?*

*Resp.* Sunt duæ, 1. Est privatio omnium donorum gratuitorum, scilicet justitiæ originalis, qua hominis mens erat perfecte subdita Deo, & appetitus sensitivus menti; & gratiæ sanctificantis cæterorumque habituum supernaturalium fidei, spei, charitatis, donorum Spiritus Sancti, &c. quæ omnia justitiam originalem comitabantur.

2. Est vulnus quadruplex in anima, nempe *Ignorantia* in intellectu, quæ tollit cognitionem agendorum. *Malitia* in voluntate, quæ tollit facilem & promptam inclinationem ad obediendum Deo & rationi. *Concupiscentia* in appetitu concupiscibili, quæ tollit ab illo appetitu subjectionem ad voluntatem & rationem, & sic incœpit inordinata propensio ad voluptates carnis. *Infirmitas* in appetitu irascibili, a quo tollit firmitatem, alacritatem & vehementiam ad suscipienda ardua, & removenda, quæ nostrum bonum impediunt.

## ARTICULUS II.

*De pœnis peccati originalis in futura vita?*

*Nota* 1. Pœnæ peccato originali in altera vita debitæ, sunt. 1. Exclusio a regno Cælorum. 2. Privatio vitæ æternæ. 3. Dolor internus qui tum ex exclusione a regno Cælorum, tum ex privatione vitæ æternæ nascitur. 4. Pœna sensus seu gehennæ ignis.

*Nota* 2. Parvulos sine Baptismo decedentes non solum excludi a regno Cælorum, sed etiam privari vita æterna, quæ consistit in intuitiva Dei visione. De fide definitum est in variis Conciliis (*Diospolitano*, *Carthaginensi*, *Milevitano*) contra Pelagianos teste August. (*l.* 2. *de origine animæ cap.* 12.) his verbis: *Novellos Hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non Baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum Cælorum.* Quæ veritas similiter definita est in Concilio Tridentino. (*sess.* 5. *can.* 4.)

*Nota* 3. Cum Ecclesia circa cæteras pœnas nihil definierit, Auctores Catholici in varias abiere sententias, quarum probabiliores, & communiores hic breviter attingemus; quare sit

## CONCLUSIO I.

*Parvuli sine Baptismo morientes, internum animi dolorem patientur ex sui a vita æterna exclusione.* Est contra Thomistas.

*Prob.* Ex D. Augustino sic loquente (*l.* 6. *contra Jul. cap.* 4.) *Si hoc eis non erit malum* (quod in æternum excludantur a regno Dei) *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes* (ab omni peccato personali) *imagines Dei? Si autem amabunt, & tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum Dei, nihil ne mali ex hac separatione patientur?* Ex quo sic argumentor: qui cum certa cognitione privatur objecto amato, maxima tristitia & dolore afficitur; atqui parvuli absque baptismo mortui privantur æterna beatitudine quam amant & ad quam se creatos esse certo cognoscunt, alias non amarent; ergo. Unde Gregor. Magnus de illis parvulis ait: (*l.* 9. *Moralium cap.* 15.) *Perpetua quippe tormenta percipiunt qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

*Dices* 1. D. Thom. 2. dist. 33. quæst. 2. art. 2. ait: *Pueri . . . nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinæ:* ergo.

*Resp.* Salva reverentia D. Thom. debita admittimus sententiam, quam junior scripsit, quamque revocaturus fuisset in sua Summa, sicut plures alias de facto revocavit, nisi mors immatura eum prævenisset; unde potius adhæremus D. Augustino.

*Dices* 2. Parvuli non patientur pœnam sensus; ergo nec animi dolorem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod pœna sensus a Deo directe infligatur, econtra dolor animi ex beatitudinis privatione ortus, non infligitur a Deo directe, sed per se & naturaliter ex ea sequitur.

*Dices* 3. Pueri sine baptismo mortui nullam de intuitiva Dei visione cognitionem habent; ergo de ejus amissione non tristantur.

*Resp. nego ant. Prob.* Æterna beatitudo, utpote supernaturalis, non potest cognosci sine gratia fidei; atqui parvuli hanc non habent; ergo.

*Resp. nego ant.* Ex cujus veritate sequeretur non tantum parvulos, sed etiam adultos qui in gentilitate ubi nihil unquam de Evangelio audierunt, mortui sunt, non cruciari amore amissæ beatitudinis; neque enim adulti illi aliquando fidem habuerunt, per quam unam (ut volunt adversarii) homo scire potest beatitudinem in intuitiva Dei visione sitam esse; quod est contra fidem.

## CONCLUSIO II.

*Parvuli sine Baptismo mortui nec fruuntur, nec unquam fruentur beatitudine naturali.* Est contra Catharinum (*l. de statu parvulor. absque Bapt. decedent.*) & Cardinalem Sfondratum (*l. cui titulus nodus præd. dissolutus pag.* 114.).

*Prob.* 2. Ex Ephes. 2. *eramus natura filii iræ*, hoc est Dei odio & vindictæ obnoxii; sed qui tantis pœnis sunt obnoxii, nulla etiam naturali fruuntur beatitudine; ergo, &c. Hinc Conc. Flor. sess. ult. definivit: *illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere: pœnis tamen disparibus puniendas.* Atqui animæ quæ in inferno pœnis puniantur, carent sane beatitudine naturali: ergo.

*Confirmatur* D. August. (*l. de origine animæ cap.* 9.) dicente: *non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quie-*

*quietis vel felicitatis cujuslibet*, *atque ubilibet*, *quasi medium locum: hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Sed qui excluduntur a quiete & felicitate *qualibet*, nulla etiam naturali beatitudine fruuntur; ergo.

*Objicies:* Pueri per peccatum originale non sunt aversi a Deo tamquam a fine naturali, sed tantum tamquam a fine supernaturali; ergo æquum non est ut propter peccatum originale in æternum priventur beatitudine naturali.

*Resp. nego ant.* Tum quia aversio a Deo ut auctore gratiæ non potest subsistere sine aversione a Deo ut auctore naturæ; tum quia peccatum Adami utramque aversionem continebat; ergo utraque per originem fuit traducta.

*Instab.* Deus in resurrectione non obstante culpa originali, concedet infantibus plura dona gratuita, v. g. immortalitatem, impassibilitatem, magnitudinem quam habituri essent, si ad adultam ætatem pervenissent; ergo non denegabit illis beatitudinem naturalem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod illa dona non sint cum peccato originali incompatibilia: beatitudo autem naturalis cum illo stare non possit: cum importet conversionem ad Deum ut auctorem naturæ; peccatum vero originale a Deo nedum ut auctore gratiæ, sed etiam ut auctore naturæ, avertat.

## CONCLUSIO III.

*Parvuli cum solo originali decedentes, non patientur pœnam sensus, seu gehennam ignis.* Est communis (*contra Ariminens. Driedonem quosdam alios*).

*Prob.* 1. Ex Script. Apocal. 18. ubi dicitur: *quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Unde sic arguo: pœna sensus correspondet culpæ pro delectatione quam causat, sed in culpa originali nulla delectatio invenitur; ergo pœna sensus non correspondet culpæ originali, nec habet proportionem cum illa.

*Prob.* 2. Ex Innoc. III. (*cap. Majores de Baptismo*) dicente: *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ubi prior pars videtur intelligenda de carentia visionis Dei cum exclusione cruciatus gehennæ; alias eædem pœnæ corresponderent peccato originali, quæ actuali; quod esse falsum declaravit Eugenius IV. in Concil. Flor. his verbis: *animæ illorum qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, descendere mox in infernum, pœnis tamen disparibus puniendas.* Dicendo autem pœnas *dispares*, non autem inæquales, satis significat utriusque peccati pœnas esse specie, non autem intensione tantum diversas.

*Prob.* 3. Auctoritate & ratione D. Thom. (*quæst. 5. de malo art. 2. in corp.*) *pœna*, inquit, *proportionatur culpæ; & ideo peccato actuali mortali; in quo invenitur aversio ab incommutabili bono & conversio ad donum commutabile, debetur & pœna damni ... respondens aversioni, & pœna sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ a justitia originali: & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ.* (*D. Thomæ consentiunt D. Bonavent. Magister Scotus, Estius, &c.*)

*Objicies* 1. Scriptura de Christo dicit (*Matth. 3. vers. 12.*): *permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili:* atqui parvuli sine Baptismo decedentes non sunt triticum, sed paleæ; ergo, &c.

*Resp. ad maj.* Hanc parabolam non spectare infantes non baptizatos, ex qua proinde nihil de illorum pœnis concludi potest; nam per *aream* intelligitur Ecclesia catholica, in qua sunt boni malis admixti, ut triticum paleis; infantes non baptizati nunquam fuerunt in Ecclesia; ergo.

*Objicies* 2. Matth. 13. dicitur: *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare .... sic erit in consummatione sæculi; exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Atqui parvuli non Baptizati erunt de numero malorum, de quibus loquitur Christus; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Certum est enim hic per *sagenam* intelligi Ecclesiam; & ideo scriptura loquitur de extremo judicio, prout spectabit eos qui fuerint in Ecclesia, in qua nunquam fuerunt infantes.

*Inst.* Parvulis in extremo judicio dicetur: *ite, maledicti, in ignem æternum.* Sed nomine *ignis* pœna sensus intelligitur.

*Resp. nego maj.* Illa enim Christi verba non dirigentur ad omnes reprobos qui a sinistris Judicis erunt, sed solum ad adultos; non potest enim ad parvulos spectare causa quæ ibi redditur: *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c.

*Objicies* 3. Apocal. 20. dicit D. Joannes: *vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ .... & qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis:* atqui parvuli non erunt scripsi in libro vitæ; ergo.

*Resp.* Scriptura loquitur de solis adultis, qui judicabuntur ex propriis operibus, ut patet ex his verbis intermediis: *& judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

*Inst.* D. Joannes loquitur *de magnis & pusillis*; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Nam per *pusillos* non intelligit ætate aut statura, sed dignitate & gradu exiguos, ut sunt servi, ancillæ, &c.

*Objicies* 4. D. Aug. (*Serm. 14. de verbis Apost.*) & alii Patres (*D. Fulgent. relatus cap. firmissime de conseq. distinct. 4. D. Gregor. l. 8. & 9. Moralium*) affirmat parvulos sine Baptismo decedentes, ituros in ignem æternum, juxta sententiam Domini: *ite, maledicti, in ignem æternum.* Ergo.

*Resp. dist. ant.* D. August. & alii Patres docent parvulos ituros in ignem æternum, sumendo nomen *ignis* pro pœna damni, *conced.* pro pœna sensus, *nego ant.* Illi enim Patres sumunt speciem pro genere.

Ita respondent DD. Bonaventura, Thomas, & Glossa.

1. D. Bonavent. respondet (*in 2. dist. 33. art. 3. qu. 1.*): *quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere quod parvuli sensibiliter crucientur: sed in-*

*intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum ad vilitatem loci, & hoc valde abundanter exprimit, plus dicens & minus volens intelligi. Nec sine causa loquitur sic: hoc enim facit ad extirpandam illam hæresim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri.*

2. D. Thom. (*q.* 5. *de malo art.* 2. *ad* 1.) respondet: '*dicendum quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum Patrum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ita ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi.*

3. Glossa (*in caput nulla de consec. dist.* 4.) ait: *& hæc carentia* (visionis Dei) *est pœna ignis, de qua intelligendus est Canon* firmissime, *desumptus ex Fulgentio.*

*Objicies* 5. Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus; patiuntur enim famem, sitim, morbum, &c. Ergo & in alia vita, &c.

*Resp. nego conseq.* Nam afflictiones hujus vitæ non infliguntur proprie & directe parvulis in pœnam peccati originalis, ait Bellarminus, sed indirecte tantum quatenus consequuntur naturam humanam spoliatam justitia originali, quæ hos naturales effectus impedivisset.

*Inst.* 1. Parvuli post diem judicii non habebunt corpora gloriosa, sed passibilia; ergo in inferno aliquid patientur ab igne.

*Resp. nego conseq.* Nam post judicium cessabit ortus & interitus rerum naturalium, quæ non amplius agent in se mutuo actione corruptiva, unde agent tantum in instrumenta divinæ justitiæ; quare cum divinæ justitiæ ratio non exigat ut infantium corpora ignem patiantur, immunia erunt a cruciatu ignis, quamvis alioqui non gloriosa, sed cæterorum damnatorum corporibus similia sint futura.

*Inst.* 2. Peccatum veniale quod levius est originali, punitur in altera vita pœna sensus; ergo multo magis originale.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod peccatum veniale sit voluntate propria commissum; originale vero non nisi voluntate aliena; & cum pœna sensus correspondeat propriæ voluntati, non mirum est, si veniale pœna sensus puniatur, cum originale sola pœna damni mulctetur.

# TRACTATUS PRIMUS.

## DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

*Nota.* Quæ ad virtutes in communi spectant, ad earum essentiam, divisioenm, et proprietates reducemus, duobus capitibus.

### CAPUT PRIMUM.

*De essentia & divisione virtutis.*

Quæres 1. *Quid sit virtus?*

*Resp.* Virtus est *bona qualitas mentis, qua recte vivitur & nemo male utitur.* Ita DD. August. & Thomas.

Dicitur 1. *qualitas*, quia advenit subjecto jam in suo esse constituto; & cum sit a subjecto difficile mobilis, remaneatque actu peracto, est de genere habitus.

Dicitur 2. *bona:* quia bene disponit subjectum, tum ad se, reddendo illud bonum; tum ad operationem, reddendo illam morum regulis consentaneam.

*Dicitur* 3. *mentis:* quia ad virtutis exercitium cognitio & libertas sunt necessariæ, quibus fruitur sola mens rationalis quatenus est prædita intellectu & voluntate.

Dicitur 4. *qua*, tamquam operationis principio elicitivo proximo & immediato.

Dicitur 5. *recte vivitur*: nempe vita operationis, quia inclinat subjectum cui inhæret, ad opus rectæ rationi consonum.

Dicitur 6. *& nemo male utitur:* quia si quis in malum finem utatur virtute, desinet esse virtus, eritque vitium: sic cum quis ex vana gloria movetur ad eliciendum actum virtutis, exercet actum malum, quia non virtus, sed vana gloria est principium actionis.

Quæres 2. *Quotuplex sit virtus?*

*Resp.* Virtus dividitur in intellectualem, moralem & theologicam.

Virtutes *intellectuales* sunt eæ quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; sunt quinque; nempe *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, *prudentia*, & *ars*, de quibus in Logica.

Virtutes *morales* sunt eæ, quæ perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis. Quatuor sunt præcipuæ, quæ ideo dicuntur cardinales; *prudentia* nimirum, *fortitudo*, *temperantia*, & *justitia.*

Virtutes *Theologicæ* sunt eæ, quæ circa Deum immediate versantur; vel quatenus est summa veritas, ut fides; vel quatenus est summum nostrum bonum, ut spes; vel quatenus est summa bonitas infinite propter se amabilis, ut charitas. Hinc religio non est una ex virtutibus Theologicis, eo quod immediate circa Deum non versetur, sed tantum circa cultum ei debitum.

CA-

## CAPUT II.

*De proprietatibus Virtutis.*

*Nota.* Tres numerantur virtutis proprietates, nempe supernaturalitas, mediocritas, & connexio, de quibus:

### ARTICULUS I.

*De supernaturalitate virtutis.*

*Nota* 1. Aliqua virtus potest esse infusa dupliciter: 1. Per se; 2. Per accidens.

Virtus infusa *per se*, est ea quæ a solo Deo potest haberi.

Virtus infusa per *accidens*, est ea quæ licet humano labore possit acquiri, speciali tamen Dei gratia in animam infunditur, ut homo non humano & naturali, sed divino & supernaturali modo, operetur.

*Nota* 2. De fide est definitum in Concil. Trident. (*Session.* 6. *cap.* 7.) virtutes Theologicas esse per se infusas *in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum.* Unde solum controvertitur inter Theologos, utrum dentur etiam virtutes morales per se infusæ cum gratia sanctificante; quæ ut solvatur,

*Dico: Dantur virtutes morales per se infusæ.*

*Prob.* Ex Script. Sap. 8. ubi dicitur: *Sobrietatem & prudentiam docet* (divina sapientia) *& justitiam & virtutem, quibus nihil est utilius in vita hominibus.* Et infra, *scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Atqui quod Deus docet & dat, habetur solum per infusionem a Deo; ergo dantur aliquæ virtutes morales necessario infusæ a Deo. Hinc Clemens V. (*In Concil. Vienn.*) *declarat opinionem quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismum informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem sacro approbante Concilio, duximus seligendam.*

*Objicies* 1. Virtus per se inclusa debet habere motivum intrinsecum supernaturale, cum sit secundum entitatem supernaturalis: atqui motivum intrinsecum virtutis moralis, v. g. temperantiæ, non est supernaturale; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Motivum intrinsecum temperantiæ, est mediocritas in cibo & potu; sed hæc mediocritas non excedit ordinem naturæ; ergo motivum intrinsecum temperantiæ non est supernaturale.

*Resp. dist. min.* Mediocritas in cibo & potu, constituta per prudentiam naturalem, & in ordine ad finem naturalem, non excedit ordinem naturæ, *conc. min.* constituta per prudentiam infusam & in ordine ad finem supernaturalem, *nego min.* Virtus enim constituta per prudentiam naturalem solum respicit moralem honestatem prout est rectæ rationi consentanea, constituta vero per prudentiam infusam respicit divinam honestatem, prout cultui divino & pietati Christianæ conformem.

*Objicies* 2. Si virtutes morales cum gratia infunderentur, expellerent a justificato vitia præexistentia; atqui consequens est contra experientiam qua videmus recenter conversos non minus vitiis addictos ac antea; ergo.

*Resp. nego sequel. maj. Probatur:* Contraria non possunt esse simul, sed mutuo sese expellunt a subjecto; atqui vitia & virtutes sunt directe contraria; ergo si virtutes morales cum gratia infunderentur, expellerent a justificato vitia præexistentia.

*Resp. dist. min.* Vitia & virtutes acquisitæ sunt directe contraria, & sese mutuo expellunt a subjecto, *conc. min.* at vitia & virtutes infusæ, *nego min. & conseq.* Itaque vitia directe sunt contraria virtutibus acquisitis, & invicem ex anima sese expellunt, quia inter se pugnant in eodem genere habitus naturalis; at vitia non opponuntur directe & proprie virtutibus infusis, quia cum vitia sint naturalia, & virtutes infusæ supernaturales, non pugnant inter se in eodem genere habitus; unde nihil mirum, si vitia adhuc remaneant introductis virtutibus infusis, necesseque sit ea per virtutum acquisitarum studium expellere.

### ARTICULUS II.

*De mediocritate virtutis.*

*Nota.* Duplex est medium virtutis, nempe medium rei, & medium rationis.

Medium *rei*, est illud quod ita est ex natura rei determinatum & fixum, ut sit semper unum & indivisibile, nec varietur pro loco, tempore, & persona.

Medium *rationis*, est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore & persona, juxta prudentis æstimationem, propter quam æstimationem vocatur medium rationis.

*Dico* 1. *Virtutes Theologicæ & intellectuales non consistunt in medio per se & ex parte objecti.*

*Prob.* Illæ virtutes non consistunt in medio contra quas non potest peccari per excessum: atqui contra virtutes Theologicas & intellectuales non potest peccari per excessum; siquidem nullus potest nimis Deo credere, nimis in Deum sperare, nimis eum amare, nimis esse sapiens, intelligens, doctus, &c. Ergo.

Dixi *per se & ex parte objecti:* quia per accidens & ex parte subjecti requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium & conditionem.

*Dico* 2. *Omnes virtutes morales consistunt in medio.*

*Prob.* Illæ virtutes, contra quas peccari potest per excessum & per defectum, consistunt in medio; atqui contra omnes virtutes morales peccari potest per excessum & defectum; ergo &c. *Prob. minor.* Contra temperantiam peccari potest *per excessum* nimis manducando vel bibendo; aut *per defectum*, non sumendo quæ necessaria sunt ad vitæ conservationem; contra fortitudinem peccari potest *per defectum*, pericula nimis pertimescendo; vel *per excessum*, periculis sine causa sese committendo; & sic de cæteris virtutibus moralibus; ergo.

Ad

Adverte tamen differre justitiam ab aliis virtutibus moralibus, quod istæ consistant in medio rationis tantum quod definitur juxta propriam subjecti dispositionem, justitia vero consistat in medio rationis & rei simul; & quidem 1. In medio rationis determinantis tempus, locum, &c. in quibus reddi debet res aliena. 2. In medio rei, quia debet facere æqualitatem rei ad rem, ita ut debeat solvere centum qui debet centum, in quo consistit medium rei.

### ARTICULUS III.

*De connexione virtutum.*

*Nota* 1. Nec virtutes intellectuales, nec Theologicæ habent inter se necessariam connexionem; constat enim experientia scientiam posse reperiri in homine absque arte, & artem absque scientia; pariter fide certum est fidem & spem in multis charitate destitutis remanere; difficultas ergo solum est de virtutibus moralibus.

*Nota* 2. Virtutes morales spectari possunt in statu perfecto, vel imperfecto.

Virtus in *statu perfecto*, est ea quæ tam perfecte possidetur, ut omnibus contrariis facile possit resistere.

Virtus *in statu imperfecto*, est ea quæ non est ita obfirmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, sed simplicis tantum dispositionis, quæ inclinat quidem subjectum ad bene operandum, sed non adeo fortiter ut omnem difficultatem vincere possit. His notatis

*Dico. Virtutes morales consideratæ in statu imperfecto non sunt necessario inter se connexæ; secus vero si in statu perfecto considerentur.*

*Prob.* 1. *pars:* Illi habitus non sunt inter se connexi, quorum unus potest haberi sine alio; atqui una virtus in statu imperfecto potest haberi sine alia, idque experientia satis convincit, cum videamus multos esse promptos, non solum ex naturali complexione, sed etiam ex quadam assuetudine acquisita, ad opera misericordiæ, qui tamen non sunt prompti ad opera castitatis; ergo.

*Prob.* 2. *pars:* Virtus, quæ est in statu perfecto, efficit ut quis lubenter & sine mora, in propria illius virtutis materia operetur; at nemo qui vel una virtute destitutus fuerit, sic se gerit; idque videre est in muliere casta, sed avara vel meticulosa; si enim ingens illi offeratur pecuniæ quantitas, vel minæ mortis ei intententur, haud difficile patietur castitatis detrimentum. *Hinc persuadent Philosophi*, ait D. August. (*epist.* 28.) *qui unam virtutem habuerit, habere omnes, & omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse: nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia fortis, & justa, & temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras.*

*Objicies* 1. Unius virtutis acquisitio non pendet ab actibus aliarum virtutum; ergo nec ejus conservatio; non enim major vis ad rei conservationem, quam ad illius productionem requiritur.

*Resp. conc. ant. dist. conseq.* Conservatio virtutis sumptæ in statu imperfecto non pendet ab aliis virtutibus, *conc. conseq.* per unam quippe virtutem appetitus remanet debite ordinatus circa aliquam materiam particularem. Sumptæ in statu perfecto, *nego conseq.* Quia virtus in statu perfecto dicit rectitudinem, quæ circa materiam aliquam particularem firma sit, constans & difficillime mobilis, quod non potest fieri sine omnium virtutum consortio, ut ostensum est.

*Objicies* 2. Conjugatus potest habere castitatem in statu perfecto, quamvis habere non possit virginitatem; ergo illæ virtutes non sunt necessario connexæ.

*Resp. dist. conseq.* Non sunt necessario connexæ in subjecto incapaci illarum virtutum, *conc. conseq.* in subjecto capaci, *nego conseq.* Porro nostra propositio debet intelligi de virtutibus moralibus, quarum subjectum est capax, non vero de illis quarum est incapax; conjugatus vero qui voluptates venereas expertus est, non est capax castitatis virginalis, sed dumtaxat conjugalis.

# TRACTATUS SECUNDUS
## DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

*Nota.* Cum tres sint virtutes Theologicæ, hunc Tractatum in totidem dissertationes distribuemus; ideo sit

### DISSERTATIO I.

*De Fide Theologica.*

*Nota.* Multiplex est acceptio nominis *fidei* apud Scriptores sacros:

1. Enim sumitur pro fidelitate in promissis, *perseverate adhuc conservare ad nos fidem* (1. *Machab.* 10. *ver.* 27.).

2. Pro conscientia, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* (*Rom.* 4. *v.* 2.)

3. Pro fiducia postulata assequendi: *postulet autem quis in fide nihil hæsitans.* (*Jacobi* 1. *v.* 6.)

4. Pro doctrina Catholica; sic Deus Angelo Pergami dicit: *non negasti fidem meam.* (*Apocal.* 2. *vers.* 13.)

5. Tandem pro assensu quem intellectus ex imperio voluntatis præbet veritatibus quibusdam propter

pter auctoritatem dicentis, quæ si sit hominis, erit fides humana; si Dei, erit fides divina. De hac sola hic agimus exponendo 1. Ejus essentiam & divisionem. 2. Objectum materiale. 3. Objectum formale. 4. Subjectum. 5. Proprietates. 6. Vitia opposita, totidem capitibus; de regulis autem fidei agemus in nostra Theologia positiva.

## CAPUT PRIMUM.

### *De essentia & divisione Fidei.*

Quær. 1. *Quid sit fides?*

*Resp.* 1. Definitur ab Apostolo (*Hebr.* 21. *v.* 1.) *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Dicitur 1. *Substantia;* id est basis & fundamentum spei, quo sublato corrueret spes nostra.

Dicitur 2. *Rerum sperandarum:* non quod sola quæ speramus, credamus, cum plurima credamus quæ spei nostræ objectum esse nequeunt; sed quia Deus quem speramus, præcipuum est fidei objectum ad quod cætera omnia revelata referuntur, vel ut effectus ad principium, vel ut media ad finem, &c.

Dicitur 3. *Argumentum non apparentium:* id est, juxta textum græcum *convictio*, quia intellectus adeo firmiter revelatis adhæret, ac si evidentissime sibi apparerent.

Verum cum hæc Apostoli definitio non sit *essentialis*, sed *descriptiva* tantum; utpote quæ fidei effectus exponat, firmitatem nempe & obscuritatem, aliam exactiorem juxta Scholasticam methodum proferunt Theologi, cum quibus

*Resp.* 2. Fides est *virtus Theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis.*

*Prob.* Bonitas definitionis; illa definitio est bona, & accurata, quæ constat genere & differentia; atqui prædicta definitio talis est; voces enim illæ: *virtus Theologica divinitus infusa*, conveniunt spei & charitati, adeoque tenet locum generis. Aliæ vero soli fidei sunt propriæ, ideoque tenent locum differentiæ, ut ex dicendis patebit.

*Dices:* In illa fidei definitione desunt hæc verba: *& ut credenda per Ecclesiam proposita*; ergo non est accurata, sed manca illa definitio.

*Resp. nego conseq.* Illa enim definitio non est manca, cui nihil deest essentiale; atqui nostræ definitioni nihil deest essentiale; nam illud non est essentiale fidei, sine quo potest esse fides Theologica; atqui sine revelatorum propositione facta per Ecclesiam potest esse fides Theologica; tum quia in Adamo & Abrahamo vera fuit fides Theologica, quamvis articulorum quos credebant, revelatio illis per Ecclesiam proposita non fuisset; tum quia ex Concilii Trid. definitione (*Sess.* 6. *can.* 6.) potest quis certitudine fidei credere, se in gratia perseveraturum, *si speciali revelatione* id ab ipso Deo immediare acceperit; ergo supponit alicujus rei fidem absolute stare posse absque eo quod Ecclesia factam revelationem proposuerit.

*Inst.* D. Aug. (*l. cont. Ep. fund. c.* 4.) ait: *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas:* ergo propositio Ecclesiæ essentialis est ad fidem Theologicam.

*Resp. dist. conseq.* Propositio Ecclesiæ est essentialis ad fidem Theologicam, Catholicam & universalem, *conc.* ad fidem Theologicam alicujus particularis cui fideret revelatio, *nego cons.* De prima loquitur D. Aug. cum loquatur de fide in hoc statu religionis jam stabilitæ, in quo Deus per se ipsum credenda singulis immediate non revelat, & in quo consequenter præter Dei revelationem, requiritur fidei propositio facta ab Ecclesia, *quæ est columna & firmamentum veritatis.*

Quæres 2. *Quotupliciter fides Theologica dividitur?*

*Resp.* Dividitur 1. in actualem & habitualem.

Fides *actualis* est actus quo intellectus ex imperio voluntatis per gratiam excitatæ, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis.

Fides *habitualis* est habitus nobis a Deo infusus, actuum fidei elicitivus cum auxilio gratiæ actualis.

2. Dividitur in explicitam & implicitam.

Fides *explicita* est ea, qua alicui speciali & determinato fidei articulo assentimur; puta Trinitati personarum, Incarnationi Verbi &c.

Fides *implicita* est ea, qua generatim omnibus a Deo revelatis, & ab Eccelsia propositis assentimur, nulla determinatione facta ad aliquem particularem articulum.

3. Dividitur in vivam & mortuam.

Fides *viva* est ea, quam observatio mandatorum comitatur. Vocatur ab Apostol. (*Hebr.* 21. *cap.* 1.) *fides quæ per charitatem operatur.*

Fides *mortua* est ea quam mandatorum observatio non comitatur; *fides sine operibus mortua est*, ait D. Jacob. cap. 4.

4. Dividitur in formatam & informem.

Fides *formata* est ea, quæ in homine adjunctam habet charitatem & gratiam justificantem, qua tamquam extrinseca sui forma perficitur.

Fides *informis* est quæ caritate destituta manet. Talis est fides catholici peccato mortali coinquinati; diciturque *informis*, non quod careat firma fide secundum quam est vera virtus, sed quod caret charitate, quæ est forma extrinseca virtutum, per quam habet ut sint Deo gratæ & meritoriæ.

## CAPUT II.

### *De Objecto materiali fidei.*

*Nota* 1. Objectum materiale adæquatum fidei, est collectio omnium veritatum a Deo revelatarum.

Dividitur 1. in objectum primarium, seu attributionis, & secundarium, seu attributum.

Objectum *attributionis* est illud, ad quod cætera omnia revelata referuntur: & est Deus cum suis perfectionibus: nam cætera omnia ideo revelata sunt, ut Deus melius cognoscatur, & magis ametur.

Objectum *attributum* est illud omne, quod ad objectum primarium refertur; & sunt cætera omnia revelata.

Di-

Dividitur 2. *in articulos fidei*, qui sunt veritates primariæ, quarum fides explicita est ad salutem necessaria; & in *puncta fidei*, quæ sunt veritates secundariæ, quarum fides implicita (qua nimirum generatim creditur quidquid Deus revelavit, & credit Ecclesia, sufficit ad salutem consequendam. Porro tum articuli fidei, tum puncta fidei sunt dogmata fidei.

*Nota* 2. Circa objectum materiale fidei quærimus,

1. An quodlibet objectum materiale fidei æque pertineat ad fidem. 2. Utrum objectum illud quoad articulos, creverit successu temporis. 3. In quibus symbolis contineantur articuli fidei. 4. An ea quæ deducuntur ex veritatibus revelatis, sint de objecto materiali fidei, seu de fide.

## QUÆSTIO I.

*Utrum quodlibet objectum materiale fidei æque pertineat ad fidem?*

*Nota.* Novatores distinguunt inter articulos fidei fundamentales, & non fundamentales. Per articulos *fundamentales* intelligunt certos quosdam articulos, quos credere necessarium est, & sufficit ad salutem consequendam. Per articulos *non fundamentales* intelligunt certos quosdam articulos, quibus non obstante qualibet Ecclesiæ & Conciliorum generalium definitione cognita, liberum est dissentire absque salutis dispendio & fidei Catholicæ unitatis disruptione. Contra quos

*Dico: Singula objecta fidei supernaturalis cujuscumque conditionis illa sint, æque pertinent ad fidem.*

*Prob.* 1. Quidquid æque participat rationem formalem alicujus habitus, illud æque attingitur a tali habitu, & per consequens æque ad eum pertinet; atqui singula objecta fidei supernaturalis quæcumque illa sint, æque participant rationem formalem, seu motivum fidei nostræ supernaturalis, nempe divinam veritatem revelantem; ergo singula objecta fidei supernaturalis æque pertinent ad fidem. *Prob. min.* Divina veritas revelans est una & eadem sicut unus est Deus, & ipsa eodem modo applicatur singulis veritatibus fidei, (ut patebit infra agendo de objecto formali fidei); ergo singula objecta fidei æque participant primam veritatem: *consequentia* patet, nam quod unum & idem est, eodemque modo pluribus applicatur, illud æque ab illis omnibus participatur.

*Prob.* 2. Si singula objecta fidei supernaturalis non æque pertinerent ad fidem, posset quis salvari quibusdam veritatibus fidei dissentiendo; atqui falsum *conseq.* Ergo. *Prob. sequel. maj.* Nullus hæreticus potest salvari in sua hæresi, quia, ut ait Apost. (*Ad Tit.* 3. *v.* 11.) *subversus est qui ejusmodi est & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Quia scilicet sponte & pertinaciter se a tota Ecclesia separat, extra quam non est salus, sed certa damnatio (*Ita explicant DD. Hieronym.*, *Anselmus & alii*); atqui qui dissentit cuicumque veritati a Deo revelatæ & sufficienter ut talis ab Ecclesia propositæ, est hereticus, & habendus *sicut Ethnicus & Publicanus* (*Matth.* 18. *v.* 17.) Ergo qui dissentit cuicumque veritati a Deo revelatæ & sufficienter propositæ, non potest salvari quandiu dissentit. Ergo falsum est singula objecta fidei non æque pertinere ad fidem; ergo falsa est distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium a recentioribus hæreticis efficta.

*Objicies* 1. D. Thom. (2. 2. *q.* 1. *art.* 6. *ad* 1.) ait: *aliqua sunt credibilia de quibus est fides secundum se .... sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis, & alia hujusmodi .... alia vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia .... sicut quod Abraham habuit duos filios &c.* atqui quod non est credibile per se, sed tantum propter aliud, non est; æque credibile ac illud quod est credibile per se; ergo non æque pertinebit ad fidem infusam.

*Resp. nego min.* Nam omnia credibilia cujuscumque sint conditionis, sunt æque credibilia; quia æque participant formale motivum fidei infusæ & æque fundantur in testimonio Dei revelantis.

*Inst.* 1. Credibilia per se, & credibilia per accidens non sunt sibi invicem paria; ergo non sunt æque credibilia.

*Resp. dist. ant.* Non sunt paria, si per comparationem *ad fidem supernaturalem* spectentur, *nego antec.* quia sic æque fundantur in testimonio Dei. Si per comparationem *ad finem præcipuum ipsius fidei* spectentur, *conc. ant.* nam ad hunc finem qui est cognitio & amor Dei ut est nostra beatitudo, non omnia revelata æqualiter conferunt; unde Div. Thom. sese explicans (*Ibidem*) ait: *quia vero fides principaliter est de his quæ videnda speramus in patria, secundum illud Hebr.* 11. fides est sperandarum substantia rerum, *ideo per se pertinent ad fidem illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi, & alia hujusmodi.*

*Inst.* 2. Inter res revelatas a Deo quædam sunt necessariæ, v. g. quod Deus sit unus, trinus &c. aliæ contingentes, v. g. quod canis Tobiæ moverit caudam in adventu heri sui; ergo res revelatæ non habent eandem veritatem.

*Resp. dist. conseq.* Non habent eandem veritatem *in esse rei*, quæ consistit in ipsa actuali principiorum rei connexione inter se, *conc. conseq.* non habent eandem veritatem *in esse credibilis*, quæ consistit in ipsa conformitate rei cum testimonio Dei revelantis, *nego conseq.* Hic autem tantum consideramus res revelatas secundum veritatem *in esse credibilis.*

*Inst.* 3. Atqui non omnia revelata habent parem veritatem *in esse credibilis.* Ergo.

*Prob. subs.* Inter objecta nostræ fidei unum est magis revelatum, quam aliud; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Inter revelata datur aliquod quod est expressius, imo & sæpius revelatum, quam aliud; ergo &c.

*Resp. neg. conseq.* Nam major expressio rei revelatæ se tenet tantum ex parte modi quo talis revelatio fit, qui cum sit accidentalis revelationi, non variat ejus substantiam, quæ in hoc consistit ut aliquod sit a Deo revelatum.

*Ob-*

*Objicies* 2. Inter revelata, multa sunt quæ videntur parvi, vel nihili referre ut credantur; v. g. quod canis Tobiæ moverit caudam &c. ergo in hujusmodi rebus licet quidlibet sentire salva fide & salute.

*Resp. nego ant.* Multum enim refert quod Deus locutus sit: porro qui dissentit rebus a Deo revelatis, vilipendit ejus summam in dicendo veracitatem, quod est summe injuriosum.

*Objicies* 3. Catholici admittunt distinctionem articulorum fundamentalium, & non fundamentalium; ergo sunt aliqui articuli, quibus licet dissentire salva fide & salute.

*Resp. nego conseq.* Quia Catholici per articulos *fundamentales* intelligunt tantum veritates revelatas, quæ necessario debent credi explicite ad salutem consequendam; per articulos non fundamentales intelligunt tantum veritates a Deo revelatas, quarum fides explicita non est necessaria necessitate medii ad salutem, quarum proinde ignorantia invincibilis non impedit salutis consecutionem; unde toto cælo Catholici dissentiunt ab Hæreticis.

## QUÆSTIO II.

*Utrum articuli fidei successu temporis creverint?*

*Nota* 1. Articulus fidei definitur: *propositio Catholica habens principii rationem in fide, specialemque ab aliis articulis ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda.*

Dicitur 1. *Prop. Catholica:* id est, quæ spectat universalem Ecclesiæ fidem.

Dicitur 2. *Habens rationem principii:* id est, pertinens ad præcipua Fidei capita, e quibus educuntur conclusiones & puncta Fidei.

Dicitur 3. *Specialem difficultatem habens:* sic hoc caput Fidei: *Christus passus est*, habet specialem difficultatem ab hoc capite: *resurrexit a mortuis*; ideoque articulus Passionis est distinctus ab articulo Resurrectionis; at quod Christus sit *passus*, *mortuus*, *sepultus*, licet sint tria puncta Fidei, est tamen unicus articulus, quia non habent nisi unam & eandem difficultatem.

*Nota* 2. Articuli Fidei dicuntur crescere secundum substantiam, dum aliquis de novo revelatur a Deo; dicuntur vero crescere secundum explicationem, dum revelatio olim a Deo obscure facta & controversa, per infallibilem controversiarum Judicem, certificatur.

*Dico. Articuli Fidei successu temporis non creverunt secundum substantiam, sed dumtaxat secundum majorem explicationem.*

*Prob. 1. pars:* ex Apost. qui (2. *ad Cor.* 4. *v.* 13.) conferens Patres veteris Testamenti cum iis qui sunt sub novo, ait, *Habentes eumdem spiritum Fidei, sicut scriptum est: credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod loquimur.* Ergo Patres veteris Testamenti unam & eandem nobiscum Fidem habuerunt; unde August. (*serm.* 7. *de Sanctis*) dicit: *unam esse Fidem veteris & novi Testamenti.*

Confirmatur auctoritate & ratione D. Thom. (2. 2. *q.* 1. *art.* 7. *in corp.*) dicentis. *Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse, & providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud Hebr.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Atqui omnes quotquot fuerunt Fideles ab initio mundi, vel erunt usque ad finem ejus, crediderunt istis duobus articulis, vel credent; alias qui fuerunt, non potuissent, & qui erunt, non possent accedere ad Deum, ut significat hæc particula *oportet*, quæ necessitatem *medii* importat.

*Prob.* 2. *pars.* Illi articuli successu temporis creverunt quoad explicationem qui uberius, clarius & expressius ab Ecclesia explicati sunt & propositi tamquam de Fide credendi; atqui plures articuli uberius, clarius & expressius ab Ecclesia successu temporis explicati sunt, &c. ergo. *Prob. min.* Ecclesia occasione insurgentium hæresum varias propositiones definivit, expliciteque credendas Fidelibus exhibuit, quæ in Scriptura aut Traditione implicite tantum & quoad substantiam continebantur; sic ut Arius Verbi cum Patre consubstantialitatem impugnavit, Ecclesia in primo Concilio Nicæno, libratis in utramque partem Scripturarum & Traditionis momentis, ex speculiari Spiritus sancti assistentia, definivit Scripturarum & Traditionis sententias, in quibus Verbi divini fit mentio, veram ejus cum Patre consubstantialitatem tradere; ergo plures articuli uberius, clarius & expressius ab Ecclesia successu temporis explicati sunt & propositi de Fide credendi. Ergo.

## QUÆSTIO III.

*De Symbolis, in quibus continentur articuli Fidei.*

*Nota* 1. Nomine Symboli Fidei intelligitur: *summa quorumdam præcipuorum Fidei articulorum omnibus Fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab infidelibus.*

*Nota.* 2. Tria sunt Fidei symbola.

1. Est *Apostolicum*, quod a cunctis Fidelibus in oratione quotidiana recitatur.

2. *Est Nicænum*, quod in Conc. Nicæno primo contra impietatem Arii conditum est anno 325. & in Constantinopol. primo actum contra impietatem Macedonii negantis divinitatem Spiritus sancti; unde licet Patres Constantinopolitani tradant symbolum quod aliqui vocant *Constantinopolitanum*, solum intendunt tradere Nicænum paulo explicatius & uberius quam sit editum a suis primis auctoribus; unde vocatur ab aliis *Nicæno-Constantinopolitanum*; & illud est quod publice decantatur inter Missarum solemnia.

3. Est *Athanasianum*, quod incipit his verbis: *Quicumque vult salvus esse*, &c.

*Nota* 3. Circa symbolum *Nicænum* nulla est controversia; certum est enim illud habere auctoritatem veri & legitimi Concilii, ut fatentur Hæretici.

Circa symbolum *Athanasianum* controvertitur inter eruditos, utrum sit verus fœtus Div. Athanasii, sed quidquid sit de hac controversia, quæ est meri facti, certum est 1. illud continere doctrinam quam D. Athanasius mira eruditione & patientia, ad mortem usque propugnavit. Certum est

est 2. auctoritatem hujus symboli non provenire præcise & immediate a D. Athanasio, sed ab Ecclesia quæ illud probavit, & sua auctoritate sancivit legendum & decantandum in Ecclesia.

Circa symbolum *Apostolorum*, Erasmus (*Præfat. in paraphrases in sanctum Matthæum*,) dubitat an sit conditum ab Apostolis; Calvinus, (*L. 2. Institut. cap.* 16. §. 18.) & ejus discipuli fatentur quidem illud symbolum vocari *Apostolicum* eo quod contineat doctrinam ab Apostolis traditam, sed negant illud fuisse ab Apostolis conditum, contra quos

*Dico: Symbolum Apostolorum ab ipsis Apostolis fuit conditum, non solum quoad doctrinam in eo contentam, sed etiam quoad formulam sub qua ordinatur.*

*Probat.* Ex traditione Patrum primorum sæculorum.

1. Sanctus Clemens Epist. ad S. Jacobum (*Turrianus L. 2. pro Epistolis Pontificum probat hanc Epist. esse veram & legitimam*) sic scribit: *adhuc in uno positi* (Apostoli) *symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque quod sentit, dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Quid expressius?

2. Sanctus Irenæus (*L. 1. adversus hæreses cap.* 2.) dicit: *Ecclesia .... ab Apostolis & a discipulis eorum accepit eam Fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem.*

3. Lucifer Calaritanus (*L. 2. ad Constantium Imperatorem*) loquens de Symbolo Apostolorum, appellat illud *formam disciplinæ & regulam Fidei per Apostolos traditam.* Ergo.

*Confirm.* Ex hac regula a S. Aug. (*L. 4. de Bapt. cap.* 24.) tradita: *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Atqui istud symbolum universa a primis etiam sæculis tenet Ecclesia, nec ullum potest proferri Concilium a quo institutum sit; ergo merito creditur ab Apostolis esse traditum; unde opposita sententia ad minus est temeraria.

*Objicies* 1. Quidquid est compositum ab Apostolis, est Scriptura sacra; atqui Symbolum non est Scriptura sacra; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quidquid est compositum scripto, *conc. maj.* verbo tantum, *nego maj.* Porro Symbolum Apostolorum fuit ab ipsis solummodo traditum, ut memoria retinendum. (*Ita docent D. Hieron. Rufinus & alii.*)

*Inst.* D. Lucas qui scripit Acta Apostolorum, non meminit illius Symboli; ergo.

*Resp. nego conseq.* Neque enim D. Lucas omnia dicta & facta Apostolorum scripsit, sic non meminit Evangelii a D. Matthæo conscripti.

*Objicies* 2. In illo Symbolo dicitur: *credo in Ecclesiam Catholicam*, id est, ubique diffusam; atqui tempore Apostolorum Ecclesia non erat Catholica; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Non erat Catholica actu, *conc. min.* potentia proxima, *nego min.* Quando itaque Apostoli ediderunt Symbolum, Ecclesia proxima futura erat Catholica, quod eis certo constabat tum ex prophetia Davidis (*Psalm.* 25.) *in omnem terram exivit sonus eorum &c.* tum ex mandato quod acceperunt a Christo Ecclesiam per universum orbem diffundendi, *euntes docete omnes gentes* (*Matth.* 28. *v.* 20.) quod sufficiens eis erat ut apponerent in Symbolo hanc vocem, *Ecclesiam Catholicam.*

## QUÆSTIO IV.

*Utrum ea quæ deducuntur ex veritatibus revelatis, de objecto materiali Fidei, seu de Fide?*

*Nota.* Revelatio est *veritatis obscuræ manifestatio a Deo facta creaturæ rationali.* Alia est formalis & immediata; alia virtualis & mediata.

Revelatio *formalis & immediata* est ea, qua aliqua veritas in seipsa explicite revelatur, v. g. *Christus est homo.*

Revelatio *virtualis & mediata* est ea, qua aliqua veritas ex alia formaliter revelata, evidenter deducitur; v. g. *Christus constat unica persona.* His notatis

*Dico 1. Propositio legitime deducta ex duabus præmissis immediate revelatis est de fide divina.*

*Prob.* Propositio quæ habet pro motivo assensus divinam revelationem, est de Fide divina; atqui propositio deducta ex duabus præmissis immediate revelatis habet pro motivo assensus divinam revelationem, non vero discursum qui se tantum habet respectu assensus conclusioni datus, ut sufficiens revelationis applicatio ad illam conclusionem; ergo.

Hinc conclusio hujus syllogismi: *Deus est bonus; atqui Christus est Deus; ergo Christus est bonus*; est de fide divina.

*Dico 2. Conclusio legitime deducta ex majori universali immediate revelata & minore non revelata, sed certa, sive certitudine metaphysica vel physica, sive certitudine morali excludente omnem formidinem, est de fide.*

*Prob.* Conclusio particularis contenta in universali immediate revelata, est de fide divina; alias nec propositio illa generalis esset de fide, cum ex particularibus constet, & supponat pro illis; atqui conclusio legitime deducta ex universali immediate revelata, continetur in illa; ergo.

*Hinc* 1. Conclusio hujus syllogismi: *omnes homines aliquando morientur, sed Petrus est homo; ergo aliquando morietur*, est de fide, quia major est universalis immediate revelata, & minor est certa metaphysice.

*Hinc* 2. Conclusio hujus syllogismi; *quidquid Ecclesia definit circa fidem & mores, est de fide*, nam Ecclesia est *columna & firmamentum veritatis* (1. *ad Tim.* 3. *vers.* 15.): *atqui certum est certitudine magna morali Ecclesiam agnoscere Concilium Tridentinum ut Œcumenicum; ergo Concilium Tridentinum est Œcumenicum*; est de fide.

*Objicies:* Conclusio sequitur debiliorem partem, ergo si minor syllogismi non sit de fide divina, nec ipsa conclusio erit de fide.

*Resp. dist. ant.* Conclusio sequitur debiliorem partem, si spectetur formaliter, id est, quatenus deducitur ex præmissis, *conc. ant.* Si spectetur materialiter, id est, quatenus continetur in majori revelata, *nego ant.* Ratio est, quia motivum

assentiendi conclusioni spectate formaliter, est discursus artificialis; at motivum assentiendi conclusioni materialiter spectatæ, est divina revelatio, in qua contineri certo cognoscitur per illationem legitimam.

*Inst.* Cum Deus revelavit hanc propositionem: *omnis homo est moriturus*, non revelavit Petrum esse hominem; ergo Deus non revelavit nequidem simpliciter Petrum esse moriturum.

*Resp. nego conseq.* Quia ad hoc ut Deus revelaverit implicite Petrum esse moriturum, sufficit quod propositio particularis contineatur formaliter implicite in propositione universali, quæ non verificatur, nisi in propositionibus particularibus, pro quibus supponit.

*Dico 3. Conclusio legitime deducta ex majore universali omnino certa, sed non revelata, & ex minore immediate revelata, est de fide.*

*Prob.* Illud est de fide divina quod est mediate saltem revelatum; atqui conclusio legitime deducta ex majore omnino certa, & minore immediate revelata, est mediate saltem revelata; ergo. *Prob. minor.* Illud est mediate saltem revelata, quod continetur in veritate immediate revelatum, vel ut aliquid idem cum illa, vel ut pars, vel ut proprietas necessaria illius; atqui talis est conclusio deducta ex majore universali omnino certa, & ex minore immediate revelata; ergo &c.

Hinc conclusiones sequentium syllogismorum sunt de fide.

*Omnis homo est animal rationale; sed Christus est homo: ergo Christus est animal rationale.* Quia conclusio est quid idem cum veritate revelata.

*Omnis homo habet animal rationalem; atqui Christus est homo; ergo habet animam rationalem*, quia conclusio est pars totius immediate revelati.

*Omnis homo est risibilis; sed Chrisus est homo: ergo.* Quia conclusio est proprietas necessaria rei immediate de Christo revelatæ, nempe hominis.

*Dices:* Ista propositio *Christus est risibilis*, non est magis revelata, quam hæc major ex qua deducitur: *omnis homo est risibilis;* ergo nequidem implicite est revelata.

*Resp. nego ant.* Nam hæc prop. *Christus est risibilis*, habet necessariam connexionem cum ista immediate revelata, *Christus est homo;* sed quod habet necessariam connexionem cum veritate immediate revelata, est virtualiter & æquivalenter revelatum; ergo hæc propos. *Christus est risibilis*, est æquivalenter revelata; ergo tam digna est assensu propter testimonium Dei revelantis, quam si esset revelata formaliter.

## CAPUT III.

### *De objecto formali fidei.*

*Nota* 1. Objectum formale fidei est *immediatum motivum, propter quod credimus veritatibus à Deo revelatis.*

*Nota* 2. Cum fides versetur circa Deum quatenus est summa veritas, conveniunt facile omnes Theologi illam veritatem esse objectum formale fidei; sed cum in Deo triplex agnoscatur veritas: nempe *in essendo*, qua verus est Deus: *in cognoscendo*, qua omnia talia qualia sunt a parte rei, absque ullo errore cognoscit; & *in dicendo*, seu *revelando*, qua neminem fallere potest, & quæ ad distinctionem duarum præcedentium dicitur alio nomine *veracitas;* ideo controvertitur qualis veritas sit objectum formale fidei, circa quod

*Dico: objectum formale fidei est* 1. *veritas* in dicendo; *sive est revelatio Dei summe veracis.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura, quæ ut nos ad credendum inducat, semper adducit testimonium & veracitatem Dei; 1. Joann. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, id est, credit propter testimonium, seu revelationem Dei, *qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Mendacium autem proprie opponitur veritati in dicendo: & Joann. 3. *Qui accepit ejus* (Christi) *testimonium, signavit quia Deus verax est.* Ergo testimonium seu revelatio Dei summe veracis est objectum formale fidei.

*Prob.* 2. Objectum formale fidei est immediatum motivum, propter quod assentimur veritatibus a Deo revelatis; atqui 1. veritas in dicendo, seu revelatio Dei summe veracis est motivum immediatum propter quod assentimur veritatibus a Deo revelatis; non enim assentimur Deo loquenti, nisi quia verax est, nec nos fallere potest; ergo.

*Resolv.* Objectum formale fidei esse complexum ex 1. veritate *in dicendo*, & actuali revelatione, tamquam partibus objecti totalis & adæquati, ita tamen ut 1. veritas *in dicendo* magis primario pertineat ad illud, quam actualis revelatio, quia ratio objecti formalis attenditur penes vim movendi ad assensum; atqui vis movendi ad assensum provenit primario & per se a prima veritate, non vero provenit ab actuali revelatione nisi secundario & ratione alterius, nimirum ratione veritatis in dicendo; ergo.

*Objicies* 1. Objectum formale fidei, est Deus ut Deus est; seu est prima veritas *in essendo;* ergo non est Deus ut verax est.

*Resp. neg. ant. Prob.* Illud est objectum formale fidei in quod fit ultima ejus resolutio; atqui ultima fidei resolutio fit in ipsum Deum, ut Deus est: ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Interroganti, *quare credis revelanti?* Respondemus, *quia verax est.* Sed rursus interroganti, *quare Deus verax est?* Respondemus, *quia Deus est;* ergo ultima resolutio nostræ Fidei fit in ipsum Deum ut Deus est.

*Resp. dist. conseq.* Resolutio ultima fidei fit in ipsum Deum ut Deus est, tamquam in rationem, propter quam Deus est summa veritas in dicendo *conc. conseq.* tamquam in rationem formalem & motivam, propter quam assentimur Deo loquenti, *nego conseq.* Hic autem agimus solum de resolutione ultima nostræ fidei in motivum propter quod credimus; atqui tale motivum est prima veritas revelans, cum hac prima veritate non detur alia ulterior que sit formale motivum credulitatis.

*Objicies* 2. Objectum formale fidei est veritas Dei *in cognoscendo;* ergo &c.

Resp.

*Resp. neg. ant. Prob.* Ideo assentimur revelatis a Deo, quia Deus non potest falli; ergo &c.

*Resp. nego ant. Prob.* Si Deus per hypothesim impossibilem posset falli, non esset amplius dignus cui aliquid dicenti credatur per assensum infallibilem; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ex antecedente enim sequitur tantum quod veritas *in cognoscendo* sit in Deo radix & fundamentum ejus veracitatis *in dicendo*; non vero sequitur quod sit motivum formale & immediatum propter quod credimus Deo; porro cum nihil possit esse sine eo quod est sibi proprium fundamentum & radix, non mirum est si sublata per impossibile prima veritate *in cognoscendo*, auferatur prima veritas *in revelando*, & consequenter objectum formale fidei nostræ.

Quæres *in quid ultimo fides resolvatur?* Ante responsionem,

*Nota:* Resolutio alicujus rei est, *ejus reductio ad suas ultimas causas, ex quibus suo modo componitur.* Unde quærere in quid ultimo fides resolvatur, est quærere *quænam sit ultima causa cur fidelis credat?* Unde

*Resp.* Cum sint multæ causæ quæ determinant intellectum ad assensum qui præbetur revelatis, Fides divina variis modis resolvitur.

1. *Resolvitur* in auctoritatem Dei summe veracis, tamquam in suam causam formalem, ut dictum est.

2. *Resolvitur* in auctoritatem Ecclesiæ tamquam in causam directivam, cum sit omnium credendorum ultima regula infallibilis, per quam applicatur nobis revelatio.

3. *Resolvitur* in motiva credibilitatis, tamquam in causam inductivam, quia mentem nostram remote & a posteriori disponunt ad credendum, quatenus sunt conditio, sine qua prudens certitudo de divina revelatione haberi non potest.

*Colliges:* Ex iis quæ hucusque diximus fidelem sic procedere in reddenda ratione suæ fidei; *credo Deum esse Trinum*, quia Deus revelavit; *credo Deum revelasse se esse Trinum*, quia Deum esse Trinum tamquam revelatum Ecclesia proponit; *credo Ecclesiæ definitioni*, quia ejus infallibilitas est revelata in Scripturis, quas divinas esse ita ex motivis credibilitatis evidens est, ut plane stultus sit qui motivis illis non moveatur.

*Dices* cum Heterodoxis, in hoc processu fit circulus vitiosus: ergo non est admittendus.

*Prob. ant.* In hoc processu probatur auctoritas Ecclesiæ per revelationem divinam, & revelatio divina per auctoritatem Ecclesiæ; ergo est circulus vitiosus.

*Resp. dist. ant.* Probatur &c. ex eodem genere causæ, *neg. ant.* ex diverso genere causæ, *conc. ant.* Probatur enim auctoritas Ecclesiæ per revelationem divinam tamquam per causam formalem assensus; & revelatio divina per auctoritatem Ecclesiæ, tamquam per causam directivam applicantem nobis divinam revelationem; unde in nostro processu non fit circulus vitiosus, qui tantum reperitur cum hoc per illud, & illud per hoc probatur ex eodem genere causæ, & quidem apud eum qui æque utrumque negat.

## CAPUT IV.

### *De subjecto Fidei.*

*Nota.* Per subjectum fidei intelligimus creaturas in quibus Fides reperitur, tam secundum actum, quam secundum habitum. Circa quod:

*Certum est* 1. *Veram Fidem fuisse in Angelis viatoribus:* Nam Angeli viatores placuerunt Deo, & beatitudinem promeriti sunt; ait Apostol. (*Hebr.* 11. *v.* 6.) *sine Fide impossibile est placere Deo*, & Fides est radix ac principium meriti; ergo.

*Certum est* 2. *Fidem non esse in dæmonibus & damnatis*, quia Fides est donum Dei natura sua ordinatum ad beatitudinem; est enim *sperandarum substantia rerum;* atqui dæmones & damnati exciderunt omni spe beatitudinis comparandæ; ergo &c.

Quod si Jacobi 2. dicatur *dæmones credunt & contremiscunt*, id non intelligitur de Fide divina, sed de Fide mere naturali, coacti nempe evidentia, & terribili Dei vindicis experientia convicti; neque enim Deus ullum dat illis speciale auxilium ad eliciendos actus supernaturales.

*Certum est* 3. *Fidem non esse in Beatis: bene vero in animabus Purgatorii.* Nam Fides in justis non evacuatur nisi per visionem beatificam, juxta illud Apostol. (1. *Cor.* 13. *v.* 10.) *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, scilicet Fides; atqui soli Beati, non vero animæ Purgatorii fruuntur visione beatifica; ergo Fides remanet in Animabus Purgatorii, non vero in Beatis.

Restat igitur resolvendum; an Fides remaneat in peccatoribus & Hæreticis.

*Dico* 1. *Fides divina remanet cum peccato mortali ab infidelitate distincto.*

*Prob.* Ex Apostol. (1. *Cor.* 12. *v.* 2.) *Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo Fides potest esse cum peccato mortali, per quod solum amittitur charitas; prout definivit Conc. Trid. (*Sess.* 6. *can.* 28.) his verbis: *si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & Fidem semper amitti; aut Fidem quæ remanet, non esse veram Fidem, licet non sit viva, aut eum qui Fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

Ratio a priori est voluntas Christi qui noluit, ut peccator, non infidelis, privaretur radice per quam posset converti, eliciendo connaturaliter actus Fidei.

*Dico* 2. *Habitus Fidei totaliter perit in Hæretico, etiamsi unicum vel minimum Fidei articulum rejiciat.*

*Prob.* 1. *Par.* ex Apost. (1. *ad Tim.* *v.* 19.) *Devita profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa Fidem exciderunt;* atqui circa Fidem excidere, est Fidem amittere, seu Fide aberrare; ergo. Unde Conc. Trid. (*Sess.* 6. *cap.* 15) *asserit non modo infidelitate per quam & ipsa Fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides acceptam, justificationis gratia amitti.*

Prob.

*Prob.* 1. *pars :* Contra Durandum (*In* 3. *dist.* 23. *q.* 9.) quod est indivisibile, totum simul perire necesse est; atqui Fides est indivisibilis, cum licet plures veritates credat, illas tamen credat sub uno atque indivisibili motivo, scilicet Dei veritate *in revelando*; ergo. Unde Div. Thom. ait (2. 2. *qu.* 5. *art.* 3.) *manifestum est, quod talis Hæreticus circa unum articulum, Fidem non habet de aliis articulis.* Cum ex Apostol. (*Ephes.* 4. *v.* 5.) non sit nisi *una Fides*, quam prætendo salvari possumus.

*Objicies* 1. Qui est circa unum Fidei articulum Hæreticus, eadem facilitate credit alios articulos, ac antea; ergo respectu illorum remanet habitus Fidei.

*Resp. dist. conseq.* Remanet habitus Fidei naturalis & humanæ per actus repetitos contractus, *conc. conseq.* supernaturalis & divinæ, *nego conseq.* Neque enim tales Hæretici vere captivant intellectum suum in obsequium primæ veritatis; si enim vere hoc facerent, intellectum suum illi captivarent in omnibus quæ revelavit, cum prima veritas æque in uno sit fallere nescia, ac in altero, & si in uno fallat, non sit prima veritas, cui proinde non credunt, in iis quæ credunt, sed humanæ persuasioni.

*Inst.* 1. Hæreticus circa unum articulum credit alios articulos propter solam revelationem divinam, quæ est ratio formalis Fidei; ergo respectu illorum retinet habitum Fidei supernaturalis.

*Resp. dist. ant.* Credit propter revelationem divinam ab Ecclesia propositam & *per se* creditam, ut nos facimus, *nego ant.* propter revelationem divinam ex propria persuasione creditam & receptam, *conc. ant.* verum hic modus credendi non sufficit ad fidem supernaturalem.

*Inst.* 2. Habitus potest consistere cum aliquo actu contrario; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Habitus naturalis, *conc. ant.* supernaturalis, *nego ant.* ut patet in habitu charitatis qui per unicum peccatum mortale destruitur; ratio est voluntas Dei qui propter unicum infidelitatis actum, habitum Fidei quæ est ejus donum, auferre voluit.

*Objicies* 2. Hæreticus qui unum articulum Fidei rejicit, aliis retentis, non ideo talem articulum rejicit quod credat Deum in revelando esse fallacem, sed quod credat illum articulum a Deo non esse revelatum; ergo non amittit habitum Fidei.

*Resp. nego ant.* Nam ille credit Deum in revelando esse fallacem, qui contemnit judicium Ecclesiæ quam Deus revelavit esse columnam & firmamentum veritatis; sed Hæreticus qui respuit unum articulum quem ut revelatum Ecclesia proponit, contemnit judicium Ecclesiæ, & sequitur propriam phantasiam & persuasionem, ergo. Porro qui primæ veritati discredit in uno, non credit in ullo; sed contra eam *peccans in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* 2. *vers.* 10.)

## CAPUT V.

*De proprietatibus Fidei.*

*Nota.* Quinque recenseri possunt Fidei proprietates, nempe supernaturalitas, certitudo, obscuritas, credibilitas & necessitas, de quibus sit

### QUÆSTIO I.

*De supernaturalitate Fidei.*

*Nota.* Quæstio non procedit de habitu Fidei; constat enim ipsum esse supernaturalem, & donum Dei, juxta illud Ephes. 2. *gratia enim estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*; de solo ergo assensu seu actu Fidei quærimus utrum sit supernaturalis; ideo

*Dico : Assensus seu actus Fidei est vere & entitative supernaturalis.*

*Prob.* Actus specificantur ab objecto formali & principio productivo; atqui objectum formale & principium assensus Fidei productivum, sunt supernaturalia; ergo.

*Prob.* 1. *Pars min.* Objectum formale assensus Fidei est divina revelatio; atqui divina revelatio est supernaturalis; neque enim est intra exigentiam naturæ; ergo.

*Prob.* 2. *Pars min.* Bona gratiæ sunt supernaturalia; atqui assensus Fidei non nisi auxilio gratiæ producitur juxta illud Joann. 6. *hoc est opus Dei ut credatis in eum.* Unde Trid. definivit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere ... posse sicut oportet, &c. anathema sit.* Ergo.

*Dices :* Actus potentiarum naturalium, est naturalis; atqui assensus Fidei est actus potentiarum naturalium, quippe est actus ab intellectu ex imperio voluntatis elicitus; ergo.

*Resp. dist. maj.* Actus potentiarum naturalium ut naturaliter operantium, est naturalis, *conc. maj.* actus potentiarum naturalium cum auxilio gratiæ & ex motivo supernaturali operantium, *nego maj.* & sic ad minorem. Porro ut actus sit supernaturalis, non requiritur ut nihil naturale ad illius productionem concurrat, sed sufficit ut unum ex ejus comprincipiis omnino sit supernaturale, licet aliud sit naturale.

*Colliges* assensum Fidei esse mere *judicativum* & *adhæsivum* ad objectum Fidei divinæ ut subest revelationi, non vero *discursivum*; si enim esset discursivus, esset tantum naturalis quoad entitatem, utpote productus a potentia naturali ut naturaliter operante, quia oriretur a judicio quod intellectus credentis formaret de bonitate consequentiæ rei revelatæ ad ipsam revelationem Dei in tali discursu.

*Objicies.* Omne argumentum est cum discursu : atqui Fides nostra ex Apost. est *argumentum non apparentium*; ergo interior assensus Fidei nostræ est discursivus.

*Resp. dist. min.* Fides est argumentum proprie sumptum, *nego min.* improprie sumptum, nimirum

tum pro convictione intellectus, *conc. min.* Itaque cum convictio intellectus sit ordinarie effectus argumenti, ideo Fides vocatur ab Apostolo argumentum.

*Inst.* 1. Assensus huic conclusioni datus: *omnis homo est moriturus; atqui Petrus est homo: ergo Petrus est moriturus*, est assensus Fidei divinæ; atqui est discursivus; ergo.

*Resp. dist. min.* Talis assensus spectatus *formaliter* ut est conclusio, est discursivus, *conc. min.* spectatus *materialiter* ut est actus Fdei, *nego min.* Porro veritas quæ habetur per discursum, potest spectari duobus modis, *materialiter* quatenus est propositio enuntians hoc vel illud præscindendo ab hoc quod deducatur ex aliquo antecedenti: 2. *formaliter* quatenus est conclusio, id est, quatenus est assensus deductus vi & efficacia alicujus antecedentis cogniti. Si spectetur primo modo, est assensus Fidei, nec est discursivus. Si spectetur secundo modo, est assensus Theologicus, isque discursivus, atque minoris certitudinis quam præmissa a qua deducitur.

*Inst.* 2. Interior assensus Fidei constat duobus judiciis, uno quo assentimur Deum hoc & illud revelasse; altero quo assentimur huic vel isti revelato; & hoc posterius judicium, seu assensus, elicitur ex vi prioris; ergo interior assensus Fidei est discursivus.

*Resp. nego ant.* Quia actus Fidei, quatenus talis, non postulat sua natura duo judicia; sed unum duntaxat quo assentimur rei a Deo revelatæ ob divinam revelationem tamquam formale objectum: discursus autem natura sua & necessario postulat duo judicia. Unde quando discursus intervenit in assensu Fidei, tunc ille non habet rationem formalis motivi, sed solum applicantis divinam revelationem ad objectum revelatum: sicque semper dispar est ratio assensus Fidei, ab assensu dato alicui conclusioni syllogisticæ.

## QUÆSTIO II.

### *De certitudine Fidei.*

*Nota.* Circa Fidei certitudinem triplex potest esse difficultas: 1. ex parte Dei revelantis, utrum, scilicet, possit revelare falsum; 2. ex parte hominis credentis, utrum fide divina possit credere quod a parte rei est falsum: 3. ex parte assensus Fidei, utrum sit certior quolibet assensu scientifico; circa quas

*Dico* 1. *Deus nequidem de potentia absoluta potest revelare falsum.*

*Prob.* Ex Script. num. 23. *non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.* Hebr. 6. *impossibile est mentiri Deum.* Ergo repugnat Deum falsum revelare etiam de potentia absoluta & extraordinaria, nam eodem modo repugnat Deum *mentiri*, quo repugnat *mutari*; atqui etiam secundum *potentiam absolutam* repugnat Deum mutari juxta illud Psalmistæ *Psal.* 101.) *tu autem idem ipse es.* Ergo, &c.

*Objicies* 1. Deus Ezech. 14. dicit: *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepti Prophetam illum.* Ergo Deus potest decipere & falsum revelare.

*Resp. dist. conseq.* Potest decipere permissive & negative, *conc. conseq.* positive revelando falsum, *nego cons.* Hoc enim repugnat enti summe veraci, & infinite sapienti, at non ei repugnat decipere permissive vel negative, aliquibus nimirum substrahendo lumen sapientiæ.

*Objicies* 2. Deus multa prædixit per Prophetas suos, quæ tamen non evenerunt; ergo potest fallere.

*Resp. dist. ant.* Multa non evenerunt quæ Deus prædixit absolute, *nego ant.* conditionate, vel secundum cursum ordinarium causarum secundarum, *conc. ant.* Sic prædictio subversionis Ninives per Jonam (3. *vers.* 4.), fuit conditionata & comminatoria, nempe si interea Ninivitæ pœnitentiam non egerint; qua conditione non posita effectus non est secutus. Sic Isaias (36. *vers.* 1.), recte prædixit Ezechiæ Regi futurum ut moreretur: quia id asserebat spectando tantum communem cursum causarum naturalium, juxta quarum conditionem debebat mori, fuissetque mortuus, nisi Deus speciali quadam gratia illum tunc præservasset.

*Objicies* 3. In scripturis multæ reperiuntur contradictiones, amphibologiæ & æquivocationes, quæ mendacii rationem habent; ergo nil obstat quin Deus possit falsum dicere.

*Resp. nego ant.* Illæ enim contradictiones & æquivocationes sunt tantum apparentes, & facile a doctis conciliantur & explicantur, quæ conciliatio pertinet ad scripturarum interpretes.

*Dico* 2. *Quod a parte rei est falsum, non potest credi Fide divina.*

*Prob.* Id non potest credi Fide divina, quod non potest informari proprio fidei divinæ motivo; atqui quod a parte rei est falsum, non potest informari proprio Fidei divinæ motivo; ergo, &c. *Prob. min.* Sola revelatio quæ a parte rei est proprie & secundum rei veritatem divina, non autem illa quæ bona Fide & prudenter æstimatur divina, est proprium fidei divinæ motivum; atqui quod est a parte rei falsum, non potest formari revelatione proprie & secundum rei veritatem divina; ergo quod est a parte rei falsum, non potest informari proprio Fidei divinæ motivo; ergo, &c.

*Objicies* 1. Qui credit propter divinam revelationem, credit Fide divina; atqui aliquis potest propter divinam revelationem credere quod est a parte rei falsum; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Rusticus qui credit falsæ propositioni quæ ab Episcopo, vel Pastore sufficienter tamquam a Deo revelata proponitur, credit propter revelationem divinam; ergo aliquis potest credere falsum propter revelationem divinam.

*Resp. nego ant.* Assensus enim ille est tantum Fidei humanæ, cum sit extra latitudinem objecti formalis Fidei divinæ, extra quod actus Fidei non potest sese extendere.

*Inst.* Talis Rusticus bona Fide & prudenter existimat objectum propositum, esse revelatum; ergo illud credere potest Fide divina.

*Resp. nego conseq.* Quia qualitas assensus supernaturalis Fidei non fundatur in persuasione elicientis illum, sed in realitate revelationis; unde assen-

assensus Fidei circa objectum non realiter revelatum, licet ut tale prudenter & bona Fide existimatum, est impossibilis & repugnat, sicut repugnat aliquem dare assensum scientificum propositioni realiter falsæ, licet is sibi persuadeat assentiri propositioni per medium demonstrativum.

*Objicies* 2. Assensus quo credimus hanc hostiam vere & substantialiter continere corpus & sanguinem Christi, est assensus Fidei supernaturalis; atqui objectum illius assensus potest esse falsus, quippe fieri potest ut hæc in particulari hostia non sit rite consecrata, vel defectu characteris in tali homine, vel defectu intentionis debitæ; ergo.

*Resp. nego maj.* Est enim tantummodo assensus opinionis moraliter certæ.

*Prob. maj.* Assensus datus propositioni particulari contentæ in universali immediate revelata, est assensus Fidei divinæ; atqui hæc propositio particularis: *corpus & sanguis Christi est realiter in hac hostia;* continetur in hac universali: *corpus & sanguis Christi est realiter in hostia rite consecrata;* ergo.

*Resp. nego min.* Ut enim propositio particularis contineatur in majori revelata, necesse est ut legitime deducatur ex illa majori, & ex minori ad minus certa certitudine morali excludente omnem formidinem; atqui in hoc syllogismo: *corpus & sanguis Christi est realiter in hostia rite consecrata; atqui hæc hostia est rite consecrata; ergo corpus & sanguis Christi est realiter in hac hostia:* minor est quidem certa moraliter, sed non excludit omnem formidinem; ergo, &c.

*Inst.* Ergo non debeamus absolute & simpliciter, sed tantum conditionate hostiam adorare, nimirum, *si rite sit consecrata*; consequens est contra communem praxim fidelium; ergo, &c.

*Resp. nego sequel. maj.* Nam in praxi virtutum moralium, (de quarum numero est ipsa religio per quam adoratur Eucharistia) sufficit certitudo moralis; & nonne sectarii patrem honorant absolute, & credunt absolute se esse legitimos, cum tamen nonnisi moralem de suo patre habeant certitudinem? nec est periculum idololatriæ cum cultus feratur in Christum.

*Objicies* 3. Judæus, qui paulo ante Christi nativitatem, credebat Fide divina Christum nasciturum, potuit, Christo postea nato, retinere eandem Fidem; sed in eo casu falsum credidit; ergo quandoque, &c.

*Resp. nego maj.* Nam Fidei illius Judæi non erat idem motivum; quippe ante Christi nativitatem ejus motivum erat revelatio *divina*, post nativitatem erat tantum conjectura quædam *humana*, qua prudenter judicabatur Christum nondum esse natum, sed esse nasciturum.

Ratio hujus responsi desumitur ex diverso statu Fidei, cujus objectum ante nativitatem erat Christus venturus; post nativitatem vero erat Christus simpliciter, abstrahendo scilicet ab hac circumstantia quod jam natus, vel nasciturus sit, & sic intelligendus est Div. Thom. cum (2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad.* 3.) dicit: *hoc ad Fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoque nasci, sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex Fide, sed ex conjectura humana.* Nec enim determinata hora nativitatis Christi erat revelata.

*Dico* 3. *Assensus Fidei est simpliciter & absolute certior quolibet assensu scientifico.* Ante probationem.

*Nota:* Certitudo duplex est, nempe *objectiva*, quæ est objecti veritas & immutabilitas, & *formalis*, quæ est cognitionis infallibilitas & firmitas desumpta tam ab objecti materialis veritate, quam ab infallibilitate medii, seu motivi cui assensus innititur, & de hac formali certitudine hic agitur.

*Prob.* 1. Ex D. August. (*lib.* 7. *Confes. cap.* 10.) qui loquens de firmitate & certitudine nostræ Fidei assensus ait: *facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quæ audivi.*

*Prob.* 2. Certitudo formalis desumitur a suo motivo cui est proportionata; atqui motivum assensus Fidei certitudine superat motivum cujuscumque assensus scientifici; ergo.

*Prob. min.* Motivum assensus Fidei est lumen supernaturale divinæ revelationis; motivum vero seu medium cujuscumque assensus scientifici, est lumen naturale rationis; atqui lumen supernaturale divinæ revelationis certius est quocumque lumine naturali; ergo.

Hinc D. Thom. (2. 2. *qu.* 4. *art.* 8. *ad* 2.), ait: *multo magis homo certior est de eo quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione, quæ falli potest.* Et quæ quandoque indiget corrigi per Fidem in iis, quæ, solo lumine naturæ spectato, sunt certissima, quale est illud principium, *ex nihilo nihil fit:* quod corrigitur per Fidem quæ docet: *mundum fuisse a Deo creatum ex nihilo.*

*Objicies* 1. Illud est certius quod est dubitationis impermixtius; nam firmius adhæremus illi rei, de cujus veritate minus dubitamus; atqui assensus scientiæ nullam potest habere dubitationem sibi adjunctam, alias non esset amplius scientia; econtra Fides remanens integra admittit quandoque in intellectu credentis aliquam dubitationem circa fidei nostræ mysteria, ergo.

*Resp. dist. maj.* Illud est certius quod est dubitationis voluntariæ & deliberatæ impermixtius, *conc. maj.* indeliberatæ & involuntariæ, *nego maj.* similiter dist. secundam partem minoris, & *nego conseq.*

Porro hic loquimur de assensu Fidei qui humano modo, id est, cum advertentia rationis & libero voluntatis consensu, elicitur, & qui pro eo tempore quo elicitur, nullo modo compatitur secum deliberatos motus dubitandi circa veritates Fidei, quin potius magis removet intellectum ab ejusmodi dubitationibus, quam assensus naturalis & evidens removeat rationem dubitandi circa veritatem sui objecti, cum formale Fidei motivum quoad certitudinem longe superet motivum scientiæ.

*Objicies* 2. Eo est certior assensus quo est intensior; atqui sæpe assensus naturalis evidens, est intensior assensu Fidei; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam intensio & remissio sese habent indifferenter ad certitudinem, quæ in sua specie constituitur per motivum formale; unde cum motivum certitudinis Fidei sit ordinis & speciei superioris motivo naturalis scientiæ, quan-

tumcumque assensus scientiæ naturalis cresceret quoad intensionem, nunquam tamen posset pervenire ad certitudinem assensus Fidei divinæ, etiam valde remissi.

*Objicies* 3. Firmius & certius adhæremus ei a quo difficilius recedimus; atqui homo difficilius recedit a scientia quam a Fide; ergo.

*Resp. nego min.* Qui enim vere fidelis est, habetque assensum veræ Fidei divinæ, est magis paratus negare quamlibet veritatem naturalem, quam deserere minimam veritatem Fidei, ut patet in Martyribus, qui argumenta philosophorum adversus nostram Fidem contempserunt, parati potius negare omnia quæ juxta sensum & rationem humanam existimabantur evidentissima, & omnia pati tormenta, quam vel minimum dubitare de uno Fidei articulo.

*Inst.* Frequenter videmus nonnullos facilius deficere a Fide Catholica, quam ab assensu evidenti veritatis naturalis; ergo facilius receditur a Fide, quam a scientia.

*Resp. nego conseq.* Nam quod tales deficiant a Fide Catholica, id provenit ex superbia, malitia & aliis peccatis, quæ solent præcedere hæresim.

## QUÆSTIO III.

### *De obscuritate Fidei.*

*Nota.* Fides dici potest obscura dupliciter: 1. *ex parte revelante*, quando scilicet res revelata non evidenter cognoscitur; 2. *ex parte revelantis*, quando scilicet non constat evidenter quisnam sit auctor revelationis.

Certum est Fidem non debere esse obscuram *ex parte revelantis*, quia essentia Fidei in hoc tantum consistit ut nitatur testimonio dicentis, sive evidenter constet de dicente, sive non; hoc patet in fide humana; si enim alicui propositioni quæ mihi est obscura, assentior propter solam auctoritatem Petri qui asserit eam esse veram, sine dubio erit assensus Fidei humanæ, etiamsi evidenter cognoscam assertionem illam fieri a Petro; idem ergo dicendum est de assensu Fidei divinæ; alias nec Prophetæ, nec Apostoli, quibus Deus Mysteria immediate revelavit, habuissent assensum Fidei divinæ, quia evidenter sciebant revelationem propter quam credebant factam esse a Deo.

Sola ergo difficultas est de obscuritate Fidei *ex parte rei revelatæ*, circa quam duo quæruntur: 1. An Fides debeat esse obscura ex parte rei revelatæ; 2. An quod evidenter scitur aut videtur, possit esse objectum Fidei divinæ; circa quod

*Dico* 1. *Fides debet esse obscura ex parte rei revelatæ*; id est, non debet clare & evidenter ostendere rem revelatam prout est in se a parte rei.

*Prob.* Ex Apost. (*Hebr.* 11. v. 1.) dicente: *Fides est argumentum non apparentium*; id est, res quæ creduntur per Fidem, non videntur saltem quoad motivum cognoscendi, & (1. *Cor.* 13. v. 12.), *nunc videmus per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, id est, in hac vita obscure cognoscimus mysteria Fidei, quæ in altera clare & intuitive videbimus; ergo.

*Confirmatur* experientia, quia sicut homo qui multa mihi narrat de cæteris nationibus, non efficit per suam narrationem, ut clare videam ea quæ narrantur, sed tantum ut obscure credam; sic etiam Deus quando revelat nobis mysterium Trinitatis, non efficit per suam revelationem, ut clare videamus hoc mysterium, sed tantum ut obscure credamus.

*Dices:* Veritas obscure revelata non potest intellectum magis movere ad assensum, quam ad dissensum; ergo ut intellectus assentiat rei revelatæ, debet illi clare & evidenter proponi.

*Resp. dist. ant.* Veritas obscure revelata *secundum se, nude & simpliciter considerata, conc. ant.* considerata *cum habitudine ad motiva credibilitatis, nego ant.* Si enim considerata movet intellectum ad eam partem assensus vel dissensus pro qua faciunt illa motiva, quæ licet non ostendant evidenter & clare veritatem rei intrinsecam, saltem faciunt rem illam credibilem, id est, dignam cui vir prudens absque suspicione alicujus levitatis præbeat assensum.

*Dico* 2. *Quod evidenter scitur aut videtur, potest esse objectum Fidei divinæ.*

*Prob.* 1. Ex. Script. Deut. 6. *Audi Israel: Dominus Deus noster unus est.* Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est*; & in Symbolo *credimus unum Deum Patrem omnipotentem.* Ergo credimus Fide divina Deum existere, unum & omnipotentem esse; atqui existentia, unitas & omnipotentia Dei demonstrantur & cognoscuntur a Theologis & Philosophis; ergo.

*Respondent* adversarii existentiam Dei ut auctoris naturæ credendam omnibus proponi; sed

*Contra est*, Deus in Symbolo proponitur credendus ut *creator cæli & terræ*; ergo ut auctor naturæ.

*Prob.* 2. Intellectus potest eodem tempore assentiri alicui conclusioni propter duo distincta motiva, quorum alterum clare, alterum obscure illam ostendat.

*Objicies* 1. Ex Apost. *Fides est argumentum non apparentium.* Ergo quod evidenter scitur, non potest credi per Fidem.

*Resp. dist. antec.* Fides est *rerum non apparentium*, per motivum cognoscendi quod est revelatio divina, *conc. ant.* per rationis discursum, *subdist.* ut plurimum, *conc ant.* semper, *nego ant.* alias sibi contradiceret Apostolus, cum *Hebr.* 11. doceat accedentem ad Deum debere credere Dei existentiam, quam *Rom.* 1. docet abstractive cognosci; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ex quo patet Apostolum per res non apparentes, intelligere res intuitive non visas, etiamsi abstractive cognoscantur.

*Objicies* 2. Fides non potest stare cum intuitiva Dei visione; ergo nec cum scientia ob paritatem rationis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod res præsens intuitive visa certius & perfectius cognosci non possit, nec proinde credi; at rei absentis abstractiva cognitio, præterquam quod difficilius habetur, non est æque certa & constans ac lumen Fidei, difficultatibus identidem obnubilatur propter quas ad Fidem recurrere necesse est; unde

D. Tho-

D. Thomas (2. 2. *qu.* 1. *art.* 4. *in corp.*) *dicit*: *necessarium est homini accipere per modum Fidei, non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt, & hoc propter tria*: 1. *Ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat* . . . 2. *Ut cognitio Dei sit communior* . . . 3. *Propter certitudinem; ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens.*

## QUÆSTIO IV.

### *De credibilitate Fidei.*

*Nota.* Ista duo, *esse evidenter verum*, & *esse evidenter credibile*, a se invicem distinguuntur. Id dicitur *evidenter verum*, quod adeo clare scitur aut videtur, ut de eo physica habeatur evidentia & certitudo. Illud vero est *evidenter credibile*, quod probatur testimoniis & suasionibus ita Fide dignis ut evidenter appareat assensu firmo dignum, nec nisi imprudenter in dubium revocari possit. Unde evidentia credibilitatis afficit quidem revelationem, quam a Deo esse demonstrat, sed non afficit objectum revelatum, a quo obscuritatem non tollit; v. g. licet evidenter cognoscamus Trinitatem nobis esse revelatam, illius tamen naturam non cognoscimus.

*Nota* 2. Circa evidentiam credibilitatis mysteriorum nostræ Fidei explicandum est 1. An debeant esse evidenter credibilia? 2. An sint evidenter credibilia? 3. Quot sint credibilitatis motiva? Ideo

*Dico* 1. *Mysteria nostræ Fidei debent esse evidenter credibilia.*

*Prob.* Assensus Fidei debet esse immobilis & firmissimus; atqui non posset esse talis, si motiva credendi essent tantum probabilia, non evidentia; quis enim posset immobilem ac firmissimum præbere assensum alicui rei, habens probabiles in oppositum rationes? ergo motiva credendi debent esse evidentia. Unde Div. Thom. (2. 2. *q.* 1. *artic.* 4.) ait: *non crederet quis nisi videret* (hoc est evidenter cogosceret) *ea esse credenda, vel propter evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi.*

*Confirmatur* quia nemo potest salvari sine Fide, *qui* enim non *credit condemnabitur* (*Joann.* 3. *v.* 18.); atqui si motiva credibilitatis essent tantum probabilia, nec excluderent omnem de revelatione formidinem, posset quis sine Fide salvari, juxta illud Christi (*Joann.* 15. *v.* 24.) *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, infidelitatis scilicet, quia cum evidentia credendi motiva habuerint, non tamen crediderunt.

Hinc jure Innoc. XI. & post eum Clerus Gallicanus damnarunt hanc proposit. (*Ann.* 1700.): *assensus supernaturalis Fidei & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, & cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus.*

*Objicies* 1. Rustici & idiotæ expendere non valent utrum motiva credibilitatis, quibus ad credendum ducuntur, sint evidentia, veram tamen habent mysteriorum Fidem; ergo evidentia credibilitatis non est absolute necessaria ad prudenter suscipiendam veram Fidem.

*Resp. nego ant.* Nullus enim rusticus tam rudis esse potest quin facile possit a suo Pastore edoceri; 1. Veritatem miraculorum quæ in confirmationem Fidei Christianæ patrata sunt; 2. Ecclesiam esse illustrem quandam congregationem, eamque nullatenus fuisse interruptam; hæreses vero paucis abhinc annis cœpisse; idemque facile colliget sectas illas non esse Sponsam quam Christus suo sibi cruore comparavit.

*Objicies* 2. Probabilitas credibilitatis objecti humanæ Fidei, sufficit in nobis ad prudentem assensum ejusdem Fidei eliciendum; ergo similiter cognitio probabilis de credibilitate mysteriorum nostræ Fidei erit sufficiens ad prudenter assentiendum rebus a Deo revelatis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Fides humana, sicut & opinio, compatitur secum aliquam formidinem, cum moralis certitudo quam ingerit, non sit talis ut omnem dubitationem excludat. Econtra assensus divinæ Fidei est ita certus & firmus, ut omnem excludat dubitationem, & credens Fide divina ita firmiter adhæreat rei sibi ad credendum propositæ, ut absolute credat oppositum esse falsum, quæ firmitas assensus non potest esse sine evidentia credibilitatis.

*Dico* 2. *Mysteria Fidei sunt evidenter credibilia.*

*Prob.* Illud proprie censetur evidenter credibile, ad quod judicandum esse dignum quod credatur, dantur argumenta, seu motiva evidentia & irrefragabilia; atqui ad judicandum mysteria nostræ Fidei esse digna quæ credantur Fide divina, dantur motiva & argumenta evidentia & irrefragabilia, quibus enarratis D. Aug. (*Lib.* 17. *contra Faust. cap.* 43.) Manichæos sic alloquitur: *Quid ad hæc respondetis, insani? nempe ista manifesta sunt? nempe omnes non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt*; ergo &c. Unde hæc propos. *evidens non est evidentia morali proprie dicta & physica Religionem Catholicam esse veram*, damnata est a Clero Gallicano (*Ann.* 1700.) tamquam temeraria & in errorem inducens.

*Objicies*: Mysteria Fidei non sunt evidenter credibilia, si motiva credibilitatis non sint evidentia; atqui motiva credibilitatis non sunt evidentia; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Is est evidentiæ effectus ut ad assensum necessitet; atqui motiva credibilitatis non necessitant ad assensum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Is est effectus evidentiæ procedentis a principiis intrinsecis rei, ut necessitet ad assensum, *conc. maj.* procedentis a principiis extrinsecis, id est, a testimoniis dicentium, *nego maj.* & concessa minore, *dist. conseq.* motiva credibilitatis non sunt evidentia ab intrinseco, *conc. conseq.* ab extrinseco, *nego conseq.* unde non necessitant ad assensum, sed insuper requiritur pius voluntatis motus, & gratia præveniens, quibus intellectus adjutus libere assentitur.

*Inst.* Multi cordati & acuti Religionem Christia-

stianam negant; ergo non est evidenter credibilis etiam ab extrinseco.

*Resp. dist. ant.* Multi negant Religionem Christianam defectu evidentiæ motivorum, *nego ant.* defectu rei, quæ ex parte illorum requiritur, *conc. ant.* Quod ergo negent Religionem Christianam, id provenit 1. ex eo quod non satis advertant ad motiva quibus mysteriorum credibilitas nititur; 2. ex eo quod sua culpa priventur auxilio necessario ut evidentiam motivorum credibilitatis actu percipiant, *excæcavit enim illos malitia eorum* (*Sap.* 2. *v.* 21.) *dilexerunt magis tenebras quam lucem* (*Joann.* 3. *v.* 19.) *supercecidit ignis & non viderunt solem.* (*Psalm.* 57).

*Dico* 3. *Octo sunt præcipua credibilitatis motiva, quæ suadent esse credibilia, quæ a Deo & Ecclesia ad credendum nobis proponiuntur.*

*Probatur* enumeratione singulorum.

1. *Motivum* desumitur ab Auctore Fidei Christianæ qui fuit Christus Jesus; fieri enim non potest quod ea Religio sit falsa, quæ Auctorem habet tantæ sanctitatis ut nullus unquam potuerit ipsum arguere de peccato (*Joann.* 8. *vers.* 46.) cui ipsimet adversarii testimonium reddiderunt quod viam Dei in veritate doceret (*Matth.* 22. *v.* 16.) qui se Deum (adeoque veritatem falli & fallere nesciam) probavit non solum admirabili vitæ sanctimonia, sed & stupendis miraculis factis in confirmationem veritatis quam docebat, de quibus dicebat Judæis (*Joann.* 10. *vers.* 25.) *opera quæ ego facio .... testimonium perhibent de me*; nempe quod sim Christus verus Deus, juxta illud: *Ego & Pater unum sumus*; atqui talis fuit Jesus Christus: ergo.

2. *Argumentum* desumitur ab excellentia & sanctitate doctrina quam tradit Religio Christiana: evidens est enim eam doctrinam esse a Deo quæ nihil nisi verum, honestum, rectæque rationi consonum docet, quæ ab omni malo etiam levissimo declinare jubet, quæ nihil omittit quo sectatores suos ad vitam immaculatam, sanctamque perducat: atqui talis est doctrina Christiana, ut constat ex Evangelicis præceptis & consiliis, quibus si Christiani omnes vitam suam & omnes actus suos conformarent, respublica Christiana non tam humana foret quam angelica; ergo.

3. *Argumentum* desumitur ex stupendo modo quo propagata est doctrina Christiana, modus quippe ille divinissimus est. Neque enim sine divina virtute fieri potuit quod duodecim piscatores rudes, illiterati, pauperes, & despecti, nullo humano præsidio freti, toto interea conatu obsistentibus Philosophis, Magistratibus, provinciarum Præfectis, Regibus, Imperatoribus, atque Sectatores hujus doctrinæ exilio, suppliciis, & morte acerbissima plectentibus, ex toto orbe idololatriam tam diffusam tamque animis hominum invisceratam, non solum eliminaverint, sed & toti pene humano generi persuaserint eam amplecti religionem, cujus mysteria adeo superant captum intellectus humani, ut sunt mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. cujus etiam præcepta adeo naturæ corruptæ repugnant, ut sunt *crucem jugiter ferre; inimicos diligere; benefacere his qui oderunt nos: nihil eorum quæ in mundo sunt diligere; possessionibus renuntiare* &c. atqui.

4. *Argumentum* desumitur ab admirandis effectibus qui subsecuti sunt susceptionem religionis Christianæ; statim nempe per universum orbem subsecuta est tanta morum in melius commutatio, ut innumerabiles homines utriusque sexus & conditionis ducere cœperint vitam in terris angelicam potius quam humanam, prout ipsorum acta & annales Ecclesiæ testantur.

5. *Argumentum* desumitur ex invicta & numquam interrupta ejusdem religionis perseverantia inter tot procellas, atrocissimasque Ethnicorum & Hæreticorum persecutiones quibus agitata fuit; divina enim prorsus est illa doctrina, contra quam portæ inferi, licet adversus ipsum omnes furias suscitaverint, prævalere non potuerunt.

6. *Motivum* petitur ab infinita propemodum multitudine Martyrum cujusvis ordinis, sexus, ætatis, & conditionis, qui pro tuenda Fide Christiana inaudita tormenta, mortemque durissimam tanta fortitudine, tantaque cum lætitia & alacritate sustinuerunt, ut irrisis tyrannis, fatigatisque tortoribus etiam tenerrimæ puellæ non defecerint tormenta patiendo, dum carnifices ea inferendo defecerunt, & divinam virtutem agnoscentes religionem Christi amplexi sunt.

Laudant quidem aliquæ sectæ Hæreticorum suos Martyres, sed falsos esse demonstratur; 1. Ex eo quod fuerint paucissimi; 2. Quod errores propugnaverint non per constantiam, sed per vesanam pertinaciam; 3. Quod eorum martyrium prodigiis & miraculis Deus non illustraverit.

7. *Argumentum* petitur ex vaticiniis non solum prophetarum, sed & sybillarum, a quibus Fidei nostræ mysteria pluribus ante sæculis fuere prædicta, & deinde ad litteram impleta. Prophetarum oracula in Scripturis sacris reperiuntur; sed cum pauci ad manum habent oracula Sybillarum, audiantur Sybillæ *Delphica & Phrygia*:

*Impingent illi colaphos, & sputa scelestis*
*Israel a labiis, neque non & fellis amari*
*Apponent escam, potumque immitis aceti;*
*Scindetur Templi velum, mediumque diei*
*Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis:*
*Et tridui somno peragens insignia facta.*
*Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque*
*Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo*
*Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit*
*Nubibus invectus.*

8. *Motivum* desumitur a miraculis multitudine innumeris, arduitate stupendis, certitudine indubitatis, perennitate perpetuis, quæ in veritatum Fidei confirmationem omnibus temporibus & locis, a Christianis viris sanctissimis irreprehensibilliusque facta sunt & quotidie fiunt; quorum vim & efficaciam considerans Richardus a Sancto Victore (*Lib.* 1. *de Trinitat. cap.* 1.) ait: *Domine, si error est, a te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis & prodigiis sunt confirmata & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

*Objicies*: Vera miracula non possunt discerni a falsis & magicis; ergo non sunt argumentum sufficiens ad probandam veram religionem.

*Nota.* Ante responsionem miracula alia esse primæ, alia secundæ Classis.

Mira-

Miracula *primæ Classis* sunt ea quæ superant vim & efficaciam cujuscumque agentis naturalis: talia sunt *resuscitatio mortuorum permanens & stabilis; restitutio visus cæco nato; cognitio secretorum cordis; prædictio rerum futurarum*; illis, cum sola Dei virtute fieri possint, non potest subesse falsum.

Miracula *secundæ Classis* sunt ea quæ non superant naturales vires Angelicas, patrarique possunt activa passivis applicando: talia sunt, *morbos subito sanare; tempestates excitare: per aera volare; super undas ambulare &c.* His solis potest subesse falsum. Unde

*Resp. nego ant.* Vera enim miracula a falsis secerni possunt ex quadruplici capite.

1. *Ex eorum duratione:* vera enim omnibus locis & temporibus facta sunt & quotidie fiunt; econtra falsa parvæ sunt durationis.

2. *Ex eorum indefectibilitate*; vera enim nunquam deficiunt, econtra falsa semper deficiunt, ut patet tum in prodigiis Magorum Pharaonis qui quædam mira fecerunt, sed paulo post comprehensi sunt deficere, ut publice confessi sunt, cum *dixerunt ad Pharaonem, Digitus Dei est hic.* Tum in miris Simonis Magi, quæ pro falsis sunt cognita quando ad orationem Divi Petri decidit mortuus.

3. *Ex eorum fine:* miracula vera semper facta sunt & fiunt ad destruendum Satanæ cultum & imperium, quem invitum & supra modum repugnantem, Christi virtute toties coegerunt & quotidie cogunt ab obsessis abire corporibus; porro si virtute diabolica fierent, jam Satanas contra seipsum divisus esset. Econtra falsa miracula fiunt ad decipiendos homines, confirmandum falsam doctrinam, & extendendum Satanæ imperium.

4. *Ex manifesta Dei providentia*, quæ imposturam Hæreticorum, suos errores miraculis confirmare conantium, tremendo detexit judicio: dum enim imposturis voluerunt de mortuis facere vivos, de cæcis videntes, &c. de vivis econtra fecerunt mortuos, & de videntibus cæcos, ut verissimæ testantur Historiæ.

## QUÆSTIO V.

*De necessitate Fidei.*

*Nota* 1. Hic quæstio non movetur de habitu Fidei, est enim tam necessarius ad salutem, quam gratia sanctificans, cum qua infunditur a Deo & a qua est inseparabilis: tota ergo difficultas est de actu Fidei, idque respectu adultorum duntaxat, cum infantes non sint actuum capaces, qui tamen solo Baptismo salvantur.

*Nota* 2. Actus Fidei duplex est, nempe *internus* qui est assensus veritatibus a Deo revelatis in sola mente elicitus; credere autem actu interno tripliciter contingit, nimirum *credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.*

*Credere Deo*, est credere id omne quod Deus revelavit verum esse propter infinitam ejus in dicendo veracitatem.

*Credere Deum*, est credere Deum existere, ex eodem motivo.

*Credere in Deum*, est credere Deum non simpliciter, sed ex affectu charitatis tendentis in Deum tamquam in ultimum Finem.

Credere 1. & 2. modo est commune omnibus Fidelibus justis & peccatoribus, credere autem tertio modo est solis justis proprium.

*Actus Fidei externus*, est exterior Fidei professio ore, vel opere, vel quolibet alio signo facta. Utriusque illius actus necessitas sequentibus articulis exponenda est.

## ARTICULUS I.

*De necessitate interioris actus Fidei.*

*Nota* 1. Duplex est necessarium respectu salutis, scilicet necessarium necessitate medii, & præcepti.

*Necessarium necessitate medii*, est illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus.

*Necessarium necessitate præcepti*, est illud sine quo culpabiliter omisso, salus non potest obtineri; tametsi sine eo inculpabiliter omisso, obtineri queat.

*Nota* 2. Necessarium necessitate medii iterum duplex est, scilicet *absolute* necessarium, & *hypothetice*, seu *secundum quid* necessarium.

Necessarium necessitate medii *absolute* ad salutem, est illud quod totaliter necessarium est *in re*, nec proinde admittit substitutum per quod suppleri queat; sic gratia sanctificans est medium necessarium ad salutem.

Necessarium necessitate medii *secundum quid*, est illud quod est necessarium necessitate medii *in re* vel *in voto*, adeoque admittit substitutum per quod suppleri queat; sic Baptismus aquæ si quando nequeat obtineri, suppleri potest per contritionem, cum voto Baptismi.

*Nota* 3. Quæstio procedit de necessitate tum medii, tum præcepti, de quibus duplici Paragrapho.

### §. I. *An actus internus Fidei sit necessarius necessitate medii simpliciter, & quibus?*

*Dico* 1. *Actus Fidei internus omnibus adultis ad obtinendam justificationem & salutem est & semper fuit necessarius necessitate medii simpliciter.*

*Probatur.* Illud ad salutem obtinendam necessarium est necessitate medii simpliciter, sine quo in se elicito, nullus adultus potest placere Deo, nec justificari; atqui nullus adultus sine actu Fidei interno in re elicito potest placere Deo & justificari; ergo.

*Prob.* 1. *pars min.* Ex Apostol. Hebr. 11. *sine Fide impossibile est placere Deo*; ubi de Fide actuali Apostolum loqui constat ex eo quod immediate subjungit: *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est*, & *quod inquirentibus se remunerator sit:* quod aperte sonat *actum* credendi illa duo Mysteria, non autem Fidem habitualem, quæ ad illa duo Mysteria se non restringit, sed indifferenter ad omnia se extendit.

*Prob.* 2. *pars min.* Ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. dicente; causam instrumentalem nostræ justificationis

tionis esse *Sacramentum Baptismi*, *quod est Sacramentum fidei*, *sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Porro non loquitur de Fide habituali, sed de actuali, cujus Baptismus est solemnis quædam professio, quam per se, vel patrinos faciunt quicumque baptizantur; & quæ *est humanæ salutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*, *sine qua impossibile est placere Deo*, *et ad filiorum ejus consortium pervenire* (*Trident. sess.* 6. *cap.* 8.) Ergo Fides se habet ad justificationem sicut fundamentum ad ædificium, quod sine fundamento esse non potest.

*Objicies:* Allata Scripturæ & Conc. Trid. testimonia commode explicari possunt de necessitate Fidei in voto; ergo.

*Prob. ant.* Testimonia Scripturæ & Conciliorum inculcantia necessitatem medii pro Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ explicantur de necessitate in voto; ergo similiter &c.

*Resp. nego conseq.* Ratio est quia Fides in voto non est vera Fides, sicut Sacramentum in voto non est verum Sacramentum; porro verba Scripturæ & Conciliorum inculcantium necessitatem alicujus actus, privata auctoritate detorquere non licet ad sensum improprium, sed ad hoc requiritur auctoritas vel Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum, quæ habetur quidem pro taliter explicandis scripturis & Conciliis inculcantibus necessitatem Baptismi & Pœnitentiæ, non pro inculcantibus necessitatem Fidei.

Ratio est 2. Quia Apostolus probat, Henoch habuisse veram Fidem in re. *Fide Henoch translatus est*, inquit, *ne videret mortem. Ante translationem enim testimonium habuit*, *placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Atqui rueret argumentum Apostoli, si ejus textus intelligi posset de Fide in voto; ergo &c.

3. Quia tum Apostolus, tum Concilium Tridentinum requirunt Fidem, quæ est ex auditu: *Quomodo credent ei*, *quem non audierunt?* inquit Apostolus (*Roman.* 10.) *ergo Fides ex auditu*; *auditus autem per Verbum Christi.* Concil. vero Trident. (*Sess.* 6. *c.* 6.) docet, homines ad justificationem disponi, *dum excitati divina gratia et adjuti*, *Fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum*, *credentes vera esse*, *quæ divinitus revelata sunt.* Atqui illa Fides ex auditu, est Fides proprie dicta in re, & non solum in voto; ergo &c.

4. Fides in voto, non est Fides stricte dicta, quæ pro motivo habet auctoritatem loquentis Dei, sed est Fides late dicta, quæ nihil est, quam cognitio Dei fundata in solo testimonio creaturarum, quæ tamquam Dei præcones, ipsum nuntiant nobis ut summe bonum, summeque amabilem; atqui Fides late dicta non sufficit ad justificationem, prout definivit Innoc. XI. in damnatione propositionis: *Fides late dicta*, *ex testimonio creaturarum*, *similive motivo ad justificationem sufficit.*

Quær. 1. *Quænam mysteria fuerunt omni tempore necessaria necessitate medii credenda?*

*Resp.* 1. Quovis tempore fuit necessaria necessitate medii simpliciter Fides explicita Dei existentis, & Dei remuneratoris; *accedentem enim ad Deum*, ait Apostol. (*Hebr.* 11. *vers.* 6.) *oportet credere quia est*, *et quod inquirentibus se remunerator sit.*

*Ratio primi* est, quia Fides Dei existentis est primum omnium credendorum; ergo cum ad salutem & justificationem omni tempore fuerit necessarium necessitate medii aliquid credere, primo credendum fuit Deum esse; idque explicite, quod enim implicite creditur, in alio explicite credito creditur, sed quod primo credendum est, in se & non alio prius credito potest credi, ergo.

*Ratio secundi* est, quia eodem modo Apostol. requirit Fidem Dei remuneratoris, ac Dei existentis; sed Dei existentis requirit Fidem explicitam; ergo & Dei remuneratoris; ideo Innocent. XI. damnavit hanc prop. *non nisi Fides unius Dei necessaria est*, *non autem explicita remuneratoris.*

*Resp.* 2. Ante Evangelii promulgationem necessaria fuit necessitate medii Fides implicita in Christum.

*Prob.* Ex Act. 4. *Non est in aliquo alio salus*, *neque est enim aliud nomen sub cœlo*, *in quo* (invocato) *oporteat nos salvos fieri.* Qui textus de omni prorsus statu intelligitur; juxta illud Apostol. (*Ad Galat.* 2. *v.* 16.) *non justificatur homo ex operibus legis nisi per Fidem Jesu Christi*; atqui *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* ait idem Apostol. (*Roman.* 10. *v.* 14.); ergo ante promulgationem Evangelii Fides in Christum implicita fuit necessaria necessitate medii.

Dixi *implicite*, non autem explicite, quia ex eodem Apostol. (*Coloss.* 1. *v.* 26.) *mysterium* (nempe Incarnationis) quod *absconditum fuit a sæculis et generationibus*, *nunc autem manifestatum est sanctis ejus*, *quibus voluit Deus nota facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus*, *quod est Christus.* Ergo mysterium Incarnationis ante Evangelii promulgationem non fuit explicite & clare manifestatum; ergo non fuit necessarium illud explicite credere, alias Deus præcipisset impossibile.

Quæres 2. *Quænam mysteria*, *post Evangelii promulgationem sint necessitate medii credenda?*

*Resp.* Post Evangelium ad justificationem & salutem necessaria est necessitate medii Fides Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, passionem, & resurrectionem, & Sanctissimæ Trinitatis.

*Prob.* 1. *pars:* Ex Joann. 17. *hoc est vita æterna*, id est, medium necessarium ad vitam æternam consequendam, *ut cognoscant te solum Deum verum*, *et quem misisti Jesum Christum*; ubi eodem modo Fides in Christum dicitur necessaria ac Fides in Deum; atqui sine dubio de necessitate salutis est, credere in Deum explicite; ergo & credere in Christum; unde necesse est perire eum qui in Christum non credit, juxta illud Joann. 3. *qui credit in Filium*, *habet vitam æternam*; *qui autem incredulus est Filio*, *non videbit vitam*, *sed ira Dei manet super illum.* Et illud August. (*Lib. de corrept. et gratia cap.* 7.) *sicut veritas loquitur*, *nemo liberatur a damnatione quæ facta est per Adam*, *nisi per fidem Jesu Christi*, *et tamen ab hac damnatione non se liberabunt*, *qui poterunt dicere se non audivisse Evangelium Christi.*

*Prob.*

*Prob.* 2. *pars:* Mysterium Incarnat. explicite credi non potest sine fide explicita Trinitatis, quia inquit Div. Thom. (2. 2. *qu.* 2. *art.* 8.) *in mysterio Incarnationis Christi continetur quod Filius Dei carnem assumpserit .... & de Spiritu Sancto conceptus fuerit.* Ergo &c.

*Confirmatur* utraque pars ex damnatione hujus propos. ab Innoc. XI. *absolutionis est capax homo etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

*Objicies* 1. Ad justificationem & salutem sufficit ex Apost. (*Hebr.* 11. *v.* 6.) Fides explicita Dei existentis & remuneratoris; ergo.

*Resp. dist. ant.* Apostolus enim non agit ibi de necessitate Fidei explicita respective ad statum solius legis Evangelicæ, sed respective ad omnem statum, sive naturæ, sive Legis, sive Evangelii, ut patet ex contextu; fateor autem pro omni illo statu necessariam non esse necessitate medii Fidem explicitam nisi Dei existentis, & remuneratoris.

*Objicies* 2. Cornelius Centurio justificatus fuit absque Fide explicita Christi & Trinitatis; ergo illa Fides non est necessaria necessitate medii simpliciter post Evangelii promulgationem.

*Resp. transeat ant.* Quod negat D. Aug. (*Lib. de prædest. Sanctor. cap.* 7.) *dist. conseq.* quia si fuit justificatus antequam explicitam Christi Fidem haberet, id factum est Evangelio nondum promulgato; *habeat autem*, ait D. Thom. (2. 2. *qu.* 10. *art.* 4. *ad* 3.) *Fidem implicitam nondum manifestata Evangelii veritate.*

*Objicies* 3. Si Fides explicita Christi & Trinitatis esset ad salutem necessaria necessitate medii simpliciter, salus esset impossibilis surdis & mutis a nativitate vel etiam enutritis in sylvis, ubi nihil de Christo & Trinitate audierunt; atqui hoc videtur nimis durum; ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Cum enim Deus hominibus non desit in necessariis, nisi ipsi desint Deo, nec ipsos deserat nisi ab ipsis deseratur; ipsis si ope gratiæ quæ nemini deest, Legem naturæ servaverint, media necessaria quibus possint ad salutem prevenire providebit vel per internam inspirationem, vel per Angelum, vel per Fidei prædicatorem, prout factum est in Cornelio, Lydia & Eunucho, de quibus in Actibus Apostolorum; ita docet Divus Thomas (*quæst.* 14. *de veritate art.* 11.).

### §. II. *An Fides Actualis interna sit necessaria necessitate præcepti?*

*Dico: Datur præceptum speciale Fidei obligans omnes adultos ratione utentes.*

*Prob.* Ex Script. Joann. 3. *hoc est mandatum ejus ut credamus in nomine Filii ejus*, & Marc. ult. *prædicate Evangelium .... qui non crediderit, condemnabitur;* atqui nulla est condemnatio sine transgressione, nulla transgressio sine præcepto; ergo est Fidei internæ speciale præceptum.

Hinc Ecclesia per Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Caritatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium*; & per Innoc. XI. istam: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

*Dices:* Ut præceptum Fidei impleatur, sufficit Fides habitualis; ergo non datur præceptum de actu Fidei interno.

*Resp. nego ant.* Nam præcepta non dantur de habitibus virtutem, neque enim a nobis pendent cum a Deo infundantur, sed tantum de illarum actibus.

Quæres 1. *Quænam Fideles tenentur credere & scire vi præcepti?*

*Resp.* 1. Credere debent ea omnia, quæ necessaria sunt necessitate medii, quia quo jure constituta est Fides alicujus objecti ut medium ad salutem necessarium, eodem jure præcipitur obligatio medium illud usurpandi.

2. Credere debent omnes articulos qui symbolo continentur, saltem quoad substantiam, ita ut Fideles de singulis interrogati, respondeant: ratio est, quia ad illos articulos præcipua Fidei capita reducuntur; nec sufficit illos idiomate ignoto memoriter recitare, sed necessaria est articulorum explicita notitia.

3. Credere & scire debent Sacramenta quæ tenentur aut volunt suscipere, eorum efficaciam, & dispositiones necessarias ad ea debite & utiliter recipienda; nam sine tali cognitione non possunt illa digne suscipere; item sacrificium Missæ, quia tenentur ei reverenter & devote interesse.

4. Debent scire præcepta Dei & Ecclesiæ, item omnes obligationes quæ ad singulorum statum rite dirigendum pertinent, quia ad id sciendum tenetur homo, quod jure naturali, vel divino vel etiam Ecclesiastico observare tenetur.

5. Tenetur scire Orationem Dominicam, quia præscripta est a Christo (*Matth.* 6. *vers.* 9.). *Sic orabitis; Pater noster, &c.* quod de præcepto intelligit Ecclesia dicens in Missa: *Præceptis salutaribus moniti audemus dicere, Pater noster, qui es in cœlis*, &c.

6. Licet stando in jure divino sufficiat ut illa omnia sciantur quoad substantiam, tamen ab Ecclesia præceptum est, ut quilibet in primo instanti morali usus rationis illa memoriter addiscat: quibus ex consuetudine vim Legis habente addi debent Salutatio Angelica & modus efformandæ Crucis.

Quæres 2. *Quandonam divinum actus Fidei præceptum obliget?* Ante responsionem

*Nota.* Duplex est Fidei præceptum, *negativum* scilicet prohibens dissentiri mysteriis Fidei vel de eorum veritate dubitare; affirmativum præcipiens assentiri iisdem Fidei veritatibus.

*Certum est* 1. Præceptum Fidei negativum semper & pro semper obligare, nam dissentire uni veritati vel minimæ sufficienter propositæ ut a Deo revelatæ, aut de illa deliberate dubitare est gravissima in Deum injuria, quasi in aliqua re falli aut fallere possit.

Certum est 2. Præceptum Fidei affirmativum aliquando obligare, sed quo præcise tempore controversia est, quæ ut dirimatur,

*Resp. Præceptum Fidei affirmativum sæpius obligat in vita, tum per se*, id est, ratione sui qua-

quatenus est speciale præceptum; *tum per accidens*, id est, cum urget aliud præceptum, ad cujus observationem Fides est necessaria.

*Prob.* Tum quia præceptum de re gravis momenti, quæ vitæ Christianæ basis est, & fundamentum, non pro aliquibus vicibus tantum, a Deo sancitum est; tum etiam quia ex Apost. (*Ad Galat.* 5. *vers.* 11.) *justus ex Fide vivit*: id est, vita justi Fidei actibus nutritur & conservatur: ergo quemadmodum præceptum naturale de vita conservanda obligat ad sumendum sæpius cibum, ita etiam præceptum divinum fidei obligat ad sæpius eliciendos actus Fidei. Unde merito hæc prop. *sufficit mysteria illa semel credidisse*, proscripta est ab Innoc. XI.

Quæres 3. *In quibus casibus actus Fidei potissimum obligat, tum per se, tum per accidens?*

*Respond.* 1. Obligare *per se*, 1. Infideles & Hæreticos, cum Fides eis sufficienter est proposita; quia ex Trident. Fides est *radix & initium justificationis*.

2. Obligat pueros Fidelium, ubi primum rationis usum sunt adepti, si sufficienter sint instructi; quia Fides est fundamentum totius vitæ Christianæ, quam baptizatus quisque incipere tenetur, cum primum rationis usum adipiscitur.

3. In probabili periculo mortis, quia tunc quisque tenetur omnem quam potest adhibere curam ut suæ saluti certo consulat, superando diabolum & mundum, *hæc est autem victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (1. *Joann.* 5. *vers.* 4.).

4. Quoties lapsus est quis in hæresim, tenetur quippe injuriam primæ veritati illatam, per actum contrarium resarcire.

5. Quoties gravis urget contra Fidem tentatio, quæ aliter propelli non potest: contraria enim contrariis debent repelli, unde tunc dicendum; *credo Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marci* 9. *v.* 24.).

*Resp.* 2. Obligat *per accidens*, 1. dum nos ad justificationem præparamus, quia *sine Fide actuali explicita nulli unquam contingit justificatio*, ait Trident. (*Session.* 6. *cap.* 7.).

2. Dum ad aliquod Sacramentum, maxime Eucharistiæ, quæ est Sacramentum Fidei, accedimus.

3. Dum occurrit occasio Fidem externe profitendi, quod utique fieri rite nequit absque actu interiori Fidei.

4. Dum præcipua anni festa & dies Dominica celebrantur, quia illa ad Dei cultum specialiter sunt instituta, atqui ex D. August. (*Enchiridii cap.* 3.), *Fide, Spe, & Charitate Deus est colendus*; ergo.

## ARTICULUS II.

*De actus externi, seu Confessionis Fidei necessitate.*

*Nota.* Duplex est circa confessionem Fidei præceptum; aliud *affirmativum* quo jubemur aliquando Fidem exterius profiteri; aliud negativum, quo prohibemur Fidem negare, sive *expresse* per verba, sive *implicite* per signa, nutus, æquivocationes, simulationes, &c. De utroque quæstio procedit.

*Dico* 1. *Extat præceptum aliquando Fidem exterius confitendi.*

*Prob.* Quod est ad salutem necessarium, cadit sub præceptum; atqui exterior Fidei confessio est necessaria ad salutem ex Apost. (*Rom.* 10. *v.* 9.) dicente: *si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Unde D. Aug. (*lib. de Fide & Symbolo c.* 1.) ait: *quoniam ... Fides a nobis exigit officium & cordis & linguæ juxta illud Apostoli:* corde creditur ad justitiam: ore autem fit confessio ad salutem: *oportet nos justitiæ esse memores & salutis*; ergo.

Quæres: *Quandonam obligat præceptum affirmativum confitendi Fidem?*

*Resp.* Cum Div. Thom. (2. 2. *q.* 3. *art.* 2.) *confiteri Fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo tempore, &* duplici in casu, *quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda.*

Ratio est quia confessio Fidei tunc cadit sub præceptum cum necessaria est ad finem præcepti, qui ex Apost. (1. *ad Timoth.* 1. *v.* 5.) *est charitas de corde puro*; atqui in prædictis casibus confessio Fidei est necessaria ad charitatem Dei quem toto corde, & proximi quem sicut nos ipsos diligere tenemur; ergo &c.

*Resolves ex* 1. *capite*, Catholicum teneri clare & ingenue confiteri Fidem & religionem etiam sub periculo vitæ,

1. Quando auctoritate publica, sive privatim sive publice de sua Fide interrogatur; quia id exigit Dei & religionis honor propriæ vitæ præferendus: tuncque tacere, esset erubescere Christum qui (*Lucæ* 9. *v.* 26.) ait: *qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Unde merito Innoc. XI. hanc damnavit prop. *si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri ut Deo & Fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

Dixi, *auctoritate publica:* nam a privato sine auctoritate interrogatus potest tacere, aut confessionem non eludere, nisi eam requirat salus proximi aut magnum Fidei emolumentum; quia tunc nihil aliud est quam contemptus & interrogationis & stulte interrogantis.

2. Quando videt Fidem ab infideli aut hæretico injuriis affici, aut sacras imagines conculcari coram aliis sive fidelibus, sive infidelibus; tunc enim debet Fidem confiteri ipsis etiam cum periculo vitæ contradicendo, & Fidem prudenter propugnando; modo tamen non judicetur contradictionem impiis fore occasionem gravius Fidem lacessendi, quia si nemo tenetur ad actum inutilem, multo minus tenetur ad actum Fidei periculosum; ea de causa Catholici non tenentur Gentiles diis immolantes, aut Hæreticos suæ sectæ ritibus incumbentes, palam arguere.

*Resolves ex* 2. *capite*: Quemlibet teneri etiam cum mortis periculo, Fidem clare confiteri, quoties confessio est necessaria ad Fidem in aliis promovendam, vel confirmandam, quod contingit

1. Quando prudenter judicatur proximum qui in fide

fide vacillat; aperta Fidei confessione in Fide confirmatum iri.

2. Quando adest certitudo moralis, aut etiam dubium prudens, quod hæreticus aut infidelis publica Fidei confessione commotus, Fidem Catholicam amplexurus sit, alias in falsa religione permansurus.

3. Quando ex suppressione confessionis futurum est, ut alii in falsa religione confirmentur.

Ratio horum omnium est quia ordo charitatis exigit ut æternam fratrum salutem temporali nostræ saluti præferamus juxta illud (*Joann.* 3. *v.* 16.), *debemus pro fratribus animas ponere:* ad quod strictius tenentur Pastores qui non solum titulo charitatis, sed & justitiæ debito animas suas pro ovibus sibi commissis tradere debent dicente Christo (*Joann.* 10 *v.* 11.), *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

*Nota.* Extra duos illos casus cavendam esse confessionem imprudentem, quæ talis censetur:

1. Dum sine ulla necessitate divini honoris, vel utilitate proximorum, temere quis se exponit periculo tormentorum, quæ forte tolerare non poterit; sicque exponit se periculo negandæ Fidei; ideo in tali casu potest fugere & occultare Fidem, juxta illud Christi (*Matth.* 10. *v.* 23.); *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam;* sicque fugiens, Fidem non negat, imo quodammodo profitetur; non enim fugeret, si Fidem non retineret.

2. Dum absque utilitate Fidei vel fidelium confessio perturbationem in infidelibus causat, unde Christus (*Matt.* 7. *v.* 6.) dicit: *nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargite ante porcos, ne forte . . . conversi dirumpant vos.*

*Dico* 2. *Nullo unquam casu licet Fidem exterius negare sive ex animo, sive ex simulatione.*

*Nota:* Fidem negat *ex simulatione*, qui Fidem interius retentam negat exterius, vel qui factis aut dictis simulat falsam religionem.

*Prob.* 1. *pars:* Ex Scriptura Matth. 10. *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete qui & animam & corpus perdere potest in gehennam:* & hinc Christus concludit; *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ex quo sermonis contexu communis sanctorum Martyrum & Doctorum sensus semper fuit, Christum loqui in casu etiam gravissimæ persecutionis, ita ut ne tunc quidem liceat Christum negare.

Hinc Catholicus peccat graviter contra Fidem,

1. Qui interrogatus an sit Christianus, id negat quia se veram Christi Fidem tenere negat.

2. Qui interrogatus ab hæreticis an sit Catholicus, Papista, &c. id negat, quia negat se esse Fidei Romanæ sectatorem, secus dicendum de eo qui interrogatus an sit Sacerdos, Monachus, &c. id negat; quia cum sint multi Catholici qui non sunt Sacerdotes aut Monachi, ejus negatio non censetur negatio Catholicismi.

3. Qui interrogatus cujus sit religionis, respondet esse Turcam, Calvinistam, &c. quia non solum negat Catholicismum ac proinde Fidem Christi; verum etiam profitetur sectam Catholicismo contrariam.

*Prob.* 2. *pars:* Quod est intrinsece malum, nullo unquam casu, etiam mortis acerbissimæ, licitum esse potest; atqui Fidem corde retentam, ore vel facto negare est intrinsece malum: ergo, &c. *Prob. min.* Mendacium est intrinsece malum; atqui Fidem corde retentam, ore vel facto negare est mendacium detestabile & valde perniciosum, utpote Dei maxime inhonorativum; ergo. Unde Christus ait: *qui me erubuerit coram hominibus, hunc & filius hominis erubescet.*

*Objicies* 2. Eliseus Naaman principi militiæ Regis Syriæ (*l.* 4. *Reg. cap.* 5. *v.* 19.) concessit, ut rege adorante in templo Remmon, & ipse cum eo adoraret; atqui Naaman in eo casu falsam religionem simulabat, promiserat enim Eliseo se ultra non adoraturum nisi Deum verum; ergo licet in aliquo casu falsam religionem simulare.

*Resp. nego min.* Ratio est, quia adorationis nomen eo loci sumitur late pro nuda nimirum corporis incurvatione, regis coram idolo genuflectentis sustinendi causa; non autem stricte pro religionis actu; siquidem & ipsimet Naaman & omnibus Syris quibus notum erat Naaman Judæorum religionem palam profiteri, persuasum erat incurvationem illam corporis esse obsequium mere civile, quod ex officio suæ politicæ dignitati annexo exhibebat regi, non solum in templo, sed etiam in omnibus aliis locis in quibus rex solemniter aliquam cæremoniam peragebat; unde genuflexio Naaman non magis faciebat ad adorationem idoli, quam ad eam facit delatio caudæ qua famulus obsequitur dominæ suæ eunti ad templum idoli.

*Objicies* 2. Jehu (4. *Reg.* 10. *v.* 19.) simulavit se velle sacrificare idolo Baal ut ejus cultores agnosceret & deleret; ergo licet aliquando simulare falsam religionem. *Prob. conseq.* Jehu propter suam hanc actionem laudatus fuit a Domino; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ad prob. *dist.* Laudatus fuit eo quod juxta voluntatem Dei delevisset cultores Baal *conc. ant.* Eo quod ad eos delendos hanc adhibuerit simulationem, *nego ant.* nam Div. Aug. (*l.* 2. *contra mendacium cap.* 2.) hanc simulationem vocat, *mendacium impium & sacrilegum sacrificium.*

*Objicies* 3. Sanctus Paulus circumcidit Timotheum (*Actor.* 16. *v.* 3.) & purificavit se ritu Mosaico (*Actor.* 22. *v.* 26.) atqui hæc fieri non potuerunt sine simulatione Legis Mosaicæ, quæ jam tunc rejecta erat; ergo.

*Resp. nego min.* Quia quo tempore Apostoli legalia usurparunt, Lex erat mortua quidem, sed nondum mortifera, & ideo justas ob causas absque ulla simulatione ab Apostolicis utpote Judæis, licite observari potuerunt non ut jam amplius significantia Christi mortem ut futuram, sed ut præteritam.

*Resolves* Catholicum infidelitate reum esse:

1. Qui coram Idolo genuflectit, thurificat, in his circumstantiis in quibus hæc actio ad falsæ religionis professionem determinatur, quamvis Idolum interius despiciat; imo quamvis thurificatio illa externa non ad Idolum, sed ad Deum verum vel ad latentem crucifixum dirigatur (*ita declaravit Sancta Congregatio de propag. Fide Innocent. X. approbante* 12. *Sept.* 1645.).

2. Qui

2. Qui usurpat cæremonias & ritus ex natura sua, vel ex usu, vel ex instituto hominum significantes cultum falsæ religionis, cujusmodi sunt cœnam Calvinisticam cum solemnitate solita sumere; cum hærerticis Psalmos canere; coram hæretico Ministro in templo hæreticorum matrimonia celebrare, &c. hoc est enim facto profiteri se hæreticum.

3. Qui utitur vestibus vel signis per Legem vel consuetudinem institutis ad designandum Professorem falsæ religionis, saltem si advertat circumstantes accepturos ejusmodi vestes vel signa tamquam significativa professionis falsæ sectæ; ratio est quia facto veram Fidem negat.

4. Qui obedit Principi hæretico qui ut suam promoveat vel honoret religionem, præcipit Catholicis ut Hæreticorum templa adeant, concionibus eorum & precibus adstituri, etiamsi Rex verbis protestaretur se nolle cogere quemquam ad religionem mutandam, sicut præcepit Rex Angliæ tempore Pauli V. (*anno* 1606.) qui super hoc consultus, respondit: *non licet vobis hæc facere, sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.* Quia scilicet edictum tale non est pure politicum, sed tendit in promotionem falsæ sectæ, perniciemque Fidei Catholicæ.

Non peccat tamen qui extra hanc regii edicti circumstantiam, ex gravi causa templa heretica ingreditur, ibi concionibus interest &c. modo absit periculum subversionis aut scandali, quia tunc non simulatur falsæ religionis cultus.

5. Qui Idolotytis *formaliter* sumptis, id est quatenus sunt in cultum Idoli, aut in his circumstantis in quibus prudenter judicatur esum hunc in cultum Idoli referri, quia esset usurpare falsæ religionis cultum, quod nullo unquam casu licet. Secus si Idolotytis uteretur *materialiter* tantum sumptis ad famem in necessitate sedandam absque scandalo, ut constat ex Apostol. (1. *Cor.* 10.) Ratio est quia in necessitate licitum est vesci cibo de se indifferenti; Idolotytum autem est cibus de se indifferens; ergo.

Quæres: *An Catholicis inter Hæreticos degentibus licitus sit esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis, ne agnoscantur ab Hæreticis, & agniti morte vel gravi pœna plectantur?*

*Resp. affirm.* Nam neque peccant contra Legem Ecclesiæ utpote non obligantem in tali necessitate; neque contra Legem divinam de non neganda Fide vera, nec profitenda falsa, quia esus carnium die prohibito neque ex natura sua, neque ex Hæreticorum Lege (ut suppono) est signum professionis falsæ religionis, Catholicique multi vel ex dispensatione, vel ex gula, vel ex ignota infirmitate carnes edunt diebus vetitis.

## QUÆSTIO VI.

### *De vitiis Fidei oppositis.*

*Nota.* Duo sunt præcipua vitia Fidei opposita; nempe *infidelitas* quæ actui interno Fidei; & *blasphemia* quæ Fidei professioni opponuntur. De utraque sequentibus articulis.

## ARTICULUS I.

### *De Infidelitate.*

*Nota.* 1. Infidelitas est *carentia Fidei in subjecto apto*, & triplex est, scilicet pure negativa, privativa, & positiva.

Infidelitas *pure negativa*, est carentia Fidei in eo cui Fides nullo modo, vel certe non sufficienter est annuntiata.

Infidelitas *privativa*, est carentia Fidei in eo cui Fides sufficienter est annuntiata ut credere possit & debeat, qui tamen omittit credere, tametsi nullo contra Fidem errore positivo laboret.

Infidelitas *positiva* seu *contraria*, est carentia Fidei in eo qui Fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem Fidei, vel errorem Fidei contrarium asserendo.

*Nota* 2. Infidelitatis positivæ tres assignantur species a S. Thom. (2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5.) scilicet Paganismus, Judaismus, & Hæresis.

*Paganismus*, est infidelitas qua doctrina Fidei totaliter rejicitur: ad hunc reducitur *Atheismus*, & *Mahumetismus.*

*Judaismus*, est infidelitas qua doctrina Fidei in novo testamento rejicitur, sed vetus testamentum admittitur, Messiasque venturus expectatur, venisse negatur.

*Hæresis*, est infidelitas qua admisso utroque testamento, aliqua veritas Fidei in illis contenta & ab Ecclesia ut talis sufficienter proposita, negatur. Ad hanc revocatur *apostasia*, quæ est infidelitas eorum qui a Christianismo totaque ejus professione, discedunt, transeuntque sive ad Paganismum, sive ad Judaismum, sive ad Mahumetismum.

*Certum* est 1. Infidelitatem pure negativam non esse peccatum; dicit enim Christus (*Joann.* 15. *v.* 22.), *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, scilicet *illud peccatum quo non crediderunt in eum*, ait D. Aug. (*tract.* 89. & 91. *in Joann.*)

Ratio est quia omne peccatum est voluntarium vel in se, vel in alio; atqui hæc infidelitas non est voluntaria, nec in se utpote incognita, nec in alio, quia nihil faciunt infideles illi unde cognoscere possint se sequi infidelitatem illam; ergo. Hinc Pius V. & Gregor. XIII. hanc Baji prop. damnarunt: *infidelitas pure negativa, in his quibus non est prædicatus Christus, peccatum est.*

*Certum est* 2. Infidelitatem privativam esse peccatum mortale ex genere suo: qui enim voluntarie omittit credere dum potest & debet, sine dubio peccat; atqui talis est qui infidelitate privativa laborat; ergo &c. de eo dicitur (*Joann.* 3. *v.* 18.) *qui non credit, jam judicatus est.*

*Certum est* 3. Infidelitatem positivam esse peccatum ex genere suo mortale & quidem gravissimum, quodque ex sola indeliberatione, non vero ex levitate materiæ a mortali excusari potest; quia directe pugnat contra divinitatem, de cujus veracitate dubitare, vel eam negare in re vel minima est gravissimus Dei contemptus, maximaque irreverentia.

*Nota* 3. Multa hic congerunt Theologi de Paparis

nis & Judæis, an v. g. a Principibus Christianis tolerari possint: an & quam iidem in ipsos potestatem habeant: an possint cogi ad Fidem amplectendam: sed quia hæc apud nos parum necessaria sunt, ab iis abstinebimus, tantumque de hæresi loquemur variis quæstiunculis: unde

Quæres 1. *Quid sit hæresis formalis?*

*Resp. Est error voluntarius et pertinax contra aliquam Fidei Catholicæ veritatem, in eo qui se Christianum profitetur.* Unde ad hæresim formalem tria requiruntur, scilicet,

1. *Est professio Christianismi* ex parte subjecti; quia hæresis est Fidei jam susceptæ ejuratio.

2. *Est error* ex parte intellectus, id est judicium erroneum contra aliquem Fidei Catholicæ articulum, quem vel judicat esse falsum, vel *positive* dubitat utrum sit verus; quia ex jure (*Cap.* 1. *de Hæreticis*), *dubius in Fide infidelis est:* quia virtualiter negat Ecclesiam esse infallibilem Fidei regulam, quod est aperte hæreticum, inde

*Inferes* 1. Eum qui metu mortis negat exterius Fidem absque interno mentis assensu, quo verum credat quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum confitendi Fidem, proprie tamen hæreticum non esse, nec incurrere pœnas contra hæreticos latas; nihilominus talis censeretur *hæreticus* in foro externo, & ut talis merito puniretur, quia *Ecclesia non judicat de occultis.* (*Cap. sicut tuis. De simonia*).

*Inferes* 2. Eum qui *negative* tantum de veritate Fidei dubitat, id est qui judicium suum suspendit quia Ecclesiæ definitio non est ipsi sufficienter proposita, non esse hæreticum formaliter; quia ut quis teneatur aliquam veritatem credere Fide divina, debet illi esse ab Ecclesia sufficienter proposita.

*Inferes* 3. Non esse hæreticos, nec peccare contra Fidem qui vel scrupulis vel tentationibus velut obruti, sic negative dubitant, seu judicium suspendunt, ut tamen tentationibus illis non consentiant, sed mori mallent quam Ecclesiæ definitionem voluntarie in dubium revocare; isti enim non agunt, sed patiuntur quamdam veluti dubitationem, seu potius tentationem contra Fidem.

3. *Est pertinacia* ex parte voluntatis (*Can. dixit Apostolus caus.* 24. *qu.* 3.) quæ non consistit in hoc quod quis suum errorem acriter & quasi mordicus defendat ac retineat; sed in hoc quod sciens & volens repugnet Catholicæ Fidei sibi sufficienter propositæ ab Ecclesia *quæ est columna et firmamentum veritatis* (1. *Tim.* 3. *v.* 15.) quam ob causam scriptum est, *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*: Inde

*Inferes* 1. Neminem esse *formaliter* hæreticum, quamdiu paratus est judicium suum erroneum submittere judicio Ecclesiæ.

*Inferes* 2. Eum non esse *formaliter* hæreticum, tametsi moraliter peccet, qui errat in Fide, ex ignorantia moraliter culpabili crassa ac etiam affectata, si illa affectatio ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio, cum qua stet voluntas ea credendi quæ Ecclesia credit, cum ipsi sufficienter proposita fuerint: ratio est, quia licet voluntarie erret, non tamen errat cum pertinacia.

Dixi: *Si affectatio ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio:* quia si ex affectu liberius errandi, & errori suo adhærendi, Ecclesiæ definitionem ignorare affectaret, esset *formaliter* hæreticus; tunc enim Ecclesiæ judicio adhærere non est paratus, vereque est pertinax; cum positive nolit illud cognoscere, ut ei non adhæreat.

*Inferes* 3. Eum *formaliter* esse hæreticum qui existimans aliquid esse ab Ecclesia definitum, quod non est definitum, contrarium interim pertinaciter tenet; ratio est, quia Ecclesiam fallibilem esse credit.

Quæres 2. *Quot et quænam sint hæreticorum pœnæ?* Ante responsionem

*Nota* 1. Hæresis formalis alia est interna, alia externa. *Interna*, est ea quæ in mente retinetur; *externa*, est ea quæ interne vigens verbis vel facto aliquo externo sufficienter exterius exprimitur.

*Externa*, dividitur in *occultam* quæ vel nemine, vel uno alterove solummodo præsente & audiente profertur, & *publicam* seu *notoriam*, quæ palam & coram pluribus exterius manifestatur.

*Nota* 2. Pœnæ hæreticorum aliæ sunt temporales, aliæ spirituales; circa quas

*Resp.* 1. Hæresis *interna* & externa occulta nullas habet pœnas annexas; quia *Ecclesia non judicat de occultis* (*Can. Sicut. De Simon.*) & *cogitationis pœnam nemo patitur.* (*Can. Cogitationis. De pœnit. dist.* 1.)

*Resp.* 2. Pœnæ temporales annexæ hæresi notoriæ sunt sequentes.

1. Est *infamia juris*, & inde sequens inhabilitas ad omnes actus civiles. (*Cap.* 13. §. *Credentes de Heretic.* & *l. final. cod. de Hæreticis*).

2. Est *intestabilitas*, tam activa, quam passiva. (*Cap. et Lege iisdem*)

3. Est *privatio patriæ potestatis in filios.* (*Cap. Quicumque* § *final. de Hær. in* 6.)

4. Est *amissio dotis* respectu mulieris hæreticæ. (§ *Item privilegium Cod. de Hæreticis*)

5. Est *confiscatio* omnium bonorum. (*Cap. cum secundum. de Hæret. in* 6. *et l. Gazaros cod. de Hæret.*)

6. Est *pœna carceris perpetui* pro Hæreticis pœnitentibus non relapsis (*Cap.* 15. *de Hæret.*) quæ pœna potest mitigari (*Cap.* 12. *de Hæretic. in* 6.) & exilii perpetui, aut etiam mortis pro Hæreticis impœnitentibus. (*Cap.* 13. *de Hæret. et l. Ariani, cod. eod.*

7. Respicit filios Hæreticorum; qui 1. privantur hæreditate paterna (*Cap.* 10. *de Hæretic. et authentica. Gazaros. De Hæretic.*) 2. Sunt infames. (*Ex Bullis Innoc. IV. Alex. IV. Clem. IV. quæ omnes incipiunt Ad extirpanda. Item ex* 2. *constit. Friderici Imperator. id expresse statuentibus*)

*Resp.* 3. Pœnæ spirituales hæresi notoriæ annexæ, sunt:

1. Excommunicatio major Papæ reservata (*Cap.* 8. 9. *et* 13. *de Hæret.*) quæ pœna extenditur ad *credentes* Hæreticis, & eorumdem *receptores*, *defensores et fautores.* (*Cap.* 13. *eodem*)

2. Est *inhabilitas* ad officia, dignitates & beneficia ecclesiastica, quæ extenditur ad *credentes*, *receptatores*, *defensores et fautores eorum*, *ipsorum-*

*rumque filios usque ad secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat.* (*Cap.* 15. *de Hæret. in* 6.)

3. Est privatio beneficiorum prius rite obtentorum. (*cap.* 12. *de Hæret. in* 6.)

4. Est privatio sepulturæ ecclesiasticæ. (*cap.* 8. *eod. tit.*)

Porro pleræque illæ pœnæ tum temporales, tum spirituales locum non habent in Gallia; sed solum excommunicatio major cum omnibus inhabilitatibus & privationibus ipsam consequentibus, ut videre est apud Doctores Gallos.

Quæres 3. *Quinam possunt absolvere ab excommunicatione propter hæresim contracta?*

*Resp.* Solus Papa in locis ubi Bulla *Cœnæ* est promulgata & usu recepta; in Gallia vero ubi Bulla *Cœnæ* non est promulgata nec usu recepta, Episcopi jure communi, in cujus possessione eorum pars maxima semper perseveravit, per se vel per delegatos absolvere possunt, ut docent Doctores Galliæ.

Quæres 4. *An prohibita sit cum Hæreticis communicatio?*

*Resp.* Quamvis olim communicatio cum quovis Hæretico utpote excommunicato, fuerit prohibita, tamen hodie licitum est communicare cum omnibus specialiter & nominatim non excommunicatis, prout statuit Martinus V. (*Constit. ad evitanda. Edita in Concilio Constantiensi*) modo tamen absit scandalum & perversionis periculum, quod si alterutrum interveniat in communicatione cum Hæreticis, etsi alias licita, vitari debet *jure naturali* juxta illud Scrip. *qui amat periculum, peribit in illo.*

Quæres 5. *An prohibita sit cum Hæreticis disputatio?*

*Resp.* 1. Jure Ecclesiastico prohibita est omnibus Laicis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. (*cap.* 2. *de Hæret. in* 6.)

Ratio prohibitionis est, quia in tali dispositione plerumque majus periculum timendum, ne Catholicus pervertatur, vel Hæretici in sua falsa religione firmentur, quam sperandum ut convertantur.

*Notant* tamen multi apud Beccanum (*c.* 15. *q.* 7.) hanc Legem in locis in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, contraria consuetudine esse abrogatam scientibus & non contradicentibus Ecclesiæ Prælatis; quia subinde talis disputatio necessaria est ad compescendos Hæreticos Fidei insultantes.

*Resp.* 2. Nulla Lege prohibita est Clericis disputatio sive publica, sive privata cum Hæreticis, si debitæ adsint circumstantiæ, quarum prima est ut disputantes sint docti, alias Fidem periculo contemptus exponerent. 2. Ut non disputent coram Catholicis indoctis & simplicioribus, qui callitis Hæreticorum argumentis possent perturbari & in Fide vacillare.

Quæres 6. *An prohibita sit librorum Hæreticorum lectio?*

*Resp.* 1. Jure naturali est prohibita iis omnibus quibus tali lectione imminet perversionis, vel gravium contra Fidem tentationum periculum; etiamsi docti sint, & ipsis concessa sit illius lectionis dispensatio; ratio est quia quilibet ex charitate Dei & sui tenetur periculum peccati vitare.

*Resp.* 2. Jure Ecclesiastico duplex extat generalis prohibito librorum.

1. Continetur in *Bulla Cœnæ*, in qua sub excommunicatione ipso facto incurrenda, Papæque reservata prohibetur voluntaria *lectio*, *retentio*, *impressio* & *defensio* librorum ab auctore Hæretico compositorum, hæresim continentium, vel de religione tractantium.

2. Continetur in *indice* librorum prohibitorum auctoritate Pii IV. erecto, & postea per successores continuato, confirmato & aucto, in quo varii libri in tres classes distincti prohibentur: & quidem,

*In* 1. *classe* ponuntur omnes Libri Heresiarcharum, & Hæreticorum qui in odium auctoris sunt damnati.

*In* 2. *classe* ponuntur *certorum auctorum libri prohibiti*, non propter ipsum libri auctorem, sed propter non sanam, suspectam, aut Fidei, moribus, & castitati repugnantem, quam continent, doctrinam.

*In* 3. *classe* ponuntur *incertorum Auctorum libri prohibiti*, ob doctrinam quam continent malam, sive in genere *moris*, sive in genere *Religionis* aut Fidei.

Quæres 7. *Sub qua pœna prohibentur Libri in indice?*

*Resp.* Omnes Libri in *prima classe* damnati, item omnes Libri qui in *secunda aut tertia classe* damnati *ob hæresim* quam continent, aut *ob falsi dogmatis suspicionem*, prohibentur sub excommunicatione ipso facto incurrenda, Papæ tamen non reservata. Libri vero *secundæ & tertiæ classis* qui non ob hæresim, aut ob falsi dogmatis suspicionem, sed ex alio capite, v. g. ob doctrinam Christianis moribus & castitati contrariam, damnantur, prohibiti sunt sub gravi quidem peccato mortali, gravique Episcopi arbitrio imponenda pœna, non tamen sub excommunicatione. Tota hæc resolutio continetur in *Regula decima indicis.*

Quæres 8. *An in lectione Libri hæretici detur parvitas materiæ excusans a mortali & censura?*

*Nota:* Multi affirmant, sed in assignando parvitatis hujus gradu, plurimum inter se dissident; dum enim Suarez pro parvitate materiæ assignat *duas aut tres lineas*, Sayrus assignat *decem lineas*; Azorius *unum aut alterum versiculum*; Arriaga, *unum parvum folium*; Sanchez vero cæteris liberalior, *unum magnum folium* concedit. ego vero cum Ethica amoris (*Lib.* 2. *pag.* 141. *num.* 284.)

*Resp. negat.* Ratio est quia Libri hæretici præcipue & communiter prohibentur ob periculum subversionis, a quo nullus nisi stultus ac superbus se alienum præsumit in materia tam lubrica, in qua Ecclesia ne ipsis quidem Episcopis & Cardinalibus fidit, sed eorum lectionem omnibus generaliter prohibet; atqui periculum illud in qualibet hæretici Libri parte rationabiliter timeri potest & debet, cum quilibet ignoret in qua pagina & periodo respectu sui lateat istud periculum, eo quod in una linea contineri possit antecedens plurimas inferens consequentias perniciosissimas, quæ tentationem gravissimam, & inde grave periculum excitare possunt; ergo &c.

Quæ-

Quæres 9. *An Bulla Cœnæ et index Librorum prohibitorum vigeant in Gallia?*

*Resp.* Omnes fere Gallicani Theologi, Jurisconsulti, & Canonistæ, *negative*, quia in Gallia nec *Lex indicis*, nec *Bulla Cœnæ* promulgatæ sunt, nec usu receptæ; nihilominus tamen qui sine licentia Libros Hæreticorum legunt, peccare & excommunicationem majorem non reservatam incurrere, virtute constitutionum antiquioris juris in Gallia in suo vigore perseverantis, atque transeuntis ad Libros hæreticæ doctrinæ qui nunc eduntur.

## ARTICULUS II.

### *De Blasphemia.*

Quæres 1. *Quid sit blasphemia?*

*Resp.* Est *contumeliosa in Deum locutio.*

Dicitur 1. *Contumeliosa*: quia cum Deus sit ubique præsens, omnis in eum maledictio est vera contumelia.

Dicitur secundo *locutio* interna vel externa: unde si Deus injuria afficiatur non verbo, sed facto, v. g. flagellatione, non erit stricte blasphemia, sed contumelia specialiter.

Dicitur 3. *in Deum*: sive immediate in se, sive mediate in creaturis, quatenus in eis aliquod Dei attributum relucet, ut sunt Sancti, cælum &c.

Quæres 2. *Quotuplex est blasphemia?*

*Resp.* Triplex, scilicet hæreticalis, imprecativa, & mere dehonestativa.

Blasphemia *hæreticalis* est *ea qua Deo tribuitur aliquis defectus*, v. g. quod sit injustus, crudelis &c. *vel negatur aliqua perfectio*, v. g. quod sit omnipotens, omniscius, &c. *vel tribuitur creaturæ quod soli Deo convenit*, v. g. divinitas, omnipotentia.

Porro hæreticalis videtur hæc blasphemia: *tam est verum, quam verum est Deum existere;* quia denegari videtur Deo existentia independens ab omni alio.

Blasphemia *imprecativa* est ea *qua quis Deo malum imprecatur*, v. g. maledictus Deus, pereat Deus, derego Deum, &c.

Blasphemia *mere dehonestativa* est ea *qua aliquid* Deo conveniens profertur cum irreverentia: qualis est blasphemia eorum qui indignabundi nominant Christi caput, viscera, sanguinem, ventrem, &c.

Quæres 3. *Quale sit peccatum blasphemiæ?*

*Resp.* Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec ullam admittit parvitatem materiæ; ratio est quia quælibet Dei contumelia vel maledictio, utpote Dei majestatem positive deprimens, gravem Deo injuriam infert, ergo est peccatum gravissimum; *nihil horribilius blasphemia*, inquit D. Hieron. (*l.* 7. *in Isaiæ c.* 18.), *quæ ponit in excelsum os suum.* Et ideo in Lege veteri morte puniebatur Levit. 24. *qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur.*

Porro ad mortalem blasphemiam non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis; cum quis, v. gr. ex ira aut indignatione, imo etiam ex joco ea profert, quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumstantiis Dei inhonorationem continent, & blasphemans, id avertere potest & debet.

Quæres 4. *An species blasphemiæ debeat exprimi in Confessione?*

*Resp. affirm.* 1. Quia blasphemiæ *hæreticalis* & *imprecativa* duplicem habent malitiam *specie* diversam: *hæreticalis* quidem pugnat contra Religionem & Fidem, si de Deo interne sentitur quod ei verbis attribuitur; imprecativa vero præter malitiam irreligiositatis continet malitiam odii Dei contra charitatem. 2. Quia blasphemia quæ est immediate in Deum, est gravior ea quæ in eum est tantum mediate; & ideo omnia illa distingui debent in Confessione.

*Notat* hic P. Antoine (*T. de religione c.* 1. *art.* 2.) post Habert (*Ibidem*) appellationem nominis Dei vel Jesu frequenter ex quadam animi levitate, & sæpe ex impatientia prolatam his exclamationibus *Jesu! Deus bone!* &c. licet non sit blasphemia, esse tamen vanam usurpationem nominis Dei, & culpam venialem contra Religionem. Ratio est, quia nomen Dei sanctum & terribile sine ullo religionis sensu usurpare ut aliquid commune & profanum, vera est irreverentia. Unde prohibetur Eccl. 23. *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis;* id est, a peccato irreverentiæ contra eos.

## DISSERTATIO II.

### *De spe Theologica.*

*Nota.* Multiplex est acceptio spei in Scriptura:

1. Enim sumitur pro objecto spei; sic Rom. 8. *spes quæ videtur, non est spes.*

2. Sumitur pro eo, a quo speratur tale bonum, Psalm. 90. *tu es Domine spes mea.*

3. Pro eo, per cujus intercessionem speramus vitam æternam; sic Ecclesia de B. V. Maria canit, *Spes nostra salve.*

4. Sumitur pro habitu vel actu credendi; de spe sic sumpta exponenda sunt 1. Essentia & divisio; 2. Objectum; 3. Ejus distinctio a Fide & Charitate; 4. Subjectum; 5. Proprietates; 6. Vitia opposita; de timore autem qui est effectus Spei, utilius loquemur in dissertatione de Sacramento pœnitentiæ, ubi de attritione.

## CAPUT PRIMUM.

### *De essentia & divisione Spei.*

Quæres 1. *Quid sit Spes?*

*Resp.* Spes *est virtus Theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam et media illius consequendæ a Deo expectamus.*

Dicitur 1. *Virtus*, quia de se inclinat ad bonum, nempe ad expectationem Dei tamquam finis nostri ultimi, quod certe bonum est; si enim bonum est Deo ut fine ultimo perfrui, utique bonum est Deum ut finem ultimum exoptare, & in eum toto mentis conatu ferri.

Di-

Dicitur 2. *Theologica*, quia versatur immediate circa Deum supernaturaliter possidendum.

Dicitur 3. *Per quam certa cum fiducia*, quia spes animam tentationibus & procellis hujus vitæ agitatam, firmat in promissis Dei; sed de certitudine Spei postea.

Dicitur 4. *A Deo*, quia beatitudo supernaturalis, solis naturæ viribus, non potest comparari.

Dicitur 5. *Expectamus beatitudinem æternam*, et *media illius consequendæ*, per quod denotatur objectum Spei, tum primarium, tum secundarium; de quo infra dicemus.

Quæres 2. *Quotupliciter Spes Theologica dividatur?*

*Resp. Dividitur* 1. in habitualem & actualem.

Spes *habitualis* est habitus nobis a Deo infusus actuum Spei elicitivus cum auxilio gratiæ actualis.

Spes *actualis* est actus, quo voluntas per gratiam excitata, certa cum fiducia expectat æternam beatitudinem.

2. *Dividitur* in formatam & informem.

Spes *formata* est ea, quæ in subjecto conjuncta est cum charitate.

Spes *informis* est ea, quæ reperitur in homine per peccatum charitate destituto; diciturque *informis*, non quod careat forma Spei, per quam est vera virtus, sed quod careat charitate, quæ est forma extrinseca virtutum, per quam habent ut sint Deo gratæ, & meritoriæ.

*Dices:* Divisio Spei in formatam & informem non est legitima; ergo. *Prob. ant.* Spes informis non est vera Spes Theologica; ergo &c.

*Resp. nego ant. et ejus Prob.* Nam illi non sunt vera Spe Theologica destituti, qui in spem eriguntur, quique confidunt Deum sibi propitium fore; atqui ex Concilio Trid. peccatores *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in Spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* (*Trid. Sess. V. c.* 6.); ergo &c.

## CAPUT II.

### *De objecto Spei.*

*Nota.* Quæstio procedit de objecto tum materiali, tum formali: ideo

## ARTICULUS I.

### *De objecto materiali Spei.*

*Nota.* Certum est objectum materiale Spei esse æternam beatitudinem juxta illud (*Matth.* 6. *v.* 33.) *quærite primum regnum Dei;* sed cum beatitudo sit duplex, objectiva scilicet & formalis, ideo sunt tres circa præsentem difficultatem opiniones.

1. Docet beatitudinem formalem esse objectum materiale Spei, ac proinde Spem non attingere Deum immediate, sed visionem Dei. (*Ita Durand. in* 3. *dist.* 26. *q.* 2.)

2. Docet beatitudinem objectivam esse objectum Spei immediatum, visionem vero Dei esse tantum conditionem, quæ repræsentat illud objectum. (*Ita Paludanus, Major et alii apud Vasquez, in* 2., *distinct.* 15. *c.* 2. *et* 3.)

3. Constituit objectum Spei in utraque beatitudine, cum qua

*Dico* 1. *Objectum materiale primarium Spei est Deus et possessio Dei, sive est Deus possidendus.*

*Prob.* Illud est objectum Spei primarium, quod 1. & per se expectatur, & cætera propter illud; atqui Deus possidendus primo & per se a Spe expectatur, & cætera media salutis non nisi propter Deum possidendum expectantur; ergo &c. major est definitio; *min. prob.* quia rem aliquam non desideramus nisi quatenus est nobis bona & conveniens; atqui non est nobis bona & conveniens nisi quatenus sit nostra per possessionem, ut constat exemplo avari cui pecunia non est bona sine ejus possessione, nec possessio sine pecunia; ergo Deus possidendus primo & per se a Spe expectatur &c.

*Objicies* 1. cum Durando: objectum primarium Spei non est Deus, sed sola possessio Dei; ergo.

*Prob. antec.* Quidquid speramus, illud amamus amore concupiscentiæ; atqui solam visionem Dei, non vero Deum ipsum, possumus amare amore concupiscentiæ.

*Prob. min.* Quod amamus amore concupiscentiæ, amamus propter nos; atqui non possumus Deum amare propter nos, Deus enim est finis ultimus, ad quem omnia debent referri; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Quia amor concupiscentiæ non consistit in eo quod amemus Deum propter nos tamquam propter finem, amor enim ille esset inordinatus, sed quod amemus Deum nobis, idest in nostrum commodum & utilitatem, quod utique recte & ordinate fieri potest.

*Inst.* 1. Objectum Spei est aliquod bonum absens & arduum: atqui Deus, utpote ubique præsens, non est bonum absens, sed ejus visio, nec est bonum arduum in se, sed ejus consecutio; ergo objectum Spei non est Deus ipse, sed visio Dei.

*Resp. dist. maj.* Objectum Spei est bonum absens & arduum quoad sui assecutionem & possessionem, *conc. maj.* quoad sui existentiam, *nego maj.* atqui Deus non est bonum absens & arduum, quoad sui existentiam, *conc. min.* quoad sui consecutionem, *nego min.* Deum autem speramus, non simpliciter quatenus est existens, sed quatenus est per intuitivam visionem possidendus; qua ratione est absens, atque etiam arduus, quia solis naturæ viribus adipisci non potest.

*Inst.* 2. Qui desiderat scientiam, non desiderat rem quæ scitur; ergo a pari qui desiderat Dei fruitionem, non desiderat Deum.

*Resp. dist. ant.* Qui desiderat scientiam, non desiderat rem quæ scitur, prout est in se, *conc. ant.* prout est scita, *nego ant.* Ergo a pari qui desiderat Dei fruitionem, non desiderat Deum prout est in se, *conc. conseq.* prout est possidendus, *nego conseq.* Desiderat enim Deum possidere, ergo tum Deum, tum possessionem Dei desiderat.

*Objicies* 2. Cum auctoribus secundæ opinionis: objectum Spei primarium est illud, circa quod spes immediate versatur; atqui Spes immediate versatur circa Deum tantum, alias non esset virtus

rus Theologica, sicut nec religio quæ versatur immediate circa cultum Dei; ergo.

*Resp. nego min.* Nam Spes versatur immediate circa Deum possidendum, nam ex Deo & ejus possessione constituitur integrum objectum quod immediate per actum Spei attingitur; alia est ratio de religione, quia ex cultu Dei, & ipso Deo non constituitur adæquatum religionis objectum, sed religio immediate versatur circa solum cultum, & non nisi mediate circa Deum.

*Inst.* Objectum primarium Spei, est merces bonorum operum; atqui talis merces est Deus solus (*Genes.* 15. *v.* 1.) *ego ero merces tua magna nimis; ergo.*

*Resp. dist. min.* Merces bonorum operum est Deus solus in se sumptus, *nego min.* est Deus possidendus, *conc. min.* neque enim Deus est merces nostra nisi quatenus est bonum nostrum, nec est bonum nostrum nisi quatenus a nobis possidetur sive in re, sive in spe.

*Dico 2. Objectum secundarium Spei, sunt omnia media ad Deum possidendum necessaria.*

*Prob.* Illud ad quod virtus inclinat & movet in ordine ad objectum virtutis primarium, est ejus objectum secundarium; atqui spes inclinat & movet ad omnia salutis media in ordine ad finem primarium, qui est Deus possidendus, nam eodem actu quo finis efficaciter appetitur, media etiam saltem implicite appetuntur; ergo &c.

## ARTICULUS II.

*De objecto formali spei, seu de immediato motivo, propter quod speramus.*

*Nota* 1. Cum objectum materiale spei sit bonum futurum, arduum, & possibile per virtutem Dei auxiliatricem nobis a Deo promissum, quærunt Theologi quodnam ex illis sit objectum spei formalis, an arduitas? an bonitas relativa? an omnipotentia Dei auxiliatrix?

*Nota* 2. Spes est quidam amor importans actum prosecutionis, unde in actu spei duo occurrunt, scilicet 1. desiderium efficax, seu amor Dei ut summi boni nostri, & 2. tendentia in illud bonum fundata in auxiliatrice Dei omnipotentia, misericordia, in promissis fidelitate, & meritis Salvatoris. His notatis

*Dico: objectum formale spei spectatæ prout est amor seu desiderium beatitudinis nostræ, est bonitas Dei relative ad nos; spectatæ vero ut est tendentia in beatitudinem, est omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa.*

*Prob.* 1. *pars.* Illud est objectum formale spei prout est amor beatitudinis, quo movemur & excitamur ad amandum Deum amore concupiscentiæ; atqui bonitas Dei relative ad nos, est id quo movemur & excitamur ad amandum Deum amore concupiscentiæ; sperans enim amat Deum quatenus est suum bonum, finisque suus ultimus; ergo. Hinc D. Thom. (2. 2. *quæst.* 17. *art.* 8. *in corp.*), postquam distinxit duplicem amorem, unum *perfectum quo aliquid secundum se amatur*, alterum *imperfectum quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit*, addit: *primus amor pertinet ad charitatem qua inhæret Deo secundum se ipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit:* Quæ postrema verba continent hanc nostram propositionem.

*Prob.* 2. *pars*: Illud est objectum formale spei spectatæ ut est tendentia, seu prosecutio beatitudinis nostræ, quo movemur & excitamur ad Deum ut summum bonum nostrum, supremamque felicitatem nostram certa cum fiducia expectandam; atqui omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa, est id quo movemur & excitamur ad Deum ut summum nostrum bonum, certa cum fiducia expectandum; ergo, &c. Ideo enim certa cum fiducia summi boni nostri possessionem expectamus, quia Deus in mediis salutis ditissimus, in nos misericors, in promissis fidelis, eam propter Christi merita promisit servantibus mandata perseveranter usque ad mortem. Quæ omnia belle expressit D. Thom. (*in quæst. disputatis Quæst.* I. *art.* 1.) his verbis: *objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis & potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei.*

*Objicies* 1. Ejusdem virtutis non potest esse duplex objectum formale & motivum; ergo.

*Resp. dist. ant.* Non potest esse duplex objectum formale ejusdem virtutis, cujus actus sit unicus, *conc. ant.* cujus actus sit saltem æquivalenter duplex, *nego ant.* Atqui ut notavimus, actus spei est æquivalenter duplex: ergo spei est duplex objectum formale partiale, ex quibus unum totale constituitur.

*Objicies* 2. Arduitas objecti sperati est objectum formale spei; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Quia objectum formale spei debet esse tale, ut voluntas moveatur per illud, ad aliquid volendum ac amandum; spes enim est quidam amor prosecutivus; atqui *arduitas* quatenus significat difficultatem assequændi bonum, non movet voluntatem ad prosequendum, quin potius illam retrahat a prosecutione, ut sæpe docet experientia; ergo.

## CAPUT III.

*De distinctione Spei a Fide & Charitate.*

*Nota.* Hic erraverunt 1. Lutherani, qui existimarunt veram fidem nihil aliud esse quam certam fiduciam in promissis Dei, sicque spem divinam a fide divina non distinxerunt.

2. Janseniani, qui amorem spei ab amore Charitatis non distinguunt nisi penes absentiam vel præsentiam objecti, *amor spei est ab amore Charitatis distinctus*, ait Auctor ethicæ amoris, (*L.* 5. *cap.* 2. *num.* 7.) *quod amoris Charitatis objectum esse non debeat absens, uti objectum amoris desiderantis possessionem Dei; unde concludit* (*Ibidem num.* 9.), amorem spei *esse verum amorem charitatis quatenus hæc definitur:* virtus qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum, *verum* inquit, *amorem filialem, non mercenarium; perfectum, non imperfectum; purum, non impurum: gratuitum, non interessatum;* sicque putat

putat facile conciliari posse *Theologos super divini amoris necessitatem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ*, *cum* ( *exceptis paucis rigidis Molinistis* ) inquit ( *num.* 10. ) *cæteri fere conveniunt saltem amorem spei*, *sive Dei quatenus summi boni*, *&* *ultimi finis nostri*, *ad eam necessarium esse*, *qui si gratuitus sit*, *verusque amor charitatis*, *saltem generaliter dictæ*, *in re conveniunt cum Augustini & Aquinatis discipulis:* contra hos spei Christianæ inimicos

*Dico: Spes est realiter a Fide & Charitate distincta.*

*Prob. prop. Generaliter.* 1. Ex Apost. 1. Cor. 13. dicente: *nunc autem manent Fides*, *Spes*, *& Charitas*, *tria hæc*, *major autem horum est Charitas.* Tres illæ virtutes constituunt numerum ex his verbis, *tria hæc:* ergo sunt distinctæ a se invicem.

*Prob.* 2. Ille virtutes sunt realiter ab invicem distinctæ, quæ habent diversa objecta formalia realiter distincta; atqui Fides, Spes & Charitas habent diversa objecta formalia realiter distincta; ergo &c. nam objectum formale Fidei est 1. veritas in dicendo; Charitatis est divina bonitas absoluta & secundum se; spei vero est divina bonitas relativa, seu æterna beatitudo quatenus est summum bonum nostrum divino auxilio obtinendum.

*Prob. Specialiter contra Lutheranos spem realiter distingui a Fide*: nam ea quorum unum potest esse sine alio, distinguuntur realiter: atqui Fides Theologica potest esse sine spe; tum quia Fides est prior spe, cum ex Trident. ( *Sess.* 6. *cap.* 6.) spes oriatur a Fide; tum quia Christianus retinens habitum Fidei, potest amittere habitum spei, desperando de sua propria salute; ergo &c. Hinc Concil. Trid. ( *Sess.* 6. *can.* 12.) anathematizat eos qui dixerint *Fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum.*

*Prob. specialiter contra Jansenianos*, *Spem realiter distingui a Charitate:* tum quia ex citato Apostol. Charitas *major* est Spe; nihil autem seipso majus est; tum quia Spes remanet in peccatore non desperante, non autem Charitas; item Charitas remanet in patria, non autem Spes; ergo.

*Objicies* 1. *cum Lutheranis* expectare vitam futuri sæculi, est proprie actus Fidei divinæ, juxta symbulum; *expecto vitam futuri sæculi*: Atqui ipsum *expectare*, *est sperare;* ergo actus Fidei est idem cum actu Spei; ac proinde habitus Fidei & Spei non distinguuntur realiter.

*Resp. dist. maj.* Expectare est actus Fidei præsuppositive, *conc. maj.* formaliter *nego major.* atqui expectare *formaliter* est sperare, *conc. min.* expectare *præsuppositive* est sperare, *nego min.*

Itaque in symbolo *expecto* ponitur pro *credo*, quia licet expectare non sit credere *formaliter*, est tamen credere *præsuppositive*, cum actus sperandi fundetur in Fide rei venturæ; ex quo fit ut fides nonnunquam sumatur pro Spe, & contra; non quod Fides sit indistincta a Spe, sed quod aliquando causa ponatur pro effectu, & effectus pro causa.

*Objicies cum Jansenianis.* Habitus Spei non distinguitur ab habitu Charitatis, ergo.

*Prob. ant.* Idem specie actus non potest produci a distinctis specie habitibus; atqui actus sperandi producitur a Charitate juxta illud: ( 1. *Cor.* 13. *v.* 6.) *Charitas omnia sperat.* Ergo.

*Resp. nego min.* Ad prob. *dist.* Charitas omnia sperat elicitive, *nego*, imperative, *conced.* Charitas quidem imperat actus omnium aliarum virtutum, nam *patiens est*, *benigna est &c.* Verum actus imperati non producuntur a virtute imperante, sed ab alia quæ ad imperium ejus elicit proprium suum actum.

*Instab.* 1. Amor quo Deum ut nobis summe bonum prosequimur, est amor, quo tendimus in Deum ut finem ultimum; atqui amor quo tendimus in Deum ut finem ultimum, pertinet ad Charitatem stricte sumptam; ergo amor, quo diligimus Deum ut nobis bonum, est amor Charitatis.

*Resp. nego min.* Ille enim solus amor pertinet ad Charitatem, quo Deus diligitur propter se solum, seu propter absolutam sui bonitatem; atqui Deus non diligitur propter se solum per amorem quo in eum ut in finem ultimum nostrum tendimus, alioqui & *gratis* & simul *mercenarie* diligeremus; ergo aliud est operari propter Deum propter se dilectum, & aliud operari propter Deum tamquam ultimum finem.

*Inst.* 2. Ethica amoris ( *L.* 3. *c.* §. 1. *n.* 12.) amor qui præcipitur hoc mandato ( *Matth.* 22. *vers.* 37.) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, est amor perfectæ imo & perfectissimæ dilectionis; atqui illa Dei dilectio non præcipitur absque respectu Dei ad creaturas, imo cum eo respectu; ergo amor quo tendimus in Deum, ut finem ultimum, pertinet ad Charitatem stricte dictam.

*Resp. dist. maj.* Amor qui præcipitur hoc mandato est amor perfectissimæ dilectionis, sive Charitatis, sive Spei, *conc. maj.* solius Charitatis, *nego maj.* Atqui illa dilectio non præcipitur absque respectu Dei ad creaturas, in amore concupiscentiæ, *conc. min.* in amore Charitatis, *nego min.* Itaque hoc Christi mandato, *Diliges Dominum Deum tuum*, præcipitur dilectio Dei in genere, quæ si habeat pro objecto Deum propter se dilectum, est amor Charitatis; si habeat pro objecto eum ut nobis bonus est, est amor spei; perfectio ergo illius dilectionis ex motivo magis vel minus perfecto pendet.

*Inst.* 3. Verba illa: *Diliges Dominum Deum tuum*, reddunt hunc sensum: *Quia ipse est Dominus Deus tuus; ideo Deus tuus*, *quia primum principium tuum*, *& ultimus finis tuus*, *& omne bonum tuum.* Ergo nullus amor illo textu præceptus, est mere gratuitus.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Quia ex consideratione Dei tamquam benefactoris & Domini homo potest accendi ad amorem Dei gratuitum; nihilque æquitati magis consentaneum.

Dixi, *transeat*: quia ista verba, *diliges Dominum tuum*, magis reddunt hunc sensum, *diliges Dominum qui est Deus tuus*; quam hunc, *diliges Dominum quia est Deus tuus.*

*Inst.* 3. D. August. ( *Ep.* 52. *ad Macedonium* ) dicit: præceptum diligendi seipsum includi in primo illo maximoque mandato quo jubemur diligere Deum,

Deum; ergo dilectio Dei ex Charitate non est absque ullo ad nos respectu.

*Resp. nego conseq.* Quia cum nos ipsos & proximos nostros diligimus propter Deum ut in se absolute bonum, nos ipsos diligimus virtute primi illius maximique mandati, & hoc absque ullo ad nos respectu, cum simus tantum in objecto materiali, non vero in objecto formali divini amoris, ex quo solo specificatur dilectio, alias sibi contradiceret D. Aug. qui (*Serm.* 385. *c.* 3. *n.* 4. *alias homil.* 38. *n.* 50.) ait: *si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas; quam gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas?* ergo juxta D. Aug. amor Charitatis ita tendit in Deum propter se, ut Deum diligat gratis. Inde illustrissimus Bossuet (*in Lib. cui titulus mystici in tuto p.* 99.) ait: *pars multo maxima Theologorum tradit id omni actui Charitatis intrinsecum esse, ut anima Deum diligeret, etiamsi nullam ab eo speraret beatitudinem.*

*Inst.* 5. Ideo Spurii, Mystici, Quietistæ, damnati sunt quod assererent hominem in hac vita diu stare posse in eo gradu, in quo diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum; ergo in hac vita non potest esse amor pure gratuitus.

*Resp. nego ant.* Non enim damnati sunt quia dixerunt: (*Prop. damnata ab Innoc. XII.*) *datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse*: hoc enim est conforme doctrinæ omnium Catholicorum & D. Bernardi (*Lib. de diligendo Deo cap.* 15.) qui de eo qui spe impellitur, sic scribit: *Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum; at vero cum ipsum ceperit occasione propriæ necessitatis colere & frequentare .... transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu diu statur.* Sed quia ulterius progressi dixerunt: *Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Quod merito fuit damnatum ut infra expendemus.

## CAPUT IV.

### *De subjecto Spei.*

*Nota.* Per subjectum Spei intelligimus creaturas, in quibus Spes reperitur tam secundum actum, quam secundum habitum, circa quod:

*Certum est* 1. Quod Spes non remaneat *in damnatis*, quia certi sunt de æternitate suæ damnationis; ergo non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum sibi futurum & possibile: unde *mortuo homine impio nulla erit ultra spes* (*Prov.* 11. *vers.* 7.)

Neque *in beatis*, quia gloriam essentialem possident. *Spes* autem, *quæ videtur, non est Spes*, ait Apostol. (*Rom.* 8. *v.* 24.) & licet nondum possideant gloriam corporis accidentalem, ipsis tamen non est ardua, nec difficulter adipiscibilis; & ideo sicut Fides, sic & Spes evacuatur in patria tam quoad habitum, quam quoad actum.

Neque *in hæreticis*, quia sublato Spei fundamento Spes non subsistit; atqui Fides, quæ est Spei fundamentum juxta illud: *Fides sperandarum substantia rerum*, &c. non remanet in hæreticis; ergo, &c. unde Spes quam hæreticus habere sibi videtur, humana est & naturalis, non divina & supernaturalis.

*Certum est.* Quod Spes remaneat 1. *in animabus Purgatorii*, tum quia Fides est Spei fundamentum in eis remanens; tum quia Spes non evacuatur per securitatem quam habent de gloria in futurum adipiscenda, eo quod illa sit absens, & ita ardua, ut non nisi per graves cruciatus obtineri possit.

2. *In omnibus Catholicis etiam impiis*, (dummodo eam non amiserint per peccatum desperationis, vel præsumptionis) ratio est quia quodlibet peccatum non opponitur Spei; ergo non amittitur per quodlibet peccatum; unde a Conc. Tridentino (*Sess.* 6. *cap.* 6.) Spes requiritur tamquam dispositio ad justificationem peccatoris.

Restat ergo resolvendum, utrum in præsenti vita possit dari status, in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis spe & desiderio moveatur, absolutamque habeat pro omni omnino re indifferentiam, etiam pro actibus virtutum, etiam pro actibus fidei explicitæ, imo pro æterna etiam salute sua & damnatione; qua indifferentia semel stabilita preces omnes, seu postulationes, salutisque & perfectionis propriæ desideria tamquam imperfecta & propriæ voluntatis actus, abjicienda sint, laxandæque omni tentationum generi habenæ, nec eis nisi negative, nulla adhibita industria resistendum, ita ut si natura commoveatur, oporteat sinere, quia natura est.

Ita docuit Michael Molinos Hispanus Presbyter, qui cum sua doctrina fuit damnatus ab Innoc. XI. cujus doctrinam, quatenus spem e perfectorum statu excludit, renovavit Illustr. D. *De Felon*, Archiepiscopus, Dux Cameracensis, in libro cui titulus: *Explication des Maximes des Saints*, & quæ fuit ab Innoc. XII. profligata, Discipuli *de Molinos Quietistæ*, & Discipuli Archiepiscopi Cameracensis *Semi-Quietistæ*, dicti sunt. Contra quos

*Dico: Virtus & actus Spei reperiuntur in omnibus justis viatoribus, quantumcumque perfecta charitate præditi supponantur*: unde fictitius est status, in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis desiderio moveatur.

*Prob.* In Oratione Dominica jubemur sic orare, *adveniat regnum tuum*; quæ oratio non debet fieri a solis imperfectis, prout impius Molinos asserere ausus est, sed a quibuscumque perfectissimis hominibus; atqui hæc verba spem necessario involvunt, & ad proprium hominis commodum referuntur: per ea enim, inquit S. Cyprian. (*Lib. de Orat. Dominica*). *Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur.* Ergo.

*Prob.* 2. Spes est fiducialis expectatio possidendi Deum tamquam beatitudinem nostram & bonorum operum mercedem; atqui desiderium illud, expectatio illa, tum quoad actum, tum quoad habitum, reperitur in omnibus justis viatoribus, quantacumque perfecta charitate præditi sint; ergo, &c.

*Prob. min.* 1. Ex Conc. Trid. (*Sess.* 6. *c.* 16. *de ref.*) dicente: *Justificatis hominibus*, (qui termini cum sint indefiniti debent intelligi de omnibus justificatis:) *sive acceptam justitiam perpetuo conservaverint*, *sive amissam recuperaverint*, *proponenda sunt Apostoli verba* (1. *Corinth.* 15. *vers.* 58.): *abundate in omni opere bono scientes quod labor vester non est inanis in Domino:* (*Hebr.* 10. *v.* 58.) *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri.* Et, *nolite amittere confidentiam vestram*, *quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa*, *& tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Ergo.

*Prob. min.* 2. Exemplo eorum quos nobis scriptura sacra proponit velut perfectos Dei amatores, Abraham, nempe, Davidis, Moysis & Pauli Apost. Atqui non fuerunt sine Spe; Abraham enim, (*Hebr.* 11. *v.* 10.) *expectabat fundamenta habentem Civitatem*, *cujus artifex & conditor Deus:* Moyses (*Ibidem v.* 26.) *aspiciebat in remunerationem.* David (*Psalm.* 118.) de seipso dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum*, *propter retributionem.* D. Paulus qui raptus est usque ad tertium cælum, de se ipso & de perfectissimis Christianis dicit (*Rom.* 8. *v.* 23.) *Nos ipsi primitias spiritus habentes & ipsi intra nos gemimus adoptionem Filiorum expectantes .... si autem quod non videmus*, *speramus*, *per patientiam expectamus.* Ergo.

*Objicies* 1. Ille actus non elicitur a justis perfectis, qui illorum statui repugnat; atqui actus quo expectatur beatitudo, & merces qua talis, repugnat statui justorum perfectorum; ergo &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Actus qui repugnat puritati Charitatis, repugnat statui justorum perfectorum; atqui actus de quo agitur, repugnat puritati Charitatis; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Puritas Charitatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse; atqui illi immunitati repugnat actus de quo est quæstio, cum in eo reperiatur proprium creaturæ interesse; ergo.

*Resp. dist. maj.* Puritas Charitatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse, quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, *conc. maj.* Ordo enim Charitatis exigit, ut creatura seipsa non fruatur, sed ut fruatur solo Deo, & consequenter ut in ejus gloriam, & suum interesse, & suum commodum ultimo referat, quod ad Dei gloriam ultimo referatur, *nego min.* hoc enim est conforme ordini Charitatis, quæ jubet ut propium interesse velimus, ultimo tamen ad Dei gloriam relatum.

*Objicies* 2. Actus Spei importat amorem *concupiscentiæ*, quo Deum prosequimur summum nostri bonum. atqui amor concupiscentiæ repugnat statui justorum perfectorum; ergo.

*Resp. nego min. Prob.* Amor vitiosus repugnat statui perfectorum, atqui amor concupiscentiæ est vitiosus; ergo.

*Resp. nego min.* Quæ repugnat 1. definitioni Tridentinæ (*Sess.* 6. *can.* 31.): *si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur*, *anathema sit.* 2. Harum prop. damnationi ab Alexand. VIII. *quisque etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur*, *Charitate si caruerit*, *vitio non caret*, *quoties intuitu scilicet beatitudinis operatur.* Et *intentio qua quis detestatur malum & prosequitur bonum*, *mere ut cælestem obtineat gloriam*, *non est bona*, *nec Deo placens.*

*Prob. min.* Amor proprius est amor vitiosus; atqui amor concupiscentiæ est amor proprius; ergo.

*Resp. dist. maj.* Amor proprius quo bona sensibilia nobis inordinate concupiscimus, est vitiosus, *conc. maj.* amor proprius sumptus pro amore quo Deum ut nostri summe perfectivum nobi uniri desideramus, est vitiosus, *nego maj.* amor enim ille nedum vitiosus est, sed est supernaturalis, a vitiis non retrahens, atque in id unum tendens ut nos Deo conjungat.

*Inst.* 1. Ille amor est vitiosus, per quem homo Deum ad se refert; atqui per amorem concupiscentiæ homo Deum ad se refert; ergo.

*Resp. dist. maj.* Ille amor est vitiosus, per quem homo Deum ab se refert, ut ad finem ultimum, *conc. maj.* ut ad subjectum cui tantum bonum optat, *nego maj.* Atqui per amorem concupiscentiæ homo Deum ad se refert, ut ad subjectum cui Deus possessionem optat, *conc. min.* ut ad finem ultimum, *nego min.* homo enim dum Deo frui desiderat, refert se ad Deum ut ad finem suum ultimum, quo obtento nihil amplius desiderat.

*Inst.* 2. Per illum amorem homo Deum ad se refert ut ad finem ultimum, per quem homo utitur Deo; atqui per amorem concupiscentiæ homo utitur Deo in suum commodum; ergo &c.

*Resp. nego min.* Usus enim proprie versatur circa media; atqui amor concupiscentiæ non respicit Deum ut medium; nam tendit in Deum ut finem ultimum amantis ipsi per actus beatificos conjungendum; unde per amorem concupiscentiæ homo non utitur, sed fruitur Deo. *Quod aliquis velit frui Deo*, *pertinet ad amorem quo Deus amatur amore concupiscentiæ*, ait Div. Thomas (2. 2. *q.* 26. *art.* 3. *ad* 3.) Porro velle frui Deo, multoties præcipitur in Scripturis.

## CAPUT V.

### *De proprietatibus Spei.*

*Nota.* Inter præcipuas Spei proprietates numerantur ejus certitudo, & necessitas; de quibus sit

## ARTICULUS I.

### *De certitudine Spei.*

*Dico: Spes est certa ex parte Dei*, *incerta vero ex parte nostri.*

*Prob.* 1. *pars*: Ex Scriptura, Eccl. 2. *Scitote quia nullus speravit in Domino & confusus est.* Ex Hebr. 6. Apostolus vocat, Spem, *Anchoram animæ*

tutam

*tutam et firmam* unde ex Conc. Trid. (*Sess.* 6. *cap.* 13.) *in Dei auxilio firmissimam Spem collocare et reponere omnes debent.*

Ratio hujus certitudinis est auxiliatrix Dei omnipotentia, misericordia & fidelitas in promissis servandis, nam (*Psalm.* 145.) *fidelis Dominus in omnibus verbis suis:* quibus salutem pollicitus est perseverantibus usque in finem in observantia mandatorum ipsius.

*Prob.* 2. *pars:* Illud non est certum absolute ex parte nostri, quod pendet ex conditione, de qua certi non sumus; atqui Spes pendet ex conditione custodiæ mandatorum Dei usque in finem; de qua nec sumus certi, nec certi esse possumus, absque Dei revelatione speciali; ergo Spes est incerta respectu nostri; & ideo scriptum est (1. *Cor.* 10. *v.* 12.) *qui stat, videat ne cadat.* Et (*Philip.* 2. *v.* 12.) *cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

*Resolves:* Certitudinem Spei Christianæ non tribuere omnimodam salutis securitatem, uti placet pseudo-reformatis, neminem proinde credere posse citra Dei revelationem, se esse ex prædestinatorum numero; quia licet justus diffidere numquam debeat de Dei auxilio, diffidere debet de se ipso, & pietatis operibus sedulo invigilare, juxta illud (*Eccl.* 7. *v.* 19.), *qui timet Deum, nihil negligit.*

## ARTICULUS II.

### *De necessitate Spei.*

*Nota.* Et recole quæ diximus supra (*quæst.* 5. *de necessit. Fidei*) de modo quo unum ad alterius consecutionem potest esse necessarium.

*Dico* 1. *Actus Spei, est necessarius necessitate medii ad justificationem.*

*Prob.* Illud est necessarium necessitate medii ad justificationem, sine quo justificatio non potest obtineri; atqui sine Spe justificatio non potest obtineri, juxta illud (*Rom.* 8. *v.* 14.) *Spe salvi facti sumus.* Ergo. Hinc Conc. Trident. (*sess.* 6. *cap.* 6.) inter actus ad justificationem adultorum simpliciter & necessario prærequisitos, actum Spei recenset quo *Deum sibi propter Christum propitium fore*, fidant.

*Dico* 2. *Actus Spei necessarius est adultis necessitate præcepti tum naturalis, tum divini.*

*Prob.* 1. *pars:* Quia ut jam pluries diximus, quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti naturalis; recta enim ratio exigit ut media ad salutem necessaria assumamus; atqui, &c.

*Prob.* 2. *pars:* Ex variis Scripturæ testimoniis, quibus in Deo sperare jubemur: Psalm. 4. *sperate in Domino*, Et 1. ad Timot. 6. *præcipe . . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Unde August. (*tract.* 83. *in Joann.*) *de fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de Spe.* Merito igitur Alex. VII. damnavit hanc prop. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quæres. *Quandonam præceptum Spei obliget?*

*Resp.* 1. Præceptum Spei negativum obligat semper, & pro semper, unde numquam est desperandum, numquam præsumendum.

*Resp.* 2. Præceptum Spei affirmativum obligat per se.

1. Cum moraliter loquendo infans usum rationis attigit, satisque est instructus de beatitudine sua.
2. Cum quis versatur in periculo desperationis, nisi Spei actu titubantem animum confirmet.
3. Cum quis in desperationem aut præsumptionem lapsus est.
4. Cum quis versatur in probabili periculo mortis.
5. Obligat sæpius in decursu vitæ, ut homo semper sit bene dispositus & corroboratus ad bonum faciendum, & malum vitandum.

*Resp.* 3. Obligat per accidens.

1. Dum nos ad justificationem præparamus: est enim ad eam conditio absolute necessaria.
2. Quoties Sacramenta suscipimus: utpote quæ canales sunt promissæ nobis gratiæ, prignoraque sulutis nostræ.
3. Dum præcipua anni festa, & dies Dominica celebrantur.

Hæc omnia patent ex iis, quæ diximus de necessitate actus Fidei.

## CAPUT VI.

### *De vitiis oppositis Spei.*

*Nota.* Duo sunt vitia Spei opposita; nimirum *desperatio* per defectum, & *præsumptio* per excessum, non quod quis possit nimis sperare in Deo; sed quod possit in eo sperare per media inordinata, de quibus nonnullæ solvendæ sunt quæstiones.

Quæres 1. *Quid sit disperatio?*

*Resp.* Est *voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi media ad illam necessaria.*

Dicitur 1. *voluntaria diffidentia:* ut a desperatione excludantur diffidentiæ illæ involuntariæ, quas etiam sanctissimi plerumque ex dæmonis tentatione patiuntur.

Dicitur 2. *assequendi beatitudinem*, ut denotetur objectum primarium desperationis; *et obtinendi media ad beatitudinem assequendam necessaria*, per quod exprimitur objectum desperationis secundarium: non minus ergo spem amittit qui desperat de obtinenda peccatorum remissione, quam qui desperat de assequenda beatitudine.

Quæres 2. *Quid sit præsumptio?*

*Resp.* Est *temeraria beatitudinis, et mediorum ad eam assequendam necessariorum, expectatio*, Quod tripliciter evenire potest:

1. Dum quis per solas naturæ vires præsumit se beatitudinem, aut media salutis consecuturum; & hæc est præsumptio Pelagiana.
2. Dum quis gloriam per solam Fidem absque pœnitentia expectat, hæc est præsumptio Lutherana.
3. Dum quis sub inani spe misericordiæ Dei, peccat, vel pœnitentiam ad finem vitæ differt; hæc est preæsumptio malorum Christianorum.

Quæres 3. *Qualia sint peccata desperatio & præsumptio?*

*Resp.* Sunt mortalia *ex genere suo*; nam quod avertit a Deo, est mortale ex genere suo; atqui peccata virtutibus Theologicis apposita avertunt a Deo;

Deo; ergo, &c. Unde D. August. ait (*serm.* 87. *de verb. Evangel.*), *ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa Spes*, id est præsumptio.

Dixi ex *genere suo*: a mortali quippe excusare possunt non tantum indeliberatio, subreptio aut consensus imperfectio, sed & levitas materiæ, ut multi contra multos probabilius asserunt; non videtur enim peccare mortaliter, & amittere habitum Spei, eum qui aliquem virtutis actum omittit, desperans se eum, ut par est, exequi posse.

*Dices:* Peccatum contra Fidem non admittit levitatem materiæ; ergo nec peccatum contra Spem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod in peccato contra Fidem (utpote cum contumacia admissum) semper reperiantur Dei revelantis & Ecclesiæ proponentis contemptus, qui semper est gravissimus; at levis præsumptio, aut diffidentia circa aliquod medium ad salutem necessarium, potest esse sine contemptu, sed ex mera infirmitate, ac proinde non perimit habitum Spei, sicut nec levis offensa contra Charitatem proximo debitam, destruit habitum Charitatis.

Porro diligenter Confessarii a pœnitentibus inquirere debent quam ob causam desperaverint, vel præsumpserint; quia illa peccata plerumque habent adjunctum peccatum contra Fidem; cum nempe ex judicio speculative falso oriuntur; v. g. cum quis desperat se veniam peccatorum consecuturum, quia credit cum Novatianis Ecclesiæ non esse concessam potestatem remittendi graviora peccata post Baptismum commissa; item cum quis præsumit eo quod credat cum Novatoribus, quod Fide sola sine bonis operibus justificandus sit, & salvandus.

Quæres 4. *Quare desperatio & præsumptio dicuntur peccata in Spiritum Sanctum?*

*Resp.* Quia specialiter impugnant Dei bonitatem & dona ejus, quibus revocamur a malo, & ideo lamentatur Jeremias 18. *disperavimus .... & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Ex quo:

*Resolves:* Desperationem & præsumptionem esse peccata, etsi non graviora, tamen periculosiora; *quia* ait Div. Thom. (2. 2. *quæst.* 20. *art.* 3.), *per spem revocamur a malis, & inducimur ad bona prosequenda, et ideo sublata Spe, irrefrænate homines labuntur in vitia, et a bonis operibus retrahuntur, et sic desperatio est periculosior.*

Quæres 5. *Quænam sint desperationis et præsumptionis causæ et remedia?*

*Resp.* 1. Causa desperationis est *acedia*, hoc est bonorum spiritualium fastidium, quo voluntas reputans ipsum *bene vivere* esse nimis laboriosum, refugit bonorum operum exercitium; remedium vero acediæ, est cœlestium gustus qui ipsi est substituendus, exonerando se terrenis, & ea *quæ sursum sunt* quærendo & sapiendo, juxta præceptum Apostolicum.

*Resp.* 2. Causa præsumptionis est *superbia*, ut docet Div. Thom. intolerandæ enim superbiæ est quod quis vel propriis viribus, vel sine bonis operibus, præsumat se gloriam consecuturum, vel pœnitentiam facturum cum volet & ubi volet; atqui ita se gerit præsumptuosus; ergo.

Remedium autem præsumptionis est *humilitas*, humilitatisque comes profunda justitiæ Dei, ejusque judiciorum meditatio, & cætera hujusmodi.

## DISSERTATIO III.

### *De Charitate.*

*Nota.* Hoc nomen *Charitas* varie accipitur ab Auctoribus Sacris; namque

1. Sumitur pro objecto circa quod versatur; *Deus Charitas est* (1. *Joann.* 4. *vers.* 8).

2. Pro Dei in homines dilectione: *Charitate perpetua dilexi te* (*Jerem.* 31. *vers.* 3).

3. Pro quocunque amore boni, aut qualibet bona voluntate; sic accipitur ab Aug. variis locis; *quid est boni cupiditas*, (*L.* 2. *contra duas Epistolas Pelagian. cap.* 9.) *nisi Charitas:* & in Psal. 136. *ipsa est Charitas, quæ dicitur et bona voluntas.*

4. Pro amore supernaturali quo Deum proximumque actu vel habitu diligimus; cujus inquirimus, 1. Essentiam & divisionem; 2. Objectum tum materiale, tum formale; 3. Proprietates; 4. Officia Charitatis seu opera misericordiæ; 5. Tandem vitia Charitati opposita, totidem Capitibus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De essentia et divisione Charitatis.*

*Nota.* Charitas est species amoris benevolentiæ; cum autem notitia speciei haberi non possit quin probe cognoscatur illius genus, ideo

Quæres 1. *Quid sit amor benevolentiæ?*

*Resp.* Est *volitio efficax boni in commodum personæ amatæ*, quæ si redamet amantem, dicitur *amor amicitiæ*, qui proinde non differt ab amore *benevolentiæ* nisi extrinsece & connotative.

Dicitur 1. *Volitio boni*; quia amare est velle bonum.

Dicitur 2. *Efficax*, quia ad amorem benevolentiæ non sufficit ut velimus alicui bonum, sed insuper requiritur ut ipsi bonum faciamus quantum in nobis est, *non diligamus verbo, neque lingua*; ait D. Jo: (4. *v.* 18.) *sed opere et veritate*, ergo concludit Habert, Deum non diligit amore benevolentiæ, nisi verbo tenus, qui ita in orationibus ingeminat; *sanctificetur nomen tuum:* ut non tangatur cum læditur ejus honor, indifferenterque audiat linguam detrahentem, impudicam &c.

Dicitur 3. *In commodum personæ amatæ*; ut exprimatur differentia inter amorem benevolentiæ qui omnia vult & facit in gratiam amati, & amorem concupiscentiæ qui omnia vult & facit in gratiam amantis.

Quæres 2. *Quid sit Charitas?*

*Resp.* Charitas est *virtus Theologica infusa, qua Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.*

Dicitur 1. *Virtus:* & quidem ex Apost. perfectior omnium virtutum; quia facit hominem simpli-

pliciter & ex omni parte bonum, utpote quæ excludat omne peccatum, saltem grave, hominem Deo conjungat, illumque ad omnes virtutes moveat tamquam eorum forma & vita, sine qua dicuntur informes, imperfectæ & mortuæ; cæteræ vero virtutes non faciunt hominem bonum nisi secundum quid, & in suo tantum genere.

Dicitur 2. *Theologica;* quia habet Deum pro suo objecto primario & immediato, ut infra dicetur.

Dicitur 3. *Infusa;* nam ex Apost. (*Rom.* 5. *v.* 5.), *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Ex quo patet sententiam Magistri (1. *p. dist.* 17.) docentis Charitatem esse ipsammet personam Spiritus sancti, esse erroneam; certum est enim causam realiter distingui ab effectu, cui realiter opponitur.

Dicitur 4. *Qua Deus diligitur propter se:* quia Charitas est amor benevolentiæ, *nam ex una eademque Charitate, Deum proximumque diligimus*, ait Div. Aug. (*l.* 8. *de Trin. cap.* 8.), *sed Deum propter Deum.*

Dicitur 5. *Super omnia:* id est amore summo, non quidem intensive, ita ut voluntas summo ardore & conatu in Deum tendat: licet enim talis conatus esset optimus & optandus, non est tamen absolute necessarius; quia sine eo Deum super omnia diligere possumus, ex quo fit ut major vel minor illa intensio sit perfectio Charitatis accidentalis, & consequenter non præcepta; sed amor Charitatis debet esse summus, 1. *objective*, ita ut majus bonum Deo velimus quam ulli creaturæ; 2. *appretiative*, ita ut homo Deum rebus omnibus anteponat, paratus creaturarum potius omnium, quam Dei jacturam per peccatum facere, dicente Christo (*Matth.* 10. *v.* 37.), *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Unde præceptum diligendi Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine*, intelligi debet de totalitate appretiationis, non intensionis; sed de his plura in dissertatione de Pœnitentia.

Dicitur 6. *Et proximum:* quo nomine nos ipsi comprehendimur, quia *proximus quisque sibi*, comprehenditur & quicumque nobiscum capax est gratiæ & gloriæ; alia autem amari non possunt nisi amore concupiscentiæ.

Dicitur 7. *Sicut nos:* quod non ita est intelligendum, ut particula *sicut* denotet æqualitatem dilectionis, sed similitudinem, *et hoc tripliciter*, ait Div. Thom. (2. 2. *qu.* 44. *art.* 7. *in corp.*), 1. *quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta.* 2. *Ex parte regulæ dilectionis*, seu ex parte rerum quas volumus proximo: *ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa.* 3. *Ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera; nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, non vere diligit proximum, sed se ipsum.*

Dicitur 8. *Propter Deum:* hoc est quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ita ut Deus in proximo ametur; *ille* enim *veraciter amat amicum*, ait D. Aug. *qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

Quæres 2. *Quotuplex sit Charitas?*

*Resp. Duplex*, scilicet *habitualis*, quam mox definivimus, & actualis, quæ est *actus amoris benevolentiæ, quo Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.* Per se patet, sed

Quæres 4. *An Charitas illa actualis quæ est amor benevolentiæ, sit simul amor amicitiæ?*

*Resp. affirm.* Nam Charitati perfectissime conveniunt omnes conditiones ad veram amicitiam requisitæ; ergo. *Prob. ant.* Ad veram amicitiam requiruntur quatuor conditiones. 1. Ut sit amor benevolentiæ; 2. Ut sit amor mutuus; 3. Ut amor ille sit utrique cognitus; 4. Ut sit fundatus in communione bonorum, quia inter amicos omnia sunt communia; atqui quatuor illæ conditiones apprime conveniunt Charitati, tum qua Deus hominem, tum qua homo Deum prosequitur; ergo, &c. Namque

1. Charitas est amor benevolentiæ, ut constat ex dictis.

2. Est amor mutuus, *qui autem diligit me*, ait Christus (*Joann.* 14. *v.* 21.), *diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.*

3. Notus est tum Deo qui illum infundit, tum homini justo qui novit non quidem certitudine metaphysica aut physica, sed morali, quod a Deo diligatur, dicente Apostolo *Rom.* 1. *vers.* 16.): *ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

4. Demum fundatur in communione bonorum: nam Deus (*Ephes.* 1. *vers.* 3.) *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Homo quoque quidquid accepit a Deo, hoc in Deum refundit; *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* (*Paralip. cap.* 29. *v.* 14.).

*Dices* 1. Deus non potest amare hominem amore benevolentiæ; ergo non est vera amicitia inter Deum & hominem.

*Resp. nego ant.* Nam Deus amat hominem ut illi beneficium præstet, unde non propriam, sed hominis intendit utilitatem.

*Prob. ant.* Deus omne bonum quod homini vult, refert ad gloriam suam; ergo non amat hominem amore benevolentiæ.

*Resp. dist. conseq.* Refert in gloriam suam tamquam in finem ultimum rerum omnium, *conc. conseq.* tamquam in proprium suum commodum, *nego conseq.* Porro honesta amicitia non impedit quominus omnia bona in finem ultimum referantur, cum aliter amicitia non esset ordinata.

*Dices* 2. Amicitia ex Arist. (*Ethic. cap.* 8. & 9.), non est nisi inter æquales; sed quilibet homo etiam justus, & quatenus justus, est inæqualis Deo; ergo.

*Resp. dist. maj.* Amicitia æqualitatis, *conc. maj.* amicitia excellentiæ, *nego maj.* & sic ad consequens. Itaque juxta Aristotelem duplex est amicitia: una *æqualitatis*, quæ est inter personas omnino

nino æquales; altera *excellentiæ*, quæ reperitur inter personas in diverso gradu & dignitate constitutas; v. gr. inter Principem & subditum, patrem & filium, &c. inter quas personas ut sibi invicem amicas non servatur absoluta æqualitas, sed tantum proportionalis, quia scilicet unaquæque per istam amicitiam alteri tribuit illud amoris vel beneficii quod ei pro sua conditione competit; & hæc est amicitia, quæ Deum inter & homines reperitur.

## CAPUT II.

*De objecto materiali & formali Charitatis.*

*Dico* 1. *Objectum materiale adæquatum Charitatis, est Deus, nos ipsi, & proximus.*

*Prob.* Ex D. August. qui (*L.* 1. *de doctr. Christ. cap.* 23.) ait: *cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est.* Atqui objectum quod supra nos est, est solus Deus; quod nos ipsi sumus, est anima nostra; quod est juxta nos, est anima proximi; tandem quod est infra nos, est corpus nostrum & proximi; ergo Deus, nos ipsi, & proximus, tria hæc sunt objectum adæquatum Charitatis; ita tamen ut Deus sit objectum primarium, nos ipsi & proximus sit tantum secundarium, cum Charitas primario & per se versetur circa Deum & ad illum tamquam ad finem ultimum cætera omnia referat.

*Objicies* 1. Homo non potest se ipsum Charitate diligere; ergo, &c. *Prob. ant.* Juxta Div. Gregorium (*Homil.* 17. *in Evang.*), Charitas non nisi inter duos esse potest; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* ad prob. *dist.* Charitas sumpta ut est amor amicitiæ non nisi inter duos esse potest, *conc. ant.* sumpta ut est amor benevolentiæ, *nego ant.* Porro non est essentiale Charitati, ut sit amor amicitiæ & connotet redamantem.

*Objicies* 2. Peccatores sunt Dei inimici, illique invisi: ergo non sunt ex Charitate diligendi.

*Resp. dist. ant.* Peccatores considerati quatenus peccatores & ratione malitiæ, *conc. ant.* considerati secundum naturam, *nego ant.* dilexit enim nos cum adhuc essemus peccatores qui dixit (*Ezech.* 18. *v.* 23.): *nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a vitiis suis & vivat?* Hinc licet debeamus odisse peccatoris malitiam & iniquitatem exemplo Davidis (*Psalm.* 118.), *iniquos odio habui*: debemus tamen ejus personam diligere, ut docet D. Aug. (*L.* 19. *contra Faust. cap.* 14.), *iniquus homo in quantum iniquus, odio habendus est, in quantum autem homo est, diligendus est.*

*Inst.* 1. Excommunicati, abscissi sunt a corpore Christi; a communione Fidelium ita separati ut non liceat pro eis orare; ergo.

*Resp. nego conseq.* Econtra illa excommunicati pœna est a Charitate imperata, cum sit ordinata ad ejus salutem: traditur enim *satanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

*Inst.* 2. Inimici non possunt ex Charitate diligi dicente Christo (*Matth.* 5.), *audistis quia dictum est antiquis: diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

*Resp. nego ant. & dist. textum:* Dictum est antiquis, a Scribis & Pharisæis Legem sinistre interpretantibus, *conc. ant.* a Lege, *nego ant.* Quandoquidem Deus (*Exod.* 23. *v.* 4.) Judæis præcipit: *si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Et *non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ* (*Levit.* 19. *vers.* 18.)

*Dico* 2. *Objectum formale Charitatis est Deus quatenus in se summe bonus & infinite amabilis*, ita ut propter illum cætera omnia sint amabilia.

*Prob.* Objectum formale virtutis, est motivum propter quod virtus tendit in suum objectum materiale; atqui motivum propter quod Charitas tendit in suum objectum materiale, est infinita Dei bonitas & amabilitas; ergo.

*Objicies* 1. Non tantum amamus Deum quia bonus est, sed etiam quia sapiens, quia justus, &c. ergo ejus bonitas infinita non est sola objectum formale Charitatis.

*Resp. nego conseq.* Quia bonitas quæ est objectum formale Charitatis, non est attributalis, sed essentialis continens quamlibet perfectionem in omni genere excellentiæ, unde quando Deus amatur ut sapiens, justus, &c. amatur propter ejus infinitam bonitatem in illis attributis imbibitam.

*Objicies* 2. Amare non possumus proximum propter Deum; ergo bonitas Dei infinita non est objectum formale Charitatis erga proximum.

*Prob. ant.* Nullus amatur propter bonitatem sibi extrinsecam; atqui infinita Dei bonitas est extrinseca proximo; ergo.

*Resp. dist. maj.* Nullus amatur propter bonitatem sibi extrinsecam, si nullum ordinem ad illam habeat, *conc. maj.* si habeat, *nego maj.* proximus autem multis titulis ad Deum refertur; ex quo concludendum est unam & eandem esse Charitatem, qua Deus & proximus diliguntur, cum unum & idem sit utriusque dilectionis motivum.

## CAPUT III

*De proprietatibus Charitatis.*

*Nota.* Non omnes hic exponemus Charitatis proprietates, sed duas duntaxat, quæ principem inter eas locum tenent, nimirum necessitatem ejus & ordinem, distinctis quæstionibus.

### QUÆSTIO I.

*De necessitate Charitatis.*

*Nota.* *Certum est* 1. Charitatem habitualem necessariam esse necessitate medii omnibus tum adultis, tum parvulis, cum sine ejus infusione non remittatur peccatum, nec salus obtineri possit.

*Certum est* 2. Charitatem actualem parvulis non esse necessariam, cum ejus sint incapaces, & possint per baptismum, & gratiam salutem consequi.

*Certum est* 3. Præceptum Charitatis negativum obli-

obligare omni tempore, cum nihil unquam agere liceat quod Dei, proximive Charitati adversetur.

Quæstio ergo est tantum de actu Charitatis tum erga Deum, tum erga proximum.

## ARTICULUS I.

### *De præcepto Charitatis erga Deum.*

*Nota.* Aliqui recentiores Casuistæ docere non erubuerunt præceptum Charitatis erga Deum non esse speciale & ab aliis distinctum: ex quo falso principio concluserunt, hominem qui nullum unquam internum Charitatis actum erga Deum elicuerit, non peccare. Alii docuerunt illud præceptum obligare, sed raro, vel etiam semel tantum in vita. Alii tandem docuerunt præceptum illud quatenus affirmativum obligare semper & pro semper, ita ut peccaminosa sit actio omnis quæ virtualiter saltem ad Deum non refertur ex motivo Charitatis sive perfectæ, sive imperfectæ; ita Jansenius (*L.* 3. *de stat. nat. lapsæ c.* 17. *et alibi passim.*) Quesnellus (*Propos.* 45.), æthica amoris (*Tom.* 1. *lib.* 8.), contra quos omnes

*Dico* 1. *Actus interni Charitatis ergo Deum extat speciale præceptum, & ab aliis distinctum.*

*Prob.* Illud præceptum est speciale & a cæteris distinctum, quod aliorum respectu est primum & maximum, & a quo omnia alia pendent; (Neque enim aliquid potest respectu sui ipsius esse primum aut a se ipso pendere); atqui præceptum Charitatis erga Deum, 1. est respectu aliorum primum & maximum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo .... hoc est maximum & primum mandatum* (*Matth.* 22. *vers.* 36.) 2. Ab eo cætera omnia pendent, *in his duobus præceptis*, de dilectione Dei & proximi, *universa Lex pendet & Prophetæ* (*Ibidem vers.* 40). Ergo.

Hinc ista prop. *sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis*, damnata est ab Alex. VIII. & postea a Clero Gallicano anno 1700. qui hanc etiam damnavit; *praceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.*

*Objicies* 4. Præceptum Charitatis Dei per aliorum observationem impletur; ergo non est speciale.

*Prob. ant.* Ex illo Christi (*Joann.* 14. *vers.* 21.): *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Neque enim id dixit Christus quod præceptum Charitatis per aliorum observationem impleatur, sed 1. quia illa aliorum mandatorum observatio est signum dilectionis Dei juxta illud: *probatio dilectionis, exhibitio est operis*; 2. quia dilectio est causa movens ad aliorum præceptorum observationem juxta illud Joann. 14. *si quis diligit me, sermonem meum servabit .... qui non diligit me, sermones meos non servat.* Unde Charitas imperat omnium virtutum actus, sed non elicit.

*Objicies* 2. D. Thom. (2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. *ad* 2.) ait: *qui in vita hoc præceptum* (de dilectione) *non implet nihil contra dilectionem agens, non peccat mortaliter.* Ergo dilectio non est specialiter præcepta.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim D. Thom. solum vult non peccare mortaliter eum qui primum mandatum in vita perfecte non implet, sicut impletur in patria, quod verissimum est. Alias D. Thom. sibi contrarius esset cum (1. 2. *q.* 109. *art.* 10. *in corp.*) dicit: *Actus Charitatis considerari potest secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto Legis, quod de hoc specialiter datur: scilicet*, Diliges Dominum Deum tuum, &c.

*Dico* 2. *Præceptum Charitatis affirmativum non obligat semper & pro semper, ita ut teneamur omnia prorsus opera nostra in Deum ex motivo veræ Charitatis referre.*

*Prob.* 1. Ex sanctis August. & Thoma, quos suos dicere non erubescunt Jansenistæ.

1. D. Aug. (*Serm.* 50. *de tempore cap.* 1.) ait: *Charitas alia est divina, alia est humana: alia est licita, alia illicita .... prius ergo loquor de humana licita, quæ non reprehenditur.* Atqui reprehenderetur, si omnes nostræ actiones deberent fieri ex motivo Charitatis, prout voluit P. Quesnel qui renovavit Propositionem 48. Baji quæ latine reddita sic habet: prop. 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & omnes actiones nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos, & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

2. D. Thom. hanc sibi proponit quæstionem (1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10.) *utrum modus Charitatis cadat sub præcepto divinæ Legis?* cui S. Doctor respondet negative; *qui enim*, inquit (*In argument. sed contra est*), *præceptum non servat, peccat mortaliter: si igitur modus Charitatis cadat sub præcepto, sequitur quod quicumque operatur aliquid & non ex Charitate, peccet mortaliter; sed quicumque non habet Charitatem, operatur non ex Charitate; ergo, sequitur quod quicumque non habet Charitatem, peccet mortaliter in omni opere quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum; quod est inconveniens.* Ergo.

*Prob.* 2. Si teneremur omnes omnino actiones nostras in Deum ex motivo Charitatis proprie dictæ, referre, omnes nostræ actiones quæ non sic ad Deum referrentur, essent peccata; atqui falsum consequens; ergo.

*Prob. min.* Tum ex conc. Trident. (*Sess.* 6. *conc.* 31.) definiente: *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Tum ex Alex. VIII. qui has duas prop. damnavit: 1. *intentio qua quis detestatur malum & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* 2. *Quisque etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*; ergo omnis actio quæ non refertur ad Deum ex motivo Charitatis proprie dictæ, non est peccatum.

*Objicies* 1. Mandato primo *diliges Dominum*, &c. præcipitur, ut Deum omni momento vitæ nostræ rationalis, actu vel virtute, propter se dili-

diligamus; ergo tenemur omnes actus nostros ad Deum ex motivo Charitatis referre.

*Resp. nego ant.* Nam præceptum illud est affirmativum; atqui præcepta affirmativa non obligant semper & pro semper; ergo.

*Prob. ant.* Ex D. Thom. (7. 2. *q.* 10. *art.* 100. *ad* 2.) dicente: *Sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum Charitatis adimplere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ex textu enim sequitur præceptum dilectionis non posse impleri pro tempore quo obligat, nisi homo tunc omnia sua in Deum propter se dilectum, referat; sed non inde sequitur, hominem debere omni tempore suas omnes actiones ex motivo Charitatis in Deum referre, ut constat ex contextu quem de industria & mala fide omittunt Jansenistæ; *si ergo*, prosequitur D. Thom. *qui honorat parentes, tenetur ex Charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est* honora parentes; *sed ex vi hujus præcepti*, honora Dominum ex toto corde tuo, *& cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi Charitatis.*

*Objicies* 2. Illud Apost. (1. *Corinth.* 10. *v.* 31.), *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba continere præceptum docent omnes ferme Theologi cum D. Thoma; atqui illud præceptum non potest impleri quin omnes hominis actus deliberati ad Deum referantur ex proprio Charitatis motivo; ergo.

*Resp. nego maj.* Præceptum enim de diligendo Deo non debet confundi cum præcepto de omnibus ad Deum referendis actionibus; quia præceptum dilectionis cum sit affirmativum & sine universalitate, non obligat pro semper; præceptum vero de referendis omnibus actionibus ad Deum, licet sit affirmativum, quia tamen continet universalitatem actionum, obligat pro omni tempore quo aliquid deliberate operamur.

*Inst.* 1. Tenemur omnes actus nostros ad Deum referre ex præcepto Charitatis; ergo & ex Charitatis motivo.

*Resp. nego conseq.* Nam ex præcepto Charitatis tenemur per actus Fidei & Spei nos disponere ad Charitatem, nec tamen tenemur hosce actus elicere ex motivo Charitatis. Sufficit ergo ut actus nostros referamus ad Deum ex fine honesto & rationabili, quod, ut ait D. Thom. (2. 2. *q.* 19. *art.* 6. *in corp.*) *sit ex natura sua referibile ad Charitatem.*

Hinc qui Fidem servat, aut rem alienam restituit ex motivo justitiæ aut honestatis, mediate actionem suam in Deum refert, ipsumque implicite diligit, tum quia in hoc voluntatem suam divinæ conformat voluntati; tum quia honestatem & justitiam diligendo, ipsummet Deum, qui summa est justitia & fons totius honestatis, quodammodo diligit.

*Inst.* 2. Homo debet operari propter Deum tamquam finem suum ultimum; ergo & propter Deum propter se dilectum.

*Resp. nego conseq.* Illa enim duo sunt omnino distincta: nam actus Spei tendit in Deum ut finem ultimum, nec tamen tendit in Deum propter se, idest propter absolutam ejus bonitatem, ut vidimus agendo de Spe.

*Instab.* 3. Apost. dicit: (1. *Corinth.* 16. *v.* 32.) *omnia vestra in Charitate fiant*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim non est sermo de charitate qua Deus propter se diligitur, sed de charitate qua sic Deus diligitur, ut nihil ei præponatur aut æquetur, quod fit cum omnia referuntur in finem Charitatis qui Deus est, licet nondum fiant ex motivo Charitatis proprie dictæ; ita sese explicat Apostolus dicens (1. *Corinth.* 14. *v.* 40.) *omnia honeste & secundum ordinem fiant.*

*Objicies* 3. Sancti Patres docent illud omne esse vitiosum quod a Charitate non profluit; sic D. Chrysost. (*Serm. de Charit.*). *Nihil est boni & honesti, quin ortum ex Charitate ducat.* Et D. August. (*L. de Spiritu & Litt. cap.* 14.). *Non enim fructus est bonus, qui de Charitatis radice non surgit.* Ergo.

*Resp. dist. ant.* Illud juxta Patres est vitiosum quod fit sine Charitate late sumpta, nimirum pro amore boni honesti, & tendentia in debitum finem, *conc. ant.* quod fit sine Charitate stricte sumpta, *subdist.* vitiosum est quatenus nec meretur de condigno, nec ad æternæ vitæ comparationem sufficere potest, *conc. ant.* quatenus est peccatum, *nego ant. & conseq.*

Itaque nihil ex voce Charitatis qua usi sunt SS. Patres, potest contra nos colligi, cum plerumque in eorum operibus usurpetur ad exprimendum quemcumque in bonum animi affectum, etiam naturalem. Sic. D. August. sermone 349. de Charitate ait: *Charitas alia est divina, alia est humana; alia humana licita, alia illicita . . . licita est humana Charitas qua uxor diligitur, illicita qua meretrix, vel uxor aliena . . . . licitam ergo Charitatem habere, humana est, sed ut dixi licita.* Unde cum dixit (*Enchiridii* 117.), *regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei Charitas*, sumit tò *Charitas* pro amore boni & honesti.

*Inst.* 1. Ex D. Leone (*Serm.* 5. *de jejunio*), *duo amores sunt ex quibus omnes prodeunt voluntates . . . aut Dei amator est*, (homo) *aut mundi.* Atqui amor mundi semper malus est, & amor Dei semper bonus: ergo.

*Resp. dist. min.* Amor mundi semper malus est, dum in eo finis ultimus statuitur, *conc. min.* secus, *nego min.* unde Ss. Patres per illos duos amores intelligunt duos fines ultimos nostrorum actuum.

*Inst.* 2. Ss. Patres docent nullam esse veram virtutem sine Charitate; ergo.

*Resp.* 1. *Retorq. argumentum.* Ss. Patres docent nullum esse opus bonum sine castitate, *nec opus bonum est aliquod sine castitate*, ait Div. Greg. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Nulla est vera virtus sine Charitate defectu formæ extrinsecæ, *conc. ant.* defectu formæ intrinsecæ, *nego ant.* Charitas itaque est forma extrinseca virtutum, sine qua non possunt esse perfectæ, completæ, & meritoriæ vitæ æternæ; nihilominus sunt veræ virtutes, quatenus

sua

sua propria forma informatæ versantur circa suum proprium objectum materiale & formale.

*Dico* 3. *Præceptum affirmativum Charitatis Deo debitæ obligat sæpissime.*

*Prob.* Ex Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum .... eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens &c.* unde sic argumentor: frustra aliquod præceptum esset crebro meditandum nocte scilicet & die, in domo, in itinere &c. nisi crebro esset implendum; atqui ex textu allato præceptum dilectionis Dei est meditandum nocte & die, in domo & itinere; ergo crebro est implendum.

*Confirmatur*, Quia si hoc præceptum raro obligaret, sequeretur hominem fere nunquam teneri merita ad salutem assequendam necessaria sibi comparare; cum nullum meritum salutare possit habere nisi ex Charitatis impulsu. Hinc jure merito Alex. VII. & Innoc. XI. has propositiones damnarunt:

1. *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.*

2. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

3. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare præceptum Charitatis in Deum.*

4. *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus etiam viam qua justificari possimus.* Ex quarum prop. damnatione clarescit veritas nostræ assertionis. Sed

Quæres: *Quandonam præceptum Charitatis obliget?*

*Resp.* 1. Obligat *per se* 1. ubi primum moraliter loquendo, infans usum rationis attingit, satisque ipsi proposita est divina bonitas super omnia propter se amabilis; ita docent D. Thom. (1. 2. *q.* 89. *art.* 6. *ad* 3.) & S. Franciscus Salesius (*L.* 10. *de amore Dei c.* 6.) quia rationem accepit homo ut deliberet de fine suo ultimo, ad quem se debeat super omnia convertere quamprimum potest; hoc enim est negotium negotiorum, cui per totam vitam debet præ cæteris se applicare, est enim *primum & maximum mandatum.*

Unde Cajetan. Navar. Pontas (*V. Charité cas.* 2.) docent quemlibet in dubio an huic officio satisfecerit in infantia, teneri hoc omissionis peccatum confiteri.

2. Obligat cum quis versatur in probabili mortis periculo *etiamsi Sacramenta suscepta sint*, ait P. Antoine; ratio est quia homo tunc magis ultimo fini suo se per amorem conjungere debet, quo fini illi magis appropinquat, *sive vivimus, Domino vivimus*, ait Apost. (*Rom.* 14. *v.* 8.), *sive morimur, Domino morimur.*

3. Cum actus Charitatis necessarius judicatur ad vitandum peccati mortalis periculum, vel ad vincendam gravem, quæ ingruit, tentationem: nam ex Charitate Dei tenemur ejus offensam vitare per media ad hoc necessaria.

4. Sæpissime in decursu vitæ, ut mox probatum est: quoties autem intra annum per se obliget, non potest facile determinari, non tamen infundata est opinio Scoti asserentis obligare singulis Dominicis ac Festis diebus, quia dies Festi non sanctificantur nisi Deum colendo, *quis vero est cultus ejus*, ait Aug. (*L.* 12. *de Trin. c.* 14.) *nisi amor ejus?*

*Resp.* 2. Obligat *per accidens* 1. quando quis culpæ mortalis conscius, nec habens copiam confessarii, tenetur celebrare, vel Sacramentum quovis conficere, aut suscipere, nam tunc obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit Charitatem.

2. Quoties Deum blasphemiis impeti, vel grandi aliquo scelere offendi videmus, exemplo Davidis qui de se ipse dicebat (*Psalm.* 118. *v.* 39.) *tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*; zelus autem ille sine amore esse non potest.

3. Addit Habert orationem Dominicam vel mendaciter recitari, vel non recitari sine aliquo Charitatis actu: quid enim lingua nostra exprimit dicendo: *Sanctificetur nomen tuum*, nisi nos ante omnia expetere Dei gloriam? Quid sonant illa verba: *Fiat voluntas tuas sicut in cœlo & in terra?* Respondet D. Cyprian. (*L. de Orat. Dominical.*) *voluntas Dei est, quam Christus & docuit & fecit .... Deum toto corde diligere .... Charitati ejus inseparabiliter adhærere &c.* ne ergo simus ex illis de quibus scriptum est (*Psalm.* 77. *v.* 36.) *dilexerunt eum in ore suo, de lingua sua mentiti sunt ei*, necesse est ut lingua exprimente amorem, cor eliciat amorem.

## ARTICULUS II.

### *De præcepto Charitatis erga proximum.*

*Nota.* Qui primo non pepercerunt mandato, secundum ita labefactarunt, ut dicerent 1. *non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* 2. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Verum duas hasce prop. tota plaudente Ecclesia damnavit Innoc. XI. Unde

*Dico: Datur præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed formali et interno benevolentiæ actu.*

*Prob.* Est Matth. 22. *Secundum autem* (mandatum) *simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et Joann. 13. Salvator ait: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Atqui haud dubie nos ipsos affectu interno diligimus, & Salvator noster affectu interno & formali nos dilexit, quod pressius Div. Petrus declarat (1. *Petri* 2. *v.* 22.) dicens: *In fraternitatis amore simplici ex corde invicem diligite.* Ergo.

Quæres 1. *Quandonam teneamur ad actum internum dilectionis proximi?*

*Resp.* 1. Ad talem actum sæpius tenemur; nam præceptum dilectionis fraternæ simile est præcepto dilectionis Dei; atqui præceptum dilectionis Dei sæpius obligat; ergo.

*Resp.* 2. Certo non potest determinari tempus, quo præceptum dilectionis proximi *per se* obligat, sed cum sæpius obliget, monendi sunt fideles, ut attente Orationem Dominicam sæpius recitent;

per

per hanc siquidem perfectissime elici possunt actus dilectionis erga proximum, quia ea quæ in illa postulantur, non pro postulante dumtaxat, sed & pro omnibus postulantur.

*Resp.* 3. Actus internus dilectionis proximi obligat *per accidens,*

1. Dum gravis urget odii tentatio; quæ absque actu dilectionis superari non potest.

2. Dum videmus proximum gravi injuria affici in bonis sive corporis, sive animi, sive fortunæ; quia debemus diligere proximum sicut nos.

3. Quoties ex præcepto Charitatis debemus proximo succurrere, vel onera ejus portare, toties internum illum affectum elicere nos oportet, quia vera dilectio sine actu interiori non potest impleri; ex quo

*Resolves.* Hominem debere esse animo ita præparato, ut continuo Charitatem exerceat erga proximum; juxta illud D. Petri (1. 4. *v.* 8.) *ante omnia mutuam in vobismetipsis Charitatem continuam habentes;* ratio quam assignat Card. Bona (*In principiis vitæ Christi pag.* 2. §. 45.) *ante omnia* est quia *tot sunt hominum miseriæ, tam spirituales, quam corporales, ut vix gressum movere possimus, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostra vel supportatione indigentes.*

Quæres 2. *An præceptum Charitatis proximi sese extendat ad inimicos?*

*Resp. affirm.* Dixit enim Christus Matth. 5. *audistis quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quo loci Christus rectum tradit sensum hujus Legis; *diliges proximum tuum*, quem Pharisæi corruperant, a ratione proximi excludentes inimicos & extraneos; quam pseudo-interpretationem corrigit Christus, docetque 1. inimicos interno Charitatis affectu esse diligendos; 2. ipsis præstanda esse exteriora dilectionis officia, ipsis benefaciendo, pro ipsis orando, ut ipsis proficui simus, quibus bene velle debemus.

Quæres 3. *Quid exigat a nobis præceptum dilectionis inimicorum?*

*Resp. exigit* 1. Ut inimicis ex corde remittamus offensam, atque ita omnem odii ac vindictæ deponamus affectum, ut sincero corde parati simus ipsis exhibere debita internæ dilectionis signa; ratio est quia præcepta est interna dilectio; ergo numquam licet in animo, vel ad momentum, fovere quidquid internæ dilectioni est contrarium.

*Exigit* 2. Ut inimicis ex interno affectu exhibeamus *communia* dilectionis signa, quæ aliis communiter hominibus ejusdem conditionis exhibere solemus; *si enim illa non exhiberemus inimicis*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 35. *art.* 9.) *hoc pertineret ad livorem vindictæ.*

*Resolves:* Eum graviter peccare qui inimicum excludit a communibus orationibus; vel ab eleemosynis quæ certis hebdomadæ diebus fiunt omnibus pauperibus pro eis ad januam sese offerentibus; vel a resalutatione; vel ad interrogata responsione; vel a mercium expositarum venditione &c.

Dixi: *communia signa*; specialia quippe benevolentiæ signa, qualia sunt visitare, familiariter colloqui, ad convivium invitare &c. *regulariter loquendo*, non tenemur inimicis exhibere, extra casum necessitatis.

Dixi, *regulariter loquendo:* quia in duobus casibus specialia illa dilectionis signa inimico, quamvis prior offenderit, præstare tenemur; 1. cum per ea Spes probabilis affulget Deo lucrandi, sibique reconciliandi proximum, alias in odio & inimicitia perstiturum; vel etiam magis exarsurum; quia ex Charitate tenemur grave damnum proximi, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa obveniens, impedire vel tollere cum possumus saltem sine nostro notabili detrimento; 2. Si inimicos ante injuriam solebamus salutare, ad conversationem admittere &c. eadem benevolentiæ specialia signa post injuriam illatam, tenemur præstare, *nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel ab eo excusent.* Quia istorum signorum denegatio extra circumstantias speciales, censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem subministrat, populumque scandalizat, quod Charitati maxime adversatur.

Dixi, *Nisi circumstantiæ speciales aliud postulent*, prout postulare videntur 1. si prudenter existimetur quod inimico profutura non sit specialis illa benignitas nostra, imo potius obfutura, eo quod ea sit abusurus ut pejor fiat. 2. Si inimicus prævideatur ad meliorem mentem potius reducendus, a novisque injuriis revocandus signorum illorum specialium omissione, quia tunc Charitatis est illa omittere.

*Exigit* 3. Ut inimicis in necessitate constitutis opitulemur, & damnum ipsis alias imminens in honore, fama, corpore & bonis fortunæ, impediamus dum sine nostro gravi damno possumus, sic enim nobis fieri vellemus, & sic præcipit Christus (*Matth.* 4. *vers.* 44.) *benefacite his qui oderunt vos.*

*Exigit* 4. Ut inimico veniam petenti, etiam statim post acceptam injuriam, exteriora benevolentiæ, & condonationis signa, privatus quisque exhibeat; tunc enim horum omissio reputatur quoddam odii signum, vindicta, & scandali causa ad majus odium provocans inimicum.

Dixi 1. *Statim post acceptam injuriam*: sic enim præcipit Christus cum dicit (*Luc.* 17. *vers.* 3.) *si septies in die peccaverit in te* (frater tuus) *et septies in die conversus fuerit ad te dicens, pænitet me, dimitte illi.* Porro vult statim dimitti qui vult septies in die dimitti; hinc Aug. (*Serm.* 52.) ait: *quando inimicus veniam petit, continuo dimittatis.*

Dixi 2. *Privatus quisque*: Quia quivis superior offensus aliquando correptionis & aliorum exempli causa, potest externa condonationis signa differre; modo in corde dimittat & Charitatem servet exemplo Davidis, qui (2. *Reg.* 14. *v.* 24.) faciei suæ conspectum Absaloni denegavit, etiam post remissam ipsi offensam; ratio est quia id amoris potius signum est quam odii, utpote tendens in bonum subditi vel communitatis. Multa tamen prudentia in eo requiritur, ne plus æquo subditus exacerbetur.

*Quæ-*

Quæres 4. *An veniam petent teneamur remittere injuriarum actionem & satisfactionem pro injuria in bonis famæ vel fortunæ?*

*Resp. neg.* Quia solus vindictæ appetitus, non ordo justitiæ repugnat Charitati, ac proinde præceptum Charitatis non infringit qui dictam satisfactionem coram legitimo judice, servato juris ordine, absque livore vindictæ, & ex animo illatam sibi injuriam remittens, exposcit.

Quæres 5. *An pars læsa æquam ad prudentum arbitrium satisfactionem ab inimico oblatam, teneatur acceptare?*

*Resp. Ordinarie* tenetur ex præcepto Charitatis quæ vetat, ne quis alteri faciat quod sibi rationabiliter fieri non vult.

Dixi: *ordinarie*, quia quandoque necesse est satisfactionem injuriarum prosequi apud Judicem & hoc 1. Si reus sit Reipublicæ noxius ob continuas quas excitat rixas, & hac correctione indigeat ut alios similiter injuriare desinat. 2. Si ita gravis esset offensa, ut infamia quæ in totam recidit familiam, non posset absque hac juridica satisfactione deleri.

Quæres 6. *Quis ordo in reconciliatione ineunda sit servandus?*

*Resp.* Hunc esse servandum:

1. Qui gravem injuriam proximo intulit, veniam aut excusationem petere, aut saltem, si læso valde dignior sit, convenientia reconciliationis media adhibere tenetur.

2. Si duo inter se rixam habuerint, qui prior aggressus est, is prior, *cæteris paribus*, veniam petere, aut viam ad pacem aperire, debet, id enim exigit justitiæ ratio.

Dixi, *cæteris paribus*: quia si is qui in offendendo est posterior gravius & notabilius offendit, debet alium prævenire, ut recta dictat ratio.

Porro filius & subditus etsi a patre & superiore gravius læsi fuerint, numquam tamen possunt ab ipsis salutationis vel allocutionis officium substrahere, utpote ipsis ex quarto Decalogi præcepto strictissime debitum. Idem dic de Religiosis ejusdem ordinis, quia licet salutatio & allocutio sint signa specialia respective ad extraneos, tamen generalia & communia reputantur respective ad Religiosos ejusdem ordinis; ergo ipsis debita sunt etiam post acceptam injuriam, ex quo

*Resolves*: Peccare mortaliter Religiosos, qui rixæ causa intra septa domestica sese non salutant, nec alloquuntur, si antea se invicem salutare, & alloqui solebant; istorum enim denegatio, est signum odii, causaque scandali, atque multorum sacrilegiorum in iis qui livorem vindictæ foventes, Sacramenta non verentur administrare ac suscipere velut meruit sui status exercitium; proh dolor! . . .

Quæres 7. *Quis sit sensus horum Christi verborum Matth.* 5. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.

*Resp.* Verbis vere aureis D. Augustini (*L.* 1. *de Serm. Domini in monte cap.* 10.) *si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est si nos eum in aliquo læsimus: tunc enim ipse habet adversum nos: nam nos adversus illum habemus, si ille nos læsit, ubi non opus est* (nobis) *pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes . . . pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit, quod nos forte fratrem in aliquo læsimus: pergendum autem, non pedibus corporis si longius absit, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurrerit, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim, etiamsi præsens sit, poteris cum non simulato animo tenire, atque in gratiam revocare, veniam postulando; si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum, non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu, atque inde veniens, id est intentionem revocans ad id quod agere cæperis, offeres munus tuum.* Itaque si frater longius absit, sufficiet protestari Deo qui corda & renes scrutatur, te velle congruam satisfactionem fratri læso præstare, etiam veniæ petitione si necesse fuerit, donec opportunitas se obtulerit id reipsa præstandi. Quod si frater læsus non absit longius, pro reconciliatione adeundus est quamprimum moraliter fieri potest, id est statim ac *prudentiæ ratio, tempus & locus permittunt*, ut explicat Jansenius hic. Atque hæc obligatio tam arcta est, ut qui proximum graviter læsit, absolvi non debeat, nec ad Eucharistiæ participationem admitti, nisi prævia reconciliatione, saltem rationabiliter oblata, ut plura definierunt Concilia (*Carthag. IV. can.* 93. *Arela. II. can.* 50. *August. can.* 51. *Tolet. IX. can.* 4. *Nannetensi, can.* 4.).

## QUÆSTIO III.

### *De ordine Charitatis.*

*Nota* 1. Constat apud omnes ordinem quemdam in Charitatis exercitio servandum esse, unde Ecclesia Deum laudat quod in illa Charitatem ordinaverit, *ordinavit in me*, inquit, (*Cant.* 2. *v.* 14.), *Charitatem.* Ratio est quia ad amorem rectum non sufficit objectum bonum, sed necessarium est quod objectum bonum bene ametur, quod non fit, nisi custodito amoris ordine juxta illud Div. August. *bene amatur quando amatur ordine custodito, male autem, ordine perturbato.*

*Nota* 2. In exercitio Charitatis duplex est ordo servandus, *dilectionis* nimirum & *subventionis* seu *beneficii*, juxta illud D. August. (*Epist.* 148.) *Charitas quæ tamquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus anteponit*: sic Pastor evangelicus ordine dilectionis prætulit nonaginta novem oves quas in deserto reliquerat, ovi centesimæ quæ erraverat; sed centesimam illam errantem ordine subventionis prætulit aliis nonaginta novem; has enim a sua cura dimisit, cum econtra totum se dederit in centesima quærenda, & ad ovile reducenda.

*Nota* 3. Aliunde ordo dilectionis petitur quam ordo beneficii; ordo quippe *dilectionis* petitur ex dignitate objecti; ordo vero *subventionis* & *beneficii* petitur ex indigentia personæ cui subvenitur, habita tamen ratione conjunctionis qua persona indigens conjungitur nobiscum, ita ut inter indigen-

tes

tes, cæteris paribus, præferendi sint conjunctiores, ad quorum adjutorium magis nati sumus.

Restat ergo ut exponamus 1. Quis ordo *dilectionis* in exercitio Charitatis servandus sit: 2. Quis ordo *beneficii* servandus sit inter diligentem & dilectum; 3. Quis ordo *beneficii* servandus sit erga diligibiles proximos: circa quæ

*Dico* 1. *In exercitio Charitatis talis debet esse ordo dilectionis, qualis est ordo rerum quoad bonitatem.*

*Prob.* Ordo *dilectionis* petitur ex dignitate objecti amabilis; ergo talis debet esse ordo *dilectionis*, qualis est ordo rerum quoad bonitatem; & consequenter meliora magis amari debent, utpote magis amabilia.

*Resolves* 1. Deum super omnia amandum, quia est summum & summe amabile bonum.

*Resolves* 2. Creaturas, quæ cæteris sunt sanctiores, præ cæteris amari debere, quia sunt Deo conjunctiores, & secundum se amabiliores. Creaturas vero quæ sunt æque sanctæ, æqualiter amari debere, quia sunt æque Deo conjunctæ, & æque secundum se amabiles.

*Resolves* 3. Animam diligi debere magis quam corpus; illa enim est dignior corpore, eo quod possit perfrui Deo, non autem corpus, quia ut ait August. (*L.* 1. *de doct. Christ. cap.* 27.) *corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.*

*Resolves* 4. Quando justorum justitiæ & sanctitatis gradus non cognoscimus, *omnes*, ait ibidem August. *æque, ordine dilectionis, diligendi sunt.*

*Dico* 2. *Ordine beneficii unusquisque tenetur se ipsum magis diligere quam proximum, in eodem bonorum genere.*

*Prob.* Ex ipso dilectionis præcepto (*Matth.* 22. *vers.* 39.) *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi dilectio sui proponitur uti regula & exemplar amoris proximi; atqui regula est prior & potior regulato; ergo ordo postulat ut nos ipsos magis diligamus, quam proximum; unde axioma est ab ipsamet natura dictatum: *Charitas bene ordinata incipit a se ipso.* Hinc

*Resolves* 1. Ordine beneficii magis diligere tenemur animam nostram, quam animam proximi, unde non licet etiam pro totius mundi salute venialiter peccare, & peccati proximo periculo sese committere, ut constat ex damnatione hujus prop. ab Innoc. XI. *licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi.*

*Nec dicas.* Magis placet Deo ut unum fiat veniale peccatum, quam ut totus mundus ob peccatum mortale damnetur; ergo licet ad vitandam totius mundi damnationem, peccare venialiter.

*Resp. dist. ant.* Magis Deo placet in genere, quia nempe Deus generatim mavult leviter offendi quam graviter, *conc. ant.* magis placet in particulari, hoc sensu quod Deus velit me venialiter peccare ut mortalem aliorum offensam, & ei annexam damnationem removeam, *nego ant.* imo contrarium vult, qui vult ut me plus amem quam proximum.

*Resolves* 2. Tenemur magis vitam nostram corporalem quam proximi conservare, *nisi commune bonum aliud exigat*, juxta illud Aug. (*Lib. de mendac. cap.* 6.) *si quis pro alterius temporali vita, vitam suam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicut se ipsum, sed plus diligere quam se ipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit*; juxta quam homo utpote sibi ipsi magis conjunctus quam proximo, se magis diligere debet quam proximum .... Dixi, *nisi commune bonum aliud exigeret*: prout exigit ut privatus vitam suam exponat pro conservanda vita principis sui, vel alterius personæ ad Rempublicam servandam necessariæ, si eam morte sua servare posit. Debet enim quodlibet membrum periculo exponi, imo abscindi, dum id necesse est pro conservatione totius.

Dixi in assertione: *in eorum bonorum genere*: quod ut clarius explicetur,

Quæres: *Utrum quilibet teneatur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi salute?* Ante responsionem

*Nota*: Proximus potest esse constitutus in triplici necessitate salutis æternæ, vel in extrema, vel in gravi, vel in communi.

*Extrema* est ea, in qua, nisi hic & nunc juvetur, æternum est periturus; in tali necessitate est infans sine Baptismo moriturus, nisi te exponas periculo, ut ipsi per Baptismum subvenias.

*Gravis* est ea, in qua proximus salvari quidem potest absque alterius ope, sed valde difficile; in tali necessitate est consuetudinarius peste infectus, copiam Confessarii non habens, qui equidem saluti suæ absolute providere potest per actum perfectæ contritionis; sed quia valde difficilis est ejusmodi actus, censetur esse in gravi salutis æternæ necessitate.

*Communis* est ea, in qua proximus sine alterius ope facile salvari potest; in ea est qui in communi peccandi occasione est constitutus. Hæc est plane voluntaria in proximo, & ideo pro eo nullus tenetur nedum propriam vitam, sed nec bona temporalia exponere. His notatis,

*Resp. Tenetur, si proximus sit positus in extrema salutis necessitate, & si alius non adsit qui possit & velit illi succurrere; si vero in gravi tantum necessitate sit constitutus, non tenetur, nisi sit pastor animarum.*

*Prob.* 1. *pars*: Quia dicit Christus (*Joann.* 15. *vers.* 12.): *hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos*; atqui Christus sic nos dilexit ut vitam suam pro salute nostra tradiderit, ergo concludit. D. Joann. (1. 3. *v.* 16.) *et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ Christi Lex vel nunquam, vel saltem in extrema fratrum necessitate spirituali obligat.

*Prob.* 2. *pars*: Quia necessitas gravis talis est naturæ, ut homo ab ea liberare se possit si velit: atqui charitas non exigit ut me morti exponam ad liberandum eum qui absolute se liberare potest, & cujus specialem curam non suscepi; ergo.

Dixi, *nisi sit Pastor animarum*, quia Pastores ex officio sunt magis obligati ad oves sibi commissas necessariis Sacramentis pascendas, quam quilibet alii: ergo cum alii ad id in extrema necessitate teneantur cum vitæ suæ periculo, consequens est quod ad id cum eodem vitæ periculo teneatnur Pastores etiam in gravi necessitate, juxta illud, *bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.*

Dic

*Dico 3. Ubi omnibus in pari necessitate constitutis non possumus succurrere, extraneis debemus præferre eos qui nobis sunt sanguine, amicitia, vel religione conjuncti, juxta gradum & rationem conjunctionis.*

*Prob. prop.* Quæ est D. Augustini (*L. 1. de Doct. Christi cap. 28.*) *cum omnibus prodesse non possis*, inquit, *his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.* Ratio est, quia charitas non destruit, sed perficit naturam; atqui natura rationalis dictat magis diligendos esse conjunctos quam extraneos, & conjunctiores quam minus conjunctos; ergo.

Dixi, *in pari necessitate:* quia extraneus in majori necessitate positus præferendus est propinquo longe minus indigenti; nam cum præceptum Charitatis non obliget ad benefaciendum aliis, nisi sint in aliqua necessitate, magis obligat ubi major est necessitas; ita D. Thom. (2. 2. *q.* 31. *art.* 3).

*Resolves:* Extraneus in *gravi* neccessitate positus est præferendus consanguineo in *communi* tantum necessitate; item extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti, quia tunc necessitas extranei major est ob indigentiam boni superioris ordinis, & consequenter magis necessarii.

Quæres: *Cum sint diversi gradus consanguinitatis & aliarum conjunctionum, qnomodo inter eos servandus est ordo subventionis & beneficii?*

*Resp.* Ordo sequens *per se loquendo* est observandus.

1. *In extrema necessitate* parentes præferendi sunt aliis omnibus, quia eos *diligimus sub ratione principii*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 26. *art.* 9. *in corp.*) *quod habet rationem eminentioris boni & Deo similioris.*

Dixi: *in extrema necessitate:* quia in gravi necessitate potius subveniendum est uxori ac liberis, quam parentibus, *filiis magis debetur a parentibus cura provisionis;* ait D. Thom. (*ibid. ad* 1.) Rationem assignat Apostolus (2. *Cor.* 11. *vers.* 41.) quia *non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2. Pater præferendus est matri, quia nobilius est principium prolis, quam mater.

3. Uxor præferenda est filiis, quia est una caro cum marito, & ideo ei conjunctior quam filii.

4. Filii præferendi sunt fratribus; quia cum sint pars a patre decisa, illis sunt conjunctiores.

5. Fratres præferendi sunt cognatis, & ex his viciniores remotioribus; quia major est sanguinis conjunctio cum prioribus.

*Dices:* Uxor præferenda est patri in extrema necessitate, juxta illud (*Genes.* 2. *vers.* 24.): *dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

*Resp. nego ant.* Ad textum respondet Div. Thomas (2. 2. *q.* 26. *art.* 11. ad 1.) *quod non quantum ad omnia deseritur pater & mater propter uxorem: in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quam uxori; sed quantum ad unionem carnalis copulæ & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori.*

Dixi in responsione: *per se loquendo:* fieri enim potest *per accidens*, ut is alteri præferatur qui naturaliter deberet postponi: sic mater bona quæ prolis curam digne gerit, potest præferri patri malo & proli malefico: sic filius in rebus domesticis multum necessariis potest præferri uxori clamorosæ & inutili; &c.

## CAPUT IV.

*De officiis Charitatis, seu operibus misericordiæ.*

Quæres 1. *Quid sit misericordia?*

*Resp.* Misericordia est, *alienæ miseriæ efficax compassio*, cum voluntate, scilicet, misero succurrendi; & cum miseriæ hominis aliæ sint corporales, aliæ spirituales, opera misericordiæ dividuntur in corporalia & spiritualia.

Quæres 2. *Quot sint opera misericordiæ corporalia?*

*Resp.* Sunt septem, scilicet infirmum visitare; sitientem potare; esurientem pascere; captivum redimere; nudum vestire; hospitem colligere; mortuum sepelire, juxta hunc versum:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Quæres 3. *Quot sunt opera misericordiæ spiritualia?*

*Resp.* Sunt similiter septem, nempe dubitanti consulere; peccatorem corripere; ignorantem docere; tristem consolari; offendenti remittere; onerosum sustinere; pro omnibus orare, quæ comprehenduntur hoc versu.

*Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

Circa illa misericordiæ opera, de duobus tantum, nimirum de correptione fraterna, & corporali eleemosyna nobis est disserendum duplici quæstione.

### QUÆSTIO I.

*De correptione fraterna.*

*Nota.* Triplex est correptio, juridica nempe, paterna, & fraterna.

Correptio *juridica* est *actus justitiæ vindicativæ ordinatus non solum ad emendationem delinquentis, sed etiam ad ejus castigationem ob bonum commune & aliorum terrorem.*

Correptio *paterna* est *actus auctoritatis, quo superior absque forma judicii corrigit delinquentem* tum ut emendetur ipse, tum ut tollatur scandalum aliorum.

Correptio *fraterna* est *actus misericordiæ, quo quis proximum, monitione salutari, a peccato revocare conatur.* De hac plura quærentur breviter exponenda.

Quæres 1. *An correptio fraterna cadat sub præcepto?*

*Respond.* Cadit sub præcepto tum naturali, tum divino.

*Prob.* 1. *pars.* Præceptum dilectionis proximi est naturale; sed correptio fraterna comprehenditur sub præcepto dilectionis proximi, ergo. *Probat. minor.* Eleemosyna comprehenditur sub præcepto dilectionis proximi; atqui correptio fraterna est elee

eleemosyna spiritualis longe pretiosior eleemosyna corporali; ergo.

*Prob.* 2. *pars*: Ex utroque testamento:

1. Ex veteri Eccl. 19. *corripe amicum ne forte non intellexerit & dicat, non feci: aut si fecerit, ne forte iteret.*

2. Ex novo Testamento Matth. 18. Christus correptionis præceptum tulit sic: *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quibus verbis præceptum contineri, communis est traditio sanctorum Patrum (*Christ. homil.* 62. *August. Serm.* 82. *de verbis Domini cap.* 7. *Greg. Magn. lib.* 4. *Epistol.* 56. *Ambros. Hieron. &c.*). Ubi

*Nota*: Hæc verba: *in te*: duobus modis explicari posse; 1. Ut idem sit ac, *coram te*, vel, *te sciente*; ita ab Aug. (*Serm.* 32. *alias* 15. *cap.* 10.) exponuntur. 2. Ut idem sint ac, *contra te*, juxta quam interpretationem species sumitur pro genere, peccatum contra nos pro omni peccato, cum ideo debeamus corripere fratrem, ut lucremur eum.

Quæres 2. *Quinam obligantur præcepto fraternæ correptionis?*

*Resp.* Ad fraternam correptionem omnes tenentur, sed maxime superiores.

*Prob.* 1. *pars*: Eccl. 17. *mandavit unicuique de proximo suo*; si unicuique, ergo nemo correctioni faciendæ idoneus, ab ea immunis est; unde ista Christi verba, *si peccaverit frater tuus, corripe eum*, diriguntur ad omnem, qui peccatum proximi novit.

*Prob.* 2. *pars*: Quia superiores ad corrigendos subditos non tantum tenentur ex Charitate, sed etiam ex justitia ratione officii, quam obligationem esse gravem declarat (1. *ad Tim. cap.* 5. *vers.* 8.) Apostolus his verbis, *si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.*

Quæres 3. *Quinam sint ex præcepto corripiendi?*

*Resp.* Omnes non solum æquales ab æqualibus, sed etiam superiores a subditis. Ratio est, quia præceptum Domini est universale, & ad illud implendum non est opus jurisdictione, cum solum fundetur in Charitate secundum quam bonum spirituale superioris magis quam inferioris diligere tenemur.

Porro correptio superioris ab inferiore debet fieri seorsim & cum multa reverentia & magis obsecrando, quam arguendo juxta illud Apostoli (1. *Ad Tim.* 5. *vers.* 1.) *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Si tamen alios suo exemplo vel falsa doctrina in errorem vel in disciplinæ relaxationem induceret, in faciem ipsi resistendum esset, exemplo Pauli qui in faciem Petro restitit, eo quod suo exemplo aliis errandi occasionem incaute præhebat.

Quæres 4. *Quænam requiruntur ut quis ad fraternam correptionem obligetur?*

*Resp.* Requiruntur sex conditiones.

1. Est ut corripiens sit moraliter certus de peccato proximi præsertim mortali; scriptum est enim (*Eccl.* 11. *vers.* 11.) *priusquam interroges, ne vituperes quemquam*, correptione temeraria & contra Charitatem facta; nec quis tenetur alterius vitam & mores inquirere, nisi sit superior juxta illud (*Proverb.* 24. *vers.* 15.) *ne quæras impietatem in domo proximi, & ne vastes requiem ejus.* Ut vero superior teneatur inquirere, sufficit suspicio, vel dubia cognitio, quia cum ex officio gregi suo invigilare teneatur, tenetur etiam malis dubiis occurrere.

2. Ut moraliter certus sit proximum nondum resipuisse; nam per resipiscentiam cessat finis fraternæ correptionis.

3. Ut sit probabilis spes emendationis; quia nemo ad actum inutilem tenetur.

4. Ut nullus adsit magis idoneus v. g. dignior vel superior qui possit & *velit* corripere; dico, & *velit*: si enim nolit corripere, perinde teneris ac si solus posses corrigere; nam tunc tua correptione peccans indiget.

5. Ut non speretur tempus correptionis opportunius; si enim commodius, & utilius proximo foret eam differre, differenda esset.

6. Ut materia correptionis sit necessaria, qualis *respectu privati* est peccatum mortale, non veniale saltem ut plurimum; hoc colligitur ex fine præcepti qui est ut fratrem lucretur, ad quod requiritur ut frater perierit per peccatum utique mortale; *si non perieras, quomodo te lucratus est?*

Dixi 1. *Respectu privati*; quia indubitatum est Prælatos regulares non raro teneri sub mortali corrigere venialia subditorum, præsertim dum notabiliter lædunt regularem disciplinam, quam ex officio manutenere tenentur sub mortali. Ita doctores communiter.

Dixi 2. *Ut plurimum*; quia etiam privati præsertim religiosi tenentur interdum ad fraternam correptionem de venialibus, dum scilicet vergunt in grave damnum vel communitatis cujus disciplinæ vigor subvertitur, vel ipsius delinquentis, dum v. gr. ejus peccatum veniale valde dedecet hominem honestum, uti dedecet apertum mendacium; vel dum periculum est, ne ex veniali deveniat in mortale.

Quæres 5. *Quis sit modus faciendæ correptionis fraternæ?*

*Resp.* Debet fieri cum mansuetudine magna & humilitate, ita ut corripiens *intendat correptioni, parcat pudori*, ait D. Augustin. (*Serm.* 82. *alias* 16. *de verbis Domini*) juxta illud Apostol. (*Ad Galat.* 6. *vers.* 1.) *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tenteris.* Unde ut plurimum admonitione utendum, potius quam correptione proprie dicta.

Quæres 6. *Quis ordo servandus sit in correptione fraterna?*

*Resp.* Sub gravi peccato, debet *per se loquendo* servari ordo a Christo præscriptus Matth. 18. *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum . . . si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos . . . quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, id est superiori.

Ratio est, quia hic ordo est præcepti positivi & naturalis: & quidem

1. *Est præcepti positivi*, quia Christus eodem modo præcepit correptionis substantiam, & ordinem in ejus executione servandum, ut constat ex his verbis: *corripe, adhibe, dic*, quæ præceptiva sunt.

2. Est

2. *Est præcepti naturalis* prohibentis, ne proximi fama sine necessitate lædatur. Unde si sufficiat secreta admonitio, non sunt adhibendi testes; si testis unus sufficit, non sunt adhibendi plures; si testes non sufficiunt, deferendum est peccatum ad superiorem, ut illud pro sua auctoritate compescat.

Dixi, *per se loquendo:* quatuor enim casus excipiuntur, in quibus prætermisso ordine a Christo præscripto, peccatum proximi immediate deferendum est superiori.

1. Quando crimen est publicum: quia tunc cessat ratio servandi famam, cum delinquens per publicitatem criminis de eo sit jam infamatus.

2. Quando crimen, etsi occultum, vergit in grave aliorum detrimentum sive spirituale, sive corporale. Ratio D. Thom. (*Ad Galat.* 6. *v.* 2.), est quia tunc *mora denuntiationis est periculosa, & ideo non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denuntiationem.* Timendum quippe est ne admonitus patriæ proditor, fur domesticus, pastor occulte disseminans errores contra fidem, aut in Confessione sollicitans ad turpia, secreta illa monitione potius cogitet crimen occultare cautius agendo quam emendare.

3. Quando prudenter judicatur non profuturam privatam monitionem, quia tunc eget correctione superioris ut patris, qui *potest magis prodesse quam alii*, ait D. Thomas. (*In quæst. disputatis q. de corrept. fraterna, art.* 2. *ad* 1.)

4. Quando proximus cessit juri suo ad propriam famam; nam *in arbitrio uniuscujusque est pati detrimentum suæ famæ*, ait D. Thom. (2. 2. *qu.* 33. *art.* 8. *ad* 3), *nisi id vergat in aliorum detrimentum.* Quomodo fit in Societate Jesu, in qua Lege perpetua statutum est, ut omnia peccata defectusque subditorum immediate ad superiorem deferantur.

Porro superior vi notitiæ per simplicem denuntiationem sibi immediate factam ut patri, non potest judicialiter procedere, quia delictum non fuit illi manifestatum ut Judici ad puniendum, sed ut patri, ad subditum amore paterno corrigendum, & ideo caret fundamento juridice procedendi.

Meminerint ergo superiores in iis quæ sibi delata sunt tamquam patribus, famæ delinquentis parcere quantum fieri potest, prudenterque in paterna correctione animadvertant, ne delationes sibi factæ, falsæ sint, vel ex aliqua inimicitia vel circumventione procedant; quod in secreto debent explorare, antequam denuntiato aliquid indicent; quia inde ordinarie turbationes, odia, & contentiones excitantur, quæ postea extingui non possunt.

## QUÆSTIO II.

*De corporali eleemosyna.*

*Nota* 1. Eleemosyna est *opus misericordiæ quo datur aliquid indigenti, ex compassione propter Deum.* Ideo

*Nota* 2. Indigentia seu necessitas proximi triplex est, nempe

*Extrema*, inqua de vita, vel mutilatione membrorum pauper periclitatur, nisi ei subveniatur.

*Gravis*, in qua indigens, nisi ei subveniatur, non potest vitare grave malum, v. g. captivitatem, gravem infamiam, amissionem status vel dignitatis, aliudve grave incommodum morte minus.

*Communis*, in qua pauperes ordinarii victitant quidem, sed non absque difficultate.

*Nota* 3. Bona alicui necessaria sunt triplicis generis, nempe

1. Bona necessaria vitæ, sine quibus homo non potest seipsum & suos alere.

2. Bona necessaria status, sine quibus non potest quis statum honestum, & ad christianæ modestiæ regulas exactum conservare.

3. Bona non necessaria, sed superflua vel vitæ, vel statui, vel utrique. His notatis;

Quæres 1. *Utrum detur præceptum faciendæ eleemosynæ?*

*Resp.* Datur & quidem naturale & divinum, obligans sub mortali.

*Prob. Ex Matth.* 25. Ubi damnationi æterna addicuntur qui eleemosynam omisere, *discedite a me maledicti in ignem æternum, esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, &c. & ex D. Joan. (2. 2. *qu.* 73. *art.* 1. *ad* 1.) *qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo Charitas Dei manet in eo?* Ergo si sine elargitione eleemosynæ non potest servari Charitas, eleemosyna est graviter præcepta.

Quæres 2. *Quinam possint eleemosynam facere?*

*Resp.* Illi soli possunt eleemosynam erogare, qui liberam suorum bonorum administrationem habent; ratio est, quia per eleemosynæ elargitionem bona vere alienantur in favorem pauperum; atqui illi soli possunt bona alienare, qui liberam eorum administrationem habent; ergo &c.

Porro in dissertatione de justitia cap. de dominio exponemus quinam habeant liberam bonorum suorum administrationem; illuc ergo remittimus lectores.

Quæres 3. *De quibus bonis eroganda sit eleemosyna?*

*Resp. generaliter*, Ex superfluis, juxta Christi præceptum (1. *Joann.* 3. *v.* 17.), *quod superest date eleemosynam*: unde D. Thom. ait; *res quas aliqui superabondanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi.* Verum cum sit varia pauperum necessitas, variumque divitum superfluum, ideo:

*Resp. specialiter* 1. Pauperibus extremam necessitatem patientibus subveniendum est ex bonis superfluis ad vitam, tametsi necessarii ad status decentiam.

Ratio est, quia Charitas ordinata exigit ut vitam proximi plus diligamus quam decentiam status nostri, & huic illam præferamus; ergo exigit ut jacturam decentiæ status patiamur pro vita proximi servanda, & quomodo dives negare posset, quandoquidem in tali necessitate coustitutus jure posset per violentiam, vel furtum accipere, quia ut ait D. Thom. (*in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *ad* 2.), *quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur ei omnia communia.*

*Resp.* 2. Pauperibus in gravi necessitate constitutis, subveniendum est ex bonis ad integram status decentiam aliqualiter necessariis.

*Prob.* Quia quilibet tenetur amare proximum sicut seipsum, *non verbo*, *neque lingua*, *sed opere & veritate*, ait Div. Joann. (1. *Joann.* 3 *vers.* 18.) ideoque illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate; sed qui non vult aliquid incommodi pati ut proximum suum a gravi malo liberet, eum non diligit sicut seipsum, nec illi facit quod sibi rationabiliter fieri vellet in pari necessitate, in qua certe rationabiliter vellet a malo valde gravi liberari cum aliquo incommodo alterius longe minori, *qualis est*, ait P. Antoine *diminutio aliqua decentiæ status*, *ut si quis de splendore convenienti*, *de ornatu vestium*, *de lautitia mensæ*, *de supellectili aliquid etiam notabile detrahat.* Ergo

*Resp.* 3. Pauperibus in communi tantum necessitate constitutis subveniendum est ex superfluis status & conditionis.

*Prob.* Quia Apost. (1. *ad Tim.* 6. *vers.* 17.), præcipit *divitibus hujus sæculi*, *ut facile retribuant*; atqui illud præceptum ad communes obviasque necessitates maxime extenditur; neque enim *facile* tribuit qui extremam vel gravem necessitatem (utpote satis ratam) ad tribuendum expectat: ergo &c. & ipse Christus eos flammis addicit æternis qui esurientes non pascunt, sitientes non potant, &c. atqui pauperes *in communi necessitate* sitim et famem patiuntur; ergo. Quare sancti Patres idem docent cum D. Thom. (2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *ad* 4.) dicente: *Dominus omnia superflua pauperibus jubet exhiberi*, *juxta illud Lucæ* 11. *quod superest*, *date eleemosynam.* Ex quo

*Resolves* 1. Divitem, qui superflua in notabili quantitate habens, omnes communes pauperes repelleret, vel ita modicum eis tribueret, habita ratione quantitatis superfluorum suorum, ut si alii pariter divites similiter facerent, communibus pauperibus sustentatio necessaria notabiliter deesset, peccati mortalis esset reus; ut bene notat Sylvius hic post Cajetanum, Navarrum & alios communissime, contra Vasquez & alios id durissimum existimantes.

*Resolves* 2. Cum Natali Alexandro (*Theolog. Dogmatic. & Moral. tom.* 7. *t.* 3. *c.* 6. *artic.* 9. *reg.* 8.) divitum Confessarios in maximo suæ salutis periculo versari, si absolvant eos, qui superflua sua pauperibus etiam communem duntaxat necessitatem patientibus, non erogant; quia illic in vestium pompam, ædium magnificentiam, canum & equorum multitudinem, &c. absumunt ac devorant.

*Dices.* Dives potest reservare superflua ad se evehendum in altiorem statum, ad quem aptus est. Ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Potest, si satisfecerit debito eleemosynæ, & subvenerit *occurrentibus* pauperum necessitatibus, *conc. ant.* aliter, *nego ant.*

Dixi, *occurrentibus necessitatibus*: neque enim divites tenentur pauperum necessitates inquirere ut ipsis subveniant, nisi sint beneficiarii superflua sua pauperibus impendere ex justitia obligati.

Quæres 4. *An præcepto eleemosynæ satisfacerent qui indigenti mutuum posthac reddendum daret?*

*Resp. negat.* Si indigens sit absolute pauper; ratio est quia non solum a Christo gratuitum præcipitur mutuum, sed propria eleemosyna; unde dicitur Lucæ 14. *cum facis convivium*, *voca pauperes*: *& beatus eris*, *quia non habent retribuere tibi.*

Dixi, *si indigens sit absolute paupere*: quia si indigens habet alibi bona, vel spem certam & proximam habendi, ex fundo v. g. industria, successionem, satisfacit præcepto charitatis, qui ei mutuat rem qua tunc indiget; ratio est quia tunc indiget tantum mutuo, vel commodato.

Quæres 5. *Quænam sunt qualitates eleemosynæ?*

*Resp.* 1. Eleemosyna debet esse *justa*: scilicet debet esse ex bonis propriis; non alienis, aut male partis; juxta illud (*Prov.* 3. *vers.* 9.) *honora Dominum de tua substantia.*

2. Debet esse *discreta*; scilicet debet dari veris pauperibus, non vero validis, ignavis & otiosis, juxta illud 2. ad Thessal. 3. *cum essemus apud vos*, *hoc denuntiabamus vobis*: *quoniam si quis non vult operari*, *nec manducet.*

Debet esse *liberalis*, & copiosa, juxta illud (*Luc.* 3. *v.* 11.): *qui habet duas tunicas*, *det non habenti*, *& qui habet escas*, *similiter faciat.* Quod probe agnoscens Tobias dicebat filio (*Tobiæ* 4. *v.* 8.), *quomodo potueris*, *ita esto misericors. Si multum tibi fuerit*, *abundanter tribue*; *si exiguum tibi fuerit*, *etiam exiguum libenter impertiri stude.*

4. Debet esse *prompta*: juxta illud (*Prov.* 3. *v.* 28.), *ne dicas amico tuo*, *vade & revertere*, *cras dabo tibi*, *cum statim possis dare.* Nam ex Div. August. (*homil.* 39.), *non est perfecta eleemosyna*, *quæ precibus extorquetur.*

5. Debet esse *hilaris*: juxta illud (*Eccl.* 35. *v.* 22.), *in omni dato hilarem fac vultum tuum*, *& in exultatione sanctifica decimas tuas.*

6. Debet esse *humilis*: juxta illud Christi (*Matth.* 6. *v.* 2.) *cum facis eleemosynam*, *noli tuba canere ante te*, *sicut hypocritæ faciunt* .... *amen dico vobis*, *receperunt mercedem suam.*

7. Debet esse *urbana*, & consequenter ab omni asperitatis & contemptus sensu aliena; juxta illud (*Prov.* 17. *vers.* 15.): *qui despicit pauperem*, *exprobrat factori ejus.*

## CAPUT V.

*De vitiis Charitati oppositis.*

*Nota.* Licet omnia peccata Charitati opponantur hoc sensu, quod eam destruant vel *formaliter* si sint mortalia, vel *dispositive*, si sint venialia; sunt tamen plurima quæ illi specialiter adversantur; hæc autem 10. recensentur a D. Thom. (*a quæst.* 34. *ad quæst.* 44.) scilicet, *odium*, quod amori; *acedia*, quæ gaudio de bono Dei; *invidia*, quæ gaudio de bono proximi; *discordia*, *contentio*, *schisma*, *bellum injustum*, *rixa*, *seditio*, quæ paci Charitatis; & tandem *scandalum*, quod correptioni fraternæ adversatur.

Porro cum de variis illis peccatis jam egerimus in Tractatu *de Peccatis*; hic agendum restat 1. de odio Dei & proximi; 2. de Bello; 3. de Schismate; 4. De Scandalo, distinctis quæstionibus.

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

### *De odio Dei & proximi.*

Quæres 1. *Quid sit odium?*

*Resp.* Est *actus mentis aliquod objectum aversantis:* eo quod vel malum sit, vel apprehendatur ut malum.

Quæres 2. *Quotuplex sit odium?*

*Resp.* Duplex, scilicet odium abominationis, & inimicitiæ.

Odium *abominationis*, est *actus quo voluntas aliquid ut sibi incommodum aversatur.*

Odium *inimicitiæ*, est *actus voluntatis quo alteri malum volumus*, *quatenus est ejus malum.*

Quæres 3. *Quale sit peccatum odium Dei?*

*Resp.* 1. Odium inimicitiæ erga Deum, est omnium peccatorum gravissimum; quia opponitur directe actui Charitatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, & ideo nunquam ob levitatem materiæ potest excusari a mortali.

Hinc gravissimum scelus est tristari de bono Dei ut ejus bonum, vel gaudere de ejus offensa quatenus est talis.

*Resp.* 2. Odium abominationis erga Deum est aliis peccatis ex suo genere mortalibus gravius; ratio est quia in peccato odii *abominationis* Dei voluntas *per se* avertitur a Deo; in aliis vero peccatis, voluntas non avertitur a Deo *secundum se*, sed *secundum aliud*, in quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem a Deo: atqui quod *per se* avertit a Deo, est gravius eo quod ab illo avertit tantum *secundum aliud;* ergo.

Hinc peccatum illius qui optaret ut Deus non esset, vel ut non esset justus aut omnipotens, ne eum puniret, vel posset punire de peccatis, gravius esset quolibet peccato contra virtutem aliam a charitate commisso.

Quæres 4. *Quale sit peccatum odium proximi?*

*Resp.* 1. Odium inimicitiæ erga proximum, est peccatum mortale ex genere suo; quia directe opponitur Charitati proximi; unde *omnis qui odit fratrem suum, homicida est;* ait D. Joannes (3. *vers.* 15.): *& scitis quoniam omnis homcida non babet vitam æternam in semetipso manentem.*

Dixi: *Ex genere suo:* quia potest esse veniale ex levitate materiæ; ut si ex levi displicentia, personæ leve malum optetur.

*Resp.* 2. Odium abominationis erga proximum, est peccatum, si habeat pro objecto personam proximi; quia tunc adversatur Charitati, non vero est peccatum. 1. Si habeat pro objecto peccatum proximi, ita ut odio habeatur peccator non qua homo, sed qua peccator est, juxta (*Prov.* 29. *vers.* 27.) *abominantur justi virum impium;* quia tale odium conjunctum est cum Charitate, qua eidem volumus salutem, & alia bona quibus indiget. 2. Si habeat pro objecto emendationem peccatoris; quia tale odium procedit ex amore benevolentiæ erga Deum & ipsum peccatorem; sic licitum est desiderare affectu inefficaci ut peccator morbo afficiatur, ut inde peccare desinat & resipiscat. Sic licite gaudemus de justo hostium excidio, de Turcarum damnis, propter utilitatem regni, vel Ecclesiæ &c.

Porro in Confessione exprimendum est malum quod proximo exoptatum est; quia exoptare proximo æternam damnationem, temporalem mortem, infamiam, &c. sunt actus qui licet ab uno eodemque odio imperentur, diversas tamen habent deformitates, & ideo sunt diversæ speciei.

## QUÆSTIO II.

### *De Bello.*

Quæres 1. *Quid sit Bellum?*

*Resp.* Est *publica armorum contra extraneos assumptio reipublicæ tuendæ aut vindicande gratia.*

Dicitur 1. *Publica delatio:* Id est facta per supremum Principis, aut Magistratus auctoritatem: quia qui subalternam habet auctoritatem, non potest bellum movere, sed debet in judicio superiori, jus suum prosequi.

Dicitur 2. *Armorum:* ut distinguatur a pugnis quæ fiunt baculo, crinium avulsione, &c. quæ licet ut plurimum sint peccata gravia, non sunt tamen bella aut duella.

Dicitur 3. *Contra extraneos:* ut distinguatur a seditione quæ fit inter homines ejusdem regni, vel communitatis perfectæ, invito Principe: & quæ *bellum civile* vocatur.

Dicitur 4. *Reipublicæ tuendæ aut vindicandæ gratia:* per quod exprimitur duplex bellum, scilicet

Bellum *offensivum*, quo hostis aggreditur compensationis obtinendæ, aut injuriæ vindicandæ gratia.

Bellum *defensivum*, quo vis & injuria illata vi & armis propulsatur.

Quæres 2. *An bellum licitum sit in nova Lege?* Negaverunt olim Manichæi teste August. (*L.* 22. *contra Faustum*, *cap.* 73.) & postea Lutherus qui voluit illicitum esse bellare contra Turcas. Contra quos

*Resp.* Bellum debitis conditionibus vestitum, esse licitum.

*Prob.* Ex Lucæ 3. ubi Joann. Baptista interrogatus a militibus quid sibi ad salutem esset agendum, non jussit ut militiam desererent, sed ne quemquam concuterent, & contenti essent stipendiis suis; in quem locum dicit Aug. *Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit*, *militare non prohibuit.*

Quæres 3. *Quænam requirantur ad justitiam belli?*

*Resp.* Præter supremam auctoritatem, duæ conditiones requiruntur.

1. Est *causa justa:* Quæ duntaxat esse potest gravissima injuria, sive Principi, sive subditis, sive confœderatis, sive etiam Fidei & Religioni irrogata, quam tollere, vel pro ea satisfacere, pars adversa recuset. Nam Charitas & justitia exigunt, ut sine gravissima & necessaria causa, non inferantur damna bellum necessario concomitantia.

2. Est *recta intentio:* Ita ut bellum non fiat ex odio, sed ex zelo justitiæ; non ex inordinata regni amplificandi cupiditate, sed ex voluntate fa-

vendi bono communi, qua intentione deficiente, si justa causa adsit, bellum non est injustum, sed illicitum, Charitati solum adversans. Dicit enim August. (*Ibidem*) *nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in belli jure culpantur.*

Quæres 4. *An bellum utrinque justum esse possit?*

*Resp.* Potest esse justum formaliter, non autem materialiter.

*Prob.* 1. *pars:* Illud bellum est ex utraque parte justum *formaliter*, quod movetur sine justa causa, quæ tamen prudenter æstimatur justa; atqui potest moveri bellum sine justa causa, quæ prudenter & bona fide æstimetur justa; ergo.

*Prob.* 2. *pars:* Illud bellum est ex utraque parte justum *materialiter*, quod movetur propter causam quæ a parte rei est utrinque justa; atqui nulla causa potest a parte rei esse utrinque justa; quia impossibile est, ut res propter quam movetur bellum, sit simul utriusque; ergo. Hinc

*Resolves* 1. Bellum vicino Principi indictum, ne potentior fiat, esse injustum *materialiter*: cum enim alienum non possideat, nec cuiquam injuriam faciat, nulla est justa causa ipsi bellum inferendi; atqui sine justa causa bellum inferre malum est. Ergo.

*Nec dicas*: Cum pseudo-politico Machiavello, justa est causa, timor ne principis vicini nimium excrescens potentia, statui sit periculosa.

*Resp.* Enim cum Apostolo: *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*; atqui malum est innoxie possidentem turbare per bella secum trahentia tot mala, humano generi tam periculosa; ergo.

*Resolves* 2. Bellum vicino principi indictum, quia timor est ne ipse rupto fœdere bellum indicat, esse injustum *materialiter*; quia ille timor non est justa belli causa, quamdiu alter nullam injuriam facit; nam innocens bello impeti non potest.

Quæres 5. *An Princeps Catholicus possit turmas auxiliares præbere infidelibus, vel Hæreticis habentibus justam causam bellandi?*

*Resp.* Potest, modo absit periculum incrementi hæreseos, vel detrimenti veræ religionis, nam per se loquendo licet alium in re justa juvare.

Dixi, *Modo absit periculum incrementi hæreseos*, &c. Quia in ordine rerum certum est honorem Dei, bonumque Religionis & Ecclesiæ (utpote præstantius) bono status politici præferendum esse.

*Nec dicas*, Regem Catholicum non esse causam illorum malorum, nisi per accidens & præter intentionem;

*Resp.* Enim quod sit illorum causa per se, illaque intendat saltem indirecte dum sine causa tantis malis præponderante, Hæreticos introducat in Civitates Catholicas a quibus Catholicæ Religionis exercitium exterminant, eo fere modo quo ille per se causa est occisionis innocentis in suo cubiculo latitantis, qui in illud sicarium armatum immittit, a quo occiditur.

Quæres 6. *An peccent qui per vim aut dolum aliquem militiæ inscribunt?*

*Resp.* Peccant graviter contra justitiam, tum erga sic coactum, quia illi injuste durum martis onus imponunt, eumque privant majori parte libertatis suæ, quo bono nullum homini præstantius concessum est; tum erga parentes, quos magno interdum privant solatio ac subsidio. Hinc

*Resolves*, Tales plagiarios teneri ad restitutionem totius damni quod patitur, qui fuit vi, vel dolo militiæ inscriptus, seu parentes ejus, uxor, liberi, creditores, &c. quia sunt illius causa injusta.

Quæres 7. *An represaliæ sint licitæ?*

*Resp. affirm.* Modo adsint sequentes conditiones;

1. Ut constet de injuria illata, & denegatione satisfactionis debitæ a principe lædente.

2. Ut fiant expressa principis auctoritate, ne alioqui repræsaliæ nimis facile fiant.

3. Ut non fiant in Clericos, seu personas Ecclesiasticas, vel earum bona. Id enim Greg. X. cum Concilio Generali Lugdunensi sub pœna excommunicationis prohibet. (*Cap. unico de injuriis, in* 6.)

## APPENDIX.

### *De Duello.*

Quæres 1. *Quid sit duellum?*

*Resp.* Est *periculosum certamen duorum, vel paucorum ex condicto, ad certum locum & tempus, initum.*

Quæres 2. *An duellum sit illicitum?*

*Resp.* 1. Duellum privata auctoritate initum, est peccatum mortale; unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare.

*Prob.* Quia nefas est quemquam occidere privata auctoritate, cum solus Deus habeat dominium vitæ & necis; ergo duellum auctoritate privata initum est grave peccatum; quare Concil. Trident. (*Sess.* 24. *cap.* 19.) ait: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus est, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur.*

*Confirmatur.* Quia duellum graviter & sub gravissimis pœnis prohibetur jure tum Ecclesiastico (*Cap.* 1. *De tormentis*, *cap.* 1. *de purgat. vulgari*,) tum Civili, Principum nempe edictis (*Edictis Ludovici IX. Henrici II. & Ludovici XIV.*)

*Respond.* 2. Duellum auctoritate publica est solum licitum, dum inducitur ad bellum atrox brevius finiendum.

*Prob.* Quia sicut in bello justo, ob bonum commune auctoritate Principis, licita est pugna inter multos, ita & inter paucos; sic David auctoritate Saulis singularem pugnam iniit contra Goliath.

Quæres 3. *Quasnam pœnas Concilium Trident. decernat contra duellantes?*

*Resp.* Excommunicat 1. omnes Principes ac Dominos temporales, qui locum ad duellum in terris suis concesserint. 2. Omnes suadentes, necnon spectatores ex industria. 3. Ipsos pugnantes & eorum patrinos cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum, & si in conflictu decesserint, privatione sepulturæ ecclesiasticæ.

Clemens VIII. (*Const. illius vices. Data ann.* 1592.) hanc excommunicationem Papæ reservavit, eamque cum aliis pœnis supradictis extendit ad omnes quocumque modo ad duellum immediate vel media-

mediate tantum cooperantes, etiamsi pugna non fuerit secuta. Ubi

*Nota.* Hanc excommunicationis reservationem locum non habere in Gallia, ubi Episcopi ab ea censura absolvunt sive per se, sive per eos quos ad hoc approbare voluerint; quapropter consulenda sunt uniuscujusque Diœcesis statura.

## QUÆSTIO III.

### *De Schismate.*

Quæres 1. *Quid sit Schisma?*

*Resp.* Est *voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ*; Capitis scilicet, aut membrorum capiti subjectorum.

Hinc Schismaticus est, non tantum qui se separat a summo Pontifice, ita ut ipsi tamquam Ecclesiæ capiti subesse nolit; sed etiam qui Ecclesiæ membris se retrahit in religionis cultu, oratione, Sacramentis, &c.

Quæres 2. *Quotuplex sit Schisma?*

*Respond. Duplex*, scilicet purum, & conjunctum Hæresi.

Schisma *purum* est illud quo quis totam Ecclesiæ Romanæ Fidem conservans, separat se vel a capite, vel a membris ejusdem.

Schisma *conjunctum hæresi* est illud quod importat dissensum in ipsa Fide; tale est Schisma Græcorum qui se separant a summo Pontifice, quia primatum illius negant.

Hinc omnes Hæretici sunt Schismatici, sed non omnes Schismatici sunt Hæretici.

Quæres 3. *Quale sit peccatum Schisma?*

*Resp.* 1. Est *peccatum speciale*, inquit D. Th. (2. 2. *q.* 39. *art.* 15.) *ex eo quod intendit se ab unitate separare, quam Christus facit; quæ non solum alterum alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate Spiritus.*

*Resp.* 2. Est peccatum gravissimum, quia lædit præclarissimum quoddam bonum commune, scilicet unitatem Ecclesiæ; unde D. Aug. (*Epist.* 152.) ait: *quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus ..... non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Quæres 4. *Quænam sint Schismaticorum pœnæ?*

*Resp.* 1. Excommunicantur tum in Bulla Cœnæ, tum in cap. *nulli* dist. 19.

2. Inhabiles sunt ad suscipienda Beneficia donec abjurato Schismate, cum eis fuerit dispensatum (*Cap.* 5. *de electione.*)

3. Nec Beneficia valide conferunt, nec licitam dant ordinum executionem; unde ab iis scienter ordinati, ab eorumdem ordinum exercitio sunt suspensi. (*Cap.* 1. *&* 2. *de Schismat.*)

Communis tamen sententia docet contra Panormit. hasce pœnas non incurri a Schismaticis puris ante condemnationem; quia omnia jura easdem pœnas continentia, loquuntur de Schismaticis simul Hæreticis.

## QUÆSTIO IV.

### *De Scandalo.*

*Nota.* Ut in hac materia cum ordine procedamus, investigabimus 1. Quid sit scandalum, quotuplex, & quale peccatum. 2. An & quænam opera teneamur omittere ad vitandum Scandalum. 3. An liceat rem vendere aut operam dare ei, qui eis male usurus prævidetur.

## ARTICULUS I.

### *Quid sit scandalum, quotuplex & quale peccatum.*

Quæres 1. *Quid sit Scandalum?*

*Resp.* Definitur a D. Th. (2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. *in corp.*): *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

*Dicitur* 1. *Dictum vel factum*: per quod intelligitur etiam *omissio dicti vel facti*, præbens similiter proximo occasionem ruinæ spiritualis.

*Dicitur* 2. Iterum *dictum*; sub quo nomine comprehenduntur non solum verba v. g. cantilenæ, colloquia impudica, verba contumeliosa, cottemptiva, seu quocunque modo irritativa, sed etiam scripta; v. g. propositiones & doctrinæ, quas Ecclesia velut scandalosas damnat; Libri fabulosi vulgo *Romanzi*, qui libidinem vel alios vitiosos affectus legentibus inspirant, & hodie tam mulierum quam virorum, præsertim juvenum, nobiliumque manibus tam frequenter teruntur.

*Dicitur* 3. *Factum*, quæ vox complectitur omnes actiones quæ vel ex expressa, vel ex interpretativa agentis intentione proximo dant occasionem ruinæ spiritualis.

*Dicitur* 4. *Minus rectum*, id est, quod vel de se malum est, vel mali speciem habet, ut si quis justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedat carnes die vetito.

*Dicitur* 5. *Præbens occasionem ruinæ spiritualis*, quia ad rationem scandali, necesse non est ut ruina sequatur, sed sufficit ut occasio ruinæ præbeatur.

Quæres 2. *Quotuplex sit Scandalum?*

*Respond.* 1. Scandalum dividitur in *activum* seu *datum*, quod mox definivimus; & *passivum* seu *acceptum*.

Scandalum *passivum* est ruina spiritualis, seu peccatum proximi, cujus occasio fuit scandalum datum.

2. Scandalum *activum* dividitur in *formale* seu *directum*, & *interpretativum* seu *indirectum*.

Scandalum *directum* est dictum vel factum, quo quis expresse intendit proximum inducere ad peccatum: ut cum quis puellam sollicitat ad crimen.

Scandalum *indirectum* est illud quo licet quis non intendat expresse proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit vel facit quæ aliis sunt occasio peccandi.

3. Scandalum *passivum* dividitur in *Pharisaicum*, & *pusillorum*, seu infirmorum.

Scandalum *Pharisaicum*, est ruina spiritualis, propria malitia, ex dicto, vel facto alterius recto accepta; sic dicitur a Pharisæis, qui propria malitia, ex Christi dictis & factis rectissimis accipiebant occasionem peccandi.

Scandalum *pusillorum*, est ruina spiritualis, ignorantia & infirmitate proximi accepta ex dicto vel facto alterius recto, vel indifferenti.

Quæres 3. *An Scandalum sit peccatum & quale?*

*Certum est* apud omnes 1. Scandalum passivum, verum esse peccatum, cum sit lapsus illius qui patitur Scandalum; non est tamen peccatum speciale & distinctum a lapsu; unde qui confitetur peccatum, non tenetur declarare illud fuisse ex dicto vel facto alterius occasionatum.

*Certum est* 2. Scandalum activum directum esse peccatum mortale ex genere suo, & quidem gravissimum & speciale; cum voluntas expressa proximum impellendi in peccatum, malitia sit prorsus diabolica.

Quæstio igitur solummodo est de Scandalo dato indirecte, de quo:

*Resp.* Scandalum indirecte datum est peccatum mortale ex genere suo, distinctum a mala actione quæ occasionem ruinæ spiritualis præbet.

*Prob.* Ad peccatum in quocumque genere sufficit intentio interpretativa; atqui in scandalo indirecte dato reperitur intentio interpretativa inducendi proximum in peccatum; nam ille intentionem interpretativam habet inducendi proximum in peccatum, qui prævidet aut prævidere potest, & debet proximum ex dicto vel facto suo minus recto, expositum iri periculo ruinæ spiritualis; atqui quilibet prævidet aut prævidere debet ex dicto vel facto suo minus recto, proximum expositum iri periculo ruinæ spiritualis; ergo, &c.

*Confirmatur*, ex Apost. (1. *Cor.* 8. *vers.* 12.) dicente: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Ubi, ut grave peccatum, reprehenditur scandalum, quo fideles plene instructi carnes Idolo immolatas comedebant coram infirmis falso putantibus id esse illicitum, qui inde præter intentionem comedentium induci poterant ad eas contra conscientiam erroneam comedendas; atqui illud scandalum erat indirectum; ergo.

Dixi 1. Scandalum indirectum esse mortale, *ex genere suo*: quia aliquando est veniale, cum nempe est occasio culpæ solum venialis.

Dixi 2. *Esse peccatum distinctum a mala actione*, quia repugnat specialiter Charitati, qua malum proximi avertere, & bonum ejus procurare tenemur. Unde circumstantia scandali speciem peccati mutat, & est in confessione explicanda. Hinc

*Resolves* 1. Peccant mortaliter contra Charitatem & castitatem 1. Qui imagines vel statuas nudas faciunt, aut palam exponunt. 2. Qui componunt vel agunt comœdias obscœnas, vel aliunde periculosas ratione verborum, factorum, vel gestuum; item qui sua præsentia eas approbant, vel comœdiis stipendium dando, actioni scandalosæ cooperantur. 3. Vanissimæ illæ feminæ quæ illecebrosa pectoris nuditate, juvenum animos ad libidinem excitant, tametsi id expresse non intendant. 4. Puella, quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei a quo putat se turpiter concupiscendam, licet id faciat ex mera vanitate, & sine animo illius amorem excitandi.

*Inferes* 2. Numerus illorum qui scandalo spiritualiter occisi sunt, in confessione aperiendus est, non secus ac numerus eorum qui uno catapultæ ictu corporaliter occisi fuissent; quia ut alibi dictum est (*In Tract. de Peccatis. Ubi de distinct. num. peccatorum*) numerus multiplicat peccatum.

## ARTICULUS II.

*An & quænam opera teneamur omittere ad vitandum Scandalum?*

**D**ico 1. *Ad vitandum scandalum passivum nihil unquam contrarium juri naturali facere licet, vel omittere aliquid quod necessarium sit necessitate medii ad salutem.*

*Prob.* 1. *pars*: Nunquam licet propter quodcumque bonum, facere actionem intrinsece malam juxta illud Apostoli (*Rom.* 3. *v.* 8.) *non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Sed quod est vetitum jure naturali, est instrinsece malum; ergo.

*Prob.* 2. *pars*: Ratione D. Thomæ (2. 2. *q.* 43. *art.* 7. *in corp.*) *secundum ordinem Charitatis, plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius; ergo ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.*

*Dico* 2. *Ad vitandum scandalum Pharisaicum nulla bona seu temporalia, seu spiritualia sunt dimittenda.*

*Prob. prop.* Quæ tota est D. Thom. (*Quæst.* 43. *art.*7. & 8.): nulla bona sunt omittenda propter illud scandalum, quod Christus docuit esse contemnendum; atqui Christus docuit scandalum Pharisaicum esse contemnendum; cum enim discipuli dixissent Christo (*Matth.* 15.) *scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Respondit *sinite illos, cæci sunt*: Id est, ne habeatis rationem eorum scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante.

*Dico* 3. *Ad vitandum scandalum infirmorum debet actio indifferens dimitti; imo opera spiritualia consilii debent vel omitti, vel differri donec tollatur occasio scandali.*

*Prob.* 1. *pars*. Ex Apost. (*Cor.* 8. *vers.* 13.) qui de seipso dicit: *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

*Prob.* 2. *pars*. Quia Lex Charitatis exigit ut fratri in necessitate spirituali constituto subveniamus, cum sine nostro gravi incommodo possumus; atqui proximus ex infirmitate vel ignorantia lapsurus est in necessitate spirituali, atque illi in tali necessitate constituto, sine gravi nostro incommodo, subvenire possumus, cum opera consilii non sint necessaria ad salutem, & illa differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum Charitatis magis meritorium, quam forent ipsa opera, quæ omittuntur; ergo.

Dixi, *Donec tollatur occasio scandali*: hæc autem tollitur, cum redditur actionis nostræ ratio,

*si autem*, ait Div. Thom. (*2. 2. qu. 43. art. 7.*) *post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse; & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda*. Sed

Quæres: *An ad vitandum scandalum infirmorum quis possit omittere actionem bonam præceptam?*

*Resp.* Alii negant (*Ita Vasquez & alii referentes D. Antonin. Sylvestrum, Paludanum, Navarrum*) alii (*ita Bannez, Suarez, Merbesius, Tanrerus, & alii communiter*,) probabilius affirmant observationem præcepti affirmativi sive naturalis, sive positivi, pro vitando scandalo pusillorum, esse prætermittendam; cum quibus

*Prob.* Omnia præcepta affirmativa deserviunt Charitati; ergo non obligant in circumstantiis in quibus Charitas dictat, omittendam hic & nunc eorum observantiam, ut succurratur spirituali proximorum necessitati; sicut non obligant, dum Charitas dictat, omittendam eorum observantiam, ut succurratur gravi necessitati corporali propriæ vel alienæ.

Sic correctio fraterna est de jure naturæ affirmativo, tamen secundum omnes prætermittenda est, cum proximus creditur inde peior futurus.

Sic integritas Confessionis est de jure divino positivo: si tamen mulier sciret Confessarium ex infirmitate lapsurum, casu quo manifestaret ipsi certum Luxuriæ peccatum, deberet illud omittere, cæteris confessis, si alterius Confessarii copiam non haberet.

Sic auditio Sacri die Festo est de jure Ecclesiastico, est tamen omittenda, casu quo tempore Missæ infirmus nostra assistentia indigeret. Et sic de aliis.

*Resolves*, cum Ethica amoris (*Tom. 2. lib. 5. cap. 46. n. 483.*) mulierem quæ prævidet se turpiter concupiscendam, si eat ad Sacrum tali die Festo, debere illud omittere, saltem semel & iterum: numquam tamen potest longo tempore abesse a Sacro ad vitandum scandalum, quia non potest abesse longo tempore, 1. Sine scandalo publico quod præponderat privato; 2. Sine notabili quodam damno spirituali, quod non tenetur subire ad impediendam ruinam alterius, qui licet ex infirmitate cadat, cadit tamen voluntarie.

## ARTICULUS III.

### *An liceat rem vendere, aut operam dare ei qui illis male usurus prævidetur, aut probabiliter putatur?*

*Dico* 1. *Non licet vendere, vel dare alteri rem, aut operam de se licitam, qua male usurus prævidetur, aut probabiliter putatur, quando sine gravi damno denegari potest.*

*Prob.* Quia quisque tenetur ex Charitate impedire peccatum proximi, saltem cum potest sine gravi incommodo; ergo a fortiori tenetur non suppeditare materiam, aut operam, qua usurus est ad peccatum. Nam Charitatis est amovere malum proximi.

*Resolves* 1. Non esse licitum vendere ea, quibus homines ut plurimum male utuntur, v. g. venena, nisi constet hic & nunc ad bonum usum peti.

*Resolves* 2. Non esse licitum vendere res indifferentes, v. g. gladium, cum scientia, vel probabili cognitione quod emptor eis male utetur in damnum tertii; maxime si damnum istud præponderet utilitati, quæ venditori provenit ex ipsius venditione; nam Charitatis ordo postulat, ut illi damno postponatur utilitas propria.

*Resolves* 3. Graviter peccare caupones & alios, qui in die Jejunii cœnam ministrant eis quos sciunt bene pransos, & jejunii lege adstrictos; vel vinum copiosum eis quos norunt sese inebriaturos, si absque gravi nocumento suo, vel etiam absque probabili graviorum peccatorum periculo v. g. blasphemiæ, perjuriorum &c. recusare possunt.

Non peccant vero, si non possint denegare absque damno vitæ, incendii domus &c. quia nemo tenetur cum tanto suo damno impedire malum proximi.

*Nec dicas* 1. Si non vendam, alii vendituri sunt; ergo me negante quod petunt, peccata illa non impedientur.

*Resp.* enim, *nego conseq.* Nam alii vendendo peccant, ergo similiter peccasses, si vendidisses; nam factum aliorum non immutat tuam cooperationem.

*Nec dicas* 2. Si vinum talibus recusem, deserent me hospites, cum gravi jactura mea; ergo.

*Resp. nego conseq.* Et dico cum Christo: *quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Ergo *quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

*Nec dicas* 3. Non cooperor peccato, cum per pravam peccandi voluntatem, peccatum jam sit commissum.

*Resp. dist. ant.* Est jam commissum quoad intentionem, *conc. ant.* quoad executionem pravæ voluntatis, *nego ant.* Porro Lex non solum voluntatem se inebriandi, sed etiam ipsam actualem ebrietatem, ejusque cooperationem, vetat.

*Dico* 2. *Nulla ex causa licet alteri dare rem, vel operam, quæ licet sit ex se indifferens, tamen spectatis circumstantiis ad peccatum proxime ordinatur.*

*Prob.* Quia ex D. Thom. (*2. 2. q. 169. art. 1. ad 4.*) *hoc est illis præbere directe occasionem peccandi*, & moraliter ac proxime cooperati peccato alieno, quod nunquam licet.

Hinc Innoc. XI. damnavit hanc prop. *famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam hæ omnes actiones ad peccatum proxime ordinantur.

*Dico* 3. *Licitum ex gravi & justa causa, rem, aut operam ex se licitam, aut indifferentem, nec spectatis circumstantiis, ad peccatum proxime ordinatam, præbere ea abusuro; 1. si desit prava intentio juvandi hominem in actionem peccati, 2. si alter non sit ea re abusurus contra bonum Reipublicæ vel Ecclesiæ.*

 *Prob.*

*Prob.* Quia qui ista suppeditat, cum conditionibus requisitis in assertione, non censetur moraliter cooperari peccato alieno, sed solum illud permittere, ex gravi causa ob quam non tenetur illud impedire; ergo

*Resolves*: Excusantur a peccato famuli, qui ratione famulatus sui, in gratiam Domini ad Lupanar euntis, equum sternunt, vestiunt &c. ne domo expellantur; quia hæ actiones per se sunt licitæ, nec nisi remote tantum se habent ad peccatum, & gravis urget causa excusans.

Dixi 1. *Si desit prava intentio juvandi hominem in actione peccati*: quia talis influxus esset directa ad peccatum cooperatio, quæ semper prohibita est.

Dixi 2. *Si alter ea re non sit abusurus contra bonum Reipublicæ aut Ecclesiæ*; quia bonum commune præponderat bono privati.

Quæres: *An liceat hero præbere domestico, quem ad furtum novit propensum, occasionem furandi* (v. g. pecuniam in aliquo loco deponere) *vel eam non auferre, ut domestici fidelitas probetur, & si in furto fuerit deprehensus, ejiciatur, aut puniatur.*

*Resp.* 1. Non licet hanc occasionem de industria ponere, quia esset positive cooperari peccato, quod nunquam licet, *neque* enim *sunt faciendo mala, ut eveniant bona*, ait Apostol.

*Resp.* 2. Cum P. Antoine licet hanc occasionem non auferre; quia tunc herus non cooperatur positive peccato, & permissioni unius furti, ut vitentur plura, ex justa causa non auferendi talem occasionem.

# TRACTATUS TERTIUS

## DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Quæres 1. *Quid sit religio?*

*Resp.* Religio est *virtus moralis*, *per quam Deo, tamquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.*

Dicitur 1. *Virtus moralis*, & quidem inter morales prima, & proxime accedens ad virtutem Theologicam; non est tamen Theologica, quia pro objecto immediato non habet Deum, aut Dei attributum, sed cultum Deo debitum.

Dicitur 2. *Per quam Deo exhibetur cultus*, id est, honor cum submissione in testimonium ipsius excellentiæ.

Dicitur 3. *Cultus debitus*: sub ratione debiti; unde objectum formale religionis, quæ ad justitiam pertinet, est ratio debiti.

Dicitur 4. *Tamquam primo rerum omnium principio*: ut assignetur motivum, propter quod hic cultus Deo sit debitus.

Quæres 2. *Quomodo Deus coli debeat?*

*Resp.* Coli debet actibus internis, & externis; nam homo mente, & corpore constat, ergo tenetur utriusque actibus colere Deum, utpote utriusque principium.

Itaque agemus 1. de actibus internis Religionis. 2. de ejusdem actibus externis. 3. de Vitiis religioni oppositis, triplici capite.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De actibus internis Religionis.*

*Nota.* Actus interni Religionis sunt duo, nempe devotio, & oratio.

Quæres 1. *Quid sit devotio?*

*Resp.* Est volitio efficax tradendi se prompte ad ea, quæ pertinent ad cultum Dei.

Dicitur 1. *Tradendi se*: id est, totum hominem, non tantum partem hominis.

Dicitur 2. *Prompte*, id est, expedito, & alacri animo.

Dicitur 3. *Ad ea quæ pertinent ad cultum Dei*, quibus verbis significatur devotionem esse actum generalem Religionis, a quo cæteri omnes informari debent.

Quæres 2. *Quot sunt genuini devotionis effectus?*

*Resp.* Sunt duo, scilicet lætitia spiritualis ex consideratione divinæ bonitatis, & tristitia ex consideratione propriorum defectuum, ita D. Thomas. (2. 2. *qu.* 82. *art.* 4.)

Hinc fucata est illorum devotio, qui propter exteriorem quam præ se ferunt pietatis speciem, cæteris melius sapere sibi videntur, infirmioribus compati nullatenus noverunt, corrigenda ubique se invenire putant præterquam in se ipsis, nimium sibi placentes &c.

Quæres 3. *Quid sit oratio?*

*Resp.* Est actus Religionis, quo res decentes a Deo postulamus.

Dicitur 1. *Actus Religionis*: quia per orationem supremam Dei excellentiam, nostramque a Deo dependentiam agnoscimus.

*Dices*: Oratio est actus Spei; ergo non est actus Religionis.

*Resp. nego conseq.* Oratio enim est actus spei imperatus, & actus Religionis elicitus, in quo nulla est repugnantia; sic potest quis dare eleemosynam ut votum impleat; quæ eleemosyna erit actus elicitus misericordiæ & imperatus Religionis.

Dicitur 2. *Quo res decentes*: alias si res indecentes postularemus, non esset actus Religionis: inter ea autem quæ a Deo peti possunt quædam absolute sunt petenda, ut sunt quæ per se ad salutem conducunt; ejus generis sunt, gratia, virtutes supernaturales, &c. quædam non debent peti nisi sub hac saltem tacita conditione: *supposito quod nobis sint salutaria*, talia sunt ea quæ de se ad salu-

salutem sunt indifferentia; ejus generis sunt bona temporalia, felix matrimonium, &c. Ratio est quia saluti æque possunt obesse ac prodesse.

Dicitur 3. *A Deo postulamus*: sive *immediate*, cum scilicet ad eum orationem dirigimus; sive *mediate*, cum ad Sanctos orationem dirigimus, ut eorum suffragii postulata a Deo impetremus.

De oratione sic exposita quatuor quærimus:
1. Quotuplex sit.
2. Quot requirantur ut pie fiat.
3. An sit necessaria, & pro quibus sit orandum; totuplici articulo.

## ARTICULUS I.

*Quotuplex sit oratio?*

Quæres 1. *Quotuplex sit oratio?*

*Resp.* Est duplex, mentalis nimirum, & vocalis.

*Mentalis* est quæ mente sola funditur. Si aliquid a Deo mentaliter postulamus, dicitur proprie *oratio*; si res divinas cum mentis affectu serio perpendimus, dicitur *meditatio*.

*Vocalis* est, quæ non sola mente, sed etiam ore exprimitur: *non sola mente*: quia oratio vocalis ut sit vera oratio, mentalem necessario includit, omnis enim oratio est elevatio mentis in Deum.

Quæres 2. *Quotuplex oratio vocalis?*

*Resp.* Est duplex, scilicet *privata*, quæ fit a persona privata & privato nomine; & *publica*, quæ fit a communitate, vel a ministro Ecclesiæ nomine communitatis; hæc est præstantior & præferenda, quia Christus *Matth.* 18. permittit specialem assistentiam iis qui ad orandum in unum conveniunt.

## ARTICULUS II.

*De iis quæ necessaria sunt ut oratio pie fiat.*

Quæres 1. *Quot necessaria sunt ut oratio pie fiat.*

*Resp.* Tria, scilicet præparatio, attentio, & perseverantia.

Quæres 2. *Qualis præparatio requiritur ante orationem?*

*Resp.* Duplex, scilicet *remota* quæ consistit in accurata Legis observantia, & *proxima*, quæ in hoc consistit, 1. Ut oraturus divinum imploret auxilium nam *nemo potest dicere Dominus Jesus*, modo salutari, *nisi in Spiritu sancto*, ait Apost. (1. *Cor.* 12. *vers.* 3.) id est, nisi per gratiam & auxilium, Dei. 2. Ut curam aliorum operum, quantum fieri potest, deponat, foresque diligenter occludat alienis cogitationibus.

Quæres 3. *Qualis attentio requiratur ad orationem?*

*Resp.* Requiritur attentio ad sensum orationis, vel ad Deum, quæ sit saltem virtualis, ut dictum est *in Tract. de Horis Canonicis.*

Quæres 4. *An sit necessaria perseverantia in oratione?*

*Resp. affirm.* Constat Lucæ 18. *Oportet semper orare & non deficere*, quod confirmat exemplo viduæ, quæ per importunas preces tandem fregit duritiam iniqui Judicis.

## ARTICULUS III.

*De necessitate orationis, & de iis pro quibus est orandum.*

Quæres 1. *An oratio sit necessaria ad salutem?*

*Resp.* Oratio proprie dicta est necessaria ad salutem necessitate *præcepti* simul & *medii.*

*Prob.* Ex Script. Matth. 7. *petite & accipietis*: dicendo *petite*, præceptum imponit, ait D. Th. (2. 2. *quæst.* 83. *art.* 2.) & addendo *accipietis*, medium necessarium ad obtinendum demonstrat, adeo ut si non petierimus, non simus consecuturi auxilia ad salutem necessaria, juxta illud Jacobi 4. *non habetis, propter quod non postulatis.*

Quæres 2. *Pro quibus sit orandum?*

*Resp.* Orandum esse pro omnibus qui nondum sunt in termino, etiam pro inimicis nostris, jux illud Apost. (1. *Ad Tim.* 2. *vers.* 1.) *obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus*; ratio est quia omnibus salutem desiderare, & quantum commode possumus, procurare debemus; ergo etiam a Deo petere.

# CAPUT II.

*De actibus externis Religionis.*

Quæres: *Quot sunt actus externi Religionis?*

*Resp.* Sunt sequentes. 1. *Adoratio*, qua homo corpus suum ad colendum Deum exhibet. 2. *Sacrificium*, *oblationes & decimæ*, quibus homo aliquid Deo dat. 3. *Votum*, quo homo aliquid Deo promittit. 4. *Juramentum & adjuratio*, quibus homo sanctum Dei nomen assumit.

De adoratione in Tractatu Incarnationis, de sacrificio in Dissertatione de Eucharistia, agemus. Ideo hic restat nobis disserendum de decimis, voto, juramento & adjuratione tribus Articulis.

## ARTICULUS I.

*De Decimis.*

Quæres 1. *Quid sint Decimæ?*

*Resp.* Sunt decima pars fructuum, quæ quotannis Ecclesiæ ministris solvitur.

*Decimæ* dividuntur in majores & minores.

*Majores* sunt pars decima proventuum prædialium, id est, provenientium ex terris arabilibus, exceptis hortis.

*Minores* sunt pars decima proventuum hortorum, fœturæve animalium.

Quæres 2. *Quo jure debentur Decimæ?*

*Resp.* In nova Lege decimæ quatenus sunt stipendia ministrorum Ecclesiæ, jure naturali debentur, cum jus naturale divinum dictet operarios dignos esse sua mercede; si vero spectentur secundum suam quotam, id est, ut sunt decima pars fructuum, solo jure Ecclesiastico debentur. *Ratio* est quia præceptum decimarum quantum ad illam determinationem, non est Legis naturæ, quæ solum generaliter dictat Ministris Ecclesiæ deberi stipendium, non determinando partem decimam, aut

aut vigesimam; nec est Juris divini positivi, cum nullibi in Lege nova illud extet quoad illam determinationem.

Dixi *in Lege nova*: quia in Lege veteri Decimæ quoad determinationem decimæ partis, debebantur præcepto judiciali, quod cum Lege evanuit.

Quæres 3. *An solutio decimarum sit actus Religionis?*

*Resp.* Solutio decimarum, quatenus est testimonium universalis dominii Dei, eatenus est immediate actus Religionis; quatenus autem est solutio sustentationis debitæ Ecclesiasticis, eatenus est immediate actus justitiæ, mediate Religionis.

*Resolves:* Fraudantes decimas teneri ad restitutionem, cum ex Trident. *res alienas invadant.* Unde idem Concil. (*Sess.* 25. *cap.* 12.) excommunicationem ferendam decernit in eos qui decimas *substrahunt aut impediunt:* prohibetque ne fraudantes Decimas possint absolvi, *nisi plena restitutione secuta.*

Quæres 4. *Quibus debeantur decimæ?*

*Resp.* Debentur solis Ecclesiæ Ministris propter eorum sustentationem, ex quo sequitur jus decimarum esse spirituale fundatum in titulo spirituali, nempe in ministerio ecclesiastico.

*Dices:* Laici jus decimarum habent; ergo non est spirituale.

*Resp. dist. ant.* Laici habent jus decimarum nomine proprio exigendarum, *nego ant.* nomine Ecclesiæ exigendarum, *conc. ant.*

*Itaque* Ecclesia solet concedere Decimas Laicis in feudum propter obsequia aliqua Ecclesiæ præstita, vel præstanda, vel etiam propter aliquod munus in Ecclesia, v. g. propter cantum aut quid simile; ita tamen ut semper illi Laici nomine Ecclesiæ concedentis ipsas exigant, eo modo quo decimas exigit qui eas a Parocho conducit.

## ARTICULUS II.

### *De Voto.*

Quæres 1. *Quid sit Votum?*

*Resp.* Est promissio deliberata & spontanea Deo facta de bono meliori ac possibili.

Dicitur 1. *promissio*, id est, fidei obligatio in gratiam alterius.

Hinc propositum quantumvis firmum non est votum, nisi adfuerit sese obligandi vera intentio; nam propositum est simplex voluntas faciendi vel ommittendi aliquid; promissio vero est eadem voluntas cum intentione se obligandi alteri saltem virtualiter, ut cum quis sciens votum obligare deliberate vovet, licet de hac obligatione actu non cogitet.

*Resolves.* Confessarium debere minus attendere ad verba quam ad intentionem; simplex quippe propositum plerumque exprimitur per verbum *promitto*, cum nempe non inest intentio vovendi, ut patet in actu contritionis quo pœnitens promittit se non peccaturum de cætero; nec tamen vovet, alias per relapsum in ebrietatem v. g. duplex peccatum committeret.

Dicitur 2. *Deliberata:* id est cum ea rationis advertentia quæ ad peccatum mortale necessaria est.

Hinc si quis ex subito animi motu, lingua mentem præveniente, dicat *voveo:* non obligatur, sicut nec ille qui semiplene tantum advertit, quales sunt semisopitus, semiebrius, & puer ante plenum rationis usum.

Dicitur 3. *Spontanea:* id est absque errore & metu gravi injuste incusso ad extorquendum votum.

*Hinc resolves* 1. Nullum esse votum factum ex errore circa rei promissæ substantiam, quia nihil volitum quin præcognitum. 2. Ex errore circa causam finalem; quia sublato motivo volendi, non est volitio. 3. Valet tamen, si error sit tantum circa aliquam circumstantiam, vel circa causam tantum impulsivam. De hoc fusius in Tractatu contractuum.

Dicitur 3. *Deo facta:* quia cum votum sit essentialiter cultus latriæ, soli Deo fieri debet.

*Resolves:* Promissiones quæ fiunt Sanctis, non esse proprie vota, nisi quatenus ordinantur ad Deum cui censemur vovere nos præstituros quod Sanctis promittimus; unde promissio facta Sanctis est materia voti quod fit Deo tamquam rerum omnium auctori.

Dicitur 4. *De bono:* alias non esset Deo gratum; hinc

*Resolves* 1. Votum de re venialiter male esse mortale contra religionem, quia est innuere Deum coli peccato: quod est graviter Deo injuriosum, cum directe repugnet ejus summæ sanctitati.

*Resolves* 2. Votum de re ex se indifferenti est nullum & irritum, nam nihil confert ad cultum Dei, nec ei placet: quare irritum est votum non edendi carnes assas in honorem sancti Laurentii; imo tale votum est cultus vanus & superfluus, ideoque peccatum saltem veniale, sicut & ejusdem voti executio, quæ est voti facti approbatio.

Dicitur 5. *De meliori bono:* id est de bono tali quod omnibus spectatis est Deo gratius quam ejus oppositum: alioquin nec Deo gratum esset, nec ab eo acceptari posset.

*Resolves* 1. Regulariter loquendo invalidum est votum contrahendi matrimonii, quia melior est cælibatus.

Dixi: *Regulariter loquendo*: quia si matrimonium judicaretur remedium voventi necessarium ad vitandam incontinentiam, valeret votum, nam in tali casu *melius est nubere quam in cælibatu uri* (1. *Cor.* 7. *vers.* 9.)

*Resolves* 2. Votum de re optima, sed ad obtinendam rem malam; v. gr. vanam gloriam; vel ad gratias agendas pro re mala obtenta, v. gr. vindicta, est peccatum & irritum; nam Deus non acceptat aliquid ut sit auctor peccati.

Dicitur 6. *De bono possibili*; quia nemo ad impossibile obligari potest.

*Resolves.* Votum nunquam peccandi venialiter est irritum, quia omnia peccata venialia sine singulari Dei privilegio vitari non possunt.

Quæres 2. *Si una pars materiæ voti sit possibilis, altera impossibilis, an vovens teneatur ad partem possibilem?*

*Resp.* 1. Tenetur quando partes divisim sunt promissæ, nec in intentione voventis conficiunt unum objectum; quando vero collective sunt promissæ, non tenetur. Sic qui vovit per totum mensem je-

jui a-

junare, si non possit quibusdam diebus propter infirmitatem jejunare, tenetur reliquis diebus, quia in illo voto singuli dies non collective, sed divisim computantur. Econtra qui vovit ædificare Ecclesiam, si non habeat pecuniam nisi ad ponenda fundamenta, ad nihil tenetur, quia partes Ecclesiæ, non divisim, sed collective promisit. Hoc sensu intelligenda est hæc regula Juris: *utile per inutile vitiari non debet.*

De voto sic definito quæri debet 1. Quotuplex sit; 2. Quænam sit ejus obligatio; 3. Quomodo cesset ejus obligatio.

### §. I. *Quotuplex sit Votum.*

*Resp.* Votum dividitur 1. in reale, personale & mixtum.

Votum *reale*, est promissio Deo facta de re temporali, vel actione exercenda per alium; v. gr. de dando calice, de peregrinatione per substitutum complenda.

Votum *personale*, est promissio Deo facta de proprio actu personæ voventis, v. g. de jejunio, de castitate servanda.

Votum *personale*, solum voventem obligat, nec per alium impleri potest. *Reale* ad hæredes transit, sicut & *mixtum* qua parte est reale, non qua personale.

Dividitur 2. *in absolutum*, quod sine ulla conditione emittitur: & *conditionatum*, quod sub aliqua conditione emittitur, v. g. *voveo eleemosynam si pater convaluerit*, hoc votum non obligat nisi conditione posita, sed ea posita statim obligat.

Dividitur 3. *In solemne*, quod ab Ecclesia approbatum ac in perpetuum acceptatum est: & *simplex* quod emittitur absque acceptatione Ecclesiæ saltem in perpetuum; unde licet vota scholarium Societatis Jesu post biennium probationis emissa ab Ecclesia sint approbata, sunt tamen simplicia, ut declaravit Greg. XIII. quia non sunt in perpetuum acceptata.

### §. II. *De obligatione Voti.*

Quær. 1. *Qualis sit obligatio Voti?*

*Resp.* Est gravis ex genere suo, ita ut ejus violatio in materia gravi sit mortalis, in materia levi sit levis.

*Prob.* Votum est quædam lex privata quam quis sibi imponit, & species quædam contractus; atqui lex sicut & contractus in materia levi obligant tantum sub veniali; in gravi vero sub mortali, ergo pariter votum in materia levi obligat sub veniali, & in gravi obligat sub mortali.

*Dices.* Violatio voti est sacrilegium; atqui sacrilegium etiam in re levi est peccatum mortale; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Levis enim irreverentia in loco sacro est sacrilegium, non est tamen nisi veniale.

Quær. 2. *Quænam materia voti censeatur gravis?*

*Resp.* Illa materia voti est gravis, quæ si præciperetur ab Ecclesia, obligaret sub mortali; illa vero est levis, quæ si præciperetur, obligaret tantum sub veniali.

Hinc qui vovisset quotidie per annum, unum *Pater & Ave* recitare, peccaret solum venialiter bis vel ter omittendo; peccaret vero mortaliter cum per plures omissiones pervenisset ad quantitatem notabilem; qualis est ea quæ correspondet recitationi unius parvæ Horæ. *Ratio* est quia omnes illæ omissiones moraliter conjunctæ, unius voti gravem materiam efficeret.

Quæres 3. *Quandonam impleri debeat Votum?*

*Resp.* Obligatio voti negativi quo quis vovet aliquid non facere, currit pro semper: obligatio vero voti affirmativi currit pro tempore a vovente præfinito, ita ut peccaret, si tempore determinato votum non impleret, perinde ac si die ab Ecclesia statuto non jejunaret, quamvis proponeret alio die jejunare.

Quæres 4. *An qui ex impotentia, vel negligentia votum tempore præfinito non implevit, teneatur postea implere?*

*Resp.* 1. Si tempus implendi voti sit præfixum ad devotionem illius temporis, v. gr. si quis voverit jejunium in vigilia alicujus Sancti principaliter in illius honorem, non tenetur postea implere; *ratio* est, quia ex voti natura res promissa est affixa tempori illi; ergo tunc obligatio cum die exstinguitur.

*Resp.* 2. Si vero tempus implendi voti sit determinatum non ob devotionem illius temporis, tenetur postea implere; *ratio* est quia tunc tempus censetur adjici ut terminus non ad finiendam obligationem, sed ut terminus ultra quem non sit differenda; unde sunt duæ obligationes, 1. faciendi opus; 2. faciendi tali tempore, quod si hæc non fuerint impleta, manet illa principaliter quæ semper urget.

Quæres 5. *An qui prævidet impedimentum in adimpletione voti ad aliquod tempus determinati, tempus illud teneatur prævenire?*

*Resp. cum dist.* Vel tempus fuit determinatum ut terminus ad finiendam obligationem, v. g. qui vovit semel jejunare in mense; vel tempus fuit determinatum ut terminus ad urgendam voti obligationem, vel (quod idem est,) ut terminus ultra quem nolit differre voti executionem; v. g. qui vovit ad locum sanctum peregrinari statim post vendemiam.

*Si primum*, Tenetur prævenire tempus dum prævidet futurum impedimentum in fine mensis, sicut qui die festo prævidet impedimentum hora duodecima pro Missa audienda, tenetur eam audire hora octava vel nona.

*Si secundum*, Tempus prævenire non tenetur, cum votum nondum obliget; sed transacto impedimento votum quamprimum moraliter poterit, adimplere tenetur.

### §. III. *De modis quibus cessat obligatio Voti.*

Quæres 1. *Quot modis cessat obligatio voti?*

*Resp.* Cessat quatuor modis, 1. Per seipsum. 2. Per irritationem. 3. Per dispensationem. 4. Per commutationem.

Quæres 2. *Quomodo cessat obligatio voti per seipsam?*

*Resp.* Cessat quatuor modis.

1. Dum

1. Dum cessat causa finalis voti; sic qui jejunium per mensem voti ad obtinendam sanitatem patris, si pater moriatur, desinit obligari.

2. Dum non evenit conditio voto apposita; ut dictum est.

3. Dum votum est temporale, & tempus præfixum est elapsum.

4. Dum materia voti sit turpis, vel impeditiva majoris boni, vel impossibilis; quia votum est essentialiter de bono meliori & possibili.

Quæres 3. *Quid sit irritatio Voti?*

*Resp.* Est ejus annullatio facta ab eo, cujus potestati dominativæ subjecta est persona vovens, vel materia voti.

Dixi: *Potestati dominativæ:* Quia potestas jurisdictionis non sufficit ad irritanda vota.

Quæres 4. *Quotuplex sit irritatio Voti?*

*Resp.* Duplex, scilicet directa & indirecta.

*Directa*, Est ea quæ fit ab eo, cujus potestati dominativæ subjecta est voluntas voventis. Per hanc vota irritantur in perpetuum, quia ex natura voti, vel ex juris dispositione, vota hanc habent conditionem: *nisi superior contradixerit.*

*Indirecta*, Est ea quæ fit ab eo, cujus potestati dominativæ subjecta est materia voti. Per hanc vota non irritantur in perpetuum, sed reviviscunt quando materia voti desinit esse subjecta dominio alterius; unde potius dici debent suspendi, quam irritari.

Quæres 5. *Quænam vota irritari possint?*

*Resp.* Ea quæ sunt in præjudicium tertii; nemo enim potest vovere contra jura alterius, nec similia vota acceptat Deus: sunt enim de illicito.

Quæres 6. *Quinam possint irritare Vota directe?*

*Resp.* 1. Superior Religiosorum potest omnia vota suorum subditorum directe irritare, præter votum arctioris Religionis. *Ratio* est, quia illa Vota ex praxi recepta in omnibus Religionibus, & approbata ab Ecclesia includunt hanc conditionem, *nisi Superior contradixerit:* ut docet D. Thom. (2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *ad* 3.) Item successor potest licite ac valide irritare vota inferiorum in quæ prædecessor consenserat, quia consensus prælati in votum inferioris, non ligat successorem.

2. Pater (& ejus defectu avus, tutor, non tamen mater nisi sit tutrix) potest directe irritare omnia filiorum impuberum vota, tum realia, tum personalia ex dispositione juris positivi (*Cap. Puella* 20. *q.* 21.) quod votis impuberum ob eorum judicii imbecillitatem apposuit hanc tacitam conditionem, *nisi pater contradixerit:* hæc dispositio fundatur in jure divino, *num.* 30. si *contradixerit pater, vota & juramenta ejus* (filiæ) *irrita erunt.*

Quæres 7. *Quinam possunt irritare vota indirecte?*

*Resp.* 1. *Pater* potest indirecte irritare vota filiorum puberum personalia quæ obsunt disciplinæ & gubernationi familiæ, v. gr. votum peregrinationis, quia pater habet jus regendi filium, & operibus ejus utendi.

Dixi: *Vota quæ obsunt:* quia pater nec directe, nec indirecte, potest irritare vota personalia filii puberis quæ nullatenus ejus potestati officiunt, ut sunt certæ preces, consueta Religionis officia, votum castitatis, &c.

2. *Herus* potest indirecte irritare vota famuli & famulæ quæ impediunt, vel minuunt obsequium sibi debitum, quia non potuerunt vovere in ejus præjudicium.

3. *Maritus* potest indirecte irritare vota uxoris, etiam ante martimonium emissa, si officiant usui matrimonii, proli educandæ, & gubernationi familiæ, ut sunt vota sæpius jejunandi, peregrinandi, &c. ratio est quia juri mariti obsunt. Similiter uxor potest irritare vota mariti in his quæ thorum spectant, cum vir, & uxor quoad thorum sint pares (*Cap. Gaudeamus de divortiis*).

4. *Superior Religionis* potest indirecte tantum irritare vota personalia Novitiorum, quæ observantiam regularem impediunt, quia Novitii sunt sui juris; unde eorum vota reviviscunt, si contingat eos non profiteri.

Quæres 8. *An valida sit irritatio voti facta absque causa?*

*Resp. affirm.* Quia ad validum usum juris sui non requiritur causa; illicita tamen est hujusmodi irritatio, cum sit abusus potestatis contra bonum proximi & honorem Dei.

Quæres 9. *Quinam possint dispensare a Votis?*

*Nota:* Dispensatio voti est *relaxatio voti vice ac nomine Dei facta ab eo qui legitimam potestatem habet.*

*Resp.* Jure ordinario soli possunt dispensare in votis qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo, quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges & censuras.

*Resolves* 1. Summum Pontificem dispensare posse in omnibus votis omnium Fidelium. 2. Episcopum & alios jurisdictionem quasi episcopalem habentes in votis subditorum posse dispensare, iis exceptis quæ sunt Papæ reservata.

*Dices:* Prælatus non potest dispensare in jure naturali; ergo non potest dispensare in voto: obligatio enim voti est juris naturalis.

*Resp. nego conseq.* Prælatus enim relaxans votum, non dispensat in jure naturali, sed tollit id unde nascatur jus naturale, nempe votum quod parit obligationem juris naturalis; quod patet exemplo creditoris qui misericorditer condonat debitori indigenti, per suam conditionem non dispensat in jure naturali, sed extinguit debitum, unde sequitur nullam superesse obligationem debiti solvendi in debitore.

Quæres 10. *Quænam sunt vota Papæ reservata?*

*Resp.* Præter solemnia, sunt 5. nempe votum castitatis perpetuæ: Religionis approbatæ; & triplicis peregrinationis; Jerosolymitanæ, Compostellanæ ad sanctum Jacobum, & Romanæ ad limina Apostolorum. In his tamen Episcopus potest dispensare, quando est necessitas, nec patet facilis ad Papam recursus.

*Resolves*, Episcopum posse dispensare 1. in voto suscipiendi sacros Ordines, quia non est votum castitatis, etsi hoc votum sit annexum sacris Ordinibus. 2. In voto non nubendi, quia multum differt a voto castitatis, cum per fornicationem non violatur; ratio utriusque est quia *odia sunt restringenda.*

Quæres 11. *Poteritne absolvendo Episcopus dispensare in Voto castitatis perpetuæ, & ingrediendæ Religionis?*

Resp.

*Resp.* Potest, 1. Quando votum castitatis est accessorium ad aliud votum principale in quo Episcopus potest dispensare; v. g. *voveo non ludere sub pœna Religionis ingrediendæ*; ratio est, quia sublato principali, accessorium cessat.

2. Quando votum est imperfectum, vota enim non sibi reservat Papa nisi sint certa & perfecta; unde votum conditionale & pœnale, v. g. *si amplius lucro, Religionem ingrediar:* non sunt reservata.

3. Quando votum est disjunctivum de una parte non reservata; v. g. *voveo castitatem, vel jejunium perpetuum:* tunc enim vovens potest eligere partem non reservatam.

4. Quando vovens contraxit matrimonium; item quando conjuges post matrimonium contractum voverunt perpetuam continentiam; potest Episcopus dispensare in ordine ad petendum debitum, propter periculum incontinentiæ.

Quæres 12. *An ad valorem dispensationis requiratur justa causa?*

*Resp. affirm.* Ratio est quia Prælati non sunt domini jurium Dei, sed solum œconomi; ergo nihil possunt circa jura Dei nisi secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam, quæ est ut non concedatur dispensatio sine causa, cum sit contra honorem Dei & bonum animarum.

Quæres 13. *Quænam sint justæ causæ dispensandi a votis?*

*Resp.* Sunt tres. 1. Est necessitas spiritualis voventis; v. g. periculum violandi votum ex fragilitate. 2. Major utilitas spiritualis voventis. 3. Utilitas Ecclesiæ, Reipublicæ &c.

Quæres 14. *Quinam possunt commutare vota?*

*Nota*, Commutatio voti est *substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi, sub eodem vinculo.*

*Resp.* Commutatio potest fieri vel in bonum certo melius, vel in minus, vel in æquale.

Si commutatio sit in aliud bonum certo melius & saluti voventis utilius, potest fieri privata auctoritate; quia ex jure (*Cap.* 3. *de jure*) *non promissum infringit qui illud in melius commutat.*

Si commutatio sit in bonum minus, requiritur auctoritas Superioris, quia tunc intercedit partialis dispensatio, quæ necessario requirit potestatem Ecclesiasticam.

Si commutatio sit in bonum æquale, requiritur etiam auctoritas Superioris, quia res fuit promissa in specie; ergo alia, nisi sit melior, solvi nequit sine consensu creditoris, nempe Dei, cujus vices gerit Prælatus.

*Nota.* Raro utendum est dispensatione pura, sed aliqua admiscenda est commutatio, ad quam requiritur justa causa, sicut ad dispensandum.

## ARTICULUS III.

### *De Juramento & Adjuratione.*

Quæres 1. *Quid sit Juramentum?*

*Resp.* Est *attestatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam.*

Dicitur 1. *Attestatio*, id est in testem assumptio.

Dicitur 2. *Attestatio divini nominis*, vel expressa, quando scilicet divinum testimonium invocatur explicite, dicendo v. g. *Deum testor. Per Deum ita est.* Vel implicita, quando scilicet divinum testimonium invocatur in creaturis, jurando per creaturas, per cœlum, per templum, per Evangelia, &c. quatenus Deus in eis præsidet & relucet: nam qui per creaturas jurat, censetur earum auctorem in testem adducere.

Dicitur 3. *Ad fidem faciendam:* in juramento assertorio; *aut promissionem firmandam:* in juramento promissorio.

Quæres 2. *Quid sit adjuratio?*

*Resp.* Est actus Religionis quo quis alterum rogat, vel ei præcipit aliquid per Deum, sic Apostolus (*Ad Thes.* 5. *v.* 27.) rogabat Thessalonicenses, *adjuro vos per Dominum ut legatur Epistola hæc.* Licita est, modo fiat in veritate, in judicio & justitia, ut cum proportione dicemus de juramento.

Quæres 3. *Quotuplex sit juramentum?*

*Resp.* 1. Dividitur in assertorium, promissorium, & execratorium.

*Assertorium* est attestatio Dei ad faciendam Fidem dicti.

*Promissorium* est attestatio Dei ad firmandam promissionem.

*Execratorium* est attestatio Dei ut vindicis; talia sunt omnia juramenta quæ fiunt per imprecationem, v. g. *auferat me*, vel *te*, *diabolus: perdat te Deus: auferat te pestilentia: ipsa hora inteream:* hæ omnes formæ jurandi juramenta execratoria sunt, cum illa omnia mala non possint evenire nisi ex Dei vindicis mandato.

2. Dividitur in *solemne* & *simplex.*

*Solemne* est attestatio Dei cum solemnitate, v. g. per contactum Crucifixi, Evangelii &c.

*Simplex* est attestatio Dei sine solemnitate.

3. Dividitur in *judiciale*, quod fit coram judice, & *extrajudiciale*, quod fit extra judicium.

Quæres 4. *Quænam formulæ sunt juratoriæ?*

*Resp.* 1. Sequentes: *coram Deo loquor: Deus scit quod non mentior*: *Deus videt &c.* sunt vera juramenta.

*Resp.* 2. Sequentes formulæ, *per meam Fidem: Fide viri probi; Fide boni Christiani: Fide Sacerdotis:* ut ordinarie sumuntur, non sunt juramenta; nam ordinarie sumuntur pro fide humana, quam vir probus, Christianus, Sacerdos in verbis vel promissis adhibere debet ..... neque jurat ordinarie qui dicit: *super meam conscientiam: in conscientia*: *in veritate*, quia significat tantum se loqui ex veritatis notitia.

Dixi, *Ordinarie:* quia si quis per has voces intendat jurare, de facto jurat, unde intentio loquentis semper est attendenda.

*Resp.* 3. Quod has voces B. F. non sunt juramenta, sed ut plurimum verba impatientiæ, quæ si in pecora conjiciantur, sunt tantum venialia, modo absit scandalum; sed in homines conjecta, ut plurimum, sunt mortalia ob gravem injuriam.

Quæres 5. *An juramentum sit licitum?*

*Resp.* Esse licitum, imo laudabile, si debitis fiat conditionibus.

*Prob.* Actus Religionis & cultus latriæ est licitus & laudabilis; atqui juramentum est actus Reli-

Religionis & cultus latriæ, quo jurans implicite testatur Deum habere providentiam rerum humanarum, & omnium rerum cognitionem; ergo.

*Dices* 1. Christus damnat omne juramentum Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurare omnino ... sit autem sermo vester, est, est, non, non;* ergo.

*Resp. nego ant.* Ad textum, *distinguo:* non jurare omnino quando necessitas non compellit ad jurandum, *conc.* quando compellit *nego*: alias sibi contradiceret Scriptura dicens, Deut. 5. *per nomen illius jurabis.*

*Itaque*, Hic Christus refellit duos errores Pharisæorum circa juramentum, quorum 1. erat, licitum esse quavis occasione jurare per creaturas. 2. Juramentum per creaturas non obligare; & docet non jurandum *omnino* neque per Deum, neque per creaturas nisi necessitas ad juramentum compellat.

*Inst.* Addit Christus: *quod autem* (supra est, est, non, non) *abundantius est, a malo est*; ergo juramentum est malum.

*Resp. nego conseq.* Hæc enim particula, *a malo est*, posita est in masculino vel in neutro; si ponatur in masculino, per eam intelligitur diabolus qui homines instigat ad jurandum ex abundanti sine necessitate, ut ita sensim inducat in perjurium.

Si ponatur in neutro, per eam intelligitur vitium, tum proprium levitatis & irreverentiæ erga sanctum Dei nomen, tum alienum incredulitatis & diffidentiæ, adeoque cogens ad jurandum.

*Dices* 2. Si juramentum sit actus Religionis, sæpissime jurare bonum est, sicut orare; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego sequel. maj.* Ratio est quia juramentum non est de genere eorum quæ per se bona & appetibilia sunt; ut jejunium & eleemosyna, sed quasi per accidens, posita necessitate, ut medicina, nam est medicamentum incredulitatis; oratio autem & eleemosyna sunt per se bona & appetibilia.

Quæres 6. *Quot requirantur conditiones ut juramentum sit licitum?*

*Resp.* Requiruntur 3. ex *Jer.* 4. dicente: *& jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.*

*Ad veritatem:* Requiritur ut jurans non levi conjectura, sed prudenter judicet verum esse quod jurat, licet forsan sit falsum.

Hinc si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium, & semper peccatum mortale etiam in re levi asserta vel promissa; quia perjurium importat contemptum Dei in hoc quod invocetur in testem falsitatis; unde Innocent. X. hanc propos. damnavit: *vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Item perjurium est jurare cum restrictione mentali, aut æquivocatione, prout definierunt Innocentius XI. & Clerus Gallicanus. (*Anno* 1700).

*Ad justitiam*, Requiritur ut juramentum non fiat de re illicita, ita ut mortaliter peccaret qui Deum assumeret in testem alicujus peccati etiam venialis, vel committendi, vel jam commissi: invocare enim Deum in testem offensionis Dei est tanta irreverentia, ut vix major possit concipi.

*Ad judicium*, Requiritur ne juretur temere, id est sine magna utilitate, vel necessitate; defectus tamen judicii est tantum peccatum veniale, modo absit scandalum & pejerandi periculum, quod vix deesse potest in jurandi consuetudine, ut constat ex cap. 26. de jurejur. *ex frequent. & incauta juratione perjurium sæpe contingit.*

Hinc qui versantur in consuetudine jurandi temere & sine necessitate, non sunt absolvendi quin prius emendaverint suam pravam consuetudinem.

Quæres 7. *Quandonam non obligat juramentum promissorium?*

*Resp.* Non obligat in sex casibus sequentibus.

1. Cum est de re illicita, nemo enim potest obligari ad peccandum, & *juramentum non est vinculum iniquitatis.* (*Cap.* 18. *de jurejur.*).

2. Cum est de re impossibili, quia est regula juris: *impossibilium nulla est obligatio.* Ut supra diximus de voto.

3. Cum est de re indifferenti, id est quæ neque ex se, neque ex fine aut circumstantiis ad Dei obsequium aut hominis utilitatem conducit.

4. Cum est de re cujus oppositum est melius, non obligat, nisi forte sit factum in favorem alterius, quia quando juramentum non est in favorem alterius, solum potest obligare per modum voti, cum solum Deum respiciat; atqui votum de re cujus oppositum est melius, non obligat; ergo.

Dixi: *Nisi sit factum in favorem alterius:* quia in promissione facta homini spectatur quod gratius est homini, non quod in se melius est.

5. Cum est factum per errorem & dolum circa rei promissæ substantiam, vel circa causam finalem & motivam, quia deest verus consensus, & jurans censetur jurare sub conditione: *si res ita est:* vide dicenda de contractibus.

6. Cum materia jurata facta est illicita vel impossibilis, vel notabiliter mutata, ut qui juravit ducere puellam quæ postea fornicatur (*Cap. Quemadmodum de jurejur.*); item qui juravit punire filium, qui corrigi paratus veniam petit.

*Dices:* Præter illas sex causas, in quibus non obligat juramentum promissorium; admittendus est 7. scilicet cum juramentum vi vel metu est extortum.

*Resp. nego ant.* Quia licet illud juramentum sit secundum quid involuntarium, est tamen simpliciter voluntarium, unde naturaliter obligat.

*Inst.* Votum ex metu gravi emissum, est irritum; ergo & juramentum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Canones irrita reddant vota ex metu facta, non item juramenta, imo ea servanda docent (*Cap. ad Audientiam. De eis quæ vi & metu. Cap. Debitores de jurejur. Cap. Si vero. Eodem tit.*).

Quæres 8. *An quis ex juramento ficto & doloso obligetur?*

*Nota*: Duobus modis fieri potest ut quis ficte juret. 1. Cum exterius jurat sine animo jurandi. 2. Cum jurat animo quidem jurandi, non tamen animo se obligandi.

*Resp.* 1. Qui jurat exterius absque animo jurandi, non obligatur ex vi juramenti, quia revera non jurat, sed fingit se jurare, sicut qui exterius verba contractus matrimonii pronutiat absque a-

nimo contrahendi, non obligatur contractu matrimonii. Qui tamen sic jurat in re gravi, peccat mortaliter, nam est gravis abusus nominis Dei contrarius fini juramenti rebus humanis tam necessario; si enim homines scirent posse ficte jurari sine peccato mortali, nihil æstimarent juramentum.

*Resp.* 2. Qui jurat intentione seria jurandi, sed sine animo se obligandi, obligatur vi juramenti. *Ratio* est quia obligatio est omnino inseparabilis a juramento promissorio, nec est in potestate hominis ut sit verum juramentum, & ex eo non nascatur obligatio; ergo. Unde damnata est hæc prop. a Clero Gallicano anno 1700. *Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.*

*Resolves*: Qui jurat sine animo se obligandi, est perjurus, quia suo juramento deest veritas præsens, nempe animus implendi; jurat enim se facturum, quod non intendit facere.

Quæres 9. *Quomodo tollitur juramenti promissorii obligatio?*

*Resp.* Tollitur 1. *Per remissionem* illius in cujus favorem juramentum fuit præstitum; quia substrahit materiam juramenti. 2. Per irritationem. 3. Per commutationem. 4. Per dispensationem; quæ omnia patent ex dictis de voto; juramentum enim eodem modo & ab iisdem irritatur, commutatur & in eo dispensatur, cum hac sola exceptione quod non possit dispensari in juramento præstito in favorem alicujus & ab eo acceptato, nisi bonum commune id exigat, vel nisi promissarius per injuriam, nempe per vim vel metum gravem extorserit illud juramentum.

Quæres 10. *An licet exigere juramentum ab eo qui prævidetur pejeraturus?*

*Resp.* Non licet personæ privatæ, ut recte probant Div. August. (*Serm.* 28. *de verbis Apostoli*) & D. Thom. (2. 2. *quæst.* 98. *art.* 4.). Ratio est, quia nemo privatus habet jus exigendi juramentum, nisi quatenus utilitatem aut commodum ex tali juramento sperare potest; atqui privatus nullam utilitatem sperare potest a perjurio, utpote contra ipsum exigentem præ stando; ergo, &c.

Dixi: *Personæ privatæ:* id enims licet Judici ad instantiam partis, quia id exigit ordo juris & officium Judicis, qui debet procedere non secundum scientiam privatam, sed secundum publicam, ad quam requiritur ut adhibeantur ea quibus solet elici veritas, quale est juramentum, alioquin videbitur prævaricari.

*Dices:* Licet interdum privato exigere juramentum ab eo qui prævidetur juraturus per falsos Deos, ut docet D. Aug. (*Cap. movet*, 22. *quæst.* 1.) ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod juramentum quamvis per falsos Deos, valeat ex parte jurantis ad faciendam fidem & firmandum contractum, ac proinde est medium utile ad avertendum grave damnum petentis; licet autem ex gravi necessitate ab alio petere id quod potest licite præstare, quamvis prævideatur pejeraturus; econtra perjurium prævisum non potest prodesse privato, adeoque non est justa causa illud non impediendi.

## CAPUT III.

### *De vitiis Religioni appositis.*

*Nota.* Peccata Religioni opposita alia sunt *per excessum*, non quod Deus nimium coli possit, sed quod falsus Deus, vel etiam Deus verus indebito modo colatur, & hæc comprehenduntur nomine *superstitionis*. Alia sunt apposita *per defectum*, quæ nomine *irreligiositatis* exprimuntur.

## ARTICULUS I.

### *De Superstitione & ejus speciebus.*

*Superstitio* est cultus vitiosus veri, vel falsi numinis; unde duplex est generatim superstitio, nempe

Superstitio veri numinis, quæ *est veri numinis cultus indebitus.*

Superstitio falsi numinis, quæ *est cultus Dei non veri*, v. g. Jovis, Dianæ, Solis, &c. Hic agendum de speciebus utriusque.

### §. I. *De Speciebus superstitionis falsi numinis.*

*Nota.* Species superstitionis falsi numinis sunt 5. scilicet idololatria, divinatio, vana observantia, magia, & maleficium.

Quæres 1. *Quid est idololatria?*

*Resp.* Est cultus divinus creaturæ exhibitus: duplex est, scilicet *interna* seu formalis; & *externa* seu materialis.

Idololatria *interna* seu formalis, est ea qua quis divinum cultum creaturæ defert, ex eo quod puret eam esse Deum.

Idololatria *materialis*, est ea qua quis sine existimatione divinitatis, & interiori submissione, creaturæ divinum cultum defert: talem cultum exhibet qui simulate ex gravi metu idolum exterius colit.

Utraque est gravissimum Læsæ Majestatis Divinæ peccatum, continet enim gravem injuriam in Deum, deferendo creaturæ honorem sive internum, sive externum soli Deo debitum.

Quæres 2. *Quid sit Divinatio?*

*Respond.* Est occultorum inquisitio ope dæmonis ad hoc invocati.

Dicitur 1. *Occultorum:* id est quæ ab homine propria industria cognosci non possunt: talia sunt futura contingentia.

Dicitur 2. *Ope dæmonis ad hoc invocati:* vel *expresse* dæmonem videlicet disertis verbis rogando, aut aliquid usurpando expressa intentione ut dæmon cooperetur; vel *tacite*, utendo scilicet mediis nullam vim ad occultorum notitiam habentibus naturaliter, neque ex instituto divino aut Ecclesiastico, v. gr. cum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum; talis enim cognitio non potest expectari nisi a dæmone.

Quæres 3. *Quot sunt Species divinationis?*

*Resp.* Generatim sunt tres, scilicet Necromantia, Astrologia judiciaria, & Sortilegium.

*Necromantia* est responsio dæmonis immediate invocati. Si hæc responsio fiat per Idolum, voca-

catur *oraculum*; si per vates, *vaticinium*; si per signa apparentia in visceribus animalium dæmoni immolatorum, vocatur *auspicium*; si per vocem ex umbilico, aut pudendis vatum, dicitur *Pythonismus*; si per somnum, *somnium*; si per manes id est mortuos in speciem resuscitatos, vocatur proprie *Necromantia*; si per inspecta manus delineamenta, dicitur *Chiromantia*; si per observationem garritus avium, *Augurium*; si per signum effictum in terra, est *Geomantia*; in aqua, est *Hydromantia*; in igne, *Pyromantia*; in aere, est *Aeromantia*.

*Astrologia Judiciaria*, est *astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio futurorum contingentium*, dependentium a causa libera indeterminata, qualia præsumunt prædicere observatores horoscopi; hæc damnatur tum a Scriptura Sacra (*Jerem.* 10. *& Isaiæ* 47. *vers.* 13.), tum ab utroque jure Canonico (*Cap. sed & illud* 26. *q.* 2.), & Civili. (*Cod. de episcopali audientia*).

Dixi *Judiciaria*: Ut distinguatur ab Astrologia naturali, qua ex siderum concursu prædicuntur eclipses, pluviæ, &c. quæ cum illis naturalem habent connexionem.

*Sortilegium*, est divinatio per sortes; qui eo utuntur vocantur Sortiarii.

*Nota*: Sortes sunt triplicis generis; nempe *sors divisoria*, quæ est actio eo fine facta, ut illius eventu spectato, innotescat quid alicui competere debeat. *Consultoria*, ut innotescat quid hic & nunc agere oporteat. *Divinatoria*, ut innotescat quid futurum sit.

Sors *divisoria* est licita, si eventus expectetur a solo casu.

Sors *consultoria* est illicita, nisi ad illam Deus impellat, ut in electione sancti Mathiæ (*Act.* 1. *vers. ultim.*); ratio est quia continet tentationem Dei, imo est superstitio, si cognitio a dæmone expectetur, quare sub anathemate prohibetur in jure. (*Cap. Sortes* 26. *v.* 2).

Sors *divinatoria* est vera superstitio: nam cum sit medium improportionatum huic effectui, in ea intervenire tacitam dæmonis invocationem, necesse est.

Quæres 4. *Quale sit peccatum divinatio?*

*Resp.* 1. Necromantia est peccatum mortale gravissimum; tum quia continet expressam societatem cum dæmone, tum quia diabolo tribuitur cognitio futurorum liberorum, quæ solius Dei est, Isaiæ 41. *annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.*

*Resp.* 2. Astrologia judiciaria & sortilegium in quibus tacite tantummodo dæmones invocantur, sunt peccata mortalia ex genere suo propter tacitum commercium cum diabolo, quod est grave peccatum.

Dixi: *ex genere suo*: quia excusat quandoque a mortali ignorantia & simplicitas.

Quæres 5. *Quid sit vana observantia & quotuplex?*

*Resp. ad* 1. Vana observantia est superstitio qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia & improportionata.

*Resp.* 2. Tot sunt species vanæ observantiæ, quot sunt effectus qui per eam intenduntur; unde dividitur in *artem notoriam, observantiam futurorum eventuum: observantiam sacrorum; & observantiam sanitatum.*

1. *Ars notoria* est superstitio qua ad scientiam repente acquirendam adhibentur media vana & inutilia, v. gr. certæ preces, certa potio, &c.

2. *Observantia eventuum* est superstitio, qua quis adversitatem vel prosperitatem conjicit ex fortuito eventu, & inde actiones suas dirigit; v. g. si quis mane domo egrediens offendat pedem, & ideo domum revertatur timens aliquid infausti; si nolit assidere mensæ in qua sunt 13. convivæ, &c.

3. *Observantia sacrorum* est superstitio, qua ad obtinendos effectus extraordinarios adhibentur res sacræ quæ hos effectus producendi nullam habent efficaciam naturalem, divinam, aut ecclesiasticam; v. g. cum preces, verba sacra, aut reliquiæ usurpantur cum certa persuasione aliquem effectum extraordinarium infallibiliter obtinendi, v. g. non moriendi sine confessione, subito extinguendi incendium &c.

Dixi: *cum certa persuasione &c.* quia si proferantur verba Scripturæ, aut gestentur reliquiæ, vel recitentur quædam preces, quæ nec falsum, nec vanum contineant, ad obtinendum aliquid a Deo si saluti nostræ expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam & absolute infallibilem, licitum atque pium est, & a sanctis observatum.

4. *Observantia sanitatum*, est superstitio qua ad sanandos morbos adhibentur media vana & inutilia; v. g. nomina ignota, certæ figuræ, cæremoniæ inanes, remedia naturalia quidem, sed quibus aliqua vana adjunguntur tamquam necessaria, v. g. herbæ collectæ in vigilia sancti Joannis Baptistæ &c.

Quæres 6. *Quale sit peccatum vana observantia?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo, quia in ea dæmon invocatur saltem tacite & implicite (*Deut.* 18. *v.* 10. *& cap.* 2. *de sortilegiis*) subinde tamen fit veniale ob ignorantiam, simplicitatem, & bonam fidem.

Quæres 7. *Utrum aliquæ observantiæ in variis peregrinationibus observari solitæ, sint ab omni superstitione immunes?* .... v. g. in peregrinatione ad sanctum Hubertum in qua peregrinis prohibetur respicere specula, a certis cibis abstinere &c. ad sanctum Joannem, circa cujus templum jumenta aliquoties circumducuntur.

*Resp.* Talia non esse statim superstitionis, damnanda, cum ea tacite approbet Ecclesia, dum eadem observari novit, & non contradicit; possunt enim habere ex intentione Ecclesiæ sacram quamdam significationem, ac simul aliquando cum effectu naturalem connexionem, v. g. quod rabidi a certo cibo abstineant; quod non aspiciant specula, ne imaginatio eorum fortius moveatur.

Fatendum tamen in similibus cæremoniis multa ex varitate vulgi subrepsisse quæ vanam observantiam sapiunt, & sæpe ab Ecclesia ignorantur: unde Pastores & Confessarii singulariter ad hoc vitium invigilare debent, cum communi populo sit satis frequens & familiare, ut experientia docet.

Quæres 8. *Quid sit Magia, & quale peccatum?*

*Resp.*

*Resp. ad* 1. Magia superstitiosa est *ratio operandi mira ope dæmonis.*

Dicitur 1. *Mira*: id est opera extraordinaria parientia admirationem, ut distinguantur a miraculis, quæ dæmon facere non potest, sed solus Deus.

Dicitur 2. *Ope dæmonis*; ad hoc expresse vel implicite invocati, scilicet per signa ab eo instituta, quæ per se nullam habere possunt efficaciam ad effectum producendum: ut sunt verba exotica, characteres, sigilla, specula, unctiones, & cætera quæ adhibentur præter Ecclesiæ morem; per hoc Magia superstitiosa distinguitur a Magia naturali, quæ mira operatur per causas naturales occultas absque ope dæmonis, & quæ per se licita est, licet periculosa ob facilem lapsum in superstitiones.

*Resp. ad* 2. Magia est grave peccatum mortale ex genere suo; eodem modo quo vana observantia.

Quæres 9. *Quid sit maleficium, & quotuplex?*

*Resp. ad* 1. Est *ratio nocendi aliis ope dæmonis*: unde continet triplicem malitiam mortalem, nempe contra Religionem, Charitatem & Justitiam; ideo malefici tenentur ad reparationem omnium damnorum illatorum.

*Resp. ad* 2. Duplex est maleficium, scilicet *veneficium*, quo alicui in propria persona, vel animalibus damnum infertur, morbis nempe, doloribus, morte; & *amatorium* seu *philtrum*, quo homines flectuntur vel ad odium, vel ad amorem carnalem, quod philtrum libertatem non adimit, unde qui eo inflecti in rem veneream consentiunt, vere peccant mortaliter.

Porro maleficium tolli potest 1. Remediis naturalibus a medicina petitis. 2. Remediis supernaturalibus exorcismorum Ecclesiæ, orationum, pœnitentiæ &c. 3. Destructione & combustione signorum, annulorum, ligaturarum, ad quorum præsentiam dæmon nocumentum infert, quia honestum est destruere opera diaboli, & illis opponi. 4. Non licet tamen illud tollere per aliud maleficium vel superstitionem, cum sit intrinsece malum invocare dæmonem. Imo si probabile foret maleficium a malefico absque nova magia dissolvi non posse, peccaret mortaliter, qui eum, quamvis paratum, ad hoc induceret; quia ex Apost. *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

### §. II. *De speciebus superstitionis veri nominis.*

*Nota.* Superstitio veri nominis consistit in cultu indebito, Deo vero exhibito, & duplex est, scilicet cultus falsus, & cultus superfluus.

*Cultus falsus*, est veri Dei cultus continens aliquid falsi, *vel in se*, v. g. falsorum miraculorum adinventio, falsarum reliquiarum expositio &c. *vel in sua significatione*, v. g. moderna usurpatio Judaicarum cæremoniarum significantium Messiam venturum. Hæc superstitionis species est semper ex se mortalis, nec admittit parvitatem materiæ; quia gravem injuriam Deo infert, cujus cultus sola veritate niti debet.

*Cultus superfluus*, est veri Dei cultus ab illius instituto alienus; quia nempe est cumulatus per res, vel circumstantias indebitas, ab Ecclesiæ doctrina moreque alienas, & inutiles ad Dei honorem, mentisque devotionem, v. g. adoratio, vel oratio facta cum superfluis circumstantiis temporis, loci, numeri, situs &c. Hic cultus superfluus est solum venialis, sepositis prohibitione, scandalo & contemptu cæremoniarum Ecclesiæ, quia & materia levis est, & irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem.

## ARTICULUS II.

### *De Irreligiositate.*

*Nota.* Irreligiositas, quæ est *peccatum, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis sacris inhonoratur*, quintuplex est, nempe tentatio Dei, sacrilegium, blasphemia, perjurium, & simonia. De perjurio & simonia alibi commodius egimus; restat de aliis agendum, totuplici Paragrapho.

### §. I. *De tentatione Dei.*

Quæres 1. *Quid est tentatio Dei?*

*Resp.* Est dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum.

Dicitur 1. *Dictum vel factum*: sub quo comprehenditur etiam omissio dicti vel facti.

Dicitur 2. *Ad capiendum* &c. vel *expresse*, v. g. si quis petat miraculum ut innotescat Dei potentia; vel *implicite*, v. g. si quis ægrotus spretis omnibus remediis a solo Deo sanitatem expectaret. Ad hanc reducuntur *purgationes vulgares* innocentiæ per aquam ferventem, ferrum candens quæ damnantur in jure. ( *Cap. ult. de purgat. vulgari.* )

Dicitur 3. *Extraordinarium*: id est miraculosum.

Dicitur 4. *Temere expectatum*: id est sine justa & rationabili causa; aliud est si justa causa adsit; v. g. si jussu Dei tale experimentum capiatur, ut præcepit Achaz ( *Isaiæ* 7. *v.* 10. ); vel si necessitas urgeret, nec aliud suppeteret medium, prout fecerunt discipuli Christi qui cum omni humilitate petierunt miracula ad confirmandam doctrinam quam prædicabant. ( *Act.* 4. *v.* 30. )

Quæres 2. *Quale peccatum sit tentatio Dei?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo, sive fiat expresse, sive fiat implicite, quia gravem audaciam, gravemque erga Deum importat irreverentiam, quatenus illi reverentiæ & humilitati Christianæ adversatur petitio auxilii extraordinarii absque necessitate.

Dixi: *ex genere suo*: nam potest esse veniale in eo qui non advertit actionem suam pertinere ad tentationem Dei, vel quia res non est valde extraordinaria, vel quia periculum est parvum.

### §. II. *De Sacrilegio.*

Quæres 1. *Quid sit Sacrilegium?*

*Resp.* Est violatio rei sacræ.

Dicitur 1. *Violatio*: id est injuriosa tractatio, profanatio.

Dicitur 2. *Rei sacræ*: id est divino cultui principaliter dedicatæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit Sacrilegium?*

*Resp.* Triplex, personale, reale, & locale.

Sacrilegium *personale* est violatio personæ sacræ, v. g. percussio Clerici vel Monachi; provocatio Clerici ad tribunal sæculare; peccatum luxuriæ a persona sacra, vel cum persona sacra commissum.

Sacrilegium *locale* est violatio loci sacri; v. g. effractio & incendium Ecclesiæ; eversio altaris; injuriosa sanguinis, aut voluntaria seminis in Ecclesia effusio; furtum rei sacræ, ac furtum rei profanæ in loco sacro, quamvis ibi non depositæ, ut crumenæ occulta abscissio. (*Cap. Quisquis*, 17. *qu.* 4.)

Sacrilegium *reale* est violatio rei sacræ distinctæ a persona & loco, v. g. indigna administratio vel susceptio Sacramentorum; profanatio reliquiarum, imaginum, vasorum & ornamentorum sacrorum; defraudatio jurium & bonorum temporalium Ecclesiæ; suppressio legatorum piorum &c.

Quæres 3. *Quale peccatum est Sacrilegium?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo, tantoque gravius, quanto res quæ violatur, est sanctior & sacratior; potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, v. g. furtum unius assis in Ecclesia, vel parva confabulatio.

Porro cum Sacrilegium novam speciem peccati constituat, debet semper exprimi in confessione; imo quia omnia Sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis, ut recte probat Div. Thom. (2. 2. *q.* 99. *art.* 3.) debet quoque exprimi in qua re fuerint commissa.

## §. III. *De Blasphemia.*

Quæres 1. *Quid est Blasphemia?*

*Resp.* Est contumeliosa in Deum locutio.

Dicitur 1. *Contumeliosa*: id est personæ præsentis maledictio.

Dicitur 2. *In Deum*: sive *immediate*, sive *mediate*, quando scilicet contumelia dirigitur ad Sanctos vel res sacras quatenus Deus in illis relucet, unde redundat in Deum, & est vera blasphemia contra latriam.

Dicitur 3. *Locutio*; vel externa & est Blasphemia oris; vel interna & est Blasphemia cordis, cujus fuit reus *insipiens* qui Psalmo 12. *dixit in corde suo: non est Deus.* Unde signa contra Deum, ut sunt in cælum spuere, infrendere dentibus, non sunt blasphemiæ stricte, sed late; licet sint gravissimæ.

Quæres 2. *Quotuplex est Blasphemia?*

*Resp.* Quadruplex, nempe hæreticalis, imprecativa, juratoria, & dehonestativa.

*Hæreticalis* est contumeliosa de Deo affirmatio, vel negatio: v. g. tribuendo Deo quod ei non competit, injustitiam nempe, crudelitatem &c. vel auferendo Deo quod ei competit, v. g. providentiam, omniscientiam &c. vel tribuendo creaturæ quod Dei proprium est, ut si dicatur dæmon aliquid creasse, vel mundum regere &c.

*Imprecativa* est ea, qua quis Deo malum imprecatur: v. g. *pereat Deus*; *maledictus Deus*: *utinam Deus non esset.* Ejusmodi blasphemia est desperatorum & damnatorum.

*Juratoria* est ea, qua quis jurando blasphemat, v. g. *Hoc ita verum est*, *ac verum est Deum existere*; *Christum esse Deum &c.*

*Dehonestativa* est indecens nominatio membrorum Christi; v. g. capitis, ventris, sanguinis, quin & mortis Dei.

*Nota*: Si blasphemia procedat ex infirmitate potius quam ex malitia, vocatur *blasphemia in patrem*; si ex ignorantia, vocatur *blasphemia in filium*; si ex malitia, dicitur *blasphemia in Spiritum Sanctum.*

Quæres 3. *Quale peccatum sit Blasphemia?*

*Resp.* Omnis Blasphemia ex propria malitia est omnium peccatorum mortalium gravissimum, nec admittit levitatem materiæ; quia quælibet Dei contumelia aut maledictio est gravissima injuria contra honorem strictissimo jure Dei debitum; ergo ait D. Hieronym. (*Lib.* 7. *in Isaiam*, *cap.* 18.) *nihil horribilius Blasphemia*, *quæ ponit in excelsum os suum.* Unde ob solam actus imperfectionem potest excusari a mortali.

Dixi 1. *Omnis Blasphemia*, sive sit *formalis*, qua quis expresse intendit Deum inhonorare, sive sit tantum *virtualis*, qua quis ex ira erga hominem, vel etiam ex joco profert verba blasphemiæ absque pravo motu in Deum, quia gravis semper est inhonoratio Dei, blasphemare ad iram, vel jocum exprimendum, formalis tamen est gravior virtuali.

Dixi 2. *Ex propria malitia*; quia ultra propriam malitiam potest habere aliam distinctam ex motivo a quo procedit, & cujus affectu imperatur; sic

1. Blasphemia *hæreticalis* habet duplicem malitiam mortalem, nempe contra Fidem & Religionem.

2. Blasphemia imprecativa continet odium Dei formale; unde cum illæ novæ malitiæ adjunctæ, sint diversæ speciei, necessario sunt exponendæ in confessione; imo omnes debent exponi, quia intra eandem speciem aliæ aliis sunt longe graviores; sic gravior est Blasphemia contra Beatam Virginem, quam contra alios Sanctos, quia est contumelia non solum contra latriam qua parte redundat in Deum, sed etiam contra hiperduliam qua parte violatur honor debitus Beatæ Virgini.

Quæres ultimo, *an appellatio nominis Dei*, *vel Jesu*, *non contumeliosa*, *sed per modum loquendi*, v. g. o Jesu! bone Deus! *sit Blasphemia?*

*Resp.* Non est Blasphemia, sed vana usurpatio sancti & terribilis nominis Dei & culpa venialis contra religionem, propter irreverentiam qua se reos constituunt qui tantum nomen frustra intexunt in confabulationibus suis, tamquam aliquid commune & profanum; unde prohibetur Eccl. 23. *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo*, *& nominibus Sanctorum non admiscearis*, quoniam non *eris immunis ab eis*, id est a peccato irreverentiæ contra eos.

TRA-

# TRACTATUS QUARTUS
## DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

*Nota.* Cum sint quatuor virtutes Cardinales, nimirum ***Prudentia***, ***Fortitudo***, ***Temperantia*** et ***Justitia***, de ipsis agemus quatuor Dissertationibus.

### DISSERTATIO I.

#### *De Prudentia.*

Quæres 1. *Quid sit Prudentia?*

*Resp.* Est *virtus moralis*, *qua discitur quid in quolibet negotio agendum sit*, *vel fugiendum.*

Dicitur 1. *Virtus:* nempe directrix aliarum virtutum & morum.

Dicitur 2. *Qua dignoscitur*, quia ejus subjectum est intellectus.

Dicitur 3. *Quid in quolibet negotio*, &c. per quod differt a virtutibus intellectualibus quæ non circa actiones particulares, sicut prudentia, sed circa actiones humanas in communi versantur, ut sapientia, scientia.

Quæres 2. *Quid sit objectum prudentiæ?*

*Resp.* 1. Objectum *materiale* prudentiæ, sunt actiones humanæ particulares, de quibus judicat an honestæ sint, an turpes; ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas aut fugiendas.

*Resp.* 2. Objectum *formale* prudentiæ est conformitas actionum humanarum cum veritate hic & nunc practica; prudentia siquidem, cum sit judicium, ad intellectum spectat, cujus objectum sola veritas esse potest.

*Dices:* Prudentia est virtus moralis; ergo objectum est bonitas, non vero veritas.

*Resp. dist. ant.* Est virtus moralis *directive*, quatenus nimirum judicat de agendis, aut non agendis, *conc. elicitive*, *nego.* Ratio est, quia de se nec bonum amat, nec malum fugit, sicut cæteræ virtutes morales.

Quæres 3. *An necessaria sit prudentia?*

*Resp.* Adeo prudentiam esse necessariam, ut absque ea nulla sit virtus, cum in omnes alias generalem influxum habeat.

*Prob.* Quia nulla potest esse virtus absque ordine, nec ullus ordo absque prudentia, cujus est expendere & eligere media apta & in qualibet circumstantia convenientia ad finem honestum consequendum.

Quæres 4. *Quot sunt officia seu actus prudentiæ?*

*Resp.* Sunt tria, nimirum *bene consultare* de honestate vel inhonestate rerum agendarum; *bene judicare* de mediis pro loco & tempore adhibendis, & *bene imperare* executionem.

Quæres 5. *Quot sunt partes prudentiæ?*

*Nota:* Ante responsionem. Unicuique virtuti assignari partes integrales, subjectivas, & potentiales.

*Partes integrales* sunt eæ, quæ licet ad essentiam virtutis necessariæ non sint, ad ejus tamen perfectionem ita conducunt, ut iis sublatis, perfectus non sit virtutis actus.

*Partes subjectivæ* sunt variæ species ejusdem virtutis.

*Partes potentiales* sunt quædam aliæ virtutes, quæ licet totam virtutis principalis rationem & potentiam non participent, ad eam tamen accedere videntur. Itaque

*Respondeo* 1. *Partes integrales* prudentiæ sunt octo, nimirum memoria, intelligentia, providentia &c.

*Memoria* est recordatio præteritorum, per quæ negotia felicem vel infelicem exitum habuerunt.

*Intelligentia* est notitia præsentium, (id est plena status rei agendæ cognitio) & principiorum moralium.

*Providentia* est consideratio eventuum futurorum, qui ex suscepto opere sequi possent.

*Solertia* est subita & expedita inventio medii convenientis.

*Docilitas* est affectus ad consilia aliorum suscipienda.

*Ratio* est promptitudo unum ex alio colligendi.

*Circumspectio* est attenta consideratio circumstantiarum actionis humanæ, ne aliqua requisita desint.

*Cautio* est cura vitandi impedimenta consecutioni finis adversantia.

*Resp.* 2. Prudentia dividitur in *personalem* & *gubernatricem.*

*Personalis* est quæ solum bonum operantis attendit.

*Gubernatrix* est quæ bonum communitatis seu perfectæ seu imperfectæ attendit; unde subdividitur in *æconomicam* qua Pater aut Superior propriam familiam bene regit; & *politicam*, qua per legum custodiam communitas ad finem suum perducitur.

*Resp.* 3. Tres sunt partes *potentiales* prudentiæ, scilicet eubulia, synesis & gnome.

*Eubulia* est habitus, quo quis rectum & bonum consilium in rebus perplexis & ambiguis invenit.

*Synesis* est habitus bene judicandi de iis quæ fiunt secundum communes regulas.

*Gnome* est habitus recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus, contra tenorem verborum Legis.

Quæres 6. *Quænam sunt vitia opposita prudentiæ?*

*Resp.* 1. Prudentiæ *per defectum* opponuntur sequentia.

*Præcipitatio* est aggressio operis sine debita deliberatione de mediis.

*Inconsideratio* est judicium de mediis ante illorum examen.

*Inconstantia* est sententiæ mutatio ob nullam vel levem causam.

*Negligentia* est omissio diligentiæ requisita ad urgendam executionem rei deliberatæ; si versetur circa gravem obligationem, est mortalis.

*Resp.* 2. Per excessum opponuntur prudentiæ

*Prudentia carnis* est diligens excogitatio mediorum ad implendos instinctus naturæ corruptæ: est mortale in re gravi. Rom. 8. *prudentia carnis mors est.*

*Astutia* est notitia & usus parvorum mediorum ad finem intentum assequendum. Astutiæ executio, si fiat verbis, vocatur *dolus*; si factis, *fraus* nuncupatur, ut cum mensura minor est justo.

*Sollicitudo temporalium* est nimia occupatio animi in acquirendis & conservandis temporalibus.

Est mortale quando quis violat, aut violare paratus est grave aliquod præceptum; alioquin est venialis, licet saluti plurimum noxia.

*Sollicitudo futurorum* est inordinata anxietas ne vitæ necessaria in posterum nobis desint. Hæc anxietas importat diffidentiam in Dei providentiam.

## DISSERTATIO II.

### *De Fortitudine.*

*Fortitudo* dupliciter sumitur, *late & proprie.*

*Fortitudo late*, est animi firmitas in bono honesto arduo.

*Fortitudo stricte*, est virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore & loco debito aggredienda, & ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios.

Dicitur 1. *Voluntatem hominis*; quia subjectum immediatum fortitudinis est voluntas prout est appetitus sensitivus irascibilis.

Dicitur 2. *Ad pericula aggrediendi & ad labores &c.* quia sunt duo actus & officia fortitudinis, nempe *ardui aggressio*, & *incommodi perpessio.* Hinc colliges objectum materiale fortitudinis esse *pericula & labores*, *formale* vero esse ipsam hanc honestatem, quæ in eo consistit, ut homo circa labores & terribilia moderate se gerat, neque timori nimium cedendo, neque ultra modum se dando audaciæ.

Quæres 1. *An martyrium sit actus fortitudinis?*

*Resp. affirm.* Liquet hæc veritas ex ipsa definitione fortitudinis.

*Dices* 1. Innocentes pro Christo ab Herode occisi, sunt vere Martyres; atqui tamen non fuerunt capaces actus fortitudinis; ergo martyrium non est actus fortitudinis.

*Resp.* Sunt Martyres *materialiter*, *conc.* quia quod in aliis meretur propria voluntas auxilio Dei adjuta, hoc illi per gratiam Dei adepti sunt; *formaliter nego.* Quia non fuerunt capaces voluntariæ acceptionis mortis, quo solo sensu martyrium est actus fortitudinis.

*Dices* 2. Martyrium est actus charitatis, ergo non est actus fortitudinis.

*Resp. nego conseq.* Est enim actus *imperatus* a charitate, & *elicitus* a fortitudine.

Quæres 2. *Quænam sunt vitia fortitudini opposita?*

*Resp.* Fortitudini opponitur per excessum *temeritas*, per defectum vero *ignavia.*

*Temeritas* est vitium, quo quis periculis contra rectæ rationis dictamen se committit: scilicet, quando, ubi & quomodo non oportet.

*Ignavia* est vitium, quo quis ab iis deterretur periculis quibus sese tempore & loco exponere potest & debet; utraque sæpius est peccatum mortale.

Quæres 3. *Quænam sunt virtutes fortitudini adjunctæ?*

*Resp. sunt* 4. Nimirum, magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseverantia.

1. *Magnanimitas* est virtus inclinans ad actus heroicos in omni genere virtutum.

Magnanimitati opponitur per excessum *præsumptio*, *ambitio*, *vana gloria.* Per defectum vero *pusillanimitas.*

*Præsumptio* est propriarum virium nimia æstimatio in aggrediendis iis quæ superant eas.

*Ambitio* est inordinatus appetitus honoris.

*Vana gloria* est inordinatus appetitus famæ, laudis & gloriæ.

*Pusillanimitas* est vitium, quo quis ex animi parvitate recusat tendere in id quod est suæ potentiæ proportionatum.

2. *Magnificentia* est virtus inclinans ad magna opera magnis sumptibus efficienda juxta præscriptum rectæ rationis. Ei opponitur per excessum *profusio*, per defectum *parvificentia.*

*Profusio* est excessiva erogatio divitiarum.

*Parvificentia* est vitium, quo quis minus vult expendere quam operis dignitas requirat.

3. *Patientia* est virtus firmans animum in tolerantia afflictionum. Ei opponitur per excessum *insensibilitas*; & per defectum *impatientia.*

*Insensibilitas* est vitium, quo quis ob animi stuporem nec propriis, nec alienis malis movetur.

*Impatientia* est vitium, quo quis plus justo de malis dolet, utrumque hoc peccatum potest esse mortale; aliquando tamen est tantum veniale.

4. *Perseverantia* est virtus, qua homo non obstantibus quibuscumque malis in opere incepto firmiter perseverat. Ei opponitur per defectum *inconstantia*, per excessum *pertinacia.*

*Inconstantia* est vitium, quo quis sine justa causa a bono proposito desistit.

*Pertinacia* est vitium dans animo inordinatam infirmitatem, scilicet, quando non oportet, vel plusquam oportet. Utraque est mortalis vel venialis, prout gravis vel levis obligatio violatur.

## DISSERTATIO III.

### *De Temperantia.*

Quæres 1. *Quid sit temperantia?*

*Resp.* Est *virtus moderans qua*, *juxta rectæ rationis dictamen*, moderatur affectum, usumque voluptatum gustus & tactus.

Ex hac definitione sequitur, objectum *materiale* temperantiæ esse delectationes corporeas; formale vero, esse earumdem usum honestum.

Quæ-

Quæres 2. *Quot sunt vitia temperantiæ opposita?*

*Resp.* Sunt duo, scilicet insensibilitas per defectum, & intemperantia per excessum.

*Insensibilitas* est vitium, quo quis omnes corporis delectationes etiam necessarias refugit & aversatur .... est peccatum veniale ex genere suo; esset tamen mortale, si quis per eam refugeret id ad quod graviter obligatur; v. g. si quis negaret debitum conjugi exigenti, vel nollet sumere cibum ad sustentationem vitæ necessarium.

*Intemperantia* est vitium, quo quis voluptates gustus ac venereorum immoderate appetit, rationisque ac divinæ legis regulam in earum usu excedit ... est peccatum mortale ex genere suo, ut probatum est ex dictis de gula & luxuria.

Quæres 3. Quot sint partes integrales temperantiæ?

*Resp.* Sunt duæ, scilicet verecundia, & honestas.

*Verecundia* est horror turpitudinis intemperantiam consequentis; consistit in modestia habitus, motus, gestus, incessus &c. .... huic opponuntur *inverecundia* & *impudentia*; de quibus D. Ambr. (*Lib. de Offic. cap.* 18. & 42.) ait: *Inverecundum est, sensim ambulando, imitari histrionicos gestus .... cursim ambulare, nisi cum justa exigit necessitas .... partes corporis (quas natura, mater verecundiæ, tegere jubet) detegere aut spectare pudor est; si casu aperiantur, confoditur verecundia*; ergo est inverecundia *si studio, impudentia æstimatur.*

*Honestas* est virtus inclinans ad cavenda quæcumque indecora in esculentis, poculentis, & venereis: *Quid est honestas*, inquit Div. Ambrosius (*Ibidem*), *nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat?*

Quæres 4. *Quot sint species temperantiæ?*

*Resp.* Sunt quatuor, scilicet *abstinentia*, cui opponitur gula: *sobrietas*, cui opponitur ebrietas; *castitas*, cui opponitur luxuria; *pudicitia*, cui opponitur impudicitia.

*Abstinentia* est virtus, quæ moderatur affectum usumque cibi.

*Sobrietas* est virtus, quæ moderatur affectum, usumque potus inebriare valentis.

*Castitas* est virtus, quæ cohibet, vel moderatur appetitum, & usum venereorum.

*Pudicitia* est virtus, quæ cohibet, vel moderatur oscula, tactus, amplexus, eorumque delectationem.

Quæres 5. *Quotuplex sit castitas?*

*Resp.* Triplex, nimirum *virginalis*, *conjugalis*, & *vidualis*.

*Castitas virginalis* est voluntas constans & efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione & delectatione venerea. Hæc amittitur irrevocabiliter per solam voluntariam pollutionem, quoque modo contingat.

*Castitas conjugalis* est voluntas constans & efficax abstinendi ab omni actione & delectatione venerea cum non conjuge, & ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis regulam.

*Castitas vidualis* est voluntas constans & efficax abstinendi in posterum ab omni actione & delectatione venerea, percepta in conjugio.

Quæres 6. *Quænam sint impedimenta castitatis, eorumque remedia?*

*Resp.* Tria Castitatis impedimenta recenset D. Thom. *opusc.* 55. *de perfectione vitæ spirit. c.* 9. desumpta ex parte corporis, animæ, & exteriorum personarum, seu rerum.

I. Impedimentum ex parte corporis est ciborum affluentia, & deliciarum mollities, *quia*, inquit Div. Thomas (sicut Apostolus dicit ad Galat. 5.) *caro concupiscit adversus spiritum .... quanto autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam, & deliciarum mollitiem, tanto hujusmodi concupiscentia magis crescit.* Unde Hieronym. dicit: *Venter mero æstuans, cito despumat in libidinem.* Et Prov. 21. *Luxuriosa res vinum.* Remedium adversus illud castitatis impedimentum, est corporis mortificatio, per jejunium, pœnitentiam &c.

II. Impedimentum ex parte animæ est, *dum ea lascivis cogitationibus immoratur .... unde per cogitationem diutinam maxime libido provocatur.* Et propter hoc Apostol. (1. *Corinth.* 6.) dicit: *Fugite, ne approximet, quia non aliter potest vinci.* Contra hoc impedimentum, quatuor remedia affert Div. Thom. „ Primum & præcipuum est, „ inquit, ut mens circa contemplationem divinorum & orationem occupetur. Unde Apostolus „ Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu Sancto loquentes „ vobismetipsis in Psalmis, Hymnis & Canticis „ spiritualibus*; (quod ad contemplationem pertinere videtur) *cantantes & psallentes in cordibus vestris*, quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per Prophetam dixit (*Isai.* 48.) *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Est enim quoddam frænum, animum ab „ interitu retrahens, laus divina.

„ Secundum remedium est studium Scripturarum, secundum illud Hieronymi ad Rusticum „ Monachum: *Ama Scripturarum studia, & carnis vitia non amabis.* Unde Apostolus, cum dixisset (*Timoth.* 4.) *Exemplum esto fidelium „ in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, statim addit, *dum venio, attende lectioni.*

„ Tertium remedium est, quibuscumque cogitationibus bonis animum occupare. Unde Chrysostom. super Matth. dicit, quod *abscisso membri ita non comprimit tentationes, & tranquillitatem facit, ut bonæ cogitationis frænum.* Unde Apostol. Philipp. 4. dicit: *de cætero, fratres, „ quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ: si qua „ virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.*

„ Quartum remedium est, ut homo, ab otio „ desistens, etiam in carnalibus laboribus seipsum „ exerceat. Dicitur enim Eccl. 33. *Multam malitiam docuit otiositas*; & specialiter etiam est „ carnalium incentivum. Unde dicitur, Ezech. 16. *Hæc fecit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis & abundantia, & otium „ ipsius.* Et Hieron. ad Rusticum scribens, dicit, *Facito aliquid operis, & semper Diabolus „ inveniat te occupatum.*

„ III. Impedimentum est aspectus & frequentia colloquia mulierum, & earum consortium.

„ Unde dicitur *Eccl.* 9. *Propter speciem mulieris* „ *multi perierunt: ex hoc concupiscentia quasi* „ *ignis exardescit:* Et postea subditur: *Colloquium* „ *ipsius quasi ignis exardescit.*

„ Et ideo contra hoc est adhibendum remedium, „ quod ibidem dicitur v. 3. *Ne despicias mulierem* „ *multivolam, ne forte incidas in laqueos illius;* „ *cum saltatrice ne assiduus esto, nec audias il-* „ *lam, ne forte pereas in efficacia illius.* Et „ *Eccl.* 42. dicitur omni homini: *Noli intendere* „ *in specie, & in medio mulierum noli commo-* „ *rari; de vestimentis enim procedit tinea, & a* „ *muliere iniquitas viri.* "

Quær. 7. *Quot sint virtutes temperantiæ annexæ?*
*Resp.* Sunt septem, *continentia* nimirum, *clementia*, *mansuetudo &c.*

1. *Continentia* est virtus, quæ cohibet motus, qui ad delectationes obscœnas sollicitant. Ex quo patet, quod sit imperfectior castitate: nam ut Chæremon Abbas dicit apud Cassianum Collat. 12. cap. 10. *Non castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei aliqua resistit adversitas voluptatis. Quamobrem, donec pulsari nos carnis commotione sentimus, noverimus, nos ad castitatis nondum pervenisse fastigia; sed adhuc sub infirmitate continentiæ constitutos præliis fatigari.*

2. *Clementia* est virtus, quæ vindictam coercet, ne ultra debitos fines exiliat. Hinc per clementiam superior inclinatur ad pœnam mitigandam, quantum justitiæ, & disciplinæ bonum fert, ac ratio salutis fraternæ, & ædificationis publicæ patitur, quia nisi horum omnium ratio habeatur, non est clementia; sed vel *crudelitas*, quæ ei opponitur per defectum, vel *mollities*, quæ ei opponitur per excessum.

3. *Mansuetudo* est virtus, quæ iram coercet ne exurgat, nisi quando, quantum, & quomodo oportet.

Itaque mansuetudo non excludit iram moderatam, quando causa *illius* est justa: *qui sine causa irascitur reus erit*, ait D. Chrysost. *qui vero cum causa, non reus erit ....* Quia tamen difficillimum est, passione illa uti cum debito moderamine, ideo mansuetus homo internam iræ passionem non debet admittere, sed pro exigentia, se exterius gerere pro irato, debitam correptionem faciendo, debitamque pœnam infligendo, juxta illud D. Aug. Epist. 138. ad Marcellinum: *Teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia; in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus*, id est, quod prodesse videtur, tum maxime communitati, tum communi disciplinæ.

4. *Modestia* est virtus, quæ affectus humanos, gestusque corporis moderatur, secundum præscriptum rectæ rationis. Modestia ergo exigit, ut externi motus corporis sic compositi sint, ut in eis nihil sit quod cujusquam offendat aspectum, nihil quod interioris hominis dedeceat sanctitatem. Nam *Eccl.* 19. dicitur: *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

5. *Humilitas* est virtus, qua quis ex verissima sui ipsius cognitione, sibi ipsi vilescit. Hæc a D. Thom. *q.* 161. *art.* 5. *ad* 2. vocatur, *totius ædificii spiritualis fundamentum.*

6. *Studiositas* est virtus, quæ desiderium sciendi, intra justos fines continet .... huic virtuti opponitur per excessum *curiositas*, & per defectum *negligentia.*

*Curiositas* est vitium, quo scientiæ studium & appetitus a debito deficit ordine. Et hoc, juxta D. Thom. (2. 2. *q.* 167. *art.* 1.) quadrupliciter contingit; nimirum, 1. *In quantum per studium minus utile retrahuntur aliqui a studio quod eis ex necessitate incumbit.* Unde Hieron. dicit: *Sacerdotes dimissis Evangeliis & Prophetis, videmus comædias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare .... 2. In quantum studet aliquis addiscere ab eo, a quo non licet, sicut patet de his qui aliqua futura a dæmonibus perquirunt .... 3. Quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei .... 4. In quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem; quia per hoc homines de facili in errores labuntur.* Unde dicitur, *Eccl.* 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Et postea sequitur.* Multos enim supplantavit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.

*Negligentia* est voluntaria omissio studii necessarii ad discenda ea quæ quis discere, vel scire tenetur. Est peccatum mortale, si ex ea contingat aliquem ea ignorare, quæ sub mortali scire tenetur, ut Advocatus, Medicus, Confessarius &c.

7. *Eutrapelia*, seu *jucunda urbanitas*, est virtus, qua in recreationibus modum servat honestum. Porro, ut honestus modus servetur in jocis, tria necessario cavenda sunt.

*Primum* est, ut vitetur jocatio petulans, offensiva, obscœna, vel parum honesta.

*Secundum*, ut vitetur dissolutio, qua gravitas animæ omnino resolvatur.

*Tertium*, ut ludi & joci congruant personæ, loco, tempori, &c.

*Nota:* Hic nobis esset agendum de variis vitiis, quæ temperantiæ, vel virtutibus eis adjunctis opponuntur; verum cum de *gula & luxuria* jam egerimus ubi de peccatis capitalibus, hic unice agemus de peccatis quæ committi solent contra modestiam & eutrapeliam, duplici Articulo.

## ARTICULUS I.

*De Peccatis, quæ contra modestiam committuntur.*

*Nota.* Contra modestiam Christianam peccari potest per usum ornatuum lascivorum, fucorum, larvarum, &c. Ideo

Quæres 1. *Utrum ornatus mulierum sint liciti?*

*Resp.* Licitum est *per se* mulieribus honeste se ornare, tum ut decorem sui status sustineant, tum ut placeant amasiis eas in uxores ducere volentibus, si sint innuptæ; tum ut placeant viris suis, si nuptæ sint, *ne*, inquit D. Thom. (2. 2. *quæst.* 169. *art.* 1.) *detur eis occasio peccandi cum aliis.* Unde Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. dicit: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornan-*

*nantes se.* Sed peccant, saltem venialiter, quæ supra conditionem suam vestibus pretiosioribus utuntur.

*Ratio* est quia supra conditionem suam sese extollere, rationi valde est dissonum: unde Apostolus dicit, quod mulieres possint se ornare *cum sobrietate.*

Dixi, *per se*; quia tales ornatus possunt esse peccatum mortale per accidens, ratione scilicet pravitatis connexæ, nimirum:

1. *Ratione pravi finis*; nempe dum hæc ornamenta adhibentur ad luxuriam excitandam: *Et si hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant*, inquit Divus Thom. ibidem. *Ratio est*, quia actus specificatur a fine, finis autem in tali casu est mortaliter malus; ergo, &c.

2. *Ratione scandali*, dum scilicet mulieres prævident, aut facile prævidere possunt & debent, ex suis vanis ornamentis, aliquem ad libidinem fore commovendum, quia cooperantur, & consentiunt alterius culpæ mortali; atqui ex Apostoli ad Roman. 1. *Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; ergo, &c.

3. *Ratione causæ*, quæ suapte natura delectationem veneream excitat; *ratio est* quia prohibita graviter re aliqua, prohibentur etiam graviter quæ per se ad illam excitant: tales sunt nudatio pectoris, scapularum, &c.

4. *Ratione injuriæ*, cum nempe tantus est excessus, ut vergat in detrimentum familiæ.

Quæres 2. *Utrum licitum sit uti fucis?*

*Resp.* Uti fucis, absque legitima causa, est per se peccatum veniale; quia ait Divus Thomas ibidem, *fucatio est quædam species fictionis*, seu mendacii; atqui mendacium est peccatum veniale; ergo, &c.

Dixi 1. *Absque legitima causa*; quia cum est legitima causa fucis utendi, tunc fucatio non est mendacium, nec proinde peccatum. *Sciendum autem*, inquit Divus Thomas, *quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem provenientem, puta ex ægritudine, vel aliquo hujusmodi: hoc enim est licitum.*

Dixi 2. *Per se*; quia per accidens fucatio est mortalis; v. g. *quando fit propter lasciviam, vel in contemptu Dei*, cujus opus adulteratur. Ratio est quia hic finis est mortaliter malus; actus autem specificantur a fine.

Quæres 3. *Utrum licitum sit uti larvis, & personatum agere?*

*Resp.* Cum larvæ, de se, sint indifferentes, non censetur peccare nisi venialiter per se, qui personatum agunt.

Dixi: *Per se*; quia personatus potest esse mortale per accidens, puta si sit causa delectationis venereæ in se, vel in aliis.

*Hinc*, si vir personatum ageret in vesti feminea, & femina in veste virili, procul dubio peccarent mortaliter; dicitur enim Deuteronom. 22. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est, qui hæc facit.* Ratio est, quia hoc occasionem libidini præstat. Unde D. Thomas (1. 2. *quæst.* 101. *art.* 6. *ad* 6.) ait: *Prohibitum est ne mulier indueretur veste virili, aut e converso . . . ad declinandum luxuria . . .* nam, *quod mulier induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, & occasionem libidini præstat.*

Cæterum, cum fuci larvæ, &c. sint indifferentes, docent communiter Doctores, eos non peccare, qui hæc faciunt, aut vendunt, nisi vendant iis, quos putant talibus usuros ad peccandum. Unde postquam D. Thom. (2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 6.) dixit: *Si qua ars sit, cujus operibus homines possunt bene & male uti, sicut gladii, sagitta & alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum*; addit: *Si tamen operibus alicujus artis ut pluries aliqui male utantur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium Principis a civitate extirpandæ.*

## ARTICULUS II.

### *De Peccatis, quæ contra eutrapeliam committuntur.*

*Nota.* Contra eutrapeliam peccant omnes, qui in jocis & aliis recreationibus justum, & honestum modum non servant, prout sæpe advenit in choreis, comœdiis, &c. Ideo

Quæres 1. *An Choreæ sint licitæ?*

*Respond.* Cum Choreæ de se sint indifferentes, ut constat ex Eccli. 3. *omnia tempus habent, tempus plangendi, tempus saltandi*, & malæ dumtaxat ex pravo utentium affectu, ideo juxta omnes sunt licitæ, modo adsint sequentes conditiones quas assignat Div. Thom. (*in cap.* 3. *Isaiæ. Albert. Magn. in* 4. *Sentent. dist.* 16. *q.* 43.) post Albertum magnum.

1. *Ut saltans non sit Religiosus aut Clericus*, quod ratione scandali potest esse mortale. Unde de Clericis choreizantibus loquens S. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 3. dicit: *Cum ordinentur Clerici ad cantandum officium, & verba Dei, præcipue in Festis, ad consolationem spiritualem populi, ipsi officiant in Ecclesia diaboli, quæ est locus vanitatis, cantando cantilenas, quia sunt verba diaboli vana, & turpia, &c.*

2. *Ut* Choreæ *fiant tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis & ejusmodi.*

3. Ut Choreæ non agantur in loco sacro, nec officiorum divinorum tempore, nec in die festo, juxta sanctiones tum ecclesiasticas, tum civiles sub mortali, ubi vigent obligantes, & quas refert Pontas. (*v. Danse, cas.* 2.)

4. Ut absit in saltantibus animus lascivus, gestus libidinosus, & periculum delectationis venereæ; quod cum raro absit, ideo jure merito Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores in Choreas insurgunt.

Dixi, *in choreis prout vulgo fiunt*; in quibus nimirum puellæ cum juvenibus, præludente instrumento, per intervalla saltitant, colloquiisque, osculis, amplexibus, &c. sese oblectant; hæ certe choreæ sunt periculosissimæ, quod multorum peccatorum occasiones satis propinquas exhibeant, quas Alex. de Ales, *p.* 4. *q.* 48. pronuntiat malas, *ratione concurrentium, quæ sunt exercitatio ad lasciviam, provocatio ad libidinem, impedimentum cultus Dei*; addo ipsas pertinere ad pompas sæculi, quas in Baptismo ejuravimus.

Non mirum igitur, quod S. Ephrem (*Hom. cui titulus est Christianos Ludicris rebus abstinere oportere*) dicat: *A serpente magistro edoctas esse choreas*; quodque S. Carolus Borromæus (*Tract. adversus Choreas*) approbat hanc choreæ descriptionem; *Est circulus, cujus centrum est diabolus, circumferentia angeli ejus.* Et D. Antonin. loc. cit. sic loquatur: *Mulier secundum Origenem est arma diaboli: aliquando diabolus bellat cum homine per aspectum mulierum; aliquando per auditum vocis mulierum: aliquando per tactum, sed in choreis per omnes istos modos bellat cum homine.*

Quæres 2. *Utrum exercitium artis theatricæ sit licitum?*

*Resp.* 1. Exercitium funambulorum est omnino illicitum, quia se exponunt probabili mortis periculo, quo tamen subiato non videtur illicita ars funambulorum.

*Resp.* 2. Ars histrionum & comœdorum licet de se non sit illicita, cum ad civitatis decorem, populi recreationem, publicamque lætitiam ordinetur, imo & fuerit inventa ad morum reformationem, cum hodie ars illa penitus videatur corrupta, *ordinarie* est illicita & peccaminosa. Quod

*Prob.* Quia ars Theatrica ut nunc exercetur, ad luxuriam provocat, & est occasio proxima peccati & scandali; ergo, &c. *Antec.* constat; quænam enim in illis spectaculis audiuntur, nisi amatoria? quid cernitur? nisi pompa diabolica, viri nempe & mulieres qui verbis & gestibus lasciviam spirantibus, amoris impuri dolos & artes occultas in corda spectatorum conjiciunt, &c. Ergo.

Hinc leges declarant Theatricos infames (*Lib. 2. ff. de his qui notantur infamia* §. 5.) & Canones excludunt Comœdos & Histriones a perceptione Sacramentorum quamdiu in illa professione vivunt (*Conc. Arelat. can.* 5.), tum ab Ecclesiastica sepultura, si in ea usque ad mortem obstinati permanserint. (*Conc. in Trullo can.* 51.)

Dixi *ordinarie*: quia non sunt illicitæ Comœdiæ 1. Quæ a scholasticis repræsentantur, quia conservant suam puritatem, & actores non sunt diversi sexus, imo sunt maxime utiles tum ad excitandam eorum ad studium æmulationem, tum ad eloquentiam ipsis conciliandam. 2. Comœdiæ quæ fiunt in aulis Principum, a quibus omnia obscœna removentur.

## DISSERTATIO.

### *De Justitia.*

*Nota.* Justitia sumitur tribus modis: 1. *Pro gratia* sanctificante, quam qui habet dicitur justus. 2. *Pro complexione* omnium virtutum, sic qui Legem adimplet, vocatur justus. 3. *Pro speciali virtute morali*, de qua hic disserimus quadruplici capite. Primum erit de Justitia. secundum de Jure quod est fundamentum justitiæ; tertium de injustitia & restitutione in genere; quartum de Injustitia & restitutione in particulari.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Justitia.*

His inquirimus essentiam, divisionem & objectum justitiæ.

### §. I. *De essentia Justitiæ.*

Quæres. *Quid sit Justitia?*

*Resp.* Justitia definitur a Jurisconsultis post Ulpianum (*lib.* 10. *ff. de Justitia & Jure*) *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, Ubi nomine *voluntatis*, non intelligitur facultas animæ, sed habitualis & firma propensio voluntatis: additur *constans & perpetua*, quia cum sit habitus, debet esse pluribus actibus firmata.

Clarius definitur *virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur 1. *virtus moralis*; pro genere.

Dicitur 2. *firmans voluntatem*: quia est habitus bene disponens subiectum suum.

Dicitur 3. *alteri*: quia nulla est stricte justitia ad seipsum: Justitia enim debet constituere æqualitatem, quæ necessario dicit relationem ad duo; atqui homo idem, non est alter a seipso; ergo. Ex quo concludunt Theologi nullam perfectam justitiam esse posse inter Deum & creaturas: patrem & filium: dominum & mancipium: quia inter eos, prout tales, non est perfecta alternitas; creatura enim participatio divini esse, a quo dependet in esse & conservari; pater est principium filii; filius est fructus patris, & pars ab ipso decisa. Dominus habet dominium despoticum in mancipium, quo potest illud donare, vendere &c. mancipium est possessio domini; quare cum tanta inter ipsos sit unio, majus est debitum quam justitiæ vulgaris, nimirum debitum religionis erga Deum, pietatis erga patrem; amoris erga filium; obedientiæ erga dominum; despoticum erga mancipium.

Dixi *quæ tales*: quia si spectentur non in esse relativo, sed in esse absoluto quatenus homines, tunc habere possunt jura distincta, & sic inter eos potest esse justitia & injustitia, ut si filius occidat patrem &c.

*Dices*: In Deo respectu creaturæ est justitia ex Apost. *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex* (2. *ad Tim.* 4. v. 8.) ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Est justitia *commutativa*, *nego*. Nihil enim Deus creaturis debet stricto jure, *distributiva*, *subdist.* stricte dicta ita ut Deus posset dici injustus si id non tribueret, *nego*, late dicta, sumpta pro fidelitate in promissis, *conc.* hinc Aug. ait: *reddis debita, nulli debens.* (*L.* 4. *Confess. c.* 4.)

*Dicitur* 4. *Jus suum*: id est, debitum ex jure, neque enim jus sumitur hic *formaliter* prout est legitima facultas ad aliquid. sed *objective*, prout est debitum rigorosum, cujus violatione non solum contrahitur turpitudo moralis, ut in aliis debitis, v. g. gratitudinis, sed etiam obligatio restitutionis.

*Dicitur* 5. *Ad æqualitatem*: id est, per commensurationem rei quæ reddi debet, cum jure alterius: hinc qui debens centum nummos, solvit centum: servat æqualitatem, per hoc justitia distinguitur a religione & pietate, quæ æqualitatem non servant, cum nec Deo, nec parentibus tantum possimus reddere, quantum debemus.

## §. II. *De divisione Justitiæ.*

Quæres 1. *Quomodo dividitur Justitia?*

*Resp.* Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam.

Quæres 2. *Quid sit Justitia legalis*, seu generalis?

*Resp.* Est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum Reipublicæ debitum ratione *juris alti*, quod habet in personas privatas & eorum bona.... Jus Reipublicæ vocatur *altum*, quia prædominatur juri particularium in sua bona, quo non obstante Respublica de bonis particularium potest disponere prout postulat communitatis bonum.

Quæres 3. *Quotuplex sit Justitia legalis?*

*Resp. Duplex*, nempe *imperans* & *exequens*.... 1. Residet in Principe seu magistratu quatenus dirigit actus omnium civium sibi subditorum, ad bonum commune.... 2. Residet in civibus, prout ea exequuntur, quæ ad bonum commune pertinent.

Quæres 4. *An Justitia legalis sit quædam specialis virtus?*

*Resp. affirm. cum D. Thom.* (*art.* 6.) quia justitia legalis habet objectum formale ab objecto aliarum virtutum distinctum; respicit enim bonum commune prout a *parte* in gratiam *totius* est procurandum; ergo &c.

*Dices cum Arist.* (*Lib.* 5. *ethic. c.* 1. & 3.) Justitia legalis est complexio omnium virtutum; ergo non est virtus specialis.

*Resp. dist. ant.* Est complexio omnium virtutum *directive*, quatenus actus aliarum virtutum ordinat ad bonum commune, *conc.*, *formaliter*, quasi ipsa sit omnis virtus, *nego.* Ratio est quia habet objectum speciale.

Quæres 5. *Quid sit Justitia commutativa?*

*Nota* ante responsionem, quod duplex distinguatur proportio, *arithmetica* nimirum, & *geometrica.*

*Proportio arithmetica* est æqualitas rei ad rem, solutionis ad debitum, nullo habito respectu ad conditionem personæ cui fit solutio: unde qui recepit centum, tenetur ex illa proportione reddere centum, tam diviti quam pauperi.

*Proportio geometrica* est adæquatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis & meriti personarum, quibus res distribui debent. His notatis:

*Resp.* Justitia *commutativa* est virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam.... Vocatur *commutativa* quia moderatur commutationes, scilicet contractus onerosos, licet versetur etiam circa gratuitos.

Dicitur 1. *debitum rigorosum*, nempe fundatum in jure *in re*, vel in jure *ad rem.*

Dicitur 2. *Secundum proportionem arithmeticam*, id est, secundum æqualitatem rei ad rem, mercedis ad laborem; & hæc est ratio cur justitia commutativa dicatur attingere *medium rei*, quod semper idem est respectu cujuscumque personæ. At vero aliæ species justitiæ, item aliæ virtutes morales servant *medium rationis*, quod pro personarum diversitate, diversum est: sic temperantia aliter infirmo, aliter sano mensuram alimentorum determinat; quod enim infirmo nimium est in ratione potus, id robusto parum est.

Quæres 6. *Quænam ex speciebus justitiæ sit stricte dicta justitia?*

*Resp.* Sola justitia *commutativa*, quæ reddit alteri quod stricto jure debetur; unde ex ea sola oritur obligatio restitutionis, non autem ex distributiva vel vindicativa, nisi quatenus commutativæ sociantur, quod plerumque contingit, ut constat variis exemplis quos subjicio:

1. *Magistratus aut Superiores Ecclesiastici*, qui beneficia & officia debent quidem conferre dignioribus, qui cum non habeant jus strictum, non ipsis fit injuria quæ ad restitutionem obliget, si aliis conferant; peccant tamen contra justitiam distributivam ob injustam personarum acceptionem.

Quodsi officia indignis conferrent, tunc damna inde emergentia tenerentur resarcire, quia licet non teneantur stricto jure utilissima quæque Reipublicæ procurare, tenentur tamen hoc jure necessaria subministrare, unde simul peccarent contra justitiam distributivam & commutativam.

2. Qui animo vindictæ, aut examinis defectu, variis oneribus, annuis tributis, gallice *taille*, aliquos plus æquo onerant, alios exonerant, ad restitutionem tenentur, quia privati jus habent ne supra vires suas premantur; unde peccant contra utramque justitiam.

3. Qui in concursu præferunt dignum digniori, tenentur ad restitutionem, quia superior qui ad concursum vocat, pactum init cum concurrentibus de conferendo beneficio aut officio ei qui omnibus mature ponderatis alios superaverit: ergo tunc peccat contra jus dignioris: ergo contra utramque justitiam.

4. Judex aut magistratus, qui ex violatione justitiæ vindicativæ est in causa cur privati sua bona non possint recuperare, vel cur communitas gravia patiatur detrimenta, obligatur ad restitutionem; quia simul cum vindicativa violant justitiam commutativam, infinita sunt ejusmodi exempla.

## §. III. *De objecto Justitiæ.*

Quæres 1. *Quodnam sit objectum materiale justitiæ?*

*Resp.* Est res, vel actio debita & reddenda.

*Prob.* Illud est objectum materiale virtutis, circa quod ita versatur illa virtus, ut circa idipsum aliæ quoque virtutes versari possint; atqui talis est res vel actio debita & reddenda, cum religio, pietas, gratitudo versentur circa res Deo, parentibus, & benefactori debitas; ergo.

*Dices:* Justitia versatur etiam circa passiones quas debet moderari; ergo non tantum versatur circa actiones.

*Resp. dist. ant.* Versatur circa passiones moderandas *imperative*, *conc.*, *elicitive*, *nego ant.*

*Itaque* proprium officium justitiæ non est curare ne homo nimium irascatur, aut ne voluptates amet plus quam par est, sed ut unicuique præstet quod ei debitum est; sed cum possit per iram,

iram, amorem pecuniæ &c. a suo officio impediri, tamen ejus non est hæc impedimenta tollere per se ipsam, sed præsidio aliarum virtutum, quarum actus externos ad suum finem intrinsecum idoneos imperare potest, tuncque erit justitiæ imperatus.

Quæres 2. *Quodnam sit objectum formale justitiæ?*

*Resp.* Est res aut actio prout stricte debita & ad æqualitatem reddenda.

*Prob.* Objectum formale virtutis est objectum ipsum materiale prout consideratur sub respectu quodam speciali, sub quo ab aliis virtutibus non attingitur: atqui actio prout stricte debita & ad æqualitatem reddenda, ita spectatur a justitia, ut sub eodem respectu ab aliis virtutibus non attingatur; ergo &c.

## CAPUT II.

### *De Jure.*

Tres erunt hujus capitis quæst. 1. Erit de jure in genere. 2. De quinque speciebus juris, nempe de usu, usufructu, servitute, habitatione, & superficie. 3. Erit de præcipua juris specie, nimirum de dominio.

## QUÆSTIO I.

### *De Jure in genere.*

*Nota.* Jus triplici potissimum modo accipitur. 1. *Pro lege*, sic dicitur jus naturale, positivum &c. 2. *Pro re justa*, seu pro objecto justitiæ, quo sensu, res ad nos pertinens dicitur jus nostrum. 3. *Pro legitima facultate ad aliquid*, hoc ultimo modo hic sumitur nomen juris, de quo

Quæres 1. *Quid sit jus?*

*Resp.* Est legitima facultas ad aliquid vel faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum, cujus violatio injuriam constituit.

Dicitur 1. *potestas:* Quæ se habet in modum potentiæ activæ, ut quando est jus ad aliquid agendum vel retinendum; vel potentiæ passivæ, ut jus quod habes, ut alaris, ut tibi serviatur.

Dicitur 2. *legitima:* Id est, a lege concessa, quia facultas quæ non est conformis legi, non est jus, sed injuria; lex autem illa vel est naturalis, v. g. jus ad tuendam vitam; vel divina, v. g. jus ad Sacramenta percipienda; vel humana, v. g. jus ad præscribendum, acquirendum &c.

Dicitur 3. *Ad aliquid faciendum*, nempe circa rem alienam in suum commodum salva ejus substantia, v. g. jus transeundi per alterius fundum. Estque jus *servitutis*.

Dicitur 4. *Prohibendum*: v. g. ne aperiat fenestram in tuum hortum.

Dicitur 5. *Ad obtinendum*, v. g. hæreditatem, quia est filius.

Dicitur 6. *Ad aliquid retinendum:* v. g. pignus in securitatem debiti.

Dicitur 7. *Ad utendum re vel ea fruendum:* nimirum, salva ejus substantia; ut fit in usu, & usufructu.

Dicitur 8. *Ad disponendum de re:* ut fit per dominium, hæc descriptio continet speciem juris.

Quæres 2. *Quomodo dividatur jus?*

*Resp.* Dividitur in *jus in re*, & in *jus ad rem.*

*Jus in re*; Est jus quod quis habet in re jam sua & obtenta.

*Jus ad rem;* Est jus quod quis habet, ut res aliqua fiat sua.

Quæres 3. *Quænam requirantur ut aliquis habeat jus in re?*

*Resp. Tria.* 1. *Existentia rei*, cujus defectu Ecclesiastici non habent jus in re circa fructus suorum beneficiorum sequenti anno percipiendorum, licet habeant jus ad rem. 2. *Titulus* v. g. emptio, donatio &c. cujus defectu fures & usurarii non habent jus in re, circa pecunias furto vel usura acquisitas. 3. Traditio, cujus defectu emptor equi, pro quo pretium persolvit, non habet jus in re erga equum, quandiu equus non est illi traditus; habet tamen jus ad rem, ad quod acquirendum requiritur & sufficit titulus.

Quæres 4. *Quodnam discrimen intercedat inter eum qui habet jus in re, & eum qui habet jus ad rem?*

*Resp.* Ei qui habet jus in re, conceditur *actio realis;* ita ut res illa possit vindicari & repeti quocumque transierit; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta. Ei autem qui habet jus ad rem conceditur tantum *actio personalis* in eum qui illam rem debet, quia non res, sed persona est tunc obligata; tale est jus donatarii & emptoris ad rem donatam & emptam ante ejus traditionem; item, jus præsentati ac legitime electi ad officium, vel beneficium ante institutionem & possessionem.

*Nota: Actio* hic est jus prosequendi in judicio id quod vel suum est, & est actio realis; vel quod sibi debetur, & est actio personalis.

## QUÆSTIO II.

### *De quinque primis speciebus Juris;* nimirum de Usu, Usufructu, Servitute, Habitatione & Superficie.

## ARTICULUS I.

### *De Usu.*

*Nota.* Usus duplex est; nimirum *usus juris*, & *usus facti.*

*Usus juris*, est jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia.

Dicitur 1. *utendi tantum;* ut distinguatur ab usufructu, in quo non solum datur usus utendi, sed etiam jus fruendi, id est, omnes fructus percipiendi, dandi, vendendi; simplex usuarius autem re aliena uti non potest nisi pro se aut sua familia quantum quotidiana requirit necessitas; unde non potest ipsos fructus vendere, locare, dare, &c. (*Instit. de usu & Habit.*)

Dicitur 2. *Salva ejus substantia*; ut excludatur jus ad usum quo res consumitur vel alienatur, v. g. jus ad usum vini, olei, quod potius dici debet dominium quam usus.

*Usus facti*: Est actualis usus rei alienæ revocabilis ad nutum concedentis.

Dici-

Dicitur 1: *Actualis usus*: Per quod distinguitur ab usu juris quod dicit strictum jus utendi, & consequenter dominium saltem utile & indirectum importat.

Dicitur 2. *Revocabilis ad nutum concedentis* quovis momento & prout voluerit, sine injuria usuarii, donec ab eo res consumpta fuerit.

*Nota*, hinc celebrem ortam esse quæstionem occasione Regulæ Fratrum Minorum, quæ sic habet: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem* (*Reg. ff. Min. cap.* 6.) utrum scilicet simplex usus facti distinguatur a dominio in rebus unico actu consumptibilibus, ut sunt panis, vinum, oleum &c.

Dixi: *Unico actu consumptibilibus*: Ultro enim concedunt omnes usum rerum quæ pluribus actibus consumuntur, distingui a dominio, ut sunt vestes, libri, &c. Ratio est, quia quotidie earum rerum domini, usum ipsarum concedunt aliis, reservato sibi dominio. His diligenter notatis

*Dico*: *In rebus etiam unico actu consumptibilibus separabilis est usus facti a dominio.*

*Prob.* 1. Auctoritate Ss. Pontificum Nicolai III. (*Cap. exiit qui seminat de verbo signif. in* 6.) Clementis V. (*Clem. exivi de Paradiso*) Alexandri IV. (*Bulla, Uberes fructus, &c.*) affirmantium *Minoritas rerum unico actu consumptibilium tam in communi quam divisim simplicem tantum usum habere: earumque dominium penes donantes remanere, vel si dominium abdicaverint, penes sedem Apostolicam existere.* Ergo &c.

*Prob.* 2. Ratione; ut usus separetur a dominio in rebus unico actu consumptibilibus, sufficit ut quis possit earum usum concedere, non concesso dominio: atqui hoc non repugnat.

*Prob. min.* Potest quis concedere alicui usum rei pro nutu & arbitrio revocabilem: atqui hac facta suppositione (quæ nullatenus repugnat) qui usum habebit, non habebit dominium: Ergo.

*Prob. min.* Dominium est jus in re absolutum & firmum independens a cujuscumque nutu & arbitrio; ergo qui habebit usum pro arbitrio revocabilem, non habebit dominium; ergo usus rei unico actu consumptibilis potest separari a dominio.

*Confirmatur* exemplo convivæ, qui habet usum ciborum sibi appositorum; atqui tamen eorum dominus non est; utpote semper revocabilis talis usus ad nutum invitantis qui cibos mensæ appositos removere aut pauperibus elargiri potest sine injuria convivæ: ergo conviva habet usum sine dominio; ergo usus potest separari a dominio.

*Objicies* 1. Joannes XXII. (*Extrav. Ad conditorem*) negavit ejusmodi usum separari posse a dominio; ergo.

*Resp. nego conseq.* In hac enim controversia quæ ad fidem non spectat, potuit ab aliis dissentire absque præjudicio majoris probabilitatis, quam sibi vindicat nostra sententia.

*Præterea* Joann. XXII. confundit jus revocabile utendi rebus unico actu consumptibilibus, cum jure stricto utendi his rebus; ideo non mirum est quod censeat usum facti sic intellectum a dominio non distingui.

*Inst.* 1. Qui ita disponere potest de re aliqua, cujus substantiam possit destruere, verum illius habet dominium: sed qui re unico actu consumptibili potest uti, potest eandem destruere: ergo.

*Resp. dist. maj.* Si possit ipsam destruere *stricto jure & independenti*, *conc.* jure *dependenti* ab alterius revocabili concessione, quale habent Minoritæ, *nego maj.*

*Inst.* 2. Inde sequitur, Minoritas non habere jus utendi pane sibi concesso; ergo illis talis usus est illicitus, nec injustus est qui ipsis aufert.

*Resp. dist. ant.* Non habent jus *strictum & absolutum*, *conc. ant.* non habent jus *ab alieno nutu dependens* donec res ipso facto consumatur, saltem moraliter, ut fit in ipsa actuali comestione, *nego ant.*

*Objicies* 2. D. Thom. (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *in corp.*) docet in rebus unico actu consumptibilibus non posse concedi usum, quin concedatur *ipsa res ejusque dominium*: unde concludit, in mutuo usu talium rerum non posse exigi usuram, id est, pretium usus distinctum a pretio rei; ergo sentit *jus utendi*, non distingui in his a dominio.

*Resp.* D. Thom. loqui de usu juris independente ab alio, quod sane nihil vel parum distinguitur a dominio in rebus quæ unico actu consumuntur; nos vero de usu facti.

*Ergo inquies* pro pecunia licebit duplex pretium accipere, unum pro usu, aliud pro dominio: sed hoc aperit viam usuris.

*Resp.* 1. *nego.* Suppositum antecedentis, quod est falsum, cum in mutuo transferatur usus juris, non simplex usus facti.

*Resp. nego min.* Ut enim omnis tollatur usura, sufficit usus & dominium divisim sumpta, pluris vendi non debeant, quam si conjunctim venderentur; atqui sic se res habet; ergo.

Quæres: *Ad quid teneatur Usuarius?*

*Resp.* Tenetur 1. rem integram conservare proprietario; 2. non uti re concessa nisi ad suum usum quotidianum, unde si ipsum usum ejus vel partem daret, locaret, &c. teneretur de damno.

## ARTICULUS II.

### De Usufructu.

Quæres 1. *Quid sit Usufructus?*

*Resp.* Est jus utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia. (*Lib.* 1. *de Usufructu*).

Dicitur 1. *Jus utendi*: Ut excludatur jus quod habet creditor in pignore vel hypotheca; item depositarius in deposito; hi enim non possunt uti rebus illis, qui si utantur, tenentur ad restitutionem secundum æstimationem usus.

Dicitur 2. *Fruendi*: ut distinguatur usufructus a mero usu. Nam simplex usuarius habet solummodo usum rei; v. g. equi, domus, agri, silvæ *ad necessitatem quotidianam* (*Lib.* 12. *ff. de Usufr.*) sed usufructuarius non habet tantum jus utendi re illa in qua constitutus est usufructus, sed insuper *fruendi*, id est, percipiendi omnes fructus v. g. in *grege* lanam, lac, fœtus; *in fundo*, fœnum, segetes, lapides, salices, & omnes arbores cæduæ, gallice, *bois taillis*, arbores vero grandiores nisi valde vetustæ & inutiles, sicut & fructiferæ non censentur in fructu.

Item *usufructuarius* potest omnem utilitatem usu-

usufructus, & usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere sine consensu proprietarii. (*Ibid.*)

Dicitur 3. *Rebus alienis*: per quod distinguitur a dominio.

Dicitur 4. *Salva earum substantia*, quia fructuarius debet rem integram proprietario reservare: unde tenetur de damnis sua culpa proprietario illatis.

Quæres 1. *Ad quid teneatur fructuarius, ut salva maneat ei substantia?*

*Resp.* Ad quatuor sequentia.

1. *Si gregis usumfructum habeat in locum capitum demortuorum*, alia capita *e fœtu* quem percipit, *submittere debet.* (*Instit. de rer. divis.* §. 38.) quæ ubi substituta fuerint, cedunt in dominium proprietarii. Quod si non sit fructuarius gregis, sed tantum singulorum capitum divisim, non tenetur alia substituere capita. (*Leg* 70. *ff. de usufructu.*)

2. Si usufructus sit constitutus in sylva aut vinea, tenetur fructuarius *in locum demortuarum arborum, aut vitium alias plantare*, (*Leg.* 18. *ff. de usufructu*) *arbores vero vi tempestatis, non culpa fructuarii eversas, ab eo substitui non placet*: ait Justinianus. (*Leg.* 59. *eod. tit.*)

3. Si in ædibus sit constitutus usufructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, ut integræ permaneant: non tamen tenetur ad magnos sumptus, quibus efficiuntur meliores. (*Inst. de rer. divisione* §. 38.)

4. Ei incumbunt onera rei fructiferæ annexa, ut tributorum solutio.

Quæres 3. *Quomodo acquiratur usufructus?*

*Resp.* Acquiritur dupliciter. 1. *Legis dispositione*, talis est quem pater habet in peculio filii adventitio. 2. *Privata dispositione*, puta testamento, contractu. (*Inst. de usufr.* §. 1.)

Quæres 4. *Quomodo amittatur usufructus?*

*Resp.* Jure Romano amittitur 1. Per mortem fructuarii. 2. Per destructionem rei. 3. Per præscriptionem factam a directo domino.

In Gallia amittitur tum morte naturali tum morte civili. (*Loix Civiles*, *pag.* 155.)

## ARTICULUS III.

### *De Servitute.*

*Nota.* Servitus sumi potest active, vel passive.

*Servitus active* sumpta, est jus quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat: id est, ut in ea aliquid fiat, vel non fiat in suum commodum.

*Servitus passive* sumpta, est subjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat, in commodum alterius, salva rei substantia.

Quæres 1. *Quotuplex sit servitus?*

*Resp.* Duplex, realis & personalis.

*Realis* est ea, per quam res rei servit: ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi ius transeundi per tuum.

*Personalis* est ea, qua res personæ obligatur, vel persona rei. *Res quidem*, ut si habeam ius, non propter agrum, sed aliunde hac transeundi. *Persona vero rei*, ut si Titius agrum meum excolere debeat.

Quæres 2. *Quomodo dividatur servitus realis?*

*Resp.* Dividitur in *urbanam*, quæ prædio urbano debetur; et in *rusticam*, quæ prædio rustico debita est.

*Prædium urbanum* est omne ædificium habitandi causa confectum, sive in urbe, sive in villa, & hortus ei annexus. (*Leg.* 192. *ff. de verb. signific.*)

*Prædium rusticum* sunt ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum.

Quæres 3. *Quot sint servitutes tum urbanæ, tum rusticæ?*

*Resp.* 1. *Urbanæ* sunt 1. ut lignum in tuum parietem admittatur. 2. Ut stillicidium in tuas ædes recipiatur. 3. Ut murus altius non attollatur. 4. Ut fenestra in muro non aperiatur. (*Leg.* 2. *ff. de servit. præd. urban.*)

*Respond.* 2. *Servitutes rusticæ* aliæ sunt *nominatæ*, aliæ *innominatæ*.

*Nominatæ* sunt, *iter*, *actus*, *via*, *aquæductus.* (*Leg.* 1. *ff. de servit. præd. rust.*)

*Iter* est jus, quo pedes, aut eques potest transire, vel ambulare per alienum fundum; non tamen ducere jumentum aut vehiculum.

*Actus* est jus agendi vehiculum aut jumentum.

*Via* complectitur utrumque jus, itineris & actus.

*Aquæductus* est jus ducendi aquam per alienum fundum.

*Servitutes innominatæ* sunt jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, arenæ fodiendæ, calcis coquendæ &c. (*Dig. toto tit. de servit.*)

## ARTICULUS IV.

### *De Habitatione & Superficie.*

Quæres 1. *Quid sit Habitatio?*

*Resp.* Est jus habitandi in alienis ædibus salva earum substantia.

*Habitatio* est species ususfructus, cum is qui habet ius habitationis *non solum in ea per se degere possit, sed etiam aliis locare* (*Instit. tit. de habitatione*) quæ dispositio viget *in Gallia.*

Quæres 2. *Quid sit Superficies?*

*Resp.* Est jus quo quis alieni fundi superficiem possidet, & in eo ædificare potest.

*Superficiarius* habet dominium utile domus superficiariæ, dominus fundi habet proprietatem, unde superficies comprehendi potest sub usufructu latius sumpto.

## QUÆSTIO III.

### *De principaliori specie juris, nimirum de dominio.*

His nobis explicandum. 1. Quid & quotuplex sit dominium. 2. Quinam & quarum rerum habeant dominium. 3. Quibus modis acquiritur & trasfertur dominium. Triplici articulo.

## ARTICULUS I.

### *De Essentia & Divisione Dominii.*

Quæres 1. *Quid sit dominium in genere?*

*Resp.* Est jus gubernandi subditos, vel disponendi de re tamquam sua; unde duplex est dominium, *jurisdictionis*, scilicet, *proprietatis*.

*Dominium jurisdictionis* est legitima potestas gubernandi suos subditos liberos. Actus gubernandi sunt *præcipere*, *vetare*, *permittere*, *judicare*, *punire*, *præmiare*.

Dixi *liberos*: Qua mancipia pertinent ad dominium proprietatis. De hoc dominio hic non agitur.

*Dominium proprietatis* est jus disponendi de re tamquam sua, nisi lex vel pactum obsistat.

Dicitur 1. *disponendi de re tamquam sua*: id est suo nomine, in proprium commodum, & in omnem usum a lege permissum.

Dicitur 2. *Nisi lex vel pactum obsistat*: quia potestas dominii potest ligari a lege, vel pacto: sic pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum dominus, ut dicit Apostol. (*Ad Galat. cap.* 5.) nec debitor pignus quamvis sit ejus dominus ob pactum cum creditore initum.

*Dices*: Hæc definitio non datur per genus, cum dominium sit jus, & jus dominium; ergo &c.

*Resp. nego ant.* & ejus probationem. Quia *jus in re*, de quo hic, latius patet *dominio*; omne enim dominium est jus in re, non tamen omne jus in re est dominium. Nam v. g. usufructuarius habet jus in re circa agrum, depositarius circa depositum, non tamen habent dominium.

*Dices* iterum, Videtur implicare ut quis habeat jus disponendi de re tamquam sua, & tamen non liceat per legem.

*Resp. nego ant.* Aliud enim est jus disponendi, aliud actus disponendi: jus manet integrum, solus actus prohibetur a lege; qua prohibitione cessante non confertur novum jus & tamen constat esse jus perfectum disponendi de re; ergo jus illud non fuit ablatum per legem, sed solum fuit ligatum.

Quæres 2. *Quomodo dividatur dominium proprietatis.*

*Resp.* Dividitur in *plenum* seu *perfectum*, & *imperfectum*.

*Dominium plenum* est jus disponendi de re illiusque fructibus tamquam suis.

*Dominium non plenum* est jus disponendi vel de sola re, vel de solis emolumentis; unde subdividitur in directum, & utile.

*Dominium directum* est jus disponendi de re tamquam sua, non autem de fructibus rei; tale est dominium quod habet dominus in agro quem tradidit in emphyteusim.

*Dominium utile* est jus disponendi de fructibus rei, non autem de ipsa re: tale est jus quod habet emphyteuta in agro sibi in emphyteusim tradito.

Quæres 3. *Quænam requirantur ad dominii acquisitionem?*

*Resp.* Jure communi requiruntur ordinarie duo, scilicet *titulus* & *traditio*: titulus, quia est radix dominii; traditio, quia ex lege traditionis Cod. de pactis. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis tranferuntur.*

Dixi *Ordinarie*: Quia sunt certi casus, in quibus lex non requirit traditionem ad hoc ut acquiratur dominium.

1. Quando aliquid datur aut venditur, civitatibus, Ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captivorum. (*L. ult. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis.*)

2. In beneficiis jus in re acquiritur per solam collationem & acceptationem. (*Cap. Si tibi absenti. De præb. in* 6.)

3. In hæreditate, ut enim quis fiat dominus hæreditatis sive per testamentum, sive ab intestato, non requiritur aliud quam ut hæreditas adeatur (*L. cum hæredes; de acquir. vel amitt. possessione*). Aditur autem hæreditas dum acceptatur verbo vel facto (*Inst. de hæredum qualit.*). Imo in Gallia iu locis consuetudinariis nec necesse est ut hæreditas adeatur, sed hæres est Dominus hæreditatis statim a morte ejus, in cujus bonis succedit. Idem dicit jus de legato (*L. A Titio ff. de furtis.*)

4. In donatione sub ea conditione quod donatarius alimenta præbeat donanti; illo non præbente statim dans recipit dominium & passionem illius rei, absque ulla traditione. (*L.* 1. *Cod. de Trad. quæ sub modo.*)

*Nota*: Quod in his casibus, licet acquiratur dominium ante traditionem, non tamen acquiritur ejusdem possessio, quæ numquam ad nos pertinet nisi sit naturaliter apprehensa (*Naturaliter*, §. *de acquir. possessione*); sæpe enim accidit unum esse verum agri dominium, alium vero possessorem.

Quæres 4. *Quid sit Titulus?*

*Resp.* Est radix unde dominium aut jus quodvis oritur, v. g. emptio, donatio, successio hæreditaria, electio, collatio in beneficiis, &c.

Quæres 5. *Quotuplex sit Titulus?*

*Resp. Triplex*, verus nempe, coloratus, & præsumptus.

*Titulus verus* est ille qui a parte rei subsistit, & est vera radix dominii.

*Titulus coloratus* est ille qui bona fide creditur esse verus, licet ob latentem aliquem defectum talis non sit: v. g. venditio ab eo facta qui rei venditæ dominus merito credebatur, licet talis non esset.

*Titulus præsumptus* ille est, quem jus ob temporis diuturnitatem intervenisse supponit & præsumit, cum tamen forte non intervenerit; unde est potius defectus tituli, quam titulus.

Quæres 6. *Quid sit possessio?*

*Resp.* Possessio prius dividenda videtur quam definienda, ut omnis tollatur æquivocatio. Itaque Possessio alia est facti, alia juris

*Possessio facti* est apprehensio rei, corporis, animi & juris adminiculo.

Dicitur 1. *Apprehensio* vel prima, quæ est possessionis acquisitio; vel continuata, quæ est rei detentio.

Dicitur 2. *rei*: Sive corporeæ ut ager; sive incorporeæ ut beneficium, census, servitus, &c.

Dici-

Dicitur 3. *Adminiculo corporis:* quia ut res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi vel in se, v. g. manibus, pedibus, oculis; vel in alio, in quo censeatur contineri; v. gr. scriptura, instrumento publico, clavium traditione, &c. quæ fit manu & pede. Dicitur *vera*, quæ fit; alio modo vocatur *ficta*, quia eo in actu juris fictione censetur res apprehensa.

Dicitur 4. *Animi:* Quia debet eam apprehendere animo possidendi: unde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Dicitur 5. *Juris*; non quod omnis possessio facti sit justa, nam fur vere possidet rem furto ablatam, sed quia jus facit ut talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem, nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei sacræ per Laicum censeatur possessio. (*L. Qui universos de acquir. & admitt. possessione.*)

*Possessio juris* est jus insistendi rei tamquam suæ non prohibitæ possideri.

Dicitur 1. *Jus*: Ut excludatur possessio facti, quæ est quasi acquisitio possessionis, ex qua oritur hoc jus, si justa fuerit; quod si ista acquisitio sit injusta, non oritur ex ea jus in conscientia, sed tantum in foro civili.

Dicitur 2. *Insistendi rei:* Ut excludatur dominium quod per se & formaliter est tantum jus disponendi de re; propria autem ratio juris possidendi est, quod possessor possit rem pacifice tenere, & juris remediis tueri adversus perturbantes, quod hic dicitur *insistere rei.*

Dicitur 3. *Tamquam suæ*: Quia si quis insistat nomine alterius, non erit vera possessio, unde tutor non est possessor bonorum pupilli, quia tutor non possidet, sed pupillus possidet per tutorem.

Dicitur 4. *Non prohibitæ possideri:* Quia ubi lex possessionem prohibet, nullum est jus possidendi; sic Laicus jus decimas possidendi non potest acquirere.

Quæres 7. *Quomodo iterum dividatur possessio?*

*Resp.* In civilem & naturalem.

*Possessio civilis* est ea, quæ res corpore & animo apprehensa solo animo retinetur; sic possidet res suas qui ab eis abest.

*Possessio naturalis* est ea, qua res corpore & animo occupatur; ut cum quis rem occupat de facto vel per se, vel per alium, quam etiam retinere cupit; diciturque naturaliter & civiliter possidere, & hæc possessio est firmissima secundum jura; aliquando possessio *naturalis* separatur *a civili*, ut quando fur occupat rem meam: tunc enim ego civiliter, ille naturaliter possidet; & hæc possessio est infirma; valet tamen ad hoc ut quis non possit ab extraneo deturbari, & interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publica.

*Dices:* Fur non tantum *naturaliter*, sed etiam *civiliter* possidet rem furtivam, quia corpore, quia animo retinet ut suam; ergo.

*Resp. nego ant.* Quia secundum jura, quis dicitur naturaliter tantum possidere, quando rem ab alio civiliter possessam occupat, etiamsi habeat animum retinendi.

Aliqui hic addunt tertiam possessionis speciem quam vocant *civilissimam*, & est ea qua legum dispositione transfertur possessio etiam inscio, absque ulla vera vel ficta apprehensione; sic in Gallia possessio defuncti transit in ejus hæredem etiam extraneum sine ullo apprehensionis actu.

## ARTICULUS II.

*Quinam & quarum rerum habeant dominium.*
Seu *de Subjecto & objecto dominii.*

*Nota.* Satis evidens est solum & omnem hominem esse dominii capacem, cum solus & omnis homo ratione & libero arbitrio (quæ totius dominii fundamentum sunt) sit præditus, & ipsis mediantibus capax sit saltem in actu primo de rebus externis tamquam suis disponere.

*Dixi* 1. *Omnis*, sive justus & fidelis, sive peccator & infidelis, ut contra Wiclefum & Joann. Hus definivit Ecclesia (*In Conc. Constantiensi*, *Sess.* 6.): ratio est quia in ipsis est fundamentum dominii, ratio nempe, & voluntatis liberum arbitrium.

Dixi 2. *Saltem in actu* primo. Nam actualis rationis usus ad dominium non requiritur, ut constat in parvulis & perpetuo amentibus, qui bonorum suorum veri sunt domini, licet eorum administrationem non habeant, juxta illud Apostoli (*Ad Galat.* 4. *vers.* 1.): *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo cum sit dominus omnium.* Licet enim non disponant per se de suis bonis, disponunt per alium, quod sufficit.

Exponendum ergo superest quarum rerum homo sit dominus.

Quæres 1. *Quarum rerum homo, prout homo, sit dominus?*

*Resp.* Homo innocens a homino omnium creaturarum inferiorum accepit dominium juxta illud, *faciamus hominem ut præsit* (*Genes.* 1. *vers.* 26.). Verum post lapsum hominis dominium illud remansit quidem in genere humano *terram autem dedit filiis hominum* (*Psalm.* 113.); sed non in quolibet individuo; quia post peccatum facta fuit rerum divisio quam humanæ leges & consuetudo firmarunt.

Quæres 2. *An homo sit dominus suæ famæ?*

*Resp. affirm.* Ille enim famæ suæ dominus est, cui competunt primarii actus domini circa famam: atqui, &c. potest enim homo famam & honorem sibi acquirere, ablatam in judicio repetere, restitutionem ejus condonare; ergo homo est dominus suæ famæ, *nisi* ait Div. Thom. *id vergat in alterius nocumentum* (*quæst.* 73. *art.* 4. *ad* 1.)

*Dixi: Nisi id vergat in alterius detrimentum*: vergit autem. 1. Cum ex infamia unius sequitur alterius infamia, sic fama patris, prælati, imo simplicis religiosi non potest violari quin infametur filius & communitas, 2. Cum ex infamia sequitur scandalum proximi, & hoc locum maxime habet in Sacerdotibus, qui sive ex officio, sive ex charitatate tenentur officium præstare proximo, ad quod necessaria est fama. Hoc sensu intelligendum est illud *curam habe de bono nomine* (*Eccl.* 41. *vers.* 15.) & illud Augustini; *nobis necessaria est vita nostra, proximis fama nostra* (*L. de bono viduitatis cap.* 22.).

*Dices:* Possemus condonare mutilationem membri;

bri; atqui tamen non inde sequitur quod simus domini membrorum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Possumus condonare pro damno secuto ex mutilatione, *conced. maj.* membri enim habemus dominium utile, quo privamur per mutilationem; possumus condonare mutilationem membri quoad dominium directum, *nego maj.* unde si restitui posset, non possemus condonare, fama autem restitui potest.

Quæres 3. *An homo possit esse dominus alterius hominis?*

*Resp.* 1. Homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem; omnes enim homines jure naturæ sunt pares, cum sint ejusdem naturæ, ex eodem parente & ad eundem finem conditi.

*Resp.* 2. Jure tamen gentium & civili potest quis effici servus (*Gallice esclave*) ut patet *Exodi* 21. *Levitici* 25. ubi conceditur Israelitis ut alteri in servum perpetuum se tradant.

*Porro*, Aliquis alterius servus effici potest dupliciter.

1. *Voluntarie*, Ut si homo se ipsum vendat sive ut se ab infeliciori statu eripiat, sive ut succurrat proximo, quomodo teste S. Gregorio, fecit sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, qui servum se fecit ut viduæ cujusdam filium a servitute redimeret.

2. *Ex justa necessitate.* Et hoc quadrupliciter 1. Ratione *nativitatis*, quando quis ex matre serva nascitur, etiam si pater sit liber, quia *partus sequitur ventrem* (*Patrum. Cod. de rei vindicatione*). 2. Ratione *delicti*, ut si quis servitute puniatur in pœnam delicti commissi (*Cap. Ita quorumdam de Judæis, & Saracenis*). 3. Ratione *justi belli*, cum enim bellum conferat jus hostes interficiendi, a fortiori confert jus eos in servitutem redigendi. 4. *Jure paterno*, ut si pater ob gravem necessitatem filium vendat, quod non potest facere nisi cum pacto de retrovendendo cum ad meliorem fortunam devenerit. (*L. 1. & 2. ff. de patribus qui filios suos distraxerunt.*)

Cum servitus non vigeat apud nos, prætermitto varias quæstiones de ipsa agitari solitas.

Quæres 4. *An homo sit dominus vitæ & membrorum?*

*Resp.* Homo habet quidem in vitam & membra dominium utile, cum sine cujusquam injuria possit uti vita & membris ad omnem usum lege permissum; sed non habet dominium *directum*: solus enim Deus, *vitæ & necis habet potestatem* (*Sapientiæ* 16. *vers.* 23.).

Ratio est, quia dominium non est, nisi in res distinctas & inferiores; atqui vita & membra non sunt distincta a nobis, nec nobis inferiora; ergo. Ex quo concluditur, hominem non posse se occidere directe, aut mutilare nisi ad conservationem sui ipsius.

*Dixi* 1. Non licere homini se occidere *directe*: quia ipsi licitum est, justa de causa, aliqua facere vel omittere, ex quibus mors probabiliter, *indirecte*, est secutura; sic pastor licite & laudabiliter vitam suam periculo exponit, ut peste infectis Sacramenta administret; item miles stationem suam custodiens in bello justo hostem aggrediens, &c.

*Objicies can. non est nostrum* (*Causa* 23. *quæst.* 5.) sic habetur: *in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur;* ergo ad vitandum stuprum, fornicationem, &c. licet se occidere.

*Resp. nego conseq.* Et dico in hoc can. particulam, *absque eo*, non esse exclusivam, sed inclusivam, quomodo sumitur Cantic. 4. *quam pulchra es amica mea, absque eo quod intrinsecus latet:* unde sensus est; *illicitum est se occidere, atque etiam id remanet illicitum ubi castitas periclitatur.*

Quod si quædam virgines ad vitandum stuprum se dederint præcipites, vel fecerunt ex speciali Dei instinctu; vel putantes (secundum quosdam) hoc esse licitum, ex ignorantia invincibili, a peccato excusante.

*Dixi* 2. Hominem non posse se mutilare; *Nisi ad conservationem totius;* quia cum pars sit propter totum, ratio naturalis dictat ipsam posse abscindi pro salute totius. Ad hoc tamen nemo tenetur si ingentes dolores sint sustinendi, cum media adeo difficilia, quis non obligetur adhibere, nisi ejus vita bono communi necessaria censeatur.

*Colliges* graviter peccare qui se ipsos castrant ad vincendas carnis tentationes, gravius qui seipsos castrari permittunt, aut parvulos castrari jubent, ad vocis suavitatem retinendam.

Quæres 5. *Quarum rerum filii familias nondum emancipati, dominium habere possint?*

*Nota*, Bona filiorum familias esse quadruplicis generis, nimirum castrensia, quasi castrensia, adventitia & profectitia.

*Castrensia* sunt ea quæ in militia, vel occasione militiæ, item quæ in obsequio Principis in aula ejus exhibito, vel in custodia alicujus arcis etiam tempore pacis, acquiruntur.

*Quasi castrensia* sunt ea quæ filius familias acquirit 1. Ex beneficio Ecclesiastico, imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiamsi alias esset adventitium (*Authentica Presbyteros, cod. de Episc. & Presbyt.*) quod maxime notandum. 2. Ex officio publico non mechanico, v. g. Judicis, Advocati &c. 3. Ex professione scientiæ & artis liberalis. Vocantur quasi castrensia, quia gaudent privilegio castrensium.

*Adventitia* sunt ea, quæ neque a patre, neque intuitu patris adveniunt filio, sed aliunde, puta successione in bona materna, amicorum donatione, inventione thesauri, labore artificiali. Dicuntur *adventitia* respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

*Profectitia* sunt ea, quæ filius acquirit vel ex bonis patris, v. g. ea administrando aut ex iis negotiando; vel intuitu patris, v. g. si quis daret aliquid filio ob amicitiam & obsequium patris. His diligenter notatis

*Resp. Filiifamilias* bonorum castrensium & quasi castrensium habent plenum ac perfectum dominium; adventitiorum habent quidem dominium directum, sed pater habet eorum usumfructum & administrationem; excipitur a jure. 1. Si pater huic usufructui renuntiaverit; 2. Si hæc data sit filio ea conditione ne usufructus patri concedatur. 3. Si filio non sit relictus nisi usufructus, quia super usumfructum non potest statui alius ususfructus. Profectitiorum vero filii familias nec directum nec utile habent dominium, sed penes pa-

patrem remanet; ratio horum omnium est dispositio juris. ( *Lib.* 2. *Instit. in tit.* 9.)

Quæres 6. *Utrum bona a filiisfamilias in domo paterna proprio labore comparata, profectitia sint, an adventitia?*

*Lib.* 6. Si filius familias ex solis operibus artificialibus lucrum reportaverit, illud erit *adventitium*, ac proinde poterit illud retinere, vel recuperare post patris obitum, deductis tamen alimentis a patre susceptis, quia pater non tenetur alere filium habentem propria, ita Cabassut. (*Lib.* 6. *c.* 4. *not.* 6.) qui asserit omnes Doctores in hoc puncto esse unanimes, & probat *ex Lege penult. ff. de obseq. parentibus præbendo*, quæ sic habet: *pietatem liberi parentibus, non operas debent*, intellige nisi pauperes sint.

*Resp.* 2. Si filius in domo patris remanens, aliquid lucratus fuerit ex ejus bonis, ejusque nomine negotiando, illud lucrum pertinet ad patrem tamquam profectitium, quia ex pietate debet patri ejusmodi servitia; si tamen protestetur vel expresse, vel tacite se velle salarium, nec teneatur patrem alere, quia non indiget, tunc, *ait Cabassut. cit.* habet jus in patrem hujusce lucri, quia hoc peculium in hac hypothesi non est omnino profectitium, sed mixtum ex profectitio quoad bona paterna, & adventitio, ratione proprii laboris; bona autem adventitia pertinent ad filium, qui consequenter si clanculum servaverit summam labore suo non majorem, eam retinere potest, ait Pontas. ( *Verbo Compensatio, cas.* 6. ) Hic casus cum sit quotidianæ praxis, est maxime notandus.

Quæres 7. *Quarum rerum uxores possint habere dominium?*

*Nota:* Bona uxoris sunt triplicis generis, nempe paraphernalia, doralia, & communia.

*Paraphernalia* definiuntur a Polmano, *bona superaddita doti uxoris*, nempe quæ uxor in contractu dotali sibi servavit, vel quæ contracto matrimonio acquisivit, sive donatione, sive legato &c.

*Dotalia* sunt ea, quæ uxor tradidit marito ad sustentanda onera matrimonii.

*Communia* sunt ea, quæ tempore matrimonii, communi labore & industria, sunt acquisita.

*Resp.* 1. Uxor habet dominium perfectum bonorum paraphernalium jure communi. ( *Cod. de pactis conventis.* ) Servanda tamen est locorum consuetudo.

*Resp.* 2. Uxor habet dominium directum dotis, maritus vero administrationem & usumfructum. ( *L.* 7. *digesti* ).

*Resp.* 3. Bonorum communium uxor habet proprietatem pro dimidia parte, sed administratio & usufructus sunt mariti.

*Sequitur* ex dictis

1. Uxorem peccare contra justitiam, & teneri restituere viro vel ejus hæredibus, si aliquid de bonis communibus, aut dotalibus surripiat aut impendat invito rationabiliter domino; in quo tamen maritus plus indulgere solet uxori, quam extraneis.

*Dixi*, *invito rationabiliter domino:* uxor siquidem de bonis communibus vel dotalibus aliquid absque furto subripere potest. 1. Ad modicas & statui suo convenientes eleemosynas faciendas, nisi tamen vir sufficientes largiatur. 2. Ad impedimentum grave damnum familiæ, v. gr. si maritus sit prodigus. 3. Ad vitandum damnum mariti; quia tunc negotium mariti utiliter gerit. 4. Ad necessitatibus suis aut liberorum, quibus subvenire renuit maritus, subveniendum. 5. Ad subveniendum patri, matri, aut proli ex alio matrimonio, si indigeant quoad vitam vel statum, quia hæc obligatio est naturalis; tenetur tamen uxor ea quæ sic dedit, in partem suam referre, cum ad partitionem cum hæredibus viri deveniendum erit. Ratio horum est quia maritus consentire censetur, vel saltem non est rationabiliter invitus.

*Sequitur* 2. Maritum peccare contra justitiam & teneri ad restitutionem uxori, vel ejus hæredibus. 1. Si dilapidat ejus dotem; 2. Si accipiat aut impendat bona paraphernalia uxoris. 3. Si bona communia notabili quantitate, invita uxore, prodige donet, ut docent communiter Doctores contra Habert ( *part.* 1. *pag.* 104. ) Nam licet bonorum communium administratio sit penes maritum, tamen proprietas mediæ partis illorum ad uxorem jure communi pertinet: ac proinde maritus facit ei injuriam, partem ipsius, ipsa rationabiliter invita, profundens.

Quæres 8. *An servi habeant aliquarum rerum dominium?*

*Resp.* Jura civilia non videntur illis ullum dominium concedere, sed quidquid acquirunt quavis causa, dominis acquirunt: ait enim Justinianus, *servus nec est dominus vestimenti quotidiani, quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest* ( *L. Id vestimentum, ff. de peculio* ). Verum ista severitas consuetudine legitima est mitigata, unde licet non habeant dominium fructuum laboris, tamen possunt in quibusdam casibus habere aliquod dominium etiam perfectum.

1. Si dominus aliquod peculium ipsis concedat, vel permittat.

2. Si aliquid eis detur ea conditione, ut non acquiratur domino.

3. Si aliquid de bonis propriis, ludo aut aliqua negotiatione sine domini detrimento lucrentur, vel si præter opera præscripta, alia faciant lucrativa.

4. Si aliquid eis detur pro compensatione injuriæ illis illatæ in bonis, quorum sunt domini, v. gr. in fama.

*Hinc* servus differt a Religioso solemniter professo, qui prorsus incapax est dominii.

*De dominio* Clericorum agemus in Tractatu de beneficiis Religiosorum, in Tractatu de statu Religioso.

## ARTICULUS III.

*De modo quo acquiritur & transfertur dominium.*

*Nota.* 1. Supponit hujus articuli titulus, factam esse rerum divisionem, circa quam sequentia ut certa sunt tenenda.

1. Rerum divisio fuit *conveniens:* quia agri inculti remansissent; si enim homo natura segnis, propria negligit, quanto magis communia negligeret?

2. Rerum divisio est *justa:* quia scriptura eam approbat: præcipit enim dare eleemosynas, debita

ta solvere, prohibet furari; hæc autem omnia supponunt rerum divisionem.

*Dices*: Rerum divisio videtur jure naturali prohibita; quia jure naturæ omnia sunt communia; ergo est injusta.

*Resp. nego* 1. *ant. distinguo ejus probationem.* Omnia sunt communia jure naturali *positive*, *nego; negative*, *conced.* Non itaque sunt communia hoc sensu quod jus naturale præcipiat rerum communitatem, sed negative, hoc sensu quod non constituerit rerum divisionem; sed potestatem fecerit omnibus utendi qualibet re priusquam ab aliquo sit occupata, quod jus etiamnum durat.

*Inst.* S. Clemens docet per *iniquitatem factum esse, ut quisque haberet propria* (*Cap. dilectissimis* 12. *quæst.* 1.) ergo.

*Resp. dist.* Per iniquitatem *occasionaliter*, quia occasione sumpta ex iniquitate peccati originalis introducta fuit rerum divisio, *conc. formaliter*, quasi ipsa divisio fuerit injusta, *nego.*

*Itaque* S. Clemens hac ratione hortatur fideles Jerosolymitanos ad possessionem rerum in communi quoad usum, ex eo quod hæc vita sit consentanea statui innocentiæ, in quo omnia debebant esse communia; rerum autem divisio orta sit occasione peccati.

3. Rerum divisio facta est *ab initio mundi;* Abel enim & Cain ex bonis sibi propriis sacrificia Domino obtulerunt.

4. Facta est divisio *jure gentium;* nam jus gentium est illud quod communi omnium nationum consensu introductum est; atqui eo consensu factum est ut alii hanc, alii illam terræ partem sibi retinerent, quam ipsi priores occupaverant; ergo.

*Nota* 2. Bona vel sunt sub dominio alicujus, vel sub nullius sunt dominio.

Quæ sunt sub dominio alicujus, possunt acquiri, volente domino, vel eo invito; *volente domino* acquiruntur per contractus; *invito domino* acquiruntur jure justi belli, sententia judicis ob crimen, & tandem præscriptione; de bello & sententia judicis alibi dicemus.

Quæ sub nullius sunt dominio, vel nunquam habuerunt aut censentur habuisse dominum & acquiruntur *occupatione*, vel habuerunt dominum & acquiruntur *inventione.* Ut quodam ordine procedamus, disseremus

1. De acquisitione dominii per *occupationem.* 2. Per *inventionem.* 3. Per *præscriptionem.* 4. Per *contractus*, quadruplici Sectione.

## SECTIO PRIMA.

### *De acquisitione dominii per occupationem.*

*Nota.* Occupatione acquiruntur 1. Animalia; 2. Gemmæ, venæ metallicæ, &c. 3. Sylvæ communes & pascua.

### §. I. *De occupatione animalium.*

Quæres 1. *Quomodo acquiratur dominium animalium?*

*Nota.* Animalium alia sunt natura sua fera & sylvestria, ut cervi, lepores, &c. alia mansueta, ut oves, boves, gallinæ domesticæ, &c. alia cicurata ex feris, ut cervi quos domi nutrimus, pavones, columbæ domesticæ; alia retinent indolem sylvestrem.

*Resp. & dico* 1. Animalia ex natura sua mansueta & domestica, quantumvis aberrent & fugiant, non licet occupare (*§. Gallinarum instit. de rerum divers.*) Ratio est quia cum sint natura sua domestica, licet fugerint, non tamen ideo recuperant libertatem; ergo sunt prioris domini. Quare ubicumque inventa fuerint, dominis sunt restituenda, imo etiamsi capta a lupo, qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit, *ait Lessius.* (*L.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 6.)

*Dico* 2. Animalia fera seu sylvestria, usu mansuefacta, non licet occupare quamdiu consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in potestatem domini; quod si amittant consuetudinem redeundi, fiunt *occupantis* (*§. Pavonem eodem titulo*). Ratio est quia in casu non censentur recuperasse naturalem libertatem quam in 2. recuperarunt, ac proinde non amplius sunt in potestate prioris domini; ergo sunt primi occupantis. Hinc

*Inferes* 1. Si in columbario tuo appositis illecebris attrahas aliorum columbas, teneris ad restitutionem; quod si columbæ alterius sponte & sine fraude (quia v. g. melius pabulum eis das, vel commodiori loco collocas) se aggregent columbis tuis & consuetudinem redeundi in proprium columbarium amittant, sunt tuæ. Dicuntur autem consuetudinem redeundi deseruisse, *si bis, terve tempore consueto non redeant*, ut docet Navarrus. (*Cap.* 17. *num.* 128.)

*Inferes* 2. Examen apum quamvis avolet ex alveario tuo, tamen tuum manet quamdiu in tuo conspectu versatur, nec difficilis est ejus prosecutio; alioquin occupantis fit, sunt verba Justiniani. (*Instit. de rerum divis.*)

*Dico* 3. Animalia omnino fera & sylvestria in loco publico & non circumsepto vagantia (idem dic de piscibus) fiunt *primi occupantis*, etiam contra voluntatem Principis venationem prohibentis; licet enim piscatores aut venatores quandoque graviter contra obedientiam peccent transgrediendo Legem justam Principis, non tamen peccant contra justitiam; unde fiunt domini prædæ, nec ad restitutionem tenentur.

Dixi, *In loco non circumsepto;* si enim sit circumseptus, pisces & feræ censentur esse domini illius loci.

Quæres 2. *Cujus sit fera ab uno læsa, ab alio capta?*

*Resp. Justinianus* (*§. Item quæsitum. Inst. de rer. divisione*) *eam esse capientis:* verum hæc dispositio non viget *in Gallia*, ubi fera vulnerata est vulnerantis eam insequentis cum morali certitudine quod eam sit apprehensurus, quia tunc moraliter per vulnus inflictum est apprehensa; sanxit autem *Henricus IV.* ut qui feram excitavit in fundo in quo habet jus venandi, & a fortiori qui vulneravit, eam possit in alieno fundo insequi, donec vel capta sit, vel omnino evaserit.

Quæres 3. *Ad quem pertineat fera laqueo, item piscis retibus inhærens?*

*Resp.* Si inhæreat *inextricabiliter*, est laqueum & rete

& rete ponentis, quia est occupata per instrumentum; si *extricabiliter*, est primi occupantis, propter contrariam rationem.

Quæres 4. *Si fera quam insequor, cadat in laqueum tuum, cujus erit?*

*Resp. Cum Tournely* (*T. de justitia pag.* 2. *c.* 1. *de Dominio*), si aliter occupaturus eram, quod ex inflicto vulnere debet dijudicari erit mea; si vero occupaturus non eram, erit tua: in dubio melior erit conditio primo occupantis juxta multos (*Lessius*, *Becanus*, *&c.*), juxta alios debet dividi.

### §. II. *De occupatione lapillorum, gemmarum, fodinarum plumbi, ferri, venarum auri, argenti, &c.*

Quæres 1. *An lapilli, gemmæ, ambrarum, coralium, &c.* quæ in littore maris inveniuntur, sint primo occupantis?

*Resp. Cum Justiniano* (*L.* 2. *tit.* 1. §. 18. *lapillorum*) *affirm.* Ratio est quia nullius sunt. Hæc dispositio viget in Gallia, ait Tournely hic.

Quæres 2. *Ad quem pertineant Lapidicinæ, gallice*, Carrieres, *fodinæ plumbi, ferri, quæ sunt in fundo alicujus?*

*Resp.* Pertinent ad dominum fundi, quia vel sunt pars fundi, vel ejus fructus. Idem dic de venis metallicis auri & argenti spectato solo jure naturali & gentium, quia sunt fructus fundi cum in eo crescant, vel sunt ejus partes; tamen secundum Jus Gallicum pertinent ad Regem compensato solo damno, quod infertur loco. (*Vide Chopin. de doman. l.* 2. *tit.* 5.)

### §. III. *De pastione & lignatione in sylvis communibus.*

Quæres 1. *An Princeps possit prohibere pastionem & lignationem in pascuis & sylvis communibus?*

*Resp. affirm.* Quia id aliquando expedit bono publico; atqui Princeps potest præcipere, vel prohibere quidquid expedit bono publico.

*Resolves*: Qui contra justam prohibitionem lignant in his sylvis, vel animalia in eas introducunt, peccant mortaliter; si inde grave damnum Reipublicæ inferant, tenentur ad restitutionem erga Rempublicam, sive sint extranei, sive incolæ; si vero non ita graviter noceant, censet Lessius (*L.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 14.) non nisi venialiter peccare, nec ad restitutionem teneri si sint incolæ; quia alias ius habent, & communitas censetur remittere non notabilem injuriam, contenta multa pecuniaria si in furto capiantur.

*Excusantur* tamen pauperes, si ex his precise necessaria usibus suis asportent, nec notabile damnum inferant, quia communitas id pauperibus suis membris indulgere censetur, *ait Paulus a Lugduno.* (*Dissert.* 2. *c.* 6. *de domin.*)

Quæres 2. *Quid sentiendum de pauperibus, qui ligna cædunt in sylvis quæ ad Regem vel alios privatos pertinent?*

*Resp.* Eos fures esse & ad restitutionem teneri pro ratione rei ablatæ, vel damni illati (quod sæpe multo pluris est quam res succisa valeat), est enim ablatio rei alienæ invito domino nisi habeant consensum expressum vel tacitum proprietariorum qui supponitur. 1. Si proprietarius non soleat curare restitutionem, sed satis ei sit ut comprehensi mulctam luant. 2. Si Domini non possint sine immanitate huic asportationi obsistere; hinc

*Inferes*: licitum esse pauperibus colligere minuta, quæ jacent ligna mortua (gallice *bois mort*), item ligna caduci roboris (gallice *mort bois*) in usum proprii foci; ratio est quia domini non sunt tunc inviti, vel sunt irrationabiliter inviti.

De jure pascendi tacere cogor, quia variatur pro diversitate locorum, unde consuetudo & leges municipales in his servandæ sunt.

## SECTIO II.

### *De acquisitione dominii per inventionem.*

*Nota.* Acquiruntur inventione 1. Thesaurus; 2. Res nuper amissa; 3. Bona vacantia & derelicta.

### §. I. *De Inventione Thesauri.*

Quæres 1. *Quid sit Thesaurus?*

*Resp.* Definitur in Jure (*L. nunquam ff. de acquir. rer. dominio*): *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria ut jam dominum non habeat.*

*Dicitur* 1. *vetus*: alias non esset Thesaurus, sed res inventa.

*Dicitur* 2. *pecuniæ*: quo nomine intelliguntur gemmæ, annuli, vasa argentea, &c.

Quæres 2. *Cujus sit Thesaurus inventus?*

*Resp.* 1. Jure naturali & gentium totus est inventoris; nam quæ nullius sunt, his juribus fiunt primo occupantis. Quod verum est, *ait Lessius* (*L.* 2. *c.* 5. *de dubit.* 15.) etiam si possit sciri, a quorum majoribus sit conditus, quia quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cujusquam.

*Resp.* 2. Jure civili Romano sequentia sunt tenenda. (*L. nunquam ff. de acquir. dominio.*)

1. *Thesaurus* in fundo proprio inventus, totus est inventoris; si arte magica sit inventus, totus est fisci, non tamen ante sententiam Judicis, *ait Lessius citans Navar.* quia hæc dispositio est pœnalis, & lex ferendæ sententiæ, ut patet eam legenti.

2. *Inventus* in fundo alieno casu fortuito, media pars fit inventoris, & altera domini fundi, sive sit Princeps, sive privatus, & hoc ante sententiam Judicis; quia hæc dispositio est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum. (*Lege unica c. de Thesauris.*)

3. *Inventus* in fundo alieno, absque consensu domini, totus adjudicatur domino fundi; non tamen inventor tenetur dare totum ante sententiam Judicis; sed sufficit, si det dimidiam partem, quia hæc dispositio est pœnalis, ad puniendam injuriam factam domino fundi, quærendo in ejus fundo.

4. *Inventus* in platea, foro, via publica, fortuito vel industria juxta multos totus est inventoris, ita Lessius citans Covarruviam, Balduin. & alios quosdam; juxta multos debet dividi [illegible], hic standum est consuetudini.

5. *Inventus* in loco sacro fortuito, totus est inventoris; si data opera inventus sit in tali loco, dimidium cedit Ecclesiæ. (*Leg. unica cod. de Thesaur.*)

*Cæterum* in his spectandæ sunt speciales locorum Leges & servandæ, juxta D. Thom. (2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 1.) unde

*Resp.* 3. In Gallia hæc de Thesauris sunt tenenda:

1. Si Thesaurus inventus sit in via publica, media pars cedit inventori, altera Regi, aut viarum curatoribus, gallice *Voyers*.

2. Si in loco proprio, media pars cedit inventori, altera Dynastæ, gallice *Haut justicier*, vel Regi, si solus in illo loco altiorem illam potestatem exerceat.

3. Si in alieno fundo inveniatur, in tres partes æquales dividi debet, quarum prima erit inventoris; secunda domini fundi; tertia Dynastæ (*D. Bignon in oratione habita in Senatu Parisiensi anno* 1636.) Semper tamen debet consuetudo indagari.

Quæres 3. *An qui sciens in agro alieno latere thesaurum, emit agrum illum, acquirat dominium illius thesauri?*

*Resp.* Si ante emptionem invenit thesaurum puta fodiendo, media ejus pars pertinet ad dominum fundi si casu fortuito invenit; si vero data opera, totus adjudicatur domino fundi, juxta superius dicta, quia thesaurus est in fundo alieno. Quod si ante emptionem scivit, sed nondum effodit, acquirit dominium totius thesauri; & hoc insinuatur in hac Parabola, *simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*, &c. (*Matth.* 13. *v.* 44.). Et ratio est, quia invenit in proprio fundo: Nec tenetur pretium agri augere, quia thesaurus latens nec fructus est, nec pars substantiæ agri.

Quæres 4. *Quid dicendum sit de virga corylli quam divinatoriam vocant, & qua plures utuntur ad indagandos Thesauros & fontes?*

*Resp.* Superstitiosus est usus virgæ *divinatoriæ*.

*Prob.* 1. Quia liber, cui titulus, *La Physique occulte* ou *Traité de la Baguette divinatoire* Romæ 26. Octobr. *a Clem. XI.* damnatus est eo quod in ipso hujus virgæ usus asserebatur ab omni superstitione immunis; ergo ejus usus est superstitiosus, ut fuse probant *P. Malebranchius* & *P. le Brun.*

*Prob.* 2. *Ratione.* Causa naturalis semper in iisdem circumstantiis eodem modo agit: atqui virga divinatoria non semper eodem modo in iisdem circumstantiis agit; ergo non est causa naturalis effectuum qui ab ea promanant.

*Prob. min.* Aqua, pecunia latens, metalla virgam rotare & movere nata sunt: atqui virga circa ea in iisdem circumstantiis non semper eodem modo agit: nam non movetur ad metalla, sed ad aquam solam si virgam gerens quærit aquam & non metalla, & vicissim; ergo.

*Prob.* 3. Agens Physicum agit independenter ab intentione hominis: atqui virga non agit independenter ab intentione virgam tenentis; ergo.

*Prob. min.* Virga movetur circa lapidem ex instituto designatum ad constituendum limitim, immota remanens circa alios: atqui talis differentiæ non potest provenire nisi ex intentione virgam tenentis: nam hic lapis nihil habet physici, quod non habeat alius lapis; ergo.

*Confirmatur.* Quia virga immota remansit in manibus eorum, in quibus antea movebatur postquam ii enixe a Deo petierunt ut desineret moveri, si forte in tali motu esset aliquid mali & superstitiosi; rursus eadem virga moveri cœpit in manibus eorundem cum absolute eam moveri optarunt, abstrahendo a bonitate vel malitia hujus usus: cujus rei plura exempla affert P. Le Brun (*tom.* 3. *pag.* 374.); ergo virga non movetur naturaliter.

*Resolves:* Pro praxi: cum saltem sit dubium an usus rami divinatorii sit superstitiosus, & esse asserant tot viri litterati, videtur esse ab ipso abstinendum.

*Dices:* Virga movetur vi corpusculorum a metallo vel thesauro, & exhalationum ab aqua erumpentium; ergo movetur naturaliter.

*Resp. nego ant.* Duplici de causa: 1. Quia non flectitur ad aquas & metalla quando detecta sunt; hoc autem esset si ad ista naturaliter flecteretur. 2. Vis illa non est tanta ut possit vertere, imo frangere virgam intra manus viri fortis motum ejus quantum potest impedientis, frangitur ergo & torquetur ope dæmonis hominem hoc modo decipientis, ut ipsum, si possit, in deteriora inducat.

## §. II. *De inventione rei nuper amissæ.*

Quæres 1. *Quid dicendum sit de rebus inventis?*

*Resp.* 1. Certum est rem inventam, domino, si inveniri potest, esse restituendam, quia res semper clamat pro domino qui in hunc effectum diligenter inquiri debet, inquit Concilium Cænomanense (1284.) expensis tamen rei restituendæ si sit inventor bonæ fidei; si vero sit malæ fidei inventor, impensis propriis, qui damnum quod patitur sibi debet imputare.

*Resp.* 2. Docent communiter Theologi post Div. Thom. (2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3.) quod si post sufficientem inquisitionem non reperiatur dominus, res inventa pauperibus sit eroganda, aut pios in usus consumenda ex authent. *omnes peregrini* ubi statuitur: *si peregrini intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur....*

Ratio est, quia res inventa est impendenda secundum voluntatem præsumptam domini sui, qua haud dubie est ut res quam recuperare nequit, expendatur aptiori modo, sibi & reip. utiliori; atqui sic expenditur cum datur pauperibus.

Quæres 2. *Si inventor sit pauper, an potest sibi rem applicare?*

*Resp. affirm.* Quia non est deterioris conditionis quam alii pauperes, modo sit *vere* pauper; quod tamen non debet facere absque consilio Parochi, vel prudentis Confessarii; quia amor proprius in hoc negotio facile decipit.

Quæres 3. *Quid agendum si dominus compareat post factam talem applicationem.*

*Resp.* Vel inventor eam applicavit aliis pauperibus, vel sibi ut pauperi.

*Si applicavit* sibi, & adhuc extet sive in re, sive in pretio, est restituenda domino; quia res quandiu extat, clamat pro domino.

*Si applicavit* sibi & sit consumpta, item si ap-

plicavit aliis pauperibus, sive extet, sive non, ad nihil tenetur, si adhibuit sufficientem diligentiam, quia utiliter, quantum potuit, gessit rem proximi; si autem non sufficienter inquisivit dominum rei, tunc rem licet consumptam domino comparenti tenetur restituere.

*Resolves:* Si quis pecuniam in angulo domus invenerit, cujus depositio non videtur antiqua, si hæc domus continua successione in eadem familia manserit, hæredibus est restituenda, quia præsumitur ipsam ab aliquo ex hac familia fuisse occultatam. Quod si vero locatores plurimi in eadem domo permanserint, nec ulla acquiri possit præsumtio ad quam familiam pecunia inventa pertineat, tunc est bonum incertum, & consequenter in pios usus impendendum.

### §. III. *De acquisitione dominii in bona vacantia, & derelicta.*

Quæres 1. *Quid sint bona vacantia, & ad quem pertineant?*

*Resp.* 1. Sunt ea quæ reliquit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui ei juxta legem ab intestato succedat.

*Resp.* 2. Fisco regio applicantur a jure; (*L. Vacantia Cod. de bonis vacantibus*) excipiuntur tamen bona mobilia peregrinorum quæ in usus pios debent per Episcopum applicari, *ex authent. omnes peregrini*, superius citata.

Quæres 2. *Quid sint bona derelicta, & ad quem pertineant?*

*Resp.* 1. Sunt ea quæ dominus ea mente abjicit, ut in numero rerum suarum esse nolit, ita Justinianus. (*§. Penult. Inst. de rer. divis.*).

*Resp.* 2. Jure Romano sunt primo occupantis, ut ibidem docet *Justinianus*; *in Gallia* vero pertinent ad *Dynastam* loci.

*Inferes* bona naufragorum non esse derelicta, cum non sponte, sed metu naufragii fuerint projecta; unde si ab aliquo recuperentur, debent restitui domino (*Pen. Authent. navigia c. de furtis*), deductis tamen expensis pro recuperatione eorum factis.

*Nec obstat* quod alias periissent hæc bona, quia res semper manet domino suo, quantumcumque periclitetur. (*L. Pomponius, ff. de acquir. dominio*).

*Porro:* occupantes bona Christianorum naufragantium incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.

## SECTIO III.

### *De Acquisitione dominii per præscriptionem.*

Quæres 1. *Quid sit præscriptio seu usucapio?*

*Resp.* Est acquisitio dominii per possessionem bonæ fidei continuatam tempore per legem definito.

Quæres 2. *Quænam conditiones requirantur ad legitimam præscriptionem?*

*Resp.* Quatuor; nimirum possessio, titulus, bona fides, tempus a lege definitum.

Prima *Conditio est possessio* ex reg. 3. Juris in 6. *sine possessione præscriptio non procedit.* Non sufficit autem possessio *naturalis* tantum, sed sufficit & requiritur possessio *civilis rei non prohibitæ possideri*, quo fit ut omnis, & solus capax proprio nomine possidendi, sibi præscribere possit.

*Defectu hujus conditionis* non possunt præscribi

1. Loca sacra, jus decimarum a Laico, quia jus ei resistit. (*Cap. 7. de præsc.*).

2. Non potest præscribere religiosus professus, quia nihil suo nomine potest possidere.

3. Depositarius, usufructuarius, feudatarius, commodatarius, colonus pignorator, quia non possident nomine suo, sed domini qui possidet civiliter. (*Cap. si diligenti de præscript.*).

4. Non potest dari præscriptio rerum publicis usibus deputatarum, ut sunt forum, pontes, viæ publicæ, quia jus resistit.

5. Non possunt præscribi quæ sunt juris naturalis, v. g. obedientia superioribus debita.

6. Non præscribuntur limites Provinciarum Episcopatus, si de ipsis constet. (*Cap. dilectio* XVI. *qu.* 3.).

7. Res furtivæ & quæ vi possessæ sunt, nec non res illius qui adeo est impotens ut rem suam in judicio repetere non possit; sic non præscribitur contra mentecaptos.

*Ratio horum* omnium est, quia non est apprehensio Juris adminiculo, cum jus resistat *toto tit. de præscript.*

2. *Conditio est bona fides*, ex reg. 2. juris in 6. *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Circa quam

Quæres 1. *Quid sit bona Fides hic?*

*Resp. Est judicium prudens & fundatum*, *quo quis prudenter existimat rem quam possidet esse suam, etsi forte non sua sit.* Dixi *prudenter*: quia si ex ignorantia crassa aut inordinata cupiditate illud judicium procedat, non erit bona fides.

Quæres 2. *An & quæ ignorantia officiat præscriptioni?*

*Nota*, Ignorantia alia est *juris*, qua ignoratur ipsa Lex v. g. qui accipit aliquid contractu usurario quem putat justum; alia est *facti*, qua lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc factum huic legi contrarium esse, v. g. qui sciens illicitum esse emere a religioso, nescit eum a quo emit esse religiosum.

*Resp.* Error invincibilis facti præscriptionem non impedit, imo facit; cum præscriptio supponat ignorantiam. Sed ignorantia juris clari, invincibilis licet & inculpata, impedit præscriptionem. Utrumque colligitur ex jure, quod sic habet: *juris ignorantia negatur in usucapione prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat.* (*L. 4. ff. jur. & facti ignorantia*).

Dixi: *Juris clari*: Quia jus vere dubium (idest de quo utrinque sint multorum sententiæ) sufficit ad præscriptionem, ait *Lessius*. (*Sess. c. 6. dub. 5.*).

Quæres 3. *An dubium officiat præscriptioni?*

*Resp.* Non officit, si superveniat possessioni bona fide inchoatæ, & moralis adhibita fuerit diligentia ad veritatem indagandam, quia in dubio melior est conditio possidentis. Quod si adfuerit dubium dum quis possidere incepit, aut si moralis non fuerit adhibita diligentia cum supervenit pos-

possessioni, non currit præscriptio, cum amittat bonam fidem, proindeque præscriptionem interrumpit.

*Nota:* Possessor suis successoribus fidem suam bonam aut malam transmittit, sive eam noverint, sive non, proindeque hæres vel emptor rei 10. annis bona fide possessæ, additis 20. annis possessionem complet. Econtra hæres vel emptor rei mala fide 10. annis possessæ, non præscribit nisi postquam ipse bona fidæ 30. annis ipsam rem possedit. Bona enim fides debet continuari toto tempore quo currit præscriptio. (*Cap. ult. de præsc.*)

3. *Conditio est titulus:* Nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Debet esse coloratus seu apparens; nam titulus verus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione.

In præscriptionibus tamen longissimi temporis 30. scilicet, 40. annorum sufficit titulus præsumptus, nisi jus contradicat.

4. *Conditio* est *tempus a lege definitum:* quod diversum est pro diversitate rerum præscribendarum: circa quod sequentia sunt tenenda.

1. Ad præscribendas *res mobiles*, v. g. animalia, vestes &c. cum titulo requiruntur tres anni inter præsentes & quatuor anni inter absentes; & sine titulo (supple qui probetur, nam etiam tunc præsumitur præcessisse) requiruntur 30. anni; quæ dicitur præscriptio longissimi temporis (*l.* 3. *Cod. de præsc.*) circa quod

*Nota: Præsentes jure communi* censentur qui in eadem provincia & sub eodem regimine commorantur, sed *jure Gallico* præsentes ii dicuntur qui sunt sub unius Ballivi aut Senescalli jurisdictione, ait de Ferrieres (*traduct. ad l.* 2. *inst. tom.* 6.) licet bona sint alibi sita.

2. Ad præscribenda *immobilia* privatorum cum titulo requiruntur inter præsentes 10. anni, & 20. inter absentes (*Inst. de usucap.* §. 1.) sine titulo, 30. anni. (*Cap. sanctorum de præsc.*).

3. Ad præscribenda bona immobilia contra privilegiatos non idem tempus requiritur; nam contra Ecclesiam Romanam & S. Pontificem requiruntur 100. anni (*Authent. Quas actiones*), contra alias Ecclesias vel pias causas requiruntur 40. anni (*Ibidem*).

*Nota* 1. Nomine immobilium hic etiam intelligi jura & actiones ad immobilia: item beneficia, census, reditus, jus patronatus, ususfructus, & servitutes: hæc enim omnia fixa manent, & instar *immobilium*, fructum vel commoditatem adferunt.

*Nota* 2. In hac materia *tempus breve* dicitur, quod est minus decennio; *longum* est spatium decem annorum, inter præsentes, & 20. inter absentes. *Longissimum* est spatium 30. aut 40 annorum. *Immemoriale* est spatium, cujus initii non extat memoria etiam apud seniores.

Quæres 3. *An præscriptio bonæ fidei dominium transferat in foro conscientiæ, ita ut licet completa præscriptione cognoscas rem fuisse alienam, ad illam restituendam minime tenearis?*

*Resp. affirm.* Illud enim dominium legitime transfertur, quod transfertur auctoritate reipublicæ propter bonum commune: atqui dominium quod transfertur per præscriptionem, transfertur auctoritate Reipublicæ propter bonum publicum, ne scilicet dominia essent incerta, lites multiplicarentur, ut patet ex multis Legibus Civilibus, approbatis Jure Canonico (*Tot. tit. de præscript.*) quæ sine ulla limitatione dicunt: *bono publico introducta est usucapio, ne diu & fere semper incerta essent rerum dominia* (*L.* 1. *ff. de usucapionib.*) & alibi concessa usucapio dicitur: *Ut aliquando litium esset finis* (*L. ult. ff. pro suo*); ergo per præscriptionem dominium transfertur in foro conscientiæ, nisi tamen prior dominus per judicem restituatur in integrum.

Dixi. *Nisi prior dominus restituatur in integrum:* quæ restitutio est remedium adversus præscriptionem, & definitur *prioris juris reintegratio, qua tribuitur alicui potestas rem suam sibi vindicandi.* Hoc remedium conceditur 1. *minoribus* qui habent jus etiam petendi toto quadriennio, a die quo majores facti sunt (*L. finali Cod. de temp. rest. in integrum*) 2. *Piis Locis & Ecclesiis* etiamsi præscriptio sit 40. annorum, & hoc per quatuor annos a die quo Ecclesia novit præscriptionem suorum bonorum. (*Cap.* 1. *de restit. in integrum.*) Ratio est quia Ecclesia est instar pupilli & minoris. 3. *Majoribus* non quidem in præscriptione 30. aut 40. annorum, sed in præscriptione 10. aut 20. annorum, modo probent, præscriptionem aut omnino sine sua negligentia, aut cum probabili sua ignorantia fuisse peractam. (*L.* 1. §. *final. ff. ex quibus causis major.*) Habent & hi quatuor annos postquam sciverint completam præscriptionem ad petendum beneficium restitutionis in integrum.

*Nota.* In Gallia solus Rex restitutionem in integrum concedit (*Decoq. p.* 219.) & ex edicto *Francisci I.* loco *quadriennii* jure Romano concessi ad petendam restitutionem in integrum, conceditur *decennium.*

*Objicies* 2. Interdum in præscriptione non intercessit culpabilis negligentia; ergo in tali casu non transfertur dominium in foro conscientiæ.

*Resp. nego conseq.* Quia præscriptio non introducta est principaliter ad puniendam negligentiam prioris domini, sed ob prædictos fines bonum commune spectantes, nempe ne dominia maneant incerta, ne lites multiplicentur, ne titulorum fictores aliena bona invadant &c.

*Inst.* 1. Nemo sine culpa debet privari re sua (*Ex reg.* 23. *juris in* 6.) ergo.

*Resp. dist. ant.* Nisi ratio boni communis aliud postulet, *conced.* ubi postulat, ut fit in proposito; *nego*, nam sic habet regula: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hic autem subest causa, nempe bonum commune.

*Inst.* 2. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria & jactura* (*Regul.* 48. *juris in* 6.) atqui per præscriptionem locupletatur aliquis &c.

*Resp. dist. reg.* Non debet locupletari ex jactura alterius per injuriam & *auctoritate privata*, *conced.* utendo *beneficio legis*, *nego:* nam tunc cum transferatur dominium, non est injuria.

*Objicies* 2. Qui tempore præscriptionis elapso cognoscit rem esse alienam, non magis eam retinere potest, quam possit quis rem sibi per sen-



ten-

tentiam judicis adjudicatam retinere, cum cognoscit eam non esse suam: atqui &c.

*Resp. nego maj.* Disparitas est, quod judex per sententiam dominium non transfert, sed solum declarat juxta allegata & probata, cujus sit res litigiosa; in præscriptione autem transfertur dominium, ob varias rationes quæ bonum commune spectant.

*Inst.* Ideo non potest quis retinere bonum sibi a judice adjudicatum, quia sententia judicis nititur falsa præsumptione; atqui pariter lex præscriptionis nititur falsa præsumptione; ergo.

*Resp. nego min.* Quia falsum est leges præscriptionis potissimum præsumptione negligentiæ nixas esse, ut ex dictis constat.

## APPENDIX.

*De cæteris modis acquirendi dominii.*

**D***ico: Dominium transfertur variis aliis modis.*

1. Per *alluvionem:* Id quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur & alteri adjicitur, fit domini fundi cui fit adjectio. (*Inst. lib.* 2. *tit. n.* 20.) Viget hoc in Gallia. Dico *insensibiliter:* nam si pars notabilis tui prædii statim subita aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet (*Ibidem n.* 21.); in Gallia si a nemine repetatur, est Regis.

2. *Per specificationem:* Cum res aliena ad aliquam speciem artificii insumpta est: hic vel materia potest ad priorem statum reduci, vel non potest; *si primum*, species pertinebit ad dominum materiæ, v. g. si ex auro meo poculum feceris, meum est poculum, teneor tamen solvere artificium. *Si secundum*, ad eum spectabit species qui speciem formavit; v. g. si ex alienis vestem conficias, vestis est tua, sed teneris solvere pretium lanæ, & damna si quæ sint, & ad hoc datur actio alteri. (*Ibidem n.* 25.).

3. *Per accessionem:* Cum quid ornatus causa adjicitur rei alterius, ut si quis alienam domum pinxerit, accessio ejus est qui erat dominus rei, nec tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit; ratio est quia *accessorium sequitur naturam principalis.*

Si tamen ornamentum rem cui adjectum est, pretio longe superaret, ornamentum haberetur pro principale, & pertineret ad eum a quo prodisset: *ridiculum enim est*, ait Justinianus (*Instit. lib.* 1. *t.* 1. *n.* 34.), *picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.* Sed tenetur priori domino tabulæ de damno.

4. *Per commixtionem & confusionem:* si res commixtæ separari possint, debent separari: v. gr. oves tuæ commixtæ meis; si non possint separari, ut mel & vinum simul confusa, tunc quod resultat, fit utrique commune pro rata materiæ. *Ibidem num.* 27.).

5. *Per inædificationem:* Ædificium in nostro fundo constructum ab alio, nostrum est, secundum hanc regulam: *ædificium semper solo cedit:* (*Ibidem num.* 29. & 30.) sed attendendum est an bona an mala fide quis ædificaverit; si enim bona fide, ei solvendæ sunt materia, & impensæ; secus si mala fide: (*Lib.* 38. *ff. de rei vindicatione*) tamen jure Gallico potest exigere materiæ & impensarum pretium, nisi fraus intercesserit.

6. *Per implantationem & sationem:* Arbores & plantæ in aliquo fundo a quolibet collocatæ cedunt domino fundi, *si modo radices egerint; ante enim quam radices egerint, ejus permanet cujus fuerant.* Ita Justinianus (*Ibidem num.* 33.) *qua ratione autem plantæ solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque; quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur.* (*Ibidem num* 33.) Utrumque moribus nostris receptum est: qui tamen alienam plantam in suo fundo transplantavit, tenetur de damno.

7. *Per alvum:* Si fluvius, alveo priori derelicto, alium sibi quærat, *jure Romano*, vetus alveus vicinis prædiis cedit; *jure vero Gallico* (*L.* 5. *ff. de præscript. verb.*) alveus a quo recessit flumen navigabile, ad Regem pertinet, si fluvius non sit navigabilis, alveus vicinis prædiis cedit.

8. *Per insulam:* Insula quæ in mari nata est, fit occupantis, Jure Romano & nostro: verum nostro jure insula quæ in flumine navigabili nata est, pertinet ad eos, quibus ii rivi pertinent.

## SECTIO IV.

*De acquisitione & translatione dominii per Contractus.*

*Nota.* **C**ommunem methodum secuti, sectionem hanc in duas partes dividemus: 1. Erit de contractibus in genere, 2. De variis contractuum speciebus.

## PARS PRIMA.

*De Contractibus in genere.*

**H**ic nobis videndum incumbit: 1. Quid & quotuplex sit contractus. 2. Quinam contrahere possint. 3. Quis ad contrahendum requiratur consensus. 4. Quam & quando obligationem pariat contractus.

### §. I. *De natura & divisione contractus.*

Quæres 1. **Q***uid sit contractus?*

*Resp.* Est pactum ultro citroque, vel alterutro tantum obligationem pariens.

Dicitur 1. *pactum*; id est duarum voluntatum conventio, seu consensus in idem.

Dicitur 2. *ultro citroque, vel alterutro tantum*, ut hac definitione contractus stricte & late dictus comprehendatur.

Dicitur 3. *Obligationem pariens:* ut designetur effectus per contractum productus.

Quæres 2. *Quomodo dividatur contractus?*

*Resp.* *Dividitur* 1. in perfectum & imperfectum.

*Perfectus est pactum ultro citroque obligationem pariens.* Dicitur etiam *onerosus*, quia aliquid datur, & aliud rependitur.

*Imperfectus* est *pactum alterutro tantum obligatio-*

*gationem patiens.* Dicitur etiam *gratiosus*, quia per eum aliquid recipitur, & nihil rependitur.

2. *Dividitur* in explicitum seu formalem, & implicitum seu virtualem.

*Explicitus* est ille, quo duo expresse de eadem re conveniunt cum mutua obligatione, vel saltem cum obligatione unius erga alterum.

*Implicitus* est ille, qui fit tacita partium conventione, v. g. *absentis negotiorum gestione*, *hæreditatis aditione*, vel ex officii acceptatione; sic *Judex*, *Medicus*, *Tutor*, cum hæc officia suscipiunt, eo ipso se virtualiter obligant ad præstandam operam omnem quam adhibere solent homines ejusdem conditionis, erga eos in quorum gratiam hæc officia exercent, & hi vicissim se obligant ad legitimam retributionem; istæ tacitæ conventiones vocantur *quasi contractus*, contractuumque vim habent ad obligandum ex justitia.

3. *Dividitur* in nominatum & innominatum.

*Nominatus* est ille, qui proprium & speciale nomen habet, v. g. *venditio locatio*, *societas &c.*

*Innominatus* est ille qui proprium non habet nomen, sed genericum dumtaxat contractus aut pacti: hujus sunt quatuor species, scilicet, *do ut des*; *do ut facias*; *facio ut des*; *facio ut facias*; ubi sub affirmatione negatio etiam comprehenditur, v. gr. *do ut non facias.*

*Dices:* Contractus *do ut des* est permutatio; ergo est nominatus.

*Resp. nego cons.* Nam permutatio est nomen genericum, convenit enim venditioni, sicut *do ut facias*, locationi convenit.

4. *Dividitur* in nudum & vestitum.

*Nudus* est conventio mera carens omni firmamento, quo actionem civilem parere possit, licet pariat obligationem naturalem, ut infra dicetur. Talis est omnis contractus innominatus antequam ex altera parte sit impletus, nisi accedat *formula stipulationis*, *juramentum*, &c. *Item* omnis contractus qui re perficitur, est *nudus* ante rei traditionem; ut *donatio*, *mutuum*, *pignus*, &c.

*Vestitus* est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem. *Firmamenta juris*, sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum, conjunctio, contractus innominati cum nominato, ut si vendam tibi domum centum aureis, cum pacto ut illam adhuc habitem; & tibi pro inhabitatione dem hanc vestem; pactum istud *nudum* vestitur propter sui conjunctionem cum contractu nominato; quia accessorium sequitur naturam principalis. Propter contrariam rationem si contractus *innominatus* sit *principalis*, contractus vero *nominatus* sit *accessorium*, innominatus non vestietur per sui cohærentiam cum nominato.

5. *Dividitur* in contractum bonæ fidei, & stricti juris.

*Contractus bonæ fidei* est ille, in quo Judex ex æquo & bono multa moderari potest, quæ licet a contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen secundum bonam fidem contractui inesse, tales sunt *emptio*, *locatio*, *conductio*, *negotiorum gestio*, *mandatum*, *depositum*, *pignus*, *societas*, &c.

*Contractus stricti juris* est ille, in quo Judex ad verba contrahentium adstringitur; tales sunt *census*, *feudum*, *emphyteusis*, *testamentum*, *mutuum*, *stipulatio*, *donatio*, & *promissio liberalis.*

*Nota.* Hæc distinctio parum refert ad forum conscientiæ, in quo omnes conventiones ex æquo & bono dijudicari debent.

6. *Dividitur* in purum, & non purum.

*Contractus purus* est ille, cui nullum adjicitur accidens.

*Contractus non purus* est ille, cui additur aliquod accidens, & hic quintuplex est.

1. Dicitur *ad diem*, cum præfigitur dies, ante quem non oritur obligatio solvendi, nec actio.

2. Dicitur *ad modum*, cum additur modus sub quo contractus obliget, v. g. promitto tibi hunc equum ut loces domum tuam Titio.

3. Dicitur *ad causam*, cum fit propter aliquam causam, v. g. do tibi pecuniam, quia pauper es.

4. Dicitur *ad demonstrationem*, cum apponitur aliquod signum ad rem vel personam ostendendam v. gr. do tibi centum nummos in tali arca reconditos, vel quos mihi debet Paulus.

5. Dicitur *ad conditionem:* cum apponitur aliqua conditio.

## §. II. *De personis ad contrahendum habilibus.*

Quæres: *Quinam contrahere possint?*

*Resp.* Omnes & soli qui liberam suorum bonorum habent administrationem, nisi a jure impediantur; quia hi soli dominium bonorum suorum in alios transferre possunt.

Dixi 1. *Qui habent liberam administrationem*: hinc a contractibus ineundis excluduntur, 1. Infantes & amentes; 2. Prodigi, quibus curatorem Judex assignavit; 3. Uxor conjugata, nisi habeat bona *paraphernalia*; 4. Religiosi absque consensu superiorum. 5. Infantiæ proximi sine auctoritate Tutoris. (*Inst. de inutil. stipul. §. Sed quod.*).

Dixi 2. *Nisi a Jure impediantur:* Tutor enim etsi habeat administrationem suorum bonorum, non potest cum pupillo contrahere. (*L. pupillus ff. de auct. & consen. Tut.*).

*Nota* 1. De pupillis pubertati proximis & minoribus potest esse difficultas circa bona, quæ non sunt castrensia; quæ ut solvatur,

*Nota* 2. *Infans* est ille, qui primum septennium nondum complevit.

*Pupillus* est, qui nondum pervenit ad pubertatem, & cui assignatur Tutor.

*Pubertati proximus* est, qui decem annos cum dimidio attigit, si sit vir; & novem cum dimidio, si sit femina; ante hanc ætatem dicuntur *infantiæ proximi.*

*Minor* est, qui nondum attingit annum 25, & cui datur Curator. His positis

*Dico* 1. *Minor & pupillus pubertati proximi non possunt sine auctoritate Tutoris aut Curatoris contrahere in suum incommodum, possunt tamen in suum commodum* (*Inst. de auctor. Tutor. initio*). Porro statuerunt hoc jura in favorem illius ætatis: *ut Minoribus ætas in damnis subveniret*, & *in prospere gestis non obesset.* (*L. non minus cod. de procurat.*) Unde nulla est obligatio civilis ex parte pupilli, licet sit talis obligatio ex parte majoris, qui si mercem minori & pupillo tradiderit, non accepto pretio, potest mercem suam repete-

petere, si pupillus nolens contractum tenere, nolit pretium solvere. Quod si merx vel amissa, vel absque dolo consumpta fuerit, non plus in foro civili solvere cogitur pupillus, quam ditior factus est. (*L. 1. n. de auctorit. Tutor.*)

Dixi: *sine dolo pupilli:* nam si ejus dolo merces sint consumptæ, datur contra eum actio civilis etiamsi ditior factus non sit. (*ff. de deposito*, *§. an etiam pupillum.*).

*Dico* 2. *Pupilli & minores etiam de consensu Tutoris non possunt valide alienare bona immobilia*, *nec mobilia quæ servando servari possunt*, ut aurum, gemmæ, &c. *nisi accedat Judicis auctoritas.* (*L. 22. cod. de administ. Tutor. & Curat.*)

*Dico* 3. *Bona mobilia quæ servando servari non possunt*, id est quæ per triennium custodiri non possunt; ait Glossa (*Gloss. in Leg. unicam cod. si adversus usuc.*): ut vinum, frumentum, &c. *valide a Pupillis, cum consensu Tutoris alienantur*, *sine quo consensu non obligantur civiliter* (*Inst. quibus alienare licet*, §. 2.). Sed

*Petes:* an sicut pupilli & minores sine auctoritate Tutoris contrahentes non obligantur civiliter, ita etiam non obligentur naturaliter?

*Resp.* Probabilius est ipsos obligari naturaliter & in conscientia; tamen possunt hanc obligationem, beneficio restitutionis in integrum elidere, & ita non obligantur efficaciter.

*Prob. Resp.* Fidejussor minoris obligatur etiam civiliter (*L. fin. ff. de jurejur. & L. Marcellus*, *de fidejuss.*). Ergo obligatur ipse minor saltem obligatione naturali; patet conseq. quia communis est sententia Jurisperitorum, *principali nullo modo obligato*, *non obligari fidejussorem;* deficiente enim principali obligatione, non valet accessoria; ergo ut fidejussor teneatur, requiritur, ut principalis debitor, saltem naturaliter obligetur; unde *L. 1. ff. de Novat.* dicitur: *Pupillum obligari naturaliter*, *si sine Tutoris auctoritate promiserit.*

*Dices*: Variæ Leges habent, pupillum & minorem sine auctoritate Tutoris non obligari; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Non obligari *civiliter*, *conc. naturaliter*, subdist. *efficaciter*, *conc.* modo *caduco*, *nego.* Ratio est quia *minor* potest hanc obligationem naturalem elidere beneficio restitutionis in integrum, & hac ratione dicitur non obligari ex tali contractu.

## §. III. *De consensu ad contrahendum.*

Quæres 1. *Quinam & qualis consensus requiratur ad valorem contractus?*

*Resp.* 1. Consensus debet esse verus seu internus, & mutuus, nec sufficit consensus fictus & externus; quia ad contractus validitatem requiritur ut duæ *voluntates in idem* conveniant (*L. 1. ff. de pact.*); atqui non possunt in idem convenire absque consensu interno & mutuo; ergo.

*Dices*: Ergo ad nihil tenetur qui ficte contraxit?

*Resp. distinguo illatum:* Ad nihil tenetur *vi contractus ficti* qui nullus est, *conc.* ratione injuriæ per injustam deceptionem factæ, *nego.* Itaque qui alium decepit per consensum fictum, tenetur deceptionem injustam tollere vere contrahendo & contractum implendo ut verum; nam ex justitia tenebatur vere contrahere; injuriam ergo fecit ficte contrahendo; quam postea tenetur tollere, vere contrahendo.

*Resp.* 2. Consensus debet aliquo signo externo exprimi, alias consensus unius ab alio contrahente non posset cognosci & acceptari, unde contrahentes non possent convenire in unum.

*Resp.* 3. Consensus debet esse omnino liber & plene deliberatus, quia debet esse actus humanus, sed cum quædam libero voluntario pugnare intelligantur, ut error, dolus, metus, &c. Ideo

## PUNCTUM I.

*An contractus ex errore vel dolo initus sit validus?*

*Nota* 1. *Error* est judicium falsum; *est enim unum pro alio putare.* (*Can. 2. 22. q. 2.*).

*Dolus* est *omnis calliditas ad circumveniendum*, *& decipiendum alterum exhibita.* (*L. 1. ff. de dolo malo.*)

*Nota* 2. Error sive dolus duplex est. 1. Est circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma; vel circa naturam contractus, ut si consentias in contractum, quem putas esse commodationem cum sit locatio; *vel* circa qualitatem redundantem in rei substantiam, talis est qualitas quæ est principale motivum contrahendi, v. gr. si Petro promittas centum aureos, quia putas eum esse tuum consanguineum cum non sit... 2. Est circa qualitatem accidentalem, ut si equus sit debilis, cum putetur robustus.

*Nota* 3. Error vel dolus circa qualitatem accidentalem iterum duplex est, nempe antecedens & concomitans.

*Dolus & error antecedens* est ille, qui ita dat causam contractui, ut sine illo non fuisset initus, v. g. si cognovisses equum esse debilem, non illum emisses.

*Dolus* aut *error concomitans*, seu incidens in contractum, est ille qui non dat causam contractui, sed tantum ad contrahendum impellit; unde non est causa quod emas simpliciter, sed quod libentius & carius emas id quod sublatis errore & deceptione adhuc emeres, sed non tanti.

*Dico* 1. *Error vel dolus circa substantiam rei*, *vel circa qualitatem redundantem in rei substantiam*, *vel circa naturam contractus*, *qualiscumque sit*, *etiam concomitans*, *contractum jure naturæ irritat.*

*Prob.* Absque substantiali consensu, nullus est contractus; atqui ubi est error & dolus circa substantiam rei, &c. non est consensus substantialis; voluntas enim non fertur in cognitum (*L. 9. cod. de Jur. & facti ignor.*), ergo.

*Hinc* si venditor gemmam putet esse vitrum & pro tali vendat, emptor re comperta tenetur ad restitutionem gemmæ, vel ad justum pretium. *Item* si quis summam pecuniæ alteri substituat quia pauper est, qui tamen foret dives, donatio esset nulla; quia illa qualitas est motivum principale contrahendi, unde redundat in rei substantiam, & cum illa ingreditur objectum substantiale contractus.

*Dico* 2. *Error vel dolus concomitans circa quali-*

*lita-*

*litatem rei accidentalem non irritat contractum, nisi contrahens de errore cogitans exterius vel interius ac serio dicat se nolle contrahere, nisi stante tali qualitate.*

*Prob.* Quia tunc adest verus & absolutus consensus circa rem ipsam; ergo validus est contractus. Unde non potest rescindi ad arbitrium decepti, sed ad æqualitatem reduci debet. (*Cap.* 3. *de empt. & vendit.*)

*Hinc* qui daret eleemosynam pauperi improbo quem probum crederet, valeret eleemosyna licet forte non dedisset, si perspectam habuisset ejus improbitatem.

Dixi: *nisi contrahens*, &c. quia tunc contractus esset conditionatus, & deficiente conditione, non subsisteret.

Dico 3. *Error vel dolus antecedens circa qualitatem rei dans causam contractui, contractum non invalidat.*

*Prob.* Error vel dolus dans causam contractui, non impedit consensum substantialem: (differunt enim duo: *contrahere noluissem*, & *nolui contrahere*: posterius consensum tollit, non prius, alias vix ullus contractus validus foret, dum fere semper aliquæ occurrant circumstantiæ, quæ si fuissent prævisæ, deterruissent a contrahendo): ergo contractum non irritat.

Antecedens constat, tum ex Jure (*Instit. lib.* 4. *tit.* 13.) tum ex contractu matrimonii, cui dolus aut error circa accidentia, dedit causam, qui nihilominus est validus, ut fatentur unanimiter Doctores; ergo.

Quæres. *An hic contractus, cui error dedit causam, possit in irritum revocari pro arbitrio ejus qui deceptus est?*

*Resp.* Error & deceptio contingere potest *tripliciter*. 1. A propria decepti opinione. 2. Ab altera parte contrahente. 3. A tertia persona.

Si error sit a propria decepti opinione, vel a tertia persona, contractus onerosus non potest rescindi ad arbitrium decepti, quia pars contrahens non ei facit injuriam; unde non tenetur eum in priorem libertatem restituere, sed solum reddere excessum pretii ut reponatur æqualitas; deceptor vero tenetur resarcire damnum illatum cum sit causa illius injusta.

Dixi *onerosus*, quia contractus gratuiti, ut sunt promissio & donatio liberales, possunt rescindi si notabilis mutatio adveniat, aut error fuerit circa notabilem quantitatem; ratio est, quia illa pacta pendent ab unius voluntate, qui potest contractui apponere quam voluerit conditionem, qualis est hæc, *ut noluit obligari irrevocabiliter, si notabilis sit error, vel mutatio.*

Si deceptio sit ab altera parte contrahente, contractus etsi validus, potest rescindi pro arbitrio decepti, *si sit solubilis*; quia decipiens fecit injuriam quam tenetur tollere restituendo deceptum in eum statum in quo erat ante contractum & sic reddendo omnia infecta; si deceptus velit, qui deceptus potest hunc contractum ratum habere, & tunc deceptor tenetur excessum pretii pro merce vitiosa accepti reddere; & damnum si quod est illatum, resarcire.

Dixi: *si sit solubilis*, quia contractus indissolubilis (ut matrimonium & professio religiosa) non potest rescindi, unde in his contrahentes consentiunt *irrevocabiliter* juxta naturam illorum contractuum.

*Dices* 1. Contractus onerosus ex natura sua utrinque obligatorius est: ergo vel utraque, vel neutra pars manet obligata.

*Resp. dist. ant.* Utrinque obligat, *eodem modo, nego: diviso modo, conc.* Ex parte enim decipientis obligat irrevocabiliter; ex parte vero decepti revocabiliter cum possit contractum dissolvere, utendo facultate sibi per Leges concessa, & tunc cessante obligatione decepti, cessat & decipientis obligatio.

*Dices* 2. Talis contractus est injustus; ergo jure naturæ est nullus.

*Resp. nego conseq.* Quia ut contractus sit injustus, sufficit ut circa accidentia æquitati naturali repugnet; ut autem sit invalidus, necesse est ut defectus in substantiam rei cadat; contractus autem de quo hic, non deficit in substantia, sed in qualitate vitiosa.

## PUNCTUM II.

*An contractus metu initus sit validus.*

*Nota* 1. Metus duplex est, *levis* scilicet & *gravis*, qui vel absolute vel respective est gravis.

*Metus levis* est ille, quo timetur leve malum imminens, vel etiam grave, sed verisimiliter non imminens.

*Metus gravis absolute*, est metus alicujus mali per se gravis quo vir fortis commoveri solet, unde vocatur metus *cadens in constantem virum.* Talis est *metus mortis, mutilationis, longi carceris, diuturni exilii, stupri, amissionis honorifici status, infamiæ &c.*

*Metus respective gravis* est ille, qui licet non sit gravis per se & absolute, est tamen gravis relative ad fragilitatem talis personæ, v. g. feminæ, senis, hominis meticulosi &c.

*Porro* ad metum gravem revocatur metus *reverentialis*, seu timor habendi parentem aut superiorem diu ac graviter infensos, maxime si præcesserint graves minæ, aut verbera.

*Nota* 2. Metus oriri potest vel ab *intrinseco*, v. g. ab infirmitate: vel ab *extrinseco naturali*, v. g. metu naufragii; vel ab *extrinseco libero juste* metum incutiente, v. g. metus mortis latronibus a magistratu incussis; vel ab *extrinseco* libero injuste metum incutiente; v. g. metus mortis viatori a sicario incussus.

*Nota* 3. Metus ab extrinseco vel incutitur ad extorquendum consensum, vel ob alios fines. His necessario positis.

*Dico* 1. *Metus gravis ortus ab intrinseco, item ab extrinseco naturali, item extrinseco libero juste metum incutiente contractum non irritat:* quia hi contractus licet sint secundum quid involuntarii, sunt tamen implicite & absolute voluntarii. Nec possunt rescindi, quia sola causa rescindendi contractum, est injuria; atqui hic non est injuria.

*Dico* 2. *Contractus initus ex metu gravi, injuste ab extrinseco libero ad extorquendum consensum*

*sum incusso, jure naturæ & positivo validus est; sed rescindibilis ad arbitrium vexati; quibusdam contractibus exceptis.*

*Prob.* Et explicatur propositio.

Dicitur 1. *ex metu gravi: quia vani timoris justa excusatio non est.* ( *Ex Reg.* 184. *juris in* 6. )

Dicitur 2. *injuste incusso:* quia si juste esset incussus, contractus non esset rescindendus, cum non intervenisset injuria. ( *L. Si mulier §. de eo quod metus causa* ).

Dicitur 3. *Ad extorquendum consensum:* nam si metus alia de causa fuerit incussus ab alio tertio, revocari non poterit contractus tali metu initus .... Hinc si quis a latronibus invasus, promittat tertio qui doli non est conscius, summam pecuniæ ut eum liberet, tenetur promissa complere, quia tunc metus non est proprie causa contractus, sed occasio.

Dicitur 4. Est *validus jure naturæ:* quia simpliciter & absolute est voluntarius .... Hinc si ob metum gravem, emptionis contractus fuisset initus, vexatus invito vexante, huic insistere posset, & vexans ab eo resilire non posset.

Dicitur 5. Est *validus jure positivo:* tum *canonico*, in quo dicitur: *quæ metu & vi fiunt, debent in irritum revocari* ( *Cap.* 2. *de iis quæ vi metuve fiunt* ), tum *civili*, in quo legitur: *venditiones, donationes quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari* ( *L. ult. Cod. de his quæ vi, &c.* ) ergo non sunt in ipso facto irriti.

Dicitur 6. Est *rescindibilis ad arbitrium vexati*, & hoc vel auctoritate propria, vel si non possit, per sententiam Judicis; quia sicut vexans tenetur in conscientia, injuste vexatum indemnizare, ita damnum passus potest per contractus rescissionem se indemnem reddere, independenter a sententia Judicis.

Dicitur 7. *Quibusdam contractibus exceptis:* jure enim positivo irriti sunt sequentes: 1. Matrimonium ( *Cap.* 5. *de sponsalibus*, 2. Dotis promissio aut solutio ( *Si mulier, §. si dos ff. de eo quod met. causa* ). 3. Professio religiosa. 4. Promissio vel traditio rerum Ecclesiæ ( *Cap.* 2. *de jurej.* ). 5. Jurisdictio metu gravi exorta. ( *Lib.* 2. *ff. de judiciis* ).

*Excipimus* item cum *Paul. a Lyd.* & *Tournely* contractus gratuitos ( ut sunt donatio, promissio ) qui sunt jure naturæ irriti, si tantum habeant pro objecto liberationem ab injusta vexatione, quod sic

*Prob.* Ille contractus jure naturæ est invalidus in quo venditur res invendibilis: atqui in contractu qui pro objecto habet solam liberationem ab injusta vexatione, venditur res invendibilis, nempe liberatio a vexatione.

*Prob. min.* Quod mihi stricte debitum est, mihi vendi non potest; atqui talis liberatio mihi stricte debita est; jus enim strictum habeo ut metu injusto non vexer: Ergo .... Hinc si volenti te occidere des aut promittas summam pecuniæ ut a proposito desistat, nulla est jure naturæ donatio aut promissio.

*Dices:* In his contractibus reperitur sufficiens valuntarium, ergo sunt validi.

*Resp. nego conseq.* Non enim dicimus invalidos eos esse defectu libertatis, sed defectu materiæ vendibilis.

## §. IV. *Quam & quando obligationem pariat contractus?*

*Nota.* Obligatio triplex est: mere naturalis, mere civilis, & mixta.

*Obligatio mere naturalis:* est ea quæ nascitur ex solo jure naturali, & semper obligat in conscientia quamvis in foro externo non det actionem.

*Obligatio mere civilis:* est ea quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præsumptionem falsam, quamvis non obliget in conscientia.

*Obligatio mixta:* est quæ obligat tum in foro conscientiæ, tum in foro civili, in quo dat actionem.

*Dico: omne pactum validum etiam nudum, parit obligationem in conscientia, licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur.*

*Prob.* Quia jure naturæ quisque tenetur servare fidem datam, eamque fallere intrinsece malum est, nec refert an pactum sit nudum, an vestitum, quia jure naturæ, nulla est inter hæc distinctio, sed solo jure civili, quæ distinctio solum forum externum respicit.

Dixi 1. *Validum:* quia omnis contractus jure positivo absolute irritus nullam parit obligationem in conscientia; quia revera nullus est, cum sit annullatus per legitimam potestatem, cui voluntates & bona subditorum subjiciuntur. Quod si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantum irritandus, obligat in conscientia donec a Judice irritetur.

Dixi 2. *Licet in foro externo non tribuat actionem;* quia *nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.* ( 6. *Juris gentium, dig. de pact.* )

Dixi 3. *nisi juramento confirmetur:* quia cum accedit juramentum pactis nudis, *jus civile non intendit ea irritare, sed relinquit in suo vigore, quem habent, præcisio jure positivo.* ( *Lessius pag.* 198. )

Quæres 2. *An contractus sine solemnitatibus a jure requisitis factus, liget conscientiam?*

*Nota.* Solemnitates juris, sunt quidam ritus seu conditiones quæ secundum Leges in contractibus adhiberi debent; v. g. certus numerus testium.

*Resp.* Contractus defectu solemnitatis, a jure *irritus*, non obligat in conscientia. Ratio est, quia duo homines privati, seposito omni jure positivo, possunt inter se statuere certas formulas & conditiones, sine quibus contractus eorum in posterum non censerentur validi, nec obligare in conscientia; ergo a fortiori respublica cui voluntates & bona subditorum subjiciuntur in ordine ad bonum commune & rectam subditorum gubernationem, potest constituere hujusmodi conditiones; patetque ex praxi v. g. in matrimonio clandestino, in contractu pupilli sine Tutoris auctoritate, qui jure naturæ essent validi, nisi jus positivum eis resisteret.

Dixi *irritus*, quia si esset prohibitus a jure, sed

sed non irritus, contrahens quidem peccaret, sed teneret ejus contractus, quia esset illicitus, non vere invalidus. Sed

*Petes*, quomodo cognoscitur an contractus sit illicitus tantum, non vero invalidus?

*Resp.* Id dignosci ex verbis Legislatoris, qui si dicat: *nullus est contractus*, *nullam parit obligationem &c.* tunc contractus est invalidus.

*Dices*: Lex quæ contractus sine quibusdam solemnitatibus factos irritat, fundatur in præsumptione fraudis; ergo quando non intervenit fraus, contractus est nihilominus validus.

*Resp. nego ant.* Lex enim contractus irritans non fundatur in præsumptione fraudis, quam Legislator scit aliquando re ipsa non inveniri, ut in matrimonio clandestino; sed fundatur in periculo fraudis, quod semper reperitur.

Quæres 2. *An contractus invalidus firmetur juramento?*

*Nota* 1. Aliud est juramentum esse validum, & aliud contractum juramento firmari.

*Juramentum* est præcise validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis ei in cujus favorem sit, nullum jus acquirat. *Unde* inducit solam obligationem religionis, nec transit ad hæredes, utpote personalis, tolliturque juramenti relaxatione.

*Juramentum* vero firmat contractum, quando contractum invalidum, efficit validum, unde inducit obligationem religionis & justitiæ; unde si juramentum relaxetur, manet tamen obligatio justitiæ ex contractu, quæ transit ad hæredes utpote realis. (*Cap. Cum contingat de jurejur.*)

*Nota* 2. Juramentum sive firmet contractum, sive non, est *validum*, si possit servari sine peccato jurantis, vel sine damno alterius; alias est invalidum, nec obligat. Utrumque aperte colligitur ex jure. (*Cap. Cum contingat de jurejur. & cap. de 2. pactis in 6*)

*Ratio primi* est: Ne Deus quantum in nobis est, reddatur testis falsitatis.

*Ratio secundi* est: Quia juramentum non est vinculum iniquitatis, *cap* 18. *de jurejurando.*

*Resp.* 1. Juramentum dolo extortum non firmat contractum, si dolus dedit causam contractui. Quia Juramentum non confirmat incognita, unde jurans non tenetur nisi prout bona fide apprehendit. (*Panorm. Cap. Cum contingat de jurejur.*) Unde non eget relaxatione.

*Resp.* 2. Juramentum extortum vi, metu gravi injuste incusso ab eo cui juratur, non firmat contractum, cum possit rescindi per relaxationem juramenti. (*Cap.* 28. *de jurejur.*)

*Prob.* Quia qui alii injuriam intulit, eam resarcire tenetur: ergo jus illius non est firmum & irrevocabile: sed jurans potest ob injuriam acceptam petere & obtinere relaxationem juramenti, qua obtenta cessat obligatio.

*Hinc* quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis, ut constat ex *cap.* 6. *de jurejur.* cum licite solvi possint: tamen ad illas usurarius non habet jus firmum cum ex *eodem cap.* illas restituere teneatur, & jurans possit petere relaxationem juramenti, & tunc non solvere.

*Resp.* 3. Contractus ex natura sua invalidus non firmatur juramento, sed validum est juramentum, si sit de re licita.

*Prob.* 1. *pars*: Quia juramentum utpote contractui extrinsecum, non mutat naturam illius; ergo validum non facit quod ex se invalidum est.

*Prob.* 2. *pars*: Quia juramentum toties impleri debet, quoties impleri potest absque peccato, propter divinæ majestatis reverentiam.

*Resp.* 4. Contractus solo jure positivo irritus aliquando firmatur juramento, aliquando non firmatur. Firmatur quidem quando irritatio facta est immediate & principaliter propter utilitatem privatam alterius contrahentium, modo absit injustitia ex parte illius cui juratur; non firmatur vero quando irritatio facta est immediate & principaliter propter bonum commune.

*Prob.* 1. *pars*: Quia quisque potest renuntiare juri quod in suum favorem est introductum; ergo posita tali renuntiatione perinde est ac si non esset jus positivum: atqui jure positivo escluso contractus illi sunt ex sua natura firmi & validi; ergo perinde obligant ac si per leges non fuissent irritati, & dant actionem in foro externo. (*Authent. Sacramenta puberum*, *Cod. si adversus vendit.*)

*Prob.* 2. *pars*: Ex cap. *si diligenti. De foro competenti.* Ratio est, quia tunc juramentum esset de re illicita, cum sit detrimentum boni publici: ergo non firmat contractum; imo & ipsum est invalidum (*Cap. de jurejur.*) ita ut non egeat relaxatione.

*Hinc*: Juramentum Clerici, quo renuntians foro suo promittit se compariturum coram judice sæculari, non firmat promissionem, imo est invalidum (*Cap. si diligenti. De foro competenti*) quia hoc privilegium principaliter concessum est ordini Clericali.

## APPENDIX.

### *De obligatione Contractus conditionati & Contractus non puri.*

*Nota.* Conditiones multiplicis esse generis.

Alia est *de præsenti*: v. g. promitto, si meus es cognatus.

Alia est *de præterito*: v. g. promitto, si inimicum visitasti.

Alia est *de futuro necessario*: v. g. vendo tibi, si es moriturus.

Alia est *de futuro contingenti*; v. g. promitto tibi si nupseris.

Alia est *impossibilis*: v. g. promitto tibi, si cælum digito tangas.

Alia est *honesta*: v. g. promitto, si sacro adsis.

Alia est *turpis*: quæ vel rem malam continet, vel est boni impeditiva, vel præcedenti obligationi adversativa.

*Dico* 1. Conditio *de præsenti* vel *præterito* contractum non suspendit; sed si conditio existit, statim valet contractus; si non existit, non valet, etiamsi ignoretur. (*L. cum de præsens*, *ff. ne certum petetur.*)

Idem dicendum est de conditione *de futuro necessario* cognito ut tali; quia cum sit certo futurum,

rum, conditio censetur præsens. ( *L. Si pupillus ff. de novationibus.* )

*Dico* 2. Conditio *de futuro contingenti*, suspendit contractum usque ad ejus eventum; quia qui promittit aliquid dare sub conditione non necessaria, non intendit illud dare nisi posita conditione ( *Est communis doctor.* ); non potest tamen resilire ante conditionis tempus, nisi in casibus infra exceptis ( *Parte* 2. *§. de donatione* ). Posita autem conditione statim absque novo consensu obligationem parit, quia conditione posita purus fit & absolutus.

*Dico* 3. Conditio *impossibilis* de præsenti, præterito, vel futuro, & *turpis* de futuro, contractum irritat ( *L. impossibiles ff. de verb. obligat.* ) exceptis matrimonio & dispositionibus ultimæ voluntatis, licet diversimode.

*Prob. de conditione impossibili*: Quia est signum non adesse consensum serium, sed potius dissensum, cum contractus non possit purificari.

*Prob. de conditione turpi de futuro.* Quia alterum directe alliceret ad peccatum; atqui nemo potest obligari ad servandum contractum quo alius alliciatur ad peccatum; ergo.

Dixi 1. *Turpis de futuro;* Quia turpis de præsenti vel præterito non allicit ad peccatum, sed eum supponit factum; ergo non irritat contractum.

Dixi 2. *Excepto matrimonio*: circa quod hoc statuit Gregor. IX. ( *Cap. finali de conditionib. apposit.* ) *Conditiones impossibiles & turpes, contractui matrimonii adjectas, debere propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritare contractum matrimonii*: *exceptis iis, quæ sunt contra substantiam conjugii.* Ratio est quia non serio adjectæ præsumuntur.

Dixi 3. *Exceptis dispositionibus ultimæ voluntatis*: (ut sunt testamentum, legatum, donatio mortis causa) quia conditio *impossibilis*, vel *turpis* ipsis adjecta, pro non adjecta habetur a jure. (*L. ff.* 1. 5. 6. *de condit. instit.* & *§. impossibilis instit. de hæred. instituendis.* ) Ratio juris est vitatio litium, quæ post mortem testatoris nasci potuissent circa ejus mentem, utrum serio vel joco tales apposuerit conditiones.

Dixi 4. *Licet diversimode*. Quia conditio impossibilis & turpis irritat tantum matrimonium secundum fori externi præsumptionem, tales conditiones non fuisse serio contractui adjectas; unde si serio fuerint adjectæ, certum est matrimonium coram Deo esse nullum, quia revera nullus est consensus; econtra conditio turpis & impossibilis irritat ultimas voluntates tum in foro externo, tum in conscientia.

*Ratio disparitatis* est, quia jus non potest supplere consensum in matrimonio, cum talis consensus non subsit dispositioni juris humani; at jus potest consensum supplere in ultimis voluntatibus, quia res externæ subsunt dispositioni juris humani, suppetente justa causa.

*Resolves* 1. Legatum factum virgini sub conditione, *si non nupserit*, valet etiamsi nubat, quia hæc conditio est nociva Reipublicæ, ideo turpis. ( *L. Titiæ, ff. de condition. & demonstr.* )

Dixi: *Virgini.* Quia si legatum factum sit viduæ sub eadem conditione, non valet, si ad alias transeat noptias ( *Authent. cui relictum, C. de indicta viduit. tollenda*): quia sæpe familiarum interest ut vidua non nubat.

*Resolves* 2. Legatum sub hac conditione *si Religionem non ingrediaris;* vel sub ista *si nupseris*: valet etiamsi religionem amplectaris; quia cum conditio retrahat a statu perfectiori, censetur inhonesta & consequenter non apposita. ( *Novell.* 123. *de sanct. Episc. cap.* 27.)

Quæres: *An & quomodo obligent contractus ad diem: sub modo; ad causam; & ad demonstrationem?*

*Resp.* 1. Contractus *ad diem certum*, statim parit obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfixum. v. g. *Paschatis* ..... Contractus vero *ad diem incertum* v. g. *cum nupseris*, suspendit contractum: nam resolvitur in conditionalem *si nupserit.* (*L.* 1. *ff. de cond. & demonstr.* )

*Resp.* 2. Contractus *sub modo* obligat statim, nec irritus est etiamsi modus non servetur, nisi aliter contrahens expresserit. Ratio est, quia modus dispositionem in suo genere perfectam supponit: quod autem supponit rem perfectam, eandem non irritat. Unde modus non se habet ut conditio effectum suspendens, sed ut *onus* dispositioni adjectum, ad quod subeundum tenetur alter stricte & ex justitia, sed non illico sub pœna nullitatis ( *L. Mevius ff. de manumiss. test.* ), nisi disponens addiderit, hanc vel aliam clausulam *alioquin donatio nulla sit*: tunc enim resolvitur in contractum conditionalem, qui modo non impleto, se ipso corruit.

*Resolves*: Hæredes legantis non possunt sibi vindicare legatum eo prætextu quod non servetur modus, v. gr. eo quod missæ non celebrentur, sed tantum jus habent ad cogendum legatarium ut missas celebret, vel celebrari curet.

*Resp.* 3. Contractus seu donatio *ad causam*, nullus est, si causa finalis non subsistat; quia nullus est consensus substantialis; at est validus, si sola causa impulsiva deficiat, quia ille defectus non tollit consensum circa motivum principale & finale volendi.

*Resp.* 4. Error *in demonstratione* si sit circa substantiam aut personam, vitiat contractum, secus si sit solum circa accidentia, patet ex dictis supra. (*Patre*, *§.* 3. *puncto* 1.)

*Hinc* si quis leget Petro centum nummos, quos ipsi debet Paulus, vel quos habet in tali arca reconditos, si Paulus nihil debeat, vel nulla sit pecunia in tali arca, nullum est legatum, quia error est in substantia; sed si Paulus debeat tantum 20. item si 20. tantum sint in arca demonstrata, valet legatum, quia error est tantum in accidente. Sed

*Petes*, si quis dixerit: *lego Petro decem nummos quos mihi debet Paulus*, & Paulus centum debeat, an omnes sunt legati?

*Resp.* Si demonstratio apposita est *taxative* ad restringendum legatum, tunc solum debetur ille numerus demonstratus; constat enim mentem Legislatoris fuisse ut amplius non donaretur; si vero sit apposita *demonstrative tantum*, ad denotandum id quod legatum est, tunc debentur centum nummi demonstrati, quia error est tantum circa accidentia.

Petro

*Porro* demonstratio sumitur *taxate*, cum donatio incipit a numero vel mensura: v. g. *do centum nummos in tali arca reconditos.* Sumitur vero *demonstrative* tantum, cum incipit donatio a re ipsa quæ datur; v. gr. *do pecuniam quæ est in tali arca, & constat ex nummis centum.*

## PARS SECUNDA.

### *De contractibus in particulari.*

Hic contractus magis ad praxim necessarios breviter exponemus distinctis paragraphis.

### §. I. *De promissione gratuita.*

Quæres 1. *Quid sit promissio gratuita?*

*Resp.* Est deliberata & spontanea fidei obligatio facta alteri de re bona, possibili, & a promissario acceptata.

Dicitur 1. *deliberata:* nempe deliberatione & attentione perfecta; quia cum hæc obligatio sit onus sponte susceptum, non censetur cuiquam impositum, nisi perfecte in illud consenserit; unde promissio ex errore circa substantiam, aut causam finalem est nulla.

Dicitur 2. *spontanea:* id est libera à metu, violentia; alias vel nulla esset, vel saltem rescindibilis, nisi sit jurata; tunc enim obligaret non ratione promissionis, sed ratione religionis, ne scilicet Deus adduceretur in testem falsi. (*D. Thom.* 2. 2. *q.* 8. 9. 2. 7.)

Dicitur 3. *fidei obligatio:* quia requiritur ut homo se obliget alteri ex virtute fidelitatis, per quod excluditur 1. *promissio ficta*, quæ cum facta sit sine voluntate se obligandi, est nulla (*D. Thom.* 2. 2. *q.* 110. 2. 3. *ad* 7.); tamen ficte promittens est reus mendacii, & tenetur sub mortali resarcire omnia damna quæ promissarius patitur ratione fictionis, cum sit eorum causa injusta; 2. *simplex propositum;* cum sit mera voluntas faciendi aliquid absque animo se obligandi.

*Resolves:* Ad promissionem obligatoriam non est satis dicere: *promitto me hoc facturum;* si solum intendas significare animi propositum, non autem te obligare. Nec est satis dicere ad votum: *promitto me amplius non lusurum*, si solum significes te a ludo abhorrere, non autem Deo fidem obligare.

Dicitur 4. *de re bona & possibili*, quia nemo potest obligari ad rem illicitam. (*Cap. ult. de pactis.*) vel impossibilem (*Cap. nemo potest. De reg. jur. in* 6.), nec talis promissio firmatur juramento, quia est contra bonos mores. (*Cap. sicut. De jurejur.*)

Hinc nulla est promissio rei jam promissæ alteri, quia illicita est; valet tamen promissio homini facta de minori bono, licet impeditiva majoris boni, nam minus bonum potest ei magis gratum esse, quam majus; secus de Deo.

Dicitur 5. *a promissario acceptata:* quia ante acceptationem expressam vel tacitam non dicitur promissio, sed simplex pollicitatio, quæ obligat quidem ex veracitate, sed non ex justitia (*L.* 1. *ff. de pollicit.*); ratio est quia promissio (idem dic de dotatione) ante acceptationem, nondum est conventio duorum in idem, ex qua sola oritur obligatio. Hinc

*Sequitur* 1. Necesse est ut promissio facta homini exterius significetur, nam alioqui non posset acceptari. Dixi homini; quia promissio interna facta Deo cordium inspectori, nos Deo obligat.

*Sequitur* 2. promissionem (& donationem) ante acceptationem semper revocari posse. (*L. interest; cod. si quis alteri vel sibi.*)

Quæres 2. *Quomodo obliget promissio rei gravis acceptata?*

*Resp.* Obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis; si enim promissor intendat se solum obligare ex honestate morali fidelitatis, promissio per se solum obligat sub peccato veniali: si vero intendat se obligare stricte & ex justitia, tunc promissio per se obligat sub mortali.

*Prob.* Quia gratuita promissio, cum ex sola promittentis liberalitate proficiscatur, sane in ejus potestate est solum se obligare ex morali honestate fidelitatis, vel ex justitia; ergo cum intendit se obligare ex justitia, promissio per se obligat sub mortali; cum ex morali honestate, obligat solum per se sub veniali.... Et hanc promissionem arbitramur frequentiorem esse inter homines, quam quæ ex justitia obligat, cujus signum est, quod suas promissiones regulariter jurare recusant non tam ob reverentiam divini nominis, quam quod se stricte obligare nolunt.

Dixi, *per se*: quia *per accidens*, simplex promissio, ratione damni inde secuti promissario, aliquando obligat ad reparationem ejus sub mortali.

*Dices*: promissio dat actionem in foro externo; ergo obligat ex justitia.

*Resp. dist. ant.* Promissio *simplex*, *nego*, promissio per formam *stipulationis*, *conc.* Ratio est quia ex dispositione juris, stipulatio est signum promittentem se obligasse ex justitia.

*Stipulatio* est promissio facta certa verborum formula, qua unus rogat, alter promittit; v. g. *spondes mihi centum? spondeo.*

*Petes*, quænam materia censetur *gravis* in promissione?

*Resp.* Ut materia sit gravis in promissione, debet esse duplo aut etiam, ut ait Lessius, quadruplo major, quam in furto. Ratio est quia minus invitus censetur promissarius quando res gratis promissa denegatur, quam si ab eodem res æqualis valoris per furtum auferatur. (*Ita speculum confess. q.* 81. *de donat.*)

Quæres 3. *An promissio facta propter opus illicitum obliget?*

*Resp.* 1. Omnis promissio, omnisque pactio ante patratum crimen, (v. g. adulterium, homicidium, &c.) jure naturali est invalida.

*Prob.* Quia talis pactio directe ad malum allicit; nemo autem potest obligari ad peccatum.

*Resp.* 2. Patrato opere malo promissor obligatur ad solutionem pretii promissi; quia impletio promissionis, posita conditione, non est turpis, cum non alliciat ad peccatum; ergo.

*Hinc* qui sub promissione matrimonii corrupit virginem, tenetur ipsi fidem promissam ex justitia servare, alias inæqualitatem ponit, & injustus est.

*Dices*: Lege generaliter (*L. generaliter ff. de verb.*

*verb. signif.* ) dicitur; *generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti*; ergo.

*Resp. dist. Legem*: nullius sunt momenti *ante patratum crimen*, *conc.* post *patratum*, *subdist.* in foro *externo* in quo non dant actionem, *conc.* in foro conscientiæ, *nego*. Per illas enim Leges non tollitur obligatio naturalis, quæ ex promissionibus onerosis oritur. Tamen consilium est Confessariis ut in pœnitentia injungant sic acceptorum restitutionem faciendam pauperibus: crimen enim tali pœna est dignum.

Quæres 4. *Quænam promissiones jure positivo sint irritæ?*

*Resp.* Omnes quæ sunt contra bonos mores civiles; tales sunt 1. Promissiones quibus adimitur libera potestas disponendi de rebus suis: v. g. non testandi, non instituendi alium hæredem, nisi talem ( *L. Pacta. Cod. de pact.* ) 2. Promissio beneficii nondum vacantis, ne detur occasio optandi mortem beneficiarii. ( *Conc. Later.* 3. *c.* 8. )

Quæres 5. *Quomodo cesset obligatio promissionis validæ, & acceptatæ?*

*Resp.* Cessat, 1. *Remissione* promissarii, quia cedit suo juri.

2. *Depositione* causæ finalis: v. g. si promiseris dotem pauperi virgini, quæ facta est dives.

3. *Mutatione* notabili rei promissæ: v. g. si facta est illicita, vel inutilis, vel impossibilis, vel noxia promittenti, aut promissario; quia cessat materia promissionis.

### §. II. *De donatione gratuita.*

Quæres 1. *Quid sit donatio gratuita?*

*Resp.* Est rei aut juris alicujus gratuita concessio.

Dicitur *concessio*, id est *rei datio*, ad distinctionem promissionis, quæ est solum *fidei datio*.

Ut valeat, debet esse deliberata, spontanea & acceptata, eodem modo quo diximus de promissione & propter easdem rationes.

Quæres 2. *Quotuplex sit donatio?*

*Resp.* Donatio dividitur 1. in *realem*, quæ fit traditione rei; & in *verbalem*, quæ fit solis verbis absque traditione rei. 1. Dat *jus in re*: 2. Solum *jus ad rem*.

2. Dividitur in *pure liberalem*, quæ in donante nullam ne gratitudinis quidem supponit obligationem, & in *remuneratoriam*, quæ supponit obligationem gratitudinis.

*Nota*: Quando alicui prohibentur donationes erga aliquos, non prohibentur *remuneratoriæ* proportionatæ obsequiis alias non debitis. ( *L.* 1. *ff. de donat.* )

3. Dividitur in *donationem inter vivos*, qua quis sic aliquid donat ut velit etiam se vivente, esse donatarii; & *donationem mortis causa*, qua quis sic donat, ut velit rem non nisi post mortem suam esse donatarii.

Quæres 3. *Quænam conditiones sint necessariæ ad validitatem donationis inter vivos?*

*Resp. Sunt sequentes* 1. Ut donator rei donandæ habeat dominium, & administrationem a Lege non prohibitam.

*Defectu hujus conditionis* non sunt validæ *jure communi*, saltem irrevocabiliter. 1. Donationes gratuitæ conjugum inter se. ( *L. cum hic status, ff. donat. inter vir. & uxor.* ) Hoc autem ideo a jure statutum est, ne conjuges mutuo amore se suis bonis spoliarent cum damno liberorum & parentum; confirmatur tamen, 1. juramento ( *Ut patet ex dictis de contract. in comm.* ); 2. morte donantis ( *L. Cum hic status* ), modo non impediant, ne liberi suas legitimas recipiant. ( *L.* 2. *de inoff. donat.* )

2. Donatio patris in filium nondum emancipatum, quæ potest ad arbitrium patris revocari ( *L.* 1. *cod. de inoff. donat.* ). Ratio est quia filius nondum emancipatus censetur una persona civilis cum patre, & ita pater videtur sibi donare. Tamen non revocata confirmatur, 1. juramento; 2. morte patris, quia desinit esse in ejus potestate.

3. Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum ( *L. Stipulatio: ff. hoc modo lat. de verb. oblig.* ) quia per talem donationem homo privat se potestate testandi quod leges improbant.

Dixi, *jure communi*: quia in Gallia sunt variæ consuetudines a Confessario necessario sciendæ & tenendæ.

2. *Conditio* est, ut donatarius rem donatam recipere possit.

Defectu hujus conditionis donatarii esse non possunt qui nimiam in alios auctoritatem habent; ut sunt Tutores, & Curatores erga Pupillos; Medici, Chirurgi, Advocati erga clientes. ( *Ita collat. Andegav. p.* 188. )

3. *Conditio*, ut res donata non sit alteri obligata.

4. *Conditio*, ut donatio fiat cum debitis solemnitatibus a jure requisitis, quæ sunt tres, scilicet *traditio*, *acceptatio*, & *insinuatio*, quæ est actus quo donationes in acta publica referuntur.

*Porro* insinuari debent tum donatio, tum acceptatio, alias donatio esset irrita, sive donatio *inter vivos*, sive *mortis causa* ( *Edict. ann.* 1703. & *ann.* 1704. ) tamen donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta, non indiget insinuatione, modo persona sit habilis ad recipiendum, quales non sunt uxor, maritus; &c. ( *Argen. p.* 227. )

Quæres 4. *An donatio acceptata possit revocari?*

*Resp.* 1. Donatio *inter vivos* non potest revocari nisi ob tres causas.

1. *Ob ingratitudinem donatarii*: v. gr. si donatori injurias atroces, si grave damnum in illius bona vel personam intulerit; si conditionem appositam donationi non impleverit; si necessitate pressum non aluerit. ( *L. fin. de revoc. donat.* )

2. *Ob prolem postea susceptam*, quia ex dispositione Legum donatio facta censetur sub hac conditione *si proles non nascatur*. ( *L.* 8. *cod. de revoc. donat.* )

3. *Si sit inofficiosa*: hoc est facta contra officium pietatis debitæ liberis, ut quando per donationem privantur sua legitima, id est parte hæreditatis sibi debita secundum Leges. ( *L.* 1. *cod. de inoff. donat.* )

*Resp.* 2. *Donatio mortis causa*: semper potest revocari, hinc commune axioma jurisperitorum; *ambulatoria est testantis voluntas usque ad extremum vitæ spiritum.* ( *L.* 4. *ff. de adimend.* )

Quæres 5. *Quotuplex sit donatio mortis causa?*

Resp.

*Resp.* Quadruplex, scilicet testamentum, codicillus, legatum & fideicommissum.

§. III. *De Testamentis, Codicillo, Legato, &c.*

Quæres 1. *Quid sit Testamentum?*

*Resp.* Testamentum secundum jus Cæsareum, est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult cum directa hæredis institutione (*L.* 1. *ff. qui testam. facere poss.*)

Dixi: *secundum jus Cæsareum:* quia in Gallia consuetudinaria institutio hæredis locum non habet, sed hæreditas defuncti pleno jure in eum consanguineum transit, qui secundum Leges defuncto succedere debet, a quo legatarius universalis, legati traditionem petere debet, sicut eam petere debent particulares legatarii.

Dicitur 1. *Voluntatis nostræ:* id est testatoris & non alterius, alias testamentum est nullum.

*Dices:* Justinian. ait: *qui extremam voluntatem alienæ voluntati committit, non videtur decedere intestatus* (*Cap. Cum tibi; de testam.*) ergo.

*Resp. ad dictum cap. cum dist.* Qui extremam voluntatem alienæ committit *quoad causas profanas*, non decedit intestatus, *nego*; *quoad causas pias; subdist.* qui extremam voluntatem alienæ committit *quoad determinationem solum individualem*, non videtur decedere intestatus, *conc. quoad omnem determinationem*, *nego.* Dictum ergo caput debet intelligi de eo qui determinavit hæreditatem suam esse deferendam piis causis in genere, & commisit tertio individualem determinationem.

Dicitur 2. *justa sententia*, id est cum solemnitatibus a jure requisitis facta.

Dicitur 3. *De eo, quod quis post mortem suam fieri vult;* quia ut valeat Testamentum, *mors, necesse est, intercedat testatoris*, Hebr. 9. utpote cujus voluntas usque ad mortem ambulatoria est & revocabilis.

Dicitur 4. *Cum directa hæredis institutione:* per quod distinguitur a codicillo, legato &c. ea enim testamento ita intrinseca est, ut sine ea esset irritum. (*§. Ante hæred. Instit. de Legat.*)

Quæres 2. *Quotuplex sit Testamentum?*

*Resp.* Testamentum dividitur in olographum solemne & privilegiatum.

*Olografum* est, quod propria manu testatoris scribitur; viget solum in locis consuetudinariis.

*Solemne* est illud, in quo servantur omnes formalitates a jure præscriptæ; hoc vel fit scripto, & dicitur *scriptum:* vel fit viva voce, & dicitur per *nuncupationem.*

*Privilegiatum* est illud, quod valet etiamsi non omnes formalitates juris serventur, tale est testamentum militis, & testamentum ad pias causas.

Quæres 3. *Quid sint codicillus, legatum, fideicommissum?*

*Resp. Codicillus* est ultimæ voluntatis dispositio, quo circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo vel demendo immutatur.

*Legatum* est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum, directis verbis alicui relinquit. Si legatum sit universale, dicitur *falcidia* (*Falcidia dicitur quia lata est a Falcidio Tribuno plebis*) id est quarta pars hæreditatis quam hæres (legitima jam deducta quatenus ipsi jure naturæ debita) potest detrahere a legatis.

*Fideicommissum* est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. Si fidei commissum sit universale, dicitur *trebellianica* (*dicitur a Trebellio maximo Consule.*) id est quarta pars hæreditatis, quam hæres fiduciarius potest detrahere a fideicommisso.

Quæres 4. *Quænam solemnitates jure communi ad testamentum requirantur?*

*Resp.* 1. Ad testamentum *olographum* nulla requiritur sollemnitas, nisi ut totum a testatore scriptum & subscriptum sit, sine interlineis ab extranea manu; debent etiam exprimi locus & tempus sub pœna nulitatis (*Novella* 2. *de Testament.*)

*Resp.* 2. Ad Testamentum solemne requiruntur septem testes, qui sint mares, puberes, & capaces ad recipiendum ex testamento, qui omnes debent subscribere. (*L. Hac consultissima de testam.*)

*Resp.* 3. Ut testamentum ad pias causas sit validum in foro externo, non requiruntur solemnitates juris civilis, sed sufficiunt eæ quæ sunt juris gentium, nempe ut duo testes adsint (*Cap. Relatum de testam.*). Ut autem valeat in foro conscientiæ, sufficit id quod jure naturali est sufficiens, scilicet habitualis testandi in disponente, capacitas recipiendi in eo in cujus favorem dispositio fit, & libertas in dispositione; ratio est quia duo testes non ideo requiruntur jure canonico ut dispositio sit valida in foro conscientiæ, sed ut possit probari, ut dicitur c. *relatum.*

*Hinc* etsi testamentum aliquod ad causas profanas defectu solemnitatis sit invalidum, tamen legata pia in eo contenta sunt valida; debet ergo illa solvere hæres *ab intestato*, hocque legibus nostris præcipitur.

*Resp.* 4. Ad Codicillum requiruntur & sufficiunt quinque testes, etiam non rogati (*L. fin. §. fin. cod. de testament.*) inter quos etiam admittuntur mulieres, ut docent communiter Doctores, quorum ratio est quia nulla lege prohibentur; atqui omnes rationis compotes sunt idonei testes in omnibus actibus, nisi prohibentur, ut ait jus (*L.* 1. *ff. de testibus.*) ergo.

Dixi in quæst. *jure communi;* quia in locis consuetudinariis variæ præscribuntur solemnitates ad amussim observandæ, quas cum hic non possimus recensere, ad ipsas consuetudines remittimus Confessarios.

Quæres 5. *An Testamentum destitutum solemnitate a jure civili requisita, validum sit in conscientia?*

*Resp. negative*, & *Prob.* 1. ex Lege *hac consultissima*, in qua dicitur, *ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti non volumus* (*L. Hac consult. cod. de testam. Idem habetur L. ex imperfecto ff. de legat. & instit. quibus modis testament. infirm.*)

*Prob.* 2. Contractus defectu solemnitatis a jure irritus non obligat in conscientia, ut supra probavimus; ergo nec testamentum.

*Prob. conseq. & paritas:* ratio, propter quam contractus non solemnes irritantur a legibus, non minus

minus urget erga testamenta, quam erga contractus (nempe ut vitentur fraudes, servetur pax & tranquillitas reipublicæ); ergo si contractus defectu solemnitatis a jure irritus, non obligat in conscientia, nec testamentum.

*Obiicies:* Factio testamenti est juris naturalis; ergo parit obligationem naturalem, esto solemnitate careat.

*Resp.* 1. *Retorqueo argum.* Contractus matrimonialis est juris naturalis; ergo parit obligationem naturalem, esto solemnitate careat, puta præsentia Parochi & testium.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Quia Lex humana est tantæ potestatis, ut possit actui de jure naturali valido præscribere certam formam, qua non observata reddatur in utroque foro invalidus, quod fit in matrimoniis & testamentis.

*Inst.* 1. Hæ Leges fundantur in præsumptione fraudis; ergo quod non intervenit fraus, testamentum est validum in foro conscientiæ.

*Resp. nego ant.* Fundantur enim in periculo fraudis, quod semper reperitur, ut dictum est dum de contractibus.

*Inst.* 2. Quod solutum est ex imperfecto testamento, nequit repeti; (*L. Et si inutiliter*, *cod. de fideicomm.*) ergo saltem obligat in conscientia.

*Resp. dist. ant.* Si sit solutum *a sciente voluntatem defuncti*, ut habet cit. lex, *conc.* tunc enim ex juris præsumptione censetur ratam habuisse voluntatem defuncti, atque illam ratihabendo quodammodo solemnizasse. Si sit solutum ex errore acti quo putavit testamentum esse solemne cum non sit, *nego.* Tunc enim postea errorem cognoscens potest solutum repetere, ut expresse habet alia Lex. (*L.* 7. *Cod. de condict. indebiti.*)

Quæres 6. *Quinam sint inhabiles ad testandum?*

*Resp.* 1. *Jure naturæ* sunt inhabiles ii omnes qui mentem sanam non habent, ut sunt amentes, furiosi, nisi habeant lucida intervalla. (§. 1. *Inst. quibus non est perm. fac. testam.*)

*Resp.* 2. *Jure civili* sunt inhabiles: 1. impuberes (*L. Qua ætate ff. qui testam. fac. poss.*) 2. mutus & surdus a nativitate (*L.* 10. *Cod. qui testam. fac. poss.*) 3. mancipium (*L. filiusfam. ff. de test.*) 4. capitali crimine damnatus (*L.* 8. *eodem titulo.*) 5. prodigus. (*L. Item prodig. de test.*) 6. filius familias etiam consentiente patre de bonis adventitiis testari non potest; (*L. Qui non potest*, *de test.*) potest tamen si sit pubes de bonis castrensibus testari etiam patris consensu non requisito. (*L. fin. ff. eod.*)

*Dices:* Peculium adventitium comparatur castrensi (*Inst. de auctor. Tutor.*); ergo sicut ex hoc, ita ex illo filiusfamilias testari potest.

*Resp. dist. ant.* Comparatur castrensi *quandiu filius vivit*, ut ait cit. Lex, *conc.* post mortem, *nego ant. & conseq.*

*Inst.* Pupillus accedente auctoritate omne negotium recte gerit, ait Justinianus (§. 1. *Instit. quib. non est perm. fac. test.*); sed pupillus est impubes; ergo.

*Resp. dist. maj.* Omne negotium distinctum a dispositione ultimæ voluntatis, recte gerit, *conc.* recte gerit talem dispositionem, *nego maj.* quia casui consequentis obstat jus (*L. Imperator*, *cod. de senatuscons. Trebell.*) Ratio autem juris est quod impuberum vita insidiis hæredum objiceretur.

*Resp.* 3. *Jure can.* Sunt inhabiles 1. *Clerici* de bonis mere ecclesiasticis (*Cap.* 1. & 9. *de test.*) (non possunt enim de eis disponere, nisi ad pias causas) 2. *Religiosi* post emissam professionem (*Cap. final. de sepult. in* 6.) 3. *Usurarii notorii*, nisi prius restituerint usuras, vel de eis restituendis idoneam cautionem præstiterint (*Cap.* 2. *de usur. in* 6.) 4. *Hæretici publici*, *eorumque receptores & fautores* (*Cap. Excommunicamus*, §. *credentes de hæret.*) quod tamen in locis ubi hæretici cum Catholicis permixtim vivunt, non practicatur.

Quæres 7. *An valeat in foro conscientiæ fideicommissum in favorem ejus qui per Leges non potest hæres vel legatarius institui*; puta uxor, spurius &c.

*Resp. negative*; Quia Leges justæ non in foro tantum externo, sed & in foro interno obligant. *Hinc* fideicommissum illud ad quoscumque devenerit, hæredibus ab intestato restitui debet.

Quæres 8. *Quid dicendum de executore testamenti?*

*Resp.* 1. Executor potest esse vel masculus, vel femina (*Cap.* 1. *de Testam.*) Laicus & Clericus etiam religiosus de sui Superioris licentia (*Cap. Religiosus*, *de testam. in* 6.) exceptis fratribus Minoribus. (*Clem. exivi* §. *utrum etiam.*)

2. Si nullus executor a testatore sit positus, executio spectat ad hæredes (*Cap. si hæredes*, *de testament.*) debetque fieri tempore a testatore determinato; quod si non determinaverit tempus, debet fieri statim, idque pro dispositionibus profanis intra annum post aditam hæreditatem, nisi justo impedimento excusetur. (*Novel.* 1. *cap.* 1. §. 1.) & intra sex menses pro legatis piis, etiamsi hæreditas non sit adita (*Novel.* 131. *cap.* 22.) unde si in eo sint negligentes, ab utroque Judice Civili & Ecclesiastico possunt compelli. (*Cap. si hæredes de testam.*)

3. Tenetur Executor omnia sincere exequi juxta mentem testatoris, & quidem incipere a legatis piis. (*L.* 24. *Cod. de Episc.*)

4. Executori non debetur salarium cum sit officium gratuitæ amicitiæ, nisi testator aliquod ei constituisset, uti communiter contingit; quod si forte aliquid ex executione damnum patiatur, tunc debet salarium a judice assignari.

Quæres 9. *An qui fuit institutus hæres per Testamentum, aut qui talis est ab intestato, teneatur adire hæreditatem?*

*Resp.* Non tenetur, eo quod hominum facultates plerumque fallant, & periculum esse possit, ne debitas vires hæreditatis excedant; atqui nemo tenetur adire hæreditatem cum præjudicio suo; ergo &c.

Verum huic periculo subveniunt Leges concedendo, ut hæres adeat hæreditatem beneficio inventarii, quo hæres tria consequitur: nempe

1. Quod ultra hæreditatis vires convenire non possit.

2. Quod possit detrahere falcidiam, & trebellianicam, si hæreditas ultra eas gravata sit legatis, vel fideicommissis: eam tamen detrahendam

piis

piis legatis non esse, docent communiter auctores ex authent. *Similiter*, cod. ad Legem falcid.

5. Quod habeat jus ante omnia deducendi expensas funeris, & ipsiusmet inventarii, quodque de ordine creditorum non debeat esse sollicitus.

§. IV. *De deposito & sequestro.*

Quæres 1. *Quid sint depositum & sequestrum?*

*Resp.* Depositum est contractus, *quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem.* (*Colligitur ex l. 1. ff. depositi*).

Sequestrum est contractus, *quo res de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur cum fructibus ei cui adjudicabitur a Judice.*

Quæres 2. *Quænam sint obligationes depositarii?*

*Resp.* Colliguntur ex ejus definitione, quam ideo explico:

Dicitur 1. *quo res*: & quidem mobiles v. g. gemmæ, pecunia; vel se moventes, ut animalia; non autem immobiles, nisi quando est de ipsis controversia, tunc enim solent deponi in sequestro.

Dicitur 2. *res custodienda*: quia depositario custodia rei est commissa, non vero usus concessus, ex quo duo sequuntur.

1. Depositarium teneri rem depositam servare & custodire ea cura quam homines diligentes in suis rebus similibus adhibere solent. (*L.* 32. *ff. depos.*)

2. Depositarium non posse uti re deposita sine consensu domini expresso, vel tacito, aut saltem probabiliter præsumpto; quia esset usurpatio usus rei alienæ invito rationabiliter domino, & verum furtum, ut dicitur in jure. (*L.* 3. *cod. depos.*) Unde si usus ille sit pretio æstimabilis, (ut usus equi, vestis) debet solvi ipsius pretium; usus enim est quidam fructus rei, res autem fructificat domino suo.

*Resolves*: Depositarium posse uti re deposita, 1. Cum dominus concedit usum rei; sed tunc depositum, si sit res usu consumptibilis, aut alienata, transit in mutuum, cum depositarius accipiat rei depositæ dominium & periculum; vel si non sit res usu consumptibilis, transit in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem, si pretium exigatur. (*Specul. Confess. disp.* 8. *de depos.*).

2. Cum talis usus vergit in commodum deponentis, v. g. si depositarius aliquando utatur equo deposito, ne in stabulo diu retentus languescat; quia tunc est consensus tacitus.

3. Quando depositarius bona fide existimat domino rei non displicere, si re deposita utatur, quia tunc est consensus probabiliter præsumptus; sic prudenter existimat domino non displicere si utatur pecunia numerata deposita, modo certus sit moraliter, se eam soluturum ut primum exigatur, secus si clausa & obsignata traderetur pecunia, quia tunc dominus censendus esset usum ejus prohibere.

Dicitur 3. *traditur alteri, ab eoque suscipitur*: quia ad depositum non sufficit traditio mera ex parte deponentis, sed requiritur susceptio ex parte depositarii, qui alioqui non tenetur de deposito, nisi forte ex officio teneatur illud custodire, prout tenentur caupones, stabularii, aurigæ, nautæ &c. nam sufficit quod illis videntibus res in domo, vel curru, vel navi, deponatur, ut dicitur in jure. (*L.* 1. *ff. nautæ*).

Dicitur 4. *ut reddatur eadem*: & quidem numero, integre & statim, regulariter loquendo; nam excipiuntur tres casus, in quibus depositarius non tenetur reddere, vel saltem statim reddere:

1. Quando deponens petit depositum, ut sibi, vel alteri noceat; v. g. si furens repetat ensem, quia tunc est irrationabiliter invitus.

2. Quando dominus rei, & fur deponens concurrunt in repetitione rei, tunc enim est reddenda domino, non furi.

3. Quando post depositionem, bona deponentis sunt fisco addicta per sententiam, tunc depositum fisco reddendum (*L. Bona fides, ff. depositi*).

Quæres 3. *Ex qua culpa teneatur ad restitutionem depositarius, si depositum pereat, aut deterius fiat?*

*Ante resp.* Sequentia sunt diligenter notanda.

1. Culpa duplex est, scilicet theologica, & civilis.

*Culpa Theologica* est ea, quæ veram rationem peccati, sive moralis, sive venialis habet.

*Culpa Civilis* est omissio alicujus diligentiæ, per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui damnum creatur, sive omissio sit peccatum, sive non.

2. Culpa Civilis triplex est, lata, levis, & levissima.

*Culpa lata* est omissio diligentiæ, quam communiter homines ejusdem conditionis adhibere solent: v. g. si quis rem sibi commodatam foris ante ostium relinquit, ex quo a transeunte surripiatur.

*Culpa levis* est omissio diligentiæ, quam prudentiores solent adhibere, v. g. si quis rem commodatam in suo relinquat cubiculo, sed non clauso ostio.

*Culpa levissima* est omissio diligentiæ, quam adhibere solent prudentissimi: v. g. si quis cubiculi sui claudat quidem ostium, sed non observet utrum sera fuerit bene inducta.

3. Ad obligationem restituendi, supposito contractu, & quasi contractu, sunt aliquæ Leges tenendæ quæ obligant in conscientia, & quidem ante sententiam judicis; quia unusquisque cum contrahit, implicite saltem se obligat ad eam præstandam diligentiam quam Leges requirunt, adeoque ad eam subeundæ pœnam quam eamdem Leges imponunt; & sunt sequentes:

1. *Lex*: si contractus cedat in gratiam solius dantis, (ut fit in deposito); rei detentor ad restitutionem non tenetur, nisi ex culpa lata & dolo. (*Inst. l.* 3 *tit.* 15. §. 3.)

*Ratio hujus dispositionis* est, quia æquitas naturalis postulat ut quis non teneatur majorem adhibere diligentiam erga rem alienam, quam sine ullo suo commodo recipit, quam erga res proprias.

2. *Lex*: si contractus cedat in solius recipientis utilitatem, (ut fit in commodato) recipiens tene-

tenetur eam restituere si perierit ex sua culpa levissima, non autem ex casu fortuito. (*C. unico de commodato*).

*Ratio hujus dispositionis* est, quia æquitas naturalis postulat, ut is qui gratis utitur re aliena in suam tantum utilitatem, maximam diligentiam adhibeat, ne pereat.

3. *Lex*: si contractus cedat in utilitatem utriusque, (ut in locatione) locatarius ad restitutionem tenetur ex culpa lata & levi, non autem ex levissima. (*Inst. l. 3 tit. 15. §. 5.*).

*Ratio hujus dispositionis* est, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat ut majorem solito diligentiam erga ipsam adhibeat; non tamen tantam, quantam adhiberet si in sui tantum utilitatem accepisset; hinc famuli tenentur de culpa levi.

4. *Lex*, pro obligatione restituendi ex quasi contractu, hæc est: cum quis ex officio suo, aliquid facit in utilitatem alterius, non accipiendo mercedem, tenetur tantum de culpa lata & dolo: si sit mercede conductus, ut Tutores, Medici, Advocati, negotiorum gestores, tenetur de culpa levi, non autem de levissima, nisi in duobus casibus: 1. Cum res est tanti momenti ut ex natura sua summam cautionem exigat. 2. Cum quis tamquam in sua arte peritissimum sese obtulerit quærenti; ratio est, quia tunc est pactum saltem implicitum majores solito diligentias adhibendi. His positis:

*Respond. Depositarius tenetur solum de dolo & culpa gravi* (*L. 1. cod. deposit.*)

Excipe 1. *Si seipsum pro deposito obtulerit* (*Cod. 2. de depos.*), *vel si aliquid pro ejus custodia receperit*, ait Justin. tunc tenetur de culpa levi. Hinc sartores, molitores, stabularii, aurigæ, tenentur de culpa levi.

Excipe 2. si res pretiosa diligentissima custodia indigeat: si pactum sit de maxima custodia *L. 1. ff. depos.*); si depositum sit in favorem solius depositarii, v. gr. si quis apud alium deponat pecuniam eo fine ut ea utatur, si opus illi fuerit (*L. 4. de rebus creditis*). In quibus casibus tenetur de culpa levissima.

*Dices*: Aurigæ, nautæ, stabularii tenentur de culpa levissima, ex Justin. (*L. digest. tit. 9. l. 2.*); ergo non tantum de culpa levi.

*Resp. dist. ant.* Tenentur de culpa levissima, si quis eis rem expresse tradiderit custodiendam, *conc. nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus adversus eos quos recipiunt coeundi*, ait cit. Lex. Si quis rem suam, ipsis tantum videntibus in diversorio vel navi deposuerit: *nego.* Et ita nunc est consuetudo, ait Lessius. (*L. 1. c. 27. de deposito.*)

Quæres *tandem an depositarius aliquando de casu fortuito teneatur?*

*Resp. teneri* 1. Si casus fortuitus dolum subsecutus est; v. g. si depositarius secum detulerit depositum in locum periculosum; 2. Si mora restituendi præcessit casum fortuitum.; 3. Si pactum intervenit, ut de casu fortuito teneretur.

### §. V. *De commodato & precario.*

Quæres 1. *Quid sint commodatum & precarium?*

*Resp. Commodatum* est contractus quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad determinatum tempus, ante quod repeti non potest.

*Precarium* (sic dictum quia ad preces petentis conceditur) est gratuita rei quoad solum usum concessio revocabilis ad nutum concedentis.

Dicitur *revocabilis*, &c. per quod differt a commodato, quod non potest repeti nisi elapso tempore, ad quod datum est.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes commodantis, & commodatarii?*

*Resp.* 1. Commodans tenetur 1. aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum, v. gr. si commodet vasa pravo liquore imbuta; alioqui tenebitur de damno inde secuto.

2. Tenetur non repetere commodatum ante tempus de quo expresse vel implicite conventum est; alias tenebitur de damno erga commodatarium.

Excipe casum, in quo commodanti simile damnum ex carentia rei suæ inopinato immineret; quia censetur sub hac tantum conditione concessisse rei suæ usum.

*Dices contra exceptionem* cum Navar. quisque debet pactis & promissis stare; ergo commodans non potest repetere commodatum ante tempus cum damno commodatarii, etiamsi æquale damnum pateretur.

*Resp. dist. ant.* Quisque debet stare promissis, quandiu manet idem status rerum, *conc.* si notabiliter mutetur, *nego.* Ut si promisisti alii alimenta, & postea incidisti in egestatem.

*Inst. Regula* 33. *jur. in* 6. sic habet: *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Ergo.

*Respond. dist. reg.* Non potest mutare consilium, absque rationabili causa & intendendo per se detrimentum, *conc.* quando est rationabilis causa, nec intenditur detrimentum, *nego.* Hic autem est rationabilis causa, & commodans intendit solum propriam sublevationem.

*Respond.* 1. Commodatarius tenetur 1. non uti re commodata, nisi ad usum sibi concessum, ad quem solum jus habet: alias furtum committit, ait Justinian. (*Inst. de obligat. quæ ex delicto.*)

2. Tenetur rem commodatam conservare ea cura quam homines diligentissimi in rebus suis similibus adhibere solent (*Instit. quibus modis*).

3. Tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur (*Cap. ult. de locato*). Ab hoc tamen debito excusatur 1. si absque sua culpa inciderit in impotentiam reddendi tempore præfixo. 2. Si commodatum retineat per compensationem indirectam, scilicet dum nec commodans solvat debitum (*L. ult. cod. de compensat.*)

4. Tenetur ad impensas modicas & necessarias ad rei commodatæ conservationem (v. gr. ad pabulum equi,) non autem ad extraordinarias, v. g. ad curationem equi cum magno pretio. (*Ita Lopez l. 2. de contract. cap. 46.*)

Quæres 3. *Ex qua culpa teneatur commodatarius?*

*Respondet* Gregor. IX. *cum gratia cui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur* (*Cap. unico de commod.*), non autem tenetur de casu fortuito, nisi aut pactum speciale, aut mora tempore præfinito restituendi,

aut

aut etiam culpa lata, (Si nimirum ad usum non concessum converterit rem commodatam) præcesserint.

Quod si *precarium* fuerit, recipiens non tenetur nisi de dolo & culpa lata restituere, quia precarium potest semper a domino revocari, non autem commodatum.

## §. VI. *De mandato.*

Quæres 1. *Quid sit mandatum?*

*Resp.* Est obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis suscepta ... dicitur *gratis suscepta*: quia si pro pretio suscipiatur est *locatio operæ* potius quam mandatum.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes mandantis, & mandatarii?*

*Resp.* 1. Mandans tenetur 1. præbere necessaria ad mandati executionem, & solvere sumptus (*Cap.* 6. *de procurat.*) .... 2. Tenetur ratum habere quod a mandatario bona fide ac prudenter gestum est, quia id æquitas & justitia exigunt.

*Resp.* 2. Mandatarius seu procurator tenetur

1. Negotium susceptum diligenter adimplere tamquam proprium; ita ut mandato non peracto, vel male peracto teneatur mandantem indemnizare (*L.* 21. *cod. mandati.*), nisi tempestive mandati acceptationem revocaverit.

2. Non potest mandati sui fines transire *qui diligenter custodiendi sunt*, ait Lex (*L.* 5. *ff. mandati.*). Unde non potest aliquid emere pluris, vel minoris vendere quam ei præscriptum sit. Alioqnin damnum inde ortum tenetur sustinere.

3. Tenetur nullam mercedem ex opera sua gratis promissa exigere, aut retinere per occultam compensationem; *quia mandatum nisi gratuitum nullum est, nam originem ex officio vel amicitia trahit; interveniente enim pecunia ad locationem & conductionem potius respicit*: ait Lex (*L.* 1. *ff. mandati*).

*Nota.* Eædem sunt obligationes ejus qui absentis & ignorantis negotium gerit sine mandato, ac mandatarii (*L.* 20. *cod. de negot. gest.*) ... absens vero tenetur negotiorum gestori impensas & damna ex negotii administratione secuta compensare; & insuper mercedem operæ congruentem solvere (*L.* 2. *ff. de negot. gest.*); idque etiamsi negotium male succedat, modo negotii gestor prudentiam & diligentiam debitam adhibuerit.

Quæres 3. *Ex qua culpa teneatur mandatarius & negotiorum gestor?*

*Resp.* Si mandatum gratis suscepit, tenetur de dolo & culpa lata (*L.* 3. *de negot. gest.*). Si pro mercede, vel si se obtulit, cum alius diligentior præsto esset, tenetur de culpa levi; si maximam diligentiam promiserit, vel si maximam res exigat, tenetur de levissima.

## §. VII. *De locatione & conductione.*

*Nota:* Locatio & conductio sunt unus idemque contractus, qui ex parte dantis *locatio*, ex parte accipientis, *conductio* appellatur.

Quæres 1. *Quid sit locatio & conductio?*

*Resp. Locatio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio conceditur.

*Conductio* est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio comparatur.

Dicitur 1. *Ad usum*, ut equus, servus, &c. *ad fructum*, ut ager, &c.

Dicitur 2. *Pro pretio*: id est pro pecunia: alioquin si fiat pro alia re, vel obsequio, non erit locatio, conductio, sed contractus innominatus.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes locatoris?*

*Resp. Locator* tenetur 1. rem non locare pretio justo majorem, alioquin tenebitur ad restitutionem; justum autem pretium desumi debet ex praxi in tali loco servata a timoratis.

2. Tenetur aperire conductori vitia rei locandæ occulta, & noxia: alioquin tenebitur conductori *in id quod interest, nec ejus ignorantia* culpabilis *erit excusata* (*L.* 19. *ff. locati*). Ratio est quia locator tenetur rem locandam probare utrum sit vitiata.

3. Tenetur impensas in rei reparationem (v. g. in restaurationem domus) necessario factas, solvere (*L.* 55. *ff. locati*). Item tenetur ad onera publica ad rem locatam pertinentia, nisi aliter conventum sit (*L.* 1. *cod. de annonis & tributis*).

4. Tenetur non locare rem suam ei qui ea male usurus est: v. g. domum meretricibus, usurariis publicis; quia hoc esset cooperari peccato alieno.

5. Tenetur remittere vel minuere pensionem quando ob casum fortuitum (v. g. ob hostium incursionem, sterilitatem, &c.) conductor nullum omnino, vel modicum fructum ex re conducta percepit; (*L.* 27. *ff. locati.*) .... *Excipe* 1. *nisi ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari* (*Cap.* 3. *de locato.*) ... *Excipe* 2. nisi conductor convenerit ab initio cum locatore, ut quovis eventu solvere teneatur integram pensionem quæ ad hoc onus minor esse debet (*L.* 9. *ff. locati.*).

6. Rem ante tempus constitutum non potest repetere; excipiuntur 4. casus ab utroque jure (*Cap.* 3. *de locatio*, & *l.* 3. *cod. locati.*)

1. Si conductor statuto tempore pensionem non solverit in locato trium aut quatuor annorum; & per biennium in locato quinque vel decem annorum.

2. Si casus improvisus accidat, v. g. incendii, matrimonii, ob quem res locata domino sit necessaria ad suos usus.

3. Si conductor re locata abutatur, vel ipsam destruat, (v. g. si intra cubicula sues alat, arbores incidat, &c.).

4. Si domus locata egeat refectione, qua non indigebat tempore locationis; sed tunc remitti debet pensio pro rata temporis residui.

*Hinc* famulus a servitio heri sui absque rationabili causa ante tempus definitum discedere non potest, & si discedat, nihil ei debetur; imo de damnis ex desertione secutis herum indemnem servare tenetur, nisi in periculo peccandi per malitiam heri sui constituatur.

Quæres 3. *Quænam sint obligationes conductoris?*

*Resp.* Conductor tenetur 1. rem, vel operas arti-

tificis non conducere pretio justo minore, alias tenebitur ad restitutionem.

2. Tenetur non uti re locata nisi ad usum concessum; alias usurparet usum rei alienæ invito domino.

3. Tenetur pensionem statuto tempore solvere; unde si sit in mora culpabili, tenetur locatori de interesse. (*L.* 17. *cod. de locato.*)

4. Tenetur rem vel personam non dimittere ante terminum constitutum; alioqui tenetur solvere integram pensionem, perinde ac si ea usus esset, supposito, quod res, aut persona dimissa simili salario vel pensione, non possit locari. (*L.* 55. *& ff. locati.*)

5. Tenetur rem locatam completo locationis tempore, locatori remittere in bono statu; quia non diutius protrahitur ejus jus.

6. Tenetur ad modicas impensas necessarias ad conservationem rei conductæ: v. gr. ad equi alimenta.

Quæres 4. *Ex qua culpa teneatur conductor locatori?*

*Resp.* Conductor tenetur de culpa levi, non sua tantum, sed & sublocatariorum aut famulorum (*L.* 25. *ff. locati*) quia contractus est incommodum utriusque; non autem tenetur de culpa levissima, nec de casu fortuito, nisi de his fuerit pactum, vel præcesserit mora culpabilis reddendi; aut culpa etiam levis.

### §. VIII. *De emptione & venditione.*

*Nota* 1. Ut cum ordine in hac prolixa materia procedamus, disserimus 1. de essentia venditionis & emptionis; 2. de pretio; 3. de merce, quibus addemus duas appendices, 1. de venditione cum pacto retrovenditionis, & retractu gentilitio; 2. de negotiatione & monopolio.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De essentia venditionis & emptionis.*

Quæres 1. *Quid sit emptio & venditio?*

*Resp.* Emptio *est pactio pretii* dandi *pro mercede.* Venditio vero est *pactio mercis* dandæ *pro pretio.* (*L.* 1. *ff. de contrah. empt. & vendit.*).

Pretium rerum vendibilium est *pecunia*; unde si daretur merx pro merce, esset permutatio, non venditio.

Merx est omnis res pretio æstimabilis, ut sunt res mobiles & immobiles, actiones & jura, imo omnia bona præsentia & futura.

*Dices*: ex dictis invalida est donatio omnium bonorum præsentium & futurorum; ergo & venditio.

*Resp. neg. conseq.* Disparitas est quod donatio omnium bonorum sit contra bonos mores civiles, cum per ipsam impediatur facultas testandi, quæ non impeditur per venditionem: venditor enim de pretio rei venditæ testari potest.

Quæres 2. *Quomodo perficiatur contractus venditionis & emptionis?*

*Resp.* Perficitur solo partium consensu exterius significatio, quo se mutuo contrahentes obligant, venditor quidem ad mercem tradendam emptor vero ad pretium solvendum (*L.* 1. *ff. de contrah. empt.*): tamen sine traditione non habet suum ultimum complementum, nec transfertur dominium ex dispositione Legum: *traditionibus enim dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, ait Justinianus (*L.* 20. *cod. de pactis*) res autem constans numero, pondere, mensura, fictione juris censetur tradita, quum est coram emptore determinata, numerata, ponderata, aut mensurata.

Quæres 3. *Ad quem pertineat commodum & fructus rei venditæ?*

*Nota*: Circa hanc quæstionem fatentur communiter Doctores,

1. Omnes fructus & emolumenta rei venditæ & traditæ, pertinere ad emptorem, 1. quando solvit pretium, vel de præsenti obtulit; 2. quando cautionem fidejussoriam vel pignoratitiam præstitit; 3. quando emptori ad solvendum concessa est dilatio; ratio est, quia rei ita venditæ emptor plane est dominus: res autem domino suo fructificat, ubi Lex non obstat.

2. Omnes res venditæ, sed nondum traditæ, fructus pendentes, sive qui tempore contractus adhuc hærent, sive maturi sint, sive immaturi, pertinere ad emptorem, licet nondum solverit pretium. Ratio juris est, quia *fructus pendentes pars fundi videtur*, L. 44. *ff. de rei vendit.* (*Idem habetur l.* 13. §. 10. *de action. empt. l. final.* 8. *fructus ff. qua in fraudem creditoris*). Ergo uno indivisibili pretio simul cum ipsa re venduntur, ergo pertinent ad emptorem qui venditori tenetur restituere expensas quas bona fide fecit in custodiendis, colligendis & conservandis iis fructibus; L. 16. cod. *de action. empti*, quæ sic habet: *post perfectam venditionem, fœtus quidem pecorum emptori, venditori vero sumptus, si quos bona fide fecerit, restitui debere notissimum est.*

Quæstio ergo controversa est, ad quem pertineant rei venditæ fructus, qui primum post contractum peractum nascuntur, casu quo res nondum tradita, vel si tradita quidem, pretium tamen nondum est solutum, nec oblatum, nec cautio, aut pignus traditum, nec dilatio expresse concessa est, circa quam:

*Dico illos etiam fructus pertinere ad emptorem, nisi aliter expresse inter contrahentes fuerit conventum.*

*Prob.* 1. Ex L. 13. cod. *de action. empti*: quæ sine distinctione inter fructus pendentes, vel postea natos, absolute dicit: *fructus post perfectum jure contractum, emptoris spectare personam convenit, ad quem & functionum gravamen pertinet*: quæ juris dispositio etiam ante solutum pretium procedit, ut ex immediate sequentibus verbis liquet; *venditor quoque pretium tantum, ac si mora intercessisse probatur, usuras officio judicis exigere potest*; ubi ut patet, ius supponit pretium nondum esse solutum, & tamen emptori fructus adjudicat.

*Prob.* 2. Ratione efficaci, æquum esse ut illius sit commodum cuius est periculum & incommodum, docet ipsum ius §. 3. inst. *de peric. & commodo rei venditæ*: ubi postquam dixit *si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet*: hanc rationem reddit: *nam & commodum ejus esse debet*, cuius per-

*periculum est*; atqui periculum totum etiam ante traditionem rei & pretii, ad emptorem pertinet, ut infra dicetur, & ipsi nobiscum docent adversarii; ergo.

*Nec dicas* periculum quod sustinet emptor, compensari per pretium quod apud se retinet, nam

Contra est 1. quia pecunia ex se est infructuosa, & consequenter ad compensandum periculum rei insufficiens. 2. Quia etiam post interitum rei emptor debet pretium solvere, ac insuper ob culpabiliter dilatam solutionem, damnum resarcire venditori, si quod inde passus est.

*Objiciunt* contrariæ sententiæ auctores: 1. res fructificat domino suo: atqui venditor manet dominus rei venditæ donec tradatur & simul pretium solvatur, vel cautio præstetur §. 41. Inst. *de rerum divis.* ubi dicitur: *venditæ vero res & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit*; ergo.

*Resp. dist. maj.* Res domino fructificat, quando non est obligatus dominium rei ad libitum alterius abdicare, *conc. maj.* quando est obligatus, uti fit peracta venditione, *nego maj.* Ratio est quia fictione juris, emptor peracta venditione jam censetur esse dominus rei ad hoc ut res eidem pereat & fructificet, nam ex Reg. 16. juris, *is qui actionem habet, rem ipsam habere censetur.* Ex quo sequitur quod cum dominus rei maneat obligatus rem, reique dominium emptori, accepto ab eo pretio, tradere, non currat hoc Juris axioma, *res domino suo perit ac fructificat.*

*Objiciunt* 2. Leg. 25. ff. *de action. empti*; vi cujus venditor emptorem, propter non solutum pretium prohibere potest ne uvas ex eidem vendita vinea, colligat, ergo fructus non pertinent ad emptorem ante solutum pretium.

*Resp. nego conseq.* Ex prædicta enim Lege sequitur tantum quod venditor possit non tantum actionem contra emptorem intentare, ut pretium una cum usura ejusdem restituat, sed etiam litteras prohibitoriales impetrare, ne emptor fructus colligat, donec pretium solverit.

*Objiciunt* 3. Leg. 13. ff. *de action. empti* (*Et L. curabit, eodem tit.*) in qua statuitur *usuras, id est, interesse, pretii post diem traditionis* deberi ab emptore, *quia*, inquit, *cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere.* Ergo emptor ante solutionem pretii debet fructus restituere, ergo non ad eum pertinent.

*Resp. nego conseq.* Ex illis enim Legibus sequitur tantum quod emptor rei frugiferæ debeat consuetas usuras pretii, v. g. quinque pro centum restituere, ut videlicet dum emptor cum suo commodo ante solutionem percipit fructus rei, etiam venditor aliquo fruatur commodo, *compensatoria* nempe usura consueta pretii, qua compensetur lucrum quod fecisset, si pretium eidem ab emptore solutum fuisset.

Porro venditor nihil ultra illud interesse exigere potest pro quocumque lucro cessante aut damno emergente (*L. ult. ff. de peric. & commodo rei venditæ*), quia illæ usuræ *compensatoriæ* tenent locum fructuum, quos dominus percepturus fuisset, si rem suam non vendidisset credito. Ubi

*Nota:* Onus illud nihil ultra hoc interesse exigendi pro quocumque lucro cessante aut damno emergente, quod quandoque durissimum est, justificat Leges Galliæ, secundum quas qui rem frugiferam emit credito, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii *usuras*, seu *interesse* solvere a die venditionis contractæ: quæ jurisprudentia congruit rationi, quia si emptor fructus perciperet & non solveret interesse, sequeretur inæqualitas inter contrahentes, dum venditor re sua careret, ejusque fructibus & pretio; emptor vero hæc omnia servaret sub prætextu quod subeat periculum rei, quod periculum moraliter loquendo nullum est; & si quod sit, nonne emptor illud eodem subiret modo, si pretium solvisset?

Dixi, *nisi expresse aliter inter contrahentes conventum sit*, quia ex regul. 85. Juris in 6. *contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur* Ex quo

*Inferes* 1. Venditor contrahendo, potest per specialem conventionem tantum sibi reservare de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet damni emergentis, vel lucri cessantis; de hujus veritate non extare dubium ait Lugo. (*Disput.* 25. *num.* 140.)

*Inferes* 2. Potest venditor non tantum fructus, sed & ipsum rei venditæ, etiam jam traditæ, dominium per specialem conventionem reservare loco hypothecæ, donec emptor solvat, dummodo simul etiam periculum ejusdem rei in se assumat, quia *cujus est commodum, ejus debet esse etiam periculum* (§. 3. *instit. de peric. & commodo rei venditæ*).

Postquam vero venditor dominium in emptorem jam transtulit, nullumque periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, apparet, non potest ob solam dilationem pretii, sibi reservare fructus rei venditæ; ratio est, quia ob solam dilationem solutionis fructus reservare, vel aliquid accipere, usurarium est.

Quæres 4. *Ad quem pertineat periculum, id est interitus vel deterioratio rei venditæ?*

*Nota* 1. Quæstio procedit de re a venditore emptori nondum tradita; certum est enim apud omnes, periculum rei venditæ & traditæ pertinere ad emptorem; ratio est quia emptor per traditionem evadit dominus rei emptæ (*L.* 20. *cod. de pactis*) *traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*; atqui *res perit domino*, in casu quo non est obligatus dominium ad libitum alterius abdicare.

*Nota* 2. Res in pondere, numero & mensura consistens, potest vendi *ad corpus*, vel *ad mensuram.*

Venditur *ad corpus*, quando plura individua per modum unius, absque expressione ponderis, numeri & mensuræ, emuntur, v. g. quando venditur acervus tritici, grex, animalium, dolium vini, quidquid tandem contineat.

Venditur *ad mensuram*, quando plura individua non venduntur per modum unius, sed per modum plurium, v. gr. qui emit totam multitudinem animalium, & pro quovis dat 10. nummos; item qui emit totum dolium vini & pro quavis mensura dat 10. libras; item qui ex hoc acervo tritici emit quinque modios, & pro singulis eorum dat 15. libras. Hoc diligenter notato:

*Resp.* 1. Cum venditur res determinata *in specie*,

*cie*, seu *individuo*, v. g. hæc domus, hic equus, &c. totum periculum, etiam ante traditionem, pertinet ad emptorem, exceptis quibusdam casibus.

*Prob.* Ex lib. 3. tit. 24. §. 3. instit. *de peric. & commodo rei venditæ*, ubi dicitur: *cum venditio emptio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit.* Ratio est quia *qui sentit commodum, sentire debet & onus*; atqui commoda & fructus rei venditæ, non traditæ, pertinent ad emptorem; ergo.

Dixi, *exceptis quibusdam casibus*, qui sunt quatuor in jure.

1. Quando contrahentes specialiter conveniunt ut donec res empta tradatur, periculum penes venditorem remaneat. (*L. 10. ff. de peric. & commodo rei venditæ*) Ratio est quia *contractus ex conventione, Legem accipere dignoscitur.* (*Reg. 85. jur. in 6.*)

2. Quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, vel culpa levi venditoris (*L. 3. ff. de Peric. & comm. rei venditæ*). Ratio est quia venditor debet esse custos rei donec tradatur, & consequenter in ea custodienda *exactiorem præstare debet diligentiam, quam in rebus suis faceret.* (*L. 3. ff. eodem*).

3. Quando venditor est in mora tradendi (*L. 17. ff. eodem*). Ratio est quia *mora sua cuilibet est nociva*: quod si tam emptor, quam venditor fuerit in mora, tunc periculum rei pertinet ad emptorem pro ratione moræ, juxta dispositionem Legis citatæ; *si interpellavero venditorem, & non dederit id quod emeram, deinde posteriore offerente illo, ego non acceperim; sane hoc casu mihi nocere debuisset.*

4. Quando emptio venditio conditionata sit, si res pereat aut deterior fiat, perit venditori (*L. 18. tit. eodem*). Ratio est quia contractus nondum est perfectus.

*Resp.* 2. Cum res aliqua in numero, pondere, aut mensura consistens, emitur *ad corpus*, totum periculum est penes emptorem; cum vero emitur ad mensuram, totum periculum pertinet ad venditorem.

*Prob.* 1. *pars*: Ex L. 2. Cod. de peric. &c. ubi dicitur, *cum universum quod in horreis erat positum, venisse sine mensura, & claves emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet.* Ratio est quia emptio *ad corpus* æquiparatur emptioni rei determinatæ *in individuo.*

*Prob.* 2. *pars*: ex L. 36. §. in his ff. *de contrah. emptione*, ubi etiam ratio additur, nempe quod quando res emitur *ad mensuram*, censeatur semper tacita hac conditione empta: *Si res sit ponderata, numerata, aut mensurata coram emptore*: & ideo contractus non est perfectus; tamen

*Notandum*, quod si per contractum constitutus sit aliquis terminus inter quem terminum res empta ponderanda vel numeranda esset; & per emptorem steterit quominus numeratio, ponderatio & mensuratio fieret, ipse periculum subire debet; sicut etiamsi nullo constituto termino venditor præsentibus testibus emptorem moneat ut intra certum tempus ad mensurandum, vel ponderandum rem emptam, compareat; ita disponitur L. 4. ff. *de periculo & comm. rei venditæ.*

## PUNCTUM II.

### *De pretio rei venalis.*

Quæres 1. *In quo sita sit venditionis & emptionis justitia?*

*Resp.* In eo quod inter mercem & pretium servetur æqualitas.

Quæres 2. *Quodnam sit justum pretium rerum venalium?*

*Resp.* Est illud quod exæquat valorem rei venalis, non quidam valorem in genere entis, alias musca pluris valeret quam gemma, sed in genere moris, scilicet in ordine ad usum & utilitatem quam omnibus adferunt.

Quæres 3. *Quotuplex sit pretium rerum venalium?*

*Resp.* Duplex, *legale* seu legitimum, & *vulgare* seu naturale.

*Legale*, Est illud quod lege Principis, vel Magistratus decreto taxatum est.

*Vulgare*, est illud quod communi hominum intelligentium æstimatione constituitur, (*L. Pretia ff. ad legem falcidiam*) spectatis omnibus circumstantiis, nimirum copia, vel inopia, venditorum impensis, labore, damnis in comparandis & conservandis mercibus &c.

Quæres 4. *In quo differant pretium legale & vulgare?*

*Resp.* Differunt in hoc, quod *pretium legale* consistat in indivisibili Mathematico, ita ut qui vendit supra taxam, & qui emit infra, graviter peccent & ad restitutionem excessus teneantur etiamsi lex aliam imponat pœnam, ut docent omnes cum D. Thom. (2. 2. *qu.* 57. *art.* 2. *in corp.*) Ratio est quia non servant æqualitatem a lege præfixam. *Pretium vero vulgare* habet quandam latitudinem, intra quam licet pluris vendere & minoris emere.

*Ratio* hujus differentiæ est, quia pretium legale constituitur ab uno vel pluribus in idem consentientibus; vulgare vero pendet a multis non idem omnino judicantibus; quod enim aliquid æstimant 19. hoc alii 20. alii 21. æstimant; quare

*Triplex* est pretium vulgare, summum nempe medium & infimum.

*Summum*, seu rigorosum, est illud quod vendens non potest excedere absque injustitia.

*Medium*, seu moderatum, est illud quod vendens potest augere usque ad rigorosum, & emens minuere usque ad infimum.

*Infimum*, seu pium, est quod emens minuere non potest absque injustitia.

Quæres 5. *Quomodo possit definiri latitudo justi pretii?*

*Resp.* Definiri per hanc regulam quam tradit Lessius (*l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 2.) nempe ut latitudo sit minor, si res sit minus pretiosa, & major si res sit pretiosior: v. gr. si pretium medium sit 20. infimum erit [illegible] summum erit [illegible] item si pretium medium sit 10. infimum erit [illegible]

sum

summum 105. In 1. exemplo latitudo est trium aureorum, in 2. est decem.

*Inferes* 1. Ex hac pretii naturalis latitudine provenit quod unus absque peccato emat 10. aureis numerata pecunia, & statim vendat 12. pecunia credita, quia emit infimo & supremo vendit: tamen cavendum est, ne carius vendens excedat latitudinem justi pretii.

*Inferes* 2. Si quis, etiam *seclusa fraude & dolo*, carius vendiderit quam ferat summum pretium, aut vilius emerit quam ferat infimum juxta prudentem hominum æstimationem, peccat & ad restitutionem tenetur; licet in foro externo non detur actio nisi cum est injustitia aut læsio ultra medietatem justi pretii, quod ideo statutum est a jure (*l.* 2. *cod. de rescind. vend.*) ut occurreretur innumeris litibus quæ quotidie emergerent, si ex quavis inæqualitate daretur actio.

Dixi *seclusa fraude & dolo:* quia qui fraude vel mendacio inducit alium ad emendum majori pretio quam alias emisset, quamvis non ultra summum pretium, nihilominus ad restitutionem tenetur; violat enim jus quod emptor habet, ne fraude & dolo adducatur ad rem rigoroso pretio emendam; ergo est causa injusta cur emptori lucrum cesset. Ergo.

Quæres 6. *An liceat ei qui pretio infimo mercem vendidit, reducere pretium ad medium vel summum, occulte aliquid de re substrahendo?*

*Resp. negat.* Quia non licet agere contra conventionem & contra jus alterius ex ea acquisitum; atqui in casu præsenti venditor ageret contra conventionem & contra jus ex conventione perfecta ab emptore acquisitum; ergo. Unde tenetur ad restitutionem.

*Dices* L. 15. ff. de minoribus §. 4. expresse dicitur *in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*: id est, mutuo se decipere. Ergo.

*Resp. dist. legem*, licitum est se circumvenire ultra latitudinem justi pretii, *nego*, intra latitudinem justi pretii, *subdist.* ante conventionem, *conc.* conventione facta, *nego.*

*Itaque* significat cit. lex, contrahentes ante conventionem ita posse inter se agere ut venditor emptorem ad supremum trahat pretium; emptor vero venditorem trahat ad infimum; sed non negat standum esse conventionibus semel factis, aut si id neget iniqua est ac nulla, cum repugnet juri naturali, ut ait D. Paul. (1. *Thessal.* 4. *v.* 6.) *Ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Quæres 7. *Undenam vulgare rerum pretium peti debeat?*

*Resp.* Illud peti ex variis circumstantiis quæ sunt causæ pluris vendendi, vel minoris emendi, eo quod ob illas pluris vel minoris merces æstimentur ac valeant quam si abessent.

Quæres 8. *Quot sint causæ pluris vendendi?*

*Resp. Sunt quinque:* primo est *lucrum ex alienatione rei certo aut probabiliter cessans, aut damnum emergens, aut etiam rationabilis affectus erga rem quæ venditur in gratiam alterius, deductis deducendis:* dummodo venditor de iis moneat emptorem, quia forte nollet venditoris incommodum redimere; v. g. si in gratiam emptoris vendas merces quas constitueras servare in aliud tempus quo plus certo aut probabiliter sunt valituræ: (*Cap. ult. de usuris*) vel si vendas merces quas teneris postea carius emere, vel quas peculiari affectu prosequeris, v. g. quia est valde rara, valde antiqua; a Principe vel majoribus accepta &c. Excipe si sis mercator, tunc enim sub prætextu peculiaris affectus, mercem tuam carius vendere non debes, utpote qui ratione officii tui paratus esse debeas ad res tuas justo pretio alienandas.

Ratio horum est quia talis non tantum vendit rem suam nudam, sed etiam suum commodum, affectum vel *damnum quod patitur*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 77. *art.* 1.) ergo, etiam horum æstimationem exigere potest, etiamsi res habeat pretium legitimum, ait Lessius (*l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4.).

Dixi *deductis deducendis:* nimirum deductis deminutione, deterioratione quas sustinere debuerat, & impensis quas facturus erat ad servandas merces usque ad tempus statutum.

2. Est *ratio officii mercandi*: quia pretio est æstimabile quod curas & cogitationes suas impendat mercator in rebus conquirendis, conservandis aliasque multas lucrandi rationes, inde omittere cogatur.

3. Est *ratio laborum, periculorum, & expensarum* in rebus conquirendis, advehendis, & conservandis *communiter* occurrentium, nam hæc sunt pretio æstimabilia. Hoc tamen intellige si res istæ non habeant pretium statutum; nam tunc in pretio taxando jam habita est ratio laborum & expensarum quæ ordinarie fieri solent.

Dixi *communiter occurrentium*: quia si mercator plures impensas fecerit, & plus laboris, periculi, aut damni subierit, quam alii communiter, non potest ideo pretium augere; est enim ejus infortunium quod emptor non tenetur compensare, sicut nec ipse potest minuere pretium commune, si venditor ordinarias impensas non fecerit.

4. Est *copia emptorum, vel pecuniæ, & penuria mercium*: quia ex his crescit æstimatio communis mercium, ut fit in adventu subitaneo exercitus.

5. Est *modus vendendi:* nam carius venduntur res in parva quantitate & minutatim, quam in magna quantitate, propter majores curas ac impensas quas requirit hic modus vendendi.

Quæres 9. *Quot sint causæ minoris emendi?*

*Resp. Sunt quatuor.* 1. Si res emptori sit parum utilis, nec eam nisi in gratiam venditoris emat; tunc enim res vilescit propter paucitatem emptorum; nisi tamen charitas aliud exigat: nam hæc propositio: *potest aliquis emere rem vilius ab illo qui vendit necessitate compulsus*, damnata est (*a Paris. Academ. ann.* 1665.) tamquam falsa, scandalosa, justitiam & charitatem violans.

2. Est *emptorum paucitas:* quia id minus æstimatur quod minus quæritur.

3. Est *copia mercium superveniens*, quia id minoris æstimatur, cujus major est copia.

4. Est *modus vendendi.* Propter quem minoris emi possunt merces:

1. Si emantur in magna quantitate; quia hoc vendendi modo mercator liberatur multis curis ac impensis, quas circa illas habuisset; & fit expeditior ad novas merces comparandas, quod magis cedit ei in lucrum, quam si eas pretio ordinario sensim vendidisset.

2. Si res ultro offerantur, juxta illud effatum: *merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte.*

3. Si vendantur actione publica, seu sub hasta, Gallice *à l'encan:* tunc vilius emuntur quam apud mercatores, modo absit fraus & dolus, qualis reperitur cum vendens fictos licitatores immittit, qui se emptores simulent ut pretium augeatur.

Quæres 10. *An liceat pluris vendere rem eo quod sit emptori valde grata, vel utilis, vel necessaria?*

*Resp. negat.* Quia hæc affectio, utilitas, necessitas non est quid vendentis: deinde pretium rei ex communi hominum æstimatione, non ex particulari ementis affectu aut utilitate repeti debet.

Quæres 11. *An privatim sciens pretium mercis brevi auctum iri, vel imminutum iri, possit eam pretio currente vendere aut emere, non monito altero contrahente?*

*Resp.* Cum Div. Thom. (2. 2. *qu.* 77. *art.* 2. *ad* 4.) posse absque injustitia modo absit omnis fraus; nam licet emere & vendere pretio justo; atqui pretium currens, sive sit lege, sive communi hominum æstimatione constitutum, est justum: pretium enim sumi debet ex præsenti rerum statu, non autem ex futuro; ergo.

*Hinc* mercator, qui triticum detulit ad locum ubi adest frumenti inopia, potest allatum vendere juxta præsens commune pretium, licet certo sciat multos alios mercatores brevi ingentem copiam allaturos esse.

*Hinc* licitum est alicui domum suam vendere pretio currenti, tametsi cognosceret eam intra paucos dies ab hoste diruendam.

Dixi 1. *Absque injustitia:* Quia potest interdum in hoc peccari contra Charitatem, ut si pauperi magnam copiam rerum brevi minuendarum vendas, quia Charitas vetat ne proximum in gravem necessitatem conjicias ut lucreris.

Dixi 2. *Modo absit omnis fraus:* Qualis esset si subornaret aliquem, qui emptoribus persuaderet pretium brevi augendum: si interrogatus an non expectentur naves, diceret se nescire; tunc enim peccaret contra justitiam, & teneretur ad restitutionem, quia mendacio & fraude induceret proximum ad contrahendum cum suo damno.

*Dices* 1. In dicto casu, merces reipsa & vere non tanti valent, licet hoc alii ignorent; ergo tanti vendi non possunt.

*Resp. nego ant.* Verum quidem est quod hujusmodi mercium valor decrescet, sed falsum est quod jam decreverit; merces quidem decrescunt ob communem, non ob privatam unius æstimationem.

*Inst. probando ant.* Si occulte sciret venditor mercem brevi corrumpendam (v. g. equum brevi moriturum, vinum in acetum conversum iri, debitorem non esse solvendo;) merx & debitum non tanti valeret, nec posset pretio ordinario vendi; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod copia vel inopia rerum citius vel ocius futura, sit extrinseca rebus, adeoque earum valorem intrinsecus non mutat; econtra corruptio rerum aut, ad corruptionem dispositio, item debiti vitium ipsis rebus sunt intrinseca, adeoque rerum valorem intrinsecus mutant; ergo jam minus valent.

*Dices* 2. Inde sequeretur, magistratibus licitum esse edicti justi promulgationem differre, eo solum fine ut prius merces vendant aut emant, aut pecunias distrahant cum detrimento aliorum; absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego sequelam.* Ratio est quod magistratus ex officio suo teneatur impedire damna aliorum; ergo non possunt absque injustitia & obligatione restitutionis, suorum decretorum notitia uti in damnum aliquorum, sive ob propriam, sive ob privatam alterius utilitatem, licet ea notitia possint uti cives particulares, quibus ex officio non incumbit conservare aliorum civium bona.

Quæres 12. *An liceat credito vendere supra latitudinem justi pretii, vel emere infra ob anticipatam solutionem?*

Dixi *supra latitudinem*, &c. quia intra latitudinem justi pretii, licet carius vendere credito, & minoris emere ob anticipatam solutionem.

*Resp. neutrum licet*, nisi adsit alius titulus justus, v. gr. lucrum cessans aut damnum emergens; nam cum creditor concedit dilationem solutionis, perinde facit ac si acceptam a debitore pecuniam, eidem usque ad tempus mutet; similiter qui solutionem pretii anticipat, idem præstat ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ; atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem; ergo nec pro dilatione aut anticipatione solutionis ultra justum pretium.

Quæres 13. *A quo tempore sumendum sit pretium rei, quæ anticipata solutione emitur:* v. g. tempore hyemis emuntur lanæ, quæ non traduntur nisi mense Junio quo carius venduntur,

*Resp.* Sumendum esse a tempore quo res traditur; quia debet esse æqualitas inter pretium & rem venditam, quando venditio recipit suum ultimum complementum: atqui in ipsa traditione solum venditio recipit suum ultimum complementum, ergo, &c. Ita tenet D. Thom. (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad.* 7.)

Tamen in dubio utrum merces tempore traditionis pluris vel minoris sint valituræ, potest earum pretium sumi a tempore solutionis anticipatæ, ut colligitur *ex cap. negotianti, de usur.* Ratio est quia in hac hypothesi sors ementis & vendentis est æqualis.

*Dices* 1. Modus vendendi anticipata solutione pretium mercis minuit; ergo.

*Prob. ant.* Talis modus vendendi inducit raritatem emptorum & multitudinem venditorum: atqui ex dictis potest res minoris emi quam valeat ob paucitatem emptorum & multitudinem venditorum; ergo.

*Nota.* Hoc ratiocinio moti graves Theologi (*Lessius*, *Soto*, *Molina*, *Corduba*, *Victoria*, *Cano &c.*) tenuerunt opinionem nostræ contrariam, tamen pace illorum,

*Resp. nego primum ant.* ad probationem, *dist. min.* si res sit existens & oblata tempore venditionis, & pauci sint qui tunc temporis velint eam emere,

emere, *conc.* si nec existat, nec sit oblata, *nego*, at cum tempore hyemis nullas lanas habent rustici, debeantque solum illas tradere tempore tonsionis, æstimandæ sunt secundum valorem quem tunc habituræ sunt; unde merito hæc propositio: *Potest aliquis emere rem vilius ab eo qui vendit necessitate compulsus: quia ex modo vendendi minuitur pretium rei & merces efficiuntur ultroneæ*, *damnata est a Facultate Parisiensi* (*anno* 1665.) uti *falsa*, *scandalosa*, *inducens ad usuras*, *variasque aperiens artes eas velandi*, *justitiam & charitatem violandi*.

*Dices* 2. Ista anticipatio pecuniæ est utilis bono publico, hac enim via providetur necessitatibus pauperum; ergo.

*Resp. nego conseq.* Quia nulla valet ratio adversus hoc præceptum Domini: *mutuum date nihil sperantes* (*Lucæ* 6. *vers.* 35.). Si enim hæc ratio valeret, excusandæ essent omnes usuræ, per quas subvenitur pauperum indigentiæ.

Quæres 14. *An liceat Chirographa seu credita*, & *census minoris emere quam contineant?*

*Resp.* Secluso lucro cessante & damno ex emptione emergente, non licet Chirographa certa & liquida, nec censum annuum ex contractu consignativo nulli periculo exposito, minoris emere quam contineant.

*Prob.* 1. Quia harum rerum pretium cum sit legitimum, & a lege taxatum, in indivisibili consistit: v. gr. mille libræ mutuo datæ vel per contractum consignativum (*Gallice*, *Contract. de Constitut.*) alienatæ, nec pluris nec minoris valent; ergo non possunt minoris emi.

*Prob.* 2. Quia si fas esset debitum certum & liquidum minoris emere quam continet, hoc ideo esset, quia præsens pecunia quam nunc emptor solvit, pluris æstimaretur quam pecunia absens: atqui hoc lucrum est usurarium, ut definivit Innoc. XI. (*Prop.* 41. *ab Innoc. XI. damnata.*) Ergo.

Dixi *Certa & liquida*: quia si debitum non sit liquidum, vel si difficilis sit ejus solutio, vel cum molestiis & expensis obtinenda, tunc habentur tamquam merces vitiatæ quæ minoris valent & emuntur quam integræ. Non licet tamen ipsis debitoribus ea debita minoris emere, tum quia tenentur ad integram solutionem, tum quia sunt causa minoris æstimabilitatis, quam ideo tenentur tollere.

*Dices*: Lege *minus*, de regulis juris dicitur *minus est habere actionem quam rem*: sed cum emitur Chirographum vel census, non emitur pecunia, sed jus ad illam; ergo.

*Resp. dist. ant.* Si res ad quam datur actio non nisi cum periculo, labore & expensis possit obtineri, *conc.* si sine illis possit obtineri, *nego.* Alias excusandi omnes essent usurarii, nam pro pecunia quam mutuo dant, non accipiunt nisi actionem ad eandem pecuniam recuperandam.

Quæres 15. *Sed quid dicendum si debitum in se arduum possit facile & absque expensis recuperari ab emptore, an licebit emere pretio viliori?*

*Resp.* Cum Pontas (*v. achat*, *cas.* 6.) secluso lucro cessante & damno emergente, non licet; quia titulus rei alicujus valorem non absolute minuens, sed relative tantum, non potest hunc valorem minuere relative ad eos in quibus locum non habet, ut patet in titulo lucri cessantis, qui pro eis solum valorem immutat, quibus lucrum cessat.

*Dices*: Venditor gratis remittit de pretio; ergo.

*Resp. nego ant.* Emit enim duntaxat suum commodum quod non potest vendere emptor census, aut Chirographi, quia nemo potest vendere rem alienam.

Quæres 16. *An res quæ non habent pretium legale*, *nec vulgare determinatum* (ut sunt quædam gemmæ, insignes canes, veteres picturæ) *possint vendi quanti dominus voluerit?*

*Resp.* Res illæ debent vendi secundum æstimationem in hisce materiis intelligentium spectatis omnibus circumstantiis; ratio est quia non ideo tanti res valet, quia venditori placet tanti vendere, sed quia intelligentium judicio tanti æstimatur.

*Dices* 1. *Tantum res valet quantum vendi potest*, ait Justinianus (*L.* 1. *ff. ad Senatusc. Trebellianum.*) ergo.

*Resp. dist. legem*, *quantum vendi potest*, intra latitudinem justi pretii, *conc.* extra hanc latitudinem, *nego*: alias lex esset injusta: fatendum tamen majorem esse harumce rerum latitudinem, quam earum de quarum latitudine nemo disputat.

*Dices* 2. Cum res hujusmodi humanæ vitæ sint inutiles, qui eas vult emere, sponte censetur dare quod alter exigit; ergo talis contractus est justus.

*Resp. nego ant. Quia*, ut ait Cajetanus (*in* 2. 2. *D. Thom. qu.* 77. *art.* 1.) *justum quæritur*, *non donum in emptionibus & venditionibus.*

Quæres 17. *An si famulus aut proxeneta* (id est qui rem pro altero vendendam suscipit) *vendat ultra pretium designatum*, *aut emat infra*, *possit excessum sibi retinere?*

*Resp. Non posse absque consensu domini*; cum nullum habeat legitimum titulum aliquid sibi vindicandi; nam si quod haberet, esset labor & industria; atqui labor & industria non sunt sufficiens titulus excessum retinendi; nam vel industriam gratis præstat, & tunc non potest eam sibi compensare, cum eam donet: vel pretio locat, & tunc nihil ei debetur ultra pensionem pactam: vel eam ex officio debet, ut famulus, & tunc non potest eam vendere cum non sit sua, sed domini; ergo.

*Nec obstat.* Quod mandans rei vendendæ vel mercis emendæ pretium determinaverit; quia per hanc determinationem non intendit excessum donare, sed solum vult ut res non minoris vendatur, vel ut merx non pluris ematur.

*Hinc* Sartores peccant retinendo excessum pretii dati ad emendum pannum; neque possunt impensam operam occulte compensare, nam sufficienter compensatur per hoc quod eis præ aliis vestis conficienda committatur, ut communi pretio persolvatur.

*Dices*: Mercator alicui sartori rem vilius vendit quam alteri, quia est sibi notus, & ab eo comparare pannos solitus; ergo tunc excessum potest sibi retinere.

*Resp. nego conseq.* Tum quia non præsumitur mercatorem pannum vilius quam par est, voluisse vendere; tum quia talis sartor fallit dominum qui

qui non intendit nisi pretium datum refundere, ait Pontas (*v. achat, cas.* 18.).

## PUNCTUM III.

### *De Merce.*

Quæres 1. *Cuinam debeatur res, quæ fuit duobus vendita?*

*Resp.* Si res neutri tradita sit, debetur priori emptori, nam *qui prior est tempore, potior est jure*, regula juris in 6.

Si vero tradita sit secundo emptori, ipsius est; quia per venditionem, superveniente traditione rei, acquiritur jus in re & plenum dominium, *exceptis quibusdam casibus*: at vero per nudam venditionem acquiritur solum jus ad rem. (*L. Traditionibus cod. de pactis.*)

Dixi, *exceptis quibusdam casibus*: Excipiuntur siquidem a jure 1. Res venditæ Ecclesiis & aliis piis causis, quia absque traditione transfertur dominium. (*L. fin. de Sacrosanct. Eccles.*) 2. Res priori emptori in securitatem contractus hypothecata (*L. si creditor §. fin. de distractione pignorum*), quia qui pignus habet, simplici creditori saltem in pignore debet præferri.

Quæres 2. *Quodnam jus competat priori emptori?*

*Resp.* Ipsi competit actio in venditorem, vel ut rescisso secundo contractu rem sibi tradat, vel compenset interesse; non potest tamen rem a secundo emptore evincere nisi mala fide emerit, conscius nimirum prioris venditionis: *Ita Glossa in cap. si tibi absenti in* 6.) non tenetur tamen secundus emptor sponte, & ante sententiam judicis rem priori tradere, nisi forte venditorem ad eam secundo loco vendendam induxerit, quo casu fuisset causa damni, ut docet Lessius. (*Lib.* 2. *cap.* 21. *dubit.* 20.)

Quæres 3. *An liceat vendere res mixtas aliis vilioribus*, v. g. vinum aqua mixtum?

*Resp.* Vel mixtio est noxia, redditque rem inutilem aut deteriorem, vel non;

Si primum, venditor peccat contra justitiam & tenetur ad restitutionem, quia injuste infert damnum contra bonam fidem contractus.

Si secundum, non peccat quidem contra justitiam commutativam, si minuat de pretio pro ratione mixtionis, sed peccat contra justitiam legalem, ut declaravit Facultas Parisiensis, quæ (*Anno* 1665.) sequentem propositionem damnavit tamquam falsam, bonæ fidei & publicæ justitiæ contrariam: *licitum est tabernariis vinum aquæ miscere, & agricolis triticum paleis, & communi pretio vendere, dummodo deteriora non reddantur iis, quibus communiter venduntur.*

Quæres 4. *An venditor teneatur ex justitia rei vitium emptori occultum detegere?*

*Resp.* Vel vitium rei est periculosum, redditque rem noxiam aut inutilem ad usum ad quem petitur, vel non;

Si primum, venditor tenetur ex justitia illud emptori indicare, etiam non rogatus, & hoc sub obligatione non solum compensandi rei defectum quanti minoris valet, sed etiam damna ex hac venditione provenientia, quia *venditor ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem*, ait D. Thom. (2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3.); sed *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur* (*Cap. ult. de jurejur.*); ergo.

*Dices*: Non tenetur puella, quæ occulto amissæ virginitatis vitio laborat, illud aperire amasio volenti eam ducere; ergo nec venditor mercis suæ vitium.

*Resp. nego conseq. Disparit.* est quod puella se diffamaret, ad quod regulariter loquendo nemo tenetur extra juridicam interrogationem: venditor vero mercis suæ vitium detegens, seipsum non infamat, imo potius probitatem suam exerit.

Si secundum, venditor non tenetur *non interrogatus* illud emptori manifestare, modo minuat pretium pro ratione vitii; quia tunc nulla fit emptori injuria, & alias non possent conservari commercia, sine quibus respublica subsistere nequit.

Dixi: *Non tenetur non interrogatus*: tenetur enim vitium manifestare, si de eo interrogetur, alioquin dolus daret causam contractui, & venditor teneretur ad ejus rescissionem si emptor velit.

Quæres 5. *An emptor, ex justitia teneatur rei virtutem sibi notam, venditori vero ignotam, manifestare?* v. g. si rusticus offerat gemmam pro vitro.

*Resp.* Si per talem virtutem mercis pretium communi æstimatione augeatur, tenetur emptor manifestare si a venditore rogetur, alias injuste deciperet; si vero non rogetur, non tenetur monere venditorem, modo pretium æquivalens solvat, quia mercem inter & pretium debet esse æqualitas.

Dixi: *Si pretium communi æstimatione augeatur*: quia ex ea sumitur rei pretium, non ex utilitate soli emptori nota quæ est intrinseca rei. Hinc

*Resolves*, Fascis herbarum qui venditur ad esum animalium, emi potest pretio quo talia vulgo vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri, quia tota illa res non pluris æstimatur relative ad eum usum ad quem vendi solet.

Quæres 6. *An venditor teneatur de evictione?*

*Nota.* Evictio est rei quam quis emit, ab eodem abductio per sententiam judicis.

*Resp.* Non tenetur nisi quando rem quam vendidit cognovit esse alienam: quia quod sine culpa factum est, in damnum vocari non debet; unde tunc tenetur tantummodo pretium restituere.

Si vero sciverit rem quam vendidit, esse alienam, tenetur de evictione, id est, tenetur emptori non solum pretium, sed insuper totum interesse, refundere.

Quæres 7. *Quænam vendere & emere non liceat?*

*Resp.* Non licet vendere nec emere quidquid in corporale, vel spirituale proximi detrimentum vergit, quia esset cooperari peccato alieno, imo materiam & instrumentum peccandi præbere.

*Hinc* graviter contra charitatem peccant Bibliopolæ libros vendentes contra religionem, aut bonos mores, aut famam proximi; pictores vendentes obscenas tabellas; caupones vendentes vinum his quos sese inebriaturos vident, &c.

AP-

## APPENDIX PRIMA.

*De Contractu cum pacto retrovenditionis, & retractu gentilitio.*

Quæres 1. *An licet vendere cum pacto retrovendendi, aut redimendi? Gallice* avec la faculté de reméré ou de rachat.

*Resp.* Venditio cum pacto retrovendendi facta in favorem solius venditoris est licita, modo nihil fiat in fraudem usurariam, & adsit vera intentio emendi & vendendi; facta vero in favorem solius emptoris, speciem habet contractus usurarii, & in praxi est rejicienda.

*Prob.* 1. *pars.* Venditio cum pacto retrovendendi in favorem venditoris, est contractus quo res aliqua venditur eo pacto ut cum venditori placuerit, debeat emptor hanc illi revendere eodem quo emit pretio; atqui hic contractus est licitus, ut definitur in jure, (*Cap. ad nostrum, de empt. & vendit.*) & colligitur expresse *ex Levit.* 25. ubi omnis terra Israelitici populi sub redemptionis conditione vendebatur; ergo.

*Prob.* 2. *pars:* Venditio cum pacto retrovendendi in favorem solius emptoris, est contractus quo res aliqua, v. g. vinea emitur eo pacto ut cum emptori placuerit, retentis sibi fructibus, teneatur venditor rem suam redimere refundendo pretium acceptum; atqui hic contrahendi modus usuram sapit, & usurariis supra modum favet. Ergo.

*Prob. minor.* Quia licet contractus ille fiat sub nomine venditionis, tamen res proprie non videtur vendi, sed solum in pignus dari, ita ut emptor fructus rei percipiat ob mutuum.

Quæres 2. *Quid sit contractus mohatra & an sit licitus?*

*Resp. ad primum.* Contractus mohatra, est contractus quo homo pecunia indigens emit credito a mercatore merces pretio supremo cum pacto retrovenditionis numerata pecunia pretio infimo.

*Resp. ad* 2. Contractus mohatra est illicitus, nam contractus, qui continet mutuum usurarium, est illicitus; atqui talis est contractus mohatra. Ergo.

*Prob. min.* Contractus mohatra fit simul & de industria inter easdem personas cum intentione lucri; ergo nihil est aliud quam mutuum, v. g. 95. librarum cum obligatione posthac restituendi centum: ergo. Unde merito fuit reprobatus ab Innoc. XI. qui damnavit hanc propositionem: *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri:* eandem damnarunt Facultas Paris. & Clerus Gallicanus. (*Facult. Paris. ann.* 1665. & *Clerus Gallic. anno* 1700).

Quæres 3. *An contractus ille secluso omni pacto, onere, atque etiam scandalo licitus sit?*

*Resp.* Controvertitur inter Doctores, negat S. Antonin., affirmant alii communiter: si enim rem quam summo pretio emi, possim statim alii vendere pretio infimo, cur non eandem possim eodem pretio vendere ei a quo ipsam emi; cum hanc ipse bona fide vendidit, & nec explicite nec virtualiter exegit a me ut eam ipsi retrovenderem, maxime cum *secundum communem æstimationem merces non tanti valeant in manu privati hominis quam in manibus mercatoris*, ut Habert totidem verbis ait de aurificibus. (*Habert*, 3. *part. cap.* 12. §. *quæst.* 6.)

Quæres 4. *Quid sit retractus gentilitius* (*gallice* retrait lignager)?

*Resp.* Est jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi & ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo res illa ab extraneo vel remotiore consanguineo fuit empta.

Dicitur 1. *Jus*: ut ostendatur peccare contra justitiam, qui fraudibus vel minis impedit consanguineum ne rem sibi retrahat.

Dicitur 2. *Proximo venditoris consanguineo:* ut excludatur extraneus, qui si retrahat nomine consanguinei, tenetur ad restitutionem.

Dicitur 3. *Intra certum tempus:* elapso enim anno & die tollitur facultas retractus.

Dicitur 4. *Ad se revocandi*: quia lex non dat consanguineo jus retrahendi nisi ut sibi retineat; unde si retrahat ut alii majori pretio vendat, peccat contra justitiam & tenetur ad restitutionem, quia vendit jus quod alienare non potest.

Dicitur 5. *Rei immobilis*, quia retractus non extenditur ad res mobiles.

Dicitur 6. *Eodem oblato pretio:* unde emptor qui a retrahente majus pretium exigit quam dederit, tenetur ad restitutionem, quia jus alterius violat.

## APPENDIX II.

*De negotiatione & monopolio.*

Quæres 1. *Quid sit negotiatio?*

*Resp.* Est emptio rei cum intentione rem integram & immutatam vendendi lucri gratia. Unde qui emit ferrum ad clavos conficiendos, non mercaturam exercet, sed artificium.

Quæres 2. *An negotiatio sit licita?*

*Resp.* Est licita per se: quia intendere lucrum ad honestum finem, v. g. ad sustentandam familiam per se licitum est ac honestum. Unde cap. *fornicari*, (*dist.* 88.) dicitur: *fornicari non licet, negotiari aliquando licet, aliquando non licet.*

Dixi *per se*, quia per accidens fieri potest illicita.

1. *Ratione finis:* si in lucro mercator constituat finem suum ultimum, tunc est mortifera.
2. *Ratione materiæ*: si vendatur res invendibilis, v. g. res sacra, &c.
3. *Ratione loci:* si venditio fiat in templo, cœmeterio, &c.
4. *Ratione personæ:* sic Clericis negotiari inhibitum est, ut diximus alibi.

*Dixi ex cap. ejicens:* eadem dist. *mercator vix aut nunquam potest placere Deo.* Ergo.

*Resp. dist. Vix aut nunquam*, absolute loquendo, *nego*: moraliter loquendo, *conc.* ratio est, quia ut ait cit. cap. *negotiatio nimis communiter exercetur cum mendacio & perjurio.*

Quæres 3. *Quid sit monopolium?*

*Resp.* Est conventio unius vel plurium merca-

catorum simul conspirantium ut ipsi soli vendant, vel emant merces, eo quo voluerit pretio.

Quæres 4. *An monopolium privata auctoritate constitutum, sit licitum?*

Dico *privata auctoritate*, quia monopolium factum auctoritate publica cum scilicet unus vel pauci facultatem a principe obtinent ut ipsi soli certas merces vendant, est licitum, modo vendant pretio justo: ratio est quia hoc interdum postulat bonum commune, ne scilicet deseratur rerum aliquarum negotiatio, quarum comparationem nemo ob damni periculum vellet in se suscipere citra privilegium ut solus venderet; patet in librorum impressione.

*Resp.* Quælibet monopolia auctoritate propria facta sunt injusta, & ad restitutionem obligant. Pretium enim de quo convenerunt, vel injustum est, vel justum quidem, sed summum in vendendo & infimum in emendo; *si primum*, evidens est eos contra justitiam peccare, cum æqualitatem inter mercem & pretium non servent. *Si secundum*, probabilius est eos etiam contra justitiam peccare, cum absque gravi injuria cogere non possint emptores ad emendum summo pretio, & venditores ad vendendum infimo.

*Dices:* Monopolæ (modo non vendant supra pretium vulgare) non violant justitiam; ergo non tenentur restituere.

*Prob. ant.* Monopolæ non nisi justo pretio vendunt & emunt; ergo non violant justitiam.

*Resp. nego conseq. probationis*, & dico eos teneri ad restituendum, non quia vendunt supra pretium rigorosum, & emunt infra pretium infimum; nec etiam quia vendunt pretio rigoroso, & emunt pretio infimo, sed quia suis machinationibus alios cogunt emere summo, aut non vendere nisi pretio infimo, quæ duo valde differunt.

Quæres 5. *Quomodo mercatores hanc reipublicæ violentiam inferant?*

*Resp.* Sex modis: 1. cum conveniunt de non vendendo nisi pretio rigoroso, & emendo nisi infimo; quia injuste auferunt civibus libertatem emendi infra summum, & vendendi supra infimum.

2. Dum vi, metu, aut fraude impediunt ne aliunde merces adveniant, unde oritur caritas; hinc tenentur ad restituendum tum civibus qui habent jus ne via injusta impediatur eorum commodum, tum mercatoribus quos ab introducendis mercibus suis prohibuerunt.

3. Dum unus vel pauci emendo omnes fere merces, v. g. frumentum, inducunt caritatem, nam vendunt quasi carum, quod est abundans: secus si non inducerent caritatem.

4. Cum mercatores supprimunt merces suas ut inde earum pretium crescat: injustus tamen non esset qui res suas nondum venditioni expositas, servaret usque ad tempus quo carius venduntur, modo ex hac suppressione non oriretur caritas, tunc enim nulla daretur occasio damni.

5. Cum apponitur fictus licitator, qui plus offerat, ut alter ascendat in pretio.

6. Cum artifices inter se conveniunt ut opus ab uno inchoatum alter non perficiat, quæ conventio utpote civibus noxia merito prohibetur a Legibus. (*L. Jubemus cod. de monopoliis.*)

Quæres 6. *An liceat mercatori monopolii non participi vendere pretio per monopolium constituto?*

*Resp. cum dist.* Vel ex aliorum monopolio raræ factæ sunt merces, vel non; si primum, licet; si secundum, non licet, quia pretium a monopolis impositum est injustum.

## §. IX. *De mutuo & usura.*

Quæres 1. *Quid sit mutuum?*

*Resp.* Est contractus quo res numero, pondere, vel mensura constans gratis transfertur in alterius dominium cum obligatione aliam ejusdem speciei & bonitatis, post lapsum temporis restituendi.

Dicitur 1. *Res numero, pondere vel mensura*; id est quæ communiter vel ad pondus, ut carnes, vel ad numerum, ut pecunia; vel ad mensuram, ut triticum, cum traduntur; hinc quia liber, equus, domus &c. non solent tradi ad pondus, numerum aut mensuram, non reputantur esse hujusce contractus materia.

Dicitur 2. *Transfertur in alterius dominium*: ex quo sequitur rem mutuo datam mutuatario perire & fructificare, per quod distinguitur a commodato.

Dicitur 3. *Gratis*: id est absque ullo alio onere, quam reddendæ rei similis in specie & bonitate, quia contractus est gratuitus.

Dicitur 4. *Cum obligatione reddendi*: quia obligat semper & generaliter mutuatarium ad restitutionem, nisi juris privilegio excipiatur.

*Excipiuntur* siquidem minores & filiifamilias, qui mutuo pecuniam sine consensu patris vel tutoris acceptam non tenentur in conscientia restituere etiam post mortem patris vel tutoris, si illam in usus inutiles consumpserint; quia jure civili, (*ff. ad Senatusc. Macedon. tit. 6. in Gallia vigens*) tollitur omnis obligatio non tantum civilis, sed etiam naturalis ex tali mutuo; *pupillus mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligatur*, ait Justin. (*L. 53. ff. de obligat. & action.*). Idem statuitur si filiofamilias mutuum non pecunia datum sit, sed aliis frugibus ut ex illis venditis pecuniam comparet in fraudem legis. (*L. 7. de Senatusc. Maced.*).

Hoc autem juste statutum est in pœnam ac odium sic mutuantium, & ob bonum commune; nempe ut filii nec debitis onusti fiant, nec ut ea solvant, vitæ parentum insidientur, ut constat ex dicta Lege (*L. 1. & sequent. ff. ad Senatusc. Maced.*) Vide Pontas. *v. dette, cas.* 1.

*Unde* huic privilegio filiusfamilias non potest renuntiare, quia non in ejus favorem præcise, sed præcipue in favorem parentum concessum est. Nec tale mutuum potest firmari juramento, cum sit in præjudicium tertii & boni publici.

*Sed quæres, nonne in aliquibus casibus cessat hoc Senatusconsultum?*

*Resp.* Cessat 1. si pecuniam in usus necessarios vel utiles impenderit; quia tunc locupletior factus est, nam tantumdem rebus suis pepercit; atqui *eatenus naturaliter obligabitur in quantum locupletior factus est*, ex jure. (*L. 5. ff. de auct. tut. & consensu tutor.*)

2. Si

2. Si mutuans mutuatarium *patremfamilias crediderit*; *quia plerisque publice paterfamilias videbatur.* (*L. 3. ff. ad Senatusc. Maced.*)

3. *Si pecuniam in rem patris vertit.* (*L. 7. §. 12. ff. eodem.*)

4. *Si absens studiorum causa mutuum* (moderatum) *accepit* (*L. 7. §. 13. ff. eodem*).

5. *Si sciente patre creditum sit filio*, id est mutuo datum. (*L. 12. ff. eod.*)

Dicitur 5. *Similem ejusdem speciei*: quia si res diversa sit specie, ut oleum pro vino, est permutatio, non mutuum.

Dicitur 6. *Et bonitatis*: ut servetur æqualitas.

Dicitur 7. *Post lapsum temporis*: Quia est intrinsecum mutuo ut non statim reddi debeat, alioquin mutuum esset inutile mutuatario, & per hoc mutuum differt a cambio; ubi pro moneta argentea statim redditur aurea ejusdem valoris.

Quæres 2. *In qua bonitate res mutuata reddi debeat?*

*Resp. cum dist.* Vel mutuum est in pecunia, vel in aliis rebus fungibilibus.

Si sit in pecunia, debet reddi in bonitate extrinseca, nisi aliter juste conventum sit; ratio est quia in pecunia per se & ex usu spectatur solum valor extrinsecus, non entitas physica; hinc qui mutuo accepit 100. libras, satisfacit reddendo 100. sive interim valor monetæ auctus fuerit, sive imminutus; quia æqualitas valoris, non substantiæ attenditur.

Si mutuum consistat in aliis rebus fungibilibus, debet reddi in bonitate intrinseca, v. g. modium tritici pro modio, sive interim pretium creverit, sive decreverit, nisi aliter juste conventum, sit quia cum in iis rebus entitas physica spectetur, reddendo eandem mensuram ejusdem speciei physicæ, tantum redditur, quantum acceptum est, & sic servatur æqualitas.

Dixi: *Nisi aliter juste conventum*: Quia in hypothesi quod mutuans monetam, vel triticum servaturus usque ad tempus quo reddi debet mutuum, præviderit valorem monetæ augendum, vel pretium tritici minuendum, potest juste convenire cum mutuatario, ut tot species monetæ, vel tot modios tritici cum auctuario reddat, deductis tamen expensis quas facturus fuisset ad servandum triticum usque in illud tempus; ratio est quia mutuans per illum contractum nihil lucratur ex mutuo, sed solum se indemnem reddit, cum non plus accipiat a mutuatario quam habuisset si non mutuasset.

Quæres 3. *Quænam sint obligationes mutuantis & mutuatarii?*

*Resp.* 1. Mutuator tenetur 1. Monere mutuatarium de vitio rei, quod sit, alioqui tenebitur de damno. 2. Non repetere statim mutuum, sed tempore præfixo: quod si nullum præfixum sit, non potest repetere nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile, spectatis natura rei, & fine ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere.

*Resp.* 2. Mutuatarius tenetur mutuum tempore præfixo restituere, vel si nullum sit præfixum, quoties a mutuante rationabiliter interpellabitur; alias tenebitur damna ex sua mora secuta resarcire.

Quæres 4. *Quid sit usura, et quotuplex?*

*Nota*: Usura accipitur duobus modis, 1. pro lucro, 2. pro contractu.

*Resp. ad* 1. Usura sumpta pro lucro definitur, *lucrum ex mutuo immediate proveniens.* Sumpta vero pro contractu usurario definitur: *Contractus mutui quo lucrum ultra sortem exigitur, vel intenditur tamquam debitum præcise vi mutui.*

Explico secundam definitionem, ex cujus elucidatione prima innotescet.

Dicitur 1. *Contractus mutui*: usura enim necessario supponit mutuum sive explicitum sive, implicitum.

Dicitur 2. *Lucrum*: Id est quidquid est pretio æstimabile, sive sit pecunia, sive onus, *alias indebitum*, a mutuante impositum mutuatario, v. g. ut molat in molendino mutuantis, merces ejus etiam pretio justo emat, ut ipsi vel aliis beneficium Ecclesiasticum, vel officium conferat; licet enim beneficii & officii collatio, ut spiritualis, pretio æstimari nequeat, ipsa tamen conferendi obligatio, pretio æstimabilis, est sicut obligatio celebrandi, inquit Sylvius.

*Hinc* quia amicitia licet pluris æstimetur quam pecunia, reipsa tamen auro non æstimatur; usurarius non est qui ex mutuo alicujus amicitiam intendit, ait Div. Thom. (2. 2. *q.* 78. *art.* 1.)

Dixi *onus alias indebitum*; Quia si quis mutuet alteri ut reddat sortem, solvat debitum, desit inique nocere, non erit usura, nec lucrum, cum aliunde sit debitum.

Dicitur 3. *Ultra sortem*, id est ultra capitale mutuo traditum, ut si data fuerint 100. & recipiantur 105.

Dicitur 4. *Exigitur*; vel expresse vel implicite.

Dicitur 5. *Vel intenditur*: Quia qui per solam intentionem aliquid supra sortem recipiendi, reus usuræ constituitur, etsi nullum pactum expressum vel tacitum intervenerit.

Dicitur 6. *Tamquam debitum*: Sive ex justitia, sive ex gratitudine, aut amicitia, *modo ex vera obligatione* habeatur plusquam datum sit, prout definivit Innocent. XI. & Clerus Gallicanus in damnationem hujus prop. *Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.* (*Prop.* 42.)

Dixi, *ex vera obligatione*: Quia *si accipiat aliquid hujusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit*, ait Div. Thom. (2. 2. *q.* 78. *art.* 2.)

Dicitur 7. *immediate*: Et principaliter, nam si primario mutuet ex charitate, & secundario tantum, mediante nimirum liberalitate aut gratitudine mutuatarii, aliquod lucrum speraret, non esset usura, ut colligitur ex Glossa: (*in c. consuluit. de usur.*) secundaria autem illa intentio cognoscitur ex dispositione mutuantis, qui *ita* est affectus *ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari supra sortem, adhuc tamen mutuaret*: ait S. Antonin. (2. *p. tit.* 1. *c.* 7. §. 1.)

Dici-

Dicitur 8. *vi mutui*; quia si aliquid alio justo titulo exigatur, nempe propter lucrum cessans aut damnum emergens, non est usura, sed indemnizatio.

*Resp. ad* 2. Usura alia est, aperta, alia palliata, alia realis, alia mentalis, alia usura sortis, alia usura usuræ.

Usura *aperta seu formalis* est ea, quæ percipitur ex contractu mutui, cum pacto expresso aliquid supra sortem accipiendi.

Usura *palliata seu implicita* est ea, quæ percipitur ex contractu mutui latentis sub alio contractu, v. gr. societatis, venditionis, depositi, ut si quis vendat supra pretium rigorosum ob dilatam solutionem.

Usura *realis* est ea, quæ percipitur ex contractu mutui cum pacto explicito vel implicito aliquid supra sortem accipiendi.

Usura *mentalis* est ea, quæ intenditur a mutuante, sed in pactum non deducitur: unde patet usuram alio sensu dici mentalem quam alia peccata dicantur mentalia; hæc enim ita vocantur quando in actum exteriorem non proruperunt, usura vero etsi exterius perficiatur, dicitur mentalis, quando nullum pactum sive expressum sive tacitum de solvendo lucro præcessit.

Usura *sortis* est quæ immediate provenit ex pecunia mutuo data.

Usura *usuræ* est ea quæ percipitur ex lucro usurario. Hanc recipere ex quovis titulo sive lucri cessantis, sive damni emergentis prohibitum est in jure, *L. 28. C. de usuris.*

Quæres 5. *An & quo jure Usura sit prohibita?*

*Resp. omni jure*: Naturali nimirum, Divino, Canonico, & Civili tum Cesareo tum Gallico.

*Prob. de jure naturali*: Jure naturali vetitum est ne quis vendat alteri quod suum non est; atqui usurarius vendit alteri quod suum non est; vendit enim mutuatario usum juris rei mutuo datæ; atqui talis usus non est mutuantis, sed mutuatarii; ergo. *Prob. min.* Usus juris in pecunia & aliis rebus consumptibilibus, non distinguitur a dominio ipsius rei: ergo ejus est cujus est dominium; atqui dominium rei mutuatæ est mutuatarii; ergo & usus; ergo usura jure naturali est prohibita.

*Prob. Jure divino prohiberi usuram*, afferendo aliquos textus.

1. Ezech. 18. de dante ad usuram & amplius accipiente ait: *Non vivet, cum detestanda hæc fecerit, morte morietur.*

2. Psalm. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quem locum exponens S. Hieron. ait: *David Evangelium exponemus verum . . . in cunctos generaliter fœnus fieri vetavit.*

3. Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.* (ut notat D. Thom.) (2. 2. q. 78. *art.* 1. *ad* 4.) *dare mutuum non semper tenetur nemo, & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia, sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hic cadit sub ratione præcepti.*

*Prob. usuras jure Canonico prohiberi*, ex toto titulo de usuris, ubi plura referuntur Concilia quibus usuræ sunt prohibitæ sub pœna excommunicationis pro Laicis, & suspensionis pro Clericis.

*Prob. Usuras jure Cæsareo prohiberi*, ex Div. August. (*Epist. ad Marcel.*) dicente: *Quid dicam de usuris quas etiam ipsæ leges & judices reddi jubent?* quatenus scilicet male partas.

*Prob. Usuras jure Gallico prohiberi*: Ex variis constitutionibus Regum Franciæ (*Carol. Magn. in capitol. l.* 1. *cap.* 25. *l.* 5. *cap.* 36. *S. Ludov. ann.* 1254. *Philipp. IV. an.* 1311. *Louis XII. ann.* 1510. *Carol. IX. ann.* 1577.) inter quas unicam referam Henrici III. qui in comitiis generalibus Blesensibus sic statuit: *Defendons a toutes personnes de quelques qualité et condition qu' elles soient*, (hic tutores comprehenduntur, ait Habert) *d' exercer usure par eux ou par gens interposés.*

*Objicies* 1. Deus permisit Judæis ut usuras acciperent ab extraneis, *non fæneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno.* (*Deuteron.* 23.)

*Resp.* 1. *cum D. Thom.* (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 2.) permisit Judæis *quasi licitum*, *nego*; permisit ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam cui erant dediti *conc.* unde non fuit eis licitum.

*Resp.* 2. *Cum Div. Ambr.* (*de Tobia c.* 15.) ab alieno quocum justum bellum gerebant, *conc.* ab alio alienigena, *nego*: cum enim liceat hostes occidere, a fortiori licet eos spoliare bonis sive vi, sive artificio; unde concludit D. Ambr. *Ergo ubi jus belli, ibi jus usuræ.*

*Objicies* 2. Montes pietatis approbati sunt a variis summis Pontificibus & (*Paul. II. Sixt. IV. Innoc. VIII. Conc. Later. sess.* 10.) Conciliis; atqui in illis aliquid exigitur supra sortem: ergo.

*Nota*; Montes pietatis sunt cumulus rei usu consumptibilis deputatus ad mutuandum egentibus sub idoneo pignore.

*Resp. dist. min.* Aliquid exigitur supra sortem vi mutui, *nego min.* ratione damni emergentis horum montium, *conc.* ad horum montium conservationem & administrationem conducuntur ministri digni aliqua mercede, quæ sumitur ex iis quæ ultra sortem solvuntur; si enim ex ipsa sorte reddenda sumeretur, brevi montes illi exhaurirentur, & sic damnum emergeret ex mutuo.

*Objicies* 3. Jus civile permisit usuras (*L.* 1. 2. *& cæt. cod. de usur.*): ergo non vetantur jure naturali, quod non latuisset acutissimos jurisperitos.

*Resp. dist.* Ad mentem D. Thom. (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 3.) permitti usuras *negative*, *conc.* *positive*, *nego*: usuræ enim non probantur, sed tolerantur, seu non puniuntur ad impedienda majora mala, quæ eis non permissis necessario suborirentur, sicut tolerantur lupanaria.

Quæres 6. *Quos usurarum patroni ad suam iniquitatem palliandam adinvenerint titulos?*

*Resp.* Omnes referendo eosque levi calamo refellendo; itaque

*Dico* 1. *usus rei mutuatæ non est sufficiens titulus ad aliquid supra sortem recipiendum.* Ratio est quia iniquum est aliquid accipere pro usu rei non suæ; atqui res mutuata non est mutuantis, sed mutuatarii, ut supra probatum est; ergo.

*Objicies D. Thom.* (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 6.) Potest aliquid accipi pro usu pecuniæ; ergo.

*Resp. cum D. Thom. ibidem*: potest accipi pro usu pecuniæ mutuatæ, *nego*, locatæ, *conc.* talem

usum

usum potest vendere locator, cum pecuniæ dominium & periculum retineat.

*Dico* 2. *nec carentia pecuniæ, nec obligatio non repetendi sortem ante certum tempus*, v. gr. ante annum, est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi; ratio est quia utrumque est de intrinseca ratione mutui; ergo cum propter mutuum non liceat aliquid supra sortem recipere, nec id etiam licitum est propter illam carentiam & obligationem. Unde hæc prop. merito fuit proscripta ab Alexand. VII. *licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* (*Prop.* 42.)

*Dico* 3. *Ratio pecuniæ præsentis quæ datur, pro pecunia absente quæ est retribuenda, non est titulus aliquid supra sortem recipiendi*; tum quia est essentialis mutuo, cum in omni mutuo essentialiter detur pecunia præsens, non reddenda nisi in futurum; ergo cuilibet liceret exigere auctuarium vi mutui.

Tum quia pecunia præsens, per se & secluso omni extrinseco, non pluris valet quam absens, cum semper manet eadem, & ejus valor præcise per tempus non crescat: unde Innocent. XI. damnavit hanc prop. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari* (*Prop.* 43.)

*Dico* 4. *Labor in numeranda pecunia, non est titulus, &c.* quia labor ille est mutuo intrinsecus; ergo si liceret aliquid ultra sortem recipere propter illum, liceret etiam aliquid recipere vi mutui.

*Dico* 5. *Utilitas & commoditas quam ex mutuo percipit mutuatarius*, non est titulus aliquid recipiendi supra sortem; quia hæc proprie non oritur ab ipsa pecunia de se non fructifera, sed ex mutuatarii conditione & industria; ergo si mutuans inde fructum perciperet, meteret ubi non seminasset.

*Dico* 6. *Fidejussio quam præstat mutuans, non est titulus sufficiens;* ratio est quia mutuans qui se fidejussorem constituit, non aliud subit periculum, quam qui dat mutuum simpliciter, nam semper habet actionem in mutuatarium; ergo in tali casu non nisi ex mutuo lucrum intenderet.

*Dico* 7. *Lex vel consuetudo Provinciæ*, non est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi. Quia cum perceptio lucri ex mutuo sit jure divino vetita, non potest ulla lege, ulla consuetudine esse licita.

*Igitur*, Lex quæ permittit ut ex quovis mutuo exigantur 5. pro 100. & de eis paciscatur, præcipitque judici ut mutuatarium compellat ad hoc auctuarium persolvendum mutuanti, semper præsumit, vel supponit titulum *interesse*, nempe lucrum cessans aut damnum emergens, & unice determinat quantum quilibet repetere possit pro illo *interesse;* quare si mutuans nullum patiatur damnum ex mutuo, nihil potest in conscientia ultra sortem exigere; unde si aliquid accepit, tenetur restituere.

*Idem dic* de Judicibus quando morantem mutuatarium obligant ad solvendum aliquod lucrum mutuanti; nam eorum sententia nititur præsumptione damni ex mutuo secuti.

*Dico* 8. *conditio tutoris*, qui per leges cogitur pupillorum bona integra reddere, & simul ex eis lucrum facere sub pœna compensationis, non est titulus ad aliquid exigendum supra sortem.

*Prob.* Quia cum usura sit intrinsece mala & a Deo absolute & indistincte prohibita, nullam ob causam potest esse licita.

*Porro* Tutores nihil periclitantur, si observent Edictum Caroli IX. (*In comitiis gen. Aurelian. ann.* 1560. *a* 102.) cujus hæc sunt verba: *Les Tuteurs et Curateurs des Mineurs seront tenus, sitot qu'ils auront fait inventaire des Biens appartenans à leurs Pupilles, faire vendre par autorité de justice les meubles perissables, & employer en rentes ou héritages par avis de leurs parens ou amis, les deniers qui en proviendront, avec ceux qu'ils auront trouvés comptans, à peine de payer en leur propre nom le profit des deniers.*

Quæres 7. *Quot sint veri tituli mutuo extrinseci, ob quos licet aliquid exigere supra sortem?*

*Resp. Sunt duo* recepti ab omnibus, modo serventur aliquæ conditiones.

1. *Est damnum emergens.* Nempe detrimentum quod in suis rebus patitur mutuator ratione mutui: v. gr. si ob defectum pecuniæ cogatur res suas vilius vendere, aut sibi necessarias carius emere; ædificii quod reparare non potest, ruinam sustinere, &c.

Hinc titulus est justus, quia nemo tenetur cum damno proprio beneficium præstare; atqui mutuans cum damno suo præstaret alteri beneficium, si jacturæ quam propter mutuum fecit, compensationem exigere non posset; ergo.

Dixi, *modo serventur aliquæ conditiones*; & sunt quatuor sequentes.

*Prima*, ut mutuum sit vera causa damni, alias esset fictus titulus.

*Secunda*, ut mutuans, de damno sibi verisimiliter imminente, præmoneat mutuatarium, alias non consentiret in illam compensationem, & consequenter non teneretur ad illam, etiamsi postea damnum eveniret, modo fuerit per moram culpabilem causa illius.

*Tertia*, ut auctuarium non sit majus damno orto ex mutuo, alioquin non servaretur æqualitas, unde excessus esset usurarius.

*Quarta*, ut mutuatarius non cogatur ad aliquid solvendum pro damno probabiliter eventuro, si velit se obligare ad solvendum totum damnum, quod reipsa contigerit, sic enim indemnizationem, ad quam solam tenetur, præstat; tamen si nolit expectare eventum, mutuans poterit cum ipso convenire de certo & determinato auctuario pro damni periculo, solvendo.

*Secundus est lucrum cessans:* cum nempe mutuans non acquirit aliquod lucrum temporale quod certo aut probabiliter acquisiturus erat, si mutuum non dedisset, v. g. emptione fundi, census, &c.

Hic titulus est justus: quia per illum nihil exigitur supra sortem vi mutui, sed ratione spei lucri certo aut probabiliter ex pecunia per industriam mutuantis futuri; atqui hæc spes est pretio æstimabilis, potest enim vendi (*L.* 12. *ff. de action. empti*), ergo pro ea potest aliquid exigi.

Dixi:

Dixi: *modo serventur aliquæ conditiones:* nempe quatuor sequentes.

*Prima*, ut mutuum sit vera causa lucri cessantis; ut si pecuniam proxime & actu destinatam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, substraham illi destinationi, ut tibi mutuem, modo non habeam alias pecunias otiosas; id est non destinatas justo lucro faciendo, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doti, nec provisioni casuum fortuitorum; talis enim pecunia non est otiosa, cum commode non possit in mutuatæ locum destinari ad lucrum.

*Secunda*, ut mutuans moneat mutuatarium de lucro cessante; alias non consentiret in illius compensationem, & consequenter non teneretur ad illam, modo non fuerit per culpabilem moram causa illius.

*Tertia*, ut in compensatione lucri sperati deducantur expensæ faciendæ & pericula incurrenda; propter ipsa enim res solum sperata non tanti valet, quanti res jam existens.

*Quarta*, ut compensatio lucri cessantis non exigatur statim dato mutuo, quia si quis v. g. det centum mutuo & statim accipiat decem pro lucro cessante, perinde se habet ac si daret tantum nonaginta mutuo & tamen accipiat lucrum cessans pro centum; quod est manifeste injustum, cum minus lucrum ex nonaginta, quam ex centum sperare & exigere deberet.

Quæres 8. *An liceat aliquid exigere ultra sortem ratione periculi ejusdem sortis?*

*Nota*: duplex est sortis amittendæ periculum: Primum, *commune & ordinarium*, quod in omni mutuo reperitur, oriturque ex casibus fortuitis (v. g. incendio, devastatione &c.) & ex inopia pauperis, ad quam sublevandam mutuum a Deo ordinatum fuit.

Secundum, *particulare & extraordinarium*: quod mutuo est extrinsecum, separaturque ab eo per pignus, vel fidejussionem; tale est quod oritur ex prava dispositione mutuatarii (v. g. cum pecunia datur homini nullius conscientiæ, prodigo, litigioso, commercium periculosum habenti &c.)

*Certum est* apud omnes, illicitum esse aliquid supra sortem exigere ratione periculi communis & ordinarii; tum quia alias frustraretur finis ad quem mutuum ordinatum fuit a Deo, nempe ut necessitati pauperum subveniatur.

*Itaque* de solo periculo particulari & extraordinario est controversia inter doctores, ad quam breviter dirimendam,

*Dico*: *licet speculative loquendo licitum sit aliquid supra sortem recipere propter periculum extraordinarium, vix tamen in praxi evenit sine usura.*

*Prob.* 1. *pars.* 1. Ex decreto sanctæ Congregationis de propaganda Fide, ubi statuitur: *non esse inquietandos eos qui recipiunt aliquid supra sortem ratione periculi probabiliter imminentis* ideo *quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram judice repetere &c. dummodo servetur proportio inter periculum & id quod accipitur*, & Innoc. X. præcepit omnibus Missionariis sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus decreti observarent & illis uterentur donec sua Sanctitas vel Sedes Apostolica aliud statuerit.

*Prob.* 2. Ex D. Thom. (*Opusculo* 73. *de usura, cap.* 1.) licet carius justo vendere *propter periculum futuræ difficultatis in sorte recipienda:* ergo licet aliquid recipere supra sortem propter periculum probabile sortis recuperandæ.

*Prob. conseq.* Ideo in hypothesi allata carius justo vendere licet, quia plus valet pecunia ab omni periculo immunis, quam pecunia non nisi magnis difficultatibus recipienda: atqui pariter sors præsens & ab omni periculo immunis, pluris valet quam sors non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda; ergo par utrobique ratio.

*Prob.* 2. *pars:* quia vix observantur requisitæ conditiones ad licitatem hujus contractus.

*Prima*, ut absit intentio lucrandi ex mutuo, quia tunc etiam secluso pacto erit usura mentalis.

*Secunda*, ut periculum sit vere probabile, non autem fictum.

*Tertia*, ut mutuans non cogat mutuatarium, ut ipsum pro fidejussore suscipiat; alioquin mutuum non daturus, ut hoc prætenso titulo aliquid supra sortem recipiat.

*Quarta*, ut mutuatarius fidejussorem nec dederit, nec obtulerit.

*Quinta*, ut mutuans deficiente fidejussore, vel pignore, rei periculum in se suscipiat, ita ut si pereat, ipsi pereat; nec teneatur mutuatarius similiter refundere.

*Sexta*, ut mutuans non plus exigat quam postulet gravitas periculi, & quam ipsemet alteri daret ad se se a tali periculo redimendum.

Atqui conditiones illas pauci mutuatores norunt, pauciores ad praxim redigunt; ergo.

*Objicies* 1. *contra primam partem:* Gregor. IX. ait: (*Cap. naviganti de usuris*) *naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus.* Ergo.

*Resp.* 1. Cum auctoribus magni momenti. (*Barbosa*, *Layman*, *Tournely*, *Antoine &c.* mendum irrepsisse in textu & legendum esse: *usurarius non est censendus:* ob ista verba immediate sequentia: *ille quoque qui dat* 10. *solidos ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur ..... non debet ex eo usurarius judicari.* Particula, *quoque*, conformitatem prioris casus cum posteriore indicat.

*Resp.* 2. Posito quod non sit mendum in textu, *nego conseq.* nam summus Pontifex loquitur tantum de eo qui non vult mutuare nisi ea conditione, ut ipse periculum sortis certo pretio in se suscipiat, quod est usuraria impositio oneris; cum mutuatarius dato pignore, vel fidejussore securitatem præstare potuisset.

*Objicies* 2. Auctuarium non est medium aptum ad tollendum sortis periculum; vel enim mutuatarius sortem cum auctuario reddet tempore definito, vel neutrum est redditurus; si primum, mutuans plus recipiet quam ad indemnitatem suam esset necessarium; si secundum, nulla erit mutuantis indemnitas: ergo illicite eo medio utetur mutuans.

*Resp. nego conseq.* Et dico illud auctuarium non exigi ut tollatur periculum futurum, sed ut compen-

pensetur periculum præsens ex damno quodam actu existente, dum pecuniam in manu sua certam committit manui periculosæ, in qua minoris est valoris, quam in sua, ut ex eo patet quod minoris venderetur hujusmodi debitum, quam debitum aliud certum & non periculosum.

Quæres 9. *An mutuans possit sibi retinere fructus pignoris sibi dati pro assicuratione sortis?*

*Resp. Non potest*, sed tenetur eos computare in sortem, vel restituere; (*Cap. 2. de usuris*) ratio est quia res domino suo fructificat.

*Dices* 1. Dominus directus accipiens a suo vassallo feudum in pignus pro debito, non tenetur fructus deducere in sortem ut constat ex jure (*Cap. Conquestus, de usur.*) ergo nec mutuans.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod contractus feudi (sicut & emphyteusis) ex natura sua habet hanc tacitam conditionem ut si res feudo (vel emphyteusi) subjecta tradatur domino directo in pignus, dominus directus possit sibi retinere fructus, modo non exigat servitium, vel pensionem solitam; in mutuo vero hæc conditio repugnat, cum ex natura sua gratuitum sit.

*Dices* 2. Gener non tenetur restituere socero fructus fundi, qui loco dotis, in pignus datur; (*Cap. Salubriter, tit. de usur.*) ergo nec mutuans.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod pignus non datur genero solum ad debiti securitatem, sed etiam ut gener eo fruatur loco dotis donec ei dos repræsentata fuerit, quia hoc necessarium est ipsi ut alat filiam soceri, & alia sustineat matrimonii onera.

Quæres 10. *An pœna conventionalis mutuo apponi possit?*

*Nota.* Pœna conventionalis est pactum mutuantis cum mutuatario, ut si termino præfixo non reddat sortem, super eam aliquid solvat in pœnam suæ culpabilis moræ.

*Resp. affirm.* Modo adsint debitæ conditiones; ratio est quia mutuatarius differendo solutionem debiti peccat contra jus mutuantis; ergo potest juste puniri pœna proportionata.

Dixi; *modo adsint debitæ conditiones*, *quæ sunt?*

*Prima*, ut pœna non apponatur in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam statuto tempore recuperandi.

*Secunda*, ut mora sit notabilis & culpabilis, unde non est mulctandus qui sine culpa sua factus est impotens, ut docet S. Antoninus. (*P. 2. tit. 1. cap. 7. §. 73.*)

*Tertia*, ut pœna sit moderata, & culpæ proportionata, unde non debet exigi integra, si pars sortis jam sit reddita. Hinc pactum legis commissoriæ, nimirum ut pignus sit mutuantis si certo tempore mutuatarius non solverit sortem, est prohibitum a Jure (*Cap. 7. de pignoribus*) quia est pœna exorbitans.

*Porro* pœna conventionalis positis his conditionibus debetur ante omnem sententiam Judicis, quia debita est ex vi pacti justi; modo tamen mutuator eam exigat, quia videtur imponi sub hac tacita conditione: *si petatur.*

Quæres 11. *An liceat mutuum petere, vel accipere sub usuris?*

*Resp. ad primum.* Numquam licet mutuum petere sub usuris, quia ut ait D. Thom. (2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *in corp.*) *dicendum est quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet:* atqui petens mutuum sub usuris induceret hominem ad peccandum; ergo *nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris.*

*Resp. ad secundum.* Licet ex gravi necessitate propria vel aliena accipere mutuum sub usuris, & petere *ab eo qui usuras exercet* (*L. D. Thom. ibidem.*) si aliter haberi nequit, intendendo solum mutuum, & habendo se permissive ad usuram: quia licet petere ab alio id quod licite præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, modo adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, qualis est hic.

Quæres 12. *An usurarii vere fiant usurarum domini?*

*Resp. negat.* Quia non transfertur dominium sine justo titulo ex jure: (*Numquam ff. de acquir. rer. domin.*) atqui usurarius non habet justum titulum.

*Dices:* habet titulum donationis a mutuatario; ergo.

*Resp. nego ant.* Quia mutuatarius non plus intendit in usurarium Juris conferre, quam ipsi debeatur vi mutui; atqui vi mutui nihil debetur supra sortem; ergo.

*Hinc colliges* non solum Jure Canonico & Civili, sed & Jure naturali usurarios ad restitutionem usurarum teneri, ratione injustæ acceptionis; ad eandem restitutionem tenentur 1. eorum hæredes, quia repræsentant personam defuncti. 2. Omnes cooperatores, nempe consulentes usuras, dantes pecunias ut exerceantur, Judices qui compellunt ad usuras solvendas, Notarii conficientes instrumenta usuraria, ministri principales usurarum, ut sunt factores, correspondentes, proxenetæ, hoc est, qui quærunt eos qui pecunia indigent, adducuntque ad usurarios; hi omnes tenentur restituere in solidum. Sed

Quæres 13. *An hæredes usurarum teneantur restituere in solidum?*

*Resp.* Hæredes non tenentur in solidum, nec alter pro altero; sed singuli tantummodo pro sua parte juxta vires hæreditatis.

Ratio est, quia in successione hæreditatis sicut bona defuncti dividuntur in hæredes, ita etiam obligationes personales & debita; rationi enim consentaneum est, ut qui tantummodo in parte commodum percipit, onus quoque in parte tantum sentiat.

*Hinc* si res accepta per usuram perveniat in specie ad unum ex hæredibus, eam tenetur restituere, sed alii tenentur ipsi refundere pro rata.

*Objiciunt* Canonistæ Cap. *tua nos de usuris:* ubi dicitur; *Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur:* ergo tenentur in solidum.

*Resp. nego conseq.* Dicto enim Cap. tantum *significatur totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul junctos, ita tantum ut singuli non teneantur nisi ex parte;* est responsio Lessii.

Quæres 14. *An usurarius mentalis teneatur ad restitutionem?*

*Resp.* Usurarius mentalis, id est, qui sine ullo pacto,

pacto, etiam implicito aliquid supra sortem recipit tamquam debitum, tenetur ad restituendum, quia cum non adsit titulus gratuitæ donationis, nullus adesse censetur; ergo. In dubio utrum auctuarium datum fuerit liberaliter, vel non, tutior pars est eligenda.

Quæres 15. *Quænam sint pœnæ usurariis constitutæ.*

*Resp. Usurarii* notorii sunt:

1. *Infames* in utroque Jure (*Cap. Infames causa* 3. *quæst.* 7. & *L. improbum eod. ex quibus causis irreg. infamia*) ac per consequens irregulares, inhabiles ad officia & beneficia.

2. Privantur communione altaris & ecclesiastica sepultura, & eorum oblationes non possunt accipi. (*Cap.* 3. *de Usur.*)

3. Non possunt absolvi antequam de usuris satisfecerint, vel cautionem dederint idoneam (*Cap. ult. de Usuris in* 6.)

4. Eorum instrumenta sunt irrita, nisi ante mortem satisfecerint, vel cautionem dederint (*Cap. eodem.*)

5. Contra Clericos, qui moniti non desistunt, decernitur suspensio ab officio & beneficio ferenda, & contra Laicos excommunicatio item ferenda, usque ad debitam restitutionem (*Cap.* 7. *de Usur.*)

## §. X. *De Cambio* Gallice *Change.*

Quæres 1. *Quid sit Cambium & quotuplex?*

*Resp. ad* 1. Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro campsoris (*Gallice changeur, ou banquier*).

*Resp. ad* 2. Cambium dividitur in *siccum*, & *reale* seu verum.

*Cambium siccum* (sic dictum quod instar fundi sicci caret humore, justoque titulo quo lucrum parere possit) *est cambium fictum, verumque mutuum nomine Cambii velatum*; ut cum datur recipienda non eo loco quo fingitur, sed eo loco quo datur, licet alio tempore.

Hoc cambium est verum mutuum ex quo lucrum sine alio titulo percipitur, unde tamquam usurarium est reprobatum a sancto Pio V. Bulla *in eam pro nostro*, quam refert Lessius (*L.* 2. *cap.* 23. *dub. undecima.*)

*Cambium reale* est illud, in quo revera pecunia præsens cum præsente, vel præsens cum distante permutatur. Unde

Quæres 2. *Quotuplex sit Cambium reale?*

*Resp.* Triplex, scilicet *manuale* seu minutum, *locale* seu per litteras; et *temporale*, seu ad terminum solutionis.

*Manuale*, est de manu ad manum permutatio pecuniarum diversæ rationis, v. g. aureæ cum argentea, minoris cum majore, &c.

*Cambium locale*, est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti; v. g. si campsarius campsori pecuniam numeret Nanceii, ut recipiat a campsore Litteras cambii, quarum ope eandem summam recipiat Parisiis.

*Cambium temporale* est illud quo campsor, sive mercator dat hic pecuniam ea lege ut illam cum lucro recipiat alibi post certum tempus. Illud est cambium quod vocant *Lugdunense*; alii *Nannetense*, alii *Francofurtense*, quia in iis locis exercetur.

Quæres 3. *An Cambium reale, manuale & locale sit licitum?*

*Resp. affirm.* Modo lucrum sit moderatum & secundum leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum æstimationem. Ratio est, quia lucrum in cambio non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se invendibilis est; sed ratione impensarum, & laboris in conquirendis, coacervandis, & custodiendis variis speciebus monetarum; item in cambio locali ratione oneris, quod suscipit proprio periculo monetas trasferendi in eum locum, ubi campsarius his indiget; atqui hæc omnia sunt pretio æstimabilia; ergo.

*Dices:* aliquando campsor non transfert pecunias, sed per correspondentes solvit; ergo tunc non potest lucrum recipere.

*Resp. nego conseq.* Quia potest lucrum recipere propter industriam, quæ in mercatore est pretio æstimabilis.

Quæres 4. *An cambium temporale sit licitum?*

*Resp.* Secluso alio titulo justo est usurarium; quia in eo non exigitur lucrum, nisi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, & pro solutionis dilatione, unde quo major est dilatio, eo majus exigitur lucrum: atqui pro carentiæ pecuniæ, aut dilationis, aliquid exigere est usurarium, ut diximus alibi; ergo.

## §. XI. *De Censibus, seu redditibus annuis.*

Quæres 1. *Quid sit Census annuus & quotuplex?*

*Resp. ad* 1. Census est contractus quo emitur & venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, personave aliena frugifera.

*Resp. ad* 2. Census dividitur in reservativum, & consignativum.

*Census reservativus*, est contractus quo quis alteri transfert rei suæ dominium plenum, retento sibi jure pensionem aliquam percipiendi: (vocatur gallice *droit seigneurial*, & *rente fonciere*.)

*Census Consignativus*, est contractus quo quis super bonis, personave sua consignat alteri pensionem annuam, vel in fructibus, & dicitur census *fructuarius*; vel in pecunia, & dicitur census *pecuniarius*: gallice *contract de constitution.*

*Nota.* In hoc censu qui debet pensionem (gallice *le Canon*,) vocatur *censuarius*, & *venditor*; is cui pensio debetur, dicitur *Censualista*, *Censuista*, *creditor*, & *Emptor*.

Quæres 2. *Quomodo dividatur census Consignativus?*

*Resp. dividitur* in realem, personalem, & mixtum.

*Realis*, est ille qui fundatur super aliqua re fructifera, ex quapensio solvi debet; quo fit ut si res pereat, pereat & census; aut si subsistat, subsistat & census, ad quemlibet res illa pervenerit.

*Census personalis*, est ille qui fundatur in persona quæ sese obligat ad pensionem solvendam ex omnibus operibus suis, labore, industria, aut officio suo.

*Census mixtus*, est ille, qui fundatur super re & per-

& persona simul, ita ut licet res pereat; persona semper obligata maneat.

*Iterum* census consignativus tum realis, tum personalis, tum mixtus dividitur in temporalem & perpetuum.

*Census temporalis*, est ille qui expirat certo tempore: v. g. 20. annorum; vel incerto, v. g. ad vitam hominis, dicitur *vitalitius*. (*Gallice pension viagere.*)

*Census perpetuus*, est ille, qui per se semper durat; estque vel *redimibilis* qui extingui potest refusione summæ capitalis, vel *irredimibilis* qui sic extingui non potest.

Quæres 3. *An Contractus Census sit licitus?*

*Nota*: Certum est apud omnes censum reservativum licitum esse, nam sicut qui potest rem suam tradere, vel non tradere, ita & tradere reservato sibi jure pensionis; sic Ecclesiastici licite sua beneficia resignant cum retentione pensionis annuæ. Quæstio igitur tota est de censu consignativo, ad quam dirimendam

*Dico* 1. *Census realis sive sit fructuarius, sive pecuniarius, est licitus.*

*Prob.* Emptio rei pretio æstimabilis est licita; atqui census realis est emptio rei pretio æstimabilis; ergo. *Prob. min.* Jus ad pensionem sive pecuniariam, sive fructuariam ex re aliena annuatim percipiendam, est pretio æstimabile; atqui census realis est emptio juris ad pensionem &c. ergo.

*Unde* SS. PP. Martin. V. Calixt. III. (*In suis extravag.*) hunc contractum legitime factuum approbarunt.

*Objicies* cum Henrico Gandav. Emptio census realis non est vere emptio, sed mutuum. *Prob. ant.* Extrema hujus contractus sunt pecunia, & pecunia per quotas accipienda; atqui pecunia vendi non potest, sed mutuo dari. Ergo.

*Resp. nego* 1. *ant. & majorem probationis*, non enim in censu emitur pecunia, sed jus ad ipsam, quod est vendibile: neque pensio recipitur immediate ex pecunia data, sed mediante jure empto; unde sicut qui emit agrum, fructus ejus juste percipit, licet ex sua pecunia eos mediate percipiat; ita qui emit censum, pensionem juste percipit, licet ex pecunia sua eam mediate percipiat.

*Inst.* 2. Illud Jus non extat; ergo non potest vendi.

*Resp. dist. ant.* Non extat formaliter *conc.* virtualiter *nego*: extat enim in jure quod habet venditor pensionem ex re sua percipiendi, atque in alium sive venditione sive donatione transferendi.

*Inst.* 2. Venditor census illum non potest extinguere, nisi reddat summam capitalem, quam accepit, licet per multos annos, quibus duravit census, solverit annuas pensiones, summam illam capitalem longe excedentes; atqui hoc videtur injustum: ergo &c.

*Resp. nego. min.* Hoc enim tam justum videri debet, quam quod homo, qui agrum suum a centum annis vendidit Titio eum redimere non possit, nisi reddita Titio summa sua capitali, etsi toto illo tempore Titius perceperit fructus agri, summam capitalem simul longe excedentes. Ratio est, quia illud plus, successive per partes, & longa temporum intervalla receptum, secundum communem sapientum æstimationem, non pluris valet, quam valeat omnium partium illarum summa simul, & semel soluta, quæ sic spectata utilior, & opportunior est ad quamlibet negotiationem, nec per se exposita est tot, tantisque incommodis, quibus exposita est successive recipienda per partes, & longa temporum intervalla, ob rei emptæ, & consequenter pensionum recipiendarum pericula communiter per se occurrentia.

Dico 2. *Census personalis est licitus in locis, in quibus non est recepta Pii V. Constitutio*: Cum onus.

*Prob.* Quia persona non minus per artem, & industriam suam potest esse fructifera quam ager aut domus; atqui pretio justo emi potest jus percipiendi annuam pensionem ex fructibus agri, vel domus; ergo similiter potest justo pretio emi jus percipiendi annuam pensionem ex fructibus operum, & industriæ personæ.

*Confirmatur*: Licitum est operas & industriam alterius conducere: ergo licitum est emere jus ad fructus inde speratos.

Dixi: *In locis in quibus non est recepta Pii V. Constitutio*; *quia per* eam statim *censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, ex sui natura fructifera*: huic autem legi eos obtemperare oportet, apud quos est promulgata & recepta; non autem alios apud quos non est recepta; quia S. P. in sua constitutione non explicat Jus naturale aut divinum, sed sancits Jus humanum; non est autem recepta in Gallia, Hispania, Belgio, Lotharingia &c.

*Objicies* 1. Census personalis est mutuum virtuale, vi cujus recipitur aliquid supra sortem; ergo est illicitus.

*Resp. nego ant.* Nam ille census est emptio, non pensionis, sed juris ad pensionem; pro pretio ab emptore irrevocabiliter dato; at in mutuo datur pecunia præsens pro pecunia futura æquali tota simul solvenda, quæ post certum tempus a mutuante repeti potest.

*Instab.* Jus ad pensionem nihil aliud est quam ipsa pensio successive & per partes solvenda; atqui hæc pensio est pecunia ipsa.

*Resp. nego maj.* Tam enim jus percipiendi pensionem ab ipsa pensione distinguitur, quam Jus transeundi per agrum alterius, ab ipso distinguitur transitu; atqui &c.

*Objicies* 2. Pensiones annuæ post aliquot annos excedunt sortem pro censu datam: ergo injusta est census emptio.

*Resp.* 1. *Retorq.* Argumentum; fructus agri post aliquot annos excedunt pretium pro agro datum; ergo emptio agri est injusta.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Quia non emuntur pensiones, sed Jus ad illas percipiendas per partes & plura intervalla annorum cum incertitudine & variis incommodis, quod communi hominum æstimatione minoris valet quam istarum partium collectio, quæ opportunior est ad quodlibet lucrum, & nullis incommodis obnoxia.

*Objicies* 3. Persona non potest adstringi solutioni-

ni pensionis censualis, sicut potest ager; ergo census super persona constitui nequit.

*Prob. ant.* Si Persona posset adstringi pensionis censualis solutioni, posset vendi, dum in solutione deficit, prout ager censui adstrictus; absurdum consequens; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Quia census eodem modo non constituitur super persona, sicut super agro. Equidem si constituatur super agro, & dominus agri non solvat pensiones, potest ager evinci, & vendi a creditore, ut capitales, & pensiones non solutas recuperaret censuista. Econtra si constituatur super persona, ita ut actione personali coram judice conveniri possit, & ad solutionem compelli.

Quæres 4. *An Contractus census redimibilis sit licitus?*

*Resp.* Census redimibilis ad nutum emptoris est illicitus & usurarius, qui enim dat pecuniam cum pacto eam recipiendi cum lucro, proprie non vendit, sed mutuat ad usuram.

Dixi *ad nutum emptoris*: Quia census ad nutum venditoris redimibilis est licitus, cum ex dictis venditio fieri possit cum pacto retrovendendi.

Quæres 5. *An Census temporalis sit licitus?*

*Resp.* Census temporalis certus est usurarius; incertus autem seu vitalitius est licitus.

*Prob. prima pars.* Quia qui dat 180. Petro, ea lege ut per 20. annos Petrus solvat quotannis 10. apertam committit usuram, cum non vendat, sed mutuet cum lucro; atqui taliter agit, qui celebrat contractum census temporalis certi. ergo.

*Prob. secunda pars*: Ille contractus in quo est æqualis sors vendentis & ementis, est justus; atqui in contractu vitalitio est æqualis sors vendentis & ementis: cum dubium sit quot annos sit victurus ille, super quem census est constitutus; ergo.

Quæres 6. *Quænam requirantur conditiones ad justitiam census?*

*Resp.* Quinque requiruntur.

*Prima.* Ut sit justum pretium juxta taxam principis, vel si desit taxa, juxta communem prudentum æstimationem.

*Secunda.* Ut res super qua constituitur census realis, vere sit in libera dispositione vendentis: quia ex l. nemo, ff. de reg. juris: *Nemo plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habeat.* Alias contractus est injustus, & venditor tenetur ad restitutionem capitalis, & damnorum.

*Tertia.* Ut res super qua constituitur census realis sit ita fructifera, ut jus ad fructus, quod emitur, adæquet pretium datum; alias venditur jus, quod non est, vel majus eo, quod est.

*Quarta.* Ut cesset census obligatio vel in toto vel in parte, dum res, supra quam census constitutus est, in toto vel in parte periit, aut sterilis evasit: ex qua conditione census immunis est ab usura, cujus iniquitas in eo sita est, quod ex re non frugifera mutuans ultra sortem, aliquid accipiat: dummodo census sit pure realis; nam si sit mixtus, quomodo fere nunc omnes census creantur in Gallia, pereunte re, quæ locum tenet hypothecæ, nihilominus debitor solvere tenetur. Ratio est, quia census est vere emptio; ergo debet sequi leges emptionis, juxta quas res empta perit emptori.

*Quinta.* Ut in censu non apponatur pœna commissi; id est, quod res censui subjecta in dominium censuistæ transeat si censuarius sit in mora solvendi: quia pœna est exorbitans, unde prohibetur jure. (*Cap. 7. de pignor. & Cap. ult. eod. de partic.*)

*Sexta* conditio additur in Gallia: nempe ut venditor possit perpetuo censum redimere, refundendo emptori pecuniam suam. His adde pro locis, in quibus Bulla Pii V. *Cum Onus*, data anno 15[illegible], quod ille Pontifex ad hoc, ut contractus census sit justus, requirat sequentes conditiones.

1. Ut census constituatur in re aliqua certa, immobili, & frugifera ex natura sua.

2. Ut re pereunte, vel sterili facta, census pereat, ut supra ad conditionem quartam addidimus.

3. Ut pretium in pecunia numeretur in ipso actu celebrationis contractus coram Notario, & testibus; ita ut solutio fieri non possit anticipata, nec credita pecunia.

4. Ut non fiant pacta directe, vel indirecte ad casus fortuitos obligantia eum, qui alias ex natura contractus non obligatur.

5. Ut nulla fiant pacta, quibus auferatur, vel restringatur facultas alienandi rem censui subjectam.

6. Ut nulla fiant pacta quibus morosus debitor obligetur ad interesse lucri cessantis, vel aliam pœnam.

7. Nec census augeatur ex non solutis Canonibus jam decursis.

8. Nec apponatur pactum, ut capitale a debitore invito repetatur in pœnam non solutorum Canonum, vel ob aliam causam.

## §. XII. *De Emphyteusi & Feudo.*

*Nota* 1. *Emphyteusis*: Dicitur ab inserendo & meliorando, quia ad meliorationem fundi, ut plurimum conceditur.

*Nota* 2. Qui rem emphyteuticam accipit, vocatur *Canon.*

Quæres 1. *Quid sit emphyteusis?*

*Respond.* Est contractus quo sub onere pensionis annuæ transfertur rei immobilis dominium utile, directo retento.

Dicitur 1. *Sub onere pensionis*, quæ debet esse longe minoris pretii quam fructus.

Dicitur 2. *Transfertur*: in perpetuum; vel ad unius aut plurium vitam; vel ad certum tempus quod decennio non sit minus, per quod differt a locatione.

Dicitur 3. *Rei immobilis*; quia res mobilis usu deterioratur, non melioratur; per hoc differt ab usufructu, qui constitui potest in re mobili.

Dicitur 4. *Transfertur dominium utile*: unde emphyteuta potest rem emphyteuticam secundum dominium utile, in alium transferre, modo fiat absque domini directi incommodo, & ut jura præscribunt.

Quæres 2. *Ad quid teneatur Emphyteuta?*

*Resp.* Tenetur 1. Rem emphyteuticam fructuosiorem facere, aut saltem non deteriorem. 2. Certam pensionem vel in pecunia, vel in fructibus domino directo solvere statutis temporibus; alioqui amittit rem emphyteuticam cum omnibus impen-

impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro Ecclesiastica emphyteusi, & per triennium pro sæculari. (*L. secunda cod. de jure emphyt.*).

Quæres 3. *Quid sit feudum?*

*Resp.* Est contractus quo onere fidelitatis & obsequii personalis transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo. Qui tradit, dicitur *infeudator*: qui accipit, dicitur *Vassallus* aut *Feudatarius*.

Quæres 4. *Quomodo feudum differat ab emphyteusi?*

*Resp. Differt* 1. Quod in feudo imponatur onus personale, in emphyteusi vero realis pensio. 2. Quod in emphyteusi non requiratur investitura, econtra in feudo requiratur investitura sive sit *realis*, quando nempe feudatarius immittitur in possessionem feudi, sive *abusiva*, quæ fit traditione ensis, annuli, &c.

Quæres 5. *Ad quid teneatur Vassallus?*

*Resp. Tenetur* 1. Præstare juramentum fidelitatis (*Foy & hommage*).

2. Tenetur suo tempore requisitus præstare obsequia promissa investitura.

3. Tenetur non disponere de feudo sine consensu infeudatoris.

4. Amittit feudum ob neglecta obsequentia, & crimen felloniæ; id est, crimen belli contra dominum directum gesti.

5. In multis consuetudinibus debet directo domino *relevium* & *quintam* partem pretii, quo feudum venditur. (*Gallice, droit de relief. & de quint.*)

### §. XIII. *De Contractu societatis.*

Quæres 1. *Quid sit Contractus societatis?*

*Resp. Est duorum vel plurium conventio, contribuendi aliquid ad commune lucrum secundum proportionem rerum contributarum.* (*A proportion du fond qu' on y a mis*)

Dicitur 1. *Conventio duorum, vel plurium*, quia essentialiter postulat celebrari inter duos saltem, perficiturque solo convenientium consensu signis exterioribus manifestato, etiam citra scripturam, traditionem, vel aliam solemnitatem. (*L. 4. ff. pro socio.*)

Dicitur 2. *Contribuendi aliquid*: puta pecuniam, operam, industriam, instrumenta negotiationis, v. g. Navim, equos, &c. sive singuli idem, sive diversum contribuant, v. gr. unus pecuniam, alter operam, &c.

Dicitur 3. Ad commune lucrum, ut designetur finis proximus societatis negotiatoriæ, de qua hic.

*Dicitur* 4. *Et damnum*, quia æquum est, ut cui commune est lucrum, ei commune sit damnum. Nam *dum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur.* (*L. si unus est, ff. pro socio.*) Alias foret societas Leonina per Leges reprobata. (*L. si non fuerint ff. pro socio.*) Dicitur enim *Societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiat: et hanc societatem Leoninam solitum Cassium appellare.*

Dicitur 5. *Secundum proportionem rerum contributarum*: quod ut recte dijudicetur, a principio societatis res contributæ debent æstimari, & ex illis debet fieri quasi una summa pecuniæ sociis omnibus communis, v. g. sint duo socii, quorum unus confert mille aureos, alter operas, & industriam, quæ æstimantur quingentis aureis; tunc stabilienda est societas, quasi hi duo socii contulissent in numerata pecunia 150. aureos: qua finita, si lucrum sit sex aureorum, ex hac summa, qui pecuniam contulit statim reportare debet *quatuor*, alter vero qui operam & industriam contulit, reportabit duo. Idem dicendum est de damnis, & impensis ex societate provenientibus.

Quæres 2. *Quot modis vulgo contrahatur societas?*

*Resp.* Tribus,

1. Quando omnes, & singuli socii conferunt laborem, industriam, & pecuniam.

2. Quando unus confert pecuniam, alter industriam, tertius laborem.

3. Quando unus pecuniam confert, alter industriam, & laborem. Porro tres illi modi contrahendi sunt liciti, modo debitis vestiantur conditionibus.

Quæres 3. *Quænam ad justitiam societatis requirantur conditiones?*

*Resp. Quatuor vulgo requiri. Prima.* Ut negotiatio in qua contracta est societas, sit licita, alioquin esset nulla. (*L. si tibi areæ meæ ff. de præscript. verb.*)

*Secunda*, Ut pecunia vere & realiter ponatur ad aliquam negotiationem quæ nata est ferre lucrum, alias esset usura palliata.

Hinc usurarius est qui pecunias suas amico, qui peritia negotiandi caret, ea lege tradit, ut post aliquod tempus easdem restituat cum eo lucro quod probabiliter tulissent negotiationes expositæ.

*Tertia.* Ut lucrum, damnum, impensæ ex societate provenientia sociis sint communia pro rata parte quam quilibet contulit.

*Nota.* Ut recte possit dijudicari, quæ pars ad unumquemque pertineat, a principio societatis res contributæ debent æstimari, & ex illis debet fieri quasi una summa pecuniæ omnibus communis; v. g. sunt duo socii, quorum unus confert mille aureos: alter operas & industriam quæ æstimantur quingentis, tunc stabilienda est societas quasi hi duo socii contulissent in numerata pecunia mille quingentos aureos; qua finita si lucrum sit sex aureorum, ex hac summa, qui pecuniam contulit, statim reportare debet *quatuor*, alter vero qui operam & industriam contulit, reportabit duo. Idem dicendum est de damnis & impensis ex societate provenientibus.

*Quarta.* Ut pecunia subjaceat periculo eam conferentis: hoc est, ut si pereat citra culpam latam vel levem socii, pereat ei qui contulit, quia hic retinet illius dominium, res autem domino perit; sicut vice versa, si salva unius pecunia labores alterius fructu careant, labores suos perdit qui laboravit.

Quæres 4. *An si finita societate nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat ipsum inter & alium qui operas pecuniæ æquivalentes contulit?*

*Resp. negative*, Cum Div. Thom. Navar. Pontas (*D. Th. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 5. Cabass. Juris can. Theor. & praxi cap. 7. num 3. Navar. c. 17. n. 252. Pontas V. societé cas. 2*). qui sic probant:

*Si pecunia pereat, perire debet ei qui eam contulit; ergo, si supersit, eidem restituenda est, ut qui sentit onus, sentiat & commodum.* (*Cap. qui sentit; de reg. Jur. in* 6.) Ita insuper declaravit Pius V. constit. *Detestabilis*, ubi decernitur sortem finita societate, si restat, reddendam ei qui contulit, nisi fuerit communicata socio ut sæpissime fit in societate de animalibus inita: tunc enim dividi debet sors & lucrum; sed tunc si sors pereat, quilibet debet perdere partem suam, ut servetur æqualitas.

*Objicies* 1. Si non dividatur sors inter conferentem & socium in casu proposito, non servatur æqualitas contractus societatis; ergo, ut servetur æqualitas, debet sic dividi . . . *Resp. neg. ant.*

*Prob. ant.* Æqualitas societatis exigit, ut omnia commoda, & incommoda sint communia; atqui in casu proposito, si tota sors reddenda sit ei, qui contulit, omnia commoda non erunt communia; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Æqualitas exigit, ut omnia commoda, & incommoda sint communia, in iis, quæ communicantur in societate, *conc.* in iis, quæ non communicantur, *nego maj.* dum igitur sors (v. g. pecunia) non communicatur quoad se, sed solum quoad usum, & lucrum, æqualitas hujus contractus non postulat, ut communis sit utrique socio, sicut nec postulat, ut commune sit illius periculum quoad se, sed solum quoad usum, & lucrum.

*Objicies* 2. In nostra sententia, qui laborem & industriam posuit, deterioris esset conditionis; ergo iniquus est hic contractus. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Qui posuit pecuniam, perderet quidem lucrum, sed reciperet suum capitale; socius vero perderet tum lucrum, tum capitale, laborem scilicet & industriam; ergo esset deterioris conditionis.

*Resp. nego conseq.* Quia tantum perdit qui pecuniam suam negotiationi vulgo proficuæ expositam recipit sterilem, quam qui ex industria sua nihil percipit emolumenti; unus perdit operas, alter perdit usum suæ pecuniæ factæ lucrosæ per negotiationem; pretium autem operæ & industriæ socii, intelligitur correspondere usui pecuniæ, & non proprietati; adde quod ille qui pecuniam confert, duplici subjaceat periculo, amittendi scilicet pecuniam, & lucrum illius; cum econtra ille, cui confert industriam, solum subjaceat uni periculo, scilicet lucrum amittendi: semper enim retinet facultatem ad similes industrias, ubi amittens pecuniam non retinet facultatem ad similes usus illius.

## APPENDIX I.

### *De societate animalium* gallice *Chetel.*

Quæres 1. *Quid sit societas animalium?*

*Resp.* Est conventio duorum vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem conferunt, alii vero hæc animalia servant & pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.

Quæres 2. *An sit licita societas animalium?*

*Resp.* Est licita sub tribus conditionibus:

*Prima*, Ut animalia, quæ sine villici dolo vel culpa levi pereunt, non ipsi pereant, sed tradenti; quia tradens remanet eorum dominus. (*Ita D. Thom. quæst. 78. art. 2. ad 5. Pius V. Bulla detestabilis. Convent. Melodun. constit. de usuris*).

*Resolves*; Defectu hujus conditionis illicitum, & usurarium esse contractum, qui latine *bestiæ redditio*, gallice *redbestie* dicitur, quo animalia traduntur in societatem hoc pacto ut in omnem eventum sors semper salva sit, tradentique ex integro restituenda, tametsi casu fortuito, absque accipientis dolo, & negligentia pereat. 2. Ut tradens partem lucri percipiat: Ita Div. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 7. §. 39. dicens; *Cum quis dat rustico viginti capita, verb. gr. boum, vaccarum, ovium, cum pacto, ut sint firma in numero, vel in pretio ipsorum in omnem eventum. Si totum lucrum sit rustici, sicut & damnum, licitum est; quia idem est, ac si mutuasset ei pecuniam, de qua emisset tot capita. Si autem vult partem lucri, salvo suo capitali, usura est; quia illud lucrum vult ratione mutui. Et si quis vellet hunc contractum soccidam (*id est societatem*) vocare, erit injusta, & obligabitur talis ad restitutionem.*

*Secunda*, Ut villicus animalia curet, pascat, conservet, & accuratam lucri rationem reddat.

*Resolves*: Defectu huius conditionis rusticos injustitiam committere multipliciter.

1. Si animalia in societatem tradita minore studio, & diligentia curent, quam propria.

2. Si pinguiora sibi subtrahant, & alia macilentiora, viliorisque pretii substituant.

3. Si pecora sibi tradita a lupis devorata falso affirment, ut ea in suam utilitatem convertant.

4. Si animalium a lupis occisorum pelles abscondant, sibique retineant, &c.

*Tertia*; Ut in lucri divisione servetur æqualitas, ita ut tradens commensuratam capitali suo, accipiens vero adæquatam labori & industriæ partem recipiat, juxta peritorum in hac arte æstimationem, ut definivit de Sainte Beuve (*t. 1. cas. 120. 127. 141. 142. 144.*).

Quæres 3. *Dum unus sociorum operam, alter pecuniam contulit, quomodo in fine societatis facienda sit divisio, ut servetur æqualitas?*

*Resp.* Triplex potest esse eventus societatis, in qua non fuit facta communicatio sortis, seu pecuniæ ab uno socio collatæ. Vel enim 1. invenitur sola sors sine lucro. Vel 2. invenitur damnum, seu jactura sortis in toto, vel in parte. Vel 3. invenitur lucrum.

Si sors absque lucro salva sit, debet integra reddi collatori, cui soli periisset, si periisset, nec ullo modo debet dividi: divisio enim solum facienda est de eo quod in societate fuit communicatum, hocque solum postulat æqualitas societatis; ergo cum sors communicata non fuerit, de ea non est facienda divisio, ut supra probavimus.

Si sors, seu pecunia perierit, sive in toto, sive in parte, soli istius collatori periit: nam si salva sit, soli collatori salva est; ergo æquitas postulat, ut si pereat, pereat ponenti.

Si lucrum inveniatur in fine societatis, ante omnia sors integra collatori restituenda est: deinde lucrum restans est dividendum inter socios æqua-

qualibet, vel inæqualiter, prout opera æqualis, vel inæqualis fuerit æstimationis cum pecunia ab altero socio collata; sicque justitia salvabitur, dum ei sors salva erit, cui periret. Sic servabitur æqualitas, dum pro rata dividetur, quod in commune collatum est, & uni pecuniæ, alteri operæ, & industriæ fructus reddetur.

*Resp.* 2. Si in contractu societatis dominium sortis fuerit communicatum, ea in fine societatis dividenda est æqualiter, si operæ æstimatio sit æqualis cum æstimatione pecuniæ; inæqualiter, & pro rata, si sit inæqualis. In quo casu communicati pecuniæ dominii, ea utrique socio perit, si pereat, & utrique salva est, si salva maneat.

Quæres 4. *An Contractus societatis, qui gallice vocatur* Gazaille, *sit licitus?*

*Nota ante resp.* Sic celebrari hunc contractum; Petrus dat Paulo vaccas vel boves sub his conditionibus: 1. Ut Paulus eas pascat, & Petro singulis annis det pro unaquaque vacca mensuram frumenti, quæ æstimatur quatuor libris. Ut Paulus unoquoque anno duodecimam capitalis partem acquirat. 3. Ut exacto sex annorum circulo Petrum inter & Paulum ex æquo dividantur capitale & fructus, gallice *le fond*, & *le croit*.

*Resp.* In hoc contractu (qui præter societatem continet & venditionem, cum Paulus emat singulis annis duodecimam partem capitalis) nihil esse mali; *Modo* 1. id quod petit & nondum acquisitum est a Paulo *accipiente*, pereat *Petro danti*; id est modo Paulus *accipiens* primo anno nullum subeat periculum: secundo anno subeat tantum periculum duodecimæ partis capitalis; tertio anno subeat periculum alterius duodecimæ partis &c. pro ratione acquisitionis ab eo factæ.

*Modo* 2. Id quod Paulus *accipiens* singulis annis recipit, aut in fine societatis recipiet, sit ejus industriæ aut labori commensuratum.

*Ratio* hujus decisionis est, quia in tali contractu plena reperitur æqualitas.

Quæres 5. *An sit justa societas, qua quis dat rustico certa capita ovium æstimata certo pretio, hoc pacto*, ut rusticus non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens prius receperit totum suum capitale? *vel hoc pacto*, ut, antequam rusticus accipiat aliqua, restauret de fœtibus omnia capita mortua?

*Resp.* Cum D. Antonino, hoc utrumque pactum esse valde iniquum, quia jura societatis violantur, ubi melior est conditio unius, quam alterius; atqui in societate cum hoc utroque pacto inita melior est conditio dantis, quam accipientis, cum dans nullum, vel saltem minimum subeat periculum, quod totum, vel fere totum rejicitur in accipientem; ergo &c.

## APPENDIX II.

### *De tribus Contractibus*, gallice *les trois Contrats*.

Quæres 1. *Quid sit Contractus triplex?*

*Resp.* Est contractus quo pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio ut quidquid contigerit, sibi sua sors integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo quod probabiliter sperare potuisset.

Dicitur *contractus triplex*, quia continet tres contractus: 1. societatis: 2. assecurationis sortis: 3. venditionis lucri majoris sperati & incerti, pro certo, sed minori.

Quæres 2. *Quomodo initur contractus triplex?*

*Resp.* Initur sub hac formula: *Ego infra scriptus attestor, me recepisse a N. summam tot nummorum in societatem legitimæ negotiationis, quam summam ipsi assecuro, & loco lucri incerti majoris, quod eidem ratione societatis posset obvenire, promitto ipsi solvere cum summa capitali tot florenos, intra tale tempus, ita ut lucrum majus inde obventurum mihi cedat; in quorum fidem &c.*

Quæres 3. *An hic contractuum circulus ab usura sit immunis?*

*Nota:* Tres contractus fieri posse. 1. Inter eos qui societatem inierunt sive simul & semel, sive successive & distinctis temporibus. 2. Possunt fieri cum aliis extra societatem constitutis.

*Dico* 1. Tres contractus licite possunt iniri cum personis extra societatem constitutis; quia sic facti non se destruunt invicem aut interimunt (*Ita omnes Doctores contra moral. Gratianop. & Æthicam amoris*).

*Dico* 2. Tres contractus inter socios initi, sive eodem tempore fiant, sive diverso, sunt illiciti & usurarii.

*Prob.* 1. Auctoritate Sixti V. qui in Bulla *detestabilis* damnavit tres contractus tamquam usurarios & illicitos, his verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, & conventiones, & pactiones, postbac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res, societatis nomine, tradentibus, aut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive, ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respondeatur. Statuimusque, hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarias & illicitas postbac censeri debere, atque in posterum non licere eis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare: Neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & probibemus.*

*Prob.* 2. Ex facultate Parisiensi, quæ hanc proposition. *si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, & venditionis lucri, incerti pro certo, virtute trium horum contractuum, licitum est exigere lucrum certum cum assecuratione capitalis*; Damnavit tanquam *falsam, scandalosam, inducentem ad usuras committendas &c.*

Ad Sixtum V. reponunt duo adversarii: primum tres contractus non reprobari per Sixtinam ut jure

re naturali illicitos, cum Pontifex solum dicat eos *posthac debere censeri usurarios & illicitos.* Secundum Sixtinam damnare eam speciem societatis in qua assecuratur capitale vi solius societatis, non autem vi aliorum duorum contractuum.

*Refellitur* prima responsio: nam ibi summus Pontifex asserit triplicem contractum esse *contra æquitatem & justitiam societatis:* atqui quod est contra justitiam, est jure naturali & divino prohibitum; ergo. Unde ex oppositione particulæ *posthac* non est concludendum tales contractus antea fuisse licitos, sed tantum causam esse finitam Roma locuta.

*Refellitur* secunda responsio, nam damnat summus Pontifex *contractus omnes per quos cavebitur personis pecunias nomine societatis tradentibus, ut etiamsi fortuito casu amitti contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit &c.*

*Prob.* 2. Ratione: aliquid accipere supra sortem absque titulo est illicitum & usurarium: atqui per triplicem contractum aliquid supra sortem accipitur sine titulo; ergo. *Prob. min.* Si quis est titulus, maxime societas; atqui in triplici contractu societas non est titulus aliquid supra sortem recipiendi, ergo. *Prob. min.* Societas destruitur per triplicem contractum: ergo. *Prob. ant.* Ad essentiam societatis requiritur essentialiter damni lucrique communio & æqualitas; atqui hæc communio & æqualitas plane tollitur per novam trium contractuum subtilitatem; cum socius certus sit de lucro & sorte; ergo societas destruitur per triplicem contractum.

*Confirmatur:* quia contractus societatis, cui accedit assecuratio sortis, degenerat in mutuum, cum pecunia sic assecurata transeat in dominium assecurantis, qui de ea pro libitu disponere potest, ita ut si perierit, ipsi pereat; certum est autem nullum lucrum posse reportari ex mutuo; ergo.

*Objicies* 1. Innoc. III. cap. *per vestras* ( *de donat. inter virum & mulierem* ) asserit dotem uxoris deponi posse apud mercatorem ne a marito dilapidetur, & ut *de parte honesti lucri dictus vir onera matrimonii possit sustinere:* ergo societas potest iniri cum assecuratione capitalis.

*Resp. nego conseq.* Nam summus Pontifex non facit mentionem assecurationis capitalis: *neque refert*, ait Sylvius, *quod hoc fuisset exponere dotem periculo, quia cum maritus esset dilapidator* & pauper, *dos erat securior apud mercatorem, periculis quidem, sed etiam lucris exposita, quam apud ejusmodi maritum.*

*Objicies* 2. Licite & juste cum diversis personis fiunt tres contractus, modo servetur æqualitas, ergo & juste cum eadem persona fieri possunt; justitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non vero in relatione ad diversas personas.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod vi trium contractuum societas degeneret in mutuum quando fit cum eadem persona, non autem quando fit cum diversa.

*Inst.* 1. Atqui triplex contractus cum eadem persona non degenerat in mutuum; ibi enim non est mutuum ubi assecurans non fit dominus rei; atqui hic assecurans non fit dominus rei; ergo. *Prob. ant.* Assecurans non potest de re pro libitu disponere; ergo. *Prob. ant.* Assecurans vi contractus societatis tenetur pecuniam socii in negotiationem ad lucrum impendere; ergo.

*Resp. nego subsumpt.* & probationes ejus; nam eo ipso quod mercator tenetur sortem in omni eventu restituere, ea potest uti sive in negotiatione sive extra pro libitu: nec conferentis pecuniam interest, in quem usum a mercatore impendatur, modo eam cum lucro recipiat; quod profecto signum est, quod in mercatorem transtulerit potestatem ea utendi ad omnem usum sibi placitum, adeoque mercator habeat illius dominium.

*Prob. ant.* Pecuniæ dominium non transfertur, nisi conferens velit; atqui in casu trium contractuum conferens pecuniam non vult illius dominium transferre, sed illius usum concedere; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Non vult illius pecuniæ dominium transferre apparenter, & specie tenus, *conc.* reipsa, *nego min.* Nam reipsa vult mutuare, atque ex mutuo lucrum referre, non autem ex sola negotiatione, neque ex vera societate, quæ vere destruitur per assecurationem sortis, ut supra ostensum est.

*Inst.* 2. Si contingat socium assecurantem pecuniam sibi a socio collatam non esse solvendo, qui contulit pecuniam, potest eam extrahere ante alios omnes creditores, etiam hypothecarios.

*Item* potest eandem furto ablatam, ubicumque repertam, actione reali vendicare; ergo conferens pecuniam per triplicem contractum retinet illius dominium.

*Resp. nego conseq.* Illa enim non sunt signa sufficientia retentionis dominii, sed sunt dumtaxat signa, quod pecunia illa specialiter manet obligata collatori suo ante omnes alios creditores. Si res vendita in se adhuc extans apud emptorem, qui factus est impotens ad solvendum, manet specialiter obligata venditori, licet dominium illius non retineat, potestque venditor eam extrahere ante omnes alios creditores.

*Inst.* 3. In contractu commodati, locationis, depositi, commodatarius, locatarius, depositarius non fiunt domini rei commodatæ, locatæ, depositæ, per illius assecurationem; ergo nec socius assecurans pecuniam a socio in societate collocatam.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod commodatarius, locatarius, non possint uti re nisi salva ejus substantia, & debent eam restituere in individuo; econtra socius assecurans potest uti re ad placitum; nec tenetur eam restituere nisi in specie; unde assecuratio est præter, non contra naturam locati, commodati, depositi, & sic res deposita, locata &c. potest assecurari.

*Nota* tamen contractum societatis licitum esse, si ipsi addatur contractus emptionis, lucri incerti majoris pro certo minore, modo omittatur contractus assecurationis sortis: v. g. dantur vaccæ in societatem ut si pereant sine culpa levi socii pereant danti, sed hac conditione quod quamdiu vivent vaccæ, is qui earum curam gerit, singulis annis solvat pro vacca certum quid. Ratio est quia spes lucri est pretio æstimabilis; ergo licite potest emi. Sed

Quæres: *Obiter an similiter potest assecurari*

*socio capitale, omisso contractu emptionis lucri inserti pro certo?*

*Resp. negat.* Ratio D. Thom. (2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. *ad* 3.) & aliorum est: quod sit de essentia societatis, ut conferens pecunias, vel alias res in societatem, rei a se collatæ subeat periculum, nam per illud solum onus res de se sterilis potest esse fructifera.

§. XIV. *De fidejussione & assecuratione.*

Quæres 1. *Quid sit fidejussio?*

*Resp.* Est contractus quo quis suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor principalis non solverit.

Quær. 2. *Quænam sint fidejussionis conditiones?*

*Resp.* Sex recensentur: *Prima.* Quod non plus obligetur fidejussor, quam principalis debitor, adeo ut si obligatio principalis sit invalida, etiam fidejussio erit invalida; quia accessorius debitor sequitur conditionem principalis (§. 1. *Instit. de fidejussoribus*).

*Secunda.* Quod cesset fidejussio, si inter debitorem & creditorem novatio fit in principali obligatione absque fidejussoris consensu (*L. novatione facta cod. de fidejussorib.*)

*Tertia.* Quod si adsint pro uno debito plures fidejussores, unusquisque pro rata sua parte illud solvere teneatur, nisi huic divisioni expresse renuntiaverit, in quo casu ad solutionem integram in solidum tenerentur (§. 4. *Instit. de fidejussorib.*).

*Quarta.* Quod fidejussoris obligatio transeat ad hæredes (§. 2. *Instit. de fidejussorib.*)

*Quinta.* Quod fidejussor non possit conveniri ad solvendum, nisi prius a principali debitore repetitum fuerit debitum, & constiterit eum non esse solvendo (*Novella* 4. *cap.* 1.); excipitur, si principalis debitor sit absens, nec habeat bona liquida, quibus possit satisfieri creditor (*Ibidem*).

*Sexta.* Principalis debitor tenetur erga fidejussorem de impensis pro ipso factis & damnis perpessis (*Lucius III. cap. pervenit de fidejussor.*).

Quæres 3. *Quinam fidejubere possunt?*

*Resp.* Illi omnes qui possunt principaliter obligari, nisi a jure repellantur.

*Repelluntur* autem 1. *filii familias*, nisi habeant bona castrensia, aut quasi castrensia.

2. *Minores & pupilli*, nisi pro patre incarcerato (*Authent. si captivi, eod. de ejusd.*). Si vero per alios fidejubeant, obligabuntur quidem naturaliter, sed beneficio restitutionis in integrum possunt fidejussionem revocare, quia semper præsumuntur læsi (*L. ait prætor.* §. *non solum ff. de minor.*).

3. Religiosus fidejubere non potest sine licentia Superioris & Majoris partis Capituli (*Cap. quod quibusdam de fidejussorib.*).

4. Quoad mulieres fidejubere non possunt pro marito suo (*Authent. si qua mulier. ff. ad senatusc. Vellejanum*); si tamen sit incarceratus pro eo possunt fidejubere per instrumentum publicum tribus testibus suffultum, imo & pro aliis de mariti sui consensu, qui si non adfuerit, possunt revocare suam fidejussionem beneficio senatusconsulti Vellejani (*L. antiquæ* §. *fin. cod. ad senatusc. Vellejanum*).

Quæres 5. *An liceat pro fidejussione exigere pretium a debitore?*

*Resp.* Id licitum esse pro ratione quantitatis debiti & periculi; quia fidejussio est onus pretio æstimabile; ergo fidejussor non tenetur illud gratis suscipere (*Ita Fagnan. Sylvius, de coq. Navar. Habert, Tournely. Antoine contra S. Anton. Vantoy. Paulum a Lugd.*).

*Dices* cum Paulo a Lugduno: fidejussio est mutuum virtuale; ergo &c.

*Resp. nego antec.* Tum quia in mutuo etiam virtuali requiritur vera traditio quæ non reperitur in fidejussione, quæ est præcise susceptio obligationis alienæ; tum quia fidejussor nihil exigit pro solvenda creditori in locum debitoris pecunia, quod usurarium esse non negamus, sed pro subeunda obligatione, quæ est onus pretio æstimabile.

Quæres 5. *An creditor ex fidejussionis remissione lucrum reportare possit?*

*Resp.* Illud reportare posse a fidejussore ut eum liberet ab obligatione suscepta, quia talis remissio est pretio æstimabilis; verum non potest a debitore, si nempe cum ipso creditor pacisceretur de quadam summa a se reportanda ut eum liberet ab obligatione fidejussorem constituendi, quia sic lucrum reportaret ex mutuo, cum creditor, ut dictum est alibi, fidejussor non possit esse pro suo debito.

Quæres 6. *Quid sit assecuratio, & quid ad ejus justitiam requiratur?*

*Resp.* 1. Est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio ad eam si perierit compensandam. Si hæc obligatio gratis suscipiatur, est promissio gratuita; si pretio, est contractus similis venditioni, nam venditur obligatio præstandi domino rem indemnem, quæ obligatio est pretio æstimabilis.

*Resp.* 2. Ad justitiam hujus contractus duæ requiruntur conditiones.

*Prima*, ut periculum subsit probabiliter, ita ut rei eventus sit utrique incertus. *Secunda*, ut pretium sit proportionatum periculo judicio viri prudentis, alioquin non servaretur æqualitas.

§. IV. *De pignore, hypotheca & transactione.*

Quæres 1. *Quid sit pignus?*

*Resp.* Est contractus, quo debitor rem aliquam *mobilem* creditori tradit ad securitatem debiti, ut ex ea possit peti solutio, si debitor non solverit.

Quæres 2. *Quid sit hypotheca?*

*Resp.* Est contractus, quo debitor rem aliquam *immobilem* creditori *obligat* ad securitatem debiti.

Quæres 3. *Quænam sint obligationes dantis pignus & hypothecam?*

*Resp. Tenetur* 1. rem non dare pluribus in pignus vel hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis, alias deciperet creditores.

2. Tenetur creditori restituere impensas factas in pignoris conservationem (*L.* 25. *de pignor. act.*)

3. Tenetur non vendere rem hypothecatam nisi emptore prius monito de hypotheca; alias deciperet emptorem qui rem oneratam pro libera emeret.

Quæ-

Quæres 4. *Quænam sint obligationes accipientis pignus & hypothecam?*

*Resp.* 1. *Tenetur* ad diligentem custodiam pignoris, quod tenetur restituere si pereat ex ejus culpa levi.

2. Tenetur non uti pignore, quia non ad usum, sed ad securitatem debiti datur.

3. Tenetur non vendere pignus, nisi debitor sit in mora solvendi, & eo prius monito.

4. Tenetur soluto integro debito statim restituere pignus, nam tunc cessat jus illud retinendi (*L.* 6. *ff. quibus modis pignus*).

5. Tenetur non apponere pœnam commissi, nimirum ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, nam talis conventio ut exorbitans utroque jure prohibetur. (*Cap.* 7. *de pignor. l. ult. de pignor.*)

Quæres 5. *Quid sit transactio?*

*Resp.* Est conventio onerosa, qua res dubia & lite incerta componitur inter partes.

Dicitur 1. *res dubia*, quia si jus unius partis esset certum, altera pars non posset sine injuria cum ipsa transigere. (*L. Qui transigit, ff. de transact.*)

Dicitur 2. *lite incerta*, quia finis transactionum est diremptio litis; unde si ignorantibus partibus lis in supremo judicio fuerit judicata ante factam transactionem, transactio est nulla.

Dixi *in supremo judicio*, quia si in subalterno fuerit judicata, valet transactio, cum tunc lis non censeatur finita. (*L. & post rem. ff. de transact.*)

## §. XVI. *De ludo & sponsionibus.*

Quæres 1. *Quid sit ludus?*

*Respond.* Est contractus oblectantium animum, & deponentium aliquid cessurum victori.

Quæres 2. *Quotuplex sit ludus?*

*Resp.* Triplex: nimirum ludus, qui sola fortuna regitur, ut ludus aleæ (*Jeu d'hazard*); alius qui sola industria regitur, ut ludus pilæ; alius mixtus, qui partim industria, partim fortuna regitur, ut plures chartarum ludi.

Quæres 3. *An ludus sit licitus?*

*Resp.* Nullus ludus *per se* & spectato solo jure naturæ est illicitus; quia sicut unusquisque potest rem suam alteri simpliciter & absolute dare; sic & eam potest in alium transferre sub conditione licita, puta si ludendo victor extiterit.

Dixi *per se:* quia per accidens ludus etiam qui sola industria regitur, potest esse malus vel mortaliter, vel venialiter, juxta gravitatem materiæ.

1. Dum qui ludit, principaliter lucrum intendit, nam finis proximus ludi, est recreatio animi.

2. Dum nimiam pecuniæ quantitatem exponit, in detrimentum familiæ & creditorum.

3. Dum in eo nimium tempus consumit.

4. Dum propter eum a debitis officiis notabiliter se retrahit.

5. Dum propter eum peccandi periculo se committit.

6. Dum conditiones ex justitia in ludo requisitas non servat.

Quæres 4. *Quænam conditiones sint requisitæ in ludo?*

*Respond.* Quinque recensentur. *Prima*, ut ludentes habeant liberam dispositionem eorum quæ exponunt; hinc qui lucratur a filio familias non habente castrensia, tenetur ad restitutionem.

*Secunda*, ut absit omnis fraus & dolus, exceptis illis quæ partes communi consensu censentur sibi condonare; hinc qui decipiunt in numero calculorum, speciali signo notando carthas; item qui in ludo inexpertum se simulans, alium ad ludum fraudulenter attrahit, peccat mortaliter juxta Salmanticenses, & tenetur ad restitutionem, non solum lucri fraude acquisiti, sed & lucri quod certo aut probabiliter acquisiturus erat.

*Tertia*, ut absit coactio, ita ut qui minis, precibus importunis alium ad ludum vel incipiendum, vel continuandum, impellit, perdere quidem possit, quia contractus est ex sua parte voluntarius, sed non lucrari, unde tenetur ad restitutionem.

*Quarta*, quod utrinque sit æquale periculum perdendi; quia contractus est utrinque onerosus; hinc qui de victoria certus est, si vicerit, tenetur ad restitutionem; item qui æquale ei quod alter exposuit, non potest perdere, nec potest lucrari, unde si lucretur, tenetur restituere.

Quæres 5. *Quinam ludi sint jure positivo vetiti?*

*Resp.* Jure tum canonico, tum civili prohibitus est omnibus etiam Laicis ludus saltem frequens aleæ.

*Prob.* 1. *pars*: De Jure Canonico, ex Concilio quinisexto can. 10. *nullus omnino sive Clericus, sive Laicus ab hoc deinceps tempore alea ludere præsumat, qui secus fecerit, excommunicetur.* Idem statuitur aliis Canonibus. (*Episcopus, dist.* 35. *Cap. Clerici, de vita & honest. Clericorum. Conc. Eliberitan. can.* 79.)

*Prob.* 2. *pars*: De Jure civili tum Cæsareo, ex toto tit. de aleatoribus; tum Gallico, ex edictis Caroli Magni, S. Ludovici, Ludovici XIII. infra citandi.

*Hinc* patet ex pœna gravi apposita eum peccare mortaliter qui aleæ inservit, hoc est qui tali ludo crebro lucri causa ludit: *nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem & moderate non videtur mortale*, ait S. Antoninus (2. *p. t.* 1. *c.* 23 §. 8.) Hinc tum aleatoribus, tum domum suam aleatoribus ad ludendum locantibus deneganda est absolutio nisi resipuerint, ut monet S. Carolus (*in instruct. pro Confessariis*).

Quæres 6. *An qui alea lusit, tenetur in conscientia solvere?*

*Nota*: Quæstio procedit de magna summa, cum communiter doceant Theologi modicam summam debere solvi a victo, faveantque Leges supra citatæ.

*Resp. negat.* quia potest quis retinere, quod solutum statim coram Judice repetere potest, juxta illud effatum Jurisperitorum, *[illegible] retentio ei competit, cui datur actio*; atqui secundum Leges civiles (*L. ff. tit. de aleatoribus*), qui in ludo aleæ notabilem summam perdidit, eam coram Judice repetere potest; ergo si pro ea fidem dedit, non tenetur solvere. Sed.

Quæres 7. *An qui rem alea lucratam recipit, tenetur restituere?*

*Resp.* 1. *Jure Cæsareo* non tenetur eam restituere ante sententiam judicis; quia licet illæ Leges statuerint talem contractum irritandum, non

tamen

tamen ipso facto irritant; ergo vere transfertur dominium, licet caducum.

*Resp.* 2. *Jure Gallico* tenentur illam restituere ante sententiam Judicis (non quidem colludenti qui infringendo Leges indignus est restitutione, sed pauperibus): quia tali jure contractus ludi aleæ est ipso facto irritus, nec eo transfertur dominium: constat ex edicto Ludovici XIII. cujus hæc sunt verba: (*Edict. ann.* 1629.) *Nous défendons & interdisons à tous nos sujets de recevoir en leurs maisons les assemblées pour le jeu qu'on appele Académies ou Berlans .... déclarons toutes dettes contractées pour jeux, quelque déguisées qu'elles soient, nulles & de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.*

Quæres 8. *Quid sit sponsio?* gallice *gageure.*

*Resp.* Est contractus quo duo vel plures de veritate vel eventu rei contendentes sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus qui veritatem fuerit assecutus.

Ut hic contractus sit justus necesse est 1. Ut eodem modo ab utroque accipiatur res de qua fit sponsio. 2. ut res sit utrique incerta, nisi alter certitudinem alterius quam obtendit, condonet, quia tunc nec decipit alium quem monet, nec ei infert injuriam, & ipse sibi suam temeritatem impugnare debet. (*Ita Navarr. Sanchez, Salmatic. de coq.*)

## CAPUT III.

*De injustitia & restitutione in communi.*

Quæres 1. *Quid sit injustitia seu injuria?*

*Resp.* Injuria est voluntaria juris alieni violatio, absque causa legitima.

Dicitur 1. *voluntaria*: Unde si quis ex ignorantia invincibili alienum auferret, non committeret injuriam nisi materialem, faceret quidem injustum, sed non injuste.

Dicitur 2. *Juris alieni*, sive sit *jus in re*, sive sit *jus ad rem*; nam ex alterutrius juris violatione oritur obligatio restitutionis.

Dicitur 3. *absque causa legitima*: quæ si adesset, nulla esset injuria; ut si a furibundo gladius auferatur.

Quæres 2. *Utrum volenti fieri possit injuria?*

*Resp.* Scienti & sponte consentienti, ac volenti cedere juri suo, non fit injuria; (*Reg.* 27. *jur. in* 6.) quia nemo potest injuriam pati, nisi jus ejus violetur; atqui jus volentis non violatur; ergo.

*Resolves* 1. Qui solvit centum, putans se ea debere, patitur injuriam si quinquaginta tantum debeat; quia consentit ex errore & ignorantia.

*Resolves* 2. Qui solvit usuras, vel bursam dat latroni, licet consentiat, patitur injuriam, quia licet sit volens *simpliciter*, est tamen *secundum quid* invitus; sed invitus *secundum quid*, non cedit juri quod habet disponendi de re sua cum plena voluntate & libertate, ergo.

*Resolves* 3. Pupillus consentiens in ablationem suorum bonorum; Clericus consentiens in sui percussionem patiuntur injuriam, quia non possunt cedere juri suo.

Quæres 3. *Quid sit restitutio?*

*Resp.* Est *actus justitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur.*

Dicitur 1. *actus justitiæ commutativæ*: quia in restitutione debet servari æqualitas rei ad rem; quod pertinet ad justitiam commutativam.

Dicitur 2. *quo res*, vel in se, vel in æquivalenti.

Dicitur 3. *res alterius*: per quod differt 1. a satisfactione quæ respicit personam offensam, non vero rem alterius; unde major debet esse satisfactio quo dignior est persona offensa; econtra restitutio non debet esse major erga nobilem quam erga plebejum. Differt 2. a solutione stricte sumpta, quod solutio fiat ex proprio solventis: restitutio vero ex proprio ejus cui fit restitutio; unde quod debetur ex voto, juramento, emptione &c. dicitur solvi, non vero restitui, econtra depositum dicitur restitui.

Dicitur 4. *Damnum illatum reparatur*: quia non minus violatur justitia alienum destruendo, quam alienum auferendo; proindeque justitia non minus exigit, ut proximus in rei suæ damnificatione indemnizetur, quam in ejusdem ablatione.

Hinc inquirendum est 1. an sit necessaria restitutio; 2. ex quibus capitibus oriatur necessitas restitutionis; 3. quænam sint circumstantiæ restitutionis; totuplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

*De necessitate Restitutionis.*

Quæres 1. *An sit necessaria restitutio?*

*Resp.* Restitutio in re, vel in voto est necessaria ad salutem.

*Prob.* 1. Ex Script. dicente, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, (*Matth.* 22. *v.* 22.) & *reddite omnibus debita.* (*Rom.* 13. *v.* 7.)

*Prob.* 2. Ex S. Augustino, Epist. 54. ad Macedonium dicente: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi cum restitui potest.*

*Prob.* Ratione: qui voluntarie agit contra primaria legis naturalis præcepta, salutem obtinere non potest; atqui qui non restituit cum restituere potest, voluntarie agit contra primaria legis naturalis præcepta, qualia sunt: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris ... Suum unicuique reddendum est*; ergo.

*Prob. min.* Hæc præcepta vetant, ne cuiquam injuria fiat, ne jus alterius violetur; atqui qui non restituit cum potest, facit alteri injuriam, & violat jus quod habet possidendæ rei suæ: ergo.

Dixi: *in re aut in voto*: quia qui restituere non potest, ei sufficit ad salutem, ut sincerum habeat propositum restituendi, cum restituere poterit. Hinc

*Sequitur.* Restitutionem actualem non esse necessariam necessitate medii, cum sine ipsa in quibusdam casibus v. g. impotentiæ, ignorantiæ invincibilis, salus æterna obtineri possit, sed propositum restituendi, cum restitutio erit possibilis, est necessarium necessitate medii, quia lapsis neces-

necessaria est necessitate medii contritio, sed sine proposito restituendi, nulla est & vana contritio; ergo.

*Dices:* Illi, sua res non est reddenda, qui non est rationabiliter invitus circa ejus detentionem: atqui dominus rei non est rationabiliter invitus.

*Prob. min.* Qui debet consentire, ut res sibi ablata, ab eo retineatur, qui eam abstulit, non est rationabiliter invitus; atqui dominus rei debet consentire &c.

*Resp. nego utriusque argumenti minorem.* Si enim valeret pia hæc subtilitas, jam nulla essent furta, cum censendus esset dominus rebus suis cedere, quoties alter furari vellet, quod absurdum est.

*Prob. min.* Qui tenetur damnum spirituale proximi vitare per suum damnum temporale, tenetur consentire, ut res sibi ablata retineatur ab eo qui eam abstulit; atqui unusquisque tenetur damnum spirituale proximi vitare per suum damnum temporale; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Si proximus sit in gravi aut extrema necessitate salutis, a qua liberari non possit nisi per temporalis boni nostri cessionem, *conced.* secus, *nego.* Porro cum homo animæ periculum non nisi propria voluntate subit, non censetur esse in tali necessitate; abstinere enim potest a bono alieno arripiendo vel detinendo.

Quæres 2. *An præceptum restituendi affirmativum sit vel negativum?*

*Resp.* Cum Div. Thom. (2. 2. *qu.* 62. *art.* 8. *ad* 1.) *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen præceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Hoc autem præceptum est primario negativum, & secundario affirmativum; primario enim prohibet, ne retineatur alienum invito rationabiliter domino, & ex consequenti jubet ut restituatur; unde obligat semper & pro semper.

*Dices:* Ergo continuo peccat, qui rem alienam detinet; absurdum conseq. ergo.

*Resp. nego min.* Continuo enim peccat, non quidem semper novum peccatum addendo (nisi cum expresse vel tacite renovatur propositum non restituendi, ut colligi potest ex dictis de multiplicatione numerica peccatorum), sed idem peccatum injustitiæ continuando quatenus est diuturnior, & majus damnum causat domino illius rei, ait Sylvius. (*ad art.* 8 *q.* 62. 22.)

## QUÆSTIO II.

*De radicibus, ex quibus oritur obligatio restitutionis.*

Quæres 1. *Quot sint radices restitutionis?*

*Resp. sunt quinque. Prima*, Est res accepta; *Secunda*, Est injusta acceptio; *Tertia*; Injusta detentio; *Quarta*, injusta damnificatio; *Quinta*, Est ratio contractus vel officii: de hac ultima sufficienter diximus alibi. (*Parte* 2. §. 4. *de deposito*).

1. *Res accepta*, Est res aliena in se, vel in æquivalenti existens apud alium sine hujus culpa.

*Dices:* Res accepta non est radix restitutionis; nam obligatio restitutionis fundatur in injustitia; atqui in re accepta sine accipientis culpa, non est injustitia; ergo.

*Resp. dist. maj.* Obligatio restitutionis fundatur in injustitia, quæ semper est actu, *nego*; quæ vel talis est actu, vel satis erit nisi restituatur, *conc.* unde restitutio facienda ratione rei acceptæ respicit injustitiam præcavendam.

2. *Injusta acceptio*: Est usurpatio rei alienæ invito rationabiliter domino.

3. *Injusta detentio*: Est detentio rei alienæ cognitæ ut talis, sive per injuriam, sive titulo apparenter vero obtenta fuerit.

4. *Injusta damnificatio*: Est damnum culpabiliter proximo illatum, v. g. domum illius incendendo &c.

Quæres 2. *Cum omnis obligatio restituendi fundetur in culpa, ex qua culpa nascatur talis obligatio?*

*Resp.* Nascitur ex omni & sola culpa theologica (extra casum contractus aut officii).

Dixi *extra casum contractus aut officii*: v. g. Tutoris, Advocati, Confessarii, Medici, Chirurgi, Artificis &c. quia leges obligantes in conscientia imponunt explicite vel implicite contrahentibus, onus restituendi damnum secutum ex culpa mere juridica, ut dictum est paragrapho quarto de deposito.

*Prob.* 1. *pars*: Quod obligatio restitutionis oriatur ex *omni* culpa theologica sive sit mortalis, sive venialis. *Prob.* inquam *ex capit. fin. de injuriis*, in quo generatim dicitur: *si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet*: atqui per peccatum etiam veniale alicui injuria formalis inferri potest; ergo. *Prob. min.* Ab eo infertur injuria formalis qui sciens & volens lædit jus alterius; atqui per peccatum etiam veniale, sciens & volens lædit jus alterius; ergo.

*Prob.* 2. *pars*: Quod ex sola culpa theologica oriatur obligatio restituendi, non tenetur quis ad restitutionem nisi ratione injuriæ; atqui qui absque culpa theologica damnum intulit, nullam facit proximo injuriam; ergo.

*Dices*: Jure naturali, qui posuit inæqualitatem, tenetur eam reparare: sed qui alteri damnum intulit etiam absque peccato, reipsa posuit inæqualitatem; ergo.

*Resp. dist. maj.* Qui posuit inæqualitatem per injuriam, tenetur eam reparare, *conced.* absque injuria, *nego.* Tunc enim inæqualitas attribui debet casui fortuito, de fortuito autem casu nemo tenetur.

*Inst.* Hujusmodi damnificator damnaretur ad restitutionem in foro externo, tum canonico (*Can. consuluisti* 2. *q.* 4.), tum civili (*L. qui accidit ff. ad leg. Aquiliam* §. *in hac quoque*); ergo & in foro interno tenetur.

*Resp. nego conseq.* Ideo damnaretur in foro externo, tum ob præsumptionem fraudis & culpæ gravis; tum ne detur locus negligentiæ, sed præsumptio non habet locum in foro interiori.

Quæres 3. *An qui ex culpa veniali grave alteri damnum intulit, illud ex toto reparare teneatur?*

*Resp.* Aliqui affirmant (*Flor. de æq. sect.* 5. de-

*de restit. Henric. a sancto Ignatio tom. 2. p.* 503.) alii probabilius negant (*Delugo*, *Grandin*, *Paulus a Lugd. Habert*, *Tournely*, *Antoine*, *Pontas V. restitut. cap.* 177. *&c.*) asseruntque satis esse, si resarciat partem damni pro quantitate culpæ judicio viri prudentis. Hanc opinionem, cui adhæreo,

*Prob.* Injuria venialis (extra contractum) non tantam debet parere obligationem, quantam injuria gravis & plene voluntaria; atqui si teneretur quis ex culpa veniali ad refusionem totius damni, injuria venialis tantam pareret obligationem, quantam injuria gravis; ergo &c.

*Dices:* Idem damnum & forte magis intulit, quam si mortaliter peccasset; ergo eadem opus est reparatione.

*Resp.* 1. *retorq. argum* ... Aliquis ex inadvertentia inculpabili ac proinde absque culpa theologica idem damnum intulit proximo, quam alter sciens & volens; ergo eandem debet reparationem; an admittent conseq. adversarii?

*Resp. Itaque* 2. *nego conseq.* Nam obligatio restitutionis sumitur non ex parte damni objective sumpti, sed ex parte injuriæ formalis; ergo satis est si tantum damni reparetur, quantum satis est ut reparatio sit injuriæ proportionata.

*Hinc duo notanda sunt pro praxi.*

*Primum.* Posse esse tantum damnum, ut pars illius correspondens culpæ veniali, sit adhuc gravis momenti, adeoque sub mortali restitui debeat; alioqui retineretur res notabilis invito rationabiliter domino; quod est mortale.

*Secundum.* Quando damnum est grave & dubitatur, an culpa mortali, an veniali fuerit illatum, judicandum est mortali culpa illatum; adeoque imponenda est obligatio reparandi totius damni; quia cum opera externa graviter periculosa periculum suum statim & facile ingerant, mentemque ad sui considerationem excitent, raro contingit, ut quis non tantum attendat quantum ad peccatum mortale necessarium est; ut notat Lessius. (*Less. L.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 6.)

## QUÆSTIO III.

*De Circumstantiis restitutionis.*

*Nota.* Novem vulgo numerantur circumstantiæ restitutionis hoc distycho comprhensæ:

*Quis, quid restituat, quantum, cui, quomodo, quando,*
*Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.*

De ipsis sit sermo quatuor Articulis; in 1. expendemus quis, quid, & quantum restituere debeat: in 2. cui, quomodo & quando restituere debeat; in 3. quo ordine personis læsis restituere debeat; in 4. quænam sint causæ a restitutione excusantes.

## ARTICULUS I.

*Quis, quid & quantum restituere debeat?*

*Nota.* Constat teneri ad restitutionem, tum eos qui alienum possident, sive bona, sive mala fide; tum eos qui alterius damno cooperati sunt; unde hic nobis agendum 1. de possessore bonæ fidei; 2. de possessore malæ fidei; 3. de iis qui alterius damno cooperati sunt.

### SECTIO I.

*De possessore bonæ fidei.*

*Nota* 1. Possessor bonæ fidei est, qui alienam rem possidet, prudenter putans eam esse suam; & de eo quæritur an rem restituere debeat cum fructibus, quos ex ipsa bona fide percepit; cui quæstioni ut satisfiat.

*Nota* 2. Fructus rei dividuntur in naturales, industriales, mixtos & civiles.

*Fructus naturales* sunt ii, qui natura sola, aut fere sola producuntur; tales sunt fœtus animalium, herba pratorum &c.

*Fructus industriales* sunt ii, qui per solam industriam & laborem producuntur ex re mere sterili, v. g. ex pecunia per negotiationem.

*Fructus mixti* sunt ii, qui partim ex natura, partim ex industria prodeunt, ut fructus agrorum, vinearum &c.

*Fructus civiles* sunt ii, qui ex juris dispositione ob rei usum oriuntur, ut domorum & jumentorum locatio; hi cum naturalibus in jure confunduntur.

*Nota* 3. Expensæ circa rem factæ, aliæ sunt *necessariæ*, quæ impediunt deteriorationem rei; aliæ *utiles*, quæ rem meliorem faciunt; aliæ *voluptuariæ*, quæ speciem dumtaxat ornant; ut sunt viridaria, picturæ, &c.

*Nota* 4. Nullus sive sit bonæ, sive malæ fidei possessor, tenetur restituere fructus industriales, quia non sunt fructus rei, sed fructus industriæ.

*Nota* 5. Restitutio fructuum facienda intelligi debet deductis operibus, quæ a domino fieri debuissent ad illos percipiendos, & impensis tum necessariis, tum utilibus, quia iis deductis dominus non patitur damnum, & reponitur æqualitas (*L.* 7. *ff. soluto matrimonio*). Quoad impensas voluptuarias, ipsas deducere potest possesor bonæ fidei, etiamsi non amplius extent, quia eas fecit de re, quam prudenter judicabat suam, possessor vero malæ fidei non potest ipsas deducere, si non amplius extent; vel si non sint a re ipsa separabiles. (*L.* 38. *de hæred. petit.*).

Quæres *itaque* 1. *quid teneatur restituere possessor bonæ fidei?*

*Resp. tenetur restituere* 1. Rem ubi primum novit esse alienam, vel id in quo factus est ditior, si non extet, quia tantumdem & non amplius habet ex re aliena sive in se, sive in æquivalenti; quod si non reddat ubi primum potest commode, incipit esse possessor malæ fidei, & ut talis incipit obligari ad restitutionem.

2. *Tenetur restituere* fructus rei *naturales*, *civiles & mixtos*, quia partes sunt naturales si adhuc extent, quia res fructificat domino; quod si illi fructus non extent, tenetur solum restituere quatenus ex eis factus est ditior, *fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint*, ait Justin. (*L. prima ff. de hæred. petit.*),

Quæ-

Quæres 2. *Quis dicitur ex re aliena ditior factus?*

*Resp.* Is qui rem alienam consumendo, aut donando, rebus suis quas consumpsisset, pepercit; vel qui rem alienam alienando, aliquid acquisivit, sed non censetur ditior factus, cum propterea lautius quam vixisset, vixit.

## SECTIO II.

*De possessore malæ fidei.*

*Nota.* Possessor malæ fidei est ille, qui per injuriam, rem alterius accepit, vel detinet, vel damnum intulit.

Quæres: *An quid teneatur possessor malæ fidei?*

*Resp. Tenetur* 1. restituere rem ipsam, si adhuc extet, quia res clamat pro domino; vel ejus pretium si non extet, quia pretium rei est res in æquivalenti, ergo pertinet ad dominum rei.

2. Compensare omne damnum emergens & lucrum inde cessans domino (*L. 5. cod. de rei vendic.*); nam est causa injusta utriusque.

3. Restituere omnes fructus naturales, civiles, & mixtos qua parte sunt naturales, sive dominus eos percepturus fuisset, sive non, quia fructus rei hoc ipso quod producuntur, fiunt illius qui est dominus rei; sive eos non perceperit, modo dominus eos percepturus fuisset (*L. 33. ff. de rei vindic.*), quia fuit causa injusta cur dominus non perceperit, sive consumpti sint, sive per casum fortuitum amissi, nec ex illis factus sit ditior, quia ipsos consumpsit mala fide.

*Ratio* horum omnium est: quia qui injuriose damnum alicui intulit, debet illud per omnimodam indemnitatem reparare; atqui non potest illud omnimode reparare, quam supra dicta restituendo; ergo, &c.

## SECTIO III.

*De iis qui damno alterius cooperati sunt.*

Quæres 1. *Quid requiratur ut cooperans teneatur ad restitutionem?*

*Resp.* Requiritur ut sua cooperatione sit causa efficax, sive physica, sive moralis, damni.

Quæres 2. *Quot modis possit aliquis efficaciter cooperari damno alterius?*

*Resp. Novem modis*, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores sunt negativi, qui his versibus comprehenduntur.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

De his agemus totidem Paragraphis, quibus adjungemus alium, in quo expendemus varias quæstiones ad præsentem materiam spectantes.

### §. I. *De mandante.*

Quæres 1. *Quis intelligatur nomine mandantis?*

*Resp.* Intelligitur is qui suo mandato vere alium movet ad damnificandum alteri; vel expresse, ut si dicas famulo: *occide hunc*, vel implicite ut si dicas: *vindicari me ex tali opto*: aut, *vellem ut tali inferretur tale damnum.*

Quæres 2. *Quid teneatur restituere mandans?*

*Resp.* Non tantum tenetur ad damnum resarciendum quod de facto jussit, sed etiam illud quod prævidere poterat ex mandato secuturum; v. g. si famulo iracundo præcepisset, ut aliquem fustibus graviter exciperet, teneretur etiam de morte, licet contra ejus intentionem, & forte contra, prohibitionem evenerit, ait Innoc. IV. (*Cap. ult. de homicid. in 6.*) quia sua culpa mandans dedit occasionem tali damno.

Quæres 3. *Quid si mandans revocaverit mandatum ante executionem?*

*Resp.* Si revocaverit, idque mandatario innotuerit, non tenetur restituere, effectu tamen secuto; quia tunc mandatarius, non vi mandati, sed propria malitia damnum intulisse censeretur.

Dixi, *idque mandatario innotuerit*: quia si mandati revocatio ante executionem mandatario non innotuerit (defectu nuntii v. g.) mandans semper tenetur restituere; quia tunc ex vi mandati damnum illatum est.

Quæres 4. *An qui ratum habet damnum suo nomine absque mandato factum, teneatur restituere?*

*Resp. negative*; Quia talis nullatenus est causa damni; nam id quod posterius est tempore, non potest esse causa efficiens effectus præcedentis; atqui ratihabitio est posterior tempore; ergo.

*Objicies*: Hanc reg. Juris (*Reg. 10. juris in 6.*) *ratihabitio retrotrahitur, & mandato sine dubio comparatur*: ergo

*Resp. dist. reg.* Comparatur quoad contractus qui ratihibitionem illius cujus nomine sunt celebrati, confirmatur, item quoad malitiam peccati, judicialemque punitionem, *conc.* quoad obligationem restituendi, *nego*, quia non est causa damni.

### §. II. *De consulente.*

Quæres 1. *Quis intelligatur nomine consulentis?*

*Resp.* Intelligitur is qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione vitæ nocendi, induxit alium ad damnum inferendum.

Quæres 2. *An & quomodo consulens teneatur ad restitutionem?*

*Resp.* Tenetur juxta naturam damni quod vi consilii sui illatum est, cum sit causa injusta illius.

*Hinc* qui consulit inferri damnum minus, ne *eidem* inferatur majus, non tenetur restituere, quia præstat illi beneficium, utiliter negotium ejus gerendo.

Dixi *eidem*: quia si consilium minoris damni inferendi dirigeretur in alium de quo damnificator non cogitabat, tenetur consulens restituere; quia non licet ei rem unius utiliter gerere cum dispendio alterius.

Quæres 3. *An sit obligatio restituendi revocato ante damnum illatum consilio, secuto tamen effectu?*

*Resp. cum distinctione*, vel consilium consistebat in falsa doctrina, v. g. quod talis contractus sit licitus, qui tamen est usurarius, aut in promissis, blanditiis & precibus, vel consistebat in ostensione utilitatis, honoris, delectationis &c.

percipiendæ, in ostensione modi facile nocendi, &c.

*Si primum*, ad nihil tenetur consulens, etiam effectu secuto; quia per revocationem talis consilii abstulit omnem nocendi rationem a se propositam, omnemque motionem quam impresserat.

*Si secundum*, tenetur adhuc restituere damnum post revocationem illatum; quia non obstante consilii revocatione totum motivum totaque causa nocendi impressa, subsistit; unde non tam consilium revocavit, quam revocare conatus sit.

*Dices*: Mandans revocato mandato non tenetur ad restitutionem, licet post damnum sequatur; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas quod mandatarius ex se non agat, sed mandantis nomine, id est, *ut ipsi obtemperet*; porro revocato mandato non amplius agit nomine mandantis, sed ex propria malitia; econtra qui recipit consilium, non agit consulentis nomine, sed suo, id est, *ut rebus suis consulat*: unde non statim cessat ratio agendi ipsi impressa, quantumvis enim consulens suadeat, non persuadet.

Quæres 5. *An qui malum consilium bona fide dedit, teneatur restituere?*

*Resp. cum dist.* Vel consulens ex officio aut statu est obligatus ad dandum consilium, quales sunt Advocati, Medici, Confessarii, &c. vel ad id non est obligatus, quales sunt idiotæ, mulieres, &c.

*Si primum*, tenetur restituere ex culpa lata, imo ex culpa levi si stipendium acceperit; nec ignorantia eos excusat, quia tenetur scire ea quæ sunt officii sui; ergo sunt causa damni ex suo consilio secuti, ut colligitur a jure. (*Cap. ultim. de injuriis*)

*Si secundum*, non tenetur restituere, nisi consilium fuerit dolosum juxta hanc regulam juris (*Regul.* 62. *de regul. juris in* 6.), *nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*: Hinc sequens tale consilium suæ imprudentiæ, non consilio, damnum illatum imputare debet.

## §. III. *De consentiente.*

Quæres 1. *Quis intelligatur nomine consentientis?*

*Resp.* Is qui approbatione, favore, suffragio efficaciter movet ad inferendum alicui damnum.

Quæres 2. *Quandonam consensus sit causa efficax damni?*

*Resp.* Cum consenties tenetur ex officio non consentire, & impedire potest. Hinc tenetur ad restitutionem.

1. Principum consiliarii, qui pro bello injusto suffragantur.
2. Magistratus, qui annonas carius justo vendi permittunt.
3. Canonicus qui in electionem indigni consentit; item Judex qui in damnosam sententiam suffragium fert. Sed

Quæres 3. *An Judex qui damnationi innocentis subscribit completo jam requisito suffragiorum numero, teneatur ad restitutionem?*

*Resp. affirm.* Nam omnes ad restitutionem tenentur, quorum nomine damnum illatum est: atqui damnum illatum est posteriorum etiam suffragantium nomine, omnes enim iniquam sententiam formant; ergo, &c.

*Dices*: Ultimi suffragantes non sunt causa damni, utpote quod jam antea irrevocabiliter determinatum esset; ergo.

*Resp. nego ant. & ejus prob.* Nam damnum ante ultimum suffragium non est irrevocabiliter illatum, cum non pendeat solum ex prima prolatione suffragiorum, sed etiam ex perseverantia in illis, quatenus postea non revocantur; possunt autem revocari per rationes probabiles ultimorum suffragantium, qui tenentur collegas suos ab injusta sententia in quantum possunt revocare, admonendo eos, & recusando suffragium; quod si non faciant, tenentur adhuc de damno secuto tanquam *mutus* vel *non obstans*.

## §. IV. *De palpone*, id est adulatore.

Quæres 1. *Quisnam intelligatur nomine palponis?*

*Resp.* Intelligitur omnis ille qui laudando, applaudendo, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando, alterum impellit ad damnum inferendum.

Quæres 2. *An adulator teneatur ad restitutionem?*

*Resp.* Tenetur sicuti consulens cui æquivalere censetur; ratio est quia est causa moralis damni.

*Dices*: aliquando adulator non intendit damnificationem, ergo tunc non tenetur restituere.

*Resp. nego conseq.* Quia ut teneatur restituere, sufficit ut præviderit, aut prævidere debuerit damnificationem ex hac iniqua agendi ratione natam sequi.

## §. V. *De receptatore*, gallice *receleur.*

Quæres 1. *Quis intelligatur nomine receptatoris?*

*Resp.* Intelligitur omnis ille qui malefactori, quatenus malefactori securitatem & commoditatem præbet ut vel malum inferat confidentius, vel illatum non reparet; tales sunt qui malefactores protegunt, hospitio recipiunt, instrumenta nociva servant, prædas emunt aut custodiunt, &c.

*Tenetur ad restitutionem*, quia revera cooperatur damno; *non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recipit, tenetur*, ait Justinianus. (*L.* 3. *ff. de incendio.*)

Dixi *quatenus malefactori*: quia qui malefactorem reciperet ut quemlibet alium titulo amicitiæ aut officii publici ut caupones, imo qui motus compassione eundem a satellitibus quæsitum absconderet, ad restitutionem non teneretur, quamvis fur forte a periculo elapsus aliquando damnum aliis sit illaturus; nam damnum illud est mere casuale respectu occultantis.

## §. VI. *De participante.*

*Nota*: Participans aliquis dupliciter esse potest.

1. *Ratione rei acceptæ*, ut cum quis suam in præda partem habet.

2. *Ra-*

2. *Ratione actionis damnosæ*, cum scilicet quis juvat ad actionem injustam, v. gr. præbendo auxilium, instrumentum, scalas applicando, claves adulterinas fabricando, excubias agendo, &c.

*Quæres* 1. *Ad quid teneatur particeps ratione prædæ?*

*Resp.* Si bona fide acceperit partem rei furtivæ, eam si adhuc extat, reddere debet; si non extat, satis est ut restituat in quantum factus est ditior; si vero mala fide acceperit, rem si extat vel ejus pretium si non extat, refundere debet, etiamsi inde factus non sit ditior, ut supra dictum est de possessore bonæ vel malæ fidei.

Quæres 2. *Ad quid teneatur particeps ratione actionis damnosæ?*

*Resp.* Tenetur resarcire damnum pro rata, imo totum si alii non restituant, etiamsi damnum sine eo nihilominus fuisset illatum; quia reipsa est causa physica illius partis damni, & in ipsam influxit.

## §. VII. *De muto, non obstante, & non manifestante.*

Quæres 1. *Quis intelligatur per* tò mutus?

*Resp.* Intelligitur is qui tacet cum tenetur *ex justitia* loqui, v. gr. clamando, strepitum edendo, &c.

Dixi: *Ex justitia:* quia qui ex charitate tantum tenentur impedire damnum proximi, non tenentur ad restitutionem, quia non peccant contra justitiam;

Hinc qui tenentur clamare ratione officii, aut contractus, tenentur restituere si non clament.

*Resolves* 1. Servum qui heri sui bona dilapidari videt & tacet, teneri restituere, sive ei talis cura specialiter fuerit demandata, sive non, sive damnum inferatur ab extraneis, sive a conservis suis; quia ex officio ad id tenetur: hoc enim pacto saltem virtuali conducuntur omnes servi; quisque enim confidit se habere custodem domus suæ cum in ea reliquit famulum.

*Resolves* 2. Confessarium ad restituendum teneri, ex culpa lata si pœnitentem restitutioni obnoxium ad restitutionem non obliget, quia tunc est causa damni quod impedire ex officio potest & debet.

*Resolves* 3. Eum teneri ad restitutionem qui per vim aut dolum impedivit eum qui ex charitate contra fures clamare volebat; quia violat jus quod habet dominus, ne per vim aut dolum impediatur ejus defensio.

*Resolves* 4. Eum teneri restituere qui accipit pecuniam ut taceat, vel qui id gratis promittit, quia hæc promissio furem animosiorem ac securiorem reddit; unde concurrit ad damnum.

Quæres 2. *Quis intelligatur per* tò non obstans?

*Resp.* Omnis ille qui non præbet auxilium quod potest & ex justitia debet præbere, ne damnum inferatur.

*Hinc* tenentur restituere 1. custodes sylvarum, vinearum, gabellarum, permittentes auferri aut deprædari suæ custodiæ commissa.

2. Belli duces, magistratus, patresfamilias, &c. qui non impediunt rapinas, fraudes, monopolia suorum subditorum.

3. Qui sua negligentia non impediunt ne sua animalia proximi bonis damnum inferant (*Cap. si bos, ff. de injur. & damno dato*) quod si sine culpa damnum contigerit, dominus non tenetur de damno in foro conscientiæ, nisi quatenus ditior factus est; foro tamen exteriori ad totius reparationem condemnaretur.

Quæres 3. *Quis intelligatur per* tò non manifestans?

*Resp.* Est omnis qui dum potest & ex justitia debet, malefactorem non manifestat vel ante factum ne fiat, vel post factum ne resarciatur; tales sunt custodes vinearum, sylvarum, &c. & ii peccant 1. contra justitiam, unde tenentur ad restitutionem; 2. contra religionem, quia violant juramentum quod præstare solent. Ab utroque tamen peccato videntur immunes, si damnum tam leve esset, aut illatum a persona tam paupere, ut præsumi rationabiliter possit dominum non esse invitum. Sed

Quæres: *An teneatur etiam solvere mulctam pecuniariam, quæ in defraudatores constituta est si non deferant?*

*Resp. Multi negant*, hac ratione ducti, quod custodis officium in eo sit ut damnum avertat, aut procuret solutionem vectigalis constituti; non vero ut dominium, aut rempublicam mulctis ditet; ergo mulctas refundere non tenetur.

*Alii*, quibus subscribimus, probabilius affirmant: ratio est, quia custodes sunt constituti, tum ut impediant damna, tum etiam ut deferant damnificatores; quare non manifestando, injuste agunt contra officium, ac proinde tenentur restituere mulctas pecuniarias, quas perciperent domini ex delatione sibi jure debita.

*Dices:* ipsi damnificatores non tenentur ad illam mulctam nisi post sententiam judicis; ergo neque custos.

*Resp. nego con. eq.* Nam custos propter officium vel pactum initum hujusmodi malefactores tenetur manifestare ex justitia.

## §. VIII. *Expenduntur variæ quæstiunculæ ad præsentem materiam spectantes.*

Quæres 1. *Quid requiratur ut cooperatores teneantur restituere?*

*Resp.* Requiritur & sufficit ut vere moveant vel adjuvent executorem ad damnum inferendum: & ideo non excusantur quod alius non defuisset qui movisset, vel adjuvisset; ratio est quia sunt vere causa damni.

*Dices*; Illa duntaxat est vera & efficax causa, qua posita sequitur effectus, & qua non posita non sequitur; ergo si tuo recursu v. g. non præstito, effectus nihilominus sequeretur per recursum alterius, tuus recursus non potest censeri causa efficax.

*Resp. nego secundam partem antecedentis*; Equidem est de ratione efficaciæ causæ ut illa posita ponatur effectus; sed non est de ejus ratione, ut illa non posita, effectus non ponatur; alioqui occisor non esset causa damni, si alius fuisset occisurus, quod nemo sanæ mentis propugnabit.

Quæres 2. *Utrum cooperans teneatur ad restitutionem, si absque ejus cooperatione executor æque fa-*

*facile & eodem modo damnum illaturus erat*, quia nempe ad facinus paratissimus erat?

*Resp. negative, nisi executor per cooperantem ad damnum promptius inferendum motus sit*; ratio est quia cooperatio non influit in actionem damnificam, sed ad ipsam tantum concomitanter se habet, ergo tunc cooperatio non est causa damni. Dixi: *nisi executor ad damnum promptius inferendum motus sit*: quia interim potuisset mutare sententiam, vel impediri a damno inferendo.

Quæres 3. *An omnes cooperatores teneantur in solidum?*

*Resp.* Omnes cooperatores *qui ad se relationem habent in damno*, tenentur in solidum pro ratione influxus in damnum; unde si cooperans influxerit in totum damnum, tenetur ad reparationem totius in solidum; si tantum in partem damni, tenetur ad reparationem illius partis in solidum.

Dixi: *qui ad se relationem habent in damno*: quia cum plures per se separatim sine communi consensu, conspiratione & opera damnu inferunt, tunc singuli non tenentur in solidum, sed solum pro sua parte, cum non sint causa totius damni, sed partis tantum.

Quæres 4. *An omnes cooperatores æqualiter restituere teneantur?*

*Resp.* Si concurrerunt æqualiter ad damnum, ut duo mandantes, tenentur æqualiter restituere; quia nulla est ratio cur unus plus restituat quam alter; si inæqualiter, ut cum unus mandat, alius consulit, alter exequitur, tenentur restituere inæqualiter, alii nimirum 1. loco, alii 2. loco, alii 3. circa quod

*Nota*: Ille 1. loco tenetur restituere qui sic obligatur ut eo restituente cæteri a restitutionis onere fiant immunes, & alio restituente ipse eidem quod solvit, refundere teneatur. 2. Autem loco tenetur is, quo restituente cæteri fiant immunes excepto primo, & sic de cæteris. Demum in eodem gradu teneri dicuntur, qui æqualiter obligantur, ita ut si nullus deficiat, teneantur singuli ad aliquam partem, aut si aliquis eorum totum restituat, singuli ejusdem ordinis huic refundere teneantur eam partem quam quisque debebat pro ratione influxus sui in damnum, unde

Quæres 5. *Quinam ordo sit servandus inter eos qui inæqualiter obligantur in solidum?*

*Resp.* Sequens ordo ex communi Doctorum sententia statuitur.

1. *Loco*, & ante omnes restituere tenetur is, apud quem res aliena extat in se, quia res aliena semper clamat pro domino. Quod si non extet, vel bona, vel mala aut dubia fide consumpta est; si bona fide, ad nihil tenetur qui consumpsit, nisi in quantum factus est ditior; si mala aut dubia fide, tunc adhuc ante omnes tenetur qui consumpsit, ejus pretium restituere; quia *pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* (*Reg.* 56. *juris in* 6.)

2. *Loco*, tenetur mandans, quia est principalis auctor damni, executor vero se habet ut ejus instrumentum, cum nomine & auctoritate mandantis damnum inferat; idem dicendum de eo, qui rogavit damnum nomine suo inferendum, quia mandanti æquivalet.

3. *Loco*, tenetur executor, & participans seu adjuvans in crimine, quia executor utpote physice influens in damnum, & respectu aliorum proprio nomine agens, est principalis causa damni post imperantem; ergo consulentem & alios præcedere debet.

4. *Loco*, & in defectu priorum, tenentur cæteræ causæ positivæ, in eodem ordine inter se, cum eodem modo in damnificationem influant, nempe movendo, impellendo executorem ad damnum inferendum, nec una est instrumentum alterius.

5. *Loco*, tenentur causæ cooperantes negativæ, quæ sequuntur omnes causas positivas; æquum enim videtur ut onus restituendi ei prius incumbat, qui actionem injustam ponit, quam illi qui non impedit ne ab alio ponatur.

*Porro* inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis præcipua; nisi tamen una magis immediate teneatur impedire damnum. Quare custodes particulares prius ad restituendum tenentur, quam custodes generales, nimirum Prætores aut Magistratus.

## ARTICULUS II.

### *Cui, quomodo, & quando sit restituendum?*

*Nota.* Cui restitutio sit facienda, quando dominus rei est ignotus, diximus alibi (§. 2. *De acquisit. dom. per invent.*). Itaque

Quæres 1. *Cuinam res debeat restitui?*

*Resp. ordinarie*, Ei reddenda est qui habet jus possidendi, etsi non sit dominus rei; tales sunt depositarius, locatarius, commodatarius, &c. Ratio est quia ei res restitui debet cui primario illata est injuria; atqui ei qui habet jus possidendi, primario illata est injuria; ergo.

Dixi *ordinarie*: Quia si possessor nihil patiatur detrimenti ex eo quod restitutio fiat domino directo, nihil interest an uni, an alteri fiat.

*Colliges.* Rem furi ablatam, debere restitui domino, non ipsi furi; ratio est quia fur non habet jus possidendi; sed

Quæres 2. *Qui rem alienam bona fide emit a fure, an hanc ei possit reddere ut pretium suum recuperet?*

*Resp. nego* (*Ita Covarr. Cajetan. Major, Medina, Sotus, contra Less. Navar. Lugo qui asserunt nostram opinionem esse probabilem*). Nam secundum ipsum Lessium, non liceret rem furtivam tradere extraneo, ut pretium recuperaret; ergo nec licet ipsam reddere furi, quia non plus in eam juris habet quam extraneus.

*Dices*: Quisque habet jus procurandi potius bonum suum quam bonum proximi similiter innocentis; ergo.

*Resp. dist. ant.* Si fieri possit sine injuria tertii, *conc.* si non possit, *nego.* Hic autem non potest, cum rem furtivam reddere furi nihil aliud sit quam rei interitum moraliter procurare, quod est damnificum, nam alteri non possumus facere malum ut nobis bene sit.

*Dices* 2. Emptor bonæ fidei potest rescindere contractum cum fure initum absque injuria Domi-

ni rei furto ablatæ; ergo &c. *Respond. nego antec.*

*Prob. ant.* Qui utitur jure suo, nemini facit injuriam; atqui emptor bonæ fidei habet jus rescindendi contractum cum fure initum, utpote injustum ex parte furis, & ex parte emptoris initum ex errore dante causam contractui; ergo &c.

*Resp. nego min.* Neque enim emptor habet jus rescindendi contractum cum injuria tertii. Equidem potest emptor pretium repetere a fure, & contra ipsum habet actionem: non vero potest dominum rei damnificare, moraliter causando interitum rei furto ablatæ per repositionem ejus in manus furis, a quo dominus non est eam recepturus.

*Inst.* 1. Emptor bonæ fidei rescindendo contractum, eam non ponit pejori in loco, quam fuit ante emptionem; ergo nullam domino rei facit injuriam rescindendo contractum.

*Resp. nego conseq.* Quia licet rem furto ablatam pejori in loco non ponat, quam fuit ante emptionem, eam tamen pejori in loco ponit, quam fuit post emptionem; secura enim erat in manu emptoris, quæ securitas erat domino rei acquisitæ; ergo non potest emptor sine injustitia privare dominum illa rei securitate.

*Inst.* 2. Possessor bonæ fidei non tenetur rem domino restituere, quando non potest absque notabili damno suo, ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Non tenetur rem domino suo restituere cum notabili damno suo, si restitutio sit causa damni, *conc.* si non sit, *nego.* Porro in casu præsenti restitutio facienda domino rei non est emptori causa damni, sed venditoris malitia, adversus quem retinet actionem ex empto.

*Inst.* 3. Nemo tenetur alterius damnum impedire cum æquali damno suo; atqui si emptor bonæ fidei non posset restituere rem furi, teneretur impedire damnum alterius cum æquali damno suo; ergo &c.

*Resp. nego min.* Non enim dicimus, emptorem non posse restituere rem emptam furi, ut impediat damnum alterius, sed ne alteri innocenti sit causa moralis damni: Nemo autem potest esse alteri innocenti causa moralis damni, etiam ad vitandum æquale damnum sibi imminens; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona.

*Inst.* 4. Potest emptor rem furtivam furi restituere in casu, quo fur ipsam repeteret, & minaretur mortem, nisi eam restitueret ergo similiter potest eam ipsi restituere, ut pretium datum recuperet.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod in casu antecedenti dominus rei non potest censeri rationabiliter invitus, bene vero in casu consequenti.

Quæres 3. *Quomodo sit restituendum?*

*Resp.* Optimo modo restituit, qui quod alteri debet, hoc reddit sive per se, sive per alium ad æqualitatem, non quidem per partes, sed totum simul quando fieri potest; nihil enim interest an palam, an occulte, nisi agatur de restitutione famæ.

Quæres 4. *Quando sit restituendum?*

*Resp.* Statim *quantum moraliter fieri potest*; nam præceptum restitutionis est primario negativum, & sic obligat semper & pro semper.

Dixi: *quantum moraliter fieri potest:* quia sunt variæ causæ, ob quas juste potest differri restitutio.

*Prima.* Est *extrema necessitas*, tam corporea, quam spiritualis, sive nostra, sive proximi, cui aliter subvenire non possumus quam rem alienam impendendo; ratio est, quia in extrema necessitate omnia saltem quoad usum sunt communia.

*Resolv.* Si quis restituere nequeat, nisi filiæ ejus præ inopia se prostituant, vel nisi filii ejus latrocinentur, potest & debet restitutionem differre, quia tunc est extrema necessitas spiritualis; sed

Petes: *An transacta extrema necessitate urgeat obligatio restituendi?*

*Resp. cum distinct.* Vel res adhuc extat, vel amplius non extat; si adhuc extat, urget obligatio restituendi, quia extrema necessitas non tribuit jus ad amplius quam opus sit ut ex periculo te eripias; ergo si quid supersit, est restituendum: Si res amplius non extat, iterum distinguendum est, vel res fuit accepta mala fide ante necessitatem, vel fuit accepta urgente necessitate, aut bona fide ante necessitatem; si primum, adhuc urget obligatio restituendi, quia talis obligatio jam ante contracta, per supervenientem necessitatem non est extincta, sed sopita; ergo, transacta illa necessitate reviviscit. Si secundum, non urget obligatio restituendi, quia in necessitate constitutus usus est jure suo, accipiendo rem & consumendo (*Ita Scotus*, *Palud. Richard. Sylvester*).

*Secunda*, Est *gravis necessitas* & impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum quos alere tenetur, *nisi tamen creditor sit in pari necessitate:* ratio est quia dominus non est rationabiliter invitus circa dilationem, ergo potest differri; nec tenetur de lucro ex dilatione cessante, aut damno emergente, quia non censetur in mora culpabili.

Dixi, *Nisi tamen creditor sit in pari necessitate:* quia esset rationabiliter invitus quod res sua ab alio detineatur in præsenti casu, cum ex ordine charitatis possit cæteris paribus sibi providere potius quam debitori velle consulere.

*Resolv.* Eos posse differre restitutionem 1. qui non possunt restituere nisi domum vel prædium vendendo multo minoris quam valet. 2. Qui non possunt statim reparare damnum sine periculo gravis infamiæ, cum fama sit bonum præstantius divitiis. 3. Qui non possunt statim restituere, quin necessario excidant e statu quem juste comparaverunt; notat tamen Lessius (*cap.* 17. *dub.* 1.) quod teneatur debitor sibi quantum potest detrahere de decentia status, ut sensim restituere possit; nam decentia status non consistit in indivisibili.

Dixi, *quem juste comparaverunt:* quia si quis rapinis, usuris, &c. ad aliquem honorabilem statum pervenisset, teneretur etiam cum ejus amissione statim restituere, quia hoc non est tam statum suum amittere, quam alienum dimittere & ad suum reverti.

*Dices*, dimittere statum est semper quædam infamia, sed nemo tenetur restituere bona fortunæ cum sui infamia; ergo.

*Resp. dist. maj.* Si sciatur statum illum fraudibus esse acquisitum, *nego*, econtra sic est famam bo-

bonam sibi conciliare, & malam abstergere. Si ignoretur statum illum fraudibus esse acquisitum *cons.* tunc autem excusatur a restitutione hic & nunc facienda.

*Tertia. Est nocumentum creditori vel alteri ex restitutione probabiliter imminens;* sic debitor potest, imo debet tum ex charitate, tum ex justitia non reddere gladium, vel clavem adultero in iis circumstantiis, in quibus prævidet creditorem iis abusurum ut sibi aut proximo damnum creet. Ratio cur possit, est quia utiliter rem creditoris gerit; ergo non est rationabiliter invitus de dilatione. Ratio cur debeat lege charitatis, est quia tenetur impedire peccatum proximi, si commode possit. Ratio cur debeat lege justitiæ, est quia concurreret ad damnum proximi ut causa adjuvans.

## ARTICULUS III.

*De ordine quo personis læsis restitui debeat.*

*Nota* 1. Quæstio non procedit de restitutione facienda ex bonis creditoris; certum est enim quod res aliena extans restitui debeat domino suo, nec possit aliis in solutionem dari: talia sunt depositum, pignus, res per furtum, rapinam, usuras ablatæ, &c. Res autem credito vendita extans apud debitorem non videtur debere reddi venditori præ aliis creditoribus, si is non habeat aliunde jus prælationis, quia tunc translatum est ejus dominium estque bonum debitoris.

*In Gallia* tamen venditor rei immobilis (non vero rei mobilis ut notant Domat & Basnage (*Domat Loix civiles L. 3. tit. 1. sect. 5. Basnage tract. de hypothecis*) cæteris creditoribus præfertur etiam regi, quamvis res fuerit jam ab emptore alienata (*art. 3. edicti ann.* 1669.).

*Nota* 2. Quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus ullo ordine, cum omnibus sit satisfaciendum.

Quæstio itaque unice procedit de eo qui multis creditoribus diversi ordinis debet, & omnibus satisfacere est impar, circa quam sequentia a theologis vulgo statuuntur.

1. Prius debent solvi impensæ pro funere debitoris & ejus curatione (*L. penult. de religion. & sumpt. funerum*).

2. Debita certa, id est, quorum dominus cognoscitur, prius solvenda sunt quam incerta; quia creditor incertus in hoc consentire merito præsumitur, unde non est rationabiliter invitus.

3. Debita ex titulo oneroso prius solvi debent, quam debita ex titulo gratioso (*L. inter eos, de re judic.*); quia in omni donatione subintelligitur *sine præjudicio tertii.*

4. Solvendum eis qui habent hypothecam, ante alios qui non habent (*L. eos, qui potiores in pignore*); quia creditoribus hypothecariis non solum persona debitoris, sed etiam ejus bona specialiter obligata sunt; chirographariis vero sola persona est obligata.

5. Inter creditores hypothecarios prius solvendum est eis qui tempore sunt priores sive hypotheca sit expressa, sive tacita, sive specialis, sive generalis; ratio est quia sunt potiores jure, juxta reg. Juris, *qui prior est tempore, potior est in jure:* excipe si posterior hypotheca habeat privilegium a jure, circa quod consulendæ sunt consuetudines locorum quæ obligant in conscientia.

6. Inter creditores personales prius solvendum est eis qui habent privilegium; tales sunt 1. Sponsa de futuro in bonis sponsi ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio (*L. quæsitum, §. si sponsæ, ff. de privil. creditorum*). 2. Is qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde usuras (*L. si hominem, §. in bonis ff. eodem*). 3. Ille qui ad navem instruendam, extruendam, emendam, pecuniam tradidit (*L. qui navem, ff. eodem*).

7. Si creditores nec habeant hypothecam, nec privilegium, singulis pro rata satisfaciendum est, sive sint priores, sive posteriores, sive debitum sit ex delicto contractum, sive ex contractu; ratio est quia nulla lex constituit prælationem inter hujusmodi creditores, nam regula juris, *qui prior est tempore, potior est jure*, creditoribus solum hypothecariis applicatur, ut colligitur ex jure (*L. 1. ff. de separationibus*). Si tamen unus creditor prius suum debitum sive in judicio, sive extra judicium exigat, ei satisfaciendum est, ait Pontas ex Navarro, (*V. restit. cas.* 91.) ratio est quia *vigilantibus jura subveniunt.*

## ARTICULUS IV.

*Quo loco, cujusve impensis & periculo restitutio sit facienda.*

*Nota*: Ex dictis, obligationem restitutionis nasci vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione, detentione & damnificatione, vel ex contractu; unde

Quæres 1. *Cujus impensis debeat fieri restitutio ratione rei acceptæ?*

*Resp.* Fieri debet in loco ubi sunt quæ debentur, nec tenetur debitor expensis suis ea mittere ad dominum, sed expensis domini; ratio est quia possessor bonæ fidei dominum a pristino statu per injuriam non disturbavit; ergo non tenetur eum in pristinum statum restituere. Imo dominus non tantum tenetur ad expensas pro re mittenda, sed etiam pro re custodienda. (*L. 2. ff. de negot. gestione.*)

Quæres 2. *Cujus expensis restituendum sit ratione injustæ acceptionis, detentionis & damnificationis?*

*Resp.* Impensis debitoris, idque eo in loco ubi dominus rem illam possessurus erat, si ablata vel destructa non fuisset; ratio est quia dominus injuriam passus, debet restitui in eum statum in quo fuisset, si injuria illata non fuisset; ergo.

*Resolves.* Si dominus alio migravit, restitutio debet ipsi fieri in loco ubi degit, impensis debitoris, deductis tamen sumptibus, quos dominus in ea re secum asportanda facturus fuisset; quia sufficit ut debitor dominum indemnem præstet, non requiritur ut ei lucrum afferat.

*Hinc tamen not.* Quod si res non possit sine magnis sumptibus restitui, potest ex quadam æquitate naturali differri restitutio, donec ea fieri possit absque tanto detrimento; modo alio tempore æque facile ac certo restitutio fieri possit.

Quæres 3. *Cujus impensis restituenda sit res debita ex contractu?*

*Resp.* Debet fieri impensis illius, in cujus utilitatem vergit, & ad cujus exigentiam fieri solet contractus; par est enim ut qui sentit commodum, sentiat & onus.

Quæres 4. *Cum res quæ remittitur per nuntium, pereat fortuito sine culpa nuntii, cuinam perit?*

*Resp.* Vel res est debita ratione rei acceptæ; vel ratione injuriæ; vel ratione contractus.

Si debita ratione *rei acceptæ*, restitutio fieri debet periculo domini, modo debitor rem remiserit per nuntium quem putabat fidelem (*L.* 20. *ff. commodi*); ratio est quia seclusis culpa, mora & pacto, res perit domino.

Si est debita *ratione injuriæ*, restitutio fieri debet periculo debitoris, quia debitor iniquus dominum prorsus indemnem servare debet; ergo omne periculum subire tenetur. (*Cap. ult. de deposit.*)

*Hinc* si debitor adhibita maxima diligentia rem nuntio quem putat fidelem, vel Confessario tradat restituendam domino, & hi sive culpate sive inculpate rem domino non reddant, tenetur ad idem restituendum, donec dominus accipiat; quod si pluries idem restituere teneatur, *sibi debet, non aliis imputare.* (*Reg.* 86. *jur. in* 6.)

Si est debita *ratione contractus*, vel creditor rei suæ dominium servat ut in locato, deposito, commodato, & tunc perit creditori, quia res domino suo perit; vel creditor transtulit rei suæ dominium in debitorem, ut in mutuo, & tunc perit debitori; excipe nisi creditor miserit aut designaverit hominem certum cui pecuniam committat debitor (*L.* 39. *de solut.*); ratio est quia transfertur dominium rei in creditorem, & sic ipsi perit.

## ARTICULUS V.

### *De causis excusantibus a restitutione.*

*Nota:* Sunt variæ causæ, de quibus dubitatur an liberent ab obligatione restitutionis, de quibus variis quæstiunculis.

Quæres 1. *An remissio creditoris excuset a restitutionis obligatione?*

*Resp. Excusat*, Si sit legitima; ratio est, quia creditor potest donare quod suum est, si jus non resistat.

Ut autem sit legitima, requiruntur tres conditiones: *prima*, ut sit omnino libera; *secunda*, ut remittens rei remittendæ habeat dominium & administrationem a lege non prohibitam, de his duobus diximus cum donatione; *tertia*, ut donatio non sit a jure annullata.

Defectu tertiæ conditionis invalidæ sunt 1. Remissio distributionum a capitulo facta canonico, qui officio non interest. (*Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 12. *de ref.*) 2. Remissio Episcopo facta, si ab Ecclesiis quas visitat, aliquid præter necessaria ad victum receperit, imo tenetur duplum restituere intra mensem. (*Cap.* 2. *de Cens. in* 6.) 3. Remissio facta judici delegato, qui aliquid præter modicas expensas recipit a partibus. (*Cap.* 11. *de rescript. in* 6.)

Quæres 2. *Quid sit cessio bonorum?*

*Resp.* Est miserabile & flebile remedium, quo quis debitis omnibus solvendis impar, bona sua creditoribus dividenda relinquit, ne tradatur in carcerem, aut in eo retineatur.

Quæres 3. *An cessio bonorum liberet ab obligatione restitutionis?*

*Resp. negat.* Nam *is qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur* (*L.* 4. *ff. de cessione bonorum*). Ratio est, quia per cessionem non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restitutionis, ne possit detrudi in carcerem.

*Nota:* Qui cedit bonis, potest retinere quæ sibi, suisque ad parcam sustentationem sunt necessaria. (*L. qui bonis ff. de cess. bonorum*). Item si post cessionem aliquid acquisierit, non potest eo spoliari, si eo indigeat ad sui suorumque sustentationem (*L. eadem*).

Quæres 4. *An ingressus in religionem liberet a restitutione?*

*Nota:* Professionem hominis debitis gravati esse illicitam, non tamen invalidam, ut declaravit Clem. VIII. (*Const. an.* 1602.) abrogans quoad hoc punctum constitutionem Sixti V. (*Constit. an.* 1587.)

*Resp. negative.* Ratio est, quia restitutio jure naturali obligat; ergo injuste agit, qui se ad eam reddit impotentem.

*Dices:* Sponsus etiam de præsenti, nondum consummato matrimonio, potest religionem ingredi, etiam invita sponsa; ergo a pari invitis creditoribus poterit debitor profiteri religionem.

*Resp. nego conseq.* Et disparitas est quod in sponsalibus & matrimonio rato ex ipsius Ecclesiæ sensu includitur hæc conditio, *nisi postea religionem ingredi placuerit*: hæc autem conditio non includitur in aliis contractibus saltem onerosis.

Quæres 5. *An excusetur a restitutione qui non potest restituere nisi per bona superioris ordinis?*

*Nota:* Bonorum naturalium triplex est ordo: in supremo sunt, vita, membra, libertas, virginitas, sanitas; in medio sunt honor & fama, in infimo sunt divitiæ.

*Resp. affirm.* si bona superioris ordinis juxta prudentium æstimationem longe superent damnum quod patiatur creditor cui non fit restitutio; *negative* vero si bona inferioris ordinis talia sint, & in tanta quantitate ut prudenter comparentur bonis ordinis superioris. Ratio est quia in 1. casu dominus non est rationabiliter invitus; econtra in 2.

*Resolves* 1. Nemo tenetur per amissionem vitæ, vel libertatis restituere famam proximi.

2. Licet fama ex genere suo sit majus bonum quam divitiæ, tamen spectatis circumstantiis in quibusdam casibus, hæ illi præponderant in æstimatione humana: *v. g.* si sint ingentes divitiæ, & fama exigui momenti, qualis est fama personæ suspectæ, aut vilis admodum conditionis quæ parvi æstimantur; ita totidem fere verbis P. Antoine (*Cap.* 6. *de jure & just.*) quem multi præiverunt.

## CAPUT IV.

### *De injustitia & restitutione in particulari.*

*Nota:* Quadruplicis generis sunt bona in quibus proximo noceri potest; nimirum bona animi, bona corporis, bona famæ & honoris, tandem bona fortunæ, de quibus sequentibus articulis restat agendum, & de necessaria restitutione.

## ARTICULUS I.

### *De injuriis in bonis animi & necessaria restitutione.*

*Nota:* Bona animi duplicis sunt generis, nempe *supernaturalia*, quæ conducunt ad salutem sive immediate, ut gratia, sive mediate, ut status religionis; & *naturalia*, ut sunt potentiæ naturales & eorum actus, videlicet intellectus, memoria, scientia, artes &c. De his duobus paragraphis.

### §. I. *De injuria in bonis animi supernaturalibus & necessaria inde restitutione.*

Quæres 1. *An qui alium ad peccatum induxit, vel a virtutis exercitio retraxit, teneatur ad restitutionem?*

*Resp. cum distinctione.* Si vi, metu, vel fraude induxit aliquem in peccatum, vel in errorem, peccavit contra justitiam, teneturque ei restituere metum & vim removendo, fraudem & errorem detegendo, damnaque inde secuta reparando: *ratio est*, quia per fraudem & errorem fecit ipsi injuriam; sed omnis injuria ex justitia reparari debet; ergo.

Si vero consilio tantum vel precibus, sine vi, metu, fraude, proximum induxit in peccatum, non tenetur ex justitia restituere *nisi sit superior:* ratio est, quia scienti & libere consentienti non fit injuria; sed qui sine vi, metu, fraude, ad peccatum inducitur, est sciens & omnino libere volens; ergo.

Dixi: *nisi sit superior:* quia superior ex officio proindeque ex justitia tenetur subditorum suorum salutem procurare; ergo si desit officio, tenetur restituere.

*Dices:* Ex supra dictis consulens tenetur restituere; ergo.

*Resp. dist. ant.* Si inducat ad peccatum injustitiæ, *conc.* ad aliud peccatum, *nego:* ratio est; quia inducens peccat contra virtutem cui opponitur peccatum ad quod inducit.

Quæres 2. *An qui candidatum sine juxta causa avocavit a religione, teneatur satisfacere religioni?*

*Resp. cum dist.* Si vi, metu, vel fraude, avocavit, tenetur ad restituendum damnum, tum candidato ipsum in pristinum statum restituendo, eique fraudem detegendo; tum religioni, compensando ipsi spem commodi temporalis, quod ex novitii donatione, labore & industria, consecuta fuisset, si injuste abductus non fuisset; *ratio est*, quia religio sicut quilibet privatus habet jus, ne bonum suum via injusta impediatur.

Si vero precibus tantum vel consilio absque vi, vel fraude retraxit, ad nihil tenetur, tum erga candidatum, quia volenti non fit injuria; tum erga religionem, quia quidquid commodi temporalis sperare potest a novitio, omnino a voluntate novitii pendet; atqui is voluntatem sponte & libere mutavit, ergo nulla infertur religioni injuria.

### §. II. *De injuriis in bonis animi naturalibus, & necessaria restitutione.*

Quæres 1. *An qui scientiam vel artem male aut negligenter candidatum docuit, teneatur ad restitutionem damnorum inde ipsi secutorum?*

*Resp. cum dist.* Vel ista docere tenebatur ex officio aut stipendio; vel non: si primum, tenetur restituere, quia est injustus damnificator. Si secundum, ad nihil tenetur, quia sola obligatio justitiæ inducit restitutionis obligationem.

Quæres 2. *An qui philtro, veneno, potione &c. alium memoria vel usu rationis privavit, teneatur ad restitutionem?*

*Resp.* Tenetur ex justitia tollere & curare ista mala, si fieri potest, & resarcire damna inde secuta. Ratio est, quia illorum causa fuit per injuriam.

## ARTICLUS II.

### *De injuriis in bonis corporis & restitutione.*

*Nota:* Ut ordine procedamus, agemus de injuriis corporis; 1. per homicidium & mutilationem; 2. per stuprum & adulterium, & necessaria restitutione duplici paragrapho.

### §. I. *De injuriis in corpus proximi per homicidium & mutilationem, & necessaria restitutione.*

Quæres 1. *Quid sit homicidium & quale peccatum?*

*Resp.* Homicidium est, *voluntaria & injusta hominis occisio:* est peccatum mortale gravissimum prohibitum 5. decalogi præcepto *non occides:* per illud enim adimitur proximo bonum omnium temporalium maximum & irreparabile.

Quæres 2. *An liceat malefactores occidere?*

*Resp.* Licet *auctoritate publica*, & probatur, tum Exodi 22. *maleficos non patieris vivere;* tum quia respublica se habet ad singulos homines, sicut homo quisque ad singula membra, atqui homo quisque potest abscindere membrum putridum pro salute totius; ergo & resp. potest abscindere membra putrida ob suam incolumitatem.

Dixi: *Auctoritate publica:* quia auctoritate privata non licet; nam non licet occidere peccatores nisi ob bonum reipublicæ; atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem; ergo.

*Hinc* Alex. VII. damnavit hanc prop. *non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam:* & Conc. Constantiense (*Sess.* 15.) definivit non licere subdito principem suum tyrannice regentem occidere.

Quæres 3. *An etiam liceat auctoritate publica innocentem occidere?*

*Resp.* Nunquam licet *per se directe & ex intentione*, nisi accesserit speciale Dei mandatum. Ratio est, quia publica auctoritas nullam aliam in vitam suorum subditorum auctoritatem habet, quam eam quæ sibi a Deo fuit collata; atqui Deus hanc reipublicæ non dedit potestatem, cum expresse prohibuerit dicens: *insontem & justum non occides* ( *Exodi* 23. *v.* 7. ) ergo.

*Hinc* non licet infantes, uxores hostium, clericos, &c. in bello etiam justo captos occidere; nec rabiosos suffocare ne aliis noceant, sed debent includi & alligari.

Dixi *per se directe & ex intentione*: quia interdum ob gravissimam causam indirecte & præter intentionem possunt occidi innocentes: sic in bello justo licet ad hostes expugnandos, dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem in qua innocentes aliqui præter intentionem perituri sunt; nam utenti jure suo non imputatur effectus præter intentionem secutus.

Quæres 4. *An liceat abortum procurare?*

*Nota*: Abortus est *præmatura ejectio fœtus ex utero matris.*

*Resp.* Certum est apud omnes, nullo prorsus modo cum etiam mortis imminentis periculo licere directe procurare abortum, sive fœtus sit animatus, quia tunc verum est homicidium causans irregularitatem, ( *Cap.* 20. *de homicid.* ) sive nondum sit animatus, quia hoc repugnat conservationi speciei humanæ; unde Innoc. XI. damnavit hanc prop. *Licet procurare abortum ante animationem, ne puella deprehensa occidatur aut infametur.* Sola ergo quæstio est de indirecta procuratione abortus, quæ ut solvatur.

Quæres 5. *An liceat matri cui non potest aliter succurri, præbere pharmacum cum imminenti periculo abortus?*

*Resp. cum distinct.* Vel pharmacum ex natura sua est ordinatum ad ejectionem fœtus, vel non est ordinatum. Si primum, non licet illud matri præbere, sive fœtus sit animatus, sive non, quia esset procurare abortum directe, quod per se malum est. Si secundum, iterum distinguo, vel fœtus est animatus, vel non; si est animatus, vel si dubitatur an sit animatus, tunc non licet, quia salus æterna prolis in extrema necessitate præferenda est vitæ corporali matris. Si certo non sit animatus, probabilius est id licere; quia tunc si abortus contingat, non censetur procuratus, sed permissus: nam præter intentionem contingit, matre utente jure quod habet sumendi remedia ad vitæ conservationem necessaria, nec ordinata ad abortum procurandum, sed solum ad sanitatem recuperandam.

*Resolves*: Mortaliter peccare mulierem quæ ex sua notabili negligentia abortum patitur, vel quia *nimis saltavit; vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas lascivias*, ait sanctus Antonin. Item peccat mulier nutrix quæ parvulum suum in lecto juxta se positum etiam inadvertenter suffocat; quia advertere debebat & facile poterat. Hinc in diœcesi Tullensi excommunicatione feritur qui *infantem nondum [illegible] in lecto ponit, ubi periculum sit ne somnus parentis obrepat.* ( *Statuto ann.* 17[illegible]0 ).

Quæres 6. *An liceat homini injustum invasorem occidere ne ab eo occidatur?*

*Resp.* Licere *servato moderamine inculpatæ tutelæ.*

*Prob.* Ex Innoc. III. dicente: *omnia jura & omnes Leges permittunt vim vi repellere* ( *Cap.* 18. *de homic.* ) & quidem

1. *Lex naturalis*, quæ dictat propriam potius conservandam esse vitam quam alienam, juxta ordinem charitatis.

2. *Lex divina* quæ declarat *Exodi* 22. occisorem furis nocturni non esse *reum sanguinis*: quia nempe præsumitur venisse animo non solum furandi, sed etiam occidendi; ut explicat S. Aug. ( *Quæst.* 24. *in Exod.* )

3. *Lex Canonica* quæ docet: *non occiditur fur diurnus sine culpa, nocturnus autem sic*: ( *Cap. perfodiens de homic.* )

4. *Lex civilis* dicens; *quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* ( *L. ff. de jure & just.* )

*Dices*: Tenemur plus diligere salutem animæ proximi, quam vitam nostram corporalem; ergo cum invadens sit damnandus si occidatur, ei per propriam vitam consulendum est.

*Resp. dist. ant.* Si sit in extrema necessitate spirituali, *conc. ant.* alias *nego.* At cum invasor non sit in tali necessitate, sed in voluntaria malitia, non eget ope invasi, sed potest facile se a periculo liberare desistendo ab injuria.

Si qui Patres videantur contrarium asserere, intelligendi sunt vel de defensione facta ex odio, ira, vindicta, vel in casu persecutionis, quæ cum inferatur jubente principe, per vim repelli non potest.

*Dixi* in resp. *servato moderamine inculpatæ tutelæ*, id est cum observatione modi debiti, ad quam requiruntur quatuor.

*Primum*, ut invasus invasoris mortem non intendat, sed solam sui conservationem; alioquin convinceretur agere ex vindicta.

*Secundum*, ut mors invasoris ad vitæ defensionem ita sit necessaria, ut alio modo conservari non possit, nempe precibus, minis, fuga &c.

*Tertium*, ut sit actualis aggressio, nam non opus est defensione ubi non est aggressio; hinc damnata est ab Alex. VII. ista prop. *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Non enim est actualis aggressio, sed calumnia.

*Quartum*, ut in defensione invasus non excedat; unde qui vitam tueri potest percutiendo, mutilare non potest; & qui mutilando, non potest occidere; alioqui teneretur restituere pro ratione excessus.

*Porro* obiter observandum est, non posse contra invasorem proximi quidquid potest ipsemet invasus; *utrum* autem ad id teneamur?

*Resp.* Nos teneri ex charitate, secluso tamen gravi nostro incommodo, ita ut qui proximum in hac necessitate positum succurrere negligit, mortaliter peccet; non autem tenemur ex justitia ita ut ad restitutionem teneamur, nisi ad id teneamur ex officio vel statu; prout tenentur Princeps, Magistratus, Prætor, qui ratione

officii sui publicæ tranquillitati invigilare tenentur.

Quæres 7. *An liceat occidere pro defensione honoris & famæ?*

*Resp. negat.* Ratio hujus est quia honor & fama, quæ in hominum versatili opinione consistit, longe inferioris est ordinis, quam vita & membrorum integritas; ergo non possunt tueri per occisionem hominis. Deinde vindicta numquam est licita: sed occisio in tali casu est vindicta, non defensio, cum non impediat quominus quod dictum vel factum est, dictum aut factum non sit; ergo.

*Confirmatur* responsio damnatione duarum propositionum.

Prima ab Alex. VII. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Secunda ab Innoc. XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

*Dices:* Scriptum est: (*Eccl.* 41. *v.* 15.) *curam habe de bono nomine*: ergo licet occidere in defensionem famæ & honoris.

*Resp. nego conseq.* Quæ falso supponit hominem posse boni nominis curam habere per inimici sui occisionem; cum revera hæc cura consistat in eo quod homo nihil turpe agat, sed veram virtutem sectetur, in qua sola consistit vera fama.

*Inst.* Licet occidere invasorem vitæ, ergo a fortiori invasorem famæ. Nam *honor est quid præstantius vita*, juxta Axioma; ergo cum liceat occidere invasorem vitæ, a fortiori invasorem famæ.

*Resp. dist. probat.* Juxta axioma Scripturæ, Patrum, canonum, *nego*: juxta axioma mondanorum hominum, qui non in cælo, sed in ore laudantium quærunt etiam post mortem vivere, *conc.* Itaque coram Deo hic vere laudandus est, qui Christi et Sanctorum exemplo *benedicit maledicentibus se, orat pro calumniantibus, & percutienti dexteram maxillam præbet & alteram.*

Quæres 8. *An liceat invasorem pudicitiæ interficere, dum nulla alia via suppetit ad eam defendendam?*

*Resp.* Cum D. Aug. id minime licere, (*L.* 1. *de lib. arb. c.* 1.). Ratio ejus est, quod pudicitia sit virtus in animo residens; ergo *a violento stupratore eripi nec ipsa potest.*

Sufficit ergo invasæ, si (sicut tenetur) modis omnibus obsistat, fugiendo, clamando, manibus & pedibus se defendendo &c. quibus non obstantibus si exterius opprimatur, debet resistere peccato per displicentiam formalem, & tunc poterit dicere quod olim sancta Lucia tyranno, *si me invitam jusseris violari, castitas mibi duplicabitur ad coronam.*

*Dices*: ex D. Aug. (*Ibidem*) *stuprum est immanius stupratoris occisione*: ergo.

*Resp.* 1. *retorq. argumentum.* Stuprum est immanius mendacio; ergo licet mentiri ad stuprum vitandum; quis consequentiam admittat?

*Resp. itaque* 2. *dist. textum.* Stuprum formaliter quatenus est peccatum, immanius est occisione, *conc.* stuprum materialiter, quatenus est violatio integritatis corporis, *nego*: vita enim corporis superioris est ordinis, integritate ejusdem corporis.

*Inst.* Ergo licebit occidere stupratorem ob periculum consentiendi.

*Resp. nego illatum*: Cum apertum crimen non possit pro incerto periculi eventu fieri; nec sint facienda mala ut eveniant bona.

Quæres 9. *An liceat occidere furem pro defensione bonorum fortunæ?*

*Resp.* Quantacumque sint hæc bona, nunquam occidere licet, aut periculo mortis exponere.

*Prob.* 1. Exodi 22. Expresse prohibetur ne fur diurnus occidatur, quia, ut notat S. Aug. (*relatus cap.* 3. *de homic.*), *poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset*; ergo non licet furem occidere qui venit tantum ad furandum.

*Prob.* 2. Bona temporalia] longe inferioris sunt ordinis, quam vita; ergo est contra debitum ordinem charitatis occidere proximum pro conservatione bonorum temporalium. Unde Innoc. XI. (*Propos.* 31. 32. 33.) contrariam opinionem damnavit ut *scandalosam*: & Clerus Gallicanus. (*Anno* 1700.) tanquam legi Dei & ordini charitatis contrariam.

*Dices* cap. Interfecisti de homicid. dicitur: *interfecisti furem aut latronem ubi comprehendi poterant absque occisione, si te tuaque liberando, non teneris ad pœnitentiam*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam in his verbis, *te tuaque*: particula & sumenda est copulative, non disjunctive, adeo ut sermo sit de fure, qui bona simul & vitam invaserat, non sufficit autem altera pars.

*Inst.* 1. Vim vi repellere omnes leges & jura permittunt; atqui vim infert, qui bona temporalia vult eripere; ergo.

*Resp. dist. maj.* Permittunt, cum ea moderatione quam recta ratio & ordo charitatis præscribunt, *conc.* secus, *nego maj.* at talis ordo non servatur cum occiditur homo pro defensione bonorum temporalium, quæ longe sunt inferioris ordinis vita hominis.

*Inst.* 2. Bellum juste infertur pro fortunæ bonis, idque non sine multorum clade; ergo licet occidere, &c.

*Resp. dist. conseq.* Licet auctoritate publica, *conc.* privata, *nego conseq.* Princeps enim ut eos ex subditis qui res alienas abstulerunt, legitime interficit, sic & eis qui injuste sua detinent, legitime bellum infert, quia hanc a Deo potestatem accepit.

Quæres 10. *Qui alium occidit aut mutilat, quotuplex ei damnum inferat?*

*Respond. duplex*, nempe primum *naturale* seu *personale*, quod in privatione vitæ vel membrorum consistit. *Secundum* est *reale*, quod ex occisione vel mutilatione oritur.

Quæres 11. *An injustus homicida aut mutilator teneatur restituere damnum naturale?*

*Resp.* Probabilius est occisorem aut mutilatorem pro vita aut membro præcise sumptis, aliquid restituere debere. (*Ita D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1.

*ad* 1. *Cajetan. Sotus*, *Azor. Molina*, *Valentia*, *Grandin*, *Tournely*, *contra Covar. Navar. Gomez*, *Less. de Lugo*, *Sanchez.*)

*Prob.* Omne damnum injuste illatum resarcire debet quantum & eo modo quo potest, nec impotentia restituendi ad æqualitatem, liberat debitorem ab obligatione solvendi id quod potest: atqui occisus vel mutilatus vere patitur damnum, cum privetur usu vitæ vel membrorum, ad quem verum habet dominium; ergo.

*Dices*: Vita & membra hominis liberi non sunt pretio temporali æstimabilia: ergo occisor aut mutilator pro ipsis præcise nihil tenetur restituere, cum nemo ad impossibile teneatur.

*Resp. dist. ant.* Non sunt pretio æstimabilia, absolute & in se, *conc. ant.* in ordine ad usus humanos, *nego.* Itaque non datur pecunia ut pretium vitæ; vel membri, sed ut compensatio damni, vitæ aut membri, & ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi, &c.

Quæres 12. *Quænam damna realia injustus occisor aut mutilator teneatur restituere, & quibus?*

*Resp.* Injustus occisor, etiamsi capite plectatur propter injuriam illatam reipublicæ, nihilominus tenetur restituere occiso, vel hæredibus

1. Expensas factas in curatione vulneris, vel morbi inde secuti, & compensare omne damnum inde emergens & lucrum cessans ex industria, officio, aut arte occisi, vel mutilati, ut definitur in jure (*L. ult. ff. de his qui effuderint*); est enim horum causa injusta.

2. Tenetur restituere iis quos occisus jure stricto obligatus alebat ex operis & quæstu, tales sunt parentes, uxor & filii, qui soli jus strictum habent: ita fere omnes.

3. Tenetur solvere debita occisi vel mutilati, si occisio vel mutilatio in causa sit, cur creditoribus non sint soluta; qui enim est causa damni proximo illati, illud proculdubio resarcire tenetur. Sed

*Nota*: Quod si hæredibus restitutum fuerit quidquid cessavit lucri, aut emersit damni, jam nihil debetur creditoribus, qui quod sibi debitum est, ab hæredibus repetere possunt.

4. Nihil debet solvere pro expensis funeris quæ factæ fuissent, si occisus obisset morte naturali; si tamen majores factæ sint propter homicidium, ut si extra patriam occisus esset, eas tenetur solvere, quia earum fuit causa injusta.

### §. II. *De injuriis in corpus per stuprum et adulterium, & necessaria restitutione.*

Quæres 1. *Quid debeat restituere stuprator virginis?*

*Respond.* Qui virginem sponte consentientem, & absque ulla vi, fraude, importunitate precum & promissione matrimonii defloravit, nihil ex justitia eidem tenetur restituere in foro conscientiæ.

*Prob. responsio* explicatione ejusdem.

Dixi 1. *Virginem sponte consentientem*: quia scienti & sponte consentienti jurique suo cedere volenti, non fit injuria; ergo nulla compensatio est facienda.

*Dices*: puella juri suo cedere non potest: ergo semper ei fit injuria.

*Respond. dist. ant.* Jure suo cedere non potest quoad claustrum virginale, *conc.* quoad reparationem damnorum ex violatione claustri virginalis obvenientium, *neg. ant.*

Dixi 2. *Absque ulla vi*, *fraude*, *importunitate precum*: quia qui his mediis vitiavit virginem, tenetur compensare omnia damna virgini & ejus parentibus inde obvenientia; quia est illorum causa per injuriam; ergo tenetur illa resarcire pecunia, vel eam ducere si aliter resarcire nequeat. (*S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6.*)

Dixi 3. *Sine promissione matrimonii*; quia talis promissio est adimplenda, *sive fuerit vera*, tunc enim est verus contractus onerosus sub conditione quæ fuit impleta ab una parte; *sive fuerit ficta*, tunc enim deceptor tenetur deceptionem tollere veram promissionem faciendo, & factam præstando.

*Excipiuntur quinque casus*; in quibus eam non tenetur ducere:

*Primus*, si corrupta finxit se virginem, nobilem, divitem, cum non esset, quia injuste decepit, & in injuriis datur compensatio.

*Secundus*, si corrupta postea fornicetur cum alio, quia talis injuria illata, est sufficiens causa resiliendi.

*Tertius*, si corrupta fictam esse promissionem potuerit deprehendere, v. g. ex magna disparitate conditionis in nobilitate, divitiis, &c. tunc enim deceptionem sibi debet imputare.

*Quartus*, si ex matrimonio promisso gravia timeantur incommoda & scandala, verb. grat. graves discordiæ inter familias, infelices exitus, &c. quia tunc est rationabiliter invita, modo damnum aliunde reparetur.

*Quintus*, si superveniat impedimentum dirimens, in quo Papa non soleat dispensare, v. g. si susceperit sacros ordines.

Dixi 4. *Ex justitia*: nam probabile est stupratorem, si dives sit, teneri ex charitate virginem defloratam pauperem dotare, quia ut plurimum pauperes in sui deflorationem non consentiunt, nisi sub spe dotis; quod in praxi est sequendum.

Dixi 5. *In foro conscientiæ*; quia in foro externo præsumitur virginem seduxisse, nisi contrarium probet.

Dixi 6. *Eidem*: nam si non consenserint parentes, tenetur stuprator reparare damnum quod ipsis intulit; si nempe majorem postea dotem conferre debeant filiæ, ut æque bene nubat, ac nupsisset ante deflorationem.

Quæres 2. *Ad quid teneatur adulter?*

*Resp.* Vel ex adulterio secuta non est proles, vel certo secuta est, vel dubitatur an sit secuta.

Si proles non sit secuta, adulter nihil tenetur restituere marito adulteræ, cum nullum sit secutum damnum; & pro injuria ab omni damno separata, non debeat fieri restitutio, sed solum quædam satisfactio honoraria per signa doloris, si sit cognita injuria.

Si proles ex adulterio certo moraliter nata sit, (ut si eo tempore maritus adulteræ fuerit absens, æger, &c.) tenetur adulter 1. alimenta subministrare proli ab anno tertio ad tempus quo sibi deali-

alimentis providere poterit; imo ab ipso partu, in defectum matris, quæ primo triennio tenetur alere filium natum, ut colligitur ex utroque Jure. (*Cap.* 2. *de convers. infidel.* *L.* 9. *cod. de patria potestate*) 2. Compensare omnia damna quæ marito adulteræ, uti & legitimis hæredibus ex suppositione spurii consequuntur, propter ejus sustentationem & hæreditatis partitionem; quia est causa damni quod patiuntur.

Si adulter sit in dubio an nata proles sit sua, probabilius est adulterum pro rata parte dubii ad restitutionem teneri; ratio est quia quando constat crimen admissum, fuisse de se sufficiens ad damnum inferendum, præsumptio est contra nocentem, damnumque ei tribuendum, nisi probet illud sua culpa non contigisse.

*Dices* cum Lessio (*l.* 2. *c.* 10. *dubit.* 6.) in dubio melior est conditio possidentis.

*Resp. dist. ant.* Si de actu damnifico non constet, *conc. ant.* si de eo constet, *nego ant.*

*Inst.* Atqui in dubio melior est conditio possidentis, etiamsi de actu damnifico constet; nam nemo tenetur aliquid solvere, & re sua se spoliare, nisi eam constet se debere; ergo.

*Resp. dist. ant. Nemo tenetur, &c.* si alteri incumbat probatio contra eum facienda, *conc.* sic non teneris alteri reddere rem quam possides putans eam esse tuam, nisi alter probet ipsam esse suam. *Nemo tenetur &c.* si ipsi probationis faciendæ obligatio incumbat, *nego.* Verum adultero incumbit onus probandi ex sua actione damnifica nullum damnum obvenisse.

Quæres 3. *Ad quid teneatur adultera, si proles sit secuta?*

*Resp.* Vel fuit corrupta simpliciter invita, vel secundum quid invita; vel libere consensit.

Si fuit simpliciter invita, ipsa ad nullam restitutionem tenetur, cum non intulerit, sed passa sit injuriam.

Si fuit secundum quid invita; tenetur quidem adulter prior restituere, cum sit principaliter causa; sed ipso deficiente tenetur adultera, quia absolute consensit, & per actionem injustam in damnum influxit.

Si libere consensit, æqualiter cum adultero omnium damnorum restitutionem dividere tenetur: ratio est quia æqualiter cum adultero in damnum concurrit; hinc deficiente adultero, ad totum damnum resarciendum obligatur.

Quæres 4. *Quid præstare debeat adultera ut damnum reparet?*

*Resp.* Si habeat bona paraphernalia, ex iis tenetur damna illata compensare; si vero non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare; de cultu corporis sui & solitis sumptibus detrahere quantum patitur conditio status, valetudo, &c. imo juxta multos (*Lessius*, *Tournely*, *Habert*, *Antoine &c.*), debet statum religiosum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Quæres 5. *Si adultera non possit eo modo damna illa resarcire, teneaturne crimen suum veris hæredibus, vel spurio aperire?*

*Resp. negat.* Ratio est quia confessio illa solet esse valde noxia, & parum utilis; est valde noxia, quia ex illa timeri solet gravis adulteræ infamia, mariti in illam excandescentia, imo & periculum mortis. Est parum utilis, cum non teneantur alii matri adulterium suum proferenti credere, juxta regulam juris, *allleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.*

Quæres 6. *Quid sentiendum sit de fornicariis, adulteris, qui proles suas exponunt?*

*Resp.* Peccant mortaliter, nisi propter extremam indigentiam, nullo modo vel laborando, vel mendicando, eos alere possint. Tum quia filios exponendo, sæpius mortis periculo eos committunt, tum quia hospitalia ad hujusmodi proles nutriendas erecta sunt tantummodo in pauperum subsidium; hinc si fornicarii, vel adulteri possideant media sufficientia ad alendum puerum, tenentur hospitali refundere alimenta tali puero administrata.

## ARTICULUS III.

### *De injuriis in fama & honore, & necessaria restitutione.*

*Nota:* Fama, quæ *est interna existimatio de alicujus excellentia*, læditur per detractionem, calumniam, judicium temerarium & sussurationem.

*Honor* vero, qui est *externa significatio excellentiæ alterius*, læditur per contumeliam & irrisionem; unde

Agemus 1. de detractione & calumnia; 2. de judicio temerario, & susurratione: 3. de contumelia & irrisione; & de necessaria restitutione, triplici paragrapho.

### §. I. *De detractione & calumnia, & necessaria restitutione.*

Quæres 1. *Quid sit detractio?*

*Resp.* Est injusta & occulta famæ alienæ denigratio.

Dicitur 1. *injusta:* id est sine justa causa, quæ solum adesse censetur, cum damnum nobis aut proximo impendens averti non potest, nisi hac criminis detectione.

Dicitur 2. *occulta:* ut distinguatur a contumelia, quæ fit in præsentia illius, cujus honori detrahitur, aut cum intentione ut ad aures ejus perveniat.

Quæres 2. *Quid sit calumnia?*

*Resp.* Est falsi criminis vel defectus impositio. Calumnia sub detractione quasi species sub genere continetur, ut patet ex modis, quibus fieri potest detractio.

Quæres 3. *Quot modis fieri possit detractio?*

*Resp.* Octo, quorum quatuor priores directe, quatuor posteriores indirecte famam proximi lædunt. Nimirum,

1. Falsum crimen aut defectum imponendo.
2. Augendo verum crimen aut defectum.
3. Occultum detegendo.
4. Alterius recte factum, sinistre interpretando.
5. Recte facta & dotes alicujus negando.
6. Illas dotes & recte facta minuendo.
7. Tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo silentium pro tacita vituperatione interpretabitur.

8. Adeo

8. Adeo frigide alterum laudando, ut facile sentiant alii eum quem laudas parum tibi videri laude dignum.

Hos detrahendi modos exprimunt versus sequentes.

*Impotens, augens, manifestans, in mala vertens,*
*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.*

Quæres 3. *Quale sit peccatum detractio & calumnia?*

*Resp.* Detractio & calumnia, licet fiant solum ex quadam animi levitate vel loquacitate, & sine intentione lædendi proximum, ex genere suo sunt peccata mortalia contra charitatem & injustitiam.

*Prob.* Nemo est dignus morte, nec excluditur a regno cælorum, nisi propter peccatum mortale; atqui *detractores*, juxta Apost. ( *Rom.* 1. *v.* 30. ) *sunt digni morte*, neque *regnum Dei possidebunt* ( 1. *Cor.* 6. *v.* 10. ). Ergo.

Dixi 1. *Licet fiant solum ex quadam loquacitate &c.* quia prævidere poterant & debebant, quod alterius fama graviter læderetur, sive ex loquacitate, sive animo lædendi, famam alterius læderent.

Dixi 2. *ex genere suo*: detractio enim venialis esse potest 1. ob indeliberationem. 2. Ob levitatem materiæ, cum non graviter lædit.

Quæres 4. *Unde detractionis gravitas vel levitas desumenda sit?*

*Resp.* Desumenda est *ex circumstantia defectus* vel vitii quod narratur relative ad personam læsam: nam fieri potest ut quod respectu unius est materia gravis, sit levis respectu alterius: v. g. si dicas de puero, vel famulo quod sit mendax, materia est levis; si idem dicas de prælato, vel religioso, aut laico honorato, materia est gravis: nam inde graviter læditur fama ipsorum, cum ii qui mendacio sunt deditii, parvi fiant, maxime si ex statu, munere, officio &c. cæteris virtute præstare debeant. Item leve est dicere de milite, quod duellum commiserit, &c.

Dixi: *ex circumstantia defectus*: qui si habeatur pro re infami, & proximo ludibrio & contemptui exponat, censetur gravis.

*Hinc* quamvis possit esse solum veniale referre aut exprobrare defectus naturales involuntarios, verb. grat. ingenii, corporis, fortunæ, cum hi defectus non sint culpabiles, tamen mortale est, si sint de re infami vel probrosa, ratio est quia inde fama & honor graviter læditur. Unde graviter peccaret qui de aliquo diceret quod sit spurius, quod ejus pater suspensus fuerit.

Quæres 5. *Quænam species detractionis sit gravior?*

*Resp. Gravior* est quæ fit per libellum famosum, quam quæ fit voce, tum quia ad plurimos pervenit, tum quia vix potest aboleri. Unde morte punitur & qui libellum famosum sparserit, & qui inventum vulgaverit ( *L. unica cod. de famosis libell.* ). *Gravissima* est ex genere suo quæ fit per falsi criminis impositionem, cum contineat mendacium periculosum; unde nulla ratione cohonestari, aut excusari potest: ideo etiam mortis periculo, nec alteri, nec sibi ipsi falsum crimen imponere licet, hinc reus qui ad vitanda gravia tormenta falsum crimen sibi imposuit, ob quod sit ad mortem, vel mutilationem damnandus; peccat mortaliter, nec potest absolvi, nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

Quæres 6. *Quænam sint justæ causæ, quæ detrahentem a peccato excusant?*

*Resp. sunt duæ*: *Prima* est *justitia*: dum nempe quis ex officio suo tenetur manifestare furtum, aliudve crimen in alium perpetratum.

*Secunda*, *est charitas*, dum nempe quis aliter non potest impedire damnum sibi vel proximo impendens. Ratio est quia detractio non est peccatum, cum non est inordinata; atqui detractio, quæ fit ob justam & rationabilem causam, non est inordinata; ergo &c.

*Hinc* liber est a culpa 1. Qui ex charitate sibi debita, injuriam sibi occulte illatam, alteri revelat animo petendi consilium, aut auxilium ad præcavenda, aut resarcienda mala; imo id non pauci licitum esse credunt ut injuriam passus solatium dolorisque lenimentum recipiat, quibus non adhærebo, si necesse sit nominare personam nocentem, cum verum solatium possit sine infamatione proximi obtineri, scilicet confugiendo ad Deum qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra* ( 2. *ad Cor.* 1. *v.* 4. ).

2. Qui ex charitate debita nocenti, monet superiores, patres familias de vitiis subditorum, filiorum, famulorum, &c. ut eos corripiant.

3. Qui ex charitate debita communitati, detegit incuriam & ignorantiam Medici, Advocati, Confessarii, item qui detegit improbitatem candidati ad officium aut beneficium promovendi.

4. Qui ex charitate proximo debita, monet juvenes de improbitate quorumdam sociorum suorum, ut eorum perversum fugiant consortium; item qui monet alterum ut in famulum, in uxorem non assumat talem, nihil aliud initio allegans, quam quod ei non convenit; sed si alter persistat velle eum assumere, potest dicere famulum esse feracem, puellam esse corruptam, &c.

*Nota*: Ut in his omnibus christiane procedatur, cavendum est ne plus aut pluribus detegatur crimen, quam ad avertendum malum necesse sit.

Quæres 7. *An peccet contra justitiam qui crimen in uno loco, v. gr. in una civitate publicum, revelat in alio ubi ignoratur?*

*Nota ante resp.* Crimen posse esse publicum triplici modo.

1. Ipso jure, de quo constat per juridicam sententiam.

2. Ipso facto, quod ita coram multis est factum, ut nulla tergiversatione celari queat.

3. Communi fama, dum rumor criminis perpetrati ad aures majoris partis communitatis pervenit. His positis:

*Resp.* 1. Si crimen sit per sententiam judicis publicatum, ubivis divulgari potest *absque injustitia*: tum quia reus jus omne amisit ad famam suam; tum quia sententia publice & media luce fertur & executioni mandatur, ut cæteris ubique sit in exemplum & terrorem.

Dixi, *absque injustitia*: quia si quis absque necessitate crimen proximi quovis modo publicum, alteri nescienti revelat, peccat contra charitatem, *saltem venialiter*, cum præcipiat charitas, ne ejus

ære-

alteri faciat quod sibi fieri nollet; *imo mortaliter*, si ex odio & vindicta id faceret.

*Dices*: Delictum in una religione publicum, etiam per sententiam judicis regularis, injuste extra eam revelatur; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod ex mente judicis regularis, sententia non est lata pro publica notitia aliorum, sed solum pro privata suorum subditorum; alioqui communi religionis bono esset perniciosa.

*Resp.* 2. Juxta multos (*Tolet. Adrian. Rebell. Valentia*, *Molina*, *Antoine*, *Paulus a Lug.*) est mortale contra justitiam crimen in uno loco publicum sola publicitate facti vel famæ, divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura... Ratio est quia auctor criminis per publicitatem facti vel famæ non amisit jus ad famam in locis quibus fama non erat crimen perlatura; fama siquidem est divisibilis, cum quis bonum nomen habere potest in uno loco, non in alio; unde sicut non amitto jus ad pecuniam quam habeo Parisiis, quia illam amisi quam habebam Nanceii; ita non amitto jus ad famam quam habeo Parisiis, licet eam amiserim Nanceii.

Dixi: *in loco quo fama non erat illud perlatura*: quia non est contra justitiam criminosum infamare in locis vicinioribus ad quæ moraliter loquendo fama delicti ejus poterat pervenire; quia eo ipso quo quis peccavit publice, censetur interpretative cessisse juri quod habebat ad famam in illo loco & in locis vicinioribus.

Quæres 8. *An peccet contra justitiam, qui crimen alias publicum, jam vero obliteratum revelat?*

*Resp. affirm.* Ratio est, quia crimen oblivioni datum, est occultum; sed crimen occultum non potest revelari sine injustitia; ergo &c.

Quæres 9. *An peccet contra justitiam, qui de uno crimine infamatum, infamat de alio occulto?*

*Resp.* Vel crimen occultum habet affinitatem cum crimine de quo est infamia, vel nullam cum eo habet affinitatem.

Si *Primum*, non peccat contra justitiam qui crimen affine detegit ei qui principale noscit: ratio est quia non censetur nova infamia inferri, nec prior augeri; ut si de homine publice ebrioso dicas eum cum uxore rixari, non recte curare rem familiarem &c.

Si *Secundum*, peccat contra justitiam qui crimen occultum alteri crimini de quo est infamia non affine, nec connexum, detegit. Ratio est quia injuste infertur ei nova infamia gravis; fama enim est quid divisibile partibus diversæ rationis constans, quarum si una auferatur, superest altera, proindeque jus ad illam conservandam.

Hinc graviter peccat contra justitiam qui de publico ebrioso dicit quod adulterium, furtum, &c. commiserit.

Quæres 10. *Quis teneatur ad restitutionem famæ?*

*Resp.* Omnis & solus qui eam abstulit, aut ad ejus ablationem moraliter cooperatus est, quales sunt mandans, consulens, movens, non obstans cum tenetur ex officio obstare, sive scienter & ex malitia, sive ignoranter & ex inadvertentia id fecerint; ratio est quia illi soli per veram injuriam famam alterius violarunt; ergo ii soli famam resarcire debent.

*Dices*: Qui ignoranter & ex inadvertentia famam alterius læsit, non peccavit; ergo non tenetur famam restituere.

*Resp. nego conseq.* Obligatio est restituendi ratione famæ ablatæ, hæc autem obligatio respicit peccatum non quod est actu, sed quod esset nisi restitueretur fama, non secus ac ille peccaret, qui bonum alienum a se bona fide possessum non restitueret, dum alienum cognosceret.

*Colliges* 1. Hæredem detractoris non teneri ad restitutionem famæ a defuncto violatæ, quia hæc obligatio est mere personalis; tenetur tamen resarcire damna realia ex detractione secuta; quia hæc obligatio afficit bona defuncti, quæ cum tali onere transeunt ad hæredem.

*Colliges* 2. Qui ita audit detrahentem ut eum ad detrahendum inducat; item qui non impedit detrahentem cum ex officio tenetur impedire, qualis est superior, pater familias, &c. idem contrahunt onus restituendi quod ipse detractor, quia cooperantur injuriæ.

*Colliges* 3. Simplicem auditorem detractoris, si ad detractionem nullatenus cooperatus est, ad restitutionem non teneri, quia non peccavit contra justitiam, sed contra charitatem debitam tum ei cui detrahitur quem a detractione sicut seipsum defendere debet, si absque gravi suo incommodo possit; tum detractori quem tenetur corripere, saltem indirecte, nimirum exeundo, vel sermonem ex abrupto interrumpendo, vel tristem vultum exhibendo juxta illud Prov. 15. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.*

Quæres 11. *Quid restituere teneatur detractor?*

*Resp.* Tenetur 1. restituere famam oblatam, non solum apud eos, quibus pecuniam proximi revelavit; sed & apud eos, quibus a primis audientibus divulgatum fuit; ratio est, quia hæc divulgatio ipsi est imputabilis, cum eam prævidere debuerit ac facile potuerit.

2. Tenetur resarcire damna ex detractione orta: sic qui detractione alium impedivit a boni alicujus consecutione, teneur ei restituere juxta spem illius obtinendi, cum injuste eum impediverit; item qui detractione causa fuit, cur infamatus bonum jam a se comparatum amiserit, totum restituere tenetur, cum injuste eum a sua possessione disturbaverit.

Quæres 12. *Quandonam detractor famam restituere teneatur?*

*Resp.* Tenetur quamprimum fieri potest, ne per ulteriorem diffamationem gravior evadens, gravius fiat peccatum, eo modo quo dictum est dum agebamus de necessitate restitutionis. (*Cap.* 5. *quæstio prima*)

Quæres 13. *Quomodo fama sit restituenda?*

*Resp. cum distinct.* Vel detractor falsum crimen alteri imposuit, vel crimen verum, sed occultum propalavit;

*Si primum*, calumniator tenetur se retractare apud eos qui audierunt ejus calumniam; & si fides ipsi non adhibeatur, debet suam retractationem testibus firmare, imo juramento si necesse sit; ratio est quia justitia jubet, ut omni qua possumus efficacia injuste ablatum restituamus.

*Si secundum*, non debet se retractare; nam men-

mentiretur, quod numquam licet, sed potest restituere apud rudes dicendo, se perperam fuisse locutum de proximo nullamque rationem habendam esse eorum quæ dixit. Apud peritos vero qui ex hujusmodi explicatione colligerent crimen esse verum, debet detractor restituere laudando infamatum quantum fieri potest sine mendacio, & honorifice de eo loquendo, ubi datur occasio; sic enim sensim ex una parte tantundem famam ejus illustrabit, quantum ex altera obscuravit. (*Ita Sotus, Navarr. Lessius, Habert, Tournely, Paulus a Lugduno, &c.*)

Quæres 14. *An sit restituenda fama cum periculo famæ propriæ, bonorum fortunæ, & vitæ?*

*Resp. ad primum affirm.* Quia in pari causa melior est conditio innocentis; unde dictum est calumniatorem debere se retractare.

*Resp. ad secundum affirm.* Quia bona fortunæ sunt inferioris conditionis, quam fama.

*Resp. ad tertium.* Si infamatus per infamiam conjectus sit in vitæ periculum, debet infamans cum simili periculo, si necesse sit, illi restituere, quia est obligatio restituendi non solum ratione infamiæ, sed etiam ratione damni quod ex ea sequitur: in periculo autem paris damni, potior est conditio innocentis; secus si non sit tale periculum infamato; ratio est quia est bonum ordinis fama superioris.

Quæres 15. *Qui publicum crimen narrat, si auditor de alio innocente narrari existimat, teneaturne innocentis famam restituere?*

*Resp. tenentur ex charitate.* Charitas enim postulat ut damnum proximi tollamus, si commode fieri potest, sed non tenetur ex justitia, quia non narratio, sed prava intelligentia auditoris, est causa infamiæ.

Quæres 16. *Sitne obligatio restituendi famam defuncti?*

*Resp. affirmative:* Quia quilibet tam mortuus quam vivens habet jus ad famam suam, cum quisque in bona fama sua, etiam post mortem, vivere censetur; ergo qui jus illud violat, debet illud restituere.

Quæres 17. *Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes?*

*Resp. Sunt septem sequentes*,

*Prima.* Est infamati condonatio, modo ejus fama non sit ei necessaria ad rectam muneris sui administrationem, nec infamia redundet in alios, ita ut ipsi inde maneant infamati vel suspecti; tunc enim condonatio esset invalida: talis est infamia religiosi quæ redundat in Monasterium.

*Secunda.* Est justa compensatio inter privatos; idest cum duæ personæ privatæ se mutuo infamarunt, solent sibi mutuo condonare, & ita præsumitur in praxi, si æqualitas reperiatur in infamia. Non potest tamen infamatus infamantem per modum vindictæ infamare, quia non licet privata auctoritate malum pro malo reddere ut fiat æqualitas.

*Tertia.* Si fama sit aliunde reparata: ut si infamatus per sententiam judicis declaratus fuerit innocens: ratio est quia tunc inutilis esset reparatio; tenetur tamen damna ex infamatione orta reparare, si nondum sint reparata.

*Quarta.* Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit ne reviviscat, quia fama jam censetur restituta, & damnum sublatum.

*Quinta.* Si crimen occultum quod alicui narrasti, alia ratione fiat publicum, tunc enim infamatus habet jus restitutionis.

*Sexta.* Si restitutio sit impossibilis, nemo enim ad impossibile tenetur; in quo tamen casu necesse esset ut detractor pecunia, vel alio modo damnum compensaret.

*Septima.* Si revera nulla fuit infamia ex detractione secuta, ut si audientes jam antea sciebant quod narrasti, vel non crediderunt, quia tunc nullum damnum est secutum; ergo.

## §. II. *De judicio temerario, opinione, suspicione, dubitatione, & susurratione.*

Quæres 1. *Quid sit judicium temerarium?*

*Resp.* Est assensus absolutus & firmus de proximi improbitate, ex levibus & insufficientibus indiciis ortus.

Dicitur 1. *Assensus absolutus.* Ut distinguatur tum a dubitatione, quæ est *suspensio judicii in neutram partem inclinantis*, tum a suspicione, quæ est *inclinatio intellectus magis in unam partem inclinantis sine determinatione propter formidinem partis oppositæ.*

Dicitur 2. *assensus firmus:* Ut distinguatur ab opinione, quæ est *assensus intellectus infirmus propter formidinem partis oppositæ.*

Dicitur 3. *Ex levibus & insufficientibus indiciis*: id est ex indiciis quæ attendendo ad facti naturam, personæ qualitatem, aliasque circumstantias prudentes movere non possunt ad judicandum de proximo, male suspicandum, &c.

*Porro* Est differentia inter judicium temerarium & falsum: potest enim subinde esse falsum, & non temerarium, cum scilicet adsunt sufficientia indicia pro judicio, & tamen res in se non ita se habet.

Quæres 2. *Quale sit peccatum judicium temerarium & opinio?*

*Resp.* Judicium temerarium tam firmum, quam opinativum est mortale contra justitiam ex genere suo.

*Prob.* Ex Script. Lucæ 6. *Nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Ex quo sic argumentor; peccatum ob quod quis a Deo judicatur & condemnatur, est grave; atqui ob judicium temerarium quis a Deo judicatur & condemnatur; ergo.

*Prob.* 2. Ratione: gravis proximo illata injuria, est grave peccatum; sed qui ex levi aut nulla causa aufert proximo bonam quam apud ipsum possidebat existimationem, gravem ipsi infert injuriam; ergo.

Dixi 1. *judicium tam firmum quam opinativum* quia Scriptura (*Lucæ 6. Jacobi 4.*) generatim & indistincte graviter prohibet omne judicium temerarium, proinde non solum firmum, sed & opinativum.

Dixi 2. *Ex genere suo;* quia potest esse veniale 1. Defectu sufficientis advertentiæ tum ad suum malum judicium, tum ad insufficientiam indiciorum: 2. Ex levitate materiæ; ut dictum est dum de detractione egimus. 3. Ex levitate temeritatis, cum

cum nempe indicia licet non sint ad judicandum sufficientia, tamen parum differunt a sufficientibus.

Quæres 3. *Quale sit peccatum suspicio & dubitatio temeraria?*

*Resp. cum distinct.* Si suspicio & dubitatio de re gravi, oriantur ex pravo affectu & malevolentia, sunt mortales ex genere suo; ratio est quia fit gravis injuria proximo, qui habet jus, ne sine causa de ipso mala habeatur suspicio vel dubitatio; unde Apostolus (*Prima ad Tim.* 6. *vers.* 4.) inter gravia peccata numerat *suspiciones malas.*

Si oriantur ex solo errore intellectus quo apprehendit signa tamquam sufficientia ad suspicandum vel dubitandum, paratus suam suspicionem vel dubitationem deponere, ubi rem melius consideravit, sunt ordinarie tantum veniales; ratio est quia tunc indicia non carent omni probabilitate.

Quæres 4. *Quid requiratur ut tollatur injuria illata per judicium, & suspicionem temerariam?*

*Resp.* Nihil requiri quam ut judicium, suspicio & dubitatio apud semetipsum deponatur.

Quæres 5. *Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?*

*Resp.* 1. Dubia circa personas, quando agitur de mala vel bona existimatione proximi sunt in meliorem partem interpretanda; saltem negative suspendendo judicium, ut notat Sylvius. Quia *in dubio non est præsumendum delictum.* (*L. merito, ff. pro socio*)

*Resp.* 2. Dubia circa personas, quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio, possunt in malam partem interpretari, non quidem *definitive*, nempe judicando proximum esse improbum & habendum pro tali, sed *suppositive*, nimirum eam cautionem adhibendo quam prudentia dictaret adhibendam, supposito quod esset malus, nullo tamen modo habentes eum pro malo; ratio est quia ea cautio non includit judicium de improbitate proximi, nec famam ejus lædit.

Hoc modo non peccat qui in ædes suas recipiens ignotum ita cavet suis rebus, ac si dubia esset ejus probitas.

Quæres 6. *Quid sit susurratio & quale peccatum?*

*Resp.* Est oblocutio mala & secreta ad disseminandam discordiam inter amicos. Ipsa est peccatum mortale ex genere suo & quidem gravius detractione; dissolvit enim amicitiam, quæ præstantior est bonis famæ, vocaturque a Patribus *vera pestis religionum.* Hinc *Prov.* 6. dicitur: *sex sunt quæ odit Deus & septimum detestatur anima illius, nempe seminare inter fratres discordias.*

Susurrator tenetur restituere vel per retractationem, vel per infamati laudationem, juxta exigentiam casus.

### §. III. *De contumelia & derisione.*

Quæres 1. *Quid sit contumelia?*

*Resp.* Est injusta & aperta honoris alieni violatio.

Dicitur 1. *aperta*; id est præsenti & scienti facta, per quod distinguitur a simplici detractione.

Dicitur 2. *violatio*: sive per dicta v. g. crimen, vel defectum, vel malum pœnæ alteri præsenti objiciendo, ex animo illum inhonorandi; sive per facta, v. g. ejus imaginem conculcando, ei maledicendo, conviciando, repræsentando aliquid quod ejus honorem lædat &c.

Quæres 2. *Quale sit peccatum contumelia?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo, & quidem gravius detractione quam includit, cum fiat coram & in faciem; cujus gravitas desumitur ex circumstantiis verborum, & factorum & præcipue personæ offensæ: nam contumelia in se levis, potest esse gravis respectu personæ cui infertur, ut si sit superior, pater &c.

*Nota*: Contumelia illata parentibus habet malitiam injustitiæ & impietatis, & consequenter hæc circumstantia omnino exprimenda est in Confessione.

Quæres 3. *An honor per contumeliam læsus restitui debeat?*

*Resp. affirm.* Et quidem coram aliis, si coram aliis honor læsus fuerit; quia qui inhonoravit proximum, peccavit contra justitiam cum damno proximi; ergo tenetur ad restitutionem, vel etiam ad satisfactionem per veniæ petitionem si opus fuerit; ad quam non obligatur superior respectu inferioris, aut vir nobilis respectu hominis plebeii, ne despectui habeantur. (*Ita Bonac. tom.* 2. *p.* 443. *n.* 1. *& sequent.*)

Quæres 4. *Quid sit derisio & quale peccatum?*

*Resp.* 1. Est jocus de proximi defectibus ut rubore afficiatur.

Dicitur 1. *Jocus*: ut distinguatur a contumelia quæ fit serio.

Dicitur 2. *ut rubore afficiatur*: quia si fiat alio motivo, v. g. corrigendi proximum, vel honestæ recreationis, non est peccatum.

*Resp.* 2. Derisio *ex genere suo*, est peccatum veniale, quia *de se* jocus ille gravem proximo non infert injuriam.

Dixi 1. *ex genere suo*: quia aliquando transfertur ad aliam speciem peccati mortalis ut in sequentibus casibus.

1. Cum deridetur proximus de virtutis cultu, tunc enim est impietas & scandalum.

2. Cum deridentur parentes; tunc enim est impietas.

3. Cum irridetur Deus, Sancti, cæremoniæ ecclesiasticæ, quod absque blasphemia fieri nequit.

Dixi 2. *De se non infert gravem injuriam*; quia gravem infert, dum derisio habet rationem contumeliæ, ut fit in sequentibus casibus.

1. Dum derisio fit ex animo graviter confundendi proximum.

2. Dum exprobatur grave vitium, aut defectus infamis.

3. Dum derisus graviter tristatur; in his casibus derisio *est peccatum mortale & tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur*, ait Div. Thom. (2. 2. *quæst.* 75. *art.* 2.)

*Nota*: In derisione eadem est facienda restitutio ac in contumelia, & eodem modo.

AR-

## ARTICULUS IV.

*De injuriis in bonis fortunæ, & necessaria restitutione.*

Quæres 1. *Quid sit furtum?*

*Resp.* Est occulta rei alienæ ablatio invito rationabiliter domino.

Dicitur 1. *ablatio*: per quam intelligitur acceptio & accepti detentio, quæ moraliter censentur eadem actio.

Dicitur 2. *occulta*: id est quæ fit domino nesciente, vel quam quis intendit facere domino nesciente, ut distinguatur a rapina.

Dicitur 3. *rei alienæ*: id est rei qua proximus juste fruitur legitimo titulo, sive dominii, sive usufructus, sive depositi &c.

Res autem illa si sit sacra, vel in loco sacro, furtum dicitur *sacrilegium*; si pertineat ad fiscum vel ærarium publicum, dicitur *peculatus*; si sit homo, dicitur *plagiatus*; si sint pecora, dicitur *abigeatus*.

Dicitur 4. *invito rationabiliter domino*: dum enim dominus rei suæ detentioni tenetur consentire, irrationabiliter est invitus, & nulla ipsi infertur injuria: sic furto non est reus qui a furioso gladium aufert ne sese aut alium occidat.

Quæres 2. *Quid sit rapina?*

*Resp.* Est manifesta ac violenta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. Unde rapina specie differt a furto in genere moris, quia ipsi furto specialem addit injuriam contra personam cujus læditur honor, dum ei quasi e manibus res sua violenter & injuriose aufertur; hinc fieri potest ut quis non peccet mortaliter in ratione furti, & peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levis momenti per vim a persona illustri auferat.

Quæres 3. *Quinam sint rei rapinæ?*

*Resp.* Rei sunt rapinæ qui decimas, mercedem operariorum, vectigalia & justa tributa defraudant; qui ad usuram dant; qui cogunt ad contractus inæquales ineundos; qui stipendio sibi publice assignato non contenti, plus aliquid exigunt; qui foro cedunt, gallice *les banqueroutiers*.

Quæres 4. *Quale peccatum sit furtum & rapina?*

*Resp.* Est peccatum mortale ex genere suo; nam peccatum quod a regno cœlorum excludit, est mortale; atqui furtum est tale; ait enim Apostolus, (1. *Corinth.* 6. *vers.* 10.) *nolite errare, neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Quæres 5. *Quænam quantitas requiratur ut furtum de se sit peccatum mortale?*

Dixi *de se*: quia furtum rei levis potest esse mortale per accidens, 1. *Ratione damni inde secuti*, aut lucri cessantis, ut si auferas acum a sartore qui ob impotentiam sibi aliam comparandi, per dies plures operas suas perdere cogatur.

2. *Ratione scandali*; Ut si quid leve eripias alteri, quem nosti propter hoc blasphematurum.

3. *Ratione doloris*, quem concipit alter ex ablatione rei suæ, licet modicæ, quam affectu magno prosequitur. His certo positis

*Resp.* Requiritur ea quantitas quæ spectatis omnibus grave damnum infert, privatque notabili utilitate; verum cum damnum quod respectu unius, puta divitis, est leve, respectu pauperis possit censeri grave, eadem quantitas in omnibus furtis statui non potest pro materia mortifera.

Inde est quod Theologi satis communiter quatuor hominum genera distinguunt. *Primum* est illustrium qui splendide vivunt. *Secundum* est eorum qui vivunt ex suis reditibus, licet non ita splendide. *Tertium* est mercatorum & artificum qui mercatura aut artificio se sustentant. *Quartum* est pauperum, qui mendicando sibi consulunt.

*Communiter* statui potest ad furtum mortale sufficere

1. Respectu personarum primi generis, etiam Regis, asses 60.

2. Respectu personarum secundi generis asses 40.

3. Respectu personarum tertii generis, si ars sit majoris lucri, qualis est mercatorum, asses 20. Si minoris, asses 10.

4. Respectu personarum quarti generis asses 5.

*Ratio horum est*, quia eæ omnes summæ censeri debent notabiles respective, cum correspondeant victui unius diei alicujus personæ juxta suum statum & fere exæquent mercedem diurnam; atqui quod correspondet victui alicujus personæ, vel exæquat mercedem diurnam personæ, est notabile respectu illius personæ; ergo.

Dixi: *Communiter*: Quia fieri potest, ut aliquis artifex sex tantum aut septem asses lucretur, quibus se suamque familiam sustentet, quos qui ei eriperet, non posset non censeri grave damnum inferre. Prædictam ergo regulam non tradimus ut aliquid in quo pro certo figi possit, bene vero ut aliquid, quo utcumque dirigi possint Confessarii.

*Dices*: Qui furatur Regi 60. asses, non ipsi grave damnum infert; ergo non peccat mortaliter.

*Resp. nego ant.* Nam ex hac summa Rex potest uno die decem milites alere, qui vitam suam pro Regno & Rege exponunt.

*Inst.* Ergo qui furatur Regi 57. aut 58. asses non peccat mortaliter.

*Resp. nego ant.* Quia materia furti non statuitur *mathematice*, sed *moraliter*: in moralibus autem quæ parum distant, nihil distare censentur.

Quæres 6. *Utrum is qui cum intentione furandi notabilem quantitatem, modicum quid ab uno vel pluribus furatur, peccet mortaliter?*

*Resp.* Peccat mortaliter toties quoties minutum alicui subripit. Ratio est, quia quidquid fit ex intentione peccati mortalis, est peccatum mortale; atqui illa minuta furta fiunt ex intentione peccati mortalis; actus enim imperatus voluntatis, participat malitiam actus imperantis, estque illius executio; ergo. Hinc Deus detestatur eos qui injustis mensuris vendunt. Prov. 11. *statera dolosa abominatio est apud Deum.*

Quæres 7. *Utrum is qui sine intentione furandi notabilem quantitatem, sed quasi occasionaliter plura minuta furatur ab uno vel pluribus, peccat mortaliter?*

*Resp.* Peccat mortaliter, non quocumque actu, sed

sed eo demum in quo advertit saltem confuse se ad quantitatem notabilem pervenisse. Ratio est, quia qui vult & ponit complementum damni notabilis proximi, eo ipso vult damnum notabile proximi, sed qui vult damnum notabile proximi, peccat mortaliter; ergo. Unde tenetur ad restitutionem sub mortali, ut constat ex hac propositione damnata ab Innoc. XI. & Clero Gall. anno 1700. *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

*Dices*: qui modica a diversis furatur, non nisi leve singulis infert damnum; ergo non peccat mortaliter.

*Resp. nego conseq.* Nam ad peccatum mortale constituendum plane sufficit, ut modica sic furans grave reipublicæ detrimentum inferat, sitque rei alienæ in materia gravi injustus detentor.

*Nota* (saltem secundum multos) requiri majorem quantitatem ad peccatum mortale in furtis parvis quæ fiunt pluribus, quam quæ uni; & in furtis quæ successive uni fiunt, quam si fiant simul, quando inter illa parva furta intervallum notabile intercedit: ratio est, quia damnum divisum in plures, vel per plura intervalla notabilia causatum, ex communi hominum sensu est minus.

Quæres 8. *Utrum quando plures uni per levia furta grave damnum inferunt domino, singuli peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem sub mortali?*

*Resp.* Peccant mortaliter & tenentur restituere sub mortali in solidum, si communi consilio, vel concursu illa minuta furta commiserint; quia singuli ad totum damnum moraliter cooperati sunt; quod si nullus eorum conscius sit furti alterius, singuli peccant tantummodo venialiter, solumque tenentur sub veniali partem a se ablatam restituere, quia nullus eorum cooperatus est ad damnum ab aliis illatum.

Quæres 9. *An filii familias surripientes bona parentum peccent & teneantur ad restitutionem?*

*Resp.* Si surripiant aliquid notabile, peccant mortaliter; nam particeps homicidæ peccat mortaliter; sed ex Prov. 28. *qui substrahit aliquid a patre suo & matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ*; ergo. Ratio est quia rerum paternarum non sunt domini.

*Hinc sequitur*, filios familias teneri ablata parentibus restituere si possunt, si nempe habeant castrensia & quasi castrensia; si non possunt, tenentur post mortem parentum in partitione hæreditatis cum cohærentibus computare in sortem suam quod surripuerunt; nisi pater expresse vel tacite condonaverit. Ubi

*Nota*: ordinarie majorem quantitatem ad peccatum mortale requiri in furto a filiis patrato, quam si ab extraneis committeretur, quia ordinarie parentes non sunt tam inviti erga ipsos, quam erga extraneos, spectatis omnibus circumstantiis paupertatis, opulentiæ, liberalitatis, amoris parentum.

Quæres 10. *An peccent mortaliter famuli qui surripiunt esculenta & poculenta dominis suis?*

Dico, *esculenta & poculenta*: quia non est dubium quin in aliis rebus gravius peccent quam cæteri.

*Resp.* Non peccant mortaliter, si poculenta & esculenta communia surripiant in usus proprios. Ratio est quia quoad ista domini non solent esse inviti nisi quoad modum.

Dixi 1. *Poculenta communia*: quia non excusantur a mortali qui delicatiora & dominis reservata in gravi quantitate surripiunt.

Dixi 2. *In usus proprios*: pessimi siquidem latrones sunt qui ea inutiliter dilapidant, aut parentibus & amicis donant.

Quæres 11. *An accepta per modum pretii propter actionem vel omissionem aliunde debitas, restitui debeant?*

*Resp. affirm.* Si actio vel omissio sint debitæ ex justitia; ratio est quia qui vendit quod suum non est, tenetur ad restitutionem; atqui qui pretium accipit pro eo quod alteri debet ex justitia, vendit id quod suum non est, sed alterius; ergo.

*Hinc* qui pretium accipit ut rem inventam reddat, ne furetur, indignum eligat, falsum dicat testimonium, injustam ferat sententiam, peccat contra justitiam & tenetur ad restitutionem.

Dixi in resp. *si actio vel omissio sint debitæ ex justitia*: quia si sint debitæ ex virtute a justitia distincta, illicitum quidem est propter eas pretium accipere, sed accipiens ad nullam restitutionem tenetur.

*Hinc* qui pretium acciperet pro debito ex charitate, v. g. pro sublevando proximo in gravi necessitate posito, pro curando ægroto in extrema necessitate posito &c. peccaret quidem graviter, sed ad restitutionem non teneretur, quia non violasset justitiam.

Dixi *per modum pretii*: quia si daretur aliquid per modum allicientis, juste accipi & retineri posset; quia tunc omnino liberaliter concessum esse censeretur; sic filii a parentibus aliquid licite accipiunt, ut Sacro intersint, frequentent Sacramenta &c.

Quæres 12. *An violatio secreti obliget ad restitutionem?*

*Resp. affirm.* Si inde proximus in bonis vitæ, famæ, vel fortunæ damnum aliquod patiatur; *ratio* est quia homo ad hæc omnia jus strictum habet, quod jus læditur violatione secreti.

*Excipiuntur quatuor casus*, in quibus revelatio secreti non est peccaminosa.

*Primus*, est si secretum commissum, sit nullius momenti; tunc enim committens secretum non censetur invitus.

*Secundus*, si secretum jam fuit aliunde prolatum, jam cessat esse secretum.

*Tertius*, si ejus custodia in damnum communitatis, aut alicujus innocentis, cederet; quia charitas obligat ad impediendum damnum commune & privatum innocentis, etiam cum damno nocentis.

*Quartus*, si servari non posset absque gravi vel illius cui commissum est, vel illius qui illud commisit, nocumento.

Quæres 13. *An liceat uti occulta compensatione ad rem suam, aut sibi debitam, recuperandam?*

*Resp.* Occulta compensatio est licita concurrentibus certis conditionibus; quia jure naturali quilibet potest se indemnem servare citra alterius injuriam; sed qui utitur occulta compensatione se

se indemnem servat citra alterius injuriam, cum auferat quod suum est, non quod est alterius; ergo

Dixi *concurrentibus certis conditionibus*: quarum

*Prima* est quod rem suam non possit auctoritate publica obtinere; alias peccaret contra justitiam legalem, violaretque jus judicis. Non tamen obligaretur ad restitutionem.

*Secunda*, quod certum sit rem illam nunc actu debitam esse *ex justitia*: quia in dubio melior est conditio possidentis.

Dixi *debitum ex justitia*: non est enim licita compensatio si res sit solum debita ex gratitudine, quia debitum ex gratitudine nullum parit jus ad rem. Defectus hujus conditionis importat obligationem restitutionis.

*Tertia*, quod caveatur ne debitor aut ejus hæredes iterato solvant, & prudenter moneat sibi nihil deberi.

*Quarta*, quod absit omne periculum scandali vel damni alicujus tertii, qui de furto posset accusari & cogi ad restitutionem.

*Quinta*, quod compensatio fiat ex bonis debitoris: ideo qui rem debitori commodatam subriperet, furtum utique committeret, teneretúrque restituere.

Verum cum omnes istæ conditiones rarissime concurrant (vix enim abest periculum scandali aut infamiæ) nunquam a Confessariis est consulenda, rarissime permittenda, non tamen ad restitutionem obligabunt pœnitentes qui ea usi fuerint proprio motu si adfuerint conditiones requisitæ, sed eos monebunt periculi cui sese imprudenter exposuerunt; ita Tournely ex Haberto.

Quæres 14. *An liceat operariis, famulis, officialibus justitiæ aliquid surripere, eo prætextu quod stipendium minus justo accipiant?*

*Resp. negative*, tum quia debitum non est certum, tum quia cum libere contraxerint, tenentur stare conventioni juxta illud Matthæi 20. *non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?* unde jure Innoc. XI. damnavit hanc prop. *famuli & famulæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario quod acceperunt.*

Quæres 15. *An liceat in gravi & extrema necessitate aliena subripere?*

*Resp.* Non licet in gravi necessitate, secus si sit extrema.

*Prob.* 1. *pars*: Aliena non licet subripere nisi sint communia; atqui non sunt communia in gravi necessitate; ergo. Unde Innoc. XI. damnavit hanc prop. *permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.*

*Prob.* 2. *pars*: Ex communi omnium sententia, quæ docet in extrema necessitate omnia saltem quoad usum, fieri communia, rerumque divisionem non comprehendisse, nec comprehendere potuisse casum extremæ necessitatis; ergo in extrema necessitate licet rem alienam subripere ut *subveniat* non solum sibi, sed & *proximo sic indigenti*, ait D. Thomas (2. 2. *qu.* 66. *art.* 7. *ad* 5.).

Excipe si dominus rei auferende per hoc in æqualem necessitatem sit redigendus, nam ex reg. jur. *in pari causa melior est conditio possidentis.*

Quæres ultimo. *Utrum qui in extrema necessitate bona aliena abstulit, ad restitutionem teneatur, dum ad pinguiorem fortunam rediit?*

*Resp. cum dist.* Si res ablata in sua specie post transactam necessitatem, permaneat, debet restitui (*Cap. Quod* 1. *qu.* 7.), quia cessante necessitate cessat jus ex ea ortum; sic qui equum alterius abstulit, ut fuga vitæ consulat, tenetur illum reddere, ubi ex periculo evasit, qui indigebat solum usu equi, non proprietate.

Quod si res ipso usu fuerit consumpta, nullo postea titulo restituere teneretur; non titulo rei acceptæ, cum non extet amplius; non titulo acceptionis injustæ, cum in extrema necessitate positus in eam verum dominium habuerit.

# TRACTATUS
## DE SACRAMENTIS.

*Nota.* Octo dissertationibus totum hunc Tractatum absolvemus, quarum *Prima* erit de Sacramentis in Genere; *Secunda* De Baptismo; *Tertia* De Confirmatione; *Quarta* De Eucharistia; *Quinta* De Pœnitentia; *Sexta* De Extrema Unctione; *Septima* De Ordine; *Octava* De Matrimonio.

### DISSERTATIO I.

*De Sacramentis in Genere.*

*Nota.* Agemus hic septem Capitibus. 1. De Essentia. 2. De Existentia. 3. De Materia & Forma. 4. De Ministro. 5. De Subjecto. 6. De Effectibus. 7. De Cæremoniis Sacramentorum.

### CAPUT PRIMUM.

*De Essentia Sacramentorum.*

*Nota* 1. Hæc vox *Sacramentum* varie accipitur a sacris Scriptoribus, 1. pro arcano, quod veluti res sacra reverenter servatur, sic Tobias ait (12. *v.* 7.) *Sacramentum regis abscondere bonum est*

est .... 2. pro juramento, quasi res pro qua juratur, Dei testimonio consecretur ... 3. pro sacro Mysterio, sic Apost. (1. *ad Tim.* 3. *v.* 16.) vocat Incarnationem *magnum pietatis Sacramentum*, *quod manifestatum est in carne* ... 4. pro signo quod nos Deo sacrat atque sanctificat: in hac ultima usurpatione accipimus istud Nomen, *Sacramentum.*

*Nota* 2. Et recole ex Logica, signum esse, *id quod prius cognitum, ducit nos in cognitionem alterius.* Et

Dividitur 1. Ratione suæ causæ in *naturale*, quod ex natura sua significat id quod significat, sic fumus est signum naturale ignis. Et *arbitrarium*, quod ex instituto solum significat id quod significat, sic hedera appensa est signum arbitrarium vini venalis.

Dividitur 2. Ratione suæ virtutis in *speculativum*, quod non facit id quod significat; & *practicum*, quod facit id quod significat; ut Sacramenta respectu gratiæ.

Dividitur 3. Ratione rei significatæ in *rememorativum*, quod significat rem præteritam, sic trophæum significat victoriam. *Demonstrativum*, quod significat rem præsentem, sic hedera significat vinum venale; & *prognosticum*, quod significat rem futuram, ut iris pluviam.

Porro triplex illa significatio in Sacramentis novæ Legis reperitur, ut docet D. Thom. 3. p. q. 60. art. 3. *Sacramentum*, inquit, *est signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet Passionis Christi*, quæ sanctitatis causa est; & *demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiæ*, quam operatur; & *prognosticon, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ*, quæ est effectus gratiæ. His notatis

Quæres: *Quid sit Sacramentum?*

*Resp.* Sacramentum generice sumptum recte definitur: *Signum sensibile, sacrum a Deo permanenter institutum ad significandam & conferendam gratiam.*

Dicitur 1. *signum*: pro genere, quia per id convenit cum cæteris cæremoniis rem sacram significantibus, qualia sunt sacramentalia.

Dicitur 2. *sensibile*, hoc est aliquo sensu perceptibile, sive immediate & per se, ut aqua in Baptismo; sive mediate & per aliud, ut contritio per externam manifestationem, Corpus Christi per species consecratas. Hæc conditio est ita necessaria, ut Div. August. (*lib.* 19. *contra Faustum cap.* 11.) asserat: In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.

Dicitur 3. *Rei sacræ*, id est rei, quæ ad cultum Dei ordinetur, atque subjectum sacret, seu initiet, ac sanctificet, sanctitate sibi propria; per quod verum Sacramentum a quocumque alio signo sacro, hominem non sanctificante, distinguitur.

Hujus conditionis defectu, *lignum vitæ* in statu innocentiæ, *transitus Maris rubri*, *Manna*, *Serpens æneus*, non erant Sacramenta, quia licet significarent gratiam nobis per Christum conferendam, non tamen referebantur ad cultum Dei, nec subjectum sanctificabant, sed usus eorum erat mere profanus.



Dicitur 4. *a Deo institutum*: quià solus Deus, sicuti est religionis & gratiæ auctor, ità solus potest esse Sacramentorum institutor. Hinc quæcumque sunt Institutionis Ecclesiasticæ, ut aqua benedicta, signum Crucis, &c. non sunt Sacramenta.

Dicitur 5. *permanenter*: quamdiu scilicet manet eadem Lex, idemque Ecclesiæ Status; hinc Sacramenta antiquæ Legis, nonnisi cum illa ceciderunt.

Hujus conditionis defectu, *Lotio pedum*, *insufflatio Christi in Apostolos*, non fuerunt vera Sacramenta, cum stabiliter non fuerint instituta, ut constat auctoritate Ecclesiæ, quæ est optima Scripturæ interpres.

Dicitur 6. *ad significandam gratiam*: nempe sanctificantem, sive futuram & per Christi passionem dandam, ut Sacramenta vetera; sive præsentem & actu per illa *ex opere operato*, collatam, ut Sacramenta novæ Legis; & quidem *primario*, non *secundario*; unde sacrificium qua tale non est Sacramentum, quia primario & immediate non ordinatur ad sanctificandum suscipientem, sed ad testandum supremum Dei in res omnes dominium.

Dicitur 7. *ad conferendam gratiam*: & sanctitatem sive interiorem, ut Sacramenta novæ Legis; sive exteriorem & pure legalem, ut Sacramenta veteris Legis; unde omnia Sacramenta sunt essentialiter signa practica & operativa alicujus sanctitatis sive interioris, sive exterioris.

Gratia *interior* est gratia sanctificans, per quam anima interius renovatur, efficiturque justa & Deo grata.

Gratia *exterior & legalis* est consecratio & mundities quædam exterior, qua quis fit aptus ad certa religionis officia obeunda; verb. gr. qui per lepram, aut contactum cadaveris immundus fuerat, legali ritu sanctificabatur, sed sanctitate exteriori, quæ ab Apostol. (*Hebr.* 9. *vers.* 10.) dicitur *justitia carnis*, quia ritus illi valebant tantum ad munditiam corporalem & externam, quam Lex exigebat, ut quis aptus esset sacrificiis offerendis.

*Resolv. ex dictis*, Sacramenta veteris & novæ legis definiri posse per differentias specificas hoc modo.

Sacramentum veteris Legis est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam interiorem per Passionem Christi dandam, & conferendam exteriorem & legalem.*

Sacramentum novæ Legis est *signum sensibile, sacrum, a Christo Domino permanenter institutum ad significandam & producendam per se & ex opere operato gratiam interiorem.*

## CAPUT II.

### *De existentia Sacramentorum.*

*Nota.* Cum genus humanum in quadruplici statu considerari possit, nempe 1. *in statu innocentiæ*, a creatione scilicet Adami usque ad ejus lapsum; 2. *in statu naturæ*, a lapsu Adami usque ad Moysen, sic dictus, quia in eo homines nulla

nulla lege positiva, sed solo ductu Legis naturæ insonantis in corde, ducebatur ad Deum tamquam ad finem supernaturalem. 3. *in statu legis scriptæ* a Moyse (per quem Deus hominibus dedit leges positivas, per quas in moribus, in sacrificiis & in judiciis regulabantur) usque ad Christum. 4. *in statu Legis Evangelicæ*, a Christo usque ad finem mundi: ideo quæritur utrum instituta fuerint Sacramenta in quadruplici illo naturæ humanæ statu, ad quod dirimendum:

## CONCLUSIO I.

*Nulla de facto extitere in brevissimo innocentiæ statu Sacramenta; an autem aliqua futura fuissent, si diutius perseverasset, nemo potest certo definire.*

*Prob. Conclusio*, quia de his rebus quæ ab uno Dei instituentis arbitrio pendent, nihil certo statui potest silente Scriptura & traditione; atqui de Sacramentis in statu innocentiæ institutis, aut instituendis si diutius perseverasset, altum est in Scripturis & traditione silentium; ergo, &c.

*Dices:* Matrimonium Adami cum Eva institutum fuit in statu innocentiæ; atqui illud Matrimonium ex Apostol. & August. (*Ephes.* 5. *vers.* 31. *August. L.* 1. *de Nupt. & Concup. cap.* 21.) fuit Sacramentum; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Fuit Sacramentum improprie & late dictum, quatenus nempe futuram significabat unionem Christi cum Ecclesia, *conc. min.* fuit Sacramentum proprie & stricte dictum, hoc est, fuit signum sacrans suscipientes, *nego min.*

Itaque illud primum matrimonium fuit tantum institutum ad officium naturæ, hoc est ad propagandum genus humanum, & illud subinde Christus in lege nova ad dignitatem Sacramenti evexit.

*Inst.* Posteri Adami, si perseverasset in eis status innocentiæ, veram Ecclesiam constituissent; atqui vera Ecclesia non potest subsistere absque Sacramentis, juxta illud D. August. *In nullum Religionis nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur:* ergo habuissent vera Sacramenta.

*Resp. nego min.* Illa enim Ecclesia potuisset subsistere visibilis per sacrificia, quæ designare videtur D. August. hac voce, *signaculorum*, quam huic voci, *Sacramentorum*, præmittit sub disjunctione.

## CONCLUSIO II.

*In lege naturæ extitit verum Sacramentum ad peccatum Originale delendum.*

*Prob.* ex D. Aug. (*L.* 5. *contra Julian. cap.* 11.) dicente: *Nec ideo tamen credendum est ante datam Circumcisionem famulos Dei, (quandoquidem iis inerat mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid esset aliqua necessaria causa, Scriptura sacra latere voluerit.*

Ratio petitur ex sincera Dei voluntate omnes homines salvandi, quæ exigit ut Deus in lege naturæ saluti parvulorum consuluerit per aliquod remedium ad deletionem peccati originalis ordinatum.

Quæres: *Quodnam fuerit illud remedium?*

*Resp.* Cum de ea re sileant Scriptura & traditio, non potest in individuo determinari, probabilius tamen est illud remedium positum fuisse in fide Christi venturi aliquo actu exteriori manifestata; ratio est quia sine fide in Christum mediatorem nulla est speranda salus, *non est enim aliud sub Cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

## CONCLUSIO III.

*Aliqua fuerunt in Lege Mosaica Sacramenta.*

*Prob.* Quia multi ea in lege fuerunt ritus, multæ cæremoniæ stabiles ac fixæ, quæ legalem & externam conferebant sanctitatem, internam vero per Christum dandam figurabant; talis fuit Circumcisio, talis Agnus Paschalis, tales Pontificum & Sacerdotum consecrationes, populi Judaici expiationes & purificationes, &c. Id manifeste supponunt Concilia & Patres comparantes Sacramenta legis veteris cum Sacramentis nostris. (*Concil. Trident. Sess.* 7. *Can.* 2. *Div. Thom. in* 4. *Dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2.)

## CONCLUSIO IV.

*In nova Lege existunt septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora;* scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, &c.

Hæc prop. contra recentiores Hæreticos, qui tria tantum admittunt Sacramenta, nempe *Lutherani* Baptismum, Pœnitentiam & Eucharistiam; *Calvinistæ* Baptismum, Eucharistiam & Ordinationem; *Zuingliani* Baptismum, Eucharistiam, Matrimonium, est definita a Conc. Trid. (*Sess. septimo Can.* 1.) his verbis:

*Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem .... anathema sit.*

*Prob. conclusio:* Tot sunt Sacramenta, quot sunt signa sensibilia a Christo permanenter instituta ad gratiam significandam & conferendam; atqui septem sunt hæc signa, nec plura, nec pauciora; ergo, &c. *Major* est evidens ex definitione Sacramenti. Minor constabit ex Textibus sacræ Scripturæ, quos pro singulis Sacramentis suo loco referemus; ergo, &c.

*Confirmatur* ex congruentia, quam de isto septenario numero affert Concil. Florent. in Decreto Eugenii. Nam vita spiritualis non secus ac corporalis septem indiget: 1. Ut fidelis generetur; & hoc præstat Baptismus. 2. Ut augeatur & roboretur, & hoc dat Confirmatio. 3. Ut alatur, & hoc præstat Eucharistia. 4. Ut sanetur si sit ægrotus, & hoc tribuit Pœnitentia. 5. Ut reliquiæ peccatorum tollantur & animi virtutes recreentur, & ad id est Extrema Unctio. 6. Ut Ministri Ecclesiæ formentur, & hoc suppeditat Sacra Ordinatio. 7. Ut filii ad Dei cultum & humani generis conservationem procreentur & religiose educentur, & hoc dat Matrimonium. Hanc

Ana-

Analogiam vitæ spiritualis cum corporea eleganter exponit Catech. Romanus. (*p.* 2. *num.* 18.)

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Nusquam dicit Scriptura septem esse Sacramenta; ergo talis numerus temere asseritur.

*Resp.* 1. *retorq. argum.* Scriptura nusquam dicit esse quatuor Evangelia, ergo talis numerus temere asseritur a Novatoribus. Sufficit ergo quod habeamus talem numerum ex traditione, quæ est verbum Dei sicut Scriptura, & ex publica Ecclesiæ praxi, quæ traditionis est testis fidelis: unde D. Hieron. dialogo adversus Luciferianos, ut Sacramentum Confirmationis demonstret, ait: *An nescis Ecclesiarum esse hunc morem, ut Baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? in actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

*Resp.* 2. *dist. ant.* Scriptura nusquam dicit esse septem Sacramenta explicite, *conc. ant.* implicite, *nego ant.* nam septem tradit signa sensibilia, quibus convenit definitio Sacramenti.

*Inst.* Patres sunt depositarii traditionis; atqui septenarius Sacramentorum numerus non reperitur in Patribus; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Patres simul & quotidianus Ecclesiæ usus & praxis, sunt depositarii traditionis *conc. maj.* Patres soli, *nego maj.* atqui septenarius numerus non reperitur in Patribus explicite, *transeat*, implicite *nego min.* & *conseq.*

Itaque non minus in quotidiano Ecclesiæ usu & praxi conservatur traditio, quam in scriptis Pàtrum qui de iis quæ a nemine ignorantur aut impugnantur, (qualis fuit septenarius Sacramentorum numerus) siluerunt, & pro data opportunitate de hoc vel illo Sacramento, non de omnibus simul egerunt, licet numerus rerum sacrarum, quibus fuit promissa gratia, in eorum scriptis reperiatur; sic Div. August. *L.* 5. *de Bapt. cap.* 20. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam & Pœnitentiam commemorat; & *in speculo* textum Divi Jacobi qui est de Extrema Unctione exponit de signo gratiam conferente; & L. 2. *contra litter. Parmeniani cap.* 13. Ordinem vocat *sacramentum* quod *quadam consecratione homini datur.* Et demum pluribus locis loquitur de matrimonio tanquam Sacramento, maxime *L. de nuptiis et concup. cap.* 10. unde dixi *transeat minor.*

*Objicies* 2. Ecclesia Græca duo tantum admittit Sacramenta, Baptismum scilicet & Eucharistiam, ut patet ex confessione fidei edita a Cyrillo Lucari Patriarcha Constantinopolitano. Ergo.

*Resp. nego antec.* Et dico hanc fidei confessionem non esse Ecclesiæ Græcæ, quæ etiam hodie licet ab Ecclesia separata profitetur se agnoscere septem novæ Legis Sacramenta, ut constat ex synodo Bethelehemitica ann. 1672. sub Dositheo Patriarcha celebrata; sed esse confessionem hujus Patriarchæ qui erroribus Calvini erat infectus, quique ob id a suo successore Cyrillo Beroensi fuit anathematizatus in synodo Constantinopolitana ann. 1639.

*Objicies* 3. Sunt plura quam septem Sacramenta; nam septem sunt Ordines; item lotio pedum dicitur a nonnullis Patribus, Sacramentum; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam 1. omnes ordinationis species revocantur ad unum genus, quod dicitur *Sacramentum ordinis.* Itaque quando dicimus esse tantum septem Sacramenta, Sacramentum sumimus secundum genus, ita ut sensus sit, septem tantum esse Sacramenta generice diversa, id est quæ ad diversos generis fines referuntur; & ideo cum omnes ordines ad unum eundemque finem genericum referantur, nempe ad confectionem & administrationem Eucharistiæ, a se invicem specie tantum discrepant, & unum generice Sacramentum constituunt.

2. Lotio pedum dicitur a sanctis Patribus late & improprie Sacramentum, quatenus significat aliquod mysterium quod probabilis fuit Sacramentum pœnitentiæ juxta Maldonatum (*in cap.* 13. *Joann.*); non autem vocatur Sacramentum stricte, cum hæc locutio non sit signum constans in Ecclesia, nec practicum gratiæ sanctificantis.

*Inst.* 1. Lotio pedum habet omnia ad rationem Sacramenti requisita, nempe 1. Est signum sensibile, Joann. 13. Cœpit lavare pedes. 2. Annexum habet præceptum, *& vos debetis alter alterius lavare pedes.* 3. Continet promissionem gratiæ: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Nam 1. ad verum Sacramentum non sufficit, ut sit signum externum, sed ultra requiritur, ut sit signum practicum gratiæ, constans in Ecclesia; atqui lotio pedum neque est signum practicum gratiæ, ut mox videbitur, neque est constans in Ecclesia, cum eam nec adhibeat modo, nec antiquitus adhibuerit in omnibus Provinciis, ut de Ecclesia Romana asserit Div. Ambrosius; (*Lib. de Sacram. cap.* 1.) ergo &c.

2. Lotio pedum non fuit a Christo præcepta, alias Ecclesia eam retinuisset; hæc ergo verba, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, metaphorice sunt accipienda pro præcepto charitatis fraternæ & humilitatis, quæ per lotionem externam fuerunt significatæ, ita ut quisque animo comparatus sit ad lotionem pedum & vilissima quæque ministeria in fraternæ charitatis testimonium, & ob imitationem humilitatis Christi exercenda.

Hæc verba: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*, non significant lotionem pedum institutam fuisse ad significandam & efficiendam gratiam; sed *Petro* pœnam inobedientiæ comminantur, nisi Christo ipsius pedes abluere volenti paruerit; nisi enim Christo obedisset, fuisset contumax, adeoque æterna hæreditate indignus.

*Inst.* 2. Div. Ambr. (*Idem cap.* 5.) lotionem pedum vocat mysterium sanctificativum. *Audi*, inquit, *quia mysterium est & sanctificatio*, nisi lavero tibi pedes &c. item D. Bernardus (*Serm.* 1. *in Cœna Domini*) dicit, lotionem pedum esse Sacramentum quo remittuntur peccata venialia: *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus* (Christi) *Sacramentum, pedum ablutionem*; ergo est verum Sacramentum.

*Resp. nego conseq.* Illi enim Patres non loquuntur de ablutione pedum secundum se sumpta, sed secundum id quod significat, charitatem nempe & humilitatem, quarum exercitio peccata quotidiana batpizatis remittuntur; unde nomen *Sacramenti*, & *Mysterii* late sumunt pro signo quovis rei sacræ, nempe remissionis venialium ex opere operantis illorum actuum.

Quæres 1. *An omnia Sacramenta novæ legis sint æqualis inter se dignitatis?*

*Resp. negat.* Ita definivit Conc. Trid. (*sess.* 7. *can.* 3.) contra Lutherum: *si quis dixerit septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit* .... & vero quis ambigere potest Eucharistiam, quæ continet Christum totius gratiæ fontem, cætera Sacramenta dignitate & excellentia superare?

Quæres 2. *Quis instituit Sacramenta novæ Legis?*

*Resp.* Christus Dominus omnia & singula novæ Legis Sacramenta instituit, & quidem per se & immediate.

*Prima pars* est de fide definita: ita Conc. Trid. (*sess.* 7. *can.* 1.) *si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta* ... *anathema sit.*

*Secunda pars quæ est certa & quidem probabilior de fide*, deducitur ex eadem definitione, ex qua sic argumentor; ea quis instituere dicitur quæ per se ac immediate instituit, atqui ex Trid. cit. Christus instituit omnia novæ Legis Sacramenta; ergo per se & immediate.

Major, de qua sola potest esse difficultas, est certa; nam Christus non dicitur instituisse sacramentalia, quamvis Ecclesia instituerit per potestatem a Deo acceptam; item præcepta Ecclesiæ non dicuntur præcepta Christi, quamvis Christus ea tulerit mediate per Ecclesiam, cui dedit potestatem ea ferendi, & cui inspiravit ut illa ferret; ergo ea solum quis instituere dicitur, quæ per se ac immediate instituit.

*Confirmatur:* quia si Ecclesia quædam Sacramenta instituisset, posset illa mutare quoad substantiam (nam ad aliquid mutandum non requiritur major potestas quam ad aliquid instituendum); atqui falsum consequens ex Trid. declarante: (*sess.* 21. *cap.* 2.) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati magis expedire judicaret.* Ergo.

*Dices:* Multi Theologi etiam post decretum Trid. absque ulla reprehensione docent, Christum in genere duntaxat, non vero in specie, aliquorum Sacramentorum materiam & formam determinasse; atqui hæc opinio stare non potest cum immediata per Christum facta Sacramentorum omnium institutione; ergo &c.

*Resp. nego min.* Ista enim duo: *immediate instituere*, & *in genere instituere*, non pugnant inter se; Christus enim immediate omnium Sacramentorum partes essentiales instituit, quamvis Ecclesiæ suæ potestatem fecerit nonnullorum Sacramentorum res & verba speciatim determinandi, ad hoc enim sufficit quod Christus & rebus ab Ecclesia selectis vim & efficaciam dare promiserit, & per se instituerit ipsam formalem significationem signi ab Ecclesia materialiter determinati, hoc est effecerit ut tale signum (v. g. porrectio instrumentorum) efficaciter significet aliquam spiritualem potestatem datam ei qui sacram ordinationem percipit.

*Inst.* Alexander de Hales docuit confirmationem ab Ecclesia in quodam Concil. Meldensi institutam fuisse; ergo.

*Resp. dist. ant.* Docuit confirmationem in Conc. Meldensi fuisse institutam quoad substantiam, *nego*, quoad usum, *conc.* hoc ergo unum vult Halensis, Conc. Meldense fidelibus baptizatis receptionem confirmationis commendasse, ipsiusque usum eis præscripsisse.

Dixi: *Immediatum a Christo institutionem esse probabilius de fide*: quia Conc. Trid. clare & expresse non definivit hanc veritatem, consulto enim hanc particulam, *immediate* omisit, ne ullum liberis scholæ opinionibus inferret præjudicium; tamen necessario videtur subintelligi, quia ille Canon est contra Novatores facile concedentes plura Sacramenta immediate ab Ecclesia fuisse instituta; negantes autem immediatam Christi institutionem. Unde licet insignis temeritatis reus foret qui post decretum Tridentinum immediatam a Christo institutionem revocaret in dubium, eum tamen erroris contra fidem incusare non audemus.

## CAPUT III.

### *De materia & forma Sacramentorum.*

*Nota* 1. Per materiam & formam Sacramentorum intelliguntur partes, ex quibus constant Sacramenta; materia autem duplex est, remota nempe, & proxima.

Materia remota, est *qualibet res, vel actus sensibilis ex se indifferens ad esse Sacramenti*; id est ad significandam & producendam gratiam.

Materia proxima, est *usus, seu applicatio materiæ remotæ ad subjectum.*

Forma, sunt *verba, aut quidquam verbis æquivalens, quæ materiam indifferentem determinant ad esse Sacramenti.* Sic *aqua in Baptismo*, est materia remota, quia indifferens est ad significandam lotionem corporalem, vel spiritualem. *Ablutio* est materia proxima, quia applicat materiam remotam ad subjectum. Hæc verba, *Ego te baptizo &c.* sunt forma, quia aquam determinant & contrahunt ad lotionem spiritualem.

*Nota* 2. Circa materiam & formam Sacramentorum tria quæruntur:

*Primum*, An quodlibet Sacramentum necessario constet rebus tamquam materia, & verbis tanquam forma.

*Secundum*, An materiæ & formæ Sacramentorum sint a Christo fixæ & determinatæ.

*Tertium*, An & quæ mutatio, sive in materia, sive in forma, Sacramentum invalidum reddat.

QUÆ

## QUÆSTIO I.

*An quodlibet Sacramentum necessario constet rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.*

*Nota* 1. Quæstionem procedere de Sacramentis novæ Legis; licet enim essentiale sit omni Sacramento cujuscumque status constare rebus, vel actibus sensibilibus, cum sit essentialiter signum sensibile, tamen non fuit necesse ut omne Sacramentum constiterit verbis; multa siquidem in lege veteri, ut Circumcisio, (*Gen.* 17. *v.* 12.) ritus Agni Paschalis, (*Exod.* 12. *v.* 3.) consecratio Pontificum & Sacerdotum (*Levit.* 8. *v.* 12.) celebrantur absque præscripta verborum forma.

## CONCLUSIO.

*Quodlibet novæ Legis Sacramentum in actione transeunte consistens, necessario constat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.*

*Prob.* Ex Conc. Florent. in decreto unionis; *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Præiverat D. August. (*Tract.* 80. *in Joann.*) dicens: *detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Et vero nullum est ex septem novæ Legis Sacramentis, cujus materia & forma non assignetur, ut legenti Scripturas & Concil. Trid. patebit.

*Dices* 1. Juxta Conc. Flor. *Sacramenta* non tantum *rebus perficiuntur tanquam materia, & verbis tanquam forma*, sed & *persona ministri* intendentis facere quod facit Ecclesia; ergo tribus illis constant Sacramenta.

*Resp. nego conseq.* Aliud est enim Sacramentum perfici, aliud intrinsece constare: *perfici* enim ad causas intrinsecas & extrinsecas extenditur; *constare* autem, seu componi restringitur ad causas intrinsecas, unde Sacramenta tribus perficiuntur, sed diversimode, scilicet materia & forma tamquam partibus intrinsecis, ac essentialibus, intentione vero ministri tamquam causa.

*Dices* 2. Eucharistia non constat verbis tamquam forma: ergo.

*Resp. dist. ant.* Eucharistia in fieri, *nego ant.* sic enim habet panem & vinum pro materia, & verba pro forma; Eucharistia in facto esse, seu secundum suum esse permanens, *conc. ant.* Porro materia & forma requiruntur in actione ad effectum habendum, non in effectu habito & perseverante, qualis est corpus & sanguis Christi in Eucharistia remanentes post consecrationem; unde dixi in propositione; *in actione transeunte consistens.*

*Dices* 3. Matrimonium non constat verbis tamquam forma, cum mutus valide contrahat; ergo.

*Resp. dist. ant.* Non constat verbis formalibus, *conc. ant.* virtualibus, *nego ant.* Nutus enim quibus muti exprimunt suum consensum, habent rationem verborum & formæ, unde vocantur ab Aug. (*Lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 3.) *verba visibilia.*

Quæres: *Qualia sint verba sacramentalia, an promissoria & concionatoria tantum, an vero consecratoria?*

*Nota*: Novatores cum non aliam in Sacramentis efficaciam agnoscant, quam objectivam, ad excitandam scilicet fidem promissionum Christi, per quam solam justificemur, nobis imputata Christi justitia, consequenter Sacramentorum verba, promissoria tantum & concionatoria appellant: *promissoria* quidem, quia inquiunt, sunt veluti sigilla pure materialia quibus obsignatur promissio gratiæ dandæ solum per fidem promissionum: *concionatoria* vero, quatenus clara voce pronuntiata fidem audientium excitant, non minus quam excitatur per conciones. Contra quos:

*Resp. Verba Sacramentorum sunt vere ac proprie consecratoria, non tantum promissoria & concionatoria.*

*Prob.* Illa verba sunt vere consecratoria, quæ per se & *ex opere operato* consecrant & sanctificant suscipientem cæteroquin rite dispositum; atqui verba Sacramentorum novæ Legis materiæ conjuncta per se, & *ex opere operato* consecrant & sanctificant suscipientem rite dispositum, cum ex sui institutione sint causæ instrumentales collationis gratiæ, ut dicetur infra; ergo.

*Confirmatur:* quia si verba Sacramentorum essent tantum promissoria & concionatoria, 1. Sacramenta non magis prodessent suscipientibus, quam adstantibus, quod est absurdum. 2. Baptismus respectu parvulorum, aut perpetuo amentium, quorum utpote ratione carentium fides excitari non potest, non esset verum Sacramentum.

*Objicies:* Div. August. (*tract.* 80. *in Joann.*) ait: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur;* ergo verbum Sacramentale est concionatorium aut promissorium.

*Resp. nego conseq.* Nam hoc unum vult Aug. verbo sacramentali vim inesse non quatenus est sonus materialis, sed prout fidei mysterium, & divinæ virtutis invocationem continet; unde ibidem addit; *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*

*Inst.* Div. Aug. suam mentem probat isto Apostoli testimonio (*Rom.* 10.) (*Hoc est verbum fidei quod prædicamus*). Ergo verba Baptismi vult esse concionatoria.

*Resp. nego conseq.* Hoc enim testimonio unice utitur, ut ostendat, vim spiritualiter mundandi verbis sacramentalibus non convenire ratione soni transeuntis, sed ratione sensus spiritualis, propter quem instituta sunt, & cui fidei objectum est. Inde addit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus.*

## QUÆSTIO II.

*An materia & forma Sacramentorum sint a Deo fixæ & determinatæ.*

*Nota:* Materia & forma duobus modis determinari possunt, in genere nimirum & in specie. Determinantur *in genere*, dum sub aliqua materia & forma convenienti statuitur confici Sacramentum, nullam speciem assignando. Determinantur autem *in specie*, dum ipsamet species assignatur, imposita determinantis lege, ut ea semper utantur Sacramentorum ministri.

### CONCLUSIO I.

*Christus Dominus determinavit saltem in genere omnium Sacramentorum materiam & formam.*

*Prob.* Quia ex supra dictis Christus instituit omnia novæ Legis Sacramenta; ergo eorum materiam & formam determinavit saltem in genere: Sacramentum enim nihil est aliud, quam materia & forma simul junctæ.

*Dices:* Ecclesia mutavit materiam Sacramenti matrimonii: nam ante decretum Trid. contractus clandestinus erat illius Sacramenti materia, & nunc non est amplius valida illius materia; ergo non fuit a Christo determinata.

*Resp. nego ant.* Ecclesia enim nihil mutavit eorum quæ sunt a Christo instituta circa matrimonium, sed tantum determinavit in specie quod ab eo fuerat determinatum tantum generice; nimirum Christus instituit solum pro materia matrimonii contractum legitimum inter conjuges; qualis autem pro legitimo haberi debeat, ipse non constituit, sed reliquit Ecclesiæ determinandum; nihil ergo mutavit Ecclesia quod pertineret ad substantiam eorum quæ fuerant a Christo instituta, retinuit enim legitimum contractum, sed tantum qualis esse debeat ille contractus, declaravit.

### CONCLUSIO II.

*Christus non omnium Sacramentorum materiam & formam determinavit* in specie, *sed aliquorum determinavit tantum* in genere, *relinquendo Ecclesiæ potestatem eas in specie determinandi pro locorum & temporum diversitate.*

*Prob.* Ex praxi diversa Græcorum & Latinorum in sacris ordinationibus conferendis: Græci enim per solam manuum impositionem, quod approbat Ecclesia Latina; Latini vero etiam per exhibitionem instrumentorum, Ordinem conferunt; ergo Christus non determinavit eandem materiam & formam *in specie infima*; ergo restat quod determinaverit tantum *in genere*, statuendo scilicet, ut hoc Sacramentum conferretur per aliquod signum expressivum potestatis quæ traditur ordinato, & per aliqua verba quæ eandem potestatem magis determinate & clarius significarent.

*Dices:* Si Ecclesia potestatem haberet quorumdam Sacramentorum materiam & formam in specie determinandi, eas posset mutare; falsum ex Trid. ( *sess.* 21. *cap.* 2. ) consequens; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Eas posset mutare secundum suum esse specificum, *conc. maj.* secundum suum esse genericum, *conc. min.* secundum suum esse specificum, *subdist.* quando sunt in specie a Christo determinatæ, *conc.* quando sunt ab Ecclesia specifice determinatæ, *nego min.* eadem quippe potestas sufficit ad mutandam materiam, quæ fuit sufficiens ad eam determinandam.

*Inst.* Si ad libitum Ecclesiæ esset mutare materias & formas Sacramentorum, Latinus modo Græcorum & Græcus modo Latinorum possent rite ordinari; sed hoc est inconveniens; ergo.

*Resp.* aliqui *nego seq. ant.* Quia posita semel Ecclesiæ determinatione, non potest quis valide per alia verba & signa ordinari, quia ex instituto Christi ista Ecclesiæ determinatio his Sacramentis est essentialis.

*Respondent* alii *dist. sequel.* posset rite ordinari quoad validitatem Sacramenti, *conc.* quia inquiunt, iste modus ordinandi est validus & ab Ecclesia non reprobatus, saltem pro Ecclesia singulari; quoad licitatem, *negant.* Quia ex præcepto ad rem gravem pertinente quilibet tenetur servare ritum suæ Ecclesiæ.

Ex hac opinionum varietate patet Sacramentum in tali casu fore dubiæ validitatis, & consequenter sub conditione repetendum.

## QUÆSTIO III.

*De mutatione materiæ & formæ Sacramentorum.*

Quæres 1. *Quotuplex sit materiæ & formæ mutatio?*

*Resp.* Duplex, substantialis scilicet, & accidentalis.

Mutatio materiæ *substantialis*, est ea qua materia convertitur in aliam speciem, vel qua redditur inutilis ad sui usum; v. g. si quis vino baptizaret, vel aqua naturali, sed congelata ita ut non posset fieri ablutio.

Mutatio materiæ *accidentalis*, est alteratio materiæ talis ut non convertatur in aliam speciem, nec reddatur inutilis ad sui usum, v. g. Baptismus in aqua calefacta vel non benedicta &c.

Mutatio formæ *substantialis*, est conversio verborum illius in alium sensum; v. g. *ego te baptizo in nomine matris*, vel *in nomine Dei*, Trinitatem non exprimendo &c.

Mutatio accidentalis formæ, est alteratio verborum illius, retento eorum sensu; v. g. *abluo te in nomine* Patris &c.

Quæres 2. *An mutatio materiæ vel formæ Sacramentum irritet?*

*Resp.* Quælibet mutatio substantialis materiæ vel formæ, Sacramentum irritat, non autem accidentalis; peccat tamen qui talem mutationem accidentalem efficit.

*Prob. prima & secunda pars:* Quia mutatio substantialis in materia vel forma, materiam vel formam Sacramenti tollit, accidentalis vero non tollit; atqui quod tollit materiam vel formam, quas Christus instituit, irritat Sacramentum; quod non tollit materiam vel formam, non irritat Sacramentum; ergo &c.

*Prob.*

*Prob.* 3. *pars*: Quia non est licitum absque auctoritate aliquid addere, vel minuere illi, quod ab ipso Christo, vel ab Ecclesia ex Christi auctoritate est decretum; sed hoc accidit in mutatione licet accidentali Sacramentorum; ergo est illicitum; ergo peccat &c.

Quæres 3. *Quot modis forma Sacramentorum possit mutari, tum substantialiter, tum accidentaliter?*

*Resp.* Sex modis his versiculis contentis:

*Nihil formæ demas, nil addas, nil variabis.*
*Transmutare cave, corrumpere verba, morari.*

*Primus modus* mutilationis verborum formæ fit per detractionem alicujus verbi, quæ si sensum mutet, irritat Sacramentum; si non mutet, non irritat.

Hinc qui in forma baptismi omitteret nomen unius personæ divinæ, non baptizaret; econtra qui tantum omitteret pronomen, *ego*, vere baptizaret.

*Secundus modus* mutationis verborum fit per additionem, quæ si sensum verborum Christi invertat, Sacramentum invalidat: si sensum verborum Christi integrum servet, non invalidat Sacramentum.

Hinc qui sub hac forma baptizaret: *ego te baptizo* in nomine Patris majoris, & Filii minoris &c. non baptizaret; econtra qui baptizando adderet: *in nomine Patris ingeniti, & Filii geniti: & Spiritus Sancti ab utroque procedentis*, vere baptizaret; additio enim eorum attributorum, cum vere personis divinis conveniat, non invertit substantialem verborum Christi sensum.

*Tertius modus* mutationis, est variatio verborum quod si verba substituta non idem clare & distincte significant, sed tantum confuse, inducunt mutationem substantialem; si vero verba substituta sint synonima cum verbis a Christo institutis, mutatio est accidentalis.

Hinc invalide baptizaret qui diceret: *ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis.* Valide vero qui diceret: *ego te abluo, tingo, lavo*: est enim idem sensus, eademque significatio.

*Quartus modus* fit per transmutationem seu transpositionem verborum, cum qua si idem quoad substantiam remanet sensus, validum est Sacramentum; si non remanet, nullum est.

Hinc invalide consecrat qui dicit: *hoc corpus est meum*: valide vero qui dicit: *hoc est meum corpus.*

*Quintus modus* fit per corruptionem verborum, quæ si sensum tollat, Sacramentum irritat; si non tollat, non irritat.

Hinc qui baptizando diceret: *in nomine Matris et Filii &c.* nihil efficeret; qui vero ex ignorantia aut balbutiens diceret: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, valide baptizaret, quia ex communi audientium judicio & conditione personæ baptizantis integer manet sensus verborum. Propter hanc rationem Zacharias Pontifex (*Cap. retulerunt de consecr.*) definivit Sacerdotem linguæ latinæ imperitum valide baptizasse cum hac forma, *in nomine* patria, & filia, & spiritua sancta.

*Sextus modus* mutationis fit per interruptionem verborum, quæ si tanta esset, ut communi judicio non censeretur una & eadem moralis actio, & interciperetur intentio pronuntiantis, esset mutatio substantialis & consequenter nihil efficeretur; si vero hæc interruptio tanta non esset quin moraliter eadem æstimaretur actio, mutatio esset accidentalis & Sacramentum validum.

Hinc si quis pronuntiatis his verbis: *ego te*, post semi quadrantem pronuntiaret, *absolvo*, nihil efficeret, si vero pronuntiatis, *ego te*, diceret pœnitenti, *elice actum contritionis*, & postea proferret, *absolvo*, valida esset absolutio.

Quæres 4. *An Minister qui formam Sacramenti accidentaliter mutaret animo inducendi novum errorem, valide Sacramentum perficeret.*

Dixi *formam accidentaliter mutaret*: quia si error non esset in forma expressus, non violaret substantialiter Sacramentum in forma consueta collatum, cum validitas formæ ex solo verborum communi sensu desumatur, non vero ex privata intentione loquentis: quapropter admissus est ab Ecclesia Baptismus ab Arianis in forma consueta datus, quamvis interius de personis Sanctissimæ Trinitatis male sentirent. Itaque

*Resp. cum dist.* Vel error expressus in forma sensum tollit, vel non. Si sensum tollit, invalidum est Sacramentum, quia mutatio est substantialis; si sensum non tollit, validum est Sacramentum, quia error est tamen accidentalis.

Porro error tollit sensum verborum cum non facit distinctam propositionem, v. g. *ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris etc.* non tollit autem sensum cum facit propositionem distinctam, ut in hac forma baptismi, *baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti quæ non sunt personæ æquales*, & consequenter est valida forma cum fuerit complete pronunciata, antequam error exprimatur.

Quæres 5. *An aliquando in administratione Sacramentorum forma conditionali uti liceat?*

*Resp. affirm. Cum vera adest necessitas.* Est communis contra paucos recentiores.

*Prob.* Auctoritate Alexand. III. (*Extra de Bapt. cap.* 1.) definientis: *de quibus est dubium an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis, si nondum baptizatus es.* Ergo &c. Hæcque forma quam in dubio de valore Sacramenti iterabilis, & de capacitate subjecti, præscribunt omnes libri Rituales, constanter hodie observatur.

*Dices* 1. Cum Juenino (*Dissert.* 1. *de Sacram. q.* 3. *c.* 5. *art.* 1.) hæc doctrina de forma conditionali adhibenda est nova, utpote quæ octavo solum sæculo legatur in capitularibus Caroli Magni (*l.* 6. *cap.* 181.) ubi primo persuasum est quod in dubio sit dicendum: *si non es baptizatus, ego te baptizo*; ergo ea non licet uti.

*Resp. dist. conseq.* Quia ea auctoritas negativa, quæ ideo est caduci roboris, non efficit quod collatio Sacramenti conditionata in dubio, non sit magis cauta & tuta, ideoque eligenda cum agitur de valore Sacramentorum.

*Dices* 2. Adhibendo formam conditionatam Sacramentum exponitur periculo frustrationis; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam ex communi philosophorum consensu, *conditio nihil ponit in esse, nisi de-*

*purata seu verificata conditione:* ergo in casu incapacitatis subjecti, vel jam collati Sacramenti initerabilis, non confertur, imo nec conficitur Sacramentum; forma enim conditionata, v. g. Baptismi hoc solum exprimit: *si non es baptizatus, te baptizo, si autem es baptizatus, nullo modo volo te baptizare:* ergo nulli periculo frustrationis exponitur Sacramentum datum sub conditione.

*Inst.* Ex quo *conditio nihil ponit in esse, nisi, &c.* sequitur Sacramenta quæcumque posse conditionate conferri quandocumque & cuicumque; absurdum conseq.

*Resp. nego seq. maj.* Quia licet conditio nihil ponat in esse, nisi sit purificata, tamen opus est ut Sacramenta cum summa administrentur reverentia, quæ certe non servaretur, si quandocumque & cuicumque, etiamsi conditionate, conferrentur. Unde

Dixi in respons. *ubi vera adest necessitas*, quæ reperitur tantum in duabus circumstantiis.

1. Quando in Sacramentis non iterabilibus post diligens examen prudenter dubitatur an Sacramentum fuerit collatum, vel etiam an valide fuerit collatum.

2. Quando dubitatur an subjectum sit capax Sacramenti, uti contingit in homine subita vi morbi oppresso, qui nullo exteriori signo dolorem de peccatis significare potest, juxta restrictionem a nobis dandam, dum agemus de integritate confessionis.

Quæres 6. *An liceat in Sacramentorum administratione, uti materia dubia, aut probabili?*

*Resp.* Dum urget mortis periculum, nec materia certa suppetit, licet uti materia dubia aut probabili in Sacramentis necessitate medii ad salutem necessariis.

*Prob.* Quia cum Sacramenta ex communi axiomate sint propter homines, non autem homines propter Sacramenta, satius est ista periculo nullitatis exponere, quam hominem periculo damnationis æternæ; ita D. Augustinus (*L. 2. de adulterin. conjug. cap. 28. num. 35.*).

Dixi: *Dum materia certa non suppetit, urgetque periculum mortis:* quia extra hos casus uti materia dubia aut probabili est peccatum gravissimum, tum sacrilegii erga Sacramentum quod imprudenter periculo nullitatis exponitur; tum injustitiæ erga proximum, qui periculo carendi fructu Sacramenti committitur.

## CAPUT IV.

### *De ministro Sacramentorum.*

*Nota.* Duplex est Sacramentorum minister; primarius nimirum, & secundarius.

Minister *primarius* est ille, cuius nomine Sacramenta administrantur, & est Christus ut homo propter unionem hypostaticam cum Verbo divino, de quo dicitur (*Joann. 1. vers. 33.*) *hic est qui baptizat.*

Minister *secundarius* est ille, qui nomine Christi potest valide conficere Sacramentum; & hic iterum duplex est, nempe *ordinarius* qui secundum Legem a Christo præscriptam potest valide conficere Sacramentum, & *extraordinarius*, qui præter hanc Legem Christi ordinariam ad Sacramenta conficienda & dispensanda committi potest.

De ministro extraordinario nemini dubium est quin Deus quamlibet creaturam rationalem, sive sit Angelus, sive anima separata, ad Sacramenta conficienda possit deputare; Deus enim non ita suam virtutem alligavit Ecclesiæ ministris, quin possit ipsam aliis tribuere. Itaque

De solo ministro ordinario hic quæritur, 1. quis sit; 2. quænam ex ejus parte requirantur ut Sacramentum legitime perficiat.

## QUÆSTIO I.

### *Quis sit ordinarius Sacramentorum minister?*

## CONCLUSIO I.

*Solus homo viator, ratione utens, potest esse minister ordinarius Sacramentorum.*

*Prob.* Ille solus potest esse minister ordinarius Sacramentorum, quem Christus ad hoc munus deputavit; atqui Christus solum hominem viatorem ratione utentem ad hoc munus deputavit; nam illi soli dixit: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos* (*Matth. 28. v. 19.*). *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc. 22. v. 19.*). *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joann. 20. v. 23.*). Unde Apost. non alios quam homines designat dicens (*1. Cor. 4. v. 1.*): *sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo.

Quæres: *An quilibet homo viator sit minister Sacramentorum?*

*Resp.* Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem, & Matrimonio propter specialem rationem contractus in quo situm est Sacramentum, quilibet homo viator non potest conferre Sacramenta, sed is solum qui rite in Ecclesia ad hoc ordinatur. Est de fide definita in Conc. Trident. contra Lutherum (*Conc. Trid. sess. 7. can. 10.*) his verbis: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

*Prob.* Si omnes Christiani essent ordinarii Sacramentorum ministri, nulla in Ecclesia foret diversitas graduum & officiorum; atqui falsum consequens ex Apost. (*1. Cor. 12. v. 19.*) dicente: *nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Doctores?* Et Roman. 12. asserit nos habere *donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes ... sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, &c.* ergo.

*Dices*, 1. *Petri* 2. Omnibus Christianis dicitur: *vos autem genus electum, regale Sacerdotium;* ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes.

*Resp. dist. conseq.* Sunt Sacerdotes improprie & metaphorice propter spirituales hostias quas Deo per Christum offerunt, *conc. conseq.* Vere & proprie ratione ordinationis, *nego conseq.* eodem nimirum sensu omnes Christiani Sacerdotes dicuntur quo Reges; atqui metaphorice dicuntur Reges, quia suis affectibus dominari tenentur; ergo.

*Inst.* Tertull. *L. de exhort. virg. cap. 7.* habet: *nonne & Laici Sacerdotes sumus? ... differentiam*

inter

*inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatur; ideo ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Nihil enim debet concludi ex illo libro quem postquam defecit ab Ecclesia, scripsit Tertullianus, qui *L. de præscript. Hæretic. cap.* 4. in contrarium sic loquitur: *ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, forsitan & tingere. Ordinationes earum temerariæ, leves, inconstantes . . . . Nam & Laicis sacerdotiale munera injungunt.*

## QUÆSTIO II.

*Quænam ex parte ministri requirantur, ut Sacramenta legitime perficiat?*

*Nota.* Tria ad Sacramentorum legitimam administrationem requiruntur, intentio scilicet, fides, & probitas, de quibus duplici articulo.

## ARTICULUS I.

*De intentione ministri Sacramentorum.*

*Nota* 1. Intentio est *actus deliberatus voluntatis, quo quis aliquid vult facere.*

*Nota* 2. Intentio spectari potest 1. ex parte objecti ad quod fertur; 2. ex modo quo ad illud fertur; sicque de Sacramentorum ministri intentione duæ moventur difficultates: prima eaque acerrima inter Theologos est de objecto intentionis ministri, nempe quid dum Sacramenta conficit & administrat, intendere debeat? secunda de gradu intentionis ejusdem, seu quanta esse debeat; quæ solventur duplici sectione.

### SECTIO I.

*De objecto intentionis ministri.*

*Nota.* Minister deliberate ritum Sacramentalem exercens plura potest intendere, & quidem

1. Jocosam Ecclesiæ cæremoniarum repræsentationem, ut si quis in theatro, Baptismi ritum mimice imitetur, & hæc intentio appellatur *jocosa & lutherana.*

2. Potest intendere ritum externum Sacramenti, v. g. applicationem materiæ & formæ, ita in hoc sistendo, ut prætermittat intentionem conficiendi id quod intendit Christus vel Ecclesia, vel etiam ex malitia velit positive in celebratione hujusce ritus, intentioni Christi & Ecclesiæ refragari dicendo: *volo facere actum baptizandi quem facit Ecclesia, sed nolo conficere Sacramentum baptismi;* vel *nolo facere quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.* Et hæc est intentio quæ vocatur *externa*; quæ sic definitur:

Intentio, externa, est *ea qua minister in debitis circumstantiis ac serio externum Sacramenti ritum perficit, intus tamen suam retinet intentionem, imo contrariam gerit dicens:* nolo facere quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.

3. Potest intendere ritum illum externum quatenus generatim est ritus Christi & Ecclesiæ, isque sacer; non cogitando tamen expresse de Sacramento, & hæc intentio vocatur *interna*, & sic definitur:

Intentio interna, est ea *qua minister simul ac sacramentalem ritum exercet, interius & apud se intendit ritum illum celebrare saltem generatim & confuse quatenus Sanctus, licet non intendat illum celebrare formaliter ut est Sacramentum.*

4. Potest intendere ritum sacramentalem volendo in particulari & distincte Sacramentum formaliter ut est Sacramentum, efficere.

5. *Denique potest intendere expresse effectum ritui sacramentali annexum*; nempe gratiam & caracterem. His præmissis certa ab incertis sunt secernenda.

*Certum est* 1. Ad valorem Sacramenti non requiri ut minister expresse intendat effectus Sacramenti; nam valet Baptismus collatus a Pagano ejus effectum ignorante, vel etiam ab Hæretico negante gratiam per illum conferri, ut definitum est in variis Conciliis. (*Rothomag. ann.* 1581. *Rhemense, anno* 1583. *Aquense, anno* 1585).

*Certum est* 2. Non requiri ut minister explicite intendat perficere Sacramentum formaliter ut est Sacramentum, tum propter rationem mox adductam, tum quia Ecclesia recipit baptismum a Judæo, vel Pagano forma legitima datum, etiamsi illum esse Sacramentum ignorent vel negent. Sufficit enim ut generatim & confuse velint agere quod facit ea societas quam Ecclesiam vocant, quæcumque illa sit, sive Romana, sive Lutherana; ratio est quia qui facere intendit quod facit Ecclesia Lutherana, ille generatim, implicite & confuse intendit facere quod facit vera Ecclesia, licet ex errore credat Ecclesiam Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam; error enim privatus ministri non destruit veritatem generalis intentionis faciendi quod facit Ecclesia Christi.

*Certum est* 3. Jocosam ritus Sacramentalis adumbrationem non sufficere, prout definivit Concil. Trident. (*Sess.* 7. *can.* 11. *& sess.* 14. *cap.* 6.) contra Lutherum, qui cum rem omnem Sacramenti in fide excitata a signo sensibili, reponat; ideo deridet omnem intentionem quæ in eo requiri dicatur, docetque nudam ejus actionem exteriorem etiam joco & irrisione factam, sufficere ad valorem Sacramenti.

Lis ergo tota devolvitur ad externam & internam intentionem; quæriturque utrum ad valorem Sacramenti sufficiat *externa* superius explicata, an insuper requiratur *interna*, qua minister intendat saltem generaliter & implicite quod Christus instituit, seu quod faciunt Christiani, vel etiam quod a ministro postulatur; en status hujus celebris quæstionis, circa quam duæ circumferuntur Theologorum sententiæ.

Prima statuit, ad valorem Sacramenti sufficere solam intentionem ponendi præcise ritum externum, etiamsi minister ritum illum irrideat; vel infidelitate detestetur, aut etiam protestetur se nolle facere quod facit Ecclesia, sollicitus tamen ne quidquam necessarium ab Ecclesia existimatum, prætermittat.

Secunda statuit non sufficere in ministro intentionem serio peragendi ritum externum, sed vult insu-

insuper requiri intentionem saltem implicitam & generalem faciendi ritum ut sacrum; id est, sicut Christus eum instituit, & Ecclesia facit, ita ut si minister negligentia vel malitia sua intentionem hanc retineat, Sacramentum sit irritum.

## CONCLUSIO.

*Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio externa, sed insuper requiritur interna.*

*Prob.* Unico syllogismo: in statuendis illis quæ a sola Dei voluntate pendent, sententia illa ut tutior est amplectenda quæ deducitur ex Conciliis, summorum Pontificum decretis, necnon ex præcipuis Ecclesiæ Patribus; atqui talis est nostra conclusio; ergo, &c.

*Prob. prima pars min.* 1. Concil. Trid. definiente (*Sess. 7. can. 11.*): *si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et de penitentia (*Sess. 14. cap. 6.*) ait: *non debet pænitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla ibi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se propter solam suam fidem, vere & coram Deo esse absolutum, &c.*

2. Ex Concilio Constantiensi quod suspectos de hæresibus a Concilio damnatos interrogari jubet, *an credant quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, & vere conficiat alia Sacramenta.*

3. Ex Concilio Florentino dicente: *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si unum desit, non perficitur Sacramentum.*

Ex his omnibus sic arguo:

Requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia juxta Concilia; atqui per intentionem illam non alia potest intelligi præter internam; ergo, &c.

*Prob. min.* Per illa verba non potest intelligi intentio externa; jam enim sufficienter fuerat subintellecta per verba anteriora Tridentini, *serio agendi*; & per ista Concilii Constantiensis, *cum debita materia & forma*; demum per ista Concilii Florent. *perficiuntur rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma*; ergo Concilia præter intentionem seriam externam, insuper requirunt intentionem mentalem & internam.

Reponunt adversarii Concilia maxime Trid. voluisse tantum condemnare errorem Lutheri docentis jocum externum & manifestum non impedire valorem Sacramenti.

*Respond.* Fateor: sed vitium Sacramenti per jocum etiam externum collati, non ex ipsa præcise boni illius manifestatione nascitur (declaratio enim illa vitium supponit ac prodit, non facit), sed ex defectu debitæ intentionis; atqui defectus ille toties occurrit quoties minister ritum externum ac materialem Ecclesiæ, etiam serio exterius observat, intus vero non intendit observare, sed fingere ac simulare; ergo, &c.

*Prob. secunda pars min.* Nempe conclusionem nostram deduci ex decretis summorum Pontificum. Alexander enim VIII. (*Anno* 1690.) hanc propositionem damnavit: *valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum observat; intus vero in corde suo apud se resolvit; non intendo facere quod facit Ecclesia* .... Unde sic arguo.

Minister, qui ritum omnem externum observat, habet intentionem externam atqui ex Alexandrino decreto, non baptizat valide; ergo intentio externa non sufficit. Mirum est quantum hæc damnata propositio & argumentum inde deductum, adversarios contorqueat.

*Prob. tertia pars min.* Ex Div. Thom. (3. *part. quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 1.) dicente: ad valorem Sacramenti *requiritur* in ministro conficiente Sacramentum, *intentio qua se subjiciat principali agenti, id est, qua intendat facere quod instituit Christus, quodque intendit facere Ecclesia*; atqui quod Christus instituit, quodque intendit Ecclesia est Sacramentum; ergo ad valorem Sacramenti necessaria est intentio faciendi Sacramentum, saltem implicite, id est, faciendi quod faciunt Christiani.

*Confirmatur prop.* Christus voluit ut Sacramenta conficerentur ab hominibus ut ejus ministris; sed homo non potest se gerere ut minister Christi & Ecclesiæ quin facere intendat quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit; ergo, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ecclesia semper existimavit interiorem ministri intentionem ad Sacramenti validitatem non esse necessariam; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Ecclesia validum reputavit Baptismum a mimis celebratum; sic probavit Baptismum a mimo collatum sancto Genesio, dum mimum ipse ageret. (*Ita referunt Socrates, & Sozomenus*); ergo.

*Resp. dist. ant.* Ecclesia validum reputavit Baptismum a mimis intendentibus facere quod facit Ecclesia celebratum, *conc. ant.* a mimis mimice agentibus, *nego ant.*

Neminem itaque latet sanctum Genesium dum stante Diocletiano mimum ageret, necnon mysteria Christianorum illudendo repræsentaret, subito a Deo conversum, sincero animo Baptismum suscepisse, monuisseque sodalem suum a quo baptizabatur, ut sincere ac serio ageret, unde quantum fuit de se, accepit Baptismum saltem in voto, quod suffecit, ut ei promitteretur salus, & per subsequens martyrium, illam de facto obtineret.

*Objicies* 2. Sufficit ad valorem Sacramenti intentio ponendi præcise ritum externum; ergo.

*Prob. ant.* Ad valorem Sacramenti sufficit debite observare ritum a Christo institutum, atqui minister qui habet intentionem ponendi præcise ritum externum, ritum Christi debite observat, ergo.

*Resp. nego min.* Ritus enim a Christo institutus importat ipsam internam ministri intentionem.

*Prob. min.* Catharinus insignis ex ordine Prædicatorum Theologus, stante Conc. Trid. cui ipse aderat Theologus, edocuit ad valorem Sacramenti su-

sufficere intentionem externam, nec improbatus fuit a Patribus Tridentinis; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Nusquam enim docuit Catharinus validum esse Sacramentum quod minister perficit vel per jocum externum, vel internum qui ad Sacramenti substantiam terminetur; sed eam tantum intentionem judicat necessariam non esse quæ terminatur vel ad ritum externum sub ratione formali Sacramenti, vel ad ejus effectum. Ita seipsum clare exponit Catharinus his verbis: *non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius agere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat Ecclesiam esse, neque ullum Baptismi spiritualem effectum; sed satis est ut intendat facere quod Ecclesia jubet per ministros fieri.*

*Inst.* 1. Forma Sacramentorum independenter ab intentione interna ministri est operativa; ergo.

*Resp. nego ant.* Forma enim Sacramenti ex Christi intentione suam efficacem significationem non habet, nisi intentione ministri determinetur; sicut enim forma determinat materiam, ita intentio determinat formam ad esse sacramentale.

*Prob. ant.* Quod producit effectum suum *ex opere operato*, est operativum independenter ab intentione ministri; atqui forma in Sacramentis producit effectum suum *ex opere operato*; ergo.

*Resp. nego maj.* Ratio negati est quod intentio ministri, in ipsomet opere operato ex intentione Christi includat tamquam causa perficiens Sacramentum per legitimam materiæ & formæ applicationem, non ex merito dantis vel accipientis, sed virtute ipsius operis a Christo instituti, debite celebrati; at debite non celebratur nisi interius minister velit & intendat illud celebrare; ergo.

*Subsumes.* Atqui intentio ministri non continetur in opere operato; ergo.

*Prob. subsumpt.* Opus operatum in Sacramentis est id tantum quod constituit signum sensibile; atqui intentio ministri non est ex eis quæ constituunt signum sensibile; ergo. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Quod non est sensibile, non potest esse ex iis quæ constituunt signum sensibile; atqui, &c.

*Resp. dist. maj.* Non potest esse ex iis quæ constituunt signum sensibile speculativum, *conc. maj.* practicum, *nego maj.* & sic ad consequens.

Itaque verba illa sunt speculativa, quorum totus effectus stat in significando; practica vero quæ aliquid imperant & supponunt voluntatem, proindeque intentionem in imperante; cum ergo Sacramentorum forma constituatur verbis practicis, sequitur ea supponere in eo a quo proferuntur, voluntatem faciendi quod significant; ac consequenter ad signum practicum intentionem absolute requiri.

*Subsumes*, atqui non requiritur intentio ministri ad constituendam formam practicam; ergo.

*Prob. subsumpt.* Sententia Judicis est operativa, etiamsi privatam intus gerat intentionem suæ sententiæ repugnantem (dum nimirum damnat eum quem vellet absolvere;) ergo similiter Sacramenti minister validum conficit Sacramentum absque intentione interna, imo cum intentione repugnante.

*Resp. nego conseq.* Ratio disparitatis est quia valor sententiæ Judicis pensatur ex hominum sensu qui externa solum norunt, quique ut validam acceptant sententiam juxta præscriptum legis prolatam. At vero Sacramentorum validitas spectat præcipue ad Dei judicium, cui etiam interna subsunt, quique in præsenti casu exigit a suis ministris ut materiam cum forma uniant; quod fit per intentionem ministri.

*Subsumes.* Atqui non requiritur intentio in ministro.

*Prob.* Minister Sacramentorum se habet ut instrumentum Christi, non ut præcipuum agens; atqui in instrumento non requiritur intentio, sed sufficit intentio præcipui agentis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Minister se habet ut instrumentum Christi animatum, *conc. maj.* inanimatum, *nego maj.* Sed in instrumento animato quod ab alio facultatem accipit rem aliquam si placuerit perficiendi, requiritur intentio.

*Subsumes*: Atqui in instrumento animato non requiritur intentio; ergo.

*Prob. conseq.* Ex D. Aug. (*L. 7. contra Donatistas qui Baptismum sine fine datum vel acceptum nullum esse contendebant*) qui cum postulasset quid sentiendum sit de Baptismo mimice administrato, videtur in eam propendere sententiam quod sit valide administratus; imo asserit *se non dubitare etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, aut ubi putatur esse Ecclesia ab iis, in quorum societate id accipitur.* Unde sic argumentor.

D. Aug. docet ratum ac validum esse Baptisma fallaciter datum & acceptum in Ecclesia Catholica, vel quæ putatur Catholica; atqui nulla potest esse intentio interior in ministro fallaciter agente: ergo.

*Resp. dist. maj.* D. August. docet validum esse Baptisma datum cum fallacia & simulatione; & nomine fallaciæ intelligit S. Doctor absentiam fidei, aut rectam de Sacramento ejusque effectu ministri sententiam, *conc. maj.* & intelligit absentiam debitæ in ministro intentionis internæ qua generatim velit facere quod facit Ecclesia, *nego maj.*

Itaque simulatio, de qua S. Augustinus loquitur, importat tantum defectum fidei circa ritum Sacramentalem.

*Subsumes.* Atqui per fallaciam, de qua Aug., intelligi non debet defectus fidei erga Sacramentum, sed defectus intentionis; ergo.

*Prob. subs.* D. Aug. ibidem ait: *an plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces a quibus agitur & in quibus agitur; & tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Unde sic arguo:

D. Aug. agit de illa fallacia, quæ cum datur Baptismus in hæreticorum societate, non in totam societatem cadit, sed in aliquos duntaxat societatis: atqui hæc fallacia non est absentia fidei, utpote quæ cadat in omnem societatem hæreticorum; ergo est absentia intentionis interioris quæ cadit in dantem Sacramentum.

*Resp. dist. min.* Hæc fallacia non est absentia

fidei

fidei supernaturalis, *conc. min.* fidei humanæ circa effectum Sacramenti, *nego min.*

Itaque quando dicimus per fallaciam de qua Aug. intelligendam esse absentiam fidei, non intelligimus, ubi agitur de Hæreticis, fidem supernaturalem, quam certum est in illis non esse; sed intelligimus tantum eos non credere fide humana, seu ritum qui exercetur, esse verum Sacramentum, seu gratiam ab hoc ritu produci.

*Objicies* 3. D. Thom. ( 3. *part. qu.* 64. *art.* 8. *ad* 2.) cum sibi objecisset ingens sequi incommodum si requiratur intentio: scilicet suscipientem fore semper anxium de suscepti Sacramenti validitate, propriaque salute, sic respondet: *dicendum quod circa hoc duplex est opinio: quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum: alii melius dicunt, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti nisi contrarium exterius exprimatur.* Unde sic arguo.

Ex D. Thoma intentio Ecclesiæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimatur; ergo intentio mentalis non requiritur.

*Resp. dist. ant.* Sufficit intentio Ecclesiæ, cui minister suam saltem implicite conformat volendo facere quod facit Ecclesia, *conc. ant.* cui suam taliter non conformat, *nego ant.* Seipsum explicat D. Thom. art. sequenti: (*quæst.* 64. *art.* 9. *ad* 1.) loquens de eo qui confert Sacramentum credens illud nullum effectum spiritualem producere, his verbis: *Non obstante infidelitate, potest intendere facere quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse, & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia ut supra dictum est, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus fide suppletur id quod deest fidei ministri.* Nullum dubium hæc verba relinquunt circa mentem D. Thomæ.

Ad Innocent. IV. eodem modo respondendum est; dicit quidem *valere baptismum licet minister gerat in mente non facere quod facit Ecclesia;* verum addit: *dummodo intendat baptizare.* Solum itaque vult validum esse Baptismum etiamsi minister nolit effectum Sacramenti conferre, & sufficere quod Sacramentum facere intendat.

*Objicies* 4. Aliqua facta. 1. S. Athanasius (ut referunt Rufinus, (*L.* 1. *cap.* 14.) Socrates, (*L.* 1. *cap.* 5.) & Sozomenus (*L.* 1. *cap.* 17.) cum adhuc puer esset, pueriliter agens alios pueros baptizavit, huncque Baptismum probavit Alexander Episcopus Alexandrinus. 2. Narrat Nicephorus (*L.* 4. *cap. ult.*) pueros natantes ad mare, puerum Hebræum baptizasse, qui ut vere baptizatus receptus fuit in Ecclesia Constantinopolitana; ergo.

*Resp.* 1. Si illud baptisma fuit datum a pueris illis per jocum, argumentum illud tam est solvendum ab adversariis quam a nobis; alias inciderent in errorem Lutheri.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Certum est enim ex Rufino Alexandrum cum Sacerdotibus examinasse diligenter Athanasium, non solum de materia & forma debita, sed etiam an intentionem haberit faciendi id quod facit Ecclesia, quo comperto idcirco validum pronuntiavit Baptismum .... idem factum est de aliis pueris relatis a Nicephoro.

*Objicies* 5. Ex nostra sententia sequeretur maximum inconveniens, nempe posse deficere Ecclesiam; ergo.

*Prob.* Demus quod Titius in ordinandis Presbyteris careat intentione interna, certe non erunt ordinati; demus iterum quod aliqui ex his fiant Episcopi, ordinationes ab illis peractæ erunt irritæ, & sic sensim per totum orbem deficerent Pastores & Presbyteri; ergo & deficeret Ecclesia.

*Resp.* Illud argumentum potest retorqueri in adversarios, nam ipsi saltem contra pseudoreformatos admittunt intentionem serio agendi, quæ licet dicatur *exterior* respectu objecti externi quod respicit, de facto tamen est *interna* respectu ministri; quid igitur si Titius non haberet hanc intentionem serio agendi? nonne eveniret idem inconveniens Presbyterorum falsorum? ... dicendum igitur munus esse divinæ providentiæ nobis per Christum promissæ, ut ejus Ecclesia non sic falsificetur, saltem per longam hominum seriem; & sic respondere debent adversarii.

## SECTIO II.

### *De gradu intentionis ex parte ministri, seu qualis & quænam esse debet?*

*Nota:* Intentio est quadruplex; actualis nimirum, virtualis, habitualis, & interpretativa.

*Actualis*, est præsens animi applicatio ad id quod agitur.

*Virtualis*, est ipsamet actualis quæ præcessit, ac moraliter perseverat in ministro quandiu intentione contraria non fuit revocata. Talis est intentio in Sacerdote qui ex actuali voluntate consecrandi, induit se vestibus sacris, Missam inchoat, sed paulo post distrahitur; consecrat nihilominus virtute illius intentionis, quæ moraliter perseverat.

*Habitualis duplex est*: Prima est facilitas operandi ex actibus sæpe repetitis comparata; hæc potest esse actualis aut virtualis .... Secunda est ea quæ fuit actu elicita, nec fuit revocata, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam.

*Interpretativa*, est ea qua quis aliquid vult tantum in causa; vel est ea quæ nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati; unde non est intentio, sed solum intentionis præsumptio. His præmissis.

## CONCLUSIO I.

*Intentio actualis non requiritur in ministro Sacramentorum; habitualis vero non sufficit.*

*Prob.* 1. *pars:* Illa intentio quæ non est in nostra potestate, non requiritur necessario in ministro Sacramentorum, atqui talis est intentio actualis; ergo.

*Prob.*

*Prob.* 2. *pars.* Illa intentio non sufficit, quæ actionem humanam non dirigit; atqui talis est intentio habitualis, utpote quæ in dormiente & ebrio reperiri potest; ergo.

*Dices* 1. D. Thom. (3. *part. q.* 64. *art.* 8. *ad* 3.) requirit tantum intentionem habitualem in ministro Sacramentorum; ergo sufficit.

*Resp. nego ant.* Nam D. Thomas nomine intentionis *habitualis* intelligit eam quam *virtualem* appellamus; loquitur enim ibi de intentione quæ manet in distracto paulo post actionem inceptam.

*Dices* 2. Intentio habitualis sufficit ad Sacramentum valide recipiendum: ergo eadem sufficit ad illud conficiendum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod minister sit causa efficiens Sacramenti; suscipiens vero est illius subjectum; porro plus requiritur ad agendum, quam ad recipiendum.

*Subsumes:* Atqui intentio habitualis sufficit in causa agente.

*Prob. subsumpt.* Intentio habitualis sufficit ad applicandum alicui Sacrificium Missæ; ergo sufficit etiam ad Sacrificium & Sacramentum efficiendum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod applicatio Sacrificii Missæ sit quædam donatio quæ valet donec retractetur; at intentio faciendi Sacramentum est causa efficiens Sacramenti; causa autem ut producat effectum, debet existere saltem virtualiter.

## CONCLUSIO II.

*Intentio interpretativa non sufficit ad Sacramentum conficiendum.*

*Prob.* Intentio quæ non applicat agentem ad actionem, non sufficit ad Sacramentum conficiendum; atqui intentio interpretativa non applicat agentem ad actionem, cum non existat actu, nec virtute, ergo.

*Dices:* Intentio interpretativa sufficit ad peccandum; ergo & ad Sacramentum conficiendum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod malum ex quolibet defectu procedat, bonum vero ex integra causa.

## CONCLUSIO III.

*Intentio virtualis requiritur & sufficit ad Sacramentum conficiendum.*

*Prob.* Illa intentio sufficit ad Sacramentum valide conficiendum, quæ sufficit ad ponendum actum humanum & liberum; atqui intentio virtualis ad hoc sufficit, ut constat in contractibus; ergo.

Quæres: *An intentio ministri dirigi debeat ad rem determinatam, præsentem & sensibilem?*

*Resp. affirmative.*

*Prob.* Quia intentio ministri debet proportionari formæ, alias unum vellet & aliud exprimeret; atqui forma Sacramentorum materiam aut personam determinatam, præsentem, & sensibilem exprimit; *ego te baptizo*: *hoc est corpus meum &c.* ergo.

*Resolves* 1. Si quis ex pluribus hostiis unam tantum consecrare vellet, nullam determinando, nullam consecraret.

*Resolves* 2. Cum Sacerdos consecrat hostias, si una esset sub calcis pede, vel sub corporali, non esset consecrata, quia non esset præsens nec ratione sui, nec ratione continentis, cum hæc ad continendum non sint nata.

*Resolves* 3. Non posse consecrari materiam panis adeo parvam, ut *de se* perceptibilis non sit.

Dixi: *De se*, quia fragmenta de se non perceptibilia possunt consecrari simul cum aliis hostiis, per quas sunt perceptibilia.

## ARTICULUS II.

*De fide & probitate ministri Sacramentorum.*

*Nota.* Hic quatuor quæruntur. 1. Utrum Hæretici aut peccatores valide possint administrare Sacramenta. 2. Utrum licite possint eadem administrare. 3. Utrum liceat Sacramenta petere & accipere ab improbis ministris. 4. Utrum liceat Sacramenta administrare peccatoribus.

## SECTIO I.

*Utrum Hæretici & peccatores valide possint administrare Sacramenta.*

*Nota.* Sæculo Ecclesiæ tertio exarsit inter Stephaunm summum Pontificem ex una parte; Cyprianum Carthaginensem Episcopum, Firmilianum Cæsariensem in Cappadocia, cæterosque Africanos & Orientales Episcopos ex altera, celebris controversia circa Baptismum, ab Hæreticis collatum, quem validum negabat Cyprianus cum asseclis, & ideo baptizatos ab Hæreticis rebaptizabant.

Hunc errorem quarto Ecclesiæ sæculo renovarunt Donatistæ, & extenderunt ad omnem peccatorem sive publicum sive occultum, ut refert Sanctus Augustinus (*l.* 2. *contra Crescon. cap.* 28.). Sed argumentis Catholicorum convicti ad solos peccatores publicos restrinxerunt (*August. l.* 2. *contra Parmen. cap.* 12.), cui errori adhæsere Valdense, Albigenses, Wiclefitæ & Anabaptistæ. Contra hos omnes

## CONCLUSIO.

*Ad valorem Sacramenti non requiritur fides, nec sanctitas in ministro Sacramentorum.*

*Prob.* 1. Ex constanti Ecclesiæ traditione, quæ semper rata habuit Sacramenta ab impiis & Hæreticis collata, modo ritum a Domino præscriptum observarint, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Hanc perennem ab Apostolis traditionem opposuit sancto Cypriano Hæreticos rebaptizanti Stephanus summus Pontifex his verbis: *si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.*

Decretum sancti Stephani confirmarunt plurima Concilia. Arelatense I. his verbis: *placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent.*

*gent eum circa symbolum; et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus tamen ei imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur* (*Conc. Arelat. ann.* 314. *cap.* 8.).

Nicænum I. can. 8. sic ait: *si quis voluerit venire ad Ecclesiam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ordinentur et sic maneant in Clero.* Et can. 19. statuit: *de Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est ut omnino rebaptizentur.* Concilium non jubet rebaptizari Novatianos, quia rite baptizabant, vult autem rebaptizari Pauli Samozateni discipulos, *quia*, ut ait Innocent. I. (*in Epist. ad Episcopos Macedoniæ*) *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non baptizabant.*

Denique Trident. sess. 7. can. 12. ait: *si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema sit.*

Et sess. 7. can. 4. de Baptismo: *si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

*Prob.* 2. *Ratione deducta ex Scripturis:* Minister Sacramentorum operatur virtute & authoritate divina, *supra quem videris Spiritum sanctum descendentem, hic est qui baptizat* (*Joann.* 1. *v.* 33.) atqui Deus non aufert a ministro datam ei potestatem ob ejus hæresim aut peccatum, (quippe cum talis potestas ministerialis sit gratia gratis data, nec in ministri, sed in aliorum utilitatem concessa;) ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Contra propos. Hæc loca Scripturæ. Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* Ibid. *Qui baptizatur a mortuo quid proficit lavatio ejus?* Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, ex quibus sic arguo: Minister infidelis & peccator est immundus, mortuus gratiæ, & arbor mala: ergo neminem potest mundare per Sacramenta, nec ullam opus bonum facere.

*Resp. nego conseq.* Et respondeo ad singula.

*Ad primum.* Ab immundo nemo potest mundari si propria virtute agat, *conc.* si agat virtute Christi & Ecclesiæ, *nego.* Minister autem qui ritum a Christo institutum debite observat, agit virtute Christi principalis Sacramentorum Ministri: *Dedit Baptismum Judas*, ait D. August. urgens Donatistas, *et non baptizatum est post Judam. Dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem, quia datus a Juda Baptismus, Christi est; qui a Joanne, Joannis erat . . . . sic ergo quos baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur:* Hic est qui baptizat.

*Ad secundum.* Dicendum textum non esse ad propositum; ibi enim non agitur de Baptismo Christi, sed de Purificatione ab immunditia legali, quæ ex cadaveris hominis mortui contactu contrahebatur; & sensus est; qui post attrectatum cadaver, purificatur, si iterum tangit illud, nihil prodest ipsi sua purificatio; quia iterum immunditiam legalem contrahit; ita habet contextus: *qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Quo significatur, nihil prodesse expiationem peccati, si quis illud committat: Unde sequitur, sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

Quod si Baptismo locus ille accommodetur, dicendum est cum D. August. (*l.* 11. *contra Parmen. cap.* 10.) eum qui a peccatore baptizatur, *non baptizari a mortuo: Vivit enim Christus, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, de quo dictum, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto.*

*Ad tertium* Respondet D. August. (*l.* 2. *contra Litter. Petil. cap.* 6.) *arbor mala* agens ex propria virtute, *non potest bonos fructus facere*, *conc.* agens ex virtute Christi, *nego*; at malus Minister agit virtute Christi; ergo non agit ut arbor mala.

*Inst.* Atqui infidelis non agit virtute Christi ut ejus instrumentum, nam instrumentum non agit nisi sit conjunctum causæ principali; atqui Hæretici & peccatores non sunt Christo conjuncti, sed ab eo separati; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Nisi sit conjunctum per gratiam gratis datam, *conc.* per gratiam sanctificantem, *nego maj. et conseq.* Hæretici enim & peccatores sunt Christo conjuncti per potestatem spiritualem ipsi in gratiam aliorum concessam.

*Objicies* 2. Auctoritatem Canonum & Summorum Pontificum.

1. Canones 45. & 46. Apostolorum in quibus depositionis pœnam imponitur *Episcopo vel Presbytero qui Hæreticorum Baptismum admiserit*; ergo invalidum est ab ipsis collatum.

2. Canonem Daibertum (*Causa prima q.* 7. *c.* 74.) in quo Urbanus II. præcipit Daibertum qui fuerat in Diaconum a Nezelone hæretico ordinatus, iterum ordinari, *quoniam*, ut ait, *qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

*Resp. ad primum nego conseq.* & dico Canones illos falso Apostolicos inscribi, sunt enim Canones ex diversis Conciliis particularibus collecti, inter quos duo in objectione citati, sunt Conciliorum Iconiensis & Synadensis, in quibus rebaptizantium error fuit assertus.

*Resp. ad secundum* cum glossa hic: *Nezelon ordinatus fuit ab Hæreticis præter formam Ecclesiæ, et sic ordinem Episcopalem non recepit*, Unde defectu potestatis invalida fuit ab eo facta Daiberti ordinatio.

*Objicies* 3. Varios sanctorum Patrum textus, in quibus asseritur

1. Baptismum Hæreticorum nullum esse.

2. Sacramenta Hæreticorum potius polluere, quam sanctificare.

3. Hæreticos nullam potestatem dare per suas ordinationes.

*Nota*: Ante Concilia Arelatense primum *ann.* 314. habitum, & Nicænum primum *ann.* 325. celebra-

lebratum in quibus controversia præsens solemniter fuit definita, varii Patres errori rebaptizantium faverunt, quos deserimus; itaque

*Resp. ad* 1. Sancti patres asserunt Baptisma Hæreticorum qui formam Baptismi adulterabant, nullum esse, *conc.* qui baptizabant in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *nego. De illis loquimur Hæreticis qui falsaverunt Symbolum*, ait Optatus Milevitanus (*l.* 1. *contra Parmenianum Donat. n.* 10.)

*Resp. ad* 2. Sacramenta Hæreticorum potius polluunt quam sanctificant, eo quod nullum sit Sacramentum, *nego*: eo quod careat effectu, *conc.* Sensus itaque Patrum est Baptismum sine necessitate ab Hæreticis susceptum esse illicitum & inutilem suscipienti, ideoque hoc Baptismo baptizatum non sanctificari, sed potius pollui, ob sacrilegium quod committit Baptismum ab Hæreticis & in hæresi recipiendo: idem dic de Ordine & Confirmatione ab eis suscepta qui hæresi consentiunt & participant: ita docet Div. Thom. (*art.* 9. *ad* 2.): *Quidam* (Hæretici) *servant Ecclesiæ formam*, inquit, *& tales conferunt quidem Sacramentum, sed non conferunt rem Sacramenti, si manifeste ab Ecclesia præcisi sint: quia hoc ipso quod aliquis accipit Sacramenta ab eis, peccat & per hoc impeditur, ne effectum Sacramenti consequatur.*

*Resp. ad* 3. Ordinationes ab Hæreticis factæ dicuntur irritæ, quoad characterem, *nego*; quoad exercitium & usum potestatis per ordinationem acceptæ, *conc.* ordinati enim ab Hæreticis redeuntes ad Ecclesiam Catholicam non admittebantur ad honorem & exercitium Sacerdotii, non gaudebant Clericorum privilegiis, habebanturque ut Laici, inde Patres dicebant tales ordinationes esse irritas & sine effectu.

*Objicies* 4. In ea dumtaxat societate valide administrari possunt Sacramenta, cui a Christo concessa sunt Sacramenta; atqui soli Catholicorum societati Sacramenta concessa sunt a Christo; ergo a solis Catholicis administrari possunt.

*Resp. nego maj.* Quia possunt ab Hæreticis illicite & injuste usurpari Sacramenta, valide tamen, sed *aliud est non habere, aliud non utiliter habere*, ait Div. August. (*lib.* 4. *de Bapt. c.* ...) *Qui non habet, est baptizandus ut habeat: qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat colligendus.*

*Prob. maj.* Illi soli sunt Sacramentorum ministri, qui sunt Ecclesiæ & Christi ministri, cum ministri Sacramentorum non suo, sed Christo, & Ecclesiæ nomine agant; atqui soli Catholici sunt Christi & Ecclesiæ ministri: ergo.

*Resp. nego min.*

*Prob. min.* Soli Catholici sunt membra Christi & Ecclesiæ: ergo soli Catholici sunt ministri Christi; nam Christus & Ecclesia non utuntur nisi suis membris.

*Resp. nego conseq. & ejus probationem:* Christus enim cum sit principalis causa Sacramentorum, potest uti quolibet ad ea administranda, & quovis utatur est ejus instrumentum quod sufficit; indifferens ergo est ad validam administrationem quod sit membrum Ecclesiæ, vel non sit membrum Ecclesiæ; cum, ut ait Div. August. (*L.* 5. *contra Donat. cap.* 24.) *Ecclesia per hæreticos & malos sponso suo filios generet.*

*Prob. conseq.* Christus non influit gratiam per infideles & peccatores; ergo non utitur suis membris. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Caput non influit in pectus per membra mortua; ergo nec Christus influit gratiam per infideles & peccatores.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod caput naturale est finitum in sua virtute. Christus autem est infinitæ virtutis; ergo sicut potest sine ministris justificare, potest per infideles.

*Objicies* 5. Hæretici & peccatores non habent Spiritum sanctum; ergo non possunt illum dare per Sacramenta. Nam nemo dat quod non habet.

*Resp. nego conseq.* Probationem *distinguo*; nemo dat quod nullo modo habet, *conc.* quod aliquo modo habet, *nego.* Hæretici enim non habent Spiritum sanctum formaliter per gratiam sanctificantem; verum illum habent ministerialiter, & ideo possunt illum per Sacramenta dare.

## APPENDIX UNICA.

*Expenduntur quædam quæstiones facti, quæ ad historiam rebaptizantium pertinent.*

Quæres 1. *An Cyprianus, Firmilianus cum collegis suis Episcopis existimaverint agitatam de Baptismo Hæreticorum controversiam, pertinere ad fidem vel ad disciplinam?*

*Nota:* In eo differt fides a disciplina, quod hæc varia esse possit pro varietate temporum & locorum, illa simplex, unica & eadem semper habeatur.

*Resp.* Quamvis rebaptizantium causa reipsa sit caput fidei, verisimile est Cyprianum, Firmilianum, &c. existimasse ipsam ad disciplinam pertinere.

*Prob.* Characteres controversiæ pertinentis ad disciplinam sunt tres, nimirum varietas in praxi, libertas sentiendi, pax & communio inter dissidentes; atqui Cyprianus, Firmilianus & alii confitentur circa hanc controversiam esse varietatem in praxi (*S. Cyprian. Epist.* 71. *ad Quintum, & Epist.* 62. *ad Stephanum*); declarant unicuique prælatorum relictam esse libertatem sentiendi quod vellet. (*S. Cyprian. in præfat. Concil. III. Carthag.*); testantur se servare pacem & communionem cum iis qui diversam opinionem & praxim servabant. (*S. Cypr. Epist. ad Jubajan. num.* 73.) Ergo &c.

Quæres 2. *An sanctus Stephanus de facto excommunicaverit sanctos Cyprianum, Firmilianum & cæteros ipsi adhærentes?*

*Resp.* Non excommunicavit, sed intra minas excommunicationis se continuit sanctus Stephanus, ut ipse testatur Aug. dicens (*Lib. de unico Baptis. cap.* 14.), *cum ergo Stephanus illos excommunicandos esse censeret, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.*

*Dices.* Sanctus Stephanus legatis Cypriani denegavit colloquium & hospitium, ergo pro excommunicatis eos habuit.

*Resp. nego conseq.* Ideo enim sanctus Stephanus legatis denegavit colloquium et hospitium, ut hac seve-

severitate & prudenti œconomia illos ab errore revocaret, caveretque ne diutius Romæ commorantes, gregem sibi commissum errore suo inficerent.

Quæres 3. *Quodnam fuit illud plenarium Concilium, in quo asserit D. Aug. ( L. 2. de Baptismo can. 9.) controversiam de Baptismo Hæreticorum fuisse terminatam?*

*Resp.* Res est apud Theologos plane incerta: aliis videtur fuisse Concilium Nicænum primum ann. 314. aliis Arelatense primum ann. 323. Certum est tamen unum fuisse ex illis duobus; utrumque enim ante Augustini nativitatem ( *Nativitas Aug. contigit ann.* 354.) & post mortem Cypriani ( *obiit ann.* 258.) fuit celebratum, & utramque fuit *transmarinum*. His enim notis Concilium illud designat D. August.

## SECTIO II.

*Utrum peccatores Sacramenta licite conficiant & conferant?*

### CONCLUSIO.

*Minister, qui peccati alicujus mortalis sibi conscius Sacramenta ex officio conficit aut dipensat, mortalis peccat.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura de Sacerdotibus dicente ( *Lev.* 32. *v.* 6.): *sancti erunt Deo suo & non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Hinc D. Gregorius ait: ( *Cap. necesse* 1. *q.* 1. ) *necesse est ut munda esse studeat manus, quæ diluere sordes curat.*

*Prob.* 2. Ratione & auctoritate D. Thomæ dicentis: ( 3. *part. q.* 64. *art.* 6. *in corp.* ) *non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent: & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei* ( cujus sunt ministri ) *& contaminationem Sacramentorum* (quorum violatur sanctitas ex parte impii ministri ) *consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Dixi in propositione, *ex officio:* quia ex D. Thoma ( *ibidem ad* 3. ) *in articulo necessitatis non peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset Laicus baptizare: sic enim patet quod non exhiberet se ut ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis quæ non sunt tantæ necessitatis.*

Ex hoc textu patet quod ex duplici capite repetatur gravitas culpæ ministri peccatoris; 1. Ex sanctitate Sacramentorum novæ Legis; 2. Ex ejus consecratione & speciali deputatione ad sacra ministeria. Ex his

*Inferes* 1. Diaconos & Subdiaconos, ordinum suorum officia solemniter in mortali exercentes, peccare mortaliter, tum quia eorum functiones sunt graves, proximeque ad confectionem Eucharistiæ accedunt; tum quia ad suas functiones per Ordines sacros sunt specialiter consecrati ac deputati Ecclesiæ ministri. Hinc Apostolus ( 1. *ad Timoth.* 3. *vers.* 10. ) jubet: *ut Diaconi ... ministrent nullum crimen habentes.*

*Inferes* 2. Minores Clericos in peccato mortali ministrantes non peccare mortaliter: quia eorum functiones non videntur sacræ, ideoque sæpius exercentur a Laicis. Hæc sententia est communis, *& fere certa*, addit Suarez. ( *disp.* 6. *sess.* 5. )

Quæres: *An minister peccator teneatur confiteri priusquam Sacramentum conficiat aut ministret, quantumvis sibi perfecte contritus videatur?*

*Resp.* Id certum est de Eucharistia prout definivit Tridentin. ( *sess.* 13. *can.* 11. ) de aliis aliqui etiam affirmant, sed longe plures de jure communi negant; quia nullum reperitur præceptum divinum vel humanum saltem commune in ordine ad alia Sacramenta administranda; nam Trident. ( *sess.* 24. *cap.* 1. *de matrim.* ) solum *hortatur sponsos ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur*, & Rituale Romanum de Sacerdote peccati mortalis sibi conscio dicit solum, *ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere nisi prius corde pœniteat: sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.*

## SECTIO III.

*Utrum liceat Sacramenta petere & accipere ab improbis ministris?*

*Nota* 1. Improbus minister vel est excommunicatus ut sunt Hæretici, Schismatici notorii, &c. vel non est communicatus aut alia censura percussus. Rursus excommunicatus vel est ab Ecclesia toleratus, vel non est toleratus.

*Toleratus*, est is qui pœnam excommunicationis ipso quidem facto incurrit, sed contra quem nulla præcessit judicis sententia, qua nominatim declaretur excommunicatus aut suspensus.

*Non toleratus*, est is qui per sententiam Judicis nominatim declaratus excommunicatus est aut suspensus.

*Nota* 2. Triplex est Sacramentorum suscipiendorum necessitas, scilicet extrema, gravis & levis.

*Extrema necessitas* est urgens mortis periculum in quo moribundus Sacramentis ad salutem absolute necessariis indiget, ut baptismo Catechumenus, & pœnitentia peccator.

*Gravis necessitas* æstimatur, dum urget præceptum confessionis annuæ, aut confitendi peccati mortalis.

*Levis necessitas* censetur, dum quædam adest utilitas, verb. gr. indulgentiam plenariam lucrandi, Eucharistiam festis solemnioribus frequentandi, &c. His notatis

### CONCLUSIO I.

*Absque causa legitima non licet Sacramenta petere, vel percipere ab improbo ministro, licet tolerato.*

*Prob.* Quia Lex charitatis postulat, ut non detur malo Sacerdoti occasio peccandi; atqui qui ab improbo ministro petit & recipit Sacramenta absque legitima causa, dat ipsi occasionem peccandi per malam Sacramenti administrationem; ergo.

CON-

## CONCLUSIO II.

*In extrema necessitate licet ab excommunicato etiam non tolerato petere & suscipere Sacramentum Baptismi, non vero alia Sacramenta.*

*Prob.* 1. *pars* 1. De Baptismo ex Div. August. (*l.* 1. *de Baptism. contra Donat. cap.* 2.) dicente: *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum per quem accipiat* (Baptismum) *non invenerit, & in animo pace Ecclesiæ custodita, per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa unitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi Catholicum deputamus.*

*Prob.* 2. De Pœnitentia, Concil. Trident. (*sess.* 14. *cap.* 7.) declarante omnibus promiscue Sacerdotibus licere pœnitentes quoslibet, in mortis articulo, a quibuslibet peccatis & censuris absolvere: *Pie admodum*, inquit, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus & censuris absolvere possunt.*

*Dices:* Conc. Trid. intelligi tantum debet de Catholicis Sacerdotibus, quibus non est concessa facultas a casibus reservatis absolvendi; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Quia 1. Concilium *omnes Sacerdotes* comprehendit; atqui ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim cum agitur de revocatione coarctationis in jure communi facta, (ut est casuum reservatio) cum, ex omnibus Canonistis, odia sint restringenda, favores ampliandi; ergo, &c. .... 2. Quia ideo ex D. Augustino licitum est adultis Baptismum ab Hæreticis in periculo mortis exposcere, quia Baptismus ad regenerationem necessitate medii requiritur; atqui pariter pœnitentia sacramentalis est necessaria necessitate medii ad resurrectionem spiritualem, ergo &c. ... 3. Quia Cardinales Concilii Trident. interpretes nostram sententiam expressis verbis declararunt: ista enim verba, *Atque adeo omnes Sacerdotes*, sic interpretantur: *Etiamsi isti Sacerdotes essent excommunicati, & denuntiati, extra quem articulum, scilicet mortis, cum nihil possunt, graviter etiam peccant, excommunicationemque incurrunt.*

*Inst.* Absolutio Sacerdotis suppleri potest per contritionem pœnitentis cum voto Sacramenti; ergo non est in casu extremæ necessitatis.

*Respond.* 1. *retorquendo:* Baptismus fluminis potest suppleri per Baptismum flaminis: ergo Catechumenus, de vita periclitans, non est in casu extremæ necessitatis.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Quia cum homo de suæ contritionis perfectione certus esse non possit absque speciali revelatione, semper, cum de vita periclitatur, censetur esse in casu extremæ necessitatis.

Dixi 1. *In extrema necessitate;* quia D. Aug. ibidem docet quod *si quis, cum possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari .... procul dubio perversus est & iniquus, & tanto perniciosus, quanto scientius.*



Dixi 2. *Modo absit scandalum;* quia quilibet tenetur abstinere ab actu, cujus effectus potest aliunde haberi, ad vitandum grave scandalum ex illius actus exercitio oriundum; atqui effectus Baptismi & Pœnitentiæ per votum Baptismi, & contritionem perfectam possunt haberi; ergo &c.

*Hinc:* Si ex susceptione Baptismi & Pœnitentiæ ab Hæreticis vel Schismaticis Catholicis præberetur occasio non temere credendi per hujusmodi susceptionem approbari hæresim vel schisma, eaque ratione ministris Hæreticis aut schismaticis concilianda prævideretur auctoritas, & plures ex Catholicis ad eorum partes defecturos, non liceret ab eis illa Sacramenta petere & recipere.

*Objicies:* Si baptizandus esset infans in vitæ discrimene positus, nec alius, præter hæreticum hominem Baptismi formam nosset, posset quis illum offerre hujusmodi ministro baptizandum, quamvis ea actio multis futura sit scandalo; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Ratio est, quia per solum Baptismum potest saluti illius infantis consuli, nec ullius offensionis & scandali, in hac hypothesi, daretur occasio; unde si quoddam inde oriatur, non est ab offerente datum, sed ab aliis remere & incaute acceptum.

Dixi 3. *Non vero alia Sacramenta;* quia Ecclesia in solo casu extremæ necessitatis permittit cum non toleratis communicare in spiritualibus, ut constat ex Bulla, *Ad evitanda*, in qua Martinus V. sic statuit: *Ad evitanda scandala & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut illis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum observare, nisi sensura vel sententia hujusmodi fuerit facta in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum a Judice publicata vel denuntiata specialiter aut expresse; aut si aliquem ita notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari.*

## CONCLUSIO III.

*In gravi necessitate, licitum est Sacramenta petere & accipere a Ministro malo ab Ecclesia tolerato, si abfuerit alius Sacerdos.*

*Prob.* Ex dictis de juramento petito ab eo qui prævidetur per falsos deos juraturus; & de mutuo petito ab usurario; licet ex gravi necessitate ab alio petere id, quod potest licite præstare, quamvis prævideatur peccaturus; atqui Sacerdos de quo hic, potest licite conferre Sacramenta, se nimirum ad id disponendo per Confessionem Sacramentalem, vel Actum Contritionis, & supponitur gravis necessitas; ergo &c.

Dixi, *Modo abfuerit alius Sacerdos;* quia lex charitatis postulat, ut non detur malo Sacerdoti

occasio peccandi per indignam Sacramenti administrationem.

## CONCLUSIO IV.

*In levi necessitate licet petere et recipere Sacramenta a Ministro malo tolerato, si sit Pastor proprius, modo tamen non adsit alius Sacerdos, a quo recipi possint.*

*Prob.* 1. *pars:* Quia qui petit Sacramenta a Parocho, cui ex officio illa ovibus suis ministrare incumbit, utitur jure suo in re quæ ex se bona est ac utilis, & quam Parochus potest ac tenetur bene facere; ergo Parochianus &c.

*Prob.* 1. *pars:* Quia lex charitatis præcipit, ne quis jure suo utatur, cum grave damnum proximo inferendum prævidet, præsertim si rem sibi debitam alia via sine periculo & detrimento consequi possit; sic jusjurandum ab infideli per falsos Deos juraturo exigere non licet, quando contractui cum eo inito tanta aliunde firmitas adesse potest, quanta ex juramento speratur.

*Objicies:* Parochianus Sacramenta ab impio suo Pastore petens, illi est scandalo, cum eum, hujusmodi petitione, ad actionem, quam prævidet ei noxiam fore, inducat.

*Resp. nego ant.* Scandalum enim quod objicitur, est scandalum ab impio Pastore acceptum, non autem datum a Parochiano, qui juste rem sibi debitam petit, & qua æquum non est, ut, propter debitoris iniquitatem, privetur.

Quæres. *An similiter liceat in levi necessitate a malo Ministro tolerato, qui ex officio Sacramenta ministrare non tenetur, Sacramenta petere & suscipere?*

*Resp. cum dist.* Vel enim Minister iste paratus est ac determinatus Sacramenta ministrare quæ re ipsa administrat, vel non est paratus ac determinatus.

*Si prius*, licitum est ab eo Sacramenta percipere: quia tunc petens non censetur Ministrum malum inducere ad peccandum, sed ejus mala voluntate jam determinata ad malam actionem, qua recte facere posset, uti ad malum spirituale a se avertendum.

*Si posterius*, non licet, quia tunc quodammodo inducitur ad peccandum, & ipsi occasio peccandi datur; Charitas autem postulat, ut cum levi nostro incommodo occasionem peccandi a proximo avertamus.

## SECTIO IV.

### *Utrum liceat Sacramenta administrare peccatoribus?*

*Nota:* Peccator duplex est, alius occultus, cujus peccatum secretum est; alter publicus, cujus peccatum notorium est, sive notorietate juris, id est per judicis sententiam; sive notorietate facti, cum nimirum crimen ita est notorium ut nulla tergiversatione celari possit, prout qui in populi concursu hominem occidisset. His positis

## CONCLUSIO I.

*Peccatori publico seu notorio facti vel juris notorietate, scienter ministrare Sacramentum, est peccatum gravissimum, sive Sacramentum petat publice, sive privatim.*

*Prob.* Ille gravissime peccat, qui peccat simul contra religionem, fidelitatem & charitatem proximi; atqui qui peccatori publico scienter ministrat Sacramentum, peccat contra religionem qua prohibemur *dare Sanctum canibus* (*Matth.* 7. *vers.* 6.); contra fidelitatem, qua tenemur debite dona Dei dispensare juxta Apostolum dicentem (*Prima Cor.* 4 *vers.* 2.) *hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; contra charitatem proximi, secundum quam non licet peccato proximi cooperari, nec huic sacrilegæ cooperationi assistentes scandalizare; ergo.

*Dices:* Non licet proximum infamare, sed qui sic denegat Sacramentum proximo, ipsum infamat.

*Resp. nego min.* Sufficienter enim per crimen admissum infamatus est, & minister sine nova infamia consulit reverentiæ Sacramenti.

*Nota.* Hic apud Gallos notorietatem facti non sufficere (in foro saltem externo) ut quis peccator publicus habeatur, sed requiri notorietatem juris.

## CONCLUSIO II.

*Occulto peccatori publice Sacramentum petenti, Sacramentum ministrari debet, si repelli non possit absque illius infamia et populi scandalo.* (*Ita Div. Thom. quæst.* 10. *art.* 6. *Valentia*, *Suarez*, & *alii.*)

*Prob.* 1. Ex praxi Ecclesiæ & exemplo Christi, *qui nec Judam a Communione removit*, ait Eugenius Papa. (*Cap.* 2. *de Officio Judicis ordinarii.*)

*Prob.* 2. Ex Oraculo Apostoli: *non sunt facienda mala ut eveniant bona:* sed malum est occulta proximi peccata propalare, scandala parere, jurgia & perturbationes movere, quæ omnia orirentur ex denegatione Sacramenti occulto peccatori Sacramentum publice petenti; ergo non licet ipsi denegare Sacramentum ut eveniat bonum, nempe ut consulatur reverentiæ Sacramenti.

*Dices.* Alterius peccato cooperari nefas est: sed qui occulto peccatori Sacramentum ministrat, cooperatur peccato alieno; ergo.

*Resp. nego min.* Qui enim actionem de se bonam justa de causa exercet; quamvis prævideat fore ut alter peccet, non tamen cooperatur peccato illius moraliter; sed tantum illud permittit ex justa causa, nempe ad vitandum scandalum, & famam proximi conservandam.

Dixi: *Occulto peccatori Sacramentum publice petenti:* quia si occulte peteret, non esset administrandum Sacramenum, cum possit sine scandalo populi & petentis infamia denegari, ut docet Rituale Rom. non modo tamen Minister statum ejus cognoscat per aliam viam, quam per Confessionem Sacramentalem, quia tunc esset virtualis quædam exprobratio peccati, ex qua Confessio non parum fieret odiosa, quod nullo casu licitum esse docent omnes Theologi.

Quæres, *utrum liceat peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, porrigere Hostiam non consecratam, ad vitandum sacrilegium petentis?*

*Resp.*

*Resp. negative*: Quia idololatria est gravius peccatum quam sacrilegium, sed Sacerdos porrigens Hostiam non consecratam, daret ex se materiam & occasionem idololatriæ ad vitandum sacrilegium; Hostia enim antequam sumatur, proponitur adoranda; ergo.

## CAPUT V.

### *De subjecto Sacramentorum.*

*Nota* 1. Certum est solum hominem viatorem esse subjectum capax Sacramentorum: ratio est, quia Sacramenta sunt signa sensibilia instituta ad dandam vel augendam gratiam; atqui solus homo viator est capax recipiendi gratiam vel augmentum ejus per signa sensibilia; ergo.

*Nota* 2. Certum est non omnes homines esse omnium Sacramentorum capaces; nam v. gr. infans non est capax Matrimonii, homo sanus non est capax Extremæ Unctionis, nec femina Ordinis.

*Solum* igitur quæstio hic movetur de dispositionibus tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum susceptionem, quam solvemus duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *Quænam dispositiones requirantur & sufficiant in subjecto ad validam Sacramentorum susceptionem?*

*Nota*. Agitur hic de solis adultis: nam in infantibus & perpetuo amentibus nihil requiritur, ut patet ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, secundum quam baptizantur infantes; enimvero si necessarius esset aliquis actus propriæ voluntatis, non possent salvari.

## CONCLUSIO I.

*In adulto ad valorem Sacramenti requiritur aliqua intentio positiva recipiendi Sacramentum. ( Ita definierunt Concilia Carthag. III. c. 34. Arausic. I. can. 12. )*

*Prob.* 1. Exc. majores de baptismo, ubi Innoc. III. ait: *Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.*

*Prob.* 2. Ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ; quæ nobis sufficienter constat ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, ubi dicitur: *Si quis adultus sit baptizandus, debet ..... ejus voluntas & propositum sæpius explorari, & non nisi sciens & volens, probeque instructus, baptizari.* Et infra prohibet ne baptizetur adultus qui in amentiam incidit, si dum esset rationis compos, Baptismum non petiit. Hinc S. Thomas ( *sess. 6. cap. 7.* ) concludit; *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus:*

Ratio a priori, est institutio Christi, qui convenienter voluit ut nullus adultus qui usum rationis habuit, justitiam vel ejus augmentum assequeretur, sine ejus consensu in suam justificationem, ut declarat Conc. Trid. ( 3. *p. q.* 68. *art.* 7. ) dicens: *Justificationem esse renovationem interioris hominis* per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Can. *de Judæis* dist. 45. Judæi qui coacti fuerant ad Baptismum suscipiendum, dicuntur Baptismi gratiam suscepisse; ergo valuit eorum Baptisma sine eorum consensu.

*Resp. nego conseq.* Can. enim loquitur de solis Judæis qui metu coacti, vere consenserant in Baptismum, licet enim *secundum quid* inviti erant *simpliciter* volentes.

*Inst.* Glossa in caput *majores* docet, *validum esse Baptismum illius qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Nullius enim ponderis est hæc Glossa, quæ jussu Gregorii XII. fuit expuncta.

*Objicies* 2. S. August. ( *Tract.* 26. *in Joann.* ) ait: *Quisquam accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens*: ergo.

*Resp.* Sanctus Augustinus ibi loquitur de Sacramento Eucharistiæ, quæ cum habeat esse permanens potest a nesciente vel invito ( quamquam sine fructu ) percipi. Alias sibi contradiceret S. Doctor, cum ( *lib.* 4. *contra Donatistas cap.* 24. ) doceat istud discriminis esse inter infantes & adultos, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur, sufficiat autem susceptores respondere pro infantibus.

*Objicies* 3. Concil. Flor. Ad valorem Sacramenti tria tantum requirit, nempe materiam, formam & intentionem Ministri: ergo intentio suscipientis non requiritur.

*Resp. dist. ant.* Tria tantum requirit ex parte Ministri, *conc. ant.* ex parte recipientis Sacramentum, *nego*: Concilium enim loquitur solum de iis quæ sunt necessaria ex parte conficientis Sacramentum, unde dicit *Sacramenta tribus perficiuntur*, quare mirum videri non debet, si de intentione in suscipiente necessaria, nihil dixerit.

*Inst.* Confectio Sacramenti unice pendet a Ministro; ergo ad ejus confectionem non requiritur actus suscipientis.

*Resp. dist. ant.* Unice pendet a Ministro tamquam a causa efficiente ministeriali, *conc.* tamquam a conditione necessaria, *nego ant.* intentio enim suscipientis est duntaxat conditio necessaria ut verum & ratum sit Sacramentum.

*Subsumes*: Atqui intentio suscipientis non est conditio necessaria ut verum sit Sacramentum.

*Prob. subseq.* Suscipiens Sacramentum se habet ut patiens: ergo non requiritur ejus intentio, &c.

*Resp. dist. ant.* Se habet ut patiens voluntarium, *conc. ant.* involuntarium, *nego*, at in patiente voluntario requiritur voluntas recipiendi.

*Inst.* 2. Extrema Unctio collata fideli præ subita infirmitate omnium sensuum usu destituto valet; atqui talis non habet positivam intentionem recipiendi Sacramentum; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Non habet positivam intentionem actualem aut virtualem, *conc.* interpretativam, *nego.* Qui enim christiane ad mortem usque vi-

vixit, censetur velle, ut sibi postea ratione destituto Sacramentum exeuntium conferatur.

*Objicies 4.* Multi inviti ordinati sunt, quorum tamen ordinatio rata habita est: ergo.

*Resp. dist. ant.* Ordinati sunt inviti, *secundum quid*, id est, cum aliqua repugnantia propter metum & reverentiam, *conc. ant.* sunt ordinati inviti, *simpliciter*, *nego*, qui enim sic reluctantes erant, subinde ut votis Ecclesiæ & Superiorum voluntati se faciles præberent, consentiebant se ordinari.

## CONCLUSIO II.

*Ad valorem Sacramenti sufficit intentio supradicta in recipiente, non autem requiritur fides; excepta poenitentia.*

*Prob. Ex praxi & traditione* Ecclesiæ, quæ in variis Conciliis definivit Hæreticos ab Hæreticis baptizatos, vel ordinatos, non esse denuo baptizandos vel ordinandos, cum ad Fidem Catholicam redierint, si hæc Sacramenta cum materia & forma legitima susceperint.

Dixi: *Excepta poenitentia:* quia hoc peculiare est huic Sacramento ut actus pœnitentis, nempe contritio, confessio & satisfactio sint ejus materia; atqui non potest integra esse Sacramenti substantia sine valida materia; nec valida materia, nempe contritio, nisi fidem ac pietatem aliquam includat; ergo in suscipiente Sacramentum pœnitentiæ requiritur fides.

Quæres, *qualis intentio requiratur in subjecto ad Sacramentum valide recipiendum?*

*Resp.* Non requiritur actualis, vel virtualis, *nisi in Matrimonio;* sed sufficit habitualis, id est, voluntas illud recipiendi præterita, sed non retractata; imo quandoque sufficit voluntas interpretativa.

*Prob.* Quod sufficiat intentio habitualis ex Conciliis (*Carthag. III. & Araus. I.*), & Rituali Rom. præcipientibus, ut baptizetur moribundus sensibus & ratione destitutus, modo constet de præterita ejus voluntate; atqui tali moribundo non potest inesse nisi habitualis intentio: ergo.

*Prob.* Quod quandoque sufficiat intentio interpretativa: ex constanti praxi Ecclesiæ, quæ fidelibus repentino morbo correptis, quo usum linguæ & rationis amiserunt, administrat Sacramenta Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis, etiamsi illa ante non expetierint; atqui tunc est solum intentio interpretativa; ergo.

Dixi *excepto Matrimonio:* Quia ad valorem contractus requiritur consensus saltem virtualis. Aliqui excipiunt etiam Pœnitentiam, quia in illo Sacramento actus pœnitentis requiruntur tamquam pars essentialis, sed de hoc infra.

## QUÆSTIO I.

*Quænam dispositiones requirantur ad licitam & salutiferam Sacramentorum susceptionem?*

*Nota.* Duo sunt Sacramenta mortuorum, Baptismus nimirum & Pœnitentia; sic dicta, quia sunt instituta ad remittendum peccatum mortale .... Quinque vero sunt Sacramenta vivorum, scilicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium; sic dicta, quia sunt instituta pro hominibus vita spirituali gratiæ sanctificantis viventibus.

## CONCLUSIO I.

*Ad suscipienda Sacramenta mortuorum cum fructu requiruntur & sufficiunt quinque dispositiones ex* Trid. (*sess.* 6. *can.* 6.) scilicet Fides, Timor, Spes, seu Fiducia in Deo collocanda, Amor Dei initialis, Odium & Detestatio peccati.

## CONCLUSIO II.

*Ad recipienda cum fructu Sacramenta vivorum præter actus prædictos requiritur gratia sanctificans*, quia sunt instituta ad augendam gratiam; ergo supponunt in subjecto.

## CAPUT VI.

*De effectibus Sacramentorum.*

Quæres. *Quotuplex sit effectus Sacramentorum?*

*Resp. duo.* Unus primarius, scilicet, gratia quæ confertur ab omnibus; alter secundarius, nempe character, qui ab aliquibus tantum imprimitur: de quibus duobus articulis.

## ARTICULUS I.

*De gratia quæ per Sacramenta confertur.*

*Nota.* Quatuor hic nobis sunt discutienda.

*Primum.* An Sacramenta novæ Legis gratiam non ponentibus obicem conferant, & qualem?

*Secundum*, Quomodo Sacramenta novæ Legis conferant gratiam?

*Tertium.* An dum propter obicem, gratiam non contulerunt, ipsa gratia sublato obice, reviviscat?

*Quartum.* An vetera Sacramenta contulerint gratiam; & quomodo?

## SECTIO PRIMA.

*An Sacramenta novæ Legis gratiam non ponentibus obicem conferant & qualem.*

*Nota.* Quod Sacramenta novæ Legis conferant Gratiam, est de fide definitum in Conciliis Florent. in Decreto his verbis: *Sacramenta veteris Legis non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Ex Tridentino dicente: (*sess.* 7. *can.* 6.) *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre . . . anathema sit.* Et can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.*

Re-

Restat ergo exponendum, qualem gratiam conferant Sacramenta, circa quod

*Nota.* Gratia quæ per Sacramenta confertur, vel communis est omnibus Sacramentis, vel est propria unicuique.

Gratia *communis*, est gratia sanctificans; prima, vel secunda; id est, quæ homini vel primum datur, ut in Sacramentis mortuorum; vel jam data augetur, ut in Sacramentis vivorum.

Gratia unicuique Sacramento propria, quæ ideo *Sacramentalis* dicitur, definitur: *gratia habitualis annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujusque Sacramenti.* His notatis:

Quæres 1. *Qualem gratiam conferant Sacramenta mortuorum?*

*Resp.* Ex sese, & ex primaria sua institutione conferunt primam gratiam; & per accidens secundam.

*Prob. 1. pars.* Illa Sacramenta ex sese conferunt primam gratiam, quæ sunt instituta ad mortuos justificandos; atqui Sacramenta mortuorum sunt instituta ad mortuos justificandos; ergo.

*Prob. secunda pars.* Fide constat Sacramenta conferre gratiam illis qui non ponunt obicem gratiæ; ergo qui jam per actum perfectæ contritionis justificatus, recipit Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, recipit gratiam cum non ponat obicem; atqui ille non recipit primam gratiam; ergo recipit secundam. Alias frustra justi sæpe confiterentur peccata venialia, aut mortalia jam remissa.

Quæres 2. *Qualem gratiam conferant Sacramenta vivorum?*

*Resp.* Ex primaria sua institutione conferunt secundam gratiam, & per accidens primam.

*Prima pars prob.* Quia sunt instituta ad augmentum gratiæ.

*Prob. secunda pars.* Ex D. Thom. de Confirmatione dicente (3. *p. qu.* 73. *art.* 8. *ad* 2.): *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet: vel si etiam perfecte non contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequitur remissionem peccatorum.* Idem docet de Eucharistia (*D. Thom.* 3. *p. q.* 7. *art.* 3. *in corp.*) & extrema Unctione. (*D. Thom.* 4. *d.* 23. *q.* 1. *art.* 2.).

Ratio est, quia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem, sed qui facit quod in se est, nullum ponit, sed potius omnem tollit obicem; ergo.

*Objicies*: Sacramenta conferunt gratiam quam significant; atqui Sacramenta vivorum non significant primam gratiam; ergo.

*Resp. dist. min.* Sacramenta vivorum non significant primam gratiam, per se ex primaria Christi institutione, *conc.* per accidens & ex secundaria Christi institutione, *nego.* Ex hac enim institutione, Sacramenta significant omnem gratiam quam conferunt.

*Inst.* 1. Status gratiæ est dispositio necessario requisita ad Sacramenta vivorum: ergo primam gratiam non conferunt.

*Resp. similiter dist. ant.* Est dispositio necessario prærequisita, ex primaria Christi institutione, *conc.* ex secundaria, *nego.* Ex hac enim secundaria institutione sufficit etiam status gratiæ prudenter existimatus, aut a suscipiente prius quantum in se est, procuratus.

*Inst.* 2. Dispositiones ad Sacramentorum susceptionem requisitæ, debent esse veræ ac reales, nec sufficiunt si sint tantum existimatæ; ergo nulla responsio.

*Prob. subseq.* Quod est tantum existimatum, pro nihilo haberi debet; ergo non sufficiunt dispositiones existimatæ.

*Resp. dist. ant.* Pro nihilo haberi debet, respectu rei existimatæ quæ de facto non adest, *conc.* respectu bonitatis & misericordiæ Dei, qui noluit horum Sacramentorum fructu carere eos qui ad illa recipienda se dispositos prudenter existimarent, *nego ant.*

Quæres 3. *Utrum Sacramenta in omnibus gratiam semper conferant æqualem?*

*Nota:* Quæstio est de eodem Sacramento in se considerato, non comparato ad aliud: constat enim alia aliis ut dignitate, ita etiam efficacia præstare, ut Eucharistia &c.

*Resp.* Eadem specie Sacramenta inæqualem conferunt ex opere operato gratiam iis qui sunt inæqualiter dispositi.

*Prob.* Ex Conc. Trid. dicente (*sess.* 6. *cap.* 7.) Baptizatos recipere justitiam, *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

*Prob. ratione.* Causæ necessarie naturales plus vel minus operantur in subjecto, secundum majorem vel minorem ejus dispositionem: sic ignis intensiorem producit calorem in ligno quam in stipula; atqui Sacramenta agunt ut causæ necessariæ & naturales; ergo.

*Dices:* Sacramenta ex opere operato agunt semper quantum possunt: ergo semper conferunt gratiam æqualem.

*Resp. dist. ant.* Agunt quantum possunt cum respectu ad dispositiones subjecti, *conc.* sine tali respectu; *nego ant.*

*Inst.* Ergo major illa gratia non datur ex opere operato, sed ex opere operantis, virtute nimirum dispositionum quæ sunt in subjecto; absurdum conseq.

*Resp. nego ant.* Quia illæ dispositiones non sunt causæ gratiæ effectrices, sed tantum conditiones necessariæ ex parte subjecti, sine quibus Sacramenta non tantum producerent gratiam ex opere operato, sed minorem.

Quæres 4. *Quo instanti Sacramenta conferant gratiam?*

*Resp.* Eo instanti quo primum essentialiter perfecta sunt & applicata, si nullus apponatur obex; ratio est quia sunt causæ necessariæ; ergo.

Quæres 5. *An Sacramenta præter gratiam sanctificantem conferant specialem gratiam sacramentalem?*

*Resp. affirmative:* Ratio est quia Sacramenta ad fines diversos cuilibet proprios sunt instituta: nam ut ait Eugenius IV. in decreto, *per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem roboramur in fide &c.* ergo Sacramenta præter gratiam sanctificantem omnibus communem, auxilium

xilium peculiare conferre debent ad hos fines obtinendos; finis enim supernaturalis non potest obtineri solis naturæ viribus.

*Porro* gratiæ illæ actuales non statim a suscepto Sacramento & simul conferuntur, ut patet in infantibus ante usum rationis qui non sunt capaces gratiarum actualium, sed tantum successive & opportuno tempore, cum nempe occurrunt occasiones finem Sacramenti suscepti spectantes; licet vi Sacramenti suscepti statim acquiratur jus ad illas gratias suo tempore & loco accipiendas.

*Petes*, *an qui per mortale peccatum amisit gratiam sanctificantem*, *amittat etiam jus habendi suo tempore prædicta auxilia?*

*Prob. affirm.* Quia gratia sacramentalis non est habitus distinctus a gratia sanctificante, sed est ipsa gratia sanctificans annexum habens jus ad gratias actuales ad finem proprium Sacramenti assequendum; atqui amisso juris fundamento, jus ipsum amittitur; ergo. Recuperatur autem per pœnitentiam, cum gratia sanctificante.

## SECTIO II.

### *Quomodo Sacramenta novæ Legis conferant gratiam?*

*Nota* 1. Duo hic quæruntur.

*Primum*, spectat dogma fidei adversus Hæreticos, an scilicet Sacramenta conferant gratiam *ex opere operato.*

*Secundum*, spectat scholæ dissidium; nimirum an Sacramenta conferant gratiam physice, vel moraliter.

*Nota* 2. Sacramentum conferre gratiam *ex opere operato*, est illam causare præcise vi operis ex instituto divino exerciti; non autem ex merito conficientis, vel suscipientis Sacramentum; hinc opus operatum est ipsum Sacramentum debite, subjecto applicatum.

Sacramentum conferre gratiam *ex opere operantis*, est illam causare præcise vi meriti conficientis, vel suscipientis Sacramentum.

*Nota* 3. Duplicem esse causam, physicam scilicet, & moralem.

*Causa physica* est ea, quæ producit actionem per quam existit effectus: hoc modo ignis producit calorem.

*Causa moralis* est ea, quæ movet causam physicam ad producendam actionem, per quam existit effectus; sic dominus imperans servo ut aliquem occidat, causa est moralis homicidii.

Utruque causa physica & moralis subdividuntur in principalem & instrumentalem.

Causa principalis est ea, quæ agit virtute sibi propria.

Causa instrumentalis est ea, quæ agit virtute sibi a causa principali communicata. His positis, sit

## CONCLUSIO I.

*Sacramenta novæ Legis gratiam causant ex opere operato iis qui nullum obicem opponunt.*

Propositio est contra Lutherum & Calvinum, qui cum asserant homines sola fide justificari, consequenter negant Sacramentis vim causandæ justificationis, solumque ea solum valere ad excitandam fidem qua homines justificantur.

*Prob.* 1. *Ex Scripturis*: causare gratiam *ex opere operato*, est illam causare præcise vi operis ex instituto divino exerciti; atqui ex Scriptura Sacramenta novæ Legis causant gratiam præcise vi operis ex instituto divino exerciti; ergo.

*Prob. min.* Scriptura hanc vim tribuit nostris Sacramentis; sit in exemplum aliorum Baptismus, in quo regenerandi vis & efficacia aquæ non minus, quam Spiritui sancto tribuitur, aquæ tanquam causæ instrumentali; Spiritui sancto tanquam causæ principali, Joann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, *non potest intrare in regnum Dei.*

*Prob.* 2. ex Concil. Trident. definiente (*sess.* 7. *can.* 8.) *si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam* .... *anathema sit.*

*Prob.* 3. Ex traditione Patrum una voce dicentium cum S. Augustino vim sanctificandi signis exterioribus a Spiritu Sancto inditam esse: *unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat*, *& cor abluat?* (*Tract.* 80. *in Joann.*)

*Prob.* 4. Ratione Theologica ducta ex Baptismo infantium; nam si Baptismus ex se ipso, seu *ex opere operato* non confert justificationem, sed solum excitat in subjecto fidem, frustra confertur infantibus, utpote incapacibus actus fidei; consequens repugnat fidei & praxi Ecclesiæ, & ipsorum Lutheranorum & Calvinistarum, qui nobiscum contendunt adversus Anabaptistas, infantes esse baptizandos; ergo.

Hinc D. Aug. *lib.* 4. *contra Cresconium*, *c.* 16. ait: Non eorum meritis a quibus ministratur, constat Baptismus: sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura soli fidei vim sanctificandi tribuit; non vero Sacramentis, nisi quatenus fidem movent & excitant; ergo Sacramenta non conferunt gratiam ex se.

*Prob. ant.* Ex Apostolo dicente: (*Rom.* 3. *vers.* 28.) *arbitramur justificari hominem per fidem.* Ergo non Sacramenta.

*Resp. nego ant.* Nullibi enim Scriptura usurpat particulam exclusivam *sola*, sicut falso supponit Lutherus.

*Ad probationem dist.* textum, *arbitramur justificari hominem per fidem* absque Sacramentis, *nego*; absque operibus Legis, *conc.* Hic Apostolus sola opera Legis Mosaicæ excludit, non vero Sacramenta.

*Inst. Marci ultimo* Christus ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, *salvus erit*, *qui vero non crediderit*, *condemnabitur*; ex quo sic argumentatur Lutherus:

Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, damnabitur, sed etiamsi baptizetur, ergo non Baptismus, sed fides salvat.

*Resp. nego conseq.* Sic enim concludere debet

Lu-

Lutherus; ergo non solus Baptismus, sed etiam fides salvat, quod concedimus, licet diversimode; fides enim est dispositio in adulto necessaria ad gratiam regenerationis obtinendam, & baptismus est ipsa causa productiva regenerationis.

*Objicies* 2. Solus Deus est causa gratiæ, *Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* ait S. Job. (14. *v.* 4.).

*Resp. dist. conseq.* Sacramenta non sunt causæ principales gratiæ, *conc.* instrumentales, *nego.* Job autem loquitur de causa principali gratiæ, quæ est solus Deus.

*Objicies* 3. Voces istæ, *ex opere operato*, sunt novæ & barbaræ, ergo prorsus rejiciendæ.

*Resp. esto ant. nego conseq.* Etsi enim essent novæ & barbaræ, nihilominus essent retinendæ, quia optime distinguunt virtutem Sacramenti a dispositionibus suscipientis; Ecclesia autem habet jus novas usurpandi voces in casibus occurrentibus ad antiquam fidem tuendam. Sic olim consecravit hæc vocabula, *consubstantialis*, *ingenitus*, quæ etsi in Scripturis non habeantur, res tamen per illa significatæ in illis inveniuntur. *Quid est autem contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine*, respondebat D. Aug. Pascentio Ariano, *epist.* 238.

Dixi: *esto ant.* Quia plusquam a quingentis annis hæ voces, *ex opere operato*, fuerunt *ab Innoc. III.* usurpatæ (*Lib. de myst. Missæ*).

## CONCLUSIO II.

*Sacramenta novæ legis producunt gratiam non physice, sed moraliter tantum;* quæ causalitas moralis in eo consistit, quod efficaciter & immediate Deum moveant ad gratiam physice producendam, ex pacto scilicet, quo se libere obstrinxit ut ad præsentiam illorum signorum gratiam conferret iis qui nullum opponunt obicem. (*Ita Scotistæ contra Thomist.*).

*Prob.* Omnis causa physica subjectum in quo agit, debet necessario attingere per physicum contactum sive immediatum, ut ignis comburens lignum, sive mediatum, quomodo sol in visceribus terræ per calorem a se diffusum operatur: *atqui* Sacramenta, animam in quam agunt, non attingunt physice, neque immediate & per se, cum sint corporea; neque mediate per virtutem a se emanantem, quæ ne fingi quidem potest; ergo, &c.

*Prob. min.* Tum ex matrimonio inter absentes per procuratorem celebrato, quod certe non attingit physice contrahentes, cum physice non sint præsentes, tum ex Baptismo ficte suscepto, id est cum conscientia peccati mortalis; qui recedente fictione reviviscit, id est confert gratiam homini pœnitenti, quique non attingit subjectum physice, cum non amplius existat: quod autem non existit, non potest agere physice; ergo.

Restat ergo ut Sacramentum gratiam moraliter producant, nam inter duplicem illum realem modum operandi, nullus medius interjacet.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura videtur tribuere Sacramentis causalitatem physicam, ergo causant physice. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Scriptura testatur hominem *ex aqua & Spiritu sancto renasci* (*Joan.* 3. *v.* 5.); *salvum fieri per lavacrum regenerationis.* (*Ad Tit.* 2. *v.* 5.) Atqui particulæ *ex* & *per* denotant causalitatem physicam; ergo Scriptura, &c.

*Resp. nego ant.* Ad probationem, *nego min.* particulæ enim *ex* & *per* ostendunt quidem Sacramenta veras esse causas nostræ justificationis; at causas esse potius physicas, quam morales non inde concludes; namque Scriptura dicit nos esse redemptos *in sanguine* & *per sanguinem* Christi. (*Hebr.* 9. *v.* 12. *Apoc.* 1. *v.* 6.) Atqui tamen sanguis Christi est tantum causa moralis nostræ salutis, cum mors & passio Christi non existant amplius; ergo.

*Objicies* 2. Patres videntur tribuere Sacramentis causalitatem physicam: ergo.

*Resp. nego ant.* Sancti quippe Patres hoc unum dumtaxat voluere, Sacramenta scilicet veras esse ac reales causas nostræ justificationis; causa vero moralis est vera ac propria causa effectus; imo sæpe effectus magis tribuitur causæ morali, quam physicæ, occisio enim magis tribuitur domino imperanti, quam servo exequenti.

*Prob. ant.* Patres comparant virtutem Sacramentorum virtuti causarum physicarum & naturalium; ergo Patres tribuunt Sacramentis causalitatem physicam.

*Resp. dist. ant.* Comparant quoad realitatem effectus, *conc. ant.* quoad modum producendi effectum, *nego*; alias inferri posset Sacramenta causas esse naturales gratiæ, quod falsum est.

*Inst.* 1. Ex Trid. (*Sess.* 7. *can.* 7.) Sacramenta continent gratiam; ergo gratiam conferunt physice.

*Resp. nego conseq.* Eo enim modo conferunt gratiam quo eam continent; atqui continent gratiam solummodo moraliter, quatenus ex virtute a Deo accepta movent efficaciter Deum ut gratiam conferat; ergo, &c.

*Inst.* 2. Sacramenta antiqua movebant Deum ad dandam gratiam, & tamen non dicuntur continere & causare gratiam; ergo cum Trid. definit nostra Sacramenta continere & causare gratiam, censetur ipsis tribuere causalitatem physicam.

*Resp. nego ant.* Quia Sacramenta vetera, utpote infirma & egena elementa, non *ex se ipsis & ex sua institutione* movebant Deum ad dandam gratiam, sed ex fide dumtaxat in Christum venturum, cujus erant publicæ protestationes; unde non erant causæ morales gratiæ, sed dumtaxat conditiones sine quibus non, ut ajunt; at nostra Sacramenta sunt veræ causæ morales, eo quod sint moraliter actiones Christi, cujus nomine fiunt, ac per sanctitatem efficiunt, quia ex primaria sui institutione sunt signa sensibilia; ad quorum præsentiam Deus determinatur ad justitiam subjecto, ut par est disposito, conferendam.

*Inst.* 3. Si Sacerdos dicendo *absolvo te*, gratiam conferret tantum moraliter, non vere absolveret. Falsum conseq. ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Sacerdos enim per illa verba vere & efficaciter Deum movet ad infundendam gratiam peccati remissivam.

*Inst.* Ergo qui exhibitione chirographi aliquem movet ut sibi solvat debitum, vere sibi solvit; absurdum conseq. ergo.

*Resp. nego sequel. maj.* Ratio disparitatis est, quia chirographus est dumtaxat conditio sine qua non, & merum signum; econtra Sacramentum est causa moralis; ita ut per se, & ex vi suæ institutionis gratiam in subjecto rite præparato, independenter a merito conferentis causet.

*Objicies* 3. Ea causalitas Sacramentis est tribuenda, quæ eorum excellentiam magis extollit; atqui talis est causalitas physica: ergo.

*Resp.* 1. *nego maj.* Quia non est tribuenda Sacramentis perfectior causalitas, quam meritis Christi, ex quibus omnis virtus Sacramentorum derivatur: atqui merita Christi sunt tantum causæ morales gratiæ; ergo.

*Resp.* 2. *nego min.* Moralis enim causalitas tam extollit excellentiam Sacramentorum, quam physica extolleret, cum non minus vere & efficaciter producat suum effectum.

## SECTIO III.

*An dum Sacramenta propter obicem non contulerint gratiam, ipsa sublato obice reviviscant?*

*Nota* 1. Obex & fictio hic idem sonant, nec sumuntur pro simulatione qua quis fingeret exterius se velle recipere Sacramentum, quod reipsa nollet recipere, in quo casu Sacramentum esset invalidum; sed sumuntur pro pravis dispositionibus quibus impeditur ne gratiam Sacramenti recipiat.

*Nota* 2. Obex duplex est; scilicet negativus, & positivus.

Obex *negativus* est carentia dispositionis necessariæ ad gratiam recipiendam.

Obex *positivus* est receptio Sacramenti cum conscientia peccati mortalis non retractati.

### CONCLUSIO.

*Sacramenta characterem imprimentia, sublato per pœnitentiam obice, reviviscunt.*

*Prob. De Baptismo.* Ex S. Augustino dicente (*Cap. 24. dist. 24. de consecrat.*) *Tunc valere ad salutem incipit Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

Ratio est quia peccatum originale non potest remitti nisi per Baptismum aut ejus votum, prout definivit Concil. Trident. (*sess.* 7. *c.* 4); atqui non potest remitti per Baptismum, cum Baptismus valide collatus non possit reiterari; nec per ejus votum, cum nemo desiderare possit id quod amplius recipi non potest; restat ergo ut remoto obice [illegible] fiat per Baptismi antea valide suscepti reviviscentiam. Alias qui rite sed ficte recepisset Baptismum, non posset amplius justificari, quod est incredibile.

*Prob. de Confirmatione & Ordine.* Quia cum hæc Sacramenta non possint iterari, valde confirmatus aut ordinatus gratiam sacramentalem ad [illegible] horum Sacramentorum necessariam, numquam obtinere posset, quod videtur incredibile.

Quæres 1. *Utrum gratia Sacramentalis, recedente fictione, producatur a Sacramento, vel a pœnitentia subsequente?*

*Resp.* Producitur *per se* a Sacramento quod ficte receptum est, virtute scilicet characteris in anima impressi; per accidens autem a pœnitentia, quæ fictionem removet, per quam Sacramenti prohibebatur effectus.

*Objicies*: Sacramentum, ficte susceptum, est opus mortuum; ergo non potest reviviscere.

*Resp. nego ant.* Sacramentum enim imprimens characterem, vivit ratione characteris, vi cujus, quasi formæ impressæ, aut seminis post se relicti, operatur. Ita D. Thom. 3. *p. qu.* 69. *art.* 10. *ad* 1. docet de Baptismo. *Dicendum*, inquit, *quod Sacramentum Baptismi est opus Dei, & non hominis: & ideo non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.* Idemque de Confirmatione & Ordine, characterem pariter imprimentibus, ferendum est judicium.

Quæres 2. *Utrum Sacramenta characterem non imprimentia, ficte suscepta, reviviscant recedente fictione?*

*Resp.* Probabilius est, quod non reviviscant, quia sunt opera mortua quæ nullo modo subsistunt neque in se, ut patet, neque in charactere, cum nullum imprimunt; ergo non possunt vivificari & reviviscere.

*Objicies*: Matrimonium, durante eodem conjugio; & Extrema Unctio, durante eodem morbo, iterari non possunt; ergo reviviscunt. Durum quippe videtur, quod qui hæc cum obice suscepit privetur irreparabiliter gratia sacramentali tam necessaria conjugato ad onera matrimonii patienter ferenda, & infirmo ad luctam diaboli superandam.

*Resp. nego conseq.* Ut enim Sacramentum sublato obice reviviscat, non sufficit quod iterari non possit, sed requiritur ut Sacramentum vivat; atqui Sacramentum, ficte receptum, nullo modo vivit si non imprimat characterem; ergo, &c. Itaque qui gratiæ receptioni obicem ponit, imputare sibi debet, si illius auxilio privetur.

## SECTIO IV.

*An Sacramenta veteris Legis contulerint gratiam, & quomodo?*

### CONCLUSIO.

*Nulla antiquæ Legis Sacramenta, ne Circumcisio quidem, causabant gratiam ex opere operato, sed dumtaxat ex opere operantis*, hoc est ex fide in Christum cujus erant signa protestativa.

*Prob. prima pars.* 1. Infirma & egena Sacramenta non conferunt gratiam *ex opere operato*: atqui Sacramenta vetera erant infirma & egena elementa ex Apost. dicente (*Galat. cap.* 4. *v.* 6.): *quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* & (*ibid. c.* 3 *v.* 12.) *in Lege nemo justificatur apud Deum*; & alibi (*Hebr.* 7. *vers.* 18.) *reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inu-*

tili-

*tilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex;* ergo.

*Prob.* 2. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *novæ Legis sep em sunt Sacramenta .... quæ multum a Sacramentis antiquæ Legis differunt: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & opem digne suscipientibus conferunt*: ergo Sacramenta vetera non erant instituta ad dandam gratiam, sicut nova, sed dumtaxat ad significandam illius futuram donationem.

*Prob. secunda pars:* Sacramenta vetera erant signa protestativa fidei in Christum mediatorem; atqui fides in Christum mediatorem erat meritoria, & gratiæ impetratoria; ergo. Hoc sensu Apostolus ait: *factores Legis justificabuntur.* ( *Rom.* 2. *vers.* 13. )

*Confirmatur* utraque pars ex S. Augustino de Sacramentis antiquis sic pronuntiante ( *qu.* 25. *in lib. numer.* ): *si per se attendantur, nullo facto possunt mederi; si autem res ipsæ quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum*; ergo ex S. Augustino Sacramenta vetera per se, seu *ex opere operato* non justificabant, sed ex fide dumtaxat, seu ex opere operantis.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura Sacrificiis ac Sacramentis antiquæ Legis promittit remissionem peccatorum, dicens ( *Lev.* 4. *v.* 21. *et* 31. ): *rogabit pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei*; ergo causabant gratiam ex opere operato.

*Resp. dist. ant.* Promittit remissionem peccatorum quoad legalem immunditiam, *conc. ant.* quoad culpam & pœnam æternam, *nego ant.* Unde Sacramenta vetera non valebant conferre gratiam sanctificantem, *sed* ut ait Apost. ( *Hebr.* 9. *v.* 13. ) *inquinatos solummodo sanctificarunt ad emundationem carnis*, nimirum per gratiam legalem qua mundabantur a legali immunditia, recuperabantque jus participandi omnibus cæremoniis & privilegiis populi Dei.

*Objicies* 2. Saltem circumcisio gratiam causabat ex opere operato; ergo.

*Resp. nego ant.* Abraham enim *circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam*, ait Justinus martyr ( *in dialog. cum Triphone.* ); cui consentiunt omnes Patres Augustino antiquiores.

*Prob. ant.* Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale; ergo justificabat ex opere operato.

*Resp. nego ant.* Sed unice instituta fuit ut esset signum fœderis Deum inter, & Abrahamum ejusque posteros, ut constat ex verbis, quibus instituta fuit Circumcisio, Gen. 17. *hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcideris carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos.* Non ait, ut sit in remedium peccati, & causam sanctificationis, sed *in signum fœderis:* nempe ut foret signum distinctionis populi Judaici a cæteris nationibus, singularisque protectionis Dei erga ipsum populum Dei electum. Unde Apostolus quærens, quæ sit utilitas Circumcisionis ( *Rom.* 3. *vers.* 1. ), respondet: *multum per omnem modum; primum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ergo illud præcipuum fuit Circumcisionis privilegium, quod eloquia Dei, id est, Lex, mandata, cultus Dei, Judæis concredita fuerit; sanctificatio autem sive in Circumcisione, sive in præputio, erat ex fide, ut ait Apostol. ibidem, *unus est Deus qui justificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

*Confirmatur responsio:* 1. Quia Lex Circumcisionis locum non habuit in feminis, remedium autem peccati originalis debet esse commune. 2. Quia per quadraginta annos, quibus Judæi in deserto manserunt, observata non fuit Lex Circumcisionis; tamdiu autem non fuisset omissa, si fuisset instituta ad peccatum originale delendum, ea enim indiguissent homines.

*Itaque* ante institutionem Baptismi, remedium peccati originalis fuit fides in Christum venturum exterius manifestata per cæremoniam aliquam religiosam, cujus determinationem Deus reliquerat hominibus. *Porro* posteri Abrahami pro cæremonia illa religiosa determinaverunt Circumcisionem applicandam masculis octavo die; femellæ vero & masculi ante octavum diem morientes justificabantur per illam exteriorem protestationem fidei parentum in Christum venturum illis applicatam. Ita sentit Div. Thom. 3. *quæst.* 70. *art.* 4. Ubi revocans oppositam sententiam, quam amplexus fuerat scribens, in 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. *artic.* 4. ait: *In Circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio, ita scilicet quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde & Apost. dicit Rom.* 4. Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. *Quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante.*

*Si petas quomodo externa & publica professio fidei in Christum venturum conferebat gratiam parvulis?*

*Resp.* 1. Non conferebat gratiam *ex opere operato*, alias fuisset ejusdem virtutis & efficaciæ cum Sacramentis Christi.

*Resp.* 2. Non conferebat *ex opere operantis* ex parte subjecti; nam infantes non sunt capaces operis meritorii.

*Resp.* 3. Non conferebat *ex opere operantis* ex parte ministri, alias homo purus posset alteri mereri primam gratiam.

*Resp.* Conferebat gratiam per modum meriti simul & suffragii: meritum ex Christo, qui per fidem credebatur, seu ex fide objective sumpta, fluebat; suffragium autem ex applicante remedium, seu ex fide objective sumpta pendebat tamquam ex conditione sine qua, id est, tamquam ex conditione a Deo requisita, non qua Deus moveretur ad condonandum peccatum, sed sine qua non condonaret, cum qua tamen propter Christi venturi merita peccatum originale ex mera sua benignitate & misericordi providentia propter necessitatem hominum, remitteret: hinc est quod Div. Thom. (4. *dist.* 1. *qu.* 2. *art.* 6. *ad* 2.) dicat: *hanc*

*fidem*

*fidem quamdam habuisse similitudinem cum nostris Sacramentis, in quantum justificabat quasi ex opere operato, non autem ex opere operantis.*

*Inst.* 1. Deus parvulis incircumcisis minatur pœnam æternam damnationis ob violatum pactum cum Adamo initum de non comedendo fructu ligni prohibiti, his verbis: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Genes.* 17. *vers.* 14.). Ergo Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale.

*Resp. nego ant.* 1. Enim pœna, quam Deus minatur, non est æterna, sed legalis, id est separatio quædam seu exclusio a populo Dei, quomodo dicitur Num. 19. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ*, hoc est, excommunicabitur. 2. Pactum de quo mentio fit in textu, est pactum Circumcisionis, nullatenus vero pactum cum Adamo initum.

*Inst.* 2. Textus loquitur de solis infantibus; ergo pactum de quo hic, est pactum cum Adamo initum, non vero pactum Circumcisionis; infans enim cum sit incapax præcepti, non potest esse violati præcepti reus.

*Resp. nego ant.* Textus enim loquitur de omnibus, tum adultis, tum infantibus; quicumque enim non circumcidebatur, violabat hoc pactum, adultus quidem peccabat, infans vero non peccabat, sed populo Dei aggregatus non erat.

*Prob. ant.* Ex versione Græca, quæ sic habet: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit, &c.* ergo Textus loquitur de solis infantibus.

*Resp. nego conseq.* Et dico mendosam esse lectionem græcam: illa enim verba: *in die octavo*: non reperiuntur neque in Textu Hæbreo, neque in Paraphasi Chaldaica, neque in nostra Vulgata.

*Inst.* 3. *D. August.* in prædicto Textu; per tò *Masculus* intelligit parvulum; per tò *pactum*, intelligit pactum cum Adamo initum; per tò *peribit*, intelligit comminationem pœnæ æternæ; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Et dico D. August. ita sensisse, quia versione Græca mendosa fuit deceptus, unde salva reverentia tanto Doctori debita, ipsum in hac opinione deserimus.

## ARTICULUS II.

### *De charactere Sacramentali.*

Quæres. Quid sit character?

*Resp.* Juxta mentem Conc. Trid. (*Sess.* 7. *can.* 9.) Character *est signum spirituale, indelebile, impressum in anima, quo homo ad divina deputatur, & ab aliis distinguitur.*

Dicitur 1. *signum*: scilicet configurationis cum Christo, deputationis ad divina, & distinctionis ab aliis.

Dicitur 2. *spirituale*: id est, intellectu cognoscibile, character enim recipitur in anima; quidquid autem recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Dicitur 3. *indelebile*; quia qualitas spiritualis & supernaturalis nihil sibi contrarium habere potest; hinc est quod Sacramenta Characterem imprimentia iterari non possint.

Dicitur 4. *impressum in anima*: sive immediate, sive mediante potentia v. g. intellectu; hoc enim est indifferens, cum juxta communiorem sententiam potentiæ animæ ab ipsa anima realiter non distinguantur.

Dicitur 5. *quo homo deputatur ad divina*: nempe ad Sacramenta recipienda, ut Baptismus; ad Sacramenta administranda, ut Ordo; ad fidem profitendam, ut Confirmatio. Hinc probabilius est Characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis; scilicet ad potentiam, ut infra probabitur.

Dicitur 6. *ab aliis distinguitur*, nempe a non Characterizatis.

*Nota*: Duo circa Characterem sunt expendenda duplici Paragrapho, existentia scilicet ipsius & essentia: *primum* ad fidem, *secundum* ad scholæ opinionem pertinet.

### § 1. *De existentia Characteris.*

Characteris existentiam negant unanimiter Hæretici Wicleffus, Lutherus, Calvinus, contra quos

### CONCLUSIO.

*Tria Sacramenta, nimirum Baptismus, Confirmatio, et Ordo imprimunt Characterem.*

Hæc propositio est de fide definita in Trid. Sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Illud dogma jam definierat Eugenius IV. in suo Decreto his verbis: *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ Characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur, etc.*

Hæc definitio fundatur in perpetua traditione, cuius testis est August. dicens. (*Tract.* 5. *in Epist. Joann.*): *Accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus .... videat si habet Charitatem ...... si autem non habet, Characterem quidem habet, sed desertor vagatur.* Idem repetit Epist. 185. ubi Donatistam inducit sic loquentem: *Quare ergo me non baptizas, ut abluas me a peccatis?* Respondeo, *Quia non facio injuriam Characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.*

Ratio a priori nulla est alia, quam voluntas & institutio Christi.

D. Thomas cæterique post ipsum Theologi hanc rationem congruentiæ afferunt; quia nempe conveniens fuit, ut Sacramenta illa, per quæ homo constituitur in aliquo statu de se perpetuo, imprimant Characterem, quo homo deputetur ad illum statum; atqui per ista sola tria Sacramenta, homo constituitur in aliquo novo statu de se perpetuo; nam per Baptismum constituitur in familia Christi; per Confirmationem adscribitur militie Christi; per Ordinem constituitur in statu Ministrorum Christi, ergo tria tantum sunt Sacramenta, quæ imprimant Characterem, nempe Ba-

Baptismus *Characterem familiæ Christi*; Confirmatio *Characterem militiæ*: Ordo *Characterem potestatis seu Ministerii Ecclesiastici*, inquit Estius ( *in 4. diss.* 1. §. 20. )

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Character Sacramentalis nullibi reperitur in Scriptura; ergo non datur.

*Resp.* 1. *transeat ant.* Quia multi Theologi existentiam Characteris probant istis Scripturæ testimoniis: *Qui unxit nos Deus & signavit nos* ( 2. *Cor.* 1. *v.* 13. ) &, *nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* ( *Ephes.* 4. *v.* 30. ); sed cum isti Textus intelligi possint de gratia sanctificante, & de facto sic explicentur a Divo Chrysostomo, Theophylacto, & pluribus aliis, non est decretoria ex Scripturis probatio, ideo dixi *transeat ant.*

*Resp.* 2. *nego conseq.* Quia præter Scripturam extat traditio æqualis cum Scriptura auctoritatis, per quam probatur Characteris existentia.

*Objicies* 2. Vitiosus hic a nobis admittitur circulus; probamus enim Characterem per aliqua Sacramenta imprimi, quia hæc iterari non possunt; & probamus hæc iterari non posse, quia imprimunt Characterem; ergo.

*Resp. nego ant. ad probat. distinguo.* Probamus ex eodem genere causæ, *nego*, ex diverso, *conc.* probamus enim aliqua Sacramenta iterari non posse ex Charactere impresso tamquam ex effectu Sacramenti; & vicissim probamus Characterem ab illis Sacramentis imprimi, tamquam ex causa Characteris.

*Inst.* Ex eo quod Sacramentum iterari non possit, male infertur per illud Characterem imprimi; ergo.

*Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Matrimonium iterari non potest, & tamen non imprimit Characterem; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Iterari non potest cum eadem persona, quia indissolubile est vinculum conjugale, *conc.* cum alia persona post mortem compartis, *nego*; quod satis est ut Characterem non imprimat, cum hominem non constituat in statu de se perpetuo.

### §. II. *De natura Characteris.*

*Nota.* Hoc unum circa naturam Characteris fides, ut credatur, exigit, nempe esse *signum spirituale, animæ impressum, ac indelebile*: hic hæret fides; quæ vero sit natura illius signi, non definivit Ecclesia.

Durandus (*in* 4. *dist.* 4. *qu.* 1.) docet Characterem non esse quid absolutum distinctum ab anima, sed esse meram relationem rationis, seu denominationem extrinsecam advenientem homini, qui ad aliquas functiones deputatur.

Scotus fatetur quidem cum Durando Characterem non esse qualitatem absolutam, sed contendit esse relationem realem extrinsecus animæ advenientem ( *Scotus in* 4. *dist.* 6. *qu.* 10 ); contra quos cum aliis Theologis

### CONCLUSIO.

*Character non est extrinseca tantum denominatio, nec relatio realis; sed est verum accidens physicum et absolutum, quod ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam vel physicam, vel moralem, revocatur.*

*Prob. prima pars:* Quia de fide est ex Trid. citat. ( *sess.* 7. *can.* 8. ), Characterem in anima imprimi indelebiliter; atqui mera denominatio extrinseca non imprimitur subjecto cui affigitur, ut patet in denominatione superioris in eo qui fuit superior; ergo.

*Prob. secunda pars* contra Scotum: Quia ex Philosophia relatio per veram actionem non producitur, sed resultat ex fundamento & termino; atqui Character vere producitur in anima per actionem realem; ergo.

*Prob. tertia pars*: Quia quidquid actione reali producitur Physicum, est & absolutum; atqui Character actione reali producitur: ergo, &c.

*Prob. quarta pars*: Ea qualitas merito *potentia* dicitur, quæ dat simpliciter posse agere vel pati atqui talis est Character, per quem homo ad sacra deputatur active vel passive, id est, suscipienda vel perficienda; ergo.

## CAPUT VII.

### *De Cæremoniis Sacramentorum.*

Quæres. *Quid intelligatur nomine Cæremoniæ?*

*Resp.* Intelligitur actus externus religionis qui ad ornatum & pompam cultus divini, ad decentem Sacramentorum administrationem, & ad devotionem populi excitandam ab Ecclesia fuit institutus.

Cum illæ Cæremoniæ spectant cultum divinum, in genere vocantur *Sacramentalia:* cum spectant decentem Sacramentorum administrationem, vocantur *ritus Sacramentales*; 1. agemus de ritibus Sacramentalibus; 2. de Sacramentalibus, duplici paragrapho.

### §. I. *De ritibus Sacramentalibus.*

*Nota.* Novatores, Lutherani & Calvinistæ varie erraverunt circa Ritus Sacramentales, docueruntque 1. eos inutiles esse; 2. Ecclesiam non habere potestatem novos Ritus instituendi; 3. neminem teneri eos observare, contra quos

### CONCLUSIO I.

*Ritus et Cæremoniæ Sacramentales sunt perutiles.*

*Prob.* Quod valet ad majestatem & reverentiam mysteriis nostræ Religionis conciliandam, ad pietatem fidelium promovendam, ad nutriendam eorum fidem, notitiamque Mysteriorum veluti oculis subjiciendam, est maxime utile; atqui ad hæc omnia valere ritus Sacramentales asserit Concil. Trid. ( *sess.* 22. *de Sacrificio Missæ cap.* 5. ) his verbis: *Cæremonias item adhibuit* ( Ecclesia ), *ut mystica Benedictiones, Lumina, Thymiamata, vestes,*

*stes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur; ergo.*

## CONCLUSIO II.

*Ecclesia potestatem habet instituendi Cæremonias.*

*Prob.* Quia Ecclesia potestatem a Deo accepit promovendi exteriorem Dei cultum, Sacramenta ornandi, pietatem ac fidem promovendi; atqui ad hæc omnia conferunt plurimum cæremoniæ, ut patet ex superiori propositione: ergo.

Unde Concil. Tridentin. (*sess.* 21. *cap.* 1.) *Declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret, &c.*

## CONCLUSIO III.

*Ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia usitatos, & approbatos mutare vel omittere peccatum est mortale ex genere suo.*

*Prob.* Ex Concil. Trident. quod hunc Canonem edidit (*sess.* 7. *can.* 13.). *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Hinc Conc. Burdigalense 1582. celebratum ait: *Ne Sacerdotum in sacris tractandis negligentia, & incuria populi pietatem imminuat, præcipimus ut præscriptas a majoribus nostris, in Sacramentis administrandis cæremonias non solum diligenter, sed etiam summa cum animi attentione & religione observent, nihil omnino addentes, nihil detrahentes.*

Ratio est Ecclesiæ præceptum, cui in omnibus semper est obsequendum; *qui* enim *resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt*; ait Apost. (*Rom.* 13. *v.* 2.).

### §. II. *De Sacramentalibus.*

Quæres 1. *Quid intelligitur pro Sacramentalium nomine?*

*Resp.* Intelliguntur quidam ritus externi, ab Ecclesia instituti & consecrati ad quosdam effectus spirituales producendos.

Vocantur Sacramentalia, quia quamdam habent cum Sacramentis similitudinem, & in eorum administrationem usurpantur.

Quæres 2. *Quot sint Sacramentalia?*

*Resp.* Sunt sex hoc versu comprehensa.

*Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.*

*Orans*, Indicat Orationem Dominicam, quæ ex August. (*de Pœnit. dist.* 3. *can.* 30.) *delet minima & quotidiana peccata.*

*Tinctus*, Indicat signum Crucis aqua lustrali efformatum.

*Edens*, Indicat panem vel fructus Ecclesiæ precibus benedictos.

*Confessus*, Indicat Confessionem generalem quæ fit initio Missæ, ad Primam & Completorium, & quæ incipit: *Confiteor Deo omnipotenti B. Mariæ semper Virgini*, &c.

*Dans*, Indicat omnia opera misericordiæ.

*Benedicens*, Indicat Benedictionem, quæ datur in Tonsura Clericali, unctione Sacerdotum, Regum & Abbatum consecratione, &c.

Quæres 3. *Quinam sint Sacramentalium effectus?*

*Resp.* 1. Certum est quod non conferant gratiam sanctificantem *ex opere operato*; hæc enim efficacia propria est Sacramenti, quæ Ecclesia non potest instituere.

*Resp.* 2. Possunt remittere peccata mortalia & producere gratiam sanctificantem mediate & *ex opere operantis*, quatenus scilicet virtute orationum Ecclesiæ, impetrant a Deo auxilia gratiæ actualis ad eliciendos actus contritionis & charitatis, quibus peccata remittuntur, & gratia sanctificans confertur.

*Resp.* 3. Sacramentalia remittunt peccata venialia, & alios interdum effectus corporales aut spirituales producunt, ut sunt excitatio gratiæ actualis, remissio pœnæ temporalis, compressio dæmonis, operatio sanitatis.

Dixi, *interdum:* non enim hos effectus conferunt infallibiliter, cum non habeamus promissionem Christi obligatam, ut semper ad præsentiam illorum sacramentalium illos effectus operetur.

## DISSERTATIO II.

### *De Baptismo.*

Hanc de Baptismo dissertationem septem absolvemus Capitibus.

*Primum*, erit de natura Baptismi, ejusque discrimine a baptismate Joannis.

*Secundum*, de materia & forma Baptismi.

*Tertium*, de variis proprietatibus Baptismi.

*Quartum*, de Ministro.

*Quintum*, de ejus subjecto.

*Sextum*, de effectibus Baptismi, & dispositionibus ad eos percipiendos.

*Septimum*, de Cæremoniis ipsius, & Patrinis.

## CAPUT PRIMUM.

### *De natura Baptismi.*

*Nota.* Baptismus derivatur a verbo græco *Baptizo*, id est, lavo, tingo, immergo, & triplex est, scilicet Baptismus sanguinis, flaminis & fluminis.

Baptismus sanguinis, est martyrium pro Christo perpessum.

Baptismus flaminis est votum, seu desiderium recipiendi Sacramentum Baptismi.

Baptismus fluminis est primum novæ Legis Sacramentum, de quo tota instituitur Dissertatio, ideo

Quæ-

Quæres 1. *Quid sit Baptismus?*

*Resp. Est Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem factam aqua sub præscripta verborum forma.*

Explicatur definitio ut innotescat quam sit accurata, utpote quæ clare exponit materiam tum physicam, tum metaphysicam Baptismi.

Dicitur 1. *Sacramentum*, pro genere, per quod convenit cum aliis Sacramentis, cum sit signum ad nostram justificationem divinitus institutum.

Dicitur 2. *Ad spiritualem hominis regenerationem*: pro differentia; solus enim Baptismus regenerat, non aliud Sacramentum, ne Pœnitentia quidem, cum non primam vitam spiritualem conferat, sed jam amissam restituat, ut non regenerare, sed resuscitare dicatur.

Dicitur 3. *Per externam corporis ablutionem:* ut designetur materia proxima hujus Sacramenti.

Dicitur 4. *factam aqua*: ut designetur materia remota, quæ est aqua naturalis.

Dicitur 5. *Sub præscripta verborum forma*: ut designetur expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatio, quæ est forma hujus Sacramenti.

Quæres 2. *Quandonam institutum fuerit Sacramentum Baptismi? An ante, an post passionem?*

*Resp.* De ea re altum est in Scriptura & traditione silentium, unde Patres & Theologi in varias abiere sententias, tamen

*Probabilius est ipsis Scripturis, Sacramentum Baptismi ante passionem fuisse institutum.*

*Probatur:* Ex Scriptura, Joannis tertio; *Post hæc venit Jesus & discipuli ejus in Judæam & illic commorabatur cum eis & baptizabat*; nimirum per Apostolos, ut explicatur capite quarto, *quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*; atqui non baptizabat Baptimo Joannis, sed suo, ut docet D. Aug. (*Tract.* 11. *in Joan.*) & constat ex invidia discipulorum Joannis; (7. *v.* 26) si enim discipuli Christi baptizassent baptismo Joannis, non ipse Christus, sed Joannes per eos baptizasset, sicque nulla fuisset invidiæ causa, cum in illa hypothesi Christus visus fuisset discipulus Joannis; ergo Apostoli baptizabant baptismo Christi.

*Dices*: Christus Sacramentum Baptismi instituit post suam resurrectionem, dum Apostolis suis dixit, (*Matth.* 10. *v.* 19.) *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

*Resp. nego ant.* Nam Apostoli in ultima cœna facti sunt Sacerdotes; ordinem autem recipere non potuissent, nisi jam recepissent Baptismum, qui est janua aliorum Sacramentorum.

*Inst.* In Baptismo Christi datur Spiritus Sanctus, atqui ex Scriptura (*Joann.* 7. *v.* 39.) ante resurrectionem *nondum erat Spiritus datus*, ergo.

*Resp. dist. textum.* Nondum erat Spiritus datus *visibiliter*, prout evenit in die Pentecostes, *conc.* invisibiliter, per collationem gratiæ, *nego.*

*Urgebis*: Gratia est effectus passionis Christi; ergo non potuit conferri ante Christi mortem.

*Resp. dist. ant..* Est effectus passionis Christi, tamquam causæ moralis & meritoriæ, *conc.* tamquam causæ physicæ, *nego ant. & conseq.*

*Itaque.* In physicis, causa debet præcedere effectum, non vero in moralibus; alias Apostoli in die cœnæ recipiendo Sacramenta Eucharistiæ & Ordinis non recepissent gratiam, quod est falsum & absurdum.

Quæres 3. *In quo differebat Baptismus Joannis a Baptismo Christi?*

*Resp.* In hoc potissimum differebat, quod non fuerit Sacramentum; nec nisi ex opere operantis, virtute nimirum pœnitentiæ ad quam erat exhortatio, vim habebat justificandi; unde Joannes dicit: (*Marci* 1. *v.* 8.) *ego baptizavit vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.*

Hinc jure ac merito Concil. Tridentin. (*sess.* 7. *can.* 1.) anathematizat eum *qui dixerit Baptismum Joannis eandem vim habuisse cum Baptismo Christi.*

## CAPUT II.

### *De materia & forma Baptismi.*

### CONCLUSIO I.

*Materia remota Baptismi necessaria est omnis & sola aqua naturalis seu elementaris ad abluendum apta.*

*Prob.* Ex Script. Joann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Act. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* atqui aquæ nomine veram naturalem & elementarem intelligendam esse, constans & perpetua demonstrant Ecclesiæ praxis & traditio; ergo.

Hinc jure Trid. hunc Canonem edidit adversus Lutheranos docentes Baptismum valere in vino & lacte: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi*: nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Dixi in conclusione 1. *Omnis aqua*; sive maris, sive putei, fontis, pluviæ, nivis, modo sit resoluta; sive calida, sive frigida, sive colorata sive non; quia omnes illæ aquæ sunt naturales.

Dixi 2. *Sola aqua naturalis*: ut excludantur omnes alii liquores, vinum, lac, cerevisia, ptisana, liquor ex rosis expressus &c. quia non sunt aquæ naturales.

Dixi 3. *necessaria*, quia nec Chrisma, quod in solemni fontis baptismalis consecratione, aquæ infunditur, nec ipsa benedictio aquæ, est absolute necessaria.

Dixi 4. *Ad abluendum apta:* ut excludantur nix, grando, glacies, nisi sint in aquam resoluta, ac liquata.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Laudata Christi verba (*Joann.* 3. *v.* 5.) *nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* non litterali sensu de aqua vera, sed figurato, de spiritu mundante instar aquæ, sunt intelligenda; ergo.

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas constat ex supra laudato Canone Tridentino. (*sess.* 7. *can.* 2. *de Bapt.*)

*Prob.*

*Prob. ant.* In hoc textu Matthæi ( 3. *v.* 11. ) *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*; ignis sumitur metaphorice pro gratia quæ diffunditur in cordibus per Spiritum sanctum: ergo & aqua in textu Joannis sumi debet metaphorice.

*Resp. nego conseq. & parit.* Disparitas habetur ex praxi Christi, Apostolorum, ac Ecclesiæ totius, a quibus inter baptizandum aqua semper fuit adhibita, nunquam vero ignis, qui non materiam, sed effectum Baptismi symbolice denotat.

*Objicies* 2. Stephanus III. consultus de Presbytero qui infantem omnino periclitantem vino baptizavit deficiente aqua, respondit: *nulla ei* ( Presbytero ) *exinde adscribitur culpa*, ( *infantes sic permaneant in ipso Baptismo* ); *nam si præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur.* Ergo.

*Resp.* 1. Responsum illud totum esse suppositivum, tum quia non extat in collectionibus Ecclesiæ Romanæ & Gallicanæ, tum quia tres codices qui illud referunt, non sibi consentiunt, alii enim illud tribuunt Siricio, alii Stephano II. vel III. alii Stephano Tornacensi.

*Resp.* 2. Supposita veritate historiæ, in responso Stephani culpa librariorum mendum irrepsisse, legendumque esse; *Nulla ei adscribitur culpa si infantes sic permaneant in ipso Baptismo*; quia nimirum bona fide, ex ignorantia, instante necessitate id fecit.

*Objicies* 3. Narrat Nicephorus, ( *L.* 3. *Histor. cap.* 37. ) aliquem Judæum, cum per loca arida iter faceret, & de vita periclitaretur, a socio in arena baptizatum fuisse, atque veritatem Mysterii miraculo confirmatam fuisse; ergo aqua non est sola materia Baptismi.

*Resp. nego conseq.* Baptismus enim ille improbatus fuit ab Ecclesia, & Judæus ille postquam domum rediit, jussu Alexandri Episcopi tinctus fuit aqua, ut refert idem Nicephorus.

*Igitur* tam subita curatio non est referenda veritati baptismatis quod nullum erat, sed ardori fidei ipsius, quæ hoc miraculum a Deo impetravit.

## CONCLUSIO II.

*Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem.*

*Prob.* Materia proxima in quolibet Sacramento est usus & applicatio materiæ remotæ ad subjectum: atqui in Baptismo ablutio est usus & applicatio aquæ ad subjectum; ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Hinc Baptismus dicitur ab Apostolo *lavacrum aquæ.* ( *Ephes.* 5. *v.* 26. )

Dixi 1. *Per aquam fluentem*; quia debet esse motus successivus aquæ; nec enim dicitur ablutus, supra quem decidit una guttula aquæ non fluens.

Dicitur 2. *Immediate*, non enim sufficit aquam vestes aut capillos baptizandi attingere, sed necesse est perfundat ejus corpus, alias non ipse, sed vestes ipsius aut capilli dicerentur ablui.

Dicitur 3. *Supra corpus*, id est, supra unam ex præcipuis corporis partibus, maxime vero caput, in quo omnes sensus vigent. Hinc dubium est Baptisma, in quo abluitur manus vel pes infantis; atque ideo libri Rituales docent repetendum sub conditione; quia ex priori ablutione infans videretur non simpliciter, sed secundum quid lotus; ita resolvit D. Thom. ( 3. *parte qu.* 68. ) de eo qui baptizatur ante totalem egressionem ex utero, in quacumque parte corporis alia a capite.

Quæres: *Quotuplici modo possit fieri ablutio, ut valeat Sacramentum?*

*Resp. triplici*: 1. Immersione trina vel una: 2. Infusione; 3. Aspersione. Indifferens est autem ad validitatem Sacramenti quo ex his tribus utatur minister, quia nullum in individuo Christus determinavit, qui ablutionem imperavit, non modum ablutionis, qui ideo accidentalis est.

Dixi: *Ad validitatem Sacramenti*: quia ut illud licite administret, tenetur usum Ecclesiæ actualem servare, ut dictum est dum agebamus de Sacramentis in genere.

*Nota.* Circa varios illos abluendi modos non una fuit Ecclesiæ disciplina: viguit enim usus trinæ immersionis usque ad XII. & XIII. sæculum, quem postea mutavit Ecclesia, tum quia immersio poterat nocere baptizandis, præsertim infantibus ob tenellæ ætatis infirmitatem; tum quia voluit consulere mulierum pudicitiæ, sicut & ministrorum oculis, quibus non sine multorum periculo nudatæ mulieres objici poterant, præsertim cum desiit in Ecclesia Diaconissarum ministerium.

*Dices cum Græcis:* Ecclesia non potuit mutare ritum a Christo præceptum: sed usus trinæ immersionis fuit a Christo præceptus juxta antiquiores Patres; ergo.

1. Enim S. Chrysost. Homil. de fide ait: *Dominus in tribus immersionibus aquæ, unum Baptisma Discipulis suis tradidit.*

2. Pelagius II. ( *Cap. multi, dist.* 4. *de consecrat.* ) ait: *Evangelium receptum nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam immersione sanctum Baptisma tribuere.*

3. S. Cornelius Papa ( *Ep. ad Fabium Antiochenum* ) de validitate Baptismi, per infusionem Novatiano in lecto decumbenti, collati, dubitavit his verbis: *Si tamen Baptismum suscepisse dicendus est.*

*Resp. dist. min.* Secundum Patres trina immersio est a Christo præcepta; ratione rei per trinam immersionem significatæ, nempe Trinitatis, *conc.* ratione sui præcise, *nego min.* ita intelligendi sunt S. Chrysostomus, & Pelagius II. qui se clare explicat in Epistola ad Gaudentium Episcopum dicens: *si tamen manifesta confessione claruerit quod in Trinitatis nomine* ( Bonosiaci ) *fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, Catholicæ fidei reconciliari maturabis.*

Ad sanctum Cornelium dico, ipsum dubitasse, non de valore illius Baptismi, sed de ejus effectu; satis enim paratus ad gratiam Sacramenti non videbatur qui non nisi morte urgente ad eam recurrebat; hunc fuisse ejus mentem patet ex Concilio Romano sub ipso celebrato, in quo talis Baptismus fuit approbatus.

CON-

## CONCLUSIO III.

*Forma Baptismi legitima & necessaria apud Latinos hæc est:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

*Prob.* Ex ipsismet verbis Domini Matth. ultimo: *baptizantes eos in nomine Patris &c.* licet enim Christus conceptis verbis non dixerit inter baptizandum verba ista esse pronuntianda, interprete tamen Ecclesia, & universa traditione, non tantum scripta, sed viva & spirante, quæ praxi quotidiana exprimitur, sunt pronuntianda, ut constat ex cap. *firmiter* (*de summa Trin.*)

Dixi, *Apud Latinos*; quia forma apud Græcos hæc est: *Baptizatur servus vel serva Dei, N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Supple *baptizatur a me.* Ita Arcudius (*L. 2. de Bapt. cap.* 8.) qui hanc esse formam Græcorum ex Textus Græci lectione in Euchologio apud Goarium probat adversus multos ex Latinis qui loco *baptizatur*, legunt *baptizetur* sensu nimirum optativo, vel imperativo .... igitur forma Græcorum eadem est quoad sensum quæ apud Latinos, quare ipsam validam declarat Concil. Florent. in Decreto unionis.

Quæres, *Quænam in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti sint pronuntianda?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda.

1. Ad valorem Baptismi necessario exprimi debent actio baptizantis & persona baptizanda, ita ut hæ voces: (*baptizo te*) sint de essentia formæ; quod pronomen *ego* sufficienter exprimitur in verbo *baptizo.*

Ita definitum est ab Alexandro III. (*Cap. si quis, extra de Baptismo*) *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris &c. et non dixerit*: ego te baptizo *in nomine Patris etc. non est puer baptizatus*; & ab Alexandro VIII. qui hanc prop. damnavit (*Propos.* 17. *damnata*) *valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*, in nomine Patris &c. *prætermissis istis*, ego te baptizo.

*Dices*: ex istis verbis Christi, *docete omnes gentes*, inferri non potest necessitas inter docendum pronuntiandi ista verba: *ego vos doceo*: ergo nec ex istis: *baptizantes eos in nomine Patris etc.* inferri potest necessitas inter baptizandum pronuntiandi ista, *te baptizo.*

*Resp. nego conseq. et parit.* Ratio disparitatis est; 1. Quia unum admittit & imperat Ecclesiæ traditio, non aliud. 2. Quia actio qua quis docet, ex seipsa est ad docendum determinata absque eo quod necesse sit dicere *ego doceo.* At vero cum infusio aquæ ex se sit indifferens ad refrigerationem aut lotionem, debet ad istam a forma determinari, determinatur autem per hæc verba, *ego te baptizo.*

2. Necessario exprimenda est unitas naturæ, per verbum, *in nomine*; ita ut qui diceret, & *nominibus*, nihil efficeret, ratio est voluntas Christi, qui ita determinavit.

3. Ad valorem Baptismi requiritur expressa & distincta invocatio trium personarum sanctissimæ Trinitatis.

*Prob.* Ex perpetua Ecclesiæ praxi ac traditione, qua constat semper fuisse collatum Baptisma cum expressa invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis; ac rejectum Baptisma ab Hæreticis collatum absque hac expressa ac distincta invocatione.

*Dices*: Apostoli baptizarunt *in nomine Jesu Christi*, ut dicitur in Actibus Apostolorum, (*Cap.* 2. 8. & 19. *Actuum*) ergo expressio trium personarum non est essentialis formæ Baptismi.

*Resp. dist. ant.* Baptizarunt, *in nomine Jesu*, cum expressa invocatione trium personarum SS. Trinitatis, *conc.* sine tali invocatione, *nego.*

Itaque duobus modis exponi possunt textus Actuum allati.

1. Pro invocatione Jesu Christi, quia hoc nomen exprimebatur simul cum Patre & Spiritu sancto, sic *in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.* Ita exponit sanctus Cyprianus Epist. ad Jubajanum, dicens: *Jesu Christi mentionem facit Petrus*, (*Actuum* 2. *v.* 12.) *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patris Filius quoque adjungeretur.*

2. Exponi possunt de efficacia & virtute Baptismi Christi, prout opponitur Baptismo Joannis, ita ut *in nomine Jesu* idem sit ac *virtute Jesu*, *baptismo Jesu.* Ita hæc verba sumuntur Act. 19. ubi Ephesii ad quos Paulus venerat, dicuntur baptizati *in nomine Domini Jesu*, id est Baptismo a Christo instituto, qui ibi opponitur Baptismo Joannis, in quo se baptizatos fuisse dicebant illi Ephesii.

*Inst.* Act. 8. dicitur, *baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Ergo Apostoli baptizarunt in nomine Jesu sine invocatione &c.

*Resp. nego conseq.* Vox enim *tantum* non excludit nomen aliarum personarum, sed solam receptionem confirmationis, quod patet ex contextu, *tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.*

## CAPUT III.

*De variis proprietatibus Baptismi.*

*Nota.* Tres sunt præcipuæ proprietates Baptismi, scilicet *proprietas* qua fit ut ante ipsum alia Sacramenta non possint suscipi; *unitas* qua fit ut non possit iterari; *necessitas* qua fit ut absque eo solus non possit obtineri.

Circa prioritatem, & unitatem non est difficultas.

*Certum est enim* 1. Baptismum inter alia Sacramenta tantam prioritatem obtinere, ut ante ejus susceptionem, invalide alia suscipiantur, vocatur enim a Conc. Florent. *Janua vitæ spiritualis*: unde Innocent. III. (*Cap. veniens, de Presbytero non baptizato*) mandat Presbyterum non baptizatum baptizari, & iterum ordinari.

*Certum est* 2. Baptismum validum iterari non posse ex Script. Ephes. 4. *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, quod intelligitur a Patribus de unitate cum specifica, tum numerica respectu scilicet ejusdem personæ; hinc Trident. (*sess.* 7. *can.* 9.) anathema contorsit in eum qui dixerit Baptismum iterari posse.

Ita-

*Itaque* restat quæstio instituenda de necessitate Baptismi, cui addemus quæstiunculas de Baptismo Flaminis, & Sanguinis; utrum nempe possint supplere Baptismum aquæ. Itaque

## QUÆSTIO UNICA.

### *De necessitate Baptismi.*

*Nota* 1. Duplex est necessitas, nempe præcepti & medii.

*Necessarium necessitate præcepti*, ad salutem, est illud quod sine peccato non potest omitti culpabiliter; necessitas autem medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces.

*Necessarium ad salutem necessitate medii*, est illud sine quo salus obtineri non potest, sive culpabiliter, sive inculpabiliter quis eo privetur.

*Nota* 2. Necessarium necessitate medii iterum duplex est; scilicet absolute necessarium, & hypothetice necessarium.

*Absolute necessarium* necessitate medii ad salutem, est illud, sine quo reipsa habito, salus obtineri non potest, quantumvis quis illo careat sine sua culpa; ejusmodi sunt omnia media salutis interna, v. g. Fides, Spes, Charitas, Gratia habitualis.

*Hypothetice necessarium*, necessitate medii ad salutem, est illud, sine quo in se, vel in æquivalenti habito, salus obtineri non potest, quantumlibet quis illo careat sine sua culpa. Ejusmodi est Baptismus, cujus æquivalens est Baptismus flaminis & sanguinis, cum vicem Baptismi fluminis supplere valeant.

*Nota* 3. Multi Hæretici necessitatem Baptismi impugnarunt, namque

1. Pelagiani, Wicleffus, Zuinglius, Bucerus rejecerunt Baptismum tamquam inutilem ad remissionem peccati originalis.

2. Calvinus docuit, Baptismum infantibus fidelium non esse necessarium, eo quod in utero materno in filios Dei adoptentur.

*Nota* 4. Aliqui ex nostris male & erronee de Baptismo censuere, namque

1. Cajetanus docuit parvulos ex fidelibus natos, quibus per Baptismum subveniri non potuit, ex lege Dei ordinaria salvari posse, suorum parentum votis & precibus; quæ sententia jussu Pii V. expuncta est in secunda Editione Romana.

2. Gerson, Gabriel, Durandus, existimant quidem parvulos etiam fidelium sine Baptismo per preces & vota parentum non salvari, lege Dei ordinaria, bene autem lege extraordinaria. Contra hos omnes

## CONCLUSIO I.

*Extra casum Martyrii Baptismus in re, vel in voto omnibus est necessarius necessitate medii ad salutem.*

*Prob.* Illud, sine quo salus non potest obtineri, est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui extra Martyrium sine Baptismo in re, vel in voto salus obtineri non potest; ergo.

*Prob. min.* Ex Oraculo Christi Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; quod oraculum est generale omnes obstringens, ut constat tum ex Patribus dicentibus una voce cum S. Ambr. (*L.* 2. *de Abraham. c.* 11.) *nullum excipit, infantem, non aliqua necessitate præventum.* Tum ex perpetua Ecclesiæ Traditione, & praxi nunquam interrupta, ad quam attendens Concil. Trident. hanc definitionem edidit: (*sess.* 7. *can.* 5.) *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit.*

Dixii *In re vel in voto:* pro adultis; quippe cum infantes non sint capaces Baptismi in voto, nempe actus charitatis perfectæ, ipsis necessarius est Baptismus in re.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illud quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii; atqui ex dicendis Baptismus potest suppleri per Martyrium & perfectam contritionem; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii absoluta, *conc. maj.* hypothetica, *nego maj.* & concessa minore, *distinguo* pariter consequens & *nego* consequentiam. Responsio patet ex Nota 2.

*Subs.* Atqui nullo modo Baptismus est necessarius necessitate medii; ergo.

*Prob. subsumpt.* Si Baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem, maxime quia Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* atqui ex his verbis non potest inferri Baptismum esse necessarium necessitate medii; ergo.

*Prob. min.* Ex istis verbis Christi (*Joan. cap.* 6.) *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* non potest inferri Eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem; ergo ex istis verbis, *nisi quis renatus fuerit &c.*

*Resp. nego conseq.* Ecclesia enim, a qua sola germanum sensum Scripturæ habemus, semper docuit hæc verba, *nisi quis &c.* sonare necessitatem medii; ista vero, *nisi manducaveritis*, sonare tantum necessitatem præcepti.

Ratio est, quia prior textus, *nisi quis renatus fuerit &c.* agit de regeneratione spirituali, qua Christi membra fimus, quæ est necessaria necessitate medii ad salutem; alter vero textus agit de nutritione spiritualis vitæ jam per Baptismum acceptæ, quæ cum per varia media nutriri, conservari & augeri possit, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti, unde spectat solos adultos præcepti capaces.

*Objicies* 2. Cum Calvino Filii fidelium sancti sunt ex Apost. dicente: (*Prima Corinth.* 7. *v.* 19.) *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo non indigent Baptismo.

*Resp. dist. ant. & textum.* Filii fidelium sancti sunt, dispositive, *conc. ant.* formaliter & proprie, *nego ant.* eodem quippe modo illos Apostolus appellat *sanctos*, quo dicit conjugem infidelem sanctificari per fidelem; atqui conjux fidelis conjugem infi-

infidelem sanctificat Baptismum monitis & exemplis suadendo; ergo filii fidelium dicuntur Sancti, quia destinantur ad sanctitatem per Baptismum suscipiendam. Præterea, si locus ille de sanctitate formali & interna intelligeretur, omnes filii fidelium, secundum Calvini principia, essent prædestinati, cum in illorum systemate, justitia sit inamissibilis.

## CONCLUSIO II.

*Baptismus adultis est necessarius necessitate præcepti.*

*Prob.* Christus (*Matth.* 28. *vers.* 19.) præcipit Apostolis, ut omnes baptizent, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* atqui præcepto baptizandi correlativum est præceptum recipiendi Baptismum; ergo.

*Præterea ex dictis:* Necessitas medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces; quilibet enim ex charitate sibi debita tenetur adhibere omnia media necessaria ad salutem; ergo.

*Resolves*, Quemlibet teneri Baptismum suscipere quamprimum commode potest; parentesque illum debere parvulis suis procurare quantocius; quia saluti suæ & suorum providere, est urgens necessitas.

Quæres 1. *An Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

*Resp.* Baptismus flaminis, seu contritio perfecta cum voto *explicito* Sacramenti, supplet vices Baptismi aquæ.

*Prob.* 1. Ex Scriptura quæ justificationem promittit contritioni perfectæ, seu actui charitatis Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*; ergo.

*Prob.* 2. Ex perpetua & constanti Ecclesiæ doctrina, qua innixi Patres Tridentini docuerunt, (*Sess.* 6. *cap.* 4.) *post Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenerationis aut ejus voto*; ergo homo potest justificari per Baptismum in voto, hoc est secundum sensum Ecclesiæ per actum charitatis seu contritionis perfectæ; ut exponit Trident. alibi. (*Sess.* 14. *cap.* 4.)

Hinc jure merito damnata fuit a Pio V. & Gregorio XIII. hæc prop. Baji; (*Prop.* 13. *Baji damnata ann.* 1566.) *Cathecumenus juste, recte, & sancte vivit, mandata Dei observat, ac Legem implet per charitatem, ante obtentam peccatorum remissionem, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

Dixi, *cum voto explicito Sacramenti*: id innuit Trid. cum exigit votum Sacramenti: si enim dumtaxat votum implicitum intellexisset, inutile fuisset illud distincte appellare, cum semper includatur in contritione perfecta; ergo cum illud distincte appellet, de voto explicito haud dubie loquitur. Votum tamen implicitum sufficeret in eo qui legem Baptismi invincibiliter ignoraret.

Quæres 2. *Quomodo Baptisma flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

*Respond.* supplet ex opere operantis, *quia* inquit Estius. (*in* 4. *dist.* 4. §. 17.) *nihil hic occurrit quod non sit ex parte ipsius operantis.*

*Hinc* licet Baptismus flaminis conferat gratiam sanctificantem, cæteraque dona ipsam concomitantia, non tamen totam pœnam temporalem remittit, nisi forte tam intensa foret charitas, ut omnis pœnæ relaxationem mereretur.

*Item* Characterem non imprimit, nec gratiam Sacramentalem confert, quia hæc propria sunt Sacramento realiter suscepto.

*Objicies contra primam responsionem.* 1. Ananias Paulo perfecte contrito dixit. (*Act.* 22. *v.* 16.) *Baptizare & ablue peccata tua*; ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus actu recipiatur.

*Resp. nego conseq.* Ideo enim Ananias dixit Paulo *baptizare, &c.* quia Paulus per votum Baptismi non fuit justificatus, nisi sub obligatione Baptismi postea suscipiendi suo tempore & sine mora.

*Objicies* 2. D. August. ait. (*tract.* 13. *in Joann.*) *Quantumcumque Catechumenis proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* Ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus suscipiatur.

*Resp. dist. textum*; Quantumcumque proficiat in virtute morali, *conc.* in charitate, *neg.* hoc clare exponit D. August. dicens ibidem; *ille Catechumenus posset dicere in corde suo, quid mihi opus est Baptismum accipere ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum?* Loquitur ergo de Catechumeno qui ex contemptu baptizari recusabat, qui consequenter carebat actu charitatis perfectæ.

*Inst.* Div. August. loquitur de Catechumeno proficiente in charitate, dicit enim, (*L. de peccator merito et remissione.*) *Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit Baptizatus, non ei valet ad intrandum Regnum Cælorum, aut ad peccatorum remissionem*; ergo.

*Resp. nego ant.* Ad textum dico, S. Augustin. non loqui de sanctificatione interna quæ fit per charitatem, sed de sanctificatione improprie dicta quæ fit per signum Crucis; dicit enim. (*L.* 5. *de Baptism. cap.* 12.) multiplicem esse sanctificationem quæ non semper cum vera justitia & remissione peccatorum conjuncta sit, nam & Catechumeni priusquam baptizentur, *secundum quemdam modum suum sanctificantur per signum Crucis et orationem manus impositionis.*

Testimonia quæ opponuntur nobis ex Gregorio Nazianzeno oratione 40. in S. Baptisma, Gennadio L. de Dogmatibus Ecclesiasticis apud Sanctum Augustinum, Sancto Fulgentio Epist. 12. ad Fernandum Diaconum, non debent admitti, quia in ea fuerunt sententia vices Baptismi non posse suppleri per votum ipsius Baptismi.

Quæres 3. *An Martyrium suppleat vices Baptismi?*

*Resp. ad primum.* Martyrium tam in infantibus, quam in adultis supplet vices Baptismi aquæ quoad omnem effectum, exceptis tamen charactere & gratia Sacramentali.

*Prob.* Auctoritate D. August. in Scriptura fundata, qui nulla facta distinctione adultorum & infantium dicit: (*Lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 7.) *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi Confessione moriuntur, tantum*

*eis valet ad dimittenda peccata*, *quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit* si quis non renatus fuerit ex aqua, &c. *alia sententia istos fecit exceptos*, *ubi non minus generaliter dixit*: qui me confessus fuerit, &c. *& alio loco*: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. ( *Matth.* 10. *v.* 39. )

*Resolves*, Per martyrium, peccatum deleri tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam æternam & temporalem, ut constat ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ quæ nunquam oravit pro martyre, juxta illud Innoc. III. (*Cap. Cum Martha de celebr. Missar.*) *injuriam facit martyri qui orat pro martyre.* Sed suos ei triumphos gratulatur, ejusque apud Deum opem implorat.

*Dices* 1. Christus dicendo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *&c.* nullum aliud medium salutis excipit; ergo.

*Resp. nego ant.* Excipit enim martyrium, ut constat ex his aliis verbis Christi, *qui perdiderit animam suam propter me*, *inveniet eam.*

*Dices* 2. Infantes non sunt capaces martyrii; nam martyrium est actus fortitudinis, infantes autem non sunt capaces actus fortitudinis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Martyrium sumptum formaliter est actus fortitudinis, *conc.* materialiter sumptum *nego maj.* & concessa min. dist. consequent. Ergo infantes non sunt capaces martyrii formaliter sumpti, *conc.* materialiter, *nego.*

*Itaque* martyrium materialiter est mors pro Christo perpessa. Martyrium formaliter est voluntaria acceptio mortis, cujus non sunt capaces infantes, & quo solo sensu martyrium est actus fortitudinis.

Quæres 4. *Quomodo Martyrium suppleat vices Baptismi aquæ?*

*Resp.* Supplet ex opere operato, ratione pœnæ.

*Prob.* Tum quia ex Patribus, martyrium eo ipso modo operatur quo Baptismus cujus vices supplet; *huic operi*, ait Tertull. loquens de martyrio, *omnia delicta donantur.* Tum quia martyrium infantibus prodest ex opere operato; ergo & adultis: nulla enim est disparitas, unde Div. Thomas (*in* 4. *dist.* 4. *art.* 3. *ad* 1.) de martyrio generatim ait: *non habet liberationem a culpa & pœna tantum ex opere operante*, *sed hoc habet ex imitatione passionis Christi*, *& consequenter ex seipso.*

Quæres 5. *Quid requiratur ut martyrium sit verum*, *suppleatque vices Baptismi?*

*Resp.* 1. Ad martyrium parvulorum & adultorum a nativitate amentium, nihil aliud requiritur quam ut illi mors inferatur in odium fidei & religionis.

*Resp.* 2. *Ad martyrium adultorum quatuor requiruntur.*

*Primum*, mortis realis, aut vulneris lethalis perpessio in odium fidei juxta illud ( *Marc.* 8. *v.* 35. ): *qui perdiderit animam propter me & Evangelium*, *salvam faciet eam.* Aut in odium alicujus virtutis christianæ, v. gr. castitatis juxta illud ( *Matth.* 5. *v.* 3. ): *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

*Secundum*, mors perpessa absque ulla se defendendi voluntate; quia martyrium debet esse voluntarium, mortis Christi tamquam ovis ad occisionem ducti, assimilativum; hinc milites in bello religionis occisi, non sunt veri martyres.

*Tertium*, acceptatio mortis saltem habitualis & interpretativa; quia mors ut sit meritoria, debet esse aliquo modo voluntaria in his qui voluntarii sunt capaces.

Dixi *interpretativa*: actualis enim aut virtualis non requiritur; unde qui de martyrio non cogitans occideretur, qui propter minas sibi intentatas, ab alicujus virtutis exercitio desistere noluit, verus esset martyr.

*Quartum*, dolor supernaturalis de peccatis, quia teste Trid. ( *sess.* 14. *c.* 4. ) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuit necessarius*; non tamen requiritur contritio perfecta; sed sufficit vera attritio complectens amorem initialem charitatis. De hac intelligitur Apostolus dicens ( 1. *Cor.* 13. *v.* 1. ): *si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, *charitatem autem non habuero*, *nihil mihi prodest*; alias nulla esset distinctio inter Baptismum flaminis, & Baptismum sanguinis.

## CAPUT IV.

*De ministro Baptismi.*

*Nota*: Minister Baptismi triplex est. Scilicet *Ordinarius*, qui Baptismum ex officio administrat.

*Extraordinarius*, qui administrat Sacramentum ex delegatione ministri ordinarii.

*Minister necessitatis*, qui Baptismum confert constituto in periculo vitæ.

*Quæritur*: Quinam sit minister Baptismi ordinarius, extraordinarius, & necessitatis.

### CONCLUSIO.

*Minister Baptismi ordinarius est Episcopus & Presbyter*; *extraordinarius est Diaconus*; *necessitatis est homo quilibet*, *sive vir*, *sive mulier*, *sive baptizatus*, *sive non.*

*Prob.* 1. *part.* Illi soli sunt ministri ordinarii Baptismi, quibus Christus commisit officium baptizandi; atqui solis Apostolis & Presbyteris Christus baptizandi officium commisit, ergo.

*Prob. min.* Ex Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, *&c.* quod mandatum Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, ad discipulos eorumque successores Presbyteros extendi, Ecclesiæ universa praxis ac traditio demonstrat; ergo.

Hinc Concil. Florentin. de Baptismo ait: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos*, *cui ex officio competit baptizare.*

*Dices*: Solus Episcopus est minister ordinarius Baptismi; ergo.

*Prob. ant.* Ex Div. Hieron. ( *Dialogo adversus Luciferianos* ) dicente: *Inde venit*, *ut sine Episcopo*, *neque Presbyter*, *neque Diaconus jus habeat baptizandi*; ergo.

*Resp. dist. textum.* Sine jussione Episcopi Presbyter non habet jus baptizandi independens ab Episcopo, *conc.* dependens, *nego.*

*Itaque* munus baptizandi primario competit Episcopis utpote Ecclesiæ principibus, secundario autem Presbyteris adjutoribus Episcoporum; unde Presbyteri non habent jus baptizandi nisi ut coetcen-

cendum cum dipendentia, ab Episcopo; unde D. Hieronymus negat Presbyteris jus independens baptizandi.

*Prob.* 2. *pars propositionis*: Ex cap. *constat.* distinctione quarta de consec. *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero* (id est absque licentia Episcopi vel Presbyteri, ait glossa in hoc caput) *nisi his procul absentibus, ultima langucris necessitas cogat.*

Ex hoc capite constat Diaconos non posse solemniter baptizare, nisi cum licentia Episcopi vel Presbyteri, vel in extrema necessitate sine tali licentia; & cum hac restrictione intelligendus est Episcopus dicens in ordinatione Diaconi, *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare.*

*Prob.* 3. *pars*: nempe ministrum necessitatis esse quemlibet hominem, qui sine solemnitate potest baptizare.

*Prob.* Inquam ex Concil. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imo etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Ratio est voluntas Christi ex praxi & traditione nobis manifesta, qui cum velit omnes salvos fieri, voluit ut medium ad salutem omnibus necessarium, ab omnibus conferri posset, ne quis eo privaretur.

In necessitate autem conferendi Baptisma hic ordo est servandus, ut præferatur dignior minus digno, scilicet Diaconus Subdiacono, Subdiaconus aliis Clericis, Clericus Laico; vir, feminæ; fidelis, infideli; nisi circumstantia aliqua exigat ut propter gravem indecentiam præferatur mulier viro, &c.

Hunc ordinem statuunt Rituale Rom. & S. Carolus, *in instruct. Baptismi*, ubi, postquam jussit ut Parochus de illo ordine moneat suos Parochianos, addit: *Et quoniam si a muliere vel Laico secus fiat, grave peccatum admittitur, id etiam monebit.*

Quæres 1. *An aliquis possit se ipsum baptizare?*

*Resp. negative.* Est enim contra institutionem Christi, qui aperte distinguit ministrum a subjecto Baptismi, *baptizantes eos*: unde Innoc. III. (*Cap. Debitum, de Baptis. & ejus effectibus*,) definivit quemdam Iudæum qui se in mortis periculo baptizaverat, iterum esse baptizandum; *quia*, inquit, *inter baptizantem, & baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis*: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, &c.

Quæres 2. *Utrum unus possit plures simul baptizare?*

*Resp. affirmative*: Quia tunc non mutatur forma quoad sensum: qui enim dicit *ego vos baptizo*: dicit virtualiter *ego te & te baptizo*, &c.

Quæres 3. *An plures ministri possint eumdem simul baptizare valide?*

*Resp.* Si plures simul eumdem baptizarent ut *causæ particulares*; ita ut unus aquam infunderet, alter formam proferret, invalidum esset Sacramentum; quia forma esset mendax.

Si vero plures simul eumdem baptizarent ut *causæ totales*; ita ut uterque aquam funderet, & formam proferret, validum esset Sacramentum, ut constat ex ordinatione Sacerdotum ubi plures eandem consecrant Hostiam; si tamen unus formam prius absolveret quam alter, ille solus baptizaret.

Dixi *valide*: quia illicita esset talis administratio Baptismi, utpote contra praxim Ecclesiæ.

## CAPUT V.

### *De subjecto Baptismi.*

*Nota*: Certum est apud omnes tum Catholicos, tum Hæreticos, omnem hominem ratione utentem esse Baptismi subjectum, juxta Domini mandatum: *docete omnes gentes, baptizantes eos.* (*Matth.* 28. *vers.* 19.)

Restat ergo quærendum 1. Utrum possint baptizari infantes, ac perpetuo amentes.

2. Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus; certum est enim eos valide baptizari posse

## QUÆSTIO I.

### *Utrum possint baptizari infantes.*

### CONCLUSIO.

*Infantes & perpetuo amentes baptizari possunt valide ac licite.* Est de fide contra Anabaptistas (*Secta orta est an.* 1552 *auctore Nicolao Storchio.*) asserentes nullum & irritum esse Baptisma datum infantibus.

*Prob.* 1. Ex constanti ac perpetua Ecclesiæ, quæ semper parvulos baptizavit, praxi & traditione, quam traditionem ab Apostolis ortam docet Origenes dicens (*t.* 2. *p.* 33.) *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.* Et D. August. (*l.* 1. *de Genes. ad litter. c.* 23.) *consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio.*

*Prob.* 2. Ex variis Conciliis, in quibus hæc veritas fuit definita.

Milevitano II. (*anno* 416. *can.* 2.) in quo hic Canon fuit conditus: *Quicumque parvulos recentes ab utero matrum, baptizandos negat, anathema sit.* Huic Concilio adfuit D. Augustinus.

Viennensi generali (*Clement. unica de summa Trinit.*) in quo definitur: *credimus esse tam parvulis, quam adultis communibus perfectum remedium ad salutem.*

Innoc. III. *cap.* Maiores, de Bapt. ait *Indistincte lex intonat Evangelica*, Nisi quis renatus fuerit, &c. *in hac generaliter nec sexum, nec ætatem excludens.*

Hanc veterem Ecclesiæ doctrinam confirmavit Concil. Trident. hoc canone (*sess.* 7. *can.* 13.): *Si quis dixerit parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter Fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos di-*

*scretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omittere eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

*Objicies* 1. Nemo baptizari potest nisi prius instruatur, juxta illud (*Matth. ult. v.* 19.) *Euntes docete omnes gentes*, &c. atqui infantes non sunt capaces instructionis; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Nemo adultus potest baptizari nisi prius instruatur, *conc.* nemo infans, *nego maj.* responsio constat ex ipsa Apostolorum missione ad conversionem adultorum, ad quos solos spectat illud Christi mandatum quantum ad doctrinam, quantum vero ad necessitatem Baptismi spectat omnes tam adultos quam infantes, ut constat ex traditione.

*Inst.* Nemo potest baptizari nisi prius credat, juxta illud: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*; (*Marci ult. v.* 16.) atqui infantes non sunt capaces fidei: ergo &c.

*Resp. nego maj.* Infantes enim baptizantur in sola fide Ecclesiæ, & Sponsorum; nec mirum est, quod aliena fides eis sufficiat, cum D. Aug. (*Serm.* 14. *de verbis Apost.*) dicat: *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Respondetur, credit; pro non loquente, pro flente respondetur, & valet.*

*Itaque* Textus loquitur de adultis quos ad fidem & pœnitentiam hortabantur Apostoli, ut cum fructu Baptismum perciperent.

*Objicies* 2. Christus anno ætatis trigesimo baptizatus est; ergo illo tantum ætatis anno suscipi debet Baptismus.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Baptismus Christi non fuerit in remedium peccati, at Baptismus a Christo institutus, est peccati remedium quod potest citius recipi.

*Objicies* 3. Æquitati repugnat, ut insciis & ratione destitutis infantibus jugum christianitatis per Baptismum imponatur; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Nam infantes, ut adoleverint ac audierint Evangelium, jure divino, & sub pœna æternæ damnationis, tenentur Baptismum recipere, & sic jugo Christianitatis sese subjicere.

Quæres 1. *An baptizandi sint infantes in utero materno inclusi?*

*Resp. negat. Quia*, ex D. Aug. & Isid. (*l.* 2. *de pecc. merit. & remiss. c.* 17. *Isid. l.* 1. *Sentent. c.* 22.) *qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci*; atqui &c. Hinc requiritur ut aliqua pars infantis appareat, ut, imminente mortis periculo, infans baptizetur ... sed notandum est, *S. Carolo*, aliisque dubium baptismum videri, cum puer vel manu, vel pede, vel aliqua alia corporis parte, distincta a capite, in quo omnes sensus fundantur, est baptizatus, ideoque sub conditione baptizandus est, cum omnino egressus fuerit, si vixerit.

Quæres 2. *An partus monstrosi sint baptizandi?*

*Resp. cum distinctione*; Si formam hominis retineant, quod quidem ex capite potissimum debet æstimari, debent baptizari, licet alia membra ferina appareant.

Si caput & pectus sint ferina, plane a Baptismo abstinendum.

Si in gemellis sibi invicem adnatis duo sint distincta capita & pectora, quilibet proprio ac distincto Baptismo debet baptizari, & quidem absolute, quia sunt duo homines; quod ita verum est, ut anno 1724. in pago domini Remigii prope Neocastrum, videri gemellos; quorum unum caput dormiebat, alterum vigilans flebat.

Si vero post diligens examen, incertum sit an monstrum verus sit homo, vel non, baptizari debet sub conditione, *Ne*, inquit Sylvius, (*in* 3. *p. S. Thomæ q.* 68. *art.* 11.) *per nostram dubitationem pereant animæ quæ forte sunt humanæ.* (*Videantur Rit. Rom. tit. de Bapt. & S. Carolus in instructione.*)

## QUÆSTIO II.

*Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus.*

*Nota:* Infideles alii sunt baptizati, ut Hæretici & Apostatæ; alii non baptizati, ut Turcæ.

*Certum est.* 1. Filios Hæreticorum & Apostatarum licite posse invitis parentibus baptizari; quia cum sint Ecclesiæ subditi, ipsa eos cogere potest, ut parvulos suos ad Baptismum præsentent, ergo eis possunt subtrahi, ut baptizentur, et rebus fidei, cum adoleverint, instruantur.

*Certum est* 2. Filios mancipiorum Infidelium non baptizatorum posse ac debere invitis parentibus baptizari; quia mancipia propter servitutem omni jure in filios suos privantur, cum & ipsimet cum tota familia divendi possunt; unde possunt a parentibus eripi, baptizari & in fide erudiri, atque ad id saltem ex charitate tenentur eorum domini.

*Certum est* 3. Filios infidelium, qui principibus infidelibus subjecti sunt, non licere baptizare invitis parentibus; quia vel infans subtraheretur parentibus, vel illis relinqueretur; *si primum*, parentibus fieret injuria; *si secundum*, Baptismus manifesto periculo profanationis, & baptizatus apostasiæ exponeretur, cum constet eum in infidelitate educandum.

*Quæstio* igitur unice devolvitur ad filios infidelium non baptizatorum, qui civiliter tantum Principibus Christianis subditi sunt; an possint illi invitis parentibus licite baptizari; aliqui affirmant, alii negant, cum quibus

## CONCLUSIO.

*Filii infidelium non baptizatorum, civiliter tantum Principibus Christianis subditorum, non possunt licite invitis parentibus baptizari, nisi in aliquibus casibus.*

*Prob.* Quia illud licite fieri non potest, quo violatur aut jus naturale quod parentes habent in filios, si ab eis abstraherentur; vel reverentia Sacramento debita, si parvuli relinquerentur sub potestate parentum; atqui &c. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona.

Hinc Conc. Tolet. IV. ait: *Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes*

ut

*ut integra sit forma justitiæ.* (*Concil. Tolet. habitum ann.* 633. *cap.* 63.)

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Jus naturale juri divino cedere debet; atqui præceptum baptismi est juris divini; ergo.

*Resp. nego maj.* Utriusque enim juris Deus est auctor, qui neutrum vult observari cum præjudicio alterius.

*Objicies* 2. Princeps potest abstrahere infantes a parentibus, ne ipsis inferant mortem corporis; ergo a fortiori potest eos subtrahere a parentibus, ne ipsis mortem inferant animæ, per denegationem Baptismi.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod parentes infideles mortem pueris inferendo, peccarent in jus civile, & rempublicam ipsam, cujus pax & tranquillitas turbarentur per destructionem membrorum ipsius; porro officii est Principis reipublicæ tranquillitati & civium conservationi consulere; non autem ipsius est procurare salutem æternam suorum civium non baptizatorum, cum potestas sæcularis non se extendat ad supernaturalia.

*Inst.* Princeps Dei minister est; ergo ipsius est procurare salutem æternam suorum subditorum.

*Resp. dist. ant.* Est Dei minister in ordine ad bonum reipublicæ *conc. ant.* in ordine ad bonum supernaturale suorum subditorum, *nego ant.* & consequentiam.

Dixi in prop. *nisi in aliquibus casibus*; qui sunt.

1. Si infantes essent in evidenti periculo mortis; quia tunc nec auferuntur parentibus, nec Baptismus profanationi exponitur, & aliunde urget præceptum charitatis; debent tamen ita caute baptizari ut vitetur perturbatio.

2. Si alteruter parens sive pater, sive mater consentiat, potest infans altero renitente baptizari; ita definitum est *in Concilio Toletano quarto cap.* 63. quia præferenda est voluntas justa unius parentis in favorem prolis, voluntati injustæ alterius in ejusdem prolis præjudicium.

## CAPUT VI.

### *De effectibus Baptismi & dispositionibus necessariis ad eos percipiendos.*

Quæres 1. *Quinam & quot sint effectus Baptismi?*

*Resp.* Sublato obice sunt tres,

*Primus*, est gratia sanctificans quæ hominem interius regenerat, ac delicta quæcumque, tum originale, tum actuale totaliter remittit & quoad culpam, & quoad omnem pœnam.

*Prob.* 1. Ex Script. ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*; atqui renovatio & regeneratio important infusionem gratiæ sanctificantis, remissionemque omnium delictorum, tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam, cum (*Rom.* 8. *v.* 1.) *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* regenerati; ergo.



*Prob.* 2. Ex Concilio Flor. in decreto: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa debetur; propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungendo est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt.* Idem definivit Trident. dicens (*Sess.* 5. *can.* 25.) baptizatos *ita esse innocentes, immaculatos, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

*Dices:* Remanet in renatis concupiscentia, quæ ab Apostolo (*Rom.* 7. *v.* 20.) appellatur peccatum; ergo.

*Resp.* Cum sancto Augustino (*L.* 1. *de Nupt. & concupisc. cap.* 23.) concupiscentia est peccatum proprie & formaliter, *nego*; improprie tantum, *quia* nempe *est a peccato & ad peccatum inclinat*, *conc.* ita definit Conc. Trid. anathema contorquens in eum *qui contrarium sentit.* (*Trid. sess.* 5. *in Decr. de peccato original.*).

*Inst.* 1. Quod lege Dei prohibetur, est vere peccatum; atqui concupiscentia lege Dei prohibetur, *Rom.* 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*; ergo.

*Resp. dist. min.* Concupiscentia, sumpta pro vitio voluntatis pravis concupiscentiæ motibus consentientis & cedentis, quomodo in textu Apostoli sumitur, *conc.* sumpta pro vi concupiscendi, seu pro animi appetitione natura sua rationi repugnante, *nego.* Hic enim motus, si voluntatis consensum, aut negligentiam conjunctam non habeat, nulla ratione est peccatum proprie dictum.

*Inst.* 2. Omnia sunt a Deo præter peccatum proprie dictum; atqui concupiscentia non est a Deo, 2. Joann. 11. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est quæ non ex parte, sed ex mundo est*; ergo.

*Resp. dist. maj.* Omnia sunt a Deo præter peccatum, & quod per se ad peccatum inclinat, & peccati fœtus est, *conc.* præter peccatum solum, *nego.* Cum ergo concupiscentia, & fœtus sit peccati, & per se rebellando nempe adversus rationem, ad peccatum inclinet, non est a Deo, imo mala est, ut docet D. Aug. lib. 4. contra Julian. cap. 14.

*Secundus effectus* est gratia Sacramentalis; quæ definitur *gratia habitualis, regnerativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per Baptismum acceptam, & ad alia Sacramenta digne suscipienda.*

*Tertius effectus* est character, ut fuse probavimus dissertatione prima de Sacramentis in genere.

Quæres 1. *Quænam sint dispositiones necessariæ ad percipiendos effectus Baptismi?*

*Resp.* 1. Ad recipiendum characterem nulla alia requiritur dispositio, quam voluntas Baptismi recipiendi; quia hoc sufficit, ut Sacramentum sit validum; atqui non potest esse validum, quin conferat characterem; ergo &c.

*Resp.* 2. Ad recipiendam gratiam sanctificantem & peccati remissivam cæteraque dona ipsam concomitantia, sex conditiones in adulto requiruntur ex Tridentino (*sess.* 6. *cap.* 6. *de justit. impii*).

*Prima fides*, Qua credant generatim *vera esse*, *quæ divinitus revelata et promissa sunt*; juxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* (*Hebr.* 11. *v.* 6.)

*Secunda timor*, Ex consideratione peccatorum, juxta illud (*Eccl.* 1. *v.* 27.): *Timor Domini expellit peccatum.*

*Tertia spes*, Justificationis & vitæ æternæ consequendæ, juxta illud (*Marci* 2. *et Matth.* 9. *v.* 2.) *Confide fili*, *remittuntur tibi peccata tua.*

*Quarta amor*, Quo Deum *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.*

*Quinta odium* & detestatio peccatorum; *hoc est per pœnitentiam*, *quam ante Baptismum agi oportet*: juxta illud: (*Act.* 2. *v.* 38.) *Pœnitentiam agite*, *et baptizetur unusquisque vestrum*, *in remissionem peccatorum vestrorum.*

*Sexta propositum* suscipiendi Baptismum, inchoandi novam vitam, & servandi divina mandata. Ita Trident.

## CAPUT VII.

*De cæremoniis Baptismi*, *et Patrinis.*

*Nota* 1. Cæremoniæ Baptismi vel antecedunt, vel concomitantur, vel subsequuntur Baptismum. Has enucleatim enumerandas non suscipimus; cum reperiantur in omnibus Libris Ritualibus ad quos remittimus omnes, qui ex Officio & solemniter Baptismum administrare tenentur; cum extra casum necessitatis non possint sine peccato mortali ex genere suo, prætermitti; ut probatum est in Dissert. de Sacramentis in genere.

*Nota* 2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi, & Apostolica Traditione, in solemni Baptismi administratione adhiberi debent susceptores; & Concil. Trident. (*sess.* 24. *cap.* 2.) ut tollatur nimia multitudo impedimentorum Matrimonii, *statuit unus tantum*, *sive vir*, *sive mulier*, *juxta sacrorum Canonum* (*Cap. non plures*, *de consecr. distinct.* 4. *cap. veniens de cognat. Spirit.*) *instituta*, *vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant*; in quo servandus est usus Ecclesiæ, in qua quisque minister degit. His notatis, duo tantum manent solvenda, itaque:

Quæres 1. *An cæremoniæ*, *quæ*, *cogente necessitate*, *fuerunt omissæ*, *sint postea supplendæ?*

*Resp. affirm.* Est enim praxis universæ Ecclesiæ, quæ præcipit in suis Ritualibus, ut cæremoniæ omissæ suppleantur, ne baptizati earum fructu careant.

*Dices*: Exorcismi post Baptismum sunt prorsus inutiles; ergo non debent suppleri. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Exorcismi sunt ad fugandum Dæmonem; atqui virtute Baptismi jam expulsus fuit Dæmon; ergo.

*Resp. dist. maj.* Exorcismi sunt ad fugandum Dæmonem, tantum, *nego maj.* sunt ad fugandum Dæmonem, simul & vires Dæmonis reprimendas, & ardorem concupiscentiæ quo potest impediri effectus Baptismi, temperandum, *conc. maj.* & concessa min. *dist. conseq.* Ergo sunt inutiles, ad fugandum Dæmonem, *conc.* ad ipsius vires reprimendas &c. *nego conseq.* Responsio est ad mentem D. Thom. qui dicit; (3. *p. q.* 7. *art.* 3. *ad* 3.) *nec frustra* (exorcismi) *supplentur post Baptismum: quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur*, *ita potest impediri postquam fuerit perceptus.*

Quæres 2. *Quodnam sit Officium patrinorum?*

*Resp.* Officium est 1. Baptizandum parocho præsentare.

2. Pro baptizando respondere, si ipse nequeat.

3. Illum tenere dum baptizatur.

4. Illum de manu baptizantis suscipere.

5. Illum debite in rebus fidei, & doctrina christiana instruere, si parentes id præstare non possint; quæ obligatio cum sit gravis, tum ob solemnem patrinorum sponsionem suscipiendo hoc Officio, tum ob præceptum Ecclesiæ ipsis impositum (*Concil. Mogunt. canon.* 47. *Rhemense tit. de Baptismo* §. 3. *Arelat. VI. can.* 19.) ideo obligat sub mortali.

Quæres 3. *Quinam excludantur ab Officio patrini?*

*Resp.* Excluduntur 1. Amentes. 2. Non baptizati. 3. Hæretici. 4. Publice excommunicati, aut infames; ratio est, quia tales non sunt capaces instruendi baptizandos in rebus fidei, & doctrina christiana.

5. Religiosi omnes & sanctimoniales; *numquam vero Monachus*, *Patrinus*; *vel Monialis*, *Matrina esse queat*, ait Concil. Rhemense. (*tit. de Bapt.* §. 7.)

6. Pater & Mater infantis: alias contraherent inter se cognationem spiritualem, quæ impediret usum Matrimonii.

# DISSERTATIO III.

*De Confirmatione.*

Hanc Dissertationem quinque absolvemus Capitibus.

*Primum*: Erit de natura & institutione Confirmationis.

*Secundum*, De materia & forma Confirmationis.

*Tertium*, De Ministro.

*Quartum*, De subjecto & necessitate.

*Quintum*, De effectibus & cæremoniis Confirmationis.

## CAPUT PRIMUM.

*De natura & tempore institutionis Confirmationis.*

*Nota.* Omissis variis nominibus, quibus Sacramentum Confirmationis a sanctis Patribus designatur, dico illud communi nomine dici *Confirmationem* a primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem Christi constanter & intrepide profitendam.

Confirmatio definitur: *Sacramentum a Christo institutum*, *quo baptizatus*, *per Unctionem Chrismatis in fronte per modum Crucis factam*, *sub præscripta verborum forma*, *corroboratur ad fidem firmiter tenendam & intrepide profitendam.*

Dici-

Dicitur 1. *Sacramentum:* pro genere; & mox probabitur.

Dicitur 2. *A Christo institutum*: & quidem immediate, ut probatum est supra. (*Cap.* 2. *de Sacrament. in genere.*)

Dicitur 3. *Quo baptizatus;* quia Confirmatio ad sui validitatem præsupponit Baptismi characterem.

Dicitur 4. *Per unctionem Chrismatis &c.* quæ verba designant materiam illius Sacramenti & formam.

Dicitur 5. *Corroboratur &c.* pro differentia: Sacramenta enim differunt inter se per gratiam differentem, quam producunt; gratia autem Confirmationis est *roborativa*, sicut gratia Baptismi est *regenerativa &c.*

Hic duæ moventur controversiæ, *prima* adversus Hæreticos - Lutheranos & Calvinistas contendentes Confirmationem non esse verum Sacramentum, *secunda* inter Catholicos disputantes de tempore quo fuit instituta confirmatio. Ideo

## CONCLUSIO.

*Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum.*

*Prob.* Ex Act. Apost. cap. 8. ubi dicitur: *Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant* (a Philippo Diacono) *in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Ex quo textu sic argumentor: ad verum Sacramentum quatuor requiruntur & sufficiunt etiam secundum novatores, 1. Ut sit signum externum & sensibile; 2. Ut habeat vim gratiam conferendi; 3. Ut sit a Christo præceptum; 4. Ut sit constans & perpetuum in Ecclesia. *Atqui* quatuor illas conditiones habet nostra Confirmatio ex textu.

1. Est signum externum & sensibile; oratio scilicet & impositio manuum.

2. Habet vim producendi gratiam; *& accipiebant Spiritum sanctum.*

3. Est a Christo præcepta, ut colligitur necessario ex potestate Apostolis collata gratiæ conferendæ; solius enim Christi est instituere signum collativum gratiæ; unde S. Clemens I. Epist. 4. ait: *Omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo .... ut a sancto Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.*

4. Est perpetua & constans in Ecclesia christiana; ut demonstrat Ecclesiæ usus ab Apostolis ad nos usque non interruptus, quem usum tradunt omnes Patres; unum aut alterum refero ultra sanctum Clementem jam supra memoratum.

Tertull. (*L. de Bapt. c.* 7.) *Exinde egressi de lavacro perunguntur benedicta Unctione de pristina disciplina.*

D. Dionysius (*L. de Eccl. Hierarc. c.* 2.) *Baptizatum indutum veste alba ad Pontificem ducunt: illic divino ac deifico prorsus unguento virum signat.*

D. August. (*L.* 2. *contra lit. Petil. cap.* 104.) *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum, sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

D. Hieron. (*Dialogo advers. Luciferianos*) *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum est? In actibus Apost. etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Hinc Conc. Trid. (*Sess.* 7. *de Confirm.*) definit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

*Objicies. Dallæus* 1. Manus impositio de qua Act. 8. fuit mera cæremonia, seu appendix Baptismi; ergo non fuit Sacramentum.

*Resp. nego ant.* Alias Philippus & alii Discipuli dum Samaritanos baptizarunt, hanc cæremoniam non omisissent; nec necesse fuisset Petrum & Joannem mitti ad meram Baptismi cæremoniam perficiendam; Confirmatio ergo est Sacramentum omnino distinctum a Baptismate: *in Baptismo* enim *regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur*, ait Catechismus Conc. Trid.

*Objicies* 2. In textu laudato per tò *Spiritum sanctum*, non intelligitur gratia interior, sed dona linguarum, miraculorum, &c. Ergo non est Sacramentum.

*Resp. nego ant.* Nam per *Spiritum Sanctum* intelligitur ille, quem promiserat Christus dicens (*Joann.* 14. *v.* 16.): *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:* atqui ille Spiritus non consistit in illis donis, quæ diuturna non fuere; ergo, &c.

Itaque in primordiis Ecclesiæ ad dilatandam fidem per manus impositionem dabatur Spiritus sanctus, simul cum *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus*; nunc autem fide confirmata, per tò Spiritum sanctum *invisibiliter & latenter intelligitur .... eorum cordibus divina charitas inspirari.* Ita D. August. (*L.* 3. *de Bapt. cap.* 16.).

*Objicies* 3. Ex D. Augustin. (*L.* 15. *de Trinit. cap.* 15. *L.* 3. *de Baptismo cap.* 16.). Manuum impositio repeti potest; ergo non est nostra Confirmatio.

*Resp. dist ant.* Manuum impositio reconciliatoria, *conc. ant.* confirmatoria, *nego ant.* Loquitur enim D. August. de illa manuum impositione reconciliatoria, qua olim Hæretici ad Ecclesiam redeuntes, reconciliabantur, quæ erat mera cæremonia Ecclesiastica, quæ indubie iterari poterat.

Quæres: *Quo tempore Christus instituerit Confirmationem?*

*Nota:* Circa hanc quæstionem, maximam esse inter auctores discordiam.

Sunt qui volunt ipsam fuisse institutam, cum Christus *Matth.* 19. manus imposuit infantibus. (*Patres Concil. Senonensis ann.* 1528.) sed improbabiliter, quia multi ex infantibus illis non erant baptizati.

Sunt qui volunt institutam eam fuisse in ultima Cœna, & probant auctoritate Fabiani Papæ docentis (*Epist. 2. c. 2.*), tunc Christum Apostolos *docuisse Chrisma conficere*: verum consentiunt omnes eruditi, illam epistolam, sicut & alias decretales ante Siricium (*ab ann. 398.*), inter Apocrypha opera esse amandanda.

Alii in die Pentecostes, cum primum Apostoli fuere confirmati; sed minus probabiliter: alias Christus Confirmationem non instituisset per se immediate.

Alii post Resurrectionem, intra illud spatium temporis quod fluxit a Resurrectione usque ad Ascensionem; hæc opinio est probabilior, sed incerta. Itaque

*Resp. Plane incertum est tempus, quo Christus instituit Confirmationem.*

*Prob.* Illud in eis quæ ex mera Dei voluntate pendet, incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex Traditione, certo colligi potest; atqui tempus quo instituta est Confirmatio, neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi certo potest, ut constat ex tanta varietate opinionum supra relata; ergo, &c.

## CAPUT II.

*De materia et forma Confirmationis.*

*Nota*: Circa materiam & formam Confirmationis variæ sunt scholasticorum opiniones.

*Prima*, Sententia docet solam manuum impositionem, quæ præcedit Chrismationem, esse materiam essentialem adæquatam Confirmationis; Unctionem vero esse materiam integrantem ad majorem effectus expressionem, necessariam tamen ex præcepto Ecclesiæ. *Formam* autem esse orationem, per quam Episcopus supra confirmandos Spiritus sancti gratiam invocat (*Ita Sembovins tract. de confirm. Sirmondus antirretico 2. c. 2.*).

*Secunda*, Docet Unctionem Chrismatis esse essentialem & adæquatam materiam Confirmationis; impositionem vero manuum, quæ præcedit Chrismationem, esse dumtaxat cæremoniam Ecclesiasticam (*Greg. de Valentia. Estic. &c.*).

*Tertia*, Tum manus impositionem, tum Unctionem agnoscit, tamquam materiam essentialem adæquatam Confirmationis; verum in assignanda manus impositione sunt discordes huius sententiæ Patroni; aliqui volunt eam esse manus impositionem qua Episcopus super confirmandos invocat Spiritum sanctum, quæque præcedit Chrismationem; alii solam assignant manus impositionem qua Episcopus ungit frontem confirmandi; & hæc sententia cum secunda reincidit. His notatis,

### CONCLUSIO I.

*Materia remota essentialis Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo.*

*Prob.* 1. Expressa declaratione Conc. Flor. decreto: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.*

*Prob.* 2. Ex praxi & traditione Ecclesiæ non interrupta, cuius testes sunt omnes Patres, inter quos duos vel tres refero.

Sanctus Pacianus (*Serm. de Bapt.*): *Chrismate superfundi Spiritum sanctum.*

Sanctus Gregor. Magn. (*In 1. cant.*). *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur.*

Sanctus Leo (*Serm. de Nativitate Domini*) dicit: *Renati per aquam & Spiritum sanctum, accepistis Chrisma salutis & signaculum vitæ æternæ.*

Ex quibus textibus manet probata propositio quoad omnes suas partes.

*Dices.* Admixtio aquæ cum vino in calice, non est necessaria necessitate Sacramenti; ergo nec mixtio balsami cum oleo in Confirmatione.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quod vinum sine aqua sit verum vinum; econtra cum solo oleo non est verum Chrisma; quod ut fiat, requiritur necessario admixtio balsami & benedictio Episcopalis.

### CONCLUSIO II.

*Materia proxima essentialis &, adæquata Confirmationis, est ea impositio manus qua Episcopus ungit per modum Crucis frontem confirmandi.*

*Prob.* Materia proxima Sacramenti est materiæ illius remotæ debita applicatio ad subjectum; atqui Chrismatio, seu manus impositio qua Unctio fit, est materiæ remotæ Confirmationis applicatio; ergo.

*Prob. min.* 1. Auctoritate Patrum & Doctorum, qui impositionem manus fieri per Unctionem declarant, ita

V. Beda (*in Psalm. 26.*). *Illa Unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.*

Rabanus Maurus (*L. 1. de instit. Cleric. c. 28.*) refert ex sancto Sylvestro, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatos per manum impositionem cum ipso Chrismate consignet.*

Hugo Victorinus dicit: (*L. 1. de Sacr. p. 7. c. 1.*) *Manuum impositionem usitato nomine Confirmationem vocari, qua Christianus Unctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur.*

Ergo concludit Bellarminus, (*L. 2. de Sacram. Confirm. c. 2.*) *Ipsa unctio, & signatio cum manu fiat, manus impositio rectissime dicitur; qui enim ungit, manus imponit, & idcirco utrumque significare, etiamsi alterum tantum exprimi videatur*; ut addit c. 2.

*Prob. min.* Ex praxi Græcorum, apud quos cum nulla sit impositio manus confirmatoria distincta ab Unctione Chrismatis, ut patet ex Concilio Constantinopol. I. can. 7. & fatetur Goarius (*in notis ad Euchologium Græcor. pag. 356. col. secunda*) alterutrum concludere necesse est; vel nullum apud Græcos esse Confirmationis Sacramentum, vel manus impositionem ab Unctione indistinctam sufficere: primum est falsissimum, semper enim Græci validum habuere, & etiamnum habent Sacramentum Confirmationis, nec Latini ullam unquam circa istud caput litem cum illis habuere, quoties inita fuit cum illis unio; er-

go necessario dicendum manus impositionem ab Unctione indistinctam sufficere, ut asserit Simeon Thessalonicensis, (*Lib. de septem Sacram.*) dicens: *A Philippo baptizati tamquam qui solum Baptisma suscepissent, Petro & Joanne imponentibus manus, Spiritum sanctum accipiebant: quod sane hoc Sacramentum est*, (Confirmationis) *siquidem manus impositio unguentum præbebat, ut & in Apostolis factum est, ac per ipsos in multis aliis.*

Dixi in prop. 1. *Ungi frontem*, quia frontem ungi omnia Ritualia, & Euchologia præscribunt, & licet Græci non tantum frontem, sed & oculos, nares, os, aures & pectus inungant, sola tamen unctio frontalis essentialis est.

Dixi 2. *Per modum crucis*: quia figura crucis ad essentiam pertinet hujus Sacramenti, alias falsa esset significatio formæ, quæ hæc est, *signo te signo crucis* &c. Hinc sanctus Gregor. in Sacramentario dicit: *Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Manus impositio quæ præcedit chrismationem, est materia essentialis Confirmationis; ergo non ea qua ungitur confirmandus.

*Resp. nego ant.* Est enim mera cæremonia ecclesiastica, qua Episcopus per invocationem Spiritus sancti præparat confirmandos; patet tum ex praxi Græcorum, tum ex usu nonnullorum Episcoporum Latinorum qui admittunt ad Chrismatis unctionem, etiam eos qui præsentes non adfuerant quando initio Ritus, Episcopus extendit manus versus confirmandos, & oravit ut invocaret Spiritum sanctum.

*Objicies* 2. Apostoli confirmarunt per solam manuum impositionem, illumque ritum observavit Ecclesia sex primis sæculis; ergo chrismatio non est de essentia Confirmationis.

*Resp. nego ant.* Nam in scripturis unctio est manus impositio, ut docent Patres citati; quod probat Bellarminus (*l. 2. de Sacram. Confirm. cap.* 1.), ex Marci 7. ubi *cum postulassent quidam, ut Dominus imponeret manus lunatico, ille id fecit:* nam, misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, ait sacer textus.

*Inst.* 1. Concil. Flor. in decreto post laudatum textum Actuum 8. sic pergit: *loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio;* ergo unctio qua datur nunc Confirmatio, distinguitur a manus impositione qua dabatur ab Apostolis.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim non est, inquit Bellarm. (*ibid. cap.* 9.), *Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non usi fuerint Chrismate, & nos non utamur manus impositione: sed sensus est, idipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, facere nunc Episcopos, cum dicuntur confirmare aut chrismare; distinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi ... hac ergo ratione dici potest id quod nunc fit, esse loco ejus quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam.*

*Inst.* 2. Synodus Moguntina ann. 1584. hortatur Pastores *ut diligenter populum instruant, ut hoc Sacramentum* (Confirmationis) *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita Chrismatis unctione, cœperit conferri.* Ergo impositio manuum est actio distincta a chrismatione.

*Resp. nego conseq.* Hæc enim Synodus nihil definivit, sed in illa instructione secuta est sententiam aliquorum qui existimabant Apostolos per dispensationem sola manuum impositione, Confirmationem administrasse.

Cæterum cum nulla sit Ecclesiæ definitio circa materiam & formam Confirmationis, & ea quæ de ipsis docemur, non sint de fide, sed sint inter Theologos controversa, ideo rite observanda sunt omnia quæ præscribit Ecclesia in suis Ritualibus & Pontificalibus, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

## CONCLUSIO III.

*Forma essentialis & adæquata Confirmationis apud Latinos*, ut traditur in decreto Eugenii, *hæc est:* Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; *& quidem secundum omnes suas partes.*

*Apud Græcos vero hæc est*: Signaculum doni Spiritus sancti in nomine Patris &c.

*Prob.* Forma Sacramenti sunt verba quæ profert minister dum applicat materiam: atqui verba supradicta profert minister dum frontem confirmandi inungit Chrismate; ergo ista verba sunt forma Confirmationis.

*Confirmatur* pro ritu Latinorum, ex omnibus ordinibus, Ritualibus, Sacramentariis in quibus hæc forma præscribitur quoad sensum, licet sit aliquid discriminis quoad verba (*Ordo & Pontific. Romana. Sacramentarium Tolosanum, Turonense, &c.*

*Confirmatur* pro ritu Græcorum, ex Euchologio, & Concil. Constantinop. I. can. 7. ubi dicitur: *Recipimus obsignandos, sive ungendos primum sancto Chrismate, & frontem & oculos .... & eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus sancti.*

Ex hac diversitate formæ constat Christum non determinasse formam Confirmationis in specie & quoad verba, sed tantum in genere, statuendo scilicet, ut adhiberentur verba quæ hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur. Post cujus determinationem verba formæ ita sunt necessaria, ut si mutarentur quoad sensum, nullum foret Sacramentum.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Forma confirmationis debet esse deprecatoria, *orabant pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*: atqui ista verba *signo te, confirmo te*, non sunt deprecatoria, sed indicativa: ergo.

*Resp. dist. maj.* Debent esse deprecatoria grammaticaliter & quoad pronuntiationem, *nego maj.* virtualiter & quoad sensum, *conced. maj.* Verba autem formæ licet indicative pronuntientur, tacitam tamen includunt orationem, qua minister divinam opem invocat, ut effectum sacramentalem pro-

producat, *hic est* enim *qui baptizat*, ut dicitur Joan. 1.

*Inst.* 1. Ex his verbis Jacobi 5. *& orent super eum ungentes eum oleo &c.* recte infertur formam Extremæ unctionis debere pronunciari deprecative; ergo idem inferri debet ex istis verbis; *oraverunt pro ipsis ut acciperent &c.*

*Resp. nego conseq.* Disparitas petitur ex traditione apostolica relucente in perpetua praxi Ecclesiæ quæ semper adhibuit formam deprecativam in extrema unctione, nunquam vero in Confirmatione; traditio autem apostolica est legitima sensus Scripturæ interpres, & paris cum ea auctoritatis.

*Inst.* 2. D. August. asserit (*l. de Trinit. c.* 16.). *Nullum discipulorum dedisse Spiritum Sanctum, sed orasse ut veniret in eos quibus manus imponebant*: ergo forma debet esse oratio.

*Resp. dist. conseq.* Debet esse oratio virtualiter inclusa in forma indicativa, *concedo*. oratio formalis & pronunciativa, *nego*; alias formæ Baptismi & Eucharistiæ deberent esse orationes formales, cum dicat idem August. (*l.* 5. *de Bapt. cap.* 20.), *Ministrum per deprecationem baptizare & Eucharistiam conficere.*

*Objicies* 2. Scriptura nullam mentionem facit formæ a nobis allatæ, cum memorat datam ab Apostolis Confirmationem; ergo non est vera forma.

*Resp. nego conseq.* Ex silentio enim Scripturæ nihil hic concludi potest, quoniam multa fecit Christus & dixit, quæ non sunt scripta (*Joan.* 20. *vers.* 60.); sed quæ omittit, non excludit, illaque nobis ex constanti Ecclesiæ praxi & traditione transmittuntur; talis est forma Confirmationis.

*Inst.* Ante sæculum VIII. est altum apud scriptores Ecclesiasticos de forma nobis assignata silentium; ergo non est forma essentialis.

*Resp. nego conseq.* Duplex quippe est causa & ratio cur prioribus Ecclesiæ sæculis ritus & formæ Sacramentum scripto non mandabantur. *Prima*, quia propter usum quotidianum & vivam traditionem ignorari non poterant. *Secunda*, ne gentilium & Judæorum ludibrio, & profanationi exponerentur, ut docet *Innoc. I. Epist.* prima ad Decentium loquens de Confirmatione, *Verba vero dicere non possum*, inquit, *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

*Objicies* 3. Forma Græcorum non exprimit effectus Confirmationis; ergo non est valida.

*Resp. nego ant.* Exprimit enim effectus Confirmationis per hæc verba *signaculum doni*: exprimit causam principalem per hæc verba: *Spiritus sancti*: exprimit causam ministerialem per hoc verbum: *signaculum*, quod juxta proprietatem sermonis Græci virtualiter includit hæc verba, *ecce tibi datur a me*: unde forma Græcorum non differt quoad sensum substantialem a nostra.

## CAPUT III.

*De ministro Confirmationis.*

Duplex hic dirimenda occurrit controversia. 1. Utrum solus Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis. 2. Utrum Presbyter hujus Sacramenti sit minister extraordinarius. *Prima* pertinet ad fidem, estque definita contra Calaritanos (*S. Greg. Magn. Epist. ad Januar.*), Photium, & alios Græcos Schismaticos, Wiclefitas, Valdenses, Lutheranos & Calvinistas. *Secunda* pertinet ad scholæ dissidium.

## CONCLUSIO I.

*Solus Episcopus est ex institutione divina minister ordinarius Confirmationis.* Est de fide.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Act. 8. ubi legitur Petrum & Joannem (quibus succedunt Episcopi) missos fuisse Samariam, ut iis qui a Philippo Diacono baptizati fuerant, manus imponerent & darent Spiritum sanctum. Quare autem Philippus non imposuit manus? Respondet S. Chrysostomus Græcus, quia *hoc solorum Apostolorum erat, virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum, igitur hoc erat in Apostolis singulare, unde & præcipuos* (id est Episcopos) *& non alios videmus hoc facere* (*D. Chrysos. homil.* 18. *in cap.* 8. *Act. Apost.*)

*Prob.* 2. Ex traditione perpetua, cujus seriem habemus ex Patribus tum Græcis, tum Latinis, summis Pontificibus, & Conciliis; ex quibus singulis unum testimonium brevitatis causa refero.

Innoc. I. (*Epist. ad Decentium cap.* 3.). *De consignandis infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopis fieri licere . . . . nam Presbyteri seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere* (in vertice) *licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum.* Unde Nicolaus I. confirmatos a Presbyteris Photianis jussit iterum confirmari.

Concil. Flor. in decreto declarat; *Confirmationis minister ordinarius est Episcopus.*

Concil. Trid. sess. 7. can. 3. definit: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ananias non erat Episcopus, sed Discipulus; (*Act.* 9. *v.* 10.) atqui tamen imposuit manus Paulo; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Imposuit manus Paulo ad ei visum restituendum, *conc.* ad confirmandum eum, *nego*; Paulus enim nondum erat baptizatus, *et vidit virum Ananiam nomine imponentem sibi manus ut visum recipiat*; non vero Spiritum sanctum recipiat.

*Inst.* Ibidem legitur *Ananias ..... imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus .... ut videas et implearis Spiritu sancto.* Ergo imposuit manus Paulo non tantum ut visum reciperet, sed ut eum confirmaret.

*Resp. dist. textum*; *Et implearis Spiritu sancto*, per Baptismum, *conc.* per Confirmationem, *nego*. Patet responsio ex contextu: *et continuo ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est.*

*Objicies* 2. S. Hyeronymus (*Dialog. adversus Luciferian.*) docet, potestatem confirmandi compete-

petere Episcopis, *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis*; ergo Episcopus institutione divina non est solus minister ordinarius Confirmationis.

*Resp. nego conseq.* Ibidem enim S. Hieron. asserit potestatem confirmandi competere Episcopis ex traditione apostolica; ideo dicimus cum Bellarm. ista verba, *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis*, non debere referri ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis; quia nempe Sacramentum hoc absolute ad salutem non est necessarium; alias *lugendi essent*, addit ibidem S. Doctor, *qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur*.

*Objicies* 3. Apud Græcos longe ante schisma Photii, simplices Presbyteri ordinarie confirmabant, & etiam nunc confirmant; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Inde enim ad summum concludi potest Presbyterum esse extraordinarium ministrum Confirmationis, ex concessione saltem tacita summi Pontificis. Nam ut primum cognovit Nicolaus I. Presbyteros Græcos jure ordinario & non ex dispensatione, Confirmationem conferre, ipsos cum duce suo Photio damnavit, & jussit sic ab illis confirmatos, iterum confirmari.

## CONCLUSIO II.

*Simplex Sacerdos potest esse Confirmationis minister extraordinarius*; auctoritate scilicet delegata a summo Pontifice.

*Prob.* 1. Ex usu Ecclesiæ Græcæ, in qua Presbyteri longe ante schisma Confirmationem conferunt, quam praxim non reprobat Ecclesia Latina, cum ipsa Græcos in Conciliis Lugdunensi II. (*ann.* 1274. *sub Leone X.*) & Flor. (*ann.* 1436. *sub Eugenio IV.*) in suam communionem admiserit, nec confirmationem ab eorum Presbyteris collatam rejecerit ut invalidam; atqui non erant ministri ordinarii; ergo &c.

*Prob.* 2. Ex Concilio Florentino in decreto, ubi postquam statutum est, ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum, addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ergo exempla illa supponit legitime facta, alias ipsa non memoraret.

Inter varia dispensationum hujusmodi exempla, unum refero Gregorii Magni, qui concessit Presbyteris Calaritanis in Sardinia ut confirmarent in iis locis ubi desunt Episcopi: *Ubi desunt Episcopi*, inquit, ut *Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant, concedimus.* (*Refertur cap. pervenerit dist.* 91.)

Multa alia exempla ferunt Wadinghus & Card. Palavicin. (*in Annal. Minorum; Palav. in hist. Conc. Trid. l.* 9. *c.* 7. *n.* 12.)

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Gregorius Magnus (*Epist.* 9. *l.* 4.) Presbyteris Calaritanis prohibuit, *ne baptizatos infantes signare in fronte præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum ungerent in fronte.* Ergo ex facto Gregorii a nobis citato non potest concludi simplicem Sacerdotem ex dispensatione posse conferre confirmationem.

*Resp. nego conseq.* In 1. enim textu Greg. Magn. negat (sicut alii Pontifices) ordinariam administrandæ confirmationis potestatem competere Presbyteris, quod constat ex verbo, *præsumerent.* In 2. autem licentiam dat ut confirment.

*Objicies* 2. Munus confirmandi institutione divina est proprium Episcopis; ergo nunquam potest valide exerceri a Presbyteris.

*Resp. dist. ant.* Munus ordinarium confirmandi est institutione divina proprium Episcopis, ita ut convenire possit Presbyteris ex concessione summi Pontificis, *conc.* ita ut Presbyteris non possit convenire ex tali concessione, *nego ant.*

*Itaque.* Ex institutione Christi habet Episcopus ut sit ordinarius, simplex Sacerdos ut esse possit extraordinarius minister Confirmationis; neque enim in factis hujusmodi alia quærenda ratio, quam Christi voluntas nobis ex factis SS. Pontificum & usu Ecclesiæ declarata.

*Inst.* Potestas confirmandi est potestas ordinis, non jurisdictionis, unde Episcopus nondum consecratus, valide confirmare non potest; atqui potestas ordinis non potest dari per delegationem; ergo.

*Resp. dist. maj.* Potestas ordinaria, plena & completa confirmandi, est potestas Ordinis Episcopalis; *conc.* extraordinaria & incompleta, *nego maj.* atqui potestas ordinis non potest dari per delegationem, *dist. min.* non potest dari ei qui in sua ordinatione non accepit inchoatam & incompletam confirmandi potestatem, *conc. min.* ei qui in sua ordinatione accepit inchoatam &c. *nego min. et conseq.*

*Itaque* Presbyter ratione sui ordinis inchoatam habet & incompletam potestatem, quia capax fit ut committi seu delegari possit ad Confirmationem conferendam, modo accedat legitima dispensatio, per quam potestas illa perficitur ac completur ut valida sit Confirmatio, alias invalida futura.

Quæres, *Utrum Concilia Flor. & Trid. aliquid definierint circa ministrum extraordinarium Confirmationis?*

*Resp. negative:* Equidem definierunt Episcopum esse Ministrum ordinarium Confirmationis, quia id certum est; at de extraordinario, quia incertum & controversum, silent; esto istud subobscure insinuent, aperte tamen non declarant, neque unum ex alio necessario sequitur. *Sic locuti sunt utriusque Concilii Patres*, inquit Estius, (*in* 4. *dist.* 7. §. 22. *ad secundum*) *quod quæstionem inter Doctores controversam, definire nollent quo modo et locuti sunt de Ministro Sacramenti Ordinis, propter controversiam in minoribus Ordinibus.*

## CAPUT VI.

### *De subjecto et necessitate Confirmationis.*

Quæres 1. *Quodnam sit Confirmationis subjectum?*

Resp.

*Resp.* Est omnis & solus homo Baptizatus.

*Prob.* 1. *pars*: Ex praxi primitivæ Ecclesiæ, (quam etiam nunc observat Ecclesia Græca,) quæ infantibus una cum Baptismo Confirmationem & Eucharistiam ministrabat; ut constat ex antiquis Ritualibus.

*Attamen*, Nunc variis Conciliorum Canonibus statutum est, ut non administretur pueris, nisi postquam annos discretionis attigerint; (*Ita Synodi Lingonensis ann.* 1404. *Senonensis* 1524. *Aquensis* 1585. *Mediolanensis sub sancto Carolo ann.* 1565.) quia ex hoc Sacramento cum actuali devotione suscepto, fructus uberior percipitur. Convenit tamen ut detur parvulis in extremo vitæ periculo constitutis, ut probat D. Thomas hic.

*Prob.* 2. *pars*: Quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum.

Quæres 2. *Quænam dispositiones requirantur ad percipiendum Sacramentum Confirmationis?*

*Resp.* 1. Ad recipiendum characterem sola requiritur voluntas Sacramenti recipiendi; quia hoc sufficit, ut Sacramentum sit validum.

*Resp.* 2. Ad recipiendos alios effectus, requiritur 1. status gratiæ; quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. 2. Requiritur ut Confirmandus, si sibi sit conscius gravium peccatorum, actum Contritionis eliciat, qui actus sincerus non videtur in eo qui cum habeat copiam Confessarii, confessionem negligit. Quare Concilium Aurelianense (C. 4. *de Consec. dist.* 5.) statuit ut confirmandi *moneantur Confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.*

2. Requiritur ut bonis operibus, præsertim oratione & secessu, ad recipiendum Spiritum sanctum sese disponant exemplo Apostolorum, qui *erant perseverantes in oratione &c.*

3. Duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis, Confirmantes & confirmandi debebant esse jejuni, prout statutum erat in Conciliis Aurelianensi & Meldensi; (*Referuntur a Gratiano cap.* 6. & 7. *de consecr. dist.* 5.) sed a duodecimo sæculo desiit illa consuetudo, ut testatur D. Thom. (3. *p. qu.* 73 *art.* 12.) laudabilis tamen consuetudo ad quam hortatur Catechismus Roman. propter reverentiam Sacramento debitam.

Quæres 3. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

*Resp.* 1. Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii; quia sine eo homo potest salvari per Baptismum & Pœnitentiam.

*Resp.* 2. Sacramentum Confirmationis est necessarium omnibus adultis necessitate præcepti divini & Ecclesiastici.

*Prob.* 1. *pars*: Quæ licet non contineatur expresse in Scripturis, tamen facile ex eis deducitur. Christus enim præcepit Apostolis, ut Confirmationem susciperent, *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*; atqui cæteri omnes tum viri, tum mulieres huic præcepto paruerunt, dicente Scriptura ibidem: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus*, ergo omnes sibi præceptum esse impositum, intellexerunt.

Illud autem præceptum divinum obligat maxime, dum urget persecutio, aut gravis contra Fidem tentatio; ratio est, quia illud Sacramentum est institutum a Christo ad præmuniendos fideles contra omnes tentationes adversus Fidem, & ad fidei hostes superandos per firmam Christianæ Religionis professionem.

*Prob.* 2. *pars*: Ex Concilio Senonensi definiente, non tantum Confirmationem esse præceptam, sed & præscribente tempus quo est præcepta, *Confirmationem*, inquit, *omnes Christiani, tam viri, quam mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens paratus dare, & persona hoc sciens negligit.*

Inde Sorbona (*anno* 1631.) sequentem propositionem damnavit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest; vel (ut alii dicunt) commodissime, quando sine ullo vel minimo incommodo*, damnavit his verbis: *Ista propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita, & in errorem potest inducere.*

## CAPUT V.

*De effectibus & cæremoniis Confirmationis.*

Quæres 1. *Qui sint effectus Confirmationis?*

*Resp.* Sunt tres sublato obice.

*Primus.* Est gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se, sed secunda. Siquidem in hoc Sacramento datur Spiritus sanctus, qui non potest dari sine infusione gratiæ sanctificantis.

*Secundus*, Est gratia sacramentalis, quæ definitur: gratia habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, *ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur*; ut ait Flor. in decreto.

*Tertius*, Est character indelebilis, quo baptizatus adscribitur in militiam Christi; unde in eadem persona iterari non potest, ut fide constat ex Trident. Sess. 7. can. 9.

*Dices*: Confirmatio, est manus impositio; sed ex variis Conciliis & Patribus manus impositio iterari potest; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Manus impositio reconciliatoria sæpius iterari potest, *conc. min.* confirmatoria, *nego min.* Concilia autem loquuntur de manus impositione quæ mera est cæremonia Ecclesiæ, per quam ab hæresi redeuntes cum Ecclesia olim reconciliabantur; de hoc loquitur D. August. cum dicit (*l.* 3. *de Baptism.*) *Quid aliud est manus impositio, quam oratio supra hominem?*

*Inst.* Atqui Concilia loquuntur de manus impositione Confirmatoria; ergo.

*Prob. ant.* Ex Conc. generali II. in quo dicitur Hæreticos recipi in Ecclesiam *signatos, sive Unctos primum sancto Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & aures, et eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus sancti.* Atqui in hoc Canone exprimitur materia & forma Confirmationis apud Græcos; ergo loquitur de Confirmatione.

*Resp. dist. min.* Exprimitur materia & forma, simul

simul & idem effectus, & modus operandi ex opere operato, *nego min.* & non idem effectus, nec idem operandi modus, *conc. min.*

Porro in ritu, quo Hæretici recipiebantur, erat quidem eadem materia & forma, sed non erat idem effectus, & idem operandi modus: in Confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. In reconciliatione Hæreticorum, datur Spiritus sanctus ad pacem cum Ecclesia conciliandam, & fidem firmius tenendam: ut constat ex D. Cypriano Epist. 74. *Nos quoque hodie observamus*, inquit, *ut quos constet hic baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito & errore digesto, ad veritatem, & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere, ut hanc ovem abalienatam in ovile suum Pastor recipiet.* In Confirmatione effectus producitur ex opere operato; in reconciliatione Hæreticorum, producitur ex opere operantis.

Quæres 2. *Quænam sint Confirmationis cæremoniæ, & quid significent?*

*Resp.* Sunt sex, quarum duæ præcedunt, tres concomitantur, & una subsequitur Confirmationem.

*Prima*, Est adhibitio patrini, qui sit baptizatus & confirmatus, & recens baptizatos præsenter Episcopo, ipsos erudiat in pugna spirituali. Perantiqua est illa praxis, de qua fit mentio in Sacramentario sancti Gregorii, & Ordine Romano.

*Secunda*, Est mutatio nominis, si sit turpe vel riduculum, ut Christianus perfectionem attingens, digno decoretur nomine; ita Concilia Mediolan. V. Aquense & Tolosanum.

*Tertia*, Est manus impositio, qua Episcospus super Confirmandos divinam protectionem implorat.

*Quarta*, Est levis inflictio alapæ in maxilla confirmati, *ut meminerit si tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invictio animo pro Christi nomine ferenda.* Ait Catechism. Roman.

*Quinta*, Est pax, quæ datur confirmato; ut intelligat *se gratiæ cælestis plenitudinem & pacem quæ exuperat omnem sensum, consecutum fuisse* inquit Catechism. Rom.

*Sexta*, Est circumligatio frontis confirmati fascio la linea per triduum, ut significetur gratiam acceptam conservandam esse diligenter, ita Ordo Rom.

Excipit Synodus Melodunensis ann. 1579. *Nis frontes præsente Episcopo, eodem panno vel bombyce abstergendæ curentus.*

## DISSERTATIO IV.

### *De Eucharistia.*

*Nota* 1. Eucharistia (sic dicta a verbo Græco *Eucharistien*, quod gratiarum actionem significat quia per eam maxime, Deo gratias agimus,) varia sortitur nomina.

Dicitur *Communio*, quia per eam Christo capiti, & ejus membris fidelibus communicamus.

2. Vocatur *Synaxis:* id est congregatio; tum quia simul congregati fideles Eucharistiam percipiebant, tum quia in hoc Sacramento tamquam in centro fideles communioni charitatis vinculo colliguntur.

3. Vocatur *Eulogia*, id est benedictio, quia per benedictionem, conficitur.

4. Vocatur *Viaticum*; id est viæ subsidium, quo nempe muniti viam inimus ad terminum felicitatis æternæ.

5. Vocatur *Liturgia*, id est sacrum Mysterium, a stupenda quæ in Missa fit, transubstantiatione.

6. Vocatur ab Apostolo, *Panis*, ab ejus materia ex qua.

*Nota* 2. Cum de Fide sit Eucharistiam esse Sacramentum simul & Sacrificium, illam sub hoc duplici respectu considerabimus duplici capite.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Eucharistia prout est Sacramentum.*

Hic agemus 1. de natura Eucharistiæ; 2. de ejus materia; 3. de ejus forma; 4. de re in Eucharistia contenta; 5. de ejus ministro; 6. de subjecto; 7. de ejus usu; 8. de ejus effectibus; totuplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De natura, seu essentia Eucharistiæ.*

*Nota:* Ut Eucharistiæ naturam accurate discutiamus, videndum est, 1. quænam sit accurata ejus definitio; 2. In quo Eucharistia essentialiter consistat.

## CONCLUSIO I.

Eucharistia recte definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus & Sanguis ejus vere, realiter & substantialiter sub speciebus Panis et Vini continentur.*

*Prob. et explicatur definitio*:

Dicitur 1. *Sacramentum novæ Legis:* est enim signum sacrum, sensibile per species panis & vini, gratiæ invisibilis, spiritualis scilicet refectionis, juxta illud, *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, (*Joann.* 6. *vers.* 55.) a Christo permanenter institutum, juxta illud, *hac facite in meam commemorationem.*

Dicitur 2. *Ad spiritualem animæ refectionem*: quibus verbis effectus Eucharistiæ, nempe spiritualis refectio, designatur.

Dicitur 3. *In quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, ac substantialiter continentur:* quibus verbis essentialis denotatur differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis; alia enim Sacramenta continent gratiam Dei; Eucharistiam vero continent Christum substantialiter præsentem: alia Sacramenta in actione fluente consistunt; Eucharistia vero in re fixa & permanente.

Hinc istæ particulæ *vere*, *realiter*, *et substantialiter*, quas usurpavit Conc. Trid. (*Sess.* 13. *c.* 2.) non sunt hic pure synonima, sed totidem perversis novatorum interpretationibus refellendis opponuntur.

Particula *vere*, excludit præsentiam per figuram & imaginem.

Par-

Particula *realiter*, excludit præsentiam tantum per fidem.

Particula *substantialiter*, excludit præsentiam tantum per virtutem a Christo diffusam.

Dicitur 4. *sub speciebus panis et vini*, quæ existunt sine substantia & subjecto, & habent rationem signi.

## CONCLUSIO II.

*Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu et sumptione, sed in re permanente.* Est definitum a Concil. Trident. contra Lutheranos & Calvinistas.

*Prob.* 1. Ex facto Christi qui instituens Eucharistiam prius protulit verba consecratoria *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, quam Corpus ad manducandum & Sanguinem ad bibendum Apostolis porrexerit; *atqui* verba Christi vera & efficacia fuerunt eo instanti quo prolata sunt; *ergo* ante actualem usum & manducationem fuit sub speciebus verum Corpus & verus Sanguis Christi, ideoque verum Sacramentum; ergo Sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente.

Verum quidem est sumptionem necessariam esse ad effectum Sacramenti percipiendum, non autem ad veritatem realis præsentiæ comprobandam.

*Prob.* 2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi & traditione, secundum quam ab ipso tempore Apostolorum

1. Eucharistia peractis mysteriis per Diaconos ad absentes mittebatur, ut refert Justinus, Apostolorum coævus (*apologia secunda*).

2. Fideles Eucharistiam in domos suas deferebant ut eam tempore opportuno sumerent, ita testantur Tertull. & sanctus Cyprianus (*Tertul. l. 2. ad uxorem*, *Cypr. serm. de Lapsis.*) dicens: *Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Et D. Basilius, Epist. 289. ad Cesariam patriciam: *Quoniam*, inquit, *per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario, sacerdote vel ministro non præsente* propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacaneum *ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter & inique ferendam eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederit .... Alexandriæ autem, & per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum, habet domi suæ communionem.*

3. Eucharistia ad ægrotantes deferebatur, ut ostendit celebre factum, quod refert (*L. 6. Histor. cap. 44.*) nimirum a Sacerdote ægrotante per puerum, missam esse Eucharistiæ particulam ad Serapionem quemdam senem in extremis positum, quam cum sumpsisset, senex statim animam exhalavit.

Ad hanc constantem traditionem attendens Conc. Trid. definit (*Sess. 13. cap. 4.*) *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post et in Hostiis seu Particulis consecratis quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.*

*Solvuntur Objectiones.*

1. Omnia alia Sacramenta in actione transeunte consistunt, ergo & Eucharistia.

*Resp. nego cons.* Disparitatem ex traditione, & Conc. Trid. definitione colligimus, ex quibus perspectum habemus Eucharistiam esse rem permanentem: ergo intrinsece constitui debet re permanente & non transeunte, qualis est ipsa manducatio. Præterea in his, quæ ex mera Christi libertate pendent, non valet conclusio unius ex aliis.

*Objicies* 2. Omne Sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis: atqui Eucharistia non est signum gratiæ nisi in actuali manducatione; ergo.

*Resp. nego min.* Nam Corpus Christi sub speciebus Panis existens habet rationem Cibi spiritualis; ergo significat nutritionem spiritualem, seu gratiam sanctificantem nutritivam.

*Inst.* Omne Sacramentum constat rebus tamquam materia, & verbis tanquam forma; atqui Eucharistia in facto esse non constat verbis: ergo non est Sacramentum.

*Resp. dist. maj.* Omne Sacramentum in fieri constat rebus & verbis, *conc. maj.* in facto esse *nego maj.* & concessa min. *dist. consequens &c.* hic autem loquimur de Sacramento in facto esse, quod licet extrinsece sit confectum verbis consecratoriis, tamen intrinsece non componitur verbis, sed ut infra dicemus, Corpore & Sanguine Christi.

*Objicies* 3. Juxta multa Ecclesiarum monumenta, quæ post mysteriorum celebrationem residua erant fragmenta, consumebantur a Clericis, vel dabantur pueris innocentibus consumenda; ergo in primitiva Ecclesia Eucharistia non fuit asservata.

*Resp. nego conseq.* Ea enim quæ proponit objectio, non pugnant cum asservatione Eucharistiæ; equidem juxta primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ supererant fragmenta, consumebantur, sed ea parte seposita quæ in sacrario pro infirmis asservabatur, ut constat ex iisdem monumentis.

*Nota:* Certum itaque est de fide Eucharistiam consistere in re permanente, sed in assignanda præcise illa re, discordia est inter Theologos, quæ ut dirimatur,

## CONCLUSIO III.

*Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione, neque in solis speciebus; neque in solo Corpore, & Sanguine Christi; sed consistit essentialiter & adæquate in speciebus simul & Corpore ac Sanguine Christi.*

*Prob.* Prop. per partes.

1. *Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione*, quia res fixa & permanens qualis est Eucharistia, non potest essentialiter consistere in re fluente & transeunte; atqui consecratio posita est in verbis quæ fluunt & transeunt; ergo, &c.

2. *Non consistit in solis speciebus*, quia Eucharistia Sacramentum gratiam confert, adoratur a fidelibus, perficitur a ministris: atqui solæ species non producunt gratiam, non adorantur a fidelibus, non perficiantur a ministris per certa verba; ergo.

3. Non

3. *Non consistit in solo Corpore & Sanguine Christi*; nam de essentia Sacramenti est quod sit aliquid sensibile: atqui corpus & sanguis Christi non sunt sensibilia; ergo.

Restat ergo dicendum cum D. Thom. (*In 4. dist. 7. art. 2. ad 2.*) *ex speciebus & corpore Christi fieri unum Sacramentum.* Omnes siquidem veri Sacramenti conditiones complexo ex speciebus & corpore Christi apprime conveniunt, est enim signum sensibile gratiæ invisibilis.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem:* Forma est de essentia rei; atqui consecratio, sive verba consecratoria sunt forma Eucharistiæ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Forma intrinsece componens, seu informans, *conc. maj.* forma extrinsece conficiens, *nego maj.* atqui verba consecratoria sunt forma extinsece conficiens, *conc. min.* informans, *nego min.* & conseq.

*Subsumo*: atqui verba consecratoria sunt forma informans.

*Prob. subsumpt.* Quod determinat species ad significandam gratiam, est forma informans; atqui verba consecratoria determinant species ad significandam gratiam; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Quod determinat species formaliter, id est velut formalitas intrinseca, qua Sacramentum in se constat, *conc. maj.* quod determinat efficienter velut causa significationis, *nego maj.* & sic *distincta minor.* nego conseq. Verba ergo consecratoria sunt quidem causa efficiens Sacramenti, sed non ipsum Sacramentum.

*Objicies contra secundam partem.* Solæ species sunt Sacramentum Eucharistiæ: ergo.

*Prob. ant.* Innoc. III. (*Cap. Cum Marthæ de celebr. Missar.*), tria distinguit in Eucharistia, nempe Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, Sacramentum & res Sacramenti simul; additque species esse Sacramentum tantum; ergo Eucharistia consistit in solis speciebus.

*Resp. dist. ant.* Species sunt Sacramentum tantum sumendo nomen, *Sacramentum*, inadæquate pro eo præcise quod significat, *conc. ant.* pro eo quod significat simul & significatur, *nego ant.* sic enim sumptum Sacramentum, est corpus & sanguis Christi sub speciebus contenta, cum ipsa sint simul gratia & ipsam significent atque producant.

*Inst.* 1. Concil. Trid. (*sess.* 13. *can.* 1.), ait, corpus & Sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ Sacramento: ergo supponit rationem Sacramenti contineri in solis speciebus.

*Resp. dist. ant.* In Sacramento inadæquate sumpto, *conc. ant*; in Sacramento adæquate sumpto, *nego ant.* Corpus enim & sanguis Christi sunt in Sacramento Eucharistiæ non tanquam locatum in loco, sed tanquam pars in toto, prout anima est in homine.

*Inst.* 2. Sacramentum est signum corporis Christi; sed corpus Christi non est signum sui ipsius; ergo corpus Christi non est pars Sacramenti.

*Resp. dist. maj.* Sacramentum inadæquate sumptum, nempe pro speciebus, est signum corporis Christi, *conc. maj.* adæquate, *nego maj.* nam Sacramentum adæquate sumptum significat corpus Christi & gratiam sanctificantem: primum significat per species; secundum significat per corpus Christi sub speciebus.

*Inst.* 2. Quælibet pars essentialis Sacramenti debet esse sensibilis; atqui corpus Christi non est sensibile; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Pars Sacramenti debet esse sensibilis vel per se, vel saltem per aliud, *conc. maj.* semper per se, *nego maj.* corpus autem Christi fit sensibile per species exteriores, sub quibus continetur, quod sufficit ut sit pars Sacramenti.

*Objicies contra tertiam partem.* Sacramentum Eucharistiæ consistit in solo corpore & sanguine Christi; ergo.

*Prob. ant.* Corpus & Sanguis Christi sola reficiunt animam, ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Non enim sufficit ad essentiam Sacramenti quod sit refectio animæ, sed insuper requiritur quod sit signum sensibile per species.

*Resolves*: Materiam proximam Eucharistiæ in facto esse, species esse Eucharisticas, formam vero esse ipsummet corpus Christi sub speciebus; materia siquidem & forma Sacramenti permanentis debent esse permanentes: nulla autem assignari potest alia materia permanens quam species quæ de se sunt indeterminatæ ad refectionem spiritualem significandam; nec ulla alia forma quam ipsummet corpus Christi species ad spiritualem refectionem significandam determinans: circa quod,

Quæres: *An Sacramentum Eucharistiæ sit unum?*

Ratio dubitandi est, quia constat signis specie diversis.

*Resp.* Sacramentum Eucharistiæ est unum specie, quod numero multiplicari potest.

*Prob. prima pars*: Quia formalis & specifica unitas vel multiplicitas alicujus Sacramenti repetenda est ex unitate vel multiplicitate gratiæ sacramentalis; atqui Sacramentum Eucharistiæ licet duabus constans speciebus unicam confert gratiam sacramentalem, refectionem scilicet spiritualem; ergo Sacramentum Eucharistiæ est unum specie.

*Prob. secunda pars*: In Sacramento Eucharistiæ sunt plures species seorsim sumibiles & ordinabiles ad plures refectiones spirituales; ergo Sacramentum Eucharistiæ potest numero multiplicari.

*Dices contra primam partem*: Species panis & species vini habent significationem sacramentalem diversam; ergo constituunt Sacramenta specie diversa.

*Resp. dist. ant.* Habent significationem diversam quoad modum significandi, *conc. ant.* quoad rem significatam, *nego ant.* eundem enim effectum sacramentalem significant, nempe refectionem animæ spiritualem, unde sunt unicum specie Sacramentum.

*Inst.* Refectio facta per cibum spiritualem diversa est specie a refectione facta per potum spiritualem: ergo species panis & vini habent significationem realem diversam. *Resp. dist. ant.*

*Prob. ant.* Refectio facta per cibum corporalem diversa est specie a refectione facta per potum corporalem; ergo.

*Resp. dist. conseq.* Disparitas est, quia substantia

tia cibi corporalis specie diversa est a substantia potus corporalis, ac proinde producunt effectus specie diversos; at in Eucharistia cibus & potus spiritualis sunt una eademque res, licet diversimode significata, nempe Christus, qui sub utraque specie animam eodem modo reficit.

## QUÆSTIO II.

*De materia Eucharistiæ ex qua.*

Cum duplex sit Eucharistiæ materia, una pro consecrando corpore, altera pro consecrando sanguine, de utraque distinctis agemus articulis.

### ARTICULUS I.

*De materia ex qua conficitur corpus Christi.*

Tria hic nobis sunt resolvenda: *Primum*, utrum panis triticeus sit materia necessaria Eucharistiæ; *Secundum*, utrum panis debeat esse azymus vel fermentatus; *Tertium*, utrum Christus in azymo consecraverit. Ideo

#### CONCLUSIO I.

*Solus panis triticeus est materia necessaria Eucharistiæ.*

*Prob.* Materia qua Christus usus est cum primum Eucharistiam instituit, & qua uti Sacerdotes jussit, est materia ex qua conficiendum corpus Christi: atqui panis triticeus est materia qua Christus usus est juxta illud; *Accepit Jesus panem* (*Luc.* 22. *vers.* 19.), & qua uti Sacerdotes jussit his verbis, *hoc facite in meam commemorationem*: Ergo, &c.

*Prob. min.* Panis simpliciter & sine addito est panis triticeus, cæteri enim panes sunt tantum analogice panes, quatenus defectum panis triticei supplent: unde non dicuntur panes nisi cum addito, v. gr. *panis hordeaceus*, *panis ex fabis*, &c. atqui Christus usus est pane simpliciter & sine addito; ergo.

*Conf.* Ex decreto Eugenii in Conc. Flor. in quo dicitur: *tertium, est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite*; atqui *vinum de vite* est materia absolute necessaria, ut nemo dubitat; ergo & panis triticeus.

*Porro* panis ille triticeus debet macerari ex aqua pura & naturali, & concoqui ad ignem; quia sic conficitur panis usualis & simpliciter dictus.

*Resolves*, invalidam esse consecrationem in pane ex spelta, hordeo, millio, &c. Quoad secale aliqui putant esse materiam propriam Eucharistiæ, dicentes non differre specie a tritico, sed esse triticum inferius: melius tamen dicendum esse materiam dubiam, quam absque peccato mortali non licet adhibere.

#### CONCLUSIO II.

*Ad consecrationis validitatem perinde est, sive panis azymus sit, sive fermentatus.*

*Prob.* 1. Quia ita definitum fuit in Conc. Florent. contra Græcos schismaticos (*auctor fuit Michael Cerularius Patriarcha Constant.*), consentientibus pariter Græcis & Latinis: *Definimus*, ajunt hujus Concilii Patres, *in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ orientalis, sive occidentalis consuetudinem.*

*Prob.* 2. *ratione.* Quia ad consecrationis validitatem sufficit panis verus & simpliciter dictus; atqui uterque panis est verus & simpliciter dictus panis ex farina triticea, aqua naturali subacta, & ad ignem cocta; ergo.

*Dices*: Christus consecravit in fermentato tantum, vel in azymo tantum; ergo alteruter est necessitate Sacramenti adhibendus.

*Resp. nego conseq.* Nam panis azymus & fermentatus non differunt nisi accidentaliter, quomodo vinum album differt a rubro; Christus autem non attendit ad qualitates accidentales panis & vini.

*Itaque* neque Latini propter azymum, neque Græci propter fermentatum quo utuntur, culpandi sunt; laudabilis enim est Græcorum ritus qui fermentato utuntur, tum in detestationem hæresis Ebionitarum qui legalia Evangelio miscebant, tum quia *panis fermentatus*, ut Gregorius in Registro, *non obscure repræsentat verbum divinum carnis nostræ fermento imbibitum*; sed laudabilior est Latinorum ritus.

1. Quia repræsentat puritatem Christi, qui sine ulla admixtione suscepit carnem.

2. Quia fidelium sinceritatem magis exprimit juxta illud Apost. (1. *Cor.* 5. *v.* 8.) *epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.*

3. Quia Christus azymo usus est; quod ut probetur, sit

#### CONCLUSIO III.

*Christus in azymo consecravit.* Est contra Græcos docentes Christum eo anno quo mortuus est, anticipasse uno die esum agni Paschalis, eumque comedisse non quartadecima, sed tertia decima die mensis, quo die licebat vesci pane fermentato. Contra quos,

*Prob. prop.* Christus instituit Eucharistiam primo die azymorum, juxta illud Marci 14. *Primo die azymorum quando Pascha immolabant, aiunt ei discipuli, quo vis eamus & paremus tibi ut manduces pascha: .... & paraverunt pascha. Vespere autem facto venit* (Jesus) *cum duodecim, & manducantibus illis accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: sumite, hoc est corpus meum.* Atqui a prima vespera primi diei azymorum usque ad septimum diem nullo modo licebat Judæis uti pane fermentato, imo nec ullibi retinere, ut patet Exodi 12. ubi dicitur; *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Ergo Christus (cum fuerit Legis observantissimus, ut testatur Matth. 5. *non veni solvere Legem sed adimplere. Amen quippe dico vobis .... iota unum aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant*) celebravit in azymo.

Hoc argumento Leo Papa IX. usus est adversus

sus Michaelem Cærularium: *Qui non venerat solvere Legem*, inquit, *sed adimplere*, *juxta ipsius Legis præscriptum ex azymis & vino*, *vetus Pascha adimplevit*, *& protinus ex azymis & vino novum* ( *sicut aperte Lucas narrat* ) *Discipulis tradidit.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies*: Christus eo anno quo mortuus est, anticipavit tempus celebrandi Pascha; ergo &c. *Resp. nego antec.*

*Prob. ant.* Christus ultimam cœnam celebravit *ante diem festum Paschæ* (*Joann.* 13. *v.* 1.); ergo anticipavit &c.

*Resp. dist. ant.* Christus celebravit ultimam cœnam ante diem festum Paschæ naturalem, *conc. ant.*; ante diem festum Paschæ legalem seu cæremonialem, *nego ant. & conseq.*

Itaque apud Judæos *dies naturalis incipiebat ab ortu solis usque ad occasum*, *& eo anno incidebat in diem Veneris: dies vero legalis seu cæremonialis incidebat a vespera diei præcedentis*, *& desinebat in vesperam diei sequentis*; juxta illud Levit. 23. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Christus celebravit ultimam cœnam die 14. mensis primi ad vesperam, quo tempore inchoabatur festum Paschatis & Azymorum; eratque privilegium solemnitatis, quæ 15. die celebrabatur quantum ad feriationem ab omni opere, sicut Ecclesiastico ritu, festi dies a primis vesperis incipiunt, & tamen solemnitas diei naturali, qui ab ortu solis incipit, assignatur. Ergo celebravit ante diem Paschæ naturalem, qui incipiebat decima quinta die. (*n.* 28. *v.* 16.)

*Inst.* 1. Parasceve alicujus festi, festum haud dubie antecedit; atqui Christus dicitur crucifixus Parasceve Paschæ: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo Christus eo anno quo mortuus est, tempus celebrandi Pascha antecessit.

*Resp. dist. min.* Christus dicitur crucifixus in Parasceve Paschæ, id est in Parasceve Sabbati occurrentis in solemnitate Paschatis & Azymorum, *conc. min.*; id est in Parasceve ipsius festi Paschatis, *nego min.* Seipsum exponit D. Joannes versu sequenti dicens: *Judæi quoniam Parasceve erat*, *ut non remanerent in cruce corpora Sabbato*, *erat enim magnus dies illi Sabbati*, (eo quod occurreret in solemnitate Paschali) *rogaverunt Pilatum* &c. (*Deut.* 16. *v.* 2.) Unde Marcus 15. ait: *Erat Parasceve quod est ante Sabbatum.* Deinde solum Sabbatum habebat Parasceven; quia in eo non tantum omne opus servile erat prohibitum, sed nec licebat ea præparare quæ ad victum erant necessaria; econtra in aliis festis etiam in solemnitate Paschali licet omne opus servile fuerit prohibitum, tamen licebat ea præparare quæ ad victum erant necessaria, ut colligitur Exodi 12. *nihil operis facietis in eis* (diebus Azymorum) *exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

*Inst.* 2. Christus non est mortuus in die solemni Paschæ; nam *dicebant* (Judæi) *non in die festo*, *ne forte tumultus fieret in populo.* Ergo mortuus est ante diem festum Paschæ cæremonialem.

*Resp. nego ant.* Textus enim intelligitur de quibusdam Judæis qui ob metum tumultus, in ea fuerunt sententia; sed prævaluere suffragia, quibus deliberatum est non prætermittendam esse occasionem Jesum capiendi & occidendi, violatis omnibus naturalis æquitatis & religionis juribus.

*Inst.* 3. Dies veneris, qua Christus mortuus est, est Paschæ privilegium, juxta illud Joann. 18. *Erat autem mane*: *& ipsi* (Judæi) *non introierunt in prætorium*, *ut non contaminarentur*, *sed ut manducarent Pascha*; ergo Christus non est mortuus in die solemni Paschæ.

*Resp. nego conseq.* Nam D. Joannes eo loci, nomine *Paschæ*, non intelligit manducationem agni Paschalis, qui debebat manducari Luna 14. ad vesperam, sed victimas quæ per septem dies azymorum ex præscripto legis offerebantur, quæ vocabantur *phase*, id est, *Pascha*: *Immolabitis phase Domino tuo de ovibus*, *& de bobus.*

## ARTICULUS II.

### *De Materia Calicis.*

Tria hic sunt examinanda. *Primum*, utrum vinum de vite sit materia calicis; *Secundum*, utrum vino consecrando aqua sit admiscenda, & qua necessitate; *Tertium*, utrum aqua cum vino mixta immediate convertatur in sanguinem Christi; ideo

### CONCLUSIO I.

*Solum vinum de vite ipsumque usuale est materia valida Eucharistiæ.*

*Prob.* Sola materia, quam Christus adhibuit, & præcepit ut adhiberetur a Sacerdotibus, est materia necessaria Calicis; atqui Christus solum vinum de vite usuale adhibuit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis* (*Matt.* 26. *v.* 29.), & præcepit ut adhiberetur juxta illud, *hoc facite in meam commemorationem*; ergo.

*Quare* invalide conficeretur Eucharistia ex vino nondum ex uvis expresso, ex omphacio, aceto; quia non sunt vinum usuale; non ita sentiendum de musto, & vino acescente, quia retinent veram naturam & speciem vini; observat tamen Paulus a Lugduno (*de Euch. cap.* 1. *q.* 2. *art.* 2.) consecrationem in musto & vino acescente licet validam, esse illicitam ob fæces adjunctas & alterationem.

### CONCLUSIO II.

*Paululum aquæ naturalis Calici Eucharistico infundi debet*, *non quidem ex necessitate Sacramenti*, *aut præcepti divini*, *sed Ecclesiastici duntaxat.*

*Prob.* 1. *part.*: Quod semper fuit observatum in Ecclesia Catholica, illud est tenendum; atqui mixtio aquæ semper fuit observata in Ecclesia Catholica; ergo tenenda.

*Prob. min.* Ex Tradit. ab Apostolis ad nos usque derivata, ut constat ex Pontificibus, Conciliis, & Patribus, tum Græcis tum Latinis, inter quos brevitatis gratia unum textum ex singulis proferemus.

Ex Pontificibus: Alex. I. (*Epist. ad omnes Orthodoxos*) *Non debet ut a Patribus accipimus, in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.*

Ex Conciliis; Carthaginense III. (*ann.* 397. *cap.* 24.) sic statuit: *In Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aquæ mixtum.*

Ex Patribus Græcis, sanctus Cyprianus ait; *Dominica traditio servetur, ut Calix mixtus vino offeratur.*

Ex Patribus Latinis; sanctus Hieronymus (*in cap.* 14. *Marci*) dicit; *Format Sanguinem suum*, (Christus) *in Calice vino et aqua mixtis.*

*Prob.* 2. *pars. Nempe* illam mixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione id colligi potest, imo sancti Patres & Concilia contrarium docent, & manifeste colligitur ex Rubricis Missalis Romani (*Tit. de defectibus vini*) his verbis: *Si celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam ...... si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Hinc sequitur mixtionem aquæ non esse præcepti divini; quæ enim Christus observanda præcepit in Sacramentorum administratione, illa ad Sacramenti substantiam & integritatem pertinent; atqui ex dictis &c.

*Dices* 1. Christus exemplo suo mixtionem aquæ vino adhibere docuit: ergo eam præcepit: ergo necessaria est necessitate Sacramenti.

*Resp. nego conseq.* Nam Christus non omnia quæ fecit, nos facere præcepit, *alioquin*, inquit D. Cyprianus (*Epist.* 63. *ad Cæcilium*) *sacrificium post cœnam celebrare teneremur, cum illud Christus post cœnam celebraverit.*

*Inst.* 1. Ex Conc. Carthag. cit. mixtio aquæ fuit a Christo tradita; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Fuit tradita a Christo tanquam exemplum quod convenit sequi, *conc. ant.* tanquam præceptum, *nego ant.* responsio constat ex Conc. Trid. infra citando.

*Inst.* 2. D. Cyprian. (*Ep. ad Cæcilium*) docet; *In sanctificando Calice non posse offerri aquam solam, quemodo nec vinum solum*; ergo sicut nulla est consecratio cum aqua sola, ita nec cum vino solo.

*Resp. dist. textum*: Non potest solum vinum offerri, sicut nec aqua sola, ex diverso necessitatis genere, *conc.* ex eodem, *nego*: aqua enim necessaria est ex usu & præcepto Ecclesiæ; vinum autem ex institutione Christi & necessitate Sacramenti. Responsio constat ex eo quod immediate addit D. Cyprianus. *Nam*, inquit, *si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse.*

*Prob.* 3. *pars*, ex Conc. Trid. (*sess.* 22. *c.* 7.) dicente: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalipsi Joannis, populi dicuntur, ipsius populi fidelis cum Christo unio repræsentatur*: ergo mixtio aquæ est de præcepto duntaxat Ecclesiastico.

*Porro.* Hæc mixtio est necessario & sub mortali facienda, quia licet materia de se sit levis, gravis tamen est ratione significationis mysteriorum a Trid. relatorum.

Item hæc mixtio debet fieri tempore Missæ, alioquin, si fieret in dolio, non haberet sacram significationem.

Item aqua vino miscenda debet esse modicissima, ut colligere est ex praxi Ecclesiæ & Concilio Florent. docente, materiam Calicis esse vinum de vite, *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.*

## CONCLUSIO III.

*Aqua mixta vino, immediate convertitur in Sanguinem Christi.* Hæc propositio est mere philosophica, nec multi apud Theologos momenti, ideo

*Prob. brev.* Quia Ss. Patres eodem modo loquuntur de aquæ ac de vini transubstantiatione; *Vinum et aqua*, inquit Damascenus, *transmutantur in Sanguinem Christi* (*L.* 4. *de fide cap.* 14.). Atqui vinum transmutatur immediate: ergo & aqua vino mixta.

*Ratio eorum est*, quia vinum aqua mixtum est vinum usuale; sicut panis fermentatus apud Græcos est panis usualis; ergo sicut totus ille panis convertitur in corpus Christi, quanquam fermentum seorsim sumptum non sit materia Eucharistiæ idonea; ita pariter totus ille Calix convertitur in Sanguinem.

Hinc Missale Roman. præscribit ut si Sacerdos immediate ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam in Calice, tunc illam immediate ante consecrationem infundat; in quo casu aqua non potest prius in vinum, quam in Sanguinem Christi converti.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Innoc. III. (*Cap. cum Marthæ de celebr. Missar.*) Expositis tribus opinionibus, quarum *prima* docet vinum & aquam converti in Sanguinem & aquam, quæ fluxerunt e latere Christi; *secunda*, *aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino*; *tertia*, aquam remanere in propria specie circumfusam tamen vini accidentibus, asserit mediam probabiliorem esse; ergo &c.

*Resp. dist.* Asserit mediam esse probabiliorem *in se* quatenus nimirum contendit aquam in Sanguinem converti, de quo solum consultus fuerat, *conc.* esse probabiliorem in ratione qua fulcitur, quia nempe aqua in vinum transit mixta vino, *nego*. Noluit enim S. Pontifex solvere quæst. philosophicam.

*Inst.* 1. Idem Pontifex ait: (*L.* 4. *Myst. Missæ cap.* 30.) *Quis ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* ergo &c.

*Resp. dist. textum*: Quis ambigat aquam in vinum

num transire moraliter, *conc.* physice, *nego;* moralis transitio est quoad species apparentes; physica est quoad substantiam.

*Inst.* 2. Concil. Flor. jussit ut vinum consecrandum aqua modicissima temperetur, ut habeat satis virtutis ad aquam in sui substantiam ante consecrationem convertendam; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Non enim *aqua modicissima admisceri debet* juxta Concilium, ut vinum habeat satis virtutis ad convertendam aquam in sui substantiam; sed duplici ex causa; 1. ut melius significetur majestas Christi per vinum designata, & fragilitas populi per aquam repræsentata (*Ita Conc. Triburiense can.* 12.); 2. ne vinum quod est materia necessaria consecrationis, per copiosam aquam substantialiter mutetur; est ratio D. Thomæ.

*Objicies* 2. Sola materia Calicis convertitur immediate in Sanguinem; atqui solum vinum est materia Calicis ex Flor. & Trid. ergo &c.

*Resp. nego min.* Materia enim Calicis est vinum usuale prout præscindit a vino puro, vel modica aqua temperato; utrumque autem est vinum usuale, sicut uterque panis azymus & fermentatus est panis usualis.

## QUÆSTIO III.

*De forma Eucharistiæ.*

*Nota.* Hic tria sunt resolvenda; 1. utrum Christus sola benedictione interna consecraverit, vel verbis ad consecrandum usus fuerit; 2. quænam verba essentialem Eucharistiæ formam constituant: 3. quo sensu verba formæ a Sacerdotibus proferantur: 4. quid significent pronomina *hoc & hic.*

### CONCLUSIO I.

*Christus consecravit verbis istis:* hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus. (*Hæc propos. est contra Innocent. III. Lib. 4. Myster. Missæ; Durandum, Catharin. Salmeron.*)

*Prob.* 1. Ex Ss. PP. maxime Tertulliano dicente (*Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap.* 40.); *acceptum panem, & distributum Discipulis, Corpus suum fecit dicendo, hoc est Corpus meum,* & Ambrosio (*L. 4. de Sacram. cap.* 40.) sic disserente: *quomodo panis potest esse corpus Christi? Consecratione; consecratio autem quibus verbis est, aut cujus sermonibus? Domini Jesu .... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.*

*Prob.* 2. Ex Conc. Flor. ubi dicitur: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

*Prob.* 3. *ratione.* Christus instituens Eucharistiam, Sacramentum ritu sacramentali perficere voluit; ergo usus est materia & forma sensibili, nempe pane tanquam materia, & verbis tanquam forma; Sacramentum enim fit necessario ex materia & forma.

*Dices* 1. Div. Marcus institutionem Eucharistiæ referens ait (*Marci 14. v.* 23); *Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est Sanguis meus novi Testamenti &c.* unde sic arguo.

Prius Apostoli panem Eucharisticum & Calicem sumpserant, quam dixisset Christus *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Ergo non istis verbis, sed præcedente benedictione consecravit.

*Resp. nego ant.* Verba enim ista, *et biberunt ex illo omnes*, ante prolationem istorum verborum, *hic est Sanguis meus*, dicta sunt a S. Marco per anticipationem, ut nempe præceptum Christi de sumendo Calice cum ejus executione conjungeret; unde non est secutus ordinem narrationis, ut constat ex aliis Evangelistis & Apostolo.

*Inst.* Conc. Trid. (*Sess.* 13. *cap.* 1.) dicit Christum *post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis* (Apostolis) *præbere ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatum esse;* ergo per illa perspicua verba non effecit Corpus suum, sed per præcedentem benedictionem.

*Resp. dist. textum.* Christus testatus est *disertis ac perspicuis verbis*, iisque practicis & operativis, *conc.* verbis speculativis *nego;* Christus enim testando se suum præbere Corpus illud effecit, & Corpus efficiendo testatus est se illud Apostolis præbere.

### CONCLUSIO II.

*Ista omnia verba:* Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, *vel* hic est Calix Sanguinis mei, *requiruntur & sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam.*

*Prob.* Verba quæ operantur præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, requiruntur & sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam; atqui talia sunt verba supradicta; ergo omnia illa & sola requiruntur & sufficiunt, &c.

*Prob. min.* Verba illa omnia & sola præsentiam Corporis & Sanguinis Christi operantur, quæ omnia & sola illam perfecte significant (nam formæ Sacramentorum habent vim efficiendi quod significant); *atqui* omnia & sola verba supradicta in persona Christi prolata, significant perfecte præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ut per se patet: *ergo, &c.*

*Colliges:* Ista verba: *qui pridie quam pateretur &c.* non esse de essentia formæ, quia non sunt verba Christi, sed Evangelistæ narrantis actionem Christi, nec etiam particula *enim*, quæ est solum ex institutione D. Petri volentis conjungere verba consecrationis cum præcedentibus.

Quantum ad hæc verba: *Accipite, manducate, & bibite, novi & æterni Testamenti:* Sunt quidem verba Christi, sed non sunt de essentia formæ, quia non significant transubstantiationem.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ista verba *hoc est Corpus meum, &c.* non requiruntur necessario ad constituendam essentialem formam Eucharistiæ; ergo &c.

*Prob. ant. negatum:* Multi Patres asserunt Eucharistiam oratione consecrari. *Per precem Eucharistiam factum cibum sumimus*, ait Justin. Apolog. 2. ergo.

*Resp. dist. ant.* Oratione indistincta a verbis Christi, *conced. anteced.* distincta ab illis, *nego ant. & conseq.*

Patres itaque per *orationem*, *invocationem*, intelligunt verba Christi quæ sunt implicita oratio, quatenus Deum efficaciter movent ad effectum Sacramentalem producendum. Sic D. August. lib. 5. de Bapt. *Quomodo*, inquit, *audit homicidam deprecantem*, *vel supra aquam Baptismi*, *vel supra oleum*, *vel supra Eucharistiam*, &c.

*Inst.* 1. Patres, Sancti Spiritus invocationem, per quam asserunt Eucharistiam consecrari a verbis Evangelicis, *hoc est Corpus meum*, distinguunt: invocationis verba, ait Div. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. in *ostensione panis Eucharistiæ*, *& poculi benedictionis*, *quis Sanctorum nobis scripto reliquit? neque enim his contenti sumus*, *quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit*, *sed & ante & post*, *alia dicimus veluti magnum robur ad mysterium habentia*, *quæ ex doctrina scripta*, *non prodita nos accepimus*; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam D. Basilius loquitur de tota Liturgia, nam ait: *Ante & post* (verba evangelica) *alia dicimus*, quis porro dixerit totius Liturgiæ recitationem requiri ad consecrationis validitatem? loquitur ergo & de consecrationis licitate, non de validitate: nimirum ejus scopus fuit demonstrare Scripturam non esse solam fidei regulam, idque probant ex Liturgiis, in quibus multa sunt quæ ob reverentiam illius mysterii observari debent a ministris, quamvis in Scriptura nequaquam legantur.

*Inst.* Gaudentius Brixiensis (*Tract.* 2. *in Exod. refertur in Bibl. PP. Tom.* 5. *p.* 947. ait: *cum panem consecratum & vinum Discipulis suis porrigeret Dominus*, *sic ait*: *hoc est Corpus meum*; ergo erat ante verba Christi consecratus per orationem.

*Resp. dist. conseq.* Erat consecratus præparatorie, *conc.*; formaliter, *nego conseq.* Loquitur autem Gaudentius de pane ad consecrationem præparato.

*Objicies* 2. In multis probatis Græcorum Liturgiis post prolationem istorum verborum *hoc est Corpus meum*, adduntur preces quibus Sacerdos rogat ut panis fiat Corpus Christi; ergo Græci non supponunt consecrationem factam esse per hæc verba Christi, *hoc est Corpus meum.*

*Resp. dist. ant.* Adduntur preces, quibus Sacerdos rogat, ut panis fiat Corpus Christi simpliciter, *nego ant.*; *ut fiat communicantibus in purgationem animæ*, *in remissionem peccatorum*, *& non fiant in judicium & condemnationem*, *conc. ant.* est ipsa responsio Græcorum, qua audita Eugenius S. P. Græcos, *tamquam fratres in fide secum conjunctos* compellavit.

*Inst.* In Liturgia Div. Chrysostomi Sacerdos post prolationem verborum Christi sic orat: *fac panem istum pretiosum Corpus Christi tui*, *transmutans Spiritu sancto tuo*; ergo supponit nondum factam esse consecrationem, seu transmutationem panis in Corpus Christi.

*Resp. cum Arcudio* (*L.* 3. *cap.* 33.) Latinos sancti Chrysostomi verba male omnino reddidisse per ista: *fac panem ... transmutans etc.* sed debuerunt sic reddi juxta textum Græcum, *fac ut panis*, *quem Spiritu sancto tuo transmutasti in pretiosum Corpus Christi tui*, *fiat suscipientibus in salutem*: verbum enim Græcum *Metebalon*, est Aoristus secundus præteriti temporis quod significat *mutasti*, non vero *mutans.*

Quod D. Chrysost. censuerit Consecrationem fieri verbis Christi, constat ex ejus Hom. de *proditione* Judæ, ubi dicit: *Hoc est Corpus meum*, *hoc verbo proposita consecrantur.*

## CONCLUSIO III.

*Verba consecrationis nec historice tantum*, *nec assertive tantum*, *sed historice et assertive simul a Sacerdote proferuntur.*

*Prob. prima pars*: Illud dicitur *recitative & historice*, quod refertur tamquam ab alio dictum; atqui verba consecrationis referuntur a Sacerdote tamquam a Christo dicta his verbis; *qui pridie quam pateretur*, *accepit panem*, *etc.* ergo verba consecrationis dicuntur historice.

*Prob. secunda pars*: Illud dicitur *assertive* quod dicitur cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem; atqui verba consecrationis proferuntur a Sacerdote cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem; proferuntur enim a Sacerdote in persona Christi, seu ut gerens personam Christi; ergo proferuntur assertive.

## CONCLUSIO IV.

*Pronomine* hoc & hic *in forma Eucharistiæ*, *significatur Corpus et Sanguinem Christi*, *sub confusa ratione rei contentæ*, *sub speciebus panis et vini in fine prolationis formæ consecratoriæ.*

*Prob.* Quia pronomina demonstrativa substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum: atqui pronomina *hoc* & *hic* sunt substantive posita in propositione practica; *ergo* significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum; atqui id quod existit in fine prolationis verborum consecratoriorum, est Corpus & Sanguis Christi; ergo pronomina *hoc* & *hic* significant Corpus & Sanguinem Christi tantum confuse, id est, sub confusa ratione rei contentæ sub speciebus panis & vini, in fine prolationis formæ.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. In hac propositione *hoc est Corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat id quod per se est, dum profertur, est panis, & non Corpus Christi, *ergo* pronomen *hoc* demonstrat panem.

*Resp. nego maj.* Nam in propositionibus practicis non demonstratur nisi id quod vi illarum fit, & nihil fit vi illarum nisi integre sint prolatæ, sed semel completæ significant distincte terminum ad quem qui solus remanet, & quem ab initio prolationis confuse tantum significabant.

*Inst.* 1. Pronomen *hoc* in propositione Christi aliquid clare & distincte significat; *sed* non significat distincte Corpus Christi, *ergo* significat solum panem.

*Resp. nego maj.* Ratio est, quia pronomina in eo a nominibus differunt, quod hæc per se distincte

cte & determinate aliquid significent: illa vero per se ac sola nihil determinate & distincte significent; debent ergo cum nominibus conjungi ut significatio clara sit & determinata; quare pronomen *hoc*, solitarie spectatum nihil determinate significat, spectatum vero cum illis terminis propositionis, determinate significat Corpus Christi.

*Inst.* 2. Si pronomen *hoc*, Corpus Christi significat, propositio ista, *hoc est Corpus meum*, identica est & nugatoria; falsum consequens, ergo & antecedens.

*Resp. nego maj.* Quia ut propositio sit identica, non sufficit ut idem sit prædicatum & subjectum, sed etiam requiritur ut sit idem significandi modus, (alias omnes propositiones, in quibus definitio prædicatur de definito, v. g. Ista: *homo est animal rationale*, essent identicæ) atqui in hac propositione, *hoc est Corpus meum*, non est idem significandi modus prædicati & subjecti: quod enim per pronomen *hoc* & *hic*, confuse significatur, per voces sequentes & clare & distincte exprimitur; ergo propositio non est identica.

*Objicies* 2. In hac prop. *hic est Sanguis meus*: pronomen *hic* non sumitur substantive, id est non sumitur tamquam subjectum propositionis, de quo aliud prædicatur; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* In hac prop. *hic est pater meus*, pronomen *hic* non sumitur substantive, sed adjective; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quia in hac propositione *hic est pater meus*, subintelligitur in subjecto *homo*: sed in altera propositione nullum in subjecto substantivum subintelligitur, sed pronomen *hic* accipitur pro contento sub specie vini confuse sumpto.

## QUÆSTIO VI.

*De re in Eucharistia contenta.*

Præsentem quæstionem tribus absolvemus articulis, in quorum 1. Expendemus an Corpus & Sanguis Christi vere ac realiter ponatur in Eucharistia; in 2. Quomodo Christus ponatur in Eucharistia, an per impanationem, vel per consubstantionem, vel tandem per transubstantionem; in 3. Quomodo Christus sit in Eucharistia; quibus addemus quartum de remanentibus in Eucharistia speciebus.

### ARTICULUS I.

*Utrum in Sacramento Eucharistiæ vere & realiter contineatur Corpus & Sanguis Christi.*

*Nota*: Qui realem præsentiam negarunt, vocantur *Sacramentarii*, & sunt:

1. *Joannis Herigena* natione Scotus qui IX. labente sæculo docuit *Sacramenta altaris non esse verum Corpus & verum Sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri Corporis & Sanguinis.* (*Ita refert Hincmar. l.* 1. *de prædest. cap.* 31.)

2. *Berengarius* Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus, qui hanc hæresim ex lectione libri a Joanne Scoti haustam & latius diffusam, retractavit in Concilio Roman. (*Sub Gregor. VII.*)

3. *Petrus de Bruis*, a quo *Petrobusiani*, & Henricus ejus discipulus a quo *Henriciani*, qui XII. sæculo docuerunt Eucharistiam esse merum signum Corporis & Sanguinis Christi.

4. *Carlostadius*, Archidiaconus Wittembergensis, Zuinglius, Oecolampadius, & Bucerus scripserunt contra realem Christi præsentiam in Eucharistia XVI. sæculo.

5. Denique Calvinus, qui eodem sæculo XVI. asseruit non aliam esse præsentiam quam figuratam, objective per fidem, vel virtutem a Christo diffusam, ad quam fraudem elidendam Concilium Tridentinum definivit Christum *vere*, *realiter* ac *substantialiter*, in Eucharistia præsentem esse; itaque

### CONCLUSIO.

*In Sacramento Eucharistiæ*, vere, realiter *ac* substantialiter *continetur Corpus & Sanguis Christi.*

Hæc prop. probatur ex triplici capite, nimirum ex verbis promissionis, ex verbis institutionis, ex traditione Patrum & Conciliorum.

1. Ex verbis promissionis Joann. 6. ubi Christus ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita .... nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis .... caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, &c. Ex his sic argumentor.

Promissio Christi in proprio sensu debet accipi, cum nulla sit necessitas eam detorquendi in sensum metaphoricum; *atqui* promissio Christi in sensu proprio accepta, significat realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia; *ergo* Christus est vere & realiter præsens in Eucharistia.

*Prob. major.* Quia si hæc promissio in sensu spirituali & metaphorico intelligi debuisset, 1. ex verbis Christi non fuissent offensi & scandalizati tum Discipuli Christi intelligentes Christum loqui de reali manducatione corporis sui; 2. Christus ad tollendum scandalum ex suis verbis ortum, mentem suam de præsentia metaphorica, & spirituali manducatione clare aperuisset; *atqui* ex verbis Christi fuerunt scandalizati tum Judæi, de quibus dicitur v. 52. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* tum Discipuli Christi, de quibus refertur vers. 61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* & v. 67. *Multi discipulorum abierunt retro, & jam cum illo non ambulabant*; nec Christus hanc illorum opinionem correxit, imo juramento confirmavit dicens Judæis: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Discipulis vero, *hoc vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Subintellige (quid dicetis?) Ergo promissio Christi de reali & orali manducatione debet intelligi.

*Prob.* 2. *prop.* Ex verbis institutionis: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: quæ verba in sensu proprio clare significant realem præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini; in sensu autem proprio sumenda esse constat

1. Ex hac regula ab Augustino ( *L.* 3. *de doctrina christiana cap.* 10. ) tradita & ab ipsismet hæreticis recepta, nempe *verba Scripturæ sensu proprio & naturali debent intelligi, quando nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, aut aliis ejusdem Scripturæ testimoniis clarioribus; atqui* laudata verba *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut aliis Scripturæ verbis clarioribus; *ergo* debent accipi in sensu proprio, naturali, & obvio. Fatentur adversarii nihil esse in istis verbis contrarium bonis moribus, cum ex eis sequatur potius divinæ misericordiæ & omnipotentiæ commendatio; ideo

*Prob. secunda pars min.* Nempe verba illa *hoc est corpus meum*, nihil continere quod repugnet fidei & aliis Scripturæ verbis clarioribus; nullum enim textum hactenus protulere novatores contrarium præsentiæ reali, nec ullus afferri potest: imo in asseverandam præsentiam realem conspirant omnes Evangelistæ & D. Paulus, qui Eucharistiæ institutionem referentes nullum sensus figurati indicium dederunt, sed semper usi sunt istis verbis *est, corpus, sanguis*: Ergo, &c.

3. Quia sensus metaphoricus ex triplici capite intelligi potest; 1. *Ex usu hominum recepto*, quomodo imago Cæsaris dicitur Cæsar: charta geographica Lotharingiæ dicitur Lotharingia, quia ex usu recepto & cognito destinantur ad repræsentandum Cæsarem & Lotharingiam. 2. *Ex contextu sermonis*: sic Apostoli Christum dicentem se esse vitem, figurate loqui cognoverunt ex contextu sermonis; ubi eosdem vocat palmites ( *Joann.* 15. *vers.* 5. ) Sicut enim sentiebant se non esse proprie palmites, ita facile colligebant Christum non esse proprie vitem. 3. *Expositione ipsius loquentis*, quando supra laudatis indiciis sensus figuratus non potest deprehendi, sic cum Christus dicit ( *Lucæ* 12. *vers.* 1. ) *attendite a fermento Pharisæorum*, subjungit, *quod est hypocrisis*.

Atqui ex nullo horum capite potest colligi sensus figuratus in hac Christi propositione, *hoc est corpus meum*.

1. *Non ex communi usu loquendi*, namque panis ex recepto usu loquendi non est destinatus ad significandum corpus Christi, ut demonstrato pane possit dici *hoc est corpus meum*.

2. *Non ex contextu sermonis*, nihil enim est in antecedentibus & consequentibus ex quo possit colligi Christum figurate locutum fuisse; imo Apostolus postquam retulit institutionem Eucharistiæ, inde concludit ea quæ necessario realem præsentiam corporis & sanguinis supponunt, dicens: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit*, non figuræ corporis & sanguinis, sed *reus erit corporis & sanguinis Domini.* ( 1. *Cor.* 11. *vers.* 27. )

3. *Non ex ipsius loquentis expositione*, quia de facto nulla est, ut legenti Evangelium patebit.

Ergo ex nullo capite potest colligi hæc verba, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, figurate a Christo dicta fuisse.

*Prob.* 3. *Ex perpetua et constanti traditione*, cujus testes sunt Patres & Concilia; ex innumeris textibus qui proferri possunt & proferuntur a controversistis, hi sufficiant.

Conc. Nicænum I. ( *L.* 3. *de sacra mensa.* ( *Intelligamus si tum in illa sacra mensa, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, et pretiosum ejus corpus et sanguinem vere sumentes credamus, hæc esse nostræ redemptionis symbola.*

Conc. Nicænum II. Act. 6. *Liquido monstratum est quod nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt, Sacrificium sine sanguine, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem.* Quid expressius contra Calvinistas?

Brevitatis gratia omittimus Concilia, Romanum sub Gregor. VII. contra Berengarium; Viennense in decreto de festo Corporis Domini; Constantiense contra Wiclefum: Florentin. & Trident. in quibus realis præsentia fuit declarata & definita. Ut deveniamus ad testimonia Patrum,

D. Cyprian. ( *De cœna Domini* ) *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.*

S. Cyrillus Jerosolym. ( *Catech. mistag.* 4. ) postquam retulit institutionem Eucharistiæ, sic prosequitur: *Cum igitur Christus sic affirmet, atque dicat de pane: hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ..... quare cum omni certitudine corpus et sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis et sanguinis.*

S. Damascenus ( *L.* 4. *de fide cap.* 24. ) ait: *Domino dicente: hoc est corpus meum, non figura corporis, sed corpus; et non figura sanguinis, sed sanguis.*

Theophilactus ( *In cap.* 6. *Matth.* ) *Non enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Panis quidem apparet, sed caro est.*

Ex his omnibus constat dogma præsentiæ realis semper creditum fuisse in Ecclesia; ergo ab Apostolis traditum, ideoque verum & a Deo revelatum.

*Solvuntur Objectiones contra primam probationem.*

*Objicies* 1. Christus cap. 6. Joannis non loquitur de orali & sacramentali Eucharistiæ manducatione, sed tantum de spirituali, ac per fidem in Christum incarnatum; ergo inefficax est nostra prima probatio.

*Resp. nego ant.* Nam in cap. 6. Joann. tres sunt partes distinguendæ; in prima a versu primo ad vigesimum quintum agitur de cibo materiali, nempe de multiplicatione quinque panum, quibus in deserto saturati sunt quinque millia hominum; in secunda a versu vigesimo quinto ad versum quinquagesimum secundum agitur de cibo mere spirituali, nempe de fide in Christum incarnatum; in tertia a versu quinquagesimo secundo usque ad finem capitis agitur de manducatione orali & sacramentali carnis Christi in Eucharistia.

*Inst.* 1. Atqui Christus in tertia parte citati capitis aperte significat se loqui de spirituali suæ carnis manducatione; ergo.

*Prob. subsumpt.* Christus exponens quo sensu dixerit *caro mea vere est cibus* &c. ait: *spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Ergo locutus est de spirituali manducatione suæ carnis.

Resp.

*Resp.* 1. *nego conseq.* Christus enim illis verbis non loquitur de carne sua, sed de hominibus carnaliter sentientibus, ut docet D. Chrysost. dicens (*Hom.* 46. *in Joann.*) *Quomodo igitur ait: caro non prodest quidquam? non de sua carne dicit, absit, sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Unde sensus verborum Christi est: spiritus Dei est qui dat fidem & intelligentiam, homo carnaliter sentiens non potest percipere divina mysteria, quem sensum indicant verba Christi sequentia, *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hoc est, sunt de rebus spiritualibus, & ad animæ vitam conferentibus, non vero de rebus carnalibus & caducis, ut exponit ibidem S. Chrys.

*Resp.* 2. Si Christus de sua carne loquatur *distinguendo*, caro non prodest quidpiam, si sola fuerit & a spiritu vivificante sejuncta, quomodo Capharnaitæ concipiebant, *conc.* caro unita cum spiritu vivificante, id est cum divinitate, *nego.* Solutio est D. Augustini dicentis (*Tract.* 27. *in Joann.*). *Caro non prodest quidquam, sed sola caro, accedat spiritus ad carnem & plurimum prodest, nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret ut habitaret in nobis.*

*Inst.* 2. Nonnulli ex Sanctis Patribus exponunt caput sextum Joannis de sola manducatione Christi per fidem; ergo.

*Resp. nego conseq.* Quia si quando Patres exponunt mystice verba Christi, non excludunt sensum litteralem, qui realem & sacramentalem corporis & sanguinis Christi manducationem exhibet.

*Inst.* 3. Atqui Patres exponunt verba Christi de manducatione per fidem, etiam excludendo oralem & sacramentalem: ergo nulla solutio. *Resp. nego subsumptum.*

*Prob. subsumpt.* Div. August. (*Tract.* 25. *in Joann.*) exponens caput sextum Joannis ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.* Ergo caput sextum Joannis exponit de manducatione metaphorica.

*Resp. nego conseq.* Quam proterva fide Albertinus deducit ex textu D. Augustini, qui ibi non exponit ultimam partem capitis sexti Joannis quæ sola est de Eucharistia; sed versum 29. illius capitis, *hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille*, qui est de fide in Christum, quam Christus dixit: *Opus Dei.* Ad Eucharistiam ergo non pertinent verba objecta, quia ibi non loquitur de manducatione dominici Corporis, nec negat ad illud suscipiendum recte parari os & ventrem; cum *lib.* 1. *contra advers. Legis & Prophetarum*, *cap.* 9. *dicat*, ore suscipi, non corde tantum, *mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

*Inst.* 4. Atqui D. August. exponens tertiam partem sexti capitis Joannis illam explicat de manducatione figurata; ait enim (*l.* 3. *de doct. Christiana*) *hæc locutio, nisi manducaveritis &c. facinus vel flagitium videtur jubere; figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Ergo tertiam partem sexti capitis Joann. explicat de manducatione figurata.

*Resp. nego ant.* Ad prob. *dist.* hæc locutio, *nisi manducaveritis &c.* facinus vel flagitium videtur jubere si sumatur sensu Capharnaitico, *conc.* si sumatur sacramentaliter ad sensum D. August. & omnium Catholicorum, *nego ant.* est enim vera carnis Christi manducatio, veraque sanguinis ejus sumptio, sed incruento, invisibili & impassibili modo, non cruento Capharnaitarum modo.

Ista pariter *dist.* Div. Doctoris propositionem, *figura ergo est* vacua & inanis excludens rei veritatem, *nego*; figura plena continens rei veritatem, *conc.* loquitur enim Div. August. de speciebus quæ realiter continent corpus & sanguinem Christi: se enim explicat August. (*Tract.* 25. *in Joann.*) *corpus Christi & sanguis ex panis & vini substantia efficitur, figura vero est illud quod exterius sumitur.*

*Inst.* 5. Idem Augustinus ibidem inducit Christum dicentem, *spiritualiter intelligite quod locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis.*

*Resp. dist. ant.* Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis quoad modum manducandi in propria specie, *conc.* quoad substantiam, *nego.* Unde D. Doctor per τὸ *spiritualiter* excludit modum capharnaiticum manducandi corpus Christi in propria specie: non vero modum manducandi realiter sacramentaliter; id est sub speciebus panis & vini. Sic enim sese explicat *tract.* 27. *in Joann.* dicens: *Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Ille namque sensus est, qui Judæos & quosdam discipulos turbavit.

*Solvuntur Objectiones contra secundam probationem.*

*Objicies* 1. Hæc propositio *hoc est corpus meum*, est figurata; ergo non significat realem præsentiam Christi in Eucharistia.

*Prob. ant.* Hæc prop. Christi de Joanne dicentis: *ipse est Elias* (*Matth.* 11. *vers.* 24.) est figurata, ergo & ista, *hoc est corpus meum.*

*Resp. nego conseq.* Ratio disparitatis est quia Christus interpretationis causa dixit, Joannem fuisse Eliam *spiritu & virtute*: nullibi autem exposuit se non fuisse locutum proprie quando dixit: *Hoc est corpus meum.* Imo addens, *quod pro vobis tradetur, et qui pro vobis effundetur*, se idem Corpus, eundemque Sanguinem in Eucharistia comedendum ac bibendum dare, quod pro nobis morti tradendum, & qui pro multis effundendus erat; atqui verum & proprium corpus pro nobis ad mortem obtulit, non figuram corporis; verum propriumque sanguinem, non figuram sanguinis; ergo, &c.

*Inst.* 1. In hac prop. *hoc est corpus meum*, prædicatum repugnat subjecto; ergo hæc prop. figurate est accipienda. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* In hac prop. *hoc est corpus meum*, subjectum est panis: atqui repugnat panem esse corpus Christi; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Nam pronomen *hoc* non significat panem, sed significat confuse rem contentam sub speciebus panis, in quo nulla est repugnantia.

*Inst.* 1. Pronomen hoc significat quod Christus tenebat præ manibus; sed panem tenebat præ manibus; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Significat quod Christus tenebat præ manibus completa propositione, *conc. maj.* ante completam propositionem, *nego maj.* Christus autem completa propositione corpus suum, non panem habebat præ manibus; propositio enim Christi fuit practica efficiens quod significabat.

*Objicies* 2. In ista prop. *hoc est corpus meum*, verbum *est* usurpatur pro *significat*; ergo hæc proposit. est figurata.

*Prob. ant.* Genes. 41. dicitur: *septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*, ubi *sunt* sumitur pro *significant*; ergo similiter, &c.

*Resp. nego ant.* Ad prob. *nego conseq.* Disparitas est quod in primo textu sit manifesta repugnantia inter prædicatum & subjectum, neque enim spicæ possunt esse anni; in 2. autem nulla est repugnantia, sed perfecta identitas.

*Objicies* 3. Dogma præsentiæ realis conciliari non potest cum multis aliis Scripturæ testimoniis, ergo.

1. Christus ait: (*Matth.* 15. *v.* 17.) *omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur:* atqui impium est id de vero Christi corpore affirmare; ergo &c.

2. Christus dicit Apostolis: (*Matth.* 26. *v.* 11.) *semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habebitis.*

3. Marci ultimo: *assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei*; atqui corpus Christi naturale non potest esse simul in pluribus locis distinctis.

4. *Deus non in manufactis templis habitat* (*Act.* 17. *vers.* 24.): atqui Christus est Deus; ergo non est inclusus in templis singulis, ubi asservantur hostiæ consecratæ.

5. Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*; ergo non est credendum, Christum esse realiter in Eucharistia.

*Resp. ad* 1. *dist. textum*; Omnis cibus communis, *conc.* cibus Eucharisticus; *nego.* Christus itaque loquitur de cibis ordinariis & communibus qui ad corporis nutritionem destinantur; non vero de cibo Eucharistico, qui licet in os intret & in stomachum transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia desinit esse Eucharisticus cum species corruptæ sunt, corrumpuntur autem in stomacho, & sub illis desinit esse Christus, unde si aliqua sit indecentia, tota est penes accidentia.

*Resp. ad* 2. *disting. Me autem non semper habebitis*, visibiliter & secundum eum statum in quo utilitatis aliquid corporalis percipere ab hominibus possim, *conc.* invisibiliter per reproductionem sub speciebus panis & vini, *nego*; ait enim Christus, *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

*Resp. ad tertium.* Concessa maj. dist. minorem, corpus Christi non potest esse simul in pluribus locis distinctis, eodem modo, *conc.* diversimode, *nego*; est enim in cælo modo visibili extenso, & naturali, & in Eucharistia modo invisibili, inextenso & sacramentali, quæ non pugnant inter se.

*Resp. ad quartum* dist. Deus purus spiritus non in manufactis templis habitat, *conc.* licet enim sit ubique, nihilominus vere dicitur non habitasse in templis manufactis, id est, illis non coarctari sicut falsa hominum numina; Deus homo factus, *nego.*

*Resp. ad quintum* nego conseq. Ibi enim Christus nos præcise monet, ut impostores caveamus, qui se Christum vel Prophetas mentientur.

### *Solvuntur Objectiones ex Patribus.*

*Objicies* 1. Tertullianus asserit (*L.* 1. *contra Marcion. cap.* 14.) Christus *in pane Corpus repræsentasse:* ergo exhibuit corpus suum tantum in figura.

*Resp. nego conseq.* Verbum enim *repræsentare*, non semper significat rei absentis figuram & imaginem, sed quandoque significat rem in substantia præsentem, quo sensu ipse Tertullianus (*L.* 4. *contra Marcion.*) hoc verbum adhibuit loquens de Christo Transfigurato in monte Tabor. *Itaque*, inquit, *jam eum repræsentans, hic est Filius meus dilectus*; id est, jam eum exhibens.

*Inst.* Idem (*L.* 4. *contra Marcion. cap.* 40.) ait: *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Ergo in Eucharistia est sola figura corporis Christi.

*Resp. nego conseq.* Ista enim verba, *figura corporis mei*, non cadunt supra *corpus meum*, sed cadunt supra *acceptum panem:* itaque Tertullianus agebat contra Marcionem, qui contendebat Christum fuisse contrarium Auctori veteris Testamenti, quem refellit ostendens Christum figuras veteris Testamenti adimplevisse, quando scilicet panem, qui apud Jeremiam fuit figura corporis sui, reipsa fecit corpus suum *dicendo hoc est corpus meum*; unde cum panem vocat figuram, attendit ad vetus Testamentum, non ad novum, nam addit *figura enim non fuisset*, (in *præterito*) *nisi veritatis esset corpus.* Non dicit, *figura non esset*, ut demonstret per figuram se non intelligere Eucharistiam, sed dicit: *non fuisset*, olim scilicet in veteri lege, *nisi veritatis esset corpus*, id est, nisi figuræ veritas succederet.

*Objicies* 2. S. Ambrosius (*L.* 1. *de divinis Officiis cap.* 48.) ait: *Christum hic offerri in imagine, in cælo autem in veritate*. ergo Christus non realiter offertur in Eucharistia.

*Resp. nego conseq.* Cum dicit Christum offerri *in imagine*, id est, sub speciebus panis & vini; cum dicit Christum *offerri in Coelo in veritate*, id est, revelata facie, quæ nullo modo officiunt præsentiæ reali Christi in Eucharistia.

*Objicies* 3. D. August. Lib. 3. de Trinit. ait: *Corpus Christi verum non frangitur, igitur verus est panis qui sumitur, cum Eucharistia sumitur*; ergo corpus Christi non est in Eucharistia.

*Resp. dist. textum*: Verus est panis quoad species *conc.* quoad substantiam, *nego*: cum enim corpus Christi sit incorruptibile, non potest frangi in se, sed tantum in speciebus panis & vini.

*Objicies* 4. Multi Patres cum Augustino asserunt *impios non manducare corpus Christi in Eucharistia*, ergo.

*Resp. dist.* Non manducare utiliter, *conc.* quia

rem

rem Sacramenti non recipiant: non manducare realiter, *nego.*

*Solvuntur Objectiones a ratione petitæ.*

*Objicies* 1. Christus Eucharistiam instituit in sui commemorationem, juxta illud, *hoc facite in meam commemorationem*; ergo non est præsens in Eucharistia. *Resp. nego conseq.*

*Prob. conseq.* Commemoratio, est rei absentis & præteritæ; ergo si Christus instituit Eucharistiam in sui commemorationem, non est præsens in Eucharistia.

*Resp. nego utramque conseq.* Equidem Eucharistia est commemoratio rei præteritæ & absentis, passionis nempe & mortis Christi, juxta illud Apostoli (*Prima Corinth. cap.* 11. *v.* 26.) *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; sed hoc non impedit talem præsentiam Christi in Eucharistia.

*Inst.* Ergo Christus est commemoratio sui ipsius; falsum consequens; ergo.

*Resp. nego min.* Eadem enim res potest sub diverso statu excitare sui ipsius memoriam sub alio; sic Christus realiter præsens sub diversis panis & vini speciebus, est commemoratio sui ipsius ut patientis & morientis in Cruce.

*Objicies* 2. Præsentia corporis Christi in Eucharistia est contra pietatem Deo debitam, ergo...

*Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Præsentia talis exponit corpus Christi multis profanationibus, v. g. putredini, corrosioni, &c. ergo.

*Resp. nego ant.* Hæc enim non cadunt in corpus Christi, sed in accidentia panis & vini, nam ut supra jam diximus, corpus Christi in Eucharistia est impassibile.

## ARTICULUS II.

*De modo quo Christus ponitur in Eucharistia.*

*Nota* 1. Triplex excogitari potest modus quo corpus & sanguis Christi vere ac realiter præsens fiat in Eucharistia, nempe impanatio, consubstantiatio, & transubstantiatio.

*Impanatio*, est unio hypostatica Verbi divini cum pane, eo fere modo, quo ipsum Verbum per incarnationem humanæ naturæ fuit unitum; ideoque veri impanatores non corpus Christi, sed tantummodo Verbum divinum in Eucharistia admittunt. (*Impanationis primus auctor fuit Rupertus Abbas Tuitiensis.*)

*Consubstantiatio*, est simultanea panis & corporis Christi præsentia in Eucharistia; hanc admittit Lutherus, quam videtur etiam admisisse Durandus. (*in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3.)

*Transubstantiatio* juxta Trident. (*Sess.* 13. *can.* 2.) est *mirabilis & singularis conversio ipsius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem* (Christi,) *manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.*

*Nota* 2. Hic duo sunt resolvenda, *primum*, per quem modum Christus ponatur in Eucharistia; *secundum*, per quam actionem panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi, an scilicet actio illa sit simplex adductio rei jam productæ? Vel an sit nova reproductio corporis Christi? *primum*, pertinet ad fidem; *secundum*, ad opinionem scholæ. Itaque

## CONCLUSIO I.

*Eucharistia non conficitur per impanationem, nec per consubstantiationem, sed per transubstantiationem.*

*Prob.* 1. *pars*: Impanatio est hypostatica unio Verbi divini cum pane; atqui Christus non ponitur in Eucharistia per unionem hypostaticam Verbi divini cum pane, alias non esset *conversio*, & veræ essent illæ propositiones, *panis est corpus Christi, corpus Christi est panis*, quod est falsum; ergo, &c.

*Dices*, D. Joann. Damasc. L. 4. de fide ait: *Christus conjugavit pani & vino divinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem suum: & ita panis communicationis, non est panis simplex, sed unitus divinitati*; atqui communicatio est rerum actu existentium; ergo panis & vinum simul sunt cum corpore & sanguine Christi.

*Resp.* cum D. Thom. (3. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 1.) *Quod Deus conjugavit divinitatem suam, id est divinam virtutem, pani & vino: non ut remaneant in illo Sacramento, sed ut faciat inde corpus & sanguinem suum.*

*Prob.* 2. *pars*: Si in Eucharistia panis remaneret cum corpore Christi, panis non converteretur in corpus Christi; atqui de fide est totam substantiam panis converti in corpus Christi; ergo & de fide est panem non remanere in Eucharistia.

*Prob.* 3. *pars*: Ex verbis Christi (*Matth.* 26. *v.* 26.) *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Quæ verba fatentibus Lutheranis, demonstrant corpus & sanguinem Christi, non vero solam illorum figuram & imaginem; unde sic arguo.

Si substantia panis & vini non convertatur in corpus & sanguinem Christi, hæc verba, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, erunt falsa; falsum consequens; ergo, &c.

*Prob. sequela majoris*: Si substantia panis & vini non convertatur in corpus & sanguinem Christi, sensus illorum verborum hic erit: *Hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus*; atqui falsum est panem esse corpus Christi & vinum ejus sanguinem; ergo &c.

*Prob. maj.* Pronomina *hoc* & *hic* non demonstrant nisi substantiam ex natura sua substratam iis accidentibus quæ indicantur, quamdiu illa substantia iis accidentibus subest; ergo si substantia panis & vini remaneat, pronomina *hoc* & *hic* non demonstrabunt nisi panem & vinum: ac proinde sensus istorum verborum erit, *hic panis est corpus meum*, &c.

Hinc Conc. Trident. sess. 13. can. 2. definit: *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini .... anathema sit.*

Sol-

*Sequuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Omnis novitas in materia religionis est suspecta & eliminanda; atqui istud nomen *transubstantiatio* est novum; ergo eliminandum.

*Resp. dist. maj.* Omnis novitas realis, *conc. maj.* grammaticalis, *nego maj.* atqui nomen *transubstantiatio* est novum grammaticaliter & quoad syllabas, *conc. min.* quoad rem, *nego min.*

Itaque licet hæc vox *transubstantiatio* sit nova quoad syllabas, non est nova quoad rem significatam tali voce, & ideo sicut Ecclesia potuit in Concilio Niceno I. vocem *consubstantialis* usurpare ad firmandam suam fidem contra Arianos, ita in Conc. Flor. Later. & Trident. potuit usurpare hanc vocem *transubstantiatio*, ad Fidem catholicam expressius exponendam contra Lutheranos.

*Objicies* 2. Hæc propositio de lagena vino plena, *hoc est vinum*, est vera sine conversione lagenæ in vinum, ergo similiter hæc propositio *hoc est corpus meum*, est vera sine conversione panis in corpus.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quia secundum communem usum loquendi, continens est institutum ad demonstrandum contentum; at panis & vinum non sunt aliquid institutum ad aliud continendum; jocaret enim qui de pane, in quo nummus occultaretur, diceret, *hoc est nummus.*

*Objicies* 3. Apostolus & SS. Patres Eucharistiam post consecrationem vocant panem; ergo in Eucharistia remanet panis.

*Resp. nego conseq.* Itaque Eucharistia vocatur panis 1. *transitive*, quia prius erat panis, sic aqua post sui conversionem in vinum, vocatur aqua, *ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam* (*Joann.* 2. *vers.* 9.); 2. *extrinsece*, quia remanent apparentiæ & species panis; sic Angeli (*Genes.* 18. & *Act.* 1. *vers.* 10.) appellantur viri, quia sub specie humana apparuerunt; 3. *analogice*, quia sicut panis nutrit corpus, ita Eucharistia nutrit animam.

*Objicies* 4. Cum Durando, in omni mutatione substantiali, materia rei conversæ remanet sub nova forma quam acquirit; atqui in Eucharistia fit mutatio substantialis panis in corpus, & vini in sanguinem Christi; ergo remanet materia.

*Resp. dist. maj.* In mutatione naturali & formali tantum, remanet materia, *conc. maj.* miraculosa & totali, *nego maj.* conversio autem panis Eucharistici est miraculosa & totalis, unde vocatur a Trid. *mirabilis conversio totius substantiæ panis*; ergo & ipsius materiæ, quæ procul dubio pars est substantiæ.

*Inst.* D. Damascenus (*L.* 4. *de fide*) asserit *mutari panem in carnem Christi sicut in nutritione hominis*; sed in nutritione hominis remanet materia sub forma diversa; ergo, &c.

*Resp. dist. textum.* Asserit panem mutari *omnimode* sicut in nutritione hominis, *nego*: *analogice* mutari, *conced.* nam vocatur a Concilio Trident. (*Sess.* 13. *can.* 3.) *mirabilis & singularis conversio*, cujus exemplum non extat, aut extitit in rerum natura. Quare conversiones quas in exemplum adducunt Patres, valent quidem ad explicandam quomodo virtute divina panis sic convertatur in corpus Christi ut desinat esse panis; sed non sunt aptæ ad exhibendam totaliter transubstantiationem: in omni enim comparatione est quædam disparitas, alias non esset comparatio, sed identitas.

*Inst.* 2. Sensuum bene dispositorum, & omnibus ad agendum requisitis instructorum testimonio credendum est, cum circa proprium objectum falli non possint: atqui sensus, *visus* nimirum, *tactus*, *gustus*, & *odoratus*, uniformiter, & in omnibus, & perpetuo testantur Eucharistiam post consecrationem esse panem & vinum; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Sensuum testimonio credendum est, in judicio de qualitatibus rei, quæ sunt sensuum objectum, *conc.* in judicio de natura rei quæ est mentis objectum, *nego.* Quamvis ergo sensus non fallantur, cum objectum sensibile percipiunt secundum impressionem ab hujusmodi objecto in illis factam; fallitur tamen intellectus, si recta ratione, vel divina auctoritate repugnante & prohibente, juxta relationem sensuum de objecti natura judicium ferat. Hinc non falluntur sensus, cum in Eucharistia speciem panis & vini, figuram, & cæteras qualitates sensibiles percipiunt; falleretur tamen intellectus, si ex perceptione qualitatum panis & vini a sensibus facta, & ad se relata, panis & vini substantiam, post consecrationem, superstitem esse judicaret, quia judicium hujusmodi fides prohibet, Christo dicente: *Hoc est Corpus meum* ..... Ita hoc argumentum præoccupavit S. Cyrillus Jerosolym. Catechesi 6. mystag. *Nam etsi sensus aliud tibi renuntiat, fides te confirmet, ne judices rem ex gustu, sed te citra omnem dubitationem fides certum reddat* ..... *qui videtur panis, non panis est, quamvis gustui videatur.*

## CONCLUSIO II.

*Transubstantiatio non est simplex corporis & sanguinis Christi adductio, sed est vera eorumdem reproductio*: est Thomistarum contra Scotistas.

*Prob.* 1. *pars*: Quia transubstantiatio formaliter dicit conversionem: atqui adductio conversionem non importat, cum solum dicat translationem de loco in locum; ergo.

*Prob.* 2. *pars*: Quia ibi est proprie dicta reproductio, ubi res accipit idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum Physicos, tum Metaphysicos; atqui corpus & sanguis Christi in Eucharistia accipiunt idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum Physicos, tum Metaphysicos; ergo in Eucharistia est proprie dicta reproductio corporis & sanguinis Christi.

*Dices*: Si corpus Christi reproduceretur, non esset in Eucharistia idem illud corpus quod de Virgine natum est, & in cruce suspensum; falsum consequens; ergo, &c.

*Resp. nego seq. maj.* Equidem naturaliter non potest reproduci idem corpus in individuo, sed potest supernaturaliter; at in hoc Sacramento omnia sunt supernaturalia & miraculosa, est enim *mirabilis & singularis conversio*, ait Conc. Trid. Et ideo monent Ss. Patres transubstantiationem fide humili esse credendam, sed transubstantiationis modum non esse curiosius inquirendum, nec dicendum cum animalibus Judæis: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

*Inst.*

*Inst.* 1. Quod est productum, non potest produci; atqui corpus Christi antequam ponatur in Eucharistia, est productum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Non potest produci simpliciter, *conc. maj.* non potest ptoduci secundum quid, *nego maj.* Itaque terminus formalis transubstantiationis, non est corpus Christi simpliciter sumptum, sed est corpus Christi quatenus fit ex pane in cujus locum succedit, unde non fit ex nihilo, sed ex substantia panis tamquam ex termino a quo.

*Inst.* 2. Nemo potest seipsum producere; atqui in nostra sententia Christus seipsum produceret; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Nemo potest seipsum producere quoad primum esse *conc. maj.* quoad esse reproductum, *nego maj.* Nam Christus consacrando in ultima cœna seipsum reproduxit. Hac distinctione possunt solvi cæteræ objectiones, nam multa videntur impossibilia in prima productione, quæ non sunt in secunda.

## ARTICULUS III.

*De modo quo Christus est in Eucharistia.*

*Nota.* Cum multa circa modum quo Christus est in Eucharistia, occurrant exponenda, brevitatis gratia distinctis quæstiunculis omnia enucleate discutiemus.

Quæres 1. *Quænam in Eucharistia ponantur vi verborum, & quænam per concomitantiam?*

*Nota*: Illud dicitur poni in Eucharistia vi verborum, quod expresse significatur per verba formæ.

Illud dicitur poni per concomitantiam, quod per verba formæ non exprimitur, sed habet necessariam connexionem cum eo quod exprimitur per verba formæ.

*Resp. ad* 1. Vi verborum solum Corpus Christi ponitur sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini. Ratio est quia illud solum continetur in Eucharistia vi verborum, quod expresse significatur per verba formæ; atqui per verba consecrationis panis solum Corpus, & per verba consecrationis vini, solus Sanguis expresse significatur; ergo.

*Resp. ad* 2. Per concomitantiam sub specie vini ponitur corpus & anima, & sub specie panis ponitur sanguis & anima; item sub utraque specie ponitur divinitas.

*Ratio primæ partis*, est quia corpus Christi in Eucharistia est vivens; at non potest esse vivens sine sanguine & anima; ergo; item sanguis Christi in Eucharistia est sanguis hominis viventis: atqui non potest esse sanguis hominis viventis sine corpore & anima; ergo, &c.

*Ratio secundæ partis*, est quia quod semel Christi divinitas assumpsit, nunquam dimisit: atqui assumpsit omnes partes hominis; ergo eas nunquam dimisit; ergo est cum ipsis in Eucharistia, & consequenter personalitates Patris & Spiritus sancti propter eorum cum divinitate identificationem.

*Confirmat.* Ex Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. dicente: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem.*

*Dices*: Totum corpus est sub specie panis vi verborum, sed anima est forma corporis; ergo anima est sub specie panis vi verborum.

*Resp. nego min.* Anima non est forma corporis sed hominis, nam corpus est in suo esse completum sine anima.

*Inst.* Saltem sanguis est sub specie panis vi verborum, quia ossa, nervi & cæteræ corporis partes sunt in Eucharistia vi verborum; sed sanguis est pars corporis; ergo.

*Resp. dist. min.* Sanguis est pars corporis vivi & animati, *conc. min.* corporis mortui, *nego min. et conseq.*

*Itaque*, Corpus Christi est in hoc Sacramento ut immolatum, non autem ut vivens nisi ratione concomitantiæ, qua fit ut anima post resurrectionem unita corpori ab eo amplius separari non possit; cæteræ autem partes corporis sunt in Eucharistia vi verborum, quia non fuerunt a corpore separatæ sicut sanguis. Ex hac responsione

*Resolves*: quod si in triduo mortis Christi consecrassent Apostoli, solum corpus fuisset sub specie panis & solus sanguis sub specie vini; sola divinitas iisdem, id est & corpori & sanguini fuisset per concomitantiam supernaturalem & hypostaticam unita.

Quæres 2. *Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini.*

*Resp.* Christum esse sub qualibet vel minima parte specierum non solum post divisionem, sed etiam ante.

Primam partem definivit Conc. Trid. (*Sess.* 13. *can.* 33.) his verbis: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Præiverat Eugenius IV. in suo decreto his verbis: *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

*Prob.* 2. *pars*: Fide constat *facta separatione* specierum, Christum totum esse sub singulis illarum partibus divisis; atqui hoc falsum esset, si Christus sub illis partibus ante separationem non esset; nam per separationem non fit nova consecratio, qua de novo sistat corpus Christi præsens; ergo si non est præsens ante divisionem, nec est præsens post divisionem, quod est hæreticum.

*Dices*: Ergo corpus Christi erit infinities in una eademque hostia, quod est absurdum.

*Resp. nego illatum.* Numerus enim supponit divisionem. Anima enim rationalis non est pluries in eodem corpore, licet sit tota in toto corpore & tota in singulis partibus corporis.

Quæres 3. *Utrum corpus Christi in Eucharistia quantitatem suam habeat?*

*Nota.*

*Nota :* Quæstio est de quantitate interna & externa.

Quantitas *interna*, est accidens quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, easque ordinat cum proxima aptitudine ad extensionem externam, & impenetrationem.

Quantitas *externa*, est accidens quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione & resistentia.

*Interna quantitas* est essentialis corpori, non autem *externa* quæ est solum effectus primæ. Itaque

*Resp.* Christus in Eucharistia habet quantitatem internam, non autem externam.

*Ratio primæ partis* est, quia corpus Christi in Eucharistia est corpus organizatum; atqui corpus organizatum habet partes extra partes in ordine ad se cum aptitudine ad extensionem externam & impenetrationem; ergo corpus Christi in Eucharistia habet suam quantitatem internam.

*Ratio secundæ partis* est, quia corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile & impenetrabile; ergo non habet quantitatem externam.

*Dices.* Quantitas non potest esse sine suo effectu formali; atqui effectus formalis quantitatis, est extensio externa in ordine ad locum, & impenetratio; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Quantitas non potest esse sine suo effectu formali primario, *conc. maj.*; sine suo effectu secundario, *nego*, *maj.* Effectus primarius quantitatis est aptitudo proxima ad impenetrabilitatem & extensionem localem; effectus vero secundarius est ipsamet actualis extensio; hoc posteriori effectu privari potest quantitas, non priori.

*Inst.* 1. Non potest spiritus esse in loco extensive & divisibiliter; ergo nec corpus potest esse in loco inextense, impenetrative & indivisibiliter.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quia spiritus nullas habet partes quæ possint loco commensurari; at corpus etsi habeat partes distinctas in ordine ad se, non tamen necessario & essentialiter (Deo ita violente) partes illas habet extensas in ordine ad locum. Extensio enim in loco supponit extensionem rei in se; at extensio rei in se non necessario importat extensionem rei in loco, cum extensio localis sit quid posterius, sine quo prior extensio potest consistere.

*Inst.* 2. Si corpus Christi sit inextense & indivisibiliter in Eucharistia, partes ejus confundentur; siquidem omnes in puncto indivisibili continebuntur; absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Partes enim illam dispositionem naturalem retinent, etsi in ordine ad locum non habeant actualem extensionem: hincque fit ut vel in minima parte hostiæ totum sit & integrum corpus Christi, sicut tota ratio substantiæ reperitur in singulis partibus corporis.

Quæres 4. *An Christus in Eucharistia possit agere?*

*Resp.* Christus in Eucharistia potest elicere actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio; non potest autem elicere actiones a sensibus dependentes, quales sunt visio, auditio, &c.

*Ratio primæ partis* est, quia actiones spirituales non indigent certa extensione in organo, ergo Christus licet sit in Eucharistia modo inextenso, potest actiones vitales spirituales elicere.

*Ratio secundæ partis* est, quia sensus externi non agunt nisi per species ab objectis receptas; sed sensus externi corporis Christi nullas possunt species ab objectis recipere; ergo Christus in Eucharistia nullas actiones sensitivas potest elicere.

*Prob. min.* Sensus externi non possunt recipere species objectorum, utpote materiales & quantæ, nisi habeant suam extensionem externam; atqui sensus externi corporis Christi non habent suam extensionem externam, cum nec ipsum corpus eam extensionem habeat; ergo, &c.

Quæres 5. *An Christus in Eucharistia possit pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. calefieri, frigefieri* &c.

*Resp. negative*; Quia alteratio requirit contactum quantitativum; sed corpus Christi, utpote quantitate externa privatum, non est capax contactus quantitativi; ergo, &c.

Quæres 6. *An Corpus Christi in Eucharistia possit moveri?*

*Resp.* Moveri per accidens, ad motum scilicet specierum, alias non posset deferri ad infirmos, quod repugnat definitioni Trid. (*Sess.* 13. *c.* 5.)

## ARTICULUS IV.

### *De remanentibus in Eucharistia speciebus.*

Quæres 1. *An accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?*

*Nota*: duplex est subjectum accidentium, mediatum scilicet, & immediatum.

*Mediatum*, est substantia cui inhæret tota collectio accidentium.

*Immediatum* est quantitas cui alia accidentia, v. g. sapor, color, rotunditas, &c. insunt.

*Resp.* Accidentia Eucharistica sunt sine subjecto inhæsionis mediato; cætera tamen a quantitate, sunt in ipsa quantitate panis & vini tanquam in subjecto immediato.

*Prob.* 1. *pars.* Ex Conciliis Constantiensi (*Sess.* 8.) ubi damnatur hæc propos. Wiclephi, *accidentia panis non manent sine subjecto*; & Tridentino (*Sess.* 24. *can.* 2.) definiente in Eucharistia fieri *conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini.*

*Prob.* 2. *pars.* Quia quantitas est proprietas materiæ, qua mediante recipit alia accidentia, puta colorem, frigus; ergo sicut accidentia panis & vini subjectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, & mediante quantitate in ipsa panis & vini substantia, ita & post consecrationem sublata substantia, subjectantur in quantitate.

*Objicies contra primam partem*: Accidens non potest esse sine subjecto; atqui species sunt accidentia; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Accidens non potest esse sine subjecto, naturaliter, *conc. maj.* supernaturaliter, *nego maj.* omnia enim Deo sunt possibilia.

*Inst.* 1. Quod implicat, non potest fieri ne quidem divinitus; atqui accidentia esse sine subjecto implicat, ergo ... *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Implicat essentiam rei separari ab ipsa re; atqui esse in subjecto est de essentia accidentis; ergo, &c.

*Resp.*

*Resp. dist. min.* Esse in subjecto actu est essentia accidentis, *nego min.* Esse in subjecto aptitudine & radicaliter, *conc. min.*

*Inst.* 2. Accidens definitur: *Ens alteri inhærens*: ergo inhærentia est ipsi essentialis.

*Resp. dist. conseq.* Inhærentia radicalis & aptitudinalis, *conc. conseq.* inhærentia actualis, *nego cons.* sic substantia definitur *ens per se subsistens*, & tamen privari potest sua actuali subsistentia, ut constat in mysterio Incarnationis.

*Inst.* 3. Non magis accidens potest esse sine subjecto proprio vel alieno, quam substantia sine subsistentia propria vel aliena; atqui illud postremum fieri non potest; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Disparitas est, quia substantia quæ existit, singularis est, singularis autem redditur per subsistentiam quæcumque illa sit; at accidens, singulare non redditur absolute per subjectum cui inhæret, sed per subjectum cui inhæserit, adeoque existere potest absolute, Deo ita volente, absque ullo subjecto. Revera fatemur id explicatu difficile admodum esse; sed quid mirum? Eucharistia mysterium est valde reconditum, ac supra omnem captum humanum longe positum.

*Objicies contra secundam partem.* Damnata est hæc propos. Wiclephi: *Accidentia panis non manent sine subjecto in hoc Sacramento*; ergo.

*Resp. dist.* Proposit. Wiclephi, accidentia non manent sine subjecto substantiali & mediato, *conc.* damnationem; accidentali, *nego* damnationem; ideo enim Wiclephus fuit damnatus, quia volebat esse in Sacramento subjectum substantiale & mediatum.

Quæres 2. *Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus?*

*Respond.* Desinit quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis & vini, corrupta sunt.

## QUÆSTIO V.

*De ministro Eucharistiæ.*

*Nota*: Alius est minister Eucharistiæ conficiendæ, alius Eucharistiæ administrandæ. De ipsis duplici articulo.

### ARTICULUS I.

*Quis sit minister Eucharistiæ conficiendæ.*

*Nota.* Lutherus (*Lib. de Captiv. Babylonica.*) docuit omnes fideles virtute Baptismi potestatem habere consecrandi Eucharistiam, neminem tamen ea potestate uti debere, nisi ad hoc officium a communitate deputatus fuerit. Contra ipsum

### CONCLUSIO.

*Solus Sacerdos rite ordinatus valide Eucharistiam conficere potest.* Est de fide.

*Prob.* Illi soli potestatem habent Eucharistiam conficiendi, quibus a Christo hæc potestas concessa est; atqui solis Sacerdotibus potestas Eucharistiam conficiendi a Christo concessa est: ergo.

*Prob. min.* Illis solis potestas conficiendi Eucharistiam est concessa, quibus Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; atqui solis Sacerdotibus Christus dixit: *Hoc facite*, ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, & definitione Conc. Trid. his verbis (*Sess.* 12. *can.* 2.): *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos, Sacerdotes ut offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit*; ergo &c.

Præiverat Concil. Nicænum I. (*can.* 18.) dicens: *Pervenit ad S. Synodum, quod in nonnullis locis Diaconi dent Presbyteris Eucharistiam, quod nec Canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi.* Ergo si Diaconi non habent potestatem Eucharistiam conficiendi, multo minus hanc habet quilibet Christianus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum; ergo.

*Prob. ant.* Hæc verba: *Baptizantes eos &c.* dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas desumitur ex voluntate Christi nobis per traditionem & praxim Ecclesiæ, cujus est verum sensum Scripturæ exponere, intimata.

*Inst.* 1. Prælaudata verba dicta sunt omnibus, qui memoriam Passionis Christi tenentur recolere: atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere &c.

*Resp. dist. min.* Laudata verba dicta sunt omnibus, qui tenentur memoriam Passionis Christi recolere, conficiendo Eucharistiam, *conc. maj.* sumendo, *nego maj.* alias dicta essent non solum viris, sed & feminis, quod est error Collyridianorum, teste Epiphanio hæresi 49.

*Inst.* 2. Atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo; ergo.

*Prob. subsumpt.* Omnes fideles sunt Sacerdotes: ergo omnes tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo.

*Prob. ant.* Ex D. Petro, qui *Epist. prima c.* 2. alloquens omnes Fideles ait: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Ergo omnes Fideles sunt Sacerdotes.

*Resp. dist. conseq.* Sunt sacerdotes sacerdotio improprie sumpto, nempe pro spirituali potestate offerendi Deo preces ac bona pietatis opera, quæ sunt spirituales hostiæ, *conc. conseq.* sunt sacerdotes sacerdotio proprie sumpto, nempe pro potestate consecrandi Eucharistiam, *nego conseq.* Seipsum exponit D. Petrus eodem capite dicens: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

*Objicies* 2. Conc. Arelatense I. *can.* 15. vetat ne Diaconi quos cognovit multis locis offerre, amplius hoc faciant. *De Diaconis*, inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Ergo Diaconi habent potestatem consecrandi Eucharistiam.

*Resp.*

*Resp. nego conseq.* Non enim Concilium loquitur de consecratione Eucharistiæ, sed de aliis Fidelium oblationibus, quas Diaconi temere præsumebant benedicere & offerre præsente Sacerdote, quod ipsis vetat Concilium.

*Inst.* Conc. Ancyranum privat Diaconos, qui idolis immolaverant, potestate *offerendi panem & vinum in altari*; ergo hanc habent potestatem, a qua ob crimen suspenduntur.

*Resp dist. ant.* Concilium privat flagitiosos Diaconos potestate offerendi, &c. id est, consecrandi Echaristiam, *nego ant.* id est, porrigendi Sacerdoti panem & vinum, ut illa consecret, *conc. ant.* erat enim illorum officium, a quo ob crimen illos suspendit Conc. Ancyranum.

Quæres, *Utrum plures Sacerdotes eandem hostiam consecrare possint?*

*Resp. affirm.* Idque probat praxis Ecclesiæ, juxta quam recens ordinati simul cum Episcopo consecrant, modo formam eodem instanti absolvant; qui enim prius absolveret formam, solus consecraret.

## ARTICULUS II.

*Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ.*

*Nota.* Duplex est dispensandæ Eucharistiæ minister, scilicet ordinarius, qui eam auctoritativè dispensat, & extraordinarius, qui eam dispensat ex commissione Episcopi vel Presbyteri.

### CONCLUSIO I.

*Soli Sacerdotes sunt ordinarii ministri dispensandæ Eucharistiæ.*

*Prob.* Illi soli sunt ministri ordinarii dispensandæ Eucharistiæ, ad quos solos pertinet eam conficere, nam confectio ordinatur ad dispositionem: atqui solis Sacerdotibus competit Eucharistiam conficere; ergo, &c.

Hinc Conc. Trident. ait: (*Sess.* 23. *c.* 8.) *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tamquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Quæres. *Ad quos Sacerdotes pertinet Eucharistiam distribuere?*

*Resp.* Pertinet 1. ad Pastores, qui curam animarum habent, ac tenentur fidelibus sibi commissis panem vitæ frangere, non solum cum urget communionis præceptum, sed etiam quoties subditi rationabiliter postulant.

2. Ad eos qui ad Missam celebrandam admittuntur, optat siquidem Concilium Trid. (*Sess.* 23. *c.* 8.) ut in singulis Missis adstantes fideles Eucharistiæ fiant participes.

3. Ad privilegiatos, in quorum Ecclesiis seu Oratoriis conservatur Eucharistia, in hunc enim finem asservatur; ubi

*Nota*, Eosdem privilegiatos, Eucharistiam in viaticum non posse ministrare, nec Eucharistiam distribuere pro munere Paschali; hoc enim eis sub pœna excommunicationis summo Pontifici reservatæ, prohibitum est per Clementinam *religiosi*, de privilegiis.

### CONCLUSIO II.

*Extraordinarius minister dispensandæ Eucharistiæ, est Diaconus.*

Propositio constat ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ olim hoc Officium commiserat Diaconis, ut constat ex Conciliis Carthaginensi IV. ubi dicitur: *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*; & Aquisgranensi cap. 7. dicente; *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Quæres: *An Subdiaconi & alii inferiores Ministri possint distribuere Eucharistiam?*

*Resp. negative*, Nam munus illud nunquam nisi Presbyteris vel Diaconis commissum fuit, ut constat ex Conciliis Nicæno I. Arelatensi I. & Carthaginensi IV.

Nec te moveat quod olim & Laicis licitum foret Eucharistiam domi asservare, propriisque manibus sumere: id enim postulabat acerba tunc temporis persecutionum conditio, cùm licitum non foret Christianis synaxes suas in publicis conventibus celebrare, at mutatis circumstantiis temporum, mutata quoque fuit Ecclesiæ disciplina.

## QUÆSTIO VI.

*De subjecto Eucharistiæ, ac dispositionibus in eo prærequisitis.*

### CONCLUSIO.

*Omnis & solus homo baptizatus & viator & rationis compos est subjectum Eucharistiæ.*

*Prob.* Explicatione.

Dicitur 1. *Omnis homo*; sive sanus, sive moribundus, ut statuit Conc. Carthaginense IV. can. 76. modo tamen, ut habet Concilium, dum sui erant compotes, in his apparuerit hujus Sacramenti desiderium, quod virtualiter perseverare censetur, nec ullum vel vomitus, vel alterius indecentiæ adsit periculum; sed cum vix ipsum abesse possit, ideo ordinarie ipsis conferre non expedit.

Circa communionem dandam vel denegandam reis ultimo supplicio afficiendis, servanda est cujusque Ecclesiæ praxis: ipsis denegatur in Gallia.

Dicitur 2. *Solus baptizatus*: quia character baptismatis se habet per modum potentiæ passivæ ad recipienda alia Sacramenta.

Dicitur 3. *Viator*: quia Sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus, hinc Concil. Carthag. III. damnat quorumdam abusum, qui in os mortuorum infundebant Eucharistiam.

Dicitur 4. *Rationis compos*: quia his solis administrari debet Eucharistia, qui sunt capaces augmenti gratiæ: ad hunc enim finem instituta est Eucharistia; atqui soli rationis compotes sunt capaces augmenti gratiæ; ergo.

Hinc communio primo deneganda est parvulis ante usum rationis, & Conc. Trid. (*Sess.* 21. *cap.* 4. & *can.* 4.) definivi: ipsam eis non esse necessariam.

2. De-

2. Deneganda est perpetuo amentibus, ac energumenis qui nulla lucida patiuntur intervalla, secus si quædam habeant lucida intervalla, ait D. Thom. (*In* 3. *p. q.* 80. *art.* 9. *ad* 2.)

## CONCLUSIO II.

*Ad Eucharistiam cum fructu percipiendam duæ ex parte corporis requiruntur dispositiones.*

1. Requiritur regulariter sub mortali *jejunium naturale*, consistens in eo quod nihil omnino per modum cibi vel potus vel medicinæ a primo ictu duodecimæ nocturnæ, ab ore in stomachum trajiciatur.

*Prob.* 1. Ex traditione & continua praxi Ecclesiæ, quam testatur Div. Augustin. (*Epist.* 118.) his verbis: *Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur.*

*Prob.* 2. Explicatione.

Dicitur 1. *Requiritur regulariter*, quia sunt aliqui casus ab Ecclesia expresse vel tacite excepti, in quibus licet non jejunis communicare; & sunt sex.

*Primus*, Est cum moribundo datur Eucharistia in viaticum.

*Secundus*, Cum periculum est ne hostia pereat, vel indigne tractetur ab infidelibus.

*Tertius*, Cum Sacerdos inchoata Missa recordatur se jejunum non esse, nec potest sine scandalo recedere.

*Quartus*, Cum post consecrationem Sacerdos celebrans impotens evadit ulterius prosequendi, tunc Sacerdos non jejunus, jejuno deficiente, sacrificium absolvere tenetur.

*Quintus*, Cum Sacerdos advertit in Calicem quem hausit, solam aquam appositam fuisse: curare debet vinum infundi, illudque postquam consecraverit, haurire, quia tenetur sacrificium perficere. Ita Rubricæ Missalis.

*Sextus*, Cum post ablutionem deprehenduntur aliquæ reliquiæ in hac Missa consecratæ, quæ commode asservari non possunt; nam ad idem sacrificium spectant, & sumuntur per modum unius refectionis.

Dicitur 2. *Sub mortali*; ob gravem inhibitionem Ecclesiæ, quæ propter reverentiam tanto Sacramento debitam id semper graviter inhibuit.

Dicitur 3. *Per modum cibi & potus*, non autem per modum salivæ.

Hinc jejunium naturale non solvit, qui os lavando stillam aquæ, aut ciborum reliquias in ore remanentes, præter intentionem deglutit; *item* qui tantisper jusculi gustat & statim expuit licet forsan aliquid salivæ permixtum defluat; item qui respirando bestiolam casu haurit; hæc enim non transglutiuntur per modum cibi & potus, sed per modum salivæ aut respirationis. Econtra jejunium frangeret qui saccarum, glicyrizam, &c. sensim in ore liquefaciens, deglutiret.

*Secunda dispositio ex parte corporis*, Est puritas, seu immunitas a pollutione etiam inculpabili, quæ requiritur *non quidem ex necessitate*, ait D. Thom. (*qu.* 80. *cap.* 7. *in corp.*) *sed ex quadam congruentia*, propter hujus actus naturalem fœditatem & propter tepiditatem aut distractionem ipsi sæpius annexa, *præcipue quando cum turpi imaginatione contingit.*

Hinc congruum est, ut a sacra Mensa abstineant qui nocte præcedente actui conjugali dederunt operam, aut illusionem nocturnam passi sunt, nisi forte alia obsit ratio; v. g. infamiæ periculum, Festi solemnis celebratio, indulgentiæ consecutio, Missam celebrandi ex justitia vel obedientia obligatio. *Hoc enim impedimentum quod ex congruitate provenit*, addit D. Thom. citatus, *postponi debet propter aliquam necessitatem.*

*Resolves*, Nec lepram, nec fluxum menstruum a sacra Mensa etiam ex congruitate, retardare debere, quia nec corpus vere polluunt, nec tepiditatem aut distractionem ingerunt.

## CONCLUSIO III.

*Ad Eucharistiam cum fructu percipiendam tres ex parte animæ requiruntur dispositiones.*

*Prima*, Est status gratiæ & immunitas ab omni peccato mortali, circa quam sic statuit Concil. Trident. Sess. 13. cap. 7. *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus* (Apostoli) *præceptum, probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit ipsis copia Confessoris; quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Circa Tridentinam definitionem quatuor sunt notanda.

*Primum*, Quemlibet fidelem peccati mortalis sibi conscium teneri ex gravi præcepto divino Sacramentalem confessionem præmittere, priusquam ad sacram Mensam accedat.

*Secundum*, Sacerdotem posse, *urgente necessitate*, absque prævia confessione, cum sola contritione celebrare, si desit copia Confessarii, quæ solum deest quando nullus omnino adest, qui Pœnitentem absolvendi jurisdictionem habeat, nec alius adiri potest absque gravi incommodo, spectatis personæ, temporis, itineris, periculi veri, infamiæ & scandali circumstantiis.

*Tertium*, Necessitatem urgentem, in qua potest Sacerdos celebrare absque præmissa confessione, debere esse gravem, qualis est 1. Si Sacerdos teneatur celebrare ut moribundo viaticum administret; vel ut populus sibi subditus die Festo Missam audiat, vel ut exequias corpore jam præsente faciat, vel ut matrimonium jam adventantibus nubentibus, benedicat. 2. Si Missa inchoata Sacerdos peccati mortalis non confessi recordaretur. 3. Si quis communionem vel celebrationem prætermittere non posset absque gravi scandalo vero & proprie dicto; non autem sufficit metus admirationis ingerendæ, quia cum non sit culpabilis, non est verum ac proprie dictum scandalum.

*Quartum*. Concilium specialem legem sanxisse pro Sacerdotibus, quibus peccati mortalis consciis, instat celebrandi necessitas, deestque copia Confes-

fessarii, nimirum ut peracto sacrificio, *quamprimum confiteantur.* Cum vero nonnulli casuistæ particulam istam, *quamprimum*, temere sic interpretati essent, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*, Alexander VII. & Clerus Gallicanus anno 1700. hanc interpretationem damnarunt.

*Resolves*, Merito ab Alex. VIII. damnatam esse hanc propositionem: *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad communionem prætendunt, antequam de delictis suis condignam pœnitentiam egerint*, cum Conc. Trident. nihil præter confessionem & absolutionem exigat.

*Secunda dispositio ex parte* animæ maxime optanda est immunitas ab affectu peccati venialis.

*Prob.* Quia unus ex effectibus Eucharistiæ est remissio peccatorum venialium, juxta illud Concilii Trid. (*Sess. 13. cap. 2.*) *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc .... tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis*; atqui affectus ad peccatum veniale obicem ponit huic Eucharistiæ effectui; non enim potest remitti peccatum cum affectu ad illud; ergo accedens ad sacram Mensam debet esse immunis ab affectu peccati venialis.

*Tertia dispositio ex parte* animæ, est legitima præparatio & singularis reverentia erga Christum in Sacramento præsentem, juxta D. Thom. dicentem: *Requiritur ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum* (homo) *accedat.*

## QUÆSTIO VII.

### *De usu Eucharistiæ.*

Hic tria quæruntur; *primum*, utrum Eucharistia omnibus necessaria sit necessitate medii ad salutem ... *secundum*, utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis & vini; *tertium*, utrum detur præceptum divinum & ecclesiasticum sumendi Eucharistiam sub una saltem specie.

### ARTICULUS I.

*Utrum Eucharistia sit omnibus tam infantibus quam adultis necessaria necessitate medii?*

*Nota.* Circa necessitatem medii & præcepti recolenda sunt quæ diximus Cap. 3. de Bapt.

### CONCLUSIO.

*Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem.*

*Prob.* Illud, sine quo salus obtineri potest, non est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui sine sumptione Eucharistiæ, cum solo Baptismo salus obtineri potest: illi enim in quibus nihil damnationis est, qui sunt in Christo Jesu, qui Christum induerunt, qui sanctificati sunt, salutem consequuntur; atqui tales sunt qui cum solo Baptismo moriuntur, ait enim Scriptura, *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* (*Rom. 8. v. 1.*) Idem, *qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Ad Galat. 9. v. 27.*). Item, *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (*Ad Tit. 3. v. 5.*). Ergo &c.

Hinc Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4. *Docet parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt; neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem aliquando in quibusdam locis servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Et can. 4. definit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Illa verba Joann. 6. *Nisi manducaveritis, &c.* sonant necessitatem medii; ergo. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Ista verba Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & ista Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*, important necessitatem medii; ergo similiter ista verba: *Nisi manducaveritis, &c.*

*Resp. nego conseq.* Disparitas desumitur ex diversa materia supra quam cadit sermo: nam si sermo sit de re ad primam gratiam necessaria, præter necessitatem præcepti, continet necessitatem medii; si vero de aliqua re quæ supponit primam gratiam, solum continet necessitatem præcepti, unde cum ista verba, *Nisi quis renatus fuerit*, agant de regeneratione spirituali quæ in omnibus tum infantibus, tum adultis est ad primam gratiam necessaria, important necessitatem medii erga omnes; & cum ista, *Nisi pœnitentiam habueritis, etc.* agant de resurrectione spirituali quæ lapsis ad primam gratiam est necessaria, important necessitatem medii erga omnes peccati capaces: cum vero ista, *Nisi manducaveritis, &c.* agant de nutritione spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ, vel per pœnitentiam reparatæ, quæ vita per varia media nutriri, conservari & augeri potest, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti.

*Inst.* 1. Quidquid est necessarium respectu infantium, est necessarium necessitate medii, cum sint præcepti incapaces; atqui Eucharistia est necessaria respectu infantium; ergo.

*Prob. min.* Ex D. Aug. dicente (*L. 1. contra Julian. cap. 4.*) *Sancto Innocentio I.* (*Epist. ad Patres Conc. Milev.*) *vide quid respondeas ..... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Ergo Eucharistia est necessaria infantibus.

*Resp. dist. conseq.* Eucharistia est necessaria infantibus, percepta spiritualiter & quoad effectum, *conc.* percepta realiter & oraliter, *nego.*

*Itaque* D. August. agebat contra Pelagianos, qui negabant peccatum originale, & qui distinguentes inter regnum cœlorum, & vitam æternam, asserebant infantes sine Baptismo decedentes privari quidem regno cœlorum propter hæc Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* sed vita æterna donari propter eorum innocentiam: quos ut refelleret D. Doctor cum Innoc. I. urget eos ex hoc

Te-

Textu Joann. *nisi manducaveritis*, *&c.* sic argumentando: qui non est particeps corporis & sanguinis Domini spiritualiter, id est, quoad incorporationem cum Christo, & unionem cum Ecclesia, non potest habere vitam æternam; atqui parvuli non possunt esse participes corporis Christi spiritualiter sine Baptismo quo *Christum* induunt (*ad Galat.* 3. *v.* 27.): ergo parvuli sine Baptismo defuncti privantur & regno Dei, & vita æterna.

Ita seipsum exponit D. Aug. explanans Textum Joann. *Nisi manducaveritis*; ait enim (*Tract.* 26. *in Joann.*) *hoc est ergo manducare illam escam, illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.*

Ita pariter interpretatur D. Augustinum sanctus Fulgentius, ejus Discipulus in Epist. ad Fernandum Diaconum. *Arbitror, sancte frater*, inquit, *disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem corporis & sanguinis fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus discedat.*

*Inst.* 2. D. Thom. (3. *p. q.* 80. *art.* 11. *in corp.*) docet Eucharistiæ manducationem esse necessariam necessitate medii; ergo.

*Resp. dist. ant.* Docet manducationem spiritualem esse necessariam necessitate medii, *conc. ant.* manducationem realem, *nego ant.* ait enim. *Resp. Dicendum quod duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis & sacramentalis: manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari.*

*Inst.* 3. Quod est necessarium in voto, est necessarium necessitate medii; atqui Eucharistia est necessaria in voto; ergo.

*Prob. min.* Ex D. Thom. dicente ibidem (*In* 3. *p. q.* 80. *art.* 11. *in corp.*) *Sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus*: ergo Eucharistia est necessaria in voto.

*Resp. dist.* Textum sine voto improprie dicto quod respectu adultorum includitur in proposito servandi omnia mandata; & respectu infantium in intentione Ecclesiæ, *conc.* sine voto proprie dicto, quod solum arguit necessitatem medii, *nego. Ex hoc ipso quod pueri baptizantur*, ait Div. Thom. (3. *p. q.* 73. *art.* 3. *in corp.*), *ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius.*

*Objicies* 2. Alimentum necessarium est necessitate medii ad vitam conservandam; sed Eucharistia est alimentum animæ; ergo.

*Resp. dist. min.* Est alimentum animæ non unicum, *conc. min.* unicum, *nego min.* nam oratio & actus virtutum sunt etiam alimentum spirituale quo anima conservatur.

*Inst.* Potest dari casus in quo Eucharistia erit necessaria necessitate medii; v. g. si peccator attritus incideret in amentiam, tunc non posset salvari nisi per sumptionem Eucharistiæ, per quam ex attrito fieret contritus; ergo.

*Resp. dist. ant.* Potest esse casus in quo Eucharistia erit necessaria necessitate medii, per accidens; *conc. ant.* per se & ex sui institutione, *nego ant.* Tantum hic negamus Eucharistiam *per se* esse necessariam in se vel in voto; unde nihil contra nos.

## ARTICULUS II.

*Utrum jure divino sit præcepta Communio sub utraque specie panis & vini?*

*Certum est* 1. Communionem sub utraque specie a Christo præceptam esse Sacerdoti sacrificanti.

*Certum est* 2. Communionem sub utraque specie, non fuisse Laicis a Christo prohibitam, cum in Ecclesia viguerit usque ad XII. sæculum, a quo tempore usus solius speciei panis sensim invaluit.

*Certum est* 3. Ecclesiam justis de causis abstulisse Laicis usum Calicis, & sunt sequentes:

*Prima*, Est proximum effusionis periculum, quæ vix caveri potest ubi magna est populi multitudo.

*Secunda*, Est difficultas diu asservandi speciem vini pro infirmorum communione, cum species vini asservatæ brevi possent acescere.

*Tertia*, Est multorum a bibendo vino, & quidem in eodem cum multis aliis Calice, repugnantia & horror.

*Quarta*, Est penuria vini in multis regionibus.

*Quinta*, Est Hæreticorum pertinacia obstinate contendentium utramque speciem jure divino necessariam esse ad salutem & substantiam Sacramenti.

Verum, an jure divino sit præcepta communio sub utraque specie, controversia est inter Catholicos & novatores Hussitas, Lutheranos, & Calvinistas, quæ ut dirimatur,

## CONCLUSIO.

*Communio sub utraque specie non est jure divino præcepta fidelibus non sacrificantibus.*

Hæc prop. est de fide definita a Conc. Trident. (*Sess.* 21. *can.* 1.) his verbis: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

*Prob.* Tota Sacramenti substantia & integer ejus effectus in una specie salvatur, cum totus & integer Christus sub una specie præsens sit; ergo jure divino non est præcepta communio sub utraque specie.

*Prob. ant.* Ex Script. ubi Christus fructum Eucharistiæ tribuit sumentibus unam speciem panis, Joann. 6. *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ... panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*; ergo.

Confirm. priorum sæculorum traditione, qua convincitur primos fideles non semper sub utraque specie communicasse.

1. Ex facto primorum fidelium, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, et orationibus*, Act. 2.

2. Ex praxi asservandi Eucharistiam, eamque infirmis deferendi sub sola panis specie, ut testatur

tur Eusebius (*L. 6. Hist. c. 44*) & sanctus Cyrillus (*Catechesi quinta*).

3. Ex consuetudine fidelium tempore persecutionis sub una specie panis Eucharistiam domum deferentium, ut testatur Tertull. (*L. 2. ad uxor.*)

4. Ex Missa quæ *præsanctificatorum dicitur*, in qua Sacerdotes die parasceves panem non consecrant, sed eo qui jam consecratus fuit & asservatus, utuntur in Missa, in qua sanguis non offertur; totam ergo sacramenti substantiam in una panis specie servari hoc ritu declarat & significat Ecclesia.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus præcepit communionem sub utraque specie dicens Joann. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, &c.* ergo.

*Resp. nego ant.* Christus enim non loquitur ibi de modo sumendi Eucharistiam sub una vel duplici specie, sed de sumptione rei ipsius, hoc est corporis & sanguinis sui; cum autem sub qualibet specie totus Christus contineatur, qui unam speciem sumit, Corpus & Sanguinem sumit. In spiritualibus enim idem est manducare & bibere, juxta illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Atque hoc sensu sumenda esse verba Christi, probant hæc verba, quæ addit: *Et qui manducat me, vivet propter me*; ubi soli manducationi promittitur vita æterna. Ex quo etiam liquet particulam et non coniunctive, sed disiunctive locum tenere, ita ut sensus sit. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis vel biberitis Sanguinem, &c.* quod familiare est Scripturæ, ut cum dicitur: (*Exodi 21. v. 5.*) *qui percusserit patrem & matrem, morte moriatur*; id est, patrem vel matrem.

*Inst.* 1. Christus (*Matth. 26. v. 17.*) præcepit ut omnes biberent dicens: *bibite ex eo omnes*; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Præcepit ut omnes Apostoli præsentes biberent, *conc. ant.* ut omnes omnino tam præsentes quam absentes, *nego ant.* Christus illis solis dixit, *bibite ex eo omnes*, quibus dedit Calicem; atqui solis Apostolis dedit Calicem, qui ut ait sanctus Marcus (*14. v. 23.*) *biberunt ex eo omnes*; ergo.

*Inst.* 2. Christus dixit omnibus Apostolis, *bibite &c.* ergo dixit omnibus fidelibus.

*Prob. conseq.* Ex Marci 13. *Quod autem vobis dico, omnibus dico*; ergo dixit omnibus fidelibus *bibite*.

*Resp. nego conseq.* Id enim quod Christus voluit esse dictum omnibus, istud est, *vigilate*, ait enim, *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

*Inst.* 3. Omnibus dictum est *accipite et manducate*: alias sumendi Eucharistiam nullum esset omnibus fidelibus datum mandatum; ergo & omnibus dictum est *accipite et bibite.*

*Resp. nego ant.* Solis enim Apostolis astantibus dictum est *accipite et manducate*; neque inde concludi potest nullum extare recipiendi Eucharistiam mandatum; non enim his verbis *accipite, manducate*, exprimitur, cum sint potius invitantis quam præcipientis, sed istis: *nisi manducaveritis.*

*Inst.* 4. Omnes communicantes debent recolere & annuntiare passionem Christi; juxta illud Apostoli (1. *Corinth.* 11. *v.* 16.) *Quotiescumque manducabitis panem hunc et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui non nisi per duplicem speciem possunt annuntiare mortem Christi, ejusque memoriam excitare; ergo.

*Resp. nego min.* Nam per unam speciem ab altera separatam recte exprimitur separatio sanguinis a corpore, renovaturque memoria passionis Christi. Deinde particula, &, in laudato textu debet sumi disiunctive, ut dictum est in objectione.

*Inst.* 5. Ergo Christus frustra instituit utramque speciem: falsum consequens; ergo &c.

*Resp. nego ant.* Utraque enim species est necessaria ad sacrificium, conducitque ad expressiorem repræsentationem tum passionis, tum refectionis spiritualis, licet sit integra sub una specie, in qua cibus & potus, nempe totus Christus, continetur.

*Urgebis*, Ex dictis communicantes sub utraque specie expressius repræsentant mortem Christi; ergo debent communicare sub utraque specie.

*Resp. nego conseq.* Nam Laici non tenentur mortem Christi tam perfecte & expresse repræsentare, quam Sacerdotes conficientes hoc Sacramentum; Calix enim est de essentia Sacramenti conficiendi, non vero Sacramenti distribuendi.

*Objicies* 2. Christus facultatem reliquit fidelibus sumendi Eucharistiam sub utraque specie; ergo Ecclesia Romana non potuit, nec debuit illos hac facultate privare.

*Resp. nego conseq.* Nam Conc. Trid. (*Sess.* 21. *cap.* 2.) *declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Porro Ecclesia per suam legem consuluit venerationi Sacramenti, nec ullo effectu spirituali fideles privavit, cum totus Christus contineatur sub una specie.

*Inst.* 1. Maior & uberior per duas species quam per unam, gratia confertur; ergo Ecclesia fideles effectu spirituali privavit auferendo eis usum calicis.

*Resp. nego ant.* Nam sub unica specie totus Christus sumitur; unde sicut dixit; *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*; ita dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

*Prob. ant.* Species panis significat refectionem diversam ab ea quam significat species vini; ergo uberior gratia recipitur per duas species, quam per unam.

*Resp. dist. ant.* Species panis significat refectionem diversam, &c. ex parte signi, *conc. ant.* ex parte rei significatæ per quam habetur ista refectio, *nego ant.* nam sub alterutra specie habetur eadem res, videlicet Christus reficiens animam.

*Subsumo*, Atqui species panis significat refectionem diversam ex parte rei; ergo nulla solutio.

*Prob. subsumpt.* Sedare famem, sitim extinguere, sunt duæ refectiones diversæ ex parte rei; atqui species panis famem sedat, species vini sitim extinguit; ergo.

*Resp. dist. mai.* Sedare famem & sitim extinguere sunt duæ refectiones diversæ ex parte rei,

si

si illi effectus sint duarum rerum diversarum, *conc. maj.* si sint effectus unius ejusdemque rei, *nego maj.* Itaque Eucharistia sub unica specie continet totum Christum, qui cum sit simul cibus & potus animæ, simul explet famem & sitim animæ per gratiam Sacramentalem.

*Inst.* 2. Sacramentum bis sumitur, quando sumitur utraque species, & semel dumtaxat cum sumitur unica species; ergo uberior gratia per duas species recipitur.

*Resp. dist. ant.* Sacramentum bis sumitur physice, *conc. ant.*; bis moraliter *nego ant.* nam sumitur per modum unius convivii, ergo tunc sumitur unum moraliter Sacramentum: nam ut ait D. Thom. Opusculo 58. cap. 29. *Sicut sumit Sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de Calice; sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso Corpore Christi, & est eis tam utilis & dulcis, ut Sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de Calice.*

## ARTICULUS III.

*Utrum detur præceptum divinum & ecclesiasticum sumendi Eucharistiam saltem sub una specie.*

### CONCLUSIO I.

1. *Extat præceptum divinum aliquando sumendi Eucharistiam, omnes omnino homines adultos etiam infideles obligans.*

*Prob.* Ex Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis ... non habebitis vitam in vobis*, quæ verba exprimunt præceptum divinum obligans omnes adultos etiam infideles quales erant Capharnaitæ; ergo.

*Dices*: Infideles non sunt capaces Eucharistiæ; ergo præceptum Eucharistiæ recipiendæ eos non obligat.

*Resp. dist. ant.* Infideles non sunt capaces Eucharistiæ per se & immediate, *conc.* mediate per baptismum quem omnes suscipere possunt & debent, *nego ant.*

Dixi *adultos*, quia soli adulti sunt capaces probationis ab Apostolo requisitæ ad fructuose communicandum.

Quæres: *Quo tempore obliget illud divinum mandatum?*

*Resp.* Nullum quidem in Scripturis est ad hoc determinatum tempus; attamen ex praxi ac sensu Ecclesiæ recte colligi potest præceptum illud obligare

1. *In mortis articulo*, tunc enim maxime necessaria est Eucharistia ad superandas dæmonis tentationes; atqui quisque jure divino, de omnibus mediis ad pugnandum contra dæmonis tentationes necessariis, sibi providere tenetur; ergo.

2. *Pluries in vita*, quia non tantum pro moribundis, verum etiam pro sanis ad spirituale alimentum, gratiæ incrementum & conservationem, est instituta Eucharistia.

### CONCLUSIO II.

*Extat ecclesiasticum præceptum omnibus fidelibus adultis perfecto rationis usu gaudentibus ad sacram Eucharistiam accedendi semel in anno tempore Paschatis.*

*Prob.* Mandatum illud quod extat in Conc. Later. IV. (*Refertur, cap. omnibus utriusque sexus, de Pœnit. & remis.*) *Omnis utriusque sexus fidelis*, inquit Innoc. III. *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioqui & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.*

Circa hoc præceptum quod renovat & confirmat Conc. Trid. (*sess.* 13. *can.* 9.) sequentia sunt observanda.

1. Pueri tenentur, ubi primum sufficientem usum rationis, judicio Pastoris adepti sunt, ad Eucharistiam devote & reverenter suscipiendam.

2. Communio Paschalis debet fieri in propria Parochia, de manu proprii Pastoris, vel cum ejus consensu, sine quo qui administraret, caderet in excommunicationem Papæ reservatam. (*Clement. religiosi de priv.*)

Excipiuntur ab hac regula famuli religiosorum in locis exemptis, & eorum commensales, imo hospites transeuntes, si intra monasteria ægrotent, ut docent communiter auctores. (*Bassæus. Gervas. Bonagratia, &c.*)

3. Non satisfit præcepto annuæ communionis per communionem voluntarie nullam, ut definivit Innocent. X. Ratio est quia præceptum Ecclesiasticum communicandi, est divinum quoad substantiam. Deus autem non tantum præcipit actum externum, sed & internum.

4. Qui ante quindenam in sua Parochia communicavit, tenetur iterum sub mortali intra quindenam communicare; sicut qui Missam audivit die sabbati, tenetur adhuc eam audire die sequenti, quia circumstantia temporis cadit sub præcepto.

5. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur quamprimum illo anno communicare, quia in præcepto communionis annuæ continentur duo præcepta, 1. communicandi semel in anno: 2. communicandi in Paschate; posterius cessat cessante tempore Paschali, cum sit impossibile illam temporis circumstantiam observare; prius autem quod potissimum ab Ecclesia intenditur, perseverat, cum possit adhuc impleri.

Hinc qui per totum anni spatium non communicavit, tenetur quam primum communicare, & quoties advertenter & voluntarie differt, toties peccatum mortale committit; quia ratio obligationis præcise non est tempus Paschale, sed ut communio ultra annum non differatur, qua parte præceptum est negativum; qui vero non communicavit intra quindenam, si per annum communicaverit in sua Parochia, manet liber, quia jam implevit præceptum tam quoad substantiam, quam quoad circumstantiam loci, & impossibile est ut impleatur quoad circumstantiam temporis.

6. Qui prævidet impedimentum communicandi tempore Paschatis, tenetur illud prævenire, quia obligatio communicandi cadit in totum annum, &

debet impleri in decursu anni, si in fine impleri nequeat: qui autem tempus Paschatis prævenit propter impedimentum, tenetur cessante impedimento adhuc communicare in Paschate, quia ut dictum est, duplex est præceptum.

Quæres: *An frequens debeat esse Eucharistica communio?*

*Resp.* Eucharistia potest spectari absolute, vel relative ad dispositiones suscipientis.

Si spectetur absolute, debet esse frequentissima, cum sit instituta per modum cibi spiritualiter nutrientis in vitam æternam; ideo Conc. Trident. (*sess.* 13. *cap.* 6.) *Optaret ut in singulis missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniat.*

Si spectetur relative ad dispositiones suscipientis, debet esse rarior vel frequentior juxta majorem vel minorem dispositionem suscipientis, est resolutio Div. Thom. dicentis. (3. *part. q.* 80. *art.* 4.): *Circa usum hujus Sacramenti, duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideo utile est quotidie ipsum sumere . . . alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut magna cum devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat . . . . sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter indispositionem vel animæ, vel corporis, non est utile omnibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit paratum.*

## QUÆSTIO VIII.

### *De effectibus Eucharistiæ.*

*Nota.* Cum novatores Lutherus & Calvinus doceant omnia Sacramenta solum instituta esse ad fidem excitandam qua homo justificetur, consequenter doceat unicum esse effectum Eucharistiæ, nimirum remissionem peccatorum. Hinc duo discutienda occurrunt: primum, an effectus Eucharistiæ sit remissio peccatorum; secundum, quinam sint veri effectus Eucharistiæ, duplici propositione.

## CONCLUSIO I.

*De fide est Eucharistiam non conferre per se remissionem peccatorum.*

*Prob.* 1. Ad Eucharistiam recipiendam requiritur status gratiæ ex Apost. dicente (1. *Corinth.* 11. *vers.* 28.), *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*; ergo Eucharistia non confert per se remissionem peccatorum: unde concludit Apostolus *ibidem*, eum damnationis eternæ esse reum *qui manducat & bibit indigne*, id est in statu peccati mortalis.

*Prob.* 2. Ex trad. Patrum, ad quam attendens Concilium Trid. (*Sess.* 13. *can.* 5.) definivit: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

*Dices:* Matth. 26. dicitur: *Hic est sanguis meus ... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo Eucharistia confert per se remissionem peccatorum.

*Resp. nego conseq.* Christus enim ibi non loquitur de sanguine bibendo, sed de sanguine effundendo in ara crucis; unde in futuro loquitur *effundetur.* Unde sacrificium Missæ non remittit peccata per se & immediate, sed tantum mediate, ut dicitur infra cap. 1. q. 4. de Missæ sacrificio.

*Inst.* 1. Atqui remissio peccatorum est effectus sanguinis bibendi; ergo, &c.

*Prob. subsumpt.* Ecclesia in postcommunionibus sic precatur: ***Hæc nos communio purget a crimine**....* ***sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum**;* ergo remissio peccatorum est effectus Eucharistiæ.

*Resp. nego conseq.* Effectus Eucharistiæ ut est sacrificium, est remissio peccatorum, *conc. conseq.* ut est Sacramentum, *subdist.* peccatorum venialium, *conc.* mortalium, *nego.*

*Itaque* Eucharistia ut est Sacrificium, habet vim impetrandi remissionem peccatorum mortalium, sed ut est Sacramentum, habet dumtaxat vim per se remittendi venialia, & præservandi a mortalibus.

*Inst.* 2. Eucharistia ut est Sacramentum, continet virtutem passionis Christi; ergo habet vim remittendi mortalia.

*Resp. dist. ant.* Continet virtutem passionis Christi, sub ratione cibi & potus spiritualis qui vitam supponit in eo cui datur, *conc. ant.* sub quacumque ratione, *nego ant.* alias unicum Sacramentum esset sufficiens, alia essent inutilia.

## CONCLUSIO II.

*Sex sunt effectus Eucharistiæ præcipui.*

*Prob.* Enumeratione singulorum.

*Primus*, est spiritualis nutritio animæ, Eucharistia enim efficit quod significat; atqui significat nutritionem spiritualem animæ, Joann. 6. *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus*; ergo illam efficit in anima.

Hæc autem nutritio spiritualis consistit tum in augmento gratiæ sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad conservandam charitatem, & unionem cum Christo.

*Secundus effectus*, est liberatio a peccatis venialibus & præservatio a mortalibus, & consequenter perseverantia in bono; hoc patet ex Concil. Trid. dicente (*Sess.* 13. *can.* 5.) Eucharistiam esse *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis & a peccatis mortalibus præservamur*, nimirum per gratias actuales quæ illius intuitu dantur ad reparandum ardorem charitatis a venialibus remissum, & præservandam a morte spirituali, conservando vitam animæ.

*Tertius effectus*, est ineffabilis unio cum Christo, ex Conc. Flor. dicente *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum.* Qui igitur devote hoc Sacramentum suscipit, Filium Dei in

in

in se admittit, ut ejus Corpori tamquam membrum vivum inseratur, inquit Catechismus Concilii Tridentini.

*Quartus effectus*, est imminutio fomitis peccati, augendo scilicet charitatem actualem, ut docet Div. Thom. dicens (*In* 3. *p. q.* 79. *art.* 6. *ad* 3.): *Diminuit tamen* (Eucharistia) *fomitem ex quadam consequentia in quantum auget charitatem, quia sicut August. dicit* (*lib.* 83. *quæstionum*) *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*

*Quintus effectus*, est quod sit pignus futuræ gloriæ, juxta illud Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; & semen gloriosæ resurrectionis, *Qui manducat meam carnem ... resuscitabo eum in novissimo die*, ibidem ait D. Joann.

*Sextus effectus*, est quod remittat, per accidens, peccatum mortale, si nimirum, ut ait D. Thom. (*In* 3. *p. q.* 79. *art.* 3.) *Percipiatur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.*

Quæres 1. *Quandonam Eucharistia in suscipiente effectum suum producat?*

*Resp.* Tunc producere quando species manducantur, manducantur autem cum trajiciuntur in stomachum: ratio est quia juxta Conc. Flor. *Omnem effectum quem materialis cibus et potus quæ ad vitam agunt corporalem*, Eucharistia *quo ad vitam operatur spiritualem:* atqui materialis cibus non nutrit nisi dum ad stomachum pervenit; ergo nec Eucharistia.

Hinc sequitur eum qui sacras species in ore detineret usque ad earum corruptionem, nullum ex hoc Sacramento fructum percepturum.

Quæres 2. *An per peccata venialia interdum impediatur Eucharistiæ effectus?*

*Resp.* Duo in peccato veniali distinguenda esse, reatum scilicet & affectum. 1. Reatus peccati venialis præteriti tollitur per Eucharistiam, nedum ejus effectum impedit. 2. Affectus ad peccatum veniale impedit fervorem charitatis & dulcedinem refectionis actualis, non vero impedit augmentum gratiæ, ita Div. Thom. dicente (3. *p. q.* 10. *art.* 8.) *Actualis refectio spiritualis dulcedinis impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollit augmentum habitualis gratiæ vel charitatis .....* Proinde qui cum affectu peccati venialis ad communionem accedit, non manducat indigne Corpus Domini, nec judicium sibi manducat, *nam mundus est, et non indiget nisi ut pedes lavet*, id est, labeculas illas, quæ ex terrena conversatione adhærent, & nimium ad res creatas affectum exuat; quibus tamen creatorem præponit, ita comparatus, ut illas penitus abjiceret, si animam a Deo separarent.

Quæres 3. *An Eucharistia quatenus est Sacramentum aliis quam sumentibus prodesse possit?*

*Resp.* Non prodesse *directe et ex opere operato.* Ratio est quia Eucharistia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest nisi sumenti, ergo &c.

Dixi, *directe et ex opere operato*: nam indirecte & ex opere operantis aliis prodesse potest, si nimirum communicans in aliorum gratiam communionem suam offert; unde sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum proscripsit opinionem eorum, qui morem communicandi pro mortuis damnant.

## CAPUT II.

*De Eucharistia prout est Sacrificium.*

*Nota*: Totum hoc Caput novem quæstionibus absolvemus.

*Prima* erit prœmialis de Sacrificio in genere.
*Secunda* erit de existentia Sacrificii Missæ.
*Tertia* erit de essentia ejusdem.
*Quarta* de ejus efficacia.
*Quinta* de ejus valore.
*Sexta* de ejus causa efficiente.
*Septima* de iis, pro quibus potest Sacrificium applicari.
*Octava* de stipendio celebrantibus concesso.
*Nona* tandem de circumstantiis ad celebrationem requisitis.

### QUÆSTIO I. & PROŒMIALIS.

*De Sacrificio in genere.*

*Nota*: Duplici modo sumitur Sacrificium, late scilicet, & stricte.

Sacrificium late est quælibet actio sive interna, sive externa, quæ ad Dei gloriam refertur: tales sunt eleemosyna, psalmodia, &c. De Sacrificio late sumpto Div. Aug. sic scribit: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo.*

Sacrificium proprie dictum definitur: *Oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta per realem hostiæ immutationem ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, & nostram subjectionem.*

Dicitur 1. *Oblatio*: pro genere, per quod Sacrificium convenit cum oblationibus primitiarum & bonorum operum, quæ ad Deum referuntur.

Dicitur 2. *Externa rei sensibilis*, ut excludatur a ratione sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert.

Dicitur 3. *Legitime instituta*; a Deo qui hanc sibi potestatem in utroque testamento reservavit.

Dicitur 4. *Soli Deo facta:* quia Sacrificium proprie est cultus latriæ, qui soli Deo exhiberi potest. (*Exod.* 22. *vers.* 20.)

Dicitur 5. *A legitimo ministro*: id est a personis ad id specialiter deputatis, *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (*Hæb.* 5. *vers.* 4.) tales erant in lege naturæ primogeniti; in lege evangelica soli Sacerdotes.

Dicitur 6. *Per realem hostiæ immutationem*: quia ad testandum supremum Dei in res omnes dominium, non solum usus rei Deo debetur, sed & ipsa substantia, quæ vel debet destrui, quomodo animalia occidebantur; vel saltem immutari, quomodo liquores in libationibus fundebantur, & caper emissarius tanquam ejiciebatur in desertum.

Dicitur 7. *Ad testandum Dei supremum dominium*, &c. est quippe hic Sacrificii finis essentialis,

lis, differtque a Sacramentis, quæ ut talia sunt, ad hominis sanctificationem diriguntur.

Quæres: *Quomodo dividitur Sacrificium?*

*Resp.* 1. Dividitur ratione materiæ in *victimas* quæ erant ex animantibus, ovibus nempe, bobus, &c. *immolationes*, ex rebus inanimis, sed solidis, ut farina, pane, &c. & *libamina* ex rebus liquidis, ut vino, oleo, &c.

2. Dividitur ratione formæ in *holocaustum*, in quo res oblata tota cremabatur; *in hostiam pro peccato*, cujus pars cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum qui in atrio templi ex eo vescebantur; & in *hostiam pacificam*, cujus una pars cremabatur, altera cedebat in usum tum sacerdotum, tum offerentium.

3. Dividitur ratione finis, in latreuticum, eucharisticum, impetratorium & propitiatorium.

Sacrificium *latreuticum*, est Sacrificium oblatum ad Deum latria colendum.

*Eucharisticum*, est Sacrificium oblatum Deo in actionem gratiarum pro beneficiis ab eo acceptis.

*Impetratorium*, est Sacrificium oblatum Deo pro beneficiis ab eo impetrandis.

*Propitiatorium*, est Sacrificium Deo oblatum pro remissione peccatorum.

## QUÆSTIO II.

*De existentia Sacrificii Eucharistiæ.*

*Nota* 1. Eucharistiam prout est Sacrificium, aptissime nuncupari Missam, quæ vox probabiliter derivatur a voce hebraica *minach* quæ significat oblationem spontaneam; vel probabilius a verbo *mitto*, quia liturgia Sacrificii peracta dimittebatur populus a Diacono dicente: *Ite missa est.*

*Nota* 2. Calvinistæ & Lutherani negant Eucharistiæ celebrationem esse verum Sacrificium, affirmant vero omnes Catholici, cum quibus

## CONCLUSIO.

*Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium quod in Missa offertur.*

Hæc prop. est de fide definita a Concilio Trid. (*Sess. 22. can.* 1.) his verbis: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

*Prob. prop.* Non potest esse vera religio sine vero Sacrificio. Sacrificium enim est præcipuus religionis actus; atqui nihil potest assignari in religione Christiana cui conveniat ratio Sacrificii proprie dicti, præter Missam, & in Missa reperiuntur omnes conditiones ad Sacrificium proprie dictum requisitæ; ergo in Missa offertur Sacrificium proprie dictum.

*Minoris* prima pars est evidens, cum in nova lege omnia Sacrificia desierint præter Missam. Ideo

*Prob.* 2. *part. minoris*: Nempe in Missa reperiri omnes conditiones Sacrificii; Sacrificium enim est oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta, per realem hostiæ immutationem, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, & nostram subjectionem; atqui talis est Missa; nam

1. Est *oblatio*, nimirum corporis & sanguinis Christi tamquam hostiæ, unde Apost. (*Hebr.* 13. *v.* 10.) ait: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

2. Est *oblatio externa rei sensibilis*, corpus enim & sanguis Christi sunt sensibilia per species panis & vini.

3. Est *legitime instituta* a Christo, qui jussit ut idipsum Apostoli & eorum successores facerent quod ipse fecerat in ultima cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*; atqui in ultima cœna corpus & sanguinem suum Deo Patri obtulit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, id est offertur; ergo.

4. Est oblatio *soli Deo facta*, cum Sacrificium Missæ sit cultus latriæ ad honorem Dei relatus.

5. Est facta *a legitimo Ministro*, nempe a Sacerdotibus quos instituit cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: prout definivit Tridentin. can. 2.

6. Fit *per realem hostiæ immutationem*, quia Christus victima in Missa mystice immolatur, quatenus vi verborum, tanquam gladio spirituali, Sanguis ejus a Corpore separatur ad recognoscendum supremum Dei dominium. Quare D. August. Epistol. 23. ait: *Christus semel immolatus est in seipso, in Sacramento omni die populis immolatur.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Apostol. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium dicens Hebr. 10. *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu-Christi semel . . . una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo nullum est aliud religionis Christianæ Sacrificium; adeoque Missa injuriosa est cruci Christi.

*Resp. dist. ant.* Apost. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium, per exclusionem alterius Sacrificii cruenti, *conc. ant.* per exclusionem Sacrificii incruenti, *nego ant.* Itaque Apost. loquitur de Sacrificio in cruce peracto, quod est unicum ex quo vim habent nostra Sacrificia, cum illud unicum, quasi fons sit & pretium nostrorum, nostraque Sacrificia illius sint quasi rivulus, applicatio & repræsentatio continua, unde patet Missam non esse injuriosam cruci, cum sit crucis continua commemoratio & commendatio; Sacrificium enim crucis nobis pretium comparavit, Missa vero confert nobis hujus pretii applicationem.

*Inst.* 1. Apost. docet ibidem vetera Sacrificia cessasse, quia quotidie quasi infirma & inefficacia repetebantur; *& omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata*; atqui talis quoque est Missa; ergo.

*Respond. nego min.* Aaronica enim Sacrificia repetebantur, eo quod nullam haberent vim expiandi culpam theologicam, sed tantum legalem & umbraticam, hæc enim est eorum infirmitas; nostra vero Missæ Sacrificia repetuntur, quia nova committimus peccata, quæ nova expiatione Sacrificii, quo nobis applicetur meritum & satisfactio Sacrificii crucis, indigent.

*Inst.* 2. Apost. eadem epistola (*Hebr.* 7. *v.* 25.) solum Christum statuit Pontificem & Sacerdotem; ergo

ergo non sunt ponendi in Ecclesia alii Sacerdotes.

*Resp. nego conseq.* Excludit quidem Apostolus multitudinem Sacerdotum in eadem auctoritate & dignitate cum Christo, sed non excludit multitudinem Sacerdotum inferiorum, qui sunt vicarii & ministri Christi in Sacerdotio, qui crucis Sacrificium nobis per Missæ Sacrificium repræsentant & applicant: ait enim, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Pars autem præcipua sacri ministerii in liturgiæ celebratione posita est.

*Inst.* 3. Christus nullos habet Sacerdotes successores, est enim *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* ergo jam nulli sunt in Ecclesia Sacerdotes.

*Resp. nego conseq.* Ideo enim Christus est Sacerdos in æternum, quia per ministerium Sacerdotum offert Sacrificium simile illi quod obtulit Melchisedech, hoc est in pane & vino; nec inde sequitur quod Christus habeat successores in Sacerdotio, sed ministros duntaxat & vicarios, per quorum ministerium ipse consecrationem perficit dicens: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus* &c. ista enim verba profert Sacerdos in persona Christi, non in sua, cum non suum, sed Christi Corpus & Sanguinem demonstret.

*Objicies* 2. Eucharistia est Sacramentum; ergo non potest esse Sacrificium; hæc enim duo pugnant inter se.

*Resp dist. conseq.* Non potest esse Sacrificium, sub eodem formali respectu quo est Sacramentum, *conc. conseq.* sub alio respectu, *nego conseq.* Eucharistia enim sub duplici respectu consideranda est, 1. quatenus tendit ad sanctificationem hominis efficiendam, & sic est Sacramentum; 2. quatenus directe & primario tendit ad recognoscendum supremum Dei in omnes creaturas dominium, licet secundario tendat ad impetranda uberiora gratiæ auxilia, & sic est Sacrificium.

*Inst.* Ubi non est immutatio realis hostiæ, ibi non est Sacrificium; atqui in Missa non fit realis immutatio Christi qui ibi non occiditur; ergo in Missa non est verum Sacrificium.

*Resp. dist. maj.* Ubi non est realis immutatio hostiæ neque cruenta neque mystica, ibi non est Sacrificium, *conc. maj.*; ubi non est immutatio cruenta, sed est mystica, *nego maj.* & sic distincta min. nego conseq.

*Itaque* in Sacrificio Missæ Christus moraliter & mystice occiditur, quatenus vi verborum corpus ejus separatur a sanguine, quo fit ut agnus in hoc Sacrificio immolatus ibi sit tanquam occisus: hinc S. Chrysost. homil. 15. ad populum, ait: *Quid agis, o homo? juras super sacram mensam, ubi & Christus occisus jacet*, non cruento modo, quod semel Cruce actum est, sed incruento & mystico.

## QUÆSTIO III.

### *De essentia Sacrificii Missæ.*

Hic duæ dirimendæ sunt controversiæ: *prima*, in qua parte Missæ essentialiter consistat Eucharistiæ Sacrificium; *secunda*, an salvetur ratio Sacrificii in consecratione unius speciei, quæ quæstiones scholasticæ diversas inter Theologos pariunt sententias, quæ ut elucidentur,

### CONCLUSIO.

*Tota Sacrificii Eucharistiæ essentia in sola consecratione consistit.*

*Prob.* 1. Sex sunt actiones, de quibus inter Catholicos controvertitur an in ipsis consistat essentia Sacrificii. *Prima*, est oblatio panis & vini ante consecrationem; *secunda*, est consecratio ipsa; *tertia*, est oblatio corporis & sanguinis post consecrationem: *quarta*, est fractio & commixtio cum sanguine; *quinta*, est communio Sacerdotis; *sexta*, est distributio fidelibus: *atqui* in nulla harum consistit essentia sacrificii, nisi in consecratione: *ergo* tota essentia consistit in sola consecratione.

*Prob. min.* 1. *Non consistit in oblatione panis & vini ante consecrationem;* tum quia non a Christo, sed ab Ecclesia est instituta; tum quia essentia Sacrificii Missæ consistere debet in oblatione & immutatione solius victimæ, Sacrificii; atqui panis & vinum non sunt victima Sacrificii Missæ, sed solus Christus, ut testatur Concil. Trid. dicens (*Sess.* 12. *cap.* 2.). *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Ergo.

2. *Non consistit in oblatione corporis & sanguinis post consecrationem*; tum quia non est instituta a Christo; tum quia in hac oblatione nulla fit victimæ immutatio; atqui immutatio, eaque realis est essentialis Sacrificio; ergo.

3. *Non consistit in fractione & commixtione specierum*, quia per illas corpus & sanguis quæ solum habent rationem victimæ, nec offeruntur, nec mutantur realiter per aliquam destructionem; ergo.

*Dices:* Species Sacramentalis sunt pars Sacrificii; ergo ad ejus essentiam pertinent.

*Resp. nego ant.* Sunt tantum conditiones, quibus Sacrificium sensibile redditur.

*Prob. ant.* Illud est pars Sacrificii, sine quo Sacrificium nec esse, nec concipi potest; atqui sine speciebus sensibilibus Sacrificium nec esse, nec concipi potest; ergo.

*Resp. dist. maj.* Sine quo tamquam parte essentiali, *conc.* tamquam conditione sine qua non, *nego maj.* patet ex dictis.

*Inst.* Species panis & vini sunt pars essentialis Sacramenti; ergo & Sacrificii.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Sacramentum sit essentialiter signum sensibile ad sanctificationem hominis efficiendam, ac proinde species Sacramentales, quæ sunt signum sensibile, pertinent ad substantiam Sacramenti. At Sacrificium non consistit nisi in oblatione & immolatione victimæ sensibilis ad testandum supremum Dei dominium; cum ergo species nec offerantur, nec immolentur, non sunt de substantia Sacrificii, sed sunt meræ conditiones, sine quibus victima non esset sensibilis, nec posset offerri.

4. *Non consistit in distributione fidelibus*, cum Conc Trid. (*sess.* 22. *can.* 8.) definierit Missam esse licitam, licet nulli distribuatur Corpus Christi.



5. *Non*

5. *Non consistit in communione Sacerdotis*; nam actio sacrificativa est propria Sacerdotis; atqui communio talis non est, nam & Laici communicant, & Diaconi tamquam ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt; ergo.

*Dices*: Per communionem Sacerdotis immutatur hostia; ergo pertinet ad essentiam Sacrificii.

*Respond. dist. ant.* Immutatur hostia ad suscipientis utilitatem, *conc. ant.* primario ad recognoscendum Dei supremum dominium; *nego ant.* alias communio populi pertineret ad essentiam Sacrificii, quod est falsum.

*Inst.* Ecclesia præcipit ut si forte Sacerdos repentino morbo correptus post consecrationem, non possit species consumere, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus si alter desit; qui utramque speciem sumat, ut perficiatur Sacrificium; ergo consumptio specierum est de essentia Sacrificii.

*Resp. nego conseq.* Ecclesiæ præceptum probat quidem communionem Sacerdotis pertinere ad integritatem Sacrificii, non ad essentiam ejusdem. Cujus integritatis defectu dicitur cap. *relatum de* consecr. dist. 2. *Quale erit Sacrificium, cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

*Prob. prop.* 2. In ea sola actione consistit tota essentia Sacrificii Missæ, quam Sacerdos exercet in persona Christi qui est principalis offerens ex Trid. (*sess.* 22. *cap.* 2.); atqui sola consecratio est actio quam Sacerdos exercet in persona Christi dicens: *Hoc est Corpus meum*; ergo tota essentia Sacrificii consistit in sola consecratione. Hinc D. Thom. 3. *p. qu.* 83. *art.* 10. ait: *Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium Deo offertur.* Et in resp. ad 1. *Alia Sacramenta perficiuntur in usu fidelium .... Sed hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur.*

*Objicies*: In consecratione Corpus & Sanguis Christi non destruuntur; ergo essentia Sacrificii non consistit in consecratione.

*Resp. nego ant.* Nam in consecratione destruitur hostia, si non cruente, saltem mystice, realiter tamen, tum quia Christus per consecrationem sub speciebus ponitur ut immolatus per separationem Sanguinis a corpore; tum quia per consecrationem ponitur in statu proximo ad realem destructionem, nam producitur sub speciebus ut iis corruptis Christus non solum mystice, sed realiter destruatur quoad esse reproductum.

*Inst.* 1. Quod producitur non destruitur: atqui per consecrationem Christus producitur; ergo.

*Resp. dist. maj.* Quod producitur per actionem non sacrificativam, non destruitur, *conc. major.* quod producitur per actionem sacrificativam, non destruitur, *nego maj.* Christus autem producitur per actionem sacrificativam, unde producitur & offertur una eademque actione.

*Inst.* 2. Atqui consecratio non est actio sacrificativa, ergo.

*Prob. subsumpt.* Actio sacrificativa supponit victimam; atqui consecratio non supponit victimam, nempe Christum sub speciebus; ergo non est actio sacrificativa.

*Resp. dist. maj.* Actio sacrificativa non productiva victimæ supponit victimam, *conc. maj.* productiva victimæ, *nego maj.* hic autem una eademque est actio qua Christus producitur & destruitur mystice.

*Inst.* 3. In die parasceves non fit consecratio, & tamen fit Sacrificium; ergo consecratio non est actio sacrificativa.

*Prob. ant.* In die parasceves Sacerdoti dicenti, *Orate fratres*, respondet minister, *suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus suis*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ratio est quia ibi Sacrificium sumitur pro re sacrificata, nempe Corpore Christi, non vero pro actione sacrificandi quæ non fit eo die, unde vocatur *Missa præsanctificatorum.*

## CONCLUSIO II.

*Ad essentiam Sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio.*

*Prob.* Consecratio utriusque speciei est necessaria jure & præcepto divino juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii pertinet.

*Prob. conseq.* Circa ea quæ sunt institutionis divinæ, quidquid est necessarium jure divino, ad essentiam rei institutæ pertinet; sic expressa invocatio trium personarum est de essentia Baptismi, quia ipsam Christus præcepit; atqui Sacrificium Eucharistiæ est institutionis divinæ; ergo quidquid in Sacrificio est necessarium præcepto divino, pertinet ad essentiam Sacrificii.

*Dices* 1. Consecratio utriusque speciei est tantum necessaria jure ecclesiastico; ergo.

*Prob. ant.* Innoc. IV. cum Norvegis dispensavit cum in una dumtaxat specie propter vini penuriam, consecrarent, ut refert Volateranus (*l.* 7. *Geograph. cap.* 4.) Ergo est tantum necessaria jure ecclesiastico.

*Resp. nego utcumque ant.* Illæ enim dispensationes sunt fictitiæ, vel saltem ipso jure nullæ & irritæ.

*Dices* 2. Per consecrationem unius speciei Christus offertur, nam ponitur in altari tamquam victima; ergo nihil deest ad Sacrificium.

*Resp. nego conseq.* Deest enim expressa significatio mortis Christi, quæ in separatione utriusque speciei repræsentari debet juxta institutionem Christi.

*Inst.* Per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur Sacrificium Crucis; ergo nulla responsio.

*Prob. ant.* Per separationem animæ a corpore sufficienter repræsentatur Sacrificium Crucis; atqui per unius speciei consecrationem, separatur anima a corpore, quia vi verborum est corpus exangue; ergo per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur.

*Resp. nego maj.* Quia Sacrificium Crucis non tantum repræsentatur per mortem, sed præcipue per causam mortis, effusionem nempe sanguinis, quam utriusque speciei consecratio distincta proxime & immediate, mors vero mediate tantum, & consequenter significat.

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

*De efficacia Sacrificii Missæ.*

### CONCLUSIO.

*Sacrificium Missæ sua efficacia comprehendit omnia antiquæ legis Sacrificia.*

*Prob.* In antiqua Lege erant quatuor Sacrificiorum genera, nempe Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium; atqui Sacrificium Missæ comprehendit illa quatuor Sacrificiorum genera; ergo.

*Prob. min.* per partes.

1. Sacrificium Missæ est *Lautreuticum*, quia offertur Deo ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium.

2. *Eucharisticum*, in quantum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, ut patet ex praxi Ecclesiæ.

3. Est *Propitiatorium*, & quidem ex opere operato.

*Prob.* Quod est institutum in remisionem peccatorum, est propitiatorium; atqui Sacrificium Missæ est institutum in remissionem peccatorum (*Matth.* 26. *v.* 28.) *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur* (juxta Græcum *effunditur*) *in remissionem peccatorum.* Ergo est propitiatorium.

Hinc Conc. Trid. definit. (*Sess.* 22. *can.* 3.) *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Hosque effectus producit ex opere operato, cum dicat idem Conc. Trident. *Illa mundi oblatio est; quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

*Dices:* Si sacrificium Missæ peccata dimittat, inutile erit Sacramentum pœnitentiæ; falsum conseq. Ergo.

*Resp. dist. maj.* Si peccata dimittat eodem modo, *conc. maj.* Si diverso modo, *nego maj.* & concessa min. similiter dist. conseq.

*Itaque* Sacramenta remittunt peccata immediate. Sacrificium vero peccata non dimittit *quoad culpam*, nisi mediate quatenus nempe intuitu hujus Sacrificii Deus peccatori, pro quo oblatum est, largitur gratias actuales quibus movetur ad pœnitentiam, disponiturque ad Sacramentum pœnitentiæ, in quo immediate fit peccatorum remissio; ita Trid. cit. cap. 2.

Dixi: *Quoad culpam;* quia hoc Sacrificium remittit immediate pœnam temporalem peccatis quoad culpam remissis debitam, ut patet in Missis, quas Ecclesia offert pro defunctis, in quibus sola pœna temporalis relaxanda est, ad quem effectum nihil conferunt, cum non sint in statu merendi.

*Dices* 2. Hebr. 10. dicit Apost. *Voluntarie peccantibus . . . . jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo Sacrificium Missæ non producit remissionem peccatorum.

*Resp. dist. textum.* Non relinquitur hostia sumpta pro pretio redemptionis nostræ, *conc.* sumpta pro applicatione pretii nostræ redemptionis, *nego.* Itaque in Sacrificio Crucis omne redemptionis & satisfactionis Deo debitæ pretium abunde & superabunde solutum est, sed applicatio hujus pretii fit quotidie per celebrationem Sacrificii Missæ quod hoc uno sensu dicitur propitiatorium, quod maxime notandum contra Novatores.

4. Denique Sacrificium Missæ est *Impetratorium*: nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera, etiam temporalium, in hypothesi quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem; *pro infirmis, & terræ, & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus*, ait Div. Chrysost. homil. 71. *in Joann.* Et Divus Cyrillus Jerosolymit. Catechesi 5. mystag. *Deinde vero*, inquit, *postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus supra ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro ægrotis, pro regibus*, &c.

## QUÆSTIO V.

*De valore Sacrificii Missæ.*

*Nota*: Valor Sacrificii Missæ ab ejus effectu distinguitur; nam valor significat moralem dignitatem quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus vero significat id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

### CONCLUSIO.

*Valor Sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ & quoad sufficientiam est infinitus; ex parte vero efficaciæ & quoad applicationem, est finitus & determinatus.*

*Prob.* 2. *pars:* Sacrificium Missæ idem est quoad hostiam & offerentem cum Sacrificio Crucis *sola offerendi ratione diversa* (*Trid. sess.* 22. *cap.* 2.): atqui Sacrificium Crucis valore & pretio est infinitum; ergo, &c.

*Prob. secunda pars:* Quia Christus in hoc Sacrificio contentus, non operatur ut agens naturale quod secundum totam virtutis suæ latitudinem operatur, sed ut agens liberum quod non operatur, nisi quantum vult; atqui Christus non vult meritum passionis suæ applicare secundum totam latitudinem virtutis suæ, tum ut magis excitetur pietas fidelium, tum ut procuretur frequentior hujus Sacrificii celebratio, sine quo stare religio non potest; ergo.

*Confirm.* Tum ex praxi Ecclesiæ quæ plures Missas ad eandem rem impetrandam celebrari permittit; tum ex damnatione hujus proposit. ab Alexand. VII. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & unicum Sacrificium offerre;* quæ propositio fundata est in hoc falso principio, quod nempe unicum Sacrificium æque prosit ac plura.

*Objicies*: Illud effatum D. Hieronymi (*Relatum can. Non mediocriter, de consecr. dist.* 5.). *Dum pro cunctis animabus psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Ergo Sacrificium est valoris infiniti quoad applicationem.

*Resp. nego conseq.* D. enim Hieronymus, ut exponit

ponit glossa, loquitur de fructu quem ipse percipit celebrans ex charitate erga mortuos, non de fructu quem omnes pro quibus offertur Sacrificium, percipiunt, qui minor est, si pro pluribus applicetur quam si pro uno.

*Resolves*: Missam mali Sacerdotis ex opere operato tantum valere quantum Missa boni, siquidem eadem est res oblata, & idem principalis offerens; ergo & idem valor; tamen minus valet quoad orationes quæ virtutem habent ex opere operantis, quia *qui declinat aures suas ne audiat Legem, oratio ejus erit execrabilis* ( *Prov.* 28. *vers.* 9. ).

## QUÆSTIO VI.

*De causa efficiente Sacrificii Missæ.*

*Nota*: Duplex est causa efficiens Sacrificii Missæ, nimirum *principalis* quæ suo nomine agit: & *ministerialis* quæ nomine principalis agentis offert. Ideo

### CONCLUSIO

*Christus in Sacrificio Missæ est principalis offerens; & solus Sacerdos rite ordinatus, est minister qui solus potest immediate hoc Sacrificium offerre.*

*Prob. prima pars*; Quia *Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; atqui non est Sacerdos in æternum nisi quatenus usque ad consummationem sæculi Sacrificium corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini offert *ministerio Sacerdotum*, ait Conc. Trid. ( *Sess.* 22. *cap.* 2. ). Ergo Christus est principalis offerens.

*Secunda pars* probata manet ex dictis de Sacramento Eucharistiæ. Tamen

*Dixi*: Quod solus Sacerdos *immediate* hoc Sacrificium possit offerre; quia omnes Fideles per Sacerdotem offerre possunt & debent hoc Sacrificium 1. generali quadam ratione quatenus sunt membra Ecclesiæ; 2. speciali, quatenus procurant Sacrificium, inserviunt sacrificanti, & intersunt Sacrificio, ut constat ex Canone Missæ, in quo Sacerdos sic orat: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium, &c.*

Quæres 1. *An Sacerdos potestatem specialem habeat Missæ fructum applicandi?*

*Nota* triplicem esse fructus Sacrificii portionem, generalem scilicet, mediam, & specialem.

*Generalis*, est ea portio quæ toti Ecclesiæ advenit, & principaliter omnibus in canone Missæ expressis.

*Media*, est ea quæ iis advenit, pro quibus Sacerdos celebrare intendit.

*Specialis*, est ea quæ ipsi celebranti advenit etiamsi accepto stipendio celebret pro aliis.

*Certum est* 1. Sacerdotem de fructu generali pro libitu suo non posse disponere, quia a Christo ipso qui est principalis offerens, applicatur.

*Certum est* 2. Fructum medium ita a Sacerdotis beneplacito pendere, ut possit illum cuilibet voluerit applicare, ratio est quia minister in victimam habet potestatem. His tamquam certis positis.

*Resp.* Probabilius videtur Sacerdotem non posse alteri applicare fructum specialem; ratio est quia talis fructus ex natura sua pertinet ad Sacerdotem, sicut fructus generalis ex natura sua pertinet ad Ecclesiam; ergo sicut fructus generalis alteri applicari non potest, neque fructus specialis.

*Dices*: Liberum est cuilibet propriis suis bonis in favorem alterius sese abdicare; ergo.

*Resp. dist. ant.* Si Lex non obstet, *conc. ant.* si obstet, *nego ant.* at hic obstat institutio Christi qui voluit ut fructus specialis Sacrificii sit personalis sacrificanti, alterique incommunicabilis.

Quæres 2. *Qualis requiratur intentio ad Missæ applicationem?*

*Resp.* Requiritur & sufficit habitualis non retractata; ratio est quia Missæ applicatio se habet per modum donationis, quæ valida est donec retractetur.

Hinc valet Missæ hodie celebratæ applicatio facta a duobus vel tribus abhinc diebus, modo nec explicite, nec implicite fuerit retractata.

Dixi *requiritur*: quia non valet intentio interpretativa, qua quis ita est dispositus ut Missam pro tali applicasset, si attendisset; non enim quia intentio adfuisset, sequitur quod ipsa adfuerit.

## QUÆSTIO VII.

*De iis, pro quibus Sacrificium Missæ applicari potest.*

*Nota*: Hæc quæstio, quæ spectat tum viventes, tum defunctos, variis solvetur propositionibus. Ideo

### CONCLUSIO I.

*Licitum est offerre Missæ Sacrificium pro omnibus Christianis fidelibus sive justis sive peccatoribus, ut istis prosit ad pœnitentiam, illis ad augmentum justitiæ: at non licet directe illud offerre pro infidelibus, hæreticis, & publice excommunicatis.*

*Prob. prima pars*: Ex canone Missæ, ubi sic loquitur Sacerdos: *Hæc sancta Sacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica.... & omnibus ortodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Ergo nullum membrum Ecclesiæ excluditur a fructu Sacrificii.

*Prob. secunda pars*: Pro illis non est licitum offerre Missæ Sacrificium, quos Ecclesia a suis orationibus & suffragiis excludit, prohibetque ne ad altare nominentur; atqui tales sunt infideles & excommunicati, ut declarat Innoc. III. ( *Cap. a nobis, de sent. excomm.* ) Ergo.

Dixi, *Directe*, quia non licet ipsos appellare nisi in die parasceves, sed indirecte offertur pro ipsis Sacrificium; nam offertur pro extirpatione hæresum, dilatatione Ecclesiæ; ergo indirecte offertur pro conversione infidelium, hæreticorum, excommunicatorum, &c.

*Dices*: Apostolus præcipit fieri orationes pro regibus ( 1. *Ad Timoth.* 2. *v.* 2. ) infidelibus; ergo licitum est pro ipsis offerre Sacrificium.

*Resp. nego conseq.* Equidem ex ipsa rei natura licitum est offerre Sacrificium pro infidelibus, sed nunc obstat Ecclesiæ prohibitio, quæ tempore Apostoli non obstabat.

CON-

## CONCLUSIO II.

*Sacrificium Missæ non potest offerri pro defunctis damnatis.*

*Prob.* Pro illis Sacrificium non potest offerri, qui non sunt capaces fructus Sacrificii; atqui tales sunt damnati; quia *in inferno nulla est redemptio*; ergo.

*Dices:* Ecclesia Deum orat, ut defunctos liberet *de pœnis inferni & de profundo lacu*; ergo Sacrificium prodesse potest damnatis defunctis.

*Resp. nego conseq.* Ecclesia enim non refert suas preces ad tempus mortem subsequens, sed ad ipsum tempus mortis pro suo more *quæ rem jam diu præteritam spectat ut præsentem*, ait D. August. Epist. 78. sic in nativitate exhibet Christum nascentem, in resurrectione resurgentem, &c.

## CONCLUSIO III.

*Sacrificium Missæ rite offertur pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis.*

Hæc propositio est de fide definita in Conc. Trident. (*Sess.* 22. can. 3.) his verbis: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium .... neque pro vivis & defunctis offerri debere, anathema sit.*

*Prob.* 1. Ex Scriptura 2. Machab. 12. „ *fortissimus Judas ... facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans . . . sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* " Ad quem locum attendens D. Aug. lib. de cura pro mortuis: „ *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legerentur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.* "

*Prob.* 2. Ex perpetua traditione Ecclesiæ, quam testantur omnes Patres dicentes cum Div. Chrysostomo (*Homil.* 69.), *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

## CONCLUSIO IV.

*Sacrificium sanctis non offertur, sed Deo in honorem sanctorum.*

Hæc prop. est definita in Conc. Trid. (*Sess.* 22. *can.* 5.) *si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

*Prob.* Ex continua Ecclesiæ praxi & traditione; certum quippe est ex veteribus liturgiis Græcis & Latinis, Martyrum ac aliorum Sanctorum memoriam semper ad altare factam fuisse, *ut assiduas preces pro nobis offerant*, ait liturgia sancti Basilii.

*Dices:* Cum Kemnitio, oblatio Sacrificii est honor supremus & latreuticus; ergo est superstitio offerre Sacrificium in honorem Sanctorum.

*Resp. nego conseq.* Non enim Sanctis in honorem Dei offertur Sacrificium, quod esset superstitiosum; sed Deo in honorem Sanctorum, quæ duo sunt valde diversa; *quamvis* enim, ait Conc. Trid. (*sess.* 22. *cap.* 3.) *in honorem Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

## QUÆSTIO VIII.

*De Stipendio celebrantibus concesso.*

*Nota:* Cum plurima circa stipendium Sacerdotum ad praxim necessaria, nobis sint exponenda, ipsa brevitatis gratia in varias quæstiunculas dispartiri, necessarium duximus. Itaque

Quæres 1. *Quo titulo Sacerdoti liceat stipendium pro Missa suscipere?*

*Resp.* Duo sunt tantummodo tituli honorarium pro Missa recipiendi.

*Primus est sacrificantis sustentatio*, dicente Apostolo (1. *Cor.* 9. *vers.* 13.) *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant?*

*Secundus est labor extrinsecus* Sacrificio, v. g. quod Missa tali hora, tali loco sit celebranda; quæ utique sunt pretio æstimabilia.

Dixi: *labor extrinsecus*, nihil enim licitum est recipere pro labore intrinseco & ab ipso Sacrificio inseparabili, prout est pœna se vestiendi, genuflectendi, quia hæc non sunt pretio æstimabilia.

Quæres 2. *Quodnam sit justum stipendium Sacerdotis celebrantis?*

*Resp.* Illud quod vel usu recepto, vel taxa Episcopi est determinatum; & quod ultra exigitur, debet restitui.

Quæres 3. *An Sacerdos qui minora stipendia accepit pro pluribus Missis, possit Missas reducere ad numerum proportionatum solito stipendio?*

*Resp. Non potest*, quia ubi stipendium, licet minus congruum, acceptavit, obligationem Missam integram celebrandi induit; ita ut si eam celebrare omiserit, ad restitutionem teneatur, prout statuit sacra Cardinalium Congregatio approbante & confirmante Urbano VIII.

Quæres 4. *An liceat Sacerdoti duplicatum stipendium pro eadem Missa percipere?*

*Resp.* Non potest, ut declaravit Alex. VII. in damnatione hujus prop. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

Quæres 5. *Cum datur pecunia pro Missis indeterminate celebrandis, quomodo debeat determinari numerus Missarum?*

*Resp.* Debet determinari juxta pretium taxatum in tali loco pro qualibet Missa; ita Cardinalium definitio, probante Urb. VIII.

Quæres

Quæres 6. *Possitne Sacerdos qui pinguius accepit stipendium, alium Sacerdotem hac Missa onerare pro minori, licet justo, stipendio?*

*Resp. Non potest*, quia nullum titulum habet partem stipendii retinendi; non gratuitum, quia illi non fit talis partis donatio; non onerosum, quia ipse non subit onus Missam celebrandi; ergo.

Hinc Urbanus VIII. & Alex. VII. sequentem proposit. damnarunt. *Potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Æditutus tamen ex eodem Urbano VIII. potest aliquid retinere pro expensis panis, vini, & ornamentorum.

Quæres 6. *An beneficiarius, qui ratione beneficii tenetur certis diebus celebrare, possit pro eadem Missa stipendium ab aliis accipere, eisque fructum sacrificii applicare.*

*Resp. Non potest*, quia duplicatum acciperet pro eadem Missa; ita decrevit Urbanus VIII. ann. 1626.

Quæres 8. *An sit licitum Sacerdoti plurima stipendia pro multis Missis accipere, quas prævidet nonnisi multo post tempore celebrare?*

*Resp. Non licere*, nisi de consensu saltem præsumpto offerentium; ratio est, quia Sacrificium offerri solet pro iis rebus quæ urgent & instant.

Hinc Urbanus VIII. decrevit, non licere Sacerdoti Missis sese onerare, quibus intra duos menses non potest satisfacere.

Quæres 9. *Quid si necessitas urgens moram non patiatur?* Ut pro agonizante, puerpera periclitante, vel pro felici exitu litis mox dirimendæ, &c.

*Resp.* In tali casu Sacerdos non potest absque gravi peccato & restitutionis obligatione, Missæ celebrationem differre; quia non datur stipendium nisi sub hac conditione quod Sacrificium, stante causa, offeratur.

## QUÆSTIO IX.

*De circumstantiis ad celebrationem requisitis.*

*Nota:* Circumstantiæ ad celebrationem requisitæ respiciunt

1. Tempus quo Sacerdos possit ac teneatur celebrare.
2. Locum, in quo ipsi liceat & teneatur celebrare.
3. Cum quibus ornamentis, vasibus, & ministris.
4. Secundum quas Rubricas debeat celebrare; hæc quatuor articulis complectemur.

### ARTICULUS I.

*De tempore, quo Sacerdos possit ac teneatur celebrare.*

Quæres 1. *Quo tempore et qua hora licitum sit celebrare?*

*Resp. ad* 1. Quolibet die celebrare licet, exceptis die Parasceves in quo Missa non debet celebrari; & Sabbato Sancto, in quo Missa unica solemnis in singulis Ecclesiis dici potest, ut constat ex praxi Ecclesiæ decretis Pontificum firmata.

Non licet tamen pluries una die celebrare, id enim vetatur cap. *consuluisti* (*de celeb. Missæ.*) in quo excipitur dies Nativitatis Dominicæ, & casus necessitatis, de cujus gravitate solius est Episcopi judicare.

*Resp. ad* 2. Jure communi ante auroram, id est, ante crepusculum diei, nec post meridiem celebrare licet, ut constat ex consuetudine generali vim legis habente firmata a Pio V. constitutione, *Sanctissimus.* Unde S. Carolus, *in instructionibus pro celebratione Missæ*, ait: *Ante solis ortum non celebratur, nisi in Christi Domini natali die; aut post meridiem, quod Canones vetant.*

Dixi *jure communi*: excipitur enim 1. Missa Nativitatis Domini quæ celebratur media nocte (*Cap. nocte sancta, de consecr. dist.* 1.) 2. Casus necessitatis v. g. conficiendæ Eucharistiæ pro viatico; præbendi facultatem audiendi sacrum populo peregrinaturo, qui tempus auroræ non posset expectare, &c. 3. Locus in quo consuetudo ab Episcopo saltem tacite approbata obtinuit, ut in hieme Missa celebretur una aut duabus horis ante crepusculum.

Quæres 2. *An omnes Sacerdotes teneantur Missam celebrare?*

*Resp.* Sacerdotes etiam liberi, quibus nulla incumbit animarum cura, tenentur Missam celebrare sub mortali.

*Prob.* Ex Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis ut testatur Concilium Trident. (*Sess.* 22. *cap.* 1.) Christus *Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit:* ergo tenentur præcepto divino celebrare; alias gratiam Sacerdotii in vanum reciperent.

Quæres 3. *Quoties Sacerdotes celebrare teneantur?*

*Resp.* Sacerdotes liberi celebrare tenentur saltem dominicis & festis solemnibus; Sacerdotes vero curam animarum habentes celebrare tenentur nedum cum urget præceptum Missam audiendi, sed & quandoque, ut eorum subditi Missam ex devotione possint audire.

*Prob. prima pars.* Ex Div. Thom. (3. *p. q.* 82. *art.* 10) dicente: *Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, quibus fideles communicare consueverunt.*

*Prob. secunda pars*, & confirmatur 1. auctoritate Conc. Trid. sic statuentis (*Sess.* 23. *cap.* 14. *de reformat.*) *Curet Episcopus, ut ii* (Sacerdotes) *saltem diebus dominicis, & festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; atqui munus est pastoris non solum pascua absolute necessaria ovibus suis administrare, sed & utilia & opportuna; ergo.

Quæres 4. *An capellani per fundationem ad quotidie celebrandum obligati, teneantur quotidie celebrare per se, vel per alium si non possint per se?*

*Resp.* Observandum esse contractum fundationis; si in eo exprimatur, *quotidie vel per se, vel per alium celebret*, nulla dies sine celebratione debet prætermitti; quod si Capellanum simpliciter ad quotidianam Missam adstringat, tunc juxta præsumptionem, & rationabilem fundatoris intentionem

nem non tenetur per alium Sacerdotem supplere, aut de stipendiis Missarum pro rata restituere, si semel in hebdomada omittat celebrationem, vel propter infirmitatem corporalem, vel indispositionem ad celebrandum, vel alia gravia negotia. Ita omnes Canonistæ cum Panormitano & Cabassut. (*Panorm. in cap. significatum de præb. Cabassut. l.* 6. *cap.* 14. *n.* 5. *Theor. & Prax.*) qui asserit *ex æquitate & epickeia id concessum fuisse a Conc. Mediolanensi VII. Provinciali.*

## ARTICULUS II.

*De loco in quo licitum sit celebrare.*

*Nota.* Locus in quo licitum est celebrare, vel est immediatus & est altare, vel mediatus, & est Ecclesia, ideo.

### CONCLUSIO I.

In quocumque loco Missa celebretur, requiritur altare lapideum ab Episcopo, aut ex concessione solius Papæ ab alio Sacerdote consecratum. (*Cap. Altaria, de consec. dist.* 2.)

Quæres: *Quandonam altare censeatur amisisse suam consecrationem?*

*Nota:* Duplex est altare, *fixum* nempe, quod alicui loco affixum est; & *portatile*, quod consistit in simplici tabula lapidea viatica.

*Resp.* Altare portatile suam amittit consecrationem cum ita frangitur ut non possit continere calicem & patenam; *fixum* autem suam perdit tum per illam notabilem fractionem, tum per sui demolitionem e loco suo seu basi (*Cap. quod in dubiis de consec.*); item altare execratur si sigillum in quo reliquiæ continentur fuerit confractum. (*Cap. ad hæc, de consecr.*)

### CONCLUSIO II.

Jure communi non licet celebrare nisi in domo ab Episcopo consecrata, vel saltem auctoritate Episcopi benedicta. Ita statuit Conc. Trid. (*Trident. decreto de observandis in Sacrif. Missæ.*) quæ obligatio est gravis, cum imposita sit a jure (*Cap. nullus de consecr. dist.* 1.) sub pœna depositionis.

Dixi: *Jure communi*: ab ipsa enim regula nonnullæ sunt exceptiones; sic verb. gr. potest celebrari in castris pro exercitu; in littore maris pro navigantibus (*Cap.* 30. *de consec. dist.* 1.); immo nunc in navi celebratur cum dispensatione Papæ. Excipitur etiam casus publicæ necessitatis dum Ecclesia est diruta, ne populus sacro careat.

Quæres 1. *An liceat celebrare in Ecclesia polluta?*

*Resp.* Non licere ante ejus reconciliationem, quæ debet fieri ab Episcopo si Ecclesia fuerit consecrata; vel a Sacerdote ab Episcopo delegato, si fuerit tantum benedicta.

*Resolves*: Sacerdotem qui celebrat in Ecclesia quam novit pollutam, peccare mortaliter, quia materia est gravis, nullam tamen incurrit censuram aut irregularitatem, quia nulla in jure est expressa.

Quæres 2. *Quot modis Ecclesia polluatur?*

*Resp. quinque* modis: primo copiosa atque injuriosa sanguinis humani effusione (*Cap. proposuisti de consec. Ecclesiæ.*)

2. Homicidio voluntario & injurioso commisso in Ecclesia, sive percussus moriatur intra, sive extra Ecclesiam. (*Eodem cap.*)

3. Voluntaria, etiam de se licita, seminis humani effusione. (*Cap. si Ecclesia, de consec. Eccl.*) Requiritur quod sit publice cognita.

4. Sepultura nominatim excommunicati, (*Cap. consuluisti de consecr. Eccles.*) & infidelis non baptizati. (*Cap. Ecclesiam de consecr. dist. prima.*)

5. Non quidem polluitur, sed amittit consecrationem, cum parietes secundum majorem partem destruuntur. (*Cap. ligneis, de consec. Eccl.*)

*Nota* 1. Discrimen esse inter Ecclesiæ pollutionem, & execrationem: nam polluta Ecclesia polluuntur etiam omnia altaria quæ in ea fixa sunt; quemadmodum & viceversa altare pollui non potest, quin etiam Ecclesiæ corpus polluatur; at vero si Ecclesia execretur combustis aut destructis parietibus, non ideo altaria quæ integra & illæsa remanent, execrantur; sicut nec altari per fractionem execrato, Ecclesia execratur.

*Nota* 2. Polluta Ecclesia, polluitur cœmeterium ei contiguum, non econtra, quia accessorium sequitur naturam principalis. (*Reg.* 42. *juris in* 6.)

Quæres 3. *Quid agendum sit Sacerdoti, si dum celebrat Ecclesia violetur?*

*Resp.* Si Ecclesia violetur post inceptum canonem, perficienda est Missa, quia Sacrificium censetur inchoatum, quod intermitti non debet: si autem ante canonem violetur, recedere debet ab altari, donec Ecclesia reconciliata fuerit.

## ARTICULUS III.

*Cum quibus ornamentis, vasis & ministris sit celebrandum.*

Quæres 1. *Quibus ornamentis instructum debeat esse altare, ut in eo rite celebrari possit?*

*Resp.* Juxta Rubricas Missalis

*Requiritur* 1. Ut altare sit ornatum triplici mappa linea, vel ad minus duplici, quarum *prima* sit duplicata; quæ omnes debent esse benedictæ ab Episcopo, vel alio habente talem potestatem.

*Requiritur* 2. Ut altare sit instructum corporali & purificatorio lineis ab Episcopo benedictis; item palla linea saltem qua parte calicem tangit, eaque benedicta.

*Requiritur* 3. Crucifixus exculptus, nisi expositum sit sanctissimum Sacramentum.

*Requiruntur* 4. Duo luminaria cerea; tamen in casu necessitatis unum sufficit; immo in tali casu candela ex sebo adhiberi potest.

Quæres 2. *Quibus vestibus indui debeat Sacerdos ut rite celebret?*

*Resp.* Ex gravi præcepto necessaria sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola & casula, & hæc omnia benedicta; ita ut si quid horum desit, omittenda sit Missa; quia actio quæ debito modo fieri nequit, potius omittenda est, quam indecenter exercenda.

Quæres 3. *Quomodo vestes sacerdotales amittant suam benedictionem?*

*Resp.*

*Resp.* Eam amittunt per lacerationem & fractionem talem, ut desinant esse aptæ ad usum ad quem sunt destinatæ: nec tunc possunt in usus profanos converti, sed vel igni sunt tradendæ, vel defodiendæ. (*Cap. altari, dist. prima de consecr.*)

Quæres 4. *Quænam vasa requirantur ad celebrationem?*

*Resp.* Requiruntur calix & patena ex auro vel argento, vel saltem cogente paupertate ex stanno, eaque ab Episcopo, vel alio ex privilegio Papæ, consecrata. (*Cap. calix, de consecr. dist. prima.*)

Quæres 5. *Quomodo calix & patena execrentur?*

*Resp.* Execrantur duobus modis: 1. Per notabilem fractionem, ut si pes calicis fixi separetur a cuppa, quia consecratio cadit in totum calicem per modum unius indivisibiliter, secus si pes sit tornatilis: nam tunc consecratio cadit in solam cuppam.

2. Si interior cuppæ vel patenæ superficies exauretur, quia habent aliam superficiem non consecratam, quæ tamen debent esse consecratæ ob contactum immediatum Eucharistiæ; neutrum tamen execratur, si ab aurifice resarciatur, modo nulla fiat fractio notabilis, aut mutatio superficiei interioris cuppæ, vel patenæ; quia id nullo jure statuitur.

Quærer 6. *Quibus personis competat sacra vasa contingere?*

*Resp.* Vasa fas non est Laicis & feminis etiam sanctimonialibus attingere, sed solis ministris sacratis (*Cap. etiam sancta, de consec. dist.* 1. *cap. sacratas, dist.* 23.), excipitur casus necessitatis, vel alterius causæ honestæ. Quamdiu verò in eis corpus aut sanguis Domini continetur, nullus præter Sacerdotem aut Diaconum contingere potest sine gravi peccato, (*Cap. non oportet, dist.* 23.) quia est res gravissima.

Iisdem non licet corporalia & purificatoria tangere antequam a Sacerdote vel Diacono laventur. (*Cap. nemo de consec. dist.* 1.)

Quæres 7. *An liceat Sacerdoti Missam sine ministro celebrare?*

*Resp. non licere.* Contrarius enim abusus repressus fuit a Conc. Basileensi Sess. duodecima.

Quæres 8. *An in casu necessitatis mulieri liceat Sacerdoti celebranti ministrare.*

*Resp.* Nusquam licere, ex cap. 1. de cohabitatione Clericorum; *Nulla femina præsumat ad altare accedere, vel Presbytero ministrare;* ita etiam Missale Roman.

## ARTICULUS IV.

### *De Rubricis Missalis.*

*Nota:* Rubricæ Missalis aliæ sunt directoriæ tantum, aliæ obligatoriæ & præceptivæ, quarum obligatio potest esse gravis, vel levis iuxta gravitatem vel levitatem materiæ & significationis ab Ecclesia intentæ. Ideo

Quæres 1. *Quænam Rubricæ sint tantummodo directoriæ?*

*Resp.* Sunt sequentes, 1. Quod Sacerdos celebraturus prius vacet orationi. 2. Quod præmittat preces quæ dicuntur; *Præparatio ad Missam*, nam proponuntur pro opportunitate Sacerdotis faciendæ. 3. Quod Matutinum & Laudes ante celebrationem persolverit, dum nempe Horarum Canonicarum officium a Missa discrepat; si enim cum ipsa concordet, censent communiter Doctores esse veniale Missam celebrare ante Matutini & Laudum solutionem, non vero mortale, quia Matutinum necessariam cum Missa connexionem non habet, unde sunt nonnullæ causæ quæ a culpa hic excusant v. g. necessitas ministrandi viatici infirmo &c.

Quæres 2. *Quænam sint Rubricæ obligatoriæ?*

*Resp.* Ex præcepto: 1. Recitandæ sunt preces inter se vestiendum recitari solitæ.

2. Missa debet celebrari cum veste talari & calceis, a qua lege eximuntur Religiosi discalceati.

3. Missa debet esse conformis Officio in diebus Duplicibus & solemnibus, in illis tamen diebus potest dici unica Missa de *Requiem* corpore præsente.

4. Missa debet celebrari sine intermissione, nisi urgeat gravis necessitas, v. g. administrandi Sacramentum Pœnitentiæ moribundo, ut docent communiter Doctores.

5. Missa debet celebrari sine ulla detractione, vel additione eis quæ in Missali præscripta sunt. Porro hæc additio, vel detractio est mortalis vel venialis pro gravitate vel levitate rei, seu actionis omissæ vel additæ.

## DISSERTATIO V.

### *De Pœnitentia.*

*Nota* 1. Pœnitentia secundum vim nominis, idem est ac pœnæ tenentia, cum enim dicitur: *pœnitet me peccati;* idem est, ac si diceretur; *pœna peccati me tenet.*

*Nota* 2. Pœnitentia dividitur in eam quæ est virtus, & eam quæ est Sacramentum.

Pœnitentia virtus definitur: *habitus supernaturalis quo homo movetur ad odium & detestationem peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero, justitiæque divinæ satisfaciendi.* Hæc definitio colligitur ex Conc. Trid. (*Sess.* 14. *c.* 2.) Hinc Pœnitentia virtus quatuor actus complectitur, 1. vitæ prioris mutationem seu resipiscentiam; 2. odium & detestationem illius; 3. propositum vitæ melioris; 4. prioris vitæ vindictam; unde Pœnitentia virtus secundum suos actus sumpta, est partialis materia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ contritio dicitur; de qua suo loco fuse dicetur.

Pœnitentiæ Sacramentum definitur: *Sacramentum a Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis & absolutionem Sacerdotis.*

Dicitur 1. *Sacramentum a Christo institutum*, quod tenet locum generis.

Dicitur 2. *Ad remittenda peccata:* ut denotetur materia huius Sacramenti remota, & effectus, qui est remissio peccatorum.

Dicitur 3. *Post Baptismum commissa:* quia peccata ante Baptismum commissa non delentur per

Sacramentum Pœnitentiæ, cujus non sunt capaces non baptizati, sed per actum Pœnitentiæ virtutis cum receptione Baptismi in re, vel in voto.

Dicitur 4. *Per actus pœnitentis*, scilicet contritionem, confessionem & satisfactionem saltem in proposito, quæ sunt Pœnitentiæ partes omnino necessariæ ex parte pœnitentis, ad peccatorum remissionem.

Dicitur 5. *Et absolutionem Sacerdotis:* quibus verbis exprimitur tum minister hujus Sacramenti, nempe Sacerdos; tum forma Sacramenti, nempe juridica absolutio, ex vera scilicet potestate remittendi peccata, non vero declarandi tantum ea esse remissa.

*Nota* 3. Pœnitentiæ virtutem differre a Pœnitentia Sacramento in duobus.

1. In eo quod Pœnitentiæ virtus tota posita sit in actibus pœnitentis; Sacramentum vero insuper requirat absolutionem Sacerdotis.

2. In eo quod virtus Pœnitentiæ, ut ait Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 1.) *Universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, fuerit quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent;* Sacramentum vero Pœnitentiæ non nisi a Christo fuerit institutum, nec pertineat nisi ad eos qui post baptisma receptum in peccata lapsi fuerint.

3. In eo quod Sacramentum Pœnitentiæ sit totum; virtus vero Pœnitentiæ sit pars materiæ Sacramenti; ergo sicut Sacramentum matrimonii non potest consistere sine vero contractu conjugali, ita nec Sacramentum Pœnitentiæ sine vera Pœnitentia supernaturali.

*Nota* 4. De sola Pœnitentia ut est Sacramentum agemus in hac Dissertatione, quam distribuemus in septem Capita.

*Primum*, erit de existentia Pœnitentiæ.

*Secundum*, de essentia & natura Pœnitentiæ.

*Tertium*, de prima parte Pœnitentiæ, seu de contritione.

*Quartum*, de confessione, quæ est secunda pars Pœnitentiæ.

*Quintum*, de Satisfactione, quæ est tertia pars Pœnitentiæ.

*Sextum*, de ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

*Septimum*, de effectibus Pœnitentiæ.

## CAPUT I.

### *De existentia Pœnitentiæ Sacramenti.*

*Nota:* Hic, ad veritatem orthodoxam confirmandam, triplicem esse evertendum errorem, quorum

1. Est Montanistarum & Novatianorum, qui negarunt extare in Ecclesia potestatem remittendi peccata saltem graviora.

2. Est Lutheranorum & Calvinistarum contendentium Pœnitentiam non esse verum Sacramentum distinctum a Baptismo ejusque memoria, quæ propter apprehensam fidem peccata post Baptismum commissa dimittit.

3. Est eorumdem Lutheranorum & Calvinistarum docentium, absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium declarandi dimissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum. Itaque sit

## CONCLUSIO I.

*Christus Ecclesiæ suæ veram concessit potestatem dimittendi omnia peccata post Baptismum commissa: nullumque est in hac vita crimen vere pœnitenti irremissibile.*

*Prob.* Christus Apostolis distincte promisit se eis daturum potestatem remittendi quæcumque peccata sine discretione levium aut graviorum, dicens Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Et Joan. 20. de facto confert quam promiserat Apostolis dimittendi peccata, auctoritatem his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quem locum afferens Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 1.) ait: *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit: et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit.*

*Confirmatur* ex facto D. Pauli, qui incestuoso quem tradiderat satanæ in interitum carnis, post peractam pœnitentiam, veniam indulsit in persona Christi: *Nam et ego*, inquit (2. *Cor.* 2. *vers.* 10.), *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quem locum contra Novatianos urgebat S. Ambrosius (*L.* 1. *de Pœnit. cap.* 7.) his verbis: *Jus sibi vindicavit Paulus acceptum, non usurpavit indebitum.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Christus non concessit facultatem remittendi peccata post Baptismum commissa: ergo.

*Prob. antec.* Ex Apost. Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati ... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Ergo Christus non concessit facultatem peccata lapsis remittendi.

*Resp. nego conseq.* Duæ enim sunt hujus textus expositiones.

1. Est omnium pene veterum (*Chrysostomi, Theodoreti, Theophilacti, Oecum Haymonis, Ambrosii, Hieron. Augustini &c.*), qui censent Apostolum loqui de pœnitentia quæ præit Baptismum, tantumque damnare iterationem Baptismi; Hebræi enim in Judaismo sæpe se baptizabant, indeque facti Christiani putabant pari modo posse multoties baptizari, & baptismo iterato identidem peccata, in quæ sæpius incidebant, expiare. Hanc esse mentem Apostoli probant ex verbis *illuminationis*, & *renovationis* quibus utitur; quæ apprime congruunt baptismo, non vero pœnitentiæ. *Is enim quem pœnitet*, ait S. Athan. (*Epist.* 4. *ad Serapionem*), *peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur,* vete-

*veterem exuit hominem*, & *renovatur superne genitus spiritus gratia.*

2. Est Recentiorum qui magis apposite censent Apostolum proprie loqui de Pœnitentia, eamque dicere impossibilem, id est, valde difficilem esse peccatoribus, non quibusvis, sed gravissimis, quales sunt Apostatæ qui post tot cælestia dona accepta, agnitam veritatem contemnentes, a Christo ad Judaismum discedunt, ut aliqui faciebant Hebræi.

Porro quæcumque expositio admittatur, non sequitur quod ex eo textu Novatiani inferebant, nempe nullum post baptisma superesse lapsis remedium.

*Inst.* 1. Cap. 10. ejusdem Epistolæ Apostolus ait: *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii.* Ergo peccata post Baptismum commissa non possunt remitti.

*Resp. dist ant.* Voluntarie peccantibus peccato quolibet, non relinquitur hostia, *nego ant.* peccato apostasiæ quo a Christo ad Judaismum deficiebant, *subdist.* si in sua apostasia perseverent, *conc. ant.* si de sua priori apostasia pœnitentiam agant, *nego ant.* & consequentiam.

*Itaque* Apostolus manifeste loquitur de Hebræis qui fidem deserebant ut ad Judaismum deflecterent, & asserit talibus in tali statu manentibus, nullam relinqui pro peccatis hostiam; qualis enim esset? an Christus? at eum negant & conculcant; an alius Messias? at nullus est; an Legis sacrificia? at infirma & jam abolita erant, talibus ergo Hebræis non hostia, non spes veniæ, sed terribilis tantum ultio manet, & ignis vehemens qui consumpturus est eos ut Christi adversarios. Hic sensus eruitur tum ex verbis antecedentibus, *Non deserentes collectionem nostram*: tum ex consequentibus, *Post acceptam notitiam veritatis.*

*Inst.* 2. Atqui quodlibet peccatum in Deum admissum remitti nequit; ergo, &c.

*Prob. sumpt.* Ex l. 1. Reg. cap. 2. ubi dicitur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccata in Deum admissa remitti nequeunt.

*Resp. dist. conseq.* Peccata in Deum remitti nequeunt, in omni facto, *nego conseq.* in facto speciali de quo agitur in textu, *subdist.* remitti nequeunt per visibile sacrificium, *conc.* per pœnitentiam, *nego.* Itaque textus loquitur de solo peccato filiorum Heli quod *erat grande nimis coram Domino*, qui per suam insignem rapacitatem, & incontinentiam, *retrahebant homines a Sacrificio Domini* (1. *Reg.* 2. *v.* 17.) Et consequenter cum nullus esset peccator qui postularet pro se offerri Sacrificium, nullum supererat visibile remedium quo placari posset divina majestas, quæ tamen semper placari poterat per veram pœnitentiam.

*Inst.* 3. Atqui vere pœnitentibus venia peccatorum non semper indulgetur; ergo, &c.

*Prob. subsumpt.* exemplo Antiochi & Esau; de Antiocho dicitur (*l.* 2. *Machab. cap.* 9. *v.* 13.) *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*, de Esau vero, *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*: ergo venia peccatorum non semper pœnitentibus indulgetur.

*Resp. dist. conseq.* Venia peccatorum mendaciter pœnitentibus non indulgetur, *conc.* vere pœnitentibus, *nego.* Porro mendax & fucata fuit pœnitentia Antiochi & Esau; Antiochus enim non doluit de culpa admissa, sed de crudelissimo morbo quo vexabatur. Pœnitentia vero Esau non fuit peccati, & gratiæ Dei deperditæ, sed benedictionis paternæ & primogenituræ amissæ per profanam venditionem, quam desiderabat recuperare, sed frustra, cum non potuerit flectere patrem suum Isaac, ut benedictionem datam Jacobo revocaret, quin potius ipsam confirmaverit Isaac dicens: *Benedixi ei (Jacob) & erit benedictus*; hinc textus allatus proprie intelligitur de pœnitentia Isaac.

*Objicies* 2. 1. Joann. 5. dicitur: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Ergo omne peccatum mortale est irremissibile.

*Resp. dist. conseq.* Non enim de omni peccato loquitur D. Joannes, sed de peccato apostasiæ a Christo & Ecclesia, quod ideo vocat peccatum ad mortem, 1. Quia propter indurationem solet per totam vitam usque ad mortem durare; 2. Quia aufert fidem quæ est principium vitæ spiritualis, & consequenter tollit peccatori omnem vitam spiritualem, omnemque spem pœnitendi & resurgendi, a qua apostasia potest nihilominus resipiscere peccator & converti, licet difficile.

*Inst.* 1. Contra responsionem, illud peccatum pro cujus remissione vetat orare D. Joannes, est omnino irremissibile; atqui pro peccato ad mortem vetat orare D. Joannes.

*Resp. neg. min.* Sensus enim textus hic est: non prohibeo quidem pro tali orare: sed non audeo polliceri, quod impetrabit, ideo *non pro illo dico ut roget quis*, nimirum cum illa certa fiducia impetrandi, de qua v. præcedenti locutus sum dicens: *Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.* 1. *Joann.* 5. Nam sæpe Deus oratus pro peccato ad mortem, utpote gravissimo, non exaudit, juxta illud Jerem. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* (*Jerem.* 7. *vers.* 16.)

*Inst.* 2. Teste ipsomet Christo (*Matth.* 12. *v.* 31.) Blasphemia in Spiritum sanctum dimitti non potest neque in hoc sæculo, neque in futuro; ergo quoddam peccatum est irremissibile.

*Resp. dist ant.* Blasphemia in Spiritum sanctum dimitti non potest, comparate ad alia peccata, id est non tam facile dimittitur, *conc. ant.* absolute, *nego ant.* Loquitur itaque Christus de majori remissionis difficultate, non de absoluta impossibilitate; ista enim loquendi ratio, *non remittetur*, est Hebraismus quo rem difficile fieri significatur.

Porro blasphemia in Spiritum sanctum, est peccatum quo quis manifestæ veritati resistit imputans diabolo opera sua Spiritus sancti, quemadmodo faciebant impii illi Judæi qui manifeste intelligentes

tes

tes opera miraculosa Christi esse divina, dicebant (*Matth.* 12. *vers.* 24.) *Non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Hoc fuit peccatum in Spiritum sanctum, cui per quamdam appropriationem operatio miraculorum tribuitur: cum autem illud peccatum non ex infirmitate, sed ex malitia procedat, non nisi difficile dimittitur, non propter immisericordiam Dei, sed propter impœnitentiam hominis, quia talis peccator directe oppugnat ei, sine quo pœnitere nequit; puta Spiritum sanctum, ejusque gratiam, unde magis excæcatur & obduratur, tandemque in reprobum sensum traditur.

Blasphemia vero contra Filium hominis, est peccatum ignorantiæ, quod cum aliquam excusationem habeat, facilius condonatur; tale erat peccatum Judæorum, qui infirmitate & abjectione naturæ humanæ Christi offensi, facta ejus humana calumniabantur vocantes eum vini potatorem, amicum Publicanorum, &c. suspicantes eum esse purum hominem.

## CONCLUSIO II.

*Pœnitentia verum est ac speciale novæ Legis Sacramentum, a Baptismo Baptismique materia distinctum, lapsis post Baptismum absolute necessarium in re, vel in voto.*

*Prob.* 1. *pars*: Nempe *Pœnitentiam esse verum Sacramentum.* Ad verum novæ Legis Sacramentum quatuor requiruntur & sufficiunt etiam secundum Novatores: 1. Ut sit signum externum & sensibile; 2. Ut habeat vim producendi gratiam; 3. Ut sit a Christo præceptum, seu institutum; 4. Ut sit constans ac perpetuum in Ecclesia. Atqui Pœnitentia quatuor illas conditiones habet. Ergo.

1. Est signum externum & sensibile, tum ex parte pœnitentis peccata sua declarantis, & internum animi dolorem significantis; tum ex parte Sacerdotis per certa & determinata verba, modo externo hominibus accommodato, absolventis.

2. Habet vim producendi gratiam, nempe remissionem peccatorum.

3. Signum illud est a Christo institutum, *Cum nempe*, ait Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 1.) *a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

4. Est signum perpetuum, cum potestatem dimittendi peccata absque temporis limitatione, Christus Ecclesiæ suæ concesserit.

Hinc Conc. Trid. (*Sess.* 14. *can.* 1.) definivit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

*Prob.* 2. *pars.* Nempe *Sacramentum Pœnitentiæ distinctum esse a Baptismo ejusque materia.* Probatur, inquam, 1. ex D. August. (*L.* 2. *de adulterinis conjugiis cap.* 13.) qui asserit peccata fidelium curari remedio plane diverso ab eo, quo peccata Catechumenorum curantur: *Si a Catechumeno factum est homicidium*, inquit, *Baptismate abluitur; si a Baptizato, Pœnitentia & reconciliatione sanatur.*

*Prob.* 2. Ratione deducta ex Scriptura sacra, & traditione Patrum: illa Sacramenta sunt inter se diversa quæ habent materiam, formam, subjectum, ministrum, & effectus omnino diversos & distinctos; atqui Baptismus & Pœnitentia habent materiam, formam, subjectum &c. omnino distinctos & diversos; ergo sunt duo Sacramenta inter se omnino diversa.

*Prob. min. per partes*, namque

1. Baptismi materia est aqua, & forma sunt ista verba: *Ego te baptizo &c.* materia vero Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, forma autem sunt hæc verba: *Ego te absolvo &c.*

2. Baptismi subjectum est homo quilibet nondum baptizatus; Pœnitentiæ vero est solus homo baptizatus; unde Conc. Trident. ibidem dicit: *Sacramentum Pœnitentiæ esse remedium, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*

3. Baptismi minister in necessitate est homo quilibet; Pœnitentiæ vero est solus Sacerdos personam judicis sustinens.

4. Baptismi effectus sunt character, & remissio cum peccati originalis, tum actualium ante ipsum commissorum, tam quoad omnem pœnam, quam quoad culpam; Pœnitentiæ vero effectus, est sola remissio peccatorum actualium post Baptismum commissorum quoad culpam & pœnam æternam, ergo &c.

Hinc merito Conc. Trident. (*sess.* 14. *can.* 2.) contra Novatores definit: „ Si quis Sacramenta „ confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ esse „ dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta „ non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte se„ cundam post naufragium tabulam appellari, ana„ thema sit.

*Prob.* 3. *pars*, nempe *Pœnitentiæ Sacramentum lapsis absolute esse necessarium in re vel in voto.* Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo obtineri non potest remissio peccatorum post Baptismum commissorum; atqui sine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto non potest obtineri remissio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, dicente Christo: (*Jo.* 10. *v.* 23.) *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt*; ergo.

Confirmatur ex Conc. Trid. (*sess.* 14. *cap.* 2.) dicente: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Nam eodem modo quo Christus dixit Joann. 34. *Nisi quis renatus fuerit &c.* dixit Lucæ 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

Dixi: *in re vel in voto*: quia homo in tali statu constitutus in quo non habet copiam Confessarii, vel defectu linguæ ministerio ejus uti non potest, contritus gratiam sanctificantem, & hac mediante gloriam paradisi obtinere potest.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem*: Eadem est vis Pœnitentiæ in utraque Lege; atqui Pœnitentia in Lege veteri non fuit Sacramentum; ergo nec in Lege nova.

*Resp. dist. maj.* Eadem est vis Pœnitentiæ, quatenus est virtus, *conc. maj.* quatenus Sacramentum, *nego maj.* In veteri quippe Lege Pœnitentiæ virtus duntaxat fuit, quæ in nova ad dignitatem Sacramenti fuit elevata; unde contritio quæ Judæis ad salutem sufficit sine Sacramento re vel voto percepto.

*Inst.* Ad Sacramentum requiritur elementum juxta illud D. Aug. (*Tract.* 80. *in Joann.*) *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Atqui in Pœnitentiæ ritu nullum est elementum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Ad Sacramentum requiritur elementum improprie dictum, nempe sumptum pro aliquo signo sensibili, *conc. maj.* proprie dictum, *subdist.* in aliquibus Sacramentis, *conc. maj.* Div. itaque Aug. loquitur de Baptismo in quo materia est aqua.

*Objicies contra secundam partem*: Joannes prædicavit (*Luca* 3. *v.* 3.) Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ergo Sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo.

*Resp. nego conseq.* Joannes enim non loquitur de Sacramento Pœnitentiæ, sed de suo proprio Baptismo, cujus cum tota vis esset a virtute Pœnitentiæ, merito vocatur Baptismus Pœnitentiæ.

*Inst.* 1. Div. Fulgentius (*L. de fide ad Petrum*, *cap.* 30.) cum pluribus aliis Patribus, Baptismum appellat *Sacramentum fidei & Pœnitentiæ*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Baptismum appellat Sacramentum fidei & Pœnitentiæ, respectu infidelium adultorum qui ad Baptismum non admittuntur nisi præmissa de peccatis Pœnitentia, *conc. ant.* eo quod Sacramentum Baptismi sit ipsummet Sacramentum Pœnitentiæ, *nego ant.* nam effectus utriusque Sacramenti sunt valde diversi, quos sic exprimit D. Chrysost. Hom. 11. in Epist. ad Hebræos, *Novos*, inquit, *facere est solius Baptismi, Pœnitentiæ autem est, eos qui novi facti sunt, deinde in peccati inveteraverunt, liberare a vetustate, solidosque reddere; ad illum autem splendorem* (receptum per Baptisma) *non licet reducere: illic enim totum est gratia.*

*Inst.* 2. D. Aug. (*L.* 1. *de nuptiis & concupisc. cap.* 33.) asserit omnia peccata etiam post Baptismum, dimitti per ipsum Baptismum; ergo Sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo ejusque memoria.

*Resp. dist. antec.* Peccata post Baptismum commissa dimittuntur per ipsum Baptismum præsuppositive & dispositive, *conc. antec.*, vere & effective, *nego antec.*

Itaque peccata post Baptismum commissa vere ac effective remittuntur per Pœnitentiam, sed præsuppositive remittuntur per Baptismum, quia cum Baptismum sit janua omnium Sacramentorum, nemo mundari potest per Sacramentum Pœnitentiæ, nisi fuerit baptizatus. Ita seipsum explicat. Div. August. dicens: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?*

## CONCLUSIO III.

*Absolutio sacramentalis vere ac proprie dimittit peccata, non vero declarat tantum ea esse dimissa.*

*Prob.* Ex verbis Christi Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: ex quibus argumentor.

Illa verba in sensu proprio naturali significant veram potestatem remittendi peccata; non enim Christus dixit, quorum declaraveritis dimissa peccata, sed *quorum remiseritis*; atqui illa verba sunt in sensu proprio & naturali intelligenda; ergo significant veram potestatem remittendi peccata, datam Apostolis.

*Prob. min.* 1. Quia Christus testatur se eam Apostolis conferre auctoritatem quam ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis etc.* Atqui Christus potestatem accepit a Patre non solum declarandi peccata esse remissa, sed vere & juridice ea dimittendi: ergo &c.

2. Quia Christus testatur, eo ipso modo peccata esse dimittenda in cælis, quo remittuntur in terris; at in cælis non tantum declarantur esse remissa, sed vere & proprie remissa habentur; ergo.

3. Quia verbum *remittere*, cum de peccatis agitur, indicat veram & proprie dictam peccatorum remittendorum auctoritatem, ut constat ex murmuratione Pharisæorum, qui cum audierint Christum dicentem paralytico, *remittuntur tibi peccata tua*, conquerebantur Christum sibi arrogasse auctoritatem remittendi peccata, dicentes: (*Luc.* 5. *v.* 21.) *Quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Ergo ista verba: *quorum remiseritis etc.* sunt in sensu naturali & obvio intelligenda de vera potestate remittendi peccata.

Hinc Conc. Trid. (*sess.* 14. *can.* 9.) contra Lutheranos & Calvinistas definit: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti . . . anathema sit.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Solus Deus potest dimittere peccata, juxta illud Isaiæ 43. *ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Solus Deus potest dimittere peccata, auctoritate propria & indipendente, *conc. ant.* solum per exclusionem causæ ministerialis & instrumentalis, *nego ant.* Christus enim concessit hominibus tamquam instrumentis & ministris ut suo nomine remitterent peccata.

*Inst.* 1. Solus Deus potest actione sua animam attingere; ergo solus potest dimittere peccata per exclusionem causæ ministerialis.

*Resp. dist. ant.* Solus Deus potest actione sua immediata & indipendenti animam attingere, *conc. ant.* mediata & dependente a signis sensibilibus, *nego ant.* Porro potestas remittendi peccata hominibus concessa, alligata est ritui externo a Christo instituto.

*Instab.* 2. In nullo loco Scripturæ reperitur Christum dedisse Sacerdotibus potestatem judiciariam absolvendi a peccatis; ergo talem non habent.

Ex ?.

*Resp. nego ant.* Hanc enim ipsis concessit cum Joann. 20. dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*

*Inst.* 3. Atqui per ista verba: *Quorum remiseritis etc.* Christus non dedit Apostolis potestatem judiciariam &c. ergo.

*Prob. subsumpt.* S. Cyrillus hic exponit hæc verba: *Quorum remiseritis etc.* de prædicatione Evangelii; ergo.

*Resp. nego. ant.* S. Cyrillus hæc verba: *Quorum remiseritis etc.* non exponit de prædicatione Evangelii, sed ista: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*: scilicet ad prædicandum Evangelium.

*Inst.* 4. S. Cyrillus explicans hæc verba. *Quorum remiseritis peccata*, ait dupliciter remitti peccata, scilicet *Baptismo et Pœnitentia*; atqui in Baptismo peccata non remittuntur per judiciariam potestatem; ergo nec in Pœnitentia.

*Resp. ad majorem*; Utrumque verum est, sed utrumque non est ad mentem Christi hoc loco; Christus enim loquitur proprie de tribunali Pœnitentiæ; Cyrillus vero sententiam Christi extendit ulterius scilicet ad Baptismum, quæ extensio non præjudicat veritati fidei, quam exponunt alii Patres & Conc. Trid. locis jam citatis.

*Objicies* 2. S. Hieronymus exponens hunc textum (*Comment. in cap.* 16. *Matthæi*) *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ait: *apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur*: ergo non est in potestate Sacerdotum solvendi vel ligandi quos voluerint, sed ad solum Deum illa pertinet.

*Resp. dist. conseq.* Non est in potestate Sacerdotum arbitraria nullisque legibus adstricta solvendi vel ligandi quos voluerint, *quasi pro arbitrio*, ait D. Hieronym. cit. *possent vel damnare innocentes, vel solvere noxios*, *conc. conseq.* non est in potestate ministeriali ac certis legibus adstricta, nempe ut eos tantum absolvant qui absolutione digni videntur, *nego conseq.* Addit enim Div. Hieronym. *peccatorum varietates audiendæ sunt ut Sacerdos sciat qui ligandus sit, quique solvendus.*

*Inst.* D. Hieron. in confirmationem suæ sententiæ adducit comparationem leprosorum veteris Legis qui jubebantur ut Sacerdotibus se ostenderent, non ut mundarentur, cum fuerunt mundati a Christo, sed ut mundati declararentur; ergo mens D. Hieron. est Sacerdotes novæ Legis non aliam habere potestatem, quam declarandi peccata esse remissa.

*Resp. nego conseq.* Comparatio enim illa claudicat, & in hunc solum finem adducitur a Div. Hieronymo ut probet Sacerdotibus incumbere munus probandi qui solvendi sunt aut ligandi, antequam ferant sententiam remissivam vel retentivam peccatorum; sicut munus imcumbebat Sacerdotibus Legis Mosaicæ probare utrum lepra sit mundata, vel non, antequam leprosos declararent a lepra mundatos, & sic restituerentur templo & convictui hominum.

*Urgebis*; saltem absolutio est mere declaratoria peccatorum illius qui cum contritione perfecta accedit ad tribunal Pœnitentiæ.

*Resp. nego illatum.* Rationem reddit Concilium Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 5.) quia in illa contritione includitur votum Sacramenti, sine quo *reconciliatio contritioni non est adscribenda.* Et ideo verba formæ, *Ego te absolvo*, tam ex Christi institutione quam ex Ecclesiæ, & ministri intentione significant effectum quem Sacramentum per se operatur, si aliunde nihil obstet. Unde, illa *non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronuntiat, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit.* Ut docet Catechismus Conc. Trident.

## CAPUT II.

### *De essentia et natura Pœnitentiæ.*

*Nota.* Cum essentiam metaphysicam Pœnitentiæ definitione supra tradita habeamus, hic de ejusdem essentia physica, materia scilicet & forma, agendum restat duplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Nota*: Duplex est Pœnitentiæ materia, una remota seu *circa quam*, altera proxima seu *ex qua.* Materia remota est objectum, circa quod occupatur efficacia Sacramenti Pœnitentiæ. Materia proxima sunt partes, ex quibus Sacramentum conficitur.

Constat apud omnes, materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ esse peccata post Baptismum commissa, sive ea sint mortalia, sive venialia, sive jam fuerint confessa sive non; cum hoc solo discrimine, quod peccata venialia & mortalia jam confessa, sint quidem materia sufficians Pœnitentiæ, cum sine distinctione Christus dixerit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. sed libera, cum ex Conc. Trid. *Taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possint* venialia, & mortalia jam confessa, sint remissa . . . mortalia vero nondum confessa, sint materia necessaria, hoc est, dimitti non possint, nisi aut per actualem Sacerdotalem absolutionem, aut saltem per illius votum, seu desiderium; cum idem Trid. ibidem declaret omnia peccata mortalia necessario in confessione esse declaranda ..... de una ergo materia proxima controvertitur, circa quam

*Nota* 2. Scotus (*In* 4. *dist.* 14. *q.* 4. *& dist.* 16. *q.* 1.) docet tres actus pœnitentis non esse materiam proximam, seu partes intrinsecas hujus Sacramenti, sed esse duntaxat dispositiones necessario prærequisitas ad illius effectum: contenditque totam rationem Sacramenti repositam esse in sola Sacerdotis absolutione, quæ quatenus est sonus quidam sensibilis, est materia Sacramenti; quatenus vero significat peccatorum remissionem, est ejusdem forma. Scotistis adhæret Maldonatus.

Durandus (*in* 4. *dist.* 16. *q.* 1.) docet, contritionem non esse partem essentialem hujus Sacramenti, eo quod non sit sensibilis.

Communis Div. Thomæ & aliorum sententia assignat tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem, pro materia


ria

ria proxima Pœnitentiæ cum hoc discrimine quod contritio & confessio sint materia essentialis, & satisfactio sit tantum integralis, cum quibus

## CONCLUSIO I.

*Tres actus pœnitentis, & nullatenus absolutio, sunt materia proxima Pœnitentiæ, seu partes ex quibus componitur.*

*Prob.* 1. *pars*: Ex Concilio Flor. in decreto dicente: *Quartum Sacramentum est Pœnitentiæ, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes.*

*Prob.* 2. Ex Trid. sess. 14. can. 4. definiente: *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem & satisfactionem ... anathema sit.*

Nec te moveat particula *quasi*, qua utitur Concilium, nam *hi actus*, inquit Catechismus Romanus (*De Sacram. Pœnit. n.* 17.) *quasi materia a sancta Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, chrisma in confirmatione.*

*Prob.* 3. *ratione*: Quod componit totum, est intrinsecum toti; atqui actus pœnitentis componunt Sacramentum Pœnitentiæ, cum ex Trident. sint *partes Pœnitentiæ*; ergo.

*Respondent* Scotistæ, actus pœnitentis dicuntur *partes Pœnitentiæ*, quia requiruntur ad effectum Sacramenti percipiendum; sed

*Contra est*, Nam actus fidei, spei & charitatis saltem inchoatæ requiritur ad effectum Baptismi recipiendum; ergo pari jure possent dici partes Baptismi, quod est falsum.

*Prob.* 2. *pars*: quia juxta Concilia Flor. & Trid. forma & materia Sacramenti a se invicem distinguuntur; atqui absolutio est forma Pœnitentiæ; ergo non est materia, nequidem, ut ait Scotus, qua parte est sensibilis, cum in Sacramentis tam forma quam materia debeat esse sensibilis; ergo ratio formæ consistit duntaxat in verbis absolutionis, quatenus sensibiliter proferuntur; non igitur eo respectu absolutio potest habere rationem materiæ.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) docet actus pœnitentis esse dispositiones ad percipiendum cum fructu Sacramentum Pœnitentiæ; ergo non sunt materia hujus Sacramenti.

*Resp. nego conseq.* Actus enim pœnitentis sunt dispositiones simul & materia Sacramenti; nam quatenus præcise spectantur prout a pœnitente seipsum ad Sacramentum præparante, procedunt, sunt dispositiones præviæ ad effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum; sed quatenus spectantur prout a Sacerdote per potestatem clavium evehuntur ad Sacramentum constituendum, ejusque effectum mediante absolutione producendum, sunt partes intrinsece componentes Sacramentum Pœnitentiæ.

*Inst.* Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens erit minister, saltem partialis Pœnitentiæ; falsum consequens; ergo.

*Prob. sequel.* Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens subministrabit materiam Sacramenti; ergo erit minister.

*Resp. dist. ant.* Pœnitens subministrabit materiam, & simul evehet ipsam ad esse sacramentale, *nego ant.* & non evehet ipsam ad esse sacramentale, *conc. ant. et nego conseq.* Porro ille solus est minister Sacramenti, qui materiam evehit ad esse sacramentale per applicationem formæ ad materiam, quod solus præstat Sacerdos.

*Inst.* 2. In aliis Sacramentis materia proxima est actus ministri proprius, v. g. ablutio in Baptismo, ergo in Sacramento Pœnitentiæ debet quoque esse actus ministri.

*Resp. dist. ant.* In aliis Sacramentis, in quibus materia remota est applicanda ad subjectum Sacramenti, ut aqua quæ in Baptismo applicatur baptizando, *conc. ant.* in aliis, *nego ant.* Porro in Sacramento Pœnitentiæ nulla est materia remota quæ debeat ad subjectum applicari, cum potius debeat expelli a subjecto, & destrui.

*Objicies* 2. Materia Sacramenti debet esse sensibilis: sed contritio non est sensibilis; ergo.

*Resp. dist. maj.* Materia debet esse sensibilis vel per se, vel per aliud, *conc. maj.* per se semper, *nego maj.* Contritio autem sensibilis est vel per confessionem, vel per actum ejus exterius prolatum.

*Objicies* 3. Id non est materia Sacramenti, sine quo validum est Sacramentum; atqui Sacramentum moribundi confiteri non valentis est validum absque confessione; ergo.

*Resp. dist. min.* Sine confessione actuali & explicita, *conc. min.* sine confessione virtuali saltem & implicita, *nego min.* nam in tali casu semper est confessio virtualis inclusa in petitione Confessarii, vel etiam, ut multi volunt, in vita christiane peracta, sed de hoc argumento infra.

## CONCLUSIO II.

*Contritio et Confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, satisfactio vero est pars integralis.*

*Prob.* 1. *pars*: Illæ partes sunt essentiales Sacramenti, sine quibus stare non potest Sacramentum; atqui sine contritione & confessione non potest stare Sacramentum Pœnitentiæ, ut probabitur dum agemus de ipsis; ergo.

*Hinc* sequitur, Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse validum simul & informe, quia omnia quæ requiruntur, sufficiunt etiam ad gratiam sanctificantem producendum ergo.

*Dices*: cætera Sacramenta possunt esse simul valida & informia; ergo & Sacramentum Pœnitentiæ.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod in aliis Sacramentis dispositio subjecti necessaria ad producendam gratiam, non sit pars essentialis Sacramenti, ac proinde Sacramentum possit habere totam suam essentiam absque productione gratiæ sanctificantis, quæ non confertur sine dispositione subjecti. At in Sacramento Pœnitentiæ contritio necessaria ad gratiam sanctificantem recipiendam,

est

est simul subjecti dispositio & essentialis pars Sacramenti: ac proinde non potest esse validum, quin producat gratiam, & sit formatum.

*Prob. 2. pars.* Ea pars est tantum integralis, sine qua ponitur essentialiter Sacramentum, & ejus primarius effectus, nempe justificatio; atqui talis est satisfactio respectu Sacramenti Pœnitentiæ; valet enim sine illa absolutio data peccatori contrito & confesso; ergo, &c. tamen *satisfactio in voto*, seu *propositum satisfaciendi*, cum necessario saltem implicite includatur in contritione, est pars essentialis Sacramenti; unde dixi in conclusione *actualis*.

*Dices*: Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii vindicativi; ergo satisfactio est pars essentialis.

*Resp. dist. ant.* Est institutum per modum judicii vindicativi secundario, *conc. ant.* primario, *nego ant.* Itaque Sacramentum Pœnitentiæ primario & essentialiter est judicium reconciliativum; secundario & integraliter est judicium vindicativum; unde sequitur satisfactionem esse partem integralem, non essentialem.

*Inst.* 1. Ex Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 8.) *Debent Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere.* Ergo pars necessaria & essentialis.

*Resp. nego conseq.* Sacerdotes enim tenentur imponere satisfactiones, quia tenentur facere Sacramentum integrum.

*Inst.* 2. In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem, nisi prius expleta satisfactione; ergo satisfactio censebatur pars essentialis.

*Resp. dist. ant.* In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem omnium peccatorum, nisi prius expleta satisfactione, *nego ant.* peccatorum graviorum publicorum, *subdist.* extra vitæ periculum, tempus persecutionis, &c. *conc. ant.* in illis temporibus, *nego ant.* & *conseq.* Ex quo patet in Ecclesia satisfactionem semper habitam fuisse ut partem duntaxat integralem: alias Ecclesia his in casibus violasset institutionem Christi, quod nemo sanæ mentis dixerit.

## QUÆSTIO II.

*De forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Nota*: Tria hic quæri possunt, *primum*, an forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis: *secundum*, an necessario debeat esse indicativa: *tertium*, quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis.

### ARTICULUS I.

*An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis?*

### CONCLUSIO.

*Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis humana voce prolatis.*

*Prob.* Ex Conciliis, Florentino dicente (*in decreto pro Armenis*) *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit:* Ego te absolvo, &c. & Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 3.) dicente: *Docet Sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam ..... in illis ministri verbis positam esse*, Ego te absolvo, &c. Ergo forma Sacramenti Pœnitentiæ debet essentialiter constare verbis humana voce prolatis, cum ipsa consistat in *verbis* quæ Sacerdos *profert* cum *dicit*, Ego te absolvo.

Unde jure merito Clemens VIII. (*Bulla sanctissimus Dominus*, *data ann.* 1602.) hanc propositionem, *Licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; damnavit ut falsam, temerariam & scandalosam, ac prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipsam edoceri, aut ea in praxi uti.

*Dices*: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii; at judicium non exigit essentialiter ut sententia verbis proferatur; ergo.

*Resp. dist. maj.* Est institutum per modum judicii divini in foro interno, *conc. maj.* humani vel in foro externo, *nego maj.* & sic ad minorem.

*Itaque* sententia in foro externo lata potest vel verbis, vel scripto, vel nutibus proferri; at ex perpetua traditione, & Conciliorum definitione constat sententiam in foro interno debere verbis proferri; multum enim discrepat judicium fori interni a judicio fori externi; primum enim est in solutionem rei institutum; secundum est in ejus condemnationem; primum est voluntarium; secundum est contentiosum & necessarium. In primo idem est reus & accusator; in secundo sunt diversi, &c.

*Inst.* Matrimonium potest scripto vel nutibus celebrari; ergo & Pœnitentia.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Christus instituendo matrimonium, novum ritum non instituit, sed unice contractum humanum ad rationem Sacramenti elevavit, cum autem contractus humanus ante suam ad rationem Sacramenti elevationem verbis, scripto, vel nutu celebratus, fuerit validus; ergo, & post suam ad rationem Sacramenti elevationem; econtra instituendo Sacramentum Pœnitentiæ novum ritum instituit, quem voluit administrari per verba proprie dicta & ore prolata.

### ARTICULUS II.

*Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria, vel indicativa esse debeat?*

*Nota*: Morinus (*L.* 8. *de Pœnit. cap.* 8. *et seq.*) quem sequuntur aliqui recentiores, docet formam Pœnitentiæ esse quidem actum judicialem, sed quæ differenter potest exprimi verbis deprecatoriis vel indicativis, prout Ecclesiæ placuerit eam determinare, cui Christus reliquit determinandum; immo docet XII. prioribus sæculis deprecatoriam fuisse in Ecclesia Latina, & nunc quoque deprecatoriam esse in Ecclesia Græca, contra torrentem doctorum qui docent formam Pœnitentiæ debere absolute esse indicativam; immo Div. Thomas (*opusc.* 22. *cap.* 1.) contendit contrariam opinionem esse temerariam, præsumptuosam & erro-

troneam, *quia*, inquit, *repugnat Evangelicis dictis.* Itaque

CONCLUSIO.

*Forma sacramentalis absolutionis ex institutione Christi debet esse indicativa; ita ut nec unquam fuerit, nec possit esse deprecativa.*

*Prob.* 1. Argumento quod D. Thom. (3. *p. q.* 84. *art.* 3. *sed contra est.*) deducit ex verbis Christi. *Sed contra est*, inquit, *quod sicut Dominus dixit discipulis* (*Matth. ult. v.* 19.) euntes docete omnes gentes baptizantes eos; *ita dixit Petro* (*Matth.* 6. *v.* 10.) quodcumque solveris super terram; *sed Sacerdos auctoritate illorum verborum Christi fretus dicit*, ego te baptizo: *ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc Sacramento*, ego te absolvo. Ego forma ex institutione Christi est indicativa.

*Prob.* 2. Definitum est a Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 6.) absolutionem Sacerdotis esse *ad instar actus judicialis*, quo ab ipso velut a Judice sententia pronuntiatur; atqui actus judicialis sensum deprecativum habere non potest; ergo nec absolutio; quis enim potest dicere hanc formam, *Deum supplex rogo ut condonet peccata tua*, esse sententiam judicis?

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Natura actus judicialis ex se & necessario non exigit praesertim in ministro Poenitentiae, ut modo absoluto & indicativo exprimatur; ergo modus deprecatorius est sufficiens & validus.

*Prob. ant.* Sacerdos non propria neque suprema, sed precaria & ministeriali auctoritate judicium exercet in tribunali Poenitentiae; ergo natura actus judicialis non exigit modum indicativum.

*Resp. nego conseq.* Nam Judex a Principe saeculi constitutus, non propria, neque suprema, sed precaria & ministeriali auctoritate judicium exercet, & tamen ejus sententia necessario exigit modum indicativum.

*Prob. conseq.* In pronuncianda absolutione ab excommunicatione, actus judicii pariter exercetur; atqui consentiunt omnes posse illam aliis quam indicativis verbis pronunciari; ergo.

*Resp. dist. min.* Constat apud omnes absolutionem ab excommunicatione aliis quam indicativis verbis pronunciari, quando datur per modum concessionis, *conc. min.* quando datur per modum actus judicialis, *nego min.* Itaque aliquando absolutio ab excommunicatione datur per modum concessionis, & ideo potest valide dari quibuslibet verbis, immo nutibus, signis, & scriptura, consensum internum sufficienter exprimentibus; quod nemo dixerit de absolutione a peccatis, quae cum sit essentialiter actus judicialis, non potest nisi verbis & quidem indicativis dari.

*Inst.* Sicut Christus dedit potestatem Apostolis absolvendi a peccatis, ita etiam dedit eis potestatem ejiciendi daemonia, infirmitates curandi, &c. (*Matth.* 10. *Lucae* 10.) atqui sanando infirmos Apostoli non utebantur forma indicativa, sed deprecativa, *sanet te Dominus Jesus Christus:* ait Petrus Paralytico (*Act.* 9. *v.* 34.); ergo nec absolvendo a peccatis.

*Resp. nego maj.* Cum D. Thom. dicente (3. *p. q.* 84. *art.* 3. *ad* 4.): *Quod Apostolis non est data potestas ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationes infirmi sanarentur: est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter & ministerialiter in Sacramentis, & ideo magis possunt in formis Sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmorum.*

*Objicies* 2. Christus non determinavit an forma absolutionis debeat esse absoluta vel deprecativa, sed hanc determinationem faciendam reliquit Ecclesiae; ergo alterutram potuit eligere Ecclesia.

*Resp. nego ant.* Christus enim instituit ut Sacerdos verbis exprimeret se remittere peccata, non vero praecise peccata a Deo remitti: ita docet Div. Thom. opusc. 22. dicens: *In Sacramentis verba efficaciam habent ex institutione divina: unde tenenda sunt verba determinata, consonantia divinae institutioni. Institutioni autem dicentis, quodcumque solveris, &c. haec verba conveniunt*, ergo absolvo te, *ac propterea tenenda sunt.*

*Prob. ant.* Ecclesia Latina adhibuit formam deprecativam usque ad XII. saeculum, quam etiam hodie Ecclesia Graeca adhibet; ergo Ecclesia intellexit neutram a Christo fuisse determinatam; nam si intellexisset alterutram a Christo fuisse determinatam, eam haud dubie summa religione retinuisset. *Resp. nego ant.*

*Prob.* 1. *pars anteced.* (2. enim probabitur in objectione sequenti); *Prob.*, inquam, ex antiquis poenitentialibus & ritualibus manuscriptis, in quibus nulla forma indicativa reperitur, sed solum orationes quibus Deus deprecabatur ut indulgeret poenitentibus; ergo tunc forma erat deprecativa.

*Resp. nego conseq.* Tum quia nullius est momenti illa probatio negativa contra expressam clavium concessionem a Christo factam Ecclesiae: ut docet Div. Tom. opusc. 22. cit. Dicendum, inquit, *quod nec magister* (sententiarum) *formam posuit, nec legitur alia forma, qua sanctorum aliquis usus fuerit, sicut nec etiam legitur, quod aliquis hanc formam negaverit. Legitur autem quod ipse institutor Sacramenti dixit:* quodcumque solveris, *quod est majus omni auctoritate.* Tum quia prioribus saeculis formae Sacramentorum & alia mysteria non scripto, sed viva voce tradebantur, ne Ethnicis aut Judaeis facile innotescerent, & ab iis contemnerentur aut irriderentur. Hanc solutionem admittere debet Tournely hic nobis contrarius, qui (*q.* 2. *de Sacramentis art.* 1.) rationem reddens cur apud veteres non reperiatur septenarius numerus Sacramentorum, ait: *De Sacramentis parce omnino veteres in suis scriptis tractabant ob reverentiam silentii circa mysteria servandi, ne forte a Paganis vel Judaeis irriderentur.*

*Inst.* 1. Sancti Patres, qui ante saeculum XII. floruerunt, affirmant poenitentes per orationes Sacerdotum absolvi; ergo forma deprecatoria usa est Ecclesia.

*Resp. nego conseq.* Nam sic locuti sunt Patres, non ut formam deprecativam significarent, sed primo quia per tò *oratio* totum poenitentiae ritum comprehendunt; cui merito adscribunt remissionem peccatorum, non quod oratio eam efficiendi vim habeat, sed quia materia & forma, quae de se hanc virtutem habent, moraliter est unita, & sic

ad

ad ejus productionem aliqualiter concurrit; ita intelligendus est S. Leo (*Epist.* 91. *c.* 2. *& refertur c. multiplex, dist. de pœnit.*) cum dicit: *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacordotum, nequit obtineri.*

2. Ut significarent Sacramentorum ministros esse tantum causam instrumentalem, Deum vero solam causam principalem gratiæ & remissionis peccatorum; ita intelligendus est Div. Ambros. (*L.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 18.) cum ait: *Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis excercent: neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur, isti rogant, divinitas donat.*

3. Quia per orationem & supplicationes intelligunt formas Sacramentorum quatenus habent vim impetrandi a Deo gratiam peccati remissivam, sic enim sunt implicita invocatio divinæ virtutis; hoc sensu illud D. Ambrosii intelligendum est: *isti rogant, divinitas rogat.* Hinc forma Baptismi & Eucharistiæ a D. Aug. (*L.* 5. *de Bapt. cap.* 20.) dicuntur deprecatio.

*Inst.* 2. Guillelmus Parisiensis qui vivebat anno 1230. ait (*cap.* 19. *de Sacram. pœnit.*). *Non more Judicum forinsecorum pronunciat Confessor, absolvimus te, non condemnamus; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat*, Ita etiam sensit Hugo Cardinalis; ergo &c.

*Resp. dist.* Sic loquitur ut rejiciat formam indicativam, *nego*: ut astruat Sacerdotum non virtute propria & auctoritate humana, sed auctoritate a Deo accepta, & virtute Dei ut causæ principalis remittere peccata, *conc.* unde *nego conseq.*

*Objicies* 3. Valuit & etiamnum valet apud Græcos forma absolutionis verbis deprecativis expressa; ergo, &c.

*Prob. ant.* Quia in Euchologiis Græcorum veteribus & recentioribus non alia reperitur, quam deprecatoria absolutionis forma; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Ratio est, quia prima Græcorum Euchologia condita fuere eo tempore, quo Sacramentorum formæ sine urgenti necessitate scripto non mandabantur, sed solum viva voce solis ministris tradebantur; in recentioribus vero Euchologiis hæc forma, *habet te venia donatum*, reperitur; teste Arcudio peritissimo Græco (*l.* 4. *de Pœnit. cap.* 5.): hæc autem forma in praxi Græca eadem est ac ista; *absolvo te a peccatis tuis*, &c.

*Inst.* Clemens VIII. in instructione super ritibus Græcorum ann. 1595. edita ait: *In causa necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concil. Florent. præscripta; & postea si voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt.* Ex quo duo sequuntur: *primum*, Græcos formam tantum deprecativam usurpare consuevisse; *secundum*, Græcos valide absolvi a Græcis per solam formam deprecatoriam.

*Respond.* 1. *dist. partem conseq.* Ex Clem. VII. sequitur Græcos aliquos formam tantum deprecatoriam usurpasse, *conc.* omnes, *nego.* Itaque teste Arcudio major pars Græcorum ex ignorantia formam tantum deprecativam adhibebant, quos instruens Clem. VII. ipsis prohibet ne id in posterum faciant, relicta libertate suam orationem, *si voluerint*, addendi formæ indicativæ; per quod summus Pontifex mentem suam sufficienter declarat, absolutionem deprecativam esse invalidam, alias hanc libertatem non reliquisset, cum non liceat bis proferre formam supra eandem materiam.

*Prob.* 2. *nego* 2. *partem conseq.* Nam summus Pontifex absolute loquitur dicens: *Utantur forma*, &c. non vero dicit: cum absolvunt Latinos.

*Objicies* 4. Si forma absolutionis deberet esse indicativa, sequeretur ipsam esse falsam dum proferretur in peccata jam remissa.

*Resp. nego sequel. maj.* Quia remissionis confirmatio vera semper est remissio, eo sano ac vero sensu quo a Theologis dicitur conservationem esse continuam creationem.

*Inst.* 1. Quod jam datum est, iterum dari non potest; atqui peccato jam remisso, venia jam data est; ergo, &c.

*Respond. dist. maj.* Iterum dari non potest alteri, *conc. maj.* eidem, *nego maj.* & sic ad consequens; nonne nosmetipsos quotidie Deo offerimus, quis audeat dicere illam oblationem non esse veram & Deo gratam?

*Inst.* 2. Vincula soluta iterum solvi nequeunt; atqui per primam absolutionem vincula peccatorum soluta sunt; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Vincula physica, quæ physicam actionem supponunt, *conc. maj.* vincula moralia, quorum solutio se habet per modum condonationis, *nego maj.*

*Instab.* 3. Peccatum remissum se habet tamquam nullatenus fuisset commissum; sed peccatum non commissum, non est remissionis objectum; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam peccatum remissum vere est commissum, & propitiato peccato cum non debeamus esse sine metu, ideo semper de ipso dolere possumus, & remissionem obtinere.

## ARTICULUS III.

*Quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis?*

### CONCLUSIO.

*Verba sequentia*, Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *sunt necessaria necessitate præcepti; verum sola ista* Absolvo te, *sunt de necessitate Sacramenti.*

*Prima pars* constat ex usu Ecclesiæ vim legis habente; ita ut qui contra illum usum aliqua verba detraheret, vel adderet, regulariter loquendo graviter peccaret.

*Prob.* 2. *pars:* Illa sola verba sunt de necessitate Sacramenti quæ exprimunt ministrum, subjectum, & effectum Sacramenti primarium, nempe reconciliationem; sed hæc verba: *absolvo te:* illa tria exprimunt; ergo. Namque 1. Pronomen *ego* includitur in verbo *absolvo*; 2. Confessio peccatorum quæ præcessit, sufficienter determinat verbum *absolvo*, ad significandam absolutionem a peccatis. 3. Ista verba: *in nomine Patris*, &c. non sunt a Christo instituente hoc Sacramentum, addita, sic ut in Baptismo; ergo.

 *Dices:*

*Dices*: Concil. Florent. hanc formam assignando hæc verba: *a peccatis tuis:* profert; ergo sunt essentialia.

*Resp. nego conseq.* Inde sequitur tantum quod sint necessaria ex præcepto Ecclesiæ ut magis expressiva remissionis peccatorum; alias ista verba; *in nomine Patris*, &c. essent etiam essentialia, cum & illa profert Conc. Flor. quod est contra sententiam omnium Theologorum.

## CAPUT III.

### *De prima parte Pœnitentiæ, seu de Contritione.*

*Nota*: Duplex e Concilio Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) distinguitur contritio, nempe *perfecta*, quæ justificat ante actualem Sacramenti perceptionem; & *imperfecta*, quæ dicitur *attritio*, nec justificat sine Sacramento. Hinc ut ordine in hac tanti momenti materia procedamus, agemus 1. De Contritione universim sumpta, prout abstrahit a perfecta vel imperfecta: 2. De contritione perfecta; 3. De imperfecta: tribus quæstionibus.

## QUÆSTIO I.

### *De Contritione universim sumpta.*

*Nota:* Cum nullæ vel leves de contritione universim, sumpta inter Theologos exurgant controversiæ, ideo quæ ad hanc materiam spectant variis quæstiunculis dirimemus: itaque

Quæres 1. *Quid sit contritio?*

*Resp.* Cum Concilio Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 1.) *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito, non peccandi de cætero.* Cui definitioni addi debent hæc verba: *& voto confitendi & satisfaciendi*: ut habeatur definitio contritionis prout Legis evangelicæ est propria.

Dicitur 1. *Animi dolor*: id est tristitia voluntatis, peccatum tamquam malum præsens aversantis, & illud expellere conantis: qui cum Ezechia apud Isai. 38. dicere debet: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Porro: Quamvis contritionis dolor sit voluntatis & non appetitus sensitivi, tamen propter sympathiam appetitus rationalis cum sensitivo, sæpe ex illo in hunc redundat, & gemitibus ac lacrymis exprimitur, estque laudabilis, non tamen necessarius, tum quia ille dolor sensitivus non est semper in potestate pœnitentis, tum quia sine eo potest subsistere perfecta contritio in voluntate, tum denique quia potest esse sine detestatione peccati.

Dicitur 2. *Ac detestatio:* id est displicentia & odium peccati, ut interpretatur Concilium Tridentinum ibidem dicens: *contritionem veteris vitæ odium continere.*

Dicitur 3. *De peccato commisso*: quatenus nimirum est offensa Dei, & est motivum doloris & detestationis de peccato.

Dicitur 4. *Cum proposito non peccandi de cætero;* quod propositum necessario requiritur ad contritionem; quia sincera contritio & pœnitentia debet excludere omnem affectum ad peccatum; sed qui non haberet propositum non peccandi de cætero, peccati affectum non deposuisset; ergo.

Dicitur 5. *Et voto confitendi & satisfaciendi*: quia contritio non valet nisi in ordine ad Sacramentum, ut dicitur infra.

Quæres 2. *Quale debeat esse in contritione propositum non peccandi de cetero? An requiritur formale & explicitum, vel an virtuale & implicitum, quale includitur in dolore & detestatione, sufficiat?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem disputant Theologi, longe verior nobis videtur sententia eorum qui propositum formale & explicitum desiderant.

*Prob. responsio:* Tum quia de illo proposito expressam mentionem facit Scriptura Ezechielis 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Tum quia Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) postquam definivit contritionem, addit: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Ergo contritio eodem modo continet propositum novæ vitæ ac veteris odium; atqui continet veteris odium formale & explicitum: ergo & propositum formale & explicitum non peccandi de cætero.

*Dices* 1. Dolor ac detestatio de peccato includunt virtuale propositum non peccandi; ergo non requiritur aliud propositum formale.

*Resp. nego conseq.* Alioqui hæc verba, *cum proposito non peccandi*, essent superflua.

*Dices* 2. Interdum absolvi debet pœnitens moribundus qui signum doloris dumtaxat præbuit, quamvis nullum signum propositi formalis ostenderit; ergo propositum formale non est essentiale contritioni.

*Resp.* 1. *nego ant.* Quia tunc ex signo dato prudenter præsumitur tam propositum formale, quam & ipse dolor.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Tum quia adversa sententia est probabilis; tum quia in articulo mortis possumus uti materia dubia.

Quæres 3. *Qualis debeat esse contritio universim sumpta, ut sit materia Sacramenti Pœnitentiæ?*

*Resp.* Debet esse vera & realis; formalis & expressa supernaturalis, universalis, ac summa.

1. Debet esse *vera & realis*, quia est pars Sacramentis Pœnitentiæ; at pars Sacramenti veri & realis, debet esse vera & realis; ergo. Ideo Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. de vera & reali contritione disserens definit, eam quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam remissionem peccatorum: *fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.*

Hinc qui accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum ficta contritione (quamquam eam veram existimaret) non perciperet Sacramentum, sicut nullum foret Baptisma in vino collatum, etsi vinum existimaretur aqua; nam vinum existimatum aqua, non est aqua, sic nec contritio existimata, est contritio.

Quæres 4. *Quænam sint indicia, quibus cognosci possit veritas & sinceritas contritionis?*

Resp.

*Resp.* Sex assignantur a Theologis.

1. Est fuga occasionum peccandi: nam, ut ait D. Bernardus serm. de Paschate, *veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, substractio occasionis.*

2. Est frequens de Deo cogitatio, juxta illud D. Bonaventuræ, serm. 2. de Beata Maria Magdalena. *Vis scire si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo amas? Attende si de Deo plus, quam de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas.* Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est.

3. Est desiderium ardens quærendi Deum, cum eum peccatis nostris amisimus. *Vis amoris*, inquit D. Greg. Homil. 25. in Evang. *intensionem multiplicat inquisitionis.*

4. Est studium bonorum operum, juxta illud D. August. in Psalm. 36. *Quid enim facit dilectio?* Declina a malo & fac bonum.

5. Est vindicta peccati: ordo enim justitiæ postulat, ut peccatum puniatur vel ab homine pœnitente, vel a Deo vindicante.

6. Est constantia & perseverantia in fuga peccati & observatione divinorum mandatorum: *Si quis diliget me*, inquit Christus Joann. 14., *sermonem meum servabit.*

Illa igitur veræ conversionis signa sedulo explorare debet Confessarius, ne peccatori velleitates seu inefficacia conversionis desideria, pro vera conversione accipiat.

II. Contritio debet esse *formalis et expressa:* ratio est, quia est pars Sacramenti; pars autem Sacramenti debet formaliter & in se adesse; ergo.

Hinc quamvis contritio virtualis in actu charitatis perfectæ consistens, per accidens ad justificationem sufficiat extra Sacramentum, tamen ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ semper necessario requiritur contritio formalis, cum sit pars essentialis illius materiæ.

III. Debet esse *supernaturalis*, tum ex parte auxilii, tum ex parte motivi, id est, debet elici per auxilium gratiæ, & ex motivo per fidem proposito. *Ratio primi* est, quia nemo potest solis naturæ viribus ad gratiam justificationis se disponere. Concil. Trid. ( *Sess.* 6. *can.* 3. ) definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem .:. pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

*Ratio secundi* est, quia actio moralis speciem suam præsertim ex motivo sumit; ergo ut contritio sit supernaturalis, motivum ejus esse supernaturale necesse est: hinc merito Clerus Gallic. ann. 1700. hanc propositionem damnavit ut hæreticam: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam:* eandem jam damnaverat Innoc. XI.

*Resolves.* Nullum fore Sacramentum, si contritio non sit supernaturalis, etiamsi pœnitens probabiliter judicet, eam esse supernaturalem; nam cum partes Sacramenti sint necessariæ ex institutione divina, si non sint tales, quales Christus eas esse voluit, nihil omnino a Ministro conficitur; nam se habet Deus respectu peccatoris, sicut se habet creditor respectu debitoris; ergo quemadmodum creditor non remittit debitum homini, qui pro vero auro, quod debeat, præberet aurichalcum, quantumvis crederet esse verum aurum; ergo nec Deus remittit peccatum reo, qui pro actu supernaturali, qui exigitur, naturalem tantum elicit, licet eum esse supernaturalem existimet.

IV. Debet esse *universalis* ita ut ad omnia peccata mortalia generatim sese extendat, & nullum prorsus excludat, juxta illud ( *Ezechiel.* 18. ): *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... vita vivet*: ratio est quia unum mortale non potest remitti sine aliis omnibus; atqui ut contritio valeat ad remissionem omnium mortalium, debet saltem generatim ad omnia se extendere; ergo.

Dixi: *Generatim*: quia non est necesse ut se extendat ad omnia peccata mortalia speciatim, id est ut tot sint numero contritionis actus, quot sunt numero peccata; unica enim sufficit contritio, quæ ad omnia peccata commissa se extendat.

V. Debet esse *summa* non quidem intensive, sed appretiative.

Contritio *intensive summa*, est ea, qua quis, summo voluntatis ardore detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei; hinc *intentio* spectat gradum actus subjecti elicientis contritionem.

Contritio *appretiative summa*, est ea, qua quis de peccato commisso longe magis æstimative dolet quam de quovis alio malo & damno, ita ut mallet potius rerum omnium pati dispendium, quam Deum offendere; hinc appretiatio spectat objectum quod pluris fit omnibus rebus, & motivum propter quod pluris æstimatur. His positis.

*Prob.* 1. *pars responsionis:* Tum quia intensio gradus non est in potestate hominis, & scripturæ testimonia exponi recte possunt *de totalitate integritatis & perfectionis, non vero de totalitate gradualis intensionis*, ut ait Melchior Canus ( *De pœnit. part.* 3.). Tum quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis: atqui objectum sensibile naturaliter vehementius movet & afficit voluntatem, quam objectum intelligibile aut spirituale; ergo dolor qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest eo qui concipitur propter offensam Dei, etiamsi peccatum magis detestetur homo, modo appretiativo; sic pater potest intensive magis dolere de mortuo filio, & tamen simul magis appretiative dolere de Deo offenso.

*Dices:* Perfectius est intensive dolere de peccato, quam appretiative; ergo contritio debet esse intensive summa.

*Resp. nego ant.* Nam intensio actus oritur a sensibus & imaginatione; appretiatio autem ex judicio rationis quo unum judicatur esse majus malum quam aliud, ex detestatione voluntatis procedit, quod est perfectius.

*Prob.* 2. *pars resp.* Contritionem esse appretiative summam, est ipsum detestari peccatum super omnia alia mala; atqui pœnitens debet peccatum cum sit summum malum, detestari super omnia alia mala; ergo contritio debet esse appretiative summa: hinc dicitur Joel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro;* scilicet totalitate appretiationis.

Quæ-

Quæres 4. *An ad contritionem requiratur certa temporis mensura?*

*Resp. negative:* Quia potest Deus in instanti hominem quantumvis induratum ad se convertere juxta illud (*Ezechiel.* 33. *vers.* 12): *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit*, unde Div. August. (*Enchiridii cap.* 65.) ait: *In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.*

Fatendum tamen est, longiore temporis mora opus esse ut quis e cœno graviorum peccatorum ex malitia & consuetudine commissorum, ita statim emergat, ut ad sufficientem cordis conversionem & proinde ad veram contritionem perveniat. Hinc

*Sequitur* 1. Pœnitentiam non esse ad extremam usque vitam protrahendam, juxta seriam SS. Patrum monitionem.

*Sequitur* 2. Cum peccatoribus inveteratis, cum diligentiori examine, diuturniorique probatione esse agendum, scriptum est enim Eccl. 2. *Perversi difficile corriguntur.*

Quæres 5. *Utrum contritio debeat elici ante confessionem?*

*Resp.* Id esse consultissimum, sed minime necessarium, quia contritio confessionem subsequens, & ante absolutionem elicita confessionem ita afficit ut simul unum morale efficiant.

Quæres 6. *Utrum contritio debeat moraliter perdurare, dum absolutio datur?*

*Prob.* Debet perdurare, vel in se, vel in sua virtute, alioqui contritio non faceret unum moraliter cum absolutione.

Quæres 7. *Utrum quoties datur nova absolutio, toties requiratur nova contritio?*

*Resp.* In praxi requiritur, tum quia opposita sententia non est certa; tum quia fit novum Sacramentum numero distinctum a priori; ergo requiritur nova materia.

*Hinc* Si quis immediate post absolutionem acceptam alicujus peccati mortalis recordaretur, non posset ab eo absolvi, quin prius novum actum contritionis de eo elicuisset.

Quæres 8. *An contritio de peccatis sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum mortalium?*

*Resp. Affirmative:* Ita enim definiit Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. *fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

*Prob.* Contritio tria complectitur. 1. Cessationem a peccatis, 2. Eorumdem odium & detestationem. 3. Vitæ novæ propositum atque inchoationem; atqui illa tria impio semper necessaria fuere necessitate medii ad justificationem; ergo, &c.

*Prob. min. prima pars:* Ex illo Isaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Quare Apostolus prius hortatur Romanos, ut abiiciant opera tenebrarum; deinde ut induantur arma lucis: *Abiiciamus ergo*, inquit, *opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Ergo impius qui Deo vult reconciliari, debet primum cessare a peccatis.

*Prob.* 2. *pars min.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet & non morietur;* ergo si eam non egerit, morietur: id aperte declarat Christus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis*, inquit, *omnes similiter peribitis.*

Quare D. Aug. *serm.* 352. ait: *Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* Ergo &c.

*Prob. tertia pars min.* Quia justificatio non tantum dicit aversionem a bono commutabili, sed etiam conversionem ad bonum incommutabile, juxta illud Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Atqui non potest esse conversio ad bonum incommutabile, absque novæ vitæ proposito & inchoatione; ergo &c. Hoc disertis verbis docet Deus, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam ... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor;* ergo, &c.

*Objicies:* Actus charitatis Dei super omnia, sufficit ad justificationem impii; ergo vitæ veteris odium non requiritur. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* reddit nos filios Dei, 1. Joann. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est:* ergo sufficit ad justificationem.

*Resp. dist conseq.* Sufficit conjuncta cum vitæ prioris odio, ad quod movet, *conc.* sufficit sola ac in se tantum considerata, *nego.* Nam Leo X. & Concil. Trident. Lutherum damnarunt quod doceret explicitum vitæ veteris odium & detestationem ad justificationem impii non requiri, contenderetque sufficere vitæ novæ propositum; ergo cum actus charitatis quantumcumque sit perfectus, explicitam illam detestationem non includat, non potest per se solum esse sufficiens ad justificationem impii dispositio.

*Inst.* Actus charitatis includit virtualiter præteritorum peccatorum detestationem; ergo per se solum est dispositio sufficiens ad justificationem impii.

*Resp. nego conseq.* Nam ad justificationem impii essentialiter requiritur explicitum vitæ veteris odium, ut docet Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) *& certe*, inquit, qui illos Sanctorum clamores consideraverit, tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *& alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Quæres 9. *Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium?*

*Resp.* Requiritur, saltem virtualis, ut docet Div. Aug. Epist. 48. *Ne unquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque, sive magno, sive parvo peccato ad correctionem sine Pœnitentia posse transire.* Ratio D. Thomæ 3. p. quæst. 87. art. 1. est: quia *sicut peccatum mortale remitti non potest quandiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa manet effectus.*

Dixi: *Saltem virtualis Contritio*: quia ut docet ibidem Div. Thomas, perfecti ri pœnitentia opus est ad mortalium remissionem, scilicet actuali detesta-

testatione omnium & singulorum: ad venialium vero remissionem sufficit & requiritur virtualis tantum displicentia, qua vir justus affectu tam fervido fertur in Deum, & res divinas, ut quidquid ipsi occurreret, quod eum ab hoc motu retraheret, doleat commisisse, etiamsi actu de hoc non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita, post diligentem inquisitionem. Tota illa resolutio est D. Thomæ.

*Objicies* 1. Ad remissionem venialium sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis; ergo non requiritur displicentia virtualis.

*Resp. nego ant.* cum D. Thom. Ratio est, *quia*, inquit, *sic charitas non compataretur peccatum veniale, quod patet esse falsum.*

*Objicies* 2. D. August. (*Lib.* 50. *Homil.* 28.) asserit peccata venialia dimitti per prolationem horum orationis dominicæ verborum, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Per prolationem horum verborum cum aliqua peccatorum præteritorum displicentia, ut supponit August. *conc.* absque tali displicentia, *nego.* Neque enim debito modo hæc petitio, *dimitte nobis*, &c. recitari potest nisi ab eo, qui peccatum suum quantumcumque leve sit, interius detestetur.

*Objicies* 3. Peccata venialia remitti possunt per usum Sacramentalium; ergo contritio, etiam virtualis, non est ad eorum remissionem absolute necessaria.

*Resp. nego ant.* Remittuntur mediate, *conc.* immediate *nego.* Itaque sacramentalia ad remissionem venialium concurrunt per modum impetrationis, quatenus Ecclesia per orationes, quibus ad sacramentalium consecrationem utitur, a Deo exposcit, ut iis qui sacramentalia adhibituri sunt, conferatur gratia actualis, quæ justos moveat ad venialium detestationem; sed sacramentalia non delent peccata venialia per se, quia cum non a Deo, sed ab Ecclesia fuerint instituta, non habent annexam promissionem gratiæ.

Quæres 10. *Utrum Contritio de peccatis sit præcepta, & quo jure?*

*Resp.* Est necessaria jure & præcepto divino, illudque præceptum traditur Ezechiel. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* ... Ratio est, quia quidquid est necessarium necessitate medii ad salutem, est quoque necessarium necessitate præcepti divini: Deus enim vult, ut omnibus mediis, sine quibus salus obtineri non potest, utamur; atqui, &c.

*Nota:* Quæ dicimus de necessitate & præcepto divino contritionis, eadem de necessitate & præcepto divino confessionis, dicta esse intelligas, ne ipsa cum fastidio refricare cogamur dum agemus de confessione; itaque

Quæres 11. *Quo tempore obliget divinum contritionis*, (idem quæritur de confessione) *præceptum?*

*Certum est* 1. Præceptum divinum contritionis obligare *per se*, 1. in probabili periculo mortis, quia vel nunquam obligat, quod asserere erroneum est, vel saltem obligat in articulo mortis, quia tunc præsertim tenetur quilibet saluti animæ suæ consulere: sine contritione vero & pœnitentia nemo lapsus potest salvari: ergo. 2. Aliquoties in vita, quia præcepta positiva & affirmativa non tantum obligant in extrema necessitate, sed etiam cum probabiliter judicatur eorum observatio necessaria; hinc præcepto Ecclesiæ quotannis semel facienda est confessio sacramentalis; an vero sæpius etiam in anno, & quoties? judicabit vir prudens & pius.

*Certum est* 2. Præceptum divinum contritionis obligare *per accidens*, quando urget præceptum alicujus Sacramenti vivorum percipiendi, ut per se patet.

*Certum est* 3. Optimam, & ab omnibus Confessariis suadendam praxim eorum qui peccatum detestantur, statim ac commissum fuit, juxta illud Eccl. cap. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, &c. Ratio est, quia peccator tenetur vitare periculum incidendi in novum peccatum: atqui ex Div. Gregor. (*L.* 25. *moral. cap.* 9.) *Peccatum quod Pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.*

Status ergo quæstionis disputatæ inter Theologos hæc est: an præceptum contritionis per se obliget sub peccato, statim ac peccatum commissum est: quæ ut solvatur, sit

## CONCLUSIO.

*Peccator statim a peccato commisso non tenetur sub peccato contritionis præcepto, sicut nec præcepto confessionis.*

*Prob. Resp.* 1. Quia præceptum resurgendi a peccato est affirmativum, cum aliquid præcipiat; atqui præcepta affirmativa non obligant pro omni omnino tempore; ergo. Hinc est quod ecclesiasticum confessionis præceptum, quod est determinatio præcepti divini quoad tempus, non obstringit nisi semel in anno.

2. Quia si novum committitur peccatum non conterendo statim a peccato commisso, homo toties peccaret & quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem, & eam non impleret; atqui hoc est contra communem sensum tum confitentium qui circumstantiam hanc in confessione declarare non assueverunt; tum Confessariorum, qui de hac circumstantia pœnitentes suos non interrogant; ergo, &c.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Dicit Scriptura (*Eccli.* 5. *v.* 8.). *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim Spiritus sanctus dat consilium, non præceptum.

*Inst.* 1. Sanctus Thomas (2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *in corp.*) ait: *Manifestum est quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere*; ergo ex D. Thom. est præceptum statim a peccato commisso conterendi.

*Resp.*

*Resp. dist. ant.* Quilibet tenetur peccatum perseverans statim deserere, *conc. ant.* peccatum non perseverans, *nego ant.* & *conseq.* Itaque D. Thom. loquitur de eo qui non restituit rem alienam, quique quamdiu non restituit domino, *impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei facit injuriam*: addit ibi rationem, quia *sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam*; unde sic concludit: *& ideo quilibet tenetur statim restituere si potest.*

*Inst.* 2. Atqui peccatum illius qui non statim conteritur, est perseverans; ergo nulla solutio.

*Prob. subsumpt.* Peccatum illius qui non statim restituit, est perseverans; ergo pariter, &c.

*Respond. nego conseq.* & paritatem. Disparitas est quod qui statim non restituit, transgreditur de novo præceptum non furandi, quo prohibetur subreptio & simul detentio rei alienæ; unde qui detinet rem alienam & non restituit quando potest, peccat; qui vero non conteritur statim, non facit contra præceptum, quia non præcipitur contritio pro omni tempore.

*Inst.* 3. Qui approbat peccatum, peccat; sed qui non vult detestari peccatum cum ut detestabile occurrit, illud saltem virtualiter approbat; ergo peccat.

*Resp. dist. min.* Qui non vult detestari peccatum positive quando ut detestabile occurrit, peccat, *conc. min.* qui non vult detestari peccatum negative, peccat, *nego min.* & sic distincto consequente, nego consequentiam.

Itaque nolle detestari peccatum positive, est velle peccatum perpetrare; nolle detestari negative, est se habere mere negative circa peccatum nec approbando, nec dolorem excitando; potest autem quis sic se habere erga peccatum cogitando, quod suo tempore velit pœnitere.

*Inst.* 4. Si filius mere negative se habeat circa veniam quam tenetur petere a parentibus injuriatis, censetur eos nova contumelia afficere; ergo si peccator, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quia pater non videt quod filius odium deposuerit, & quod suo tempore petiturus sit veniam; quod si videret, non censeret sibi novam contumeliam fieri, tantum ex dilatione veniæ petitionis.

*Objicies* 2. Tenemur sub gravi peccato proximum corripere, quamprimum commode possumus; ergo a fortiori nosmetipsos.

*Respond. dist. antec.* Tenemur corripere proximum quamprimum quando in peccato suo perseverat, *conc. antec.* quando in peccato suo non amplius perseverat, *nego*. Similiter tenemur statim conteri quando contritio necessaria est ut deponamus voluntatem peccandi.

*Objicies* 3. Graviter peccat qui alienum cum potest, non restituit; ergo graviter peccat qui non compensat injuriam Deo illatam, cum primum fieri commode potest.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod præceptum restitutionis est affirmativum simul & negativum, *quo prohibemur rem alterius detinere*, ut ait D. Thomas (2. 2. q. 62. art. 8. ad 5): præceptum vero resurgendi a peccato est affirmativum, quod proinde non obligat pro semper.

*Objicies* 4. Quando lapsi sumus in morbum, tenemur statim recurrere ad medicum: ergo a fortiori quando lapsi sumus in peccatum.

*Resp. dist. ant.* Tenemur statim recurrere ad medicum, quando medicina differri non potest sine probabili periculo, *conc. ant.* quando differri potest, *nego ant.* & sic dicendum de peccato: unde si immineret periculum mortis, vel amentiæ, vel impœnitentiæ finalis, vel oblivionis gravis peccati, &c. non deberet differri contritio & confessio.

## QUÆSTIO II.

*De contritione perfecta.*

*Nota* 1. Concil. Trident. (*Sess.* 14. *cap* 4.) circa contritionem perfectam duo docet: Primum *contingere aliquando contritionem charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur.* Secundum, *reconciliationem hanc ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Hic hæret Concilium, sed duo relinquit Theologis discutienda, circa quæ nihil expresse determinavit. *Primum*, unde repetenda sit ratio essentialis & specifica contritionis perfectæ, ut sit par homini reconciliando. *Secundum*, an contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie & semper hominem Deo reconciliet.

*Circa primum*, duæ sunt Theologorum opiniones.

*Prima*, distinctionem specificam contritionis perfectæ ab imperfecta reperit ex graduum intensione vel remissione; unde contritionem perfectam docet eam esse quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se intensive dilecti: eam vero esse imperfectam quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se remisse dilecti.

*Secunda*, hanc distinctionem repetit ex motivis specie diversis, unde hujus sententiæ patroni contritionem perfectam, & homini justificando parem, dicunt eam esse quæ concipitur ex motivo charitatis proprie dictæ, seu ex amore Dei propter se dilecti, sine ullo explicito ad proprium amentis bonum respectu. Imperfectam vero, quæ concipitur ex motivo honesto supernaturali, alio quam charitatis, puta ex metu gehennæ & pœnarum, vel ex turpitudine peccati quatenus est offensa Dei, &c .... juxta hanc opinionem contritio perfecta & attritio specie differunt, cum actus speciem suam ab objecto formali, seu motivo desumat; ideo attritio numquam fieri potest contritio, quæ enim natura specie differunt, in se invicem transmutari non possunt, hinc istud axioma: *Pœnitens in Sacramento pœnitentiæ de attrito fit contritus*: intelligendum dicunt, vel cum amori concupiscentiæ seu spei, accedit amor charitatis; vel cum per virtutem Sacramenti infunditur gratia sanctificans, quæ vera est charitas in cordibus per Spiritum sanctum diffusa.

*Circa secundum*, Bajus, Jansenius Iprensis, & Estius negant contritionem perfectam justificare extra usum Sacramenti, nisi in casu necessitatis, puta mortis dum deest copia Confessarii. Ut utramque quæstionem unica propositione resolvam.

CON-

## CONCLUSIO.

*Ratio essentialis & distinctiva contritionis perfectæ ab imperfecta non repetitur ex intensione graduum, sed ex proprio motivo, ita ut omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, cum voto Sacramenti, sit perfecta in quocumque gradu intensionis sit, & justificet extra Sacramentum, non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie & semper.*

*Prob.* 1. *pars:* 1. Ex Scriptura Prov. 8. *Ego diligentes me, diligo.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo,* 1. Joann. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est:* ex quibus textibus sic argumentor:

Amicitia divina, nativitas ex Deo, & justificatio promittitur actui charitatis absolute & simpliciter sumpto, sine ulla mentione gradus & intensionis; atqui qui habet charitatem in infimo gradu, diligit absolute & simpliciter: ergo qui habet charitatem in infimo gradu, natus est ex Deo, diligitur a Deo, & est justificatus.

*Prob.* 2. Ex Patribus unanimiter, sine distinctione graduum, dicentibus cum Divo Chrysost. (*Homil.* 7. *in* 2. *ad Timoth.*). *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala;* & cum Div. Augustino (*Serm.* 35. *de Proverb. cap.* 12.), *Deus clamat nobis, amate me & habebitis me, quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.* Ubi aperte loquitur de charitate actuali.

*Prob.* 3. Ex Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 8.) quod licet nihil determinaverit supra hanc quæstionem, testibus Palavicino (*L.* 4. *historiæ Conc. Trid.*), & Andrea Vega qui Concilio interfuit, (*Vega l.* 6. *cap.* 29.), tamen in nostram opinionem maxime inclinavit his verbis: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur,* &c. ex quo sic argumentor:

Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat priusquam Sacramentum actu suscipiatur; atqui contritio etiam infimo gradu concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, est contritio charitate perfecta; habet enim totam essentiam charitatis proprie dictæ consistentem in summa appretiatione, & motivo amoris omnium perfectissimo; ergo contritio etiam in infimo gradu concepta ex tali amore, hominem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu suscipiatur.

*Prob.* 4. Rationibus Theologicis.

*Prima*, qui habet plenitudinem Legis, non potest esse in mortali; atqui charitas etiam in infimo gradu est plenitudo Legis, juxta illud Rom. 13. *Plenitudo Legis est dilectio;* ergo qui habet charitatem in infimo gradu, non potest esse in mortali.

*Secunda*, ubi est essentia alicujus formæ, ibi est effectus ejus formalis, sic qui habet justitiam, haud dubie justus est; atqui ubi est charitas in infimo gradu, ibi est essentia charitatis; ergo ubi est charitas in infimo gradu, ibi est ejus effectus formalis; sed effectus formalis charitatis est justificatio; ergo ubi est charitas in infimo gradu, ibi est justificatio.

*Tertia*, absurdum est, ut qui amat Deum super omnia, etsi remisse, damnetur; nam ille damnatus semper, & indesinenter amaret Deum, & non amaret, quia ex Apostolo 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit:* non amaret, quia damnati Deum semper odio habent; sed qui remisse Deum amat super omnia propter se, damnaretur, si e vita decederent ante actualem Sacramenti receptionem; ergo, &c.

*Confirmatur* ex damnatione harum Baji propositionum facta a summis Pontificibus Pio V. & Gregor. XIII. confirmata ab Urbano VIII. & ab Ecclesia Catholica recepta.

31. *Charitas perfecta & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

32. *Charitas illa quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33. *Catechumenus juste, recte, & sancte vivit & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum quæ in baptismi lavacro demum percipitur.*

70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Baptismi.*

*Prob.* 2. *pars:* Tum ex damnatione propositionum Baji; tum quia ipsis fatentibus adversariis contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed in gradu remisso elicita, justificat aliquando, nempe in casu necessitatis; ergo justificat ... *Prob. conseq.* Contritio remissa non habet virtutem justificandi propter casum necessitatis, sed ex propria sua perfectione: neque Deus plus contritionis remissæ promisit in casu necessitatis quam in quovis alio; ergo si juxta adversarios justificat in casu necessitatis, justificat ordinarie & in omni casu.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Contritio perfecta distinguitur ab imperfecta per intensionem graduum; ergo ut contritio justificet extra Sacramentum, requiritur ut sit summa intensive.

*Prob. ant.* Scriptura intensionem graduum requirit in contritione de peccatis ad justificationem; ergo.

*Prob. ant.* Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro;* ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Quia voces: *in toto corde:* significat totalitatem appretiationis qua detestamur peccatum super omnia alia detestabilia; non totalitatem intensionis. Præterea Scriptura hortatur ad id quod optimum est, non quod absolute necessarium est.

*Inst.* 1. Christus de Magdalena, Lucæ 7. dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit* mul-

*multum:* ergo ad remissionem peccatorum requiritur contritio fervens & intensa.

*Resp. nego conseq.* Nam Scriptura id tantum narrat quod factum est, non quod absolute necessarium est; nam ex eo quod Magdalena habuerit amoris Dei & contritionis vehementiam, non inde probatur talem vehementiam plane necessariam esse ad essentiam amoris & contritionis perfectæ, ut sit par homini justificando.

*Inst.* Tò *quoniam*, est particula causalis; ergo ideo illi sunt dimissa multa, id est, omnia peccata, quia ex intensa Dei dilectione de peccatis suis doluit; ergo ex eo quod Magdalena habuerit vehementium amoris, recte probatur talem vehementiam necessariam esse ad peccati remissionem.

*Resp. dist. conseq.* Ideo Magdalenæ dimissa sunt multa peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam, *conc. conseq.* quoad culpam tantum, *nego conseq.* In textu enim agitur de remissione peccatorum non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam, ut constat ex contextu qui talis est: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit;* atqui certum est unum peccatum mortale etiam minimum sine aliis remitti non posse, cum omnia remittantur quandocumque unum remittitur; ergo sermo est de remissione quoad pœnam, quæ major est pro majori vel minori intensione graduum dilectionis.

*Objicies* 2. Potest quis esse perfecte contritus, & non justificatus; ergo perfecta contritio non justificat ante actualem Sacramenti perceptionem.

*Prob. ant.* Magdalena prius fuit perfecte contrita, quam justificata, juxta illud: *Remittuntur quia dilexit*; ergo.

*Resp. dist. ant.* Magdalena fuit prius contrita, prioritate naturæ, qua causa prior concipitur suo effectu, *conc. ant.* prioritate temporis, *nego ant.* Nam eodem instanti temporis est justificatio & dilectio, quæ est ultima dispositio ad justificationem. *Deinde* in græco habetur *remissa sunt.* (*Vide Cornel. a Lapide hic.*)

*Inst.* 1. Ananias dixit Paulo perfecte contrito (*Act.* 22. *vers.* 16.): *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam etiam perfecte contritus debet recipere Sacramentum, quia non justificatur nisi cum speciali onere & obligatione suscipiendi Sacramenti. Præterea D. Paulus intensissima charitate affectus fuit, quæ juxta adversarios justificat ante actualem Sacramenti receptionem.

*Inst.* 2. Sancti Patres requirunt ferventem amorem ad remissionem peccatorum; ergo contritio debet esse summa intensive.

*Resp. nego conseq.* Quia Patres hortantur ad id quod decet & optandum est, non ad id quod absolute necessarium est.

*Inst.* 3. D. August. (*Tract.* 13. *in Joann.*) ait: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum.* Ergo.

*Resp. Distinguo* & explico D. August., quantumcumque proficiat in virtutibus moralibus, *conc. ant.* in charitate, *nego ant.* Alias nec per intensissimam charitatem quis posset justificari absque reali susceptione Sacramenti, quod est contra adversarios, & Trident. citatum. *Præterea* loquitur de eo qui dedignatur baptizari per arrogantiam, qui proinde caret charitate.

*Inst.* 4. Idem August. (*L.* 1. *de Symbolo ad Catechum.*) *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis*: ergo.

*Resp. nego conseq.* Nam eo loci loquitur de eo quod ordinarie fit, non de eo quod fit extraordinarie, nam (*L.* 4. *de Bapt. cap.* 24.) de Cornelio dicit: *In Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.* Ergo Div. Aug. docet fieri aliquando, ut Catechumenus ante Baptismum justificatus sit, per contritionem scilicet charitate perfectam.

*Objicies* 3. Ad justificationem extra Sacramentum requiritur juxta nos dolor summus quoad appretiationem, seu æstimationem; ergo & summus quoad intensionem.

*Prob. conseq.* Dolor non potest esse summus appretiative quin sit summus intensive; ergo si requiritur, &c.

*Resp. nego ant.* Ex diverso quippe capite nascitur objecti appretiatio, & intensio actus in voluntate: appretiatio quidem oritur ex præstantia & dignitate objecti; intensio vero ex vehementi applicatione facultatis erga objectum; quod tale est aliquando, ut etsi magis æstimetur appretiative, non tamen ita movet voluntatem, sicut aliud objectum quod non tanti æstimatur. Res declarari potest exemplo matris, quæ parvulum filium intensiori amore prosequitur, licet natu majorem amore minus quidem intenso, sed majori appretiative diligat, cujus vitæ conservationem præfert vitæ junioris.

*Inst.* 1. Charitas remissa non est perfecta; ergo contritio ex ea concepta non justificat.

*Resp. nego ant.* Charitas enim remissa quoad gradus, sed summa quoad appretiationem, est perfecta essentialiter, & completa in esse charitatis, quæ in hoc consistit ut Deus super omnia propter se diligatur.

*Inst.* 2. Esto charitas sit essentialiter perfecta in quocumque gradu, non potest tamen expellere peccatum sine certa gradus intensione; ergo contritio non justificat nisi charitas qua informatur, habeat certos gradus.

*Resp. nego ant.* Quia amor Dei super omnia propter se dilecti, compati non potest cum peccato mortali, cui contrariatur; ergo illud expellit in quocunque gradu actus charitatis eliciatur.

*Prob. ant.* Scintilla ignis etsi sit verus essentialiter ignis, impar tamen est comburendo ligno, vel expellendo frigori; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* & paritatem, dispar est enim ratio agendi rerum spiritualium, & rerum physicarum; actio physica qualis est ignis comburentis & calefacientis, fit successive applicando activa passivis; nil ergo mirum est quod certam temporis mensuram, & certum intensionis gradum exigat; non ita est spiritualis actio, qualis est justificatio hominis per charitatem quæ fit in instanti, non ratione gradus, sed ratione substantiæ ipsius charitatis, seu amoris Dei super omnia propter se.

*Colliges* contra magistrum Sententiarum, & L-

stium,

stium, contritionem perfectam non esse dispositionem necessario prærequisitam ad Sacramentum Pœnitentiæ debite recipiendum, quia ex Conc. Trident. justificat ante actualem receptionem Sacramenti.

Quæres; *Quale debeat esse votum seu desiderium Sacramenti Pœnitentiæ in his qui per actum contritionis perfectæ justificantur, an explicitum, vel implicitum?*

*Resp.* Probabilius nobis videri sufficere ut illud sit implicitum; ait enim Conc. Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) *Reconciliationem quæ per contritionem perfectam obtinetur, non esse adscribendam ipsi contritioni sine voto Sacramenti quod in illa includitur:* unde sic argumentor.

Votum alicujus rei in alio inclusam, est votum implicitum; atqui ad justificationem recipiendam per contritionem perfectam, sufficit ex Trident. votum Sacramenti quod in ipsa contritione includitur: ergo sufficit votum Sacramenti implicitum.

*Dices:* Ex dictis supra (*Cap.* 3. *de contrit. universim sumpta*) propositum non peccandi de cætero, in contritione, debet esse formale explicitum; ergo & votum Sacramenti in his qui conteruntur.

*Resp. nego conseq.* Disparitas desumitur ex Conc. Trident. quod cum loquitur de proposito non peccandi, exprimit propositum simpliciter; propositum autem virtuale non est propositum simpliciter; at cum loquitur de reconciliatione quæ non adscribitur contritioni sine Sacramenti voto, addit: *quod in illa includitur*; quæ verba significant votum virtuale.

## QUÆSTIO III.

*De contritione imperfecta.*

Concil. Trident. (*sess.* 14. *cap.* 4.) postquam assignavit Charitatem pro motivo contritionis perfectæ, assignat pro motivo attritionis metum gehennæ & turpitudinem peccati, quatenus nimirum ista sunt supernaturaliter & per fidem cognita, & ad Deum offensum relata.

*Nota* 1. Circa attritionem ex metu pœnarum conceptam erraverunt

1. Lutherus asserens ipsam esse malam, & reddere hominem magis hypocritam & peccatorem; hoc nixus principio, illud omne esse peccatum, quod non procedit a charitate habituali.

2. Bajus (*Propos.* 34. 36. 38.) Jansenius (*Tom.* 2. *l.* 3. *cap.* 19. 20. & *seq.*) Quesnellius (*Prop.* 44. 45. 46. 47.) qui cum doceant omne quod fit ab homine, esse vel a vitiosa cupiditate, ac consequenter malum; vel a charitate actuali, & consequenter bonum & honestum; illi consequenter docent attritionem ex solo metu pœnarum conceptam, vitiosam esse; verumque peccatum saltem omissionis, quatenus ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tamquam ad finem ultimum referatur, nam ex Quesnellio proposit. 62. *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam reus est coram Domino.*

*Nota* 2. Disputant inter se Theologi utrum attritio, ex metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo Dei amore ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, vel utrum in illa attritione requiratur amor & qualis? hinc duo hic habemus elucidanda; *primum*, utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta, sit bona & utilis? *secundum*, utrum sufficiat sine ullo amore ad justificationem in Saramento obtinendam? primum pertinent ad fidem; secundum spectat scholæ dissidium.

### ARTICULUS I.

*An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis &c.*

*Nota* 1. Ex D. Thom. (2. 2. *q.* 19. *art.* 2. *in corp.*) timor est quadruplex; scilicet mundanus, servilis, initialis, & filialis.

*Timor mundanus* est fuga mali temporalis per offensam Dei.

*Timor servilis* est fuga peccati ut pœnæ a Deo infligende causativi, & duplex est, nimirum *simpliciter servilis*, & *serviliter servilis*. Timor *simpliciter*, seu sine servilitate servilis, est fuga peccati ut poenæ per fidem apprehensæ causativi, sine affectu illius committendi, si hæc abesset.

*Timor serviliter*, seu cum servilitate servilis, est fuga peccati ut pœnæ causativi, cum affectu illius committendi, si hæc abesset; unde servilitas est vitium timentis, non timoris, nam *servilitas*, ait D. Thom. (2. 2. *q.* 19. *art.* 1. *in corp.*) *non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* Ista duo maligne confundunt Novatores, & quæ de timore serviliter servili, qui malus est, a SS. Patribus dicuntur, ea transferunt ad timorem simpliciter servilem.

*Timor initialis* est ille quo quis initio conversionis fugit peccatum, quatenus est Dei offensa, & pœnæ inductivum.

*Timor filialis*, seu castus, est ille quo quis fugit peccatum quatenus est offensa Dei propter se super omnia dilecti.

*Nota* 2. Certum esse 1. Timorem mundanum & serviliter servilem esse malos & vitiosos propter affectum peccati qui intrinsece malus est, sicut & ipsummet peccatum ..... 2. Timorem filialem & initialem esse bonos & laudabiles, utpote qui motivo nituntur laudabili & honesto.

Agitur ergo tantum de timore simpliciter servili, & quæritur utrum attritio ex tali timore concepta, sit bona & supernaturalis; quod ut solvatur, sit

### CONCLUSIO I.

*Attritio concepta ex timore simpliciter servili est bona & laudabilis.*

*Prob.* Illa attritio bona est & utilis, cujus motivum est bonum & utile; atqui attritionis motivum, (nempe metus gehennæ per fidem cognitæ, est bonum & utile ad salutem; ergo attritio est bona & utilis ad salutem.

Prob.

*Prob. min.* Ille timor est bonus & ad salutem utilis, ad quem Scriptura & Patres non hortantur; atqui Scriptura & Patres non hortantur ad metum gehennæ; ergo &c.

*Prob. min.* 1. Ex Scriptura *Lucæ* 12. ubi Christus postquam retraxit homines a timore mundano, ait: *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.*

Ex Patribus, inter quos solus sufficiat Aug. cujus auctoritate maxime gloriantur adversarii, dicens in Psalm. 127. *Bonus est iste timor & utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam:* ergo Scriptura & PP. nos hortantur ad metum gehennæ.

Hinc Conc. Trid. (*sess.* 6. *can.* 8.) definit: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies*: Timor servilis serviliter, est malus; ergo attritio ex illo concepta est mala.

*Resp. dist. ant.* Timor servilis serviliter, est malus, *conc. ant.* timor servilis simpliciter, *nego ant.* Responsio patet ex dictis, & confirmat Div. Thom. cit. art. 4. dicens: *Timor servilis in quantum servilis est, charitati contrariatur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis simpliciter esset malus .... sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis .... & ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala.*

*Inst.* 1. Atqui timor simpliciter servilis est malus, & *prob.* timere culpam propter pœnam est malum; atqui per timorem simpliciter servilem, timetur culpa propter pœnam; ergo &c.

*Resp. nego maj.* Nam pœna gehennæ, utpote summa miseria est motivum legitimum a Christo propositum fugiendi peccatum.

*Prob. maj.* Majus malum referre ad minus est malum & inordinatum; atqui timere culpam propter pœnam, est majus malum, nempe fugam peccati, referre ad minus, nempe fugam gehennæ; ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Majus malum referre ad minus tanquam ad finem ultimum, est inordinatum, *conc. maj.* tanquam ad finem duntaxat proximum, *nego maj.* & sic *dist. min. nego conseq.*

*Porro*: Qui ex laudabili timore pœnæ, fugit peccatum, ille fugam peccati non refert ad fugam pœnæ tamquam ad finem ultimum a quo abstrahit, sed tamquam ad finem proximum, qui rectus & laudabilis est, cum Conc. Trident. dicat eum *donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.*

*Inst.* 2. Ille timor non est bonus & laudabilis, quo magis timetur pœna, quam culpa, atqui per timorem servilem, quo quis, ex solo pœnarum metu, a peccato abstinet, plus timetur pœna quam culpa; ergo &c.

*Resp.* 1. *Retorq. argumentum:* Servus diligit dominum propter cibum quem ab eo expectat; nemo certe admittet hanc consequentiam; ergo nec illam; pœnitens detestatur culpam propter pœnam; ergo magis detestatur pœnam, quam culpam.

*Resp. nego min.* Ratio est, quia licet pœna sit finis proximus detestationis peccati, non tamen excludit finem ultimum, qui est Deus, ad cujus gloriam culpæ detestatio ac metus pœnæ est referibilis, et quamdiu non excluditur, in illum refertur tum ex natura et intentione operis, tum ex intentione operantis, saltem implicite.

*Prob. min.* Ex isto axiomate: *Propter quod unumquodque tale & illud magis:* atqui pœnitens propter pœnam detestatur culpam; ergo magis detestatur pœnam, quam culpam.

*Resp.* 1. Non admittimus axioma universaliter cum deficiat in pluribus, ut patet in exemplo supra allato.

*Resp.* 2. *dist. axioma*: *propter quod unum quodque tale, et illud magis*: si in eo constituatur finis actus, *conc. ant.* si non constituatur, *nego ant.* atqui pœnitens, propter pœnam detestatur culpam, ita ut constituat finem in vitatione pœnæ, *nego min.* ita ut non constituat finem in vitatione pœnæ, *conc. min.* qui enim detestatur culpam propter gehennam, non magis appretiative detestatur gehennam, quam culpam, cum non compararet unum cum alio, sed solum unum detestetur propter aliud, in quo nihil est inordinatum.

*Inst.* 3. Qui timet culpam propter gehennam, agit ex amore proprio: ergo finem constituit in vitatione gehennæ.

*Resp. dist. ant.* Agit ex amore proprio ordinato, *conc. ant.* inordinato, *nego ant.* Porro amor proprius est solum inordinatus, cum in creatura sistit, & ad Deum, qui ultimus est appetitus finis, non refertur. Duplicem hunc amorem proprium distinguit D. Thomas (2. 2. *q.* 19. *art.* 6.) dicens: *Amor sui tripliciter se habere potest ad charitatem; uno enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit ...... tertio modo a charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem.*

*Inst.* 4. 1. Joann. 4. dicitur: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet*: ergo timor servilis contrariatur charitati.

*Resp. dist. conseq.* Timor serviliter servilis, vel mundanus *conc. conseq.* timor simpliciter servilis, *nego conseq.* Hic enim D. Joannes accipit timorem pro diffidentia & anxietate, quas timor tum serviliter servilis, tum mundanus pariunt, ac quibus tanquam contrarium contrario opponitur fiducia æternæ felicitatis, quam parit charitas: hunc esse sensum D. Joann. constat ex his verbis, *quoniam timor pœnam habet*: id est, cruciatum animi, ut vertit D. Aug. ex Græco, quod non potest esse cum charitate.

CON-

### CONCLUSIO II.

*Attritio, concepta ex timore simpliciter servili, est supernaturalis, voluntatemque peccandi excludit.*

*Prob.* Attritio concepta ex timore qui odit peccatum & expellit, qui inducit homines ut præparent corda sua, ut in conspectu Domini sanctificent animas suas &c. est supernaturalis, excluditque voluntatem peccandi; atqui talis est attritio concepta ex timore simpliciter servili; ergo, &c.

*Prob. min.* Ex Scriptura & Patribus; maxime D. August. & D. Thom. quorum patrocinio gloriantur adversarii.

1. Ex Script. Prov. 8. *Timor Domini odit malum*: Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*: & Cap. 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas*, &c.

2. Ex Div. Aug. in expositione Psalmi 127. dicente: *Audisti cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Audiunt hoc homines, & quia vere futura sunt impiis, timent & continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam* (en character timoris servilis) *cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat justitiam.* Ergo timor servilis retrahit hominem a peccato, & ipsum perducit ad justitiam,

3. Ex D. Thom. dicente: (2. 2. *quæst.* 19. *art.* 2. *in corp.*) *Quandoque homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur & ei inhæret, quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, et malum culpæ; si ergo aliquis convertitur ad Deum & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis.* Ergo ex D. Thoma homo per timorem servilem potest ad Deum converti eique inhærere, & consequenter nullam nequidem implicitam & conditionatam continet voluntatem peccandi.

*Confirmatur* integra propositio ex Concil. Trid. dicente (*Sess.* 14. *cap.* 4.): *illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ vel pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*, &c. Idem definit Canon. 5. *Atqui* quod est donum Dei impulsusque Spiritus sancti, hominemque parat ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, est bonum & laudabile, supernaturale & excludens voluntatem actualem peccandi, nec potest dici peccatum, saltem omissionis; *ergo* attritio ex metu gehennæ concepta, est bona & laudabilis, &c.

Merito igitur Alexander VIII. duas istas propositiones damnavit. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Et 15. *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

*Objiciet* Jansenius (*L.* 5. *de gratia Christi*, *cap.* 27. 28. 29.) Timor non tollit affectum & voluntatem peccandi; ergo est malus.

*Prob. ant.* Multis Augustini testimoniis, quorum unum refero Epist. 145. *Inaniter ille putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat ... inimicus justitiæ est, qui timore pœnæ non peccat ..... nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Ergo timor servilis non tollit voluntatem peccandi.

*Resp. dist. conseq.* Timor serviliter servilis, *conc.* simpliciter servilis, *nego conseq.* Sese explicat Divus Augustinus *Serm.* 161. ubi reprehendens eum qui pœnæ timore non peccans, peccaret si non videret eum Deus, ait; *ergo pœnam times, serviliter times*: quia talis ita affectus est, ut peccare vellet, nisi Deus pœnas peccatori comminaretur: unde abstinet solum ab opere externo peccati, quia timor intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.

*Inst.* Ex eodem August. (*L. contra Adimantum cap.* 17.) timor ad veterem Legem pertinet, amor ad novam; ergo a nova Lege omnis timor debet eliminari.

*Resp. dist. ant.* Amor pertinet ad novam Legem sine exclusione timoris, *conc. ant.* cum exclusione timoris, *nego ant.* Id expresse docet D. August. (*L.* 1. *de moribus Ecclesiæ cap.* 28.) his verbis: *Quanquam utrumque in utroque fit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.* Unde gehennæ timor per se, id est, si aliunde non adsit mala circumstantia, hypocritas non facit, imo viam ad justitiam parat. *Si nullus est timor*, inquit Augustinus, *non est qua intret charitas.*

### ARTICULUS II.

*Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo amore ad justificationem in Sacramento obtinendam?*

*Nota* 1. Amor duplex est, scilicet amor amicitiæ seu perfectæ charitatis, qui dicitur perfectus; & amor spei, qui dicitur imperfectus, seu minus perfectus.

Amor amicitiæ est *ille quo Deus super omnia diligitur propter se*, seu quia in se summe bonus est ac perfectus, abstractione facta proprii amantis commodi.

Amor spei est *ille quo Deus super omnia diligitur quatenus nobis bonus est, nostra beatitudo, & finis ultimus.* Hinc illi duo amores differunt specie, cum se teneant penes motiva, a quibus virtus suam speciem desumit.

*Nota* 2. In amore formali spei reperiri amorem virtualem benevolentiæ, nam attritio ex amore spei concepta importat firmum melioris vitæ & mandatorum Dei observationis propositum, inter quæ dilectio primum locum tenet; sed qui proponit Deum diligere, jam virtualiter diligit, cum sit proxime dispositus ad illum propter se diligendum, & ex D. Thoma dispositio proxima ad aliquid, sit initium seu inchoatio illius. His positis,

## CONCLUSIO I.

*Ut attritio ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ rite & utiliter percipiendum, requiritur quidem Dei amor.*

*Prob. prima pars.* 1. Ex Concilio Trident. *sess.* 6. ubi agens de dispositionibus adultorum ad justificationem in Baptismo consequendam requisitis, ait: *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac proinde moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem*, &c. En amor initialis & imperfectus, quem Concilium prærequirit ad justificationem perinde ac actus fidei, & spei; atqui actus fidei & spei necessario prærequirit; ergo & amorem initialem.

*Confirmatur* auctoritate Cleri Gallicani in comitiis anni 1700. sic Concilium Tridentinum interpretantis: *De dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex S. Syn. Trid. monenda & docenda esse duximus: Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem, eam quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies.* Ut attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum recipiendum, nullus in ea requiritur amor; ergo &c.

*Prob. ant.* Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) tractans ex professo de attritione & ejus motivis, nullam facit mentionem amoris Dei, nihilominus recte infertur discursu theologico, aliquem Dei amorem necessarium esse. 1. Ex eis quæ docet circa naturam contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ. 2. Ex eo quod *sess.* 6. *can.* 6. requirat ut ii qui se ad justitiam disponunt, *Deum diligere incipiant tanquam omnis justitiæ fontem.*

*Inst.* 1. Solus timor gehennæ absque ullo Dei amore, voluntatem peccandi excludere potest; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramenti gratiam recipiendam.

*Resp. nego ant.* Quod est de rebus incompossibilibus, impossibile enim est timorem gehennæ excludere voluntatem peccandi, quin includat amorem boni quo privari metuit, bonum autem illud est Deus possidendus.

*Inst.* 2. Multi Theologi asserunt attritionem conceptam ex pœnarum metu sufficere; ergo excludunt omnem Dei amorem.

*Resp. dist. conseq.* Excludunt omnem Dei amorem qui sit proprie dictæ charitatis, hominemque reconciliet ante Sacramentum re susceptum, *conc. conseq.* omnem amorem spei, *nego conseq.* itaque illa exclusiva, *solo*, refertur ad solam charitatem.

*Inst.* 3. Timor pœnæ est bonus, honestus & supernaturalis; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

*Resp.* 1. *retorq.* Fides est bona, honesta & supernaturalis; ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Nam ut timor gehennæ sit dispositio sufficiens, debet ex Concil. Trid. esse conjunctus cum spe veniæ atqui spes illa veniæ necessario includit amorem rei quæ speratur; ergo.

## CONCLUSIO II.

*Ut attritio ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad justificationem in Sacramento recipiendam, requiritur, & sufficit amor Dei.*

*Prob.* 1. Ex probatis supra: charitas in quovis gradu intensionis justificat ante actualem Sacramenti receptionem; ergo non est necessaria dispositio ad justificationem in Sacramento percipiendam.

*Prob. conseq.* Si charitas justificans esset dispositio necessaria ad justificationem in Sacramento percipiendam, nunquam Sacramentum Pœnitentiæ conferret primam gratiam, nec peccatores Deo reconciliaret, cum semper ipsos supponeret per contritionem perfectam reconciliatos. *atqui* absurdum est aliquod Sacramentum nusquam efficere id ad quod efficiendum a Christo est institutum, juxta hanc Concilii Trid. definitionem (*Sess.* 14. *can.* 1.). *Si quis dixerit in Ecclesia pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum pro fidelibus quoties in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo institutum, anathema sit.* Ergo charitas justificans non est dispositio necessaria ad gratiam in Sacramento percipiendam.

*Hinc* D. Bonavent. ait (*In* 4. *dist.* 4. *in exposit. dub. primi.*). *Non oportet igitur quod actus pœnitentiæ formatus, qui dicitur contritio, præcedat, sed sufficit quod actus sit informis, utpote attritio.* Et D. Thom. (*In* 4. *dist.* 6. *art.* 3. *ad* 5.) *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo recipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio;* ex quo constat attritionem a contritione differre, quod ista charitatem includat, non vero illa.

*Resp.* adversarii, necessitatem contritionis non adversari efficaciæ Sacramenti, cum ut ait Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) perfecta contritio non reconciliet hominem sine voto Sacramenti quod in ea includitur. Sed

*Contra est* 1. Quia ex Concilio Trid. præcipua Sacramenti vis sita est in absolutione Sacerdotis, non dicit in contritione. 2. Quia contritio justificans cum voto Sacramenti non confert gratiam *ex opere operato* & virtute clavium, sed tantum ex opere operantis; pugnat autem cum doctrina Conc. Trid. quod peccatum non possit remitti *ex opere operato*, ab illo Sacramento quod est institutum ad fideles Deo reconciliandos.

Prob.

*Prob.* 2. Ex Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 4.) dicente: *& quamvis* (attritio) *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorum nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus verbis Concilium declarat attritionem quæ non sufficit extra Sacramentum, cum Sacramento sufficere.

*Nec dicas* attritionem disponere quidem remote ad gratiam recipiendam, non vero proxime; indeque esse quod Patres Tridentini teste Pallavicino (*Lib.* 12. *Hist. Conc. Trid. cap.* 10.) verbum *disponit* substituerint verbo *sufficit*, quod primum ab ipsis fuerat usurpatum.

*Resp.* Enim & ostendo Concilium loqui de dispositione sufficienti & proxima, nam 1. Concilium loquitur de dispositione in Sacramento ipsomet, non de dispositione extra Sacramentum; sed dispositio in Sacramento requisita, est dispositio immediata & proxima; ergo Concilium loquitur de dispositione proxima.

2. Concilium loquitur de dispositione quæ cum solo Sacramento infallibiliter gratiam impetrat, cum præmiserit initio decreti se *exactiorem & pleniorem definitionem traditurum*, quod utique non fecisset, si aliquid ad gratiam cum Sacramento consequendam necessarium, omisisset; atqui attritio cum solo Sacramento gratiam infallibiliter non impetraret, si non esset dispositio proxima & immediata; ergo &c.

Quod spectat ad deletionem verbi *sufficere*.

*Resp.* Hoc verbum deletum fuisse, ne daretur occasio existimandi nullum amorem Dei imperfectum requiri in attritione.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura ad justificationem requirit conversionem ad Deum ex toto corde, juxta Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, sed conversio ad Deum ex toto corde includit amorem perfectum charitatis; ergo ad justificationem requiritur amor perfectus charitatis.

*Resp. dist. min.* Conversio ex toto corde includit amorem charitatis extra Sacramentum, *conc. min.* in Sacramento, *nego min.* similiter dist. consequens.

Porro cum Sacramenta mortuorum instituta sint ut medium ad remissionem peccatorum facilius obtinendam ex meritis Christi, non requirunt alium amorem quam qui spei dicitur.

*Objicies* 2. Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. videtur exigere amorem charitatis in iis qui se ad justificationem per Baptismum obtinendam disponunt; ergo & requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, par enim est ratio.

*Prob. ant.* Concilium ait: *Illumque tamquam omnes justitiæ fontem diligere incipiunt.* Ergo, &c.

*Resp nego conseq.* Dilectio enim, de qua loquitur Concilium, est amor imperfectus, seu amor spei quo Deus ut nobis bonus præcise diligitur, quatenus nimirum est fons justitiæ nostræ, largitor omnis sanctitatis & beatitudinis.

*Prob. conseq.* Amor quem exigit Concilium, motivo distinctus est a spe; ergo est amor veræ charitatis. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Postquam Concilium dixit actus fidei & spei esse necessarios, adjunxit ipsam dilectionem, seu amorem Dei; ergo amor ille distinctus est motivo a spe. *Resp. nego conseq.*

*Prob. conseq.* Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei; ergo amor ille non est amor spei.

*Resp. dist. ant.* Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei; tamquam effectum a causa, *conc. ant.* tamquam rem a re, *nego ant.* Itaque Concilium distinguit spem ab illa dilectione tamquam causam, a qua procedit talis dilectio.

*Inst.* 1. Ex iis quæ Concilium Trid. *sess.* 14. docet, colligitur necessitas amoris Dei ex motivo charitatis; ergo.

*Prob. ant.* Cap. 5. Inter partes Sacramenti recenset contritionem quam *cap.* 4. dicit *Quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum*; atqui talis contritio charitatem includit: alias impar fuisset homini justificando in Lege naturæ & Mosaica; ergo.

*Resp. dist. min.* Talis contritio includit charitatem extra Sacramentum necessariam, *conc. min.* intra Sacramentum, *nego min.* Itaque Concilium initio capitis quarti loquitur de contritione generatim, prout abstrahit a perfecta, quam postea dividit in perfectam quæ charitate concipitur & imperfectam quæ ex alio motivo supernaturali distincto a charitate, quamque dicit esse dispositionem sufficientem ad Sacramentum.

*Inst.* 2. Contritio non dicitur imperfecta nisi propter remissionem graduum charitatis; ergo.

*Resp. nego ant.* Dicitur enim imperfecta propter motivum quod cum sit specie diversum in contritione & attritione, differunt inter se essentialiter & necessario.

*Objicies* 3. Ex Trident. contritio requisita in Sacramento debet includere *odium peccati*, *propositum novæ vitæ inchoandæ, & Legis divinæ servandæ*: atqui illa omnia non possunt esse sine amore charitatis; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Constat enim ex dictis amorem Dei imperfectum sufficere ad illa omnia præstanda.

*Inst.* 1. Qui peccavit contra charitatem (quod fit in omni peccato saltem interpretative) non potest Deo reconciliari nisi actum charitatis præmittat; ergo in contritione requiritur amor charitatis.

*Resp. dist. ant.* Non potest reconciliari extra Sacramentum, nisi &c. *conc. ant.* in Sacramento, *nego ant.* Disparitas inter reconciliationem in Sacramento vel extra Sacramentum habendam, est quod extra Sacramentum nihil sit præter charitatem quod divinam misericordiam moveat ad gratiam conferendam, *nihil quippe eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*, ait Conc. Trid. (*Sess.* 6. *cap.* 8.); at Sacramentum utpote habens vim reconciliandi, supplet defectum perfectæ charitatis, alioquin requisitæ.

*Inst.* 2. Qui peccavit contra fidem & spem, non potest Deo reconciliari, etiam in Sacramento, nisi actus fidei & spei formales præmiserit; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quia *fides* ex Conc. Trid. (*Sess.* 6. *cap.* 8.) (idem dic de spe) *est humanæ salutis initium, fundamentum &*

*& radix omnis justificationis, sine quo impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*; unde necesse est actus fidei & spei præcedere tamquam media & dispositiones ad gratiam sanctificantem; at charitas non est tale medium, sed finis aut ipsa forma qua justificantur, unde non debet præcedere justificationem.

*Objicies* 4. D. Aug. multis locis asserit nullum sine charitate opus bonum fieri posse; ait enim (*L. de gratia Christi cap.* 26.) *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputari, nec recte bonum opus vocari.* Item (*L. contra adversarium Legis, c.* 7.) *Desiderium peccatorum non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi ubi fides per dilectionem operatur.* Item, *Quid est boni cupiditas, nisi charitas* (*L.* 2. *contra duas Epist. Pelagianor. cap.* 8.)? Ergo.

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas ut manifesta fiat, advertendum est D. Augustinum nomine *charitatis & dilectionis* non semper intelligere charitatem proprie dictam, sed vel gratiam actualem: sic in duobus primis textibus allatis per *dilectionem* intelligit gratiam excitantem; vel generatim intelligit quemlibet recti & boni, id est virtutis, amorem ex aliquo motivo honesto & supernaturali: sic in tertio textu per *charitatem* intelligit bonam voluntatem; sese explicat (*Lib. de gratia Christi cap.* 21.) dicens: *Quid est charitas, nisi bona voluntas?* Et lib. de moribus Ecclesiæ cap. 15. ait: *Quamlibet virtutem esse ordinem amoris.*

Abutuntur ergo Augustini auctoritate Janseniani, cum multa ex illo testimonia promiscue congerunt, ut probent sine charitate quamlibet actionem vitiosam esse, ac verum peccatum, saltem omissionis.

*Objicies* 5. Ex nostra sententia sequitur aliquem casum posse dari, in quo quis salvaretur sine actu charitatis Dei; (v. g. fieri potest ut qui per totam vitam impie vixit, nec amore charitatis Deum amavit, actum attritionis eliciat, absolvatur, & statim moriatur), absurdum consequens; ergo.

*Resp. nego seq. maj.* Nam, ut dictum est, attritio ex amore concupiscentiæ concepta importat firmum propositum observationis mandatorum Dei pro tempore quo urgent; & cum in casu proposito urgeat præceptum charitatis, qui conteritur, tenetur actum charitatis elicere, quem si omittat, fit reus peccati omissionis.

## CAPUT IV.

### *De Confessione.*

*Nota.* Confessio, quæ a Græcis vocatur *exomologesis*, definitur *Sacramentalis accusatio peccatorum suorum post baptismum commissorum, facta Sacerdoti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.* Explico.

Dicitur 1. *Sacramentalis accusatio*, non historica narratio, multo minus excusatio.

Dicitur 2. *Suorum peccatorum*: non alienorum, nisi fiant propria, v. g. ratione scandali dati.

Dicitur 3. *Post Baptismum commissorum*: quæ enim præcedunt, delentur per baptismum.

Dicitur 4. *Facta Sacerdoti*, scilicet approbato, & habenti jurisdictionem, alias non esset sacramentalis accusatio.

Dicitur 5. *Ad eorum veniam virtute clavium obtinendam*: ut finis confessionis, nempe venia peccatorum; & efficacia, nempe remissio judiciaria, ostendatur.

Porro in tres quæstiones coarctabimus quæ de confessione nobis sunt dicenda.

*Prima*, erit de institutione seu præcepto divino confessionis.

*Secunda*, de præcepto Ecclesiastico confessionis.

*Tertia*, de conditionibus ad legitimam confessionem requisitis.

## QUÆSTIO I.

### *De institutione, seu præcepto divino Confessionis.*

### CONCLUSIO.

*Confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, præcepta est jure divino.* Est de fide contra Wiclefitas, Lutheranos, & Calvinistas.

*Prob.* 1. Ex decretorio testimonio Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quo sic argumentor.

Christus dedit Sacerdotibus potestatem judiciariam dimittendi peccata; *atqui* hæc potestas non potest rite & prudenter exerceri nisi cognita prius causa per confessionem, nec possent peccata retineri absolute, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio; *ergo* eodem jure præcepta est confessio, quo est institutio Sacramenti Pœnitentiæ; sed institutio Sacramenti est juris divini, ergo & Lex confessionis. Conc. Trident. (*Sess.* 14. *c.* 5.) hoc argumentum vivide urget adversus Novatores: *Constat enim*, inquit, *Sacerdotes judicium incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat & non potius in specie ac sigillatim sua peccata* (pœnitentes) *declarassent.* (*Sess.* 14. *c.* 5.)

*Prob.* 2. Ex constanti SS. Patrum doctrina & traditione, quam passim tradunt auctores; ne longiori calamo scribam, unicum ex Patribus quinque priorum sæculorum, quos ab errore puros vel ipsi fatentur Novatores, referam.

In I. sæculo S. Clemens dixit (*Epist.* 2. *ad Corinth.*): *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur dum habemus tempus pœnitentiæ, postquam enim a mundo excesserimus, non amplius poterimus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* Loquitur vir apostolicus de omnibus peccatis tam occultis quam publicis, quæ per confessionem declaranda sunt, ut a Domino salvemur.

In II. sæculo S. Irenæus (*Lib.* 1. *cap.* 9.) de quibusdam feminis a Marco hæretico seductis ait: *Ipsæmet sæpe, cum ad Dei Ecclesiam redierint, confessæ sunt, & se corpore ab eo contaminatas fuisse, & seque illo amore exarsisse.* In

hoc

hoc textu loquitur de peccatis luxuriæ tum externis, tum mere internis.

In III. sæculo, Origenes (*Homil.* 17. *in Lucam*) ait: *Si revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed & iis qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* Ubi loquitur de omnibus peccatis indefinite.

In IV. sæculo, S. Ambrosius (*Lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 6.) ait: *Si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Ubi manifestum est loqui de peccatis tum internis, tum externis.

In V. sæculo, S. August. (*Conc.* 2. *in Psal.* 101.) *Cum audis*, inquit, *hominem confitendo conscientiam proferre, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? quæ solveritis*, *inquit*, *in terra*, &c. ubi patet loqui de omnibus peccatis etiam occultis ex his verbis: *proferre conscientiam.*

Hinc Conc. Trid. (*Sess.* 14. *can.* 6.) definit: *Si quis negaverit confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ex Scriptura, promissa est remissio peccatorum contritioni; ergo non est necessaria confessio.

*Resp. dist. ant.* Remissio promissa est contritioni cum voto confessionis, *conc. ant.* sine tali voto, *nego ant.* Contritio enim debet includere votum omnia præcepta divina adimplendi, quorum unum est peccatorum confessio; quod si hæc non præstiterit, peccator vere pœnitens & contritus dici non potest; quippe qui secundum statutas a Christo leges pœnitentiam non agat.

*Inst.* 1. Apostoli ministraverunt Sacramentum Pœnitentiæ absque confessione peccatorum; ergo non est præcepta jure divino. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Quia id nullibi legitur in Scriptura; ergo, &c.

*Resp. transeat ant. nego conseq.* Neque enim omnia facta & dicta Apostolorum in libris sacris scripta sunt.

Dixi *transeat*: quia legitur Act. 19. *Multi credentium veniebant* (ad Paulum) *confitentes & annuntiantes actus suos;* id est peccata sua, ut patet ex contextu.

*Inst.* 2. Cum Dallæo, nostra sententia hoc nititur fundamento, nempe Sacerdotes veros esse Judices in tribunali Pœnitentiæ; atqui falsum est Sacerdotes esse veros Judices; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* Sacerdotes ex Apostolo sunt *ministri & dispensatores mysteriorum Dei*; ergo non sunt Judices.

*Resp. nego conseq.* Non sunt Judices independentes, *conc.* dependentes, *nego conseq.* Itaque Sacerdotes non sunt Judices hoc sensu quod suprema & independenti auctoritate ad arbitrium peccata dimittere vel retinere possint, cum habeant leges sibi a Christo præscriptas, quas ad amussim tenentur servare.

*Inst.* 3. Sacerdotes sunt æque Judices erga peccata venialia ac erga mortalia; atqui non est præcepta confessio venialium, ergo nec mortalium.

*Resp. dist. maj.* Sunt æque Judices & eodem modo, *nego maj.* & diverso modo, *conc. maj.* & concessa min. *dist. conseq.*

*Itaque* Sacerdotes circa mortalia sunt Judices necessarii, unde remitti non possunt absque illorum sententia in re vel saltem in voto habita, at circa venialia sunt Judices liberi, cum illa possint remitti absque Sacerdotum judicio.

*Inst.* 4. Hæc verba: *Quorum remiseritis peccata*, &c. intelliguntur de venialibus perinde ac de mortalibus: ergo Sacerdotes sunt æque Judices erga venialia ac erga mortalia.

*Resp. dist. ant.* Intelliguntur de venialibus perinde & æque primario ac de mortalibus, *nego ant.* & non æque primario *conc. ant.* Hæc enim verba primario & per se intelliguntur de mortalibus, cum Sacramentum Pœnitentiæ primario & per se institutum sit ad fideles lapsos reconciliandos, unde vocatur *Sacramentum mortuorum;* sed secundario tantum & per quandam extensionem intelliguntur de venialibus in quantum continent gratiam remissionis.

*Objicies* 2. Nectarius Patriarcha Constantinop. abrogavit confessionem testibus Socrate & Sozomeno (*Socr. l.* 5. *Hist. c.* 29. *Sozom. l.* 7. *c.* 16.) propter scandalum ortum ex nobilis mulieris confessione, quæ ex pœnitentiarii publici consilio sese publice accusaverat stupri a se in Ecclesia cum quodam Diacono patrati; ergo confessio non est juris divini, alias a nemine abrogari potuisset.

*Resp. dist. ant.* Nectarius abrogavit confessionem secretam, *nego ant.* publicam, *subdist.* pro peccatis occultis, *conc. ant.* pro peccatis publicis, *nego ant.* Itaque Nectarius occasione scandali ex imprudentis pœnitentiarii consilio orti deposuit pœnitentiarium ejusque monus abrogavit, cessavitque peccata pœnitentiario publico confitendi obligatio; at permansit obligatio peccata secreto confitendi alicui ex aliis presbyteris ab Episcopo hic muneri præfectis, ut patet ex libris pœnitentialibus orientalium; item permansit pœnitentia publica pro peccatis publicis, ut testatur D. Chrisost. Nectarii successor (*Hom.* 3. *in Epist. ad Ephes.*), & probat Goarius p. 890.

*Inst.* Ex Socrate, Nectarius post abrogatum pœnitentiarium *unicuique permisit pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere;* ergo abrogavit omnem confessionem.

*Resp. nego conseq.* His enim verbis excluditur quidem necessitas adeundi Presbyterum illum pœnitentiarium ad obtinendum ab eo authenticum testimonium quo comprobaretur peccatorum stadium pœnitentiæ decurrisse, sine quo testimonio nullus antea peccator publicus ad participationem Eucharistiæ admittebatur; at non excluditur necessitas secretæ confessionis.

*Objicies* 3. D. Chrysostomus Nectarii successor multis locis affirmat confessionem soli Deo factam sufficere, ergo non opus est peccata sua Sacerdoti declarare. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* D. Chrysost. ait (*Hom.* 21. *ad popul. Antioch. nunc Catechesi* 2. *ad illuminandos.*): *Non cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus enumerare, sed sibi soli rationem reddere jubet & sibi confiteri*: ergo affirmat confessionem soli Deo factam sufficere.

*Resp. dist. conseq.* Affirmat confessionem baptizandorum soli Deo debere fieri, *conc.* baptizatorum, *nego conseq.* Ex ipsius homiliæ titulo manifestum est Chrysostomum loqui de Cathecumenis baptizandis, qui lege confessionis Sacerdoti faciendæ non tenentur, sed soli qui post Baptismum mortaliter peccaverunt.

*Inst.* 1. Atqui D. Chrysost. affirmat confessionem baptizatorum soli Deo factam sufficere; ergo.

*Prob. subsumpt.* Homil. 2. in Psalm. 50. ait: *Si confundaris alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conservo tuo qui exprobret; dicito Deo qui curat ea.* Ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Ibi enim non agit de confessione sacramentali, sed de quotidiano conscientiæ examine, quo quis peccata sua quotidiana, seu venialia coram Deo explorans, contritionem elicit ad eorum remissionem sufficientem.

*Inst.* 2. Hoc 57. de Pœnit. ait. *Deo soli dic peccatum tuum, & dimittitur tibi peccatum*; ergo soli Deo facienda est confessio.

*Resp. nego conseq.* Facienda est confessio soli Deo per exclusionem confessionis publicæ, *conc. conseq.* per exclusionem confessionis secretæ quæ fit Sacerdoti ut ministro Dei, *nego conseq.* Itaque secreta confessio soli Deo fieri dicitur a Chrysostomo, tum quia qui confitetur Sacerdoti, confitetur soli Deo cujus vices gerit; tum quia quoad secretum attinet, perinde est ac si soli Deo intra conscientiæ arcana fieret. Hanc esse mentem D. Chrysostomi patet ex hom. 4. de Lazaro, ubi cum dixisset: *Num conservo confiteris ut in publicum proferat? imo vero ei qui dominus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera*, addit: *Non ergo te cogo in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatim.*

*Nota:* Quos & quandonam obliget divinum confessionis præceptum? diximus *cap.* 5. *q.* 1. de contritione universim sumpta.

## QUÆSTIO II.

### *De præcepto Ecclesiastico confessionis.*

*Nota:* Celebre confessionis semel in anno faciendæ decretum emisit Concilium Lateran. IV. sub Innoc. III. can. 21. cujus hæc sunt verba: „ Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata „ confiteatur fideliter, saltem semel in anno, „ proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens „ reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad „ tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu „ arceatur, & moriens, christiana careat sepultura ... si quis autem alieno Sacerdoti voluerit „ justa de causa sua confiteri peccata, licentiam „ prius postulet & obtineat a proprio Sacerdote, „ cum aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare ".

Circa Canonem Lateranensem proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones.

Quæres 1. *Quid intelligatur nomine proprii Sacerdotis?*

*Resp.* Intelligitur parochus, sed sine exclusione summi Pontificis, Episcoporum & Sacerdotum ab eis delegatorum; nam *proprius Sacerdos*, in Canone Lateranensi, intelligi debet per oppositionem ad *alienum Sacerdotem*; atqui Episcopi non sunt alieni Sacerdotes, cum habeant ordinariam & immediatam authoritatem in Parochianos, imo & in ipsos Parochos; ergo per tò *Sacerdos proprius* intelligitur Parochus, sed sine exclusione Episcoporum, qui hanc suam potestatem exercere possunt per se, vel per alios ad hoc delegatos; unde Canoni Lateranensi satisfaciunt qui vel summo Pontifici, vel Episcopo suo, vel ejus Pœnitentiario, aut cuilibet Sacerdoti sine restrictione approbato, confitetur; quod ulterius

*Prob.* 1. Ex Clem. X. declarante (*Const. superna edita ann.* 1670.) „ Regulares simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in Diœcesi Episcopi „ approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia: de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere, & hoc „ posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis „ ab audiendis confessionibus, præcipi: sufficere „ tamen ut certioratio hujusmodi fiat saltem per „ scripturam apud ipsum infirmum relinquendam: „ & eos qui dictis religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit ": omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos.*

2. Ex Synodo Claramontana dicente: „ Proprium „ autem Sacerdotem dicimus, duobus modis, ex „ officio, utpote Papam, Episcopum & Curatos; „ vel ex commissione, sicut Ff. Prædicatores & „ Minores, quibus Episcopus commiserit vices „ suas ".

5. Ex Synodo Tolosana: „ Injungimus omnibus „ confiteri volentibus, ut proprio Sacerdoti confiteantur; proprium Sacerdotem dicimus summum „ Pontificem, Episcopum, generaliter omnes alios Sacerdotes a prædictis legitime approbatos ".

*Resolves:* Sacerdotes sive sæculares, sive regulares *simpliciter & indefinite* ab Episcopo approbatos posse quovis anni tempore etiam Paschali audire confessiones Parochianorum absque consensu Parochorum.

Dixi *simpliciter & illimitate approbatos*: dubitari enim non potest quin Episcopi ius habeant limitandi ad certum tempus approbationem suam, & excipiendi tempus Paschale si voluerint; hinc in litteris approbationis vulgo inserunt hanc clausulam: *excepta quindena Paschali*: vel item *de consensu Parochorum*: quæ clausula non est necessaria, sed libera, ut notat Clerus Gallicanus

in

in comitiis generalibus anni 1655. his verbis. „ Fideles qui Paschalis communionis gratia confitentur, non solum suis Episcopis, eorum Vicariis Generalibus, verum etiam quibuslibet Sacerdotibus sæcularibus vel regularibus ab Episcopis ad hanc functionem approbatis ejusdem (*Lateranensis*) Concilii præceptum de annua confessione implere: additam clausulam istam, *de consensu Parochorum*, quam solent Episcopi apponere in litteris approbationis eorum quos excipiendis suorum diœcesanorum confessionibus deputant, ex condescensu, non ex necessitate apponi.

Qui plures auctoritates voluerit, ipsas reperiet apud doctissimum Tournely, de Pœnitentia *tom.* 1. *quæst.* 6. *art.* 5.

*Dices*: Episcopi dando Sacerdotibus alienis licentiam audiendi confessiones Parochianorum absque consensu Parochorum, lædunt jura Parochorum; atqui non licet jura aliena lædere; ergo.

*Resp. nego conseq. maj.* Nec enim Rex qui est in regno judex supremus, lædit jura inferiorum judicum, quando alicujus litis cognitionem & judicium ad se evocat; ergo a pari, &c.

*Inst.* 1. Maxima est inter inferiores judices relative ad Regem, & Parochos relative ad Episcopos differentia; Parochi enim juris sunt divini, illi vero Judices sunt juris humani; ergo licet Rex non lædat jura inferiorum judicum cum ad se evocat litem, non sequitur Episcopos non lædere jura Parochorum, cum dant licentiam prædictam.

*Resp. nego ant.* Ad probationem *dist.* Parochi sunt juris divini inferioris & subordinati Episcopis, *conc.* non inferioris, nec subordinati, *nego*. Episcopus enim proprius est in sua Diœcesi, & quidem excellentiori ratione, Sacerdos; *Siquidem*, ait Clerus Gallicanus (*Epist. encyclica ad alios Episc. data* 25. *April. ann.* 1655.) *proprii Sacerdotis officium, in proprii Episcopi dignitate continetur*: hinc Episcopus continet in se quidquid auctoritatis est in Parochis inferioribus.

*Inst.* 2. Omnia Regularium privilegia pro audiendis Fidelium confessionibus sunt revocata per Conc. Trident. Ergo.

*Resp. dist. ant.* Sunt revocata pro audiendis Fidelium confessionibus, sine licentia & approbatione Episcoporum, *conc.* cum tali licentia & approbatione, *nego*.

*Inst.* 3. Adversus decretum Clem. X. *ann.* 1670. reclamavit senatus Parisiensis ad supplicationem Cleri Gallicani; ergo nullius est roboris.

*Resp. dist. ant.* Reclamavit eo quod visum fuerit Episcopis in illo decreto reperiri nonnullos articulos juribus Episcoporum contrarios circa regularium approbationem, *conc. ant.*; reclamavit eo quod statuerit regulares posse quovis anni tempore etiam Paschali, accedente Episcoporum approbatione indefinita, audire confessiones fidelium, *nego ant.* Imo in comitiis *ann.* 1655. expresse id sibi juris inesse docent Episcopi, ut supra relatum est.

Articuli autem qui Episcopis visi sunt suis juribus contrarii in decreto Clementino, hi sunt:

1. *Regulares prævio examine & indefinite approbatos non teneri aliud examen subire, licet ad illud vocentur ab Episcopis.*

2. *Eosdem Regulares non posse ab audiendis confessionibus suspendi, nisi nova superveniente causa, quæ ad ipsas confessiones pertineat.*

3. *Episcopus inconsulta sede Apostolica non posse negare omnibus alicujus monasterii Religiosis facultatem audiendi sæcularium confessiones.* Quæ totidem sunt capita contraria praxi Episcoporum regni.

Quæres 2. *Quosnam obliget præceptum confessionis Ecclesiasticum?*

*Resp.* Probabilius obligat omnes omnino fideles, cum ad annos discretionis pervenerint.

*Prob.* 1. Quia vox *omnis*, qua Canon Lateran. utitur, omnes fideles explicite complectitur, frustra ergo a quibusdam restringitur ad fideles, qui in peccatum mortale lapsi sunt.

*Prob.* 2. Quia Canon excommunicatione & post mortem privatione Ecclesiasticæ sepulturæ mulctat fidelem, qui semel eo anno confessus non fuisset: atqui hæc pœna esset frustranea, si idem Canon ad omnes omnino fideles adultos non extenderetur: nam qui Canoni non satisfecisset eo anno posset reponere se, Deo opitulante, eo anno in nullum peccatum mortale incidisse; ergo, &c.

*Prob.* 3. Ex D. Thom., (*in suppl. q.* 6. *art.* 3. *ad* 3.) qui ait: „ Respondeo dicendum, quod ad confitendum dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino, ex hoc ipso quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innoc. III. Tum ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei, Rom. 5. Tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur, tum etiam ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

Dixi: *Probabilius*: quia contraria, quam in prima editione tenui, & propugnant plures Theologi, non est improbabilis, eamque permittit D. Thom. ibidem ad 3. dicens; „ Vel potest dici secundum quosdam, quod ex decretali prædicta (*omnis utriusque sexus*) non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit, *omnia sua peccata confiteatur*, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest: & secundum hoc ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortali esse; & hoc ei pro Confessione reputatur. “

*Objicies*: Ex Conc. Trid. (*Sess.* 14. *c.* 5.) Ecclesia, per Canonem Lateranensem, nihil addit divino confessionis præcepto, nisi determinationem temporis illius præcepti implendi; sed nemo ex præcepto divino tenetur confiteri venialia; ergo nec ex præcepto Ecclesiastico.

*Resp. nego maj.* Equidem Conc. Trident. declarat, quod Ecclesia, in Concilio Lateranensi, determinaverit tempus implendi divinum confessionis præceptum; sed non declarat Ecclesiam præter illam determinationem nihil aliud statuisse: unde cum præcipiat indefinite, ut *omnis fidelis confiteatur semel in anno*, dicendum cum D. Thoma, ibidem; *quod ex vi Sacramenti non teneatur aliquis*

*quis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur.*

Quæres 3. *Qua anni parte obliget annuæ confessionis præceptum?*

*Resp.* Quamvis decreto Lateranensi nullum tempus sit determinatum, tamen intra quindenam Paschalem confitendi mos invaluit, *Quem morem*, ait Concil. Trident. ibidem, *hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tamquam pium, & merito retinendum.* Immo hoc tempus assignavit Clerus Gallicanus ( *In comitiis general. ann.* 1625. 1635. 1645. ).

Quæres 4. *Quas pœnas incurrant qui præcepto Ecclesiastico confessionis non satisfecerunt?*

*Resp.* Incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & privationem ecclesiasticæ sepulturæ; quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ; quare ad eas imponendas requiritur superioris judicis sententia.

Quæres 5. *An satisfiat præcepto Ecclesiastico per confessionem nullam?*

*Resp. negative.* Ratio est quia præceptum Ecclesiasticum confessionis est determinatio præcepti divini quoad tempus; atqui non satisfit præcepto divino per confessionem nullam; ergo nec præcepto Ecclesiæ: unde hæc prop. proscripta est ab Alex. VII. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; hinc qui culpa, v. gr. defectu sufficientis examinis in confessione omisit peccatum mortale, tenetur adhuc ex vi præcepti ecclesiastici confiteri illo anno.

Quæres 6. *An qui toto anno confessionem omisit, teneatur adhuc præcepto Ecclesiastico satisfacere?*

*Resp.* Tenetur quantocius confiteri, & continuo donec præceptum impleverit, alioquin peccat deinceps mortaliter toties quoties oblatam confitendi opportunitatem cum advertentia negligit. Ratio est quia terminus ab Ecclesia non opponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem, ut patet ex verbis: *Saltem semel in anno.*

Hinc qui prævidet impedimentum ad confessionem in quindena Paschali faciendam, tenetur vi præcepti Ecclesiastici anticipare confessionem; quia confessionis obligatio currit toto anno, ideoque in illo est implenda.

## QUÆSTIO III.

*De conditionibus ad confessionem legitimam requisitis.*

*Nota* 1. Sexdecim vulgo a Theologis assignantur conditiones vel ad validitatem, vel ad perfectionem confessionis requisitæ, hisque versibus exprimuntur.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis:*
*Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda:*
*Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis & accusans, & sit parere parata.*

*Simplex*: id est sermonibus inutilibus non mixta.

*Humilis*: id est facta cum hominis interioris, & exterioris demissione.

*Pura*: id est facta ex solo motivo reconciliationis cum Deo obtinendæ.

*Fidelis*: id est sincera, quæ nihil falsi habeat admixtum.

*Nuda*: id est absque ambagibus & æquivocis peccata potius palliantibus quam aperientibus.

*Frequens & accelerata*: id est ad longum tempus non dilata.

*Discreta*: id est prudens, ita ut pænitens nihil proferat quod charitatem proximi, vel modestiam christianam lædere possit, sed intra eos fines se contineat, quos exigit confessionis integritas.

*Libens*: id est non coacta: confessio enim simpliciter involuntaria est nulla.

*Verecunda*: id est casta & modesta, ne scilicet obscœna verbis obscœnis exprimat.

*Integra*: id est, quæ nihil reticeat necessarii.

*Secreta*: id est parte Confessarii sigillata.

*Lacrymabilis*: id est cum intimo animi dolore.

*Fortis*: id est, quæ timorem humanum in detegendis peccatis, generose superet.

*Accusans*: id est quæ non sit historica peccatorum narratio; multo minus excusatio, aut in alios relatio: v. g. in filios, &c.

*Parere parata*: id est cum firmo proposito exequendi quidquid prudens Confessarius tanquam ad emendationem necessarium, jusserit.

*Nota* 2. Inter illas conditiones duæ potissimum sunt, quæ pleniorem a nobis exigunt expositionem, scilicet integritas, & secretum seu sigillum confessionis, de quibus agemus duobus articulis.

## ARTICULUS IV.

*De integritate confessionis.*

*Nota* 1. Duplex est confessionis integritas, materialis scilicet, & formalis.

Integritas *materialis est accusatio omnium peccatorum mortalium, nullo dempto.* Hæc non est semper necessaria, cum sæpe sit sive physice, sive moraliter impossibilis; unde Conc. Trid. ( *Sess.* 14. *cap.* 5. ) ait: *Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*

Integritas *formalis est accusatio peccatorum quæ pænitens potest & debet hic & nunc confiteri.* Hæc requiritur in confessione.

*Nota* 2. Certum est de fide ad integritatem formalem, necessarium esse ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, eorum species, numerum, & circumstantias peccati speciem mutantes, quæ post diligens examen occurrunt animo, nisi tamen causa legitima confessionis extrinseca excuset: ita definivit Conc. Trid. (*Sess.* 14. *can.* 1.) his verbis: „ Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant, anathema sit ".

Hinc confessionis integritas pendet a tribus punctis.

1. Ab examine diligenti & accurato, quale solet exigi in rebus gravissimi momenti.

2. Ab

2. Ab accusatione peccatorum mortalium quoad speciem & numerum.

3. Ab accusatione quoad circumstantias mutantes speciem; id est quæ pugnant contra virtutem specie distinctam: sic furtum in loco sacro propter circumstantiam loci est peccatum non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem; hæc certa sunt & definita; verum

Disputant inter se Theologi 1. Utrum ad integritatem confessionis circumstantiæ intra eandem speciem aggravantes sint necessario declarandæ; 2. Utrum peccata dubia sint declaranda; 3. Utrum persona complicis sit detegenda; 4. Utrum moribundus, a quo non potest haberi confessio, sit absolvendus; 5. Quænam sint causæ a materiali integritate dispensantes; quæ ut dirimantur,

## CONCLUSIO I.

*Ad integritatem confessionis necesse est ut circumstantiæ in eadem specie notabiliter aggravantes, declarentur. ( Ita Suarez, Azor. Sylvius, Tournely, Paul. Lugd. P. Antoine, &c. )*

*Prob.* 1. Quia rationes, quas Concilium Trid. ( *Sess.* 14. *cap.* 5. ), affert ut probet obligationem confitendi circumstantias speciem mutantes, militant pro obligatione confitendi circumstantias aggravantes; ergo pariter sunt in confessione aperiendæ.

*Prob. ant.* Concil. Trid. ideo probat circumstantias species mutantes necessario confitendas, *quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant: & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere*; atqui sine confessione circumstantiarum aggravantium neque peccatum integre exponitur, nec judicibus innotescit, cum supprimatur ejus malitia moralis; nec Confessarius potest de illius gravitate recte censere, & pœnam proportionatam imponere, cum ignoret circumstantiam, ob quam multo graviori pœna dignum est; ergo.

*Prob.* 2. Ex S. Carolo Borromæo, quis *in instr. Confessariorum*, part. 4. monet, Confessarium apprime scire debere *circumstantias peccati speciem mutantes, augentes; nam hæ duæ circumstantiarum species debent necessario explicari.*

*Prob.* 3. Innoc. XI. hanc propositionem damnavit. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; atqui ideo damnavit, quod consuetudo sit circumstantia, quæ peccati malitiam multum auget intra eamdem speciem, ergo &c. Eamdem propositionem Clerus Gallican. ann. 1700. confixit his verbis: *Falsa est & temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet ... Confessionis integritati, atque ipsius sacramenti institutioni & fini derogat*; ergo &c.

*Confirm.* Quia non reservantur nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis ( inde est quod peccata venialia non possunt reservari ); atqui Ecclesia aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem; sic in multis Diœcesibus reservatur incestus in 1. & 2. gradu, non in aliis, licet sint ejusdem speciei; ergo declaratio circumstantiarum aggravantium est necessaria.

*Præterea.* Circumstantia aggravans aliquando longe magis auget malitiam & gravitatem peccati quam circumstantia speciem mutans, ut videtur in furto 100. nummorum in loco profano, & in furto unius nummi in loco sacro; ergo necessario aperienda est in confessione.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies.* Conc. Trid. definiens quænam circumstantiæ declarandæ sint, nullam mentionem facit de circumstantiis aggravantibus; ergo non sunt necessario declarandæ; alias definitio non esset accurata.

*Resp. dist. ant.* Nullam mentionem facit explicitam, *conc. ant.* implicitam, *nego ant.* Itaque Concilium nullam mentionem explicitam facit circumstantiarum notabiliter aggravantium, quia more suo noluit expresse definire quæstiones inter Catholicos controversas; sed illarum mentionem facit implicitam, contentam in rationibus quibus probat aperiendas esse circumstantias speciem mutantes.

*Inst.* 1. Non sunt necessario declarandæ circumstantiæ quæ notabiliter non aggravant peccatum; ergo nec eæ sunt declarandæ, quæ notabiliter aggravant.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod circumstantiæ non notabiliter aggravantes peccatum, non mutant peccatoris statum, nec alia remedia exigunt: secus autem dicendum de circumstantiis notabiliter aggravantibus.

*Inst.* 2. Circumstantia aggravans non constituit novum peccatum; ergo non est necessario declaranda.

*Resp.* Transeat ant. *nego conseq.* Dico *transeat*, quia licet circumstantia aggravans non constituat novum peccatum formaliter, constituit tamen novum peccatum æqualiter, quatenus actus malus per illam circumstantiam, tantam habet malitiam, quantam habent duo vel plura peccata numero distincta.

*Prob. conseq.* Ex institutione Christi solus numerus & species peccatorum debent declarari; ergo circumstantia, quæ non constituit novum peccatum, non est declaranda.

*Resp. nego ant.* Nam interprete Trident. id insuper est declarandum, sine quo Sacerdos recte censere non potest de gravitate criminum, & de pœnis proportionatis imponendis; atqui tales sunt circumstantiæ aggravantes.

*Inst.* 3. D. Thom. ( *In* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. ) ait: *Circumstantias aggravantes, quæ non trahunt ad aliud genus peccati, non credo quod aliquis teneatur confiteri*; ergo nobis adversatur.

*Resp. nego conseq.* Hanc enim doctrinam tradit D. Doctor, non tanquam veritatem constantem & indubiam, sed tanquam opinionem: addit enim, *& hoc est probabilius*; & ideo opinionem oppositam possumus sequi cum D. Carolo ( *Parte* 4. *de instr. Confess.* ) & discedere ab opinione D. Thomæ qui *si post Concilium Trid. scripsisset, nostram doctrinam secutus fuisset*, ait Natalis Alexander; imo *suam opinionem haud dubie revocasset senior factus, si manum ultimam suæ summæ apposuisset*: ait Tournely, cum jam in ea ad nostram sententiam accedere videatur, dicens ( 1. 2. *qu.* 73. *art.* 7. *ad* 1. ) : „ Circumstantia quæ non dat

„ spe-

„ speciem, potest aggravare peccatum, quia sicut „ bonitas rei non solum pensatur ex sua specie, „ sed ex aliquo accidente; ita malitia actus non „ solum pensatur ex specie actus, sed etiam ex „ circumstantia “.

## CONCLUSIO II.

*Pœnitens tenetur omnia peccata dubia confiteri ut dubia.*

*Prob.* Auctoritate & ratione D. Thomæ (*Parte 4. de instr. Confessor.*), cujus hæc sunt verba: „ Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an „ sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione „ manente: quia qui aliquid committit vel omit- „ tit in quo dubitat esse mortale peccatum, pec- „ cat mortaliter discrimini se committens, & si- „ militer periculo se committit, qui de hoc quod „ dubitat esse mortale, negligit confiteri: non „ tamen debet asserere illud esse mortale; sed „ cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis „ expectare, cujus est discernere inter lepram & „ lepram “.

*Dices:* qui dubitat an mortaliter peccaverit, non potest judicare se peccasse; ergo non tenetur confiteri.

*Resp. nego conseq.* Quia ut quis teneatur confiteri peccatum dubium ut dubium, non necesse est ut judicet se peccasse, sed sufficit ut dubitet se peccasse; quod dubium si retineat in confessione, exponit se periculo non confitendi peccatum mortale, & consequenter peccat mortaliter.

*Inst.* Juxta regulam juris: *In dubiis melior est conditio possidentis*; ergo in dubio peccati mortalis judicandum est in favorem hominis qui est in possessione suæ innocentiæ.

*Resp. neg. conseq.* Quia hæc reg. juris extra materiam justitiæ impertinens est ad deponendum dubium, sed recurrendum est ad istam: *In dubiis tutior pars est eligenda:* secundum quam dubitans utrum peccatum mortale perpetraverit, vel utrum peccatum certo commissum confessus fuerit, tenetur confiteri, alias se committeret periculo incurre non confitendi.

Quæres: *Utrum peccatum confessum ut dubium, debeat iterum confiteri, si postea cognoscatur certum?*

*Resp. affirm.* Quia non sufficit peccatum subjicere clavibus Ecclesiæ, sed requiritur ut subjiciatur prout cognoscitur, ut Sacerdos de ipso judicium certum ferre possit.

## CONCLUSIO III.

*Si pœnitens possit crimen suum & ejus circumstantias necessario aperiendas declarare absque sui complicis manifestatione, tenetur complicem occultare; quod si absque manifestatione complicis non possit peccati proprii speciem & circumstantias necessario aperiendas, declarare; potest & tenetur complicem manifestare, modo urgeat præceptum confessionis, & sine gravi incommodo non possit adiri alter Confessarius, cui complex sit ignotus.*

*Prob.* 1. *pars:* Non licet sine legitima causa infamare proximum; atqui non est legitima causa complicem in confessione infamandi, dum sine ejus manifestatione, crimen & ejus circumstantiæ aperiri possunt; ergo, &c.

*Hinc* Confessarii ex officio suo tenentur monere pœnitentes, ne complicem suum manifestent, eosque graviter corripere dum id faciunt, cum veram detractionem committant, mortalem ex genere suo, a qua per solam ignorantiam, vel bonam fidem, vel etiam inadvertentiam inculpabilem excusari possunt.

*Prob.* 2. *pars:* Ex institutione divina species peccatorum debent aperiri in confessione; atqui sæpe species peccatorum non possunt aperiri absque complicis declaratione, v. g. incestus cum matre vel sorore unica cognitis Confessario; ergo in tali casu necesse est personam complicis declarare Confessario qui tenetur servare sigillum pro utroque.

Dixi in conclusione; *quando urget præceptum confessionis*, &c. Nam si commode possit differri confessio, aut fieri alteri Sacerdoti cui ignota est persona complicis, differenda est, & alteri Sacerdoti facienda.

*Dices* 1. Nunquam licet infamare proximum; sed qui in confessione declarat peccatum complicis, ipsum infamat; ergo.

*Resp. dist. ant.* Nunquam licet infamare proximum sine causa legitima, *conc. ant.* cum tali causa, *nego ant.* & sic ad minorem. Nam ut ait Div. Thom. (2. 2. *quæst.* 73. *art. in corp.*) *Et si quidem verba, per quæ fama alicujus diminuitur, proferat aliquis propter bonum aliquod necessarium, debitis circumstantiis observatis; non est peccatum, nec potest dici detractio.* Hic autem non declaratur persona complicis, nisi propter bonum necessarium, nempe propter integritatem confessionis divino jure necessariam.

*Inst.* Detractio est intrinsece mala; ergo nullo casu licita.

*Resp. dist. ant.* Detractio formalis, *conc. ant.* materialis, *nego ant.* quando autem revelatur peccatum proximi ex legitima causa, *non est detrahere per se & formaliter loquendo*, ait Div. Thom. citatus: *sed solum materialiter & quasi per accidens.* Alias reus judici ex officio interroganti aperiens socium criminis, reus esset detractionis, quod falsum est, cum potius exerceat actum justitiæ publicæ. Præterea socius criminis jus amisit ad suam apud Confessarium famam.

*Dices* 2. Dum Confessarius peccatum suum deponere non potest, quin sigillum confessionis altero Confessario revelet, non tenetur peccatum illud declarare; ergo a pari &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod pœnitens non confitendo peccatum suum non amisit jus ad famam, cui juri (utpote naturali) debet cedere præceptum divinum integritatis confessionis: ergo si Confessarius non possit peccatum suum declarare, quin declaret peccatum sui pœnitentis, non tenetur, imo non potest suum peccatum declarare; sed complex peccando amisit jus ad famam quando aliter confessio non potest esse integra.

Quæres: *An pœnitens teneatur declarare in confessione personam, quæ licet non sit complex, est tamen objectum seu occasio criminis.*

Resp.

*Resp.* Tenetur, si confessio non possit esse integra sine illius personæ declaratione; sic qui sororem per viam defloravit, tenetur sororem manifestare, quamvis non sit culpabilis, aliter enim incestum non potest declarare; quod si vero confessio possit esse integra sine illius personæ manifestatione, non potest ipsam manifestare; sic qui sororem gravidam, (quam Confessarius novit innuptam) percussit, non potest declarare graviditatis circumstantiam, nisi percutiendo procuraverit abortum, vel intenderit ipsum, tunc tenetur illam manifestare, sine qua non potest esse integra confessio. Hæc resolutio est D. Bernardi dicentis: (*Opusc. de formula honestæ vitæ*) *De nullo prorsus sinistro loqueris, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

## CONCLUSIO IV.

*Infirmus qui subita vi morbi obmutescit, potest absolvi absque confessione, modo coram Sacerdote det aliqua doloris signa, vel ipsa, antequam obmutesceret, dederit coram uno saltem adstante ea de re testimonium ferente.* Est communis, &

*Prob.* 1. Auctorit. Conc. Carthag. IV. (*Cap.* 76. *ann.* 398. *sub Anastasio* 1. *approb. a Leone III.*) ,, si qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia ".

2. Rituale Rom. jussu Pauli V. editum de tali infirmo ait: *Si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

Ratio est quia in casu proposito reperitur confessio generica & confusa, quæ ex voluntate Christi nobis ex praxi universalis Ecclesiæ manifestata, sufficit in instanti articulo mortis.

Quæres: *An talis infirmus omni sensuum usu destitutus possit absolvi, si nulla signa externa pœnitentiæ, vel desiderii absolutionis dederit, neque coram Sacerdote, neque coram aliis?*

*Resp.* Cum distinctione, vel talis christiane vixit, vel non.

Si non vixit christiane, (quales sunt hæretici publici, concubinarii, qui in ipso criminis actu v. g. duelli, adulterii, vocis & sensuum usum amittunt), non est concedenda, sed prorsus deneganda absolutio.

Ratio resolutionis est, quia iis deneganda est absolutio, quorum voluntas in malum obfirmata, non præsumitur mutata; atqui peccatorum de quibus loquimur, voluntas non præsumitur mutata; ergo ipsis deneganda est absolutio.

Si christiane vixit; multi negant etiam tunc posse absolvi propter defectum materiæ sensibilis, sine qua stare non potest Sacramentum.

E contra alii affirmant posse eum absolvi sub hac conditione: *si es capax*: ratio eorum est, quia potest absolvi moribundus etiam pravæ vitæ, dum quisquam testatur ipsum signa aliqua doloris dedisse; ergo a fortiori potest absolvi qui vitam duxit christianam, in qua absolutionis desiderium, saltem in articulo mortis, includitur; cum vita christiana quam duxit, sit signum probabilius ac certius voluntatis confitendi, quam signa doloris æquivoca quæ dat moribundus, qui vitam in peccatis & pravis habitibus peregit.

Ut mentem meam aperiam, dico cum Melchiore Cano (*part.* 6. *relect. de Pœnit.*): *In praxi hujus Sacramenti habendam esse potius rationem eorum quæ ad mores & salutem animarum pertinent, quam ad metaphysicas, sive speculativas quæstiones*: propter quas moribundus ille, cujus, ut ait Div. August. (*L. de adulterin. conjugiis cap.* 6.) *in fide Christiana jam nota voluntas est*, non debet sine absolutione dimitti. Ita Rituale Tullense pag. 138 cujus hæc sunt verba. *En attendant que l'Eglise ait decidè cette difficulté, les Curés, Vicaires, & Confesseurs pourront dans la pratique suivre ce qui paroit plus favorable au salut de ceux qui trouveront en cet état, & leur donner l'absolution, s'ils ont toujours menés une vie réglée.*

## CONCLUSIO V.

*Quatuor sunt causæ, non plures, nec pauciores, a materiali confessionis integritate excusantes.*

Probatur enumeratione.

1. Est *naturalis oblivio inculpabilis*, quia nemo tenetur ad impossibile, si tamen illius postea recordaretur pœnitens, tenetur illud confiteri, ut statuit Alexand. VII. in damnatione hujus prop. *Peccata in confessione ommissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut aliam ob causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere* (*Prop.* 11. *damn.* 24. *Septemb. ann.* 1655). *Hæc proposit.* ait censura, *est temeraria, erronea, & confessionis integritati derogat.*

Dixi *oblivio inculpabilis*: quia si foret culpabilis, v. g. defectu sufficientis examinis, teneretur repetere totam confessionem utpote nullam, & sese accusare de illa oblivione peccaminosa.

2. Est *ignorantia invincibilis*; quia quis putat id quod retinet non esse peccatum, cum tamen sit a parte rei mortale; ratio est, quia qui peccata sua non novit, perinde se habet, ac si ea non commisisset.

Dixi *invincibilis*; si enim ignorantiam vincere debuerit ac potuerit, commisit sacrilegium, teneturque totam confessionem repetere, imo & omnes subsequentes, nisi in his, hujus sacrilegii factus inculpabiliter immemor, bona fide deinceps processerit; quia in hoc casu fuerunt formaliter integræ.

3. Est *moralis impotentia*: sive hæc oriatur a Confessario, sive a pœnitente: ratio est quia præceptum confessionis integræ faciendæ, utpote positivum, non obligat in casu moralis impotentiæ.

*Hinc* ab integritate materiali confessionis excusantur:

1. Mutus, si per gestus, vel scripturam, non possit omnia declarare peccata.

2. Mi-

2. Militares, dum instat pugna, & navigantes imminente naufragio.

3. Moribundus, dum adest periculum imminens ne vel ipse, vel ejus Confessarius usum loquelæ subito amittat.

4. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit, absque fractione sigilli confessionis.

5. Extraneus, cujus idioma a Confessario non satis bene percipitur, modo instet necessitas confitendi, nec adsit alius Sacerdos.

4. *Causa* est *grave damnum* sive temporale, sive spirituale confessioni *extrinsecum*, vel sibi, vel Confessario, vel alteri ex declaratione alicujus peccati imminens probabiliter. Ratio est quia præceptum positivum non obligat cum tanto incommodo, alias jugum Christi non esset suave.

*Hinc* excusantur ex illa causa.

1. Quibus imminet grave periculum morbi contagiosi, vel gravis infamiæ, prout si quis, nisi altero audiente, posset audiri.

2. Qui probabiliter timent ne Confessarius ex sua confessione sumat occasionem peccandi, vel notabiliter nocendi proximo; sed tunc requiritur ut nullus alius adiri possit Confessarius & sit necessitas confitendi, qualis reperitur dum urget præceptum annuæ Confessionis, vel necessitas celebrandi aut communicandi ad vitandum grave scandalum, aut gravem infamiam.

Dixi: *damnum confessioni extrinsecum*. Nam damnum confessioni intrinsecum, ut confusio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud Confessarium, non excusat; quia hæc incommoda nata sunt sequi ex confessione, & nihilominus, iis non obstantibus, Christus præcepit confessionem.

## ARTICULUS II.

*De secreto seu sigillo confessionis.*

*Nota:* Ut omnia quæ spectant sigillum confessionis, clare & distincte elucidentur, diversas quæstiunculas instituemus. Itaque

Quæres 1. *Quid sit sigillum confessionis?*

*Resp.* Est strictissima indispensabilis obligatio servandi sub secreto quæ in confessione sacramentali fuerunt accepta.

Dicitur 1. *obligatio:* inducta a triplici jure.

1. A jure naturali, quo tenemur stare promissis; pœnitens enim peccata sua declarat sub pactione tacita secreti, quod Confessarius tacite spondet hoc ipso quod audit confessionem. Præterea infamare proximum vetat jus naturale; sed ex revelatione confessionis factæ plerumque infamaretur pœnitens; ergo &c.

2. A jure divino positivo, *quia*, ut ait Synodus Senonensis ann. 1524. *eodem jure prohibetur revelatio confessionis, quo jure præcipitur ipsa confessio, quæ est de jure divino a Christo instituta: nam si licitum esset in aliquo casu Sacerdoti revelare peccatum sibi dictum in confessione, enervaretur præceptum divinum de confessione facienda; quia nemo esset qui vellet suum peccatum occultum prout famæ denigrativum Sacerdoti detegere & revelare.*

3. A jure Ecclesiastico, ut habetur *cap.* omnis utriusque sexus: *Caveat omnino Sacerdos ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

Hinc qui violat sigillum, duplex committit peccatum, unum injustitiæ erga pœnitentem, & aliud sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam; & licet peccatum injustitiæ possit esse veniale ex levitate materiæ, tamen peccatum sacrilegii semper est mortale, cum sit graviter injuriosum Sacramento quod reddit odiosum.

Dicitur 2. *Indispensabilis:* quia hæc obligatio tanta est, ut sine expresso consensu pœnitentis nunquam, ne quidem post mortem pœnitentis, nec ullo prorsus casu, ne quidem periculi propriæ vitæ, vel gravissimi damni reipublicæ, regni, vel animarum, liceat vel minimum peccatum, ex confessione cognitum, neque indirecte, facto nimirum, vel signo aliquo detegere; ratio est quia infractio sigilli directe pugnat contra finem institutionis Christi; cum, ut ait Synodus Senon. citata, *talis revelatio peccati esset a præcepto de faciendi confessione retractiva.*

Dixi: *Sine expresso consensu pœnitentis*; quia cum obligatio sigilli sit in favorem pœnitentis, potest cedere juri suo pœnitens, qui cum non possit cedere jure complicis, nunquam dare potest facultatem revelandi peccatum ipsius. Porro talis consensus debet esse *expressus*, nec sufficit interpretativus, alias confessio redderetur valde onerosa & odiosa.

*Dices* 1. Integritas confessionis est juris divini, & tamen potest quis in aliquo casu ab ea dispensari; ergo licet sigillum sit juris divini, potest dari casus in quo Sacerdos potest ab eo dispensari.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod ex Scriptura & traditione certum sit perfectam contritionem sufficere ad salutem sine confessione quando urget necessitas; at neque ex Scriptura, neque ex traditione habemus quod in aliquo casu possit infringi sigillum confessionis.

*Dices* 2. Obligatio servandi secreti naturalis cessat dum ejus revelatio est necessario ad impediendum grave damnum reipublicæ, vel innocentis; ergo in iisdem casibus cessat obligatio sigilli.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod grave damnum reip. vel innocentis sit majus malum quam revelatio secreti naturalis, proindeque dum alterutrum imminet, non amplius urget obligatio secreti; at nullum est tam grave damnum quod præponderet fractioni sigilli confessionis, quæ ex Dei præcepto necessaria est ad reconciliationem hominis cum Deo.

*Inst.* Bonum privatum debet cedere bono publico: atqui sigillum confessionis est in bonum privatum pœnitentis; ergo.

*Resp. nego min.* Nam spectat totius Ecclesiæ commodum & salutem, unde malum quod ex ejus infractione in universam redundaret Ecclesiam, præponderat cuilibet bono quod fingeretur posse inde sequi.

Dicitur 3. *In confessione sacramentali:* Id est in confessione ordinata ad absolutionem sacramentalem, etiamsi non recipiatur ob pœnitentis indispositionem, aut aliam causam.

*Hinc* 1.

*Hinc* 1. Non oritur sigilli sacramentalis obligatio, sed solum naturalis, cum aliquis alteri aliquid tradit sub confessionis sigillo; quia non pro libitu, sed ex sola confessione sacramentali oritur hæc sacra obligatio.

*Hinc* 2. Non contrahitur obligatio sigilli ex confessione quæ solum fit joco, vel ex intentione inducendi Confessarium in peccatum, de qua intentione omnino certum esse, necesse est; ratio est quia non est confessio sacramentalis.

Quæres 2. *Quinam teneantur ad sigillum?*

*Resp.* Ad sigillum tenentur omnes & singuli qui ex confessione sacramentali, immediate vel mediate, licite vel illicite, verbis vel signis aliquam sigilli materiam noverunt. Tales sunt:

1. Confessarius etiam fictus interpres; superior a quo postulata est licentia absolvendi a casibus reservatis; doctor qui fuit consultus, &c.

2. Qui confessionali vicinus, etiam inculpabiliter aliquid audivit, vel qui vultu aut gestu sive Sacerdotis, sive pœnitentis quidpiam conjecturavit; imo secundum multos is, qui alterius confessionem scriptam invenit, legit vel legi audivit; ratio horum est, quia res ad quoscumque pervenit, cum onere suo transit.

Quæres 3. *Quid respondere debeat Sacerdos, qui a judice interrogatur de auditis in confessione?*

*Resp.* Debet simpliciter affirmare, etiam cum juramento, si opus sit, se nescire pœnitentem tale scelus commisisse, nec mentitur, *Quia*, ut ait Div. Thom. (*In suppl. qu.* 11. *art.* 1. *ad* 2.) *Debet existimare quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo. Et si etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere, quia non est subjectus superiori suo, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus*, id est, ut Dei Minister, cujus vices gerit.

Quæres 4. *Quænam cadant sub sigillo?*

*Resp.* Omnia omnino etiam minima quæ fuerunt sacramentaliter deposita, & nata sunt reddere confessionem vel levissime odiosam; quia quidquid fuit sacramentaliter depositum, ab ipsomet Sacramento manet sigillatum.

*Hinc* 1. cadunt sub sigillo omnia peccata sive mortalia, sive venialia saltem in specie, sive secreta, sive publica, & omnes peccatorum circumstantiæ, imo & peccatorum objecta, ut si quis confiteretur se occidisse talem puellam gravidam, non solum homicidium, sed etiam graviditas *puellæ caderet sub sigillo.*

Dixi: *saltem in specie:* quia sigilli non censetur infractor qui pœnitentem venialia sibi confessum esse generatim dicit, cum nemo ad confessionem accedat, nisi saltem peccata venialia deponere velit; si tamen plurium confessiones exceperit, & dicat: talis mihi sola venialia confessus est, tunc sigillum violat, quia tacite innuit alios sibi mortalia confessos fuisse.

2. Omnes defectus sive naturales, sive morales pœnitentis, item ejus indispositio ad recipiendam absolutionem, pœnitentia imposita, abusus qui regnant in Monasterio, Capitulo, Parochia tali, &c.

3. Peccata, imperfectiones, defectus complicis pœnitentis, aut cujusvis alterius personæ ex confessione cogniti; horum enim omnium manifestatio de se nata est reddere confessionem exosam.

Quæres 5. *An Confessarius extra confessionem possit loqui cum pœnitente de auditis in ejus confessione.*

*Resp.* Non posse, nisi ex consensu pœnitentis formali, expresso & omnimode libero, quia hæc agendi ratio pœnitenti est molesta.

Dixi: *Extra Confessionem:* quia in Confessione Confessarius potest, & quandoque debet objicere pœnitenti relapso, quod sibi non satis caveat.

Quæres 6. *An liceat extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita?*

*Resp.* Licet, si possit fieri sine ullo pœnitentis gravamine, & indirecta sigilli infractione, secus nunquam licet, ideo Clem. VIII. (26. *Maji anno* 1594.) mandat ut *Superiores caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

*Resolves* 1. Posse Confessarium orare pro pœnitente, emendare suam negligentiam, vel nimiam severitatem, quam ex confessione intelligit esse aliis nocivam; *item* recedere ab eo loco in quo per confessionem novit sibi insidias, vel necem parari & fugere, occasione aliunde suscepta; *item* abstinere a celebratione Missæ, cum novit per confessionem vinum ad Missam paratum, esse veneno infectum, modo tamen pœnitens inde nullo gravamine, vel rubore afficiatur, ex quo Sacramentum redderetur odiosum.

*Resolves* 2. Non licere Confessario ob peccatum in confessione auditum, pœnitentem male habere; privare suffragio ad aliquam electionem, vel officio, quamvis sit ad nutum amovibile; famulum furem dimittere; repellere a matrimonio innodatum impedimento dirimente per solam confessionem cognito, &c.

Dixi: *Ob solum*, quia si esset alia ratio legitima, & extra confessionem cognita, sufficiatque ad hæc illis deneganda, Confessarius posset illis denegare. *Ex multis aliis causis*, ut Div. Thom. (*In suppl. quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 4.) redditur quis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato; sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi: & ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat.

Quæres 7. *Utrum ipsemet pœnitens ad sigillum teneatur?*

*Resp.* Licet pœnitens habeat obligationem secreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit sine injusto damno Confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem; tamen non habet obligationem sigilli sacramentalis, quod est in favorem solius pœnitentis.

Imo Gregor. XV. (*Bulla* 34. *data ann.* 1623. 30. *Augusti, quæ incipit Universi dominici gregis. Quamque innovavit Benedictus XIV. per Constit. Sacramentum pœnitentiæ an.* 1741.) jussit ut pœnitentes quæ in tribunali pœnitentiæ ad turpia a Confessariis sollicitantur, ipsos denuntient locorum Ordinariis; gravique censura notat Confessarios, qui docuerint non teneri pœnitentem ad talem declarationem faciendam. Non viget tamen in Gallia.

Quæres 8. *An absolvi possit pœnitens renuens confiteri peccatum, quod ab eo fuisse commissum novit Sacerdos extra Confessionem?*

*Resp.*

*pietatis operibus atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam*, *anathema sit*.

*Dices* 1. Pœnitentia Sacramentalis est tantum ad novæ vitæ custodiam, exemplum aliorum; ergo ei non inest vis redimendi peccata.

*Prob. ant.* Ex Divo Chrysost. *hom. de pœnitent.* dicente: *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens*; ergo est tantum ad vitæ novæ custodiam.

*Resp. nego conseq.* Vult duntaxat D. Chrysost. Deum nobis non imponere pœnas tantum ad vindictam, sed etiam ad nostram emendationem, ut patet ex verbis quæ antecedunt: *Ne peccantes*, ait, *& inulti manentes non efficeremur deteriores*, *non remisit supplicium*; *propter hoc imponi. pœnam &c.*

*Dices* 2. Homo non potest satisfacere Deo; ergo.

*Prob. ant.* Offensa Dei est objective infinita, satisfactio vero hominis plane finita; ergo homo non potest satisfacere Deo.

*Resp. dist. conseq.* Non potest satisfacere Deo quoad pœnam temporalem, *nego conseq.* quoad culpam & pœnam æternam, *subdist.* ad strictos justitiæ apices, *conc.* ex condigno licet non quoad strictos justitiæ apices, *nego conseq.* Itaque si homo justus potest mereri de condigno vitam æternam, quidni poterit satisfacere de condigno pro pœna temporali peccatis debita?

## QUÆSTIO II.

*Utrum Confessarius teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti, & pœnitens teneatur ipsam acceptare?*

### CONCLUSIO I.

*Confessarius tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti.*

*Prob.* Ex Conc. Trid. dicente: *Debent Sacerdotes quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Ubi notanda sunt hæc verba: *Pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate*: id est conditione, statu, ætate, sexu, valetudine, paupertate, imo & dispositione pœnitentis, hinc S. Anton. (3. *part. tit.* 16. *cap.* 21.) ait: *Debet Confessor dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.*

Ratio resolutionis est, quia satisfactio est pars integralis Sacramenti; at minister quantum potest tenetur procurare integritatem Sacramenti. Ergo.

*Objicies*: Pœnitens potest sponte pœnitentiam assumere; ergo non necesse est ut imponatur a Sacerdote.

*Resp. nego conseq.* Quia voluit Christus ut imponantur hoc ipso quod instituit Sacramentum pœnitentiæ per modum judicii punitivi. Deinde satisfactio a Sacerdote injuncta operatur *ex opere operato*; suscepta vero *ex opere operantis* tantum. Quare D. Thom. (*quodl.* 3. *q.* 12. *art.* 1.) de satisfactione a Sacerdote injuncta, ait: *In ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

*Inst.* 1. Satisfactio non est pars materialis integralis Sacramenti; ergo non agit *ex opere operato.*

*Prob. ant.* Materia Sacramenti debet præmitti formæ; atqui satisfactio non præmittitur formæ; ergo.

*Resp. dist. maj.* Materia essentialis, *conc. maj.* integralis, *nego maj.* satisfactio actualis est tantum pars integralis Sacramenti, sed acceptio satisfactionis & voluntas satisfaciendi est essentialis; unde præmittitur formæ, ut omnia præscribunt Ritualia.

### CONCLUSIO II.

*Pœnitens tenetur Pœnitentiam a Confessario injunctam acceptare.*

*Prob.* ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur: *Omnia sua peccata confiteantur fideliter & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.*

*Ratio est.* Quia obligatio præcipiendi & debitum obediendi sunt essentialiter correlativa, adeo ut unum sine altero esse nequeat; ergo si gravis sit Confessarii obligatio Pœnitentiam imponendi, gravis est Pœnitentis eandem acceptandi.

*Objicies.* Sententiam Judicis arbitri nemo tenetur acceptare, & exequi; atqui Sacerdos est judex arbiter; ergo &c.

*Resp. nego min.* Quia Sacerdos non est arbiter habens potestatem judicandi ex electione pœnitentis; sed ex sua ordinatione, & Ecclesiæ auctoritate.

*Inst.* Is cui aliquis se submittit libere, est Judex arbiter: atqui pœnitens Confessario se submittit libere: ergo &c.

*Resp. dist. maj.* Is cui aliquis se submittit libere ita ut ejus sententiæ refragari possit, est judex arbiter, *conc. maj.* secus, *nego maj.* at licet pœnitens se libere submittat alicui Confessario in particulari, ipsumque præ cæteris eligat, tamen non potest ejus sententiæ refragari, cum agat nomine & auctoritate Dei.

*Solvuntur quædam quæstiones satisfactionem spectantes.*

Quæres 1. *Quotuplex sit satisfactio Sacramentalis?*

*Resp.* Duplex est, scilicet vindicativa & medicinalis.

Vindicativa est *ea quæ datur præcise ad præterita peccata vindicanda.*

Medicinalis est *ea quæ datur præcipue ad peccata futura in posterum præcavenda.*

Quæ-

Quæres 2. *Quænam sint satisfactiones medicinales?*

*Resp.* Sunt eæ, quæ peccatorum causas ac radices resecant, malos habitus tollunt, occasiones peccandi removent, & pœnitentis emendationem pariunt: quare Rituale Roman. ait: *Contrarias peccatis pœnitentias injungat Confessarius; velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictationes, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia; &c.* Circa has medicinales pœnitentias unusquisque videat Rituale Diœcesis in qua commoratur; hic tamen instructionem, quam Sanctus Carolus Borromæus dat Confessario, in instruct. Sacramenti Pœnitentiæ, referre necessarium duxi in gratiam Confessariorum qui librum instructionum non habent.

„ *Pœnitentiam*, inquit, *injunget* (Confessarius) *pro culpæ et personæ ratione*; ita ut superbis humilitatis opera; carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat. In oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem & vespere orationi vacent; feria secunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent; certis item definitisque diebus devote visitent stationales, & præcipue devotionis Ecclesias & altaria, præsertim in adventu, & quadragesima. Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ consectantibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime B. Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem quam per compatres in Baptismo sancire fecerunt, reintegrent, intime Deum precando, in qua precatione firmo stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterum atque iterum sæculi pompis, & diabolo in primis, cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo".

„ Atque hæc quidem pœnitentiæ genera a sanctis viris accepta, Ecclesiasticæque disciplinæ interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

„ Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abstineat.

„ Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret, pedes item lavet.

„ Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

„ Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

„ Ut visitet qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

„ Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

„ Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

„ Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta & Sabbato, jejunet; vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur.

„ Ut certo aliquo tempore non equitet.

„ Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

„ Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ante crucem, aliamve sacram imaginem in Ecclesia oret.

„ Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve.

„ Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

„ Ut cilicium aliquot dies induat.

„ Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat sancteque conficiat.

„ Ut statos Psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

„ Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

Quæres 3. *Utrum necesse sit, necessitate Sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur?*

*Resp. negat.* Sed perinde est, sive ante, sive post absolutionem impleatur; constatque

1. Ex praxi Ecclesiæ, quæ in assignandis naturis Sacramentorum errare non potest.

2. Auctoritate summorum Pontificum Sixti IV. qui hanc Petri de Osma doctrinam damnavit. *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta:* & Alexand. VIII. qui inter plures propos. hanc damnavit. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.*

*Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.*

*Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

3. Quia satisfactio in re, est tantum pars integralis Sacramenti; ergo non debet necessario præmitti parti essentiali, qualis est absolutio.

Quæres 4. *Quandonam pœnitens teneatur implere pœnitentiam?*

*Resp.* Tenetur implere tempore a Confessario præscripto; nam determinatio temporis præcepto includitur. Hinc quando blasphemis, v. gr. imponitur ut subito terram osculentur, aut eleemosynam erogent, aut brevem recitent orationem, tenentur statim, blasphemia prolata, illam pœnitentiam exequi.

Quod si tempus non fuerit a Confessario determinatum, tenetur pœnitens ipsam implere quam primum commode fieri potest: adeo ut qui illam ex gravi negligentia notabiliter differret, mortaliter peccaret: nam integritas Sacramenti, ratio debiti & medicinæ, executionem celerem exigunt.

Quæres 5. *Utrum pœnitens satisfactionem sacramentalem implere possit in statu peccati mortalis?*

*Nota:* Potest intelligi hominem esse in peccato mortali dupliciter; nimirum, *actu*, cum peccatum committitur; & *reatu*, dum peccator deposito licet affectu peccati, nondum consecutus est ejus remissionem.

*Resp.* 1. Is, qui est in actu peccati mortalis, non satisfacit pœnitentiæ a Confessario injunctæ; nemo

nemo per nova debita pro prioribus satisfacere potest: ergo non valet illius satisfactio, qui dum injuncto sibi opere perfungitur, mortaliter peccat; unde tenetur pœnitentiam repetere, quia substantiam præcepti non implevit: hujusmodi est, qui Psalmos pœnitentiæ recitans, voluntarias admittit distractiones.

*Resp.* 2. Is qui est in reatu peccati mortalis, satisfacit pœnitentiæ a Confessario injunctæ.

*Prob.* Quia ipsum opus v. gr. jejunium, eleemosyna, &c. non modus implendi, cadit sub præcepto, unde qui in statu peccati implevit pœnitentiam, non tenetur ipsam repetere.

Curandum est tamen ut fiat in statu gratiæ, quia alias impediretur effectus secundarius pœnitentiæ, nimirum satisfactio pro pœna temporali, cum solus justus & amicus Dei ipsi possit satisfacere.

Quæres 6. *An possit injungi pœnitentia applicanda aliis, v. g. defunctis?*

*Resp. affirm.* Quia non applicatur secundum valorem quem habet ex opere operato, sed secundum eum quem habet ex opere operantis.

Quæres 7. *An pœnitentia possit per alium persolvi?*

*Resp. negative.* Ratio est, quia ex Triden. satisfactio sacramentalis debet esse actus pœnitentis; pœnitentia autem ab alio impleta, non est actus pœnitentis; hinc Alexand. VII. hanc proposit. damnavit: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Ubi notanda sunt hæc verba: *propria auctoritate*: Confessarius enim ex justa causa potest pœnitenti concedere ut pœnitentiam vindicativam ex parte impleat per alium, quam opinionem probat *communio Sanctorum*, juxta quam unus pro alio satisfacere potest, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint.

Dixi, *Vindicativam*: Nam si pœnitentia præscribitur ad sanandos pravos animi affectus, nec de licentia Confessarii potest persolvi per alium, quia medicina ab uno sumpta non potest alteri prodesse, neque enim ex jejunio unius, caro alterius domatur; nec ex actibus unius, alius bene agere consuevit.

Quæres 8. *An pœnitentia ab uno Confessario imposita possit ab alio mutari?*

*Resp.* Ob justam & evidentem causam potest, sive ab eodem, sive ab alio Confessario mutari in tribunali pœnitentiæ, *can.* Presbyteri, dist. 81. ubi dicitur: „Ad illud quod ultimo quærebatur, „ utrum Sacerdotes possint facere commutationes „ jejuniorum, vel alterius satisfactionis, ad petitiones ipsorum pœnitentium: credo quod sic, „ dum tamen discrete, & propter causam, & „ circa subditos suos, alias non".

Dixi: *Ob justam & evidentem*, v. gr. si imposita fuerit *clave errante*, vel quia fuit imprudentissime imposita, vel excessus est notabilis, vel circumstantiæ ita sunt mutatæ ut pœnitentem efficiant pœnitentiæ adimplendæ impotentem.

Dixi 2. *Sive ab eodem, sive ab alio Confessario*: quia uterque parem habet jurisdictionem, nisi pœnitentia sit pro reservatis imposita; tunc enim nec licite nec valide potest mutari, nisi a Sacerdote qui in reservata jurisdictionem habet.

Dixi 3. *In tribunali pœnitentiæ*: quia hæc mutatio est actus judicialis; ergo debet exerceri in tribunali, & quidem cum cognitione causæ; unde pœnitens, qui alium adit Confessarium ut immutetur pœnitentia imposita, debet ipsi peccata sua iterum declarare; idem præstare debet qui adit eundem Confessarium non amplius memorem peccatorum, pro quibus pœnitentiam imposuit.

Quæres 9. *Quid sit Pœnitentia Canonica?*

*Resp.* Ea est quæ per Canones pro certis peccatis erat decreta; & quæ quatuor stationes decurrendas complectebatur, nempe, fletus, auditionis, substrationis, & consistentiæ.

*Fletus*, erat statio eorum qui ab ingressu Ecclesiæ exclusi, sacco induti & cinere conspersi, extra portam Ecclesiæ genibus provoluti, fideles templum ingredientes orabant, ut apud Deum & Ecclesiam pro ipsis intercederent.

*Auditio*, erat statio eorum qui intra portas Ecclesiæ post catechumenos admittebantur ad audiendas divinas Scripturas & Conciones, quibus peractis exire tenebantur cum catechumenis ante mysteriorum celebrationem.

*Substratio*, erat statio eorum qui intra templi ambitum, nempe a portis usque ad ambonem, substrati & genuflexi, varias manuum impositiones suscipiebant, multisque pœnis ac laboribus onerabantur & castigabantur: postea cum catechumenis ab Ecclesia pellebantur.

*Consistentia*, erat statio eorum qui cum populo fideli ad finem usque Sacrificii persistebant, sed Eucharistiæ perceptione erant privati.

Quæres 10. *Utrum pœnitentibus imponi possit pœnitentia Canonica?*

*Resp. negative*: Quia jamdiu ab Ecclesia sublata est.

Quæres 11. *Quotuplex sit pœnitentia publica?*

*Resp.* Duplex: nempe, *publica cum solemnitate*, v. g. stando ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso; & *publica sine solemnitate*, peracta scilicet coram iis qui scandalum passi sunt, v. gr. ut quis retractet calumnias, sermones contra fidem, religionem, bonos mores, &c.

Quæres 12. *An imponi possit & debeat pœnitentia publica?*

*Resp.* 1. Pro peccatis occultis nulla debet imponi pœnitentia publica; quia est contra praxim Ecclesiæ & infirmativa pœnitentis.

*Resp.* 2. Possunt & debent interdum publici & scandalosi peccatores a solo Episcopo, vel de solius Episcopi consilio & auctoritate obligari ad aliquam pœnitentiam cum solemnitate publica; ita Concil. Trid. sess. 14. *cap.* 8. ubi dicit: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet . . . . Episcopus tamen publice hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Soli ergo Episcopo reservata est illa commutatio, nec ab inferioris ordinis Sacerdotibus fieri potest absque licentia Episcopi. Hæc Conc. Trid. disciplina confirmata est in Conciliis Provincialibus Gallicanis

nis post Tridentinum celebratis, Burdigalensi, *an.* 1583. *cap.* 12. *de Pœnit.* Bituricensi, *an.* 1584. *can.* 11. *&c.*

*Resp.* 3. Pœnitentia publica sine solemnitate, potest & debet imponi pœnitentibus: nam scandalum necessario tolli debet, & injuria illata reparari.

Quæres 3. *Utrum Confessarius Canones Pœnitentiales nosse debeat?*

*Resp. affirm.* Ita enim statutum est a variis Pontificibus & Conciliis: unum aut alterum refero.

S. Cælestinus I. *Epist.* 5. ait: *Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare.*

Conc. Bituricense, *can.* 9. *de Pœnit. Sacerdotes*, inquit, *Canones Pœnitentiales discant, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant.*

S. Carolus Borromæus, *in instruct. pœnitent.* præcipit Confessario, ut addiscat Canones Pœnitentiales, quia licet *eorum Canonum pœnitentias debeat, ut tempora ferunt, pro charitate & prudentia sua minuere, prout peccati & peccatoris circumstantiæ requirent;* tamen eas debet callere, ut possit *demonstrare iis qui gravius peccarent* (*quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant*) *quanta ipsis pœnitentia ex Canonum regulis imponenda esset, nec vero putent sua peccata levia esse, quia parva eis pœnitentia data est: sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, differant cum periculo salutis suæ.*

Et quia idem D. Carolus, *in instruct. Confessariorum*, dicit: *Quanquam pœnitentiam Canonibus antiquis præscriptam non imponet*, Confessarius, *eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur, motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris disciplinæ rigor mitigatur.*

Ideo illos Canones a Sancto Carolo ex variis collectionibus descriptos, ac pro ratione Decalogi dispositos, hic exhibere operæ pretium duxi in favorem Confessariorum, quorum plures id a me petierunt, ut in Tomulo portatili eos semper præsentes habere possint.

## CANONES PŒNITENTIÆ

*Spectantes peccata contra primum Decalogi præceptum commissa.*

Qui a fide Catholica desciscens, intimo, summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia erit annis decem.

Qui more gentilium elementa coluerit; qui vel segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

*Nota: Feriæ legitimæ, sunt secunda, quarta & sexta, Canonum legibus pœnitentiæ jejunioque in pane & aqua consecratæ.*

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit decem dies, pane & aqua victitans.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Mulier incantatrix pænitentiam aget annum, vel ut alio Canone cavetur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam conduxerit aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit, & qui ei consentit, quive consulit, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos septem, tres in pane & aqua; qui vero crediderit, particepsque fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus fuerit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in Codicibus, aut in Tabulis sorte ducta res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis Clericus vel Monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane & aqua.

*Canones spectantes peccata contra secundum Decalogi præceptum.*

Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur; post hæc communionem recipiat.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat domini impulsu, pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas: dominus autem quia præcepit, quadraginta dies in pane & aqua & septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua & septem sequentes annos, & per tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane & aqua jejunet: *item*, si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & Monasterium ingressus jugi se pœnitentiæ subdet.

*Nota:* Carina, *vocatur jejunium in pane & aqua per quadraginta dies; dicitur ab aliis*, carena, carentena & quadragena.

Si quis coactus, necessitateque alia impulsus perjurium commiserit, in pœnitentia erit quadragesimis tribus.

*Item*, si quis coactus pejeraverit, pœnitens 40. diebus pane & aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus, ignorans, & postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium ut falsum juret, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos in pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo se Regi & Domino suo adstrinxerit, violaverit, in monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua per annum a sacra Communione segregatus: ad charitatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua & pane septem dies victitet, si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per Cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tandiu pœnitens erit, quandiu impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet: ultimoque ex illis die sine pallio & calceamentis, ligetur corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulisque item septem illis diebus Dominicis, tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur, recusans Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu Ecclesiastica careat sepultura; dives a magistratu mulctetur pœna solidorum quadraginta, alioquin triginta, seu viginti.

*Canones spectantes peccata contra tertium Decalogi præceptum.*

Qui opus aliquod servile die Dominico Festoque fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit . . . . dies septem pœnitentiam aget.

Si quis ante Ecclesias, vel die Festo saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus.

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis sacram Communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, pœnitentiam aget dies decem in pane & aqua.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane & aqua.

Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

In quadragesima, carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac præterea a carne abstineat.

Qui in quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium quatuor Temporum non custodierit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

*Canones spectantes peccata contra quartum Decalogi præceptum.*

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane & aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tandiu pœnitens, quandiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum conspiraverit, gradu suo amovebitur.

Si quis Episcopi sui, aut ministrorum ejus vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua.

*Canones spectantes peccata contra quintum Decalogi præceptum.*

Qui presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos duodecim.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contra se irruentem occiderit, pœnitens erit annis decem.

Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat a carne & vino dum vixerit; jejunet secunda, quarta & sexta feria.

Si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum, aut filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat, deinceps viginti annis pœniteat.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta septennii pœnitentia, in monasterium detrusa monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si quæ mulier post partum, filium, filiamque sponte interfecerit, pœnitentiam aget annos duodecim, & nunquam erit sine pœnitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id fecerit, annos septem.

Si quæ mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

*Item*, mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum unum; si post quadraginta dies, annos tres; si vero postquam editus est in lucem, tanquam omicida.

Quæ, sceleris occultandi causa, filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua oleribus & leguminibus; abstinebit ab uxore dies totidem; deinde, pœnitens erit tres annos per legitimas ferias. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, & quinquennii praeterea pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.

Cu-

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentia agent annos tres.

Si quis, explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, homicida teneatur.

Qui uxorem occiderit, aut monasterium ingrediatur pœnitentiam perpetuam acturus, aut cuncta negotia sæcularia dimittens, perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, medone, mellita, cerevisia, exceptis diebus resurrectionis & nativitatis Domini; uxorem non ducat, &c. in fine tantum vitæ Eucharistiam accipiat.

Si mulier maritum suum, causa fornicationis, veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit, sæculum relinquat, & in monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis cadaver ejus sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiet; si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida, pœnitentia afficietur.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis, jussu domini, homicidium perpetrarit, dies quadraginta in pane & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane & aqua cum septem sequentibus annis.

Si quis casu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; quinquennio Communione privabitur; a cibis abstinebit arbitrio Sacerdotis.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, pœnitentiam aget annis septem; tres in pane & aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias; si cicatrix gravis est, & vulneratum deformem reddit, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane & aqua, clericus, unius anni & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens, debilitaverit, soluta medicamenti impensa, si Laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; si Clericus, duas quadragesimas; si Diaconus, septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tandiu in pane & aqua pœnitentiam aget quoad reconcilietur.

*Canones spectantes peccata contra sextum Decalogi præceptum.*

Si Laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres; & quanto sæpius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Uxor viro conscio moechata, ne in obitu quidem communicabitur; si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos sacram Communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare, coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, & septem præterea annos, e quibus unum in pane item & aqua.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque: si sæpius moechatus est, in fine vitæ est conveniendus; sique promisit se cessaturum, dabitur ei communio.

Si quis uxorem simul & concubinam habuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget unum annum.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si Clericus est, quinque dies; si Laicus, tres dies pœnitentiam aget; Monachus vel Sacerdos a ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in Balneis cum muliere se laverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum per legitimas ferias: si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Vidua, quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum unum, & præterea altero anno dies jejuniorum, *feriis nempe legitimis*.

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto vitæ suæ tempore.

Qui incestum fecerit (*non ita enormem*) ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos decem.

Qui cum brutis coierit, pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam coierit; si servus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos; si liber est, & matrimonio junctus, annos decem; si solutus, annos septem: pueri, dies centum: Laicus matrimonio junctus, si in consuetudine habet, annos quindecim: si Clericus, de gradu amotus, ut Laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim; si Clericus, diuturniori & graviori pœnitentia.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir in se inquinans, primo dies decem; si iterum, dies viginti; si tertio, dies triginta: si nefarie agere per-

perget. Pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si major, quindecim annis, dies centum.

Qui complexu feminæ vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vere peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti: si vero impugnatione tentationis & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias: item sacram communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quæ mulier cerusia, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

*Canones spectantes peccata contra septimum Decalogi præceptum.*

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis, carinas jejunabit septem.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet: si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem.

Sacrilegus rerum ecclesiasticarum invasor, tres annos communione privabitur: ac præterea sine usu carnis & potatione vini usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, aut incendio consenserit, restitutione facta, pœnitentiam aget annos quindecim.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incendium commiserit, committive jusserit, aut incendiario auxilium vel consilium scienter dederit, excommunicetur, mortuus christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarcierit; juretque se in posterum tale facinus nunquam admissurum.

Si quis sepulchrum violaverit, pœnitens erit annos septem, e quibus tres in pane & aqua.

Qui sepulchrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, & pœnitens erit dies triginta in pane & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit; Laicus quinquennii, & quod furatus est, uterque reddat.

Qui fregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferret, pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane & aqua; si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

*Canones spectantes peccata contra octavum Decalogi præceptum.*

Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter, ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen objecit, pœnitentia afficitur ut falsus testis.

Qui proximo peccatum imputarit, priusquam eum arguerit, primum illi satisfaciens pœnitentiam aget tres dies.

Si quia contra proximum lingua laxivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Qui falsitatem fraudemve in ponderibus & mensuris admiserit, pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falsarius, in pane & aqua pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

*Canones spectantes peccata contra nonum Decalogi præceptum.*

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena concupiscit, furtum est; qui aliena rapere cupit, rapina est: qui rem Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut supra dictum est de furto.

*Canones spectantes peccata contra decimum Decalogi præceptum.*

Si quis concupiscit fornicari: si Episcopus, pœnitens erit annos septem; si Presbyter, quinque: si Diaconus vel monachus, tres, e quibus unum in pane & aqua; si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis in somniis ex immundo desiderio polluitur, surgat & cantet Psalmos Pœnitentiales, & dies triginta pœniteat.

Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, pœnitens erit dies septem.

CA-

## CANONES PŒNITENTIÆ.

*De septem peccatis Capitalibus.*

Pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, & personæ status severiorem diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget Laicus annos quatuor; Clericus quinque; Subdiaconus sex; Diaconus septem; Presbyter decem; Episcopus duodecim.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane & aqua pœnitentiam agat dies septem; si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane & aqua mensibus tribus: si Clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus graviter arguatur, & pœnitentiam agere a Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem: si per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plus quam naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate & crapula vomitum fecerit; si Presbyter aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta. Si Monachus, aut Clericus, dies triginta. Si Laicus, dies quindecim, abstineatque a vino & carne dies tres.

Si quis gulæ causa ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam agat in pane & aqua.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam aget in pane & aqua.

## CANONES PŒNITENTIÆ.

*De variis Peccatis.*

Si quis Sacerdos Missam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebret, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta, & sexta a vino, & carnibus jejunet.

Sacerdos Sacerdotii gradu, ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione Corporis & Sanguinis Jesu Christi usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, Viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta diebus: si usque ad tres, diebus novem. Si incaute dimisit, quamvis nil nefandi acciderit, tribus mensibus sui muneris administratione amovetur.

Si per ebrietatem Eucharistiam evomit, si Laicus est, quadraginta diebus; si Clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus, pœnitentiam aget diebus septem.

Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane & aqua.

Hinc esset disserendum de satisfactione per suffragia & indulgentias; verum ne minimum de pœnitentiæ intercidatur materia, hoc argumentum per Appendicem tractandum remittimus ad calcem hujus dissertationis.

## CAPUT VI.

*De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

*Nota:* Quinque hic nobis sunt resolvenda: 1. Quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ; 2. An præter potestatem ordinis requiratur jurisdictio in ministro pœnitentiæ; 3. An requiratur approbatio Ordinarii; 4. An Ordinarii possint sibi casus reservare; 5. Quibusnam debeat minister pœnitentiæ concedere & denegare absolutionem.

### QUÆSTIO I.

*Quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ.*

### CONCLUSIO.

*Solus Sacerdos est minister Sacramenti pœnitentiæ.* Est de fide contra Wiclefitas, Waldenses & Lutheranos.

*Prob.* Illi soli sunt ministri pœnitentiæ, quibus Christus dixit: Joann. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* atqui solis Sacerdotibus Christus dixit; *quorum remiseritis &c.* ut constat ex perpetua Traditione Ecclesiæ, ad quam attendens Concil. Trid. sic definit (*Sess.* 14. *can.* 10.): *Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum;* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. *Quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata .... anathema sit.*

*Dices* 1. Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra:* ergo omnes etiam Laici confessionem excipere possunt.

*Resp. dist. conseq.* Laici excipere possunt confessionem vel humilitatis, vel reconciliationis mutuæ cum alter in alterum peccavit, quomodo plures Patres interpretantur hunc textum Jacobi, *conc.* confessionem sacramentalem, *nego conseq.* Laicus enim non habet potestatem clavium, confessio autem sacramentalis fit propter absolutionem.

Itaque qui textum Divi Jacobi de confessione sacramentali interpretantur, sic ipsum reddunt cum Cornel. a Lapide: *Confitemini alterutrum:* id est confitemini homines hominibus vobis similibus,

libus, non tamen omnibus, sed iis quibus a Christo demandata est absolvendi potestas, id est Sacerdotibus, juxta illud 1. Petri 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei:* quod intelligitur de solis Sacerdotibus; ex quo patet verba Divi Jacobi exponenda esse apposite ad subjectam materiam & officium cujusque.

*Inst.* Laicus & mulieres baptismum conferre possunt in necessitate; ergo & pœnitentiam conferre possunt.

*Resp. nego conseq.* Argumentum enim a pari non valet in his quæ pendent a sola Christi voluntate, quæ facit ut quilibet in necessitate possit baptizare, non absolvere, ut habemus ex solemni Ecclesiæ traditione.

*Prob. conseq.* Pœnitentia peccatori adulto non minus est necessaria, quam baptismus infantibus; ergo.

*Resp. nego ant.* Ratio est, quia infantes nonnisi per baptismum salutem obtinere possunt; at pœnitentia suppleri potest per contritionem perfectam cum voto Sacramenti.

*Dices* 2. In antiquis Conciliis, Patribus & historiis Ecclesiasticis legitur, pœnitentes necessitate urgente apud Diaconos Exomologesin, id est confessionem fecisse: ergo.

*Resp. dist. ant.* Pœnitentes necessitate urgente apud Diaconos confessionem cæremonialem, qua pœnitentes dimittebantur a stadio pœnitentiæ canonicæ, & Ecclesiæ reconciliabantur, faciebant, *conc. ant.* sacramentalem in ordine ad absolutionem, *nego ant.* nullum enim reperies qui Diaconis concedat jus absolvendi sacramentaliter a peccatis.

*Inst.* Cap. *fures*, tit. *de furtis* dicitur: *Fures, & latrones, si in furando & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum:* quia nempe in peccato mortali mortui sunt: *sed si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Ergo confessio potest fieri Diacono.

*Resp. dist. conseq.* Confessio non Sacramentalis, *conc.* Sacramentalis, nempe in ordine ad absolutionem, *nego conseq.* ibi enim confessio sumitur pro signo manifestativo contritionis perfectæ, qua quis redditur capax recipiendæ Eucharistiæ, ubi deficit Sacerdos qui absolutionem largiatur.

## QUÆSTIO II.

*Utrum præter potestatem ordinis requiratur jurisdictio in Ministro pœnitentiæ?*

*Nota:* Duplex est potestas, una ordinis, altera jurisdictionis.

*Potestas ordinis* est potestas remittendi peccata Sacerdoti in sua ordinatione collata. Hec est incompleta, nec potest exire in actum, nisi compleatur per potestatem jurisdictionis ab Ecclesia collatam.

*Potestas jurisdictionis* est auctoritas qua Sacerdos tamquam judex potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis in subditum, & duplex est, scilicet ordinaria & delegata.

*Potestas ordinaria* est ea quæ alicui competit ratione officii curam animarum annexam habentis.

*Potestas delegata* est ea quæ habetur tantum ex commissione ordinariam habentis. His positis

### CONCLUSIO.

*Præter potestatem ordinis, requiritur in Sacerdote, ut valide absolvat, jurisdictio ordinaria vel delegata.*

*Prob.* Ex Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. ubi ait: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ergo Concilium supponit aliquos esse Sacerdotes, qui nec ordinariam, nec delegatam habent potestatem jurisdictionis, quæ tamen ex eodem Concilio requiritur; ergo præter potestatem ordinis, &c.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Quilibet Sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis, his verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ergo potestas ordinis sufficit ad valide absolvendum.

*Resp. dist. ant.* Accipit potestatem absolvendi inchoatam, *conc.* completam, *nego ant.* Neque enim ulla potestas est completa ex parte termini, nisi assignentur subditi; & cum Ecclesiæ sit assignare subditos, ipsa censetur immediate jurisdictionem actualem & completam conferre, cum conferatur tantum radicalis & inchoata in ordinatione. Ita Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. *Quamvis*, inquit, *Presbyteri in sua ordinatione, a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

*Inst.* 1. Quilibet Sacerdos vi characteris sacerdotalis constituitur judex; ergo accipit jurisdictionem.

*Resp. dist. ant.* Constituitur judex in actu primo, *conc.* in actu secundo, *nego ant.* Equidem Sacerdos vi suæ ordinationis accipit potestatem judicium ferendi, quæ non potest exire in actu, nisi cum assignantur subditi in quos judicium ferre valeat: hæc autem subditorum assignatio dat potestatem judicium ferendi completam & in actu secundo.

*Inst.* 2. Inde sequitur Sacerdotes non habere a Christo, sed ab Ecclesia auctoritatem absolvendi a peccatis; falsum consequens, &c.

*Resp. nego sequelam maj.* Sequitur enim duntaxat Ec-

Ecclesiam assignare subditos, in quo Sacerdotes potestatem suam valeant hic & nunc exercere.

*Objicies* 2. Apostoli vi verborum istorum, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* habuerunt completam potestatem remittendi peccata; ergo eandem potestatem completam accipiunt Sacerdotes vi eorundem verborum.

*Resp. nego ant.* Nam Apostoli præter suam ordinationem indiguere speciali missione, quam his verbis acceperunt: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, &c.*

Quæres 1. *Quinam possint delegare ad audiendas confessiones?*

*Resp.* Ii omnes & soli qui habent ordinariam jurisdictionem, prout definivit Bonifacius VIII. (*Cap.* 7. *de officio Ordinarii in* 6.)

Hinc Episcopus in omnes Diœcesanos; Generales Ordinum in omnes totius Ordinis religiosos; Provinciales in suæ Provinciæ subditos; Abbates exempti in suos pariter subditos jurisdictionem delegare possunt. Item Parochi possunt delegare in suos Parochianos, sed tantum eos Sacerdotes qui fuerint ab Episcopo Diœcesano approbati.

Quæres 2. *An Delegatus possit subdelegare?*

*Resp. negative.* Quia ejus solius est delegare qui habet ordinariam jurisdictionem; Legatus Papæ excipitur a jure (*Cap.* 62. *de appellationibus*), propter excellentiam delegantis Papæ.

Quæres 3. *Qualis debeat esse jurisdictio delegata?*

*Resp.* Requiritur ut sit formalis & expressa; nec sufficit interpretativa aut præsumpta; quia talis jurisdictio tunc non adest, sed tantummodo adesset sub conditione, nempe si postularetur.

Quæres 4. *An aliquando defectum jurisdictionis suppleat Ecclesia?*

*Resp. affirm.* modo hæc tria simul adsint.

Primum, quod Confessarius habeat titulum saltem coloratum, hoc est titulum habentem speciem veri, licet a parte rei nullus sit, v. gr. Collatio beneficii parochialis, sed invalida propter aliquem defectum occultum, sive ex parte conferentis, sive ex parte accipientis, v. gr. propter simoniam, excommunicationem, &c.

Secundum, quod adsit error communis moraliter invincibilis, ita ut communiter, & non tantum ex errore unius vel alterius, Sacerdos putaretur habere jurisdictionem vel titulum; ratio est, quia error communis facit jus.

Tertium, quod defectus sit juris ecclesiastici, non vero divini; v. gr. si absolvens non esset Sacerdos. Ratio est, quia Ecclesia non potest concedere nequidem transeunter potestatem ordinis, nisi per ordinationem.

Quæres 5. *An Sacerdos nullam neque ordinariam, neque delegatam habens jurisdictionem, possit valide absolvere a peccatis venialibus et mortalibus jam confessis?*

*Resp. negative.* Jurisdictio non minus est necessaria ad jus dicendum in minoribus causis, quam in majoribus; ergo &c. Unde contrarium declaravit Congregatio Cardinalium sub Innoc. XI. anno 1679.

## QUÆSTIO III.

*An ad valide absolvendum requiratur approbatio.*

*Nota.* Approbatio ante Concilii Tridentini celebrationem definiebatur: *Authenticum Episcopi testimonium, quo aliquis Sacerdos ad audiendas confessiones idoneus declaratur, si ei jurisdictio concedatur.* Nunc vero definitur: *Authenticum Episcopi testimonium, quo Sacerdos ad confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.*

Ratio hujus discriminis est, quod ante Concilii Trident. celebrationem approbatio erat distincta & separata a jurisdictione; Episcopi quos judicabant idoneos excipiendis confessionibus, approbabant; relicta cura Parochis cui voluerint inter approbatos jurisdictionem conferendi, quam Summus Pontifex conferebat regularibus in omnes fideles; sed hæc disciplina a Conc. Trid. mutata fuit, ita ut jurisdictio ab Episcopi approbatione amplius non distinguatur, sed eo ipso quo Episcopus approbat, jurisdictionem confert; alias non posset intelligi, quomodo approbatio posset limitari, revocari, &c. Itaque

## CONCLUSIO.

*Præter potestatem ordinis & jurisdictionis requiritur in Sacerdote tum regulari, tum sæculari non habente beneficium parochiale, approbatio ordinarii, ut valide absolvere possit.*

*Prob.* Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. ubi hoc novum jus instituit, his verbis: *Decernit sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis datur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Quibus postremis verbis Concilium revocat omnia privilegia, quibus SS. Pontifices concedunt regularibus facultatem audiendi fidelium confessiones, obtenta prius Episcoporum licentia & approbatione.

*Dices* 1. Defectus approbationis reddit absolutionem solum illicitam; ergo non invalidam.

*Resp. nego ant.* Cujus falsitas manifesta est ex his Concilii verbis, *nullum posse confessiones audire: & posse* sumitur pro defectu auctoritatis.

*Inst.* Potestas ordinis & jurisdictionis est potestas completa remittendi peccata; ergo non requiritur necessario approbatio.

*Resp. nego conseq.* Enimvero requiritur approbatio, non qua compleatur potestas jurisdictionis, sed tamquam conditio sine qua non confertur jurisdictio quæ non pendeat ab Ecclesia, potest ipsam conferre sub conditione approbationis ab Ordinario obtinendæ.

*Dices* 2. Regulares a summo Pontifice habent potestatem absolvendi a peccatis sine necessitate approbationis; ergo, &c.

*Resp. nego antec.* Privilegia enim regularium sunt revocata quoad hoc a Conc. Trid., ut constat ex

ex Pio IV. (*Bulla in Principis Apostolor. data ann.* 1563. dicente: *Omnia illa & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates . . . . in quibus illa statutis & decretis Conc. Trid. contrariantur, ipso jure revocata, cessata & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites educta sint & esse censeantur.*

*Inst.* In Gallia Conc. Trid. non est receptum; ergo in Gallia regulares non indigent approbatione qua ante non indigebant.

*Resp. nego ant.* Nam statutum illud Conc. Trid. est receptum, ut constat ex pluribus Conciliis provincialibus (*Conc. Rotbomag. Burdigalense, Tolosanum, Narbonense*) & ex Comitiis generalibus anni 1625. unde Alexander VII. hanc prop. *Concil. Trid. non obligat regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut confessiones sæcularium audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit præterquam in decisionibus fidei*; damnavit ut *falsam, temerariam, scandalosam, in hæresim & schisma inducentem, sacro Conc. Trid. & Sedi Apostolicæ injuriosam.*

Quæres, *quænam sint circa approbationem observanda?*

*Resp.* Sequentia.

1. Appobatio debet esse formalis & expressa; Concilium enim requirit ut obtineatur, unde non sufficit approbatio petita & injuste denegata, ut definivit Alexand. VII. proposit. 13.

2. Approbatio debet obtineri ab Episcopo loci, in quo confessiones audiuntur.

*Hinc* 1. Approbatus in una Diœcesi, non potest in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi Diœcesani; ita Clemens X. (*Const. Superna.*)

*Hinc* 2. Regularis approbatus in una Diœcesi, potest in ea subditos alterius Diœcesis, in qua non est approbatus, absolvere, etiam a casibus reservatis in Diœcesi pœnitentis, modo non sint reservati in Diœcesi Confessarii: ita declaravit Clemens X. Const. *Superna*, in qua excipit: *Nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda, migrasse.*

*Hinc* 3. Licet Parochus possit etiam licite absolvere suum Diœcesanum in alia Diœcesi in qua non est approbatus, modo id fieri possit absque scandalo, quia habet in ipsum ordinariam jurisdictionem ab approbatione non pendentem, tamen regularis non potest, ex Constitutione *Superna*: ratio est quia jurisdictio delegata pendet ab approbatione Episcopi Diœcesani.

3. Approbatio potest valide ad quædam loca, personas & tempora restringi ad libitum approbantis; ut constat ex damnatione oppositæ prop. ab Alexand. VII.

4. Approbatio semel data valide revocari potest, etiam sine justa causa; nullo enim jure talis revocatio est irrita.

5. Generaliter approbatus ad sæcularium confessiones audiendas, non censetur approbatus ad audiendas confessiones Monialium, eidem Episcopo subditarum, sed eget quoad hoc speciali Episcopi approbatione; nec approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, censetur approbatus respectu Monialium alterius Monasterii, ut statuit Clem. X. Const. *Superna.*

6. Parochus, vi officii sui non potest extra Parochiam suam valide absolvere subditos alterius Parochiæ sine licentia Episcopi, saltem tacita, qualis censetur adesse, cum Episcopus non contradicit consuetudini contrariæ, quam scit vigere.

## QUÆSTIO IV.

*Utrum Ordinarii possint sibi reservare peccata?*

*Nota:* Casuum reservatio est *restrictio potestatis absolvendi a ceteris peccatis, facta potestate absolvendi ab aliis.*

## CONLUSIO.

*Quilibet Superior qui jurisdictionem suam conferre volet, habet jus sibi reservandi casus, a quibus inferiores Sacerdotes non possunt absolvere.*

*Prob.* Est definita contra Novatores a Tridentino (*Sess.* 14. *cap.* 7. & *can.* 11.), his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non probibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

Ratio est, quia Superiores Ecclesiatisci possunt, pro libitu, jurisdictionem denegare; ergo & ipsam restringere.

Hinc sequitur summum Pontificem posse sibi reservare casus in universa Ecclesia, & Episcopos in sua quisque Diœcesi; cum hac differentia quod omnes casus Papæ reservati habeant annexam excommunicationem; inter eos vero quos sibi reservant Episcopi, alii habeant annexam excommunicationem, alii hanc non habeant annexam.

Cum autem omnes casus reservati tum summo Pontifici, tum Episcopis, enumerentur & referantur in omnibus Diœcesanis Ritualibus, hic in ipsis enumerandis non immoramur.

Quæres 1. *Quænam requirantur, ut peccatum censeatur reservatum?*

*Resp.* Requiruntur quatuor:

1. *Ut sit mortale* in sua specie: quia frustra venialia reservarentur, cum sint materia confessionis libera. Hinc si peccatum non pertingat ad malitiam mortalem defectu sufficientis consensus vel gravitatis materiæ non est reservatum.

Dixi 1. *In sua specie:* quia non reservatur peccatum *de se* veniale, quod sit mortale per aliquam advenientem circumstantiam: v. gr. scandali.

2. *Ut sit externum:* quia licet peccatum internum possit, non tamen consuevit reservari; quia reservatio peccatorum internorum ad animarum regimen non videtur necessaria; hinc nunquam reservantur, nisi exprimatur in statuto.

3. *Ut sit in sua specie consummatum:* quia reservatio cum sit odiosa, est stricta interpretationis. Hinc reservato homicidio, non reservatur gravis ex animo occidendi percussio, nisi mors

sequa-

sequatur, vel nisi aliud in statuto exprimatur, quomodo exprimitur in reservatione provocationis ad duellum, quod jure communi reservatur, etiamsi non sequatur conflictus.

4. *Ut sit a pubere commissum*: nam ex communi peccata impuberum non sunt reservata, nisi exprimatur in statuto: sic percussio Clerici vel Religiosi ab impubere facta reservatur Episcopo; *Cap. ult. de sent. excomm.*

Quæres 2. *An peccata dubia censeantur reservata?*

*Resp.* Cum Auctore Collectionum Andegavensium, nullam esse reservationem, si grave ac fundatum sit dubium, sive juris, nempe quod peccatum sit mortale vel reservatum; sive facti, nempe peccatum fuisse perpetratum: ratio est quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, porro reservatio est odiosa.

*Dices*: Qui dubitat aliquod peccatum esse mortale, debet illud confiteri Sacerdoti approbato; ergo qui dubitat peccatum esse reservatum, debet illud confiteri Confessario pro reservatis approbato.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod reservatio sit odiosa, & consequenter non extenditur ad casus dubios, e contra Lex confessionis est favorabilis, utpote medicina ad delenda peccata commissa, & præcavenda futura.

Quæres 3. *Quinam absolvere possit a reservatis?*

*Resp.* Potest ipse reservans, ejus successor, superior & quivis alius qui ab illis hanc facultatem obtinuit: quia hi habent jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam erga peccata reservata.

Circa potestatem delegatam sequentia sunt necessario observanda.

1. Episcopi possunt suos subditos absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, quamdiu sunt occulta, nec ad forum contentiosum deducta (*Trid. sess.* 24. *c.* 6. *de ref.*); immo possunt absolvere a publicis, quando subditi habent impedimentum canonicum recurrendi ad Papam. (*Cap.* 6. *de sent. excomm.*)

2. Habens facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, non ideo potest absolvere a casibus Episcopo reservatis. (*Clem. X. Const. Superna.*)

3. Habens facultatem absolvendi ab omnibus casibus & censuris Episcopo reservatis, non ideo habet facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, a quibus Episcopus per accidens, aut propter impedimentum canonicum, potest absolvere. (*Rit. Tullense*, *pag.* 146.)

4. In articulo mortis nulla est reservatio. *Atque ideo*, inquit Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnit.*) *omnes Sacerdotes*, sive approbati, sive non, *quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt*; nimirum, si absit Confessarius approbatus, ut habet Rituale Rom. & docet S. Carol. (*In instruct. confess.*); & quamvis sit absolutus, si convalescat, teneatur pro censuris audire superiorem, vel ejus delegatum, ut mandatum ejus suscipiat, non tenetur tamen ei recurrere pro peccatis reservatis, quia ab eis directe fuit absolutus, cum nulla tunc sit reservatio. (*Decr. Tull. n.* 7. §. 8.)

Porro per articulum mortis, intelligitur morale periculum mortis, ut constat ex cap. *Eos qui*, de sent. excomm.

Quæres 4. *Utrum sublata sit reservatio alicujus peccati reservati ex oblivione inculpabili omissi in confessione facta Sacerdoti habenti potestatem absolvendi a reservatis?*

*Resp.* Extra tempus Jubilæi non est sublata, nisi Confessarius pœnitenti manifestaverit se habere intentionem a reservatis absolvendi. Ratio est, quia non est satisfactum fini reservationis, qui est ut convenientia remedia & satisfactio debita pro tali peccato imponatur a superiore vel ejus delegato: ergo licet peccatum sit remissum indirecte, eo quod unum peccatum non possit remitti sine alio, tamen illud peccatum debet iterum confiteri superiori vel ejus delegato, ut de eo habeatur remissio directe.

Dixi 1. *Extra tempus Jubilæi*: quia tempore Jubilæi Papa tollit omnem reservationem erga eos qui confitentur in ordine ad lucrandam indulgentiam, & Confessario præsumitur tunc habuisse intentionem tollendi omnem censuram & reservationem. Decretum Tullense excipit casum sacrilegæ confessionis.

Dixi 2. *Nisi Confessarius pœnitenti manifestaverit*, &c. quia forma Sacramenti operatur juxta intentionem proferentis, & non ultra; ergo, &c.

Quæres 5. *An sublata sit reservatio peccati reservati invalide confessi superiori, vel ejus delegato?*

*Resp.* Sublata est, si confessio facta sit superiori; secus si facta sit ejus delegato; disparitas est, quia superior potest extra Sacramentum tollere reservationem; e contra delegatus non potest ipsam tollere, nisi intra Sacramentum; ergo, &c.

Quæres 6. *Ad quid teneatur Confessarius qui non habens in reservata potestatem, ab aliquo ex ignorantia vel inadvertentia absolvit?*

*Resp.* Tenetur ad se citius pœnitentem revocare, si id fieri possit absque scandalo, aut pœnitentis gravamine, aut etiam absque gravi suo incommodo, & illum monere ut sibi quærat remedium ab alio habente potestatem in reservata; quod si hoc modo uti non possit post peractam peccati sui pœnitentiam, rem divinæ misericordiæ committere debet, quia cum pœnitens bona fide confessus sit, remissionem peccati sui per sacram Communionem vel per subsequentem, cum debitis conditionibus, confessionem, saltem indirecte, obtinebit.

Quod si Confessarius ordinarie confessionem illius pœnitentis excipiat, postulet a superiore facultatem absolvendi a tali peccato reservato, & ubi primum pœnitens ad sacrum Tribunal accedet, illum poterit absolvere, facta saltem generaliter accusatione peccatorum ultimæ confessionis.

## QUÆSTIO V.

*Quibusnam Minister pœnitentiæ debeat concedere & denegare absolutionem.*

### CONCLUSIO.

*Confessarius sub gravi peccato tenetur* 1. *Absolutionem concedere eis, quos prudenter & cum certitudine morali, judicat esse contritos & rite dispositos*; 2. *Eam denegare eis quos cognoscit carere*

*vere contritione et debitis dispositionibus*; 3. *Extra articulum mortis absolutionem differre eis, quorum dubia ei apparet contritio et dispositio debita, donec adsint signa conversionis moraliter certa.*

*Prob.* 1. *pars*: Quia pœnitens vere contritus & integre confessus habet jus ad absolutionem; ergo non potest ipsi denegari absque gravi injustitia, quia non solum defraudatur jure legitimo, per debitam confessionem acquisito, sed & gratiis actualibus, quas intuitu Sacramenti percepturus fuisset ad futurorum peccatorum vitationem.

Hinc debet absolvi pœnitens. 1. Qui diu a peccatis abstinuit, etiamsi occasio peccandi fuerit oblata.

2. Qui viriliter tentationibus urgentibus resistit.

3. Qui occasiones peccati caute fugit.

4. Qui laboriosis pœnitentiæ operibus sese exercet, & mandatis Confessarii cum omni humilitate obtemperare promptus est.

*Prob.* 2. *pars*: Sacerdos peccatori non contrito, nec rite disposito, absolutionem indulgens, grave peccatum committit contra Deum, indigne violando Sacramentum, dando absolutionem defectu materiæ debitæ invalidam; & contra pœnitentem, quem committit periculo damnationis æternæ, tum propter majorem peccandi licentiam quam ex facilitate veniæ concipit; tum propter falsam securitatem qua se vere absolutum confidit, cum tamen ligatus adhuc manet, unde cordis obduratio ac impœnitentia finalis: ergo *videat diligenter Sacerdos*, inquit Rituale Rom. *quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces*; *quales sunt*.

1. Qui nulla dant signa doloris, tales sunt qui historice narrant peccata sua; item qui præceptis Confessarii parere detrectant, &c.

2. Qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, damnum quodcumque resarcire, cum possunt, &c.

3. Qui odia & inimicitias deponere, & inimicis reconciliari nolunt, licet nihil mali ipsis apprecari centies protestentur.

4. Qui occasionem proximam peccandi deserere recusant; unde Innoc. XI. hanc prop. damnavit: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere: quin immo directe eo ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

5. Qui publicum dantes scandalum, illud tollere non curant, prout contingit mulieribus immodeste & luxuriose vestitis; illis qui componunt, vendunt aut commodant libros amatorios, contra fidem aut bonos mores; qui aleatoribus domum præbent, &c.

6. Qui nolunt abstinere ab usura, artibus & commerciis illicitis.

7. Qui ignorantia mysteriorum fidei voluntaria laborant, nec volunt curare illa addiscere (*Inn. XI. contrariam prop. damnavit*); hi enim omnes carent contritione.

*Prob.* 3. *pars*. Quia extra periculum mortis non licet uti materia dubia, alias sine necessitate Sacramentum exponeretur periculo nullitatis & profanationis; ergo extra periculum mortis Confessarius differre debet absolutionem eis, quorum dubia ei apparet contritio.

Dixi *extra periculum mortis*: quia juxta omnes in tali casu licitum est uti materia dubia. Hinc etiamsi dubia sit moribundi contritio, non debet ei differri absolutio, *Modo promittat*, ait Rituale Tull. *se omnia injuncta facturum, si ad sanitatem redierit.*

Hinc extra periculum mortis Confessarius debet differre absolutionem in sequentibus casibus; paragraphis sequentibus enumerandis.

§. I. *De iis qui ignorant Doctrinam christianam.*

CONCLUSIO.

Iis qui, etiam inculpabiliter, ignorant Mysteria Fidei, quorum fides necessaria est necessitate medii, puta Trinitatis & Incarnationis; item iis qui ignorant mandata Dei & Ecclesiæ, vel obligationes sui status proprias, etiamsi sint parati ad ea quamprimum addiscenda, debet differri absolutio donec illa didicerint, *Ratio est*, quia ut ait S. Carolus in instruct. Confess. hæc omnia *sub reatu peccati mortalis scire tenentur*: ergo quamdiu ea ignorant, sunt absolutionis incapaces sicut *patres & matresfamilias, qui filios, filias, servos, & ancillas supra dicta doctrinæ christianæ capita addiscere non compellunt*; ait D. Carolus ibidem.

*Dices*: Nonnulli sunt senes, qui obliti Mysteriorum Trinitatis & Incarnationis, ea præ ætatis infirmitate rursus discere non possunt; atqui tales debent absolvi; ergo.

*Resp. nego maj.* Quæ est de non supponente, nam nullus est adeo rudis, quin paulo ante absolutionem possit edoceri circa Mysteria, de quibus agitur, cum non requiritur ut memoriter ea reddat, sed satis sit ut dicat se ea credere, ubi Confessarius ipsi ea per interrogationem proposuerit; v. gr. *Credis tres esse Personas Trinitatis? credis, &c.* Ita Rituale Tullense, p. 126.

§. II. *De iis qui æquivoca dant doloris signa.*

CONCLUSIO.

Absolutio debet differri iis qui nonnisi levia & æquivoca exhibent doloris signa, & tempus in is est assignandum, per quod ad confessionem diligentius se disponant; ratio est quia signa doloris æquivoca non possunt prudenter judicari vera & sufficientia ad valorem & effectum Sacramenti.

§. III. *De peccatore ex habitu & relapsu.*

*Nota*: Peccator relapsus in hoc distinguitur a peccatore ex habitu, quod peccator ex habitu proprie sit ille qui peccatum suum nondum confessus est, licet sæpius illud iteraverit: peccator autem ex relapsu sit ille qui, licet sæpius confessus fuerit peccatum, in idem tamen sæpius relapsus est. Itaque

CONCLUSIO.

*Peccator ex habitu, & peccator ex relapsu absolutione non sunt donandi, nisi post certam & necessariam veræ pœnitentiæ probationem.*

*Prob.*

*Prob.* Iis non est administrandum Sacramentum, de quibus legitimus est dubitandi locus, an ad illud legitime dispositi sint; an vera sit eorum conversio; atqui jure dubitari potest de hujusmodi peccatoribus quod ad sacramentum rite dispositi sint, & quod vera sit eorum conversio; ergo, &c.

*Prob. min. De peccatore ex habitu:* quia conversio consuetudinarii valde rara est ac perdifficilis, ut constat experientia & ex Patribus; ergo prius operibus probari debet, ut possit prudenter credi.

*Prob. min. De peccatore ex relapsu:* quia qui fidem datam sæpius fefellerunt, non possunt, nisi ex operibus, prudenter judicari habere verum & efficax propositum non amplius peccandi; nam ex S. Isidoro (*in Cap.* 11. *de Pœnitent. dist.* 2.). *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.*

*Porro* sæpius relapsus provenit ex habitu, & tunc per tempus longius differenda est absolutio; quod si relapsus non sit ex habitu causatus, sed a violenta tentatione, vel occasione non prævisa, & quæ alias fuisset vitata, tunc absolutio non est necessario differenda; censetur autem relapsus non causari ab habitu, quando quis raro relabitur, & non nisi tentatione urgente, vel occasione non prævisa, & quæ alias fuisset vitata (*Rituale Tullense*, *p.* 130.).

*Item.* Vix sufficit dilatio absolutionis per mensem, v. gr. si pœnitens per annum semel in mense peccato adulterii, fornicationis, &c. coinquinetur; qui vero per singulas hebdomadas semel cadit in pollutionem, ad duos menses regulariter dimittendus est; idem dic de ebriis & blasphemis (*Rituale Tullense*, *p.* 127. 128.).

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Confessarius debet adhibere fidem pœnitenti detestanti peccatum consuetudinis, ac protestanti se in illud non amplius lapsurum; ergo debet illum absolvere.

*Resp. nego ant.* Contrariatur enim definitioni Innoc. XI. qui damnavit hanc prop. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.* Quam propositionem Clerus Gallicanus ann. 1700. confixit, ut *erroneam & ad finalem impœnitentiam ducentem.*

*Inst.* 1. Confessarius fidem adhibet pœnitenti accusanti peccatum a se commissum; ergo a pari debet ipsi fidem adhibere, dum se esse conversum protestatur.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod pœnitens sua peccata certo novit, e contra sæpe cæcutit circa veras cordis sui dispositiones, ideo opus est eas probare potius operibus quam verbis: necesse ergo est, ut Sacerdos fructus emendationis exigat, nec credat æquivoco & fallaci doloris signo, nec promissioni emendationis, cui sponsor infidelis noscitur sæpius defuisse.

*Inst.* 2. Peccatori ex consuetudine in periculo mortis absolutio impertitur; ergo pariter sano est impertienda.

*Resp. nego conseq.* Datur quidem absolutio moribundo, non quod ejus verba moralem de illius conversione certitudinem pariant, sed ex eo quod casu urgentis necessitatis, uti licet materia dubia in Sacramentis ad salutem necessariis necessitate medii.

*Inst.* 3. Potest ille qui peccavit ex consuetudine, vere pœnitere dum confitetur; ergo debet absolvi.

*Resp. nego conseq.* Quia non sufficit quod lapsum interius pœniteat, ut possit absolvi, sed insuper Confessarius debet habere moralem certitudinem de illius conversione & depositione affectus ad peccatum, quam non habet ex verbis pœnitentis, sed ex ejus operibus.

*Inst.* 4. A militibus consuetudinariis non exiguntur prævia pietatis opera, ut beneficio absolutionis donentur; ergo.

*Respond. dist. antec.* A militibus qui in eo loco versantur in quo cum hoste pugnaturi sunt; *conc. ant.* tunc enim cum sint in mortis periculo, minister materia dubia uti potest; a militibus qui nondum sunt in eo loco in quo pugnaturi sunt, *nego ant.* tunc enim differri debet absolutio donec ad eum locum in quo cum hostibus pugnaturi sint, aut ad alium vicinum pervenerint; monerique debent, ut pariter (quod totum supponitur) temperent a peccatis, identidem Deum orent, ut contritionis donum obtineant.

*Inst.* 5. Peregrini consuetudinarii non sunt in periculo mortis, & tamen virtute peregrinationis juxta praxim ordinariam absolvuntur; ergo.

*Resp. dist. ant.* Peregrini qui longam ac difficilem peregrinationem suscepere, ac toto eo tempore temperarunt a peccatis, *conc. ant.* de iis enim certitudo est moralis quod eos vere pœniteat, ac proinde absque absolutione dimitti non debent in suam patriam; peregrini qui brevem & facilem peregrinationem suscepere, *neg. ant.* de iis enim non est certitudo moralis quod eos vere pœniteat, ac proinde jubendi sunt ut in patriam reversi Confessarium adeant a quo absolvi poterunt, ubi sufficienti tempore emendationem operibus probaverint.

*Objicies* 2. Denegare absolutionem consuetudinario est contrarium factis Christi qui adulteram mulierem absolvit, & Apostolorum qui multa millia hominum, inter quos multi erant consuetudinarii, una die baptizarunt; ergo &c.

*Resp. nego conseq.* Factum enim Christi & Apostolorum trahi non debet in exemplum.

1. Enim Christus cum Deus esset, sinceram mulieris adulteræ novit conversionem; sed Confessarius qui hanc non cognoscit, non potest de corde peccatoris judicare nisi ex operibus. Discrimen illud dat Yvo Carnotensis, Epist. 228. ad Gorberium; *Cum enim*, ait, *criminalis culpa delinquentem separet a capite & corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex* (Christus) *tanto remittat celerius, quanto solus videt interius.* Judex vero, qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, quis sit pœnitentis affectus, intelligat.

2. Conversio operata ab Apostolis miraculosa fuit; ergo non potest in exemplum trahi.

*Objicies* 3. Varia sequuntur absurda ex praxi, per-

per quam absolutio eis procrastinatur, qui implicati sunt peccandi consuetudine; ergo.

1. Ex hac dilatione forte pœnitens desperabit.

2. Contristabitur pœnitens, & turbabitur pax illius.

3. Pœnitens committitur periculo moriendi absque Sacramento.

4. Mulieres quamplurimæ de fama periclitabuntur, v. g. si ea die qua palam confitentur, ad sacram synaxim non accedant: aut si benedictionem nuptialem non recipiant in templo, in quod consanguinei tum sponsi, tum sponsæ confluxisse supponuntur.

5. Nonnunquam prætermittenda foret Paschalis communio, quod tamen vix sine parochi aut aliorum scandalo, contingere potest.

6. Si differatur absolutio Sacerdoti consuetudinario, populus fidelis præcepto de Missa festivis diebus quandoque non poterit facere satis.

7. Recessus ejusdem Sacerdotis ab altari, erit scandalo universæ plebi.

*Resp. nego ant.* & respondeo ad singula.

*Resp. ad* 1. Hoc esset per accidens; Confessarius enim quærit bonum pœnitentis, & rem totam Deo committit, qui conservabit in statu pœnitentiæ, quem conservavit in statu peccati: non deest enim facienti quod in se est.

*Resp. ad* 2. Justius esse contristare hominem quam Spiritum sanctum, juxta illud Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Pax autem illa esset *irrita & falsa pax, periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura.* (*D. Cyprian. Serm. de lapsis*).

*Resp. ad* 3. Deum in casu necessitatis supplere Sacramenti effectum in pœnitente, qui alioquin eo quo par est modo dispositus est ad illud recipiendum; id patet ex praxi Ecclesiæ, quæ pro pœnitentibus & catechumenis ante Sacramenti receptionem mortuis offert Eucharistiæ Sacrificium; ergo judicat eos in statu gratiæ decessisse.

*Resp. ad* 4. Periculum famæ non esse casum necessitatis, in quo solo minister uti potest materia dubia.

*Resp. ad* 5. Conc. Lateran. facultatem concedere Sacerdoti, ut communionem paschalem in aliud tempus differat, si dilationem saluti pœnitentis expedire judicaverit.

*Resp. ad* 6. In casu de quo agitur populum fidelem liberari a debito Missam audiendam; tunc enim nec physicam, nec moralem potestatem habet ut ipsam audiat.

*Resp. ad* 7. Illi scandalo mederi poterit impurus ille Sacerdos sub obtentu alterius causæ, quæ tamen vera sit: verb. grat. potest unum e pollicibus cultro leviter laceratum lineis involvere, eamque causam ostendere coram populo, cum quo alioquin in templo precari, & Vesperas cum Completorio cantare poterit.

Quæres 1. *An invitus, qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat mortaliter, ad absolutionem sufficienter dispositus censeri debeat, si semel tantum in mense in idem peccatum labatur?*

*Resp. nego.* Quamvis enim vera conversio non excludat quodlibet peccatum futurum, tamen dicit præsentem præteriti peccati dolorem; atqui præsens ille dolor non censetur verus, si semel in mense mutetur; ergo, &c. Quis sane mulierem castam dixerit, quæ semel in mense incidit in adulterium?

*Dices:* Rituale Rom. (*Tit. de Sacram. Pœnit.*) consulit peccatoribus *recidentibus, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, & si expediat, communicent*; ergo censet eos sufficienter ad absolutionem dispositos.

*Resp. nego conseq.* Aliud enim est confiteri, aliud absolvi; primum consulit Rituale Rom., non autem secundum.

*Inst.* Illud Rituale innuere videtur festi solemnitatem, rationem esse quæ Sacerdotem movere debeat, ut tum absolutionem, tum communionem iis concedat qui in peccata facile relabuntur; ergo.

*Resp. nego ant.* Nam Rituale non dicit *absolute* quod sit utile recidivis, ut semel in mense communicent, sed *conditionate*, nempe *si expediat*: id vero ordinarie non expedire supra ostendimus; utrum autem id expediat extraordinarie, judicandum est ex majore vel minore pœnitentis fervore.

Quæres 2. *Utrum iterari debeant confessiones quas quis peccandi consuetudine implicatus fecit, quasque absolutio semper subsecuta est.*

*Resp.* Eas *ordinarie* iterari debere; ratio est quia prudenter conjicitur in casu, de quo agitur, nullam adfuisse contritionem, sine qua nullum est Sacramentum.

Dixi *ordinarie*: quia peccatum subsequens non semper arguit falsitatem confessionis præcedentis, ait D. Thom. 3. *part. quæst.* 84. *art.* 10. *ad* 4. Unde prudens Confessarius de ejus falsitate aut veritate judicabit ex circumstantiis, v. g. ex neglectu remediorum præscriptorum, ex violentia tentationis, ex gravitate peccati, &c.

## §. IV. *De occasione proxima peccati.*

*Nota:* Occasio peccati, est *id quod ad peccatum protrahere potest*; & duplex est, remota & proxima.

Occasio remota *est ea quæ aliquando, sed raro ad peccatum inducit*; quo sensu nulla ferme res est in mundo quæ occasionem peccandi remotam non suppeditet; hanc non tenemur fugere, *alioquin debueremus de hoc mundo exire*, inquit Apostolus (1. *Cor.* 5. *v.* 10.)

Occasio proxima, est *ea quæ ordinarie ad peccatum impellit*: & duplex est, una *per se et naturalis*, alia *per accidens et personalis.*

Occasio proxima per se, *est ea quæ ex natura sua et sine alio respectu inducit ad peccatum*, sive externum, sive internum; v. g. familiaritas inter adolescentes & puellas est occasio *per se* peccatorum impudicitiæ.

Occasio proxima per accidens *est ea quæ licet bona in se, aut indifferens, tamen considerata pœnitentis prava dispositione, inducit ad peccatum*; v. g. munus judicis in judice ignorante; utraque vel est voluntaria, vel involuntaria.

Occasio proxima voluntaria *est ea quæ deseri potest, etiam sine gravissimo incommodo*; sic potest deseri familiaritas cum mulieribus, officium ad quod quis est incapax, &c.

Occasio proxima involuntaria seu necessaria, *est ea*,

*ea*, *quæ deseri non potest vel physice*, ut si quis sit in carcere cum flagitioso; *vel moraliter*, ut militia respectu militis in ea frequenter peccantis. His notatis:

CONCLUSIO I.

Iis qui versantur in occasione peccati *per se*, quæ est voluntaria, quantumvis promittant se talem occasionem relicturos, differenda est absolutio, donec eam reliquerint, juxta illud Christi, (*Matth. cap.* 5. & 18.) *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.*

Iis vero qui versantur in occasione *per se* quæ est necessaria & involuntaria, v. gr. fratri cum sorore peccanti, differenda est absolutio donec per executionem mediorum ad emendationem utilium a Confessario præscriptorum signa fidelitatis & conversionis non æquivoca dederint: nam sine absolutionis dilatione pœnitentes in tali occasione, a relapsu efficaciter averti non solent, & consequenter exponeretur periculo brevi amittendæ gratiæ Sacramentalis.

Quod si mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet ut antea, tunc per negationem absolutionis cogendus erit pœnitens ad deserendam illam occasionem cum quantocumque damno temporali, & etiam famæ & status jactura. (*Ita Rit. Tullense pag.* 134. *D. Carol. in instruct. Confess.*)

CONCLUSIO II.

Iis qui sunt in occasione peccati *per accidens*, quæ est voluntaria, si tolli possit, v. gr. ignorantia in judice, differenda est absolutio, donec tollatur: si vero tolli non possit, differenda est absolutio, donec pœnitens reliquerit occasionem, verb. grat. officium ad quod capacitatem necessariam non potest acquirere. *Falsa enim est pœnitentia*, inquit Concil. Lateran. sub Innocent. III. *cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.*

Iis vero qui versantur in occasione *per accidens*, quæ est involuntaria aut inevitabilis; v. g. viro cui uxor est occasio odii, juramenti, &c. differenda est absolutio donec videatur emendatio, & dispositio necessaria ad recipiendam utiliter absolutionem. (*Ita Rit. Tull. pag.* 134.)

§. V. *De iis qui aliis sunt occasio scandali et peccati.*

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio eis qui dant proximo occasionem peccandi, nisi prius illam prorsus abscindant; tales sunt feminæ, quæ immodesto ornatu præbent aliis occasionem scandali; Bibliopolæ qui libros impudicos vendunt; Pictores qui fœdas picturas conficiunt; patres & matres qui juramentis, detractionibus, &c. filios & famulos scandalizant.

§. VI. *De iis qui ad restitutionem sunt obligati.*

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio iis, qui tenentur ad restitutionem notabilem, donec restituerint; nam alioqui relinquerentur gravi periculo non restituendi ob difficultatem talis restitutionis, & propensionem magnam differendi.

Si vero restitutio non sit notabilis, absolvi quidem possunt ante restitutionem quam facere promittunt; quod si ut id facerent superiori confessione præceptum sit, ipsam tamen facere neglexerunt, absolvendi non sunt ante debitam satisfactionem, modo restitutio sit possibilis: ita Concil. Burdigalense a Greg. XIII. confirmatum, cap. 12. *Neminem*, inquit, *Parochi absolvant eorum, qui cum præcedente confessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos, essent polliciti, cum facultas adfuisset, neglexerint, Eos excipimus, qui in mortis articulo fuerint constituti: qui tamen admonendi erunt ut id oneris, si obierint, hæredibus imponant; vel si convaluerint, quamprimum poterunt, satisfaciant.* Ratio est quia ob fidem non servatam debet operibus probari eorum efficax propositum.

§. VII. *De iis qui inveteratas inimicitias conservant.*

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio iis qui inveteratas inimicias exercent cum proximo, donec ei se reconciliaverint; vel etiam eis quorum inimicitiæ licet non sint inveteratæ, tamen promissioni factæ de mediis ad reconciliationem adhibendis, non steterunt, juxta illud Christi (*Matth.* 5. *v.* 43): *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.*

§. VIII. *De iis qui grave scelus perpetrarunt.*

CONCLUSIO I.

Differenda est aliquando, *saltem ad aliquod tempus*, absolutio eis qui aliquod grave scelus, homicidium v. gr. adulterium, &c. perpetrarunt, donec orationibus & bonis operibus probaverint contritionem, quæ in iis qui statim a patrato tali scelere absolvi præsumunt, est maxime æquivoca, cum tam ab infamia, per peccatum contracta, vel confusione inde accepta, possit oriri, quam ex odio & detestatione peccati; unde debet probari operibus.

*Dices*: D. Aug. (*Enchiridii c.* 65.) ait: *In conversione peccatoris non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris*; ergo &c.

*Resp. dist. ant.* Non tam consideranda est mensura temporis quam doloris per opera probati, *conc. ant.* non probati per opera, *nego ant.* Itaque dilatio non fit ut attendatur mensura temporis, sed sin-

sinceritas doloris, de quo moraliter certus esse debet sacerdos.

## CAPUT VII.

### *De effectibus Pœnitentiæ.*

*Nota.* Constat ex dictis, effectus hujus Sacramenti esse 1. Gratiæ habitualis & Sacramentalis infusionem; 2. Omnis culpæ remissionem; 3. Condonationem pœnæ æternæ pro eis debitæ, & non tamen semper totius pœnæ temporalis. Duo solummodo hic examinanda supersunt.

1. Utrum merita per peccatum subsequens mortificata, per subsequentem pœnitentiam reviviscant.

2. An peccata per pœnitentiam remissa, per subsequentia peccata redeant. Itaque

### CONCLUSIO I.

*Viva justorum opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt.* Ad cujus intelligentiam.

*Nota*: Quintuplex vulgo a Theologis distingui operum genus, nempe vivificantia, viva, mortifera, mortua & mortificata.

*Opera vivificantia*, sunt ea quæ vitam animæ afferunt, talis est contritio.

*Opera viva*, sunt ea quæ facta sunt ex charitate, & quæ vitam æternam merentur.

*Opera mortifera*, sunt ea quæ mortem animæ spiritualem inferunt, ut peccata mortalia.

*Opera mortua*, sunt opera ex se bona, facta ab homine existente in statu peccati mortalis.

*Opera mortificata*, sunt opera viva, quæ per superveniens peccatum mortale impediuntur a consecutione præmii ipsis alias debiti. His notatis,

*Prob. prop. 1. ex Scriptura*, Joel. 2. ubi Deus peccatores ad pœnitentiam invitans, promittit se ipsis redditurum *annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*; id est juxta interpretationem Patrum, omnia merita, quæ per peccatum amiserunt.

Ad Galatas 3. ubi Apostolus Galatas multa primum pro Christo passos, deinde ad Judaismum prolapsos objurgat dicens: *Tanti passi estis sine causa!* Id est frustra: *si tamen sine causa*; id est ut interpretatur D. Hieron. *sine utilitate vestra supposito quod in hoc errore perseveratis; non sine causa, si resipiscitis*. Ita etiam loquuntur alii Patres ac Theologi.

*Prob. 2. ratione.* Quia circa bona hominis opera, non magis potest culpa, quam gratia: ergo si per culpam mortificantur, necesse est, ut per gratiam denuo reviviscant.

*Objicies* 1. Ezechiel 18. de justo mortaliter peccante dicitur. *Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*, ergo non reviviscunt per subsequentem pœnitentiam.

*Resp. nego conseq.* Propheta enim loquitur de eo qui in peccato suo moritur, addit enim, *In prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipso morietur.*

*Inst.* 1. Opera mortifera per pœnitentiam deleta, non reviviscunt per subsequens peccatum; ergo nec opera mortificata per subsequentem pœnitentiam.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod opera mortifera sint penitus deleta, hinc non mirum si reviviscere non possint; at merita mortificata non sunt deleta absolute, sed manent in acceptatione Dei quoad jus quod conferunt ad gloriam sublato impedimento, nempe peccato.

*Inst.* 2. Si bona opera per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscerent, hoc proveniret vel ex misericordia Dei, vel ex justitia: atqui neutrum dici potest.

*Resp. nego min.* Et dico ipsa reviviscere tum ex misericordia Dei, quia reviviscunt per gratiam quæ est omnino gratuita; tum ex justitia; quia opera bona merentur præmium ex justitia, quando nullum est impedimentum; atqui nullum est impedimentum quando ablatum est peccatum; ergo.

*Inst.* 3. Nunquam reparatur amissa innocentia, ergo nec gratia.

*Resp. nego conseq.* Innocentia enim non est gratia unde & simpliciter sumpta; sed est gratia quæ nunquam per peccatum fuit amissa; atqui impossibile est eum qui semel amisit gratiam, hanc nunquam amisisse.

Quæres: *Quomodo bona opera mortificata reviviscant per pœnitentiam?*

*Resp.* Reviviscunt juxta omnem gratiæ gradum quem ante peccatum habebant, & juxta totum jus ad gloriam quod merebantur, juxta illud (*Ezech.* 33. *v.* 12.) *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit.* Atqui multum noceret, si opera mortificata non reviviscerent juxta omnem gratiæ gradum, & totum jus ad gloriam quod ante habebant; ergo &c.

*Dices*: Ex Concil. Trid. (*sess.* 6. *c.* 7.), gratia per Sacramentum non infunditur nisi juxta actualem suscipientis dispositionem; ergo tum gratia, tum jus ad gloriam meritis prioribus collata non restituitur nisi secundum fervorem pœnitentiæ.

*Resp. dist. ant.* Gratia quæ de novo acquiritur, *conc. ant.* gratia quæ restituuntur, *nego ant.* Itaque cum gratia quæ revivi scit, non fuerit amissa, sed tantum suspensa donec peccator egerit pœnitentiam, sequitur facta pœnitentia reviviscere secundum se totam.

### CONCLUSIO II.

*Peccata per Pœnitentiam dimissa non redeunt simpliciter per peccatum subsequens, sed tantum secundum quid & virtualiter.*

*Nota*: Peccatum *redire simpliciter*, est ipsum redire secundum maculam & reatum sibi proprium; peccatum vero *redire secundum quid*, est peccatum sequens ratione ingratitudinis fieri gravius quam alias fuisset.

*Prob.* 1. *pars prop.* Quia ex Apost. (*Rom.* 11. *v.* 29.) *Sine pœnitentia sunt dona Dei*: sed peccata sunt dimissa per donum Dei; ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deum de dono remissionis pœniteat. Hinc est quod peccata condonata dicantur remissa, deleta, & pœnitens dealbari super nivem; *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* 31. *v.* 1.):

*De-*

*Dele iniquitatem meam.* Et *Lavabis me & super nivem dealbabor.* (*Psal.* 50.)

*Objicies* 1. Merita per peccatum amissa, per pœnitentiam reviviscunt; ergo & peccata remissa per subsequens peccatum.

*Prob. conseq.* Contrariorum eadem est ratio; ergo.

*Resp. nego conseq. & dist. ejus probationem.* Contrariorum eadem est ratio dum cetera sunt paria, *conc.* secus, *nego.* Disparitas autem est inter peccata & merita, quod peccata per pœnitentiam vere deleantur, merita vero per peccatum sequens non deleantur, sed suspensa maneant propter peccati impedimentum, quo sublato reviviscunt.

*Inst.* 1. Eccl. 5. dicitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu;* ergo peccata possunt reviviscere.

*Resp. dist. conseq.* Possunt reviviscere secundum quid & virtualiter ratione ingratitudinis, *conc.* simpliciter, *nego.* Loquitur enim Ecclesiasticus de iis qui obtutu misericordiæ Dei liberius peccantes sese indignos miserationum & gratiæ singularis divinæ constituunt: addit enim: *Neque adjicias peccatum supra peccatum, & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur &c.*

*Inst.* 2. Christus (*Matth.* 18. *v.* 22.) adducta parabola, in qua dominus a servo in conservum suum crudeli, debitum repetit quod remiserat, addit: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis: si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ergo peccatorum debita licet remissa, redeunt odio fraterno.

*Resp. nego conseq.* Christus enim hanc parabolam non usurpat, nisi ut ostendat nos teneri condonare injuriam omnem quam a proximo nostro recepimus, ita ut nullam a Deo veniam accepturus sit, quisquis erga inimicum suum, implacatum animum gerit: en scopus hujus parabolæ: cum igitur dominus ab immiti servo debitum quod remiserat repetiit, circumstantia hæc ad ornatum parabolæ posita est. (*Vide Maldonat. & Corn. a Lap. in hunc locum.*)

*Nota*: Patres qui nobis videntur contrarii, intelligendi sunt non de formali, sed virtuali peccatorum reviviscentia.

*Prob.* 3. *pars prop.* Ex D. Thom. (3. *p. q.* 88.) *art.* 2. *ad* 4.) dicente: *Dicendum quod peccata dimissa per pœnitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato sequenti.* Ergo peccata per pœnitentiam remissa, per sequens peccatum reviviscunt secundum quid.

## APPENDIX.

*De satisfactione per suffragia & indulgentias.*

*Nota*: Hæc appendix supponit existentiam Purgatorii, ideo ut ordine procedamus, tribus capitibus agemus: 1. De Purgatorio, 2. De suffragiis, 3. De Indulgentiis.

## CAPUT PRIMUM.

*De Purgatorio.*

*Nota*: Purgatorium est *locus medius inter cœlum & infernum, in quo animæ Justorum purgantur a culpis levioribus solvuntque pœnas temporales pro peccatis jam quoad culpam remissis, debitas.* Circa quod

## CONCLUSIO.

*Datur Purgatorium;* est de fide contra hæreticos tum veteres (*Petrobusiani, Henriciani*) tum recentiores (*Valdenses, Lut. Calv.*).

*Prob.* 1. Ex Script. 2. *Machab.* 12. ubi legitur Judam Machabæum pro militibus *qui* in conflictu *cum pietate dormitionem acceperant*, toti exercitui contributionem indixisse, mittendam Jerosolymam, ut pro animabus eorum Sacrificia offerrentur; quia nempe, *sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.*

Habemus ex hoc celebri testimonio:

1. Posse mortuos post hanc vitam a peccatis solvi, juxta illud Christi (*Matth.* 12. *vers.* 31.); *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro sæculo: *Neque*, ait D. Aug. (*L.* 21. *de Civ. Dei cap.* 24.) *de quibusdam diceretur quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro.*

2. Posse hominem pie & sancte mori, & tamen habere aliquid solvendum, *ipse autem salvus erit*, ait Apost. (1. *Cor. c.* 3. *vers.* 15.) *sic tamen quasi per ignem* Purgatorii, ut interpretantur Patres, (*S. Ambr. Serm.* 2. *in Psalm.* 118. *Hieronym. in cap.* 4. *Ambr. Greg. lib.* 4. *Dialog. cap.* 29. *Aug. in Ps.* 37.) Nec obest particula *quasi*, quia accipitur *specificative*, non *comparative*, ut in multis aliis Scripturæ locis, v. g. Joan. 1. *gloriam quasi Unigeniti.*

3. Omnes peccatorum reliquias, seu peccata venialia non semper justis in morte condonari, ut Luthero & Calvino placet: cum hujus prætensæ condonationis nullum sit vel levissimum in Scripturis fundamentum.

4. Sacrificia vivorum posse mortuis prodesse; ait autem August. (*L. de cura pro mortuis cap.* 1.) *In Machab. Libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

Dicunt Novatores Librum Machabæorum non esse Canonicum, sed contra est perpetua traditio, & judicium universalis Ecclesiæ agnoscentis Librum hunc pro Canonico. *Deinde* dato, non concesso, Librum Machabæorum non esse Canonicum, saltem eam fidem meretur, quam Livius, Plutarchus & alii Historici fide digni; & consequenter ex illo colligitur, publice tunc temporis persuasum fuisse, superfluas non esse neque vanas viventium pro defunctis orationes.

*Prob.* 2. Ex Tradit. Patrum cum S. Greg. Nisseno (*Orat. pro mortuis*) dicentium: *Non poterit a corpore egressus, Divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.*

Et cum D. Aug. (*Homil.* 16. *inter* 50.) *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quemdam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Ad hanc traditionem attendens Concilium Trid. (*Sess.* 25. *decreto de Purg.* & *Sess.* 6. *cap.* 2. & *can.* 3.) docet & definit, *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura duos tantum ordines commemorat eorum qui e vita decedunt, scilicet justorum qui statim Deo fruuntur, & damnatorum; ergo nullus datur locus medius.

*Prob. ant.* Matth. 25. *Venite, benedicti ... Ite, maledicti, &c.*

*Resp. dist. ant.* Scriptura duos tantum ordines commemorat post diem judicii, *conc. ant.* tunc enim Purgatorium finem accipiet; ante diem judicii, *nego ant.*

Porro D. Matth. loquitur de die judicii.

*Inst.* 1. Ecclesiastici 11. dicitur: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*; ergo non datur medius locus.

*Resp. nego conseq.* Hic enim locus intelligitur de statu gratiæ vel peccati in quo aliquis decedit; si in statu gratiæ, nunquam eam perdet; si in statu peccati mortalis, similiter in eo permanebit, quia post mortem non est pœnitentiæ locus, cum peccatum mortale post hanc vitam non possit remitti quoad culpam, sed tantum quoad pœnam temporalem peccatis debitam.

*Inst.* 2. Marci ultimo dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*; ergo sunt tantum duo loca post hanc vitam.

*Resp. nego conseq.* Non enim dicitur, *statim salvus erit*: cum multi, quibus aliquid luendum superest, salventur, *sic tamen*, ait Apost. *quasi per ignem.*

*Inst.* 3. Psalm. 126. dicitur: *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Textus enim intelligitur de iis justis qui summa Dei charitate succensi, nihil habent purgandum; tales sunt Martyres.

*Inst.* 4. Græci Patres ante Conc. Florent. non credebant Purgatorium; ergo non est veritas Catholica.

*Resp. dist. antec.* Non crediderunt Purgatorium quoad genus pœnarum, *conc. ant.* quoad substantiam, *nego ant.* Hoc constat tum ex omnibus Patribus Græcis qui de Purgatorio scripserunt, & qui referuntur a Bellarmino (*L.* 1. *de Purg. cap.* 6.), tum ex eorum Liturgiis, tum ex prima & ultima Sess. Conc. Florent. in quibus Græci asserunt se perpetuo Purgatorium credidisse, sed solum dubitare de qualitate pœnæ, an sit ignis, vel obscuritas, vel quid aliud.

*Objicies* 2. Post mortem nullum est meritum; ergo nec satisfactio.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod ad meritum requiratur libertas non tantum a coactione, sed etiam a necessitate; ad satisfactionem autem satis est quod quis pœnam patiatur quam debet, quæ satisfactio cum non sit meritoria, vocatur *satispassio.*

*Inst.* 1. Sic se habet charitas ad præmia æterna, sicut peccatum mortale ad supplicia æterna; sed qui moriuntur in peccato mortali, statim in infernum detruduntur; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Est enim commune effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*; & ideo qui in charitate moriuntur, possunt cum illa simul nonnullas veniales noxas habere, quæ prius purgandæ sint, quam ad claram Dei visionem admittantur.

*Inst.* 2. Peccata venialia non possunt remitti post hanc vitam; ergo, &c.

*Prob. ant.* Peccata venialia non possunt remitti absque pœnitentia proprie dicta; atqui talis pœnitentia locum non habet post obitum; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Neque enim necessaria est pœnitentia proprie dicta ad remissionem venialium; sed sufficit virtualis displicentia in hac vita, & pœna purgatorii in altera, ut docet D. Thom. in suppl. q. 72. art. 4. *Sed contra est*, inquit, *quod Greg. dicit. in* 4. *Dialogo cap.* 39. & *Aug. de vera pœnitentia*: *quod* quædam culpæ leves in futuro remittuntur: *nec potest intelligi quoad pœnam, quia sic omnes culpæ, quantumque graves, quantum ad reatum* pœnæ per ignem purgatorium expiantur; ergo *venialia quantum ad culpam purgantur per ignem purgatorium.*

*Inst.* 3. Ergo Justi qui in ultima hujus mundi periodo morientur, non poterunt ad claram Dei visionem admitti, si quid ipsis luendum supersit; absurdum consequens; ergo, &c.

*Prob. sequela maj.* Nullus amplius erit Purgatorii locus; ergo, &c.

*Resp. nego sequelam maj.* & *ejus probationem*; & dico Justos hujusmodi purgandos fore igne ultimæ conflagrationis, ita ut acerbitas pœnæ brevem illius temporis durationem sit compensatura.

Quæres 1. *Ubi sit Purgatorii locus, quodnam genus pœnæ ibi sustineatur, quæ ipsius duratio; quis minister?*

*Resp.* Omnia incerta esse, de quibus Ecclesia nihil pronunciavit; ideo in his tractandis non immoramur, maxime cum Conc. Trid. præcipiat Episcopis, ut circa hanc materiam, *incerta vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant.*

Quæres 2. *An animæ in Purgatorio sint securæ de sua salute?*

*Resp. affirm.* Quia statim post mortem judicatæ sunt juxta illud Eccl. 11. *In fine hominis denudatio operum illius.*

*Dices*: Ecclesia pro defunctis precatur: *ne absorbeat eas tartarus, & ut eruantur de ore leonis*; ergo non sunt securæ de sua salute.

*Resp. nego conseq.* Ita enim precatur Ecclesia, quia Fideles repræsentat in hora mortis, in qua non sine magno suæ salutis periculo contra mortem decertant, itque ad excitandam erga eos compassionem; id familiare est Ecclesiæ, quæ in nativitate exhibet Christum nascentem, in passione patientem, &c.

CA-

## CAPUT II.

### *De Suffragiis.*

*Nota*: Suffragari alicui, est illum juvare, idque fieri potest dupliciter: 1. Pro ipso orando & impetrando; 2. Pro ipso pœnas debitas solvendo & in illum satisfactiones suas transferendo; sicque definitur *Translatio satisfactionum unius in alterum.* His positis:

### CONCLUSIO I.

*Datur suffragiorum communio inter vivos, hoc sensu quod unus possit orare & satisfacere pro alio.*

*Prob.* 1. *pars: Quoad orationes*: Ex Script. Job. ultimo dicitur: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis.* Rom. 15. *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris.* Sic ex Actibus constat Stephanum oravisse pro lapidantibus se, & Ecclesiam pro sancto Petro in vinculis constituto; ergo Fideles se mutuo possunt orationibus juvare.

*Prob.* 2. *pars*: *De satisfactione unius pro alio*; Ex Apost. dicente: (*Coloss.* 1. *vers.* 24.) *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia;* idest offerendo passiones meas pro Ecclesiæ membris, ad hoc ut Christi passiones fiant in actu secundo utiles, ut interpretantur D. August. (*In Psalm.* 62.) & Greg. (*In lib.* 1. *q. Reg. cap.* 9.). Ergo quilibet Fidelis per opera satisfactoria quæ subit, potest satisfactionem hanc suam Christi satisfactione mixtam, aliis applicare. *Nec de hoc cuique fidelium dubitandi locus relictus est, quum in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur*, ait Pius V. (*In Catech. de Sacram. pœnit. num.* 61.).

### CONCLUSIO II.

*Inter vivos & defunctos suffragiorum datur communio, hoc sensu quod animæ Purgatorii orent pro vivis, & suffragia vivorum prosint defunctis.*

*Prob.* 1. *pars*: Tum ex *Jerem.* 15. & *Machab.* 2. *cap. ult.* ubi legitur defunctum Jeremiam pro populo multum orare; & D. Petrus (2. *Petri* 1. *vers.* 15.) ait: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, idest, ut interpretantur Doctores (*Ita Œcum. Salmeron, Suarez* 3. *p. t.* 2. *disp.* 23. *Bellarm. l.* 1. *de Sanctis cap.* 8.), dabo operam habere vos in mente mea, ut crebro vestri sim memor apud Deum, eumque pro vobis orem, ut meorum monitorum vobis memoriam refricet. Unde D. Chrysost. (*orat. in Principem Apostol.*) ait: *Succlamas enim, Beate Petre sic dicens: Studebo post mei obitum vestri memoriam facere.* Ergo defuncti pro vivis orant, &c.

*Prob.* 1. *pars:* Nempe suffragia vivorum prodesse defunctis ad satisfactionem pro pœnis debitis tum ex Conc. Trid. (*In decr. de Purgat.*) definiente, *Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari*; tum ex fidei articulo de *Communione Sanctorum*, secundum quam omnes Fideles membra sunt unius corporis Ecclesiæ tam triumphantis in Cælo, & patientis in Purgatorio, quam militantis in terra; ergo propter hanc unionem debemus nos mutuo juvare in necessitate: animæ autem in Purgatorio sunt in vera necessitate, cum seipsas juvare non possint, sed tantum secundum rigorem satispati. Unde S. Aug. (*L.* 20. *de Civ. Dei cap.* 9.) ait: *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, alioquin nec ad Altare fieret eorum memoria.*

*Dices* 1. Eccles. 9. dicitur: *Mortui . . . . . non habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub Sole geritur.* Ergo mortui non juvantur suffragiis vivorum.

*Resp.* Explico Textum: non habent partem in opere, id est, non concurrunt ad ipsum opus, *conc. ant.* id est, non habent partem in fructu operis, qui est satisfactio, *nego ant.* Solutio ex ipso Textu deducitur.

*Inst.* Non potest unus satisfacere pro debito culpæ alterius, quia nec conteri, nec confiteri potest pro alio; ergo nec pro debito pœnæ.

*Resp. nego conseq.* Quia debitum satisfaciendi pro culpa includit obligationem reordinandi voluntatem, quod non fit nisi per actum proprium: at debitum satisfaciendi pro pœna, respicit solutionem quæ dari potest ab alio.

*Dices* 2. Animæ in Purgatorio spectant ad aliud forum; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Nam pertinent ad idem corpus, unde possunt a nobis juvari per modum suffragii, licet non per modum sententiæ.

Quæres 1. *An suffragia applicata aliis, prosint offerentibus?*

*Resp.* Suffragium potest considerari vel ut est meritorium, vel ut est satisfactorium: *ut est meritorium*, prodest offerenti ad vitam æternam, quia meritum est proprium personæ operantis: *ut est satisfactorium*, non prodest offerenti quoties alteri applicatur, quia opera nostra habent satisfactionem limitatam & finitam, ex quo patet opus bonum applicatum pluribus, minus singulis prodesse, quam si uni applicaretur.

Quæres 2. *Quot requirantur conditiones in eo qui offert aliis satisfationes?*

*Resp.* Requiruntur tres.

1. *Ut habeat intentionem suffragium applicandi alteri*; alioquin retinet sibi suffragium, cum sit opus ipsius.

2. *Ut opus voluntarie faciat*, seu sustineat, per hanc conditionem satisfactio differt a satispassione.

3. *Ut sit in statu gratiæ*, si opus sit satisfactorium ex opere operantis; nam in statu peccati non potest quis pro seipso satisfacere; ergo neque pro aliis; si enim *tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem nonuhabuero, nihil mihi prodest*, ait Apostol. (1. *Cor.* 13. *vers.* 1.).

Dixi; *Si opus sit satisfactorium ex opere operantis:* nam in opere satisfactorio *ex opere operato* (quale est Sacrificium Missæ, & omnia alia quæ fiunt a Sacerdote in persona Ecclesiæ) non requiritur status gratiæ, cum valor ejus non dependeat a probitate operantis, sed ex dignitate Ecclesiæ.

Quæres 3. *Quot requirantur conditiones in eis pro quibus offeruntur suffragia?*

*Resp.* Tres sequentes.

1. *Ut sit viator*, saltem aliquo modo, quales sunt animæ Purgatorii, quæ, licet sint in termino hujus vitæ, tamen non sunt in termino alterius.

2. *Ut sit in statu gratiæ*: quia existens in peccato mortali, quandiu perseverat in eo statu, dignus est pœna æterna: ergo non potest pœnæ remissionem obtinere per suffragia.

3. *Ut culpa pro qua exhibetur satisfactio, sit remissa;* quia quandiu remanet culpa, tandiu remanet obligatio ad pœnam.

Quæres 4. *An suffragia vivis aut defunctis applicata, iis infallibiliter prosint?*

*Resp. affirm.* Si adsint conditiones requisitæ tam ex parte offerentis, quam ex parte ejus cui offertur. Ratio est quia applicatio ejusmodi suffragiorum pendet ex intentione applicantis, quasi solutio pecuniæ ab uno facta pro altero; ergo suffragia prosunt infallibiliter iis pro quibus offeruntur.

## CAPUT III.

### *De Indulgentiis.*

*Nota* 1. Indulgentia est *relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remissis debitæ, a legitimo Ministro facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

Dicitur 1. *Relaxatio*, sive per actum jurisdictionis pro vivis, sive per modum suffragii & solutionis pro defunctis.

Dicitur 2. *Pœnæ temporalis*: nam pœna æterna non remittitur per Indulgentias, sed una cum culpa per Sacramentum pœnitentiæ, in re, vel in voto susceptum remittitur.

Dicitur 3. *Pro peccatis quoad culpam remissis*: quia per Indulgentiam nulla culpa, sed tantummodo pœna remittitur: est enim solutio debiti.

Dicitur 4. *Debitæ;* idest luendæ, vel in hoc mundo per Ecclesiæ Canones, vel præceptum Confessarii, aut post mortem in Purgatorio.

Dicitur 5. *A legitimo Ministro*: nempe a summo Pontifice & Episcopis, qui habent potestatem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ: per quod Indulgentiæ distinguuntur a suffragiis quæ a privatis applicari possunt.

Dicitur 6. *Per applicationem Thesauri Ecclesiæ;* ut distinguatur ab ea remissione pœnæ, quæ fit per Sacramentum, aut Sacrificium.

*Nota* 2. Indulgentia est multiplex, namque

1. Dividitur *in totalem seu plenariam*, & *partialem.*

Plenaria *est remissio totius pœnæ temporalis peccati debitæ*, modo infra explicando.

Partialis *est remissio partis pœnæ temporalis peccatis debitæ.* Talis est Indulgentia centum annorum, quadraginta dierum, &c.

Porro per indulgentiam 100. annorum, 40. dierum, &c. non significatur tot annos, vel dies Purgatorii remitti; sed significatur tantum remitti de pœnis debitis, quantum remissum fuisset per pœnitentiam 100. annis, vel 40. diebus factam secundum rigorem antiquorum Canonum, secundum quos aliquando pro gravibus peccatis imponebantur 7. anni pœnitentiæ assignato a Confessario certo numero jejuniorum per quaslibet illorum hebdomadas; & hæc pœnitentia vocabatur *Septenna.* Aliquando imponebatur jejunium commune per 40. dies, & vocabatur *Quadragena.* Aliquando imponebatur jejunium in pane & aqua, cum separatione a consortio hominum, & vocabatur *Carena.*

2. Dividitur in *personalem*, *localem*, & *realem.*

*Personalis* est quæ alicui personæ conceditur, eamque comitatur; v. gr. profitenti Religionem.

*Localis* est quæ in favorem loci conceditur; v. gr. orantibus in certo Templo.

*Realis* est ea quæ annexa est alicui rei; v. gr. Rosario, Numismati, imagini, quæ semper debet esse ex metallo. Itaque agemus hic;

1. De Thesauro Ecclesiæ, qui est fundamentum Indulgentiarum.
2. De Thesauro Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis.
3. De iis, aquibus concedi possunt Indulgentiæ.
4. De iis, quibus dispensari possunt Indulgentiæ.
6. De Jubilæo.

## QUÆSTIO I.

### *De Thesauro Ecclesiæ.*

### CONCLUSIO.

*Extat in Ecclesia Thesaurus præcipue & primario coalescens ex meritis & satisfactionibus Christi infinitis; & secundario ex satisfactionibus Deiparæ & Sanctorum.*

*Prob.* 1. *pars:* Ex Clem. VI. ( *Extrav. Unigenitus, de Pœnit. & remissione* ) his verbis: *Unigenitus Dei filius .... thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit .... quem quidem thesaurum .... per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores suos in terris vicarios commisit, fidelibus salubriter dispensandum.*

Ratio est, quia Christus infinitas suas satisfactiones in solam hominum salutem impendit; ergo infinitum thesaurum dispensationis Ecclesiæ commisit.

*Prob.* 2. *pars*: Ex eodem Clem. VI. ibi dicente: *Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur.*

2. Ex hac prop. Lutheri damnata a Leone X. *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi, & Sanctorum.*

*Confirm.* Ex articulo fidei de *communione Sanctorum*, per quam membra Ecclesiæ ita sunt colligata, ut merita & satisfactiones unius ad alios quodammodo pertineant.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Thesaurus ex Christi & Sanctorum satisfactionibus conflatus, est Christo injuriosus; ergo rejiciendus.

*Resp. nego ant.* Satisfactiones enim Sanctorum satisfactionibus infinitis Christi in thesauro Ecclesiæ non ideo adjungimus, quod satisfactiones Christi se solis non sufficiant, aut quod augeantur satisfactionibus Sanctorum, absit; sed ideo adjungimus,

mus, ut illæ non sint otiosæ, ut Sancti hoc honore gaudeant, & ut efficacitas meritorum Christi magis elucescat, quæ non solum per se possunt expiare peccata & reatus peccatorum, sed etiam efficere ut merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam remissis debitæ.

*Inst.* 1. Si Christi & Sanctorum satisfactiones in eodem thesauro reponantur, eodem loco habebuntur; injuriosum Deo consequens: ergo.

*Resp. nego sequelam maj.* An Apostoli se pares Spiritui sancto constituebant cum dicebant (*Act. v.* 18.) *Visum est Spiritui sancto & nobis?* Itaque profitemur satisfactiones Christi esse infinitas; satisfactiones vero Sanctorum esse finitas, & totam suam virtutem a Christo tamquam a fonte recipere.

*Inst.* 2. Si peccata remittantur per Sanctorum satisfactiones, Sancti dici poterunt redemptores nostri; absurdum conseq.

*Resp. nego sequelam maj.* Nam is solus est proprius & primarius redemptor, qui nos a captivitate dæmonis & morte æterna liberavit, & talis est solus Christus; hoc tamen non obstat quin Sancti sint nostri redemptores secundarii, quatenus aliquod debitum solvunt pro nobis, quo sensu Pius V. hanc Baji propositionem proscripsit: *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, &c.*

*Objicies* 2. Omnes Sancti plenam laborum suorum mercedem receperunt; ergo nihil superest aliis impendendum.

*Resp. dist. ant.* Plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus fuerunt meritoria, *conc. ant.* quatenus satisfactoria, *nego ant.* Itaque omne opus bonum est simul meritorium, quia fit ex charitate, & satisfactorium quia pœnale. Sancti quidem plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus sunt meritoria; at non semper acceperunt omnem remissionem pœnarum temporalium satisfactionibus suis correspondentem, cum tanta pro se non eguerint; hæcque est superabundantia quæ nobis per indulgentias applicatur ad remissionem pœnæ temporalis.

*Inst.* 1. Ex Apost. (*Rom.* 8. *v.* 18.) *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*; ergo Sanctis nihil residuum superest quod aliis conferre possint.

*Resp. nego ant.* Non sunt condignæ passiones si spectentur quatenus sunt humanæ, naturales & temporaneæ, *conc. antec.* si spectentur quatenus per gratiam Christi suscipiuntur & tolerantur, *nego antec.* Sic enim sunt actus gratiæ & charitatis; gratia autem est semen gloriæ; ergo passiones nostræ ex charitate & gratia Dei manantes, licet in se exiguæ, vim tamen habent & efficaciam producendi gloriam cœlestem. *Deinde* textus intelligitur de passionibus quoad vim merendi, non vero quoad vim satisfaciendi.

*Instab.* 2. In parabola virginum; oleum significat satisfactiones, quia hæ pœnas alleviant: atqui prudentes virgines non potuerunt dare de oleo suo fatuis virginibus; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Oleum enim potest significare satisfactiones & meritum ex charitate; atqui in laudata parabola significat charitatis meritum.

*Objicies* 3. Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum evertit fundamenta contritionis; ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Imo solis contritis datur Indulgentia.

*Prob. ant.* Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum promittit impunitatem pro peccatis; ergo evertit, &c.

*Resp. nego ant.* Alias articulus fidei de *communione Sanctorum* promitteret impunitatem; dico itaque Indulgentiam hoc unum præstare, ut satisfactio illius, cui conceditur, satisfactionibus Sanctorum juvetur ex misericordia Dei: hinc calumniatur Lutherus dicens, hominem per Indulgentiam retrahi ab operibus bonis, cum e contra imperentur opera illa ad Indulgentiam consequendam.

## QUÆSTIO II.

*De potestate Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis.*

## CONCLUSIO.

*Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias a Christo accepit.* Est de fide contra Waldenses, Wicleftas, Lutherum & Calvinum.

*Prob.* 1. Ex Scriptura Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Inde sic argumentor.

Christus per hæc verba: *Quæcumque alligaveritis:* dedit Ecclesiæ potestatem imponendi opera laboriosa pro peccatis; ergo per ista verba: *Quæcumque solveritis, &c.* eidem dedit potestatem illa opera, aliqua saltem ex parte, cum expedit, relaxandi; ad eandem potestatem utrumque pertinet, ut apprime probat Div. Cyprianus, lib. 4. ad S. Cornelium Papam, cap. 1. *Cum promiserit ipse qui legem dedit*, inquit, *ut ligata in terris, etiam in Cælis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur; &c.*

Hac potestate usus est Apostolus (1. *Cor.* 2. *vers.* 10.) erga Corinthium incestuosum, cui *in persona Christi* reliquum pœnæ condonavit, dum rescivit ipsum de peccato doluisse, ac pœnitentiam inchoasse.

*Prob.* 2. Ex perpetua traditione qua certum est potestate concedendi Indulgentiam Ecclesiam semper usam fuisse.

Sic in primæva Ecclesia pœnitentes obtinebant ab Episcopis pœnarum relaxationem per intercessionem martyrum in carcere detentorum, a quibus libellos Indulgentiarum acceperant.

Sic Concilium Nicænum I. & Carthag. IV. concedunt Episcopis facultatem remittendi aliquid de satisfactionibus, pro majori pœnitentium fervore in adimplenda, quæ imposita fuerat, satisfactione.

Sic Gregorius Magnus Romæ stationes ad Sanctorum Basilicas, pro Indulgentiarum consuetudine instituit.

Hinc Conc. Trid. (*Sess.* 25. *in decreto de Indulg.*) *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus ..... ea* ana-

*anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. juxta Deuter. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus;* ergo pœnæ peccatis debitæ non possunt relaxari.

*Resp. nego conseq.* Non possunt relaxari auctoritate propria, *conc. cons.* auctoritate Christi, *nego cons.* Sic Apostolus relaxavit pœnas temporales incestuoso Corinthio *in persona*, id est gerens personam *Christi.*

*Inst.* 1. Incestuosus Corinthius jam per annum integrum pœnam peccatis debitam dederat; ergo nihil ipsi condonandum remanebat.

*Resp. nego conseq.* Equidem Corinthius jam peccati pœnam dederat, sed non integram quam debebat, Divus itaque Paulus illud pœnæ residuum relaxavit *in persona Christi, ne forte abundantiori tristitia absorberetur*; id est ne desperaret, quæ fuit justa causa Indulgentiam concedendi.

*Inst.* 2. Martyres non Indulgentias postulabant pro lapsis, sed pacem; ergo ex facto Martyrum probari non potest existentia Indulgentiarum.

*Resp. nego ant.* Nam lapsi non admittebantur ad pacem nisi satisfactione integre persoluta, vel per Indulgentias relaxata; unde idem erat pro lapsis pacem postulare, & relaxationem residuæ pœnitentiæ, ut statim ad pacem admitterentur, id est ad Ecclesiæ & Eucharistiæ communionem.

*Inst.* 1. S. Cyprianus (*Epist.* 10. 12. & 15.) reprehendit Indulgentias ad instantiam Martyrum concessas; ergo.

*Resp. nego ant.* Non enim reprehendit potestatem concedendi indulgentias, sed usum immoderatum Indulgentiarum, in eo positum quod aliqui Martyres ab Episcopis relaxationem exposcerent sine delectu pro iis lapsis qui nullam pœnitentiam egissent; rogatque Martyres, ut cum delectu designent eos quibus pacem dare velint. *Ideo*, inquit, Epist. 11. Martyres & Confessores alloquens, *ut eos quos videtis, & nostis, quorum pœnitentiam* satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.

*Objicies* 2. In veteri Lege non erat potestas Indulgentias concedendi; ergo nec in nova.

*Resp. nego conseq.* Multa enim prærogativæ conceduntur Ecclesiæ, quæ Sinagogæ non fuerunt concessæ, qualis est potestas remittendi peccata, quam subsequitur potestas conferendi Indulgentias.

*Objicies*: Indulgentias, quæ vivis conceduntur esse proprie absolutionem judiciariam, annexam habentem solutionem ex thesauro Ecclesiæ; unde Indulgentia plenaria a summis Pontificibus quandoque vocatur *absolutio plenaria* (*Ita Martin. V. in Conc. Constantiensi.*)

# QUÆSTIO III.

*De iis a quibus possunt dari Indulgentiæ.*

## CONCLUSIO.

*Solus Papa & Episcopi habent potestatem concedendi Indulgentias.*

*Prob.* Illi soli possunt indulgentias concedere, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; atqui solos Episcopos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; ergo &c.

Hinc Martinus V. de hæresi Wiclefi suspectos in Concil. Constantiensi interrogari jubet: *Utrum credant quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis, ex causa pia & justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum; & quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Sacrorum Canonum possint etiam illas concedere.* Ex hac constitutione constat

1. Summum Pontificem habere potestatem conferendi Indulgentias plenarias omnibus fidelibus; cum enim sit supremus Pastor, ad ipsum quasi jure innato pertinet publica Ecclesiæ bona per solemnes Indulgentias dispensare: ipsi enim specialiter dictum est; *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis &c.*

2. Episcopos in sua Diœcesi & Archiepiscopos in sua Provincia hanc potestatem habere *secundum limitationem Canonum*, quæ est ut non possint concedere nisi Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & 40. dierum in aliis temporibus; ita statutum est in Conc. Later. IV. can. 62. & in variis canonibus juris (*Can. cum ex eo*, & *can. Indulg. de pæn. & remissione*).

Porro Episcopi electi & confirmati habent hanc potestatem, licet nondum sint consecrati, ut constat ex praxi Ecclesiæ; ratio est quia ad hoc sufficit potestas jurisdictionis quam habent ante consecrationem.

*Dices*: Indulgentia ex dictis est vera absolutio, sed ad absolvendum requiritur potestas ordinis; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Est absolutio extra sacramentalis, *conc.* Sacramentalis, *nego ant.* Porro ad absolvendum a pœna temporali extra Sacramentum non requiritur clavis ordinis, sed sufficit clavis jurisdictionis.

3. Nec Abbates, nec Generales Ordinum, nec Parochos posse concedere Indulgentias *absque speciali commissione*, eo enim jure privantur a Canonibus (*Cap. accedentibus, de excessibus Prælatorum*). Ratio est, quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ Principibus, quales sunt soli Episcopi.

Dixi: *Absque speciali commissione*, quia summus Pontifex & Episcopi potestatem largiendi Indulgentias delegare possunt alteri, qui sit clericus: quia habent potestatem ordinariam; qui autem habet potestatem ordinariam, eam potest alteri delegare &c.

*Dices*: Martyres olim concedebant lapsis Indulgentias; ergo.

Resp.

*Resp. nego ant.* Si stricte loqui velimus, Martyres cum libellis Indulgentiarum non proprie concedebant Indulgentias, sed tantum rogabant Episcopos ut intuitu martyrii ab ipsis subeundi, relaxarent fidelibus lapsis pœnas Canonicas.

4. Ad valorem Indulgentiæ requiri ut concedatur *ex causa pia & justa*, seu, ut ait Clem. VI. extrav. *Unigenitus: ex propriis & rationalibus causis.* Ratio est, quia Papa & Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiæ thesauri, ut ait Apost. (1. *Cor.* 4. *v.* 1.) atqui dispensator de rebus domini sui, citra justam causam, nec valide nec licite disponere potest; ergo ad valorem Indulgentiæ requiritur justa causa, circa quam

Quæres 1. *Quid requiratur ad justam concedendæ Indulgentiæ causam?*

*Resp.* Duo requiruntur.

1. Est aliquis finis pius & Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur: talis est v. gr. honor Dei, charitas proximi, utilitas Ecclesiæ, bonum commune aut privatum, cui conceditur Indulgentia, ut est incrementum pietatis.

2. Opus aliquod bonum, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit, v. gr. cum Papa concedit Indulgentiam plenariam recitanti certas quasdam preces, aut facienti aliquod opus pium ad pacem Reipublicæ christianæ obtinendam; vel certam pecuniæ summam conferenti ad Basilicarum vel Xenodochiorum constructionem, redemptionem captivorum, pauperum sustentationem &c.

Quæres 2. *An ad valorem Indulgentiæ requiratur ut causa sit proportionata Indulgentiæ quæ conceditur, ita ut major causa requiratur pro majori Indulgentia?*

*Resp.* 1. Ad valorem Indulgentiæ non requiritur, ut opus injunctum sit tam satisfactorium ut capax sit compensare pœnam debitam, alias nulla fieret remissio per Indulgentias; sed tantum commutatio, & sic Indulgentiæ forent prorsus inutiles; ita omnes.

*Resp.* 2. Ad valorem Indulgentiæ requiritur ut causa habeat proportionem quamdam cum Indulgentia quæ conceditur: est Bellarmini, *eam communiorem & veriorem* asserentis.

*Prob. ex dictis:* Ad valorem Indulgentiæ requiritur justa & rationabilis causa: atqui causa Indulgentiæ improportionata non est justa & rationabilis, cum non magis placeat Deo, quam pœnitentialis satisfactio; ergo.

Hinc juxta Bellarminum, cum datur Indulgentia alicui particulari, oportet ut opus injunctum sit proportionatum fini cujus gratia datur Indulgentia: cum vero datur multis in communi, non necesse est opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul, fini sit proportionatum; sic v. gr. causa Indulgentiæ plenariæ concessæ multis conferentibus certam pecuniæ summam ad ædificandum Xenodochium, non est summa a singulis, sed ab omnibus collata, quæ causa est justa, quia illis sumptibus poterit ædificari Xenodochium, quod opus Deo gratius est quam satisfactio pœnitentialis.

*Dices:* Aliquibus religiosis & sodalibus in articulo mortis constitutis conceditur Indulgentia unius vel plurium annorum, vel etiam plenaria pronuntiato nomine *Jesu & Mariæ*, nullo alio opere injuncto; atqui hæc causa non est proportionata tali indulgentiæ; ergo &c.

*Resp. nego min.* Nam sicut Princeps potest bona communia ex rationali causa dignis applicare, ita etiam Papa & Episcopi qui sunt Principes Ecclesiæ, possunt bona Ecclesiæ communia religiosis, sodalibus & aliis qui de Ecclesia bene meriti sunt, applicare, ut alios ad bene de Ecclesia merendum, vel ad religiosam vitam, vel ad sodalitates in quibus plurima opera bona exercentur, hoc beneficio trahant; unde licet opus de se sit leve ac facile, tamen est medium ad finem Deo gratissimum assequendum, quod sufficit, ut docet Bonac. (*Disput.* 6. *puncto* 4. *n.* 6. *de Indulgentiis*).

*Inst.* 1. Ex communi axiomate: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*; ergo non requiritur proportio causæ, sed sufficit intentio concedentis exterius manifestata.

*Resp. dist. axioma:* Tantum valent, quantum sonant, *clave non errante*, conc. *clave errante*, nego axioma: ut autem clavis non erret, debent quatuor conditiones concurrere, nempe ex parte dantis auctoritas & justa causa; & ex parte accipientis gratia sanctificans, & executio eorum quæ in litteris Indulgentiarum præcipiuntur.

*Inst.* 2. Nonnullæ indulgentiæ conceduntur iis qui certa die certam Ecclesiam animo pietatis & religionis visitaverint: atqui hæc causa non est proportionata; ergo &c.

*Resp. nego min.* Licet enim opus sit valde laboriosum, attamen spectatis circumstantiis, proportionatum est fini Indulgentiarum, nempe ad cultum alicujus Sancti, ad incrementum pietatis &c. promovendum.

*Inst.* 3. Si ad valorem Indulgentiæ requiratur causa ipsi proportionata, semper erit in fidelibus dubitandi locus, utrum propter justam causam Indulgentia fuerit concessa; & sic Indulgentiæ vilipendentur.

*Resp. nego ant.* Quia in facto principis semper præsumitur causa, nisi error in contrarium sit manifestus; ita censet Toletus (*Lib.* 6. *c.* 28. *n.* 6.).

## QUÆSTIO VI.

*De iis, quibus dispensari possunt Indulgentiæ.*

*Nota*: Hic agendum nobis incumbit de vivis & defunctis.

### ARTICULUS I.

*De Indulgentia pro vivis.*

Constat apud omnes, omnem fidelem non excommunicatum, Indulgentiarum esse subjectum; ideo hic unice controvertitur de dispositionibus ad lucrandas Indulgentias necessariis, circa quas:

Quæres 1. *Quænam dispositiones sint necessariæ ad lucrandas Indulgentias.*

*Resp.* Tres sequentes; namque,

1. *Requiritur ut qui lucraturus est Indulgentiam, præstet complete ea quæ præscripta sunt a superiore Indulgentiam concedente*; ratio est quia superior concedit Indulgentiam sub conditione talis operis; concessio autem conditionata non subsistit, non adimpleta conditione.

Hinc qui partem notabilem operis injuncti, vel etiam circumstantiam operis principaliter intentam, non impleret, sive ex ignorantia, sive ex oblivione, sive ex justo quodam impedimento, Indulgentiam minime consequeretur. Nam *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

Injuncta autem confessio, intelligitur confessio mortalium; confessio enim venalium non est necessaria nisi summus Pontifex aliter declaret. Ratio est quia confessio simpliciter dicta ex communi Ecclesiæ sensu censetur confessio mortalium; ideo sicut Ecclesia non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consuevit confessionem venialium requirere ad consequendam Indulgentiam.

2. *Requiritur ut sit in statu gratiæ*: quia non potest remitti pœna temporalis, nisi prius remittatur culpa, obligatio enim ad pœnam æternam remanet quandiu culpa mortalis manet.

3. *Requiritur propositum efficax Deo satisfaciendi*: nam Indulgentiæ conceduntur solis *vere pœnitentibus*; atqui vera pœnitentia essentialiter includit propositum pro viribus Deo satisfaciendi; ergo requiritur in eo qui lucraturus est indulgentiam, propositum efficax Deo satisfaciendi.

Hinc Gregor. VII. Episcopo Lucoriensi Indulgentiam concedens, ait: *Si tamen bonis operibus inhærendo, commissus excessus plangendo quantum volueris, corporis tui habitaculum, Deo mundum templum exhibueris.* Quæ verba postquam retulit Baronius (*ad ann.* 1075.) addit: *Scais Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non negligunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.*

*Dices*: Si ad Indulgentiam requiratur propositum efficax Deo satisfaciendi, inutilis erit Indulgentia, qui enim totum solvit quod debet, non indiget relaxatione: falsum ex dictis consequens; ergo &c.

*Resp. nego seq. maj.* Qualecumque enim sit propositum satisfaciendi in homine infirmo, incapax est id omne solvere quod Deo debet; unde necesse est ut ad beneficium Indulgentiarum recurrat, quæ suis suppleant satisfactionibus.

*Inst.* Saltem Indulgentia plenaria omnem pœnam ex se remittit; ideo enim vocatur *plenaria*; ergo tunc non requiritur efficax propositum Deo satisfaciendi.

*Resp. nego maj.* Non enim idcirco indulgentia dicitur *plenaria* quod omnem absolute & semper tollat pœnam temporalem; sed quod de satisfactione debita imminuat pro majori vel minori pœnitentiis fervore ac pietate. *Unusquisque tamen* (inquit Bonifacius VIII. Extrav. antiquorum) *plus meretur, & Indulgentiam efficacius consequitur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.*

Hinc Cardinal. Cajetanus, *tract.* 20. de suscipientibus Indulgentias quæst. 1. Lutherum impugnans ait; *Non prosunt Indulgentiæ constitutis in gratia* negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt Indulgentia.... parati autem ad satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita.

Itaque Ecclesia, quantum est ex se, plenariam offert Indulgentiam, sed non quilibet plenariam semper assequitur, sed proportione servata uniuscujusque dispositionis, quæ interdum tanta esse potest, ut omnis pœna remittatur; at istud tam rarum est, ut in exemplum trahi non possit. Nam ut ait Joann. Hesselius unus e Concil. Trident. Theologis part. 2. Catech. cap. 46. „ Si plenariam Indulgentiam acciperet omnis qui utcumque contritus est & confessus, qui est in statu gratiæ, male diceret Bonifacius VIII. Extravag. antiquorum, quod unusquisque plus mereretur & efficacius consequeretur indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicumque Indulgentiarum particeps fuerit si statim moreretur, absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum oportet pro peccato peniteat, & valde pie perfecteque participet Indulgentias, cui hoc contingit. Et revera si ad hoc ut plenarias Indulgentias homines acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ, plurimum evacuaretur studium pœnitentiæ & satisfactionis.

Quæres 2. *Utrum Indulgentiam lucraturus debeat esse in statu gratiæ toto tempore, quo omnia injuncta adimpleantur?*

*Resp.* Debet esse in statu gratiæ quando ultimum adimplet opus injunctum; quia eo instanti Indulgentia suum sortitur effectum; non vero necesse est ut sit in statu toto tempore quo alia opera injuncta exequitur, modo fiant animo religioso, *vere pœnitenti ac ab omni affectu lethalis peccati libero*; quia bona opera, etiam in statu peccati facta animo pœnitenti, disponunt hominem ad justitiam, & ad conciliandam Dei amicitiam.

Dixi: *Ab omni affectu lethalis peccati libero*, quia nemo cum affectu peccati mortalis mereri potest, ac Deo satisfacere.

*Dices*. Opera facta in statu peccati mortalis, non sunt apta ad applicanda merita Christi; ergo necesse est ut omnia opera præscripta ad consequendam Indulgentiam, præstentur in statu gratiæ.

*Resp. dist. ant.* Opera facta in statu peccati non sunt apta, &c. ex se, *conc.* quatenus conjunguntur cum ultimo opere præstito in statu gratiæ, *nego ant. & consequentiam.*

Quæres 3. *An percepturus Indulgentiam debeat habere intentionem illam consequendi?*

*Resp. affirm.* Quia nullum opus efficaciam habere potest absque intentione agentis; sufficit autem intentio habitualis aut interpretativa, quam censetur habere qui omnes, quas potest, Indulgentias consequi vellet.

## ARTICULUS II.

### *De Indulgentia pro defunctis.*

*Nota*: Dupliciter conferri potest Indulgentia, nimirum *per modum absolutionis juridicæ*, & *per modum suffragii*.

Indulgentia confertur *per modum absolutionis juridicæ*, quando est sententia Judicis immediate remittentis subdito pœnam peccatis debitam.

Indulgentia confertur *per modum suffragii satisfactorii*, quando Indulgentiam concedens non exercet potestatem in subditum, sed offert Deo pretium ex thesauro Ecclesiæ, ut ipse remittat pœnam suæ justitiæ debitam.

## CONCLUSIO.

*Indulgentiæ concedi possunt defunctis, non quidem per modum absolutionis juridicæ, sed per modum suffragii tantum.*

*Prob.* 1. *pars*: Nempe Indulgentiam prodesse defunctis in Purgatorio detentis, ex Leone X. hanc Lutheri propositionem damnante (*Bulla surge Domine. Quæ requiritur apud Cajetanum.* 3. *p. q.* 48. *art.* 5.): „ Sex hominum generibus Indulgentiæ „ sunt necessariæ, nec utiles mortuis, &c. "

*Prob.* 2. Certum est de fide animas Fidelium defunctorum suffragiis vivorum & incruento Missæ sacrificio juvari posse, prout definivit Conc. Trid. (*Sess.* 25. *de Purg. Sess.* 6. *de justif. Sess.* 22. *de sacr. Missæ cap.* 2.) Ergo possunt etiam juvari Indulgentiis pro ipsis ab Ecclesia concessis, cum sint quiddam suffragium satisfactorium; istaque semper fuit constans traditio & totius Ecclesiæ Catholicæ sensus, ut consta ex Indulgentiis concessis a Greg. I. (*cujus monumenta in templo S. Praxedis & alibi passim Romæ extant.*) Paschali I. (*cujus monumenta sunt a Bellarm. relata.*) &c.

*Prob.* 2. *pars*: Quia Indulgentia per modum absolutionis non potest concedi nisi subditis: atqui defuncti non sunt amplius subditi Ecclesiæ, cum sint extra ipsius forum; ergo, &c.

Restat igitur ut Indulgentiæ prosint defunctis per modum suffragii satisfactorii, modo supra explicato.

*Dices* 1. Potestas concedendi Indulgentias est potestas clavium; atqui potestas clavium non se extendit ad defunctos; ergo nec potestas concedendi Indulgentias.

*Resp. dist. min.* Potestas clavium non se extendit ad defunctos, quatenus est potestas ligandi & solvendi, *conc.* quatenus est potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ, cujus membra sunt defuncti, *nego min.* Hæc enim potestas continetur his Christi verbis: „ Tibi dabo claves regni Cœlo- „ rum, & quodcumque solveris, &c. "

*Dices* 2. Animæ purgatorii damnatæ sunt definitive ad subeundas pœnas Purgatorii; ergo non possunt illæ pœnæ remitti per Indulgentias.

*Resp. nego. ant.* Sunt damnatæ definitive conditionate, *conc.* absolute, *nego ant.* Hæc enim includitur conditio in earum ad pœnas condemnatione, „ nisi aliquis Fidelis applicet Ecclesiæ In- „ dulgentias ".

Quæres 1. *Utrum Indulgentiæ defunctis concessæ eis certo & infallibiliter prosint?*

*Resp. affirm. & prob.* Quia ut Indulgentiæ infallibili justitiæ Lege prosint defunctis, duo solum requiruntur, scilicet 1. Applicatio satisfactionis æquivalentis pœnæ quam defunctus debet: 2. Divina promissio; atqui utramque reperitur in Indulgentiis in favorem defunctorum concessis; ergo.

*Prob min.* 1. Est applicatio satisfactionis non tantum æquivalentis, sed & superabundantis: sunt enim satisfactiones Christi & Sanctorum, ut docet Clem. VI. (*Extrav. Unigen. de pœnit. & remissionib.*)

2. Est divina promissio in potestate clavium regni Cœlorum concessa Petro & ejus successoribus, qua possent removeri quæcumque aditum regni Cœlorum præpediunt; atqui exercitium potestatis clavium semper est ratum apud Deum, si fiat legitime, ex rationabili causa, seu ut ajunt, *clave non errante*; ergo æque infallibiliter pro defunctis ac pro vivis valet legitimum illius potestatis exercitium.

Hinc Leo X. (*In Bulla surge Domine supra cit.*) ait: „ Omnes tam vivos quam defunctos, qui ve- „ raciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti „ fuerint, a tanta temporali pœna liberari, quan- „ ta concessa & acquisita Indulgentia æquivalet ". Quibus verbis significat æque certam & infallibilem esse Indulgentiam pro defunctis ac pro vivis.

*Dices* 2. Si Indulgentiæ defunctis applicatæ prodessent infallibiliter & ex condigno, Papa posset uno die exhaurire Purgatorium; absurdum consequens; ergo, &c.

*Resp. nego seq. maj.* Quia dispensatio Indulgentiarum sine justa & rationabili causa est irrita, & nulla; atqui nulla subest justa causa, ob quam potestate clavium tam ingens dispensatio fieri possit; ergo, &c.

*Dices* 1. Si indulgentiæ defunctis infallibiliter prodessent, frustra pro eadem anima sæpius offerrentur; consequens est contra praxim & communem sensum fidelium; ergo &c.

*Resp. nego seq. maj.* Tum quia fieri potest ut aliquis defectus intercesserit in concessione Indulgentiæ, ut si concessa sit absque justa causa; tum quia fieri potest ut ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto, contigerit defectus, propter quem Indulgentia fuerit irrita; tum quia incertus est gradus fervoris, & pietatis, quo viventes pro mortuis satisfaciunt, cum tamen, ut jam diximus, Indulgentiæ de satisfactione debita imminuant pro majori vel minori pœnitentium fervore.

*Hinc colliges*, Consultum esse sæpius pro defunctis Indulgentias, Missas & alia suffragia applicare, ut illos repetitis suffragiis a pœnis eruamus.

Quæres 2. *Quænam requiruntur conditiones, ut valeant Indulgentiæ pro defunctis?*

*Resp.* 1. *Ex parte conferentis* requiritur auctoritas & causa legitima: hæc autem auctoritas residet in solo summo Pontifice; nam potestas Episcoporum est restricta ad solos viventes. (*Cap. quod autem de pœnit. & remission.*)

*Resp.* 2. *Ex parte suscipientis* Indulgentias pro defunctis requiritur 1. Executio operum præscriptorum. 2. Ut opus fiat ex intentione Indulgentiæ defunctis applicandæ. 3. Requiritur status gratiæ, sal-

saltem in fine ultimi operis injuncti; quia vivens applicat defuncto Indulgentiam quam consecutus est; atqui ex dictis supra (*Q.* 4. *art.* 1. *de Indulg. pro vivis*) non potest consequi Indulgentiam nisi sit in statu gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti; ergo, &c.

*Dices* cum Corduba (*Lib.* 5. *quæst.* 17. *dub.* 3.): Indulgentia suum habet valorem *ex opere operato*: ergo non dependet a gratia illius, qui pro defunctis Indulgentiam lucratur.

*Resp. nego conseq.* Nam quod agit ex opere operato, non impedit quin in subjecto requirantur certæ dispositiones, sine quibus non operatur, ut constat ex dictis de Sacramentis; atqui status gratiæ est conditio a SS. Pontificibus requisita ut fideles possint lucrari Indulgentias defunctis applicandas, cum in suis Bullis semper apponant se concedere fidelibus, *vere pœnitentibus & confessis*, Indulgentias quas possint applicare defunctis.

## QUÆSTIO V.

### *De Jubilæo.*

*Nota*: Jubilæus est *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*, unde solum differt ab Indulgentia plenaria ratione privilegiorum quæ in Jubilæo conceduntur, v. g. absolvendi ab omnibus casibus & censuris reservatis, commutandi voti, & alia quæ in Bulla exprimuntur, quæ ideo attente perlegi debet.

*Circa jubilæum sequentia sunt observanda*:

1. Durante Romæ anno Jubilæi ordinarie suspenduntur per totum orbem Indulgentiæ plenariæ pro vivis a summo Pontifice concessæ.

Dixi 1. *Ordinarie*; quia cum illa Indulgentiarum suspensio pendeat a Pontifice, possunt ex ipsius speciali concessione locum habere.

Dixi 2. *Plenariæ*; quia non plenariæ semper locum habent.

Dixi 3. *Pro vivis*: quia non suspenduntur Indulgentiæ concessæ pro defunctis; nec pro constitutis in articulo mortis; nec altaria privilegiata, ut docent communiter Auctores.

Dixi 4. *A Pontifice*; quia non suspenduntur Indulgentiæ concessæ ab aliis quam a Papa, v. g. a Legatis Apostolicis, aut Episcopis, quia Bullæ solum loquuntur de Indulgentiis pontificiis & plenariis.

2. Quoad opera injuncta, & privilegia concessa, omnino standum est verbis concessionis, quia *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*.

3. Opera præscripta possunt impleri in diversis locis: unde si quis in patria sua, promulgato Jubilæo, designatas Ecclesias visitaverit, & postea ex aliquo negotio e patria discedat, potest jejunium, confessionem & communionem in alia Diœcesi peragere, & ibi a quovis Confessario approbato absolvi a reservatis. Ratio est, quia Jubilæus est favor personalis, non localis; ita communiter Auctores (*Bassæus*, *Gervasius*, &c.)

4. Qui de consensu Confessarii distulit confessionem post transactum Jubilæum, potest etiam tunc absolvi a reservatis; hæc enim videtur esse mens S. Pontificis, & praxis communis.

5. Qui tempore Jubilæi absens fuit, rediens in patriam, lucrari posse Jubilæum, declaravit Clem. VIII. ann. 1597. quod tamen debet fieri quam primum redierit, nempe intra duas hebdomadas a die reditus.

6. Juxta multos (*Lessius L.* 2. *Cap.* 40. *n.* 109. *Sanchez L.* 4. *moral. cap.* 55. *n.* 39. *Henriquez L.* 7, *cap.* 11. *num.* 4. *Gervas. disp.* 2. *de pœnit. num.* 659.) qui semel Jubilæum consecutus est, jus habet etiam post ipsum, sibi Confessarium eligendi, ad gratias sibi comparandas, quas tempore Jubilæi obtinere poterat, & tamen ex oblivione, & alia causa non obtinuit, v. gr. ut ipsum absolvat a peccatis, censuris, votis quibus ante Jubilæum obstrictus fuerat; ratio eorum est, quia hoc ipso quo debito tempore præstitit opera ad Jubilæi consecutionem necessaria, acquisivit jus quo possit absolvi a supradictis.

Nos vero censemus cum Suarez (*L.* 6. *de voto c.* 16. *n.* 14. & 15.), talem elapso Jubilæo posse ab ordinario Confessario absolvi a peccatis reservatis ante Jubilæum commissis, quia eorum generalem obtinuit absolutionem; non posse vero a votis dispensari, cum eorum generalem non obtinuerit dispensationem, vel commutationem, & transacto Jubilæo simplicem Confessarium carere jurisdictione ad dispensandum, vel commutandum vota.

## DISSERTATIO VI.

### *De Extrema Unctione.*

Hanc dissertationem quinque absolvemus capitibus. 1. Erit de natura & institutione Extremæ Unctionis. 2. De ejus materia & forma. 3. De ejus ministro. 4. De ejus subjecto & necessitate. 5. De ejus effectibus & cæremoniis.

## CAPUT PRIMUM.

### *De extremæ Unctionis natura & institutione.*

*Nota*: Omissis variis nominibus quibus hoc Sacramentum designatur, dico illud trito nomine appellari *Extremam Unctionem*; tum quia cum multæ sint in Ecclesia unctiones, hæc ultima est; tum quia non datur nisi periculose ægrotantibus; unde etiam *Sacramentum exeuntium* vocatur a Concil. Trident. (*Sess.* 14. *c.* 3.).

Extrema Unctio definitur. " Sacramentum a „ Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem olei & orationem Sacerdotis, obtinent salutem animæ, & sanationem „ morborum, ubi saluti animarum expedit. „ Hæc definitio omnes continet hujus Sacramenti partes necessarias; etenim

Dicitur 1. *Sacramentum*, pro genere.

Dicitur 2. *A Christo institutum*: prout definivit Conc. Trid. (*Sess.* 14. *de Sacram. Extremæ Unct. c.* 1. & *can.* 2.) solius enim Christi est instituere Sacramenta.

Dicitur 3. *Quo infirmi de vita periclitantes*: ut denotetur subjectum hujus Sacramenti.

Dicitur 4. *Obtinent salutem animæ*: per gratiam, scilicet, sanctificantem, aliasque auxilia.

Dicitur 5. *Et sanationem morborum*, &c. quia

per

per hoc Sacramentum salus animæ principaliter intenditur.

Dicitur 6. *Per unctionem olei*, *& orationem Sacerdotis*: quæ verba dant ministrum, materiam & formam hujus Sacramenti.

Hinc quæ moventur controversiæ: 1. adversus hæreticos Waldenses, Wiclefitas, Lutheranos & Calvinistas, negantes Extremam Unctionem esse verum Sacramentum; 2. Inter Catholicos disputantes de tempore quo fuit instituta.

## CONCLUSIO.

*Extrema Unctio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum.*

*Prob.* Ex Scriptura Jacobi 5. ubi dicitur: " Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei ". Ex quo textu sic argumentor: ad verum Sacramentum quatuor requiruntur & sufficiunt, etiam secundum Novatores; 1. Ut sit signum externum & sensibile. 2. Ut habeat vim gratiam conferendi. 3. Ut sit a Christo præceptum. 4. Ut sit constans & perpetuum in Ecclesia; atqui quatuor illas conditiones habet Extrema Unctio ex laudato textu: ergo.

1. Est signum externum & sensibile, in *unctione* quæ est materia, & *oratione* quæ est forma.

2. Habet vim producendi gratiam ex his verbis: *& si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui per solam gratiam potest remitti peccatum.

3. Est a Christo præcepta, cum ista verba, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, sonent præceptum.

4. Est perpetua & constans in Ecclesia; tum quia omnibus infirmis adhibendam esse jubet S. Jacobus: at semper futuri sunt infirmi inter mortales. Tum quia semper retenta fuit, ut constat ex perpetua praxi Ecclesiæ, & constanti traditione Patrum, Originis, Innocent. I., Augustini (*Origen. hom.* 2. *in Levit. Innoc. I. Epist. ad Decentium cap. ult.*, *Aug. Serm.* 215. *de tempore*).

Hinc Concil. Trident. *Sess.* 14. *can.* 1. definit: " Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a Beato Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. *Ex can.* 2. Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit ".

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Unctio de qua Sanctus Jac. est eadem cum ea quam refert D. Marcus, *c.* 6. dicens de Apostolis: " Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant "; atqui unctio de qua D. Marcus, referebatur solum ad curationem morbi corporalis (*Matt.* 10. *v.* 1. *&* 8.) ut declaratur; *Convocatis duodecim Discipulis suis*, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem; ergo & ea, de qua Jacobus.

*Resp. nego maj.* Tum quia Apostoli tempore quo illos infirmos ungebant, nondum erant Sacerdotes (*Ex Trid. Sess.* 22. *cap.* 1. *Christus Apostolos Sacerdotes fecit in die cœnæ*) tum quia tunc promiscue ungebant quoslibet ægrotos, ut cæcos, claudos, &c. tum fideles, tum infideles: at Sacramentum unctionis non datur nisi iis infirmis, qui de vita periclitantur iisque baptizatis.

Hinc Conc. Trid. utrumque illud testimonium distinguit dicens (*Sess.* 14. *cap.* 1.): hoc Sacramentum fuisse *apud Marcum quidem insinuatum*, *per Jacobum autem ... commendatum ac promulgatum.*

*Instabis* 1. S. Jacobus assignat sanitatem corporis tanquam effectum præcipuum unctionis; atqui Sacramentorum præcipuus effectus est gratiæ collatio: ergo unctio, de qua D. Jacobus, non est Sacramentum.

*Resp. nego maj.* Præcipuus enim effectus Extremæ Unctionis est remissio peccatorum quam directe & primario respicit & operatur; sanitatem vero corporis non operatur nisi secundario, si nempe saluti animæ expediat.

*Inst.* 2. Ille effectus non est præcipuus, qui tantum promittitur conditionate; atqui talis est remissio peccatorum, *& si in peccatis sit*, *remittentur ei*; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Cum enim moraliter impossibile sit hominem esse sine peccatis, vel saltem reliquiis peccatorum, particula *si* in textu Jacobæo non denotat conditionem rei dubiæ, sed concessionem rei certæ; sicut enim cum D. Jacobus *eadem Epist. cap.* 1. dicit: *Si quis vestrum indiget sapientia*, sensus est: *cum unusquisque vestrum indigeat sapientia*; ita cum dicit: *& si in peccatis sit*, sensus est: *& cum in peccatis seu peccatorum reliquiis sit, &c.*

*Objicies* 2. *Cum Dallæo Calvinista*: inter scriptores trium priorum Ecclesiæ sæculorum, nullus est qui unctionis infirmorum mentionem faciat, licet eorum plurimi accurate exposuerint quæcumque pertinent ad nostra Sacramenta; ergo unctio, de qua S. Jacobus, non est Sacramentum.

*Resp. nego conseq.* 1. Quia illa argumenta negativa nullius sunt ponderis, ubi suppetunt alia positiva, quæ rem demonstrant. 2. Quia scriptores Ecclesiastici, ea quæ sunt notissima & usu quotidiano vulgata, non solent scribere, nisi aliqua, circa illa, orta fuerit controversia; hoc ergo unice concludi potest ex intentione veterum, nullam ortam fuisse controversiam circa extremam unctionem ante tempora Origenis, qui primus reperitur scripsisse de ea, sæculo III.

*Inst. Dallæus*: Est discordia inter nostros Theologos tum circa auctorem, tum circa materiam & formam extremæ unctionis: atqui hæc discordia persuadere videtur illos eam non habuisse pro vero ac proprie dicto Sacramento: ergo.

*Resp. nego min.* Istæ enim Theologorum nostrorum discordiæ non attingunt Sacramenti substantiam & existentiam, quam omnes confitentur; sed attingunt tantum liberas scholæ opiniones, in quibus quilibet potest quod magis placuerit, sentire.

Quæres *quo tempore Christus instituerit extremam Unctionem?*

*Nota*: Circa hanc quæstionem mirandam esse inter auctores discordiam.

Sunt

Sunt qui cum Magistro, & Div. Bonaventura docent hoc Sacramentum post Ascensionem, ab Apostolis ex speciali revelatione Spiritus sancti, fuisse institutum; ex qua sententia sequitur, Christum illud instituisse tantum mediate per Apostolos.

Sunt qui volunt illud fuisse institutum, cum Apostoli, *Marci* 6. acceperunt a Christo potestatem ungendi & sanandi infirmos (*Victor. Antioch. Vener. Beda, Theophilactus, & Œcumenius in c. 6. Marci*). Hæc sententia fuit refutata in solutione prima objectionis præcedentis propositionis.

Alii denique putant illud institutum fuisse post resurrectionem, cum nempe Christus Apostolis ligandi atque solvendi auctoritatem concessit. Itaque

*Resp. Plane incertum est quo tempore Christus instituerit Extremam Unctionem; probabilius est tamen ipsam instituisse post suam resurrectionem.*

*Prob.* 1. *pars*: Illud in iis, quæ ex mera Dei voluntate pendent, incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex traditione, certo colligi potest; atqui tale est tempus quo instituta est Extrema unctio, ut constat ex discordia Doctorum; ergo, &c.

*Prob.* 2. *pars*: Extrema unctio est, ex Trident. (*Sess.* 14. *c.* 5.) *Pœnitentiæ consummativum Sacramentum*; ergo probabilius est ipsam fuisse institutam eo ipso tempore, quo Sacramentum ipsum pœnitentiæ, nimirum inter Resurrectionem & Ascensionem: „ Hi enim dies qui inter Resurre- „ ctionem Domini Ascensionemque fluxerunt, „ inquit S. Leo (*Serm. de Ascens.*), non otioso „ transierunt decursu, sed magna in eis confir- „ mata sunt Sacramenta, magna revelata myste- „ ria “.

## CAPUT II.

*De materia & forma Extremæ Unctionis.*

*Nota.* Majoris claritatis causa, præsens caput in duas distribuemus quæstiones, quarum 1. erit de materia remota & proxima; 2. De forma Extremæ Unctionis.

### QUÆSTIO I.

*De materia Extremæ Unctionis.*

### CONCLUSIO I.

*Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum: quod debet essentialiter esse benedictum ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus commissione.*

*Prob.* 1. *pars*: Quæ est de fide, scilicet quod sit oleum olivarum, ex Jac. 5. *Ungentes eum oleo*: atqui per oleum sine addito intelligitur olivarum, ut constat ex perpetua praxi Ecclesiæ & traditione, ergo, &c.

Hinc Conc. Flor. ait: „ Quintum Sacramentum „ est extrema Unctio, cujus materia est oleum „ olivæ, per Episcopum benedictum “. Et Trid. (*Sess.* 14. *can.* 1.) *intellexit Ecclesia materiam Extremæ Unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum.* Ratio a priori est voluntas Christi.

*Dices*. Trid. caret voce *olivarum*; ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Cum enim oleum simpliciter & sine addito, sit oleum olivarum, sufficienter intelligitur mens Tridentini, quæ alias explicari debet per praxim continuam Ecclesiæ.

*Prob.* 2. *pars*: Nempe oleum illud essentialiter debere esse ab Episcopo benedictum; ex iisdem Conciliis Flor. & Trid. quæ in assignanda hujus Sacramenti materia, semper addunt, *oleum ab Episcopo benedictum*: & ex veteribus sacramentalibus, in quibus oleum infirmorum vocatur *oleum sanctum, oleum sanctificatum* (*Sacram. Greg. Magn. vetera Sacr. Ecclesiar. Venetæ, Mediolanensis, Rhemensis a S. Remigio*). Ergo signum est talem benedictionem esse necessariam essentialiter, id est necessitate Sacramenti.

*Dices*: Conc. Flor. & Trid. non dicunt benedictionem olei esse essentialem: ergo non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti Ecclesiæ.

*Resp. dist. ant.* Non dicunt formaliter, & ideo non est de fide, *conc. ant.* non dicunt virtualiter & arguitive, *nego ant.* nam licet aqua baptismi debeat esse benedicta ex præcepto Ecclesiæ, tamen illa Concilia non assignant pro materia baptismi aquam benedictam, sed aquam simpliciter, seu aquam naturalem; ergo cum assignant pro materia extremæ unctionis, oleum benedictum, signum est talem benedictionem necessariam esse necessitate Sacramenti, unde licet non sit de fide, videtur tamen certum.

*Prob.* 3. *pars*: Nempe oleum posse benedici a Presbytero ex commissione Episcopi; ex praxi Ecclesiæ Græcæ in qua simplices Presbyteri ex antiqua concessione saltem tacita summorum Pontificum, oleum istud benedicunt, ut asserit Goarius (*In notis ad Euchológ. Græc. pag.* 426. *num.* 22.) quam praxim approbavit Clemens VIII. in instructione de ritibus Græcorum ann. 1505. edita.

*Dices*: Ex dictis est de essentia olei infirmorum, ut sit ab Episcopo benedictum; ergo non potest benedici a simplici Sacerdote, nec ex delegatione Episcopi.

*Prob. conseq.* Ideo simplex Sacerdos non potest benedicere chrisma pro materia confirmationis, quia cousecratio ab Episcopo est de essentia materiæ confirmationis; ergo a pari, &c.

*Resp. nego maj.* Vera enim ratio cur simplex Sacerdos non potest consecrare chrisma, non est quia consecratio est de essentia chrismatis, sed quia in utraque Ecclesia, Latina & Græca, chrisma nunquam nisi ab Episcopis consecratum fuit; e contra vero oleum infirmorum a simplicibus Presbyteris, potestate sibi a summis Pontificibus expresse vel tacite delegata, fuit benedictum & etiamnum benedicitur in Ecclesia Græca; institutio autem Christi ex praxi Ecclesiæ, quæ semper regitur a Spiritu sancto, nobis innotescit.

*Quæres*: *Quid sit faciendum, cum oleum ab Episcopo feria quinta benedictum, deficit propter frequentem administrationem hujus Sacramenti?*

*Resp.* Posse Sacerdotem oleum non consecratum miscere cum consecrato; ex illa enim unione, quod non fuit consecratum, consecrationem quamdam contrahit; ita Rituale Tullense: „ Si forte, „ inquit, oleum ita minueretur, ut ad annum non „ possit sufficere, neque aliud benedictum haberi

„ queat

„ queat, oleum olivæ non benedictum, in illud „ infundi poterit, sed in minori quantitate, ita „ ut certus esse possit Sacerdos, in omnibus un- „ ctionibus postea faciendis, inesse aliquid olei „ consecrati ".

## CONCLUSIO II.

*Materia proxima Extremæ Unctionis est unctio facta a Sacerdote.*

*Prob.* Ex Jac. 5. *Ungentes eum oleo.* Ratio est quia materia proxima Sacramentorum, quæ consistunt in usu, est applicatio materiæ remotæ ad subjectum; talis est unctio: ergo.

Quæres 1. *Quænam corporis partes inungi debeant?*

*Resp.* Eugenius IV. in decreto præcipit infirmum inungendum in septem partibus, nempe „ in „ oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore, propter gustum vel locutionem: in manibus, propter tactum; in pedibus propter gressum: in „ renibus, propter delectationem ibidem vigentem ". Ita etiam habent Ritualia Romanum, Parisiense & Tullense, quæ loco unctionis renum substituunt unctionem pectoris, quæ insuper commendant ut *in feminarum unctione, tangat tantum Sacerdos partem pectoris superiorem*, honestatis & pudoris causa.

*Dices*: Aliqui infirmi carent pedibus, vel manibus, aliqui alii sunt surdi & cæci a nativitate; ergo illis non sunt necessariæ unctiones, illis partibus correspondentes.

*Resp. nego conseq.* Ex praxi Ecclesiæ quæ inungit partes viciniores in his quibus deest organum, & organa oculorum & aurium surdis & cæcis a nativitate, quia licet tales non peccaverint peccato externo visus & auditus, potuerunt tamen peccare peccato interno desiderii.

Quæres 2. *An ad Sacramenti validitatem plures unctiones sint necessariæ, vel an unica sufficiat?*

*Nota*: Circa hanc quæstionem duæ sunt Theologorum sententiæ.

1. Est eorum qui arbitrantur quinque sensuum unctiones omnino esse necessarias ad substantiam Sacramenti. Ita Paulus a Lugd.

2. Est eorum qui putant unicam unctionem esse de necessitate Sacramenti, licet fateantur quinque sensuum unctiones pertinere ad integram & majorem expressionem effectus hujus Sacramenti.

*Resp.* Ad substantiam Sacramenti perinde est, sive plures, sive unica fiat unctio.

*Prob. Tum* quia S. Jacobus unctionis simpliciter mentionem facit, non plurium. *Tum* quia tempore quo trina immersio præcepta erat in Baptismo, validus tamen erat collatus per unicam immersionem: ergo & Extrema Unctio est valida per unam unctionem, ob paritatem rationis. *Tum* demum quia nostra sententia magis videtur esse ad praxim Ecclesiæ, quæ in casu necessitatis permittit unicam unctionem fieri; *ita Ritualia Parisiense & Tullense.*

Quæres 3. *Quænam pars corporis sit inungenda, cum unica in necessitate fit unctio?*

Respondet Rit. Tullense, unctionem in capite, in quo omnes sensus tamquam in sua sede vigent, debere fieri sub hac forma communi; *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti.*

Respondet Rit. Parisiense, debere fieri in oculo, vel alio sensuum organo, sub ista forma; *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.*

Ex his consequens est quemlibet Sacerdotem teneri religiose observare quæ sunt in usu Ecclesiæ, cui addictus est; cum illa tacite saltem approbat Ecclesia universa.

## QUÆSTIO II.

*De forma Extremæ Unctionis.*

## CONCLUSIO.

Forma Extremæ Unctionis hæc est: *per istam Sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (& ita de aliis sensibus) *deliquisti.*

*Prob.* Quia hanc formam præscribunt non solum omnes libri Rituales qui quinque ab hinc sæculis in usu sunt: sed etiam Concilia Flor. in decreto, & Trid. *Sess.* 14. *cap.* 1.

Quæres 1. *Quænam verba in adducta forma sint omnino essentialia?*

*Resp.* Ista duntaxat essentialia videri: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus*: cætera ad majorem significationem referuntur.

*Prob.* Quia per hæc verba exprimuntur actio ministri, causa principalis, subjectum & effectus: Et quidem . . . . actio ministri per hæc verba, *Per istam unctionem* . . . . . . causa principalis, per verbum, *Deus* . . . . . subjectum per verbum, *Tibi* . . . . . Effectus, per verbum, *indulgeat*, in quo includuntur hæc verba, *per suam misericordiam*, & *quidquid peccasti*; nam Deus per suam misericordiam indulget peccatori.

Caveat tamen Sacerdos, ne quid ex præscriptis formæ verbis omittat, tum quia ex præcepto proferri debent; tum quia non conveniunt Theologi in assignandis verbis formæ essentialibus.

Quæres 2. *An forma Extremæ Unctionis debeat essentialiter esse deprecativa?*

*Resp. affirm.* Quia essentia formæ repetitur ex sui institutione; atqui forma Extremæ Unctionis ex sui institutione habet quod sit deprecativa, dicente D. Jacobo: *Orent super eum ungentes oleo, & oratio fidei salvabit*, &c. Quæ verba sonant formam deprecativam; ergo est essentialiter deprecativa.

*Confirmat* hanc veritatem praxis utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, cujus hæc est forma: *Pater sancte, animarum medice, sana hunc servum tuum a spirituali infirmitate.* (*Ita refertur in Euchocolog. in officio sancti olei*).

*Dices* cum R. P. Martene (*In notis ad lib. Sacram. S. Greg. p.* 333.) *Olim in usu fuisse formam indicativam luce meridiana clarius est*; ergo forma non est essentialiter deprecativa.

*Prob. ant.* Forma Ambrosiana Mediolani hæc erat: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Item Leo X. approbavit hanc Ecclesiæ Venetæ formam: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione*

*ctione protectus*, *fortiter stare valeas adversus varias catervas*, *in nomine Patris*, &c. Atqui hæ formæ erant indicativæ & absolutæ; ergo.

*Resp. nego min.* Licet enim hæ formæ prima fronte videantur indicativæ per verba: *ungo te*; fiunt tamen deprecativæ per verbum, *ut*: quod optando, proindeque deprecando, profertur, & a quo incipit forma juxta D. Thom. nostræ objectioni sic respondentem (3. *quæst.* 19. *art.* 8. *ad* 3.): „ Dicendum, inquit, quod verba illa indicativi „ modi, quæ secundum morem quorumdam, præ- „ mittuntur orationi, non sunt forma hujus Sacra- „ menti, sed sunt dispositio ad formam in quan- „ tum intentio Ministri determinatur ad actum „ illum per verba “.

*Inst.* 1. Forma aliorum Sacramentorum est absoluta, non deprecativa; ergo & forma hujus Sacramenti.

*Resp. nego conseq.* Disparitas petitur ex institutione Christi, qui æque potuit gratiam alligare formæ deprecativæ, ac formæ indicativæ.

*Inst.* 2. Oratio non est semper efficax; ergo per formam deprecativam non potest exprimi certus effectus Sacramenti.

*Resp. dist. ant.* Oratio quæ non est forma Sacramenti, non est semper efficax, *conc. ant.* oratio quæ est forma Sacramenti, *nego ant.* Christus enim in sua institutione contulit orationi Sacramentali vim & efficaciam certam, quam recipit subjectum, nisi sit ex ejus parte obex.

## CAPUT III.

### *De Ministro Extremæ Unctionis.*

*Nota:* Lutherani & Calvinistæ per tò *Presbyteros*, in textu Jacobæo docent intelligi non Sacerdotes, sed seniores e populo.

### CONCLUSIO.

*Minister Extremæ Unctionis est solus Sacerdos.*

*Prob.* Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ* &c. atqui Presbyterorum nomine intelliguntur soli qui sua ordinatione ad Episcopalem vel Sacerdotalem gradum provecti sunt, ut constat ex traditione, cujus testis est perpetua praxis Ecclesiæ; & definivit Concil. Trident. his verbis: „ Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ „ quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum „ inungendum hortatur, non esse Saeerdotes ab „ Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in qua- „ vis communitate; ob idque proprium Extremæ „ unctionis Ministrum non esse solum Sacerdo- „ tem; anathema sit “.

*Dices:* Innoc. I. docet (*Epist.* 1. *ad Decentium cap.* 8.) „ Non solum Sacerdotibus, sed „ omnibus Christianis uti oleo sancto licere, in „ sua aut suorum necessitate ad ungendum “; ergo per tò *Presbyteros* D. Jacobus intellexit seniores populi.

*Resp. dist. conseq.* Innoc. enim I. omnibus Christianis permittit uti oleo per Episcopum consecrato, non ut conficiant Sacramentum, sed ut ex devotione inungant membrum morbo affectum absque forma Sacramentali; fideles quippe olim oleo benedictio utebantur, per quod medelam sperabant, eo fere modo quo nunc aqua benedicta utuntur. Hujus praxis multa exempla refert Tournely q. 2. art. 4. de Extrema Unctione.

Quæres 1. *An omnis Sacerdos sit Minister idoneus hujus Sacramenti?*

*Resp.* 1. Omnis Sacerdos valide administrare potest extremam Unctionem, quia ad validam hujus Sacramenti administrationem non requiritur potestas jurisdictionis, sed sufficit potestas ordinis.

*Resp.* 2. Extra casum necessitatis, illi soli Sacerdotes sunt Ministri legitimi Extremæ Unctionis, qui habent ordinariam vel delegatam jurisdictionem.

Ratio est quia administratio Sacramenti est officium Pastoris, quod usurpare in materia gravi, gravis est culpa. Hinc *Clement.* 1. *de privilegiis*, excommunicatione Papæ reservata inuruntur Regulares, qui illud Sacramentum sine licentia Parochi sæcularibus *ministrare præsumpserint*, vi suorum privilegiorum.

Dixi: *Extra casum necessitatis:* quia non comprehenditur hic casus in Clementina, ut constat ex verbo *præsumserint:* non enim præsumit qui in casu necessitatis administrat Sacramentum.

Quæres 2. *Quot requirantur Sacerdotes ad administrandam Extremam Unctionem?*

*Resp.* Unum sufficere, ut definivit Alexand. III. dicens (*Cap. Quæsivi de verb. signif.*): „ Quod „ Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam so- „ lus, potest infirmum ungere “.

*Dices*: Div. Jacob. in numero plurali dicit *Inducat Presbyteros:* ergo unus Sacerdos non sufficit.

*Resp. nego conseq.* D. enim Jacobus loquitur per enallagen numeri, *inducat Presbyteros*, id est, aliquem ex Presbyteris, quomodo Christus dixit, *Ostendite vos Sacerdotibus;* id est, alicui ex Sacerdotibus, nam satis erat, si Leprosus uni Sacerdoti se ostenderet, ut constat Levit. 14. *adducetur* (Leprosus) *ad Sacerdotem.*

## CAPUT IV.

### *De subjecto & necessitate Extremæ Unctionis.*

Quæres 1. *Quodnam sit Extremæ Unctionis subjectum?*

*Resp.* Est infirmus, de cujus morte timetur, rationis aliquando præditus.

*Prob.* 1. *pars:* Ex Jacobi verbis, *infirmatur quis in vobis?* quod verbum, juxta vocem græcam, qua usus est D. Jacobus, significat infirmum in extremis positum; idque probat universa Ecclesiæ praxis & traditio firmata a Conc. Florent. in decreto ubi ait: *Subjectum hujus Sacramenti esse infirmum, de cujus morte timetur.* Et a Trid. dicente (*Sess.* 14. *cap.* 5.): „ declaratur esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præser- „ tim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu „ vitæ constituti videantur; unde Sacramentum „ exeuntium nuncupatur “.

*Resolves.* Non esse administandam Extremam Unctionem criminosis ad mortem damnatis, nec militibus ad prælium euntibus; quia tunc non sunt infirmi.

*Prob.* 2. *pars*: Nempe quod sit infirmus, *usu ra-*

*tionis aliquando præditus*: quia extrema unctio est instituta ad remittenda peccata, *& si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui qui nunquam fuit præditus ratione, ut sunt infantes, perpetuo amentes, actualiter non potuerunt peccare: ergo.

Quæres 2. *Quænam dispositiones requiruntur in subjecto Extremæ Unctionis?*

*Resp.* Duæ requiruntur.

1. Ut suscipiens sit in statu gratiæ, quia est Sacramentum vivorum. Hinc si quis peccati alicujus mortalis sibi conscius est, debet illud confiteri; quod si non possit, debet de illo contritionem vel saltem attritionem elicere cum voto, illud, ubi facultas fuerit, confitendi.

2. Ut habeat hujus Sacramenti suscipiendi intentionem saltem habitualem.

*Tertiam* addit D. Thom. (*quæst.* 32. *art.* 4. *in Supplem.*) scilicet devotionem actualem; attamen sufficere devotionem virtualem, quæ præcesserit, nec sit revocata, existimamus.

*Ex his inferes* non esse expectandam ultimam vitæ periodum, ut infirmus inungatur, sed præoccupandum esse illud tempus quo adhuc infirmus integris est sensibus; Pastoresque teneri graviter ex justitia & charitate, nedum Sacramentum illud ovibus suis administrare quando illud postulant, sed etiam curam gerere ut illud, cum sint adhuc integris sensibus, recipiant; cum Pastoris sit bono gregis sui studiose invigilare.

Quæres 3. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

*Resp.* 1. *Non est necessarium necessitate medii*; quia sine eo homo potest salvari per pœnitentiam, cujus consummatio est Extrema Unctio.

*Resp.* 2. *Extrema Unctio infirmis de vita periclitantibus est necessaria necessitate præcepti divini, & ecclesiastici.*

*Prob.* 1. *pars*: Jacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*: quæ verba imperantis sunt ac præcipientis, non consulentis tantum & adhortantis. *Quare nulla ratione audiendi sunt*, ait Conc. Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 3. *de Extr. Unct.*) „ qui contra „ tam apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sen„ tentiam docent, hanc unctionem vel figmentum „ esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, „ nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ „ habentem “. Et Canon. 3. (*ejusdem sess.*) anathemate ferit eum qui dixerit, hoc Sacramentum *a Christianis absque peccato contemni.*

*Porro* hoc Sacramentum contemnit, non solum qui recusat, sed & ille qui non curat percipere: „ qui contemptus absque ingenti scelere & ipsius „ Spiritus sancti injuria esse non posset “: inquit Trid. ibidem.

2. *Pars* manifeste probata manet in omnibus omnium Ecclesiarum Ritualibus, in quibus ritus hoc Sacramentum administrandi præscribitur.

## CAPUT V.

*De effectibus & cæremoniis Extremæ Unctionis.*

Quæres 1. *Quot sint effectus Extremæ Unctionis?*

*Resp.* Sublato obice quinque referuntur a Conc. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 2.

*Primus*, a quo juxta Trid. defluunt cæteri, est gratia sanctificans, secunda quidem ex primaria intentione suæ institutionis, & etiam prima ex secundaria intentione suæ institutionis, ut videbitur infra.

2. Est remissio peccatorum, *si quæ sint adhuc expianda*, ait Trid.

3. Est abstersio reliquiarum peccati; hoc est propensionis ad malum; difficultatis ad faciendum bonum, debilitatis mentis a peccato provenientis, qua fit ut homo non sit ita expeditus ad intuenda & meditanda cælestia; plus autem vel minus abstergit pro majori vel minori dispositione recipientis.

4. Est alleviatio animæ infirmi, per magnam divinæ misericordiæ fiduciam quæ in eo excitatur, „ qua infirmus sublevatur, & morbi incom„ moda ac labores levius fert, & tentationibus „ dæmonis, calcaneo insidiantis, felicius resistit “.

In hoc effectu consistit gratia sacramentalis, est enim gratia *alleviativa* ægroti.

5. Est interdum sanitatis corporeæ restitutio, *ubi animæ expedierit.*

*Nota*: De his effectibus sic generatim in Trid. expressis conveniunt omnes Theologi; verum in exponendo 2. effectu qui est *remissio peccatorum*, & 5. qui est *sanitatis corporeæ restitutio*, in aliquibus discrepant.

Circa remissionem peccatorum.

Aliqui volunt Sacramentum Extremæ Unctionis, remittere tantum *per accidens* peccata quoad culpam, sive sint mortalia, sive sint venialia; eo modo quo per alia Sacramenta vivorum remittuntur; & per hæc Apostoli verba, *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, intelligitur solum de reliquiis peccatorum. (*Ita Dominic. Soto in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *& quidam alii Thomistæ*).

Sunt qui volunt hoc Sacramentum remittere peccata venialia quoad culpam *directe ac per se*, mortalia vero tantum *per accidens*. (*Ita Estius in* 4. *dist.* 22. §. 4. *Paul. a Lugdun. cap.* 4. *de Extr. Unctio*).

Alii e contra peccata etiam mortalia *directe ac per se* a Sacramento Extr. Unct. dimitti existimant. (*Bellarm. Maldonat. Tournely hic*).

Verum quoad praxim parum refert ad salutem hominis, quod disputent Theologi, an Sacramentum *prime & per se*, an tantum *per accidens*, effectum illum producat, modo illum vere producat; attamen

### CONCLUSIO.

*Verisimilius est Sacramentum Extremæ Unctionis sublato obice, peccata sive mortalia, sive venialia, si quæ remaneant, primo & per se remittere.*

*Prob.* Quia D. Jac. & Conc. Trid. absolute dicunt remitti peccata, nec distinguunt inter peccata mortalia & venialia, sed generatim & indefinite pronuntiant: „ Si in peccatis sit, remittentur ei. „ Delicta si adhuc sint expianda, abstergit .... Unde S. Carolus (*In instruct. de Extr. Unct.*) sic loquitur: „ Potest fieri, ut ignorante eo qui com„ misit, vel non valente confiteri peccatum mor„ tale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacra„ mento juvatur, ut dici possit eum per hoc Sacra„ mentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus “.

*Di-*

*Dices*: Sunt tantum duo Sacramenta quæ *per se primario* remittunt peccata mortalia, scilicet Baptismus & Pœnitentia, quæ ideo dicuntur Sacramenta mortuorum; ergo Extrema Unctio *per se* non remittit peccata mortalia.

*Resp. dist. ant.* Sunt tantum duo Sacramenta, quæ per se dimittunt peccata mortalia *ex primaria intentione suæ institutionis*, conc. ant. *ex secundaria intentione suæ institutionis*, nego antec. Ergo Extrema Unctio non dimittit peccatum mortale per se, *ex primaria intentione suæ institutionis*, conc. *ex secundaria intentione suæ institutionis*, quatenus nempe ea instituta tamquam supplementum, & perfectio pœnitentiæ, *nego*, & ideo non vocatur Sacramentum mortuorum.

Circa sanitatis corporeæ restitutionem quærunt, an hic effectus producatur ex opere operato, vel ex opere operantis.

*Resp.* Cum veriori sententia, hunc effectum produci *ex opere operato*; quia ad hunc effectum secundarium est instituta Extrema Unctio.

*Dices*: Ergo semper sanitatem recuperare debet, qui rite dispositus hoc Sacramentum recipit: atqui hoc est contra experientiam.

*Resp. nego maj.* Quia hic effectus est tantum secundarius & conditionatus; ergo non est necesse ut semper sequatur ex Sacramento, sed sufficit quod quotiescumque ponitur, *ex opere operato* ponatur.

*Urgebis*: Ergo post Extremam Unctionem remedia naturalia sunt inutilia.

*Resp. nego illatum*: Quia remedia naturalia conducunt ad restitutionem sanitatis *absolute*: Sacramentum vero *conditionate*, si nempe saluti animæ sit necessaria; & ubi est necessaria, Sacramentum virtute sibi propria remedia naturalia ad felicem perducit exitum.

Quæres 2. *An Sacramentum Extremæ Unctionis sit iterabile?*

*Resp. affirmat.* Quia non imprimit characterem; circa hanc iterationem observandum est quod Conc. Trid. (*Sess.* 14. *cap.* 3.) tradit: " Quod si infirmi „ post susceptam hanc unctionem convaluerint, „ iterum hujus Sacramenti subsidio juvari pote„ runt, cum in aliud simile vitæ discrimen inci„ derint „. Ex quo sequitur non posse iterari durante eodem morbo, nisi infirmus convaluerit, & postea in novum periculum mortis relabatur.

Superesset ut hic exponeremus cæremonias in administratione hujus Sacramenti observandas; verum cum quælibet Diœcesis suas speciales cæremonias habeat, pro rei gravitate, summa cura ac religione, observandas, poterit quilibet consulere Rituale Diœcesis, cui addictus est, ad quod Lectores nostros remittimus.

## DISSERTATIO VII.

### *De Sacramento Ordinis.*

*Nota* Hanc dissertationem octo absolvemus Capitibus.

*Primum*, Est de essentia & existentia Ordinis.
*Secundum*, De variis speciebus ordinationum.
*Tertium*, De materia & forma singulorum Ordinum.
*Quartum*, De Ministro Ordinis.
*Quintum*, De subjecto Ordinis.
*Sextum*, De effectibus Ordinis.
*Septimum*, De irregularitatibus, quæ removent ab Ordinibus.
*Octavum*, De Censuris, ex quarum violatione incurritur irregularitas.

## CAPUT I.

### *De essentia & existentia Ordinis.*

*Nota* 1. Ordo sumitur quadrupliciter.

1. *Latissime*, pro statu religioso, sic dicitur *Ordo Cisterciensis*.

2. *Late*, pro aliquo gradu ecclesiastico conferente solum aliquam jurisdictionem in foro exteriori; sic Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, dici possunt Ordines.

3. *Stricte* pro Hierarchia Ecclesiastica, & definitur: „ Certus hominum status, in quo varii „ sunt distincti ac subordinati Ordinationum gra„ dus, alii aliis superiores, destinati ad celebran„ dum Sacramentum Eucharistiæ, aut ad inser„ viendum ex Officio ipsius celebrationi „. Sic sumptus est aliquis status permanens.

4. *Strictissime*, pro actione sacra, qua homines in illo statu constituuntur; sic sumptus est aliqua actio transiens meliusque vocatur Ordinatio quam Ordo, & definitur: „ Sacramentum a Christo in„ stitutum, quo gratia, spiritualisque potestas tra„ ditur Clero ad Eucharistiam consecrandam, ad „ consecranti inserviendum, cæteraque munia ec„ clesiastica rite obeunda ".

Dicitur 1. *Sacramentum*; pro genere.

Dicitur 2. *A Christo institutum*: prout definivit Conc. Trident. Sess. 23. Can. 3. „ Si quis dixerit „ Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse „ vere ac proprie Sacramentum a Christo Domi„ no institutum ... anathema sit ".

Dicitur 3. *Clerico*, quia Ordo præsupponit Clericatum.

Dicitur 4. *Confertur gratia spiritualisque potestas*: ut designetur differentia hujus Sacramenti ab aliis.

Dicitur 5. *Ad Eucharistiam consecrandam*: quibus verbis officium & finis Presbyteratus exprimitur.

Dicitur 6. *Ad inserviendum consecranti*: quibus verbis officium & finis inferiorum Ordinum traditur.

Dicitur 7. *Cæteraque munia rite obeunda* quibus verbis alia Ordinum munia, quæ directe ad Eucharistiam non ordinantur, designantur, v. gr. peccatorum absolutio, aliorumque Sacramentorum administratio.

*Nota* 2. Hæretici, Lutherani & Calvinistæ non negant extare in Ecclesia aliquam Ordinationem, qua nonnulli ad ministeria ecclesiastica deputantur; sed negant hanc veram esse Sacramentum, contenduntque omnem potestatem ecclesiasticam societate fidelium, seu omni populo in commune, a Deo fuisse concessam; quam Pastores nomine ex

con-

consensu populi, & tamquam ejus delegati, exercere possunt, non permanenter, sed movibiliter; *Les Eveques prirent d'Eduard VI. (successeur de Henry VIII.) des nouvelles commissions revocables à la volonté du Roi .... d'où elle leur étoit communiquée*, ait illustrissimus Bossuetus (*Hist. variat. lib.* 7. *pag.* 367. *&* 3.)

Ex his patet idem esse probare Ordinem esse Sacramentum, & Ordinem existere, sive sumatur pro Hierarchia Ecclesiastica, sive pro sacra Ordinatione. Itaque

## CONCLUSIO.

*Ordo seu Ordinatio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum.*

*Prob.* Hoc unico Syllogismo; ad verum novæ Legis Sacramentum quatuor requiruntur & sufficiunt etiam secundum Novatores, nempe 1. Ut sit signum externum & sensibile; 2. Ut habeat vim producendi gratiam; 3. Ut sit a Christo præceptum; 4. Ut sit constans ac perpetuum in Ecclesia; *atqui* quatuor illas conditiones habet Ordo, ergo.

1. Est signum externum & sensibile; ut constat ex *cap.* 13. *Actuum*, ubi de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Adest Impositio manuum & Oratio ipsi correspondens.

2. Habet vim producendi gratiam, juxta Apost. (2. *ad Timoth. cap.* 1. *vers.* 6.) " Admoneo te, „ ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per „ Impositionem manuum mearum „.

3. Ordo est a Deo præceptus, seu institutus, jussit enim Spiritus sanctus (*Act.* 7. *v.* 2.) *Segregari Paulum & Barnabam ad opus ad quod assumpserat eos, tunc jejunantes, &c.* Et cap. 20. idem Spiritus sanctus, *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

4. Est perpetuus & constans in Ecclesia, est enim perenniter institutus ad confectionem Eucharistiæ & oblationem sacrificii usque ad consummationem sæculi perseveraturi, juxta illud Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Concil. Trident. (*Sess.* 23. *can.* 3.) confirmat hanc veritatem *ex Apost. tradit. ac Patrum unanimi consensu*, dicentium cum Div. August. (*Lib.* 2. *contra Parmen. Cap.* 13.) " Ipsi explicent (Donatistæ) quomodo Sacramentum baptizati non pos- „ sit amitti, & Sacramentum ordinati possit amit- „ ti? ... si enim utrumque Sacramentum est, quod „ nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud „ amittitur? neutri Sacramento injuria facienda „ est „. Ergo ex D. August. nemo unquam dubitavit Ordinem esse eodem modo Sacramentum, quo ipse Baptismus, quem admittunt Novatores.

Hinc idem Trid. (*Sess.* 23. *can.* 3.) definit: " Si „ quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem „ non esse vere ac proprie Sacramentum a Chri- „ sto Domino institutum ... anathema sit „.

*Objicies* 1. Christus ordinavit Apostolos absque manuum Impositione; ergo Ordinatio non est signum sensibile.

*Resp. transeat min.* Neque enim omnia quæ fecit Christus, scripta sunt, *nego conseq.* Ex eo enim quod Christus sine impositione manuum contulisset Ordines, non inde concludere licet, materiam & formam ab Ecclesia adhiberi non debere; Christi enim potestas excellentiæ non erat signis externis alligata, quemadmodum alligata est potestas Ecclesiæ.

*Objicies* 2. Tertullian. (*L. de exhort. Virg. c.* 7.) ait: " Differentiam inter Ordinem & plebem „ constituit Ecclesiæ auctoritas „. Ergo non institutio divina.

*Resp. dist. Textum.* Differentiam constituit auctoritas per electionem, *conc. ant.* per collationem potestatis, *nego ant.* Itaque sic loquitur Tertullian. quia illi qui erant in Ministros consecrandi, eligebantur a Clero, & populo, verum per solam Consecrationem recipiebant potestatem Ordinis; sese explicat Tertull. addens immediate: *Et honor per ordinis concessum sanctificatus a Deo.*

Quæres: *Quo tempore Christus instituerit Sacramentum ordinis?*

*Resp. in die Cœnæ*, cum Apostolis suo corpore & sanguine refectis dedit præceptum consecrandi his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita docet Trid. (*Sess.* 22. *cap.* 1.)

## CAPUT II.

*De variis speciebus ordinationum.*

*Nota*: Ordines dividuntur in sacros seu majores, & non sacros seu minores.

Ordo sacer, est *ille qui versatur propinque circa Eucharistiam, habetque annexam legem continentiæ & horarum.*

Ordo non sacer, est *ille qui versatur remote circa Eucharistiam, nec habet annexam legem continentiæ & horarum.*

Quæres: *Quot sint in Ecclesia Ordines?*

*Resp.* Sunt septem, scilicet *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus.* Quorum tres primi dicuntur *majores et sacri*, quatuor posteriores dicuntur *minores et non sacri.* Ita declarat C. Trident. (*Sess.* 23. *cap.* 2.) Utrum autem sint dumtaxat numero septem, an plures vel pauciores, non definit; sicut nec definit omnes Ordinationes esse proprie dicta Sacramenta, unde exortæ sunt inter Doctores controversiæ sequentes. 1. Utrum prima Tonsura sit Ordo. 2. Utrum Episcopatus sit Ordo & Sacramentum distinctum a Presbyteratu. 3. Utrum omnes Ordinationes sint Sacramenta, quas brevi manu variis conclusionibus dirimemus. Ideo sit

## CONCLUSIO I.

*Prima Tonsura non est Ordo.*

*Prob.* Ordo annexum habet aliquod officium circa ministerium Altaris, estque a Christo institutum; atqui prima Tonsura nullum habet officium annexum circa ministerium Altaris, nec est a Christo instituta; ergo &c.

Unde prima Tonsura nihil aliud est quam ritus ab Ecclesia institutus, quo quis a statu Laicorum distinguitur, ut ad Ordines suscipiendos melius disponatur.

*Dices:* Prima Tonsura ab Innocentio III. (*Cap. cum contingat. De ætate præficiendorum.*) vocatur *Ordo Clericalis.* Ergo Tonsura est Ordo.

*Resp. dist. ant.* Vocatur Ordo, late sumptus pro statu scilicet Clericali, quatenus quis per Tonsuram distinguitur a Laico & gaudet privilegio Canonis & Fori, *conc.* Ordo stricte sumptus pro gradu Ecclesiastico conferente potestatem ad aliquod officium spirituale, *nego.* Est ergo mera ad cultum divinum deputatio.

## CONCLUSIO II.

*Episcopatus est Ordo distinctus a Presbyteratu.*

*Prob.* Ritus qui imprimit characterem distinctum a charactere Presbyteratus, est Ordo distinctus a Presbyteratu; atqui, &c.

*Prob. ant.* Ritus qui confert veram & specialem potestatem ad aliquas functiones Hierarchicas exercendas, quæ a simplici Sacerdote exerceri non possunt, imprimit characterem distinctum a charactere Presbyteratus: atqui Episcopatus veram & specialem potestatem indelebilem confert ad ordinandos Ministros Ecclesiæ, & conferendum Sacramentum Confirmationis, quæ non possunt conferri a simplici Sacerdote, ergo, &c.

## CONCLUSIO III.

*Episcopatus est proprie dictum Sacramentum, a Sacerdotio realiter distinctum.*

*Prob.* 1. In Ordinatione Episcopali, nihil deest eorum, quæ requiruntur ad verum & proprie dictum Sacramentum; ergo, &c. Nam in Ordinatione Episcopali reperitur:

1. Cæremonia exterior gratiæ collativa, ut constat ex 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum*; quem Chrysostomus Œcumenius, Theophylactus, & passim alii Patres, interpretantur de manuum impositione quam Paulus, cum Timotheum ordinavit Episcopum, adhibuit.

2. Est a Deo instituta juxta illud Actor. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

3. Est permanens in Ecclesia; Episcopi enim succedunt Apostolis, qui semper habuerunt in suis sedibus successores; ergo.

*Prob.* 2. De fide est Episcopum esse jure & institutione divina superiorem Presbytero, potestate tum Ordinis, tum jurisdictionis. Atqui si eadem esset Ordinatio Episcopi & Presbyteri, idemque Sacramentum, non videretur Episcopum vi suæ Ordinationis, ac proinde jure ac intentione divina, esse Presbyteris superiorem; ergo distincta est Ordinatio distinctumque Sacramentum.

*Prob.* 3. Ex S. Leone, qui Epistola 12. ad Anastasium Thessalonic. cap. 12. de continentiæ lege Subdiaconis imposita loquens, ait: " Quod si in ,, hoc Ordine, qui quartus a Capite est, dignum ,, est custodiri, quanto magis in primo, aut se- ,, cundo vel tertio servandum est, ne aut Levitico, ,, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excel- ,, lentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a ,, voluptate uxoria needum frænasse dignoscitur ,,. Ergo Episcopatus est Ordo distinctus.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Episcopatus est tantum extensio characteris Presbyteratus ad altiora munia; ergo non est Ordo Presbyteratus distinctus.

*Resp. nego ant.* Nam ad extendendum characterem par requiritur efficacia quæ requiritur ad imprimendum novum; ergo nulla est ratio cur Ordinatio Episcopalis extendat solummodo characterem Presbyteratus, & non potius novum imprimat.

*Inst.* 1. Conc. Trid. & vulgo Theologi septem tantum Ordines enumerant; at si Episcopatus esset Ordo a presbyteratu distinctus, essent plures quam septem Ordines; ergo &c.

*Resp. dist. min.* Essent plures in specie infima, *conc.* in specie subalterna, *nego.* Itaque Ordo generatim sumptus, immediate dividitur in septem species, quarum prima, nempe Sacerdotium, subdividitur in Presbyteratum & Episcopatum, qui in Sacerdotio continetur tanquam species nobilior in suo genere. Nam *quemadmodum*, (Patres Tridentini) *enumerando septem tantum Sacramenta novæ Legis*, inquit Isambertus (*De Sacram. Ordinis disp.* 1. *art.* 1.), " ita ennmerant Ordinem pro uno ,, Sacramento, quatenus sumunt illud generice ut ,, tamen rationem Sacramenti non denegent membris sub isto genere contentis: pari etiam jure ,, quando in enumeratione Ordinum recensent tantum Sacerdotium, recensent illud quatenus generice sumitur, & prout dividitur iu duas species, quarum una est simplex Presbyteratus, & ,, altera Episcopatus ,,.

*Inst.* 2. Si Episcopatus esset Sacramentum, imprimeret characterem; sed falsum conseq. ergo, &c.

*Prob. min.* Si imprimeret characterem, ille character præstantior charactere sacerdotali esse deberet; atqui nullus est character præstantior eo, qui potestatem confert conficiendi Corpus Christi; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Esset character sacerdotali præstantior extensive, *conc.* entitative & intensive, *nego.* Ratio est, quia ad plura objecta se extendit, ad quæ nihil omnino potest character sacerdotalis.

*Objicies* 2. Ordinum distinctio & varietas repetitur ex habitudine quam habent ad consecrationem Eucharistiæ; sed Episcopatus hac in parte nihil addit supra Presbyteratum.

*Resp. dist. min.* Episcopatus nihil addit supra Presbyteratum directe & immediate quantum ad potestatem consecrandi Eucharistiam, *conc. min.* indirecte & mediate, *nego min.* dat enim potestatem ordinandi Sacerdotes qui eam consecrent; & ideo verus est Ordo, verumque Sacramentum distinctum.

*Inst.* 1. Si Episcopatus est Ordo & Sacramentum distinctum a Presbyteratu, posset qui non esset Presbyter, valide ordinari Episcopus; falsum conseq. ergo & antec.

*Resp. nego maj.* Ratio est, quia character Episcopalis ex institutione divina præsupponit essentialiter ordinationem Presbyteri; hinc nemo potest valide consecrari Episcopus quin sit ordinatus Presbyter.

Inst.

*Inst.* 2. Potest qui non est Diaconus, valide in Presbyterum ordinari; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia functiones sacerdotales non pendent a charactere Diaconatus, cum illum eminenter contineat presbyteratus; e contra functiones Episcopales pendent a charactere sacerdotali tanquam a præsupposito necessario essentiali.

## CONCLUSIO IV.

*Episcopi jure divino sunt Presbyteris superiores.*

*Prob.* 1. Ex Trad. cujus testem affero S. Epiphanium, qui lib. de hæresibus hæresi 75. *in Aerio* sic loquitur: " Est illius dogma supra hominis captum furiosum & immane: quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo, par & idem honor & dignitas ". Ergo parem Episcopo Presbyterum asserere, est hæreticum.

*Prob.* 2. Episcopi jure divino soli sunt ministri tum Ordinis, tum Confirmationis; soli habent Sacerdotii plenitudinem; ergo &c. Deinde Episcopi jure divino pollent auctoritate jurisdictionis in Presbyteros; ergo sunt Presbyteris superiores.

Hinc Conc. Trid. (*Sess.* 23. *can.* 3.) definit: " Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem ordinandi, & confirmandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem .... anathema sit ".

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies:* Celebrem ac difficilem D. Hieronymi textum in cap. 1. Epist. ad Tit. in quo textu D. Doctor docet:

1. *Apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos.*

2. Ad tollendum Schisma " factum esse ut unus de Presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret ".

3. Episcopos " nosse debere se magis consuetudine (Ecclesiæ) quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere regere Ecclesiam imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populo judicaret ". Ergo Episcopi jure divino non sunt Presbyteris superiores.

*Resp. nego conseq.* Nam ibidem comparat D. Hieronym. Episcopos Moysi, Presbyteros vero septuaginta senioribus ab ipso Moyse electis; ergo quemadmodum ordinatione divina Moyses erat superior illis senioribus quos vocavit in partem sollicitudinis, ita necesse est D. Hieronym. existimasse Episcopos ordinatione divina superiores esse Presbyteris, cum quibus res Ecclesiæ regebant, divisa cum ipsis externa jurisdictione quoad usum & exercitium, donec exortis dissensionibus & schismatibus, ad tollenda eorum semina, Episcopi ad se solos revocaverunt usum jurisdictionis, cujus antea participes fecerant Presbyteri; inde facilis est responsio ad singula.

*Ad* 1. *dist. ant.* Idem est presbyter qui & Episcopus, ratione usus & exercitii externæ jurisdictionis, *conc. ant.* ratione characteris, Ordinis & jurisdictionis radicalis, *nego ant.* Patet ex dictis: idque satis erat D. Hieronymo ad temeritatem eorum refellendam, qui Diaconos Presbyteris anteferebant.

*Ad* 2. *dist. ant.* Ad tollendum schisma factum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, quoad regiminis formam, *conc.* quoad ordinem & jurisdictionem radicalem, *nego.* Initio enim Ecclesiæ, exercitium jurisdictionis communicabatur Presbyteris ad regimen Ecclesiæ, sed occasione schismatum hæc regiminis forma fuit revocata, & omnis auctoritatis exercitium, ad Episcopum fuit restrictum.

*Ad* 3. Episcopi magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris sunt superiores, quoad usum jurisdictionis externæ, *conc.* quoad ipsam radicalem jurisdictionem, nego. Nam hoc habent Episcopi ex institutione divina.

Itaque Christus libertati Episcoporum tanquam rem disciplinæ, permisit ut vocarent Presbyteros in partem sollicitudinis Pastoralis, ipsisque permitterent usum & exercitium jurisdictionis, cujus ipsi soli habebant potestatem, & ab Ecclesiæ consuetudine magis quam a divina dispositione, factum est, ut Episcopi omne exercitium potestatis & jurisdictionis ad se revocarent, sibique solis reservarent.

## CONCLUSIO V.

*De fide est Presbyteratum esse proprie dictum Sacramentum.*

*Prob.* De fide est a Trident. (*Sess.* 23. *can.* 5.) definitum, sacram Ordinationem esse proprie dictum Sacramentum; ergo consequens est ex eadem fide Presbyteratum, qui inter Ordines est præcipuus & finis ad quem Ordines inferiores referuntur, esse Sacramentum; enimvero nihil ipsi deest ad rationem Sacramenti necessarium.

## CONCLUSIO VI.

*Certum est Diaconatum esse Sacramentum proprie dictum.*

*Prob.* Quælibet cæremonia sacra a Christo instituta, qua confertur gratia sanctificans, est proprie dictum Sacramentum; atqui Diaconatus, 1. Est cæremonia sacra Act. 6. *orantes imposuerunt eis manus.* 2. Est a Christo institutus, ut constat tum ex facto Apostolorum qui Diaconos non ordinassent nisi a Christo edocti & jussi fuissent; tum ex Triden. definiente (*Sess.* 13. *can.* 6.): " Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit ". Per Ministros haud dubie intelligit saltem Diaconos. 3. Per Diaconatum confertur gratia sanctificans, ex Triden. definiente (*Sess.* 22. *can.* 4.) " Per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, nec frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum sanctum "; atqui in ordinatione Diaconi dicitur: *Accipe Spiritum sanctum*; ergo, &c.

*Dices:* Diaconatus fuit institutus ab Apostolis, *Act.* 6. Ergo non a Christo.

*Resp. nego ant.* Equidem supposita Dei institutione, Apostoli primos Diaconos ordinaverunt; aliud est ordinare, aliud instituere.

*Inst.* Ille Ordo non est Sacramentum, cujus ministerium est mere profanum; atqui ministerium Diaconorum est mere profanum, nempe *ministrare mensis.*

*Resp. dist. min.* Ministerium *secundarium* Diaconorum est mere profanum, *conc.* ministerium primarium, *nego.*

Itaque duplex fuit ministerium Diaconorum: *primarium* quod erat prædicare, baptizare, mensis sacris ministrare, Eucharistiam præbendo fidelibus, unde Ignatius martyr ait (*Epist. 2. ad Trallianos n. 2.*) *Diaconos mysteriorum Jesu Christi Ministros omni modo omnibus placere oportet; non enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.*

*Secundarium* fuit mere profanum, scilicet ministrare mensis communibus, quod secundarium ministerium ipsis exprobat D. Hieron. (*Epist. ad Evang.*) ut aliquorum superbiam frangat Diaconorum, qui se supra Presbyteros extollebant.

## CONCLUSIO VII.

*Probabilius est Subdiaconatum & Minores Ordines esse proprie dicta Sacramenta.*

*Prob.* Illa opinio quæ conformior est menti & doctrinæ Conciliorum, est haud dubie probabilior; atqui opinio quæ docet Subdiaconatum & quatuor Minores esse Sacramenta, est conformior menti & doctrinæ Conciliorum; ergo.

*Prob. min.* 1. Ex Conc. Flor. in decreto dicente: " Sextum Sacramentum est Ordinis: cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur „ Ordo, sicut Presbyteratus traditur per .. Diaconatus vero per ... Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; & similiter de aliis (*Ordinibus*) per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem „. Ergo cum assignando materiam illius Sacramenti, assignet materiam Subdiaconatus & Minorum, consequens est illos Ordines esse Sacramenta.

*Prob. min.* 2. Ex Trident. sess. 23. in cujus c. 2. cum omnes Ordines enumeravit, postea *can.* 3. definit: *Ordinem, seu sacram Ordinationem esse Sacramentum* vere & proprie a Christo Domino institutum; atqui propositio indefinita in materia doctrinali æquipollet propositioni universali, & quidquid convenit generi, convenit etiam omnibus suis speciebus; ergo videtur esse doctrina Concil. Trid. omnes & singulos Ordines, etiam minores, esse Sacramenta, & non tantum Sacramentalia.

*Prob.* 2. Ex D. Thom. (*In suppl. quæst.* 37. *art.* 2.) " Dicendum, *inquit*, quod Ordo dicitur sacer dupliciter, uno modo secundum se, & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam: alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdotium, & Diaconatus, qui habent actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum: & Subdiaconatus qui habet actum circa vasa consecrata. Et ideo eis „ etiam continentia indicitur, ut sancti & mundi „ sint qui sancta tractant „.

Confirmatur, ex eo quod omnes Ordines etiam Minores imprimant characterem, unde iterari non possunt, ut docet Div. Thom. (*quæst.* 35. *art.* 2. *ad* 1. & 2.) " Dicendum, *inquit*, quod quilibet Ordo „ vel habet actum circa ipsum Sacramentum, vel „ ordinatur ad Sacramentorum dispensationem: sicut Ostiarii habent actum admittendi homines „ ad divinorum Sacramentorum inspectionem, & „ sic de aliis: & ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas „. Atqui solius est Sacramenti imprimere characterem per collationem potestatis spiritualis indelebilis; ergo, &c.

Dixi: *Probabilius*; quia plures Theologi contra alios, negant Subdiaconatum & Minores esse proprie dicta Sacramenta, contendentes esse mera Sacramentalia: unde quandiu Ecclesia hanc quæstionem non definierit, poterit quilibet eligere opinionem, quæ sibi videtur probabilior.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Scriptura nullam Subdiaconatus & Minorum facit mentionem; ergo non sunt Sacramenta.

*Resp. nego conseq.* Inde enim tantum concludi potest quod Christus per semetipsum non promulgaverit istos ordines, sed per suos Apostolos, a quorum traditione, quæ est paris cum Scriptura auctoritatis, habemus seriem istorum ordinum; hujus traditionis testes sunt Concilia, *Romanum* sub sancto Sylvestro, *Eliberitanum*, cap. 33. Carthaginense IV. an. 393. in quibus fit mentio distincta singulorum Ordinum, unde Concilium Tridentinum asserit, quod *ab ipso Ecclesiæ initio* Subdiaconatus, & Minorum *nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, in usu fuisse cognoscuntur.*

*Objicies* 2. Sacramentum est quid sacrum, sed Subdiaconatus non fuit semper Ordo sacer, dicente Trid. (*Sess.* 12. *cap.* 2.) *Subdiaconatus ad Minores Ordines a Patribus & sacris Conciliis refertur*; Minores vero nunquam fuerunt sacri; ergo, &c.

*Resp. dist. min.* Non sunt sacri ex parte functionum Ordinis, & status ordinati, *conc.* ex parte sui, *nego.* Responsio patet ex D. Th. supra citato.

*Inst.* 1. Ordo qui potest exerceri a persona non sacra, non est sacer; atqui Subdiaconatus & Minores possunt exerceri a personis non sacris, nempe a laicis; ergo.

*Resp. dist. min.* Possunt exerceri a laico solemniter & ex officio, *nego*; secus, *conc.* Alias nec Eucharistia, nec Baptismus essent quid sacrum; antiquitus enim laici Eucharistiam propriis manibus attrectabant, & etiam nunc laici in necessitate baptizant.

*Inst.* 2. Si Minores Ordines sint Sacramenta, sequitur eos peccare mortaliter, qui hos suscipiunt cum conscientia peccati mortalis: falsum conseq. ergo, &c.

*Resp. nego min.* Est enim mortale ponere obicem gratiæ: qui autem suscipit Ordines cum conscientia peccati mortalis, ponit obicem gratiæ, cum sint Sacramenta vivorum; ergo.

*Prob.*

*Prob. min.* Ubi agebamus de sanctitate Ministri Sacramentorum, diximus *Minores Ministri in peccato mortali ministrantes non peccare mortaliter*; ergo nec peccant mortaliter hos ordines suscipiendo.

*Resp. nego conseq.* Aliud est enim Ordines suscipere, aliud exercere functiones Ordinum. Ordines suscipere est recipere Sacramenta vivorum, quæ cum requirant statum gratiæ in suscipiente, si illa recipiat cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter; e contra exercere functiones Ordinum, non est recipere, nec semper administrare Sacramentum, unde gravitas illius actionis desumitur ex gravitate vel levitate materiæ, quæ gravis censetur, si proxime accedat ad Eucharistiam; levis vero, si remote tantum, & sunt exercitia Ordinum Minorum, quæ ideo non sunt sacra, licet Ordines ipsi sint sacri.

*Objicies* 3. Infirma est nostra probatio ex Conciliis; namque Trid. loquitur de sola ordinatione, quæ confertur per solam impositionem manus, probat enim ordinationem esse Sacramentum ex his verbis Apostoli (2. *Ad Timoth.* 1. *vers.* 6.) " Admoneo te ut resuscites gratiam quæ est in te ,, per impositionem manuum mearum ,,. Ergo nihil inde concludi potest pro iis Ordinibus, qui non conferuntur per impositionem manuum.

*Resp. nego ant.* Ait enim Trid. *Per sacram Ordinationem quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, & esse Sacramentum*; atqui omnes Ordines etiam Minores verbis & signis exterioribus perficiuntur; ergo.

## CAPUT III.

### *De materia & forma singulorum Ordinum.*

*Nota*: Cum in Ordinationibus variæ sint cæremoniæ externæ, variæque prolationes verborum illis respondentes, multum desudant Scholastici nostri in assignandis illis signis exterioribus, & verbis quæ rationem materiæ & formæ habeant, qui nodus ut enucleatius dissolvatur, hoc caput in quatuor Paragraphos distribuemus; in tribus primis agemus de materia & forma Episcopatus, Presbyteratus & Diaconatus. In quarto agemus de materia & forma Subdiaconatus & Minorum.

### §. I. *De materia & forma Episcopatus.*

*Nota*: Ex Pontificali Romano in Ordinatione Episcopi quatuor cæremoniæ & ritus occurrunt.

1. Episcopus consecrator & alii duo Assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum sanctum.* Quo facto consecrator deposita mitra orat pro consecrando dicens: *Propitiare Domine, &c.*

2. Consecrator caput consecrati ungit & manus sancto Chrismate dicens: " Ungatur & consecretur caput tuum, &c. ungantur manus istæ, &c.

3. Consecrator Baculum pastoralem & Annulum benedictos tradit consecrato dicens, ad Baculi traditionem: *Accipe Baculum pastoralis officii; &c.* Ad Annuli traditionem: *Accipe Annulum, &c.*

4. Consecrator imponit librum Evangeliorum super cervicem consecrati, qui exinde ut eum tangat, tradit dicens: " Accipe Evangelium & vade, ,, prædica populo tibi commisso, &c. ,,

Quæritur: *Quid in eo ritu habeat rationem materiæ, & quid rationem formæ?*

*Resp.* Essentialis materia Episcopatus est sola manuum impositio a tribus Episcopis facta; forma vero sunt hæc verba impositioni manuum correspondentia: *Accipe Spiritum sanctum.* Cætera autem ad solam integritatem Ordinationis pertinere videntur.

*Prob.* 1. *pars*: *Nempe materiam & formam essentiales Episcopatus esse manuum impositionem & verba ipsi correspondentia*: quia ea est materia & forma essentialis Episcopatus, quam Apostoli illum conferendo usurparunt, quamque utraque Ecclesia semper adhibuit; atqui Apostoli conferendo Episcopatum adhibuerunt manuum impositionem, juxta illud 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*; & utraque Ecclesia semper adhibuit, ut constat ex pontificalibus Latinorum, & euchologiis Græcorum: unde Concilium Antiochenum anno 341. celebratum can. 17. ait: " Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit .... hunc ,, oportet communione privari ,,.

*Prob.* 2. *pars*: Quia, ut observat Morinus de sacris Ordinationibus, *exercit.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Scholastici pene omnes, qui de materia & forma Episcopatus disputant, illius formam in his verbis constituunt: *Accipe Spiritum sanctum. Neque*, inquit, *aliud sentire potuerunt, cum apud eos ratum sic ac fixum Ordinum formas* necessario esse imperativas. Ergo materia Episcopatus est ritus qui correspondet illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum*; atqui talis ritus est manuum impositio facta ab Episcopo consecratore, & assistentibus Episcopis; ergo, &c. Ex quo sequitur cæteros omnes ritus pertinere duntaxat ad integritatem hujus ordinationis: nempe ad majorem expressionem effectus Ordinationis Episcopalis.

*Dices*: Impositio manuum est signum valde confusum potestatis traditæ in Ordinatione Episcopali, nec ad eam significandam sufficienter determinatur per hæc verba *accipe Spiritum sanctum*; ergo non sunt sufficiens & adæquata materia & forma Ordinationis Episcopalis.

*Resp. nego ant.* Nam impositio manuum & verba sufficienter determinantur ex circumstantiis, in quibus proferuntur ad significandam gratiam & characterem Episcopalem quem conferunt.

### §. II. *De materia & forma Presbyteratus.*

*Nota* 1. In Ecclesia Latina, quinque præcipuæ observantur cæremoniæ in Ordinatione Sacerdotis.

1. Episcopus nihil dicens ambas manus super caput uniuscujusque ordinandi successive imponit; idemque faciunt Sacerdotes qui adsunt Ordinationi, quo facto tam Episcopus quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, Episcopo dicen-

dicente: *Oremus fratres charissimi*, &c. Unde jam est duplex Impositio manus.

2. Ambas manus inungit oleo catechumenorum dicens: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, &c.*

3. Calicem cum vino & patenam superpositam cum Hostia porrigit cuilibet ordinando, singulis dicens: " Accipe potestatem offerendi sacrificium „ Deo tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini „ : Amen.

4. Celebratur Missa ab Episcopo, in qua ordinatus simul cum Episcopo formam consecrationis pronuntiat.

5. Post Communionem iterum Episcopus solus ambas manus super capita singulorum imponit dicens: " Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt „.

*Nota* 2. In Ecclesia Græca tres observantur præcipui ritus.

1. Episcopus caput ordinandi ter signat signo Crucis.

2. Dexteram manum tenens impositam supra caput ordinandi, dicit: " Divina gratia quæ semper infirma curat, & ea quæ desunt adimplet, „ promovet N. venerabilem Diaconum, in Presbyterum; oremus pro eo, ut veniat super ipsum „ gratia sanctissimi Spiritus „.

3. Iterum ter signans ordinatum Pontifex, manu imposita super caput ejus, varias super eum preces recitat.

*Nota* 3. Circa hanc controversiam sunt tres opiniones.

1. Docet solam manus impositionem esse materiam, & solam orationem esse formam. (*Ita D. Bonav. Morinus, Becan. Tournely*).

2. Assignat solam instrumentorum porrectionem cum istis verbis: *Accipe potestatem*, &c. (*Ita Dominicus Soto, Estius, Capreolus de Valent.*)

3. Tum porrectionem instrumentorum, tum ultimam manus impositionem cum verbis concomitantibus assignat. (*Ita Vasquez, Maldonat. Bellarm. Hallesius, Isambert, Paul. a Lugd. Antoine, & multi alii*).

## CONCLUSIO.

*Instrumentorum traditio & ultima manuum Impositio, cum formis verborum ipsi correspondentibus constituunt totam essentiam Ordinationis Sacerdotis. duæ vero primæ manuum Impositiones & cæteri ritus videntur tantum accidentales & cæremoniales.*

*Prob.* 1. *pars.* Quæ asserit tum instrumentorum traditionem, tum ultimam manuum Impositionem esse de essentia Ordinationis Presbyteri. Quia posse offerre sacrificium Missæ & posse a peccatis absolvere, pertinent ad essentiam Sacerdotii: atqui per traditionem instrumentorum, quæ fit ab Episcopo hæc verba proferente: *Accipe potestatem*: Sacerdos accipit potestatem offerendi sacrificium; & per ultimam manuum Impositionem quæ fit in fine Missæ a solo Episcopo hæc verba proferente: *Accipe Spiritum sanctum, quorum, &c.* Sacerdos accipit potestatem remittendi peccata; verba enim formæ efficiunt quod significant. Ergo, &c.

Hinc Conc. Flor. in Decreto ait: " Ordinis „ materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per „ calicis cum vino, & patenæ cum pane, porrectionem „. Et paulo post formam ejus tradens, ait: „ Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c. „

Et Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 3. *de Extrem. Unct.*) docet Ministrum Extremæ Unctionis esse *aut Episcopos aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per Impositionem manuum Presbyterii.* Ergo tum traditio instrumentorum, tum ultima manuum Impositio, &c.

*Prob.* 2. *pars.* Quæ est de forma: quia forma Sacramentorum consistit in verbis, quæ determinant materiam ad significationem Sacramentalem; atqui verba ista, *accipe potestatem*, &c. & ista, *accipe Spiritum sanctum*, quæ concomitantur materiam, determinant ipsam ad significationem Sacramentalem; ergo.

*Prob.* 3. *pars:* Nec primam, nec secundam manuum Impositionem esse essentiales.

Non quidem prima, ut ipse fatetur Tournely dicens: " Quæ ordine prima est manus Impositio, „ nulla habet adjuncta verba, non igitur materiæ „ rationem habet „.

Nec etiam secunda, tum quia manus Impositio quam Patres & Concilia requirunt, debet esse talis ut per eam uniuscujusque ordinandi caput tangatur, ut ait Greg. IX. (*Cap. Presbyter de Sacramen. non iterand.*) *Presbyter & Diaconus, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, (ritu ab Apostolis introducto), recipiunt* (*Eodem modo loquitur Conc. Carthag. IV. can.* 2. 3. &. 5.): atqui per secundam Impositionem Episcopus non tangit caput ordinandi, unde eodem Cap. *Presbyter*, vocatur *suspensio manuum*; ergo. Tum quia oratio quæ comitatur illam manus expansionem, nullum ministerium peculiare Sacerdotis significat, sed tantum implorat auxilium divinum super ordinandos; ergo, &c.

*Confirmat.* Ex Pontificali Rom. quod post factam illam manus Impositionem, aspirantes adhuc vocat, *ordinandos*, & nonnisi post traditionem calicis cum vino & patenæ cum hostia ipsos vocat *ordinatos*.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies contra primam partem*, 1. Tournely (*De ordine pag.* 109.) *Ea materia non est essentialis, cujus neque Scriptura meminit, nec usus in Ecclesia Latina deprehenditur per decem priora sæcula, & qua etiamnum caret Ecclesia Græca*; atqui talis est porrectio instrumentorum, &c.

*Resp. cum ipsemet* Tournely (*De ordine pag.* 445.) qui assignando pro materia partiali Episcopatus impositionem codicis Evangeliorum super caput ordinandi, ait: " Nec moveat quod hujusce ritus „ Scriptura non meminerit, aut quod sine ipso „ legantur factæ aliquæ Ordinationes in Ecclesiis „ Alexandrina, & Gallicana, &c. Namque facile „ ista conciliari possunt, si dicamus Christum Ecclesiæ libertati reliquisse determinandi in specie signa quædam ad Sacramentum perficiendum idonea & necessaria, quæ pro data libertate „ aliquando usurpare, aliquando omittere potuit, „ quan-

„ quanquam nullo satis firmo demonstratur argu-„ mento reipsa omissam aliquando illam codicis „ Evangeliorum impositionem “: sicut nec calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditionem in Ordinatione Sacerdotis. Ordo enim Rom. VIII. sæculo editus ipsam cum verbis ei respondentibus præscribit, non tanquam novum ritum, sed tanquam ritum jam diuturno usu in Ecclesia Latina usurpatum; ergo cum non inveniamus ipsum ab aliquo Pontifice, vel *Concilio institutum*, *sed semper retentum* in Ecclesia Latina, *nonnisi auctoritate Apostolica traditum*, *rectissime creditur.* Juxta regulam a Div. Aug. (*Lib. de Bapt. cap.* 24.) traditam.

Hac responsione solvuntur omnes adversariorum instantiæ; ex ipsa etenim

*Sequitur* 1. Ecclesiam non mutasse institutionem Christi, Christus enim instituit tantum generaliter, ut loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile significativum potestatis quæ traditur, & loco formæ adhiberentur verba potestatem sufficienter exprimentia; illius autem signi & illorum verborum determinationem reliquit Ecclesiæ, quæ apud Græcos determinavit solam Impositionem manuum cum verbis ei correspondentibus; apud Latinos vero determinavit partim tradicionem instrumentorum, partim Impositionem manuum, quas pro libitu retinere, vel mutare potest.

*Sequitur* 2. Ordinationem Græcorum non differre essentialiter & significative a nostra, sed tantum accidentaliter & materialiter; quia licet habeant diversas materias & formas, illa diversitas non est formalis, sed tantum materialis, eo quod ille ordinetur ad eumdem effectum & significandum & causandum, & unitas vel diversitas signi ex unitate vel diversitate specifica rei significatæ sumatur.

*Objicies* 2 Si tam impositio manuum quam traditio instrumentorum est materia Ordinationis Presbyteri, Ordinatio illa duplex erit Sacramentum, falsum conseq.

*Resp. nego sequelam maj.* Licet enim sit duplex materia, unicum tamen est moraliter Sacramentum, quia materiæ illæ sunt partiales, & in unum confluunt Sacramentum, eo modo quo Sacramentum Eucharistiæ unicum est quamvis duas habeat partiales materias, panem scilicet & vinum, & duas formas eisdem correspondentes.

*Inst.* Ordinatio imprimit duos characteres, nam confert duas potestates; ergo sunt duo Sacramenta.

*Resp. dist. antec.* Imprimit duos characteres partiales, & inadæquatos, *conc. ant.* totales & adæquatos, *nego antec.* At ex illis partialibus characteribus unus totalis character imprimitur, & unum Sacramentum totale efficitur, ait Isambert. (*De Sacram. Ord. dist.* 4. *art.* 4. & 5.)

*Objicies* 3. Ultima impositio manuum non est materia essentialis etiam partialis Presbyteratus: ergo, &c.

*Prob. conseq.* Concil. Flor. tradens materiam Presbyteratus, non facit mentionem Impositionis manuum: ergo, &c.

*Resp. nego conseq.* Ratio enim cur Conc. illius Impositionis non meminerit, non est quod non sit essentialis Sacramento; sed quod Armeni circa illam nulla instructione indigebant, cum eam jam usurparent; de sola ergo traditione instrumentorum erat inter ipsos & Latinos controversia.

*Inst.* 1. Ultima manuum Impositio supponit jam Sacerdotes consecratos; siquidem simul cum Episcopo consecrant; ergo non est essentialis materia.

*Resp. dist. ant.* Supponit Sacerdotes consecratos in Ordine ad potestatem consecrandi corpus Christi, *conc. ant.* in ordine ad potestatem absolvendi, *nego ant.* Cum autem illa utraque potestas ex institutione Christi Sacerdotio sit essentialis, ordinandus non est complete Sacerdos, nisi post ultimam manuum impositionem & prolationem formæ ipsi correspondentis.

*Inst.* 2. Ex dictis ordinandus post traditionem instrumentorum, vocatur *ordinatus*; ergo est complete Sacerdos.

*Resp. dist. ant.* Vocatur *ordinatus*, a potestate offerendi sacrificium, quæ præcipua est, & quam tunc habet, *conc. ant.* vocatur ordinatus complete, *nego antec.*

Quæres: *An sit de necessitate Sacramenti ut contactus instrumentorum sit physicus?*

*Resp. affirmat.* Quia in quolibet Sacramento habente materiam physicam, necesse est, ut suscipiens physice contingat illam, ut patet in Baptismo & Confirmatione, &c.

### §. III. *De materia & forma Diaconatus.*

*Nota* 1. In Ecclesia Græca iisdem cæremoniis ordinatur Diaconus ac Presbyter, dempto quod in forma loco istorum verborum; *Promovet N. Diaconum in Presbyterum:* dicitur: *Promovet N. subdiaconum in Diaconum.*

*Nota* 2. In Ecclesiæ Latinæ duæ sunt præcipue cæremoniæ in Ordinatione Diaconi.

1. Est impositio dexteræ ab Episcopo facta super caput ordinandi cum hac forma; *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus in nomine Domini.*

2. Est traditio libri Evangeliorum cum hac forma: „ Accipe potestatem legendi Evangelium in „ Ecclesia Dei pro vivis, & defunctis, &c. “

## CONCLUSIO.

*Materia Diaconatus est tum impositio manus, tum traditio libri Evangeliorum; forma vero sunt verba ipsi correspondentia.*

*Prob.* 1. *pars.* Ex praxi nunquam interrupta utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, quæ semper impositionem manus adhibuit, sicut & Apostoli dum septem primos Diaconos ordinaverunt, *orantes* enim *imposuerunt eis manus.* (*Act.* 6. *v.* 6.)

*Prob.* 2. *pars*: Ex Concil. Flor. dicente: *Diaconatus* (traditur) *per libri Evangeliorum dationem.*

### §. IV. *De materia & forma Subdiaconatus & Minorum.*

*Nota*: Cum non sit inter Doctores controversia circa materias & formas Subdiaconatus & Minorum, omnesque unanimiter pro materia assignent traditionem instrumentorum, & pro forma verba traditioni instrumentorum correspondentia, hic nobis sufficit ipsas per varias quæstiunculas recensere.

Quæres 1. *Quænam sit materia & forma subdiaconatus?*

*Resp.* Duæ sunt in Ecclesia Latina partiales materiæ & formæ Subdiaconatus.

1. Est traditio calicis vacui cum patena vacua, sub hac forma: " Videte cujusmodi ministerium " vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos " exhibeatis, ut Deo placere possitis ".

2. Est traditio libri Epistolarum cum hac forma: " Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, " tam pro vivis quam pro defunctis ".

Onera autem Subdiaconi sunt recitatio divini Officii, & votum castitatis ordini suscepto annexum.

Quæres 2. *Quænam sit materia & forma Acolytatus.*

*Resp.* Duplex est materia & forma partialis Acolytatus.

1. Est traditio candelabri cum cereo extincto, sub hac forma: " Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini ";

2. Est traditio urceolorum vacuorum, cum hac forma: " Accipe urceolos ad suggerendum vinum " & aquam in Eucharistiam sanguinis, in nomine " Domini ".

Quæres 3. *Quænam sit materia & forma Exorcistatus?*

*Resp.* Est Liber exorcismorum, cum hac forma: " Accipe & commenda memoriæ, & habe " potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos ". Ergo officium exorcistæ et adjurare Dæmones: verum, & propter frequentes abusus, qui in exorcismis aliquando irrepsere, nequidem Presbyteri, ex hodierna Ecclesiæ Disciplina, adiurare debent dæmones, nisi prius obtenta Episcopi licentia.

Quæres 4. *Quænam sit materia & forma Lectoratus?*

*Resp.* Est liber lectionum, cum hac forma: " Accipe & esto verbi Dei relator, habiturus, " si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei ministrarunt ab " initio ".

Quæres 5. *Quænam sit materia & forma Ostiariatus?*

*Resp.* Est traditio Clavium Ecclesiæ, cum hac forma: " Sic age quasi Deo redditurus rationem " pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur ".

Quæres 6. *Quænam sint diversorum Ordinum germanæ definitiones?*

*Resp.* 1. Episcopatus est *Ordinatio, quæ per manuum impositionem, a tribus Episcopis factam, sub præscripta verborum forma, traditur Presbytero potestas regendi Ecclesiam Dei.*

2. Presbyteratus est *Ordinatio, quæ per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, & impositione manuum sub præscripta verborum forma traditur potestas Eucharistiam conficiendi & a peccatis absolvendi.*

3. Diaconatus est *Ordinatio, qua per traditionem libri Evangeliorum, & impositionem manuum sub præscripta verborum forma, confertur potestas Evangelium legendi & Sacerdoti immediate assistendi.*

4. Subdiaconatus est *Ordinatio, qua per traditionem calicis vacui cum patena vacua, & traditionem libri Epistolarum sub præscripta verborum forma confertur potestas proxime inserviendi Diacono solemniter ministranti, & legendi Epistolas in Ecclesia.* Et sic de cæteris Ordinibus.

## CAPUT IV.

### *De Ministro Ordinis.*

*Nota:* Certum est de fide solum Episcopum esse ordinarium Ministrum Sacramenti Ordinis; hoc enim aperte definierunt Conc. Flor. in decreto dicens: *Minister ordinarius hujus Sacramenti* (Ordinis) *est Episcopus.* Et Trid. *sess.* 23. *can.* 7. dicens: " Si quis dixerit Episcopos... non habere " potestatem confirmandi & ordinandi: vel eam " quam habent, illis esse cum Presbyteris com- " munem, anathema sit ".

Suadet ratio, nam ad solum principem Ecclesiæ pertinet Ministeria Ecclesiæ conferre; sed solus Episcopus est Princeps Ecclesiæ; ergo ad solum Episcopum pertinet Ordines conferre.

Verum duplex difficultas & controversia est inter Theologos, 1. Utrum simplex Sacerdos ex delegatione summi Pontificis possit esse minister extraordinarius hujus Sacramenti; 2. Utrum ad consecrationem Episcopi requirantur plures Episcopi de necessitate Sacramenti, quæ ut solvantur, sit

## CONCLUSIO I.

*Simplex Sacerdos potest ex commissione summi Pontificis conferre Tonsuram & Minores Ordines, non vero Majores.*

*Prob.* 1. *pars*: 1. Ex cap. *requisivit* (*Tit. de Ordinatis ab Episcop. qui renuntiavit*), in quo dicitur: *Minores Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur.*

*Prob.* 2. Ex Trid. (*Sess.* 23. *cap.* 10. *de ref.*) in quo prohibetur Abbatibus & aliis quibuscumque ne conferant *Tonsuram vel Minores Ordines* nisi regularibus sibi subditis; ergo supponit simplices Sacerdotes posse conferre Minores, exceptio enim firmat regulam.

*Prob.* 2. *pars*: Quia Scriptura & universa traditio non alium assignat illorum Ordinum ministrum, quam solum Episcopum; & nulli alii legitur unquam concessa talis facultas, quantacumque fuerit aliunde necessitas.

*Dices* 1. Dicitur cap. *requisivit* supra citato: a non Episcopis quandoque conferri Ordines a prima Tonsura ad Subdiaconatum: ergo simplex Sacerdos potest conferre Subdiaconatum.

*Resp. nego ant.* Cum glossa: usque ad Subdiaconatum *exclusive*, *ut probant verba sequentia*, conc. ant. *inclusive*, nego ant. Dicitur enim infra de eo qui susceperit Minores a simplici Sacerdote, quod *poterit, si idoneus fuerit, ad majores promoveri*; Subdiaconatus autem est Ordo major.

*Dices* 2. Innoc. VIII. concessit Abbati Cisterciensi facultatem conferendi suis monachis Ordinem Diaconatus & Subdiaconatus; ergo.

Resp.

*Resp.* Cum gravissimis auctoribus (*Hallerius de Ministro Ordin. section.* 5. *artic.* 2. §. 2.) contra alios illud privilegium esse supposititium & fictum 1. Quia illius non meminit Concilium Trident. 2. Quia hæc Bulla non reperitur in Bullario Romæ edito. 3. Quia in prima parte illius Bullæ Abbas Cisterciensis supplicat ut sibi renovetur privilegium suis Monachis conferendi Tonsuram & Minores, & in secunda parte summus Pontifex concedit facultatem conferendi Diaconatum & Subdiaconatum; ergo ultra petita concederet, quod repugnat stylo Curiæ Romanæ.

Hinc concludes monumentum illud esse dubiæ & incertæ auctoritatis, ex quo consequenter nonnisi incertum & dubium deduci potest argumentum.

*Dices* 3. Chorepiscopi solebant olim conferre Diaconatum & Presbyteratum, ut constat ex variis Conciliis (*Silvius*, *Tournely*); atqui illi erant simplices Sacerdotes, ut docet Damasus Papa *Epist.* 4. ergo.

*Resp. dist. maj.* Chorepiscopi qui erant ordinati Episcopi *conc. maj.* qui erant simplices Sacerdotes, *nego maj.*

*Itaque* duo olim fuerunt genera Chorepiscoporum; aliqui erant veri Episcopi, quales nunc sunt suffraganei, & de his loqui Concilia constat ex his Concilii Antioch. verbis: " Qui in vices Chore-„ piscopi nominantur, quamvis manus impositio-„ nem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi „ consecrati sint, &c. „

Alii autem erant simplices Sacerdotes, qui tamquam Vicarii Episcopi in majoribus oppidis commorantes exercebant aliquam Episcopi jurisdictionem supra reliquos Presbyteros, qualem nunc habent Archipresbyteri, & Decani rurales, & de his loquitur Damasus Papa, si tamen ejus Epistola sit genuina, quam eruditi supposititiam demonstrant cum Morino. (*Cap.* 1. *exercitationis* 4. *n.* 5.)

## CONCLUSIO II.

*Ad Consecrationem Episcopi requiruntur tres saltem Episcopi, non quidem necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiæ.*

*Prob.* 1. *pars*: Quia hunc Episcoporum numerum exigunt Canones sacri; ergo &c.

Can. I. Apostolorum sic jubet: *Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur.*

Canon. IV. Nicænus decernit: " Ordinari Epi-„ scopum ab omnibus aliis, si fieri possit, Pro-„ vinciæ Episcopis, sin minus, a tribus saltem „ congregatis „. Refertur can. 1. dist. 64.

Innoc. I. Epist. ad Vichicium Rothomagensem, prohibet quemquam Episcopum consecrari, nisi a tribus Episcopis.

His accedit perpetua praxis Ecclesiæ, quæ, seclusa necessitate, nunquam contulit Episcopatum, nisi per tres Episcopos.

*Prob.* 2. *pars.* 1. Variis exemplis:

Innoc. I. *Epist.* 12. *ad Bonifacium*, mandat eos, qui fuerant ab Evagrio Episcopo Antiocheno ordinati, recipi cum suis Ordinibus & honoribus: atqui tamen a solo Paulino prædecessore suo fuerat ordinatus Episcopus, ut testatur Theodoret. (*Lib.* 5. *hist. cap.* 24.) Ergo illius Ordinatio valida fuit: alias invalidæ fuissent Ordinationes ab eo factæ.

Sinesius, *Epist.* 67. ad Theophylum Alexand. refert, Siderium a solo Philone Cynerensi fuisse consecratum Episcopum, neque id obstitisse quominus S. Athanasius absque nova consecratione cum ipso dispensaverit, eumque ad Ecclesiæ Palæbiscæ clavum admoverit.

Conc. Regiense cum Armentario, qui ab uno Episcopo fuerat Ebreduni Episcopus ordinatus, dispensavit ut baptizatos confirmaret, & cum Ordinatis ab Armentario Clerici, ut in Ordinum suorum ministerio retinerentur.

*Prob.* Ex dispensationibus SS. Pontificum.

Gregor. Magnus interrogatus a B. Augustino Anglorum Episcopo, quot necessarii sint Episcopi in Episcopi consecratione, sic respondit: " Ut „ quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc so-„ lus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum „ non aliter, nisi sine Episcopis potes, id est, „ solus potes „.

Henriquez (*Tom.* 1. *suæ Summæ lib.* 10. *c.* 24.) & alii referunt Gregorium XIII. dispensasse cum Patriarcha Æthiopiæ, ut solus, sine assistentibus Episcopis, novos Episcopos consecrare posset, ubicumque operæ pretium esset.

Anno 1640. die 17. Junii D. *Saulnier*, fuit consecratus Episcopus Andrevillensis ab illustrissimo Claudio d'Archey Archiep. Bisuntino, assistentibus D. de Vatteville Episcopo Laufianensi, & Phidulpho Abbati Faverneasi, ex dispositione Urbani VIII.

Anno 1664. die 20. Januarii, D. Antonius Petrus de Grammont Archiepiscopus Bisuntinus fuit consecratus a D. *Saulnier* Episcopo Andrevillensi, cui adstiterunt, indulto Alex. VII. Claudius *de Mensmes* Ecclesiæ Bisuntinæ Vicarius generalis, & Joannes *d'Orival* Officialis Bisuntinus.

Anno 1744. die 22. Novembris, D. Josephus Guillelmus *Rinc*, *de Baltesthein*, Episcopus Basileensis fuit consecratus a Div. Antonino Petro *de Grammont* Archiepiscopo Bisuntino, cui, ex indulto Benedicti XIV. adstitere Petrus Franciscus Episcopus Philadelphiensis, & Antonius Beatus *de Luvemburg* Præpositus major Ecclesiæ Bevefalensis per litteras Pontificias designatur.

Hæc momenta (quibus motus opinionem, quam in prima hujus Theologiæ editione tenueram, mutavi) sunt peremptoria, nec puto quemquam hodie, absque errore, posse oppositam sententiam amplecti: etenim ut habet Bannez (22. *quæst.* 1. *art.* 4. *dubit.* 3.) " Non potest Pontifex errare, „ ita ut approbet leges perniciosas aut nocivas „ saluti animarum; & oppositum dicere, est hæ-„ reticum „: Et ut bene Canus (*Lib.* 6. *de locis prop.* 2.) " Si pascua salubris doctrinæ ovibus Chri-„ sti non daret, sed posset eas erroribus falsis & „ perniciosis pascere, non esset a Christo Ecclesiæ „ provisum „. Quinam autem error perniciosior, quam Episcopis & Presbyteris orbare? id tamen contingeret, si invalida esset Episcopi Ordinatio ab unico Episcopo facta, quam Pontifex permitteret.

*Objicies*: Anicetus S. P. (*Dist.* 66. *can.* 1.) dicit: *Ordinationem factam sine tribus Episcopis, viribus carere, atque irritam esse*; ergo.

*Resp.*

*Resp.* 1. Epistolam decretalem Aniceti esse suppositititiam, ut probatum fuit *Tomo I.*

*Resp.* 2. *dist. ant.* Declarat Ordinationem factam sine tribus Episcopis esse irritam, quoad usum & exercitium, *conc.* quoad characterem, *nego ant.* Declaratur ergo irrita, hoc solo sensu, quod non liceat sic Ordinato illa exequi quæ sunt muneris Episcopalis, donec cum eo dispensetur: unde glossa hanc vocem, *irrita*, exponit, *quoad officii executionem.*

*Inst.* Traditionis Apostolicæ lex est, ut Episcopus a tribus Episcopis ordinetur, ut docet D. Cyprianus *Epist.* 68. *ad Clerum & Plebem Hispaniæ*; ergo tres requiri videntur, non tantum ut licita sit, sed etiam ut valeat Ordinatio.

*Resp. nego conseq.* Non enim omnes cæremoniæ, quæ ex Traditione Apostolica adhibentur in administratione Sacramentorum, ad eorum substantiam pertinent, talis est v. gr. mixtio aquæ cum vino in Calicem consecrandi.

Quæres 1. *Quis sit Episcopus, a quo Ordines debent recipi?*

*Resp.* Ex Trid. (*Sess.* 23. *cap.* 8. *de ref.*) debent recipi *a proprio Episcopo*, nullo modo ab alieno, absque litteris dimissoriis proprii Episcopi: " si secus fiat, *ait Trid.* ordinans a collatione „ Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus „.

Quæres 2. *Quis sit proprius Episcopus?*

*Resp.* Triplex a Bonifacio VIII. (*Cap. Nullus, de tempor. ordin. in* 6.) distinguitur, nempe *originis*, *beneficii* & *domicilii*. In Gallia tamen solius originis habetur ratio, ut statutum est in comitiis ann. 1585.

*Episcopus originis* est ille, in cuius Diœcesi quis natus est. Ubi

*Nota*: Ad paternam originem revocari 1. filios qui legatis principum nati sunt in regno alieno tempore legationis: 2. filios qui fortuito nati sunt in aliena Diœcesi, per quam nimirum transibat mater, aut in quam animo non permanendi, venerat. (*De Sainte Beuve tom.* 3. *cas.* 56.)

*Episcopus beneficii* est ille, in cuius Diœcesi aliquis beneficium obtinet, sive beneficium postulet residentiam, sive non; ratio est quia *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* (*Reg. iur. in* 6.), modo tamen illud beneficium non fuerit per fraudem obtentum, v. gr. ut quis proprii Episcopi iuri dictioni se subduceret; in quo casu incurreret pœnas a iure latas. (*Ita respondit Card. Concil. Trident. interpr. Episcopo Cadurcensi ann.* 1662.)

*Episcopus domicilii* est ille, in cuius Diœcesi aliquis commoratur cum proposito ibidem perpetuo manendi.

*Nota*: Quod Concil. Mediolanense IV. & Aquense determinaverunt decennium requiri ad hoc domicilium acquirendum; excipitur tamen familiaris Episcopi, quem, etiamsi sit alienus, potest iuxta Trid. (*Sess.* 23. *cap.* 9. *de ref.*) ordinare: " Si „ per triennium secum fuerit commoratus, & be- „ neficium quacumque fraude cessante, statim „ reipsa illi conferat „.

Quæres 3. *Quis sit proprius Episcopus, a quo regulares debent recipere Ordines?*

*Resp.* Esse Episcopum, in cuius Diœcesi situm est Monasterium, in quo regulares commorantur. (*Ita statuit Conc. Burdig. ann.* 1624.)

*Dices*: Pius V. Bulla quæ incipit: *Etsi mendicantium Ordinibus*, indulsit mendicantibus, ut a quocumque Episcopo, non petita licentia Ordinarii loci, possint ordinari; ergo.

*Resp. nego conseq.* Quia hæc Bulla fuit expresse revocata a Gregor. XIII. & ad Conc. Trident. terminos restricta.

Quæres 4. *Ad quem pertineat litteras dimissorias concedere?*

*Resp.* 1. Pertinet ad Episcopum conferre dimissorias suis subditis, ita statuit Trid. (*Sess.* 7. *cap.* 10. *de ref.*)

2. Capitulum sede vacante potest concedere litteras dimissorias, sed non nisi anno elapso a die vacationis sedis; ita Trid. cit. quod excipit casum quo quis *beneficii Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctatus fuerit.*

3. Prælati Regulares subditis suis regularibus possunt concedere dimissorias, ad Episcopum tamen Diœcesanum, non ad alium, nisi Diœcesanus absens fuerit, vel ordinationem non sit habiturus; in quo casu exprimenda est in dimissoriis, causa absentiæ Episcopi Diœcesani, vel ordinationum ab eo non habendarum; ita statuit Clemens VIII. sub pœna privationis officii & dignitatis, ac vocis activæ.

## CAPUT V.

### *De subiecto Ordinis.*

Quæres 1. *Quinam sit subiectum Ordinis?*

*Resp.* Est homo baptizatus & masculus: nam 1. Baptismus est ianua ad omnia alia Sacramenta; ergo solus baptizatus est capax aliorum Sacramentorum. Mulieres, iure divino, arcentur a sacris mysteriis (1. *Cor.* 14.): turpe est mulierem loqui in Ecclesia. Ratio D. Thomæ hæc est (*qu.* 39. *art.* 1.), quia Sacramentum Ordinis eminentiam gradus significat, atqui in sexu femineo non potest aliqua gradus eminentia significari, dicente Apostolo (1. *ad Tim.* 2.) " Mulier discat „ in silentio cum omni subiectione: docere autem „ mulieri non permitto, neque dominari in vi- „ rum, sed esse in silentio: „ ergo &c.

*Nec obstat*, quod in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ & Episcopæ, illæ sic vocabantur, non ab aliquo Ordine, sed a viris suis, qui, cum ad Ordines Episcopatus, Presbyteratus &c. assumebantur, eas, ex mutuo consensu, derelinquebant, aut in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in monasteriis solemniter professas, ut constat ex Conc. Altissiodorensi, can. 21. " Non licet Presbytero post ac- „ ceptam benedictionem, in uno lecto cum Pre- „ sbytera sua dormire „.

Quæres 2. *Quid requiratur ad validam Ordinum receptionem?*

*Resp.* In adulto requiritur *intentio*, sine qua nulla & invalida foret ordinatio, ut probavimus in Dissertatione *de Sacramentis in genere.*

*Dixi*:

Dixi: *In adulto*: quia controvertitur utrum pueri ante usum rationis possint valide ordinari: negant Durandus & Tournely, affirmat D. Thom. hic *q.* 39. *art.* 2. quia Sacramenta quæ non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum suscipientis actum; sic conferri potest Confirmatio, non vero Pœnitentia, nec Matrimonium, quia de illorum essentia est actus, nempe contritio & confessio in Sacramento pœnitentiæ, & consensus in Matrimonio; atqui Sacramentum Ordinis non in actu, sed in potestate consistit; ergo conferri potest ante ullum suscipientis actum, & consequenter parvulo, amenti &c. licet sint incapaces consensus.

Parvulus tamen sic ordinatus, nec ad votum castitatis, nec ad officium divinum recitandum teneretur, nisi sponte, post adeptum rationis usum suam ordinationem ratam habuisset.

Quæres 3. *Quæ requiruntur ad licitam Ordinum susceptionem?*

*Resp.* Requiruntur novem, scilicet:

1. *Vocatio Dei*, ex Apostolo Hebr. 5. " Nec „ quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur „ a Deo tanquam Aaron „.

2. *Status gratiæ*, quia est Sacramentum vivorum.

3. *Confirmatio*, & primum Tonsura jam suscepta, prout statuit Conc. Trid. ( *Sess.* 23. *c.* 4. *de ref.* ).

4. *Congruæ sustentationis titulus*, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione. Ita necessarius est hic titulus, ut qui ficto titulo ordinatus fuisset, ab exercitio Ordinum, *ipso jure*, suspensus foret, quam pœnam, decretam *cap.* per tuas, & *cap.* si quis de Simonia, innovavit Conc. Trid. ( *Sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* )

5. *Ætas legitima*, quæ ætatis 22. pro Subdiaconatu; 23. pro Diaconatu; 25. pro Presbyteratu: ita statuit Conc. Trid. ( *Sess.* 23. *cap.* 12. *de ref.* )

6. *Est tempus a jure statutum pro Ordinationibus.*

7. *Est observatio interstitiorum*, quæ ex Trid. ( *Sess.* 23. *cap.* 11. *de ref.* ) in hoc consistit, " ut „ nonnisi post annum a susceptione Minorum Ordinum, quisquam ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat „.

8. *Ut ordinatio non fiat per saltum*: id est, ut non suscipiatur Ordo superior, omisso inferiori: alias sic ordinatus, esset ab exercitio Ordinis sic suscepti suspensus. ( *Cap. tuæ Literæ de Clerico per saltum ordinato* ).

9. *Immunitas ab omni irregularitate*, ut infra videbimus.

## CAPUT VI.

### *De effectibus Ordinis.*

Quæres. *Quot sint effectus Ordinis?*

*Resp.* Sunt quatuor.

*Primus* est gratia sanctificans in augmento, quia est Sacramentum vivorum.

*Secundus* est gratia sacramentalis, quæ definitur: " Gratia habitualis sacræ potestatis traditiva, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad officia cuilibet ordini propria rite „ persolvenda „.

*Tertius* est character; idque constat tum ex dictis in dissert. de Sacramentis in genere; tum ex usu & praxi Ecclesiæ quæ in hæresi & extra Ecclesiam rite ordinatos, redeuntes ad sinum suum, nusquam iterum ordinari permisit.

*Hinc* licet propter nonnulla immania crimina, honor, locusque ordini conveniens, ab Ecclesia quandoque auferatur, non aufertur tamen interna potestas, vi cujus etiam excommunicati & degradati, valide semper, licet illicite, Ordinis a se suscepti functiones exercent.

*Quartus* est *cælibatus*, secundum quem illi qui in Ecclesia Latina sacris Ordinibus initiantur, nec Matrimonium contrahere, nec Matrimonio prius contracto uti possunt. ( *Ita statutum est in Conc. Eliberit. ann.* 305. *can.* 33. *Conc. Carthag. II. ann.* 397. *can.* 2. ) In Ecclesia vero Græca licet quidem Ordinibus sacris initiatis ( excepto Episcopatu ) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas & omni jure conjugali uti ( *Ex Conc. Trullano can.* 2. ), sed omnino sub pœna depositionis prohibitum est eis post ordinationem ducere uxores. ( *Ibidem can.* 6. )

*Objicies* 1. cum hæreticis: Deus unicuique libertatem reliquit nubendi; ergo Ecclesia non potest id prohibere.

*Resp. nego conseq.* Deus enim Ecclesiæ concessit potestatem condendi Leges spectantes disciplinam; talis est Lex continentiæ imposita sacris Ministris, qui cum sponte Ordines suscipiunt, censentur sponte se subjicere Legi continentiæ.

*Inst.* Ecclesia non potest concedere Legem nimis duram, illicitis voluptatibus occasionem subministrantem; atqui talis est Lex continentiæ; ergo.

*Resp. dist. min.* Talis est Lex continentiæ per se, *nego*; per accidens, ex prava scilicet dispositione subjecti, quod inconsulta Dei vocatione statum Clericalem amplexus est, *conc.* si enim esset a Deo vocatus, donum continentiæ haud dubie obtineret ab eo, qui cum dat esse, dat etiam consequentia ad esse.

*Objicies* 2. Apost. ait ( *Hebr.* 13. *v.* 2. ): " Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus „; ergo nemini debet interdici.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim Apostoli non est hic: *Honorabile est connubium in omnibus*; sed est hic: *Honorabile sit connubium in omnibus*; loquitur ergo de conjugatis, quibus præcipit ut servent honorem conjugii servando fidem conjugalem comparti, & custodiant thorum immaculatum a peccatis quæ committi solent a conjugatis. Hunc esse sensum indicant verba sequentia: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*

*Inst.* 1. Apost. ( *Hebr.* 13. *v.* 4. ) generatim dicit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*; ergo omnes possunt nubere.

*Resp. nego conseq.* Apostolus enim non loquitur de iis qui per statum tenentur ad continentiam, sed loquitur de iis qui adhuc liberi non se possunt continere, & quibus consequenter expedit nubere, *Melius est enim nubere quam uri.*

*Inst.* 2. Apost. ( 1. *ad Tim.* 3. *v.* 4. ) præcipit ut Episcopus sit unius uxoris vir .... *filios habens subditos cum omni castitate*, &c. Ergo.

Resp.

*Resp.* 1. Epistolam decretalem Aniceti esse suppostitiam, ut probatum fuit *Tomo 1.*

*Resp.* 2. *dist. ant.* Declarat Ordinationem factam sine tribus Episcopis esse irritam, quoad usum & exercitium, *conc.* quoad characterem, *nego ant.* Declaratur ergo irrita, hoc solo sensu, quod non liceat sic Ordinato illa exequi quæ sunt muneris Episcopalis, donec cum eo dispensetur: unde glossa hanc vocem, *irrita*, exponit, *quoad officii executionem.*

*Inst.* Traditionis Apostolicæ lex est, ut Episcopus a tribus Episcopis ordinetur, ut docet D. Cyprianus *Epist.* 68. *ad Clerum & Plebem Hispaniæ;* ergo tres requiri videntur, non tantum ut licita sit, sed etiam ut valeat Ordinatio.

*Resp. nego conseq.* Non enim omnes cæremoniæ, quæ ex Traditione Apostolica adhibentur in administratione Sacramentorum, ad eorum substantiam pertinent, talis est v. gr. mixtio aquæ cum vino in Calicem consecrando.

Quæres 1. *Quis sit Episcopus, a quo Ordines debent recipi?*

*Resp.* Ex Trid. (*Sess.* 23. *cap.* 8. *de ref.*) debent recipi *a proprio Episcopo*, nullo modo ab alieno, absque litteris dimissoriis proprii Episcopi: " si secus fiat, *ait Trid.* ordinans a collatione „ Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus „.

Quæres 2. *Quis sit proprius Episcopus?*

*Resp.* Triplex a Bonifacio VIII. (*Cap. Nullus*, *de tempor. ordin. in* 6.) distinguitur, nempe *originis*, *beneficii & domicilii.* In Gallia tamen solius originis habetur ratio, ut statutum est in comitiis ann. 1657.

*Episcopus originis* est ille, in cujus Diœcesi quis natus est. Ubi

*Nota*: Ad paternam originem revocari 1. filios qui legatis principum nati sunt in regno alieno tempore legationis: 2. filios qui fortuito nati sunt in aliena Diœcesi, per quam nimirum transibat mater, aut in quam animo non permanendi, venerat. (*De Sainte Beuve tom.* 3. *cas.* 56.)

*Episcopus beneficii* est ille, in cujus Diœcesi aliquis beneficium obtinet, sive beneficium postulet residentiam, sive non; ratio est quia *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* (*Reg. jur. in* 6.), modo tamen illud beneficium non fuerit per fraudem obtentum, v. gr. ut quis proprii Episcopi jurisdictioni se subduceret; in quo casu incurreret pœnas a Jure latas. (*Ita respondit Card. Concil. Trident. interpr. Episcopo Cadurcensi ann.* 1662.)

*Episcopus domicilii* est ille, in cujus Diœcesi aliquis commoratur cum proposito ibidem perpetuo manendi.

*Nota*: Quod Concil. Mediolanense IV. & Aquense determinaverunt decennium requiri ad jus domicilii acquirendum; excipitur tamen familiaris Episcopi, quem, etiamsi sit alienus, potest juxta Trid. (*Sess.* 23. *cap.* 9. *de ref.*) ordinare: " Si „ per triennium secum fuerit commoratus, & be- „ neficium quacumque fraude cessante, statim „ reipsa illi conferat „.

Quæres 3. *Quis sit proprius Episcopus, a quo regulares debent recipere Ordines?*

*Resp.* Esse Episcopum, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo regulares commorantur. (*Ita statuit Conc. Burdig. ann.* 1624.)

*Dices*: Pius V. Bulla quæ incipit: *Etsi mendicantium Ordines*, indulsit mendicantibus, ut a quocumque Episcopo, non petita licentia Ordinarii loci, possint ordinari; ergo.

*Resp. nego conseq.* Quia hæc Bulla fuit expresse revocata a Gregor. XIII. & ad Conc. Trident. terminos restricta.

Quæres 4. *Ad quem pertineat litteras dimissorias concedere?*

*Resp.* 1. Pertinet ad Episcopum conferre dimissorias suis subditis, ita statuit Trid. (*Sess.* 7. *cap.* 10. *de ref.*)

2. Capitulum sede vacante potest concedere litteras dimissorias, sed non nisi anno elapso a die vacationis sedis; ita Trid. cit. quod excipit casum quo quis *beneficii Ecclesiastici recepit vel recipiendi occasione arctatus fuerit.*

3. Prælati Regulares subditis suis regularibus possunt concedere dimissorias, ad Episcopum tamen Diœcesanum, non ad aliam, nisi Diœcesanus absens fuerit, vel ordinationem non sit habiturus; in quo casu exprimenda est in dimissoriis, causa absentiæ Episcopi Diœcesani, vel ordinationum ab eo non habendarum: ita statuit Clemens VIII. sub pœna privationis officii & dignitatis, ac vocis activæ.

## CAPUT V.

### *De subjecto Ordinis.*

Quæres 1. *Quinam sit subjectum Ordinis?*

*Resp.* Est homo baptizatus & masculus: nam 1. Baptismus est janua ad omnia alia Sacramenta; ergo solus baptizatus est capax aliorum Sacramentorum. Mulieres, jure divino, arcentur a sacris mysteriis (1. *Cor.* 14.): turpe est mulierem loqui in Ecclesia. Ratio D. Thomæ hæc est (*qu.* 34. *art.* 1.), quia Sacramentum Ordinis eminentiam gradus significat; atqui in sexu femineo non potest aliqua gradus eminentia significari, dicente Apostolo (1. *ad Tim.* 2.) " Mulier discat „ in silentio cum omni subjectione; docere autem „ mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio: „ ergo &c.

*Nec obest*, quod in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ & Episcopæ; illæ sic vocabantur, non ab aliquo Ordine, sed a viris suis, qui, cum ad Ordines Episcopatus, Presbyteratus &c. assumebantur, eas, ex mutuo consensu, derelinquebant; aut in sæculo voto castitatis obstrictus, aut in monasteriis solemniter professus, ut constat ex Conc. Altissiodorensi, can. 21. " Non licet Presbytero post ac- „ ceptam benedictionem, in uno lecto cum Pres- „ bytera sua dormire „.

Quæres 2. *Quid requiratur ad validam Ordinum receptionem?*

*Resp.* In adulto requiritur *intentio*, sine qua nulla & invalida foret ordinatio, ut probavimus in Dissertatione *de Sacramentis in genere.*

*Dixi*:

Dixi: *In adulto*: quia controvertitur utrum pueri ante usum rationis possint valide ordinari: negant Durandus & Tournely, affirmat D. Thom. hic *q.* 39. *art.* 2. quia Sacramenta quæ non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum suscipientis actum; sic conferri potest Confirmatio, non vero Pœnitentia, nec Matrimonium, quia de illorum essentia est actus, nempe contritio & confessio in Sacramento pœnitentiæ, & consensus in Matrimonio; atqui Sacramentum Ordinis non in actu, sed in potestate consistit; ergo conferri potest ante ullum suscipientis actum, & consequenter parvulo, amenti &c. licet sint incapaces consensus.

Parvulus tamen sic ordinatus, nec ad votum castitatis, nec ad officium divinum recitandum teneretur, nisi sponte, post adeptum rationis usum suam ordinationem ratam habuisset.

Quæres 3. *Quot requirantur ad licitam Ordinum susceptionem?*

*Resp.* Requiruntur novem, scilicet:

1. *Vocatio Dei*, ex Apostolo Hebr. 5. " Nec „ quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur „ a Deo tanquam Aaron „.

2. *Status gratiæ*, quia est Sacramentum vivorum.

3. *Confirmatio*, & primum Tonsura jam suscepta, prout statuit Conc. Trid. ( *Sess.* 23. *c.* 4. *de ref.* ).

4. *Congruæ sustentationis titulus*, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione. Ita necessarius est hic titulus, ut qui ficto titulo ordinatus fuisset, ab exercitio Ordinum, *ipso jure*, suspensus foret, quam pœnam, decretam *cap.* per tuas, *& cap.* si quis de Simonia, innovavit Conc. Trid. ( *Sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* )

5. *Ætas legitima*, quæ ætatis 22. pro Subdiaconatu; 23. pro Diaconatu; 25. pro Presbyteratu: ita statuit Conc. Trid. ( *Sess.* 23. *cap.* 12. *de ref.* )

6. *Est tempus a jure statutum pro Ordinationibus.*

7. *Est observatio interstitiorum*, quæ ex Trid. ( *Sess.* 23. *cap.* 11. *de ref.* ) in hoc consistit, " ut „ nonnisi post annum a susceptione Minorum Ordinum, quisquam ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat „.

8. *Ut ordinatio non fiat per saltum*: id est, ut non suscipiatur Ordo superior, omisso inferiori: alias sic ordinatus, esset ab exercitio Ordinis sic suscepti suspensus. ( *Cap. tuæ Litteræ de Clerico per saltum ordinato* ).

9. *Immunitas ab omni irregularitate*, ut infra videbimus.

## CAPUT VI.

### *De effectibus Ordinis.*

Quæres. *Quot sint effectus Ordinis?*

*Resp.* Sunt quatuor.

*Primus* est gratia sanctificans in augmento, quia est Sacramentum vivorum.

*Secundus* est gratia sacramentalis, quæ definitur: " Gratia habitualis sacræ potestatis traditiva, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad officia cuilibet ordini propria rite „ persolvenda „.

*Tertius* est character; idque constat tum ex dictis in dissert. de Sacramentis in genere; tum ex usu & praxi Ecclesiæ quæ in hæresi & extra Ecclesiam rite ordinatos, redeuntes ad sinum suum, nusquam iterum ordinari permisit.

*Hinc* licet propter nonnulla immania crimina, honor, locusque ordini conveniens, ab Ecclesia quandoque auferatur, non aufertur tamen interna potestas, vi cujus etiam excommunicati & degradati, valide semper, licet illicite, Ordinis a se suscepti functiones exercent.

*Quartus* est *cœlibatus*, secundum quem illi qui in Ecclesia Latina sacris Ordinibus initiantur, nec Matrimonium contrahere, nec Matrimonio prius contracto uti possunt. ( *Ita statutum est in Conc. Eliberit. ann.* 305. *can.* 33. *Conc. Cathog. II. ann.* 397. *can.* 2. ) In Ecclesia vero Græca licet quidem Ordinibus sacris initiatis ( excepto Episcopatu ) retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas & omni jure conjugali uti ( *Ex Conc. Trullano can.* 2. ), sed omnino sub pœna depositionis prohibitum est eis post ordinationem ducere uxores. ( *Ibidem can.* 6. )

*Objicies* 1. cum hæreticis: Deus unicuique libertatem reliquit nubendi; ergo Ecclesia non potest id prohibere.

*Resp. nego conseq.* Deus enim Ecclesiæ concessit potestatem condendi Leges spectantes disciplinam; talis est Lex continentiæ imposita sacris Ministris, qui cum sponte Ordines suscipiunt, censentur sponte se subjicere Legi continentiæ.

*Inst.* Ecclesia non potest concedere Legem nimis duram, illicitis voluptatibus occasionem subministrantem; atqui talis est Lex continentiæ; ergo.

*Resp. dist. min.* Talis est Lex continentiæ per se, *nego*; per accidens, ex prava scilicet dispositione subjecti, quod inconsulta Dei vocatione statum Clericalem amplexus est, *conc.* si enim esset a Deo vocatus, donum continentiæ haud dubie obtineret ab eo, qui cum dat esse, dat etiam consequentia ad esse.

*Objicies* 2. Apost. ait ( *Hebr.* 13. *v.* 2. ): " Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus „; ergo nemini debet interdici.

*Resp. nego conseq.* Sensus enim Apostoli non est hic: *Honorabile est connubium in omnibus*; sed est hic: *Honorabile sit connubium in omnibus*; loquitur ergo de conjugatis, quibus præcipit ut servent honorem conjugii servando fidem conjugalem comparti, & custodiant thorum immaculatum a peccatis quæ committi solent a conjugatis. Hunc esse sensum indicant verba sequentia: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.*

*Inst.* 1. Apost. ( *Hebr.* 13. *v.* 4. ) generatim dicit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*; ergo omnes possunt nubere.

*Resp. nego conseq.* Apostolus enim non loquitur de iis qui per statum tenentur ad continentiam, sed loquitur de iis qui adhuc liberi non se possunt continere, & quibus consequenter expedit nubere, *Melius est enim nubere quam uri.*

*Inst.* 2. Apost. ( 1. *ad Tim.* 3. *v.* 4. ) præcipit ut Episcopus sit unius uxoris vir .... *filios habens subditos cum omni castitate*, *&c.* Ergo.

Resp.

*Resp.* Hoc unice intendit Apostulus, ut Episcopus ordinandus non sit bigamus, id est non habuerit duas uxores, etiam successive.

## CAPUT VII.

*De irregularitatibus.*

In hac quæstione 1. Agemus de irregularitate in genere. 2. De irregularitatibus provenientibus ex defectu. 3. De irregularitatibus ex delicto. 4. De cessatione & dispensatione irregularitatis, quadruplici articulo.

### ARTICULUS I.

*De irregularitate in genere.*

Quæres 1. *Quid sit irregularitas?*

*Resp.* Est *impedimentum Canonicum quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines & beneficia licite suscipienda, & eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1. *Impedimentum:* ut distinguatur a censura quæ est pœna medicinalis, non vero simplex inhabilitas.

Dicitur 2. *Canonicum:* quia irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis, prout definivit Bonif. VIII. Hinc nulla est ab homine.

Dicitur 3. *Quo directe:* ut iterum distinguatur a censuris, quæ nonnisi indirecte possunt impedire receptionem vel exercitium Ordinum: sic excommunicatio impedit, quia non licet cum excommunicato communicare; suspensio impedit exercitium Ordinum, non vero receptionem; interdictum non semper impedit exercitium Ordinum, Laicus enim potest interdici.

Dicitur 4. *Redditur inhabilis*, & quidem ante omnem Judicis sententiam, etiamsi crimen sit occultum, quia non est proprie dicta pœna, sed simplex impedimentum.

Dicitur 5. *Ad Ordines:* per quod intelliguntur Ordines tum stricte, tum late, ut est prima Tonsura (*Cap. ult. de temporib. in* 6.).

Dicitur 6. *Et beneficia suscipienda:* ad quæ dicitur: *ineligibilis* a jure. (*Cap.* 15. *de senten. excommunic. in* 6.) Quare qui in irregularitate beneficium suscepit, non potest illud retinere, nec ejus fructus percipere sine nova collatione; si tamen irregularitas superveniat beneficio legitime possesso, illo non privat (*Cap.* 10. *de excess. prælator.*), nec consequenter jurisdictione quæ potest exerceri absque usu Ordinis; sed possessor potest illo privari per sententiam Judicis (*Ibidem*). Idem statuit jus de prælaturis regularium (*Cap.* 12. *de pœnis*).

Dicitur 7. *licite:* quia irregularitas non impedit validam, sed solum licitam Ordinum susceptionem.

Dicitur 8. *Et Ordinum functiones* (*Ex toto tit. de temp. Ord. & tit. de homic.*): ratio est quia qui non potest Ordines suscipere, multo magis prohibetur susceptis Ordinibus uti.

Quæres 2. *Utrum aliquis in dubio sit judicandus irregularis?*

*Nota.* duplex est dubium, juris scilicet & facti. Dubium *juris* dicitur, quando Lex ita est obscura ut peritiores in ejus interpretatione, inter se dissideant.

Dubium *facti* dicitur, quando quis dubitat, num posuerit actum, cui irregularitas est certo annexa, v. gr. dubitat utrum occiderit in bello justo.

*Resp.* 1. In dubio juris, nullus judicandus est irregularis: quia id non exprimitur in jure: *Nullus autem debet irregularis reputari, nisi irregularitas sit jure expressa* (*Cap. Is qui, de sent. excomm.*); præterea, *odia sunt restringenda*, ex regula juris.

*Resp.* 2. In quolibet dubio facti, quisquis tenetur se gerere pro irregulari; quia Clem. III. (*Cap. ad audientiam, de homicidio*) statuit Presbyterum dubitantem de homicidio a se perpetrato, teneri abstinere ab usu Ordinis; rationem addit, *cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, quæ ratio cum sit universalis, valet pro omni dubio facti in qualibet materia. (*Ita Vasquez, Azor, Valentia, Reginald, Antoine &c.*)

*Hinc* qui fecit, vel consuluit aliquid illicitum ex quo dubitatur an mors alterius sit secuta, censendus est irregularis.

Quæres 3. *An qui in irregularitate exercet functiones Ordinis, incurrat aliquam pœnam?*

*Resp.* Peccat graviter, quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente, sed nullam pœnam canonicam ipso facto incurrit, quia nulla in jure decernitur adversus eum qui irregularitatem violat.

Quæres 4. *Quotuplex sit irregularitas?*

*Resp. Dividitur* 1. In totalem, partialem & temporalem.

*Dividitur* 2. In eam quæ est ex defectu, & eam quæ est ex delicto. *Prima* fundatur in aliquo defectu absque propria culpa. *Secunda* fundatur in proprio peccato illius qui irregularis efficitur .... Porro, ut incurratur peccatum: 1. Debet esse grave. 2. Debet esse actu externo consummatum; non tamen requiritur ut fiat cum contumacia, unde incurritur ab eo qui ignorat invincibiliter annexam esse irregularitatem delicto perpetrato.

Irregularitas *totalis* est, quæ omnium Ordinum susceptionem & usum impedit, ut homicidium.

Irregularitas *partialis* est, quæ alicujus tantum Ordinis susceptionem, vel Ordinis suscepti aliquem usum impedit. *Exemplum primi*, est Diaconus qui sinistro carens oculo, est irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, non vero ad Diaconatus exercitium. *Exemplum secundi*, est Sacerdos cæcus qui irregularis est ad Missam celebrandam, non vero ad Confessiones audiendas.

Irregularitas *temporalis*, est ea quæ impedit ad tempus susceptionem ordinum, ut *minor ætas* in puero.

### ARTICULUS I.

*De irregularitatibus ex defectu.*

*Nota:* Octo sunt Irregularitatum species, quæ ex defectu proveniunt, nempe ex defectu animæ, corporis, natalium, famæ, ætatis, Sacramenti, lenitatis, & libertatis, de quibus sequentibus Paragraphis.

§. I.

§. I. *De irregularitate ex defectu animæ.*

Quæres: *Quotuplex animæ defectus inducat irregularitatem?*

*Resp.* Est triplex. *Primus* est *defectus usus rationis*, propter quam furiosi, energumeni, amentes, & epileptici, a susceptione Ordinum repelluntur in perpetuum a Canonibus (*Cap. Maritum & cap. communiter*, *dist.* 33.), quia nunquam aut raro contingere potest eorum perfecta sanatio. Quod si fuerint legitime ordinati, repelluntur a susceptorum Ordinum exercitio, nisi ab integro anno fuerint sanati, ita *cap. communiter.*

Nec obstat *cap. nuper* 7. *qu.* 2. requirens tantum explorationem triginta dierum; quia loquitur de casu energumenico incerto.

Hic notat Cabassutius affectum epilepticum qui ante pubertatem accidit, *consuetudine recepta non inducere irregularitatem*, quia ex Hyppocrate *epilepsia ante pubertatem*, *amotionem recipit.*

*Secundus* est *defectus scientiæ*, quam Canones ad susceptionem Ordinum requirunt, *cap. illiteratos*, distinct. 36.

*Tertius* est *defectus fidei confirmatæ*, propter quem repellitur 1. *Neophitus*, id est recens ab Idololatria, Mahumetismo, Judaismo ad fidem conversus (*Cap. Quoniam multa*, *dist.* 48.), *ne in superbiam elatus*, *in judicium incidat diaboli.* 2. Filii Hæreticorum, ex cap. *quicumque*, de Hæreticis: sed Canon ille non viget in Gallia, ubi non solum filii hæreticorum, sed etiam hæretici ipsi, post hæresis abjurationem, ad Ordines & beneficia admittuntur absque dispensatione.

§. II. *De irregularitate ex defectu corporis.*

Quæres: *Quinam contrahant irregularitatem propter defectum corporis?*

*Resp.* Omnes qui sunt ita deformes, ut vel defectus impediat decentem Ordinis executionem, vel scandalum, horrorem & contemptum personæ generet: horum autem judicium pertinet ad Episcopum *ex cap. significavit*, *de corp. vitiatis.* Tales sunt:

1. Qui carent manu, indice vel pollice, oculo sinistro, vel illi, quibus erutus est alteruter oculus: *cap. Thomas eodem tit. & cap. si Evangelicam*, *dist.* 55.

2. Surdi utraque aure; claudi qui sine baculo non possunt incedere (*Nullus Episcopus*, 1. *de consecr.*). Idem gibbosi, gigantes, pigmæi, æthiopes in his regionibus, quia pariunt horrorem.

3. Leprosi, abstemii, tremuli manibus, propter periculum scandali. *Cap. Tua nos*, *de Clerico ægrot.*

4. Hermaphroditi, etiam occulti; *cap. Si testes*, 4. *quæst.* 3.

5. Eunuchi, qui sibi virilia amputarunt, vel amputari permiserunt absque justa causa, vel quibus in pœnam delicti amputata sunt (*Cap. Si quis*, *&c. cap. Hi qui se*, *dist.* 55.). Non autem eunuchi qui sic nati sunt, vel propter infirmitatem, aut injustam violentiam hoc passi sunt. *Cap. ex parte de corp. vitiatis.*

§. III. *De irregularitate ex defectu natalium & famæ.*

Quæres 1. *Quinam sint irregulares ex defectu natalium?*

*Resp.* Omnes illegitimi sive spurii, sive naturales, etiam occulti; *c.* 1. *&* 2. *de filiis Presbyter.*

Excipitur 1. natus ex soluto & soluta qui postea verum inter se contraxerunt matrimonium, *cap. tanta: qui filii sint legitimi.* 2. Natus ex Matrimonio invalido quidem propter impedimentum aliquod dirimens, sed in facie Ecclesiæ bona fide, saltem ex parte unius contrahentis, celebrato. *Cap.* Cum inter, *eodem tit.*

Quæres 2. *Quinam sint irregulares propter defectum famæ?*

*Nota:* Duplex est infamia, facti nimirum & juris.

Infamia *facti* contrahitur ex delicto gravi & notorio, propter quod apud viros honestos fama delinquentis graviter læditur.

Infamia *juris* contrahitur 1. propter officium minus honestum, sic infames sunt Hystriones, Mimi, Comædi, &c. 2. Propter crimen, cui jus civile, vel canonicum infamiæ notam inurit. 3. Propter gravem pœnam a judice civili inflictam, sic infames sunt qui ad cippum fuere alligati; virgis cæsi; exilio damnati; ad mulctam honorariam in publicum traducti; a judice in auditorio reprehensi, non vero qui fuerunt tantum admoniti. Itaque

*Resp.* Omnes infames sive jure, sive facto, sunt irregulares, *cap. infames* 6. *q.* 1. In Gallia tamen ad infamiam incurrendam non sufficit notorietas facti, sed requiritur sententia declaratoria judicis.

§. IV. *De irregularitate ex defectu ætatis & Sacramenti.*

Quæres 1. *Quinam sint irregulares defectu ætatis?*

*Resp.* Illi omnes qui non habent ætatem a Canonibus præscriptam pro Ordinibus; hoc est annos 22. pro Subdiaconatu, 23. pro Diaconatu, 25. pro Presbyteratu, 30. pro Episcopatu.

Quæres 2. *Quinam sint Irregulares defectu Sacramenti?*

*Resp.* Sunt omnes bigami, quorum matrimonium ideo patitur defectum Sacramenti, quod non perfecte repræsentet Christi cum Ecclesia unionem; quæ est unius cum una, hinc Apost. vult ut Episcopus sit *unius uxoris vir.*

Quæres 3. *Quotuplex bigamia inducat irregularitatem.*

*Resp.* Triplex, vera nempe, interpretativa & similitudinaria.

Bigamia *vera* est legitimum matrimonium cum duobus conjugibus successive contractum & consummatum, unde ad veram bigamiam non sufficit matrimonium ratum, *cap.* debitum, *de bigamis non ordin.*

Bigamia *interpretativa* est ea, qua quis ex juris interpretatione, tamquam bigamus habetur; talis est qui viduam duxit, aut ab altero corruptam, *cap.* 9. *dist.* 34. item qui propriam uxorem cognovit post ejus adulterium, *ibid. cap.* 11. Item qui post mortem primæ uxoris, contrahit cum altera matrimonium, sed

sed nullum propter impedimentum dirimens: ratio Innocent. III. ( *Cap. Nuper de Bigam. non ordin.* ) est, quia *quantum in ipso fuit secundam mulierem sibi matrimonialiter conjunxit.*

Bigamia *similitudinaria* est matrimonium cum virgine contractum & consummatum ab eo qui votum solemne castitatis in religione approbata emisit, vel sacrum Ordinem suscepit. *Cap.* quotquot, 27. *quæst.* 1.

### §. V. *De Irregularitate ex defectu lenitatis & libertatis.*

Quæres 1. *Quinam sint irregulares defectu lenitatis?*

*Resp.* Omnes qui voluntarie & proxime, licet juste, ad necem, vel mutilationem alicujus concurrunt vel physice, vel moraliter.

*Hinc* 1. Irregulares sunt 1. Qui reum ad vindictam accusat, & qui eum ad accusandum reum, inducit; item testes, Notarius, Judex, carnifex, & omnes illi qui operam præstant ( *Cap. Sententiam. Ne Clerici vel Monachi, &c.* ) 2. Qui deliberate concurrunt ad accelerationem mortis effectu secuto, *Clem. de homicidio.* 3. Qui in bello, etiam justo, propria manu occidit vel mutilat, *Cap.* petitio, *de homic. volunt.*

*Hinc* 2. Irregulares non sunt. 1. Principes qui condunt leges capitales; neque Episcopi qui Clericum degradatum tradunt Judici sæculari, tametsi pœna capitis postea mulctetur: ratio est, quia remote tantum ad sententiam sanguinis concurrunt.

2. Qui infirmum vertendo, transferendo, &c. ejus mortem indeliberate accelerant, quia non est defectus lenitatis, sed actus charitatis qui ex se non tendit ad accelerationem mortis.

3. Medici vel Chirurgi, qui juxta regulas artis consuluerunt, vel executi sunt mutilationem alicujus membri, nisi ex gravi culpa ipsorum mutilatus moreretur. *Cap.* significasti, *de homicidio.*

4. Qui intersunt suppliciis reorum, quia hoc non exprimitur in jure.

5. Clericus, qui injustum invasorem pro defensione propriæ vitæ occidit aut mutilat cum moderatione inculpatæ tutelæ. *Clem. de homic.*

6. Clericus qui accusat reum de injuria sibi vel suis rebus illata, modo expresse protestetur se nullam capitis, vel mutilationis pœnam intendere; *Cap.* prælatis *homicid.*

7. Clerici, qui sanctione regia compelluntur ad testimonium ferendum in causa sanguinis, quia ad hoc obligantur lege obedientiæ & justitiæ, nec intendunt mortem, sed tantum rei emendationem. Ita censent DD. Galli contra Ultramontanos.

Quæres 2. *Quinam sint irregulares defectu libertatis?*

*Resp.* Irregulares sunt defectu libertatis 1. *Servi*, quandiu sunt servi, *tit. de servis non ordin.* 2. Conjugati, *Cap.* uxoratus *de conjunct. uxorat.*

3. *Curiales*, ii scilicet qui ex obligatione inserviunt curiis Principum sæcularium, ut sunt Judices, Advocati, Milites, & similes Ministri, qui quandiu illis functionibus sunt dediti, repelluntur ab Ordinibus suscipiendis, *Cap.* designata; *dist.* 51.

4. *Obligati ad ratiocinia*, ut sunt Thesaurarii publici, Tutores, Curatores, Procuratores, &c. qui non possunt ordinari nisi prius redditis rationibus, & deposita illorum obligatione, *Cap. unico, de obligatis ad ratiocinia*: tamen *Canon* pervenit, *dist.* 86. excipit eos qui causarum piarum, Ecclesiasticorum, ac miserabilium personarum administrationem gerunt.

## ARTICULUS III.

### *De Irregularitatibus ex delicto provenientibus.*

*Nota.* Quatuor sunt species irregularitatis ex delicto.

*Prima* provenit ex iteratione Baptismi.

*Secunda* ex crimine hæresis & apostasiæ a fide.

*Tertia* ex indebitis susceptione, vel usu Ordinis.

*Quarta* ex homicidio, mutilatione & abortu.

Quæres 1. *Quinam irregulares sint propter hæresim?*

*Resp.* Non solum *hæretici*, sed & *eorum receptatores*, defensores & fautores, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ex linea paterna, & primam ex linea materna, *cap.* 15. *de hæret. in* 6. quia dispositio non viget in Gallia, ideo DD. Galli docent hæreticos non haberi irregulares in Gallia.

Quæres 2. *Quinam sint irregulares propter iterationem Baptismi?*

*Resp.* Illi qui scienter & absolute rebaptizant & rebaptizantur, *Cap.* confirmando, *distinct.* 50. Item qui ex officio ministrant rebaptizanti, *Cap.* 2. *de apostatis.*

Dixi 1. *Scienter*, & ideo qui ignoranter rebaptizat, aut rebaptizatur, hanc non incurrit irregularitatem.

Dixi 2. *Absolute*, non enim irregularitatem incurrit, qui in dubio sub conditione rebaptizat.

*Dices*: *Cap.* qui bis *dist.* 4. *de conseq.* dicitur: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, secundum Canones ordinari non possunt.* Ergo.

*Resp. dist.* Qui ignoranter baptizati sunt, ignorantia juris, *conc.* ignorantia facti, *nego ant.* Porro Canon juxta glossam loquitur *de ignorantia juris quæ non excusat.*

Quæres 3. *Quinam fiant irregulares propter indebitam Ordinis susceptionem vel exercitium?*

*Resp.* Fiunt irregulares 1. Qui suscipiunt Ordines furtive, id est non approbati, nec admissi, *Cap.* veniens, *de eo qui furtive*, &c.

2. Qui post contractum Matrimonium, licet non consummatum, ordinatur invita uxore; *extravag.* antiquæ, *de voto.*

3. Qui suscipit Ordines ab Episcopo non habente jurisdictionem, *Cap.* requisivit, *de ordinatis ab Episcopo, qui*, &c.

4. Qui in excommunicatione majore suscipit Ordinem sacrum, *Cap.* cum illorum, *de sentent. excommunicat.*

5. Qui ligatus excommunicatione majore, licet occulta, aut suspensione, aut interdicto, exercet actum proprium Ordinis majoris quem habet, sive etiam minoris; *Cap.* si quis Presbyter, *de Clerico excommun.*

6. Qui

6. Qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet (*Cap. Si quis, de Clerico non ordinato minist.*) Excipiuntur qui cum Dalmatica, sed sine Manipulo, vices Subdiaconi gerunt.

7. Qui percipit Ordines per saltum, *Cap.* tuæ litteræ, *de Clerico per saltum promoto.*

8. Qui in loco interdicto scienter celebrat; non autem qui in Ecclesia polluta. *Cap.* is qui, *de sent. excomm. in* 6.

Quæres 4. *Quinam contrahant irregularitatem propter homicidium, mutilationem & abortum?*

*Resp.* 1. Irregularitatem incurrunt non solum qui homicidium voluntarium injuste perpetrant, sed & omnes cooperatores, mandantes, consulentes, vel non impedientes, cum ex justitia tenentur impedire; ex *toto tit. de homicid.*

*Resp.* 2. Non incurritur irregularitas ex homicidio pure casuali, omni diligentia adhibita, nisi quis vacaverit rei illicitæ, prout statuit Gregor. IX. *Cap.* Quidam, *de homic.*

*Resolves* 1. Clericum qui incumbit actionibus ipsi a jure interdictis, v. g. venationibus, choreis &c. si inde mors sequatur, contrahere irregularitatem, quia dat operam rei illicitæ.

*Resolves* 2. Qui dat operam rei licitæ quidem; sed non adhibet diligentiam debitam, unde mors sequitur, irregularis efficitur. *Cap.* Presbyterum, *de homicid.*

## ARTICULUS IV.

### *De cessatione & dispensatione Irregularitatis.*

Quæres 1. *Quomodo cessare, aut tolli possit Irregularitas?*

*Resp.* 1. Per Baptismum tollitur omnis irregularitas ex delicto *cap.* deinde, *dist.* 26. Item omnes irregularitates ex defectu qui non remanet post Baptismum, ut est defectus famæ, & lenitatis; non tollitur tamen bigamia, quia ita sancitum est *cap.* deinde *cit.*

*Resp.* 2. Irregularitas ex defectu temporali tollitur per cessationem defectus ex quo oriebatur, quia ex regul. juris, *sublata causa tollitur effectus.* Hinc irregularitas ex defectu natalium tollitur per legitimationem Pontificiam quoad effectus spirituales, & regiam quoad effectus civiles.

*Resp.* 3. Per solemnem religionis professionem tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad Ordines tantum, non vero quoad prælaturas & dignitates, sive intra, sive extra religionem, *cap.* ut filii, *de filiis Presbyter.*

*Resp.* 4. Tollitur per legitimam dispensationem.

Quæres 2. *Quis dispensare possit in irregularitate?*

*Resp.* 1. Summus Pontifex pro plenitudine suæ in jure Ecclesiastico potestatis, potest dispensare in omni irregularitate jure humano inducta.

*Resp.* 2. Episcopus ex Conc. Trid. (*Sess.* 24. c. 6. *de ref.*) potest " dispensare in omni irregularitate „ proveniente ex delicto occulto, nec ad forum „ contentiosum deducto, excepta ea quæ oritur „ ex homicidio voluntario „. Sed non potest dispensare in irregularitatibus ex defectu, excepta ea quæ provenit ex bigamia similitudinaria: & ea quæ provenit ex defectu natalium ad Tonsuram, Minores, & beneficium simplex non requirens susceptionem Ordinis sacri; ratio est quia Episcopus non potest dispensare in jure communi, nisi id specialiter ei concedatur a summo Pontifice; atqui potestas dispensandi in irregularitate ex defectu, Episcopo non conceditur, nisi in illis duobus casibus; *cap.* Is qui, *de filiis Presbyter. in* 6. Ergo.

*Resp.* 5. Prælati Regulares virtute privilegiorum ipsis a summis Pontificibus Martino V. Sixto IV. Clemente VIII. & Paulo III. concessorum, possunt dispensare cum suis religiosis in quacumque irregularitate, excepta ea quæ provenit ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione.

## CAPUT VIII.

### *De Censuris.*

In hac quæstione agemus 1. De Censuris in communi, 2. De excommunicatione, 3. De suspensione, 4. De interdicto, 5. De degradatione, depositione & cessatione a divinis.

## ARTICULUS I.

### *De Censuris in Communi.*

Quæres 1. *Quid sit Censura?*

*Resp. Est pœna ab ecclesiastica potestate inflicta hominem viatorem, baptizatum, adultum, delinquentem privans usu bonorum Ecclesiæ spiritualium & communium, donec a contumacia resipiscat.*

Dicitur 1. *Pœnæ*, quod convenit cum depositione, degradatione, &c.

Dicitur 2. *Ab Ecclesiastica potestate inflicta*, quia non simplici populo, ut voluit Richetus, & insinuavit Quesnellus *prop.* 90. sed Ecclesiæ prælatis potestate jurisdictionis ordinaria vel delegata in foro externo gaudentibus, hanc potestatem Christus concessit dicens: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo*; quibus verbis datur Apostolis & eorum successoribus omnis potestas necessaria ad rectum regimen Ecclesiæ, ad quod pertinet potestas rebelles coercendi, eosque privandi bonis communibus; juxta illud, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; id est separetur ut indignus Ecclesiastica communione, ejusque fructu.

Dicitur 3. *Hominem viatorem:* quia solus homo viator jurisdictioni Ecclesiæ subest. Hinc quando in Jure Can. legimus aliquos mortuos fuisse excommunicatos, intelligi debet de declaratione excommunicationis quam ante mortem incurrerant, & in qua mortui erant, & a qua indigebant absolvi, non quidem juridice, sed permissive, nimirum permittendo ut eorum corpus sepultura Ecclesiastica donetur, & eorum anima publicis Ecclesiæ suffragiis perfruatur.

Dicitur 4. *Baptizatum*, quia soli baptizati sunt subditi Ecclesiæ, *cap.* gaudemus, *de divortiis.*

Dicitur 5. *Adultum*, quia infantes qui non sunt doli capaces, non possunt peccare; ergo nec censura ligari. Quoad impuberes adultos, non possunt quidem ligari per censuram *ab homine* latam,

cum

cum ante pubertatem non censeatur sufficientem habere maturitatem ad intelligendum judiciarium ordinem: sed possunt ligari censura *a Jure*, & reipsa *ex Trident. sess.* 25. *cap* 5. incurrunt excommunicationem ob ingressum in Monasteria Monialium.

Dicitur 6. *Delinquentem:* Quia Censura est pœna, pœna autem supponit peccatum; quod debet esse:

1. *Externum*, quia Ecclesia non judicat de internis in foro externo, *cap.* tua nos, *de Simonia.*

2. *Mortale*, vel ex se, vel ex circumstantiis, quia Censura est gravis pœna, quæ non nisi pro mortali debet imponi crimine. *Excipitur* excommunicatio minor, & suspensio ab aliquo duntaxat officio, quæ cum non sint graves, ex levi culpa possunt infligi.

3. *Debet esse opere completum & consummatum*: ratio est, quia ex reg. juris, *odia sunt restringenda*; ergo stricte interpretanda. Nisi tamen aliud exprimatur in lege; namque per Bullam Clem. VIII. receptam in Gallia provocantes ad duellum, vel illud acceptantes sunt ipso facto excommunicati, etiamsi non sequatur conflictus.

4. *Debet esse cum contumacia conjunctum*, cujus reus est qui sciens præceptum Ecclesiæ annexam habere Censuram, nihilominus illud violat, nam *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18.

Porro excommunicatio supponit culpam propriam; hinc solæ personæ privatæ quæ delinquerunt, excommunicari possunt. Econtra ad interdictum & suspensionem sufficit culpa aliena, unde interdici aut suspendi potest tota communitas propter grave crimen quod in ea fuit perpetratum. *Cap.* Romana, *de sent. excomm. in* 6.

Dicitur 7. *Privans usu*; non autem ipsa potestate seu facultate, v. g. titulo beneficii.

Dicitur 8. *Bonorum spiritualium;* non enim privat usu bonorum temporalium nisi secundario, quatenus scilicet bonum temporale refertur ad spirituale, qualis est v. gr. societas civilis cum fidelibus, qua privatur excommunicatus tamquam medio ad resipiscendum.

Dicitur 9. *Bonorum communium*, v. g. publicorum Ecclesiæ suffragiorum, sacrificiorum, Sacramentorum, & aliorum, quæ dispositioni Ecclesiæ sunt commissa.

Dicitur. 10. *Donec a contumacia resipiscat:* quia Censura est pœna *medicinalis*, *non moralis*, inquit Innoc. IV. Hinc si ligatus resipiscat, debet absolvi, & quantumvis resipiscat, ligatus manet, donec absolvatur, *cap.* Sacris, *de senten. excomm. in* 6.

Quæres 2. *Quæ causæ a Censuris excusent?*

*Resp. Excusat* 1. Ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, ut docet Bonifac. VIII. (*Cap. Ut animarum de Constit.*) *Ligari* Censuris *nolumus ignorantes*, *dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit*, *aut supina.* Hinc qui culpa sua ignoraret Censuram, non excusaretur a Censura, quia in tali ignorantia crassa & supina, intercederet contumacia, *cap.* Si culpa, *de injuriis.*

2. Excusat *impotentia moralis*, qualis sufficit ut quis a præcepto ecclesiastico eximatur, quia tunc non est contumacia; ergo nec Censura, dummodo absit omnis contemptus ecclesiasticæ potestatis.

3. Excusat *metus gravis*, v. g. mortis, mutilationis, &c. quia tunc non est sufficiens ad agendum libertas.

4. Excusat *invaliditas Censuræ*, non vero ejus injustitia.

Quæres 3. *Quandonam Censura sit invalida?*

*Resp.* Censura *ab homine* est invalida.

1. *Defectu jurisdictionis in ferente*, quæ est impedita per Censuram qua innodatus est ferens, vel suspensus per legitimam appellationem ad superiorem, *cap.* præterea *de appellat.*

2. *Defectu ordinis substantialis judicii*, v. gr. si una saltem non præcessit monitio, quæ absolute requiritur, ut Censura *ab homine* valide feratur; cum in Censura a jure nulla alia requiratur monitio, quam ipsius legis promulgatio; *cap.* reprehensibilis, *de appellat.*

3. *Defectu culpæ mortalis*, ut statuit Innocent. III. dicens: *Cum æterni tribunal judicis, illum reum non habeat quem injuste judex condemnat*, &c.

*Observa* tamen, damnatum teneri se gerere exterius coram illis qui Censuram norunt & ignorant Innocentiam, tamquam Censura affectum, etiamsi appellaverit ad superiorem, quia Censuræ *per appellationem sequentem*, *minime suspenduntur*, ut dicitur *cap.* Is cui, *de sent. excomm. in* 6. Hinc qui invalide Censura notatus, exerceret actum sui ordinis, peccaret quidem peccato scandali, quia resisteret potestati publicæ, sed non contraheret pœnas contra violantes Censuram.

Quæres 4. *Quid requiratur ut Censura ab homine sit justa?*

*Resp.* Requiritur ut ordo accidentalis judicii observetur, secundum quem necesse est:

1. Ut trina præcedat monitio, interposito duorum saltem aut trium dierum intervallo, nisi gravis mali immineat periculum, tunc enim sufficit una monitio pro tribus, dicendo, *admoneo te pro tribus vicibus.* Ita *cap.* Constitutionem, *de sentent. excommun.* in 6.

2. Ut sententia scripto feratur, causa Censuræ exprimatur, exemplumque hujus Censuræ scriptæ reo tradatur intra mensem, si Judex fuerit requisitus, *Cap.* cum medicinalis, *eod tit.*

3. Ut denuntiatio illius qui Censuram contraxit, fiat publice in Ecclesia, vel scripto ad valvas Ecclesiæ affixo, juxta morem receptum cujusque Diœcesis.

Quæres 5. *Quinam possint absolvere a Censuris?*

*Resp.* 1. A Censuris non servatis potest absolvere quilibet Confessarius; item & a reservatis in articulo mortis, ut docet Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Moribundus tamen sic absolutus tenetur sub pœna reincidentiæ, (hoc est sub pœna reincidendi ipso facto sine nova sententia in eandem Censuram, a qua fuerat absolutus) recurrere ad superiorem vel ejus delegatum, non ut iterum absolvatur, cum valide fuerit absolutus, sed ut mandata ejus suscipiat; imo juxta *cap.* quamvis de *sentent. excommun.* Confessarius debet moribundo imponere hoc onus, etiam sub juramento.

*Resp.* 2. A Censura ab homine per sententiam particularem lata nullus potest absolvere nisi 1. qui eam tulit vel ejus successor, quia juxta effatum, *ejus est solvere cujus est ligare*; 2. Summus Pon-

Pontifex; 3. Metropolitanus, sed jure duntaxat visitationis vel appellationis, quia in his solum casibus habet plenam jurisdictionem, *cap.* venerabilem, *de sent. excomm.*

*Resolves:* Diœcesanus ab Episcopo suo per specialem sententiam excommunicatus vel suspensus, absolvi non potest ab Episcopo alterius Diœcesis, ad quam migravit ut ibi commoretur; imo si fuerit specialiter excommunicatus in aliena Diœcesi ob crimen ibi commissum, non potest a proprio suo Episcopo absolvi, dum in suam Diœcesim revertitur.

*Resp.* 3. A Censura a jure, vel per statutum lata, quam sibi auctor reservavit, nemo potest absolvere præter auctorem, vel ejus successorem, vel ejus superiorem, vel ab ipso delegatum; *cap.* nuper, *de sentent. excomm.* Porro Episcopi velut summi Pontificis delegati possunt absolvere ab omnibus Censuris Papæ reservatis, *primo* cum casus sunt occulti, nec deducti ad forum contentiosum; *secundo* cum rei sunt impuberes, vel senes, vel debiles, vel quando non sunt sui juris, ut mulieres, filii familias, &c. vel tandem quando sunt legitime impediti ut Papam possint adire (*Cap. Mulieres*, *&c. De cætero*, *de sent. excomm.*). Sic tamen absoluti, cessante impedimento, tenentur sub pœna reincidentiæ se sistere coram Papa, vel ejus legato, ut mandata ejus suscipiant, *ibid.*

Quæres 6. *Quid sit absolutio Censuræ ad cautelam?*

*Resp.* Duplex est absolutio ad cautelam; *prima* est ea, quæ excommunicato appellanti ad superiorem datur provisionaliter in ipso litis limine, ut fiat capax prosequendi litem in tribunali ecclesiastico, & purgandi se ab impacta criminis accusatione, *cap.* Cum desideres, *de sentent. excomm.*

*Secunda* est ea, quæ pœnitenti datur ante absolutionem a peccatis ad vitandam irreverentiam, si forte pœnitens occulta Censura affectus sit, his verbis; *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum & tu indiges, deinde absolvo te a peccatis tuis, &c.*

Quæres 7. *Quis sit modus absolvendi a Censuris?*

*Resp.* Vel absolutio datur in foro externo, vel in foro conscientiæ; *si primum*, servandum est Rituale; *si secundum*, sufficit forma generalis, *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, &c. Ratio est, quia nulla forma est præscripta.

Quæres 8. *Quotuplex sit Censura?*

*Resp. Dividitur* 1. In eam quæ est a *jure*, & eam quæ est *ab homine*, & utraque vel est latæ, vel ferendæ sententiæ.

Censura a *jure* est ea, *quæ per Canones, seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos.* Hæc non expirat per mortem Legislatoris.

Censura *ab homine* est ea, *quæ per sententiam judicis, aut præceptum transitorium fertur propter factum particulare, vel in personas particulares.* Hæc cessat per mortem, aut amotionem illius qui illam tulit, quoad vim obligandi in posterum: si enim jam esset contracta, manet post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem, *c.* Pastoralis, *de off. Ordinarii in* 6.



Censura *latæ sententiæ*, est ea quæ incurritur *ipso facto*, seu ipsa criminis admissione, absque ulla ulteriori judicis sententia; talis est 1. Si Legislator utatur his verbis, *ipso facto: ipso jure: ex tunc: mox: illico.* 2. Si utatur verbis indicativi præsentis, v. g. *excommunicamus, suspenduntur*, &c. vel verbis præteriti temporis, v. g. *excommunicatus est, noverit se esse suspensum, interdictum*, &c. vel verbis imperativi modi, *sit excommunicatus, maneat suspensus*, &c.

Censura *ferendæ sententiæ*, est ea quæ non contrahitur, nisi accedente Judicis sententia, hæc vocatur *comminatoria.* Talis est 1. quæ fertur per verba quæ judicis actionem exigunt, v. gr. *excommunicetur, decernimus excommunicandum.* 2. Quæ fertur per verba futuri temporis sine addito, v. g. *sub pœna excommunicationis, suspensionis*, &c.

Porro in dubio utrum Censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, censenda est ferendæ, quia *in pœnis benignior est interpretatio facienda*; ex reg. 49. Juris in 6.

*Dividitur* 2. In *excommunicationem, suspensionem, & interdictum:* neque enim depositio, degradatio, & cessatio a divinis, sunt Censuræ, nam sunt perpetuæ, atqui Censuræ non sunt perpetuæ. Ergo.

## ARTICULUS II.

### *De Excommunicatione.*

Hic agemus 1. De natura & divisione Excommunicationis; 2. De ejus effectibus; 3. De Monitoriis, tribus paragraphis.

### §. I. *De natura & divisione Excommunicationis.*

Quæres 1. *Quid sit excommunicatio?*

*Resp.* Est *Censura, per quam homo baptizatus privatur ex toto, vel ex parte, bonis spiritualibus communibus, ex Ecclesiæ dispensatione pendentibus.*

Dicitur 1. *Ex toto, vel ex parte*, ut comprehendatur Excommunicatio tum major, tum minor.

Dicitur 2. *Bonis communibus*, &c. ut sunt Ecclesiæ suffragia, divina officia, Sacramentorum receptio & administratio, &c.

Quæres 2. *Quotuplex Excommunicatio?*

*Resp.* Duplex, nempe major & minor.

Excommunicatio *major*, est *censura qua quis privatur omnibus Ecclesiæ bonis communibus.* Hæc sola venit nomine excommunicationis simpliciter, *cap.* Si quem, *de sent. excomm.*

Excommunicatio *minor*, est *censura qua quis privatur communione passiva Sacramentorum, & electione passiva ad beneficium.* Hæc solum contrahitur propter illicitam cum excommunicato non tolerato conversationem; *cap.* Statuimus, *cod. tit.*

Quæres 3. *Quinam excommunicati sint vitandi?*

*Resp.* Post Constit. Martini V. *ad evitanda* solum sunt vitandi 1. Qui per sententiam judicis ecclesiastici nominatim sunt excommunicati, ac specialiter & publice denunciati. 2. Notorius Clerici percussor; in Gallia tamen nulla admittitur notorietas facti quin sit declarata per sententiam Judicis, ante quam nulli excommunicati sunt vitandi.

Quæres 4. *Quænam sint præcipuæ excommunicationes reservatæ summo Pontifici & Episcopis?*

*Resp.* Circa hanc qu. cujusque Diœcesis Ritualia, statuta, & consuetudo, consuli debent. Hic unice expendemus eam quæ contra percussores Clericorum a Conc. Later. II. lata est his verbis: " Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortuis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat ".

Dicitur 1. *Si quis*, quibus verbis intelligitur quilibet sive vir, sive mulier, sive etiam impubes rationis compos. Porro hæc excommunicatio extenditur 1. Ad mandantes effectu secuto. 2. Ad consentientes, consilium, auxilium & favorem præstantes. 3. Ad non impedientes, si ex officio ad hoc teneantur. 4. Ad eos qui percutiunt Clericum etiam consentientem. Hæc omnia colliguntur *ex c.* 6. 47. & 59. *de sent. excomm.* imo *cap.* cum quis, *eod. tit. in* 6. extenditur excommunicatio in eos qui ratam habent percussionem nomine suo factam.

Dicitur 2. *Suadente Diabolo*; id est, illicite & peccaminose. Hinc non incidit in Canonem 1. Qui percutit Clericum ex joco, vel correctionis causa: *c.* 1. *eod. tit.* 2. Qui percutit in necessariam sui defensionem, vel in defensionem castitatis sui ipsius, uxoris, matris, filiæ & sororis, *ibid. c.* 3. Secus si Clericus inventus fuerit turpiter agens cum aliis mulieribus, tum quia Canon prædictas tantum commemorat, tum quia alias expresse excludit.

Dicitur 3. *In Clericum*, per quod intelligitur quilibet prima saltem tonsura initiatus, etiam conjugatus, modo tonsuram & habitum gestet clericalem, nec sit Bigamus; *cap. unico de Clerico conjug.*

Dicitur 4. *Monachum*, per quod intelligitur omnis Religiosus utriusque sexus, etiam Laicus, Conversus & Novitius. *Cap.* 3. & 33. *eod. tit.*

Dicitur 5. *Violentas manus*: quibus verbis intelligitur non solum percussio, sed etiam omnis actio violenta & contumeliosa circa Clericum, aut circa res ei adhærentes, v. g. pulveris, sputi injectio, vestis laceratio, &c. circa quod

Quæres: *An omnis percussio Clerici sit reservata summo Pontifici?*

*Resp.* Gravis percussio reservatur summo Pontifici, levis vero reservatur Episcopis, *c.* 17. *eod. tit.*

Porro ea percussio dicitur *gravis*, quæ fit aut cum copiosa sanguinis effusione aliunde quam e naribus, dentium, aut capillorum, multorum evulsione; aut cum indignitate aliqua maxime injuriosa propter circumstantiam loci, modi, temporis, aut personæ in dignitate constitutæ. Illa vero dicitur *levis*, quæ fit sine magna sanguinis effusione, carnis laceratione, scandalo, &c. hæc potest etiam esse mortalis, & ideo dicitur levis comparate ad gravem & enormem.

§. II. *De effectibus Excommunicationis.*

Quæres 1. *Quot sint effectus Excommunicationis majoris?*

*Resp.* Sunt septem, quorum sex priores spectant omnes excommunicatos, etiam non toleratos: septimus vero spectat solos non toleratos.

*Primus.* Est quod excommunicatus privetur communibus Ecclesiæ suffragiis, ( id est, quæ publice & nomine Ecclesiæ offeruntur ) etiamsi supponatur Deo per contritionem reconciliatus, unde Alex. VII. merito hanc prop. damnavit: " Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia constante, cessant censuræ.

*Secundus*, quod privetur Sacramentorum administratione & receptione, ita ut mortaliter peccaret si quod Sacramentum reciperet, vel si quod sine necessitate administraret, in quo casu insuper incurreret irregularitatem. *Hinc* excommunicatus a peccatis absolvi non potest, nisi prius ab Excommunicatione fuerit absolutus.

*Tertius*, est quod privetur facultate audiendi Missam & officiis publicis assistendi ( *Cap. Alma de sent. excomm. in* 6. ). Quamvis enim Horas Canonicas teneatur recitare, si sit beneficiarius vel in sacris constitutus; tamen sub mortali non potest eas recitare cum aliis in choro, nec eas recitans privatim, potest dicere: *Dominus vobiscum*, quod personæ publicæ cum populo fideli communionem, quæ excommunicato interdicta est, indicat; sed ejus loco debet dicere: *Domine exaudi orationem meam*, quæ multa obligatio est tantum sub veniali ob levitatem materiæ.

*Petes* quid faciendum, si excommunicatus publicus intersit officio publico, puta Missæ, Horis Canonicis, &c.

*Resp.* Si sit toleratus, non propterea intermittenda sunt officia divina, quia non est vitandus. Si vero sit nominatim denuntiatus, monendus est a celebrante ut exeat; quod si noluerit discedere, vi expellendus est, quod si nequeat expelli, nisi cum gravioris mali periculo: 1. Adstantes exire tenentur, alias graviter peccarent communicando cum excommunicato vitando. 2. Sacerdos ab altari recedere debet, si Canonem nondum inceperit; quod si inceperit, debet cum unico ministro Sacrificium perficere usque ad communionem inclusive, & reliqua Liturgiæ in loco decenti & secreto, puta in Sacristia, absolvere.

*Nota*: Excommunicatus qui sic ab Ecclesia non vult discedere, novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & alii qui prohibent ne exeat, *Clem.* gravis *de sent. excomm.*

*Quartus effectus*, est quod sit inhabilis ad dignitates & beneficia acquirenda; *cap.* postulatis, *de Clerico excomm.* Attamen ipso facto privatur beneficio ante ex communicationem obtento, nec proinde fructibus quos ante ipsam legitime percepit.

Dixi, *ipso facto*; quia si Clericus esset negligens in procuranda sibi absolutione, atque per annum in Excommunicatione insordesceret, Conc. Bituricense *Cap.* 9. mandat ut beneficio privetur, imo Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* jubet ut contra eum tamquam de hæresi suspectum procedi possit.

Quæ-

*Quintus*, est quod privetur usu & exercitio licito omnis jurisdictionis spiritualis (*Cap. Romana de offic. Vicarii in* 6.): hinc absque peccato non potest leges ferre, beneficia conferre, &c. validi tamen sunt omnes illi actus quandiu toleratus est, quia titulum habet coloratum, qui defectu occulto non aufertur; secus si sit nominatim denuntiatus, nec toleratus, ut refert glossa *in cap.* ad probandum, *de sent. & re judicata.*

*Sextus*, est quod privetur omni-communicatione cum fidelibus, ita ut excommunicatus etiam toleratus peccet dum, extra casus a jure exceptos, communicat cum fidelibus in actibus sacris, forensibus, & civilibus: ratio est, quia Martinus V. Bulla *ad evitanda*, expresse declarat, *se non intendere excommunicatos*, *suspensos*, *interdictos*, *in aliquo revelare*, *nec eis quodammodo suffragari.* Unde distinctio tolerati a non tolerato, non est in favorem excommunicati, sed in favorem fidelium qui non peccant communicando cum excommunicato tolerato, licet peccet excommunicatus toleratus communicando cum fidelibus.

*Septimus* spectat solum non toleratum, qui *ex cap.* Sacris, *de sepult.* si moriatur, antequam Ecclesiæ reconciliatus fuerit, privatur Ecclesiastica sepultura, etiamsi ante mortem signa dederit pœnitentiæ, in quo tamen casu debet absolvi, & Ecclesiastica sepultura donari. Quod si ante absolutionem fuerit sepultus, *ex eod. cap.* debet exhumari, si ejus corpus ab aliorum corporibus discerni possit; secus si discerni non possit, *ne cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium.* In utroque tamen casu locus ejus sepulturæ est pollutus, nec in eo sacra possunt peragi, nisi prius fuerit reconciliatus; *cap.* Consuluisti, *de consecr. Eccles.*

Quæres 2. *Quot sint actiones, in quibus fideles tenentur excommunicatos non toleratos vitare?*

*Resp.* Sunt quinque hoc versu expressæ:

*Os*, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur.*

*Os*, significat omnem allocutionem sive verbo, sive scripto, sive nutibus, *cap.* Excommunicatos, 11. *quæst.* 3.

*Orare*, significat omnem in orationibus communicationem, tam extra, quam intra Ecclesiam, *cap.* alma, *de sent. excomm.*

*Vale*, significat salutationem honorificam, sive verbo, sive nutu, sive facto v. g. osculo, amplexu, &c. juxta illud Epist. 2. Joann. *nec ave dixeritis.*

*Communio*, significat omnem societatem, sive in habitatione, sive in contractibus.

*Mensa*, significat omnem in cibo & potu participationem. Apostolus enim 1. Cor. 5. prohibet *cum hujusmodi nequidem cibum sumere.*

Quæres 3. *Quibus in casibus jura permittant communicare cum excommunicato vitando in actionibus humanis & civilibus.*

*Resp.* Sunt quinque hoc versu expressi:

*Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse.*

1. Per *utile*, intelligitur utilitas spiritualis, vel corporalis, tum nostra, tum excommunicati. Hinc licet ab excommunicato consilium, debitum, auxilium petere; ipsum ad resipiscentiam hortari: &c.

2. Per *lex* intelligitur matrimonium, quo tenentur conjuges secum cohabitare, mutuaque sibi officia præstare, *cap.* quoniam 11. *q.* 3.

3. Per *humile*, intelligitur officium subjectionis & reverentiæ quam debent filii parentibus, famuli & subditi dominis suis, *ibidem.*

4. Per *res ignorata*, intelligitur ignorantia juris & facti, modo non sit crassa & affectata, *ibid.*

5. Per *necesse*, intelligitur necessitas spiritualis & corporalis tum nostra, tum excommunicati, *ibidem* ideo ab excommunicato licet eleemosynam petere, &c.

Quæres 4. *An sit mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

*Resp.* Juxta communem sent. communicare in rebus sacris, est mortale *ex genere suo*, quia hoc valde repugnat tum auctoritati Ecclesiæ, tum fini censuræ, tum dignitati rerum sacrarum, quod de se est grave. Communicare vero in civilibus est solum veniale *ex genere suo*, propter contrariam rationem, nisi communicatio sit *in crimine criminoso*, tunc enim est mortale.

Dixi, veniale *ex genere suo*, quia potest esse mortale per accidens, v. g. ratione scandali, vel contemptus, qui semper adest quando communicatio est frequens.

Quæres 5. *Quam pœnam incurrant qui communicant cum excommunicatis non toleratis?*

*Resp.* Incurrunt Excommunicationem minorem, & etiam majorem in tribus casibus, nempe 1. *Si in crimine criminoso*, (id est, ob quod Censura est contracta) communicet, ei consilium, auxilium vel favorem impendendo, *c.* nuper, *de sent. excomm.* 2. Si sepeliant excommunicatum vitandum in loco sacro, *c.* sacris, *de sep.* 3. Si communicent admittendo excommunicatum ad divina officia, vel coram illo scienter celebrando Missam, *c.* Episcoporum, *de priv.*

Quæres 6. *Quinam sint effectus Excommunicationis minoris?*

*Resp.* Sunt duo. *Primus*, est privatio receptionis Sacramentorum, non vero administrationis; hinc Sacerdos qui tali Censura ligatus celebraret Missam, peccaret, eo quod non possit celebrare absque receptione Eucharisriæ, non tamen fieret irregularis, *cap.* si celebrat, *de Cleric. excomm.*

*Secundus*, Est privatio electionis passivæ ad dignitates & beneficia; ideo sic excommunicatus eligere quidem potest, sed non eligi; tamen ejus electio non est ipso facto irrita, sed irritanda, *ibidem.*

### §. III. *De Monitoriis in finem revelationis.*

Quæres 1. *Quid sit Monitorium?*

*Resp.* Est mandatum Judicis Ecclesiastici, sub pœna excommunicationis post trinam monitionem incurrendæ, revelandi auctores criminis reipublicæ perniciosi, vel gravioris damni proximo illati.

Dicitur 1. *Mandatum Judicis Eccles.* nempe solius Episcopi, ut statuit Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de fer.* quam auctoritatem Conc. Turon. *tit. de jurisd.* extendit ad eos, qui cum Episcopo unum constituunt tribunal, tales sunt Vicarius generalis, Officialis, &c.

*Nota:* Licet Conc. Trid. prohibeat, ne Episcopus cujusvis Judicis sæcularis auctoritate adducatur ad concedenda Monitoria, contrarius tamen usus invaluit in Gallia, ubi Monitoria non possunt decerni in materia mere civili, nisi ad postulationem, vel ex licentia Judicis sæcularis, qui juxta edictum criminale ann. 1670. editum, Officiales potest cogere sub pœna privationis proventus temporalis ad decernenda Monitoria in materia criminali.

Dicitur 2. *Sub pœna excomm.* a qua solus superior, qui decrevit Monitorium, potest absolvere.

Dicitur 3. *Revelandi auctores*, quæ obligatio tanta est, ut si intra præscriptum in Monitorio tempus, non revelavit, graviter peccat, & excommunicationem incurrit, nec ab obligatione revelandi liberatur, quia terminus non ad finiendam obligationem, sed ad illam urgendam apponitur, unde si revelatio adhuc sit utilis, adigendus est a Confessario ad revelandum.

Dicitur 4. *Criminis reip. perniciosi*, nec enim ob levem rationem Monitorium decerni potest, ut statuit Trident. cit. cui concordat edictum regium *ann.* 1695. *artic.* 26. *Les Officiaux ne pourront decerner des Monitoires que pour des crimes graves, & scandales publiés:* ut sunt crimina capitalia, libri famosi, &c.

Quæres 2. *Quinam excusantur ab obligatione revelandi?*

*Resp.* Excusantur 1. infantes qui pleno rationis usu nondum fruuntur.

2. Qui sunt alterius Diœcesis, licet vicini; quia non sunt subditi Prælato qui Monitorium decernit.

3. Ii qui cum fundamento timent, ne ob revelationem, grave damnum vel in persona, vel in familia, vel in fortunæ bonis, patiantur; neque enim cum tanto dispendio obligant leges humanæ.

4. Consanguinei usque ad quartum gradum inclusive, & affines usque ad secundum; alias vix staret humana societas.

5. Illi quibus delictum revelatum est capiendi consilii causa: tales sunt Advocatus, Theologus, Medicus, Obstetrix, &c. nisi forte alia via delictum cognoverint.

6. Fidus amicus, nisi, ut ait D. Thom. (2. 2. *quæst.* 74. *art.* 1. *ad* 2.) *Crimen pertineat ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel ad grave damnum alicujus personæ*; quia tunc non viget obligatio secreti naturalis.

7. Clerici non tenentur revelare in causis criminalibus, dum illorum revelatione aliquis extremo supplicio plecti posset, nisi bonum commune aliud exigat, ut in causa læsæ majestatis, hæresis, &c. *Verum* in Gallia Clerici in causa sanguinis licite, & absque periculo irregularitatis, ferunt testimonium, tum quia non nisi remote concurrunt ad mortem; tum quia ad id coguntur auctoritate Judicis sæcularis; tum quia Ecclesia permittit decerni Monitoria in causis criminalibus; *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.*

8. Excusatur is, cui constat eum, adversus quem promulgatur Monitorium, bona substracta justo titulo possidere, v. g. justa compensatione, præscriptione, &c.

9. Excusantur reus & complices, qui nec seipsos, nec socios criminis tradere tenentur; tamen semper tenentur ad reparationem damni, & quidem sub pœna excommunicationis, si lata sit tam contra non restituentes, quam contra non revelantes.

10. Quoad famulos discordia est inter DD. qui recte conciliantur, si dicamus standum esse praxi fori contentiosi, in quo si famuli a Judice interrogentur, tenentur illi quod sciunt, aperire; secus, si non interrogentur.

## ARTICULUS II.

### *De Suspensione.*

*Nota.* Agemus 1. De natura & divisione. 2. De effectibus suspensionis. 3. De variis observandis circa suspensionem.

### §. I. *De natura & divisione suspensionis.*

Quæres 1. *Quid sit Suspensio?*

*Resp.* Est censura, qua Clericus privatur usu Ecclesiastici Officii, vel beneficii, vel utriusque simul.

Dicitur 1. *Censura:* per quod distinguitur 1. Ab irregularitate quæ non est pœna, sed mera inhabilitas ad suscipiendos & exercendos Ordines. 2. Ab alia specie suspensionis, de qua frequens fit mentio in jure, quæ fertur per modum meræ pœnæ in vindictam culpæ præteritæ, & quæ differt a suspensione medicinali, *primo*, quod censuræ medicinalis terminus sit Clerici emendatio; econtra mere pœnalis possit esse perpetua, vel ad tempus determinatum, v. g. ad triennium. *Secundo*, quod medicinalis requirat præviam monitionem; econtra mere pœnalis nullam requirat, quia fertur propter culpam præteritam, etiam moraliter non perseverantem. *Tertio*, quod medicinalis non feratur nisi propter culpam propriam illius cui infligitur; econtra mere pœnalis infligi possit in totam communitatem propter culpam unius ex illa communitate. *Quarto*, quod medicinalis tolli non possit, nisi per absolutionem; pœnalis vero per lapsum definiti temporis, vel per dispensationem superioris, unde semper est reservata.

Dicitur 2. *Clericus*, ut distinguatur ab excommunicatione & interdicto, quæ cuicumque fideli infligi possunt.

Dicitur 3. *Privatur usu*, &c. ut distinguatur a depositione & degradatione, quæ privant ipso beneficii titulo. Hinc suspensus potest percipere Sacramenta, quia hæc perceptio non est usus potestatis ecclesiasticæ.

Quæres 2. *Quotuplex sit suspensio?*

*Resp.* Duplex est, totalis nimirum, & partialis.

Suspensio *totalis* est censura, qua Clericus privatur usu Ecclesiastici Officii & beneficii simul.

Suspensio *partialis*, alia est ab Ordine tantum, alia a jurisdictione tantum, alia ab Officio, & tandem alia a beneficio.

Suspensio *ab Ordine tantum*, est ea qua Clericus privatur usu licito sui, vel suorum Ordinum.

Suspensio *a jurisdictione tantum*, est ea qua Clericus privatur usu jurisdictionis licito; ejus tamen actus non sunt invalidi, nisi sit nominatim de-

denuntiatus & non toleratus, ut constat ex Bulla *ad evitanda.*

Suspensio *ab Officio*, est ea qua Clericus privatur usu Ordinis & jurisdictionis, quæ duo ad Officium pertinent.

*Suspensio a beneficio*, est ea qua Clericus privatur fructibus temporalibus sui beneficii, quod proinde administrare non potest; *Cap.* Vintoniensis, *de elect.* Verum hæc suspensio locum non habet in Gallia, ubi Clericus quandiu non est depositus, nec spoliatus beneficii titulo, non potest sine abusu privari beneficii fructibus per Judicem Ecclesiasticum.

### §. II. *De effectibus Suspensionis.*

Quæres: *Quinam sint effectus suspensionis?*

*Resp.* 1. Suspensus peccatum mortale ex genere suo committit 1. Quando violat suspensionem. 2. Quando communicat cum aliis in eo a quo est suspensus, sed non peccant qui cum eo communicant, si sit toleratus; bene vero, si non sit toleratus. Bulla *ad evitanda.*

*Resp.* 2. Suspensus *ab Ordine*, exercendo functiones Ordinis, fit irregularis, *Cap.* 1. *de sent. & re judic. in* 6. Quod etiam intelligendum est de violante censuram mere pœnalem, ut definitur *Cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6.

Dixi: *Suspensus ab Ordine*, quia suspensus a jurisdictione, non incurrit irregularitatem exercendo actus jurisdictionis, nisi sint conjuncti cum functionibus Ordinis: ratio est quia hujusmodi irregularitas non est expressa in jure, ut docent Suarez, Bonacina, Filiutius & alii.

*Resp.* 3. Suspensus *ab Officio* inhabilis est ad acquirenda beneficia; suspensio enim impedit collationem & obtentionem novi beneficii, *Cap.* cum dilectus, *de consuet.*

### §. III. *De quibusdam observandis circa suspensionem.*

1. Suspensio quæ absolute fertur sine determinatione ad hoc vel illud, censetur totalis, quia locutio indefinita æquivalet universali.

2. Suspensio ad aliquid determinata, suspendit ab eo quod distincte exprimit, vel quod in eo necessario includitur, & non ab alio, *Cap.* a crapula *de vita & honest. Cler.* Hinc facile

*Inferes* 1. Suspensum ab Officio simpliciter, non esse suspensum a beneficio, nec vice versa. Hinc suspensus ab Officio licite percipit fructus beneficii, modo per alium suppleat beneficii munera, quæ per se non potest exercere.

*Inferes* 2. Suspensum ab Ordine, non esse suspensum a jurisdictione, nisi erga eos jurisdictionis actus qui Ordinis actualem usum requirunt: sic Episcopus suspensus ab Ordine potest alteri delegare potestatem absolvendi a peccatis, quamvis ipse non possit absolvere.

*Inferes* 3. Suspensum ab Ordine superiori, non esse suspensum ab Ordine inferiori: sic suspensus a Sacerdotio non est suspensus a Diaconatu & aliis inferioribus.

*Inferes* 4. Suspensum ab Ordine inferiori, non esse suspensum ab Ordine superiori, nisi quoad ea quæ cum hoc Ordine inferiori connexa sunt; sic Sacerdos suspensus ab Officio Diaconatus, non potest quidem Missam celebrare, quia Missa sine Evangelio non celebratur, sed omnia alia quæ Sacerdoti proprie competunt, potest peragere, v. gr. solemniter baptizare, Confessiones audire, &c.

## ARTICULUS IV.

### *De interdicto.*

*Nota.* Agemus 1. De natura & divisione. 2. De effectibus. 3. De pœnis interdicti. 4. De quibusdam observandis circa interdictum.

### §. I. *De natura & divisione interdicti.*

Quæres 1. *Quid sit interdictum?*

*Resp.* Est *censura privans hominem, vel locum, vel utrumque simul publica divinorum Officiorum celebratione, aliquorum Sacramentorum administratione, & usu Ecclesiasticæ sepulturæ.*

Dicitur 1. *Privans hominem, vel locum, &c.* ut assignetur interdictum: locale scilicet, personale, & mixtum.

Interdictum *locale*, est *censura qua immediate in aliquo loco prohibetur administratio aliquorum Sacramentorum, divinorum Officiorum celebratio, & usus Ecclesiasticæ sepulturæ.* Porro cum interdicitur locus communis, v. gr. Regnum, Diœcesis, Civitas, interdictum est *generale:* si vero aliquis locus particularis interdicatur, v. gr. aliqua Ecclesia, vel etiam omnes civitatis Ecclesiæ, non vero ipsa civitas, est interdictum *particulare*, possunt ergo divina Officia celebrari extra Ecclesiam in illa civitate.

Interdictum *personale*, est *censura qua personis quibusdam prohibetur ubique participatio aliquorum Sacramentorum, &c.* Si interdicatur aliqua hominum communitas, v. gr. omnes personæ unius Regni, Civitatis, Capituli, dicitur interdictum *generale.* Si vero interdictum feratur in unam, pluresve personas quæ particulares sunt; v. gr. in Petrum, vel in omnes qui tale crimen commiserunt, dicitur interdictum *particulare.*

Dicitur 2. *Privans .... publica, &c.* quibus verbis assignatur effectus interdicti, de quibus sit

### §. II. *De effectibus interdicti.*

*Nota*: Ex definitione allata constat tres esse effectus interdicti, nempe privationem quorumdam Sacramentorum, Officiorum divinorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ.

Quæres 1. *Quibus Sacramentis privat interdictum?*

*Resp.* Ex *Cap.* Alma, *de sent. excomm. in* 6. Nunc privat quatuor tantum Sacramentis, scilicet Eucharistiæ respectu sanorum, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii; ergo tempore interdicti licet administrare Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, quæ tamen excepto mortis articulo, non potest administrari iis qui causam interdicto dederunt, nisi prius satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem dederint.

Quæres 2. *Quomodo Officiorum divinorum celebratio publica prohibita sit tempore interdicti?*

*Resp.* Prohibita est in loco interdicto, & personis interdictis sub moderatione tamen *Capituli* Alma, permittentis 1. Ut omnes Clerici & Religiosi non personaliter interdicti, possint ac debeant *sub pœna privationis distributionum, quotidie in suis Ecclesiis* (modo non sint specialiter interdictæ) *Missam & alia divina Officia celebrare sicut prius: submissa tamen voce januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis non pulsatis.*

Permittit 2. *Ut in Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis, alta voce divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis.* Modo qui causam interdicto dederunt, *alteri non appropinquent;* id est, Eucharistiæ non sint participes; hoc privilegium Leo X. extendit ad Festum Conceptionis B. M. V. & ad eius Octavam.

Quæres 3. *Quibus interdictis deneganda sit Ecclesiastica sepultura?*

*Resp. Si interdictum sit personale*, deneganda est iis omnibus, qui sunt nominatim interdicti. *Si sit locale particulare*, nullus sive Clericus, sive Laicus potest in eo sepeliri, sed sepeliendi sunt in alio loco sacro non interdicto. *Si sit locale generale*, nullus quidem laicus, sive infans potest in loco interdicto sepeliri; verum Clerici qui nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violaverunt, ex speciali privilegio Innocentii III. *possunt in cœmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus omnibus solemnibus, cum silentio tumulari.* Refertur, *c.* quod in te *de pœnit. & remiss.*

### §. III. *De pœnis interdicti violati.*

Quæres: *Quas pœnas incurrant, qui violant interdictum?*

*Resp.* Clerici interdicti, exercendo actum proprium Ordinis, fiunt irregulares (*Cap. Is, cui, de sent. excomm. in 6.*). Et qui interdictos extra casus a jure exceptos scienter tumulant in loco sacro, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam. *Clem.* 1. *de sepult.*

2. Domini temporales, qui cogunt Clericos ad celebranda publica officia divina in loco interdicto, vel prohibent, ne publice excommunicati aut interdicti tempore divinorum officiorum exeant; item ipsi nominatim interdicti, qui post monitionem exire renuunt, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. *Clem.* gravis *de sent. excomm.*

3. Regulares etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale a Papa vel Ordinario latum, quando servatur ab Ecclesia Cathedrali, vel matrice loci in quo habitant, excommunicationem ipso facto incurrunt. *Clementina* 1. *de sent. excomm.* & Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de Reform.*

### §. IV. *De quibusdam observandis circa interdictum.*

*Primo*, cum interdicitur civitas, interdicuntur etiam suburbia & ædificia adjacentia civitati, quamvis sint sub alterius jurisdictione sive temporali, sive spirituali, *cap.* Si civitas, *de sent. excom. in* 6. Item cum interdicitur Ecclesia, interdicuntur etiam Capellæ & Cœmeterium ipsi contigua, at non vicissim. *Ibidem.* Ratio est quia accessorium sequitur principale, sed non vicissim.

2. Cum interdicitur locus, non interdicuntur illius loci personæ, quæ proinde Officiis divinis interesse possunt in aliis locis. Similiter cum interdicuntur personæ, non interdicitur locus, nisi exprimatur: hinc interdicto Clero alicujus civitatis, possunt extranei celebrare in Ecclesiis illius loci.

3. Cum interdicitur Communitas, interdicuntur singulæ illius Communitatis personæ, etiam innocentes quandiu sunt pars illius; quare si desinant esse pars illius, desinunt esse interdictæ; nocentes vero qui causam interdicto dederunt, ubique sunt interdicti, *cap.* Si sententia, *eod. tit.*

4. Cum interdicitur Clerus, non interdicitur populus, nec e converso: *ibidem.*

5. Ad interdictum speciale personale requiritur culpa gravis propria; ad locale autem, vel personale generale, sufficit culpa admissa a capite, vel a præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent. *Ibid.*

6. Interdictum locale & personale generale non possunt tolli nisi ab eo qui habet jurisdictionem in foro externo; hinc per privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale & personale generale.

## ARTICULUS V.

### *De cessatione a divinis, depositione & degradatione.*

Quæres 1. *Quid sit cessatio a divinis?*

*Resp.* Est prohibitio justa ab homine vel a jure facta celebrandorum officiorum divinorum, administrandorum aliquorum Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ.

Dicitur 1. *Prohibitio justa:* id est ob justam causam; v. g. pollutionem Ecclesiæ, &c.

Dicitur 2. *Ab homine*, sive sit masculus, sive femina, quia ad cessationem a divinis præcipiendam, non requiritur potestas clavium; unde quando *cap.* dilecta, *de majorit. & obed.* dicitur Abbatissas suspendisse *ab Officio beneficioque*, hoc intelligi debet de simplici cessatione a divinis, & substractione honorarii Missarum, quod est suspensio improprie dicta.

Dicitur 3. *Ab Officiis divinis*, &c. ex quo patet cessationem a divinis eosdem producere effectus, quos producit interdictum; ejus tamen violatio non inducit irregularitatem, quia non est censura, sed simplex prohibitio in signum mœroris Ecclesiæ ob gravem aliquam sibi, vel honori Dei illatam injuriam, & per modum justæ defensionis. Tamen regulares eam violantes incurrunt ipso facto excommunicationem, *Clem.* 1. *de sent. excomm.*

Quæres 2. *Quid sit depositio?*

*Resp.* Est pœna Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum & sine spe restitutionis privatur omni beneficio & officio Clericali, retento solo privilegio canonis & fori. Vocatur a jure, *degradatio verbalis.*

Quæ-

Quæres 3. *Quid sit degradatio?*

*Resp.* Est pœna ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum & solemniter privatur non solum omni officio & beneficio Ecclesiastico, sed etiam privilegio canonis & fori, retento solo charactere, *cap.* Degradatio, *de pœnis in* 6.

Dicitur *solemniter*; id est capillorum tonsione, ornamentorum Ordini competentium spoliatione, facta a proprio Episcopo, vel ejus Vicario generali, assistentibus ad Sacerdotis degradationem sex personis in dignitate ecclesiastica constitutis; ad Diaconi, vel Subdiaconi degradationem, tribus tantummodo, juxta jus novum Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. *de reform.*

## DISSERTATIO VIII.

### *De Matrimonio.*

*Nota*: Quatuor Capitibus hanc Dissertationem absolvemus.

1. Erit de sponsalibus & proclamationibus Bannorum.
2. De essentia & existentia Matrimonii.
3. De ejus proprietatibus & effectibus.
4. Tandem de ejus impedimentis.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Sponsalibus.*

*Nota.* Nomen *Sponsalia*, tripliciter sumitur:

1. Pro arrhis sponsæ oblatis a sponso in pignus futuri Matrimonii.

2. Pro ipsomet Matrimonio rato, non consummato, vocaturque *Sponsalia de præsenti.* Sic qui jam nupserunt, dicuntur sponsi & sponsæ.

3. Pro contractu Matrimonium præcedente, quo contrahentes mutuo sibi promittunt Matrimonium, & dicitur *Sponsalia de futuro.* De quibus

Quæres 1. *Quid sint Sponsalia?*

*Resp.* Sunt futuri Matrimonii promissio. Unde per simplex propositum quo quis mulieri diceret: *statui te in uxorem ducere*, Sponsalia non contrahuntur.

Quæres 2. *Quænam requirantur conditiones, ut promissio futuri Matrimonii sit legitima?*

*Resp.* Requiritur 1. Ut sit *libera*; id est cum plena advertentia & deliberatione perfecta, ita ut nec ulla deceptio, nec metus gravis injuste incussus intercedat; imo debet esse perfecte spontanea, ut sonat verbum *spondeo:* ideoque licet cæteri contractus ex metu gravi initi, ipso jure naturali sint validi, quatenus simpliciter voluntarii, attamen Sponsalia ex tali metu inita, sunt invalida, quia sequuntur naturam contractus Matrimonii; atqui matrimonium ex gravi metu initum, jure positivo est irritum; ergo & Sponsalia.

2. Ut sit *acceptata*, vana est enim promissio rei non acceptata.

3. Ut sit *mutua*; quia hic contractus est onerosus proindeque reciprocus, a jure (*Lib.* 1. *ff. de Spons.*) *repromissio* dictus: hinc si Titius Matrimonium promittat Berthæ, & hæc promissionem acceptet, sed non repromittat, non sunt Sponsalia.

4. Ut sit *vera*: hinc qui ficte promitteret, non teneretur vi sponsalium contrahere, nulla enim est obligatio, ubi nulla est sese obligandi intentio.

5. Ut sit *signo externo expressa*, alias consensus unius ab alio non posset acceptari.

6. Ut fiat *a personis legitimis*: quales sunt omnes sive puberes, sive impuberes, qui nullo impedimento ad contrahendum suo tempore Matrimonium sunt ligati; promissio enim inter sic ligatos esset de re iniqua & illicita.

Quæres 3. *An parentes pro filiis possint inire Sponsalia?*

*Resp.* Possunt, modo filii Sponsalia a parentibus inita, ratificent si absentes fuerint (*Cap.* 1. *de Sponsal. impuber.*) vel non contradicant si sint præsentes, *cap. unico de despons. impub.*

Quæres 4. *An valida sint Sponsalia conditionata?*

*Resp.* Vel conditio apposita est honesta, vel inhonesta, vel impossibilis.

Si conditio sit honesta, v. gr. *ducam te in uxorem, modo parentes consentiant*: tunc purificata conditione, valida sunt sponsalia, & ea non purificata, evadunt irrita.

Si sit inhonesta; vel contra substantiam Matrimonii pugnat, v. gr. *ducam te in uxorem si pharmacum impediens generationem sumas*, & tunc sunt invalida Sponsalia; vel non pugnat contra substantiam Matrimonii, v. gr. *ducam te in uxorem, modo hunc occidas:* & tunc impleta conditione sponsalia sunt valida, promittensque ipsis stare tenetur; ut patet ex praxi Ecclesiæ, defloratorem compellentis ducere puellam, quam sub Matrimonii promissione defloravit.

Si conditio apposita sit impossibilis, non stant sponsalia, quia sponsus non censetur serio promisisse.

Quæres 5. *Quos effectus producant Sponsalia?*

*Resp.* Producunt duos effectus.

*Primus* est impedimentum publicæ honestatis, quæ ex eis oritur.

*Secundus* est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito, nisi habeat justam causam differendi; ratio est, quia omnis contractus onerosus obligat ex justitia, ideoque sub mortali in re gravi.

Hinc qui culpabiliter resilit a Sponsalibus, perdit arrhas suas, & tenetur restituere arrhas alterius partis, ac impensas si quæ factæ sint, reparare, imo & damna, seu quanti ejus inerat talem contractum impleri, quia in hoc fecit injuriam.

Quæres 6. *An pœna in Sponsalibus primo resilienti apposita obliget in conscientia?*

*Resp.* Vel juste resilit, vel injuste; *si primum*, non obligat, quia nulli nisi propter culpam pœna est imponenda; sed qui juste resilit, non est in culpa; ergo. *Si secundum*, obligat; quia qui injuste resilit, infert alteri injuriam, propter quam mulctari justum & æquum est; imo jus canonicum injuste resilientem etiam per censuras Matrimonium inire compellit, si nullum habeat legitimum impedimentum, ut statuit Alexander III. *capit.* Ex litteris *de Sponsal.*

Quæres 7. *Quot modis dissolvantur Sponsalia?*

*Resp.* Dissolvuntur 1. mutuo ac libero & sponsi & sponsæ consensu; nam quilibet potest cedere juri suo, idque etiam Sponsalia fuerint juramen-

[illegible] firmata, quia in omni juramento promis-[illegible] hæc conditio: *nisi promissa-* [illegible] modo tamen sint puberes; impube-[illegible] pubertatem resilire non possunt, [illegible] jure statutum est, ne ob levitatem, [illegible] contrahant Sponsalia; c. 7. de despon-sat. *impuber.*

2. Per susceptionem sacrorum Ordinum; quia Matrimonii incapacitatem parit. *Cap. unico de voto in* 6.

3. Per ingressum Religionis, saltem quoad partem in sæculo manentem; quia ingrediens Religionem hoc ipso censetur renuntiare sponsalibus; & per professionem Religionis quoad utramque partem; *cap.* Commissum, *de Sponsal.*

*Petes*, an Sponsalia solvantur per votum simplex subsequens, vel castitatis, vel sacrorum Ordinum?

*Resp. negat.* Quia invalide promittitur Deo, quod jam homini promissum est.

*Hinc* qui post sponsalia vovit castitatem, tenetur Matrimonium inire & debitum petenti reddere, sed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus quæ injuriosa non sunt: unde Sponsalibus vel Matrimonio dissolutis, tenetur servare continentiam.

4. Per subsequens Matrimonium cum altero contractum (*Cap.* 1. *de Sponsa duorum*). Ratio est quia res tradita per contractum indissolubilem non potest amplius tradi priori promissario; sed pars quæ sic contraxit, altera rationabiliter invita, peccavit mortaliter contra justitiam violando fidem datam.

5. Per affinitatem accedentem post sponsalia, sive carnalis illa sit, v. gr. si sponsus carnaliter cognovit consanguineam sponsæ suæ in 1. vel 2. gradu (*Cap.* 2. *de eo qui cognovit*), sive spiritualis (*Cap. Veniens de cognat. spirituali*). Ratio est quia tunc res promissa fit illicita & impossibilis.

6. Propter crimen fornicationis post Sponsalia commissum, etiamsi fuerint jurata (*Cap.* 25. *de jurejur.*) quia in Sponsalibus intelligitur hæc conditio: *Nisi contra legem Sponsalium feceris.* Idque in gratiam solius innocentis, qui si resilire nolit, stat Sponsalium vis.

7. Propter quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem Sponsalibus, ob quam consensus datus non censetur secundum prudens judicium extendi ad talem casum, v. gr. si superveniat notabilis difformitas, infirmitas, morbus contagiosus, mutilatio, &c. *Cap.* 23. *de jurejur.* Item si superveniat infamia, graves inimicitiæ inter utramque familiam, vel inter ipsos sponsos ortæ, paupertas, hæresis ob periculum perversionis vel in se vel prole; quia hæc est intentio virtualis spondentium qui non censetur voluisse se obligare ad standum promissis in his casibus, quibus prævisis judicio prudentum promissio facta non fuisset.

Idem dici debet, si quid istorum, vel simile antea latens, detegatur post sponsalia: ut si quæ putabatur legitima, vel nobilis, dives, virgo, &c. talis non sit, quia res sunt mutatæ respectu ignorantis, *Lib.* 5. *Cod. de sponsalibus.*

8. Per diuturnam absentiam unius partis sine consensu alterius, nam censetur juri suo cedere, *Cap.* 5. *de Sponsal.*

9. [illegible] adversus [illegible] sponsalia [illegible], qui ante annos pubertatis ea [illegible]. *Cap.* de illis, *eod. tit.*

Porro in his omnibus Ecclesiæ judicium non est necessario expectandum, si causa dissolutionis sponsalium manifesta sit vel publica; bene vero si sit dubia & occulta; ratio est quia debitus ordo & evitatio scandali id exigunt. *Cap.* 7. *eod. tit.*

Quæres 8. *Quas ob caussas sponsalia Matrimonio præmittantur?*

*Resp.* Præmittuntur 1. Ut Matrimonium maturius contrahatur. 2. Ut sponsi ad gratiam Sacramenti se præparent. 3. Ut diligentior fiat inquisitio morum, vitæ & conditionis compartis. 4. Ne sponsa statim tradita, vilis a marito habeatur.

Quæres 9. *An sit necessaria proclamatio bannorum?*

*Resp.* Est necessaria necessitate præcepti Ecclesiæ in Conciliis Lateran. IV. & Trid. (*Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.*) intimati; non vero est necessaria ad valorem Matrimonii, cum nullo jure ob earum defectum irritetur.

*Dices*: Matrimonium clandestinum est nullum; atqui Matrimonium sine proclamationibus est clandestinum; ergo.

*Resp. dist. maj.* Matrimonium clandestinum ex defectu præsentiæ Parochi & testium, est nullum, *conc.* clandestinum ex defectu proclamationis bannorum, *nego maj.* Itaque qui sine dictis proclamationibus, vel legitima Episcopi dispensatione contrahunt, peccant quidem mortaliter, sicut & Sacerdos assistens, quia violant præceptum Ecclesiæ in re gravi; sed non irritatur Matrimonium.

Quæres 10. *A quibus fieri debeant proclamationes?*

*Resp.* Debent fieri a proprio Parocho utriusque contrahentis; ratio est aperta: cum enim illæ denuntiationis in hunc finem sint institutæ, ut si quod est impedimentum detegatur, ordo postulat ut fiant in Parochia utriusque contrahentis, ex quo haberi potest notitia illius impedimenti.

Proprius autem Parochus ille est, in cujus Parochia contrahentes commorantur a certo quodam spatio temporis; nempe sex mensium pro iis qui in eadem Diœcesi ab una ad aliam Parochiam transmigrant; unius vero anni pro iis qui ab una ad aliam Diœcesim transeunt.

Quæres 11. *Quo in loco, quo tempore, & quoties fieri debeant proclamationes?*

*Resp.* Debent fieri in Ecclesia tribus diebus festivis continuis, non tamen immediatis: nam inter singulas proclamationes, *item* inter ultimam, & ipsam Matrimonii celebrationem, intercedere debet aliquod intervallum, juxta cujusque Diœcesis statuta .... quod si intra duos menses post factas denuntiationes, Matrimonium non contrahatur, iterari debent, quia interea sponsi potuissent contraxisse aliquod impedimentum. *Rit. Rom.*

Quæres 12. *Quinam teneantur revelare impedimentum?*

*Resp.* Qui extra confessionem novit aliquod impedimentum etiam occultum inter nupturientes, tenetur sub mortali illud detegere, tum ex præcepto Ecclesiæ, tum jure naturali quo quis tene-

tur

tur impedire [illegible] proximi, etiamsi occultare se [illegible] promisisset, cum juramentum iniquitatis vinculum esse non possit.

*Dices* 1. Impedimentum occultum ex peccato proveniens, non potest probari; ergo nemo tenetur ad ejus revelationem.

*Resp. nego conseq.* Tum quia revelans ad probationem non tenetur; tum quia unus testis fide dignus sufficit ad impediendum matrimonium. *Cap. 27. de sponsal.* Unde non est inutilis ejus denuntiatio.

*Dices* 2. Infamabitur nupturiens, si denuntietur impedimentum ex peccato contractum; ergo non debet denuntiari.

*Resp. dist. ant.* Infamabitur materialiter, *conc.*, formaliter, *nego ant.* Infamatio *materialis* est revelatio criminis justa. Infamatio *formalis* est revelatio criminis injusta. Hic autem infamatio non est injusta, cum sine ipsa non possit vitari grave malum, nempe nullitas Matrimonii & fornicatio; ergo.

Deinde talis infamia potest declinari facile, cum cognoscens impedimentum debeat ex charitate monere nupturientem, qui potest non contrahere.

Quæres 13. *Quomodo se gerere debeat Parochus cum novit aliquod impedimentum, aut cum fit oppositio futuro Matrimonio?*

*Resp.* Parochum, qui novit impedimentum ex testimonio & oppositione aliorum, non posse ulterius procedere, neque in denuntiationibus perficiendis, neque in celebrando conjugio, donec sublata sit oppositio, & fuerit impetrata dispensatio ab impedimento.

Quæres 14. *Ad quos pertineat facultas dispensandi a publicis denuntiationibus?*

*Resp.* Ad solos Episcopos, quia Conc. Trident. hoc permittit *prudentiæ & judicio Episcoporum.* Porro Episcopus nonnisi gravi de causa debet dispensare a proclamationibus, cum Concilium Tridentinum istam duntaxat expresserit: *Quando probabilis est suspicio Matrimonium malitiose impediendum.* Verum cum rem totam prudentiæ & judicio Episcoporum permittat, alias causas non excludit.

## CAPUT II.

### *De essentia & existentia Matrimonii.*

Quatuor in hoc Capite veniunt exponenda: *Primum*, quid & quale sit Matrimonium. *Secundum*, quæ ejus materia & forma. *Tertium*, quis ejus Minister. *Quartum*, quinam requiratur consensus.

## QUÆSTIO I.

### *Quid & quale est Matrimonium.*

*Nota* 1. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum.

*Legitimum* est illud, quod inter personas a lege non prohibitas contrahitur, quale etiam nunc est inter non baptizatos.

*Ratum* est illud, quod a solis fidelibus contrahitur, estque in ipsis Sacramentum, ratione cujus fit ratum seu indissolubile, ad discrimen Matrimonii ab infidelibus contracti, quod post alterutrius conversionem potest dissolvi.

*Consummatum* est illud, quod accedente copula carnali, extrinsece completur.

*Nota* 2. Matrimonium iterum sumitur vel pro contractu, vel pro vinculo ex tali contractu inducto.

Matrimonium sumptum pro contractu definitur: *Contractus quo vir & femina sibi invicem legitime tradunt & accipiunt corporum suorum dominium perpetuum ad usum conjugalem.* Cui definitioni si addideris has voces: *Elevatus a Christo ad gratiam significandam & conferendam*, habebis definitionem Matrimonii quatenus est Sacramentum.

Dicitur 1. *Contractus*, per quod convenit cum aliis contractibus.

Dicitur 2. *Quo vir & femina:* ut detur subjectum Matrimonii.

Dicitur 3. *Legitime:* idest ut personæ contrahentes a lege non prohibeantur.

Dicitur 4. *Tradunt & accipiunt*: ut exprimatur mutuus consensus.

Dicitur 5. *Dominium perpetuum;* quia non potest solvi partium consensu, sicut solvuntur alii contractus.

Dicitur 6. *Ad usum conjugalem:* idest ad usum juris, ut designetur principium finale Matrimonii.

Additur in lege gratiæ: *Ad gratiam significandam & conferendam elevatus:* quia est verum Sacramentum, &c.

Matrimonium sumptum pro vinculo ex contractu habitualiter permanente, definitur: *Viri ac mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Dicitur 1. *Conjunctio;* idest vinculum quod resultat ex partium consensu.

Dicitur 2. *Maritalis*: ut distinguatur ab aliis conjunctionibus.

Dicitur 3. *Viri ac mulieris:* ut designetur subjectum.

Dicitur 4. *Inter personas legitimas:* idest a lege non prohibitas.

Dicitur 5. *Individuam, &c.* idest perpetuam societatem.

Addi debet in lege gratiæ: *Significativa & collativa gratiæ.*

Quæritur hic 1. Utrum Matrimonium sit Sacramentum novæ legis; 2. Utrum sit licitum & præceptum. Pro quibus solvendis

## CONCLUSIO I.

*Matrimonium est verum, soliusque novæ Legis Sacramentum.*

*Prob.* 1. *pars*: 1. Ex Scriptura Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Nec valet dicere hunc Textum esse intelligendum de signo mere repræsentativo unionis Christi cum Ecclesia. Concilia enim Senonense & Trid. ipsum usurpant ad probandum Matrimonium esse Sacramentum, & quidem jure merito, cum hæc verba: *Sacramentum hoc*, evidenter referantur ad

ad id quod ipsa immediate præcedit, nempe ad inviolatam conjunctionem viri cum muliere, non autem ad unionem Christi cum Ecclesia.

*Prob.* 2. Ex traditione PP. dicentium cum Div. Chrysost. ( *Hom.* 56. *in Genes.* ) " Sacramentum „ sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam „ erga Ecclesiam declaravit „. Et D. Augustino ( *L. de bono conjug. c.* 18. ), *in nostratum quippe nuptiis, plus valet sanctitas Sacramenti, quam fæcunditas uteri* ..... ad hanc traditionem attendens Concil. Trid. definit: " Si quis dixerit matrimonium non esse vere & proprie unum ex „ septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo „ Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit „. Sess. 24. can. 1.

*Prob.* 3. Ratione: ad verum novæ Legis Sacramentum quatuor requiruntur & sufficiunt etiam juxta Novatores, 1. ut sit signum sensibile rei sacræ; 2. ut sit a Christo institutum; 3. ut sit efficax & productivum gratiæ sanctificantis; 4. ut sit constans & perpetuum in Ecclesia; atqui hæc quatuor competunt Matrimonio; ergo, &c.

1. Est signum sensibile, nempe conjunctio maritalis, quæ significat sensibiliter unionem Christi cum Ecclesia.

2. Est a Christo institutum ( *Matth.* 13. *v.* 6. ), non quidem ut est in officium naturæ, cum id habuerit ab initio creationis, sed ut est causa productiva gratiæ.

3. Est efficax & productivum gratiæ sanctificantis; ut constat ex Canone Concil. Trid. supra citato.

4. Est constans & perpetuum in Ecclesia, ut constat ex usu utriusque Ecclesiæ nunquam interrupto. Græci enim semper recensuerunt, & etiam nunc post schisma recensent Matrimonium inter septem Ecclesiæ Sacramenta.

*Prob.* 2. *pars*: Ex Concil. Trid. *sess.* 7. *can.* 1. definiente omnia Sacramenta fuisse a Christo Domino instituta; ergo est Sacramentum solius novæ Legis.

Quod si nonnulli SS. Patres Matrimonium infidelium Sacramenti nomine nobilitent, sensus eorum est quod sit signum mere speculativum rei sacræ, unionis scilicet Christi cum Ecclesia, non vero signum practicum & efficax quod habeat annexam promissionem gratiæ, quam ex opere operato efficiat.

*Objectiones contra primam partem.*

*Objicies* 1. Cælibatus teste Apost. (2. *Cor.* 7. *v.* 18.) melior est Matrimonio; ergo istud non est Sacramentum. *Resp. nego conseq.*

*Probat. conseq.* Illud Sacramentum esse non potest, a quo melius est abstinere; atqui melius est abstinere a Matrimonio.

*Resp. nego min.* Melius est, a Matrimonio abstinere, si concipiatur sub idea carnalis copulæ, *conc. min.* si concipiatur ut res sacra, *nego min.* alioquin B. Virgo quæ semper quod perfectius est amplexa est, B. Josepho non nupsisset.

*Objicies* 2. Idem est Matrimonium in infidelibus ac in fidelibus: atqui in infidelibus non est Sacramentum.

*Resp. dist. maj.* Idem est, &c. sumptum pro contractu civili, *conc.* sumptum pro Sacramento, *nego maj.* in infideli Matrimonium est mere contractus civilis, in fideli est insuper Sacramentum.

*Inst.* 1. Sacramenta novæ Legis operantur quod significant; atqui Matrimonium non operatur quod significat, unionem scilicet Christi cum Ecclesia quam significat; ergo.

*Resp. nego maj.* Quod significant practice, *conc.* quod significant speculative, *nego major.*, & sic distincta min. nego conseq.

Itaque in Matrimonio duplex est significatio, una simpliciter speculativa & objectiva, qua duntaxat repræsentatur unio Christi cum Ecclesia, sive per Incarnationem, sive per charitatem & gratiæ influxum; altera practica, quæ producitur gratia Sacramenti uniens conjuges ad effectus seu fines proprios Matrimonii; porro Matrimoninm ita repræsensat unionem Christi cum Ecclesia, ut simul producat gratiam Sacramento annexam.

*Inst.* 2. Atqui Matrimonium non confert gratiam; nam usus conjugii non confert gratiam; atqui usus conjugii est pars Matrimonii; ergo.

*Resp. nego min.* Usus enim conjugii est quidem officium, sed non est pars aut essentialis, aut integralis Matrimonii; gratia quidem conceditur ad illum usum intra terminos Christianæ modestiæ retinendum; at usus ille gratiam non confert tanquam pars Sacramenti.

*Objicies* 3. Verum Sacramentum non pugnat cum alio Sacramento, cum sint ab eodem auctore; atqui Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis; ergo, &c. *Resp. nego min.*

*Prob. min.* In uno eodemque homine non possunt esse simul utrumque illud Sacramentum; ergo pugnant inter se.

*Resp. nego conseq.* Et dico causam hujus incompatibilitatis non oriri ex aliqua pugna quæ sit inter illa Sacramenta, sed ex statu illorum qui sacris Ordinibus sunt initiati, qui cum se voto obstrinxerint ad servandam continentiam, sunt omnino inhabiles facti jure ecclesiastico ad contrahendum Matrimonium.

*Objicies* 4. Nonnulli ex nostris Theologis, quales sunt Magister, Durandus, &c. negant Matrimonio annexam esse gratiam sanctificantem; ergo non est Sacramentum.

*Resp.* Retorqueo argumentum. S. Cyprianus, Firmilianus & alii Africani censuerunt hæreticos esse rebaptizandos; ergo Baptismus hæreticorum non est verus baptismus, an admittent consequentiam adversarii? Hinc Theologi absque præjudicio rei catholicæ deserunt Magistrum & Durandum, ex quorum judicio non debet æstimari veritas catholici dogmatis, sed ex Traditione, Conciliis, &c.

*Objicies* 5. Quod in Sacramentis habet rationem signi, debet esse a Christo primum institutum; atqui Matrimonium non est tale; ergo.

*Resp. dist. maj.* Debet esse a Christo primum institutum in ratione signi efficacis & practici, seu in ratione veri Sacramenti, *conc.* in ratione signi simpliciter, *nego maj.* quod enim jam erat signum, potuit a Christo assumi ut esset Sacramentum, sicut quod antea signum non erat, assumi potuit ut esset signum.

*Obji-*

*Objicies* 6. In Matrimonio contrahentes de pecunia & dote paciscuntur; atqui non liceret sic pacisci, si Matrimonium esset Sacramentum, alias esset Simonia; ergo.

*Resp. dist. min.* Non liceret sic pacisci, si Matrimonium esset pure Sacramentum, *conc. min.* si insuper sit contractus civilis, *nego min.* Dico itaque, pactum illud non spectare Matrimonium quatenus est Sacramentum, sed quatenus est contractus civilis, atque referri ad onera Matrimonii, non ad gratiam Sacramenti.

*Objectiones contra secundam partem.*

*Objicies cum Maldonato*: probamus Matrimonium in Lege nova esse verum Sacramentum, *ex c.* 5. *Ephes.*, atqui Apostolus eo loci manifeste loquitur de Matrimonio Adami cum Eva; ergo fuit verum Sacramentum.

*Resp. nego min.* Apostolus quidem meminit Matrimonii Adami tanquam præcipuæ figuræ Matrimonii Christianorum, docetque eam per Christum fuisse impletam, atque adeo ex figura explanavit rem significatam, nempe Matrimonium Christianorum, quod solum *magnum est Sacramentum in Christo & in Ecclesia.*

*Inst.* 1. Matrimonio Adami erat annexa gratia, namque Deus illi benedixit; ergo.

*Resp. nego antec. Dist. prob.* Deus illi benedixit, conferendo corporis fœcunditatem, *conc.* eodem enim modo Deus benedixit brutis animantibus, ut observat Div. Augustin.; conferendo animæ sanctitatem, *nego.*

*Inst.* 2. D. Paulus putat naturam Sacramenti Matrimonii in eo præsertim esse positam, ut vir & uxor sint una caro; atqui nullus vir magis fuit una caro cum sua uxore quam Adam, cum cæteri omnes dicantur una caro ad imitationem illius; ergo.

*Resp. dist. maj.* In eo tantum, *nego maj.* in eo simul, & in significatione practica gratiæ sanctificantis, *conc. maj.* hoc autem ultimum ex institutione Christi occurrit duntaxat in Matrimonio Christianorum.

*Inst.* 3. Matrimonium non ob aliam causam est Sacramentum, nisi ob significationem Christi & Ecclesiæ; atqui hæc significatio maxime propria fuit Matrimonio Adami cum Eva; ergo.

*Resp. dist. maj.* Matrimonium non ob aliam causam est Sacramentum improprio, & latiori sensu, *conc.* proprio & stricto sensu, *nego maj.* & sic dist. min. nego conseq. Matrimonium enim Adami non habebat significationem practicam.

## CONCLUSIO II.

*Licitus est usus Matrimonii, & honestus.*

*Prob.* Contra varios hæreticos veteres, nubere prohibentes, & a variis Conciliis damnatos.

1 Ex Apost. dicente. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Hebr. 13. vers. 4.

2. Ex eodem dicente: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro*; & infra addit, eum benefacere *qui Matrimonio jungit virginem suam*; 1. Corint. 7.

3. Accedit ipsiusmet Christi auctoritas, qui Joann. 2. præsentia sua nuptias in Cana Galilææ celebratas probavit, eisque benedixit.

Damnant quidem interdum Patres excessum conjugum in usu Matrimonii: at usum ipsum iis circumscriptum terminis, quos assignat Christiana religio, nunquam improbarunt; unde in ipso statu innocentiæ fuisset usus conjugii.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Res cujus usum non nisi ex indulgentia, seu venia concedit Apostolus, culpa non caret, nec consequenter in se bona videtur: atqui conjugii usum non nisi ex indulgentia concedit Apostolus. *Hoc autem dico*, inquit, *secundum indulgentiam, non secundum imperium*; 1. Cor. 7. Ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Si Apostolus concedat ex indulgentia tanquam malum, *conc.* si concedat ex indulgentia tanquam minus bonum, *nego maj.* atqui conjugii usum non nisi ex indulgentia concedit Apostolus tanquam minus bonum, *conc.* tamquam malum, *nego min.* scilicet ex indulgentia concedit Apostolus usum Matrimonii tanquam minus bonum comparate ad virginitatem, ut unusquisque vitandæ fornicationis causa, suam uxorem habeat, quæ responsio est ad mentem Apostoli. Si enim actus conjugii esset malus, nunquam illum concessisset Apostolus, qui *Rom.* 3. docet non esse facienda mala, ut eveniant bona.

*Inst.* 1. Actus ille, cujus pudet conjuges, non est bonus; atqui actus conjugalis pudet conjuges; ergo.

*Resp. dist. maj.* Cujus pudet conjuges ratione sui, *conc.* propter inordinatos concupiscentiæ motus qui illum semper comitantur, *nego maj.* atqui actus conjugalis pudet conjuges, propter inordinatos concupiscentiæ motus, *conc. min.* ratione sui, *nego min.* In statu enim innocentiæ, in quo inordinati illi concupiscentiæ motus non extitissent, conjuges non erubuissent; illi autem motus non sunt culpa, sed pæna peccati.

*Inst.* 2. Atqui actus Matrimonii est pudendus ratione sui; ergo.

*Prob. subsumpt.* Motus libidinis est peccatum; atqui actum conjugalem semper comitatur motus libidinis; ergo actus conjugalis est peccatum; ergo est pudendus ratione sui.

*Resp. dist. maj.* Motus libidinis voluntarius est peccatum, *conc.* involuntarius, *nego maj.* sed actum conjugalem comitatur motus libidinis involuntarius, *conc.* voluntarius, *subdist.* per accidens, ratione scilicet excessus, *conc. min.* per se, *nego min.* Motus itaque libidinis est peccatum materialiter, quia ad malum inclinat pro ea quæ post peccatum in nobis est infirmitate; non vero est malus formaliter, nisi cum solus eo in actu tanquam finis proponitur.

*Objicies* 2. Apostol. ait (1. *Cor.* 7. *v.* 9.). *Melius est nubere quam uri*; ergo nubere malum est.

*Resp. nego conseq.* Cum D. August. quæ non est recta, concludi enim duntaxat potest: ergo nubere minus bonum est; nempe continentia.

*Inst.* 1. Idem Rom. 8. dicit: *Qui in carne sunt Deo placere non possunt*; at conjuges sunt in carne; ergo.

*Resp.*

*Resp. dist. maj.* Qui in carne sunt, hoc est secundum carnem, & non secundum spiritum vivunt, *conc.* qui legitimo utuntur Matrimonio, *nego.* Unde *nego min.*

*Inst.* 2. 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt; qui cum uxore est, quæ sunt mundi*; ergo Matrimonium distrahit a Deo.

*Resp. dist. conseq.* Distrahit per accidens, *conc.* distrahit per se & ex fine suo, *nego.* Id enim venit ex culpa conjugatorum, qui nimium indulgent illi voluptati aut sollicitudini, Deo relicto, non autem ex fine conjugii, qui sanctus est.

*Inst.* 3. Ibidem Apost. ait: *Bonum est homini mulierem non tangere*; ergo.

*Resp.* Apostolum hoc unum velle, melius scilicet esse servare continentiam, quam nubere.

Quæres 1. *Utrum extet præceptum contrahendi Matrimonii?*

*Resp.* 1. Fuit præceptum initio Mundi, *Gen.* 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Ratio est, quia natura ipsa suggerit conservationi & propagationi generis humani consulendum esse; atqui hoc fieri non potest sine matrimonio; ergo necesse fuit, ut homines, initio mundi, matrimonium contraherent.

*Resp.* 2. Multiplicatis hominibus desiit præceptum nubendi, ut constat ex Scriptura (*Matt.*19.) ubi Christus docet virginitatem esse singulare Dei donum, *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum istud* (scilicet non nubere), *sed quibus datum est.* Ideo in antiqua lege, Josue, Jeremias, Elias, Daniel, cælibatum coluere sine injuria legis divinæ & naturalis; & in lege gratiæ, *sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ait Christus ibidem.

Quæres 2. *Quandonam Matrimonium fuit institutum?*

*Resp.* Si Matrimonium pro contractu sumatur, certum est ipsum fuisse institutum ante peccatum hominis, dum Deus per os Adami dixit: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Si vero sumatur pro Sacramento, nonnulli censent ipsum institutum fuisse, cum nuptias in Cana Galilææ celebratas Christus præsentia sua honestavit, primoque suo miraculo confirmavit; sed

Probabilius dicitur ipsum fuisse institutum, cum Christus, *Matth.* 19. ejus indissolubilitatem sancivit, aut solemniter confirmavit; siquidem suavi ejus providentiæ congruum erat, ut tunc ad hanc legem observatu difficilem observandam, gratiam Sacramentalem promitteret ac conferret.

Quæres 3. *Qua ratione Matrimonium dicatur magnum Sacramentum?*

*Resp.* Magnum dici, non quidem ratione gratiæ ab ipso collatæ, quæ omnium gratiarum sacramentalium est infima; sed ratione triplicis significationis. Significat enim

1. Unionem Dei cum anima, quam Deus ipsemet, fide quæ per charitatem operatur, sibi desponsavit.

2. Unionem Christi cum Ecclesia, quam sibi sanguine suo comparavit.

3. Unionem Verbi divini cum humanitate, quam sibi indissolubiliter assumpsit.

Quæres 4. *Utrum Matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, verum sit Sacramentum?* Affirmat Catharinus respectu fidelis.

*Resp. negative.* Quia Sacramento Matrimonii essentiale est ut sit inter duos; sed non potest esse inter duos, si unus defectu Baptismi, non sit capax Sacramenti; ergo, &c.

*Dices:* Si ex duobus fidelibus simul contrahentibus unus sit in peccato, alter in gratia, iste gratiam Sacramenti vere recipiet: ergo a pari si ex duobus simul contrahentibus unus sit baptizatus, alter non baptizatus, baptizatus recipiet Sacramentum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est inter Sacramentum & effectum Sacramenti; iste dividi potest & de facto dividitur in eo v. g. qui in statu mortali ordinatur, characterem enim recipit, licet gratiam non suscipiat; Sacramentum vero omnino est indivisibile.

*Inst.* Quod contractus valeat ut Sacramentum pro uno & non pro alio conjugum, non dividitur quoad essentiam, sed quoad integritatem materialem; atqui divisio quoad integritatem materialem non invalidat Sacramentum; ergo, &c.

*Resp. nego maj.* Nam de essentia contractus Matrimonii & Sacramenti est, ut sit inter duos & pro duobus; ergo non valet pro uno solo.

Quæres 5. *An inter duos fideles dari possit Matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti?*

*Resp.* Posse, quia de facto contingit in Lutheranis qui cum non agnoscant Matrimonium ut Sacramentum, sed ut pure contractum civilem, nihil aliud intendunt; ergo nec ad aliud valet. Imo si Catholicus ex malitia vel errore non intenderet nisi contractum, non reciperet Sacramentum; quia non esset debita intentio ad Sacramentum.

Quæres 6. *Utrum Matrimonium infidelium, accedente Baptismo, evadat Sacramentum?*

*Resp.* Docent unanimiter Doctores Matrimonium infidelium post Baptismum utriusque partis susceptum, ex legitimo saltem fieri ratum & indissolubile: quia ratione fidei susceptæ magis complete conjunctionem Christi cum Ecclesia indissolubilem significat; sed

Utrum ex hoc evadat Sacramentum, non conveniunt Theologi.

Probabilior & communior sententia est, Matrimonium inter non baptizatos initum, in Sacramentum transire post susceptum Baptismum, modo coram Parocho & testibus ipsum ratificent, habeantque intentionem saltem implicitam faciendi quod facit Ecclesia; ratio est quia in hac Matrimonii ratificatione nihil deest ad rationem Sacramenti; adsunt enim materia, forma, Minister, & intentio.

*Dices:* Deest corporum traditio; quia nullus dare potest id quod jam dedit, cum non sit amplius in sua potestate.

*Resp. nego ant.* Probationem *dist.* Nullus dare potest absolute & simpliciter quod jam dedit, *conc.* secundum quid, *nego*; nam 1. Quod quis jam dedit iterum dare potest de consensu possidentis. 2. Dum quis donationem absolute revocare potest, eam confirmat, virtualiter iterum dat, 3. Dum id donat sub alia ratione & ad alium effectum; quæ omnia hic locum habent.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

*De materia, & forma Matrimonii.*

*Nota:* Cum Concilium Florent. materiam & formam Matrimonii non assignaverit, sicut assignavit aliorum Sacramentorum, in eis assignandis Doctores in varias abiere sententias, salva semper & integra Sacramenti hujus veritate; quam verisimiliorem existimamus, sequemur; igitur.

## CONCLUSIO.

*Materia remota, seu circa quam, Sacramenti Matrimonii, sunt contrahentium corpora; proxima, seu ex qua, est corporum ad actum conjugalem traditio; forma vero est mutuus contrahentium consensus verbis aut nutibus expressus.*

*Prob.* 1. *pars*: siquidem eadem est materia remota Sacramenti, quæ contractus matrimonialis, circa quem Christus nihil immutavit, nisi quod ad rationem Sacramenti eum elevaverit; atqui materia remota contractus matrimonialis sunt contrahentium corpora: ergo & Sacramenti.

*Prob.* 2. *pars*: Quia in omnibus Sacramentis materia proxima est materiæ remotæ applicatio: atqui in Sacramento Matrimonii nulla alia excogitari potest materiæ applicatio quam corporum traditio; ergo, &c.

*Prob.* 3. *pars*: Id enim forma debet dici quod materiam determinat ad esse tale Sacramentum: atqui consensus verbis aut nutibus expressus corporum traditionem determinat ad esse firmum & ratum contractum, cum ex hac mutua acceptatione prodeat omnis hujus contractus obligatio; ergo consensus verbis aut nutibus expressus est forma Sacramenti Matrimonii.

*Dices:* Consensus est causa Matrimonii; ergo non est ejus forma.

*Resp. nego conseq.* Quia licet in rebus physicis causa efficiens ab ipsa re causata distinguatur, hæc tamen in moralibus non distinguitur, ut patet in Sacramento Pœnitentiæ, ubi absolutio est forma simul & causa efficiens Sacramenti.

*Inst.* Consensus non determinat traditionem ad esse talem contractum; ergo non est forma.

*Prob. ant.* Traditio supponit contractum jam completum; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Traditio physica supponit contractum jam completum, *conc.* Traditio moralis, *nego ant.* nam ante Matrimonii consummationem corpora fuere moraliter tradita & acceptata.

Amplior hujus quæstionis resolutio pendet ex sequenti, unde.

## QUÆSTIO III.

*De ministro Sacramenti Matrimonii.*

## CONCLUSIO.

*Minister Sacramenti Matrimonii non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes.* Est communis contra Melchiorem Canum & quosdam recentiores.

*Prob.* 1. Ex Concilio Florentino dicente: " Septimum est Sacramentum Matrimonii ... causa „ efficiens Matrimonii regularitater est mutuus „ consensus per verba de præsenti expressus „. Unde sic argumentor.

Illi soli sunt Ministri Matrimonii, qui conficiunt Matrimonium; atqui soli contrahentes conficiunt Matrimonium per suum mutuum consensum; ergo, &c.

*Prob.* Ex Conc. Trid. (*Sess.* 24. *cap.* 1.) definiente: " clandestina Matrimonia libero contra„ hentium consensu facta, rata & vera esse Ma„ trimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fe„ cit „. Atqui in his Matrimoniis non aderat Sacerdos, sed soli duo sponsi; ergo Sacerdos non est Minister Matrimonii, sed soli sponsi; nam Sacramentum non potest sine Ministro confici.

*Nec dicas*, Concilia loqui de Matrimonio ut contractu, non ut Sacramento; nam loquuntur de Matrimonio rato; non autem est ratum nisi quatenus est Sacramentum, ut definit Innoc. III. dicens (*Cap. Quanta, de divortiis*): " Etsi Matri„ monium verum inter infideles existat, non ta„ men est ratum: inter fideles autem verum & „ ratum existit „. Ergo Concilia prædicta loquuntur de Matrimonio prout est Sacramentum.

*Prob.* 3. Christus per institutionem Matrimonii in Sacramentum, nihil immutavit de ratione contractus, & ipsum Sacramentum est essentialiter contractus; sed in omni contractu contrahentes sunt Ministri; ergo & hujus Sacramenti.

*Confirmatur*, quia certum est apud omnes quandoque ad validitatem Sacramenti sufficere præsentiam Parochi, etiam dissentientis & contradicentis, quod utique falsum esset, si hujus Minister Parochus esset, cum ad valorem Sacramenti necessario prærequiratur Ministri intentio.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ille verus dici debet Minister Sacramenti Matrimonii, qui contrahentes vere conjungit in Matrimonium, atqui Sacerdos vere conjungit contrahentes in Matrimonium; ergo.

*Prob. min.* Ex conc. Trid. sess. 24. cap. 1. *Sacerdos dicat*, inquit, *ego vos in Matrimonium conjungo*; ergo vere conjungit contrahentes in Matrimonium.

*Resp. dist. conseq.* Conjungit approbative, ita ut sensus sit, conjunctionem vestram approbo, *conc.* efficienter, *nego*. Certum est enim quod aliis verbis uti posset ad suam approbationem manifestandam; addit enim Concilium: *vel aliis utatur verbis.* Quæ verba exponentes Cardinales Concilii Tridentini interpretes dicunt: " Etsi Parochus „ nihil dicat, constat tamen Matrimonium, mo„ do partes contrahant & Parochus sit præsens, „ & intelligat id quod agitur, licet dissentiat & „ contradicat „.

*Instab.* 1. Eodem sensu & modo Sacerdos dicit *Ego vos conjungo*, quo dicit, *Ego te baptizo*: atqui per hæc verba, *Ego te baptizo*, baptizat efficienter; ergo per illa, *Ego vos conjungo*, conjungit efficienter.

*Respond. nego major.* Disparitas sumitur ex Tridentino docente Matrimonia olim valuisse sine illis

illis verbis non autem baptismum, ex quo sequitur illa verba esse meram benedictionem, non vero formam Sacramenti.

*Inst.* 2. Illa benedictio est essentialis; ergo est forma.

*Prob. ant.* Ex Evaristo Papa dicente (*Cap. Aliter*, 30. *q.* 5.) " Connubia sine Sacerdotali benedictione contracta seu præsumpta, non conjugia esse sed adulteria ". Ergo benedictio est essentialis.

*Respond.* 1. Illud ab adversariis esse solvendum, cum non negant conjugia sine prædicta benedictione esse vera conjugia, sed tantum non esse Sacramenta.

*Resp.* 2. *nego conseq.* Evaristus enim loquitur secundum præsumptionem fori externi non reputantis Matrimonium illud verum esse quod non potest probari; alias repugnaret Conc. Trid. asserenti Matrimonia clandestina rata & vera fuisse Matrimonia.

*Inst.* 3. Parochus per hæc verba, *Ego vos conjungo*, Matrimonium sanctificare dicitur a Patribus (*Ita D. Amb. Ep.* 7.): ergo ipsum efficit Sacramentum.

*Resp. dist. ant.* Dicitur sanctificare sanctificatione accidentali quæ habetur per benedictionem Sacerdotis & preces ei adjunctas, *conc.* sanctificatione sacramentali quæ habetur ex opere operato, *nego ant. & conseq.*

*Objicies* 2. Omnium Sacramentorum Ministri personam gerunt Christi in eis conferendis; atqui contrahentes personam Christi non gerunt, alioquin Christus contraheret: ergo non sunt Ministri.

*Resp. dist. min.* Contrahentes personam Christi non gerunt, quatenus corpora sua sibi mutuo tradunt & acceptant, *conc. min.* quatenus per illam traditionem & acceptationem, gratiam ex institutione Christi sibi conferunt, *nego min.* Christus enim non instituit contractum, sed eum jam constitutum elevavit ad rationem Sacramenti, in quo solo contrahentes gerunt personam Christi.

*Inst.* In aliis Sacramentis quæ in usu consistunt, semper Minister diversus est a suscipiente; ergo & in Matrimonio.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod hoc Sacramentum consistat in ipso conjugum contractu a Christo ad esse Sacramentalem elevato; iidem autem necessario sunt qui contrahunt & obligantur, quod non contingit in aliis Sacramentis.

*Objicies* 3. In Ministro necessaria est intentio faciendi Sacramentum; atqui idiotæ contrahentes non intendunt facere Sacramentum: ergo non sunt Ministri.

*Resp. dist. maj.* In Ministro necessaria est intentio faciendi Sacramentum implicita, *conc.* explicita, *nego maj.* Sufficit enim ut generatim intendant contrahere Matrimonium eo modo quo in Ecclesia Christi contrahitur; hoc enim ipso censentur implicite intendere hoc Sacramentum.

*Objicies* 4. Concilium Mediolanense V. ait: " Cum Sacramenta quinque tantum, scilicet Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Matrimonium & Extremam Unctionem Parochus administrare possit "; Ergo Parochus est Minister.

*Resp. dist. conseq.* Est Minister impropriè, sicut Diaconus & alii assistentes consecranti dicuntur Ministri, *conc.* proprie, *nego conseq.* Igitur ministerium Sacerdotis in Matrimonio importat puram solemnitatem ejus in facie Ecclesiæ, quæ ex Decreto Tridentini est conditio necessaria, ut valeat Sacramentum.

*Inst.* Atqui Parochus est Minister proprie & stricte, ait enim Sacerdotale Romanum: *Sacerdos proferat verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque.*

*Resp. dist. textum.* Verba Sacerdotis sunt forma hujus Sacramenti integraliter sumpti, *conc.* essentialiter sumpti, *nego.* Forma igitur Sacramenti Matrimonii integraliter sumpti constat tum ex utriusque contrahentis consensu ejus essentiam constituente, tum ex Sacerdotis verbis ad ejus solemnitatem pertinentibus.

Quæres: *An validum sit Matrimonium inter absentes celebratum?*

*Nota*: Concedunt omnes Theologi Matrimonium inter absentes celebratum, esse validum in ratione contractus, ad quem non est necesse ut partes contrahentes, sint præsentes, modo Procuratores habeant authenticum mandatum & non excedant; sed utrum valeat in ratione Sacramenti, discordia est inter Theologos, quæ ut dirimatur,

*Resp. Matrimonium inter absentes Christianos ritu legitimo per Procuratorem celebratum, verum est Sacramentum.*

*Prob.* Quia in tali Matrimonio adsunt omnia requisita ad Sacramentum, scilicet materia, forma & Ministri; adest materia, nempe contrahentium corpora quæ adsunt moraliter; adest forma, nempe consensus vel per procuratorem, vel per literas, vel per nuntium expressus; adest intentio Ministri, idest contrahentium, qui vel procuratorem, vel nuntium vel literas ad hunc finem transmiserunt; ergo est verum Sacramentum.

*Confirm.* Quia Ecclesia in his Matrimoniis judicat; ergo non sunt intra terminos puri contractus civilis, sed habent aliquid sacri & divini.

*Objicies* 1. Alia Sacramenta non dantur absentibus per procuratores, ergo nec Matrimonium.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod validitas Sacramenti Matrimonii fundetur in validitate contractus, ad quam non requiritur præsentia personalis contrahentium, modo constet de consensu, non ita est de aliis.

*Inst.* 1. Non valet confessio, nec absolutio absentium, ergo nec Matrimonium; eadem est enim ratio in utroque.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est, quia confessio & absolutio sacramentales exigunt dispositiones pœnitentis quæ debent esse præsentes Sacerdoti cum absolvit, scilicet verecundia, contritio, propositum in corde, &c. In Matrimonio autem solum requiritur consensus realis, de quo sufficienter constat per procuratorem cum mandato speciali.

*Inst.* 2. Matrimonium per procuratorem initum iteratur in Ecclesia; ergo non est Sacramentum.

*Resp. nego ant.* Nam tantum confirmatur a præsentibus, & celebrantur cæremoniæ accidentales omissæ.

*Objicies* 2. Si valeret Sacramentum pro absente, aliquis dormiens posset recipere gratiam, vel perpetrare sacrilegium, si nempe in peccato morta-

li esset dum per procuratorem Matrimonium contraheret; atqui hæc sunt absurda.

*Resp. nego min.* Ad *primum*, nullum est inconveniens, cum gratia Sacramenti Pœnitentiæ a delirante antea attrito & confesso possit percipi. Nec ad *secundum*, tunc enim tantummodo peccatum perpetraret, dum somno se dando prævideret tempore somni celebrandum fore Matrimonium.

*Inst.* Non datur actio in distans; ergo Sacramentum datum in uno loco non potest operari gratiam, nec vinculum conjugale, in altero loco.

*Resp. dist. ant.* Non datur actio in distans agentis physice, *conc.* agentis moraliter, *nego ant.* Sacramentum autem Matrimonii operatur actione morali, & ideo absentes afficit.

## QUÆSTIO IV.

*De consensu ad Matrimonium requisito.*

*Nota* 1. Concedunt omnes Theologi mutuum contrahentium consensum ita ad Matrimonii contractum necessarium esse, ut de potentia Dei etiam absoluta nullus absque eo esse possit, cum id manifestam involvat contradictionem; sequeretur enim contractum fieri & non fieri.

Dixi: *Ad contractum Matrimonii*: nam si matrimonium sumatur prout est vinculum, certum est quod Deus conjuges etiam invitos ligare possit, cum potestatem in eorum corpora longe majorem habeat quam ipsimet conjuges; hanc autem potestatem non concessit Ecclesiæ, licet potuerit.

*Nota* 2. Circa matrimonialem consensum duo nobis examinanda occurrunt, nempe objectum ejus, & conditiones necessario ad eum requisitas.

*Nota* 3. Circa objectum consensus conveniunt omnes, consensum in mutuam & irrevocabilem in corpora potestatem omnino ad valorem Matrimonii requisitum esse, cum is ad materiam Matrimonii substantialem spectet, nec ullum absque materia possit esse Sacramentum; sed circa hujus posestatis usum, seu circa mutuam copulam, grave dubium exoritur, ad quod solvendum

## CONCLUSIO I.

*Ad valorem Matrimonii non requiritur consensus in copulam, id est non requiritur ut intendatur copula carnalis.*

*Prob.* 1. Ex Matrimonio inter B. Virginem & B. Josephum celebrato, quod verum erat Matrimonium, ut constat ex Evangelio sæpius Mariam Josephi conjugem & Josephum Mariæ virum vocante; atqui neuter in copulam consensit; immo se per votum obligarunt ad abstinendum ab ea; ergo ad valorem Matrimonii, &c.

*Prob.* 2. Quia, quod Matrimonio non est essentiale, ab ipso separari potest, salva ejus substantia; atqui copula carnalis non est essentialis Matrimonio; ergo, &c.

*Prob. min.* Quod est posterius Matrimonio, non est essentiale Matrimonio; atqui copula carnalis est quid posterius Matrimonio, cum Matrimonium consistat essentialiter in mutua traditione & acceptatione corporum; ergo, &c. Hinc, eo ipso perficitur contractus Matrimonii, qui conjuges sibi mutuo tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodum ea nunquam usuri sunt.

*Objicies* 1. Jus mutuum petendi & obligatio reddendi debitum, sunt de essentia Matrimonii; sed sine formali intentione copulæ neutrum subsistit; ergo hæc intentio est necessaria.

*Resp. dist. maj.* Jus & obligatio, radicalis & remota, *conc.* jus & obligatio, proxima & actualis, *nego maj.* similiter distincta minore, *nego conseq.* Nam jus illud & obligatio illa proxima non est de essentia Matrimonii, sed solum jus radicale & obligatio in actu primo, quale possunt habere sponsi etiam voto castitatis obstricti, cujus juris virtute, licite copulam exercere possent absque novo Matrimonio, si a voto dispensarentur.

*Objicies* 2. Essentiale est Matrimonio ut ad generationem ordinetur; atqui Matrimonium ubi excluditur copula, ad generationem non ordinatur; ergo non est verum Matrimonium.

*Resp. dist. maj.* Essentiale est Matrimonio ut ordinetur ad generationem radicaliter, remote, & implicite, *conc.* actualiter, proxime & explicite, *nego maj.*

Itaque sicut Sacerdotes per ordinationem suam, veram potestatem accipiunt absolvendi a peccatis, licet ipsam defectu subditorum exercere non valeant; ita sponsi voto castitatis obstricti veram potestatem habent ad generationem ordinatam, licet propter votum emissum hæc potestas non sit libera, expedita & proxima: quod sane non impedit quominus verum inter ipsos adsit Matrimonium, sicut vera est simplicium Sacerdotum ordinatio ad peccatores absolvendos.

*Inst.* Matrimonium copulam excludens, bono prolis adversatur; atqui nullum est Matrimonium celebratum sub conditione bono prolis adversante; ergo Matrimonium excludens copulam nullum est.

*Resp. dist. maj.* Bono prolis adversatur negative, quatenus scilicet ad prolem generandam nihil confert, *conc.* adversatur positive, quatenus prolem generatam, aut ex copula exercitata generandam impedit, *nego maj.* & sic ad minorem; si enim nullum esset Matrimonium ubi nulla speratur proles, Matrimonium senum decrepitorum qui copulam exercere non valent, invalidum esset; item dissolveretur Matrimonium dum sponsi ex mutuo consensu continentiam servare statuerent, quæ falsa sunt omnino.

## CONCLUSIO II.

*Ad consensum Matrimonialem necessario requiruntur quinque conditiones.*

1. *Debet esse verus*, *internus*, & *mutuus*, prout exigit natura contractus onerosi, ut dictum est de sponsalibus.

Hinc si consensus sit ex alterutra parte fictus, nullum est Matrimonium (*Cap.* 26. *de sponsalibus*); qui tamen ficte consensit, peccavit graviter, tum contra reverentiam Sacramenti, falso ejus signa adhibendo; tum contra justitiam, quia violavit æqualitatem quæ essentialis est contractui oneroso: unde tenetur injuriam resarcire tollendo deceptionem per veram contractus celebrationem.

Quod si quis post Matrimonium ficte celebratum aliud vere contraxerit, tunc ex definitione

Inn. III.

Inn. III. (*Cap. Inquisitioni, de sentent. excomm.*) teneretur potius excommunicationem sustinere, quam ad primam uxorem accedere, cui tamen pecuniariam compensationem deberet.

2. *Debet esse signo aliquo externo expressus*, alias non posset utrique parti innotescere, nec ab illis acceptari.

3. *Debet esse de præsenti*, per quod sponsalia differunt a Matrimonio, quod cum sit Sacramentum, vere tunc efficit quod significat, nempe actualem in corpora mutuam potestatem.

4. *Consensus utriusque debet esse simul moraliter*, ita ut unius partis consensus non sit revocatus dum exprimitur consensus alterius, alioquin non esset mutuus duorum in idem consensus.

5. *Debet esse omnino liber*; id est debet esse immunis a metu gravi, injuste a causa libera ad hoc incusso.

Dixi 1. *A metu gravi*; id est a metu cadente in constantem virum, attentis circumstantiis conditionis, sexus, qualitatis, &c. personæ contrahentis. *Cap. 6. de sponsal.*

Dixi 2. *A causa libera*: quia si causa necessaria oriretur, v. gr. a tempestate, bello, &c. Matrimonium minime irritaret; tunc enim metus censeretur sponte susceptus a metum passo.

Dixi 3. *Injuste*; nam si metus sit juste incussus ab homine, valet Matrimonium, *ibid. cap.* 10, quia nulla intervenit injuria; sic quandoque Judex ecclesiasticus aut civilis, stupratorem virginis sub pœna aut mortis aut excommunicationis cogit ut stupratam ducat in matrimonium; quod, non obstante hoc metu, est validum, quia tunc censetur potius a suo delicto cogi; quam ab alio.

Dixi 4. *Ad hoc incusso*: Id est ad extorquendum consensum matrimonialem: nam si metus injuste incutiatur ob alium finem, valet matrimonium; ideo qui a latrone deprehensus duceret ejus filiam, ne interficeretur, valeret matrimonium; quia ille metus non est per se ac directe causa matrimonii, sed tantum occasio: nam ille sponte eligit tale medium evadendi periculum,

Quæres 1. *Quid fuerit, si Matrimonium supradicto metu initum, fuisset juramento firmatum?*

*Resp.* Nihilominus foro invalidum; tum quia juramentum natura contractus cui conjungitur, sequitur.

Quæres 2. *An ad Matrimonium sufficiat consensus conditionatus?*

*Resp. cum dist.* Vel conditio apposita est honesta, vel inhonesta, vel impossibilis.

1. *Si conditio sit honesta*, vel est de præsenti aut præterito subsistente, v. gr. *contraho tecum, si nobilis es: si tale crimen non admisisti.* Vel est de futuro contingenti, v. gr. *contraho tecum, si patruus tuus te suum hæredem constituerit .... si primum*, validum quidem est Matrimonium si conditio extet, sed conjuges eo uti non possunt, nisi prius probe sciant purificatam esse conditionem .... *si secundum*, non perficitur Matrimonium donec impleatur conditio, ut definivit Urban. III. (*Cap. 5. de conditionibus*) quia voluntas non vult tradere nisi posita conditione, cujus eventum contrahentes teneantur non impedire.

2. *Si conditio sit inhonesta*, vel pugnat contra substantiam Matrimonii, nempe contra fidem, prolem & indissolubilitatem, in quibus consistit substantia Matrimonii, vel non pugnat contra substantiam Matrimonii .... *Si primum*, invalidum est Matrimonium, quia nihil potest sine sua substantia subsistere; *Si secundum*, invalidum est Matrimonium: v. gr. si quis dicat: *contraho tecum ea conditione ut victum furto quæras.*

3. Si conditio sit impossibilis: v. gr. *contraho tecum, si solem stare feceris*: Matrimonium est omnino validum; ratio est quia sicut supponitur promissionem sub conditione impossibili factam, non serio factam fuisse, ita supponitur conditionem impossibilem Matrimonio adjunctam, ipsi non serio adjunctam fuisse: non enim verosimile videtur hominem rationis compotem contractui de præsenti inito, stultam conditionem addidisse, & Sacramento illudere voluisse.

Confirmatur tota responsio *ex cap. ult. de conditionibus*, quod sic habet: „ Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta si alter dicat alteri, contraho tecum si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam ditiorem; aut si pro quæstu ad adulterandum tradas; matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi „.

Quæres 3. *An ad valorem Matrimonii requiratur consensus parentum?*

*Resp. negat.* Ex Concil. Trid. *sess. 24. cap.* 1. ubi *eos anathemate damnat qui falso affirmant, Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Ratio est quia omnis homo sufficienti ratione ac legitima ætate præditus plenum atque integrum habet dominium in corpus suum independenter a parentibus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Voluntas filiorum jure naturali in voluntate parentum continetur; ergo.

*Resp. dist. ant.* Continetur antequam filii tempus perfecti judicii attigerint, *conc. ant.* cum attigerint, *subdist.* In his quæ spectant bonorum paternorum usum, curam ac disciplinam domesticam, *conc.* In iis quæ spectant proprium suum ac personalem statum, qualis est status Religionis vel matrimonii, *nego.*

*Objicies* 2. Antiquæ leges Romanæ consensum parentum ad valorem Matrimonii filiorum familias requiruntur; ergo.

*Resp. nego conseq.* Ratio est quod tales leges a jure canonico sint emendatæ. *Cap.* cum apud, *de sponsal.*

*Inst.* Multi Summi Pontifices Matrimonia absque parentum consensu celebrata, vocant adulteria, stupra, fornicationes; ergo.

*Resp. nego conseq.* Sic enim appellantur non propter invaliditatem, sed propter illicitum.

*Objicies* 3. Juribus regni Galliæ Matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur irrita, ut constat ex edictis Henrici III. in comitiis Blesensibus art. 40. & 41. Henrici IV. anno 1606. Lu-

Ludovici VIII. ann. 1029. Ludovici XIV. ann. 1697. Ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Declarantur irrita quoad effectus civiles, *conc.* quoad effectus sacramentales, *nego ant.* nam in ipsos non habet jus potestas civilis.

In edicto Blesensi ista clausula *invalide contractum*, ut attente legenti patebit, spectat duntaxat Matrimonium aut clam, aut in raptu contractum, quæ duo sunt impedimenta dirimentia lege tum ecclesiastica, tum civili. Dicta vero clausula, *invalide contractum*, non cadit præcise aut in defectum proclamationis bannorum, aut in defectum consensus parentum, nisi saltem tamquam in signum certum conjugii clandestini aut in raptu contracti, adeoque nullitatem repetit vel ex clandestinitate, vel ex raptu saltem seductionis.

Hunc esse sensum edicti Blesensis declarat Henricus IV. qui hanc ejus clausulam: *invalide contractum:* intelligit & interpretatur de Matrimoniis clandestinis *quæ coram Ecclesia cum forma & solemnitate requisita, celebrata non fuerint, quandoquidem pœna hæc per Concilia indicta est ac decreta.* At certum est pœnam nullitatis non decerni a Conciliis, maxime a Tridentino in Matrimonia, quibus tantum deest consensus paternus, sed in ea quæ vel clam, vel in raptu celebrantur; ergo neque Blesense, neque Henrici IV. edictum hanc pœnam decernit propter solum defectum consensus parentum, sed propterea quod Matrimonium non sit coram Ecclesia, ut oportet, celebratum.

Ludovicus XIII. in art. 39. edicti quod emisit circa Matrimonia, sic jubet: " Statutum Blesense ,, de Matrimoniis clandestinis adamussim servabitur, & illi addendo volumus omnia Matrimonia valide contradicti statuti tenorem contracta, ,, declarari incontracta: obligabunturque judices ,, Ecclesiastici causas matrimoniales huic articulo ,, dijudicare ,,.

Fateor clausulam edicti regii maximam Theologis creasse difficultatem, quæ ut solveretur, Clerus Gallicanus ann. 1629. in comitiis generalibus Parisiis congregatus suppliciter Regem rogavit ut edictum suum vellet interpretari, " ad ,, duarum difficultatum elucidationem. Prima est, ,, ut non aliter intelligantur hæ voces, valide aut ,, invalide contractum Matrimonium, quam propter relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. ,, 2. Ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundum hujus edicti, simulque Blesensis articulos, sed juxta sacros Canones & ,, Ecclesiastica decreta, quæ sunt unica regula & ,, norma judicii Ecclesiasticorum ,,.

Ad hanc Cleri Gallicani postulationem sic respondit Rex Christianissimus: " Commonitio Cleri ,, Gallicani quod spectat ad priorem difficultatem, ,, sic resoluta fuit. Valide aut invalide contracta ,, Matrimonia non esse aliter explicanda, quam ,, per solam relationem ad contractum civilem per ,, Laicos judices; altera pariter difficultas justa, ,, & rationi congrua visa est ,,. Hæc porro decretoria explicatio difficultatem omnem & verborum ambiguitatem tollit.

Denique Ludovicus XIV. in suis edictis verba ista *valide* aut *invalide* nusquam usurpavit, ne rursus daret locum expositioni, quam Clerus Gallicanus postulaverat occasione edicti Ludovici XIII.

*Inst.* 1. Matrimonium quod Gasto Dux Aurelianensis ac frater Ludovici XIII. contraxit invito Rege cum Margarita Lotharingiæ sorore Serenissimi Ducis Caroli IV. nullum declaratum fuit a supremo Senatu Parisiensi, & a Clero Gallicano, multisque Facultatis Parisiensis, qui consulti fuerant, Theologis; atqui non alia de causa nullum fuit declaratum quam quod Regis consensus non accessisset; ergo, &c.

*Respondent* Theologi Galli hanc esse Regum suorum prærogativam singularem, ipsa Ecclesia probante, ut sine eorum consensu non valeant Matrimonia filiorum suorum, & aliorum regii sanguinis Principum, eorum præsertim qui jure nativitatis ad solium proxime vocantur; ut patet ex hoc Cleri Gallicani circa præsens negotium responsione: " Attenta consuetudine Gallicani Imperii antiqua legitime præscripta & Ecclesia- ,, stica auctoritate munita dictum Matrimonium ,, nullum esse & invalidum ,,. Ex qua responsione patet illud impedimentum firmari auctoritate Ecclesiæ. Huic judicio acquievit Princeps Gasto, qui tandem, Rege consentiente, cum eadem Principissa contraxit in Castro Meudonis; verum facta hujusmodi in exemplum non debent trahi pro ceteris ex vulgo hominibus.

Citantur & alia Matrimonia, nempe Matrimonium Judith filiæ Caroli Calvi cum Balduino Comite; & Francisci Momorantii cum Domina de Pienne; verum Matrimonium Judith laboravit impedimento raptus, ut declaravit ipse Rex in suis capitularibus, *tit.* 55. Et Matrimonium Momorantii laboravit vitio clandestinitatis, ut constat ex tota Historia.

*Inst.* 2. Cum Matrimonium declaratur invalidum quoad temporales effectus & civilem ipsum contractum, consequenter nullum est quoad rationem Sacramenti. Namque contractus civilis est materia & quasi fundamentum Sacramenti; atqui sublata materia Sacramenti tollitur Sacramentum: ergo, &c.

*Resp. nego ant.* Ad probationem, *nego maj.* quia cum nullus est contractus civilis quatenus civilis est, hoc est quatenus subjacet politicis legibus, remanet mutuus contrahentium consensus, seu humanus contractus qui sufficiens est Sacramenti materia, quando nulla obstat lex Ecclesiæ quæ sola auctoritatem suam in res spirituales, qualia sunt Sacramenta, potest exercere.

Quæres 4. *An filii familias absque parentum aut Tutorum consensu nubentes peccent graviter?*

*Resp. affirm.* Cum Concilio Trident. citato, ubi postquam declaravit illa Matrimonia non esse irrita, addit: " Nihilominus sancta Dei Ecclesia ,, ex justissimis causis illa Matrimonia semper ,, detestata est, atque prohibuit ,,. Atqui Ecclesia nonnisi grave peccatum detestatur; ergo, &c.

Ratio est, quia peccatum contra præceptum divinum honorandi parentes, in materia gravi, est grave peccatum; atqui Filii familias absque parentum consensu nubentes peccant contra præceptum divinum honorandi parentes, in materia gravi; ergo.

*Nota* 1. Apud Gallos Regum edictis cautum est, ne mares ante trigesimum & feminæ ante vigesimum quintum annum insciis, aut non consentientibus parentibus Matrimonium contrahant; quod si parentes adhuc post hanc ætatem renuant, possunt filii familias nubere, requisito per scriptum, licet non obtento, parentum consensu, ut declaravit Henricus II. edicto anno 1556.

*Nota* 2. Parentes filios suos ad aliquod Matrimonium ineundum cogentes, ipso facto excommunicantur a Trid. *Sess.* 24. *cap.* 9.

## CAPUT III.

### *De Matrimonii bonis & proprietatibus.*

Quæres 1. *Quot sint bona Matrimonii?*

*Resp.* Sunt tria, assignata a Concil. Florent. in decreto; scilicet, proles, fides, & Sacramentum.

Per *prolem* intelligitur prolis susceptio, & educatio ad cultum Dei.

Per *fidem* intelligitur unitas & indissolubilitas Matrimonii.

Per *Sacramentum* intelliguntur tum gratiæ sanctificantis augmentum, tum gratia sacramentalis, quæ definitur, *auxilium speciale ad onera Matrimonii facilius sustinenda, illoque debite utendum.*

Quæres 2. *Quot sint proprietates Matrimonii?*

*Resp.* Sunt tres, quarum

*Prima* est *unitas*, secundum quam vir plures uxores, & uxor plures viros habere non possunt.

*Secunda* est *indissolubilitas*, quia conjux ab altero conjuge vivente separari nequit.

*Tertia* est *castitas*, qua usus Matrimonii sanctificatur: de quibus triplici quæstione.

## QUÆSTIO I.

### *De unitate Matrimonii.*

*Nota:* Unitati Matrimonii opponitur *poligamia*, seu uxorum pluralitas; hæc autem vel est successiva, & dicitur *bigamia:* vel simultanea, & hæc rigidior poligamia est.

*Bigamia*, est ulterius connubium, nempe secundum, tertium, quartum post compartis mortem.

*Poligamia*, est connubium unius viri cum pluribus simul uxoribus, aut unius uxoris cum pluribus simul viris.

### §. I. *De Bigamia, seu Poligamia successiva.*

## CONCLUSIO.

*Ecclesia secundas & ulteriores nuptias generatim nec persuasit unquam, nec ex voto probavit, a quibus exoptasset ut abstinerent fideles; nunquam tamen eas pro noxiis ac per se illicitis habuit.* Est de fide contra Montanistas & Novatianos secundas nuptias damnantes, ut illicitas ac per se malas.

*Prob.* Tota prop. ex 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi* ( Matrimonii ) *quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat: tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Ad quæ verba attendens Concilium Flor. ait: *Declaramus non solum secundas, sed tertias & quartas atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licite contrahi posse &c.*

*Prob.* 2. Ex Patribus dicentibus cum D. Hier. ( *in apologia ad Pammachium* ). *Non damno bigamos, immo nec trigamos, & si dici potest, octogamos;* & infra: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur.*

Ex his facile infertur Ecclesiæ votum ac desiderium fuisse, ut fideles a secundis & ulterioribus nuptiis abstinerent ut minus perfectis; nunquam tamen eas pro illicitis ac per se malis habuisse: alias nec Apostolus nec Patres eas permisissent.

*Objicies:* Olim in Ecclesia græca bigami pœnitentiæ subjiciebantur, ut patet ex Concilio Neocæsariensi can. 1. ergo secundæ nuptiæ per se sunt illicitæ.

*Resp. nego conseq.* Pœnitentia enim illa in Ecclesia Græca bigamis imponebatur, non quod secundæ nuptiæ per se haberentur illicitæ, sed propter incontinentiæ speciem quam præ se ferre videntur.

*Inst.* 1. Si Ecclesia putaret illas nuptias esse licitas, non prohiberet eas benedici; atqui hoc prohibet.

*Resp. dist. ant.* Nam motivum illius prohibitionis est 1. Continentia vidualis, quam per illam benedictionis prohibitionem suadere intendit Ecclesia; 2. Est defectus significationis honorificæ quæ in primis nuptiis relucet, nempe ut sit una unius, sicut unus est Christus & unica quam sibi desponsavit, Ecclesia.

*Inst.* 2. Ecclesia bigamos declarat irregulares; ergo in secundis nuptiis est peccatum, irregularitas enim supponit peccatum.

*Resp. nego conseq.* Hæc enim irregularitas non est *ex delicto*, sed *ex defectu Sacramenti*, quia non perfecte repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ unius est cum una.

*Inst.* 3. Sancti Patres ( *D. Basilius, & Greg. Nazian.* ), iteratas nuptias vocant fornicationes & adulteria; ergo sunt per se malæ & illicitæ.

*Resp. nego conseq.* Non enim propter seipsas dicuntur fornicationes & adulteria, sed propter effusam incontinentiam, quæ in nuptiis toties repetitis seipsam prodit ac manifestat.

### §. II. *De Poligamia simultanea.*

*Nota* 1. Certum est poligamiam respectu mulierum, seu *Bivirarum*, ipso jure naturæ esse illicitam, utpote fini primario Matrimonii, scilicet generationi & educationi oppositam; 1. generationi, quia varium semen masculinum est infœcundum; 2. educationi, quia patre incerto proles ab utroque coeunte negligeretur.

*Nota* 2. Duplex distingui debet jus divinum, scilicet naturale & positivum.

*Jus divinum naturale* est quod a natura, id est a Deo auctore naturæ, nobis est insitum.

Jus

*Jus divinum positivum* est illud quod pendet a libera voluntate Dei aliquid prohibentis vel permittentis, estque nobis per Scripturam vel Traditionem manifestatum.

Inter illa autem quæ jure naturali prohibentur, alia pertinent ad prima & universalia principia quæ a nemine ignorantur, aut saltem quæ non ignorantur sine culpa; v. gr. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Non licet occidere innocentem.* Res hujusmodi intrinsecam & inseparabilem continent malitiam, qua fit ut nullo unquam bono fine possint cohonestari & fieri licitæ.

Alia vero pertinent ad remotiora quædam principia, quæ ex primis tanquam conclusiones derivantur, & quæ idcirco dicuntur repugnare juri naturali, quod naturæ propensioni & inclinationi minus sint consentanea; istorum malitia non est ita evidens quin possit invincibiliter ignorari; inde fit ut res hujusmodi, mutatis rerum & personarum circumstantiis, dispensante Legislatore, licitæ aliquando evadant .... his præmissis communiorem Theologorum sententiam tribus prop. aperiemus.

## CONCLUSIO I.

*Simultanea uxorum pluralitas adversatur legi naturali, primævæque Matrimonii institutioni.*

*Prob.* 1. Ex *Genes.* 2. ubi dicitur, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una.* Atqui duorum in carne una conjunctio, poligamiam excludit, qua non duo, sed plures essent in carne una; ergo, &c. *hinc* Patres violatæ legis & adulterii accusant *Lamech* quod duas uxores acceperit.

*Prob.* 2. *rat.* Naturalis æquitas exigit ut in omni contractu servetur æqualitas; atqui si mulier totum corpus suum uni viro tradat, & vir non suum totum corpus tradat mulieri, non servatur æqualitas; ergo nec servatur æquitas naturalis; ergo est contra jus naturale.

*Objicies*: D. August. *Lib.* 22. *contra Faust.* ait: pluralitatem simultaneam uxorum nulla lege fuisse prohibitam Patriarchis; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Nulla lege positiva, *conc.* nulla enim ante Christum fuit lex pluralitatem uxorum prohibens, & contraria consuetudo invaluerat apud Judæos, Deo dispensante; nulla lege naturali, *nego ant.*

*Inst.* Atqui D. August. loquitur de lege naturali; nam *Lib. de bono conjugii*, ait: *Neque enim pluralitas uxorum contra naturam nuptiarum est*; ergo, &c.

*Resp. nego antec.* Ad prob. *dist.* D. Aug. per tò *naturam, numptiarum* intelligit finem primarium Matrimonii, *conc.* Intelligit tam finem primarium, quam secundarios, *nego.* Itaque fatemur pluralitatem uxorum simultaneam, non adversari fini primario Matrimonii, filiorum nempe procreationi; verum adversatur fini secundario, mutuo nempe conjugum obsequio, strictæque eorum amicitiæ; difficile quippe est ut vir omnes suas uxores æqualiter diligat, unde rixæ, contentiones, zelotypiæ, &c. quæ pacem familiarum perturbant.

*Subsumes*: Atqui poligamia non adversatur legi naturali; ergo, &c.

*Prob. subseq.* Deus dispensavit cum Patriarchis, ut plures simul ducerent uxores; atqui nulla potest esse dispensatio in lege naturali; ergo.

*Resp. dist. min.* In lege naturali invariabili, *conc.* variabili, *nego min.* Jus naturale est invariabile quoad universalia principia, ac primarium naturæ finem, & in his nulla potest esse dispensatio; quæ enim ipsis sunt opposita, sunt intrinsece mala; sed jus naturale variare potest circa conclusiones, & secundarios naturæ fines, ut dictum est, not. 2.

## CONCLUSIO II.

*Deus a lege vetante poligamiam dispensavit cum veteribus Patriarchis, & aliis in Lege Mosaica.*

*Prob.* Quod est contra jus naturale, sola Dei auctoris naturæ dispensatione potest fieri licitum, atqui veteribus Patriarchis populoque Judaico licitum fuit plures simul habere uxores, ut testatur Innoc. III. (*Cap. Gaudemus, de divortiis*) dicens: „ Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores „ habere, nisi cui fuerit divina revelatione con„ cessum .... per quam sicut Jacob a mendacio, „ Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, sic & „ Patriarchæ & alii viri justi, qui plures legun„ tur simul habuisse uxores, ab adulterio excu„ santur ". Ergo cum illis Deus dispensavit.

*Dices*: Mulieres illæ quas Patriarchæ uxori adjungebant, vocantur in Scriptura *concubinæ*, earumque liberi hæredes non fuerunt, ut constat ex facto Abrahami; *Genes.* 25. ergo mulieres illæ non erant uxores legitimæ.

*Resp. nego conseq.* Nam eædem mulieres quas Scriptura concubinas vocaut, appellantur etiam uxores; sic Agar quæ erat *concubina* Abrahæ, *uxor* vocatur, *Genes.* 16.

Igitur apud Hebræos duo fuerunt genera uxorum; nam aliquæ ad bonorum communitatem ac rei domesticæ administrationem admittebantur, semperque uxores & matresfamilias appellabantur, atque soli earum liberi ad hæreditatem paternam vocabantur. Aliæ vero assumebantur tantum ad filiorum procreationem, qui tamen hæredes non erant, sed nonnulla duntaxat accipiebant munera; hæ autem veræ erant uxores, sed sæpius *concubinæ* vocabantur, a matribus familias honore, gradu, & bonis diversæ, non vinculo matrimoniali.

## CONCLUSIO III.

*Christus in Lege nova Matrimonium ad primævam suam revocans originem, dispensationem datam veteribus, plane revocavit, atque conjunctione cum pluribus simul uxoribus illicitam fecit & irritam.*

*Prob.* Ex Script. Lucæ 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur*; ergo a fortiori mœchatur qui priori retentæ, alteram adjungit. *Et Matt.* 19. dicitur. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis concessam aperte revocat, & Matrimonium ad primævam institutionem reducit; *non* enim *dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus sed uxori*, ait Innoc. III. (*Cap.* 8. *de divortiis*)

Hinc Concil. Trident. *Sess.* 24. *can.* 2. definit: " Si quis dixerit licere Christianis plures simul ,, habere uxores, & hoc nulla lege divina prohi- ,, bitum, anathema sit ,,.

*Dices*: Gregor. III. *cap.* 14. 32. *q.* 7. cuidam permittit secundam uxorem propter ægritudinem prioris, quam antea duxerat; ergo.

*Resp. dist. ant.* Permittit secundam uxorem primo Matrimonio irrito, *conc.* stante primo Matrimonio, *nego ant.* Hoc itaque permittit summus Pontifex, quia nullum erat prius Matrimonium, nimirum ob perpetuam impotentiam, qua laborabat illa mulier: " Quod proposuisti, inquit, si mulier ,, infirmitate correpta non valuerit debitum viro ,, reddere: quid ejus faciat jugalis ,,? En species.

## QUÆSTIO II.

### *De indossolubilitate Matrimonii.*

*Nota*: Dissolutio Matrimonii alia est propria, alia impropria.

*Dissolutio Matrimonii propria*, ea est qua conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint inire nuptias; vocaturque dissolutio *quoad vinculum.*

*Dissolutio impropria*, quæ & *divortium* dicitur, est ea qua conjuges fiunt immunes vel ab obligatione reddendi debiti, & dicitur dissolutio *quoad thorum*; vel ab obligatione simul habitandi, & dicitur dissolutio *quoad habitationem*, vel ab utraque non reddendi debiti, tum cohabitandi obligatione. De his, duobus articulis.

## ARTICULUS I.

### *De indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum.*

*Nota*: Matrimonia *legitimum*, *ratum & consummatum* inter se distant firmitatis gradu; quod enim inter Christianos ratum est per baptismum infirmitate superat illud quod inter infideles legitimum quidem ac verum est, sed non ratum; unde fit ut dissolvi possit per unius coniugis conversionem ad fidem Christianam. *Pariter* quod ratum est ac consummatum inter Christianos, perfectius est eo quod nondum est consummatum, quia ratum sed nondum consummatum, solvi potest per solemnem religionis professionem; ratum vero & consummatum, sola morte potest solvi.

## CONCLUSIO I.

*Quodvis Matrimonium sive legitimum, sive ratum, sive consumatum jure divino est indissolubile quoad vinculum.*

*Prob. prop.* Quæ est definita in Conc. Trident. *sess.* 24. his verbis: " Matrimonii perpetuum, in- ,, dissolubilemque nexum primus humani generis ,, parens divini spiritus instinctu pronuntiavit ,,, &c. quam indissolubilitatem Christus, *Matt.* 19. confirmans ait; *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apostol. 1. *Cor.* 7. docet. " Iis qui ,, Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed ,, Dominus, uxorem a viro non discedere; quod ,, si discesserit, manere innuptam, aut viro suo ,, reconciliari ,,. Et ne quis existimet hos textus esse intelligendos de Matrimonio solummodo consummato, Christus, *Luc.* 16. dixit: *Qui dimittit uxorem suam & aliam ducit, mæchatur*; atqui mulier per Matrimonium solummodo ratum, est vera uxor; ergo nullus hominum illud solvere potest.

## CONCLUSIO II.

*Matrimonium ratum, sed nondum consummatum, jure naturæ non est indissolubile.*

*Prob.* Quia omnes contractus, quantumvis rati, si spectetur solum jus naturæ, ex utriusque contrahentis consensu, sunt dissolubiles, modo nullum inde contra naturam sequatur inconveniens; atqui dissolutione Matrimonii rati, nullum sequitur contra naturam inconveniens, neque ex parte generationis, neque ex parte prolis educandæ, ut constat; ergo.

## CONCLUSIO III.

*Matrimonium consummatum jure naturali est indissolubile.*

*Prob.* Solubilitas Matrimonii consummati est contra naturam; ergo Matrimonium consummatum, jure naturali est indissolubile.

*Prob. ant.* Quod adversatur fini primario alicujus rei, est contra ejus naturam; atqui solubilitas Matrimonii consummati adversatur fini primario Matrimonii, scilicet debitæ prolis generationi, ejusdemque rectæ educationi, quæ exigunt firmum ac perpetuum coniugum nexum: ergo solubilitas Matrimonii consumati est contra naturam Matrimonii.

*Objicies* 1. Matrimonium ratum, non est indissolubile jure naturæ; ergo nec consummatum.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Matrimonium ratum significet duntaxat unionem Christi cum fidelibus per charitatem, quæ dissolvitur per peccatum lethale; consummatum e contra significet unionem Christi cum humanitate per incarnationem, quæ dissolvi non potest, *quod enim Christus semel assumpsit, nunquam dimisit.* Hanc disparitatem tradit Innoc. III. *cap.* debitum, *de bigamis.*

*Objicies* 2. Quod jure naturali indissolubile est; non potest a Deo dissolvi; atqui ex dicendis infra, Matrimonii consummati vinculum dissolvi potest a Deo, ergo.

*Resp. nego maj.* Quia Matrimonium non est jure naturali indissolubile, per exclusionem auctoritatis divinæ, sed solum per exclusionem privatæ hominum auctoritatis; licet enim nullus homo, in ea quæ sunt juris naturalis, auctoritatem suam possit exercere, tamen Deus auctor naturæ pro suo supremo in res omnes dominio, id potest; sic Matrimonium quantumvis consummatum, potest dissolvere, auferendo utrique coniugi dominium quod habet in corpus alterius, & sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata, aut suppeditando media ad illa vitanda.

*Inst.* Ius naturale est immutabile; ergo in eo dispensatio locum non habet.

*Resp. dist. ant.* Ius naturale est immutabile quantum ad universalia principia, & ea quæ in-

tria-

trinsecam habent malitiam, *conc.* quantum ad principia remotiora, & ea quæ non sunt intrinsece mala, qualis est pluralitas uxorum, & solubilitas vinculi conjugalis, *nego ant.*

*Objicies* 3. Multi Imperatores Christiani permiserunt repudium, ergo est licitum jure naturæ.

*Resp. nego conseq.* A facto enim ad jus non debet trahi argumentum, cùm SS. Patres uno ore iniquas pronuntient Leges civiles de divortiis.

*Nota*: Multa hic de dissolutione Matrimonii quæri solent, quæ claritatis gratia distinctis Paragraphis absolvemus.

### §. I. *Utrum Matrimonium in infidelitate contractum, dirimatur per professionem religionis Christianæ?*

### CONCLUSIO.

*Infidelium non baptizatorum Matrimonium etiam consummatum, cum unus conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate contumaciter permanente, dissolvi potest variis in casibus.*

*Prob.* Ex Apost. qui 1. *Corint.* 7. de infidelibus Matrimonio junctis ait: " Nam cæteris ego dico, „ non Dominus: si quis frater (ad fidem conversus) uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo (pacifice) non dimittat „ illam, & si qua mulier fidelis, (id est, ad fidem conversa) habet virum infidelem, & hic „ consentit habitare cum illa, non dimittat virum.... quod si infidelis discedit, discedat; „ non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi „. Id est, non tenetur vinculo Matrimonii, ut cum omnibus Theologis exponit Innocent. III. *cap.* quanto, *de divortiis.*

Dixi 1. *Variis in casibus*, nempe. 1. Si infidelis discedat, nolitque habitare cum fideli. 2. Si nolit cohabitare sine injuria Creatoris & fidei, v. gr. si laudes Dei prohibeat, domesticos ad defectionem hortetur, &c. 3. Si partem fidelem ad peccatum mortale pertrahat. Ita Innoc. III. citat. intelligit, quod ait Apostolus, *si infidelis discedit, discedat.*

Dixi 2. *Altero in infidelitate permanente*: certum est enim, vinculum Matrimonii non solvi, si uterque conjux ad fidem christianam convertatur, *cap.* gaudemus, *de divortiis.*

*Dices*: Christus *Luc.* 16. dicit, *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*; ergo.

*Resp. nego conseq.* Textus enim intelligitur de Matrimonio fidelium, & seclusa dispensatione divina in gratiam Christianæ religionis concessa, ut constat ex Apostolo citat.

*Inst.* Ex cap. *quanto*, Matrimonium inter baptizatos contractum, dissolvi non potest, etiamsi alter conjugum in hæresim vel apostasiam labatur; ergo a pari Matrimonium inter infideles contractum dissolvi non potest, quamvis alter conjugum convertatur ad fidem.

*Resp. nego conseq.* Disparitas inter utrumque traditur in eo ipso capite. " Quia, inquit, etsi „ Matrimonium verum inter infideles existat, non „ tamen est ratum; inter fideles autem verum & „ ratum existit; quia Sacramentum fidei, (id est, „ Baptisma) quod semel est admissum, nunquam „ amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramen„ tum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, „ perduret „.

Quæres: *Quandonam censeatur dissolutum tale Matrimonium, an statim post Baptismum, an vero post contractas secundas nuptias?*

*Resp.* Dissolvi per subsequentes nuptias compartis fidelis, non vero ipso jure per Baptismum, ut traditur *cap.* gaudemus, *de divortiis*, ubi dicitur: " Quod si conversum ad fidem & illa con„ versa sequatur antequam propter causas prædi„ ctas legitimam ille ducat uxorem; eam recipere „ compelletur „.

Dixi: *Compartis fidelis*: quia cum hæc dispensatio in favorem solius fidelis a Christo sit concessa, si pars infidelis transiret ad alia vota ante aliud Matrimonium a fideli contractum, illa forent irrita; unde si ad fidem postmodum converteretur, separandus esset ab illa secunda uxore: potest tamen valide novum contrahere Matrimonium post secundas partis fidelis nuptias, quia per eas vere solutum est vinculum: ex quo

*Inferes*, Fidelem qui legitime ad aliud Matrimonium transiit, non teneri, soluto per mortem isto Matrimonio, redire ad priorem conjugem infidelem, etiamsi tunc ad fidem converteretur, quia prius Matrimonium cum ipsa contractum, legitime fuit dissolutum.

### §. II. *Utrum in lege veteri Matrimonium dirimeretur per libellum repudii?*

*Nota*: Circa hanc quæstionem duplex est opinio.

*Prima*, docet per libellum repudii non fuisse dissolutum Matrimonium, permissionemque datam Judæis, fuisse meram tolerantiam ad duritiam cordis, nempe ad uxoricidium vitandum, quæ tolerantia a pœna quidem legali, non vero a culpa liberabat.

*Secunda*, docet repudium apud Judæos, Deo propter duritiam cordis eorum dispensante, licitum fuisse, ac per illud, soluto prioris Matrimonii nexu, factam fuisse liberam ad alia vota licentiam; quæ est sententia cui adhæremus.

*Prob.* Ex ipsismet verbis legis *Deuteron.* 24. quæ veram licentiam concedebant, tum marito dimittendi uxorem, tum uxori dimissæ nubendi alteri viro; atqui verba Scripturæ debent intelligi in sensu proprio & naturali quantum fieri potest; ergo vere dimittebatur uxor; ergo verum erat aliud Matrimonium a repudiata contractum, nec dimittens amplius erat ejus maritus; lex enim prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti posset unquam recipi a priori marito, cum tamen optandum & optimum fuisset, ut rediret ad legitimam suam conjugem.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Cum Judæi, *Matth.* 19. Christo objecissent Moysen mandasse dare libellum repudii, Christus *primo* verbum, *mandavit*, mutavit in verbum *permisit*. 2. Respondit Moysen ad duritiam cordis

cordis permisi se libellum. 3. Ab initio non ita fuisse; ergo libellus repudii non fuit permissus tamquam aliquid licitum.

*Resp. nego conseq.* Et dico,

*Ad primum*, Non sine causa Christum verbo *mandavit*, substituisse verbum *permisit*, ut nempe significaret Moysen non jussisse, sed tantum permisisse Judæis, ut, si vellent, legitima de causa uxores suas dimitterent.

*Ad secundum*, Respondet D. Thom. quamvis duritia cordis non excusaret a peccato, tamen permissio, occasione ipsius facta, excusat, sicut quædam permittuntur infirmis corporaliter, quæ non permittuntur sanis, nec tamen infirmi peccant, permissione facta utentes.

*Ad tertium*, Christus merito adjungit: *Ab initio autem non fuit sic*: quia lex repudii adversatur primævæ institutioni Matrimonii, in qua ut dispensaret, fecit dura Judæorum indoles.

*Inst.* Non aliter permisit Deus Judæis dimittere uxores suas, quam usuras accipere ab alienigenis; atqui usuras non permisit ut licitas, sed tantum toleravit tamquam minus malas, comparate ad eas quas in fratres suos præ sua duritia & avaritia exercere parati erant; ergo, &c.

*Resp. nego mai.* Nam quælibet usuræ absque ulla discretione fratris vel extranei damnantur in lege veteri; non ergo sine culpa exercebantur a Judæis, licet absque ulla punitione; at non ita est de repudio, quod nullibi in lege veteri damnatur tamquam malum & illicitum.

*Objicies* 2. Deut. 24. dicitur: *Non poterit prior maritus recipere eam* (nempe dimissam) *in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Ergo secundæ nuptiæ a repudiata initæ, erant peccaminosæ & nullæ: alias non diceretur *polluta & abominabilis.*

*Resp. nego conseq.* Namque hoc ipso quod semel repudiata vetatur ad maritum repudiantem redire, satis innuitur vinculum Matrimonii cum priori viro esse solutum, & secundum Matrimonium cum altero viro, esse licitum & validum; alias lex illud permittens publica ac perpetua permisisset adulteria.

*Itaque* Uxor repudiata dicitur *polluta & abominabilis* non absolute, sed relate ad repudiantem, ad quem reditus uxoris abominabilis est, & omnino vetitus a Deo; quia hic orbicularis nuptiarum regressus speciem præ se fert adulterini concubitus, videturque fucatum tantum fuisse repudium, quasi non sincere repudiata fuisset uxor, sed alteri ad tempus tantum commodata, quod abominabile est, ut fert Textus Hebræus.

§. III. *Utrum vinculum conjugale Christianorum sit omnino indissolubile, ita ut nec per adulterium solvi possit?*

*Nota* 1. Græcos in ea iamdiu versari sententia & praxi, ut dissolvant vinculum coniugale propter adulterium. Lutherus vero & Bucerus volunt matrimonii vinculum non solum propter adulterium, sed etiam propter plures alias causas solvi.

*Nota* 2. Omnes scholæ Theologi, exceptis Caietano, Catharino & Launoio, docent ad Catholicum dogma pertinere indissolubilitatem Matrimonii, etiam adulterii causa. Itaque

CONCLUSIO.

*Dogma Catholicum est Matrimonii vinculum nullo modo posse dirimi, nequidem per adulterium.*

Ita definivit Concilium Trident. (*Sess.* 24. *can.* 7.) his verbis: " Si quis dixerit Ecclesiam errare cum „ docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius „ coniugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem qui „ causam adulterio non dedit, non posse, altero „ conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera, „ aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero, „ alii nupserit, anathema sit „.

Launoius ut declinet vim illius definitionis, dixit Tridentinum Canonem, meram spectare disciplinam, quam potuit Synodus pro jure suo immutare absque præjudicio contrariæ ad hoc usque tempus & traditionis & praxis.

Verum falsa omnino & improbanda opinio: nam 1. Quod Ecclesia juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam docet, procul dubio dogma est, a quo discedere non licet.

2. Error proprie adversatur dogmati, sicut abusus adversatur receptæ disciplinæ; at Canon expresse definivit *non errare Ecclesiam cum docet*, &c. ergo Canon de doctrina loquitur, non de mera disciplina.

*Prop. prop.* Ex definitione Trident. ex Marci 1. ubi dicitur: " Quicumque dimiserit uxorem „ suam, & aliam duxerit, adulterium committit „ super ea „. Et Lucæ 16. " Omnis qui dimittit „ uxorem suam, & aliam ducit, mæchatur, & „ qui dimissam a viro ducit, mæchatur „: hæc verba sunt generalia & absque exceptione.

Revera, *Matth.* 19. excipitur causa fornicationis: " Quicumque, inquit, dimiserit uxorem suam, „ nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæ- „ chatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur „.

Verum exceptio illa non est conjungenda cum verbis sequentibus, sed cum antecedentibus hoc modo: *Quicumque dimiserit uxorem*, quoad thorum & cohabitationem, quod non licet, *nisi ob fornicationem, & aliam duxerit*, quamcumque ob causam, *mæchatur.* Suadetur illa expositio, quia Christus non adjecit exceptionem post illa verba, *& aliam duxerit*: ut nimirum indicaret causam fornicationis facere licitam dimissionem, minime vero novi coniugii celebrationem, ut annuunt cæteri Evangelistæ.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ex illa expositione sequitur absurdum, nempe ex sola fornicationis causa posse uxorem a viro dimitti, etiam quoad thorum & habitationem; atqui falsum consequens; ergo.

*Resp. nego min.* Namque qui unam causam commemorat, non propterea alias excludit; sed unam fornicationem voluit Christus designare, 1. Quia est præcipua & capitalis causa separationis ab usu coniugii. 2. Quia ea de causa potest vir ab uxore in perpetuum separari. 3. Quia sic voluit carpere pra-

pravam Judæorum consuetudinem, qui nullis aut levissimis de causis uxores suas dimittebant.

*Inst.* 1. Lex Christi neminem cogit ad perpetuam continentiam; atqui si non liceret viro dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, ea vivente, continentiam; ergo, &c.

*Resp.* 1. *dist. maj.* Lex Christi neminem cogit ad perpetuam continentiam, directe & per se, *conced.* indirecte & quasi per accidens, *nego maj.* v. gr. qui vovit perpetuam continentiam, hunc lex Christi saltem indirecte ad continentiam constringit, ita & de dimittente uxorem.

*Resp.* 2. *nego min.* Quia si non potest se continere vir ille, paratum habet remedium quod suppeditat Apostolus, nempe ut cum uxore reconcilietur, ac condonet ipsi delictum ejus.

*Inst.* 2. Adulterium contrarium est triplici bono conjugii, nempe fidei quam violat; proli, quam incertam facit; Sacramento, cujus lædit significationem, cum frangat carnis unitatem; ergo vinculum conjugale dissolvit.

*Resp. nego conseq.* Essentia enim Matrimonii in facto esse consistit in vinculo perpetuo quod resultat ex consensu interno: vinculum autem conjugale ab his mox enumeratis distinguitur, quibus violatis, integrum ac firmum perseverat.

*Inst.* 3. Fornicatio spiritualis, hoc est infidelitas, dissolvit Matrimonium; ergo & fornicatio corporalis.

*Resp. nego conseq.* Disparitas desumitur ex voluntate Christi, qui in gratiam fidei, in casu in qua infidelis nollet pacifice habitare cum fideli, permisit secundas nuptias, quas omnino prohibet in causa adulterii.

*Objicies* 2. Cap. *quædam* 32. *quæst.* 7. legitur: „ Quædam cum fratre viri sui dormivit; decre- „ tum est ut adulterii nunquam conjugio copulen- „ tur: illi vero, cujus uxor stuprata est, licita „ conjugia non negentur "; ergo per adulterium solvitur vinculum conjugale.

*Resp. nego conseq.* Fratri enim innocenti non conceditur alia uxor, nisi post mortem suæ uxoris adulteræ, ut interpretatur glossa hic, *sed frater innocens, sua mortua, aliam accipere poterit.* Et habet Can. *hi vero*, ibid. ubi dicitur: „ His „ vero, qui uxores suas in adulterio deprehen- „ dunt, non licebit nec eum, nec eam, accipere „ aliam uxorem, vel alium virum quandiu ambo „ vivunt. Si autem altera mortua fuerit, vir ejus „ si vult nubat, tantum in Domino: adultera ve- „ ro nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus ".

*Objicies* 3. Lactantius (*Cap.* 23. *Instit. divin.*). scribit, adulterum non esse, qui causa adulterii dimissam, duxerit in uxorem; ergo.

*Resp. nego conseq.* Lactantius enim attendit ad leges civiles, quæ contra legem Christi sic dimissam ab alio duci permittebant, ut ipse ait in contextu, quæ leges cum sint injustæ, ideo sunt nullæ et emendatæ per Canones.

*Inst.* Idem Lactantius *in epitome cap.* 6 ait: *Nunquam conjugalis fæderis vinculum nisi quod perfidia ruperit, resolvatur*; ergo.

*Resp. dist.* Nunquam resolvatur quoad thorum et habitationem, *conc.* quoad vinculum, *nego.* Itaque separatio quoad thorum et habitationem sæpe a scriptoribus Ecclesiasticis vocatur dissolutio vinculi conjugalis, ut constat ex Conc. Foro-Juliensi quod sic statuit: *Placuit ut resoluto, fornicationis causa, jugali vinculo, non liceat viro quandiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.* Ita exponendi sunt S. Gregor. Nazianz. Avitus Viennensis; Concilium Venetum; Hincmarus Rhemensis, &c.

Quæres 4. Joann. VIII. *Epist.* 65. ait: *Cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam, quisquam deserere nequeat, illi conceditur* (in causa fornicationis, addit Launojus fraudulenter et mala fide) *aliam vivente priore conducere.*

*Prob.* Textum esse corruptum, neque enim cohærent posteriora verba cum prioribus; sic autem Textus refertur tomo 9. Conciliorum: "Et ideo cum „ priorem legitimo sibi Matrimonio junctam, quis- „ quam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi „ conceditur aliam, vivente priore, conducere „.

§. IV. *Utrum Matrimonium ratum dissolvi possit per continentiæ votum alterius conjugum?*

## CONCLUSIO I.

*Matrimonium ratum, a fortiori consummatum, non dirimitur per votum simplex continentiæ.*

*Prob.* Ex Alex. III. (*Cap. meminimus*, 1. *qui Clerici vel voventes*), declarante votum simplex impedire quidem Matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum.

Ratio D. Thomæ est quia votum simplex est nuda promissio Deo facta, Matrimonium vero est actualis traditio proprii corporis facta conjugi: atqui promissio non transfert dominium rei promissæ: traditio vero rem datam in donatarii dominium transfert, ita ut ipse donator amplius de ea disponere nequeat; ergo simplex continentiæ votum non dissolvit Matrimonium.

*Dices:* Vinculum quo obligamur Creatori, majus est vinculo quo obligamur creaturæ; atqui per votum simplex obligamur Creatori, per Matrimonium vero obligamur tantum creaturæ; ergo, &c.

*Resp. dist. maj.* Si vincula illa sint in eodem genere, v. gr. si vinculum Deo factæ promissionis conferatur cum vinculo promissionis homini factæ, *conc.* si sint diverso genere, v. gr. si conferatur promissio Deo facta cum donatione facta conjugi, *nego maj.* Porro per Matrimonium fit actualis traditio proprii corporis, et per votum simplex promittitur tantum.

## CONCLUSIO II.

*Matrimonium ratum, non vero consummatum, jure divino dirimitur quoad vinculum per solemnem conjugis professionem in religione a Sancta Sede approbata.*

Ita definivit Conc. Trid. *Sess.* 24. *can.* 6. his verbis: " Si quis dixerit Matrimonium ratum, „ non consummatum, per solemnem religionis „ professionem alterius conjugum, non dirimi, „ anathema sit „.

Idem jam antea definierant Alex. III. & Innoc. III. *cap.* Meminimus, & *cap.* Insinuante, *qui Clerici vel voventes.*

Ratio a priori nulla alia assignari potest, quam voluntas Christi nobis ex traditione perpetua reve-

velata; ratio a posteriori & convenientiæ est, quia professio religiosa est mors civilis, quæ nata est dissolvere contractum civilem, quale est Matrimonium solummodo ratum.

Dixi 1. *Matrimonium ratum*, *non consummatum*, quia cum Matrimonium consummatum sit contractus civilis simul & naturalis, ipsoque jure naturali indissolubilis, non potest dissolvi nisi per mortem naturalem, ut constat ex *cap.* sunt qui, 27. *qu.* 2.

Hinc si quis post Matrimonium consummatum, religionem absque consensu compartis profiteretur, ad ejusdem instantiam teneretur exire, & cum ipsa cohabitare, quod si compars consensisset, exire quidem non teneretur, sed compars quæ consensit, alteri nubere non posset, nisi post mortem illius qui religionem professus est.

Dixi 2. *Per professionem*, non enim solvitur per religionis ingressum; ideo conjux remanens in sæculo alteri nubere non potest tempore novitiatus compartis.

Dixi 3. *In Religione*: non enim Matrimonium dissolvit susceptio Ordinis sacri, etiam Episcopalis, ut definivit Joann. XXII. (*Extravag. Antiquæ devot.*) Ratio est quia homo per susceptionem Ordinis Sacri non moritur civiliter sicut Religiosus. Hinc si conjux ordinatus ad aliam accederet, reus esset adulterii.

Dixi 4. *A Sancta Sede approbata.* Nulla siquidem vera ac proprie dicta religio in Ecclesia censetur citra S. Sedis approbationem, cujus solius auctoritate homo solemnem emittit professionem.

Dixi 5. *Jure divino positivo*, quod per continuam traditionem ab Apostolis ad nos usque pervenit, quia ex S. August. " Quod universa tenet " Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper " retentum est, non nisi auctoritate apostolica " traditum rectissime creditur ". Ratio est quia solus Deus potest dispensare in suis Legibus.

*Solvuntur Objectiones.*

*Objicies* 1. Ex dictis, Matrimonium sive ratum, sive consummatum, est insolubile; ergo non potest solvi per professionem religiosam.

*Resp. dist. conseq.* Non potest solvi ab homine, *conc.* a Deo, *nego.* Matrimonium ratum jure divino positivo est insolubile, Deus autem in suo jure potest dispensare.

*Inst.* 1. Talis dissolutio non licet in Matrimonio consummato; ergo nec in rato. Nam Matrimonium ratum & consummatum idem est contractus & Sacramentum eodem jure divino institutum; ergo est eadem indissolubilitas.

*Resp. nego utramque conseq.* Quia hæc differentia non venit ex natura contractus, sed ex voluntate Christi, qui unum præ alio dissolvi voluit ob rationes datas.

*Inst.* 2. Matrimonium ratum est signum perpetuæ unionis Christi cum Ecclesia; ergo est indissolubile, alias violaretur sacrum illud signum.

*Resp. dist. ant.* Est signum unionis spiritualis Christi cum Ecclesia per charitatem, *conc.* unionis corporalis per incarnationem, *nego ant.* Matrimonium enim non signat hujusmodi unionem nisi sit consummatum, in quo solo ambo conjuges fiunt una caro.

*Inst.* Vinculum Matrimonii rati ligat ex Lege naturæ saltem nisi ambo consentiant; ergo non potest solvi altero repugnante. *Resp. nego ant.*

*Prob. ant.* Fidelitas in promissis est de jure naturæ; sed conjuges promiserunt sibi mutuam & individuam vitæ societatem in Matrimonio; ergo.

*Resp. dist. maj.* Fidelitas in promissis absolutis, *conc.* in promissis conditionatis, *nego.* Contractus autem Matrimonii fit cum hac retentione implicita & virtuali, ut nempe liceat ante consummationem, religionem ingredi & profiteri.

*Inst.* 4. Matrimonii dissolutio non potest fieri absque injuria alterius conjugis renitentis; ergo est contra jus naturale.

*Resp. nego ant.* 1. Propter conditionem saltem virtualiter appositam. 2. Quia sponsalia ex communi sententia dissolvi possunt per votum solemne sine injuria alterius renitentis; ergo & Matrimonium ratum, cum conjux derelicta maneat integra, nihilque decoris amiserit quominus ab alio in conjugem assumi possit.

*Objicies* 2. Ratio majoris boni pro statu religioso, tam valet pro Matrimonio consummato, quam pro rato; sed per nos non valet pro Matrimonio consummato; ergo.

*Resp. nego maj.* Nam Christus dispensat pro uno & non pro alio, & maxime quia in consummato id fieret cum detrimento prolis, aut cum scandalo.

*Inst.* 4. D. August. (*L.* 1. *de Nupt. & concupisc. cap.* 11.) ait: " Matrimonium continentium ab " opere conjugali, firmius est, quam non conti- " nentium "; ergo magis insolubile.

*Resp. dist. ant.* Firmius est quoad vinculum mutuæ charitatis, & animorum consensionem, *conc.* quoad fœdus conjugale, *nego ant.* Inde tamen desumi debet major firmitas in Matrimonio.

*Objicies* 3. Votorum solemnitas est institutionis Ecclesiasticæ; ergo non dissolvit Matrimonium jure divino.

*Resp. nego conseq.* Votorum enim solemnitas est ex jure Ecclesiastico quoad ritus, non vero quoad effectum & vim dirimendi Matrimonii, quam Christus votis solemnibus indidit, ubi essent ab Ecclesia instituta.

*Nota:* Alex. III. cupienti profiteri concedit duos menses ad deliberandum, intra quod tempus conjux cogitans de religione non tenetur consumare, nec potest sine injuria ad id cogi, quo tempore elapso, non potest amplius denegare debitum. Sed quandiu Matrimonium non est consummatum, tandiu liberum est conjugibus religionem ingredi, & remanens in sæculo ad alia vota potest transire, ut docet glossa in cap. *ex publico*, de conversione conjugatorum.

§. V. *Utrum Papa dispensare possit a vinculo Matrimonii rati, nondum consummati.*

## CONCLUSIO.

*Longe probabilius videtur Papam non posse dispensare a vinculo Matrimonii rati, licet nondum consummati.*

*Prob.* Quia inferior non potest dispensare a lege superioris; sed Matrimonium ratum, licet non con-

consummatum, jure divino est indissolubile; ergo Papa ipsum dissolvere non potest, ita definivit Alexander III. in appendice Concilii III. Lateran. parte sexta.

*Dices* 1. Nonnulli Pontifices in Matrimonio rato dispensarunt; ergo.

*Resp.* 1. Tales Pontifices sententiam, quam bona fide credebant probabiliorem, secutos fuisse teste Alex. III. dicente: *Licet aliter a quibusdam ex prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Porro decepti fuere illi Pontifices.

*Resp.* 2. Aliquos Pontifices locutos fuisse de Matrimonio per verba de futuro, id est, de sponsalibus, ut asserit Alex. III. citatus *parte sexta*; alios vero de dissolutione quoad thorum & cohabitationem, idem Alex. III. *parte duodecima.*

*Resp.* 3. Alios Pontifices locutos de Matrimonio contracto cum aliquo impedimento dirimente.

*Dices* 2. Summus Pontifex dispensare potest ab obligatione voti solemnis, quanquam illa sit etiam juris divini; ergo similiter potest dispensare a vinculo Matrimonii rati.

*Resp.* 1. *nego conseq.* Ratio est, quia traditio perpetua atque indubia de prima potestate non certificat, non autem de secunda.

*Resp.* 2. Cum Pontio dante rationem disparitatis: sic: „ Quia in professione fit etiam traditio religioni, quam acceptat Prælatus, & eo non acceptante non obligant vota illa quorum fundamentum est traditio: cumque summus Pontifex sit ordinarius, cui etiam tamquam religionis superiori fit traditio, eam traditionem potest rejicere; eaque rejecta cessat obligatio status religionis in illo. " Res autem non ita se habet in Matrimonio, ubi agitur de jure aliter acquisito.

## ARTICULUS II.

### *De divortio.*

*Nota:* Divortiorum est separatio quoad thorum & cohabitationem, cæteraque conjugii jura & commoda, salvo Matrimonii vinculo.

Hic quæritur 1. An conjuges teneantur cohabitare; 2. An divortium sit licitum, quas ob causas, an aliquando necessarium, &c.

### §. I. *An conjuges teneantur cohabitare?*

### CONCLUSIO.

*Tenentur conjuges regulariter loquendo, idque sub gravi peccato, in eadem domo manere, in eadem mensa comedere, & in eodem lecto concumbere.*

*Prob.* 1. Ex præcepto divino, ut homo uxori suæ adhæreat & uxor viro. 2. Quia id exigit necessario tum natura contractus matrimonialis, qui individuam vitæ societatem importat; tum debitum conjugale alias ab utroque non facile reddendum; tum denique prolis educatio, ad quam conjux uterque concurrere tenetur.

Dixi: *Regulariter loquendo*; quia ad breve tempus juxta viri prudentis judicium vir ab uxore etiam invita separari potest recreationis aut negotii causa; modo nullum adsit incontinentiæ periculum.

Imo ex gravi causa per longum tempus recedere potest, tum propter notabile familiæ emolumentum, tum propter bonum publicum ex mandato Principis, legationis aut militiæ causa, quo casu mulier non tenetur sequi maritum, nisi ipse velit, quia ipsius est habitationem eligere. Inde tamen non sequitur uxorem teneri virum semper vagantem comitari cum suo gravi incommodo, nisi forte ante Matrimonium aliter fuerit conventum, vel virum præsciverit vagum futurum. Sed

Quæres: *Si vir in exilium pulsus fuerit, quid juris?*

*Resp.* Censent communiter Doctores uxorem ad viri sequelam teneri, quia licet delinquentis pœnam subire non teneatur, tenetur tamen jure maritali viri sui infortunio participare: idem dic de viro erga uxorem, si contingat ipsam ad domicilii mutationem compelli.

### §. II. *An divortium sit licitum, quas ob causas &c.*

### CONCLUSIO.

*Legitima auctoritate divortium est licitum.*

*Prob.* Ex Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 8. definiente: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Dixi: *Legitima auctoritate*, quia licet conjux innocens possit privata auctoritate facere divortium quoad thorum, denegando debitum, non potest tamen facere divortium quoad habitationem, nisi accedat Judicis Ecclesiastici sententia, *cap.* porro, *de divortiis.* Ratio est quia cum hujusmodi divortium sit publicum, non posset fieri privata auctoritate absque scandalo & perturbatione societatis. *Excipitur* casus, in quo periculum sine mora, nec ullus ad Judicem daretur accessus: tunc enim pars innocens aufugere posset, non expectata Judicis sententia.

Quæres 1. *Quas ob causas licitum sit divortium?*

*Resp.* Ob multas causas, quæ in duabus sequentibus facili negotio recluduntur.

*Prima*, est culpabile alterius conjugis adulterium moraliter certum, dicente Christo: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur:* atqui Christus non permittit, imo prohibet dimittere uxorem quoad vinculum; ergo permittit eam dimittere quoad thorum & cohabitationem. Eadem est mulieris libertas, quia cum par sit utriusque obligatio, par debet esse & conditio.

Dixi 1. *Culpabile adulterium*; quia privatio debiti, est pœna, ideoque supponit culpam. Hinc vir separari non posset ab uxore, quæ violenter oppressa fuisset, aut quæ bona fide alteri nupsisset, putans virum suum esse mortuum. *Idem* secundum dispositionem juris, divortii locus non esset. 1. Si compars in adulterium compartis consensisset, vel si vir ipse uxorem prostituisset. *Capit.* 6. *de eo qui cognovit*, &c. . . . . 2. Si ei offensam remisisset, quod censetur fieri per actum conjugalem; *capit.* si illi, 23. *quæst.* 4. . . . . Si uterque conjux adulterium perpetrasset, *cap.* 4. *de divortiis.*

Dixi 2.

Dixi 2. *Moraliter certum*: nec enim sufficit sola suspicio, ut infligatur pœna certa.

*Secunda causa divortii*, est quodcumque crimen quod vergit in detrimentum sive spirituale, sive corporale alterius conjugis.

*Prob.* De crimine vergente in damnum spirituale alterius conjugis, Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Hinc imminens periculum subversionis sive a fide, v. g. si compars trahat compartem in hæresim in quam lapsa est; sive a rectis moribus, v. g. si unus conjugum alterum ad congressum sodomiticum, usuras, fraudes, &c. cogeret. *Cap.* 2. *de divortiis.*

*Tertia causa divortii*, est periculum imminens gravis damni corporalis compartis, quia Matrimonium non tollit jus naturale vitandi proprium periculum, sive animæ, sive corporis.

Hinc immoderata sævitia, periculosa copula & cohabitatio, v. gr. propter morbum contagiosum, amentiam, furorem compartis, sunt justa causa divortii.

*Objicies.* Christus solius fornicationis meminit; ergo est sola causa divortii.

*Resp. nego conseq.* Ratio cur Christus solius fornicationis meminit, est 1. Quia sola fornicatio directe opponitur fidei conjugali; 2. Quia Christus loquitur de divortio perpetuo, (nempe de divortio per libellum repudii, quod erat perpetuum): sola autem fornicatio est justa causa divortii perpetui: adeo ut pars innocens non teneatur ex justitia cohabitare cum adultero, vel adultera, etiamsi resipuerit. E contra divortium ob alias causas fit tantum ad tempus, v. gr. donec uxor resipiscat, adeo ut innocens teneatur recipere emendatam.

Quæres 2. *Utrum quandoque conjuges ad divortium teneantur?*

*Resp.* Tenentur in duobus maxime casibus: *primus* est dum periculum subversionis ita est evidens, ut sit moraliter impossibile ipsi resistere, dicente Christo: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.*

*Secundus*, dum conjux pacifice habitans cum conjuge adultera rationabilem suspicionem ingereret se ejus impudicitiis favere; tegumentum ei præbendo, quo sensu dixit sapiens (*Prov.* 18. *vers.* 24.) *Qui tenet adulteram, stultus est & impius*; si tamen pars adultera resipiscat, ipsi condonandum est, ait Canon *si vir*, de adulter., *debito* quidem *honestatis & non necessitatis*: ait glossa ibidem.

Quæres 3. *Quid juris habeat innocens post factum divortium?*

*Resp.* 1. Post divortii perpetui latam sententiam (quæ non fertur nisi propter adulterium) pars innocens potest mutare statum per susceptionem Ordinum, vel professionem religiosam etiam absque consensu nocentis, non vero pars nocens, nisi innocens prius fuerit professus; ratio est quia adulter amisit jus in corpus alterius, sed non vicissim pars innocens quæ nocentem emendatum non tenetur recipere nisi forte ex charitate, cum scilicet versatur nocens in gravi incontinentiæ periculo.

*Resp.* 2. Post sententiam divortii non perpetui, v. g. donec pars nocens mutaverit; innocens non potest mutare statum, quia nocens emendatus potest auctoritate judicis repetere conjugem.

## QUÆSTIO III.

*De castitate in usu Matrimonii servanda.*

*Nota.* Circa usum Matrimonii quinque hic breviter nobis sunt exponenda.

1. Obligatio tum petendi, tum reddendi debitum conjugale.
2. Impedimenta tum petendi, tum reddendi debitum.
3. Finis, quo exerceri debet actus conjugii.
4. Modus, quo exercendus est actus conjugalis.
5. Varia peccata conjugum per tactus obscœnos, &c.

### §. I. *De obligatione petendi & reddendi debiti.*

Quæres 1. *An aliquando conjuges teneantur petere debitum?*

*Resp.* Non tenentur *per se* loquendo, quia nemo tenetur uti jure suo; at tenentur per accidens.

1. Dum quis videt aut suspicatur compartem suam ad actum conjugalem esse inclinatam, & ex verecundia debitum exigere non audere: ratio est quia tunc adest petitio tacita debiti ex parte compartis.

2. Dum unus conjugum advertit in altero incontinentiæ periculum; nam quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, dum facile potest.

3. Dum id necessarium est ad fovendum amorem mutuum.

4. Dum prolis generatio valde necessaria est vel bono publico, vel paci familiæ.

Quæres 2. *Quandonam conjuges teneantur reddere debitum?*

*Resp.* Tenentur sub mortali injustitiæ peccato, debitum reddere dum expresse, vel tacite exigitur, nisi aliqua rationabilis causa ab eo reddendo excuset. Id constat ex Apost. dicente (1. *Cor.* 7. *v.* 3.) *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Idque dictat justitia, cum juxta eundem Apostolum: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir, similiter autem & vir, &c.*

Dixi: *Nisi aliqua rationabilis causa excuset*: excusatur enim

1. Si constet alterum conjugem esse adulterum.

2. Si exigens remisse petat, aut dilationem facile concedat, modo absit periculum incontinentiæ.

3. Si petens non sit sui compos, v. gr. si sit ebrius aut amens, quia non petit more humano; modo tamen absit periculum blasphemiæ aut incontinentiæ.

4. Si ex redditione, *proximum* subsit vitæ aut gravissimi morbi periculum, v. g. si potens laboret morbo contagioso, puta gallico, vel lepra, quia ut ait D. Thom. (*In suppl. qu.* 64. *art.* 1. *ad* 2.) *Uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salva consistentia ipsius corporis.*

Dixi, *proximum*: nam propter remotum periculum, ut si mulier ordinarie in partu periclitaretur, ob id a redditione non excusaretur: alioquin mu-

mulieres, saltem juniores, nunquam tenerentur reddere debitum, cum ex conceptu vitæ periculum semper incurrant.

5. Si maritus petat tempore importuno, v. gr. tempore fluxus menstrui, puerperii, &c.

6. Si sæpius petat, ita ut alter conjux illud reddere sit impar. Qui autem sua culpa, v. gr. pollutionibus, ebrietatibus, reddendo debito impar fieret, grave injustitiæ peccatum perpetraret in confessione aperiendum.

Porro non licet debitum denegare ob devotionem vel communionem intentam, si absolute exigatur, vel si periculum sit incontinentiæ, contentionum &c. neque ob paupertatem, seu metum impotentiæ sustentandi prolem numerosiorem, nam debet in Dei providentia confidere. In quo casu possunt mutuo consensu abstinere a copula, modo absit periculum incontinentiæ, ut docet D. Antonin.

### §. II. *De iis quæ a petendo vel reddendo debito impediunt.*

Quæres 1. *Quibus casibus non liceat debitum petere?*

*Resp.* 1. Moraliter certus de nullitate Matrimonii nec potest debitum petere, nec reddere parti etiam ignoranti, *debetque potius* mortem & *excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnalem commercium* (nempe fornicationis) *operari mortale*, docet Innoc. III. *cap.* inquisitioni, *de sent. excomm.*

*Resp.* 2. Qui Matrimonium contraxit cum dubio de Matrimonii valore, debitum non potest petere donec dubium prudenter deposuerit, alioquin se exponeret periculo fornicationis; teneretur tamen reddere comparti, quæ bona fide contraxit, ut docet Lucius III. *cap.* Dominus *de secundis nuptiis.*

Quod si conjux uterque cum tali dubio contraxerit, neutri licet debitum petere vel reddere; quia stante tali dubio se exponerent periculo fornicandi.

Item qui post Matrimonium bona fide contractum, incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter inquirere; & durante dubio non potest debitum petere, ne ultro se exponat periculo fornicandi; tenetur tamen reddere; nam debet vitare periculum violandi jus alterius. *Ibid.*

*Resp.* 3. Qui post initum Matrimonium culpabiliter cognovit consanguineam compartis in 1. vel 2. gradu, non potest petere debitum (*Cap.* 1. & 10. *de eo qui cognovit*); comparti tamen innocenti tenetur reddere, *cum suo jure non debeat sine culpa privari*, ait Innoc. III. (*Cap.* 6. *eod. tit.*); secus si compars ad hanc incestuosam copulam consensisset, tunc enim neutri liceret petere & reddere, cum uterque esset in culpa.

*Resp.* 4. Qui extra casum necessitatis prolem ex legitima uxore susceptam baptizat, aut in Baptismo tenet scienter, a petitione debiti impeditur ob contractam cognationem spiritualem; nam quod dirimit Matrimonium contrahendum, si superveniat Matrimonio contracto, impedit petitionem debiti ex communi doctorum consensu; non vero impeditur a redditione ejusdem, quia peccatum ejus non debet alteri imputari.

*Resp.* 5. Qui vovit castitatem sive ante, sive post Matrimonium, non potest petere debitum, *cap.* 1. *de conversione conjugator.* quia promissionem Deo factam quantum potest, servare tenetur; tenetur tamen reddere petenti, utpote habenti jus exigendi, nisi consenserit in votum compartis, tunc enim cessit juri suo, in quo casu neutri licet petere & reddere.

Qui vero post Matrimonium consummatum vovit Religionem, aut sacros Ordines, potest petere & reddere, quia per hoc votum contraxit solum obligationem suscipiendi Ordines, vel profitendi si supervixerit; sed statim post mortem conjugis tenetur votum implere.

Quæres 2. *In quibus casibus non liceat debitum reddere petenti?*

*Resp.* Ad resolutionem quæsiti dantur communiter tres regulæ.

1. *Regula*, quando petere est mortale propter circumstantiam se tenentem ex parte copulæ quæ ob eam fiat illicita, v. gr. si petatur in loco sacro, vel publico, tunc est mortale reddere; quia sicut petitio, ita & redditio afficitur illa prava circumstantia, utraque enim polluit locum sacrum, utraque est scandalum in loco publico.

2. *Regula*, quando petere est mortale ob circumstantiam personalem petentis, distinguendum est; si mala circumstantia hic & nunc possit a petitione separari, v. gr. in eo qui malo fine petit, tunc non peccat reddens; si vero mala circumstantia hic & nunc non possit in petitione separari, v. gr. in eo qui votum castitatis emisit, tunc peccat mortaliter reddens.

Suadent autem Doctores, ut compars quæ non vovit, petat, dum prævidet debitum a vovente petendum, & tunc utrique licita est copula.

3. *Regula*, quando petere est solum cum culpa veniali, reddere nulla culpa est: quia ordinarie adest causa excusans, v. gr. ne detur occasio rixarum, odii, &c. quare in tali casu plerumque obligatur ad reddendum, cum nempe periculum est, ne petens gravius peccet, si denegetur.

### §. III. *De fine quo exercendus est actus conjugii.*

Quæres, *Quo fine actus conjugalis sit exercendus, ut conjuges ab omni culpa sint immunes?*

*Resp.* Triplicem assignat Catechismus Concil. Trid. *parte* 2. *de Matrim.*

*Primus* est prolis generatio, ad quam hic contractus per se ordinatur.

*Secundus* est remedium concupiscentiæ. Hunc finem esse licitum.

*Prob.* 1. Quia Matrimonium est secundario institutum in remedium concupiscentiæ dicente Apostolo (1. *Cor.* 7. *vers.* 2.) *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*; ergo remedium concupiscentiæ est finis licitus Matrimonii, quem approbat Ecclesia recipiens Matrimonium senum, quibus nulla est spes prolis suscipiendæ.

*Prob.* 2. Exigere debitum ad impediendam compartis incontinentiam, est actus licitus & charitatis; ergo & exigere ad eam in se vitandam, cum ordo charitatis postulet, ut iisdem circumstantiis prius nostro quam proximi bono spirituali, imo & temporali, consulamus.

Di-

*Dices* 1. Nonnulli ex Sanctis Patribus eos, qui actum conjugalem exercent ad vitandam propriam suam incontinentiam, asserunt peccare venialiter; ergo, &c.

*Resp. dist. ant.* Docent peccare venialiter, quia rarissime contingit ut conjuges sub prætextu vitandæ incontinentiæ, potius libidini non serviant, quam rationem sequantur, *conc. ant.* Certum namque est *opus conjugii propter libidinem solam exercitum omni culpa non carere, nec defectu veniali*, ut definivit Innoc. XI. in damnatione propositionis oppositæ. Præcise quia exercent copulam ad vitandam propriam incontinentiam, *nego.*

*Dices* 2. Matrimonium non fuit ordinatum ad vitandam propriam incontinentiam; ergo hic finis non est licitus.

*Resp.* Nec etiam ordinatum esse ad præcavendam compartis eandem incontinentiam; fatentur tamen adversarii propter eam licite ac meritorie copulam exerceri posse; & quare? Nisi quia per accidens & secundario ad hunc finem ordinatum est Matrimonium, supposito ac præviso lapsu hominis ad venerea inclinati.

*Tertius*, est affectus quo vir erga mulierem, & uxor erga virum naturaliter afficitur, modo excludatur libidinis deordinatio, & excessus, qui semper est venialis.

*Prob.* Quod hic finis sit licitus; 1. Quia ex Patribus talis affectus est honestus ac legitimus; ergo & actus conjugalis ex eo exercitus. 2. Quia hæc amicalis commixtio nec rationi repugnat, nec sanctitati ac fini Matrimonii, quod est essentialiter amorosa maris & feminæ individua conjunctio & societas.

## §. IV. *De modo, quo exercendus est actus Matrimonii.*

Quæres: *Quandonam conjuges peccent in usu conjugii?*

Pudet, fateor, de peccatis conjugum loqui: obscœna magis silentio prætermittemus, ea dumtaxat explicabimus quæ absolute Confessariis necessaria sunt, ne cæci cæcis ducatum præstando cum pœnitentibus in foveam cadant, itaque

*Resp.* Conjuges multipliciter peccare posse & quidem mortaliter.

1. *Ratione affectus inordinati*; si nimirum coiens cum sua, ad aliam, quam carnaliter amat, affectum suum dirigeret.

2. *Ratione loci*, ubi copula exercetur: si enim in loco sacro exerceatur, est sacrilegium mortale: si coram aliis, est scandalum mortale; ideo dicendum de tactibus & aliis blanditiis lascivis inter conjuges habitis.

3. *Ratione modi* peccant mortaliter. 1. Si coeant extra vas naturale, sive complete in ipso seminando, sive incomplete; est enim peccatum sodomiæ.

4. Si quovis modo semen humanum extra vas naturale effundant, quia hic coitus adversatur bono speciei, vocaturque in Scripturis res detestabilis: *Gen.* c. 38.

5. Si quovis modo generationem impediant, aut impedire tentent, v. gr. mulieres quæ ne concipiant, susceptum semen ejiciunt, aut ejicere conantur: nam hoc repugnat fini seminis, qui est generatio.

6. Qui de industria se retrahunt absque seminatione integra, peccant mortaliter ob periculum pollutionis, quod tunc nunquam abest saltem ab alterutro: hæc omnia sunt gravissima peccata contra naturam: sed,

Quæres: *An peccent conjuges qui immutant statum & ordinem naturalem, servato vase debito?*

*Resp.* Si immutent ordinem naturalem cum periculo pollutionis, peccant mortaliter; si absit tale periculum, peccant tantum venialiter, quia est eversio naturalis ordinis in modo tantum accidentali, cum talis eversio non impediat generationem: imo si immutatio talis fiat ex necessitate, quia nempe conjuges aliter convenire nequeunt, nullatenus peccant citra periculum pollutionis.

4. *Ratione damni ex copula orituri*: si v. gr. actum illum exercent cum periculo abortus; nam abortio est mortalis; ergo & ejus periculum voluntarium. Sed

Quæres: *Quale sit peccatum accedere ad uxorem tempore vel graviditatis, vel fluxus menstrui, vel puerperii?*

*Resp.* 1. Exigere debitum ab uxore gravida, si sit periculum abortus, est mortale: si absit tale periculum, nullum est per se peccatum.

*Resp.* 2. Circa concubitum cum uxore menstruata vel puerpera non ita conveniunt Theologi; aliqui censent lethaliter peccare tam reddentem, quam petentem, quia inquiunt talis concubitus est noxius proli, quæ nascitur vel leprosa, vel elephantiaca. Alii asserunt esse veniale tantum, sed grave intra latitudinem peccati venialis: his adhæremus: est enim contra experientiam, talem concubitum esse noxium proli.

## §. V. *De tactibus, aspectibus obscœnis, &c. inter conjuges.*

Quæres: *An & qualia sint peccata tactus, aspectus, & oscula obscœna inter conjuges?*

*Resp.* Tactus, aspectus, oscula si sine pollutionis periculo immediate referantur ad copulam, nec fiant propter voluptatem, non sunt peccaminosa, quia licite se juvant & excitant conjuges ad actum honestum.

Dixi: *Si fiant sine periculo pollutionis*; quia si fiant cum tali periculo (quod raro abesse potest, cum spiritus genitales ex se valde excitent) sunt mortalia.

Dixi 2. *Nec fiant propter voluptatem*: quia si propter hunc finem præcise fiant, sunt culpa saltem venialis, ut definivit Innoc. XI. in damnatione hujus proposit. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa veniali ex defectu.*

Si vero tactus, aspectus, &c. exerceantur sine animo perveniendi ad copulam, secundum D. Antoninum sunt mortales, quia tales actus non sunt liciti conjugibus, nisi in ordine ad copulam, at æstimamus cum aliis esse solum veniales, quia ex natura sua ordinantur ad copulam ipsis licitam. Quod si fiant ab uno conjuge in absentia compartis, sunt mortales, quia ex natura sua tendunt ad pollutionem.

*Nota.* Hinc breviter, pœnitentes maxime mulieres de his rebus citra necessitatem, & in ne-

cessitate, nisi magna cautela, esse interrogandos, *ne vituperetur ministerium nostrum*, & imbecilles scandalum patiantur, experimentum sumendo de iis quæ antea ignorabant.

## CAPUT IV.

### *De impedimentis Matrimonii.*

*Nota* 1. Impedimentum Matrimonii est quidquid obstat ne rite celebretur: aliud est impediens tantum, aliud dirimens.

Impedimentum *impediens* est illud, quod reddit Matrimonium tantummodo illicitum.

Impedimentum *dirimens* est illud, quod Matrimonium attentatum reddit nullum ac irritum.

Porro impedimentum dirimens semper dirimit non obstante ignorantia invincibili sive juris, sive facti circa illud, quia non est pœna quæ culpam supponat, sed inhabilitas moralis ad Matrimonium propter bonum commune statuta, quæ non requirit cognitionem sui ut contrahatur.

*Nota* 2. Agemus hic 1. de potestate statuendi impedimenta Matrimonii; 2. de impedimentis sigillatim: 3. de dispensatione ab impedimentis; 4 de modo Matrimonii invalidi revalidandi.

## ARTICULUS I.

### *De potestate statuendi impedimenta Matrimonii.*

Quæres 1. *An Ecclesia potestatem habeat statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia?*

*Resp. affirm.* Est de fide, tum ex antiquissima ipsiusmet Ecclesiæ praxi; tum ex Concil. Trident. (*Sess.* 24. *can.* 1.) definiente: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit.*

*Prob.* Administratio Sacramentorum ad solam Ecclesiam pertinet: atqui ex dictis Matrimonium est Sacramentum novæ Legis proprie dictum; ergo ejus administratio ad solam Ecclesiam pertinet; ergo habet potestatem statuendi impedimenta dirimentia.

*Nec obstat* 1. illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: nam Deus non conjungit nisi eos qui legitime contrahunt, quales non sunt, quibus fuit appositum impedimentum dirimens.

*Nec obstat* 2. Quod Ecclesia non possit mutare materiam & formam Sacramenti; atqui statuendo impedimenta dirimentia, mutaret materiam Sacramenti; ergo.

*Resp. nego min.* Ecclesia enim statuendo impedimenta Matrimonium dirimentia, non mutat substantiam seu materiam Sacramenti Matrimonii, quæ in mutuo consensu reponitur, sed tantum reddit personas inhabiles ad contrahendum, quo fit ut contractus sit nullus; sicut qui corrumperet vinum, faceret, ut tale vinum non esset amplius materia Sacramenti Eucharistiæ, non tamen faceret quod vinum secundum se non esset illius materia; ita a pari de Matrimonio, cujus materia non est quilibet contractus, sed solus contractus legitimus, id est, secundum Ecclesiæ constitutiones initus.

Quæres 2. *An Principes sæculares possint statuere impedimenta Matrimonii dirimentia?*

*Nota:* Hanc famosam quæstionem jam ventilavimus ubi de necessitate consensus parentum ad valorem Matrimonii.

*Certum est* 1. Principes posse, suis edictis irritare civilem Matrimonii contractum, quantum nimirum ad effectus civiles, politicos, ac temporales; nam jus illud ipsis est tam innatum & proprium, ut eo spoliari nunquam possint; eorum est enim cives suis edictis ita inter se componere, ut reipublicæ pax & tranquillitas efflorescat.

*Certum est* 2. Reges neque directe, neque indirecte quidquam posse in Matrimonium quatenus est res spiritualis & Sacramentum; nam temporalis Regum auctoritas ad res Ecclesiæ spirituales, quemadmodum & Ecclesiastica ad res Principum temporales non se extendit, non tantum directe, sed ne indirecte quidem.

Caput igitur quæstionis unice devolvitur, utrum per accidens & præter intentionem sæcularis potestatis sequatur nullum esse Sacramentum Matrimonii, quando contractus ejus civilis lege civili declaratur irritus.

Affirmant qui asserunt civilem contractum ita esse materiam Sacramenti, ut eo per leges Regum irritato nulla supersit Sacramenti materia, & consequenter nullum esse Sacramentum.

Negant qui asserunt irritato ac deficiente contractu civili, humanum seu naturalem qui consistit in mutuo consensu, esse materiam Sacramenti sufficientem. His notatis:

## CONCLUSIO.

*Principes non habent jus statuendi impedimenta quæ dirimant contractum civilem, consequenter dirimant Sacramentum Matrimonii ob defectum materiæ.*

*Prob. prop.* Contractus civilis, ut civilis, non est materia Sacramenti Matrimonii; ergo. *Probat. ant.* Constat Concilium Trident. Matrimonia facta sine consensu parentum, firma & rata haberi, in ratione scilicet Sacramenti; constat ex altera parte Matrimonia hujusmodi irritari quoad effectus civiles, adeoque & ipsum contractum civilem qui illorum effectuum est fundamentum; ergo eo in casu materia Sacramenti non potest esse contractus civilis quatenus civilis est; ergo necesse est contractum humanum tunc esse materiam sufficientem Matrimonii.

*Neque dicas* 1. Contractum illum humanum subjacere legibus Principum, per quas eo in casu irritatur; ergo.

*Resp. dist. ant.* Irritatur per ordinem ad civilia & politica, *conc.* per ordinem ad spiritualia & Sacramenti rationem, *nego ant.*

*Neque dicas* 2. Per nostram doctrinam imminui jus Principum in Matrimonium.

*Resp. nego ant.* Potestas enim Principum non excedit ordinem naturalem, versaturque circa Matrimonium unice quatenus est contractus civilis & politicus: quem semper irritare & invalidare possunt: unde dominus Louet in suis Arrestis ait: *Nihil est absurdi si valeat in foro conscientiæ Matrimonium, quod nullum est in foro civili.*

AR-

## ARTICULUS II.

### *De impedimentis Matrimonii speciatim.*

Quæres 1. *Quot & quænam sint impedimenta Matrimonium impedientia?*

*Resp.* Jure veteri 12. numerabantur, sed nunc sunt tantum quatuor quæ certo vigent, & sub mortali obligant, cum materia præcepti sit gravis; hoc versu continentur:

*Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.*

*Ecclesiæ vetitum*, est prohibitio ab Episcopo vel Parocho facta nupturientibus; ne contrahant Matrimonium ob aliquam causam temporalem: v. g. donec probaverint se esse liberos, vel consensum parentum obtinuerint, vel donec inquiratur an impedimentum quod objicitur, revera existat. Ita definivit Alexander III. *cap.* 2. *de Matrim. contracto contra interdict. Eccles.*

*Tempus*, quo interdicuntur nuptiæ, est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusive, & a die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive. *Trid. sess.* 24. *cap.* 10. *de reform.*

Dubitant aliqui an Concil. Trid. prohibuerit duntaxat nuptiarum solemnitatem, non vero nuptias simpliciter; verum si a nuptiis solemnitatem, quæ fiunt coram Parocho ac testibus, detraxeris, non tantum solemnes non sunt, sed nequidem veræ nuptiæ; ergo dum Concilium prohibuit nuptias solemniter celebrari certis temporibus, haud dubie prohibuit eas omnino celebrari, ut constat ex praxi Ecclesiæ.

*Votum*, quod impedit licitam celebrationem Matrimonii, est votum simplex castitatis in sæculo servandæ, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel nunquam nubendi. Ratio est, quia votum jure divino naturali obligat ad sui observationem, ne fides Deo data violetur. *Cap.* 6. *qui Clerici vel voventes.*

*Sponsalia*, legitima prius cum alio contracta & nondum dissoluta, impediunt licitam celebrationem Matrimonii. Ratio est, quia tunc violaretur in re gravi fides alteri data, & promissio onerosa ei facta, & ab eo acceptata. *Cap.* 10. *de sponsal.*

Quæres 2. *Quot sint impedimenta dirimentia?*

*Resp.* Sunt quindecim his versibus expressa.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen;*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Amens, affinis, si clandestinus, & impos,*
*Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,*
*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

#### §. I. *De impedimenta erroris.*

*Nota*: Error est actus intellectus quo quis putat verum quod est falsum, & falsum quod est verum. Unde

Impedimentum erroris, est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta ex errore circa personam, vel circa qualitatem redundantem in personam.*

Quæres 1. *An & quomodo error sit impedimentum dirimens?* Ante responsionem

*Nota* 1. Error vel est *circa substantiam personæ*, nempe cum quis contrahit cum una, putans esse aliam, quomodo contigit Jacob cum duxit Liam, putans esse Rachelem quam petierat. Vel est *circa simplicem qualitatem personæ*, cum nempe quis ducit pauperem, ignobilem, corruptam, quam existimabat divitem, nobilem, virginem.

*Nota* 2. Error qualitatis redundat in errorem personæ, cum qualitas personam determinat, distinguitque a quavis alia, v. gr. si contrahens intendat contrahere cum primogenita quam aliter non novit, & ejus loco detur secundogenita. His notatis

*Resp.* 1. *Error circa substantiam personæ, & circa qualitatem redundantem in personam, qualiscumque sit, sive antecedens, sive concomitans, vincibilis aut invincibilis, irritat Matrimonium.*

*Prob.* Quia in Matrimonio valide contrahendo necessario requiritur explicitus formalisque consensus circa substantiale objectum illius; atqui talis consensus non potest subsistere cum errore circa substantiam personæ, vel circa qualitatem redundantem in personam; ergo, &c. *Hinc* Lia non fuit vere uxor Jacob, nisi postquam ipse, detecta fraude, eam acceptavit in uxorem.

*Resp.* 2. *Error circa simplicem qualitatem personæ, non irritat Matrimonium*; quia licet propter hunc errorem, involuntarium sit quoad accidentalia, voluntarium tamen est quoad substantiam, quippe defectus accidentium non tollit consensum absolutum in rem ipsam .... *Excipe* nisi consensus datus sit solum sub conditione talis qualitatis, circa quam erratur; ut si quis dicat, *Contraho tecum, si es dives*: *secus non contraho*: nam consensus conditionatus non subsistit, non subsistente conditione cui alligatur.

*Dices*: Error dans causam contractui, facit contractum irritum; atqui error circa qualitatem personæ sæpe dat causam contractui Matrimonii; ergo, &c.

*Respond. dist. maj.* Error dans causam finalem substantialem contractui, facit contractum irritum, *conc. maj.* accidentalem, *nego maj.* & sic dist. min. *nego conseq.* .... Itaque causa finalis substantialis Matrimonii est humani generis propagatio, non vero nobilitas, aut divitiæ.

*Inst.* Liber qui servam, quam putabat liberam, ducit in uxorem, invalide contrahit, licet servitus & libertas sint solummodo qualitates personæ; ergo a pari, &c.

*Resp. nego conseq.* Disparitas est quod Ecclesia inter impedimenta dirimentia statuit servitutem, non vero paupertatem, &c.

Quæres 2. *Quo jure error dirimat Matrimonium?*

*Respond. Jure naturali*, quia prorsus tollit consensum, sine quo nullus est contractus; unde tale Matrimonium non potest subsistere, nisi per novum consensum.

#### §. II. *De impedimento conditionis.*

Quæres 1. *Quid intelligatur nomine conditionis?*

*Resp.*

*Resp.* Intelligitur *servitus*, qua quis ita est sub dominio alterius, ut sit ejus possessio, quem pro libitu possit vendere, locare, permutare, &c. unde

Impedimentum conditionis, est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex servitute ignorata parte libera.*

Dicitur: *Ignorata:* quia si servitus fuerit cognita a parte libera, non dirimit Matrimonium; ratio est quia tunc pars libera consentit in illam inæqualitatem, ad quam impediendam statutum est hoc impedimentum; in quo casu pars libera tenetur relinquere conjugem sub dominio domini sui, nec plenum dominium habet in ipso conjugii officio. Sic deciditur, *cap.* proposuit, *de conjugio servor.*

Quæres 2. *Quo jure conditio dirimat Matrimonium?*

*Resp.* Dirimit solo jure ecclesiastico, *cap.* ad nostrum, *eodem tit.* quia est error solum circa qualitatem personæ; hoc tamen impedimentum est juri naturali maxime consentaneum, quia cum servus non sit sui juris, videtur quod non possit proprium corpus per Matrimonii contractum transferre in potestatem alterius conjugis. Hoc impedimentum non habet locum in Gallia, ubi nulla est servitus, sed solum famulatus.

## §. III. *De impedimento voti.*

Quæres 1. *Quodnam votum dirimat Matrimonium?*

*Resp.* Solum votum solemne, quod emittitur in professione Religionis approbatæ; prout definivit Bonifac. VIII. *cap. unico de voto in* 6. Concilii Trid. Sess. 24. Can. 9. *Si quis dixerit regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*

Dixi: *Solum votum solemne:* de jure veteri, nam de jure novo Greg. XIII. statuto in Bulla *ascendente Domino*, votum simplex emissum a PP. Societatis Jesu est impedimentum dirimens Matrimonium.

Quæres 2. *Quo jure votum dirimat Matrimonium?*

*Resp.* Satis perspicuum est illud impedimentum esse juris ecclesiastici, cum ab hoc solo votorum solemnitas fuerit instituta, prout definivit Bonifac. VIII. *ibidem*, idque manifestum est ex voto simplici PP. Societatis, quod non esset impedimentum dirimens, nisi accederet lex Ecclesiæ; ergo non ex vi voti; sed ex dispositione Ecclesiæ impedimentum istud oritur.

*Dices* 1. Votum simplex dirimit matrimonium: ergo.

*Prob. ant.* Ex *cap.* rursus, *qui Clerici vel voventes*, ubi dicitur: *Votum simplex apud Deum non minus obligat solemne.*

*Resp. dist.* Non minus obligat ob injuriam Deo illatam si non servetur, *conc.* ob subsequentis Matrimonii nullitatem, *nego;* seipsum explicat summus Pontifex dicens: *Cum votum simplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum.*

*Dices* 2. Fortius ligat vinculum cum Deo, quam cum homine; atqui votum simplex est vinculum cum Deo, matrimonium est vinculum cum homine; ergo.

*Resp. dist. maj.* Si illa vincula sint in eodem genere, verb. gr. donatio cum donatione; *conc. maj.* si sint in diverso, verb. gr. promissio cum donatione, *nego maj.* At votum simplex est promissio fidelitatis facta Deo, non vero contractus translationis proprii corporis; e contra Matrimonium non est simplex permissio facta homini, sed est contractus translationis proprii corporis; unde illa duo vincula non sunt in eodem genere.

## §. IV. *De impedimento cognationis.*

*Nota:* Triplex est cognatio Matrimonium dirimens. Prima est carnalis, & dicitur *consanguinitas.* Secunda spiritualis, & dicitur *compaternitas.* Tertia legalis, & est *adoptio.* Unde

Impedimentum cognationis definitur, *Inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter personas vel carnaliter, vel spiritualiter, vel legaliter propinquas.*

### *De Consanguinitate.*

Quæres 1. *Quid sit consanguinitas?*

*Resp.* Est *vinculum persooarum, quarum una vel alia, vel ambæ ab eadem, tamquam a communi & propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.*

Dicitur 1. *Vinculum;* id est sanguinis conjunctio.

Dicitur 2. *Quarum ab alia*: ut filia a patre.

Dicitur 3. *Vel ambæ ab eadem*: ut duo fratres ab eodem patre.

Dicitur 4. *Tanquam a communi stipite*: ducta metaphora a trunco arboris, a quo multi rami defluunt, ita filii a patre & matre.

Dicitur 5. *A propinquo stipite;* quia descendentes a remoto stipite, verb. gr. ab Adamo, Noe, &c. non sunt consanguinei. Remotus enim stipes habet potius rationem radicis quam trunci, seu stipitis.... *Stipes* est ea persona, a qua cæteræ quæ dicuntur consanguineæ originem trahunt, sive sit pater, sive mater, cum ambo ad generationem concurrant.

Dicitur 6. *Per carnalem generationem:* unde licet Eva ab Adamo prodierit, non erant tamen consanguinei, quia Eva ab Adamo non prodiit per generationem.

Quæres 2. *Per quid distinguatur consanguinitas?*

*Resp.* Per lineas & gradus.

*Linea*, est *ordinata personarum ab eodem stipite descendentium collectio, diversos gradus continens.*

*Gradus*, est *mensura distantiæ unius personæ ab alia in eadem consanguinitatis scala.*

Quæres 3. *Quotuplex sit linea?*

*Resp.* Duplex, directa nimirum, & indirecta seu collateralis.

Linea *directa*, est *ordinata series earum personarum, quarum una ab alia procedit;* sive ascendendo, dum a genitis ad genitores proceditur, & dicitur *recta ascendens;* sive descendendo, dum a genitoribus ad genitos fit processus, & dicitur *recta descendens.*

Linea

Linea *indirecta* est *ea*, *quæ continet personas descendentes quidem ab uno communi stipite*, *sed quarum nulla descendit ab altera*; v. gr. frater & soror, consobrinus, & consobrina.

Quæres 4. *Quotuplex sit linea indirecta?*

*Resp.* Est duplex, æqualis scilicet & inæqualis. Linea *indirecta æqualis* est ea, secundum quam ad personæ, quarum cognatio quæritur, æqualitates distant a communi stipite: v. gr. duo fratres æqualiter distant a patre, nimirum uno gradu.

Linea *indirecta inæqualis* est ea, secundum quam personæ inæqualiter distant a communi stipite, v. gr. frater & filius fratris; frater enim distat a communi stipite, nempe a patre, uno tantum gradu, filius fratris duobus gradibus.

Quæres 5. *Quot sint regulæ ad computandos gradus consanguinitatis?*

*Resp.* Sunt tres.

Prima regula: *In linea recta tot sunt gradus quot sunt personæ: dempto stipite a quo ducitur computationis initium*; v. gr. pater, filius; nepos, pronepos, abnepos, quinque sunt personæ & quatuor gradus; unde filius cum patre est in 1. gradu, nepos in 2., pronepos in 3., abnepos in 4., cum enim gradus sit distantia unius ab altero, prima persona genealogiæ non potest gradum facere, cum nec a seipsa, nec ab alia superiore distet; alias non esset *prima*, sed *secunda*, quæ incipit distare.

Secunda regula: *In linea collaterali æquali tot gradibus duo distant inter se*, *quot ambo distant a communi stipite*; v. gr. frater & soror distant inter se uno gradu, quia uno tantum gradu distant a stipite, qui est pater in quo conjunguntur.

Tertia regula: *In linea collaterali inæquali personæ tot gradibus distant inter se*, *quot remotior distat a communi stipite* .... Ratio est quia cum personæ propinquitatem inter se non habeant nisi ratione stipitis, non possunt inter se propius conjungi, quam remotior persona stipiti conjungatur. Unde si una persona distet a stipite quatuor gradibus, altera quinque gradibus, erunt inter se in quinto gradu, sicque inter illas non erit impedimentum dirimens, *cap.* vir, *de consanguinitate.*

*Uti clarius prostat in Figura Prima.*

Quæres 6. *In quo gradu consanguinitas Matrimonium dirimat?*

*Resp.* 1. Consanguinitas in linea recta dirimit Matrimonium in quocumque gradu usque in infinitum, ait Nicolaus I. *ad consulta Bulgarorum*, *cap.* 39. ita ut si Adam adhuc viveret, nubere non posset, cum sit pater omnium mulierum.

*Resp.* 2. Consanguinitas in linea collaterali, quæ alias usque ad septimum gradum dirimebat Matrimonium, nunc illud duntaxat dirimit usque ad quartum gradum inclusive, ex Conc. Lateran. IV. *cap.* non debet, *eodem tit.*

Quæres 7. *Quo jure consanguinitas Matrimonium dirimat?*

*Resp.* In quocumque gradu lineæ rectæ, & in primo gradu lineæ collateralis æqualis, consanguinitas dirimit Matrimonium jure naturæ, hoc enim dictat pudor & reverentia quæ homini naturaliter insita est erga parentes, & quam sibi quoque debent fratres & sorores, & quæ facit hujusmodi connubium, natura refugiat & exhorrescat: unde & apud nationes maxime barbaras in horrore semper habitum est Matrimonium fratris cum sorore.

*Dices:* Filii Adam duxerunt sorores; ergo ejusmodi Matrimonium non repugnat juri naturali.

*Resp. dist. consequent.* Non repugnat juri naturali invariabili, quo prohibentur ea quæ ita per se mala sunt, ut nulla circumstantia cohonestari possint, *conc.* non repugnat juri naturali variabili, quod propter evidentem necessitatem potest mutari, *nego consequent.* tale est Matrimonium fratris cum sorore.

*Resp.* 2. Cæteri gradus lineæ collateralis irritant Matrimonium solo jure ecclesiastico; cum etiam in secundo gradu possit Papa dispensare ex Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 15. & infidelium Matrimonia in eo gradu valida sint, prout definivit Innoc. III. *cap.* 8. *de divort.*

*Dices*; Deus, *Levit.* 18. nepotum cum amitis Matrimonia prohibet; ergo jure divino Matrimonia in secundo gradu lineæ collateralis, sunt prohibita.

*Resp. nego conseq.* Quia illa lex non erat naturalis, sed judicialis & positiva divina, quæ vim non habet in lege Evangelica.

Ex omnibus supra dictis exurgit arbor seu schema consanguinitatis, ex quo quæ huc usque diximus magis elucescent.

*Nota.* Consanguinitas potest esse duplex ex duplici capite.

1. Quando sunt duo stipites, v. gr. si duo fratres contrahant cum duabus feminis inter se consobrinis, liberi ex his duobus conjugiis nati, erunt in 2. gradu ex parte patrum, & in 3. ex parte matrum, & tunc dicuntur esse in 2. & 3. ex duobus stipitibus, hoc palam fiet *in Figura secunda*, in qua Franciscus & Bertha sunt in 2. gradu ex parte patrum, & in 3. ex parte matrum ex duobus stipitibus.

2. Quando ex eodem stipite descendentes inter se Matrimonio contraxerunt, ex quibus nati sunt dupliciter consanguinei, verbi gratia Petrus, Paulus & Joannes sunt fratres; Paulus contraxit cum nepte Joannis; filius ex ipsis natus erit in 2. gradu cum filio Petri ex parte patris utriusque; & erit in 2. & 4. gradu cum eodem filio Petri ex parte matris, ut videre est *in Figura tertia*, in qua Franciscus & Anna sunt in 2. gradu ex parte utriusque patris, in 2. & 4. ex parte Mariæ matris Francisci.

Cum autem sit duplex consanguinitas, est duplex impedimentum, quod debet exprimi in petitione dispensationis. Figura 2. & 3.

*De cognatione spirituali.*


Quæres 1. *Quid sit cognatio spiritualis?*


*Resp.* Est propinquitas jure ecclesiastico inducta proveniens ex Baptismi & Confirmationis collatione & susceptione in utroque Sacramento.

Quæres 2. *Inter quos cognatio spiritualis dirimat Matrimonium?*


*Resp.* Ex jure novo Trident. (*Sess.* 14. *cap.* 2. *de ref. Matrim.*) Matrimonium dirimit 1. Inter susceptores in utroque Sacramento, & susceptum, illiusque patrem & matrem ..... 2. Inter Ministrum Baptismi & Confirmationis, & illa Sa-

cra-


4 Abavus. Abavia.
4 Propatruus. Propatrua.
4 Proavunculus. Promatertera.
4 Horum Filius & Filia.
4 Horum Filius & Filia.
4 Eorum Nepos & Neptis.
4 Eorum Nepos & Neptis.
4 Eorum Pronepos Proneptis.
4 Eorum Pronepos Proneptis.
3 Proavus. Proavia.
3 Magnus Patruus. Magna Patrua.
3 Magnus Avuncul. Magna Matertera
3 Propior Sobrinus. Propior Sobrina.
3 Propior Sobrinus. Propior Sobrina.
3 Horum Filius & Filia.
3 Horum Filius & Filia.
4 Eorum Nepos & Neptis.
4 Eorum Nepos & Neptis.
2 Avus. Avia.
2 Patruus & Amita.
2 Avunculus & Matertera.
2 Patruelis & Filia Patrui.
2 Consobrinus. Consobrina.
3 Horum Filius & Filia.
3 Horum Filius & Filia.
4 Eorum Nepos & Neptis.
4 Eorum Nepos & Neptis.
1 STIPES Pater. Mater.
1 Frater.
1 Soror.
2 Filius & Filia Fratris.
2 Filius & Filia Sororis.
3 Fratris Nepos & Neptis.
3 Sororis Nepos & Neptis.
4 Fratris Pronepos. Proneptis.
4 Sororis Pronepos. Proneptis.
Persona de qua agitur.
1 Filius. Filia.
2 Nepos. Neptis.
3 Pronepos. Proneptis.
4 Abnepos. Abneptis.
Non gignunt dextros; qui sunt in parte sinistra.
Læva dat uxores, dat tibi dextra mares.


Jacobus.
Andreas.
Paulus.
Petrus.
Maria
Sponsa
Lucii.
Lucius
Sponsus
Mariæ.
Joannes
Sponsus
Margaritæ.
Margarita
Sponsa
Joannis.
Francis-
cus.
Bertha.

CHARMES, *Theologia*, Figura 3.



| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Tritavus | Patruus maximus | | | | |
| Adavus | Patruus major | Patrui majoris filius | | | |
| Abavus | Patruus magnus | Patrui magni filius | Patrui magni nepos | | |
| Proavus | Patruus | Patrui filius | Patrui nepos | Patrui pronepos | |
| Avus | Frater | Fratris filius | Fratris nepos | Fratris pronepos | Fratris abnepos. |

| | | |
|---|---|---|
| LEGE HÆREDITATES | Pater | QUEMADMODUM REDEANT |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | EGO | | |
| Uxor quæ in manu viri eſt. | CONSANGUINEI | Filius qui ex poteſtate non exiit. | SUNT INTER SE | Filia quæ in poteſtate eſt. |
| Nurus quę in manu filii eſt. | HI QUOQUE SUNT | Nepos qui ex poteſtate non exiit. | INTER SE CONSANGUINEI | Neptis quæ in poteſtate eſt. |
| Pronurus quę in manu nepotis eſt. | ITEM CONSANGUINEI | Pronepos qui ex poteſtate non exiit. | SUNT INTER SE | Proneptis quæ in poteſtate eſt |
| Abnurus quę in manu abnepotis eſt. | ET HI INTER SE | Abnepos qui ex poteſtate non exiit. | SUNT CONSANGUINEI | Abneptis quæ in poteſtate eſt. |
| Adnurus quę in manu adnepotis eſt. | SUNT QUOQUE INTER | Adnepos qui ex poteſtate non exiit. | SE CONSANGUINEI | Adneptis quæ in poteſtate eſt. |
| Trinurus quę in manu trinepotis eſt. | ITEM II SUNT INTER | Trinepos qui ex poteſtate non exiit. | SE CONSANGUINEI | Trineptis quæ in poteſtate eſt. |

cramenta suscipientem, illiusque patrem & matrem. Etiamsi Minister baptizet in casu necessitatis, quia *ubi lex non distinguit*, *nec nos distinguere debemus.*

Excipitur a Paulo V. pater aut mater, qui legitimi prolem baptizat *in mortis articulo*, *quando alius non reperitur*, *qui baptizet.* Item *cap.* si vir, *de cognat. spirit.* Excipitur pater aut mater, qui ex ignorantia facti invincibili legitimam prolem susciperent. Porro exceptio firmat regulam quoad cæteros.

*Resolv.* Illud impedimentum non contrahunt

1. Patrinus & Matrina inter se, ut maxime colligitur ex constitutione S. Pii V. *cum illius vicem.* Unde possunt contrahere Matrimonium inter se.

2. Qui munus Patrini exercent dum supplentur cæremoniæ Baptismi, quia tunc Sacramentum non confertur.

3. Procurator Patrini, quia non suo, sed mandantis nomine agit; propter contrariam rationem hoc impedimentum contrahit, qui baptizat ex commissione, quia non agit vice committentis, sed Christi.

*De cognatione legali.*

Quæres 1. *Quid sit cognatio legalis?*

*Resp.* Est *propinquitas personarum ex adoptione perfecta consurgens.*

Adoptio *perfecta*, est personæ extraneæ assumptio ad hæreditatem.

Quæres 2. *Inter quos cognatio legalis Matrimonium dirimat?*

*Resp.* Dirimit 1. inter adoptantem & adoptatum posterosque adoptati usque ad 4. gradum.

2. Inter uxorem adoptantis & adoptatum, & vicissim inter uxorem adoptati & adoptantem.

3. Inter adoptatum seu adoptatam, & filios aut filias legitimos adoptantis, sed hoc ultimum impedimentum cessat, cum filii aut filiæ sunt liberi a patria potestate per mortem adoptantis, vel per emancipationem, ut colligitur *cap. unico de cognat. legali.*

Porro cum apud nos non eligantur, sed nascantur hæredes, cognatio legalis vix est in usu.

## §. V. *De impedimento criminis.*

Quæres, *Quid sit impedimentum criminis?*

*Resp.* Est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex homicidio, vel adulterio, vel utroque simul.* Unde

Triplex jure ecclesiastico crimen (præter raptum) Matrimonium dirimit, scilicet

1. *Homicidium solum*, cum nempe quis occidit conjugem alterius conspirantis, vel consentientis in homicidium, ex intentione postea Matrimonium ineundi (*Cap. laudabilem*, *de conversione infidelium*). Tria ergo requiruntur ad hoc impedimentum contrahendum, nempe homicidium reale, nec sufficit attentatum; mutua conspiratio; pactum vel animus Matrimonium postea inter se ineundi, quorum si unum desit, homicidium non est impedimentum dirimens.

2. *Adulterium solum*, dirimit Matrimonium ineundum inter adulterum & adulteram. Quando sive ante, sive immediate post adulterium, adulteri sibi dederunt promissionem de Matrimonio contrahendo post obitum conjugis. (*Cap. Relatum*, 31. *q.* 1.)

3. *Adulterium & homicidium simul*, dirimit Matrimonium ineundum inter adulteros, quando post admissum adulterium simpliciter, & sine data fide de futuro Matrimonio, conjux unius occiditur ab alterutro adultero absque alterius adulteri consensu, seu absque mutua conspiratione. *Cap.* 3. & 6. *de eo*, *qui duxit in Matrim. quam polluit per adult.*

## §. VI. *De impedimento disparitatis cultus.*

Quæres 1. *Quid sit cultus disparitatis impedimentum?*

*Resp.* *Est inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter personas*, *quarum una est baptizata*, *altera non baptizata.*

Quæres 2. *Quo jure irrita sint Matrimonia Christianorum cum infidelibus?*

*Resp.* Sunt invalida solo jure ecclesiastico per universalem consuetudinem inducto, non tamen ante VI. sæculum, ut patet ex sancta Cæcilia quæ nupsit Valeriano Ethnico; sancta Monica Patricio, sancta Clotilde Clodovæo, quorum Matrimonia procul dubio fuere valida.

Dixi, talia Matrimonia *solo jure ecclesiastico* esse irrita; nam sunt prohibita jure divino positivo juxta illud 2. Cor. 6. " Nolite jugum ducere ,, cum infidelibus .... quæ conventio Christi ad ,, Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli ,,? Immo si sit periculum subversionis, sunt prohibita jure naturali, juxta illud, " Si oculus tuus ,, scandalizat te, erue eum, & projice abs te ,,. Matth. 5. vers. 29.

*Dices:* Ergo sanctæ mulieres supra laudatæ peccaverunt nubendo Ethnicis; atqui hoc non est credibile.

*Prob. nego illatum*: Vel enim nupserunt ex speciali Dei instinctu, Deus autem in sua Lege potest dispensare; vel bona fide egerunt, & sic sunt excusandæ, non laudandæ.

Quæres 3. *Quid sentiendum sit de Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis?*

*Resp.* Certum est quod sint valida, cum nullo jure irritentur; sunt tamen illicita & prohibita jure ecclesiastico in variis Conciliis & jure. (*Conc. Burdigal. 11. & cap. cave* 28. *q* 1) Immo sunt prohibita jure naturali, si sit morale periculum subversionis. Secluso tamen hoc periculo, si bonum Ecclesiæ publicum, vel regnorum pax & familiarum concordia, vel spes convertendi hæreticum id exigant, secundum probabiliorem sententiam licita sunt ex dispensatione summi Pontificis. Ita Clemens VIII. dispensavit cum Duce Barroducensi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis sororem hæreticam duceret. Urbanus VIII. dispensavit ut Henricia Ludovici XIII. soror Carolo Angliæ Regi hæretico nuberet, ut Catholici liberius in illo Regno Catholicæ Religionis officia exercerent.

*Dices* 1. Nusquam in rebus sacris licet communicare cum hæretico notorie excommunicato; ergo.

*Resp. dist. ant.* Stante prohibitione Ecclesiæ, *conc. ant.* ea sublata, *nego ant.* Porro illa prohibitio aufertur per legitimam dispensationem expressam in illis locis, in quibus Hæretici cum Catholicis non vivunt permixti; vel tacitam in illis locis, in quibus Hæretici cum Catholicis vivunt permixti.

*Dices* 2. Non potest Catholicus inire Matrimonium cum Hæretico, quin ipsi det occasionem profanandi Sacramentum; atqui peccat contra charitatem qui alteri dat occasionem peccandi: ergo.

*Resp. dist. maj.* Non potest .... quin ipsi det occasionem profanandi Sacramentum indirecte & per accidens, *conc.* directe & per se, *nego maj.* atqui peccat qui alteri dat occasionem peccandi, per se & directe, *conc. min.* indirecte & per accidens, *nego min.* Catholicus enim contrahens cum hæretica non habet animum partem secum contrahentem impellendi ad peccatum, sed ejus duntaxat voluntate ad peccatum disposita utitur pro jure suo, quod in tali casu non est illicitum.

§. VII. *De impedimento violentiæ.*

Quæres 1. *Quid sit impedimentum violentiæ?*

*Resp.* Est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex metu gravi injuste incusso a causa libera, in ordine ad Matrimonium extorquendum.* Hoc impedimentum exposuimus *cap.* 2. *q.* 4. *prop.* 2. ubi enumeravimus conditiones ad consensum matrimonialem requisitas. Unde

Quæres 2. *Quo jure vis & metus gravis irritent Matrimonium?*

*Resp.* Circa hanc quæstionem controversia est inter Theologos; aliqui volunt metum gravem dirimere Matrimonium jure naturali, quia, inquiunt, vis & metus gravis tollunt consensum verum & liberum.

Alii probabilius censent metum non dirimere Matrimonium jure naturali, quia hoc foret ratione sublati per metum consensus & voluntarii; atqui hoc falsum est; nam consensus est actus elicitus voluntatis, voluntas autem non potest cogi quoad actus elicitos; ergo.

*Itaque* dirimit solo jure ecclesiastico, sed fundato in jure naturali dictante posse irritari contractum cui ab initio defuit spontaneum plenum, & cui adest involuntarium secundum quid conjunctum injuriæ, quæ non posset aliter reparari; & cum Matrimonium sit indissolubile, Ecclesia statuit ipsum de facto irritum fore, si injusto metu gravi ineatur.

*Dices:* Alex. III. *cap.* cum locum *de sponsalibus*, ait: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit*; ergo metus vel coactio Matrimonium dirimit jure naturali.

*Resp. dist. conseq.* Metus Matrimonium dirimit jure naturali in eo qui propter metum factus est sui impos, *conc.* talis enim metus tollit consensum essentialiter requisitum; in eo qui per metum non est factus sui impos, *nego conc.* Porro Alex. III. loquitur de eo, qui propter metum factus est sui impos.

Quæres 3. *Quomodo Matrimonium ex metu injusto irritum, possit fieri firmum?*

*Resp.* Non necesse est ut partes iterum coram Parocho & testibus contrahant, sed sufficit ut pars quæ metum passa est, consentiat in cubam conjugalem, prout decrevit Clemens III. *cap.* ad id, *de sponsal.*

§. VIII. *De impedimento Ordinis.*

Quæres 1. *Quid sit impedimentum Ordinis?*

*Resp.* Est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex susceptione sacrorum Ordinum.* Nimirum vel ob annexum votum solemne castitatis, vel ob legem ecclesiasticam sancitam infinitis Canonibus & Conciliis.

Quæres 2. *Quo jure Ordo Matrimonium dirimat?*

*Resp.* Dirimit jure tantum ecclesiastico, ut Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 9. definivit. *Si quis dixerit Clericos in Sacris constitutos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, anathema sit.*

Quæres 3. *Quænam sit differentia inter Ordines majores & professionem solemnem?*

*Resp.* Hæc est: quod professio solemnis dissolvat Matrimonium non tantum post ipsam attentatum, sed etiam Matrimonium ipsam antecedens, modo non fuerit consummatum. Ordines vero majores Matrimonium, tantummodo ipsorum susceptionem sequens dissolvat.

§. IX. *De impedimento ligaminis.*

Quæres: *Quid sit ligamen?*

*Resp.* Est *vinculum prioris Matrimonii sive rati, sive consummati, quo durante secundum Matrimonium jure naturali & divino est irritum.* Hoc impedimentum fuit sufficienter explicatum, dum de poligamia egimus.

*Resolves* 1. Mulier quæ bona fide putans virum suum esse mortuum, ad secundas transvolavit nuptias, si posthac resciverit, ipsum adhuc vivere, ad ipsummet tenetur reverti, nec potest deinceps a secundo viro debitum petere, aut ei reddere; quia prius Matrimonium subsistens, secundum invalidat.

*Resolves* 2. Si mulieri, quæ ad secundas transvolavit nuptias, dubium supervenerit de morte aut vita prioris mariti, stante dubio debitum non potest petere, tenetur tamen reddere, si vir in bona fide sit, nec expediat ipsi dubium aperire.

*Resolves* 3. Parochis non licere mulierem cum alio viro conjungere, nisi testibus omni exceptione majoribus constet de prioris mariti obitu, quantolibet annorum numero hic maritus absens fuerit; ita statuit Ecclesia, *Cap.* in præsentia, *de sponsal.* Res autem semper Episcopo, vel Officiali, est deferenda.

§. X. *De impedimento publicæ honestatis.*

Quæres 1. *Quid sit publica honestas?*

*Resp.* Est *propinquitas orta ex sponsalibus validis, aut Matrimonio rato, non consummato.* Quam propinquitatem contrahit sponsus cum consanguineis sponsæ, & vicissim sponsa cum consanguineis sponsi.

*Si ex Matrimonio rato oriatur*, dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, prout de-

declaravit S. Pius V. in suo decreto *ad Romanum*, in quo asserit Concil. Trident. circa illud nihil innovasse.

*Si oriatur ex sponsalibus validis*, dirimit tantum in primo gradu, adeo ut qui contraxit sponsalia cum aliqua muliere, habet impedimentum dirimens ineundi Matrimonium cum ejus sorore & matre; ita statuit Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. quod impedimentum perseverat etiamsi sponsalia postea fuerint iuste dissoluta, sive per mortem, sive mutuo consensu, ut decidit Congreg. Trid. 6. *Julii ann.* 1658. *quod* Summus Pontifex Alexander VII. jussit observandum. Ratio est, quia hoc impedimentum non pendet a voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia quæ voluit illud esse perpetuum, eo quod non deceat Matrimonium contrahi inter personas quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia.

Dixi: *Ex sponsalibus validis*; ad differentiam Matrimonii rati, per quod, etiamsi sit invalidum, contrahitur hoc impedimentum, ut expresse definitur *cap.* I. *de sponsal. in* 6.

Quæres 2. *Quo Jure publica honestas dirimat Matrimonium?*

*Resp.* Solo jure Ecclesiastico, nullum enim illius impedimenti vestigium reperitur in Scriptura, nec repugnat absolute honestati Matrimonium contractum cum affinitate orta ex honestate.

§ XI. *De impedimento amentiæ.*

*Certum est*, eum qui laborat amentia perpetua, inhabilem esse jure naturali ad contrahendum Matrimonium, cum non sit capax consensus, sine quo nullus esse potest contractus; quod si dementia non sit perpetua, potest qui ea laborat, contrahere Matrimonium in lucido intervallo.

*Dices* Causa 32. qu. 7. dicitur: *Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur.* Ergo.

*Resp. dist.* Si contractum fuerit ante dementiam, non debent separari, *conc.* post impeditum usum rationis per dementiam, *nego.* Est hic legitimus sensus Canonis.

§ XII. *De impedimento affinitatis.*

Quæres I. *Quid sit affinitas?*

*Resp.* Est *propinquitas orta ex copula carnali sive licita sive illicita inter cognoscentem & consanguineos personæ cognitæ, & vicissim inter cognitam & consanguineos cognoscentis.* Hinc impedimentum affinitatis est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium proveniens ex tale propinquitate.*

Quæres 2. *Ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis?*

*Resp.* Affinitas orta ex copula licita dirimit Matrimonium usque ad 4 *gradum inclusive*, *cap.* non debet, *de consanguin.* Orta vero ex copula illicita & fornicaria, dirimit usque ad 2. gradum inclusive ex jure novo Conc. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4.

Quæres 3. *Si inter præfatos gradus affinitas superveniat Matrimonio*, v. g. si contingat uxoratum cum sorore, vel nepte uxoris suæ peccare, *an dissolvatur Matrimonium?*

*Resp. nego.* Sed illius usus impeditur quoad debiti petitionem, non vero quoad redditionem.

Quæres 4. *Qui peccet cum propria sua consanguinea, an similiter impediatur a petitione debiti?*

*Resp. nego.* Quia hoc legibus Ecclesiæ non statuitur: ratio est, quia vir per hoc crimen non sit affinis propriæ uxori, quod advenit cum peccat cum consanguinea uxoris....

Quæres 5. *Quid sit stipes in affinitate?*

*Resp.* Est illa duplex persona, quæ per copulam fit una caro, unde maritus & uxor non sunt affines, sed affinitatis principium.

Quæres 6. *Quomodo computentur gradus affinitatis?*

*Resp.* Eodem modo computantur, quo gradus consanguinitatis. Unde quo gradu aliquis viro est consanguineus; eodem gradu est affinis uxori, & vicissim; sic consanguinea uxoris in I. vel 2. gradu est affinis viro in I. vel 2. gradu; & vicissim.

*Nota*: Est regula generalis; *affinitas non parit affinitatem*: v. g. consanguinei uxoris fratris mei, fratri sunt affines, non vero mihi, nec meo patri. Hinc pater & filius unius familiæ valide contrahunt cum matre & filia alterius familiæ, quia affinitas quam habet filius cum uxore ducta a patre, non transit ad filiam uxoris patris. Item duo fratres valide contrahunt cum duabus sororibus. Item filius mariti ex alio conjugio, cum filia conjugis ex alio pariter conjugio suscepta.

Quæres 7. *Quo jure affinitas Matrimonium dirimat?*

*Resp.* I. Certum est quod in linea collaterali dirimat solo jure ecclesiastico; nam Jacob cum duabus sororibus contraxit, quod certe non fecisset, si juri naturali fuisset contrarium: immo in Lege Mosaica *Deut.* 25. præceptum erat ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti. Unde validum erat Matrimonium ab Henrico VIII. Anglorum Rege ex dispensatione Julii II. cum Catharina Austriaca vidua Arturi fratris ejusdem Henrici, ut declaravit Clemens VII.

*Resp.* 2. Quantum ad lineam rectam lis est inter Doctores. Plures censent in ea ipso jure naturali Matrimonia prohiberi. I. Quia Apostolus I. *Cor.* 5. *vers.* I. nefando scelere arguit eum, qui uxorem patris habeat. 2. Quia *Levit.* 18. dicitur: „ Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia „ uxor filii tui est: pariter turpitudinem patrui „ tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, „ quæ tibi affinitate conjungitur. "

Alii, quibus adhæremus, probabilius tenent illud impedimentum esse tantum juris ecclesiastici, quanquam non nisi ex gravissima causa ab eo dispensari possit, propter indecentiam quæ alioquin appareret in tali Matrimonio, præsertim inter novercam & privignum, socrum & generum.

*Prob. ant.* Ex Conc. Agathensi *Can.* 6. & Aurelian. III. *Can.* 10. statuentibus non esse dissolvenda Paganorum Matrimonia, etiam in primo gradu lineæ rectæ affinitatis contracta; ergo censent ea jure naturali fuisse valida.

Ad auctoritatem Apostoli *respondent*, ipsum loqui de eo qui vivente patre, uxorem ipsius acceperat, quod ait esse inauditum, etiam apud gentes; atqui

Matrimonium privigni cum noverca a parte defuncto relicta non est inauditum apud gentes, cum a plerisque contrahatur tamquam legitimum; ergo.

Ad auctoritatem Levitici *respondet*, fatendo jure divino legali ista Matrimonia fuisse prohibita, non vero jure divino naturali, alias Matrimonium cum relicta *patrui* esset prohibitum jure naturali; quod est contra omnium Theologorum sententiam.

## §. XIII. *De impedimento clandestinitatis.*

Quæres 1. *Quid sit clandestinitas?*

*Resp.* Est *inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex defectu præsentiæ Parochi & duorum saltem testium:* Unde

Matrimonia clandestina sunt invalida in omnibus locis, ubi Concilii decretum circa Matrimonium promulgatum vel receptum est: quamvis autem ante Concilii decretum Matrimonia clandestina fuerint valida, semper tamen fuerunt, & sunt ubique illicita, immo, *cap. consanguineorum* 3. *qu.* 4. infamiæ nota inuruntur.

*Resolves* 1. In locis Hæreticorum ubi Concilii decretum fuit promulgatum, *ut in Hollandia*, Matrimonia clandestine inita sunt invalida, si absque gravi periculo possit haberi Parochus; quod si non possit haberi, tunc ex dispensatione tacita Ecclesiæ, valida erunt adhibitis duobus vel tribus testibus, ut declaravit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum.

*Resolves* 2. In locis ubi decretum Trident. nunquam fuit receptum, *ut in Anglia*, Matrimonia clandestina valide contrahuntur, etiam ab eis qui domicilium habent in loco ubi receptum est. Econtra qui domicilium habentes in loco ubi Conc. Trid. nunquam fuit receptum, veniunt ad locum ubi receptum fuit, ibi non possunt valide contrahere Matrimonium absque præsentia Parochi & duorum saltem testium; quia itinerantes legibus locorum ubi versantur, adstricti sunt.

Quæres 2. *An Hæreticorum Matrimonia valida sint coram Ministro hæretico, vel sine testibus celebrata?*

*Resp.* Valida sunt ex tacita Ecclesiæ dispensatione; nam Ecclesia non permittit ut illi hæretici ad fidem Catolicam conversi alias nuptias contrahant, & eorum liberos habet ut legitimos; ita respondit Pœnitentiaria Romana Episcopo Castoriensi.

Quæres 3. *An Matrimonium clandestinum resolvi possit in sponsalia?*

*Resp. negative:* Juxta declarationem sacræ Congregationis apud Fagnan. in cap. *ad audientiam.*

Quæres 4. *Quænam præsentia Parochi requiratur?*

*Resp.* Non sufficit materialis præsentia, sed requiritur præsentia moralis & humana, qua videat & intelligat quid agatur a contrahentibus, sive sponte ad assistentiam consenserit, sive adsit invitus, immo sive illi Matrimonio contradicat, quia non ejus consensus, sed sola præsentia a Concilio Tridentino requiritur.

Quæres 5. *Quis sit Parochus, cujus præsentia sit omnino necessaria, an originis contrahentium, an viri, an mulieris, si sint Parochiæ diversæ?*

*Resp.* Esse Parochum domicilii, vel quasi domicilii: sive autem sit viri, sive mulieris Parochus, perinde est; usus tamen obtinuit ut celebretur Matrimonium coram Parocho mulieris de licentia Parochi viri, qui debet testificari se proclamasse bonna nemine contradicente.

Quæres 6. *An valeat Matrimonium contractum coram proprio Parocho in aliena Parochia?*

*Resp. affirmat.* Quia ejus præsentia non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ. Ita Fagn. *in cap.* quoniam, *de constit.*

Quæres 7. *An valeat Matrimonium contractum coram proprio Parocho nondum Sacerdote, vel contra inhibitionem Episcopi?*

*Resp. affirmat.* Prout declaravit S. Congregatio, teste Fagnan. citat. Parochus tamen non posset delegare nisi Sacerdotem; ita Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.*

Quæres 8. *An valeat Matrimonium contractum coram Parocho suspenso, excommunicato, vel irregulari?*

*Resp. affirmat.* Ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, texte Fagnan. Ratio est quia Concilium unice exigit Parochi præsentiam; peccant tamen sic contrahentes.

Quæres 9. *Coram quo debeant contrahere vagi?*

*Resp.* Coram Parocho loci ubi versantur cum contrahunt, quia nullus alius est eorum proprius Parochus: tamen ex Trid. Parochi non debent iis Matrimoniis assistere, *nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*; ut tradit Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 7. *de reform.*

Quæres 10. *In quo loco debeant contrahere, qui habent duo domicilia?*

*Resp.* Alterutrum eligere possunt.

Quæres 11. *Quandiu quis debeat in aliquo loco commorari, ut in eo sortiatur domicilium sufficiens ad contrahendum?*

*Resp.* Juxta statuta Diœcesana regis edictis firmata, domicilium sufficiens ad contrahendum non acquiritur, nisi contrahentes per sex menses in Parochia habitaverint, si sint ejusdem Diœcesis; per annum vero, si sint diversæ.

Quæres 12. *Qui metu ne impediatur eorum Matrimonium, alio migrant præscripto tempore mansuri, an validum sit eorum Matrimonium?*

*Resp. affirmat.* Quia eorum Matrimonium secundum leges fuit celebratum.

*Dices:* Egerunt in fraudem; sed fraus nemini patrocinatur.

*Resp. dist. ant.* Egerunt in fraudem mutando habitationem, *conc.* contrahendo, *nego ant.* Vere enim acquisierunt jus Parochianum, ratione cujus admissi sunt ad contrahendum.

## §. XIV. *De impedimento impotentiæ.*

Quæres 1. *Quid sit impotentia?*

*Resp.* Est *inhabilitas ad contrahendum, orta ex incapacitate consummatam & completam copulam exercendi.* Unde sterilitas non est impotentia; nam ea non obstante potest esse copula per se apta generationi, licet hæc per accidens non sequatur, v. g. propter morbum.

Quæres 2. *Quotuplex sit impotentia?*

Resp

*Resp.* 1. Alia est *ab intrinseco*, quæ provenit ex frigiditate, vel deficientia necessariorum ad copulam.

Alia *ab extrinseco*, quæ provenit ex maleficio, aut hominum malitia & injuria.

*Resp.* 2. Alia est perpetua, alia temporalis.

Impotentia *perpetua* est ea, quæ absque miraculo, vel peccato, vel vitæ periculo, non est vincibilis.

Impotentia *temporalis* est ea, quæ absque prædictis est vincibilis.

*Resp.* 3. Alia est absoluta, alia respectiva.

Impotentia *absoluta* est viri inhabilitas ad omnes mulieres, & vicissim.

Impotentia *relativa* est inhabilitas respectu quarundam tantum personarum.

Quæres 3. *An quævis impotentia dirimat Matrimonium?*

*Resp.* 1. Impotentia temporalis non dirimit, nam est vera potentia quamvis impedita ad tempus, vel adminiculo aliquo indigens. *Cap.* 6. *de frigidis.*

*Resp.* 2. Impotentia, quæ supervenit Matrimonio contracto, sive consummato sive non, Matrimonium non dirimit: quia debita materia fuit tradita, verumque proinde fuit Matrimonium essentialiter indissolubile, solo casu religiosæ professionis excepto.

*Resp.* 3. Sola impotentia perpetua Matrimonium antecedens, sive absoluta illa sit, sive relativa, Matrimonium dirimit; *absoluta* quidem respectu omnium; *respectiva* vero respectu illius personæ, ad quam est. Ratio est quia tunc nulla est contractus matrimonialis materia, corpus, scilicet, non qualecumque, sed corpus ad congressum maritalem aptum. *Toto tit. de frigidis.*

Quæres 4. *Quid facto opus sit quando dubium est an impotentia sit temporalis, aut perpetua?*

*Resp.* Lex canonica *cap.* 1. *de frigidis*, concedit conjugibus triennium experientiæ, ut adhibitis mediis possibilibus ac licitis conentur tollere impotentiam, quo elapso si Matrimonium consummare non potuerint, indicit separationem, permittens tamen ut simul permaneant tanquam frater & soror, modo absit omne periculum incontinentiæ.

Quæres 5. *Si separatione facta postea appareat impotentiam non fuisse perpetuam, quid juris?*

*Resp.* Conjuges restaurari tenentur, etiamsi a comparte aliud fuisset contractum Matrimonium, quia prius celebratum, fuit validum, & est indissolubile. *Cap.* 5. *ibid.*

Quæres 6. *Quo jure impotentia Matrimonium dirimat?*

*Resp.* Jure tum Canonico *ex toto tit. de frigidis*, tum naturali propter rationem datam in probatione, quia nempe nulla est contractus matrimonialis materia.

## §. XV. *De impedimento raptus.*

Quæres 1. *Quid sit raptus?*

*Resp.* Est *violenta feminæ renitentis de loco in locum abductio Matrimonii ineundi, vel libidinis explendæ causa.* Unde duplex est raptus, violentiæ nimirum, & seductionis.

Raptus *violentiæ* fit, quando filiafamilias renitens abducitur e domo paterna.



Raptus *seductionis* fit, quando filiafamilias blanditiis & promissis seducta, consentit suæ abductioni, non consentientibus parentibus, sub quorum est potestate.

De utroque illo raptu sic scribit D. Th. (2. 2. *quæst.* 154. *art.* 7.) " Violentia quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri: quandoque „ autem infertur patri, sed non virgini, puta cum „ ipsi consentit, ut per violentiam (*illam parentibus non consentientibus*) de domo patris abstrahatur... qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptus „.

Quæres 2. *Utrum raptus dirimat Matrimonium?*

*Resp.* Ex Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. Matrimonium dirimit inter raptorem, & raptam, etiam post raptum consentientem, quandiu manet in potestate raptoris. Nam si rapta a raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, consentiat, validum erit Matrimonium, raptor tamen ejusque complices excommunicationem non reservatam incurrunt, ac insuper sunt *perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidere debent*, ut statuit Trid. *ibidem.*

Quæres 3. *Utrum raptus seductionis non minus dirimat Matrimonium, quam raptus violentiæ?*

*Resp. affirmat.* Nam 1. Concil. Trident. statuit raptum dirimere Matrimonium; non distinguens inter raptum violentiæ & raptum seductionis; atqui ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & ex Div. Thom. *qualitercumque violentia* adsit, sive inferatur patri tantum, sive virgini tantum, *salvatur ratio raptus*; ergo, &c.

2. Quia si Concilium, suo decreto, non comprehenderet raptum seductionis, non novum conderet impedimentum, distinctum ab impedimento violentiæ; atqui tamen certum est Concilium voluisse inducere impedimentum raptus, distinctum ab eo quod dicitur *violentia*; ergo, &c.

*Objicies* 1. Concil. Trid. statuit impedimentum raptus cessare, si rapta esset a raptore separata, in loco tuto ac libero constituta: nec exigit ut restituatur parentibus; ergo, &c.

*Resp. dist. secundam partem ant.* Nec exigit ut restituatur parentibus explicite, *conc.* implicite, *nego.* Exigit enim ut constituatur in loco tuto ac libero; atqui puella non censetur in loco tuto ac libero constituta, nisi paternæ potestati restituatur, juxta mentem Senatus Parisiensis, & doctrinam D. Thomæ, qui loco citato *ad tertium* de puellis patriæ potestati raptis, dicit: " Illæ „ primo restituendæ sunt patris potestati, & tunc „ de voluntate parentum licite possunt (raptores) „ eas in uxores accipere „.

*Objicies* 2. Conc. Trid. loquitur tantum de raptu, quo libertas Matrimonii violatur; atqui in raptu seductionis libertas Matrimonii non violatur, licet reclament parentes: nam contrahentium tantum, non vero parentum libertas ad Matrimonium requiritur; ergo, &c.

*Resp. nego min.* Seductio enim præsumitur auferre plenum rationis & libertatis usum; nam cum tenera puella per blanditias, aut voluptatis illecebris illuditur, vix ipsi permittitur, ut serio atten-

attendat ad gravitatem contractus, quo se obstringit, ad quam si attenderet, ab eo haud dubie desisteret. Et hæc est ratio fundamentalis cur raptus seductionis Matrimonium non minus dirimat, quam raptus violentiæ, ut jam ante Conc. Trid. statutum erat in jure, *cap. Placuit*, causa 36. q. 2. *Placuit ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, vel seducunt, eas nullatenus habeant uxores.*

Quæres 4. *An ad hoc impedimentum incurrendum sufficiat raptus viri a femina?*

*Resp. negat.* Quia Concil. Trident. loquitur de solo raptore, cujus dispositio, utpote juris communis restrictio, non est amplianda. Præterea *leges pœnales non comprehendunt ea quæ rarissime fiunt, nisi clare exprimant*, ait Justinian. *lib.* 5. *ff. de Legibus.*

## ARTICULUS III.

### *De dispensatione ab impedimentis Matrimonii.*

Quæres 1. *Quis possit dispensare ab impedimentis Matrimonii?*

*Resp.* 1. Ex consuetudine Episcopus potest dispensare ab impedimentis impedientibus tantum.

*Excipe* 1. Sponsalia, quia obligant jure naturali.

*Excipe* 2. Votum castitatis perpetuæ & ingrediendi religionem, utpote Papæ reservatum. Si tamen jam contractum sit Matrimonium, in illis etiam potest Episcopus dispensare.

*Immo* censent communiter Doctores, omnes Episcopos posse dispensare cum his qui post initum Matrimonium, cum conjuge affinitatem, aut etiam cognationem spiritualem contraxerunt, in ordine ad petendum debitum, sive facilis sit ad Papam recursus, sive non.

*Resp.* 2. Ne Papa quidem dispensare potest in impedimentis jure naturali & divino dirimentibus, (qualia sunt *error*, *consanguinitas in quocumque gradu lineæ rectæ*, *ligamen*, *amentia* & *impotentia*) nam Deus talem non concessit Ecclesiæ potestatem.

*Resp.* 3. In impedimentis solo jure ecclesiastico dirimentibus solus Papa ex communi Ecclesiarum usu, habet jus dispensandi, saltem ordinarie loquendo; *in quarto gradu consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare licere declaramus;* ait *Conc. Turonense ann.* 1583.

Dixi: *Saltem ordinarie loquendo:* nam ex communi Episcopus potest dispensare in impedimentis occultis post Matrimonium contractum, si ista occurrant. 1. Si præmissæ sint denuntiationes. 2. Si fuit ignoratum impedimentum. 3. Si Matrimonium sit consummatum. 4. Si facilis non sit ad Papam, vel Legatum recursus. 5. Si instet periculum incontinentiæ aut infamiæ.

Ratio est consuetudo ob bonum animarum & Ecclesiæ inducta, Papa saltem tacite consentiente. Et ob eamdem rationem communiter Doctores posse Episcopos dispensare ab impedimento quod detegitur eo ipso die quo celebrandum est Matrimonium, si non possit ejus celebratio differri absque perturbatione & gravi incommodo. Sed

Quæres 1. *An hac seposita circumstantia, Episcopi dispensare valeant in Matrimonio contrahendo?*

*Resp.* Negativam declaraverunt Patres Turonenses, ut supra dictum est; diversa tamen est nostrorum Episcoporum hac in parte mens atque disciplina: aliqui existimant ex antiquo prædecessorum suorum usu, posse se dispensare ab aliquibus impedimentis etiam publicis, sive de contrahendo, sive de contracto; atque eo titulo dispensant nemine contradicente. Alii aliter sentiunt & agunt; sequatur unusquique usum certum & probatum suæ Ecclesiæ.

Quæres 2. *Quid requiratur ad valorem dispensationis?*

*Resp.* Requiritur 1. Ut causa finalis dispensationis sit vera & subsistat dum conceditur. 2. Ut in petitione nihil omittatur eorum quæ jus & stylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cujus dispensatio aut nullo modo daretur, aut nonnisi cum certa conditione vel limitatione, *cap.* super, *de rescription. repetita.* Alioquin dispensatio esset *obreptitia*, vel *subreptitia;* ideoque nulla ob defectum consensus in dispensante. Vide quæ diximus de Legibus.

Quæres 3. *Quid præscribat Concilium Trident. circa dispensationem in consanguinitate?*

*Resp.* Præscribit 1. Ut qui Matrimonium contraxit & consummavit cum aliquo impedimento, cujus sibi conscius erat, ille separetur sine spe dispensationis obtinendæ; hæc ergo circumstantia exponenda est.

2. Ut qui contraxit cum impedimento quod revera ignorabat, iisdem pœnis subjiciatur, si neglexit observare solemnitates requisitas.

3. Ut facilius cum eo dispensetur qui contraxit cum impedimento quod ignorabat, & qui observavit aliunde solemnitates ab Ecclesia præscriptas.

Quæres 4. *Quæ sint causæ, propter quas solent summi Pontifices dispensare ab impedimento consanguinitatis, vel affinitatis?*

1. Propter angustiam loci, ubi mulier vix potest alios, quam sibi consanguineos invenire.
2. Propter dotem minus competentem.
3. Propter conservationem divitiarum in eadem consanguinitate amplissimarum, ne causa dotis detrahantur ad aliam familiam.
4. Propter conservationem illustris familiæ in eodem sanguine.
5. Propter excellentiam meritorum.
6. Propter prolem ex consanguinea, bona fide susceptam.
7. Propter lites super successione magni momenti, ne mulier defectu viri, liti succumbat.
8. Propter graves inimicitias inter consanguineos, vel affines componendas.
9. Propter pacem confirmandam.
10. Propter oratricem filiis gravatam.
11. Propter oratricem excedentem 24. annum quæ hactenus viros paris conditionis, quibus nubere posset, non invenit.
12. Propter infamiam, vel scandalum sine copula.
13. Propter copulam scienter vesana libidine, non vero ut facilius obtineatur dispensatio, admissam.

AR-

## ARTICULUS IV.

*De modo convalidandi Matrimonii invalide contracti.*

Quæres 1. *Quomodo Matrimonium invalidum revalidari debeat?*

*Resp.* 1. Si Matrimonium sit nullum defectu præsentiæ Parochi & testium, necessario debet coram ipsis revocari, quia hæc conditio semper est ad validitatem Matrimonii necessario requisita.

*Resp.* 2. Si Matrimonium sit nullum defectu consensus veri in utroque, debet uterque consensum novum elicere, quia consensus utriusque est necessarius & essentialis contractui Matrimoniali, debetque mutuus ille consensus exterius exprimi, quia signum prioris consensus non sufficit, cum sit tantum signum ficti consensus.

*Resp.* 3. Si nullum fuerit defectu consensus unius tantum partis, quæ ficte vel ex gravi metu injuste incusso consensit, docent communiter DD. sufficere, ut qui non consensit, postea vere consentiat, modo alter consensum suum solemniter præstitum non retractaverit. Hæc resolutio fundatur in duabus decretalibus. *Prima* est Clem. III. *cap.* ad id, *de sponsal.* definientis Matrimonium, quod mulier invita & renitens contraxit, convaluisse per subsequentem cohabitationem spontaneam per annum & dimidium habitam; quia, inquit Canon, *per annum & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur. Secunda* est Alexand. III. *cap.* significavit, *de eo qui duxit*, &c. declarantis hominem qui post primum Matrimonium gravi metu initum, secundum libere inivit, teneri ad priorem conjugem reverti, *si ipsam carnaliter cognoverit*: quia hæc copula libere habita consensui expresso æquivalet.

In praxi tamen tutius est quod uterque consensum renovet, si non timeatur scandalum, vel grave incommodum.

*Resp.* 4. Si nullum fuit propter quodvis aliud impedimentum dirimens, non potest convalescere nisi per dispensationem legitimam. Sed

Quæres 2. *Quomodo Matrimonium prius, irritum ex impedimento dirimente, convalescat dispensatione impetrata?*

*Resp. cum dist.* Vel impedimentum est publicum, vel occultum.

*Si est publicum & notorium*, novus præbendus est consensus coram Parocho & testibus, quia tunc urget ratio Tridentini; nam alias non posset constare, nec probari validitas Matrimonii, unde contrahentes haberentur ut concubinarii, & filii eorum ut illegitimi.

*Si impedimentum est occultum*, de quo non sit periculum ut aliquando innotescat, tunc necesse non est, ut contrahentes iterum coram Parocho se sistant, sed satis erit si secrete mutuo consentiant; potest enim tunc publice probari validitas Matrimonii, & sic impediri Matrimonium cum alia persona, quæ est ratio finalis decreti Tridentini; ita declaravit Pius V. motu proprio apud Navarrum.

Quæres 3. *Ut revalidetur Matrimonium, an necesse est, ut pars conscia criminis occulti irritantis, invaliditatem Matrimonii alteri parti aperiat?*

*Resp.* Hic tam variæ sunt Doctorum opiniones, ut nihil in materia tam lubrica possim definire: Dicam tamen mihi plurimum arridere sententiam eorum qui docent, necesse non esse, ut pars nullitatis conscia, eam etiam confuse detegat, cum hæc via semper importet gravissimas suspiciones, rixas, & alia incommoda; sed sufficere, ut comparem blanditiis deliniat, & bene dispositam sic alloquatur; „ Ita te amo, ut si non esset inter „ nos Matrimonium, te in conjugem acciperem; „ & tunc ita te accipio: tu ne idem ex tua par- „ te facis? " Si respondeat, *facio*, aut simili verbo, consensum novum declaret; tunc valebit Matrimonium, quia tunc pars impedimenti ignara, novum Matrimonium vult inire, si prius non fuit validum. Non sufficit autem si dicat, *vellem, facerem*: quia tunc consensus non esset de præsenti absolutus, sed tantum simplex approbatio prioris consensus invalidi.

# APPENDIX I.

## PROPOSITIONES A SS. PONTIFICIBUS DAMNATÆ.

*Quamvis propositiones a summis Pontificibus damnatæ, in toto hoc opere reperiantur dispersæ, tamen eas hic collective referre, non inutile duximus, ut qui pro occurrentibus occasionibus, ad eas currere voluerint, eas reperire minori labore possint.*

§. I. *Baji propositione* 79. *a Pio V. ann.* 1567. *damnatæ ut hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes respective.*

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut Opus malum ex natura sua, est mortis æternæ meritorium: sic bonum Opus ex natura sua, est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad etiam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, non recte vocantur gratiæ, quo fit ut tantum merita, non etiam gratiæ, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia, sed quia secundum usum sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie & juste in hac vita mortali, usque in finem conversati, vitam consequamur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cœlesti meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda fidelium Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mererentur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exultatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe & charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per bona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non solum fures ii sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis & vitæ negant: sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est, ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ea non separetur.

31. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beneficator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oritur ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia: non tamen ii obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati, sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituale parvulis voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate determinate fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, eo quia homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus & reatus; transeunte autem actu, nil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis; sed a Deo solo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores)

res) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi, a pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet; secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est, ad modum meritorum) commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *non concupisces*; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: *Non concupisces*: quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominum potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali.

§. II. *Quinque Propositiones famosæ Jansenii ab Innoc. X. damnatæ ann.* 1653. *constitutione*, Cum occasione impressionis, &c.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Hæc Propositio damnata est, ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica.*

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur. *Hæc propositio damnata est ut hæretica.*

3. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Damnata est ut hæretica.*

4. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Damnata est ut falsa, & hæretica.*

5. Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. *Damnata est ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; ut impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica.*

§. III. *Propos.* 45. *quas Alexand. VII. ann.* 1665. *&* 1666. *ad minimum tamquam scandalosas damnavit; quasque docere prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ac Summo Pontifici, extra mortis articulum reservata.*

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sen-

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuo Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua religione spargere, minantem occidere; quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus religioni, publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Nec peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam.

*Nota: Propositiones quæ sequuntur, sub eadem forma, & censura, ab eodem Summo Pontifice damnatæ sunt ann.* 1666.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Conc. Trident.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, qua dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur; secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

§. IV. 65. *Propositiones morales, quas Innoc. XI. decreto anni* 1679. *damnavit, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, quasque edoceri, & ad praxim deduci prohibuit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ.*

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; id quoque dicendum, si quis im-

impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere, defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *Mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit, *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio, & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursu pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

§. V.

§. V. 68. Propositiones Michaelis Molinos, quas Innocent. XI. Decreto ann. 1687. damnavit *tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, et seditiosas respective.*

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, & hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo, sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium tendit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in se ipsa remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, nec ne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Illud Evangelii, *petite et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi, per discursum, auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur; ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cognitionibus, & operationibus eam non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse; & idem dicitur de amore.

23. Mystici, cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectat ad contemplationem infusam, & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur; non impediunt orationem fidei, imo eam perfectiorem efficiunt.

efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis, quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet, via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum, sed seipsum, & male agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, si quidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo & virtutibus, & frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Non ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Idem dicitur de locis sacris; quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis & lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu *Pater Noster*, recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, ac humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicatos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria, mortificationum pondus grave est & infructuosum; ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice eorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ; & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis; quia fecit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via. Et hæc est via facilior & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullum proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. 16. Job).

50. David, Jeremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigena

gena & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant proibita, & peccata fuissent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit. De Eliseo qui combussit Duces cum turmis Regis Acab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana ac Theologia superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, & certus sum, quod lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquod revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas & extinguendas omnes passiones ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est & mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & a Philosopia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ. Deus aliquando Confessionem efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia perseverante, quantum in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi. 1. Quia non habet fidem adeo puram. 2. Quia non est adeo humilis. 3. Quia non adeo curat propriam salutem. 4. Quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo Voti obedientiæ Religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum, gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima ejus habent facultatem eligendi quemcumque sibi visum fuerit.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori tribunali præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & simulationibus.

68. In mundo non facultas, nec jurisdictio est ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris quoad internum animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ, &c.

§. VI. *Alexand. VIII. decreto dato die 24. Augusti, ann. 1690. duas sequentes propositiones damnavit; primamque declaravit hæreticam, & ut talem probibuit sub censuris & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Secundam vero declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam; & uti talem eam edoceri, & ad praxim deduci prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & S. Pontifici reservata.*

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

2. Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.

*Idem*

*Idem Summus Pontifex decreto dato die 7. Decembris* 1690. *damnavit* 31. *propositiones tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas & hæreticas respective, & uti tales prohibuit eas edoceri & ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ.*

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Dei; non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, charitas patris est; si Mundi, concupiscentia carnis: hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Maria Virgine in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod filius qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *in nomine Patris*, &c. prætermissis illis, *ego te Baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti* est subreptitia.

§. VII. *Innoc. XII. constitutione*, Cum alias, *data anno* 1699. *damnavit librum gallico idiomate scriptum, cui titulus est:* Explications des maximes des Saints, &c. *ex quo* 23. *propositiones extractas damnavit tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective.*

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse; Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, nec propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.

3. Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet, se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad pu-

rurum amorem ducere, nisi quando Deus per Unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnium perfectionem, ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium .... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum propositionum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* in hac voluntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed numquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori ..... in ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione, nam totum quod est voluntarium & intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus qui a se invicem facile distinguuntur .... ista compositio actuum discursivorum & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis ... *Primo* in fervore nascente earum contemplationis ..... *Secundo* anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo ... exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes; in quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata, nec ipsum amare vult amplius quatenus est sua perfectio & sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, sed ut rem quam Deus vult & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata; atqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium & unicum motivum omnium actuum qui deliberati, & meritorii sunt.

§. VIII. *Clemens XI. propositiones* 101. *exceptas ex Libro reflexionum moralium, damnavit Constitutione* Unigenitus, *data die* 8. *Septembris ann.* 1713. *Cum autem dicta constitutio omnibus eam desiderantibus non suppeditet, illam ex voto referre non injucundum fore duxi.*

# CLEMENS EPISCOPUS

## SERVUS SERVORUM DEI,

*Universis Christifidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.*

Unigenitus Dei Filius pro nostra & totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit ut atten-

remus

remus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant quasi deponentes lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibuspiam ovium velleribus obvolventes Sanctarum Scripturarum, adeoque ipsius etiam novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii patris exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudolentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His non vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, Librum quemdam gallico idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo: *Le nouveau Testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. à Paris* 1699. aliter vero: Abrègé de la Morale de l'*Evangile, des Actes des Apôtres, des Epitres, &c. à Paris* 1693. & 1694. Tametsi alias a nobis damnatum, & revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio & opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum; versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum nobis dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus, adeoque pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum litteris, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque prorumpere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies nonnisi secto ulcere foras erumpat; cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat: molliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt iacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam pluribus sigillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius & apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus benedicente Domino, fere, ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras prætendentium dissidiis apprime proficuum; Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda catholicæ fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius nobis est contestatus. Repetitis propterea vere piis & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati, prolata quantocius Apostolici censura judicii, consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto Libro juxta recensitas respective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra Theologia Magistris primo quidem coram duobus ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti; deinde vero coram nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet Libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet.

„ 1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, „ atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & „ peccati consecutiones, superna paupertas, & „ segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia „ ad laborem, ad orationem, & ad omne opus „ bonum?

„ 2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni „ cujuscumque generis, necessaria est ad omne „ opus bonum: absque illa, non solum nihil fit, „ sed nec fieri potest.

„ 3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse „ non das quod præcipis.

„ 4. Ita, Domine, omnia possibilia ei cui omnia „ possibilia facis, eadem operando in illo.

„ 5. Quando Deus non emollit cor per interio„ rem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & „ gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud „ magis obdurandum.

„ 6. Discrimen inter fœdus Judaicum & Chri„ stianum est, quod in illo Deus exigit fugam „ peccati, & implementum legis a peccatore, „ relinquendo illam in sua impotentia, in isto „ vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua „ gratia purificando.

„ 7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, „ in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infir„ mitati imponendo ipsi suam legem? quæ vero „ felicitas non est admitti ad fœdus in quo Deus „ nobis donat, quod petit a nobis?

„ 8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

„ 9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

„ 10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nil impedire potest, aut retardare.

„ 11. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.

„ 12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

„ 13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

„ 14. Quamtumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

„ 15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, qua petit.

„ 16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.

„ 17. Gratia est illa vox Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus est doctus a Patre.

„ 18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructuum suum.

„ 19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

„ 20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnino fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

„ 21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum.

„ 22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

„ 23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit & mortuis reddit vitam.

„ 24. Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

„ 25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

„ 26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

„ 27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

„ 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

„ 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

„ 30. Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

„ 31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

„ 32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.

„ 33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsis renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

„ 34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

„ 35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

„ 36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & statum innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

„ 37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

„ 38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

„ 39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

„ 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

„ 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem, ad ipsum Deum loco affectuum, adorationis, gratitudinis & amoris.

„ 42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.

„ 43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

„ 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

„ 45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Ca-

„ 46. Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum „ bonum, vel malum faciunt.

„ 47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; „ & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est „ illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, „ tunc purum est, quod apparet exterius, alio- „ quin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

„ 48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, „ nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lu- „ mine, sine Christo, & sine charitate?

„ 49. Ut nullum peccatum est sine amore no- „ stri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

„ 50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, „ si spiritus charitatis non est ille, qui clamet.

„ 51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa „ non operatur per charitatem.

„ 52. Omnia alia salutis media continentur in „ fide, tamquam in suo germine, & semine; sed „ hæc fides non est absque amore, & fiducia.

„ 53. Sola charitas christiano modo facit (actio- „ nes christianas), per relationem ad Deum, & „ Jesum Christum.

„ 54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam „ solam Deus audit.

„ 55. Deus non coronat, nisi charitatem; qui „ currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in „ vanum currit.

„ 56. Deus non remunerat, nisi charitatem, „ quoniam charitas sola Deum honorat.

„ 57. Totum deest peccatori, quando ei deest „ spes, & non est spes in Deo, ubi non est a- „ mor Dei.

„ 58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est „ charitas.

„ 59. Oratio impiorum est novum peccatum; & „ quod Deus illi concedit, est novum in eos ju- „ dicium.

„ 60. Si solus supplicii timor animat pœniten- „ tiam, quo hæc est magis violenta, eo magis „ ducit ad desperationem.

„ 61. Timor non nisi manum cohibet, cor au- „ tem tandiu peccato adducitur, quamdiu ab a- „ more justitiæ non ducitur.

„ 62. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœ- „ næ, illud committit in corde suo, & jam est „ reus coram Deo.

„ 63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut ju- „ dæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat „ ex solo timore.

„ 64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, „ quia peccatur sive faciendo malum, sive illud „ nonnisi ob timorem evitando.

„ 65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Docto- „ res legis mortui sunt, absque eo quod ullum „ Deo dederint filium, cum non effecerint, nisi „ mancipia per timorem.

„ 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet „ ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, „ neque adduci per instinctum naturalem; aut per „ timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per „ amorem sicut filii.

„ 67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, „ nisi ut Dominum durum, imperiosum, inju- „ stum, intractabilem.

„ 68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis clau- „ dendo totum in fide & precibus.

„ 69. Fides, usus, augmentum, & præmium „ fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

„ 70. Nunquam Deus affligit innocentes, & af- „ flictiones semper serviunt vel ad puniendum „ peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

„ 71. Homo ob sui conservationem potest sese „ dispensare ab ea lege quam Deus condidit pro- „ pter ejus utilitatem.

„ 72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit ca- „ tholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, „ & omnes electos, & justos terræ, & omnium „ sæculorum.

„ 73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei „ manentium in ejus sinu, adoptatorum in Chri- „ sto subsistentium in ejus persona: redemptorum „ ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium „ per ejus gratiam, & expectantium gratiam fu- „ turi sæculi.

„ 74. Ecclesia, sive integer Christus, incarna- „ tum Verbum habet, ut caput; omnes vero San- „ ctos ut membra.

„ 75. Ecclesia est unus solus homo, composi- „ tus ex pluribus membris, quorum Christus est „ caput, vita, subsistentia, & persona; unus so- „ lus Christus compositus ex pluribus Sanctis, „ quorum est sanctificator.

„ 76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes „ electi, & justi omnium sæculorum illam com- „ ponunt.

„ 77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & „ membro Christi, cessat interius habere Deum „ pro Patre, & Christum pro capite.

„ 78. Separatur quis a populo electo, cujus figu- „ ra fuit populus Judaicus, & caput est Jesus „ Christus tam non vivendo secundum Evange- „ lium, quam non credendo Evangelio.

„ 79. Utile & necessarium est omni tempore, „ omni loco, & omni personarum generi stude- „ re, & cognoscere spiritum, pietatem, & my- „ steria Sacræ Scripturæ.

„ 80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

„ 81. Obscuritas sancti verbi Dei, non est Lai- „ cis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

„ 82. Dies Dominicus debet a Christianis san- „ ctificari lectionibus pietatis, & super omnia San- „ ctarum Scripturarum. Damnosum est velle Chri- „ stianum ab hac lectione retrahere.

„ 83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia „ mysteriorum religionis non debeat communica- „ ri feminis, lectione Sacrorum Librorum. Non „ ex feminarum simplicitate, sed ex superba vi- „ rorum scientia ortus est Scripturarum abusus, „ & natæ sunt hæreses.

„ 84. Abripere e Christianorum manibus novum „ Testamentum, seu eis illud clausum tenere, „ auferendo eis modum illud intelligendi, est illis „ Christi os obturare.

„ 85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ „ Scripturæ, præsertim Evangelii; est interdice- „ re usum luminis filiis lucis, & facere ut patian- „ tur speciem quamdam excommunicationis.

„ 86. Eripere simplici populo hoc solatium jun- „ gendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus „ contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

„ 87. Modus plenus sapientia, lumine, & chari- „ tate, est dare animabus tempus portandi cum

„ humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

„ 88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

„ 89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

„ 90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis.

„ 91. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro, numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

„ 92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

„ 93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

„ 94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

„ 95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina plerisque Christianis, & modus eam prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; nec satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

„ 96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

„ 97. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinionibus hominum.

„ 98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

„ 99. Pervicacia, prævertio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

„ 100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem ejusque discipulos. Tempus hoc advenit ... haberi & tractari a religionis ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium; & sacrificamus diabolo Dei servum.

„ 101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. “

Auditis itaque cum voce, tum scripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes & singulas propositiones præinsertas, tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestatem sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerint, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, ac prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam, conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Cæterum per expressam præfatarum propositionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt consimiles & affines, iisdemque erroribus imbutæ: nec sane paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso christianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea singillatim recensere & nimis longum esse duximus & minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsius novi testamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ ver-

versioni gallicæ Montensi in multis conformem: a vulgata vero editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab hortodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes & singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter & interdicimus.

Præcipimus insuper venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus; ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque juris & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

*Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ* 1713. *sexto Septembris, Pontificatus nostri anno* 13.

# APPENDIX II.

## Propositiones damnatæ a Clero Gallicano anno 1700.

Nota: *Quamvis plurimæ propositiones damnatæ comitiis generalibus Cleri Gallicani anno* 1700. *celebratis, jam a Ss. Pontificibus fuerint damnatæ: eas tamen hic referre non inutile duxi, eo quod singulæ Censuris sibi propriis sint notatæ.*

### §. I. *De observandis Innoc. X. et Alexandri VIII. Constitutionibus circa quinque propositiones damnatas.*

1. Jam tandem Ecclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant, Phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laborante quorumdam phantasia.

2. Constitutione Innocent. X. nihil aliud factum, quam ut renovarentur, atque exacerbarentur disputationes .... in eandem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facile impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent .... Innocentius quoque XII. cum ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus, æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum esse clarius loqui, tanquam errare metuentem ..... atque illud, *in sensu* obvio, ejusdem Pontificis, magis adhuc generale est & vagum, quam verba Alexandri VII. *in sensu a Jansenio intento* ...... Episcopi denique Gallicani libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocent. X. contra Jansenium.

3. Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innocent. XII. in Brevi suo 6. Febr. 1694. .... Verum mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi 24. Novemb. 1696. ubi Pontifex disette negat, constitutionem aut formularium Alexandri VII. Brevi suo alterata, aut reformata ..... in aliqua minima ejus parte ..... nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi 6. Februarii 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere .... sed & nihilo majorem in quæstione juris progressum factum esse, jam quoque convenit ostendere.

4. Circa condemnationem *Augustini* Jansenii, opus esset collatione regulari habita, vel coram ju-

judicibus a Romano Pontifice, vel a Rege datis ... nondum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes (de Janseniano negotio) quas nunc Episcopi ut regulas suarum hodiernarum deliberationum (circa novum Quietismum) sumunt, Cleri Gallicani æternum fore propudia.

CENSURA.

*Hæ quatuor propositiones, quibus inquieti homines Innocent. X. & Alexandri VII. constitutiones Innocentii quoque XII. Brevis æquissima, & ab omnibus approbata, aperte contemnunt, Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tamquam tot constitutionibus apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit; falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in universam Ecclesiam schismaticæ & erroribus condemnatis faventes.*

§. II. *De Gratia.*

5. Axioma illud Theologicum, *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, non solum verissimum est, atque doctrinæ, Scripturæ Conciliorum, & Patrum maxime consentaneum; verum etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est; nec solum facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, *facit quod est in se viribus naturæ.*

6. Quia tamen opera viribus solis naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece & theologice supernaturalia: ideo dicimus obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod in se est viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operarum, aut ex ullo merito, sive condigno, sive congruo quod insit illis operibus in ordine ad gratiam: sed *ex pacto* inter Christum fidejussorem nostrum, & Patrem *inito*, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita; respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam conditionem.

CENSURA.

*Hæ duæ propositiones, qua parte causam discernendi inter justos & non justos, in opera mere naturalia referunt, semipelagianismum instaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum trahente, sed etiam adversante Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum.*

§. III. *De Fide.*

7. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. 1. *Alex. VII.*

8. Satis est actum fidei semel in vita elicere. 17. *Innocent. XI.*

CENSURA.

*Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, in praxi perniciosæ, erroneæ, fidei & Evangelii oblivionem inducunt.*

9. Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. 21. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæc propositio scandalosa est, perniciosa & apostolicam fidei definitionem evertit.* Hebr. 11.

10. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno. 18. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæc propos. scandalosa est, præceptis evangelicis & apostolicis aperte contraria, & hæretica.*

11. Religio Christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse, quisquis eam amplexatur; non evidenter vera; nam aut obscura docet, aut quæ docet, obscura sunt. Immo qui ajunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est, falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse, 1. Quod existat nunc in terris aliqua vera Religio; unde enim habes, *non omnem carnem corrupisse viam suam?* 2. Quod omnium quæ in terris existunt operæ, simillima sit Christiana: an enim terras omnes aut peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quod & Apostolis, & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi, id enim si doces, docere te oportet Christum manifeste Deum esse. 4. Quod afflante Deo, fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, si vel negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas? 5. Quod vera fuerint quæ a Christo edita commemorantur miracula, quanquam negare hæc nemo prudenter potest.

CENSURA.

*Doctrina hac propositione contenta, impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.*

12. Evidens non est evidentia morali, propria dicta

dicta & physica, Religionem Catholicam esse veram.

CENSURA.

*Hæc propositio doctrinam superiori propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.*

13. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. 22. *Innoc.*

14. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit. 23. *Innoc.*

15. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. 64. *Innocent. Cens. Lovan.* 1653. *prop.* 17.

CENSURA.

*Hæ propositiones in Deum remuneratorem, & in Christi mediatoris nomen contumeliosæ sunt, erroneæ, & hæreticæ.* Hebr. 11. 6. Act. 4. 12.

§. IV. *De Dei dilectione.*

16. Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis. *Decretum Alexand. VIII.* 24. *Augusti* 1690.

CENSURA.

*Hæc propositio est hæretica.*

17. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. 5. *Innoc.*

18. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare præceptum charitatis erga Deum. 6. *Innoc.*

19. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam qua justificari possimus. 7. *Innoc.*

20. Præceptum amoris Dei per se tantum obligat.

21. Præceptum affirmativum amoris Dei, & proximi, non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.

CENSURA.

*Hæ propositiones sunt scandalosæ, perniciosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, impiæ, primum & summum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ Legis spiritum extinguunt.*

§. V. *De Proximi dilectione.*

22. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali ..... præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. *Innocent. X. & XI.*

23. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. 13. *Innoc.*

24. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. 14. *Innoc.*

25. Injuriarum condonatio, commendatur nobis, ut quid perfectius, sicut commendatur virginitas præ conjugio.

CENSURA.

*Harum propositionum doctrina scandalosa, & perniciosa est, piarum aurium offensiva, & secundo charitatis præcepto contraria, respective hæretica, & omnem vel in ipsis parentibus & liberis humanitatis sensum extinguens.*

§. VI. *De Festis.*

26. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. 52. *Innoc. Cens. Lov.* 1653. *prop.* 8.

CENSURA.

*Hæc propositio est scandalosa, ad violandas Leges tum civiles, tum ecclesiasticas, vel etiam apostolicas viam aperit, ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda.*

§. VII. *De homicidio.*

27. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecuturas. 15. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæc propositio est falsa, scandalosa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati & avaritiæ aperiens.*

28. Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. 17. *Alex. Cens. Lov.* 1653. *prop.* 7.

29. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. 28. *Alex. Cens. Lov.* 1657. *prop.* 5.

CEN-

CENSURA.

*Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, Decalogo aperte repugnant, cædibus patrocinantur, & Magistratibus, ipsique humanæ societati perniciem intentant.*

30. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. 19. *Alexand.*

CENSURA.

*Hæc propositio est erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat.*

31. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. 30. *Innoc. Cens. Lov.* 1657. *prop.* 4.

CENSURA.

*Hæc propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem & homicidia excusat.*

32. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella, deprehensa gravida, occidatur, aut infametur. 34. *Innoc. Cens. Lovan.* 1655.

33. Videtur probabile omnem fœtum quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi. 35. *Innoc. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 6.

CENSURA.

*Hæ propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, nefandis homicidiis & parricidiis procurandis aptæ:* „ homicidii *enim* festinatio, est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. *Tertull. Apolog. cap.* 9.

34. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. 31. *Innoc.*

35. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere (defensione occisiva) sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem. 33. *Innoc. Cens. Lovan.* 1655. *prop.* 13.

36. Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere . . . . Fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis . . . si tamen aliquando futurum contingat tale malum, id est, gravissimum damnum, etiam ipsi licitum erit, bona ista cum occisione furis defendere.

CENSURA.

*Hæ propositiones legi Dei, & ordini charitatis divinitus instituto contrariæ sunt, perniciosæ & erroneæ.* Exod. 22. 2. 3.

37. Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) si aliter non potes effugere: ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendam noctu conjugem; si quis venenum tibi propinandum paraverit; si Rex unus adversus alium classem adornarit.

38. Si arma quidam necdum paravit, sed habet tantum decretum firmum, & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifestatione confidenter amicis facta innotescat, potes prævenire; quia per istud decretum, etsi pure internum, sufficienter censetur esse aggressor.

CENSURA.

*Doctrina his duabus propositionibus contenta jure naturali, divino, positivo, & gentium contraria est, nefandis cædibus et fanatismo viam sternens, societatis humanæ perturbativa, Regibus quoque præsentissimum periculum creat.*

39. Ubi est scripta expressa permissio a Deo, ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? an est in Scriptura? an in traditione? Estne fidei articulus? Si solo lumine naturali eo ducimus patere ut ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solum vitæ, verum etiam honoris & rei.

CENSURA.

*Doctrina hac propositione contenta & illata, scandalosa est, erronea & hæretica, Regibus & rebus publicis injuriosa, vanis ratiociniis & regulis vitam hominum & morum decreta subjiciens.*

§. VIII. *De Duello.*

40. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. 2. *Alex. Cens. Lovan.* 1655. prop. 15. Cens. Guimen. pag. 5.

41. Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit.

CENSURA.

*Doctrina his propositionibus contenta, est falsa, scandalosa, contraria juri divino & humano, tam ecclesiastico, quam civili, immo et naturali.*

§. IX.

§. IX. *Circa Castitatem.*

42. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. 48. *Innoc.*

43. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum. 50. *Innocent. Cens. Lovan.* 1653. *p.* 3.

CENSURA.

*Doctrina his propositionibus contenta, scandalosa est, perniciosa, castarum & piarum aurium offensiva & erronea.*

44. In hac vi & metu infamiæ, mortisque, poterat Susanna dicere: Non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem .... forte Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat; sic enim honestæ, castæque virgines putant se esse reas, seque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus resistant .... Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ & mortis negative se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset; quia majus bonum est vita & fama, quam pudicitia; unde hanc pro illa exponere licet.

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria.* Deuter. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

§. X. *De furto, turpi lucro, & judicum corruptelis.*

45. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. 36. *Innocent. Cons. Lovan.* 1657. *prop. Cens. Guimen. p.* 19.

CENSURA.

*Hæc propositio quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & reipublicæ perniciosa.*

46. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt. 37. *Innoc. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 9.

CENSURA.

*Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.*

47. Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu habeatur. *Vic. Gen. Paris. Cens. Apol. p.* 18.

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, scandalosa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati pessimas fallendi artes adjungit & in vitam humanam necessitates inducit a Christiana simplicitate & honestate abhorrentes.*

48. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis 38. *Innoc. Cens. Lovan.* 1653. *prop.* 16.

CENSURA.

*Hæc propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.*

49. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. 39. *Innoc. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 12.

50. Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata a quopiam, ea mente ut creditores frustretur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit vel ad eam induxerit. *Vic. Gener. Paris. Cens. prop.* 16.

CENSURA.

*Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur & justitiæ regulis repugnant.*

51. Incantatores aliique ejusmodi deceptores (magi, Astrologiæ judicariæ Professores, arioli conjectores) ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licite servare possunt bona his mediis acquisita.

CENSURA.

*Hæc propositio intellecta de prædictis falsis ac deceptoris artibus, falsa est, temeraria, fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea.*

52. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabilis, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. 26. *Alex. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 11.

53. Possunt Judices accipere munera a litigantibus, nec tenentur restituere quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam injustam. *Vic. Paris. pag.* 13. *Senon. pag.* 14. *num.* 10. & 11.

CEN-

CENSURA.

*Hæ propositiones falsæ sunt, perniciosæ, verbo Dei contrariæ, et Judicum corruptelas inducunt.*

§. XI. *De usura.*

54. Contractus Mohatra (*id est ille contractus, quo a mercatore res majore pretio ad certum tempus solvendo distrahuntur, ac statim ab eodem, stante eo contractu, minore pretio, præsente pecunia redimuntur*) licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri. 40. *Innoc. Cens. Lov.* 1657. *prop.* 14. *Cens. Vic. Cens.* 13. 14. *et seq. Cens. Apol. Fac. Paris.* 1658. *pag.* 15.

55. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. *Cens. Guim. p.* 8. 41. *Innoc. Cens. prædict.*

56. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum. 24. *Innoc. prædict. Cens. Lov.* 1657. *prop.* 13.

57. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. 42. *Alex. prædict. Cens.*

58. Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione perpetua. *Prædict. Cens. et Bituris.* 1659. *tit.* 7.

CENSURA.

*Hæ propositiones, in quibus mutato tantum mutui et usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones et alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes et fraudes vis divinæ legis eluditur; doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto ac non scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpe damnatam.* Proces, verba du Clergé an 1657. pag. 1268.

59. Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum.

CENSURA.

*Hæc propositio verbo Dei contraria est: novæ legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatorum fraternitatem tollit.*

§. XII. *De falso testimonio, mendacio, & perjurio.*

60. Cum causa licitum est jurare sine animo, sive res sit levis, sive gravis, 25. *Innoc.*

61. Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, etsi alio tenetur crimine, puta mendacii alicujus.

62. Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

CENSURA.

*Hæc propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, perniciosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.*

63. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intro aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. 26. *Inn. Cens. Lovan.* 1653. *prop.* 5.

64. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens ac studiosa. 27. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, illusoriæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, & sacris Scripturis adversantur.*

65. Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. 28. *Innoc. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 19.

CENSURA.

*Hæc propositio perniciosa est, scandalosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat, publicæ potestati contra Dei mandatum adversatur.*

66. Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti, æquivocationibus sive amphibologiis & restrictionibus mentalibus usi sunt.

CENSURA.

*Hæc propositio scandalosa est, temeraria, mystice,*

*stice, parabolice, sive œconomice ad insinuandam altius veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis confundit; SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa, & impia.*

§. XIII. *De Calumnia.*

67. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit probabilis opinio in Theologia. 44. *Innoc. Cens. præd. Apol. Lov.* 1657. *prop.* 3.

CENSURA.

*Hujus propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus, & impostoribus portam aperit; & clare detegit quam nociva placita probabilitatis nomine inducantur.*

§. XIV. *De adjuvantibus ad flagitia.*

68. Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. 51. *Innoc. Cens. Vicar. Gener. Paris. Adversus. Apol. pag.* 15.

CENSURA.

*Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis & Apostolicis aperte contraria & hæretica*; quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? & digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Matth.* 16. *Rom.* 1. 32.

§. XV. *De Simonia, & Beneficiis conferendis.*

69. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur. 22. *Alex. Cens. præd. Apol. & Guim. pag.* 71.

70. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contrario. 43. *Innoc. Conc. Lovan.* 1657. *prop.* 15.

71. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. 46. *Innocent. & prædicta censura.*

CENSURA.

*Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, hæresim simoniacam, sacræ Scripturæ, Canonibus, & Pontificiis constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis sive intentionis directionem inducunt.*

72. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos *digniores*, & Ecclesiæ *magis utiles* ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium, vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria, ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tantum loquitur tertio, quando fit concursus. 47. *Innoc. Concil. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.*

CENSURA.

*Hæc propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum, quæ a Pastorum delectu præcipue pendet, adversatur.*

§. XVI. *De Missæ Sacrificio, & sacra Communione.*

73. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit. 53. *Innocent. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 17. *& Sen. pag.* 19.

CENSURA.

*Hæc propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.*

74. Eidem præcepto satisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, immo & prava cogitatione defixo. *Cens. Vic. Gener. Paris. pag.* 18. & 19.

75. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem. 55. *Innoc.*

CENSURA.

*Doctrina his duabus propositionibus contenta temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.*

76. Fre-

76. Frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. 56. *Innocent.*

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, scandalosa, impia, erronea, & sacris litteris contraria.*

§. XVII. *De Missa Parochiali.*

77. Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, & docentur. *Prop.* 4. *inter sex damnatas in comitiis generalibus Cleri Gallicani ann.* 1656. *pag.* 412. *du Proces. verbal.*

78. Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec nationum sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis Censuris multare possunt. *Prop.* 5. *ex sex præd. pag.* 412. *du même Procès-verbal.*

79. Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus dominicis ad audiendam Missam (Parochialem scilicet).

CENSURA.

*Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ traditioni contraria, dicente Apostolo:* Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. *Hebr.* 10. 25.

§. XVIII. *Circa Confessionem Sacramentalem.*

80. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob adstans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere. 11. *Alex.*

CENSURA.

*Hæc propositio est temeraria, erronea, & Confessionis integritati derogat.*

81. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. 14. *Alexand.*

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, erronea, sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.*

82. Mandatum Concilii Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum ... illa particula, *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. *Alex.* 38. 39. *Sess.* 13. *cap.* 17.

CENSURA.

*Hæc propositio est falsa, perniciosa, apertum Concilii Tridentini decretum intervertit.*

83. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. 58. *Innoc.*

84. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum Confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ. 59. *Innocent. Cons. Lovan.* 1653. *prop.* 4.

CENSURA.

*Doctrina his duabus propositionibus contenta, falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, ministrorum Christi judiciariæ potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogat.*

§. XIX. *Circa dispositiones & absolutionem pœnitentis circa occasiones proximas.*

85. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. 57. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæc propositio est hæretica.*

86. Attritio ex metu gehennæ sufficit, sine ulla dilectione Dei, sive sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est.

CENSURA.

*Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

87. Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem quæ non vivificat animam, quæ-

que

que supponatur sine amore Dei esse, sufficere, ad absolutionem ut anathema pronuntiet adversus negantes. *Octava inter 11. propositiones a 46. Doctoribus sacræ facult. Paris. censura confixa.* 26. *Maii* 1696.

CENSURA.

*Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Trident. contraria, & in errorem inducit.*

88. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem. 60. *Innoc. Cens. Lovan.* 1655. *prop.* 1. *præd. Cens. Paris. Bitur. Senon. &c.*

CENSURA.

*Hæc propositio est erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.*

89. Potest aliquando absolvi qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere, quin immo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. 61. *Innoc. Cens. Lovan.* 1651. *prop.* 2. *& præd. Cens. Apol.*

90. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi, occurrit: unde non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa, nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ concubinarium tædio magno afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. 62. *Innoc. præd. Cens.* 41. *Alex. Cens. Lovan.* 1657. *prop.* 2.

91. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. 63. *Innoc. præd. Cens. & Lovan.* 1657. *prop.* 1.

CENSURA.

*Hæ propositiones scandalosæ sunt, perniciosæ, hæreticæ, aperte repugnantes præcepto Christi jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere & projicere.* Matth. 5. v. 29. 30. 81. v. 8. 9.

§. XX. *De jejunio.*

92. Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc facit, puta quia non vult se subjicere præcepto, 23. *Alex.*

93. In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. 29. *Alex Cens. Guim. p.* 11.

94. Omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio. 30. *Alex. Cons. Lovan.* 1657. *prop.* 23.

95. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant. 31. *Alex.*

CENSURA.

*Doctrina his quatuor propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, Ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit.*

§. XXI. *De intemperantia.*

96. Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. 8. *Innoc. Cens. Vic. Gen. Pag. pag.* 17.

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea & ad Epicuri Scholam ableganda.*

§. XXII. *De Horis Canonicis.*

97. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna. 20. *Alex.*

98. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem. 54. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, cavillatoriæ, ac præceptis Ecclesiasticis illudunt.*

99. Præcepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat .... Respondeo me tota hebdomada, toto mense, toto anno legisse (Horas) sine culpa veniali, & me non peccavisse venialiter tam certo scire, ut possim juramento firmare ... homo sum ... distractiones non evito involuntarias millies, interdum etiam voluntarias; & nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor; quia prudenter suppono, me ad attentionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & ea carere nequidem levem esse culpam, me ad lectionem tantum & attentionem externam obligari.

CENSURA.

*Hæc propositio est absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit, a Prophetis & Christo damnata his verbis.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *Matth.* 10. v. 8.

§. XXIII.

§. XXIII. *De Jurisdictione & Regularibus.*

100. Qui beneficium curatum habent, possunt eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario. 16. *Alex.*

CENSURA.

*Hæc propositio est falsa, temeraria, Concilio Tridentino contraria. Sess. 23. de reform. cap. 15.*

101. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. 12. *Alex. & in Causa Andeg. prop. 3.*

102. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. 13. *Alex.*

103. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. 36. *Alex.*

104. Non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes quas regularibus concedunt ad Confessiones audiendas; neque illas ex causa revocare: quin immo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur: & si ab Episcopi Religiosi non probentur, rejectio illa tantum valet, ac si approbatio concessa fuisset. *Alex. VII. decret. 30. Jan. 1650. prop. 2. in causa Andeg. apud Fagn. de probab. pag. 328. edit. Bruxell. 1667. Cler. Gallic. in Comm. Gen. ann. 1656. pag. 412. du Procès-verbal, Facult. Paris. ann. 1641. tit. 11.*

CENSURA.

*Doctrina his propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, in hæresim & schisma inducens, Concilio Tridentino contraria, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructiva, invalidis Confessionibus viam aperit, jam olim a summis Pontificibus, & a Clero Gallicano damnata.*

105. In ministro pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari sine causa.

106. Minister pœnitentiæ approbatus in una Diœcesi, etiamsi habeat suam jurisdictionem immediate a Papa, non potest tamen in altera, sine Diœcesani Episcopi approbatione, audire pœnitentes, saltem in loco ubi adest Diœcesanus.

CENSURA.

*Doctrina his propositionibus contenta, quatenus negat approbationem revocari posse sine causa, eamque esse necessariam in loco unde abest Diœcesanus Episcopus, falsa est, temeraria, & Episcoporum jura labefactat.*

107. Vi Concilii Tridentini approbatio unius Episcopi sufficit pro universa Ecclesia, id est approbatus ab uno Episcopo potest ubique absolvere modo jurisdictionem habeat. & ad eam accipiendam sufficit, vi Concilii Tridentini, unius Episcopi approbatio.

108. Religiosæ exemptæ possunt absolvi a Sacerdote non approbato ab Episcopo, sive Sacerdos ille sit sæcularis, sive regularis.

CENSURA.

*Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, a Concilii Tridentini decretis alienæ, jurisdictioni Episcoporum, & Ecclesiasticæ disciplinæ contrariæ.*

§. XXIV. *De Legibus principum, eorumque potestate.*

109. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. 28. *Alex.*

110. Subditi possunt justa tributa non solvere. *Cons. Guineæ. pag. 10.*

CENSURA.

*Hæ propositiones seditiosæ sunt, Apostolicæ doctrinæ, ac dictis Dominicis aperte contradicunt.*

§. XXV. *De Eleemosyna.*

111. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui: & ita vix aliquid tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status. 12. *Innoc. Cens. Lovan. 1657. prop. 20.*

CENSURA.

*Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.*

§. XXVI. *De Obduratis.*

112. Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare. *Cens. Senon. pag. 4.*

CENSURA.

*Hæc propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat, & ut talis a Clero Gallicano jam damnata est.* Cler. Gallic. in Comm. Genes. ann. 1641. 12. Aprilis.

§. XXVII.

§. XXVII. *De peccato Philosophico.*

113. Peccatum Philosophicum seu mortale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. *Alex. VIII. Decret.* 24. *Aug.* 1690.

CENSURA.

*Hæc propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea.*

§. XXVIII. *De Peccato mortali.*

114. Pleraque peccata, de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; & quæ expresse adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt... quoniam... horum facinorum rei, aut amisere omnem charitatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas.

115. Id tamen intelligi posset adhibito eo temperamento, ut qui plane repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati vero dolore tangerentur ob commissum peccatum, tam certo affirmari non potest, excidisse illos gratia, aut incurrisse pœnam damnationis: quamquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse ejusmodi dominatio qua voluntatis intima dispositio non mutatur... hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina S. Augustini.

CENSURA.

*Hæ propositiones, quæ divinæ charitatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, Verbo Dei contrariæ*, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate .... aut quæ conventio Christi ad Belial? 2. *Corinth.* 6. 14. & 15. *ad excusanda cujusvis generis peccata viam aperiunt & imponunt S. Augustino.*

§. XXIX. *De Cogitationibus sive delectationibus morosis.*

116. Hinc inferre debemus, eum consensum qui præbetur suggestionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciscenda injuria; secundum S. Augustinum, non esse aliud quam veniale peccatum, licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.



CENSURA.

*Hæc propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa esse, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, concupiscentiam fovet, in tentationem, & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa S. August.* lib. 12. de Trinit. c. 12. num. 18.

§. XXX. *De Regula morum, & probabilitate.*

117. Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia & præcipue in morali libentius juniores quam antiquiores lego & sequor... doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda. *Cens. Guimen. p.* 6.

CENSURA.

*Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa: spreta in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum ac traditionis auctoritate & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.*

118. Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet. *Cens. Guimen. pag.* 5. & 6.

119. Hæc propositio, sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis; si sufficiunt quatuor sufficit unus... ad probabilitatem sufficiunt quatuor: sed quatuor, imo viginti & supra testatur unum sufficere; ergo sufficit unus. *Cens. Guimen. pag.* 5.

CENSURA.

*Hæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, spreta veritate quæstiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.*

120. Si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. 27. *Alex.*

121. Non sunt scandalosæ, aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit. *Præfat. Cens. Guimen. pag.* 5.

CENSURA.

*Hæ propositiones, quatenus silentium & tolerantiam pro Ecclesiæ vel sedis Apostolicæ, approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, statui animarum noxiæ, patrocinantur pessimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.*

122. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. 3. *Innoc.*

CENSURA.

*Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo scripturarum aut traditioni. fundamento, cum magno animarum periculo statuit.*

123. Si quis vult sibi consuli secundum eam opinionem, quæ sit faventissima, peccat qui non secundum eam consulit. *Cons. Guimen. pag.* 6.

CENSURA.

*Hæc propositio, quæ docet blanda & adulatoria consilia & contra jus exquirere, & contra conscientiam dare, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, viamque deceptionibus aperit.*

124. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. *Innoc.*

125. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. 2. *Innoc.*

126. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. 4. *Innoc.*

127. In morte mortaliter non peccas, si cum attritione tantum Sacramentum suscipias, quamvis actum contritionis omittas libere: licet enim unicuique sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori.

CENSURA.

*Doctrina his propositionibus contenta est respective falsa, absurda, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus.*

---

*Has itaque elucubrationes (quas benigno ac supra modum singulari favore, sui SS. Nominis patrocinio concessit roborari* BENEDICTUS XIV. *S. P. feliciter regnans, & utinam diu pro bono Ecclesiæ!) has, inquam, cum tota animi prostrati demissione, Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis judicio subjicio; in eis quæcumque approbaverit, approbo; quæcumque ut minus sane scripta reprobaverit, ex nunc reprobo, revoco, ac pro non scriptis habeo; si me adjuvet Deus Opt. Max. Virgoque Deipara absque macula concepta, atque B. Franciscus Patriarcha meus Seraphicus, D. Claudius, sub cujus glorioso nomine Deus per Sacramentum regenerationis* de tenebris vocavit me in admirabile lumen suum: *S. Thomas Apostolus, sub cujus tutela me, per infinitam suam misericordiam,* eduxi de terra Ægypti de domo servitutis, *& introduxit in terram sanctam, in terram promissionis, in qua indesinenter experior, quam vere Psalmista dixerit:* Melior est dies una in atriis Domini super millia. *Amen.*

FINIS.

# INDEX TITULORUM
## TOMI SECUNDI.

## TRACTATUS I.

### *DE ACTIBUS HUMANIS.*

### DISSERTATIO PRIMA.



### DISSERTATIO II.



## TRACTATUS II.

### *DE LEGIBUS.*

### DISSERTATIO PRIMA.

DISSERTATIO II.



APPENDIX.



TRACTATUS III.

*DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.*

DISSERTATIO I.



APPENDIX.



Sc-

DISSERTATIO II.



DISSERTATIO III.



DISSERTATIO IV.



DISSERTATIO V.



DISSERTATIO VI.



APPENDIX.



## TRACTATUS IV.

### *DE PECCATIS.*

DISSERTATIO PRIMA.



DISSERTATIO II.

## TRACTATUS I.

### *DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.*



## TRACTATUS II.

### *DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.*

#### DISSERTATIO PRIMA.



#### DISSERTATIO II.



#### DISSERTATIO III.



*Cap.*

## TRACTATUS III.

### *DE VIRTUTE RELIGIONIS.*



## TRACTATUS IV.

### *DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.*

#### DISSERTATIO PRIMA.



#### DISSERTATIO II.



#### DISSERTATIO III.



#### DISSERTATIO IV.



##### PARS PRIMA.

*De contractibus in genere.*

PARS SECUNDA.



TRACTATUS

*DE SACRAMENTIS.*

## DISSERTATIO II.



## DISSERTATIO III.



## DISSERTATIO IV.

*Cap.* II.

DISSERTATIO VII.



DISSERTATIO VIII.



*Art.* II.

## APPENDIX I.

*Propositiones a SS. Pontificibus damnatæ.*



## APPENDIX II.

*Propositiones damnatæ a Clero Gallicano anno 1700.*



FINIS INDICIS.

